JOH: DOLÆI
MED. DOCT.

Potentissimi Hassiæ Principis Consiliarii & Archiatri Primarii, Collegii Medici Decani perpetui, Academiæ Leopoldinæ Naturæ Curiosorum Collegæ, & Regiæ Angliæ Societatis Sodalis,

ENCYCLOPÆDIA
CHIRVRGICA
RATIONALIS:

In qua omnes affectus externi corpus humanum unquam invasisse observati, tàm Veterum, quàm Recentiorum, in specie verò Galenicorum, Paracelsi, Helmontii, Willisii, Sylvii, & Cartesianorum ex fundamentis, quoad causas & curandi methodum solidè pertractantur, addito non modò de causis & curatione, sed nominibus etiam morborum, sede affecta, accurata Diagnosi, & Prognosi, necnon Diæta servanda, Authoris libero ubivis judicio, unà cum selectis & experientia multiplici confirmatis ad eosdem abigendos remediis.

Qua occasione etiam plures difficultates Anatomicæ, Chymicæ & Chirurgicæ resolvuntur, res Medico-Chirurgica illustratur, & omnia secundùm rectam rationem, & sanioris experimentalisque Philosophiæ principia dilucidè demonstrantur.

Opus ab eruditis diu jam desideratum, pluribus utile & jucundum, Medicinæ ac Chirurgiæ tyronibus pernecessarium, & ad multorum sollicitationes bono publico communicatum.



VENETIIS
SUMPTIBUS JOH. JACOBI HERTZ
M. D. CC. XI.

Causa mali tanti fœmina sola fuit.



Σὺν τῷ Θεῷ.

JOH. DOLÆI ENCYCLOPÆDIÆ CHIRURGICÆ RATIONALIS.

LIBER PRIMUS,

De Morbis Capitis Externis.

CAPUT I.

De Hydrocephalo.

Proœmium. NUmerosa illa morborum soboles, queis præ reliquis viventium corporibus humanum sæpiusculè ab ortu ad occasum mirum in modum divexari, defœdari, & nonnunquam in totum destrui atq; consumi observatur, tot tamque diversis abundat sui speciebus, ut non modò, dum earum indoles singulatim investigantur, & certa contra easdem explorantur remedia, brevi sub vitę spatio artem faciant longissimam, sed pręter multifaria, etiam generosissima, intus, & foris adhibita medicamenta, ipsam quoq; manualem, eamq; sedulam exigant operam, illis pręsertim impendendam, quæ aut externæ inhęrent superficiei, aut non procul ab ea distant, ita ut una cum oculorũ acie, manus & instrumenta ad locum ipsum affectum pertingāt, & causę foventes ab iisdē superari, dimoveri, partesq; laborantes ad integritatis statum felicissimè disponi ac deduci valeāt.

Quapropter pars illa Therapeutices nobilissima, ab *ἐγχειρήσει* ista penes *Græcos* nomen quoddam peculiare *χειρουργίας*, sive *Τέχνης χειρουργικῆς* sibi commeruit, non tantum vetustatis, & authoritate pollentium Virorum ea quondam ad multorum, quos Charontis cymba jam manere putabatur, conservationem faustissimè usorum, Podalirii nempe, Machaonis, Jasidis, quin ipsius illius omnis Medicinæ bonæ parentis, Hippocratis, exercitii fermè assidui splendore clara, sed eam maximè ob causam magnis condecoranda laudibus, quòd, uti excelsus ille *Celsus* de eadem satis honorificè commemorat, effectus illius inter omnes Medicinæ partes sit evidentissimus, ipsosque ad oculos tum morbos eorumque causas, tum medicamentorum vim & efficaciam, tum quid manus ipsæ salutares & instrumenta commoda præstiterint, demonstret, nec opus habeat tardam ac dubii eventus medicamentorum solorum operationem anxiè expectare, quæ tamen & ipsa cum victus ratione non omittat, sed manu plurimum præstet, ut sæpe simul & semel ipsa spina è membro ægroto evellatur, & inductus ab ea dolor in momento sedetur.

Non ergò falli nos putandum est, existimantes, in ipsos non modò Medicorum filios, sed totum humanum genus ingens inde redundaturum esse commodum, si affectus illos omnes, qui præter explicatos jam in *Medica* nostra *Encyclopædia* examinandi restant, & ipsam manuum, quandoque instrumentis variis armatarum, quin ferro & igne nonnunquam terribilium, efflagitant operationem, secundùm *rectæ Rationis* lumen & *Experientiæ* plenariam confirmationem ità clare & distinctè demus expositos, ut neque de ipsorum morborum, illisque supervenientium symptomatum causis aliquod dubiũ, neq; de salutaribus adhibendis remediis quidpiam magnopere restet desiderandum. Ut verò nostrum hoc propositum eo cedat felicius, eidem insistemus viæ ac methodo, quam in superiori nostra Encyclopædia Medica anteà calcavimus, certi, quòd Lectori in priori illa jam versato ea magis sit placitura, atque si eandem nunc mutassemus & ad aliam nos deflexissemus.

Ordiemur proinde & hic de *Capite*, minimè soliciti de apparitura quadam monstruositate, quod ponderosum aliquod caput reliquis præmittamus, non enim

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere nunc vult;

sed continuata quadam serie sequentur humana, quamvis morbida, membra, à supremo vertice capitis ad ipsam pedis plantam, imò extremum ejus digitum. Primum igitur nobis impetum sustineat, non magni illius

illius Alexandri Bucephalus, de quo *A. Gell. Noct. Att. lib. 5. cap. 2 p. m. 129.* sed parvuli cujusdam infantis Hydrocephalus, vel Ὑδροκέφαλον, ὕδωρ scilicet ἐπὶ τῷ ἐγκεφάλῳ, Latinis Hydrops capitis, seu tumor capitis aquosus dictus; Germanis audiens *die Wassersucht deß Haupts*: colligitur enim interdum tanta humoris copia, ut ea caput in magnâ intumescat molem. *Describi* autē potest, quòd sit tumor p. n. capitis, ab humorum vitiosorum, imprimis serosorum inundatione dependens, & per violentam utplurimum solutionem continui productus.

Hydrocephalus quid?

Morbus hic infantibus magis solemnis est, quàm adultis, quia infantibus tunicæ arteriarum & lymphæductuum sunt molliores, atque pori tubulique angustiores, nec motus sanguinis ac seri tam fortis, interim pori arteriarum, & vasorum lymphaticorum faciliùs dilatantur & particulæ crassiores in cerebrum deponuntur: qui infantes in utero materno sæpe morbum hunc acquirunt, cùm situ inverso diutius detinentur, nempe capite nimis declivi, quare cùm caput infantis in aquis, quæ in utero sunt, diu manet, facilè hæ cerebrum refrigerantes hunc generant affectum.

Est morbus infantum.

§. 2. Pars affecta est caput, & quidem quoad nervos ac vasa lymphatica in eo perreptantia; serum enim, sive aqua vel lympha in ventriculis cerebri extravasata & cadaverisata latet, aut aliquando intra cerebrum & meninges continetur, in aliis intra meningem crassam & tenuem, & in nonnullis intra meningem crassam & cranium aqua hæc colligitur, quin extra cranium quoq; detinetur, unde vasa necessariò debilitantur; quæ debilitas duntaxat in inconstantia pororum consistit, ita ut facilè mutentur, & improportionatas particulas liberiùs transmittant. Sic viscerum etiam debilitas consistit in ejusmodi pororum tubulorumque inconstantia, & obstructione.

Pars affecta.

§. 3. Si uno remedio omnes tollerentur affectus, ceu Universalistæ putant, multis carere possemus difficultatibus, nec enim causarum cognitio tantum temporis sibi vendicaret, neque ad bene medendum quicquam prodesset *Signorum* doctrina. At quam vana hæc sit expectatio, jam cuilibet notum est; firmo proinde stat talo tritum illud: Tantum quisque curat, quantum cognoscit. Imminentis Hydrocephali signa in Democriti puteo latent sepulta, nec nisi στοχασμῷ artificiali erui queunt. Desumitur hic à rebus naturalibus, non-naturalibus & præternaturalibus, vulgo sic dictis; quo enim hæ diligentius considerantur, eo certiùs de adventu hostis ferri potest judicium: si verò jam præsens fuerit hic affectus, tum facilè sensus incurrit.

Diagnosis.

Tumor si adest mollis, ad digitorum contactum cedens, materia latet inter pericranium & cutem: sin inter cranium & cerebri membranam contineatur aqua, tumor ad tactum non est mollis, nisi valida fiat compressio, tum enim impulsus cedit, cùm cranium infantum adhuc sit tenerius, & maximè suturis dilatatis. Dolor quoque in iis major, & totum caput tumidius, & frons ipsius prominens est, oculis vident intentis, & frequentiùs lachrymantur, sensus ferè hebetantur ac sopore laborant, vixque caput sustentare queunt. Causarum ratione, illum, qui à sero extravasato ortum habet, ut plerumque fit, facili marte coniicies ex causis, ob quas contrahitur, & præsertim in pueris, qui humidiores sunt; preterea ex defectis, quòd ubi prematur ejusmodi tumor sentiatur veluti aqua fluitans. A contusione, plaga aut compressione qui oritur, certa cruoris præbet vestigia. Hoc ego fateor, inquit *Fallopius*, mihi ipsi evenisse, & factum esse in me ratione & causa matris, dum scilicet uterum gerens, abdomen aliquo in loco percussit.

§. 4. Quoad *Causas* hujus affectus, *Galenici* ratiocinantur eam esse humorem aquosum, & veluti serum sanguinis, modò purum, interdum tamen fœculentum & sanguine dilutum, vel ab aliis partibus eò transmissum, vel, quod frequentiùs accidere volunt, ibi paulatim collectum ob debilitatem expultricis, & cava, unde exire debet, interclusa.

Causa secundum Galenicos.

§. 5. *Paracelso* est inundatio aquæ resolutæ, vel roris humidi, instar pluviæ à stellis in cœlo microcosmi interiore invinsibili, quibus Luna præsidet, nimiùm profusi & demissi, & in cerebro, aliisve capitis cavitatibus stagnantis.

Paracelsum

§. 6. *Helmontio* est latex ex cruore extravenato & corrupto productus, extra vitæ consortium rejectus, & per occasionem quandam validè ita dirigentem, cùm aliàs proprio gravatus pondere deorsum properet, in ipsam capitis cavitatem impulsus; vel proprio quodam errore partis in cerebro pronatus; cruor enim extra carnem in loco libero statim grumescit, mox dein aridior factus induratur, fermentumque virulentum concipit, unde Archeus hydropem capitis suscitat.

Helmontium.

§. 7. *Willisius* eam in hoc affectu potissimùm statuit serum sub propria forma ex vasis, scilicet lymphæductibus, exsudans, quatenus ob cacochymicam quandam corporis constitutionem sanguis aquosus & debilis serum superfluum è compage sua passim dimittit, & ab arteriarum osculis laxis & patentibus eiiciens circulationis filo excludit, à quo ob specialem quandam ejus diathesin, cerebrum præ aliis cavitatibus tum occupatur; nonnunquam etiam ipsis ejus penetralibus intactis partes capitis exteriores, interstitia videlicet inter cranium & pericranium, aut pericranium & cutem, ab illuvie ista serosa inundatur.

Willisium.

§. 8. *Sylvius* hujus affectus causam assignat vasorum lymphaticorum obstructioni, ab humore quodam viscido variis de causis in ea illato, unde in iisdem stagnans lympha vitiatur, vasa distendit & mox rumpit, sicque liberam viam inveniens intra cavitatem capitis, tanquam loci, in teneris infantulis propter peculiare quoddam vitium tum præ aliis magis apti, præsertim ob vicinitatem vasorum ruptorum, effunditur, & quò major ejus copia extra cranium pervenit, eò etiam cutis & pericranium fortiùs distenduntur & moles capitis augetur.

Sylvium

§. 9. *Cartesianorum* sententia de causis hujus affectus à priori ista non multùm abludit; existimant enim fieri posse, ut humores serosi seu lymphatici propter obstructionem vasorum capitis, per quos in statu sano aliàs commodè affluere, loco verò & tempore id postulantibus, etiam absque ullo impedimento & morâ iterùm effluere debent, modò in ventriculis cerebri majori copia colligantur, modò extra illud in aliquam aliam capitis partem reiiciantur & cumulentur, cum fibræ omnes in infantibus adhuc teneræ & molles existant, atque corporis fluido copiosiùs & impetuosiùs occurrenti facilè cedant, & ab eo se diduci & flecti permittant, unde caput in ejusmodi tumorem attollitur, præsertim cùm ipsa etiam cranii ossa in recens natis infantibus videantur membranosa, ut ita facilè a copia humorum validiùs affluentium extendantur. Lympha verò ob defectum spirituum in sanguine augetur; tota enim illa sanguinis pars, quæ vividis & subtilioribus istis partibus est privata, facilè crassescit & in phlegma hujusmodi facessit, quod ob matris debilitatem, in ipso etiam utero, misero infantulo quandoque solet obtingere.

Cartesianos

§. 10. Optimam, ut *ego* arbitror, opinionem fovent, qui ejus generationem tum ab obstructione nervorum & lymphæductuum, tum lympha extravasata & lymphaticis vasis ruptis deducunt, ceu in hydrope abdominis: affectus enim hi duntaxat loco differunt; si enim in exteriore parte capitis oritur obstructio, tum serum stagnans in tubulis partium externarum, ibi tumorem & leucophlegmatiam excitat: quando verò in cavitatibus cerebri oritur, lympha ibi deposita tubulos cerebri & nervorum extrinsecus quadantenus comprimet, & sic aliquando angustabit nervos, quare sensuum torpor & macilentia corporis inferioris oritur: ruptis autem vasis lymphaticis in cerebro, quibus id abundat, contingit lymphaticum liquorem effundi in locum sibi vicinum, hoc est, in cerebrum, vel intra membranas, vel etiam intra cutem & cranium; lymphæductus enim diutius obstructi, quia valde fragiles sunt, facile rumpuntur & aquas suas exspuunt, prout in pueri secundum annum nondum egressi cadavere Lugduni Batav. vidi 4. libras extractas aquæ subsalsæ & limpidæ, quod & annotavit Dn. van Horne P. P. Leidensis: Confer Ephem. Ann. 1. Observ. 47. Si plura exempla cupis, adeas Dn. *Stalpart. Obs. rarior. p. poster. Obs. 14.*

Nostrum de causis iudicium.

Extra omnem dubitationis aleam positum est, affectum hunc, ut hydropem, plerumque causam agnoscere vio-

violentam solutionem continui ex ipso humore, vel plaga, vel contusione; hinc & puerulis maximè familiaris, quando ab obstetrice in puerperio caput rudius contrectatur & quasi comprimitur, quod tamen alii ad Hydrocephalum referri nolunt, quia tumor ille non est à sero, sed à sanguine extravasato, vel ob partus difficultatem, vel ab obstetricis infelici manu. In particulari hoc capitis hydrope serum, ceu commune recrementi & alimenti vehiculum peccare certum est, utut id pro contentorum seu mistarum ratione nunc chylosum, nunc mucosum, nunc cruentum, nunc lutosum, nunc alio modo affectum deprehendatur. Lympha hæc utplurimum colligitur in capite ob deficientem insensibilem transpirationem, nonnunquam ob impeditam urinæ excretionem, quale exemplum non ita pridem in filia unius anni observavi, quæ etiam diureticis feliciter pristinæ restituebatur sanitati. Vitium etiam hoc primordia sua habet ex vitiosa hæmatosi, ubi chylus seu lac non ritè assimilatur massæ sanguineæ, & sic extravasatur in capite; circulante enim sanguine attenuata certis in locis lympha extravasatur; & extra vasa cum vehiculo seroso subsistens sanguis tumorem talem aquosum infert; lympha enim quandoque in suis vasis ab acido vel frigido inspissatur, non aliter ac brodium carnis aeri frigido expositum.

Num verò id serum tantum ex vasis lacteis seu lymphaticis, an verò etiam ex arteriosis extravasetur, non meretur meditationem; existimamus enim ex utrisque fieri posse extravasationem & stagnationem hujus limpidæ aquæ. Non dubitamus etiam in his digestionem in primis viis esse læsam, utpote quæ aliàs innumerorum morborum faber existit.

A flatibus posse caput in molem extendi patet ex Observ. 18. Cent. 3. *Hildani*, de artificioso scil. hydrocephalo, dum nefarius quidam nequam cutem capitis infantuli sui circa verticem ad musculos usque incidit foramine parvo, per quod ore fistulæ inflavit cutem capitis, & foramen cera artificiosè obturavit, unde caput in maximam extendebatur molem, quod cunctis hinc inde per Galliam quæstus ergò visendum exhibuere isti parentes, explorato autem scelere Parisiis ambo morte mulctati fuere: sed hoc rarum est.

Utplurimùm verò tumor hic aquosus eandem agnoscit causam, quam habent reliqui tumores aquosi: si enim aqua colligitur in abdomine, Ascites; si in pectore, Hydrops pulmonis, in umbilico Hydromphalos, in scroto Hydrocele à Medicorum filiis nominari solet: differunt enim hi affectus tantummodò loco, & eandem communiter obtinent originem. Sæpe etiam nervi quodammodo sunt obstructi, hinc spiritus animales non satis promptè per nervos ad partes nutriendas deferunt, ad humores circulantes requisito modo propellendos.

Quod hæc aqua in ventriculis cerebri sæpe contenta non efficiat apoplexiam, ratio hæc est, quod respectu aliarum aquarum aliquomodo sit spirituosa, neque subitò, sed sensim in cerebro colligatur.

Prognosis.

§. 11. Quo quis certior est de futuro ægri statu, eo circumspectius curam aggredi rectè præsumitur. Affectus noster in genere perpensus, certè periculo haud caret, quia ætas tenella, quam utplurimum occupat, huic oneri ferendo impar, communiter succumbit, hinc omnes infantes hoc affectu laborantes mortuos se vidisse, ingenuè fatetur Medicus *Ingrassias* dictus *tract. 1. c. 1. Comm. in Avicenn. de Tumor.* Confer Sennert. l. 1. Prax. p. 1. c 28. Paræum operat. Chirurg. c. 1.

Tumor quotidiè increscens, pro malo habendus est signo: Vidi puerum, inquit *Rhases 1. de morb. pueror.* cujus caput non cessavit augmentari, quousque mortuus est.

Si lympha in ipsa cerebri penetralia decumbat, de restitutione conclamatum esse omnium Medicorum fert sententia.

Si circa nucham lympha hæc sibi rapuit imperium, metus est obstructionis spinalis medullæ.

Affectus hic totam capitis peripheriam occupans multa in recessu habet vitæ discrimina. Dimidium capitis laborasse vidi; cujus rei bina exempla profert *N. Tulpius* Obs. Med. l. 1. c. 25. Quod si epilepsia, apoplexia aut lethargus huic se associent morbo, non fallaces mortis sunt prodromi.

Sanguis è naribus stillans de seri testatur acrimonia. Breviter aliquando hic affectus terminatur, sed & nonnunquam per longum durat tempus.

Cura Diætetica.

§. 12. Quod viatoribus statuæ mercuriales, id nobis in præsenti negotio erit medendi methodus, quæ consistit æque in Diæta, ac Pharmaceutica & Chirurgica: res enim non-naturales constitutionem corporis immutare, & labefactatam iterùm restituere possunt. Aerem ægrotis nostris commendamus calidum & siccum vulgò ita dictum, quòd si natura non talis, arte alterandus. Intemperantiæ, in pueris adeò solenni, nisi frænum injiciatur, inanis erit curatio. Ante omnia frigidus vitetur potus, exulent cerevisia tenuis, decocta hordei, Julepi, &c. Cibus sit talis, qui non multum aquosi humoris nec salsi suppeditat, ideoque boni & utilis succi, ut sunt carnes gallinaceæ, hœdinæ, vitulinæ, perdicum, &c. Liquidorum usus sit moderatus. Vinum assuetis pauca manu exhibitum nihil facesset negotii. Motus & quies, somnus ac vigiliæ mutuis se excipiant amplexibus. Animi affectus ne tyrannidem exerceant, maturè prospiciendum. Debitum lunare justo solvatur tempore, fervorem enim sanguini conciliare solet consueta evacuatio suppressa, unde impetuosior seri effluxus.

Curatio Pharmaceutica & Chirurgica secundum Galenicos

§. 13. De instituenda curatione, tùm Pharmaceutica tùm Chirurgica, primi sententiam proferant veterum solicitè adeò prementes vestigia, ut propter famosum illum Antesignanum, à quo vel latum unguem secedere iis sæpe putatur religio, titulum *Galenicorum* vulgò promeriti fuerint, quæ eò potissimùm vergit, ut removeatur causa, qua detracta & morbum & symptoma finiri dicunt; quapropter humorum aquosum, à quo tumor ille pronatus, exhauriendum volunt, hac tamen adhibita circumspectione, ut ratio habeatur totius corporis, prohibeaturque ne aquosi istius humoris copia ulterius in corpore contrahatur, & jam contracta, vel per hydragoga, vel diuretica evacuetur. Inter hydragoga laudant brassicam marinam, succum iridis, sambuci elaterium, parca tamen manu pueris data. Diuretica illis sunt radices apii, asparagi, fœniculi, petroselini, asari, anisi, ex quibus vel decoctum vel infusum parant in aqua communi, eamque bibendam exhibent, addita portione quadam syrupi de 2. vel 5. radicibus. Habita deinde corporis ratione ad exhauriendum aquosum humorem in capite contentum progrediuntur, & quidem si paucus est, obscure per medicamenta digerentia, oleum nempe chamomelinum, anethinum, rutaceum, laureum, cataplasma ex farina hordei, fabarum, lupinorum, iridis, sulphure ac melle Exempli gr.

℞. *Ol. Chamomill.*
Aneth. aa. ℥ ij.
Sulphur. ℥ j.
M. & calidè inungatur locus, bis in die.

Vel:

℞. *Pulv. Absinth.*
Chamomill.
Melilot. aa. ℥ ij.
Butyr. recent.
Ol. Chamomill. aa. ℥ iv.
Ceræ parum, & ad ignem f. Unguentum.

℞. *Mell.* ℔ ß.
Salis ℥ ß.
Pulv. origan. ℥ iij.
M. & tepide inungatur locus affectus.

Alii:

℞. *Pulv. absinth.*
Chamomill.
Origan. aa. ℥ iij.
Myrtillor.
Rof. rub.
Melilot. aa. ℥ j.
Ol. Chamomill. q. s. ad incorporationem,
Cum pauco butyro & adjecta cera
F. unguentum.

Post inunctionem inspergunt pulverem ex myrtillis, rosi. cinnamom. caryophyll. Chamomill. Aquosus autem humor si adeò multus est, ut medicamentis absumi nequeat, per Chirurgiam eum educere docent; & quidem si inter cutem & pericranium continetur, vel cauteriis cutem aperiunt, & stillando humorem exhauriunt, vel scalpello, linea transversa per medium tumorem ducta; si verò inter pericranium & cranium seu calvariam residet, vel duas lineas ducunt instar litteræ X. vel tres in figuram litteræ H. Intra calvariam autem & meninges si subsistat, non modò calvariam nudant, sed etiam de ea aliquid excidunt, ut humor exitum invenire possit. Educto sic humore, locum jubent exprimere, & sanguinis fluxum cohibere, perfundendo eum vino, & oleo, ut, si quid influat, istud repellatur, hinc sarcoticis carnem restituunt & tandem cicatrice claudunt.

Curatio secundum Paracelsum.

§. 14. Sequitur magnus ille hydropisæ domitor putatus *Bombastus ab Hohenheim*, sive *Paracelsus*, alto supercilio præcipiens specifica adhibere purgationis, & specifica tumoris. Laudat ergò Essentiam suam ex alahandal cum aquila præcipitata, ut morbi abeat origo. Purgatione evacuandum saltem vult superfluum, ut postmodum facilius perveniatur ad curam, idque imprimis per Helleborum. Hinc indies Essentiam Tartari, Vitrioli, & diacubebe administrat. Cataplasma parat ex Rebis columbarum in Aceto rosaceo. Summum posteà addit specificum, nempe Spiritum vitæ ex auro extractum, data simul opera, ut id, quod læsum est, restauretur.

Curatio secundum Helmontium.

§. 15. Arduum erit ex arcanorum illo custode diligentissimo Dn. *van Helmont*, pro abigendo hoc morbo aliquid nunc elicere; tantum enim ab illo vix impetrare licet, unde hariolari possumus, ejus scopum curatorium esse, laticem extravenatum, & cruorem resolutum ad convenientes vias reducere, Archeumque placare, ut eundem absque impedimento dimittat, præcavendo simul, ne ulteriùs aliquid cruoris extra venas in partem illam influat, ibique corrumpatur. Inter remedia hæc præstantia, tanquam læto quodam sidere ad eorum manifestationem permotus commendat bryoniam albam, abs qua virus solutivum ablatum fuerit, cùm illa rasa contusioni, in qua cruor subter pellem nigricat, imposita, paucis horis cruorem illum resolvat in aquam, eandemque pariter per cutem exigat. Antimonium etiam primò in liquorem versum, & postmodum in pulverem solummodò per sudorem purgantem, uti omnem hydropem, ita & hanc ejus speciem extra metum recidivæ modestè tollere ex propria observatione promittit. Magnis insuper laudibus extollit Præcipitatum diaphoreticum Paracelsi, variis morbis depellendis unicè aptum atque sufficiens.

Curandi ratio secundum Vuillisium.

§. 16. Londinensium decus & Practicus ille felicissimus *Thomas Willis* affectui huic consulturus, juxta communem medendi methodum, tres ponit indicationes primarias, curatoriam nempe, præservatoriam, & vitalem. Prima aquas in capitis cavitate collectas debito modo evacuandas respicit. Secunda ne nova ibidem colligatur illuvies præcavet. Tertia vires instaurandas, & symptomata eas lædentia tollit. Primæ indicationi ut satisfiat, duos agnoscit evacuandi modos, quibus aquarum illuvies educi potest, scilicet, ut vel vasa & humorum ductus inaniti lympham rarefactam resorbeat, & dein foràs convehant, vel ut per sectionem aquæ istæ in propria specie educantur. Prior modus obtinetur per purgantia, diuretica, & diaphoretica methodicè & per vices exhibita; quibus adjungi, vel interponi debent cephalica attenuãtia & calefacientia, quo humores superflui ad evaporationẽ disponũtur. Sint formulę purgãtes.

♃. *Rad. aristol. rot.*
Imperat.
Calam. aromat.
Rusci aa. ℥ ß.
Fol. beton.
Rorismarin.
Laurt,
Majoran. aa. M. ß.
Flor. stœchad. Arab.
Sem. ebul. ʒ v.
Bacc. Junip. ʒ iij.
M. & *debitè apparata coq. in aq. font.* ℔ iij. *ad tertiæ fermè partis consumptionem, Colaturæ add.*
Fol. sen. ℥ ß.
Agar. ʒ ij.
Mechoac.
Turbit. aa. ʒ iij.
Santal. citr. ʒ j ß.
Galang. ʒ j.
Ebulliant clausè per horas ij. dein colentur & *add. Mel. opt.* ℥ ij.
Clarificetur cum albumine ovi, f. Hydromel purgans, de quo dentur aliquot unciæ pro ratione ætatis bis vel ter in septimana.

In ætate provectioribus adhiberi possunt pilulæ, & imprimis sequentes:

♃. *Calomelanos* ℈ j.
Resin. Jalapp. ℈ ß.
Cum s. q. Gumm. Ammon. Aceto solut.
F. Pilulæ iv. Sumantur manè.

Inter Diuretica sequens Pulvis reliquis præfertur:

♃. *Salis succini,*
Sal. nitri puriss. aa. ʒ ij.
F. Pulvis Dos. ℈ j.

Laudatur quoque Tinctura Salis Tartari.

Diaphoretica præstant ex lignis, vel pulvere viperarum & busonum. Vel:

♃. *Spir. Ceras. nigr.* ʒ ij. ß.
Bacc. ebul. ʒ j ß.
Dos. gt. 20. vel 30. vel plures pro ratione ætatis & *habitus corporis.*
M.

De modo sectionis nihil peculiare docet, illaque pro more aliorum, necessitate id exigente, institui solet. Nova illuvies optimè præcavetur victu idoneo, calefaciente videlicet & siccante. Vires restaurantur salibus volatilibus & spirituosis, imprimis ex cornu cervino & cranio humano paratis.

Sylvii sententia de Curatione Hydrocephali.

§. 17. Quærendus jam Lugdunensis Apollo nobilissimus ille *de le Boe Sylvius*, cujus responsũ postulat, ut ruptio vasorum, ex quibus aqua illa in partem influxit, cõsolidetur, sicque ulterior affluxus præcavetur, deinde ut lympha in capitis cavitatem ipsa evacuetur, vel per medicamenta diuretica & diaphoretica, vel per sectionem; deniq; ut reseretur vasorum obstructio. Rupta igitur vasa optimè uniuntur & consolidantur adstringentibus ex radic tormẽtill. bistort. caryophyllat. fol. myrti, equiseti, flor. rosar. balaust. nuc. cupress. myrtill. cupul. gland. &c. Educitur lympha potissimùm diaphoreticis, tum internis, tum externis. Inter ista præ aliis conducũt quæ acriora sunt, & vi aromatica prædita, ut sunt ligna & cortices Guajaci, Sassafras, Juniperi &c. item radices apii, fœniculi, imperatoriæ, angelicæ, &c. quæ quacunq; forma maximè tamen liquida parata, sedulò adsumi debent, ut perpetuò quodam in sudore sint ęgroti, ita enim corporis pori servantur aperti, & via expellendis aquis patet; sin sudores intermittuntur, pori claudũtur & aqua iterùm augetur, huic majore labore & molestia novus exitus postmodum parandus. Quò facilior autem alliciatur sudor, prioribus addenda spirituosa penetrantia & sale volatili abundantia. Formula quędam esto talis:

♃. *Rad. fœnic.* ℥ j.
Imperat. ʒ v.
Angelic. ʒ iij.
Ligni sassafr.
Junip. aa. ʒ vj.
Cort. Guajac. ℥ ß.
Sem. Card. bened. ʒ ij.
Coq. in s. q. aq. comm.
In Colatur. ℔ ij. *dissolv.*
Mell. anthos. ℥ ß.
Add. Spir. Junip. ʒ j ß.
Sal. Armon. ʒ ß.
M.
Detur singulis diebus manè quantum sufficiet pro ætate & *dispositione ægroti.*

Externè etiam fotus institui possunt, vel sacculi & emplastra capiti imponi, imprimis sacculi ex floribus, semi-

seminibus, foliis, radicibus & similibus aromaticis in pulverem redactis, & cum sale tosto aut cineribus mistis parati & calidè applicati. Sal tostum enim potentissimè aquas ad se trahit, quia omni humiditate privatum est, in cujus locum venit aqua in capite contenta. Sectio si instituitur, ut aqua majori copia educatur, cavendum ne subitò ista evacuetur, sed per vices, ne æger de vita periclitetur. Obstructionis vasorum reseratio perficitur solvendo pituitam in vasis coagulatam, eandemque inde removendo. Pituita coagulata solvitur medicamentis incidentibus & attenuantibus dictis; partim sale lixivo, tum fixo, tum volatili, & imprimis oleoso seu aromatico præditis; partim acidis, partim spirituosis, partim ex variis hisce mistis. Talia sunt ex salibus fixis Sal Card. benedict. absinth. rorismar. Tartari, ex volatilibus ea, quæ ex urina, Sale armoniaco, Cornu Cervi, Cranio humano, succino & similibus parantur. Ex salibus volatilibus oleosis, olea stillatitia, imprimis ex aromatibus, seminibus, baccis, lignis, radicibus parata. Ex acidis, Spir. Salis, nitri, &c. Ex spirituosis, ipse Spiritus vini tum ex quibusvis plantarum partibus fermentatione elicitus. Ex mistis Sal tartari vitriolat. Sal armon. Aquæ theriacales, antinephriticæ, &c. ut & compositiones ex prædictis, nunc Misturæ, nunc Apozematis, nunc alterius potionis forma institutæ. Pituita, vel ex ea resoluta serum redundans diminuitur evacuatione, & quidem in hoc morbo potissimum vel per secessum, vel per urinas. Ex illis, quæ per secessum educunt, præfertur Mercurius dulcis cum gummosis forma pilulari adhibitus. Per urinas egerunt dicta diuretica ex rad. apii, asparagi, petrosel. fœnic. eryng. rusci, valerian. pimpinell. urtic &c. fol. urticæ, chærefol. absinth. beton. chamæpith. rutæ, &c. sem. anis. fœnic. dauci, seseli, &c. Bacc. junip. ribes. nigr. amygd. amar. nucl. persic. & terebinth. Ex Chymicis Spir. Salis, Tartari, Sal tart. vitriolat. Sal volat. Urinæ, Ol. still. bacc. junip. succini. His prudenter adhibitis, semper blandè & lentè procedendo, affectum hunc domari posse confidit.

Cartesianorum de curatione Hydrocephali sententia.

§. 18. Restant nunc acutissimi & subtilissimi *Cartesii* prementes vestigia paucis interpellandi; ut in commune ægrotorum bonum aliquid de suo conferam huic affectui depellendo commodum, sive sit consilium, sive auxilium quoddam præsentissimum. Pro faciliori itaque præstanda medela, tria hi proponunt in affectus hujus curatione maximè observanda axiomata. Primum est, ut lympha copiosiùs in partem illapsa, eamque in tumorem distendens, commodè evacuetur. Secundum, ut obstructio ductuum & vasorum lymphaticorum tollatur, quo liquorem extravasatum libere resorbere, & quo decet, valeant deducere. Tertium, ut copiosior, quàm œconomia animalis exposcit, lymphæ proventus inhibeatur, promovendo sanguinis suppressam aut impeditam spirituascentiam, ipsorumque spirituum deflagrationem aut exhalationem excedentem intercipiendo, ne massa sanguinea iisdem nimis depauperata facessat in phlegma, sed servatis spiritibus ipsa pars affecta corroboretur. Evacuatio humoris est vel sensibilis, vel insensibilis, utraque vel per interna, vel externa instituta. Sensibilis interna fit per alvi egestionem & per urinam. Egestio per alvum instituitur per gummosa & mercurium dulcem in infantibus, per elaterium verò, succum iridis, ebuli, aliaque in robustioribus. Dant formulam in infantibus adhibendam sequentem:

♃. *Mercurii dul. gr.* vij. *ad* ℈ ß.
Sal cent. min gr. iij.
Syr. ros. solut. l. de Spin. cervin. ʒ iij. *l.* ℥ ß.
M. Exhibeatur una vice.

In robustioribus.

♃. *Extract. Elater.* ℈ ß.
Trochisc. albandal. gr. ij. *l.* iij.
Cum s. q. Essent. rorismar.
F. Pilulæ vj. *l. plures una vice sumendæ.*

Suadent etiam Clysmata ex rad. aristol. apii, Ireos nostr. herb. gratiol. soldanell. fol. ebul. asari, flor. genist. sambuci, cort. inter. frangul. & pulp. colocynth. Per urinam excretio promovetur lixiviosis, item Tinctura ebuli & Tartari. Insensibilis excretio internè instituitur diaphoreticis & poros cutis aperientibus, ut exhalatio promoveatur, ex lignis, sambuco, junipero, bezoardicis, &c. Ex. gr.

♃. *Aq. rorismar.* ℥ j.
Essent. lignor. ʒ j.
Sp. flor. sambuc. ℈ ij.
Tinctur. Tartari ℈ j.
Syr. Card. bened. ʒ iij.
F. Mixtura. Sumatur cochleatim, corpus ad sudorem disponendo.

Laudatur etiam Tinctura diaphoretica *Mynsichti*.

Ut facilior sequatur cura, jungunt his externa. Sic insensibilis evacuatio per externa fit discutientibus forma fotus, vel cataplasmatis, vel emplastri adhibitis, ex camomill. majoran. origan. melilot. roremarin. stœchad. Arab. farin. fabar. lupinor. sterc. columbin. sem. anisi, cumini, Sulphure. Commendantur Fotus ex lixivio calcis vivæ, & illitus spirituosorum, ut Essent. salv. rorismarin. majoran. puleg. Olei Balsamici *Mynsicht*. Emplastra de baccis lauri & de beton. cum oleo succini minimè contemnunt. Sensibilis evacuatio externè instituitur sectione, quæ faciliùs & felicius peragitur aqua intra cutem & pericranium, aut pericranium & cranium subsistente, ea autem intra cranium & cerebrum, vel in ejusdem ventriculis commorante cautè admodùm administranda, cùm vix absque periculo peragi possit. 2. Obstructio vasorum corrigitur resolventibus tenacem & glutinosum succum in iis contentum, aliisque deobstruentibus, ut magisterio Tartari vitriolati Zwelff. Mercurio præcipitato solari, Sale Antimonii, Sp. Tartari, &c. 3. Lymphæ ulterior proventus inhibetur & spiritus augentur variis salibus volatilibus & spirituosis ex rore-marino, melissa, Sp. Ammoniaci, C. C. Sale succini volat. Sit formula una, vel altera:

♃. *Aq. beton.* ʒ j.
Meliss. cum vin. ℥ ß.
Vitæ Matthiol. ʒ ij.
Essent. rorismar. ʒ i ß.
Spir. Ammoniaci cinamomisat. ʒ j.
C. C. essentificat ʒ ß.
Syr. flor. Hyperic. ʒ vj.
F. Mixtura. Detur cochleatim.

♃. *Tinctur. flor. Tunic.* ʒ ii ß.
Essent. Xyloaloes ʒ j.
Liq. C. C. succinat. ʒ ß.
M. D. gt. 20. vel 30 in jusculo pulli gallinacei cum roremarin. majoran. & macis decocto, vel alio quodam vehiculo cōvenienti.

Curatio nostra.

Cura Hydrocephali *nostro* judicio consistit in obstructionum solutione, ubi observandum, ut cautè & lentè procedatur; si enim velis subitò curare, ac aquam una vice evacuare, hominem in maximum vitæ periculum protrudes, quia limpidior aqua evacuatur & crassa instar gelatæ amurcæ intus latens conglutinat fibras partis ita, ut oriantur incurabiles obstructiones. Præmittamus ergò priùs medicamenta, antequam ad ferrum & ignem accedamus. Impossibile autem est affectum hunc tollere materia relicta, quæ ipsum fovet. Ab evacuantibus faciemus ergò initium, inter quæ palmam aliis præripit Jalappa, in infantibus purgans tutum ac jucundum, quæ maritari potest pulv. cinab. nativ. hic & multum præstat syr. de spin. cervin.

Ritè ergò exploranda est ipsorum natura; si enim purgantia benè ferunt ægri, sæpius ea exhibenda sunt, iisque semper admisceatur aliquid Mercurii dul. qui potenter incidit, concedente enim inducias morbo, nunquam pacem sperare licebit, & quo major est collectio aquæ in particulari hoc hydrope, eo fortior poterit esse purgatio: præstat enim semel & fortius purgare, quàm sæpius & leniter. Verùm si cancrosam hoc est, acrem suspiceris sanguinis diathesin, ab his abstineas, præsertim in sexu fœmineo, quæ purgantia ratione uteri non bene ferunt. In pueris & infantibus sæpe sufficiunt clysteres.

Præmissis purgantibus totius rei cardo vertitur in incidentibus & diaphoreticis, inter quæ reliquis præferuntur amara; ad quamcunque ergò intentionem obtinendam conducunt absynthiaca, sambucina, ebulina, Juniperina, Gratiola, centaur. min. cerevisia absynthites, vel enulata, vel salivata, item agrimonia, Ruta muraria altera maximè conducent. Hic & convenit Essentia rad. vincetox. & Essentia lignorum, quæ talis esse potest

℞. Rasur. lign. Sassafras, infund. Sp. lil. convall. & Spir. vin. s. Sp. serpill. Stet in digestione per septimanam, posteà filtra.

℞. Rasur. ligni Sassafr. ℔ j.
Santal. ℔ iij.
Rad. Chin.
Sarsaparill. aa. ℔ j.
Herb. fumar.
Fl. Sambuc. aa. M. ij ß.
Irrorentur spir. vini Tartarisat. & infund. cum spir. vini rectificat. Stent in digestione, exprime, filtra, & servetur.

Abstinendum à frigidis & aquosis, Julepis, aliisque acidis & incrassantibus, è contra conducunt blandiora diuretica, salina & lixiviosa. Omnia quæ recensentur inter cephalica, hic possunt usurpari, ex. gr. liq. C. C. succin. Elixir Cephalicum D. M. Essent. Castor. bals. Nervin. n. Cinabarina, &c. hic & salia volatilia, item oleosa salina conveniunt. Ol. tartari per deliq. in potu ordinario ad aliquot guttulas instillarum egregiam affert opem. Pro specifico habent Lapid. Ceraun. ℥ iv. Spol. serpent. ℥ ß. pulveris. & M.

Præmissis his simul adiiciamus Externa; præ aliis autem commendo fotum ex discutientibus, vel in forma sicca vel in vino coctis. In forma sicca capiti raso applicata conducunt, sabina, rosmarin. salv. sambuc. ruta, lavendul. beton. sem. cumini, vel sabina sæpe sufficit, vel coq. sacculus prædictis repletus in vino, addito tantillo Spiritus vini, vel linteum in aqua Reginæ Hungariæ, hoc est, Spiritu flor. rorismar. tribus cohobationibus parato, tinctum, & tepidè applicatum, vel lixivium sarmentorum, vel Mercurii alb. præcipitati ℥ ij. addas decoctis unà cum Sale mixt. ℥ viij. Sulph. vivi ℥ j. Calida enim maximè hic conducunt, & contra frigida capiti inimica existunt. Alii suadent fasciam Guidonis, in formam cucuphæ concinnatam, qua totum caput obvolvi debet, & quotidie nova fascia repetenda. Alii utuntur aliis exsiccantibus ex Mastiche, Gumm. Junip. N. M. Caryophyll. ladan. pur. cum ol. mastic. in massam redigunt pro usu, vel in forma Cerati, vel Emplastri. Pro Cucupha sit sequens:

℞. Flor Chamomill.
Fol. beton.
Rosar.
Absynth.
Sem. nigell.
Coriand.
Gummi aa. ℥ ß.
M.

Timæus sequenti cataplasmate imposito curavit puellam bimestrem.

℞. Pul. rad. cucum. asin. rudis aa. ℥ ß.
Sem. cumin. ℥ j.
Farin. fabar. ℥ ij.
Mell. anthos. q. s. f. cataplasma capiti raso applicandum.

Cochleæ contusæ in hoc affectu prosunt, imprimis si iis contusis inspergatur pulvis fimi caprilli, & addatur aliquid seminis carvi, & applicetur instar cataplasmatis. Vel sequens quod optimum:

℞. Ras. rad. bryon. ℥ j.
Pulp. colocynth. ℥ ij.
Herb. absynth. rutæ aa. M. j ß.
Sem. fœnic.
Sinap. aa. ℥ j.
Piper. long. ℥ ß.
Salis Tart. ℥ j.
Ammon. ℥ vj.

in vin. coq. vel urina, & fiat adjecta farina fabar. cataplasma, cui add.

Spir. urin.
Rorismar.
Matric.
Sal. Ammoniaci aa. ℥ ij.
M.
calidè applicand.

Errhina etiam suum usum hic invenient in adultis.

Nunc paulò consideratius ad Chirurgica accedamus: quæcumque enim non sanant medicamenta, ea ferrum sanat; quæ ferrum non sanat, ea ignis sanat; quæ ignis non sanat, ea incurabilia putare oportet. Tria nempe sunt, quibus Medicus ægrotis auxilium potest ferre, Diæta, Pharmacia & Chirurgia. Multi morbi interni sola curantur diæta, multi etiam curantur medicamentis, sæpe autem hæc duo non sufficiunt, hinc Chirurgia in auxilium vocanda est. Illa verò varios modos, diversaque instrumenta habet, quorum opera finem suum assequi intendit, qui itidem non unus est. Mihi in præsentiarum reliquis missis lubet pluribus considerare illam medendi rationem, qua Chirurgica manu hydrocephalo laboranti aqua subducitur, quam operationem paracentesin nuncupare licet, quia per punctionem fit; per sectionem etiam fieri potest, cùm citra periculum hæmorrhagiæ majoris aut doloris in hisce locis stupidioribus operationem Chirurgicam instituere liceat: sive ergo scalpello sectio facienda, sive cannula ex argento parata & ad acumen perforata à Barbette & van Mekeren delineata, pungenda; ea ut à perito Chirurgo peragatur, prospiciendum est, qui studiosè attendere debet, ubinam contineatur aqua, & quo loco meliùs effluere possit, ea enim sæpius instar gelatinæ viscida est, ut per cannulam effluere haud possit. Uulnus latius sit necesse est; & asterisco hic notandum, quod semper facienda sit sectio in loco decliviori, ipse humor autem seu aqua non est simul & semel omnis educenda, sed per intervalla, non horarum tantum, sed & dierum, habita imprimis virium ratione. Interim æger corroborantibus ex cons. ros. absynth. diarrh. Abb. ab. cinamom. mirabil. &c. restaurandus. Aquæ emittendæ quantitatem neque diebus, neque vicibus metiri possumus, sed pro cujusque ætatis & virium ratione humor educendus. Si vero aqua intrà cranium detineatur, cautè vel nunquam instituatur.

Quoad V. S. scarificationes, cauteria tum actualia, tum potentialia, cucurbitulas, sinapismos, &c. ea ut in Ascite, ita etiam hic mihi suspecta sunt, hinc omittenda potiùs censeo, quàm ægrum talibus excruciare. Circa curationem hydrocephali optimum esse putamus ut externè ab injuriis caput præservetur, & valde calidum servetur, & infantes in cunis decumbant, calidus lapis vel arena calida circa caput ægri ponatur, ut obstructiones iterum reserentur, & lympha liberum acquirat cursum ac transitum. Sudorifera ergo volatilia, liq. C. C. succ. & Sal volat. C. C. omnem, ceu diximus, implent paginam.

CAPUT II.

De Pilorum Affectibus,

V. gr.

De Alopecia, Area, Ophiasi, Tinea, Calvitie, Canitie, Plica, Porrigine, inconcinna pilorum excrescentia, & eorundem Fissuris & Scissuris.

Pervulgatum & πολυθρύλλητον illud proverbium, quod de re contemptibili & nullius fermè pretii quotidie penè proferri percipimus, dum *ne Pili quidem*

quidem eam faciendam esse perhibent, nobis tamen tanti non erit valoris, ut ipsos Pilos, de quibus ne unus quidem absque singulari Divina voluntate è capite nostro in terram decidit, id propter considerationе nostra indignos & sicco pede putemus transeundos; quin antequam ad alios progredimur, *Pilorum Affectus* examinandos & corrigendos suscipimus: nec veremur nos adeò in illis intricatum iri, ut ex iisdem nos denuò non valeamus exsolvere, quamvis ob affinitatem, quam inter se habent, omnes simul junctos uno hoc in capite simus pertractaturi, ita enim uno intuitu plures nobis eorundem apparebunt ideæ. Describemus ergo istos ordine, quamvis fatemur, eos à veteribus esse præter necessitatem multiplicatos.

Alopecia descriptio. 1. *Alopecia* est Capillorum defluvium cum suis radicibus, à particulis acribus salinis glandulas subcutaneas erodentibus obortum. Dicitur Alopecia à vulpe quæ vocatur Græcè ἀλώπηξ, eò quòd brutis hisce malum hoc æstivo tempore accidere soleat. Potest etiam fieri, ut in barba pili inordinatè decidant, sicuti idem contingit in superciliis, aliisque locis pilosis.

Area descriptio. 2. *Area* vocatur is affectus, in quo capilli areatim decidunt, à salinis particulis ad glandulas cutaneas pilosas delatis, easque corrodentibus exortus.

Ophiasis. 3. In *Ophiasi* ab occipitio duæ areæ pilis destitutæ per tempora utrinque ad frontem deductæ conspiciuntur, ab initio quasi serpendo progrediuntur, tandem verò in fronte uniuntur. Huic morbo infantes præ aliis observantur obnoxii.

Tinea quid? 4. *Tinea* est scabies capitis cum squamis & crustis, pilorumque evulsione, colore cineritio, odore foetido, ab humoribus acribus & salinis oborta.

Eius species. Ejus aliquot species advertere licet, quarum alia dicitur *squamosa* seu *furfurosa*, cùm squamulæ scalpendo decidunt; altera *ficosa*, in qua vivæ rubræque carnis quædam grana apparent, ficum interioribus granis haud absimilia; tertia *Achor* dicitur, ubi ulcera manantia adsunt. *Achor.*

Calvities quid? 5. *Calvities* dicitur, quando pili potissimùm in sincipite decidunt, atque à salinis & acribus humoribus producitur.

Canities. 6. *Canities* est consueti pilorum coloris in album commutatio: quæ vel ordinaria est in senectute; vel extraordinaria ante legitimam ætatem, vel à morbo animique affectu producta. Huc & referimus ubi pili etiam in alios mutantur colores.

Plica descriptio. 7. *Plica* dicitur à plicare, quia hoc affectu correptis pili quasi plicantur; vocatur quoque Plica Polonica, quia Polonis affectus hic familiaris est, aliis Trichoma, Tricæ incuborum, Morbus cirrorum, capilli enim intricati citros repræsentant; Germanicè vocatur *Vvichtelzopffe*, *Iudenzopffe*, quia Judæis frequenter obveniunt, & ab Incubo Judæi specie fieri existimantur; nilque sunt aliud, quam capilli, (vel pili) ità in cirros vel tricas contorsi, ut extricari nullo modo possint. Describi ergò potest hic affectus, quod sit capillorum involuta contorsio, cum gravissima totius corporis, artuumque capitisque læsione, & antequam capilli complicentur, magno sudore plerumque concomitante, à lympha p. n. glutinosa oborta. Non rarò & alias partes occupat plica, ceu exemplum habemus in Ephem. Germ. de plica pudendorum muliebrium, ubi crines in tantam excrevere longitudinem, ut sesquialteram ulnam excederent, & terram attingerent: tale quid & hoc die conspicitur Leidæ in theatro Anatom. Celeberr. D. L. *Iacobus Hunervuolfius* mihi per literas significabat, quod miles Veteranus Silesius, stipem colligens ostiatim, prolixam & ferocem alebat barbam, & præter plicas ab Occipite dependentes tres, in mento gerebat unam Spithama longiorem, quam sine nocumento poterat amputare, reliquas verò plicas ob metum subsecuturi doloris capitis aliusve symptomatis non audebat demere, quamvis ablationem aliquot longurionum ejusmodi pilosorum in pagano Bergensi hic meminerit innocuam.

Eius species. Distinguunt eam in malignam & benignam; in plicam quæ est ex neglectu pectinationis, vel arte factam, & plicam morbosam multis symptomatibus constipatam: quæ distinctio non videtur esse necessaria; Plica enim est plica.

Porriginis descriptio. 8. *Porrigo*, aliis surfuratio dicta, est scabies furfuracea cutis, & præsertim capitis. Hinc dicuntur furfurosi, quibus assiduè squamulæ veluti surfures pectendo capite decidunt.

Inconcinna pilorum excrescentia quid? 9. *Inconcinna* pilorum *excrescentia* hæc est, quando pili in locis insolitis, & ubi eorum proventus minus decorus est, excrescunt.

Fissuræ quid? 10. *Fissuræ* dicuntur, quando pili sunt fissi, idest, secundum longitudinem divisi, indeque deformitatem quandam præ se ferunt, in eorum potissimũ extremitate quæ cum unita esse deberet, aliquando bifurcata, vel tricuspidata, vel in plures ramulos dispersa est: in media eorum, vel alia etiam parte nonnunquam contingere solet, ut findantur & asperi fiant.

Pars affecta horum morborum. §. 2. *Pars affecta* horum affectuum externorum ut plurimum sunt glandulæ istæ cutaneæ, pilosæ à nobis dictæ; ab his enim malè se habentibus & ab acribus quibusdam humoribus seu succis variè alteratis & corruptis, vel Calvities oritur, vel Alopecia, vel Area, vel Plica, vel Porrigo, & totius rei cardo consistit in earum conformatione & pororum constitutione, seu ipsorum ductuum obstructione.

Diagnosis. §. 3. Affectus hi plerumque in sensus incurrunt, & defluvium pilorum, vel febres, vel phthisin, vel luem Veneream, vel Elephantiasin aliosque affectus malignos insequi solet; sic & Area, Ophiasis, Tinea, Calvities & Canities cognoscuntur ex ipso aspectu, iis saltem adhibitis signis, quæ in eorum descriptione jam memorata sunt. Plica etiam ex superius data descriptione facilè cognoscitur, præterea plura eam comitantur symptomata & potissimum morbosam; ab initio enim corpus enervatur, color faciei in pallidum mutatur, artus omnes dolore infestantur, nec non convulsionibus, caput immunditie conspurcatur & foetore, furfures quoque generantur, & ungues simul sunt scabri, nigri, nonnullis tricæ decidunt, & posteà renascuntur; pili abscissi sanguinem & serum fundunt. In Polonia hæc species frequentior est, hisce in locis eam nunquam prædictis Symptomatibus stipatam observare licuit: surdi cæcique redduntur ab obstructione nervorũ à materia ista viscida pilos istos conglutinante, quæ materia facilè per metastasin genus nervosum occupare potis est. Sed hæc & alia symptomata atrociora non omnibus accidunt, sed iis, qui hoc affectu graviter laborant; nam à multis sine ullo incommodo ad ultimum vitæ halitum gestatur.

Tinea horrendum visu sæpe malum est, & de se virulentum & morticinum aliquid effundit, cutem enim capitis & musculosam substantiam adeò infestat, ut sæpe rubra caro appareat, ceu ex descriptione superius illucescit. Insuper instar vermis capillos rodit & cutem depascitur tam obstinante, ut à tenendo & inhærendo quasi nomen adepta videatur.

Pilorum constitutio naturalis. §. 4. Priusquam autem affectuum horum causas describere tenemus, placet nobis paucis quibusdam in pilorum constitutionem ordinariam inquirere, dein & horum statum morbosum contemplari. Communis veterum fert opinio, pilos ex fuliginibus oriri, quæ tamen hodie falsitatis arguitur, aut ita eam interpretantur, ut materia pilorum non sit fuligo, sed condensatur ex fuliginibus liquor. Nos credimus in glandulis istis subcutaneis pilosis latere certum viscidum liquorem, non absimilem ei, qui in typhis cervi invenitur, quod ad oculum patet, si liquor circa radices pilorum hærens ritè examinetur: pili enim eo modo generantur, ceu aliæ partes; humores sensim per poros glandularum propulsi ab extremo aeris aliquando condensantur, pili enim suos habent canales, ceu aliæ partes, quod exinde apparet, quia sanguinem & serum fundunt. Si enim ope microscopii crines, & imprimis eorum radices inspiciantur, filamentis cornuum, imò gelatinæ simile quid repræsentatur, cum suis canalibus, qui liquor ab aere ambiente aliquando magis induratur, clauduntur enim pori

cutis ob aeris frigidioris accessum, reserанturque eo existente & occurrente calidiore. Hinc in animalibus fit pili mutatio. Stat ergò sententia, liquorem istum viscidum in glandulis contentum & à spiritibus animalibus vigoratum, ope fermenti sui per poros cutis, per suos ductus in pilos transire, eosque successivè affluente dicto liquore sensim ac sensim crescere. Quo verò pori solidiores sunt, eo pili hispidiores efflorescere solent; certum enim est, tergora animalium circa dorsum, ubi majores enascuntur pili, esse densiora ac firmiora; & è contra, ubi cutis enervata & glandulæ flaccidæ sunt, pili ejusdem innati pauciores, minores, & flaccidiores sunt. Quidam volunt pilos esse solidos & nulla gaudere cavitate, sed esse meros globulos, ceu testatur Lœvvenhok, qui ope accuratissimorum microscopiorum eos cavitate carentes observasse se dicit: prior autem sententia mihi probabilior, quia alias eorum accretio non facile percipi potest.

Ætiologia iuxta Galenicos Capillorum defluvii.

§. 5. Perpenso ordinario crinium statu, ad morbosum propiùs accedamus, ipsasque antedictorum morborum rimemur *causas*. Sed præcedant *Galenici* tribuentes *Capillorum defluvii* causam vel laxitati pororum seu foraminum cutis, vel defectui alimenti, vel acribus humoribus radices pilorum erodentibus. Laxitas pororum illis oboritur à caloris aut humoris excessu, ubi vel calor humorem glutinantem absumit, & radices pilorum minus firmæ manent, vel humor nimius eosdem relaxat. Alimenti defectus fit, dum vel à morbis consumptus est sanguis, vel humoribus corruptis in alimentum non mutabilibus infectus, qui si biliares, aut atrabilarii, aut ichorosi acres sũt, ipsas radices exedunt, unde pili radicibus destituti decidunt.

Area.

Areæ causa iis eadem est, sed magis unita, & ad certum spatium directa, unde uno in loco plures decidunt, cùm in simplici defluvio, pili hinc inde sparsim saltem defluant.

Ophiasis.

Ophiasis causam statuunt materiam acrem & tenuem, non tamen undique æqualem, sed aliam tenuiorem, aliam crassiorem, unde rectam viam servare nequit; impeditur enim tenuior à crassiori, ut in cursu suo moram patiatur & obliquè deflectat.

Tinea.

Tineæ causam ponunt humorem pravum & salsum inter crassam capitis cutem & calvariam congestum, qui diutius ibi retentus putrescit, & non modo malignitatem quandam induit, sed interdum quoque vermes producit, circa radices autem capillorum impactus cutem quibusdam in locis rodit & perforat.

Calvitiei.

Calvitiem oriri volunt ex defectu succi nutrientis, unde eo non adfluente, radices pilorum in tantum exsiccantur, ut unà cum pilis excidant; quare cùm per senium tanta istius succi non amplius fiat copia, ut ad partes illas carne destitutas pertingere valeat, fit, ut ea ætate homines facilè calvescant. Hujus etiam succi consumptionem ab aliis causis, tum internis, tum externis, dependere posse concedunt.

Canitiei.

Canitiem veteres fieri existimarunt à sola siccitate, quemadmodum arborum folia ex siccitate albescunt; alii, uti *Aristoteles*, canitiei causam dicunt putredinem. Fit ergò, juxta ipsos, canities ob inopiam caloris nativi, quando non ita humores coquere potest, ut in juventute: & quod ex putredine humor albus oriatur, ridiculã hanc allegant causam, quia magna pars in aerem vertitur, qui terrenæ & aqueę substantiæ permixtus facit albedinem.

Plica.

Plica illis oritur à nimia copia & luxurie succi nutrientis in sanguine, unde pori dilatantur, & multi in unum quoddam foramen secedunt; quare pili eo loco, quo copiosius ille exsudat & consunditur, conglutinantur, & conglutinati tandem in complicatas hujusmodi tricas concrescunt.

Porriginis.

Porriginis causam nonnulli statuunt succum tenuem acrem erodentem, ex cute ad summam pelliculam penetrantem, eamque afficientem, partim ex visceribus in capitis cutim cum succo nutriente pilorum delatum, partim in ea demum genitum. Alii humoribus serosis, biliosis, & ichorosis eam adscribunt, quorum parte tenuiore consumpta, crassior circa radices pilorũ hæreat, & in squamulas abeat. At litem istam nullo modo nunc aggredimur dirimendam, inferius, cùm nos tetigerit ordo, sententiam nostram subjuncturi.

Inconcinna pilorum excrescentia.

Inconcinnam pilorum excrescentiam adscribunt materiæ excrementitiæ copiæ & crassitiei, atque facultatis expultricis robori majori, excrementum illud fuliginosum, crassum & terrenum fortius ad cutem protrudenti, unde præter sordes etiam pili absque ullo instituto naturæ necessitatem saltem materiæ sequuntur; uti herbæ quædam non tantùm absque omni diligentia, sed contra voluntatem quoque hortulani sponte nascuntur; materia nempe à facultate expultrice vehementius detrusa, sibi viam faciente, & cutem perforante, quod modò hoc, modò in illo corporis loco contingit, cute ibidem ad perforationem habiliore, id est, mediocriter sicca existente, aut materia excrementitia inibi copiosius hærente.

Fissura.

Fissuram pilis obvenire volunt à materia eorum debili, tenui & glutinis experte, parvoque momento dissolubili, orta à temperamento corporis frigido, eoque vel humido vel sicco.

Paracelsi deductio causarum in Alopecia, Area, & Ophiasi.

§. 6. *Paracelsus Alopeciæ* ejusque specierum, tum *Areæ*, tum *Ophiasis* causam tribuit spiritui Jovis à naturalibus humoribus separato, & in mineram propriam transeunti; qui si in metallis operabitur, in cachinam; si in arboribus, in spongiam, & in humano corpore mutatur in Alopeciam, materia nempe aliquantum dispersa: ea verò magis unita Area, & majores radices adepta, variosque succos sibi implicante Ophiasis producitur.

In Tinea.

Tineam statuit ex salibus provenire mineralibus, cum humore carnis & cutis liquore premixtis, postmodum expulsione transeuntibus in crustas; humor enim mineralis cum à proprio sale separatus in carnem se recipit, si hunc elementum igneum arripiat, eo per poros agitur in crustas, quas sequitur fluxus capillorum, nec libenter emittunt sudorem. Quidam ex ejus assеclis, quod affectus hic in cute capitis similis fiat, nec tamen in ulcus desinat, à sale deducunt, quod à glutinosa visciditate sulphuris resoluti cohibetur.

In Calvitie.

Calvitiei causa illi est resolutio fumi illius, sive liquoris sulphurei, ex quo per calorem solis microcosmici leviter siccantem convenienter coagulato, ut totum corpus compositum est, ita etiam idem illud cum partibus sustentatur, & pili nutrimentum accipiunt, quod à frigore hyemis vel senectutis, vel ex nimia prodigalitate per excedentem coitum inducti, resolvitur & evaporat, vel aliorsum defluit, ex cujus posteà defectu ipsi pili arefiunt & radicibus exsiccatis decidunt; Jupiter enim benignus capitis, hilari Solis in corde, radios contrahentis, adspectu destitutus, tantum influxum spiritus vigorantis ad extremitates capitis ulterius concedere nequit; quare distributio debiti succi aut vaporum pilos alentium planè cessat.

In Canitie.

Canitiei causa est sal quoddam asperum, destitutum corpore, suo sulphure benigno, & spiritibus mercurialibus, à quo ipsi pili arescunt, accedente quadam consternatione ipsius Jovis, quod reliquorum planetarum microcosmi, Solis læto & vivido aspectu, ut antea, non amplius exhilaretur, unde missis aliis coloribus, proprio & consueto suo colore, qui albus est, eosdem obvestit, in signum fatigati & deficientis Archei, colores aliàs varie unientis, & pro placito suo in diversis subjectis distribuentis.

In Plica.

Plicam sequaces *Paracelsi* deducunt à succo quodam sulphureo crasso conglutinante, nullo modo autem coagulante, quare interstitia quædam manent in venas postmodum secedentia, per quas ipse sanguis transitum quendam in illos invenit, & post incisionem earum exstillat. Cœlum verò in locis quibusdam certis cutem ita excoquere potest, ut hujsmodi gluten exudet, accedente inprimis aquæ dispositione, ex quo potus & cibi coquuntur, iisque medicantibus hujusmodi succus viscosus in corpus ingeritur. Aquæ verò tales viscosæ ex luto putrefacto ortæ per se quidem tanta copia è terra non egrediuntur, ut fontes salientes ex iis oriantur, fortè tamen portio ejus vividæ fontiũ aquæ immisceri potest, ut cum illa tum simul hauriatur.

In Porrigine.

Porriginis causam *Chymici* dicunt esse resolutionem sulphuris in succo sanguineo, cum salis reverberantis ad mordacitatem dispositi separatione, & modum deter-

terminatum esse ab originali aeris inquinamento, quod in minutis particulis inversam proportionem efficiens, resolutionem & separationem eam præstat.

In pilorum inconcinna excrescentia

Inconcinnæ pilorum excrescentiæ causa illis est superfluitas succi sulphurei fumosi, quam Aniadus hominis, in distributione materiæ pro carne & cute occupatur, partibus quibusdam inspergit, unde pili egrediuntur, eo quod sulphur istud naturam talem pilosam in se continuerit.

In Fissura.

Fissuræ secundùm *Paracelsum* etiam proveniunt à sale alopeciæ, seu Vitriolato, dum alopeciæ degeneratio deviat in alias quam proprias locustas.

Helmontii sententia de causa Alopeciæ, Areæ, Ophiasis, & Calvitiei.

§. 7. *Helmontium* quod attinet, pauca nobis ille reliquit vestigia, ex quibus horum morborum causas eruere liceat; ne tamen in hoc senatu præ aliis sit ἀσύμβολον, paucos, quos de pilis formavit, conceptus in commune bonum hic proferet. Quantum igitur ad *Decidentiam* pilorum, sive in *Alopecia* sit, sive in *Area*, sive in *Ophiasi*, sive in ipsa etiam *Calvitie*, eam is à nutrimenti quodam defectu oriri statuit; novit enim pilorum in statu sano veram esse accretionem & nutritionem, non autem eos innasci per appositionem, à retro expellentem; unde deficiente vel corrupto isto nutrimento excidunt: quod sponte sæpe contingere permittit; uti cervus certo anni tempore deponit cornua, quin renovari solent; ut vere, novo adveniente succo, arbores frondes & folia denuo proferunt, & cervus, dum novo surculorum germine pascitur, cornua recipit. In senibus verò *Calvities* nullis novis pilis ornatur, quod renovatio istiusmodi sit effectus vegetioris vitæ, qua senes sunt destituti, propter fermentorum aliquot penuriam, pauperiem aut extinctionem, unde totius corporis siccitas, & nutrimenti pilorum totalis defectus.

Tinea.

Tineam oriri vult à peculiari quodam fermento, sæpe per contagium communicato, tineosorum enim pilos tineas peperisse notavit; interdum etiam intus genito, & cruorem alende isti parti distributum corrumpente, à quo cutis ipsa postmodum pari modo afficitur.

Canities.

Canities pilorum senium eorundem arguit, etiam aliquando præter hominis senectutem, unusque pilorum interdum ante alium canescit. Sæpe imaginando canescunt pili, dum conceptuum ideæ ex præcordiis ad cerebrum transmittuntur, quod in viris æquè ac mulieribus contingit; viri tamen ad cor & cerebrum ideas istas liberius mittunt, ut mulieres exorbitationes suas ad uterum. Ita enim vir quidam expectans manè prætorem in suam supellectilem transmissum iri, tota nocte sedens mœstus, capite in palmam manus inclinato, mane latus capitis canum habuit, qua parte manum tetigerant tempora: hinc notat, colorum signaturam non esse inanem.

Plica.

Plica causam agnoscit mucilaginem seminii connubio inspissatam, & è capite resolutam pilis sese implicantem, eosdem sibi invicem conglutinantem, ut multi in unam quandam striam posteà concrescant.

Porriginis.

Porrigo oritur ab excremento quodam ultima digestionum periodo exhalato; eo enim fuligine tenus foràs properante, capitis pelli hujusmodi adnascuntur furfures, qui pectine vel digitorum unguibus separantur & deiiciuntur.

Inconcinna excrescentia pilorum.

Pilorum inconcinna excrescentia nutrimenti abundantiam innuit, quæ ab externis certæ parti obvenientibus nonnunquam allicitur.

Fissura.

Fissuræ oriuntur à sale acido, vel cum nutrimento pilis communicato, vel extrinsecè illabente, eosque discindente.

Juxta Vuillisium causa Alopeciæ, Areæ, & Ophiasis.

§. 8. Ex *Vuillisii* fundamentis hujusmodi dictorum morborum exstruere licet ætiologiam. *Alopecia* cum speciebus suis, *Area* & *Ophiasi*, oritur à succo nutritio vel deficiente, vel à latice cutaneo corrupto, quapropter pili necessario suo nutrimento destituti marcescunt & defluunt; laticè verò seroso cutaneo simul existente acri & corrodente, unà cutis ab eo corroditur, modò in una, modò in pluribus partibus, sicque struuntur *Areæ*, quia integer quasi manipulus pilorum supra radices in cute detruncatur & eiicitur. Quandò verò succus nutritius spissior laticem istum aliquantum retinet, at tanto robore & dulcedine non pollet, ut eum planè mitiget, latex iste eundo vires sumens, succum nutritium subigit, similique sui corruptiva quadam vi inficit, & ad vicinas partes progrediens, totam utrinque capitis partem circuli instar obserpit, & hinc *Ophiasis* exultat.

Tineæ.

Tinea non absimili ratione à latice isto diuturniore mora in glandulis cutaneis corrupto, & majorem corrosivitatem adepto inducitur, sicuti idem iste ab externo quodam miasmate seu fermento facilè inficitur.

Calvitiei.

Calvities utplurimum nutritii succi penuriam indigitat, quæ in senio frequentior obvenit, in lue autem Venerea à fermento corruptivo destruitur, & ad alimoniam redditur ineptus.

Canitiei.

Canities ab arido succo vividitate pristina destituto in pilis depingitur.

Plicæ & Porriginis.

Plica ex succo nutritio glutinosis viscidis particulis abundante oritur, ut *Porrigo* ex eodem acido-salinis è sanguine haustis participante.

Pilorum inconcinna excrescentiæ

Pilorum inconcinna excrescentia succum istum nutritium arguit abundantem, porosque illius partis patulos eundem facile recipientes.

Fissura.

Fissura pilis similiter à particulis acido salsis obtingit, cum succo nutritio altius iisdem illatis.

Secundum Sylvium Causa Alopeciæ, Areæ, Ophiasis, & Tineæ.

§. 9. *Sylvius Alopeciam, Aream, Ophiasin, & Tineam* ab humore acri ex sanguine ad superficiem illam corporis & capitis delato, & à pituita glutinosa ab excretione impedito deducit, qui pro majori vel minori sua acrimonia gradus illos constituit; & ubi à majori copia pituitę glutinosę diutius detinetur, ibi plus capillos exedit; præ reliquis tamen in *Tinea* ferocior est, utpote cutem valdè erodens, incrustans, & pilis maximè infestus.

Calvitiei.

Calvities à sanguinis nutrientis defectu vel alio quodam vitio oritur, quatenus per minimas arteriolas ad radices pilorum non satis defertur, aut circa cutem corrumpitur & ad pilorum sustentationem inidoneus redditur.

Canitiei.

Canitiei causam adscribit corruptę & volatilitate sua privatæ bili, inprimis à succo pancreatico, qui per senium austerior & spissior similiter bilem afficit, vel momentaneè interdum ab affectibus animi gravioribus, mœrore potissimum & terrore ita corrumpitur, ut ad statum naturalem tam citò redire nequeat, sed in statu præternaturali persistens, vitiosè in intestino effervescit, & pituitam simul & sanguinem inficit, mutationemque colorum in pilis semel factam conservat.

Plicæ.

Plica exurgit ex singulari quadam glutinositate pituitæ sanguini nutrienti sese immiscente, accedente peculiari quadam austeritate sæpe in aere latente, vel per cibos & potus humoribus intra corpus illata, qua pili postmodum coguntur & complicantur, & sanguinis quoque nutrientis abundantia symbolum suum adjungente, qui in affectu hoc resectis pilis exstillat.

Porriginis.

Porrigo manat ex acido subtilis, quo roridus ille sanguis, nutritionem præbens cuticulæ, infectus est, à quo ipsa cuticula non modò non nutritur, sed exediditur, & in squamulas diffringitur, pectinatione facile separabiles.

Inconcinna pilorum excrescentia.

Inconcinna pilorum excrescentia sanguinem nutrientem in hujus vel illius partis carnosam & adiposam membranam, ob laxitatem quandam præ aliis ad ejus receptionem habilem, copiosè & inconvenienter illatam, causam agnoscit, quare in ea ipsi pili propullulant, quorum tamen absentia decori servando magis conveniret.

Fissuræ.

In *Fissura* pili discinduntur acido quodam acri, cujus natura nondum satis est cognita aut perspecta.

Cartesianorum Opinio de causa Alopeciæ.

§. 10. Juxta *Cartesianos* causa *Alopeciæ* sunt particulæ salinæ rigidæ, quibus lacteus succus nutritius plus minus intermistus est; quæ ut aliæ benigniores partibus ritè apponi nequeunt, sed re imperfecta discedunt, atque ita pili non satis insuccati flaccescunt & ex amplioribus elabuntur.

Areæ.

Et quidem quando particularum istarum copia quædam unita ad unum aliquem locum quam ad alium major advenit, pili inibi omnes excidunt & fit *Area*.

Ophiasis.

Si verò quidpiam ramosi seu oleosi nanciscuntur, illud

illud se fibrillis cutis insinuat, ad vicinia serpit, & salinas istas particulas circumfert, unde succus laudabilis per totam illam regionem, quam obambulant, devastatur & destruitur, sicque inducitur *Ophiasis*.

Tinea.

Tinea generatur à fermento quodam singulari in poris cutaneis latente, & salinas particulas fortius præcipitante, hinc pori cutanei omnimodè pervertuntur, & sic non modò pili decidunt, sed ipsa cutis dissolvitur à fermento illo peregrino, sæpe per contactum alterius corporis eo ditati communicato.

Calvitiei.

Calvities à defectu nutritii succi in tantum oritur, quod vel non conficiatur propter fermenta per senium habetata, vel nimis prodigaliter in palestra Venerea cum genitura, & spiritibus avolantibus effundatur & consumatur, vel ab impuritatibus in sanguine ex Phthisi, aliisque morbis malignis productis corrumpatur, ut succus ille benignus eo magis desit, quo plures impuritates & corruptivæ particulæ adsunt, nec à lympha circa cutis poros debitè abluuntur.

Canitiei.

Canities fit, quia fermentis glandularibus in cute debilitatis aut insigniter alteratis. liquor nutritius in pilos nec largus, nec multis spiritibus dotatus mittitur, sed rigidiusculus & paucus, ut filamenta pilorum invicem arctè conniveant, ipsique hispidi fiant & acutanguli, undè radios luminis non diu detinent, sed eosdem ut percusserunt, actione illa non violata, repercutiunt, & ita immutatos ad intuentium mittunt oculos, quod in senibus & mœrore confectis contingit, quia iidem vivido succo & sanguine destituuntur, spiritusque omnes ad præcordia regrediuntur.

Plica.

Plicæ causam reiiciunt in particulas viscosas liquori nutrienti aliunde illatas, & à fermento glandularum pilarium incorrigibiles; quæ illorum sententia cum nostra fermè conspirans, nos movet ut concurrat dextera lævæ, eamque mox pluribus dabimus explicatam.

Porriginis & Fissuræ.

Porriginem à particulis acido-salsis acribus nutritio succo immistis, cuticulam radentibus & scindentibus deducunt, ut ipsos pilos easdem diffindere volunt in eorum dicta *Fissura*.

Pilorum inconcinna excrescentia.

Pili ex abundante nutrimento tum demum *inconcinnè excrescunt*, quando ob pororum laxitatem illis in locis propullulant, in quibus nitori studentes iis libentius carerent.

Nostra sententia de causis Defluvii Capillorum Area & Ophiasis.

§. II. *Nos* tandem *Defluvii Capillorum* causam proximam dicimus esse non tantùm defectum alimenti singularem, sed & succi glandularum cutanearum, non satis fœcundantis, nec non copiam salsarum & acrium particularum, ad has glandulas pilosas deletarum, quæ particulæ non tantùm tubulos cutaneos plus solito aperiunt, ut pili excidant, sed ipsorum etiam radices corrodunt, sicque firmamento destitutos eiiciunt. Ab acribus particulis id fieri sequentia probant; quod affectus hic iis contingere solet, quibus magna inest acrimonia, uti videre est in iis, qui lue Venerea & scorbuto laborant: post febres potissimum malignas decidunt capilli, procul dubio à salinis & acribus particulis ad glandulas has per metastasin delatis, quæ radices exedunt & absumunt, præsertim, ceu dictum, circa poros cutis collectæ. Sic etiam in Phthisicis videmus capillos decidere; quid autem aliud hoc significat, quam defectum spirituum, succi nutritii, & præsertim præcedentem sanguinem acrem liquorem nutritium conspurgantem, qui inde acrior factus capillorũ radices exedit: glandulæ enim circa singulos poros cutaneos hærentes pilorum bases sunt, etenim ubi tales glandulæ sunt, ibi sunt pili; si hæc eruantur fulcra, pili amplius inhærere haud possunt: sic & observavi in thermis pluribus excidisse pilos, ab ipsismet salinis & sulphureis particulis radices pilorum erodentibus. Talis corrosio radicum pilorum fit quoque ex applicat. olei Vitrioli, Aquæ fortis, arsenici, calcis vivæ, rusmatis, cantharidum, &c. Quoad *Aream*, & *Ophiasin*, hæ eandem agnoscunt causam.

Tinea.

In *Tinea* verò per optimum microscopium conspiciuntur vermiculi instar tinearum, unde nomen affectus hic habet, quæ animalcula producuntur ex minutissimis ovulis itidem ope microscopii detectis, & in capillis observatis, quæ pilos corrodunt consumuntque, prout erucæ solent consumere arborum fruticumque folia.

Calvitiei.

Oritur *Calvities* plerumque à defectu glandularum pilosarum, vel ab earundem succi nutritii penuria, hinc cutis quasi testacea redditur, ut necessariò capilli decidant; cui sententiæ nostræ planè suffragatur felicissimus naturæ Scrutator *Hippocrates* περὶ ἀδένων, §. 2. αἱ δὲ τρίχες, inquiens, τὴν ἀπὸ τῶν ἀδένων ἐπικαιρίην ἔχουσαι, φύονταί τε καὶ αὔξονται, ἀναλεγόμεναι τὸ περισσὸν καὶ ἐκβρασσόμενον ἐπὶ τὰς ἐσχατίας ὅπου δὲ ξηρὸν ἐὸν τὸ σῶμα, οὔτε ἀδὴν, ἔτε θρὶξ. i. e. Pili verò ex glandulis opportunitatem habentes nascuntur & augescunt, colligentes id, quod in extremitates redundat ac effervescit: Ubi autem corpus siccum est, (nempe, ex nostra interpretatione, quando laudabili succo nutritio ad glandulas mandando destituitur,) neque glandula, neque pilus inest. Præterea omnes causæ superius in defluvio capillorum jam dictæ, calvitiem producere valent. Similis affectus accidit cuti, quando pori, è quibus pili prorumpere solent, coalescunt & quasi confluunt atque obliterantur. Sic à defectu spirituum animalium in has partes influentium idem inducitur, uti videmus in senibus & iis, qui Veneri strenuè operam navarunt, calvitiem facilè produci; è contra in pueris, fœminis & eunuchis, qui Venerem non experti sunt, hi enim ab ea immunes degunt: quapropter *Hippocrates*, & *Aristotiles* asserunt, neminem ante coitum calvescere, quod intelligendum de illa calvitie, quæ oritur à diversione alimenti ad barbam. Sic etiam à veneno calvi plures facti sunt: ab improvida inunctione Mercuriali nuper quidam calvus factus est. Sunt qui narrant in adipe balenæ latere ejusmodi venenum ad homines calvos reddendos, sed credat Judæus Apella, ego non.

Colorum.

De *Canitiei* causa antequam nostram locemus sententiam, nonnulla hic addamus de coloribus pilorum. Plures existimant colorum diversitatem ex mera mixtura albedinis & nigredinis exsurgere; nos existimamus medios illos colores singularem habere tincturam quandam, quam nec albedo, nec nigredo è suo penu sufficere queunt: puto ergò esse modificationem quandam luminis, sed diversi planè generis ab illo albedinis & nigredinis. Pluribus autem modis lumen modificatur, & quidem ad eundem colorem plures ejusdem modi requiruntur. Duobus enim modis hæc modificatio fit, vel reflexione, vel infractione; & quamvis albedo, & nigredo à corpore tantùm opaco etiam per viam reflexionis emanare possint, intermedii tamen colores, nempè obliqui, non tantùm ab opaco corpore reflecti, sed & per infractionem à corpore diaphano produci queunt, ut ex coloribus iridis, prismatis, iisque ex lumine transmissio per vitrum coloratum constat. Colores autem medii sunt tres, flavus, ruber, ac cæruleus. Flavus non quaquaversum spargit lumen, ut albedo, sed obliquè recedens, ab albedine nigredinem versus, modicè & suaviter dilatat radios lucis: ruber ferocior est, & minus licet dispergat radios, quam flavedo, magisque recedat ab albedine, obliquè tamen hoc fit, non directè nigredinem versus tendendo, Cæruleus paulo propiùs, sed indirectè quoque ad nigredinem inclinat, modicè reprimit lumen, & mira illecebra oculum ad intuendum invitat, oculoque securitatem præstat. Hinc flavus & cæruleus efficiunt viride oculo gratissimum, quales & curiosi observarunt sæpius: confer Eph. Germ. Decur. II. A. 7. obser. 155. Pilos ex materia pingui chylosa generari aliaque nullum est dubium; quæ materia multum potest facere ad colores pilorum, vi enim indurationis vel albedinem retinet, vel ulterius elaborata adsciscit sibi canitiem, colorem pallidum, castaneum, fuscum, vel nigrum. Etenim hi colores, ceu dictum, ex materia hac alba oriuntur, prout intensius vel remissius inspissatur vel percoquitur: scilicet si induratio vel coctio debilior fit, albedo manet; sin paulo intensior, pallor vel flavedo superinducuntur; sin adhuc intensior, rufus vel ruber; denique si adustio quasi concurrat, castaneus, fuscus, aut etiam niger emergit, juxta superficiem corporis lumen modificatur.

Canitiei.

Canities ergò, nostro judicio, oritur à defectu spirituum animalium, glandularum pilosarum succi inopia, & seminis in iis contenti defectu; sicut in arboribus ubi deficit succus nutritius, ibi arbores albescere incipiunt. Inde etiam est, quod una nocte omnes possint canescere ab apprehensione gravis mali imminentis vel præsentis; unde vitam eis inesse quidam contendunt, quasi alantur per succi sibi appropriati intus susceptionem: huc faciunt animi passiones, quæ canitiem inferunt, ut curæ, tristitia, timor, invidia, malitia, &c. quæ succos corporis exhauriunt, quæ acredine, aciditate, asperitate inficiunt, quæ dulcedine, pinguedine, spirituum copia privant. Sic juvenis nobilis 24. annorum à metu imminentis mortis, quam Barbari minati fuerant, unius noctis pervigilio canus factus est: vid. Decur. Eph. Ann. 4. obs. 60. Canitiei etiam causæ admodum diversæ sunt ab illis albedinis pilorum puerorum, nam in infantibus & pueris omnes succi mites ac dulces & spiritibus turgiduli sunt; è contra succi, quibus aluntur pili cani, macri sunt, acidi, acres, asperi, insuaves, spiritibus dulcibus destituti: hinc acetum, imò omnia acria, & valde sicca, ut Oleum Sulphuris per camp. Vitrioli, capiti & capillis sæpe admota ad canitiem disponunt, pinguia verò à canitie præservant; albumina ovorum frequenter capiti applicata indurant glandulas, pinguedinem pilorum absorbent, adeoque calvitiem accelerant. Quod verò pili hunc & alium nanciscuntur colorem, hoc scrutandum ex peculiari superficie, textura & figuratione pilorum radios solares diversimodè suscipientium & remittentium; sic vidimus Londini hominem, qui crines habuit omnium colorum instar iridis, cujus rei non aliam causam agnoscere possumus, quam quod pili fuerint figurati instar prismatis, inde & radii ita incidebant & talem colorum diversitatem repræsentabant. Sic & alium vidimus, qui crines instar lanæ nigræ gestabat.

Plica.

Causa *Plicæ* mea sententia consistit in eo, quando in cute vel glandulis capitis plures ductus & pori conjuncti sunt; & obliqui, ex quibus dein pili copiosiores angustiore in loco positi, & accedente simul succo glandularum nimis viscido & glutinoso intricantur, sive in tricas conglutinantur. Ad hoc confirmandum elegantem habet observationem *D. Febr*, Præses noster, ubi hic affectus ex vulnere capitis obortus fuit. Huc facit multum vitium lymphæ in glandulis contentæ, hincque apparet pilos poris non destitui. Causa antecedens est sæpe morbosus apparatus in primis viis. Causa procatarctica morbosum hunc apparatum in actum deducere valens, è triplici serie rerum naturalium, non naturalium, & præternaturalium hic quoque peti potest. Inter res naturales dispositio hæreditaria multum facit, & immediata sæpe seminarii morbifici existat causa, quando cum generationum principiis in ipsum fœtum transfunditur. Præter experientiam *Sennerti lib. 5. Med. Pract. P. 3. f. 2.* alii plures testantur Practici. Quoad res non naturales ita à Medicis dictas credimus cum Polonis peculiare quiddam aquis ejus loci, quarum quotidianus iis hominibus usus est, ad Plicam producendam inesse: in Polonia enim in loco quodam scaturit aqua, si quis hujus mensuram hauriat, inde sibi acquirat plicam maximam, prout id mihi recensuit *Cl. Dn. à Gehema*, Amicus noster sincerus. Quod concernit res præternaturales, observatum est, eos, qui in luem Veneream propendent, vel ea jam infecti sunt, facilius Plica affici, sicut & Scorbuto laborantes. Sanguinem aliquando fundunt, quia pili sunt & suis vasis sanguiferis minutissimis prædití, & suas habent protuberantias.

Porriginis.

Porriginis causa est in liquore glandularum nimis salso & indurato; extra omnem enim dubitationis aleam ponimus, quod multæ particulæ salinæ à sanguinea massa præcipitantur versus superficiem harum glandularum cutanearum, & quidem ob pororum amplitudinem & laxitatem, quæ dein in superficie capitis hærentes, acrimonia sua fibrillas commovendo, non duntaxat Porriginem excitant, sed & partes vicinas corrodunt.

Inconcinna pilorum excrescentia.

Inconcinna ista *pilorum excrescentia* ut plurimum fit in locis incongruis, sæpe in verrucis in facie ejusmodi pili excrescunt, quando ejusmodi glandulæ pilosæ reperiantur, vel earum liquor sit in tali loco detentus, unde non potest non fieri, quin crescant pili, modò adsit talium pororum constitutio; ita juxta magnum quoque nostrum *Hippocratem* περὶ ἀρχ ἢ σαρκ. ὅπου τυγχάνει τοῦ σώματος τὸ κολλῶδες ὄν, ἐνταῦθα αἱ τρίχες γίγνονται, ὑπὸ τοῦ θερμοῦ; id est, ubicumque in corpore glutinosum est, ibi pili à colore fiunt: quam sententiam pristino suo linquimus valori, si per glutinosum istud intelligitur liquor ille glandularis, & apta pororum dispositio in cuticula non excluditur; quam ipse *Hippocrates* alibi τὴν ἐπιδερμίδα ἀραιὴν indigitare videtur.

Fissura, seu Scissura.

Scinduntur aut *finduntur* crines à liquore glandularum nimis aspero, filamenta pilorum separante & sejungente.

Prognosis.

§. 12. *Prognostica* quod attinet signa, ex his affectibus nullum periculum timendum, nisi quod deformitatem quandam inferant: si verò *Alopecia* sit ex Phthisi, vel Tabe, vel Lue Venerea, malum est. Calvities, & Ophiasis raro curationem admittunt, quia glandulæ pilosæ non facile restitui possunt. Propterea & illa Calvities, quæ nulla pilorum vestigia post se relinquit, utplurimum incurabilis est, quia in his vel glandulæ pilosæ plane deficiunt, vel pori, per quos erumpere solent, plane coaliti & obliterati sunt.

Tinea tam levi brachio non est versanda, sumit enim vires eundo, imprimis quanto manantior est & magis fera, hinc in pueris & juvenibus contagiosa est, mitior autem non recusat curationem, si rectè tractetur, & non neglectis interioribus alia adhibeantur topica, quæ poros minimè occludunt. Recens difficulter sanatur sed inveterata longè difficilius; recidiva hic resurgit, quę restincta credebatur, quæ etiam sæpe sanata superstitem inducit alopeciam, Chirurgorum turpe opprobrium.

In *Plica* atrociore pessimis stipata symptomatibus adest vitæ periculum; apud nos vero Plica longè mitior est, plurimi enim sunt, qui ejusmodi tricas sibi servant incultas, citraque noxam quoad vivunt circumferunt, quamquam non sine deformitate, sibi persuadentes, gravissimorum capitis affectuum materiam ab illis absorberi & amoveri, at illis resectis de vita actum esse. Si morbus hæreditarius est, & inveteratus, nullam admittit curationem, facilius verò curatur recens. Maxima tamen pars usque ad finem vitæ hoc affectu detenta permanet. Si convulsiones, & alia atrociora exsurgant symptomata, malum est.

Porrigo superficiaria, & non ita copiosos furfures mittens. parvi est momenti, abundans autem ita, ut post facilem corporis motum in vestes quasi ningat, non contemnenda, sed medicamentis corrigenda.

Inconcinna pilorum excrescentia nil quidem corpori affert damni, ornatur tamen adeò solicitè studentibus, maximè delicatis fœmellis, & mulierosis juvenibus admodum est molesta, & planè intolerabilis, ut pro eorundem extirpatione quidquid etiam perferant, quæ ipsa in aliis locis, quam in facie, minori cum periculo instituitur.

Sic *Fissuræ* soli incremento pilorum aliquantum est impedimento, quæ tamen haud ita difficulter corrigi potest.

Accidit sæpe pilis vel crispari, vel rectè exporrigi, & hæc crispatio pilorum dependet à pororum, quos transeunt angustia, & angustia hæc est à siccitate, ariditate & fibrositate cutis, quapropter pili crispi semper fibrosam & vigorosam cutem demonstrant, quæ parem quoque nervorum ac fibrosarum partium constitutionem arguunt, & sic per consequens pili crispi robur corporis, activitatem in rebus gerendis, necnon promptitudinem ad Venerem denotant. E contra recti ob laxitatem & mollitiem nervosarum partium, inbecillitatem, & ignaviam ac timiditatem arguunt.

Cura Diætetica.

§. 13. *Diætæ* ratione in *Alopecia* ligatur aer ægroto & morbi naturæ conveniens, inprimis temperatus, vitetur crassus, nebulosus & frigidus.

Cibus sit boni succi, fugiatur angue pejus copiosus, crassus, salinus ac viscidus, unà cum nimis acribus & aromaticis.

Potus sit regioni & ætati conveniens, exulet cerevi-

sia crassa, valde lupulata, & non bene fermentata; sic etiam nocent varia acida, imprimis spiritu vini & frumenti, id quod Polonos iisque finitimos solenne esse percipio.

Motus & quies, somnus & vigiliæ moderatæ sint; Ira, tristitia, cum aliis fortioribus pathematibus vitentur, & imprimis in calvitie & canitie; exulet Venus, spirituum animalium hostis infensissima.

Alvus sit libera, vel natura, vel arte, reliqua omnia sint mediocria, & cum sana fiant ratione.

Cura Pharmaceutica, & 1. Galenicorum in Alopecia, Area & Ophiasi.

§. 14. Præmissis his, de curatione Therapeutica & Chirurgica agendum restat. Etsi verò de his affectibus rarissimè consulatur Medicus, sunt tamen, qui pulchritudini nimiùm studentes, Medicorum pro malis his abigendis satis sæpe solicitè expetunt consilia; quale genus hominum in aulis maximè reperitur; quibus Medicus opem suam denegare non audet; cùm verò affectus hi difficillimi sint curatu, & in pluribus planè incurabiles, hinc operæ pretium duxi, de eorum curatione paulo distinctiùs agere. Quandoquidem ergò in ætiologia nobis præcesserunt vetustiores, iidem & nunc in curatione denuò incipiant, & quidem agmen ducentes ipsi *Galenici*, quorum in *Alopecia*, *Area & Ophiasi* cura instituitur, omnium primò removendo morbos & causas defluvium istud inducentes, & reddendo liberos motus naturæ, ut ipsa capillos reficiat; posthæc si foramina cutis fuerint laxiora, ea adstringunt siccantibus, observari tamen præcipientes, ne nimis adstringentia adhibeantur, quæ alimento accessum prohiberent ad partem affectam: quare eligenda volunt non modo adstringentia, sed nonnihil calefaciendo alimentum quoque ad cutem evocantia, & ut eadem eò celerius ad radices pilorum penetrent, ipsum caput suadent abradendum, ne relicti capilli novorum proventum retardent. Inter medicamenta talia recensent adianthum, abrotanum, absinthium, baccas Juniperi, myrti, semen lini, flores Anemones, Gummi Ladanum, Ol. abrotani, euphorbii, &c. Ex his composita illis fiunt vel in forma sicca, vel liquida. In forma sicca fiunt pulveres, quibus caput frequentius & fortius est fricandum. In forma liquida linimenta parant & unguenta. Ex. gr.

℞. *Absinth.*
Cort. pin.
Fol. myrt.
Adianth. aa. M j.
Comburantur omnia, & cineri add.
Ladani triti,
Myrrh. aa. ℥ ij.
Ol. sem. raphani,
Vini vet. q. s. ad prædicta excipienda.
F. Linimentum.

Ex siccitate si oritur hic affectus & defectu alimenti, pro sanguine ad cutem alliciendo instituunt frictionem, caput perfundunt aqua calida, usquedum rubor appareat, tum desistere jubent, ne quod attractum est, iterùm absumatur. Si verò humores pravi sanguini immisti sint, radices pilorum erodentes, eos volunt evacuandos, præmissis præparantibus humori peccanti convenientibus; &, si ex lue Venerea oriatur malum, sudorifera adhibent per habitum corporis exterminantia, postea prædicta aliaque topica denuò subjungentes.

In Tinea.

Tineæ curationem peragunt similiter removendo ipsam causam sive materiam tumefacientem & exulcerantem, ea enim abacta & morbum & symptoma cessaturum promittunt; habita prius ratione totius corporis, ne pravos succos ad locum affectum transmittat, præparantibus adhibitis ex fumaria, epithymo, lupul. polypod. hinc subjunctis purgantibus ex sena, rhabarb. turpetho, &c. In pueris laudant Syrup. flor. Persicor. de fumar. compos. rosar. solutivum. Ne verò pars affecta pravos illos succos facilè suscipiat, eam roborant applicatis nonnunquam, necessitate ea exigente, repellentibus, utque humor vitiosus simul exhauriatur, digerentibus, & si crassior idem sit, incidentibus. Fovent ergò cutem decocto fœnigræci & betæ in aqua simplici, postea adstringentia & exsiccantia adhibent ex adiantho, parietar. blito, fol. salicis, myrt. rad anchus. bryon. lilii, cucum. agrest. sale, chalcitide, charta combusta, &c. oleo exceptis & linimenti forma applicatis. Ex. gr.

℞. *Sulph. ignem non experti,*
Fol. parietar. contus. aa. ℥ v.
Sapon. Gallic. ℥ j.
Misc. & succo parietar. excepta redigantur in formam linimenti, quo inungatur caput.

Vel

℞. *Chalcanth. ℥ j.*
Staphid. agr. ℥ ij ß.
Lithargyr. ℥ vj.
Misc. & cum aceto, & oleo Myrtino in mortario diutius agitentur, donec ad Linimenti crassitudinem redigantur.

Si dolor urgeat, ac multa effluat sanies, laudant cataplasma ex lente cocta & melle, item ex panace, plantagine, solano, polygonio & coriandro.

In Calvitie.

In *Calvitie* ex senio, & ubi radices pilorum planè consumptæ sunt, impossibile judicant pilorum novum quendam proventum introducere; ubi verò aliquid restat spei de novo aut meliori alliciendo nutrimento, curatio nihil distat à superiore in Alopecia jam manifestata.

In Canitie.

Canitiei in senibus curatio vix desideratur, cùm reverentiam sibi inde penes juniores concilient, à junioribus tamen ante tempus canescentibus quæruntur aliquando remedia decolorantia, quæ, nisi assiduo adhibeantur, parum operæ præstitura censent. Interne miris laudibus ad canitiem retardandam extollit *Galenus* Electuarium suum de aromatibus, quod tale est:

℞. *Ligni Aloes crudi,*
Rosar. aa. Aur. xij.
Calami aromatici Aur. iv.
Gall. Moschat.
Macis,
Doronic.
Pip. long.
Nuc. Moschat.
Menthæ siccæ,
Spicæ Nardi,
Cassiæ,
Masticis,
Cinamomi,
Caryophyllor.
Asari aa. Aur. iij.
Croci,
Cardamom. maj.
min.
Trium santalor.
Rhabarb.
Costi,
Cubebar.
Zingib.
Sem. fœnic.
anisi,
ligustici aa. Aur. ij.
Sacchari ℥ vj.
Mivæ aromat. ℥ xij.
Mellis despumati q. s.
Fiat Electuarium.
Dos. à ℥ ij. ad Aur. vj.

Externè varia lixivia decolorantia adhibent, frequentius repetenda, cum color iste supposititius æstimetur instabilis. *Sic Johan. Baptista Porta*, ad capillos nigros reddendos tale instituit lixivium:

℞. *Cort. fic.*
Gallar.
Elates,
Rubi,
Cupressi, aa. q. s.
M. F. Lixivium, quo capilli laventur.

Alii:

℞. *Lixiv. commun. q. s.*
Fol. bet. M. j.
Salv. M. iij.
Myrrh.

Fol.

Fol. lauri,
Cortic. Nuc. virid. aa. q. ſ.
M. & Coq. eoque lavetur caput.

Capillos hujuſmodi lixiviis ablutos inungunt linimento quodam. Ex. gr.

℞. *Plumbi combuſt. q. v.*
Cum ſucco betæ redigatur ad mellis conſiſtentiam,
F. Linimentum, quo inungantur capilli & barba.

In Plica. *Plicam* curaturi ſuadent omnia ea, quæ abundantiam nutrimenti in ſanguine imminuunt, venæ-ſectionem, purgationem, & balnea inſtituentes, triacas verò ipſas vix attingunt, cùm abſque periculo nequeant reſecari, neque plebeii ſingulare quoddam fortunæ aut virilitatis ſignum in iis conſiſtere ſibi perſuadentes, earum extirpationem facilè permittant.

In Porrigine. *Porriginis* curam aggrediuntur ſuccum parvum ex cute capitis detrahendo, & viſcerum temperiem ad juſtam mediocritatem redigendo, hinc genitos jam pravos humores corpore educunt vel ſanguinis miſſione vel purgatione. Tandem accedunt ad confirmationem cutis, ne admittat illa ſuccos iſtos pravos, quod adſtringentibus perfici credunt moderatis, intermiſtis detergentibus & digerentibus, ut ſimul cauſa continens, ſive ſuccus pravus ex cute capitis detrahatur. Ad repellendum ac dirigendum commendant folia ſalicis cum aceto, vel ladanum cum oleo myrtino, farinam ciceris & fabarum cum oleo lentiſcino. Illinunt cutem felle bubulo, ſucco betæ, pice liquida, & denuo abluunt aqua ſulphurea, aut aluminoſa, aut in qua lupinus amarus, malva ſylveſtris & fænum-græcum ebullierit, nec non muria aut aqua marina. Poſt ablutionem & frictionem cutis pannis aſperis, eam ſeq. inungunt linimento.

℞. *Pulp. Colocynth.* ℥ jv.
Oeſypi ℥ ij.
Ladani,
Gummi,
Rutæ ſylv. aa. ℥ j.
Ol. Cheyrini q. ſ. ad priora contrita ſuſcipiendum.
F. Linimentum.

In pilorum excreſcentia inconcinna. *Inconcinnam pilorum excreſcentiam*, curari credunt, ſi neceſſitas ita poſtulet, ſucci nutrientis abundantiam detrahentibus, in plethoricis venæ-ſectione, in cacochymicis variis purgantibus, pro humorum diverſitate, ſed rarò admodùm id deſideratur; frequentius igitur externis pilos eradicantibus utuntur, quale ſequens eſt unguentum, ſeu pſilothrum ipſius *Galeni*.

℞. *Auripigmenti aurei coloris* ℈ vij. *aut* x.
Calc. viv. ℈ x.
Amyli ſextantem,
Terræ Selinuſiæ ℥ j.

Omnia trita & per anguſtiſſimum cribrum excuſſa reponi vult; uſus verò tempore ex Pharmaco iſto quod ſufficit acceptum aqua conquaſſare, deinde illinere jubet, ac animadvertere ne exurat.

Vel ſequens *Critonis*, aut *Heraclide Tarentini*.

℞. *Calc. viv. ſextar. j.*
Terr. Cimoliæ,
Pumicis uſti aa. ſext. j.
Auripigmenti part. iiij.

Trita hæc & lævigata uſus tempore diluuntur aqua, & locis piloſis illinuntur.

In Fiſſura. *Fiſſuram* pilorum vix aliter curant, quam forfice removendo partes ſciſſas aut fiſſas, extremitateſque illinendo felle quodam animalium; ſi verò vitium in ſanguine nutriente nimium ſit, illud quoque corrigunt, aut plane tollunt, remediis ſuperius denominatis.

Paracelſiſtarum cura in Alopecia, eiuſque ſpeciebus. §. 15. *Paracelſica* cura in *Alopecia* ejuſque ſpeciebus peragi debet reducendo ſpiritum Jovis in priſtinas ſeditas, reliquiſque humoribus intermiſcendo, ne adeò ſæviat in propriam mineram, ſed ab aliis humoribus mitigetur. Remedia autem nulla habet peculiaria, ſed præter ea, quæ ex Antimonio parantur, idem hic adhiberi poteſt, quod commendat in

In Tinea. *Tinea*, nempe: ℞. Cichor. Gamandreæ, Capillor. Vener. aa. ℥ ij. Caſſiæ extractæ ℥ ß. Mannæ electæ ℥iß. Reduc in hauſtum cũ aqua artemiſiæ: omni anno menſeque Majo jubet adminiſtrari, quia revertitur. In externis minimè certus eſt, nec ſecum ipſemet ſemper conſentit, quare & nos ea nunc miſſa facimus.

In Calvitie. *Calvitiei* Curatio ſecundùm Authorem hunc inſtituenda illis quę reſolutionem fumi ſulphurei prohibent eumque ad ſuſtentationem & nutrimentum partium corporis conſervant, ſimulque Jovem benignum exhilarant, ut ſuccum vividum ad capitis extremitates mittat, quod Elixirio ſuo Eſſentiarum quintarum tentari, & aliquando obtineri poſſe promittit.

In Canitie. *Canitiem* corrigendam eſſe cognoſcimus ſecundùm illius principia, alterando & mitigando ſal illud aſperum, & ſulphureo ſuo corpore deſtitutum per balſamica ipſum Jovem apprimè cōſolantia & exhilarantia, ut ſunt Elixir ſuum proprietatis, & Elixir Salis, quæ tamen efficaciam ſuam potiſſimum præſtant præſervando & conſervando, ipſam autem canitiem ex ſenio ſemel inductam ex fundamento vix immutare valent, cùm Jupiter ille coloris ſui admodùm tenax ſit, neque eum tam citò mutet, in opprobrium ipſius Archei adeò defatigati, ut nequeat colorem iſtum deponere, aliſque vividioribus denuò inveſtire.

In Plica. *Plicæ* cura inſtituenda eſt reſolventibus ſuccum illum ſulphureum, craſſum & glutinoſum; deinde ejus copiam minuentibus, ne ulterius ad pilos influat. Optimè hæc præſtat, ſecundùm *Paracelſiſtas*, ipſa Eſſentia quinta Antimonii, utpote non ſolùm reſolvens iſtud glutinoſum, ſed vitioſos pilos plane eiiciens & novos reſtituens. Inſuper ipſi cibus etiam potuſque ſunt corrigendi, & aer mutandus. Singulare contra hunc morbum remedium quærunt in ipſo illo cibo & potu, ex quo generatus fuit; ſi enim ex iis arte ſedula proliciatur Eſſentia quinta, eaque frequentius uſurpetur, non ita difficulter glutinoſitas reſolvetur, & melior ſuccus ad illos perveniet, cùm excrementa omnia fuerint ſeparata, ut nihil niſi purum manſerit ſuperſtes, quæ Eſſentiæ reliquum potum & cibum corrigent, & impuritates ab illis ſegregabunt.

In Porrigine. *Porriginis* cura conſiſtit in correctione mordacis illius ſalis cum ſulphure reſoluto ſeparati, & ſuccum ſanguineum inficientis, tum ipſam cutem deradentis & ſeparantis, quod fieri poſſe ſibi aliiſque perſuadere conantur ſequenti remedio extrinſecus applicando.

℞. *Alcali de Aluminibus,*
Salis fuſi aa.
F. Mixtura.

In pilorum inconcinna excreſcētia *Pili* copioſius & *inconcinnè excreſcentes* prius exſtirpandi ſunt, deinde ulterior acceſſus denegandus eſt fumo illi ſulphureo piloſo, ne tranſitum inveniat per ipſam cutem, ſed intra illam deſtruatur. Utrumque efficiunt ſequenti vel ſimili linimento.

℞. *Gumm. Hederæ,*
Ovor. formicar.
Auripigmenti,
Colophoniæ aa. ℥ j.
Hirudinum, ſeu Sanguiſugar. uſtar. ℥ ß.
Trita miſceantur cum Ranarum ſanguine,
F. Unguentum.

In Fiſſura. *Fiſſura* corrigitur ablutione pilorum ex decocto radic. urticæ & conſolidæ in aqua facto, frequentiùs uſurpata.

Helmontii ſententia de Curatione Alopeciæ, Areæ, Ophiaſis & Calvitiei. §. 16. *Helmontii* ex ſententia cura *Alopeciæ, Areæ, Ophiaſis, & Calvitiei* conſiſtit in reſtitutione nutrimenti, ut nutritio debita redeat, quod in vegetioribus quidem ſponte contingit, novo illo ſucco ad locum pilorum redeunte, in ſenibus autem renovatio illa neque ſponte, neque medicamentis adhibitis expectanda, quoniam totalem corporis ſiccitatem innuit, fermentaque ſemel deperdita ulterius reparari nequeunt.

Tinea. *Tineæ* cura eò vergere debet, ut fermentum illud peculiare vel planè non ſuſcipiatur, cavendo converſationem illorum, qui ea jam ſunt infecti, neque attingendo aliquid eorum veſtimentorum, maximè pilei, ne ille capiti imponatur; vel ſemel ſuſceptum corrigatur, & eliminetur, nec non cruor alimoniæ partis illius deſtinatus depuretur, ne à fermento vitioſo corruptus partem illam ſimili malignitate inficiat, cui voto ut plurimum externa ſufficere poſſe exiſtimat.

Cani-

Canitiei. *Canities* veram curationem non admittit, quia non senibus fermentorum penuria denuò resarciri nequit, imaginatione verò cum facultas qualitativa etiam succumbat, ab ea inducta canities in statum meliorem vix redigetur, ob fortiorem illam ab imaginatione inductam alimentorum perturbationem.

Plicæ curatio postulat resolutionem mucilaginis istius arctè satis inspissatæ, ut pili glutino isto liberati sese iterùm valeant explicare; dehinc studiosam quandam præcautionem, ne in priorem concretionem relabantur.

Porriginis. *Porrigo* ut curetur, opus est abstersione fuliginis istius excrementitiæ, & roboratione pellis, ne tam facilè eam suscipiat, multo minus ab ea lædatur.

Inconcinnæ pilorum excrescentiæ. *Inconcinna* in quibusdam corporis locis *pilorum excrescentia* tollitur eorundem exstirpatione, & ne renascantur, inhibitione, ne nutrimentum abundans ad loca illa ulterius transeat.

Fissuræ. *Fissura* corrigitur sublatione aut mitigatione salis illius acidi, pilis sive internè per nutrimentum, sive externè per aerem communicati.

Et hæc quidem instructio fuit *Helmontiana*, qua sit instituenda ratione morborum istorum curatio: remedia verò, quibus scopi isti obtinentur, qui hac vice expectat, moram suam frustrà locabit omnem; sunt enim arcana, quæ sui communicatione non vult vilescere, quare in taciturnitate ista sibi non parùm placens, cum *Horatio Serm. lib. I. Sat.* 4. arcanorum istorum manifestationem urgentibus regere ne videtur:

Dii benè fecerunt, inopis me quodque pusilli
Finxerunt animi, rarò & perpauca loquentis.

Willisii methodus in curando capillorum defluvio. §. 17. *Willisius* curationem *Defluvii capillorum* eò dirigit, ut vel succus nutritius deficiens restituatur, vel corruptus depuretur & corrigatur, insimul ipsa cutis ita disponatur, ut pilorum transitum facilè permittat. Succi nutritii defectus restituitur medicamentis alimentosis, copiosiorem succum præbentibus, alibi locorum notatis: Vitiosus corrigitur, sanguinem & reliquos succos depurantibus, imprimis acrimoniam laticis cutanei mitigantibus, ne glandulas ille cutaneas dilaceret & poros ita dilatet, quibus pili postmodum facilè elabuntur. Præstant hoc decocta ex lignis, santalo, sassafras, summit. tamarisci, rad. lapathi, lappæ, polypod. Herb. fumar. Capill. Ven. adianth. fol. rorismar. &c. Externè ut cutis corrupta restituatur, & ulterior dilaceratio à latice acriori impediatur, caput aliquando abluendum est lixivio ex cineribus ligni rorismarini & betulæ, cui herbæ cephalicæ & capillares incoctæ sunt; deinde ut nutrimentum alliciatur, instituuntur crebriores frictiones, pilis instruendo pulverem subtilissimum ex rad. Cyper. Ireos Florent. flor. lavend. salv. Herb. majoran. rorismar. abrotan. maci, &c. Olei destill. rorismar. aliquot guttulæ capiti aliquando infricantur. Inunguntur etiam loci debiles Unguento ex axung. anat. ol. amygd. amar. ciner. rad. arund. capit. mur. & ladano composito.

In Tinea. In *Tinea* similiter laticis serosi vitia corrigenda, & cutis læsa ad statum sanum reducenda: quod præter antedicta externè obtinetur, illinendo, vel alio modo applicando remedia in se continentia sulphur & oleum Tartari per deliquium; observavit enim sulphur præ aliis quasvis humorum, & imprimis ichoris acidi asperitates exoticas & corruptiones destruere, atque latici cutaneo naturam planè conciliare balsamicam.

In Calvitie. *Calvitiem* ex senio, ubi omne pilorum consumptum est nutrimentum, denuò investire velle capillis, irritum ille retur esse conatum; ex lue autem Venerea oriundam adhibitis illis, quæ primariò morbo resistunt, & succos ad naturalem statum reducunt, depelli posse concedit, & tum in Defluvio capillorum notata sufficiere.

In Canitie. *Canities* ut in alium mutetur colorem, succi aridi postulat vel eductionem, vel in vividiorem transpositionem; cùm verò hoc in exsuccis senibus planè sit impossibile, in aliis autem admodùm difficile, hinc citius corvus videbitur albus, quàm ater aut viridis olor neque externæ capillorum tincturæ suis diu stant promissis, cùm prius sæpe dispareant, quàm nix à Sole liquescat.

In Plica. *Plicam* si quis curatam velit, ex Authoris hujus principiis ea adhibebit remedia, quæ succum nutritium abundantem imminuere, & viscididatem ejus attenuare valent, cathartica & sudorifera usurpando, non omissis illis, quæ specificè huic affectui conducere à Polonis sunt observata.

In Porrigine. In *Porrigine* sanguis depurandus, & partes acidosalsæ educendæ sunt remediis purgantibus è carthamo, turbith, polypod. &c. Externè convenit linimentum ex rad. lapath. aristol. rotund. herb. salv. in butyro & vino albo coctis, ad vini consumptionem, cui per linteum colato, dum refrigescere incipit, addi possunt tantillum sulphuris & oleum Tartari per deliquium.

In pilorum inconcinnâ excrescentia. *Inconcinna pilorum excrescentia* etsi à succi nutritii abundantia, & pororum cutis inter glandulas dilatatione proveniat, vix tamen interna ejus cura instituitur, sed externa pilos exterminantia vulgariter applicantur, quæ nulla habuit peculiaria; sed eadem quæ reliqui Authores, si iisdem quandoque opus habuit, in usum adduxit.

In Fissura. *Fissura* similiter externè solummodò corrigitur, vel forfice partes fissas adimendo, vel digitis & unguibus easdem discerpendo & detrahendo, adhibito interdum lixivio ex amaris, capillaribus mistis.

Sylvii modus curandi Alopeciam, Aream, Ophiasin & Tineam. §. 18. *Sylvius* ad obtinendam curationem in *Alopecia, Area, Ophiasi & Tinea* usurpanda suadet ea, quæ cutis poros aperiunt, eosque apertos servant, si ab eorundem obstructione defluvium dependeat, subadstringentia verò, si ab eorum laxitate nimia fuerit obortum; in *Tinea* potissimum illa, quæ humorem acidum temperant, glutinosumque incidunt & abstergunt, sicque partem affectam restituunt, & consolidationem promovent, quæ omnia præstari promittit solis salibus volatilibus, quibus sensim cedat.

Calvitiem. *Calvities* curanda ea poscit remedia, quæ sanguinis nutrientis defectum resarciant, alimenta videlicet multùm nutrientia; vel vitium ejus corrigant, quod cum diversum sit, varia etiam remedia requiruntur, imprimis aromatica & volatilia, ex C.C. majorana, roremarino, maci, &c. Nec omittenda externa, sanguinis boni & optimè nutrientis accessum ad pilorum radices allicientia, frictiones videlicet frequentiores, ablutiones, aut fotus constantes medicamentis spirituosis & capillaribus. In senibus autem vix adeò largus expectandus rivus sanguinis boni, ut eam corporis regionem alluere, humectare, & pilis fertiliorem reddere valeat, unde tam sæpe irritus est ille in iisdem pilos restituendi conatus.

Canitiem. *Canities* etiam vix corrigibilis pronunciatur, cùm in decrepitis acidiores & austeriores succi collecti tam copiosè per succum pancreaticum, illos junctim continentem, ipsam bilem adeò obruant, ut ea pristina sua volatilitate ulterius ornari nequeat; si quid tamen est tentandum, illud omne per eadem ipsa aromatica & salia fieri debet volatilia, præ aliis bili in pristinum volatilitatis statum reducendæ perquam idonea.

Plicam. *Plica* ne contingat, vitandi sunt aer, cibus & potus, quorum usu eam excrescere observarunt, *Poloniam* prætereundo, aut nunquam adeundo, vel non diu in ea commorando, omneque glutinosum à cibo potuque arcendo, frequentibus adhibitis pectinationibus, frictionibus & abstersionibus pilorum, ne immunditiem contrahant: semel autem enatam difficilimè credit auferendam, absque enim periculo vitæ vix eradicabitur; conglutinatos verò pilos extricare velle, neque manibus, neque medicamentis est possibile, hinc Judæis plica est solennis, quia in munditie & diæta peccant sæpe. Sudores frequentius prolectos, quibus nutrimentum detrahatur, & sanguis à glutinositate liberetur, nullatenus contemnit.

Porriginem. *Porrigo* corrigitur destruentibus acidum illud subtile, quo sanguis ille nutriens roridus inquinatur, ne ulterius cuticulam erodat; squamulæ autem, seu partes erosæ cuticulæ abstergendæ sunt, & cuticula ab iis liberanda volatilibus balsamicis intus & extus adhibitis.

Inconcinnã pilorum excrescentiam. *Inconcinna pilorum excrescentia* tollitur per exstirpantia pilos ab aliis jam satis cognita reddita, & adstringentia poros cuticulæ, ne eosdem ulterius transmittat.

Fissura

Fissuram: *Fissura* pilorum tollitur resectione partis fissæ & ablutione aut illinitione extremitatum illis, quæ acido ei corrosivo resistere, idque corrigere per experientiam sunt observata, amaris videlicet ex felle animalium, & absinthio, abrotano, &c.

Cartesianorum Consilium de curanda Alopecia & Area. §. 19. *Cartesianorum* de curandis hisce affectibus consilium est, ut in *Alopecia*, ejusque specie *Area* dicta, particulæ illæ rigidè in succo nutritio corrigantur & flexiles reddantur, sicque succus ille reducatur ad pristinam suam dispositionem benignam, pilique sufficiens capiant alimentum, ut concessos suos locales in poris cutaneis expleant, sicque debita sua occupent crassitie. Obtinetur hoc tum alimentis, tum medicamentis. Alimenta constare debent multis particulis dulcibus, benignis, & aliquantum spirituosis, ut copiosum præbeant chylum, non tam solidiorum partium alimoniæ sufficiens, sed ex abundantia quadam ad efflorescentiam illam pilorum in suprema corporis parte necessariam portionem contribuens. Medicamenta interna sint spirituosa, penetrantia & valde subtilia, benigna tamen, ut partes illas rigidas inflectere & mobiles reddere valeant, ita enim ulterius non resistent, sed succo nutrienti facilem permittent ingressum. Et quando ille satis influit copiosè, pilorum filamenta ita distendentur & interstitia opplebuntur, ut ambitu suo poros facilè expleant, neque ulteriori quadam opus sit adstrictione. Sæpius itaque in usum vocari volunt Elixirium sequens hoc in casu apprimè conveniens:

℞. Rad. Galang.
Calam. Aromat. aa. ℥ iij.
Fœnic. ℥ vj.
Fol. rorismar.
Majoran.
Salv.
Capill. Vener. aa. M. ß.
Flor. salv.
Tunic.
Meliss. aa. p. j.
Croci Oriental. ℥ j.
Cinam ℥ j ß.
Macis ℥ ß.
M. F. Pulvis.
℞. Succi unius mali aurant. dulc.
Spiritus C. C. ℥ ij.
Cort. recent. aurant. ℥ iij.
Conquassentur invicem & contundantur ad comminutionem corticum, postmodum per linteum colentur & fortiter exprimantur:
Succo illi immisceatur pulvis & f. Massa, seu Pasta. Stet per noctem in loco tepido, manè superinf. spir. vin. generosi ad digitor. 3. vel 4. eminentiam, agitentur & ponantur ad digestionem in Cin. vel alio quodam loco calidiusculo ad spatium duarum septimanarum, postea filtrentur:
Liquori filtrato add.
Salis majoran.
Rorismar. ex ligno aa. ℥ j ß.
Volat. viperar. ℥ ß.
Ol. d. cinamom. gt. vj.
Macis ℈ ß.
Rorismar. gt. xiv.
Circulentur per d. & n. 4. & tandem servetur ad usum.

De hoc Elixirio aliquoties dentur gt. xx. vel xxx. in cochleari uno altero sequentis Destillati:

℞. Rad. peuced. ℥ j.
Liquir. ℥ ß.
Herb. Capill. Vener.
Adianth.
Summit. Cent. min. aa. M. j ß.
Thymi,
Flor. loti purp.
Cheyri aa. p. j.
Incisis minutiss, superinf. Aq. mellis destill. alb. ℔ ij. l. iij.
Stent per noct. bene obtecta in tepore, manè in M. B. F. Destillatum.
Servetur ad usum.

Externè instituunt frequentes frictiones, pectinationes, ablutiones & inunctiones, ut nutrimentum alliciatur ad pilos, & pori cutanei ad ejus susceptionem commodè disponantur, particulæ rigidiores agitentur & ad secessum incitentur, aut plane in alium convenientiorem statum transferantur. Pro ablutione sequens laudatur Decoctum:

℞. Rad. bardan.
Lapath.
Peuced. aa. ℥ vj.
Urtic. major. ℥ ß.
Herb. Abrotan. mar.
Majoran.
Capill. Vener. aa. M. j.
Flor. rorismar.
Lavendul.
Chamomill. aa. p. ij.
Sem. fœnigr. ℥ ß.
Ladan. ℥ ij.
Incis. superinf. lixivii ex cineribus betulæ & rad. arund. fact. q. s.
Stent per dies 2. vel 3. deinde parum ebulliant, colentur & exprimantur.

Hoc Decocto abluatur aliquoties, & linteis tepidis abstergatur, postmodum inungatur vel oleo abrotani, vel Unguento sequenti *Plateri*:

℞. Ol. Myrt.
Amygd. dulc aa. ℥ j.
Cort. rad. Cannar. ust. verar.
Capill. Veneris ust.
Polytrich. aa. ℥ ij.
Cap. mur. ust.
Apum combustar. &
Canthar. rubrar. macul. nigr. aa. ℥ j.
Ladan. ℥ ij.
Mell. ℥ j.
Cum cera F. Linimentum.

Utatur hoc æger alternis noctibus, & si spissius adhæreat, abluatur caput vel lixivio, vel vino in quo Abrotanum fuerit decoctum. Ablui etiam volunt partes debiles frequentius aqua mellis rubra in pilorum educatione perquam famosa.

Ophiasi. In *Ophiasi* particulæ illæ ramosæ sunt abigendæ & salsæ corrigendæ, quod lixiviosis maximè impetratur, istas facilè imbibentibus & absorbentibus, sapone etiam odorato ex specificis composito sæpius caput est abluendum.

Tinea. *Tinea* ut curetur, omne studium eò potissimum tendat, ut fermentum illud peregrinum, constans particulis maximè acutis acribus & duriusculis, elimineturur, & particulæ salsæ à priori fortius præcipitatæ iterum dissolvantur & subtilisentur, ut aut tenues evadant in auras, aut mitigentur & blandiores fiant, ne cutem ulterius erodant. Hoc internè præstant sudorifera, imprimis ex rad. scabios. lapath. peuced. ligno Juniperino, Sassafras, Herb. fumar. fol. rorismar. &c. Ex his enim varia componi possunt remedia, sive sint Decocta, sive Essentiæ, sive aliæ eorum species, quibus adsocianda sunt Salia volatilia viperar. C. C. lumbricor. &c. Externè locus affectus aliquoties abluatur Decocto blandiori, ex urina humana, cui radix lapath. malv. tota cum rad. & herb. item pisa incocta sint. Vel juri pisorum addatur aliquid lixivii & capnt abluatur. Pro illinitione sufficere potest Oleum Tartari per deliq. cum oleo myrtill. aut amygd. dulc. commistum & agitatum. Oleum etiam laurinum cum Sulphure non reiiciunt. Infectorum conversationem arctiorem vitandam volunt iis, qui ab ea adhuc degunt immunes.

Calvitie. In *Calvitie* ipsum sonium sequuta pilos denuò vel arte vel marte produci posse, vix induci se permittunt ut credant; putat enim decrepitis istis agrum ulterius non esse ferre paratum, sed aridum, nec convenienti succo irriguum, fermentaque, non acida, sed spiri-

spirituosa & laudabilia, semel perdita fore irreparabilia, *Virgilio lib. 2. Æneid. vers. 646. 647. adsentientes:*

—— Sed enim gelidus tardante senecta
Sanguis hebet, frigentque effœtæ in corpore vires.

Proinde si vel aer frigidior nudo capiti sit molestus, aut curiosiores ornatui adhuc studeant, suadent iis, ut vel mitra, vel galericulo seu capillitio artificiali caput obtegant, cùm sic aliorum plumis hoc tempore honestiùs superbire liceat. A lue autem venerea vel phthisi inductam calvitiem, post abactos istos morbos & correctos succos in sanguine, tandem novis pilis caput vel sponte vel arte iterùm ornari cum reliquis experti promittunt, adhibitis medicamentis superiùs jam in Alopecia prolatis, quibus aliquando adjungi possunt liquores limacum & sanguisugarum, sale in vitro iis insperso prolectos.

Canitie. *Canities* reposcit fermentorum spirituosorum tum reparationem, tum ad statum debitum reductionem, ut succum nutrientem convenienter disponant, & majori copia ad pilos propellant, illeque tum spiritibus turgidulus tubulos pilorum amplificet, impleat, filamenta distendat, radios luminis circa superficiem pilorum aliquantum detineat & variè modificet, nec tam citò dimittat, ut immutati repercutiantur; quum verò in exsuccis senibus id tam sit difficile, quàm gramen aridum in fœnum jamjam abiens, pristino ornare virore, hinc ab Arte Medica postulari rentur, quod in ejus non est potestate, & quamvis ab adhibitis quibusdam externis colorantibus aliquando fucus obducatur capillis, ille tamen brevi detegitur: quibus autem volupe est, hujusmodi aliis facere imposturam, & oculos intuentium minùs acutos ita illudere, illis licet variis colorantibus pilos suos oppingere, quorum species aliquas inter nostra brevi nunc sumus recensuri.

Plica. *Plicæ* curationem tentandam volunt resolventibus & attenuantibus particulas viscosas, quibus succus nutriens scatet, plexus nervulorum in cute agglutinat & plures counit, ut non juxta dimensum, sed manu quasi prodiga ad cuticulæ poros perveniat, eosque dilatet, & interstitia eorum disrumpat: quare, ut evaporatio necessaria suscitetur, corpus exerceri, & sudoribus frequentioribus alimentum copiosius detrahendum esse jubent, quod in specie per Anabrochismum, seu constrictionem fili, quo transitus ulterior succo glutinoso denegetur, fieri possit, successivè diebus singulis juxta cutem illud arctiùs constringendo. In *Polonica* ea probant remedia, quorum virtutem Poloni per experientiam cognitam habent, & à nobis postmodum manifestabuntur.

Porrigine. In *Porrigine* particulæ illæ acres corrigendæ sunt, ut cuticula non ampliùs deradatur, impuritas autem & squamulæ abstergendæ externis decoctis lixiviosis benignis, imprimis malvæ decocto, & pisorum in urina facto, & superiùs in Tinea jam notato.

In pilorum inconcinna excrescentia. Ut *Pili* in locis minùs convenientibus *inconcinnè excrescentes* abigantur, opus est eorum evulsione, quod iisdem cum reliquis præstant, ex auripigmento nimirum, calce viva, & lixivio paratis: ne verò revertantur, glandulæ pilares & plexus nervei destruendi sunt, poriq; cuticulæ planè occludendi, & eorum figura transmutanda, cui scopo acquirendo nonnulli sequentem præscribunt aquam destillatam:

℞. *Cornu vaccæ,*
Alumin. Rochæ,
Papaver. nigri aa. tritor. q. s.
Sanguinis vaccini recent. ℔ ij.
Macerentur & destillentur.
Adhibeatur omni sero.

Efficacius illud obtinetur, si locus lamina auri ignita uratur, ita enim cuticula planè condensabitur, pori constringentur, ut nulli pili eam ulteriùs perforare valeant, simulque succus nutriens consumitur & exsiccatur, quo medio virgines Italicæ lævitatem quibusdam in locis sibi conciliare dicuntur.

Fissura. In *Fissuris* corrigendis nihil proferunt singulare, sed media adhibent eadem, quæ ab aliis satis jam sunt indicata.

Nostra ratio curandi Alopeciam. §. 20. Restat jam *nostra* de ratione affectus hosce curandi sententia, quam pluribus in sequentibus sumus manifestaturi. Quod proinde attinet *Alopeciam, Ophiasin, Calvitiem*, si pili in iis radicitùs exstirpati sunt, eos denuò producere velle, esset Æthiopi cutim & Tigridi maculas mutare: uti & ille defectus, quo pori pilorum inter se coalescunt, corrigi ampliùs minimè potest. Quando verò pili quidem depluunt, ita ut nihil de illis, qui deciderunt, reliqui ampliùs appareat, radicibus tamen ipsorum succoque permanentibus, tunc vel sponte, vel arte adhibita renasci possunt, cùm alioquin per totam vitam crescere non desinant. In fœminis autem & eunuchis pilos barbæ producere impossibile putatur: interim ex catameniorum diutina emansione quandoque conspiciuntur vetulæ præter voluntatem barbatæ, instar virorum; ne in aliarum corona horridiores appareant, forfice aut novacula instructæ speculum salutare opus habentes. Ipsam ergò defectuum horum curationem, prognostico semper præmisso, & desperatum malum relinquentes, pro ratione causæ, quæ primùm auferenda, instituamus. Si ab externa quadam causa hic oritur defectus, illa priùs amovenda; si verò ab interna fiat defluvium, ea corrigenda; & cùm sæpè fiat ab acrimonia, ante omnia ea exhibenda, quæ hanc emendant, in quem finem conducunt varia absorbentia, tum fixa, tum alcalia. Quando verò affectus hic, ut plerumque contingit, Luem Veneream comitatur, in hoc casu conducent Mercurialia & ex iisdem præparata sudorifera, ut salsæ particulæ ad poros cutis delatæ, & pilorum radices exedentes prorsus eliminentur; sic una fidelia plures dealbabis parietes, curabisque ipsam Luem, & per consequens etiam Alopeciam. Sudorifera ex viperis parata hic quoque magni facio, item decocta lignorum cum herbis capillaribus parata; sal. volat. C. C. usus hic egregius est.

Per admota loco affecto præcipuè efficitur, ut pili tum capitis, tum barbæ, superciliorum & palpebrarum, qui defluxerunt, renascantur, vel etiam illi, qui barbam constituere debent, copiosè producantur: in quem finem plura ab Auctoribus, nescio qua proprietate occulta id facere debeant, commendantur, at quæ rarissimè nobis satisfaciunt; hinc tantum optima, & nostra duntaxat experientia approbata hic apponamus. Si oritur hic affectus ab obstructione pororum, frictiones & pectinationes instituantur sæpius. Prosunt decocta rorismarini, abrotani, cum vino facta; vel ex ipsorum cineribus paratum lixivium; vel caput inungatur aqua Reginæ Hungariæ; vel hinc inde illinatur axungia viperarum, vel ex viperis parata Essentia viperina *Zwelff.* Laudatur à multis succus raphani & malvæ parti affectæ illitus. Oleum pilorum loco calvo illitum tanquam euporistum remedium laudatur. *Joh. Crato* commendat spumam carnis bubulæ, non valdè pinguis, ut locus debilis ea inungatur, sed me semper deseruit id remedium: alii commendant pinguedinem talpæ & serpentium in Aqua mellis destill. solutam & illitam. Aqua nostra ad Alopeciam Cassellana digna est sua laude. Linimentum quoque illud quod ex ladano oleoque lentiscino constat, non contemnendi usus erit. Si verò affectus hic sit ex acribus salsis particulis glandulas pilosas corrodentibus, in principio fotus lactis conducet, vel lotio cum decocto malvæ & lapathi: reliqua millies quamvis ab Auctoribus commendata specifica, famam tamen non sustinent, cum hæc non semper satisfaciant.

Aream. In *Area* præmissis generalibus absorbentibus educantur particulæ salsæ per diaphoretica, quibus semper additur aliquid Mercurii dulcis; hinc conveniunt præ aliis superiùs jam dictis Aqua cæparum, cum Aqua mellis, muscarum: item sequens unguentum, quod à pluribus pro secreto habetur.

℞. *Fl. abrotan. mar.*
Capill. Veneris aa. M. j.
Flav. mellis ℥ j.
Gummi ladan. ℥ ß.
Myrtillor. ℨ j.
Sem. fœnigr.

Sem.

INDEX CAPITUM
ENCYCLOPÆDIÆ CHIRURGICÆ.

LIBRI I.

De Morbis Capitis externis.

LIBRI II.

De Morbis Thoracis.

LIBRI

LIBRI III.

De Morbis Externis Abdominis.

LIBRI IV.

De Morbis partium Genitalium utriusque sexus.

LIBRI V.

De Morbis Artuum, seu variarum corporis partium, tum magnitudinem vitiosè augentibus, tum cutem deformantibus.

LIBRI VI.

De Morbis Artuum, seu variarum corporis partium; tum magnitudinem vitiosè imminuentibus, tum continuitatem solventibus.

LIBRI VII.

De Morbis Manuum & Pedum in specie.

JOH:

Sem. lin. aa. ℥ iij.
Ol. amygdal. dulc.
Vini albi generos. aa. ℥ iij.
Facta infusione per hor. 24. bulliant ad humiditatis consumptionem, F. Expressio.

Ophiasin. In *Ophiasi* præter universalia commendamus verbascum, Unguent. medicamentos. *Mynſ.* item oleum papyr. item Linimentum *Fontani Analect. Observ. p.* 36.

Tineam. In *Tinea* conveniunt absorbentia & sudorifera balneaque, & cura ejus potissimum absolvitur abstergentibus & amaris, v. g. absinthio, abrotano, fumar. cent. min. in lixivio decoctis, & pro lavamento usurpatis, item interna omnia in scabie aliàs adhiberi solita volatilia. Inter topica sequens conducet, præmissis Antimoniatis & Cinnabarinis.

♃. *Ol. nuc.* ℥ iv.
Vini alb. ℥ iij.
Salis Ammoniaci ℥ ß.
Ran. virent. No. v.
Tinc. fluv. No. j.
Serpent. vel
Viper. No. j.
Coq. omnia ad consumpt. vin. & serv.

Quo linimento tinea bis vel ter de die inungatur calidè, capillis prius derasis.

Si simul scabies adsit fœtida, convenit sequens, vel simile Linimentum.

♃. *Unguent. rosat.*
Enul. aa. ℥ j.
Pul. staphid. agr.
Mercurii vivi saliva extinct. ℥ ß.
M.

Vetula hic degit, quæ sequente emplastro Tineas feliciter curat.

♃. *Pic. nigr.* ℥ vij.
Resin. ℥ j ß.
Pulv. Virid. æris
Vitriol. Rom. aa. ℥ j.
Mercur. viv. ℥ ß.
Coq. in Aceto acerrimo in mass. extend. super alutam, relinq. per 3. dies.

Qui verò à Mercurio abhorret, facilè enim inde salivatio oboriri potest, sequente uti potest.

♃. *Summitat. absinth.*
Flor. centaur. min. aa. M. j.
Sem. Coriandr.
Staphid. agr. aa. ℥ iij.
Coq. pro Lixivio: vel F. è cineribus betulæ Lixivium, vel è cineribus Sarment. vit. addito sapone Hispan.

Vel

♃. *Calc. viv.*
Vitrioli,
Ærugin. aa. ℥ j.
Sal. tartar.
Ammoniac. aa. ℥ iij.
Myrrhæ,
Aloes,
Camphor.
Picis,
Ceræ aa. *q. s.*
F. Linimentum.

Oleum Tartari per deliquium cum spongiola crustis applicatum raro me fefellit.

Vel

♃. *Ol. Amygd. dulc. q. s.*
C. ol. Tartari terendo f. Linimentum, addito, si pediculi urgeant, oleo spicæ.

Vermes. Si *Vermes* erodant capillos, Aqua Aloetica nostra egregii erit usus, cum oleo Colocynth. vel felle tauri maritati liquores; item myrrhata, &c.

Calvitiem. *Calvities* verò, ubi simul glandulæ pilosæ deficiunt, reparari nullo modo potest, cum partem corporis omninò ablatam, de novo progignere sit impossibile; sic & ille affectus, quo pori pilorum inter se coalescunt, corrigi amplius minimè potest. In calvitie ergò vera, seu cicatrice cutis, vel in ea Alopecia, ubi pili radicitus erosi sunt, eos restituere velle, esset Tigridis cutem mutare. Prognostico ergò præmisso, curam aggrediamur sequenti ratione. Præmittantur ante omnia, si necesse videtur, universalia, præparantia & absorbentia. Ad præcavendam & retardandam calvitiem, prosunt frequentes frictiones moderatæ. *Mynsichtus* ad Calvitiei præservationem commendat Tincturam suam proprietatis, item rotulas imperiales: quò pertinent omnia cephalica ambrata, moschata, spirit. vin. stomachicus *Mynsicht*. Inter externa prosunt cucuphæ ex cephalicis paratæ, & inunctiones ex ladano, aliisque modicè adstringentibus. Hic omnia ea conducunt, quæ superius de Alopecia diximus.

Canitiem. In *Canitie*, ubi senes rejuvenescere avent, & juniores quoque, si in certis locis trica quædam pilorum alba observatur, eam reliquis pilis similem reddere cupiunt; quod sanè arte comptoria potius, qua alius color, instabilis tamen, imprimitur, efficitur, uti videmus in equis, quorum pilis sæpe appinguntur varii colores. In senibus ergò varia spirituosa prosunt, & spiritus refocillantia, Cephalica dicta; hinc prodesse possunt internè Aqua Cephal. cum V Aq. Regin. Hung. spir. Cephal. quæ & externè præ aliis conducunt.

Ad pilos *nigros* reddendos commendant plures pectinationem cum pectine plumbeo, vel argenteo, aliaque laudant decocta pro ablutione, in lixivio, vel aqua pluviæ, aut cisternæ, aut extinctionis ferri, ex gallis, nuc. jugland. parata.

Ad crines *flavos* reddendos, in quo maximè laborant Gallæ & Venetæ mulieres, commendamus lixivium tingens *Mynsichti*; abluantur etiam aqua aluminosa & nitrosa, addita Tartari portione, vel paretur oleum in quo rasura buxi, radix chelidon. curcum. crocus, aliaque coxerint, addita myrrha. Lixivia possunt parari ex cineribus sarmentorum vitis, paleæ avenæ.

Ad *odoratos* pilos reddendos herbæ odoratæ quævis conveniunt, ut sunt folia majoranæ, flor. lavendulæ, Nux mosch. Mosch. Ambr. &c. sapoque odoratus Italicus.

Plicam. Cùm de *Plica* Germanica, ceu longe mitiori, rarò consulatur Medicus, adeoque perdifficile sit aliquam exinde habere experientiam, hinc affectus iste in pluribus æstimatur ferè incurabilis. Sanè morbus est contumacissimus, & optima etiam eludens remedia, pororum enim conformationem semel à natura factam corrigere medicamentis difficile est, uti & gluten istud ex glandulis continuè exsudans, & pilos conglutinans tollere & corrigere summæ artis est. Ante omnia de hoc morbo consulantur Poloni, ubi morbus hic endemius est; genium ergò & incolas, imò aquas aliaque huc pertinentia bene cognoscat Medicus antequam curam aggrediatur. Poloni verò ad cutis capitis poros aperiendos suadent lotionem capitis per decocta ex aperientibus & emollientibus parata, imprimis ex branca ursina & lupulo, quibus betonica & lycopodium adiici possunt. Maximè verò tum externè, tum internè commendant muscum terrestrem, ipsis plicariam dictum. Muscum illum terrestrem cum branca ursina aquæ fluviatil. q. s. ad flavedinem coquunt, hocque decoctum aut sumunt per se, aut cum ovis in forma jusculi quotidiè bibunt & comedunt. Externè verò cum decocto hoc instar lixivii parato caput bis per septimanam laudant, nullo amplius adhibito pectine, donec capilli sese explicare incipiant, unde necessariò progressu temporis ita sese extricare solent. Decoctum etiam vitis, hederæ, bryoniæ, sarsaparill. commendant. Nos existimamus hunc morbum curari debere instar luis venereæ, quare Mercurius in Plica certissimum existere potest remedium, qui optimus lymphæ domitor existit, interpositis variis aperientibus, præsertim Essentia viperina, alexiph. liq. C. C. succ. quæ remedia maximè corrigunt vitia lymphæ quæcunque. Ad primarum viarum vitium corrigendum, conducere possunt Emetica tutiora, dein ad lympham glutinosam corrigendam, & fluxiorem reddendam, porosque confirmandos conducunt alexipharmaca & sudorifera. Inter Topica sequens Linimentum Cnœphelii pro arcano censendum.

℞. Herb. Musc. terrestr. & repent.
Rad. Bryon. aa. p. æq.
Adipis Erinacei q. s.
In vase vitreo coq. in B. M. per horam, & f. l. a. Unguentum.

Cum quo radices pilorum complicatorum & loca affecta, maximè articuli dolentes bis in die inungenda sunt. Hic & proderit Axungia vel Essentia Viperarum. Abscissio cirrorum horum non temerè tentanda est. Vide de his elegantem observationem *Domini Præsidis* nostri Decur. 2. ann. 2. Obser.

Porriginem. In *Porrigine* omnia conducunt, quæ lymphæ salsedinem & acrimoniam corrigunt, ut sunt præter Mercurialia, jam dicti liquores viperini & volatiles succinati, Salia volatilia oleosa, Essentia Fumar. lignorum; Rad. saponar. bryon possunt cerevisiæ indi, vel ex iis parari Tincturæ & Essentiæ, imprimis pulvis noster spasmodicus Cinnabarinus.

Topica hic adhibenda sunt absque adstrictione. Abstergentia ità dicta præ aliis conveniunt, qualia sunt fotus ex decoct. fœnigr. cent. min. Item convenit ol. amygd. amar. Ex nitro, Sulphure, & Vitriolo quidam varia parant linimenta.

Inconcinnã pilorum excrescẽtiã. Ubi *Pili* in locis *non convenientibus* crescunt, conducunt omnia psilothra dicta medicamenta. In hoc casu sanguis ab ichoribus & serositatibus prius purgantibus hydragogis pluribus mundetur, & sudores in balneo præmittantur. Psilothra dicuntur illa medicamenta, quę caustica sua vi potissimum agunt, qua urendo ut abscedant, efficiunt, & si validius agant, vehementer adurunt, ut etiam radicibus absumptis cicatriceque inducta pili non amplius renascantur, efficiunt. Optimum psilothrum paratur ex calce viva & auripigmento, beneficio olei cujuspiam, vel lixivii; hinc adeo præstans est Unguentum de Calce viva *Mynsicht*. Turcæ suum habent rusma, quod paratur ex calce viva & sale alcali dicto, cum argilla in globos redacto, & sic locis pilosis applicatur; Unguentum aurei coloris, quod, ceu superius, paratur ex p. 2. cal. viv. & auripigment. p. j. Succum tithymalorum, Hyoscyami, cicutæ, bryoniæ, fumariæ, betæ, semperviv. alii commendant, & sanguinem vespertilionis calidè illitum; quæ omnia poros cutis circumfodiunt quasi & destruunt, viscidum pilorum nutrimentum fundunt, liquant, suffurantur. Inuncto felle anguillę pilorum proventum inhiberi narratur, sed nondum mihi persuadere possum, dari constans ac infallibile psilothrum, quod præstet ut nunquam iterùm pili crescant, quale quidem *Helmontius* sibi notum fuisse gloriatur, liquorem scilicet quo leniter intincta manus & exsiccata si mentum viri attingeret, paulo post excidere pilos barbæ, superciliorum ac totius capitis; *lib. Butler inscripto*. Destituti hoc remedio, lamina aurea locus urendus est. Et sequens Dropax pilos evellens Plateri.

℞. Resin. laric. vulg. circiter 4. cochlear. add. mastich subtiliss. tritæ instar avellanæ, dissolv. ad ignem & parum coq. postea effunde in lebetem in quo aqua sit frigidissima: dein manib. malaxetur & in magdaleonem rotundum formetur, qui in aqua, ne adhæreat, servetur. Hujus portiuncula dilatata supra cutem pilosam applicata, ubi adhæserit, iterùm detrahatur pilique in emplastro evulsi hærebunt, & si quid de emplastro remaneat, ol. amygd. perfricatione recedet.

Fissuram Pilorum *Fissuræ* à pluribus negliguntur, si tamen huic malo quoque emendationem quispiam desideret, fissi pili pars tenuior erit ulterius detrahenda, singulos pilos dividendo, atque ea, quæ remanet, circa extremitates felle, vel aqua nostra aloetica inungenda, eaque posteà decocto quodam pilos regenerante, ex abrotano, rad. cannar. facto, eluenda.

Nonnulli nimis curiosè mucilagine aliqua, visco aut colla divisos pilos rursum conglutinaturi tempus inutiliter perdunt, quod ne de nobis similiter dicatur, à prolixiore leviculi hujus affectus designanda curatione meritò abstinemus.

CAPUT III.

De Contusione Capitis, & Pericranii Vulneribus.

§. 1. Ab affectibus Capitis internam causam potissimum agnoscentibus, nunc progredimur ad illos, quorum origo extrinsecus à re violenta fortius illapsa, & continuum solvente provenit, qui cùm vehementioribus doloribus, & gravioribus stipati sint aliquando symptomatis, citius etiam Chirurgi manum exposcunt. Tractabimus autem inpræsentiarum de Contusione capitis, & Pericranii Vulneribus.

Contusio, Græcis Θλάσις, dicitur de morbo & specie solutionis continui, cùm grave vel durum aliquid supra corpus incidit, ac id ipsum collidit, & sic continuitatem solvit, citra deperditionem manifestam substantiæ, aut externam rupturam, ubi plerumque in parte carnea cruor ex venulis vel arteriolis evasatus sub cute colligitur; hinc & aliis suffusio, nonnullis sugillatio dicitur, quia venæ & arteriæ exiguæ, imò & vasa lymphatica sub cute rumpuntur: Contusio in specie dicitur cranii vel calvariæ recessus & incurvatio à violenta illisione absque fractura. Describi ergò potest Contusio capitis, quòd sit evasatio & stagnatio sanguinis sub cute capitis à solutione & ruptione vasorum sanguiferorum. *Descriptio.*

Vulnus verò Pericranii describi potest, quod sit continui solutio in partibus mollibus & carnosis, cum pericranio & periostio ab instrumento aliquo externo pungente vel secante facta.

§. 2. Cùm verò Vulnera capitis nunc majora, nunc minora sint, atque cæsim vel punctim infligantur, nec ad eandem inferantur mensuram, sicque mille modis varient, variæ ab Auctoribus recensentur differentiæ, quas communiter in essentiales & accidentales dividere solent: illas desumunt à vulneris essentia, partis vulneratæ conditione, & causa; hac verò à fiendi modo, situ, & tempore. Vulnus sæpe cum contusione conjunctum est; sed hæ differentiæ tantùm confundunt Chirurgos, & nil ad curationem faciunt. *Differentia.*

§. 3. *Contusionis* capitis subjectum sunt omnia capitis velamenta, & in iis existentia vasa sanguifera & lymphatica; sic nuper vidi contusionem, in qua nihil præter serum sub cute evasatum fuit. *Pars affecta.*

In *Vulneribus* capitis pro parte affecta eadem vasa cum cute & reliquis carnosis & membranosis partibus agnoscimus, nominatim pericranium, & periostium.

§. 4. Quoniam Contusiones & ipsa vulnera Capitis, quoad externam nempe faciem, in sensus incurrunt, inanem luderem operam, si recensendis signis diagnosticis diutius immorari vellem: quod verò ipsorum interiorem attinet statum, situm, & magnitudinem, ea non nisi sagaci conjectura & accurato Medici judicio sciri poterunt; siquidem non semper facile judicatu sint, quæ partes internæ vulneratæ sint, & quousque vulnus penetraverit, cùm tale scrutinium scientia Anatomica, & diligenti partium actionum læsarum, nec non excretorum examine nitatur: sed hisce Contusionibus capitis facilè accidere possunt varia pessima signa, præsertim si ex violenta contusione simul cerebrum fuerit concussum, unde accedunt vertigines, cephalalgiæ, auditus difficultates, splendores ante oculos, visus debilitas, omnium artuum lassitudo, memoriæ abolitio, Epilepsia, Convulsiones, Apoplexia, Lethargus & Mania; ex ejusmodi violenta contusione novi quendam cæcum factum, alium surdum, alium apoplecticum, alium planè dementem redditum observavi, Sic etiam si pericranium fuerit læsum, per plura id indicatur signa, ac eadem præbet, quæ videmus in nervis læsis, vomitus enormis solet ægros infestare: quare in vulnere capitis imprimis videndum, an æger post ictum in animi deliquium incidat, an vomuerit, an mens ipsi constiterit; nam si hæc symptomata apparent, denotant, sanguinem aut in cerebro aut in meningi- *Diagnosis.*

ningibus esse extravasatum. Si absunt deliria, & febris, signum est nullam adesse inflammationem, nec extravasatum esse sanguinem in cerebro, sed potius serum.

Ætiologia Contusionis juxta Galenicos.

§. 5. *Contusionis* capitis causa juxta veteres *Galenicos* est res externa gravis, ponderosa & obtusa: qua caput vel percutitur, vel alia quadam ratione offenditur, ut dum casu alliditur caput parieti, vel alii cuidam rei duræ, ita ut cute externa permanente integra, subjacentia vasa sanguifera rumpantur, & sanguinem effundant, qui cuti subjectus eandem distendit, doloremque & tumorem suscitat, & nisi in tempore discutiatur, tandem abit in putredinem.

Vulneris.

Vulneris Pericranii causam agnoscunt rem externam acutam vel punctim, vel cæsim, vel casu per cutem ad pericranium penetrantem, ejusque continuitatem sejungentem & dissolventem.

Juxta Paracelsum.

§. 6. *Paracelsus* similiter *Contusionis* causam admittit vel casum vel percussionem, à quibus sanguis in ea capitis parte, in qua istæ contingunt, congelatur & corrumpitur.

Vulneris Capitis cum pericranii læsione causam existere vult instrumentum quodcumque ita acuatum, ut non modò cutem, sed etiam subjacens pericranium possit dissolvere, ex quacumque demum fabricatum fuerit materia, lapidea nempe, ferrea, lignea, vel alia, sive casu, jactu, aut percussione caput offendens & continuitatem sejungens.

Secundum Helmontiũ, Vvillisium Sylvium, & Cartesianos

§. 7. Eadem *Helmontio*, *Vvillisio*, *Sylvio*, & *Cartesianis* de morborum istorum causis cum prioribus stat sententia, statuentibus nempe, *Contusionem* vel ictu, vel casu à re quadam externa dura & obtusa excitari, unde cute non soluta venulæ vel arteriolę conquassatione dilaceratæ sanguinem profundunt, qui extravasatus, nec in debitas vias regrediens cutem extollit, & pro majori vel minori sui corruptione filamenta membranæ & cutis nervulos plus minus exagitans, vel vehementiorem, vel remissiorem causat dolorem: *Vulnus* etiam Pericranii à re quacumque externa acuta & continuitatem dissolvente fortius capiti illato fieri, unanimiter fatentur.

Juxta nostram sententiam causa Contusionis.

§. 8. *Nostra* ex sententia *Contusiones* capitis aliarumque partium, & inde subsequentes suffusiones sanguinis oriuntur ex causa externa, à contundendo, & ferè eandem cum inflammationibus genuinis habent naturam, in his enim Contusionibus ob evasatum sanguinem vel lympham, vasaque & poros compressa vel lacerata, adeòque sanguinis & lymphæ motum impeditum, oritur tumor & livor partium contusarum. In Contusionibus levioribus & ferè superficialibus non multum effunditur sanguinis, nec fit cum laceratione plurium partium carnosarum & nervosarum; & hæ Contusiones insensibiliter discuti possunt. In gravioribus verò plures contunduntur partes, hinc necesse est, ut suppuratio subsequatur, suppuratio enim nihil aliud est, quam partium contusarum mortificatio. In gravissimis verò cùm maxima laceratione carnosarum & nervosarum conjunctis Contusionibus gangræna oboriri potest, cùm sanguis ibidem hærens, cum reliquis succis circulantibus, facile partibus jam laceratis, & spiritibus animalibus destitutis mortificationem inferre possit. Ipsius verò Contusionis causa immediata assignanda venit nostro judicio confusioni & acrimoniæ spirituum animalium, à qua aliquando vasa rumpuntur. Causa proximior videtur statuenda ipsa Contusio ab instrumento duro, gravi atque obtuso, ipsi cranio & pericranio illata.

Causa Vulnerum Capitis.

Concinnè summus Philosophorum Caput vocat membrum divinissimum, & reliquorum omnium in nobis princeps. Regimen ibi sanctius est Animæ, & ipsius Vice-Regis Microcosmetoris, h. e. spirituum seu succi nervei in minutissimis tubulis in cerebro existentium; statuti ibidem duo illi Animæ divini circuitus, seu ut Tullius dicit, motus animorum duplices, alter cogitationis, alter appetitus; quorum illi sensus, huic motus ancillatur, ut ad omnem nutum præsto sint. Ast etiam hic omne vitium morbosum tantò conspectius in se crimen habet, quantò majus quod peccat habetur. Verissimum est & alterum assertum, hanc licet sensus & prudentiæ sedem, præ reliquis tamen esse imbecilliorem. Visitur id tum aliàs, affectibus capitis hic conspicuis, tum si externis impetatur injuriis: Jam paucis de hujus Microcosmetoris Metropolis vulneribus agamus.

Itaque omnia quæ sunt acuta, quæ admodum dura ac rigida sunt, quæque vim habent incidendi, contundendi, perforandi, meritò sub causarum mediatarum nomine veniunt, qualia sunt sagittæ, gladius, acus, hastæ, dentes animalium, globi sclopetorum, aliaque innumera, quibus cutis capitis dilacerari ac dividi potest. Rarò verò vulnus capitis absque aliquali contusione fieri solet, & cùm ictus vel solutio contingit, fit ut & separetur sensibilis illa membrana pericranii, cranio scilicet imposita, orta à dura matre per cranii suturas exeunte. Quidam eam distinguere solent à periostio cranii, cùm separari possint à perito Anatomico, alii unam & eandem esse membranam contendunt. Causa ergò immediata vulneris ipsius est soluta unitas recens ac cruenta; Intumescentiæ causa est humorum circulantium stagnatio, indicat enim obstructionem circa vulnus adesse.

Prognosis Contusionis

§. 9. Conspectis hucusque satis quæ ad theoriam faciunt, nunc dicenda restat *Prognosis* salutis & mortis. Hoc ab initio notandum, quod Contusiones capitis omnes sint pessimæ; delirant aliquando, & minacib. verbis ac gestib. adstantes invadunt, nec eos agnoscunt, & delirium ad plures durat dies, ceu exemplo *Wedelii Observ.* 7. Dec. Ann. 5. Eph. Germ. constat. Contusio est etiam morbus magnus ratione essentiæ. Contusio gravissima præ ceteris eò pejor, quò majorem concussionem corpori factam notat; magnus etiam intuitu remotioris à statu naturali dispositionis & symptomatum; magnus præsertim ratione nobilissimæ sedis animæ & Microcosmetoris. Juxta *Hippocr. sect.* 6. *aph.* 18. non tantum illa contusio & vulnus est κακὸν seu lethale, quod ad cerebrum ipsum pertingit, sed & quod concutere nimis ipsum, & incolas vitæ authores pessundare potest. Si febris & vomitus adsint, pessimum est. Sic in puero Hanoviensi sutoris filio, qui à sola contusione capitis incidebat post mensem in vomitum, quem comitabantur deliria, tandem accessere convulsiones, & sic Creatori suo animam reddidit; in cerebro post mortem repertum fuit cochleare plenum seri limpidi acris evasati.

Prognosis vulneris Pericranii.

Vulnera pericranii, ut omnium partium membranosarum gravioribus stipata sunt symptomatibus, hinc periculosissima, & ideò prudentem Medicum & appropriata exposcunt remedia. Convulsio seu spasmus in vulnere capitis superveniens pernitiosa est, *elogio Hipp. S.* 5. *aph.* 2. Si, juxta *eundem*, in magnis vulneribus & pravis tumores non appareant, ingens malum. Vulnus cum febre inflammatoria, dolore ac convulsivis motibus, monstri quid alit. Si Pericranium aut Periostium in totum fuerit recisum usq; ad calvariam, minus intendit periculum, quàm si sit ex parte tantùm laceratum. Sic & vulnus capitis punctim inflictum plus habet periculi, quàm quod cæsim factum. In iis, qui Gallico vel Scorbutico laborant morbo, difficilius sanantur vulnera, quàm in aliis, quia in his peccat utplurimum humor acido-corrosivus, vulnerum sanationi apportans impedimentum. Sic & vulnus capitis magis aut minus periculosum est, prout huic vel illi loco capitis parti infligatur. Sic vulnus occipitis ob crassitiem ossis minus periculosum æstimatur, quàm in osse bregmatis, quia ossiculum tenerum & vicinum suturis est. Sic & vulnus temporum, ubi musculus temporalis contectus est periculo, maximè periculosum est, & quia in his locis arteria & nervus læsus spasmum facilè inducere potest, hinc & sæpe ob hujus musculi oppositi contractionem oritur oris tortura. Vulnera capitis quo diutius fuere aeri exposita, eò facilius sphacelantur, quale exemplum habui in milite Hanoviensi, & rustico Hasso. In subjecto caecochymico, & æstivo tempore, vulnera hæc capitis denotant anguem latere in herba. Vulnera venenata sub pelle vulpina ex insidiis suam exercent tyrannidem, quæ ergò segnes Medicos & lenta remedia non expetunt; quare hic momentum temporis est observandum. Pus verò lau-

laudabile & maturum mox apparens, tanquam testis materiæ bene temperatæ Medicum consolatur. Reliqua peti possunt ex capite de Vulneribus in genere.

Cura Diætetica. §. 10. Ordinis vult ratio, ut ad curam, & quidem primò *Diæteticam* nos accingamus. Aer ergò sit temperatus ad calidum vergens, reliquus omnis vitandus angue pejus, & quocumque modo à vulnere arcendus, imprimis acido-nitrosus, utpote qui solus ita destruere potest poros, & succos coagulare, ut gangrænæ aperiantur fenestræ; si enim recens vulnus in momento concludi posset, ut nec aer externus irrueret, nec amplius quid è vulnere efflueret, à natura sola vulgo sic dicta brevi consolidaretur vulnus; sedulò ergò mox tegendum vulnus, inter deligandum linteamine calefacto prius, ut ab aere sic magis defendatur.

Victus sit tenuis, cibus eligatur optimus & talis, qui particulas nutritivas & suaves admodum secum vehat. Potus sit calidus mediocris, cerevisia fæcibus orbata, herbis cephalicis maritata, & pro re nata decoctum cephalicum ac traumaticum prodesse potest: Vini usus nimius interdicatur, conceditur verò in modica quantitate cum oculis Cancri.

Somnus paucus vitetur, quies cordi habeatur.

Animi affectus sint pacati, exulent præ aliis ira, terror, tristitia, spiritibus nociva singula. Hinc adversarii quoque adventus aut præsentia caveatur, ne succi circulantes periculum creent reliquis spiritibus animalibus.

Venus ceu ipsa pestis fugienda, quia cerebrum nimis commovet, & humores stagnare facit: vitetur imprimis in vulneribus capitis risus, cujus noxam vide apud *Hildanum Cent.* 1. *Obs.* 23.

Excernenda promoveantur.

Juxta Galenicos Cura Contusionis. §. 11. Nunc his præmissis ad curam *Pharmaceuticam* nos conferamus, aliorum de ea sententiam prius percepturi, quàm nostram aliis obtrudamus. *Galenici* ergò in *Contusionibus* capitis levioribus imponunt medicamenta, uti dicunt, exsiccantia, qualia volunt esse emplastrum Isis, de betonica, è matresylva, & Gratia Dei: quando verò partes illæ valde sunt tritæ & laceratæ, ut restitui nequeant, sed planè emoriantur, necesse statuunt esse, ut suppurentur, quare ad promovendam suppurationem adhibent unguentum ex resina terebinthina, vitello ovi, & oleo rosaceo: Suppuratis istis partibus accedunt ad detergentia, succum videlicet apii, farinam ervi, fabarum, hordei, lupinorum, quibus admiscent mel rosaceum, & loco affecto imponunt. Si verò ulcera appareant sub contusione cava, incidunt cavum istud transversim, & deterso ulcere ea tandem adhibent, quæ carne ulcus adimplent, qualia sunt pulvis ex thure, iride, aristolochia, panace, farina hordei, fabar. &c. & Emplastrum nigrum Aristæ, aut quod ex Gummi elemi paratur.

Vulneris. In *Vulneribus* capitis cum Pericranii læsione ritè curandis respiciunt tum ad sanguinis aliorumque humorum affluxum, tum ad dolorem, tum ad ipsum morbum seu vulnus. Sanguinis, vel aliorum humorum affluxus, qui causæ internæ rationem habet, si inflammationem suscitat, eam propulsandam vel submovendam volunt, omni studio adhibito, ne sanguis in corpore vel contrahatur, vel jam contractus ad locum affectum affluat, quod impetrare conantur tenui instituta victus ratione, ægro solùm concedentes panem ex aqua madefactum, aut elixum, vel cremorem hordei, aut pulticulam ex pane trito cum succo amygdal. dulc. loco potus verò decoctum hordei cum glycyrrhiza, & in tali diæta ad diem 14. persistere suadent. Pro majori aversione sanguinem vena secta emittunt, & quidem in cubito è regione ipsius vulneris. Purgationem quoque præscribunt, maximè ad evacuandam bilem, quam tantopere in vulneribus credunt noxiam. In tenerioribus clysteres exhibent paulum acriores, sanguisugas ano, & cucurbitas natibus & cruribus applicant. Insimul ne pars affecta sanguinem & humores suscipiat, ei adhibent repellentia, interdum, si opus sit, cum fasciis, quæ tamen ubivis in capitis vulneribus non requiruntur. Inter repellentia ista præ aliis laudant vinum nigrum austerum, cui quidpiam de oleo rosaceo sit immistum, vel medicamentum ex thur. part. ij. aloes part. j. cum albumine ovi subactis, admistis pilis leporinis. Dolor in locis incisis, imprimis teneriori illa membrana pericranio, ut sedetur, instillant oleum rosaceum tepidum, vel sanguinem turturis aut columbæ adhuc calidum, cuti verò vulneratæ applicant vitellum ovi cum oleo rosaceo subactum. Vulnus tandem ipsum, si simplex sit & sine contusione à sola sectione illarum, solam unitatem desiderat, quæ sæpe à sola natura perficitur, & quidem in pericranio interveniente procreatione carnis, ita ut Medico eò solùm sit adlaborandum, ut oræ partis vulneratæ distantes iterùm adducantur, sordes detegantur, & humor carnis procreationi aliàs existens impedimento exsiccetur. Oræ ipsius plagæ non tantùm semel debent adduci, sed adductæ etiam servari usque dum penè sint agglutinatæ, ad quod acu & filo interdum opus est, ut ita alligari possint. His peractis ad medicamenta sarcotica perveniunt, quæ componuntur ex iride, aristolochia, thure, farina hordei, fabar. &c. vel forma pulveris inspergenda, vel emplastri imponenda; quibus subjungunt emplastra catagmatica, & potissimum cephalica, ut sunt Emplastrum de Betonica, de Gratia Dei, Conciliatoris. Denique cicatricem inducunt medicamentis siccantibus & adstringentibus ex malicorio, gallis, cadmia, plumbo usto, squama æris, & similibus.

Paracelsi modum curandi contusiones capitis. §. 12. *Paracelsus* in *Contusionibus* istis capitis externis perungit locum affectum oleo laterino, & posteà ligat cum aceto rosaceo. Laudat etiam tanquam præstantissimum Oleum Hypericonis, ut eo aliquoties illinatur, ita enim sanguinem coagulatum facilè resolutum iri promittit, cui usui & olea vulneraria, balsama, & ex fodicationum emplastris tracta commoda fore testatur.

Vulnera pericranii. In *Vulneribus* istiusmodi capitis & pericranii curandis omnem reiicit suturam, & quicquid ex ovorum pultibus & resinis illis immittitur; eaque per solum nutrimentum vult curanda, ita tamen, ut si jam depravata sint, à fœtore & corruptione repurgentur. In principio mitissimè cum vulneribus istis agere suadet, impositis medicamentis ex vero fundamento compositis, & ab intrinsecis inimicis defendentibus. Linteolum igitur tenue, vel byssinum velum, oleo vel unguento vulnerali & calido madidum superponit vulneri, sic ut fundum ejus tangat, intacta & illæsa pia matre. Olea verò & Unguenta talia sequenti modo parantur.

℞. *Ophiogloss.*
Pyrol. min.
Agrimon.
Diapens. aa. M. j.
Flor. Hypericon. M. ij.
Consolid. maj. coct. M. ß.
Lumbric. purgat. No. C.
Affundatur corpus, seu oleum, & in sole digerantur omnia suo determinato tempore.

℞. *Butyr. maial.* ℔ iij.
Rad. Consolid. mai. virid. ℔ j.
Ophiogloss. ℔ j ß.
Lumbricor. purgator. ℔ ß.
Aristol. rotund. virid. ℥ iij.
Terantur omnia simul in pultes, & postea reponantur in locum frigidum, & si pinguedinem emittant, eam abiicere licet. Poterit etiam soli exponi, vel in fimo digeri, & postea ad usum servari.

Vel

℞. *Resin. laric.* ℔ j.
Ovor. vitell. No. xx.
Contund. simul omnia, fiet inde flavum unguentum, huic impone
Consolid. mai. optimè tritæ ℥ ß.
Aristol. rotund. contus. ℥ j.
Farin. hord. ℨ vj.
Conterantur simul omnia, &
F. Unguentum.

Postmodum sulcum implet medicamento ex herbis & floribus in oleo vulnerali contentis, & prius expressis, postremò fodicationum unguentum superponit, ligatque, donec patiens melius habuerit, & roboratus fuerit, quod in octo vel novem diebus plerumque fieri con-

confidit. Hinc cum patienti feliciter res succedere videtur, oleo balsamino eum curat, quod pluma leniter illinit, & unguentum superponit, tandem fodicationum unguentum sequenti modo paratum adhibet ad finem usque curationis, & omnimodam vulneris curationem.

℞. Ceræ Virgin. ℔ ij.
Picis Græc. ℔ j.
Terebinth. ℥ ij.
Liquefiant igne lento, quibus impone tritæ mastic. ℥ iij.
Carabis flav. ℥ j ß.
Maneant in igne lentissimo quartam horæ partem.
Postmodum accipe
Mum. ℥ ij.
Thur.
Myrrh. aa. ℥ ß.
Aloepat. ℥ j ß.
Trita misce prædictis, & agita semper spatula donec frigescant. Postremò in emplastrum agitentur oleo seu axung. pisc. Aschiæ, addendo camphoræ tritæ ℥ ß. *Serv. ad usum.*

In levioribus autem vulneribus uno solummodò medicamento sine ullo metu procedit. Remedia etiam interna non omittit, potiones videlicet vulnerarias, inter quas sequens aliis præferenda:

℞. Diapens. vel sanicul.
Pyrol.
Centaur.
Beton. aa. M. j.
Consolid. regal. M. ß.
Agrimon. M. ij.
Herbæ hæ omnes indantur canthari clauso, & pultibus bene munito, & aquæ ferventi imposito: Coquantur octo horis per se, vel addita pauca aqua: Liquor excoctus servetur pro usu:

Qui commodior est, quàm si in vino fuerint coctæ, quod in capitis vulneribus potissimum noxium habetur. Ita etiam cibos pro vulneratis hisce parare docet, ut nempe illud, quod pro cibo patienti adhiberi debet, carnes aut gallinæ, in cantharum ponantur, cum aquæ tanta quantitate, quantum juris habere quis velit, additis herbis vulneralibus, atque in canthari obturato coquantur in cacabo fervente aqua pleno, suo tempore conveniente; quem cibum vulneratis hisce retur utilissimum. Si quoque æger tertio die aut paulo diutius à vulneratione de alvi obstructione conqueratur, concedit illa laxantia, suppositoria nempe, & si ista non satis juverint, cassiam fistulam exhibet, aut electuarium ex succo rosarum, aut benedictam laxativam, vel potiones ex decocto folliculor. senæ, polypodii, &c.

Helmontii cura in Contusione.

§. 13. *Helmontius Contusioni* superponit bryoniam albam rasam, & paucis horis cruorem illum resolvi ait in aquam, quam pariter per cutem exigat.

In Vulneribus capitis.

In *Vulneribus* commendat alkalica, & herbas vulnerarias operari docet virtute cujusdam innati alkali; lapidem itaque cancrorum præcellentem existimat, quatenus omnem vulnerum acetositatem corrigit, si cum vino potetur, cùm lapis iste in vino facillimè vim atque saporem lixivii induat, proinde Medicis persuadet, ut vini usum minimè horreant in vulneribus, siquidem eo ipso, ut sapit alkali, vini vires atque proprietatem amittat. Simili modo & alkali è tilia feliciter propinari credit, imprimis colchotar laudat, quod omnem vulnerum corruptorem enecet, uti & sal tartari per spiritum vini rectificatum, donec adstringentem gustum nanciscatur. Solutionem continui mox conglutinari promittit per collam è corio hominis violenta morte & integris viribus perempti. Intereà ab omni influxu lunæ cavere præcipit, cùm iste vulneribus maximopere noceat, putredinem inducat, & Archeum valde irritet.

Vuillisii modus curandi Contusionem capitis.

§. 14. *Willisius* in *Contusione* simplici adhibet discutientia externa, vel forma fotus ex decocto rad. aristol. rotund. polygonat. fol. beton. verben. salv. chærefol. flor. Chamomill. Hyperic. sem. fœnic. lini, lumbric. &c. in vino coctis; vel linimenti ex ol. Chamomill. Hyperic. mucilag. sem. lini, gummi tragacanth. In gravioribus, ubi sanguis extravasatus discuti nequit, venæsectionem instituit, revulsionis gratia, & pro attenuatione & pororum apertione sudorifera medicamenta propinat. Quando verò sanguis ob sui copiam vel crassitiem neque attenuari & discuti, neque in venas resorberi potest, eundem vel suppurari permittit, vel ante suppurationem per scarificationem elicit, adhibitis, si opus est, illis, quæ à gangræna præservant, tandem locum affectum ad sanitatem perducit emplastro de betonica cum succino & mastice.

Vulnera capitis.

Vulnera ut ritè curentur, sedulò vult observandum, ne quid extrinsecum admittatur, quod partem corrumpere, & genus nervosum cum incolis ejus spiritibus animalibus irritare possit; quare omnis aer & imprimis frigidus arcendus, vulnus studiosè obtegendum, & spiritus ad sua munia revocandi sunt, ne nimia copia ad partem affectam influant, & sanationem non modò impediant, sed graviora inducant symptomata; proinde venæsectionem instituit, &, si obstructio urgeat, laxantia adhibet, ne pravi humores cumulentur; subjungit deinde corroborantia & vulneraria, v. g.

℞. Rad. bardan.
Caryophyllat.
Aristol. rotund.
Caryophyllat. aa. ℥ j.
Ireos Florent. ℥ ß.
Galang. min. ʒ ij.
Fol. beton.
Verben.
Salv.
Veron. aa. M. j.
Flor. Hyperic.
Ros. aa. p. ij.
Ebor. ras. ℥ j.
Coq. in aq. font. ℔ iv. *ad tert. part. consumpt. edulc. Syr. de Pæon. & de beton. aa.* ℥ j ß.
Dentur ℥ iv. *vel* vj. *pro dosi.*

℞. Conserv. flor. beton.
Salv. aa. ℥ j.
Nuc. jugland. condit. ℥ ß.
Rad. Pæon. mar. pulv. ʒ iij.
Ligni aloes,
Santali citrin. aa. ʒ j.
Corall. rub. pp.
Margar. pp.
Ebor. aa. ʒ j ß.
Sal. verben. ʒ j.
Syrup. veron. q. s.
F. Opiata; de qua nucis moschatæ quantitas aliquoties assumenda.

℞. Aq. Ceras. nigr. ℥ ij.
Verben.
Aq. ulmar. aa. ℥ j.
Spir. C. C. ʒ ij.
Syr. flor. Paralys. ℥ j.
M. Detur cochleatim.

Externè non omittit promoventia suppurationem eorum, quæ partium vulneratarum unionem impedirent, nec non vulnus mundantia, agglutinantia & consolidantia, qualia sunt Balsamus de Copaiva, de Peru, Ceratum de Betonica, Diadictamnum, Emplastrum Oppodeldoch Paracelsi.

Sylvii cura in contusione capitis.

§. 15. *Sylvius* ad resolvendum sanguinem coagulatum in *Contusionibus*, potissimùm utitur salibus volatilibus, tàm externè, quàm internè, si verò resolvi nequeat, suppurationem promovet, inuncto parti tumenti Unguento Agrippæ, vel de Althæa, cum oleo lil. alb. & imposito emplastro diachylon simpl. deinde loco aperto pus genitum educit, eoque educto ulcus mundat & consolidat Balsamo sulphuris terebinthinato, vel anisato.

In Vulnere capitis.

Vulnera, si omnia prius remota fuerint obstacula, & labia invicem adducta, non ita difficulter externis balsamicis & conglutinantibus sanatum iri confidit; pericranio verò læso, ne spasmum contrahat, ab initio statim aliquid olei destillati ceræ, vel balsami terebinthinæ præcipit instillandum.

Cartesianorum curandi ratio in Contusione capitis.

§. 16. *Cartesiani* ut rectam administrent *Contusionum* capitis curationem, seduli sunt in observandis earum gradibus, aliter tractantes leviorem & superficiariam, aliter graviorem, aliter adhuc gravissimam. In *leviori*, ubi ex venula vel arteriola rupta parum sanguinis effusum leviculum tumorem & dolorem suscitat, discutientia solùm adhibent externa, poros aperientia, & sanguinem ita resolventia, ut facilè exhalet. Fotum ergò applicant ex spiritu vini, in quo rad. polygonat. Symphyt. fol. beton. salv. chærefol. flor. Chamomillæ. Roman. Hyperici, sem. cumini, anisi, &c. macerata sint; vel spiritum lumbricor. calide illinunt, à quo brevissimo spatio omnes suffusiones à quacunque contusione aut verberatione inductas disparuisse observarunt, imprimis si parum camphoræ in eo dissolutum fuerit; vel sequens inungunt Linimentum.

℞. *Vng. de Cynogloss.* ℥ ij.
Alabastr. ℥ j.
Ol. Hyperic. ℥ iß.
d. Chamomill. smaragdin. ℈ ß.
M.

In *graviore*, ubi plures venulæ vel arteriolæ dilaceratæ majorem sanguinis effuderunt copiam, qui stagnando coagulatus attenuari nequit, ad promovendam resolutionem internè aliquoties exhibent sudorifera dissolventia, attenuantia, & poros ulterius dilatantia, ut sic ad exhalationem fortius instigetur; qualia sunt oculi canc. antimonium diaphoret. Sal. volat. C. C. lumbricor. decoctum bardanæ & Sanæmundæ, Tinctura mumiæ, spir. sal. ammoniaci succinat. Sin nullo modo resolvi & attenuari possit, sanguisque aliis liquoribus mixtus corrumpi incipiat, eum ad suppurationem disponunt medicamentis ex terebinthina, gumm. elemi &c. partis; suppuratum verò quantocyus loco aperto emittunt, ulcus mundant, abstergunt, & consolidant emplastro diachyl. & cerato de betonica. In *gravissima*, in qua cutis & musculi variè conquassati, sanguis etiam & reliqui ei immisti liquores corrupti partes subjacentes, pericranium nempe & cranium invadũt, & gangrænam minatur, omni studio malignitati eorum resistunt, acrimoniam mitigant & partes ulterius defendunt, internè Bezoardicis, & sanguinem depurantibus, Electuario v. g. Bezoardico *Ang. Sal.* Diascord. *Fracast.* &c. externè eluendo partem affectam Spiritu vini theriacali & camphorato, applicando cataplasmata ex farin. orobi, lupinor. herb. absinth. scord. rut. cum spir. vin. parata, vel inungendo aut imponendo Unguentum aliquod digestivum mixtum Unguento Bezoardico *Ang. Sal.* &c.

In Vulneribus Capitis & Pericranii.

In *Vulneribus* capitis & pericranii curandis cum aliis se maximè præbent occupatos, ut aeris accessus impediatur, extraneum quodcumque è vulnere eximatur, symptomata præcaveantur & avertantur, labia adducantur & consolidentur. Aeris accessus inhibetur, si vulnus ab inflictione statim obtegatur, & aer ambiens frigidiusculus vel humidus arte corrigatur, accenso igne in fornace vel camino, & fumo ex succino, mastice, gummi animæ, junipero, & similibus suscitato, quo linteum aliquoties complicatum etiam imbuitur & vulneri imponitur. Extraneum quodvis removetur vel instrumentis, vel emplastris ejus ejaculationem promoventibus ex melle, visco quercino, ocul. canc. succino, &c. Symptomata hic potissimũ timenda sunt hæmorrhagia & convulsiones. Hæmorrhagiam sistunt pulveres inspersorii ex aloe, thure, mastiche, farina volatili, &c. vel per se inditi, vel cum albumine ovi agitati illiti. Convulsiones præcaventur antispasmodicis intus & extus adhibitis. Internè dantur Essentia Hyperici & salviæ, cum sp. C. C. succinat. Vulnerii instillatur oleum terebinth. sp. lumbricor. & camphoræ. Labiorum adductio vel sponte fit, vel manibus & emplastris agglutinatoriis. Consolidatio perficitur internè decoctis & potionibus vulneribus ex radic. aristol. rotund. caryophyllat. pœon. visc. querc. vel pyror. herb. betonic. veron. salv. sanic. alchimill. flor. bugul. consolid. regal. anth. cancris fluviatil. lumbric. in aqua communi & vino, addito Syrup. de Symphyt. *Fern.* Hyperic. flor. tunic. &c. externè balsamis & emplastris aliis sanantibus, ex quibus sequens frequentius habent probatum:

℞. *Cerat. de beton.* ℥ j.
Empl. Oppodeldoch. Parac. ℥ vj.
Bals. Peruv. alb. ℥ iß.
Gumm. tacamahac. ℥ ij.
Cum s. q. ol. Ovor. & Hyperic.
Malax. F. Emplastrum.

Emplastrum Diachylon simplex sæpe varia capitis vulnera ad sanitatem deduxisse fuit observatum.

Nostra methodus medendi Contusione Capitis.

§. 17. *Nos* denique, ne illotis manibus curam auspicemur, & periculosam subeamus aleam remis & velis destituti, operæ pretium erit, ut indicationes eruamus, quæ intentioni nostræ velificentur; sufficient autem tres indicationes, quibus *Contusiones* absque vulneribus curandi methodus innititur. Prima jubet, ut sanguis congrumatus resolvatur & discutiatur, quod semper annitendum. Secunda, si nequeat discuti suffusio, & sanguinis ad suppurationem tendat, Medico nimis serò accersito, necesse est ut suppuretur, & abscissus apertus consolidetur eadem ratione ac inflammatio. Tertia graviorum symptomatum medelam urget.

Jam expedita erit via ad curam auspicandam. In Contusionibus itaque sanguis vel serum evasatum & congrumatum resolvatur, quod obtinere possumus per sudorifera congrumatum sanguinem resoluentia; observando simul, ut si suspicio sit partis, præsertim internæ, per Contusionem læsæ, nunc blandè dissolventia, nunc blanda diuretica adjungantur, sanguinem grumosum per dicta loca optimè evacuantia. Sin saltem in externis partibus hæreat sanguis, sufficiunt diaphoretica, sanguinis circulum restituentia, & factam Contusionem corrigentia: præ aliis hic conducit lap. scissilis Anglicus, seu Irlandiæ, Ocul. canc. assumpti, item carbones tiliæ in vino propinati, pulvis contra casum, mumia, sperm. ceti. Sic & conducunt omnia salia volatilia, imprimis liquor C. C. succin. cum Essent. viperin. euporistum nobis remedium. Salia enim hæc volatilia sunt genuina præsidia pro circulo lymphæ & sanguinis redintegrando, pro vigore conservando; diaphoretica enim hæc serum ichorescens eliminant, ut viscosum, torpidum, stagnans volatilisetur & rarefiat, per poros hinc quà nervorum ipsorum, quà glandularum subcutanearum quasi filtretur, sarto tecto servato cursu succorum. Hæc dico non affluxum ad partem affectam abarcent, ut vulgò dicunt, sed acidum coagulatorem corrigunt, in quem finem exhibemus pulverem ad casum, cum Bezoardico & Cinabarinis, ne cerebri alveos gravet amplius lympha, sed magis explicita nitore suo splendeat, spiritusque hinc anteà sopiti, corrigantur & resurgant. Laudamus & in eum finem spiritum Tartari compositum, spiritum theriacalem camph. Liquorem eboris succinat. &c. Essentiam traumaticam cum bezoardica mixtam.

Secundæ indicationi ut satisfaciamus, diuretica usurpanda sunt, ex quorum classe eligamus illa, quæ lympham corrigunt, ejusque ichorescentiam prohibent, & σασιν ad urinarias vias divertendo sic arcent magis, ne febris accendatur vel foveatur, in quem scopum succinata, acidula nitrosa & temperata huc faciunt. Sequens pulvis non erit contemnendus.

℞. *Ocul. pp.*
Succin. alb. pp. aa. ℈ j.
Arcan. duplicat. Myns. ʒ ß.
M. F. Pulvis, qui exhibeatur in aqua chærefolii, vel betonicæ.

Explorata ergò suffusione, & capillis suo loco abrasis succurratur V. S. quæ tamen cautè & cum summa circumspectione celebranda in pede, & eò incumbendum, ut resolvatur sanguis & discutiatur externis, ubi pars læsa diligenter fovenda sacculis consutis ex speciebus cephalicis inferius dicendis, præsertim ex beton. roremar. salv. fl. tiliæ, lil. convall. ros. &c. parat. fascia superposita: conducit etiam spir. vin. camphoratus, vel tartarisatus, vel crocatus. Nos præ aliis comendamus Aquæ Reginæ Hungariæ

gariæ externè livoribus illitam. Geranium, betonica, & serpillum in vino cocta egregii sunt usus. Alii lixivium ex ejusmodi herbis cum vino parant & externè cum successu applicant. Spirit. Sal. ammoniaci cum spirit. vin. tartarisato paratus discutit inflammationes, & præsertim in membranosarum & nervosarum partium contusionibus egregius est. Fotum sequentem applicare jubeo istis contusionibus fausto semper cum emolumento.

℞. *Rad. irid. Flor.*
Aristol. rotundæ aa. ℥ j.
Fol. rorismar.
Salv.
Verben.
Origan. aa. *M.* j.
Beton. cum flor. M. ij.
Flor. sambuc.
Lil. alb.
Rosar.
Chamomill. aa. ʒ ij.
Croci ℥ j ß.
Rasur. succin. ʒ iij.
Dentur incisa & contusa grosso modo,

Quæ coq. in vino, & forma fotus vel Cataplasmatis applicentur Contusionibus. Vel sequens imponatur Emplastrum.

℞. *Herb. Calaminth.*
Beton.
Origan. aa. *M.* j.
Flor. chamomill.
Fol. asari,
Majoran.
Stœchad. Arab.
Absynth. aa. *M* j ß.
Croci ʒ iij.
Cum aqu. & ol. ros. chamomil. add.
Ceræ q. s. F. l. a. Emplastrum.

Huc facit etiam emplastrum contra livorem faciei *Myns.* vel de betonica & sticticum. Balsamus Peruvianus in vitello ovi & spiritu vini dissolutus crebroque applicatus nobilis est, si imprimis partes nerveæ contusæ fuerint: Oleo anisi inungantur suffusiones: Sic & sola bryonia, ad mentem Helmontii in vino cocta, pro fotu loco Contusionis, ubi sanguis hæret, applicata præstans est. Inter specifica quoque referuntur radices symphyti & Sigill. Salom. si vel sub forma fotus, vel Cataplasmatis applicentur; per hæc enim pori cutis aperiuntur, & sanguis evasatus ità volatilisatur, ut iterum aptus reddatur vasa sua ingredi, vel potius per poros egredi. Asterisco hic notandum, quod hæc omnia calidè seu tepidè sint applicanda, aliàs diabolum per beelzebub eiicere frustrà tentabis.

Quòd si verò dictis nequeat discuti tumor Contusionis, seu suffusio dicta, & est gravior, ut ab acido & fibrillæ fuerint ruptæ, & ad suppurationem tendant, nunc suppurantibus maturè promoveatur, hinc abscessus aperiatur, mundificetur, & consolidetur.

Sin tandem adhuc gravior suffusio adsit, & periculum immineat, ne ante discussionem vel suppurationem gangræna superveniat, tunc mox scarificationibus profundis suffusio vulneranda, & sanguis partim grumosus, partim grumescere incipiens eliciendus, postmodum unguentum digestivum cum pauco Unguento Ægyptiaco applicandum, illud quidem ad promovendam suppurationem, hoc verò ad arcendam ulteriorem corruptionem, & occurrendum gangrænæ; sumatur Unguenti Ægyptiaci plus minus, prout major vel minor metus gangrænæ adest: & his remediis suppurata contusio facilè curatur, & per balsamum Sulphuris, vel Peruvianum ad cicatricem perducitur.

Vulneribus Capitis & Pericranii.

In *Vulneribus* capitis, ubi simul pericranium læditur, sequenti modo procedendum esse dicunt Chirurgi nostri. Inter communia præsidia memorari dignissimam censent Venæsectionem, quæ, uti loquuntur, pro præstanda revulsione necessaria est, ut parte dempta exundans sanguis invitetur promptius in vasa, & à natura etiam subigi ac disiici possit magis, neque turbatio sanguinis tam facilè fiat. Sed mea experientia falsum id est, quia semel evasatus sanguis nunquam per V. S. resorberi vel revelli potest. Si quis verò præjudiciis occupatus; educi potest tantùm sanguis pro ætatis & morbi statu ad ℥ ij. vel paulò plus, ad εὐφορίαν, è saphæna pedis.

Sin urgeat seri στάσις, & debilitas organi sensuum, successu temporis pro re nata alia quoque remedia suadenda erunt, imprimis deobstruenda, quæ sero eliminando & coercendo in specie vacant, ut sunt vesicantia. Sed ut propius ad rem accedamus, omnium primò ab aere extrinseco, à frigido scilicet probè defendendum est vulnus, & statim fovendum, ut Microcosmetor vigorem suum recuperet sine ulteriore phlegmone, hoc est, ut circulatio humorum promoveatur. In quem finem quidam commendant pellem arietinam calentem à mactatione, capiti sic calidè applicatam; alii derasis capillis vulnus linteis carptis siccis implent ad sanguinis fluxum sistendum, aerem ambientem hoc pacto à cranio arcendum, (qui aliàs vulneribus capitis valde inimicus existit ob acidum nitrosum suum, quod patet in sanguine per V. S. extracto, & ab aere statim coagulato,) & ad labia vulneris aliquatenus à se invicem diducenda, ut in cranium tantò melius pateat; eò ergò post factum capitis vulnus incumbendum, ut acidum in vulnere temperetur, ac humorum circulatio restituatur; in quem finem emplastrum sequens vel simile imponi potest.

℞. *Emplastr. de beton.* ℥ ij.
Pulv. vitri antimon. ʒ j.
Camphor. ℈ j.
Ol. laurin. ʒ ij.
M. F. l. a. Emplastrum.

Labiis verò vulneris, osse & periostio contecto linteis carptis balsamo Peruviano parùm madefactis, imponatur digestivum. Magna enim sedulitate puris generatio promovenda; quem in finem digestiva dicta mitioribus glutinantibus temperata vulneri imponenda, qualia sunt terebinthina, mel. ros. gummi elemi, thus, mastix, aloes, myrrha, vitell. ovi, cera, Balsamus de Peru, Ol. ovor. Hyperici. Præ aliis conducet sequens balsamus, qui valde acidum temperat.

℞. *Terebinth. Cypr.* ℥ j.
Ol. Hyperic.
Mell. comm. aa. ℥ ß.
Myrrh. ʒ ß.

Liquescant simul, interim Gumm. elemi liquescat serosim, & add. pro justa consistentia ol. ceræ parum: dein fascia non more veterum, sed tantummodò sudarium concinnè applicetur vulneri. Cavendum ab omnibus pinguibus, quia ea particulis suis ramosis poros cranii & tubulos obstruunt, atq; efficiunt, ut humores stagnent ac acescant, & cranii salem volatilem corrumpant: sicque & ab adstringentibus abstinendum, ne sanguinis aliorumq; humorum circulatio impediatur, quæ in inflammatione potius promoveri, quàm sisti debet. Hoc enim asterisco notandum, quod capitis vulnera non nimis citò sunt consolidanda, sed priùs variis sanguis optimè exhauriendus est, & dein vulnus implendum optimo digestivo, & dum vulnus religetur, admoveatur semper vas aliquod Capiti carbonibus vivis impletum, eum scilicet in finem, ut frigus ambientis aeris aliquatenus temperaret; acidum scilicet illud aeris nitrosum.

Sæpe enim necessitas efflagitat, ut vulnus à Chirurgo dilatetur, hinc videndum, num crucialis carnis incisio aut alia melior sit.

Ad succorum restagnationem gangrænam comminantem impediendam, & ad circulationem partis vulneratæ nativam conservandam sequens cataplasma applicari potest.

℞. *Herb. beton.*
Scord.
Rut.
Absinth. aa. *M.* j.
Farin. sem. lini,
Fabar.
Flor. Chamomill. aa. ℥ j ß.
Coq. parum in vino & applic. tepidè.

Quo cataplasmate gravissima vulnera curari poterunt. Hic & conveniunt olea balsamica, salia volatilia oleosa temperata; talia enim acidum pericranio molestum corrigunt, & naturalem cursum succorum conservant, & ulteriorem corruptionem præservando sanationem vulnerum promovent: talia sunt jam dicta, bals. Peruv. &c. Cave tamen, ceu dictum, ab oleis pinguibus, quæ in se habent acidum satis potens, & quæ sunt inimica vulneribus ob unctuositatem poros oblinentem: nec applicentur acria volatilia, detergentia aut mundificantia dicta; ea enim consumunt nutrimentum balsamicum, & dolorem inferunt maximum, præsertim ubi simul pericranium, membrana illa nervea sit læsa, in quibus partibus semper deprehenditur acor magis intensus, subtilior & penetrantior, quàm in sanguineis; major enim sordium copia in vulneribus membranosarum partium solet observari. Notandum hic quoque Chirurgis, ne sæpius mutent medicamina, ne sanguis & humores circulantes plus turbentur.

Interne ad acidum vulneribus contemperandum conducunt omnia, quæ alcali occulto temperato constant, & acida quæcunque aut in stomacho & primis viis, aut in ipso vulnere corrigunt; præprimis in capitis vulneribus oculi canc. cum cinnab. nat. maritati, & sæpius exhibiti; nec negligantur potiones vulnerariæ dictæ: de quibus omnibus, & symptomatum curatione, vide in *capite de Vulneribus in genere*.

CAPUT IV.

De Cranii Depressione, Fractura simplici, & cum meningum & cerebri læsione.

§. 1. IN præcedenti capite egimus de Vulneribus Capitis, ad quæ pertinet Cranii depressio & fractura, de quibus pauca hic tractaturi sumus. *Definiuntur* Fracturæ Cranii, solutiones continui ossium calvariæ. Quoniam verò fracturæ hæ non eodem modo infliguntur, differunt, cùm ratione instrumenti lædentis, tùm respectu solutæ partis. Cranium quasi parva galea dicitur, aliis Calva, nonnullis Calvaria, & est os capitis crassum, rarum, duabus lamellis vel tabellis adornatum, ossibus septem compactum; suturisque veris tribus, Coronali, Lambdoide, & Sagittali distinctum, cerebrum contingens, atque utramque meningem continens. Hujus Cranii fracturarum nonnulli Auctores quinque referunt species, prima ipsis dicitur Contusio Cranii, 2 Rima, 3. Sedes teli, 4. Impressio, seu Introcessio, seu Depressio, 5. Contrafissura. Ex illis tres priores dicuntur simplices. Hic notandum, quòd omnes Scriptores Chirurgici in describendis his affectibus nimis liberales sint, & quod unico folio comprehendere possunt, eo sæpe viginti commaculant: ad quid enim inserviunt ejusmodi imposita nomina?

Fractura quid? *Earum species.*

Contusio Cranii describi potest, quòd sit solutio continui ossium Cranii, juxta minimas particulas solutas, per osseæ compressionem substantiæ, quæ vix ad sensum patet. Hæc contusio potest esse vel in superficie, vel per primam vel utramque tabellam, tum ratione loci in osse frontis, occipitis, parietalibus atque petrosis, in planitie ossis vel sutura.

Contusio Cranii quid?

Rima dicitur vulgò, cùm percutitur os cranii & ob duritiem non cedit, sicque rimam contrahit, fiuntque hæ rimæ vel rectæ, vel partim curvæ, vel latæ, vel angustæ & stellæ instar, longæ vel breves, uno in osse, vel ab uno in aliud per suturam transeuntes, vel fiunt in una, vel in utraque lamella, quædam verò manifestæ in superiore, aliæ occultæ in inferiore, quædam verò inconspicuæ sunt, & manifestantur arte.

Rima quid?

Sedes teli est cranii solutio continui secundùm longitudinem latitudinem & profunditatem teli vel instrumenti lædentis, ossibus in sua ipsorum natura manentibus. Ad hanc speciem refert *Succisio* ità dicta; cùm succisum ità fit os, ut adhuc hæreat aliqua parte ossi sano; item dicitur *Rescissio*, cum penitus ossis fragmentum decidit.

Sedes teli. *Succisio.* *Rescissio.*

Depressio vel *Impressio* propriè est instrumenti ferientis, ergò depressio versus inferiora; & cranii repressio non aliter se habet quàm stannea aut plumbea vasa, quæ casu vel concussione intus cedunt deprimunturque. In senioribus ferè semper fit cum fissura & contusione, quia in ipsis cranium durum, facilè scissile & aridum est, in junioribus ferè absque his fieri potest, fit tamen sæpe cum fragmento pungente membranam, de qua depressione cranii vide Dn. Stalpart. p.m.28.

Depressio.

Quidam & aliam speciem addunt, *Elevationem* scilicet & quæ aliis *Concameratio* dicitur, fitque extrahendo instrumentum feriens, quo læsus fuerat æger, quæ species tamen admodùm rara est.

Elevatio & Concameratio.

Contrafissura verò ea dicitur, cùm cranium alia parte rumpitur, quàm ubi percussum est, de qua & Auctores tres numerant differentias. Prima est, quando fit in opposita parte, videlicet cùm os occipitale percutitur, & frontale rumpitur; aut cùm dextrum bregmatis os læditur, & sinistrumque frangitur. 2. Cùm dextra pars afficitur, & sinistra ejusdem ossis rimam accipit. 3. Cùm superior lamina affligitur, & inferior rimas agit: quam contrafissuram adhuc in dubium vocant Auctores. Sed miror veterum industriam in excogitandis inutilibus nominibus, qui ipsam rem neglexerunt, cùm de contrafissura non amplius sit dubitandum; quod non ita pridem in milite observavi, sed & *Collega meus D. D. Angelocrator* vidit in aliis, qui sequens mihi communicavit exemplum: militi cuidam ex ictu frustum cranii in summa capitis parte separabatur instar vasis, (Germ. *eine Schaal*) quo vase dein miles restitutus utebatur pro ordinario suo vase ad bibendum. Contrafissuram etiam indicat C. Blankardus in Anat. Pract. Obs. 53.

Contrafissura.

§. 2. Quoniam Medicus curam non aggreditur, priusquam cognoverit quæ curanda sint, de *Signis* ergò agendum est. Signa verò solutionis continui in nostro subjecto latent sæpe in profundo puteo demersa, & non aliter, quàm mentis acumine sunt eruenda. Ante omnia ergò scrutandum est, an & quando perpessum est cranium. An passum sit, patet ex eo, si in vulnere capilli reperiantur resecti, signum enim est, solutionem pervenisse usque ad os. 2. Si os conspici possit. 3. Si specillo durities ossis percipiatur, ac sonus audiatur: quæ tamen accuratè observari nequeunt.

Diagnosis.

Osse non detecto, & instrumento obtuso sauciato, si digitis prematur cutis, & inæqualitas denotetur, signum est, os injuriam passum esse. Hisce perpensis, paucis videamus, quomodo certiores fieri possumus, ubi neque capilli sunt resecti, aut inæqualitas animadvertitur; hic interrogandus æger, an oculi caligarint, aut num vertiginem patiatur, num quoque valdè doleat caput? Si omnia hæc affirmat, & accessit injuria illa externa, h. e. si percussus fuerit instrumento contundente, magna vi & impetu, nudo capite, de Contusione ossis suspicamur: postmodum si in ægro cranium depressum videatur, & is dolorem sentiat magis versus interiora, id est, cerebrum, signum esse potest, fragmentum aliquod de interiori lamella abruptum esse pungens duram ac piam matrem; quod adhuc magis apparet, si stupor & apoplexia posteà superveniunt, imò Epilepsia, qua defunctus est cives Limburgensis, festucam talem post mortem cerebro inhærentem relinquens. Sic hoc in affectu sæpe adesse solet sopor, & læditur sæpius ratio & loquela.

In depressione detegatur os per factam crucialem sectionem, quo detecto facillimè cognoscitur impressio, tàm ad inferiora, quàm ad superiora.

Porrò reliqua signa probabilia ac rationalia fracti cranii à patiente desumuntur, si ab ictu, aut ex alto in durum præceps deciderit, & per temporis aliquod intervallum ab ictu, casu, vel occursu sine voce, visu, auditu permanserit: qualia symptomata nuper observavi in milite, cujus cranium gladii ictu ità fuerat percussum, ut non tantùm meninges, sed & ipsum cerebrum conspici potuerit, quare observavi in hoc milite non

non tantùm motum in arteriis, sed tota substantia cerebri videatur se commovere, qui optimè tractabatur à Chirurgo Hanoviensi *Wedling* dicto, ipsum in decimum diem etiam conservante, aderant vomitus, nec de capitis, sed ventriculi dolore conquerebatur; decimo die manè visitabamus hunc ægrum, & reperiebamus ipsum in terra, & horribili adspectu cernebamus substantiam ipsius cerebri hinc inde ad parietes hærentem, cerebri enim substantiam nobis præsentibus & invitis sibi ipsi ex capite depromebat & proiiciebat; soporosus demum undecimo defunctus est die, & quod mirum est, miles hic post acceptum vulnus milliare pedibus emensus est, non deligatus nisi linteo, (*Schnuptuch*,) & nunquam deliravit, quod aliàs signum verum est fracturæ cranii, ubi simul meninges læsæ fuerint. Alium novi, aurigam Hanoviensem, qui de curru in terram decidit absque vulnere vel insigni contusione, sed statim delirare incipiebat; ob ętatem nimis provectam, annum enim sexagesimum excurrebat, nullum trepanum admisit, & sexto die mortuus est; post apertionem invenimus cerebrum totum sphacelatum cum fissura cranii.

Medici etiam est inquirere instrumenta, num fuerint magna, dura, mollia, gravia, acuta, rotunda, aut obtusa. Si magna, & vires vulnerantis multæ, læsionem magnam indicant; cùm dura sunt, quibus læditur, aut incidit magno impetu, fracturam cranii esse magnam denotant; si sunt gravia, rotunda, obtusa, significant simul adesse magnam contusionem, fracturam, vel impressionem. Sic etiam Medici est perscrutari, num instrumenta lædentia recto tramite in caput impulsa, vel ex obliquo. Si recto ductu, magna vi, signum est fracturæ. Ex arte sequens sumatur signum: ponatur ferula sub utraque parte maxillæ, manducando eo loci, quo ruptura latet, dolorem & quasi strepitum percipiet patiens: ratiò est, quia cranium globi simile formatum, dum musculi temporales huic firmissimè adhærent, & in manducatione abbreviantur, distractionem patitur; quo fractura illis propior musculis, eo certius experimentum. Vel detur patienti clavis, ut eam dentibus fortiter admordeat, vel dentes cum ea parùm pulsentur, si inde dolor oritur in parte, in qua ictus accidit, denotat fissuram cranii adesse. *Paræus & Hoferus* dant ægro extremitatem chordæ musicæ vel fili serici dentibus apprehendendam, cujus alteram extremitatem capit Chirurgus, illudque extendit instar chordæ, & tunc filum illud vibrat, ut fiat motus tremulus in illo filo, ut sonum edat; ab ea vibratione si sentiatur dolor, significat hoc cranii fissuram adesse: quæ omnia signa sæpius fallacia reperi. Ante omnia ergò in vulneribus capitis perpendendum, an post ictum, vel plagam, vel lapsum patiens in animi deliquium incidat, an vomuerit, an mens ipsi constiterit, quæ symptomata denotant sanguinem aut in cerebro, aut in meningibus esse evasatum. Si quoque febris & deliria absunt, significat sanguinem nondum esse turbatum nec inflammatum cerebrum.

Tandem de contrafissura lis inter Medicos & Chirurgos est; nonnulli negant talem dari rimam, alii verò affirmant, nos experientia instructi eam statuimus, ceu superius diximus: existimamus tamen illam facilius posse in adultioribus fieri, ubi ossa fuerint sicca & dura, & inter sese firmissimè compacta & connexa; hanc tamen certè non cognosci posse credimus, nisi hariolari velimus ex responsione ægri percussi, dicentis, ipsi visum esse, quòd alio loco rumpebatur cranium, quam ubi percutiebatur; deinde ex dolore, mollitie, tumore in loco contrafissuræ, & manducatione, si ibidem dolorem sentiat; nullum tamen horum certum esse cum *Hippocrate* statuimus.

Causa secundum Galenicos.

§. 3. Causæ secundùm *Galenicos* sunt telum durum & ictus vehemens, tum ipsa habilitas ossis, ratione cujus alterum altero facilius diffringi aut retrocedere potest; crassius enim majorem præbet renisum, quam tenujus, durum quàm molle, solidum quàm duplicatum, aut suturis dotatum, multa carne obtectum, quàm pauca; ita os illud calvariæ, quod frontem inter & verticem est, tenuissimum & infirmissimum, pauca admodùm & tenui carne obtectum, præ aliis obnoxium videtur fracturis, fissuris, aut retrocessionibus, & homo in ea parte calvariæ læsus majoribus subjacet periculis, & difficilius curatur. Post hoc, os temporum quoque infirmissimum est, tum ob commissuram maxillæ cum eo, tum quatenus & majori vena & arteria concomitatur. Os sincipitis aliis robustius tam facilè ab ictu, casu, aut vulnere non læditur, & homo citius ea parte vulneratus mortem evadit. Ratione etiam ætatis & temperamenti ossa variant; in infantibus, junioribus, & fœmellis tenuiora sunt quàm in viris, & senibus; in humidioribus, quàm in siccis. Proinde tenuiora facilius lædi posse concludunt, etiam à re non adeò dura, aut vehementi percussione; dura autem non nisi à re valida vehementiori impetu illata.

Secundum Paracelsum

§. 4. *Paracelsus* similiter casum vel ictum agnoscit fracturarum harum causam, à quibus sæpe contingat, ut pelle, nervis, & crebro illæsis, sola ossa capitis rumpantur, quæ tamen per vulnera instrumento acuto facta, simul discindi posse nullatenus abnuit.

Helmontiū, Vuillisium, & Sylvium.

§. 5. *Helmontius* easdem morborum horum causas admittit cum prioribus; uti & *Willisius*, & *Sylvius* iisdem sine tergiversatione ulla adsentiuntur.

Cartesianos

§. 6. *Cartesiani* non minus causam remotiorem ponunt rem quandam externam duram, ictu vel casu capiti vehementius illatam, in mollioribus & junioribus citiùs depressionem, in senioribus autem & fortioribus fracturam inferentem, adeò ut ipsa ossis dispositio causæ proximioris vicem hìc obeat, quæ ob filamenta, è quibus ossa cum reliquis corporis membris sunt composita, faciliùs modo uno findi volunt, quàm alio, aut oblique etiam frangi, cùm easdem adhuc fibras retineant, postquam induruerunt, quas habuerunt sub forma membranarum & cartilaginum.

Ætiologia nostra.

§. 7. Ex *nostra* sententia causæ sunt omnes externæ ad infortunium pertinentes, uti sunt ictus, casus, occursus, & quæcunque ad hęc tria referri possunt solventia Cranii continuum; hinc vel oritur apertio vasorum tum sanguineorum, tum lymphaticorum, & per consequens, sanguinis & lymphæ evasatio, quæ evasatæ portiones statim Microsmetore suo destitutæ putrescere incipiunt, quare paucæ guttæ puris vel sanguinis sub cranio quàm celeriter hominem necare possunt; sic & varia externa ibidem per ictum vel plagam sub cranio inflicta, varia illa in fissuris cranii excitare possunt symptomata atrociora. In contrafissura ab illisione vehementi in cranium, aer internus ita concutitur & adaugetur, ut aer cerebrum pervadens, nullibique exitum habens, vi per oppositam partem erumpat, & fissuram concitet.

Prognosis.

§. 8. De *Prognosi* nunc aliquid addamus: ante omnia asterisco hic notandum, nullum capitis vulnus esse negligendum aut parvifaciendum, quia ex minimo vulnere maxima prodeunt symptomata, & sæpe per longum tempus sopita latent, prout sæpius observavi. Deinde, Fracturæ cranii sunt periculosissimæ, non tamen illas pronunciamus per se lethales. Symptomata accedentia, uti febris, delirium, vertigo, stupor, &c. periculum majus reddunt, imprimis si post aliquot dies demum accedunt, maximè cum horrore & frigore; exinde enim patet, cerebrum ac meninges aut cranium esse corruptum. Certiores reddimur, cum labia vulneris pallescunt, depressa fiunt, nigricant, flavescunt, generatio puris suppressa; aliquid si prodit, fœtidum olet, & aqueum & nigrum ichorem fundit vulnus. Ubi os denudatum nigrum conspicitur, pessimum est, & si delirium & vigiliæ ob inflammationem magnam & humorum stagnationem in cerebro accedant, lethale, imprimis si patiens cacochymicus sit; si sensus externi aboleantur, & motus peristalticus sistatur, ut nulla excrementa, tàm crassa, quàm tenuia, excernantur aut sponte effluant, mors instat, uti in iis, quibus in lingua pustulæ oboriuntur, & qui desipientes fiunt, & motus accedunt convulsivi, de ipsorum salute actum esse absolutè pronunciamus.

Salutaria verò sunt signa, ubi hæc symptomata non accedunt, & in curatione pus laudabile prodit, & tandem incarnatio sicca cernitur.

§. 8. Cura *Diætetica* consistit in legitimo usu sex

rerum

Cura Diætetica. rerum non-naturalium, in foro Medico hactenus receptorum. Aer ergò sit bene temperatus, si non natura, fiat arte; illud præprimis dum vulnus est detectum, notandum, ne subitam patiatur mutationem, præsertim ab aura frigidiore, ostiorum aut fenestrarum apertione. Deinde cavendum, ne lumen radiis suis recto tramite in ægrum incurrat.

Quod cibum attinet, victus sit tenuis primis diebus, posteà sit lautior & liberalior.

Dein ægrum quamvis mente sanum & compotem, quietum esse convenit. Quod somnum & vigilias concernit, patiens dormiat 7. aut 9. horarum spatio de nocte, si fieri potest. Sic & conducet semel aut bis de die alvum habere laxam.

Tranquillum esse animo, & sanationem exoptare patientis est; hæc si natura negat, arte procuranda: tristitia & mœror absint, aliique animi affectus vehementiores, præ reliquis autem ira & excandescentia quævis.

Cura Pharmaceutica, & Chirurgica secundum Galenicos. §. 9. Jam ad ipsam *Curam Pharmaceuticam & Chirurgicam* transeamus, unde ægri plus levaminis sentiunt. *Galeni* in *Depressione* Cranii, ad os tollendum utuntur lamina quadam ænea, aliquantum resinata, & ea parte, qua membranam cerebri spectare debet, admodum lævi, ne illam lædat, sed potius defendat, quare & μηνιγγοφύλακα eam vocant, quæ ut ossi depresso commodè submittatur, ei aditum faciunt scalpro quodam acuto, adeò solicitè & circumspectè adhibito, ut solummodò os loco convenienti discindatur, intacta & integra permanente membrana. Interdum cucurbitulam applicant loco depresso cum magna flamma & scarificatione, qua frequentius adhibita os depressum similiter attolli fuerunt experti.

Ut autem partium Cranii *fractarum* coalescentiam in infantibus, & accretionem per callum in ętate provectioribus promoveant, naturæ suæ succurrunt cum cibis succi crassioris, boni tamen & glutinantis, tum amovenda impedimenta agglutinationem istam irritam reddentia, adhibitis medicamentis siccantibus & detergentibus, pulvere nempe ex radicibus iridis, Aristolochiæ, far. hord. fabar. thure, &c. vel emplastro quodam catagmatico, de Gratia Dei, Isis, vel simili. Si verò vel pars aliqua ossis fracti acuta membranam cerebri pungat, vel in osse fisso plurimum sanguinis hæreat, ea per trepanationem eximenda præcipiunt; de cujus administratione inferiùs, ubi nostram curandi rationem aperiemus, prolixiùs sumus discursuri.

Curatio secundùm Paracelsum §. 10. *Paracelsus* etsi ferramenta & quævis instrumenta aliàs parvi faciat, cùm veræ Mumiæ permittat quodcumque naturæ contrarium elicere, ut natura ipsa fissuras & fracturas per se curet, in *Depressione* tamen Cranii concedit aliquando instrumentum aliquod concavum, quo os subsidens erigatur, maximè si cum fractura jam sit conjunctum; de novo autem instrumento fracturam in osse adhuc integro curationis gratia instituere, tam facilè nemini suasurus. Quin ipsis in *Fracturis* tractandis præcipit, ne nimia Chirurgus se oneret cura, cum vulneribus medicamentis ritè adhibitis, & parte debitè ligata, postmodum quilibet viscus vel consolidæ nigræ, vel aristolochiæ rotundæ, vel serpentinæ rupturas optimè curet, manè & vesperi non adeò strictè superligatus, singulisque vicibus apertis ligaturis recens & calidus appositus. Accidentia, & inter illa inflammationem præcaveri posse statuit, si rupturæ istæ singulis diebus bis ligentur pannis mundissimis, & optimum instituatur regimen, admixtis, si sanguis intus fuerit coagulatus, purgantibus cibo & potui, parata decoctione hordei cum rhabarbaro, vel radicibus hirundinariæ & folliculis senæ, ut modica terebinthina, in cibis autem decocta mumia vel rheupontica. Unguentum vulnerale hoc in casu valde conducens sequenti modo proponit:

℞. *Axung.*
Butyr. aa. ℔ j.
Liquor. parthenionis,
Consolidæ aureæ
Maj. aa. vertonem j.
Serpentariæ,
Plantag. aa. vertonem ß.
Omnia commixta simul decoq. ad Unguenti formam. Huic adde
Visci lumbricor. ℥ v.
Medull. bovis ℥ iij.
Mumiæ nostrat. ℥ j.
Ceræ q. s.
Reduc in Unguenti formam.

Vel

℞. *Ceræ novæ* ℔ j.
Sal. parthenionis,
Mumiæ medullæ aa. ℥ iij.
Liquefac igne, F. Emplastrum.

Curatio secundùm Helmontium. §. 11. *Helmontius* meditationibus suis hac vice alio distractus, & circa irritationes & excursiones Archei in ordinem componendas nimiùm occupatus, de operationibus Chirurgicis debitè administrandis non adeò est solicitus, cùm arcanis suis tantum fidat, ut omnes morbos superare valeant, nulla hujusmodi crudeli adhibita medicina; quare in quavis etiam fractura radicem symphyti & lapidem osteocollam omnibus istis præfert chirurgiis, cùm Archeus iisdem placatus & ad officium vocatus, ipsemet sanationem istarum fracturarum quovis artifice melius & accuratius perficiat.

Willisium. §. 12. *Willisius* in *Depressione* curanda iis sententia sua accedit, qui cucurbitula eandem restituere tentant, in graviore tamen trepanationem instituendam permittit illis, qui per experientiam necessariam sibi in ea conciliarunt encheiresin; sicuti & *Fracturam* curandam vult ossium fractorum ad invicem repositione, & particularum agglutinationem eorum impedientium remotione per eandem, si opus sit, trepanationem, &, ne sanguis extravasatus inflammationem pariat, instituta insuper venæsectione; postmodum quæ fracturam consolidare valeant, externa imponit emplastra vulneraria, ab aliis Authoribus jam indicata.

Sylvium. §. 13. *Sylvius* præter istiusmodi à præcedentibus jam notata remedia, sua etiam in hisce affectibus adhibet salia volatilia, sanguinis congrumationem resolventia, & indè facilè exsurgentem inflammationem impedientia & corrigentia, in sananda tamen fractura à superiorum methodo observanda, ne passum quidem unum vel alterum secedere videtur.

Cartesianorum modus curandi Depressionē. §. 14. *Cartesiani* in *Depressionis* curatione debitè instituenda advertunt differentiam inter simplicem in infantibus frequentius contingentem, & eam, quæ cum fractura conjungitur. Depressio simplex, juxta illos, desiderat cranii partis recedentis elevationem, & sanguinis evasati & congrumati resolutionem. Elevatur & restituitur os depressum, tum emolliendo locum affectum externis fotibus aliquantum spirituosis, ut lamella vel pars depressa flexilis reddatur, ex herb. beton. majoran. chærefol. verben. fol. rorismarin. summit. absinth. flor. chamomill. salv. hyperic. sem. anisi, carvi, pulv. lumbric. far. sem. fœnigr. fabar. & simil. in vino, vel lacte decoctis; tum alliciendo spiritus, ut ii fortiùs influendo cranium mollius repellant, & in formam pristinam reponant, vel inspergendo pulverem ex rad. aristol. rotund. valer. visc. quern. tacamahac. succin. vel imponendo emplastrum ex Gum. elemi & heder. vel etiam sequens:

℞. *Lap. hæmatit. in pulv. redacti* ℥ ß.
Pumicis,
Sem. cumini,
Summit. absynth.
Furfur. commun. aa. ʒ ij.
Ceræ novæ adhuc sordidæ,
Mell. commun. aa. ℥ j.
M. ad ignem F. s. a. Emplastrum.

Sin ista imbecilliora reperiantur, applicant loco raso cucurbitulam cum flamma, ut ita non modò alliciantur spiritus, sed externæ etiam particulæ secundi elementi ex cucurbitula per flammam expulsæ, eamque ambientes, cranii partem circa depressionem intus premant, & ita elevationem partis depressæ promoveant. Sanguis congrumatus ut resolvatur, reposcit spirituosa, volatilia, & poros aperientia, superiùs

in

in Contusione jam notata, vel si discuti nequeat, per aperturam cranii est eximendus, & si succus lacteus nutritius ei immistus suppurationem minetur, illa per debita medicamenta, ex superioribus itidem cognita, est promovenda.

Fracturam. In *Fractura* operam adhibent, ut rectè dignoscatur, vel dissecando integram cutem, vel vulnus angustius dilatando. Quando verò nondum certi fieri possunt, attamen suspicio de fractura adest, emplastrum ex cera citrina recenti, thure, santalo, farina fabar. & terebinth. capiti toti raso imponunt, quod trium dierum spatio super fractura, si qua adest, siccius & diminutum magis erit, quàm locis aliis. *Fissuram*, si opus sit, aperiunt, ut noxia eiiciantur, & si ex fractura particulae osseae abruptę meningi periculum moliantur, nec sponte eiiciantur, quod tamen saepe fieri norunt, ea per trepanationem studiosè eximunt. Posteà balsamicis suppurationem promovent, symptomata gravia per commoda remedia mitigant & avertunt. Si membrana cerebri, vel ipsum etiam cerebrum corrumpi appareat, foramini indunt mel rosaceum cum Bals. Peruv. & guttul. aliquot ol. cerae & terebinth. illudque implent filamentis eidem balsamo intinctis. Confecto pure & vulnere sufficienter mundato, ad fracturae consolidationem progrediuntur, impoto sequente vel alio emplastro conveniente.

℞. *Herb. beton. sicc. & pulv.* ℨ v,
Rad. Aristol. rotund. ℨ iij.
Gum. elemi ℨ vj.
Tacamahac. ℥ ß.
Mastich. ℨ j.
Ol. Hyperic. ℥ j ß.
Succ. beton. ℥ j.
Cerae citr. ℥ ij.
M. F. super igne s. a. Emplastrum.

Nostra morbis hisce medendi methodus. §. 15. Nos, ut curatio benè instituatur, recordemur similiter differentias nostrarum solutionum, nam aliter Contusio, & dissecta cutis, aliter si laesio ad pericranium & ad os ipsum pervenit, sanatur. De Contusione jam diximus priori capite. Ubi verò os passum est, quod ex signis praecedentibus ritè examinatis patet, capilli abradendi sunt, vulnus si adsit, lege artis curetur. Explorato ergò probè vulneri, quum simplex sit citra ullam cranii fracturam, cum Contusione tamen insigni, duplici solet succurri modo, vel stuppa cannabina albumine ovorum imbuta replendo hiatum, ad hujus aliquam deductionem sistendam hęmorrhagiam, & arcendum humorum effluxum, quem in finem pulvis stegnotico-cephalicus stuppae jam dictae inspergi potest, & quidem sequens:

℞. *Pulv. fl. balaust.*
Spic. Indic. aa. ℥ j.
Succin.
Mastich. aa. ℥ ß.
Amyl. ℨ j.
M. Dentur pro usu.

Vel deterso prius sanguine Empl. de Beton. Stict. Croll. de Gumm. Heder. vel Opodeldochi imponi potest; partes etiam vicinae ad defensionem majorem illini possunt ol. rosac. Myrtin. Castor. &c. Pars quoque laesa assiduè fovenda ob membranosas partes & spiritus refocillandos, imprimis verò ad humores extravasatos discutiendos, ut natura sibi vias inveniente recipiantur in vasa, mittantur in loca excretioni dicata, atque sic exhalent, adeoque in ichorem purulentum non facessant; ad acidum imprimis temperandum, fomenta parari possunt ex herbis cephalicis cum vino coctis & sacculo inclusis, singulis horis alternandis, fascia desuper posita, ut ritè haec contineantur, imprimis ille fotus hìc conducet, cujus mentionem in praecedenti fecimus capite. Cumque in vulneribus cum Contusione sanguis extravasetur, qui non in pus abi, sed serum è poris ichorescens, una cum disruptis fibrillis in pus transit, huic etiam ad consolidationem vulneris aptandum est *digestivum*, quantum quidem partis constitutio admittit, quo nomine Unguentum digestivum ordinarium ex terebinth. aquae beton. lota, & vitello ovi tanquam basi, parari potest, additis pro re nata thuris, mastich. ac myrrhae portionibus pauculis, cum gr. j. vel altero Camphorae, linteis conceptis cranio substratis applicandum, quod mirificè acidum temperat, hinc Chirurgis solenne esse solet.

Tacemus hic splenia pro fasciatione sublevanda, neque opus est seorsim mundato ulceri adhibere *sarcotica*, satis est, naturam sic adjutam staminibus fibrosis circulationi succorum succurrere, interventu liquoris nutritii partem divulsam reunire, ut ita, fibris, coarctatis, coalitus perfectus fiat, & cicatrisatione demum vulnus sigilletur tempore legitimo Cerato vel Emplastro nostro Divino, ob vires egregias ita dicto.

Occasio si praesens esset, & vires aegri permitterent, secandam esse venam dicunt, sed quo, quaeso, successu? dein enema exhibendum praecipiunt; nam saepe oboritur motus peristalticus inversus à vomitu, (qui etiam recensetur inter signa si non fracti cranii, saltem concussionis cerebri,) & sic alvus redditur adstrictior; pessimum est, hoc in affectu habere alvum adstrictam, exinde enim saepe inflammationes cerebri aliaque mala exsurgere solent; admonent autem alvum lenientia Gasteranacem; hoc est, spiritus intestinis existentes, sui officii; possunt ergò in robustioribus ea exhiberi, & in delicatioribus Enemata optimè exequentur idem, meatus laevigando, scybala stagnantia provocando. Horum effectum citiorem, praeter levamen capitis, non modò alvus, sed & vesica exigit, ob vicinitatis & texturae consensum stimulanda; ut glandes & suppositoria cùm officinalia, tùm usualia domestica non tangamus.

Effluxione humorum sedata & prohibita, sequenti die incidere cutim & detegere os convenit. Inciditur cutis trigona vel tetragona sectione. Sectio trigona sive triangularis est, cùm ab uno puncto tres exeunt striae: tetragona, cùm duae scissurae sese mutuò intersecant; ita ut ex trigona tria, & tetragona quatuor prodeant labia: sed lex haec non accuratè observanda, sed Chirurgi industriae committatur sectio. In sectione verò ritè animadvertendum est, quòd semper incipiendum sit à parte inferiori, nam à superiore parte si incidatur, saepe haemorrhagia chirurgiae est impedimento: incisio fiat novaculae mucrone, circa manubrium & aciem linteo ità convolutae, ut nil nisi mucro appareat, premente manu; si unà cum cute inciditur pericranium, diligens & attentus Chirurgus esse debet, ne secando & premendo, si os forte valde ruptum, duram laedat meningem.

Si malum verò intensius est, & ex omnibus symptomatibus perspici potest, aegrum absque apertione cranii curari non posse, imprimis si fissura jam innotuerit, quae etiam cognosci solet ex imposito cataplasmate ex farina fabar. capite raso; hoc, ubi non sunt fracturae, exsiccatur, secundùm ductum verò fissurae non exsiccatur: similiter ex dolore, quando aeger nucleum cerasorum dentibus frangat.

Trepanatio quando instituenda. Igitur ad Trepanationem accedendum esse existimo, haud inscius, esse anceps & periculosum remedium, saepiusque mortem comitem sibi adsciscere, attamen salutarem effectum quandoque praestare potest, si tempestivè & causa bene cognita, viribus ęgri suadentibus, celebratur. Non verò hic audaces imitandos censeo Medicos seu Chirurgos, qui statim ad hoc anceps confugiunt remedium, absque notitia causę, cùm sanguinis congrumati portiunculam educere volunt, quod tamen fomentis primis diebus calidè sępe applicatis obtinere possint. Illam proinde non nimis citò adhibendam suademus, nisi certissimum adsit indicium de magna evasati sanguinis vel puris quantitate, sub cranio latente, & nullo alio modo, nisi per hoc remedium eximenda: ne hanc toties repetendam esse ac narrant de Philippo Nassavio, qui trepanationem à Chirurgo Chadborn vigesies septies sustinuit: vid. histor. apud *Dn. Stalpart. Observ. var.* 8. aut quando instrumentum feriens, aut aliqua ejus portio sub eo remanserit; sic nuper cuspidem hastę in cranium ad duram matrem immissam Limburgi ope trepani extractam observavi; sic & Viennę globulum plumbeum cum restitutione ęgri exemptum vidi ope hujus Trepanationis reme-

remedii; fragmentum de interiori tabula abruptum, cerebrum pungens, exemit *Wedling* Chirurgus ille Hanoviensis. Hęc & alia non aliter possunt discuti nec eximi, quàm ope hujus remedii: quapropter Trepanatio hæc minimè aut contemnenda, aut prorsus negligenda, & è foro Chirurgico releganda, cùm juxta *Celsi* præceptum, *anceps præstet, quàm planè nullum experiri remedium*. Trepanatio hæc in quibusdam locis maritimis, v.gr. in Bretagne prope Vitry, in locis maritimis Galliæ, adeò vulgaris est, ut levi de momento illam instituant, ex.gr. in diuturno capitis dolore, hemicrania, &c. & quacumque plaga levi, & ex centum qui curam hanc sustinuere, ne unus moritur; hinc rustici ibidem malunt capite vulnerari, quàm aliis in locis, quia faciliùs possunt curari, circa alias partes vulnera facta non adeò facilè curari solent. E contra Parisiis, vel locis proximioribus Champagne, &c. non feliciter instituitur Trepanatio, nam omnes ferè moriuntur: hinc mihi persuadeo, quòd non in aere cardo hujus rei vertatur; sed quòd Parisiis cautiùs mercentur, & in ferè desperatis instituant, illi verò in robustioribus leviter afflictis. Sæpe tamen ipsam frustrà applicari, ex sequenti patebit casu. Filia 20. annorum equitis Cassellani de scala in terram ruit in occiput, nulla apparebat contusio, nullus tumor, tertio die delirare incipit, dein sopor succedit: Chirurgus noster castrensis expertissimus *D. Christianus Hoffman* depressionem calvariæ suspicatus est, & omni ope ipsam elevare annititur, sed frustrà: sexto die moritur, cranium aperiebatur & circa suturam lambdoideam inveniebatur fissura, & infra duram & piam matrem intra falcem reperiebantur 3. vel 4. cochlearia plena evasati sanguinis, quò impossibile erat penetrare, & sanguinem tunc evasatum eximere. Sic & nuper aliam aperiebamus, ubi in cerebro circa ossa temporum maxima sanguinis evasati copia inveniebatur; quid ergò in his casibus profuisset Trepanatio? Hinc magis æstimarem pręter fotus externos, injectiones in cerebrum per nares, in quem finem sæpe felici cum successu & absque Trepanatione, sequenti liquore plures restitui possunt.

℞. *Aq. Veron.*
Spir. vin. parum,
Tinct. Castor.
M. pro injectione.

Sic &, quod notandum, si in venam cruralem animalis cum syphone infles halitum, statim animal morietur, & si post mortem aperias abdomen, spectabis interna jucundo cum spectaculo sanguine rubicundissimo distenta minima vasa sanguifera capillaria. Infuso certo liquore acido in hanc venam, omnis sanguis in vasis erit instar sanguinis cocti duri, quod in secandis cadaveribus tibi certè erit arcanum, nec facilè propalandum.

Quare Trepanatio instituatur.

Finis trepanationis est, ut sanguis extravasatus, nec exitum inveniens, educatur, sanies & pus collectum evocetur, & consequenter utrobique putrefactio meningum, ipsiusque cerebri substantiæ futura præcaveatur, dura meninx à dolore intenso, ac inflammatione ex superincumbentis ossis vel alius instrumenti ferientis particula diffracta & pungente, metuenda vindicetur: & præprimis considerandum est antequam ad hanc accedamus trepanationem, quomodo os læsum sit: si nihil passum videatur, instilletur atramentum tenue, tegaturque linteo triangulari vel quadrangulari, prout incisio erit, oleo parum madefacto, maneat 5. vel 6. horis tectum, posteà denudetur & leviter detergatur; si rima aut contusio adsit, reperiemus atramentum imbibitum ab illis, abradatur donec nigredo deleatur, aut ad secundam laminam perveneris, tuncque perforandum est. Ubi verò fissura cranii ampla & dehiscens apparet, atque materia purulenta in qualitate requisita effluit, trepanatione non opus est. Jam verò si in fractura cranii rima non adsit patens, nec abunde detur exitus saniei, quæ quotidie magis magisque congeritur & accumulatur, periculosissima secum ducit symptomata mortem subsecuturam minantia, tunc omninò os excidere & perforare oportet, nisi syphone exsugi possit, quo plures Chirurgi uti solent.

Sed difficile est cognoscere, adesse rimam cranii, in iis casibus, ubi læso cranio integumenta exteriora contusa, non verò disrupta aut dilacerata sunt, adeoque ad ipsam fissuram oculis penetrare non licet; quod tamen aliquatenus conjicitur ex tinnitu aurium, vomitu, vertigine, oculorum caligine & febre, quæ si quarto die, uti utplurimum tempore æstivo evenit, ingravescant & exacerbentur, fissuram penetrantem adesse indicant, de quibus in signis superius egimus.

Trepanum quibus partibus constet.

Instrumentum Trepanum dictum constat ex duabus partibus, *ima*, quæ vertitur, & *superiore*, quæ vertit. Ima quæ vertitur, *modiolus*, est ferramentum cavum teres, imis oris serratum, quatuor lateretenus exhibens prominentias aliformes acutas, inferius depressas, mox diductas; illi si intus per trochleam adaptatus fuerit clavus tenuis ferreus in acumen desinens, trepanum *mas*, si hoc caruerit, *fœmina*, clarioris distinctionis ergò dicitur. Superior illa pars, quæ vertit, est terebræ manubriolum in modum vulgaris formatum, in quod modiolus intruditur; quare in istius confectione non aliud evitandum, nisi nimia moles, pondere modiolum aliàs fortiùs depressura. Norimbergenses hodie hoc instrumentum affabrè norunt fabricare. Figuras qui desiderat, illas *in Ephem. Germ.* apud *Fabr. ab Aquapend.* & *Scultel. Chir.* eleganter expressas cernet.

Trepanatio quomodo perficiatur.

Ipsa operatio hodie sequenti modo celebratur, & quidem hisce in oris, cui operationi sæpe adstiti: Removetur primùm omnium ab osse terebrando pericranium, ne id dolore cum insequente inflammatione afficiatur; mox si necessitas jusserit, labia vulneris dilatantur, ne ab instrumento tacta sanguinem fundant, aut doleant, sed modiolus commode in gyrum circumduci ac volvi possit. Operienda autem sunt, abjecta omni cunctatione, labia illa vulneris diducta linteolis calidis vel siccis, vel in vino rubro expressis, quæ Galli siccis præferunt, ad aeris frigus ambiens arcendum, aliaque symptomata præcavenda. Posteà in manus sumitur modiolus major vel minor, pro usu necessitate urgente; isque primò *mas* loco convenienti, h.e. decliviori, ut viam paratam sanguis evasatus vel materia purulenta promptiùs sequatur, apponitur, & sinistrâ manu leniter in situ firmatur, dextra manubriolum tenente circumducitur, eousque, donec vestigium manubrioli in osse leviter excavatum sit; tunc remoto clavo medio, nempe trepano mare, fœmina sola rursus vestigio impresso inseritur & circumvolvitur. Interim pro scobis osseæ abscedentis copia modiolus quandoque attollitur, itemque planè exseritur, & vel oleo rosaceo inungitur, quo expeditiùs circumgyretur & scobes decidant; sic enim qui fabrilia opera tractant, serras suas lardo vel alio unguine illinere solent. Inter agendum & aquæ rosaceæ quidam immergendum esse statuunt modiolum, ne vel attritu nimiùm incalescat, dura enim & solida omnia si rapidiùs circumferantur, incalescunt; aquosa verò & frigida, tanquam in omnibus affectibus ossium & nervorum inimica, potiùs omittenda esse putamus. Sic & os, quod modiolus attigerit, vel aer afflavit, squamas semper remittit, ad quam desquamationem celeriùs promovendam adspergi solent pulveres ex bryonia, Ir. Illyr. aristoloch. &c. nec vi squamæ hæ detrahendæ sunt.

Quamprimùm ita perforata fuerit lamina cranii prima, & ad meditullium perventum, statim sanguineæ exstillabunt guttulæ, quibus perspectis cautè mercandum est, ac leniter adigendus modiolus, nam post meditullium sese offert altera lamina vitrea tenuis; magna ergò cum circumspectione modiolus circumrotari debet, donec osseam portionem, quia vacillare incipit, vel non renititur, ferè excisam persentiamus; tunc enim vecte exiguo inter labia excisi ossis immisso, & aliquantulum illo dimoto, frustulum osseum volsella arreptum aufertur, ac asperitas orarum ossearum instrumento lenticulari lævigatur, & quæ subsint asperitates, quæ meninges, dum ad cerebri motum attolluntur, lædere & pungere possunt, accurate detrahendæ sunt. Operatio hæc cum trepano nunquam supra ipsas suturas instituatur, ob imminens lethale periculum, quod duræ meningi ibidem cranio adhærenti, inducitur. Quod si verò accidat, ut fissura ex ictu vehementiori facta, per mediam suturam sagittalem tendat,

dat; hinc non in uno, sed utroque latere cranium excavandum esse Itali docent Chirurgi, ut ex utroque latere pus vel sanguis corruptus meliùs effluere possit; quod verò, meo judicio, periculo non vacat

Exempta itaque ope Volsellæ portiuncula ossea per trepanum separata, orisque foraminis facti circumrosis & instrumento lenticulari lævigatis, cum cautione id quod intus latet eximendum, sanies vel sanguis purulentus aliquantulum effluere permittitur, nisi is sponte egrediatur. Patiens, ubi vires & sensus hoc permiserint, jubetur naribus labiisq; compressis buccas fortiter inflare, hoc enim conatu meninx dura non nihil elevatur, & sic puri exitus magis patet. Postmodum duræ meningi prospicere debemus, impediendo scil. aeris exteriùs ambientis accessum, & eam ab acrimonia purulenta ac inflammatione vindicando per medicamenta acidum absorbentia: quare post factam Trepanationem admovendi sunt plumaceoli subtilissimè cultro ex linteo derasi, (gossypium enim partes rigidiores habet,) ad imbuendum & siccandum saniem & ichores: dura meninx si aliquam ostendit materiam collectam, ut pus aut cruorem, instilletur gutta una aut altera sequentis liquoris, ut acidum illud corrosivum temperetur.

℞. *Aq. Hungar.* ℥j.
Mell. rosar. ℥ß.
Theriac. ʒiß.
Myrrh.
Aloes aa. ℈j.
M.

In os cranii pulvis aspergitur, qui vim habet acidum acre corrigendi, ut myrrh. aloes, mastich. sarcocoll. herb. sabin. rad. irid. &c. olea enim ob acrimoniam potiùs omittenda esse existimo. Ubi labia & os conjunguntur, applicandæ sunt turundæ leviter sequente digestivo illinendæ, & ex lana confectæ.

℞. *Vitell. ov.* No. 3.
Croci ℈ß.
Terebinth. ℥ß.
M.

In nulla præsente aut sequente inflammatione, Emplastrum de betonica convenit. Porrò omnia comprehenduntur ista ligatura à Sculteto descripta, habente octo labia, duo ligantur in nucha, sub mento reliqua. His tamdiu utendum, donec pure absumpto periculum inflammationis cessaverit, & omnia ad unguem sint sicca, quod in aliis citiùs, in aliis tardiùs contingit. Tandem ad Sarcotica & Epulotica transimus, &, ut sæpius monitum, non nimis citò hæc capitis vulnera consolidentur, sed priùs omnis sanguis bene exhauriendus est. Inter sarcotica & epulotica laudatissima habentur Ungu. Basil. de beton. Ungu. desiccativum rubr. Ungu. aureum, quæ additis pulv. rad. symphyt. irid. aristoloch. mastich. myrrh. supra duram matrem imponi debent: ad cicatricem verò exteriùs inducendam soli hi pulveres inspergi, & filamenta sicca applicari possunt, quia hęc omnia acidum acre demulcent, & ita accedente succo nutritio dulci, vulnera ipsamet sponte coeunt.

Durę meningi ruptę succurrere soleo seq. vel simili pulvere.

℞. *Myrrh.*
Aloes,
Mastich.
Sangu. dracon. aa. ʒj.
Croci opt. ℈ß.
Sarcocoll. ʒß.
M.

In membrana denigrata frigore externo vel contusione, cùm jam gangræna laboret, omnia medicamenta volatilia conducunt, spirit. vin. camphorat. cum Diascorb. vel Aquæ calc. viv. cum camph. Si nigredo adsit, nec ullis aliis superari potest medicamentis; uti possumus Ungu. Ægyptiaco. Si ad summum pervenerit, parum spei superest.

Curatio Sedis. Hisce bene perspectis, nunc paucis videndum, quomodo *Sedes* curanda. Sedes si adeò ampla, ut materia in duram meningem collecta, aut quid simile methodicè purgari possit, perforatione seu trepanatione minimè opus est; oræ tamen abradantur, ut Contusio aut Fissura, si inconspicua, manifestetur. Contusio modo jam dicto curetur, ubi tamen, ceu superiùs diximus, probè notandum, ne nimis citò curare conemur: nam si aliàs fragmentum aut squama discederet, superincrescens caro erit spongiosa, os ab acido corrodetur, & inflammatio orietur: si non, germinante carne sicca obtegatur os, fissura cum sede conjuncta, quæ per sedem ejicitur, abradatur, & curetur cum sede; ubi rima verò occupat decliviorem sedis locum, ut exonerare se neget, aut eò medicamentis non liceat pervenire, in fissuræ inferiori parte perforatione opus est.

Impressionis. In *Impressione*, quarta Fracturæ specie, cujus dum hæc scribimus exemplum habemus in puella 3. annorum de scalis in terram ruente, nullo præsente aut urgente symptomate, ne quidem sectio cutis requiritur, contingitque sæpe in pueris; hinc ter vidi hunc affectum curatum, dum Chirurgus solis pilis cum cute in altum tollebat ægrum, & sic elevabatur cranium, quod similiter succedit, si applicentur vitra vel cucurbitulæ calefacta cuti, & sic elevare sæpius possumus cutem cum cranio depresso. Si cranium ita depressum est, ut inde cerebrum patiatur & sopor superveniat, & jam dictis cranium elevari non potest, ea perfici potest vel Emplastro ab *Hildano* Cent. 2. Observ. 5. pueris utili depicto, & senioribus *elevatorio cent. 2. Observ. 4. & in Ephemerid. Decur. secund. Ann* 1. *Observ.* 91. demonstrato. Tales enim Depressiones, præsertim in infantibus in partu vel ob transitus angustiam, vel ob capitis insolitam magnitudinem, vel obstetricis incuriam factæ, facile curantur, ceu dictum, opposito statim emplastro tenaciter adhærente, sicque attolli debent, vel per cucurbitulam vel instrumentum corneum elevari. Elevato cranio, & naribus excitantibus, aceto scil. lavendul. ruth. &c. subditis, sopor si non minuitur, de fissura inferioris laminæ & congregata in duram meningem materia suspicamur, solo tamen meo judicio ad perforationem non devenirem, quoniam hæc est Contra fracturæ species, de qua *Hippocr.* testatur, quòd nulla re eam juvare queas.

Cura in depressione coniuncta cum Fissura vel Sede. *Depressione* conjuncta *cum Fissura* vel *Sede*, osse denudato intueri conamur, num cerebrum passum sit, ita à fragmento pungente adhuc patiatur. Fragmentum pungens si inveniatur, omni opera membranam juvare tentes; si non lædat, separetur vi naturæ: deinde num fissura aut solutio instrumento lædente facta, trepanatione indigeat; si requiritur, l. a. instituenda, oræ resolutionis abradendæ, & si cerebrum premunt, instrumento elevatorio in Ephemerid. jam dictis descripto, elevandæ.

Cura in sinu læso. *Sinu læso*, qui vix sine suturæ vulneratur lęsione, quia sub sagittali & lambdoidea latent, sine patientis habita ratione aut loci, suturam aperire licet, nam læsis sinibus hæmorrhagia adeò est vehemens, ut sisti nequeat, nisi medicamentis obstruentibus sequenti modo.

℞. *Pulv. aloes*,
Myrrh.
Thur.
Pil. lepor.
Amyl. aa. ʒj.
Vitriol. Ungar. ℈j.
M.

Inspergatur vulneri, & plumaceolum albumine ovor. imbutum, & per pulverem tractum imponatur, ut defendatur ab inflammatione & dolore.

In Contrafissura. Quod *Contrafissuram* attinet, cùm nihil certi ex signis habere possimus, & illam plures Chirurgi & Medici contra experientiam negent, hinc & in cura nulla alia observanda quam ea quę diximus de Fractura cranii: si quis tamen hoc in casu quidpiam tentare velit, ei cautè cum incisione incedendū esse judicamus, & cavendam membranę detectionem, ne famę suę maculam inurat.

In Inflammatione. *Inflammationi* meningū succurritur spirituosis & volatilibus, ut humoribus liber motus iterum concedatur, & stagnatio tollatur, sicque tandem sanguis per sudorem dissipetur. Cùm verò sanguis aliquo modo est incrassatus stagnando, conducunt medicamenta incidentia, & deobstruentia, simulque ejus acrimoniam temperantia; internè & externè ęger assumere potest omnia,

omnia, quæ diximus in Contusione, aliarumque partium inflammationibus: sic & reliquorum symptomatum hic sæpe acidentium curationes peti possunt ex suis capitibus.

CAPUT V.

De Calvariæ Gumma & Exostosi, Cerebri Fungo & Siriasi.

§. 1. RESTANT aliquot Capitis affectus, quorum pars adhuc Calvariam, pars autem ipsum Cerebrum & Meninges occupare fuerunt observati, atque tum evitandæ nimiæ prolixitatis ergò, tum quòd, ut priores, non solùm externas violentas, sed potissimùm internas sui agnoscant causas, in priori Capite commodè tractari recusaverunt, quare peculiare hoc ipsis tribuere opus habuimus.

Gumma Calvariæ quid? *Guma* igitur, vel *Gumma*, aliis *Gummositas*, nonnullis *Gummi*, notat tumorem vel tuberculum durum, plerumque indolens. *Gummi Calvariæ* describi potest, quòd sit tumor Calvariæ pericranio adhærens ex alimenti partis proprii alteratione & corruptione, vel & seri, vel succi nervei p. n. evasatione, vel humorum stagnatione, obortus. *Helmontius* vocat Luis Venereæ Tubera ossibus velut æqualia.

Exostosis quid? *Exostosis*, vel *Nodus*, vel *Callus* ossis, Germ. *Vberbein*, dicitur Calvariæ ossis eminentia & extuberatio, à materia crassa & spissa glandulosa oborta; & potest dici nodus vel callus osseus, si in cranii fracturis denuo conglutinatis genitus, in nudis illis sedibus extra ossium superficiem extuberet & foris promineat. Tumores hi omnes Lue Venerea affectis solennes esse solent.

Fungus Cerebri quid? *Fungus Cerebri* est excrescentia tuberosa carnea mollis & albicans; ex dilatatione aut laceratione membranarum cranii, vel violenta luxatione post vulnerationem producta.

Siriasis quid? *Siriasis* dicitur à Sirio Astro, quod ægros instar caniculæ urat, & tempore hoc potissimum hic affectus oboriri soleat. Dicitur & *Avicennæ* Erysipelas cerebri, aliis Καῦμα, *Foresto* Adustio infantum, Deustio, Ustulationes infantum, Distillationes infantum, Ardor capitis; Febrilem capitis infantum fervorem alii nominant, alii Apostema sitibundum, tam ob febrem, quàm sitim comitem: Germanis *Das Blatfallen schiessen*, meliùs *eine Entzundung am Hirn und Hirnhautlein der Kleinen Kinder*, quia affectus hic infantibus & pueris familiarior quàm adultis est: annon hæc nomina magis confundunt Tyrones quàm docent?

Describi potest, quòd sit inflammatio cerebri & membranarum, quam insequi solet febris ardens & memtotius corporis, siccitas & inappetentia, à particulis sanguinis & seri acribus & acidis stagnantibus membranas rodentibus, scindentibus & pungentibus oborta. Hic affectus oritur ut alius partis inflammatio.

Pars affecta. §. 2. *Pars affecta* horum affectuum est Calvaria & Cerebrum cum partibus his adjacentibus.

Siriasis in specie locus affectus, ubi malum hæret, dicitur à Medicis *Fontanella*, atque infantibus pars ea est, quæ ad commissuram coronalis & sagittalis est, quæ membranosa reperitur & mollis, locus hic membranosus ab Anatomicis Fontanella, ceu dictum, vocatur.

Diagnosis. §. 3. *Gummata* Calvariæ ex eo *cognoscuntur*, quòd sint tumores duri, tactui renitentes, interdum dolentes, maximè verò indolentes in ossium cranii medio enati, & incumbunt immediatè periostio. Hic affectus solet noctu præsertim in lue Gallica laborantibus dolorem osteocopum gravissimum inducere; imò sæpe ossa subjecta erodunt & cariosa reddunt.

Fungus cognoscitur ex mollitie, rariore textura & albedine pedetentim incrementum capiente, & membranis ferè semper adhærescere solet, & hic sæpe in membranis cranii radices habet suas.

Cognoscitur *Siriasis*, quando in sincipite appareat fovea, propterea quòd ob ardorem inflammationis membranæ in Fontanella subsident, & talem foveam efformant; adest etiam in hoc affectu cavitas oculorum, febris quoque ardens & continua affectum hunc comitari solet, pallor quoque & sæpe cum rubedine faciei ab inflammatione dependens conspicitur. Ventriculus etiam in consensum rapitur, hinc deficit appetitus, quem insequi solet diarrhœa cum doloribus & vigiliis.

Causa secundùm Veteres Gummatum. §. 4. Ætiologiam horum morborum quod attinet, *Veterum* sententia est, *Gummata* oriri ex succo nutriente calvariæ à sanguine communicato nimis glutinoso & abundante, & membrana pericranii læsa, unde in parte nutrienda ob membranæ istius defectū non satis detinetur, sed extra illam protuberat, & affectum hunc tumidum producit.

Exostosis. *Exostosin* oriri statuunt post fracturam cranii à materie callū producente superabundante, quapropter ille non modò succrescat, sed etiam ultra cranii amplitudinem excrescat, & nodum hujusmodi prominentem exhibeat.

Fungus. Cerebri. *Fungi Cerebri* causam derivant tum à materia flatulenta, tum ab humoribus cerebri corruptis, atque post fractam & exemptam aliquam portionem calvariæ circa plagam affluentibus, instar fungi concrescentibus, tanta aliquando magnitudine, ut etiam extra cranium emineant, similique modo propullulare dicunt, quo in stirpibus arborum humores semiputridi per corticem extuberantes in fungos coalescunt.

Siriasis. *Siriasin* seu inflāmationem oriri existimarunt à pituita vel à pituitoso sanguine putrescente, sicuti *Sennertus* scribit; causam hujus mali proximam alii pituitam, alii bilem esse statuunt: verùm cùm inflammatio sit, à pituitosa simpliciter materia esse non potest, neque etiam bilis sola in infantibus facilè, præcipuè in cerebro, colligitur; verùm consentaneū est esse sanguinem pituitosū putrescentem, qui dum putrediné incalescit, biliosus quodammodo evadit. Consentiunt & alii. Inter causas remotiores referunt res Naturales, & potissimùm istas sex ad constitutionem Corporis nostri maximè necessarias, & proinde à communi Medicorum secta ita dictas; temperamentum infantum calidum & siccum, ætatem tenellam ejusmodi inflammationibus facilè obnoxiam. Inter Nonnaturales culpant aerem calidiorem & æstuantem, & ideò hoc problema habet *Alex. Aphr.* Cur infantes æstate siderantur? quod vulgus æstu laborare eos dicit. Inter Præternaturales omnes accusant febres, vigilias nimias, dolores, dentionem, convulsionem, acores, favos, scabiem capitis subitò exsiccatam vel retropulsam, percussiones & casus.

Secundùm Cartesianos causa Gummatum & Exostosis. §. 5. Pergimus ad *Paracelsum*, qui *Gummata* & *Exostoses* hasce *Glandulas* & *Naptas* appellat, easque ex nutrimenti cranii liquoribus originem capere docet, dum digestionem ejus separatio præcessit, hinc in formæ suæ substantiæque separationem etiam transit, ex qua postmodum naptæ proprius locus oritur & generatio, quæ cùm in aliis membris iisdem similis sit, ità & hic liquorum, à quibus provenit, similitudinem recipit, & in cranio osseam substantiam monstrat.

Causa Fungi. *Fungum cerebri* similiter excrescere statuit ex nutritivo humore à reliqua cerebri substantia separato, & ob cranium perforatum in cerebri substantiæ similitudinem extra illud abeunte.

Causæ Siriasis. *Siriasin* modò à sulphure exaltato, modò à sublimatione mercurii oriri putat, & quidem dum hic in infantibus potissimùm, ab astris exagitatur, & vel solus, vel cum sulphure unà accenditur, & membranas cerebri pungit, urit & vellicat.

Helmontii sententia de causa Gummatum. §. 6. A *Paracelso* proximus gradus est ad *Helmontium*, qui de morborum horum causis interrogatus respondet, *Gummata* produci à mucilagine ossis cranii, cui pro alimento destinabatur, inspissata, è corpore suo resoluta & denuò coagulata.

Exostosis. *Exostosin* autem oboriri à liquore alimentari ex osse calvariæ injuriato depluente, ideoque ossis duritiem eā mentiri, quamvis in lue venerea ut plurimum cū carie, nihilominus de ossiali coagulo participantem.

Fungi. *Fungum* excrescere vult à fuligine quadam ex humido natali spermatico per fracedinem sui resolutionem meditante, unde vapor & exhalatio, & tandem Gas excitatur & calor, qui fungosam illam fuliginem extrudit, sicque protuberantia ista cerebri

bri quandoque ultra cranium foraminatum enascitur.

Siriasis. *Siriasin* ab Archeo impetum faciente & propria quadam thymosi se accendente deducit, dum vel à calore externo, vel à spina quadam interna exagitatus, & hostem illum expellere nitens, hujusmodi in membranis cerebri excitat incendia, teneros infantulos non modò ad extremam salutis lineam, sed ipsam etiam in mortem sæpè conjicientia.

Vvillisii opinio de causa Gummatū. §. 7. *Willisius* omnes hosce morbos à liquore nerveo nutriente copiosiore & ichori tenaci implicato, nec non partium eundem suscipientium peculiari quadam dispositione produci statuit: & quidem *Gummata* à succo isto viscidiore ichoroso, & pororum cranii in loco isto dilatatione, ut per illos facilè transire possit, unde fit cum portione nutrimento cranii destinata crassiores & viscidiores partes simul eò ferantur & cranio agglutinentur, sicque sui aggregatione cumulum aut tuberculum gummosum efforment.

Exostosis. *Exostosin* ab eodem succo & sanguine nutriente, atque à natura illum circulante pro calli generatione ad cranium vulneratum misso deducit, quatenus foramen illud majusculum majorem copiam recipit, & succi illi faciliorem fluxum nacti auctiori quantitate allabuntur, quare spiritus animales copia obruti, nutrimentum commodè distribuere & adaptare nequeunt, sed callum in majorem molem excrescere permittunt.

Fungi. *Fungi cerebri* causam statuit eundem liquorem nutritium ob læsam aut dilaceratam meningem liberius spatium adeptum, atque ob hoc cerebri substantiam non modò expandentem, sed etiam per accretionem quandam ultra membranam spongiosam istam protuberantiam aut excrescentiam constituentem.

Siriasis. *Siriasis* oritur ex ejus opinione, dum sanguis circa partem aliquam membranæ cerebri collectus, in circuitu suo præditus & stagnans, phlogosin quandam excitat, unde membrana illa valde pungitur & vellicatur, potissimùm quando serum minùs dilutum ei immiscetur, à quo sanguis ille valdè effervescit.

Juxta Sylvii principia causa Gummat. Exostos. & Fungi. §. 8. Juxta *Sylvium* causa horum morborum hæret in sanguine nutriente, qui dum plures partes tenaces ad cranium per minimas arteriolas transmittit, quàm opus fuisset, istud protuberare facit & *Gummata* fiunt; quando verò post fracturam sanguis nutriens copiosior callum majorem reddit, quàm fieri deberet, & ille minimùm ultra cranii superficiem prominet, ita *Exostosis* oritur; deniq; si per vulneratam membranam duram idem sanguis nutriens halituosior cerebrum aliquando propellit & auget, tumor ille pronascitur, quem *Fungum* appellat.

Siriasis. *Siriasin* deducit à bile acriori cum sanguine evasato & circa meningem cerebri crassiorem stagnante effervescente, cui se & acidum aliquod volatile acre aliquando immiscere solet.

Secundùm Cartesianos causa Gummatum. §. 9. *Cartesianorum* sententia est, *Gummata* produci à particulis nutrientibus chylosis aliquantum spissioribus viscidis, per Calvariam anteà ab acido quodam acriori nonnihil corrosam, adeoque brevioribus, rectioribus & patentioribus poris præditam, exudantibus, & mediante quiete ejusdem extremitati adherentibus, & prominentiam illam gummeam referentibus.

Exostosis. *Exostosin* ab iisdem particulis crassioribus terrestribus commistis oriri dicunt, quæ calore intus agitatæ ad fracturam cranii pro callo generando appellunt, & sola quiete tanquam glutino fortissimo compactæ, sibi invicem adhærent; dum verò adhuc in motu sunt, & fortiores particulæ ad priores impetuosiùs irruunt, hæ ab illis protruduntur aut si jam quiescunt, nec aliis cedunt, aliquod tamen adhuc adest spatium, per quod aliæ transire possint, nec à duriore corpore impediantur, illæ altiùs assurgunt, donec tandem & ipsæ moveri desinant, sibique per quietem connectantur, sicque exoritur protuberantia illa ossea.

Fungi. *Fungum* à succo nutriente cerebri excrescere statuunt, dum dura meninx lacerata eum detinere nequit, sed intra illam, vel etiam supra illam protuberat, qui exhalantibus spiritibus laxum hunc tumorem producit, & si quando aliæ particulæ peregrinæ ab aere se eidem intermisceant, vel æther subtilis magis hostiles inferat, fit ut sæpe corrumpatur, & in cancrum aliosve morbos abeat malignos.

Siriasis. *Siriasis* secundum illos oritur à particulis acidis acribus membranas cerebri pungentibus, & ab evasato sanguine diutiùs circa easdem commorante, & per diuturniorem illam moram corrupto productis, unde ob vellicationem istam ingens dolor, & ob turbatam mistionem in succis & sanguine febres excitantur; quæ causæ proximiores à remotioribus aliis, errore videlicet nutricum in diæta, & aere ambiente fervidiore, aliquando citiùs deduci possunt in actum.

Nostra sententia de causa Gummatum. §. 10. *Nos* existimamus, Tubercula calvariæ ortum suum habere ex alimenti partis propriæ alteratione & corruptione, coagulando in talia gummata indurati & ex ichore putrido viscoso, & acido ex glandulis & nervis evasato, & sic obstructionem pariente coacervato; acidum enim in lympha, ut & in alimentari depravato succo hospitari solet, quod partes indurat, vasaque & fibrillæ nerveæ tunc à viscido hoc ichore obstruuntur, hinc spiritibus denegatur aditus ad hanc partem, & propter hunc spirituum defectum lympha & sanguis minùs fluxilis, crassior, minùsque temperatus existit: & cùm spiritus ubique lymphæ & sanguini permisceri debeant, & providè artifex Deus ter O. M. plures nervos deduxerit, ut copiosos advehant spiritus, non mirum, si illis parciori copia accedentibus humor quivis adhuc crassior evadat, & partes subsistentes acescant, & cùm quotidiè acidiores evadant, serum, cui suus motus ordinarius est, incrassant, quo poros glandularum vel aliarum partium offerciente ac distendente, stagnatione diuturniore indurationem & scirrhosum tumorem oboriri necesse est.

Causa Exostosis. *Exostosis* causa est ferè eadem, & oritur hoc tuberculum ossis ex sui psoprii alimenti alteratione & corruptione, indeque paulatim facta coacervatione & stagnatione; quod ut in carne à cute & tunicis denudata accidit, ita hic in ossibus ob periostium abrasum ab ipsis aliqua in parte, vel exesum, evenit; siquidem succus nutriens ossium expullulans, quem periostia quoque cohibere intra ossa solent, forisque illis affigens, iisque adnascens, & ab acido in duritiem hanc osseam coagulans, nodos illos quasi osseos parit; sic fractis & abruptis ossibus, ex ipsorum fracturis succo luxuriante, callus, qui ea rursum jungit & conglutinat, natus, si ultra ossium superficiem excrescat & nodi instar præmineat, exostosin talem efficit: quod verò accidere solet in lue Venerea ex alia causa ossa ita deformante.

Causa Fungorum. Causa *Fungorum* membranarum cranii est violenta dilatatio aut laceratio membranarum, vel laxatio, ex his enim læsionibus humor iste nutritivus, vel chyli, vel lymphæ nomine veniens, elabitur, dein retinetur & stagnat, exinde generatur talis caro mollis, rara & luxurians, simul tamen corruptionem & aliquam coagulativam acescentiam concipit, hinc & fiunt ejusmodi fungi aliquando cancrosi, aliquando ob vim acidam corrosivam.

Causa Siriasis. Causa *Siriasis* ut & aliarum inflammationum existit, sed non ita intensa, aliàs vera esset phrenitis, sanguinis vel aliarum acrium particularum circa membranas cerebri stagnatio: sanguis enim ita subsistens denuò non vegetatur, hinc Spiritus, utpote agilissimæ particulæ, vinculis suis liberatæ inque libertatem assertæ, tenues exhalant in auras, & dum amicè membranosas partes afficiunt, accedentibus verò heterogeneis jam recensitis crassis particulis, fiunt pori maximè inæquales, ita ut huic poro heterogenea particula, huic vicissim porus alius minimè respondeat; per hos æther rapidissimus dum agitur, aliter fieri nequit, quin per poros viam sibi faciendo materiam subagitet, & concitatiùs latus æstum excitet. De quibus fusiùs vide *caput de inflammatione in genere*.

Prognosis Gummatū. §. 11. Tubercula illa *Gummata* dicta maximè periculosa sunt, quia membranaceis partibus inhærent, & facilè ab illis non tantùm membranosæ hæ partes sphacelari possunt, sed & subjecta ossa cariosa redduntur. Pessimum signum est, quando à lue venerea hic affectus obortus est, indicat enim acidum luis venereæ acre circa has partes sibi imperium rapuisse, quod sæpe in specie ossa exedere solet, & nervearum alimentum cor-

corrumpit, & coagulando non solùm in gummata indurat, sed partes vicinas erodẽdo facilè ad ulcera perducit.

Si callus ossis nondum est confirmatus, bonum est, si si verò est firmatus, sine fractura non potest curari. *Exostoses* sunt difficillimæ curatu. Sic & *Fungi* membranarum cranii post vulnerationem nati occultum in sinu gerunt acidum, quare facilè degenerant in cancrum; ob corruptum etiam nutritivum humorem ægri in tabem labuntur, prout in textore Spangenbergensi observare licuit. Quò firmiùs hi fungi partibus membranaceis inhærent, eo difficiliores sunt curatu, & quo majores & ampliores illi sunt, eo periculosiores. Vide de his *Hildan. Centur. 1. obs. 15. & Scultet. obs. 17.*

Siriasis gravis & acutus est affectus, interque peracutos refertur, raròque ac difficulter curatur, intra triduum plerumque interimit, teste *Hipp.* A. 50. S. 7. quibus cerebrum sideratum, intra tres dies intereunt, si verò hos superaverint, sani fiunt. Cùm enim nobilissima corporis pars Cerebrum cum membranis afficiatur, quæ plures alias nobiliores partes in consensum rapit, mediantibus scil. spiritibus animalibus; præterea cùm in tenella ætate tanti vigoris non sint spiritus, qui violento hosti possint resistere, simulque alia concurrant symptomata & multa gravia, v. g. convulsiones, gangræna & sphacelus, phrenitis; non mirum, spem in angusto esse. Si tamen in tempore huic affectui succurratur aptis remediis, in paulo adultioribus & robustioribus malum hoc posse profligari non dubitamus.

Cura Diætetica.

§. 12. Cura *Diætetica* consistit in legitimo rerum illarum in foro medico hactenus toleratarum non-naturalium usu. Aer hìc sit temperatus, victus tenuis; corporis & animi motus nimios, imprimis iram, aliasque caveat animi passiones: reliqua peti possunt ex priori capite.

Veterum Curatio Gummatũ.

§. 13. *Curationem Pharmaceuticam & Chirurgicam* in *Gummatibus* Veteres ità aggrediuntur, ne ulteriùs capiant incrementum; victum instituunt tenuem, venem secant, & aliquando medicamentis purgantibus humores superfluos evacuant, externè locum affectum aqua modicè calida in minima quantitate perfundunt, ut emolliantur, & emollita tubercula postmodùm faciliùs expellantur, quam expulsionem modica frictione promovere student. Si verò tenaciora sint, ea adhibent, quæ in *Exostosi* ulteriùs conferre putant, videlicet si recens illa, per commodam delegationem & compressionem excrescentiam istam reprimere & imminuere tentant, induratam verò linimento ex oleo, sale & nitro perfricant, & malagma aliquod digerens imponunt, vel semen sinapi cum ficu, & strictiùs ligant. Si nec ità superari & imminui valeat, aperta cute scalpris eam deradunt, aut etiam terebris excidunt.

Exostosis.

Fungi.

In *Fungo* cerebri curando similiter pro avertendo humorum influxu laxantia adhibent, aliquoties injectis enematis, deinde fotum instituunt ex herb. & flor. beton. salv. rorismar. majoran. flor. chamomill. melilot. ros. sem. fœnigr. anis. sacculo inclusis, & vino & aquæ communi incoctis; post fotum caput diligenter linteis abstergunt calidis, & fungo pulverem inspergunt ex rad. aristol. rotund. Irid. Florent. angel. caryophyllat. lign. Guajac. flor. salv. rorismar. summit. majoran. &c. tandem emplastrum imponunt de beton. cum Gum. elem. add. pulv. rosar. myrtillor. mastich. &c.

Siriasis.

In *Siriasi* curanda primò omnium instituunt evacuationem humoris calidi cerebrum accendentis & inflammantis, vel medicamentis laxantibus, vel clysteribus, aut sanguinis detractionibus per V. S. vel in tenellis infantibus per cucurbitularum applicationem in humeris, scapulis & brachiis. Evacuantia medicamenta illis in hac ætate sunt Syr. rosar. solut. violar. solut. de cichor. cum rheo, in aq. violar. lactuc. bugloss. endiv. &c. soluti. Enematis formula sequens esse poterit.

℞. *Decoctum emollient* ℥ iiß.
Succ. bet. ℥ ß.
Sacchar. Thom. ʒ ij.
Cassiæ rec. extr. ʒ iß.
Ol. violac. ʒ iij.
M. F. Enema, applic. tepidè.

Humore commodè evacuato alterantia propinant, Julepos imprimis refrigerantes ex aq. acet. endiv. lactuc. buglos. rosar. cum Julepo rosar. Syr. granat. de Limon. paratos. Externè capiti applicant refrigerantia & humectantia, inungendo vel oleum rosac. vel unguent. popul. & postea pulverem inspergunt ex flor. rosar. viol. ocul. populi, sem. lactuc. papav. coriand. & santalo citr. nec pediluvia omittunt.

Paracelsi Curatio Gum. Exost. & Fung.

§. 14. *Paracelsus* in curationibus horum morborũ admodũ pauca adhibet remedia; *Glandulas* enim & *Naptas* seu *Gummata* & *Exostoses*, nec non ipsos *Fungos* abscindit, & postmodum emplastro de mumia iterum sanat.

Siriasis.

In *Siriasi* ad domandam & tollendam sublimationem mercurii, ut ipse morbus, & non homo obdormiat, laudat prę aliis specificum suum anodynum parva dosi, infantibus potissimùm, propinatum.

Helmonsii Cura.

§. 15. *Helmontii* cura *Gummatum*, *Exostosium*, & *Fungorum* consistit in correctione alimenti & excitatione Archei ad officium, ne ille plus ad partes nutriendas transire permittat, quàm opus sit; in *Sirasi* autem Archeus nimiùm impetuosus in viam reducendus & sedandus est: quæ cuncta efficiunt arcana sua universalia nonnisi Adeptis communicanda.

Vuillisii ratio curandi Gummata, Exostos. & Fungum.

§. 16. *Willisiana* affectibus hisce medendi ratio postulat ichorum tenacium in sanguine correctionem, & liquoris nutrientis abundantiæ moderationem; adhibenda igitur purificantia sanguinem, imprimis diaphoretica aliquoties repetita, ex rad. Sarseparill. Chin. Caryophyllat. Imperat. Valerian. Cort. & lign. Guajac. Sassafr. Santal. fol. Rorismar. Herb. Card. bened. Rutæ, Resina Guajaci & ejus Tinctura. Externè adhibenda sunt emollientia ex Gumm. Ammon. Galban. Elem. Carancum Sale Armon. Cerussa Antimonii. *Fungo* inspergi possunt pulveres consumentes & adstringentes ex rad. Ireos, pumice, & alum. ust. Cort. thur. lap. calam. pp. &c.

Siriasis.

In *Siriasi* ad sanguinem stagnantem fluxilem reddendum instituit aliquando V. S. Enemata frequentiùs applicat, ne materia febrilis è visceribus ad caput impetum faciat, & ad sedandam effervescentiam aut Spirituum excandescentiam Julapia, Apozemata, Pulveres, aliaque remedia suadet intus adsumenda;

℞. *Aq. Lujulæ* ℥ jß.
Cerasor. nigr. ℥ j.
Marg. pp. ʒ ß.
Syr. ex succ. citr. ʒ ß.
M. D. Cochleatim.

Pedibus Cataplasmata adhibet ex Verben. Rut. Chamæmel. rad. bryon. flor. Papav. err. Fronti Oxyrrhodina; & Sincipiti sedum majus contusum & cum lacte muliebri mixtum applicare consuevit.

Secundùm Sylvium curatio Gũm. Exost. & Fungorum

§. 17. Ex *Sylvii* fundamentis curatio *Gummatum* & *Exostosium* instituitur auferendo nutrimentum nimium, & consumendo illud, quod jam appositum est, quod etsi difficulter obtineri posse agnoscat, Salibus tamen volatilibus tentandum esse suadet, remediisque ex Guajaco paratis. Externè etiam Gummata aromatica aliquoties applicari vult, aliaque tum potentialia, tum actualia remedia visciditatem consumentia, quæ itidem in *Fungo* utilia fore confidit.

Siriasis.

In *Siriasi* maximè occupatus est, ut Bilis acrimonia corrigatur & temperetur vel per acida blanda, vel subpinguia & aquea, vel etiam spirituosa. Inter priora laudat Spiritus Salis aut nitri dulcem, lap. prunellæ; &c. Inter secunda, Emulsiones ex hordeo, amygdal, sem. papav. alb 4. frig. maj. Inter postrema, Spiritum Ammoniaci, & alia salia volatilia, quæ tamen cautè adhiberi vult, & in inflammabilitate ejus omninò omittenda. Si verò inflammatio adsit ex sanguine circa meninges corrupto, ejus fluxilitatem restituendam esse jubet usurpatis diaphoreticis, ex rad. taraxac. herb. scabios. Car. bened. flor. papav. rhœad. oc. canc. Antimo. diaphoret. aliisque salibus volatilibus temperatis coagulationẽ ejus resolventibus. Externe caput aliquando inũgit ol. Chamęmelino, lil. alb aneth. ung. de Alt. Popul. & similibus.

Cartesianorum modu curandi. Gummata

§. 18. *Cartesianos* quod concernit, ii curationem *Gummatum* aggrediuntur remediis particulas illas spissiores in succo nutritio corrigentibus, incidentibus videlicet, attenuantibus & volatilisantibus, Essentia rad. Valerian. ligni Guajaci, Tinctura Resin. ejusdem, Spir. Ammoniaci. Externè ad emolliendum & resolvendum

dum nodos istos itidem ex Gummi applicant composita emplastra, additis alcalicis & abstergentibus, sale absinth. rorismar. salviæ, &c.

Exostosin. In *Exostosi* incipiente eadem adhibent remedia, impositis aliquando durioribus deprimentibus & excrescentiam illam prohibentibus; si verò nec inhiberi nec emolliri potest, scalpro eum cum aliis abradere conantur.

Fungum. Non absimili modo cum *Fungo* curando procedentes satagunt, ut succi nutrientis nimia copia per diaphoretica spirituosa minuatur, & quantum potest, ulterior excrescentia prohibeatur, inspersis ei pulveribus humiditatem abundantem imbibentibus, & fibras constringentibus ex rad. Ireos, aristol. rot. lap. calamin. ebore ust. alum. ust. &c. ut ità non modo minuatur succus superfluus, sed ulterior quoque denegetur transitus, & via crescendi occludatur, qua de causa & emplastra imponunt vulneribus cranii dicata; quibus hujusmodi exsiccantia & consumentia fuerint intermista.

Siriasin. In *Siriasi* diligentes se præbent, ut acrimonia particularum acidarum ex sanguine corrupto, aliisve succis degenerantibus corrigatur: non contemnunt igitur aut negligunt Clysteres ex Decocto emollientium & leviter alterantium; internè verò laudant Aq. plantag. rosar. anagallid. endiv. quibus præcipitantia quædam ex lap. Cancrorum pp. Corall pp. C.C. ust. mandib. luc. pp. sacch. Saturni, Camphor. addita sunt, edulcorata vel saccharo Canthio albo, vel syrup. Papav. errat. de Nymph. simpl. &c. Laudant etiam Tinctur. Rosar. & flor. borag. Externè Cataplasmata adhibent capiti ex flor. Chamomill. lil alb. summit. aneth. fol. malv. &c. in lacte coctis & tepidè applicatis.

Nostra sententia de Curatione Gummatis §. 19. *Nostra* ex sententia Curatio *Gummatis* Calvariæ consistit in eo, ut acidum & viscidum obstruentis corrigatur, in quem finem conducunt tum interna, tum externa. Interna sint volatilia, præsertim succinata & viperina, liq. C.C. succinat. cum Essent. viperin. *Zwelf.* ad 20. guttas exhibenda in aq. lign. aperit. &c. optimum est remedium, & interponenda sunt Decocta ex lignis. Sic & conducunt Essentia lignor. spir. sal. Ammoniaci, succin. fumar. &c. In graviori malo ad Mercurialia confugiendum, imprimis ubi simul Lues Gallica conjuncta est, quæ totam implent paginam, & detur Mercurius dulcis à gr. x. ad xx. singulis diebus, usque salivatio procedat, os & fauces gargarismate quotidiè eluantur, & procedatur ut in curanda lue Venerea.

Inter externa applicanda sunt *Gummatis* hisce emollientia & resolventia, antequam scil. hæc cariem ossis & ulcera partium mollium inferant, inter quæ præ aliis omnibus Emplastrum nostrum polycrestum eminet, quod sequens est:

℞. *Minii* ℥ ß.
Salis Armoniaci ʒ ij.
Camphor. ʒ ß.
Vitri Antimonii ʒ j ß.
Ceræ ℥ iij.
M. F. l. a. Emplastrum.

Conveniunt etiam Gummi, quæ fortiter penetrant, ut Emplastrum de Gumm. Crocat. *Mynf.* & iisdem Mercurialia addi possunt, & hic non contemnendi usus erit Emp. de Ran. cum Mercurio *Vigon.* quod in omnibus tumoribus indolentibus & pertinacibus egregium est. Possunt & illiniri ejusmodi tumores cum oleo quod prodit in destillatione Spiritus asthmat. *Michaelis*, vel oleo Tartari per deliq. præsertim verò oleum ligni Guajaci, quod convenientissimum est, & lui appropriatum, & cariem ossium curat & præservat. Mercurialia sunt specifica alexipharmaca, hinc convenit lamina plumbi Mercurio vivo illita, item Mercurius fumo Saturni coagulatus, cujus modum vide apud *Poterium*. Asterisco verò notandum est hic, ne ossa Mercurialibus attingantur, aliàs ab his facilè corroduntur ac nigrescunt. Fumus ex succino non contemnendi usus erit, vel paretur sequens linimentum.

℞. *Ol. Therebinth.* ℥ ß.
Guajac. ʒ ij.
Opii ʒ ß.
Cinab. nat. ℈ j.
M. F. Linimentum.

Si plura cupis, videas *caput inferius de Tumoribus*.

Exostosis. In *Exostosi* ferè eadem remedia, nec non blanda exedentia conveniunt; Excrescentiæ enim hæ osseæ curantur ceu Trophi ossium, de quibus vide *caput 21. lib. 5.*

Nodi hi callosi dicti per se non ex morbo alio, ob rosionem periostii succo nutritio ossium luxuriante nascuntur, ac calli vel ossis novi instar ossi adnascuntur, vel à fracti ossis glutinati rursum callo, nodi instar protuberante, proficiscuntur, difficulter quoque tolluntur, & indurati omninò ad dies vitæ durare solent. Ab initio ergò eò annitendum, ut topicis adhibitis eos emollire & resolvere possimus. De callo ossium emolliendo videatur *Hildanus* Cent. 1. Obs. 91. Si osse enim denuò coalito, callus nimis magnus genitus sit, corrigendus & imminuendus est. Applicari hic possunt varia, & quæ in *Nodis* ac *Scrophulis* dicemus: imprimis internè aq. hepat vitriol. cum salvia aliisque aromatib. destillatam commendamus. Narcotica externè multum faciunt, ut imponantur rad. mandrag. cum spir. pro cataplasmate. In lue Venerea applicentur Mercurialia. Si callus non est firmatus, abigi potest Empl. *Zachariæ filii* dicto, vel imponantur varia Emplastra ex Gummi parata. Tentabis etiam eos acuto ferro ab osse continuato actu abscare, vel lima abradere, imprimis si os primò certo liquore emolliatur, & dein abscindatur superfluum, posthæc etiam vulnus ossi & cuti adflictum ut decet curetur. Alii ustione id, sed minùs rectè, perficere tentant. Plura videre poteris *lib. 5. cap. 21. de Callo.*

Fungi. *Fungi* Cerebri, præmissis universalibus & acidum absorbentibus cephalicis permixtis & quidem cinnabarinis, externis blandis exedentibus tollendi, ut sunt C. C. ust. pulv. cum myrrh. & tut. permixtum, vel Sal. Ammoniacum solvatur in aqua simplici, & addatur pro re nata parum cal. viv. hac solutione crebrius tangantur fungi. Item conducit Emplastr. de Galbano *Mynf.* de Ran. *Vigon.* Aliis aqua plantag. cum alumine optima est. Pulveres hic etiam conducunt exsiccantes & acidum absorbentes imbibentesque, ad majus incrementum præcavendum. Pulveres hi parari possunt ex tutia, Creta alba, myrrh. lap. calam. sacchar. calc. viv. aristol. rotunda. Si hæc non sufficiunt, ad Mercurium Præcipitatum cum cautione tamen accedendum: si hic non suffecerit, incurabile habetur malum, plures tamen sunt, cùm videant fungum ad cancrum transire, qui eum abscindunt; sed cum hisce membranosis partibus in capite adhæreat, dubiæ res aleæ est.

Siriasis. In Infantibus *Siriasi* laborantibus conducunt evacuantia, imprimis si est à lactis vitio, vomitorium lene propediem exhibendum, ex Syrupo diasereos, vel raphani, vel nicotianæ. Sic & Enemata erunt proficua. Ad sanguinem parùm alterandum, & stagnationem aliorum humorum impediendam conducunt varia diaphoretica: ad particulas acres leniendas conveniet Mixtura sequens:

℞. *Aq. Card. bened.*
Urtic. aa. ℥ ij.
Antimonii diaphor. ℈ j.
Ocul. canc. pp. ℈ ß.
Syr. flor. Papav. Errat. ℥ ß.
M. D. cochleatim.

Vel detur pulvis absorbens cum arcano duplicato per vices, & curetur interne ut alius partis inflammatio.

Externè laudatur à pluribus cucurbita domestica capiti applicata; vel alii urticas contusas addito Sal. volatili sincipiti applicari suadent. Nos vidimus cum successu applicatum succum raparum expressum, cum sale volatili succini. Discutientia conducunt, ut sunt chamomill. aneth. flor sambuc. Pœon. Nutrici quoque exhibenda sunt blandiora minorativa, & sæpe dentur pulveres præcipitantes. V. S. arteriotomiæ, ustiones Florentinorum, quæ in Convulsionibus & Epilepsia adhibentur, in tenella hac ætate potiùs omittenda esse censemus, quàm iis faciendis arti pessimam conciliare famam. Possunt vesicatoria mitiora applicari, caro bubula nuchæ imponi potest. Sic convenientia Epithemata plantis pedum applicata ex farinacea massa cum Aceto & Sale parata, vel haleces saliti & exsiccati conferunt.

CAPUT VI.

De morbis Oculorum in genere, & eorum globum infestantibus, Atrophia nempe, Procidentia, Strabismo, Ficu cancroso, Ficu scirrhoso & Perforatione.

Oculi dignitas. §. 1. Oculus sanè, splendidissima illa fabricæ humanæ lux, Soli, lucidissimæ structuræ mundanæ faci, os humerosque similis est. Nunquam enim ille Sol macrocosmicus, Universi oculus, suos excellenti claritate exspargit radios, quin oculus, Sol microcosmicus, excellentiori modo non illuminetur, & suum illuminet mundum; propter oculum enim Sol, & propter hominem oculus, & cætera omnia condita sunt, ut inde immensam Creatoris sapientiam & bonitatem contemplari, admirari, & celebrare possimus. Oculus certè pretiosissima hominis gemma, inter humani corporis partes principes meritò recensenda. Unde quidam fuerunt, qui in oculis animæ sedem ponere voluere.

Næ! Oculi amoris, odii, audaciæ, reverentiæ, gaudii, tristitiæ, iræ, furoris, misericordiæ, ultionis, & cogitationis indices sunt. In amore blandiuntur, in odio efferantur, in audacia prosiliunt, in reverentia subsident, gaudente animo hilares subrident, eodem tristante languescunt, in iracundia exasperantur, in furore flagrant, in commiseratione submittuntur, in ultione distorquentur, in cogitatione ac cura quiescunt, quasi cùm mente simul intenti; unde ex vario & multiformi intuitu variè nuncupantur, torvi, truces, flagrantes, graves, transversi, limi, submissi, blandi. Sed relictis moralibus discursibus, magis ad Medica accedamus; primarius enim noster scopus est humani corporis aut conservanda aut restituenda salus. Cùm verò cognoscere aut depellere partis alicujus morbum studemus, antè omnia constitutionem & fabricam illius, communionemque cum aliis, sive vicinioribus, sive remotioribus, nosse oportet; ideò in secando minutim humano corpore indies magis magisque sumus curiosi. Ita profectò earum partium agendi patiendique rationem nunquam rectè ac par est explicabit Medicus, qui singulorum organorum structuram & partes, partiumque singularum usum, circumspectè ac solicitè non perlustraverit.

Ac præsens quidem institutum nostrum quod concernit, illud est, non tantùm oculi structuram, sed & simul visionis modum explicatè proponere, antequam ad morbosum accedamus statum.

Oculi constitutio naturalis. Omnium igitur primò pellucidæ illius ac durioris tunicæ, quam *Corneam* ea propter dicunt, notabili circa reliquum oculi globum protuberantia, & mox resectæ, non absque profusione aquei cujusdam humoris circa posteriorem bulbum continuatione æque solida, at non amplius translucida, (hæc & *Sclerotica* à duritie appellatur,) obviam statim indicamus molliusculam teneràque pelliculam in medio perforatam, & circa foramen illud, quod à pupula, inibi tamquam in speculo visa, *pupillam* vulgo vocant, denuo colore instar *uvæ* pictam, indeque Uveam dictam, qua parte Sclerotica pellucere incipit, ipsi undiquaque firmiter adhærentem, à postica verò, qua nigricat ut plurimum, non nisi fibrillis quibusdam, arteriolis, venulisque eidem hinc inde connexam, de cætero valdè separabilem. Remota dein hujus uveę à foramine centrali versus ambitum reflexa & manifestò duplicata tunica, humor *crystallinus* in anteriore parte conspicitur, qui continetur propria membranula, quà disrupta tenax ichor ac viscosa valdè substantia reperitur. Ejus autem postica convexitas anteriore globosior est, ambiens eam *vitreus* humor multò copiosior at pellucidissimus existit, sua quoque conclusus pellicula, sinuità cõprehenditur, ut notabilis utriusq; nexus manifestè conspiciatur. Insimul autem memoratæ prius uveę, quę in parte postica *Choroides* dicitur, mediante *septo ciliari* sic alligatus cerni potest, ut horum uno moto, moveri una reliqua, totumque adeò oculi bulbum, necesse sit.

Choroides mucosior est & albicantior, rupturæque valdè obnoxia; *Reticularis* sive Retina à transverso vasorum complurium plexu dicta, quam nil nisi cerebri, Choroidem autem piæ, quam appellant, matris, & Scleroticam duræ meningis propagines esse in optico nervo, has omnes quippe in quendam quasi funiculum colligante, manifestum est; quæ omnia melius ante oculos demonstrari quàm describi possunt, imprimis si oculum exemptum ex animali gelu fuerit concretum; ubi omnia distinctiùs apparent; sic etiam ex ebore singulas tunicas oculum investientes unà cum pupilla arte factas curioso demonstrare possum.

Tandem lustratis ita interioribus oculi partibus, externas etiam oculo muniendo movendoque destinatas paulò consideremus: Musculos puta, qui circa nervi optici insertionem orti, ac circa corneam, junctis tendinibus suis tenuissimis terminati sex recensentur. His addere potes, si libet, Cilia, Glandulas lachrymales seu rigaturas, ductusque varios, quæ cuncta apud Anatomicos videas, imprimis *Bidlo Anat. Corp. Hum.*

Visionis ratio. §. 2. Nunc modum visionis paucis perlustremus. Uti Medicorum laudabilis industria Philosophos quoque tandem è somno quasi excitatos ad Naturæ corporumque naturalium, ac speciatim Oculi anatomiam invitavit, ita vicissim sagaciores hujus ævi Philosophi genuinum *Oculi usum videndique modum* ipso longe veriorem, quem eousque à *Galeno suo* didicerunt, feliciter demonstrarunt.

Quid enim Oculus esset, & quo pacto diversæ adeò ejus partes visionis actum juvarent, ex unius *Obscuræ Cameræ* tenebris tandem emicuit, postquam in tenebris ignorantiæ diu satis palpassent in varias partes & sectas divisi Philosophi: etiamnum quid sit videre non visuri, nisi vitrearum crystallinarumque lentium effectus videre tandem ipsis, & sic in unam eandemque sententiam, cunctis hodie certam, pedibus ire contigisset. Dicimus ergò Oculum, non inconcinnè aliàs conspicillo seu tubo optico comparandum, si demas tunicam Retinam dictam, esse parvulam Cameram obscuram, & omnibus numeris absolutam, non hominis artificio, sed ejus Opificis nutu & consilio inventam ac fabrefactam. Cuncta nempe obscuræ Cameræ requisita adsunt, foramen scilicet pupillæ, accessum rerum externarum speciebus concedens per Corneæ pellucidissimam substantiam liberrimum. Lens crystallina post foramen constituta, & ea globosa valdè, prout angustia spatii expostulat. Spatium de cætero undiquaque clausum, ac præterea Choroidis nativa nigredine haud parum obscuratum. Expansa per oculi fundum humoris vitrei auxilio, qui aeris vicem subit, at præter hoc & aliud munus habet, subalbicans Retinæ membrana, quæ transmissas per crystallinum humorem species externarum rerum excipiant. Opinioni huic maximè favet experimentum, si oculus animalis cujusdam parte sua postica Scliroide & Choroide exutus, ut Retina tantùm super vitreum humorem expansa relinquatur, foramini Cameræ obscuræ aut tubo convenienti aptetur, species in eadem Retina pariter ac in charta alba post vitrum lenticulare suspensa, conspiciuntur.

Ex hisce ita demonstratis, per se cadit *Platonis & Pythagoræ* effatum, qui lucis radios pro objecto illustrando ab oculo emitti, hosque ab eodem opaco ad idem organum reflexos, species huic simul adducere volunt, quam opinionem amplexi sunt *Galenus*, *Vallesius*, *Casserius*, aliique hos secuti Medici ac Philosophi.

Epicuri autem sententia planè ridicula est, dum veras rerum imagines & quasi idola à visilibus transportari dixit.

Sed nos relictis aliorum opinionibus, nobis persuademus, visionem fieri per radiorum impressionem, quem modum optimè describit Celeberrimus Vir & Fautor noster Colendissimus, *D. J. Bohn in Circulo suo Anatomico*, *libro certè Apollinea bibliotheca digno*, dicens: Adeoque dum fibrarum Retinæ ex nervo optico emanantium apices à radiorum visivorum impulsu percelluntur, spiritus his inexistentes determinato modo exagitati, alios sibi vicinos commovent, usquedum hic eorum motus, ab extra inchoatus, beneficio continuitatis systaseos spirituum illorum ad cerebri interiora devolvatur: ubi demum portio sensationis acti-

activa & potissima supervenit, quam, quia cum passiva, & quæ in oculo ac nervo fit, ratione temporis sensibilis coincidit, organo externo vulgus tribuit. A cujus nihilominus commotione ipsam visionem quàm maximè differre, id est, speciem impressam equidem adesse, deficere autem expressam, oculis apertis dormientes aut aliis rebus maximè attenti evincunt, quatenus ambo hi ab objectis quidem visibilibus percelluntur, illa tamen neutiquam vident, aut eadem oculum ferire percipiunt. Atque per ejusmodi particularum oculi subtilium ab hoc versùs cerebrum undulationem retrogradam dum visio continuatur atque absolvitur, fit, ut non rarò à corpore lucido potentiore, aut valde illuminato notabiliter lædatur visus: dum postquam tale quid attentiùs atque diutiùs spectavimus, alia objecta aut difficulter, aut depravatè conspicimus, quatenus major radiorum, concentratorum magis, quantitas fibras quasdam, si non omnes, Retinæ (in hac enim fit visus) sensibiles valde præter modum alterat & quasi adurit, seu spiritus impetuosiùs exagitando adeò rigidas, aut eosdem præter modum repellendo adeò torpidas reddit, ut ab objectis minùs luminosis facilè commoveri nequeant, donec redeuntibus, aut motui suo pristino restitutis pristinam flexibilitatem ac sentiendi potentiam repetant fibrillæ eædem. Imò ideò contingit, ut per illam oculi partem, cujus fibra una vel altera tantum impetus à lumine majore sustinuit in altero, ad quod repente convertimus oculum, objecto, macula quædam prioris impressionis æmula compareat diversi coloris, donec successive pristino tenori nervi cum spiritibus restituantur. Et ut brevis sim, visus fit, quando ab objecto visibili radii luminares reflexi incidunt in oculum, ejusque tunicam in fundo oculi sitam, quæ Retina vocatur, estque expansio nervea, certo afficiunt pulsu, contactu, vel motu, quæ impressio ope nervorum opticorum & spirituum animalium illos irradiantium delata ad sensoriũ commune ab anima percipitur, eaque nunc de objecti conditione judicium fert, & sic videre dicitur, prout loquitur celeberrimus *Vvaldschmid in fund. Med.*

§. 3. Demonstrato sic, juxta sanam oculorum constitutionem, ipso quoque visionis modo, præstitutus nos monet ordo, ut rectà nunc aggrediamur statum oculorum morbosum, recensendo, examinando; & convenientibus remediis abigendo varia illorum vitia, à quibus ipse visus vel planè tollitur, vel diversimodè impeditur ac depravatur.

Ordiemur autem ab oculorum morbis generalibus, eorum videlicet globum infestantibus, ut sunt: *Atrophia, Procidentia, Strabismus, Ficus cancrosus, Ficus scirrhosus, & Perforatio.*

Oculi Atrophia quid? *Atrophia* oculi dicitur, cùm ex diuturna pororum obstructione, vel ab interna vel externa causa oborta, oculus paululum quasi propulsus, dein cavatus, ad radicem cum dolore minor evadit, obscureque aut nihil omninò videt. Aliis non oculi Atrophia aut Tabes, sed ipsius subsidentia vocatur, cùm sit angustatio pupillæ.

Oculi procidentia quid? *Procidentia* oculi Hildano Exophthalmia dicta, est ejusdem prolapsus à relaxatione oculi cum sua orbita obortus; quando scil. oculus ex sua orbita præter modum eminet.

Strabismus. *Strabismus* est, quando pupilla à medio declinat, ita ut in una oculi parte plus appareat, quàm in alia; estque revera totius oculi intra orbitam in dextrum sinistrumve latus morbosa inclinatio, à certa & inordinata dispositione & imprimis resolutione musculorum.

Ficus cancrosus. *Ficus cancrosus*, seu Carcinoma oculorum, nihil aliud est, quàm tumor rubens, quandoque exulceratus, quandoque non, ab acido valatili insigniter corrosivo alenicali circa has partes nobiles sibi imperium rapiente, & vasa rumpente.

Ficus scirrhosus. *Ficus scirrhosus* est tumor durus renitens tactui, ferè indolens, à coagulatione sanguinis atrorumque humorum ab acido facta productus.

Perforatio. *Perforatio* est continuitatis in oculo solutio, sive sit in tunica annata, sive in cornea, in qua potissimùm contingit, sive in uvea, modò cum, modò sine aquei humoris effusione à re externa acuta & pungente excitata, aliquando ab humoribus acribus corrosivis producta.

Pars affecta. §. 4. *Pars affecta* hìc est oculi globus cum musculis sibi adjacentibus, quorum sex sunt, quatuor recti, & duo obliqui, siti omnes intra calvariæ cavitatem, & nervum opticum comitantes: primus musculus crassior & superior dictus *Attollens* & superbus; alter ei oppositus minor dicitur *Deprimens* & humilis, quia oculum deorsum malas versùs trahit; tertius in majori angulo positus *Adducens* vocatur; quartus *Abducens* nuncupatur; quintus dicitur *Obliquus*, & sextus *Trochlearis*, quia quasi per trochleam circumrotatur.

Diagnosis. §. 5. *Signis*, pro dignoscendis his affectibus, adeò multis opus non est, sunt enim per se satis noti, suaque deformitate cuivis se intuenti de facili manifestant, quare paucula tantùm hìc addidisse sufficiet.

In *Atrophia* ipsa oculi substantia flaccescit & marcet, ut moles longè appareat naturali minor, tùm pupilla multò fit angustior, ejusque foramen seu nigrum constringitur; quod ultimum si solum contigerit, Græci veteres peculiari *Phthiseos* nomine indigitarunt.

In *Procidentia* solent oculi protuberare, & ob majorem sui molem extra orbitam prominere, ità ut priori affectui hìc planè videatur contrarius.

In *Strabismo*, affecti non possunt sibi directè opposita recto intuitu adspicere, sed obliquo & limo, ità ut si talis aliquem velit aspicere, pupillam vel sursum, vel ad alterutrum latus convertere cogatur.

Ficus cancrosus facilè cognoscitur ex constitutione cancri; adest simul effluxus homoris acris & tenuis, comite rubore partium oculi, ulcuscula semper adsunt in nigro oculi dolorosa, venas insitas habentia varicosa, pariter cancrosa vocantur, quæ cicatricem non admittunt; ejusmodi ulcera cancrosa semper conjunctum habent dolorem capitis ingentem, color faciei ut in cancro, oculique est plumbeus, nec non fuscus.

Ficus scirrhosus itidem facilè cognoscitur ex tumore duro, pertinace, & tactui resistente, sed non adeò doloroso, cùm sensus in eo hebes sit, adest color fuscus aut lividus; in principio exiguus apparere solet, tractu tamen temporis paulatim augetur, venas non habet tumentes aut exaltatas, ut cancrosus, non rarò tamen in ipsum cancrum degenerare solet.

Perforatio tùm ex relatione ipsius ægri, tum ex adspectu adstantium aut Chirurgi, absque ulla difficultate percipi potest.

Juxta Galenicos causa Atrophia. §. 6. *Ætiologiam* prædictorum morborum nunc instituturi, aliorum sententiam, pro more consueto, nostræ præmittemus. Agmen autem ducent *Galenici*, in *Atrophia* oculorum causam adscribentes privationi alimenti, dum hoc vel non gignitur ob hepatis, ventriculi, & cordis facultatem concoctricem debilitatam, sanguinem minùs debitè conficientem, uti in phthisicis & tabidis evenire censet; vel non attrahitur ob propriam partis facultatem attractricem debilem aut impeditam, ob vias (arterias hic indigitant & venas) clausas, compressas aut variè distortas. Retentrix facultas alimentum adductum non retinet, concoctrix autem propria imbecilla sanguinem, quem nutritionis materiam proximam ponunt, non satis debitè elaborat, unde variæ illi immiscentur impuritates, quæ distributionem sui tam facilè non permittunt, cùm imprimis hic subtile requiratur nutrimentum. Maximè verò omnium Venus immoderata hic magnum parat damnum; quatenus non modò subtiliores in sanguine partes, spiritus nimirum cum semine avolantes, nimiùm profundit, qui præ reliquis in hoc sensus principis organo admodum debent esse puri atque facilè mobiles, quibus tamen deperditis, quod restat, crassum nimis est atque ad distributionem valde ineptum; sed ipsam etiam exsiccat oculorum substantiam. Nec minùs culpant ichores aut serositates acres, venas erodentes, ipsamque partem debilitantes. Res quoque extrinsecus illapsæ facultatem expultricem irritantes, lacrymasque alliciendo acrimonia iis conciliantes, oculum ad contabescentiam disponunt, quia rorida nutritiva substantia simul effluit.

Causa Procidentiæ.

Procidentiæ causas distinguunt in externas & internas. Externas enumerant tussim vehementem, vomitum, conatum maximum in durioribus fæcibus detrudendis, aut etiam in excludendo partu, in præfocationibus à laqueo & in tormentis. Internas volunt nimiam ligamentorum ab humorum influxu relaxationem, ut in catarrho, dolorem capitis ingentem, & hinc frontis temporumque pro levando isto dolore arctiorem constrictionem, aut musculorum paralysin. Aliquando & primordiale hoc vitium annotarunt.

Causa Strabismi.

Strabismo, ut speciei, easdem adscribunt causas, quas Spasmo in genere; utplurimum enim aut à paralysi, aut à nervorum distentione, vel musculorum oculos moventium, non tam omnium, quàm aliquorum, convulsione, sive à repletione, sive ab inanitione suscitata, eum ortum duxisse notarunt, cui aliàs malam consuetudinem ansam præbuisse non negant.

Causa Ficus cancrosi.

Ficum cancrosum oriundum volunt ab humore melancholico, & bile atra adusta in oculo congestâ, productaque ob splenis imbecillitatem, quâ sanguinis portionem fæculentam debitè non alliciat ex hepate. Ipsam quoque hepatis constitutionem huc contribuere statuunt, quatenus natura sua vel proclive sit ad bilis atræ copiam generandam, vel nimis calidum & biliosum, unde sanguis aliique humores plus debito coquantur & adurantur. Ex solitis quoque evacuationibus suppressis, ut mensium & hæmorrhoidum, magnam congestionem humoris melancholici fieri non dubitant. Ex vulneribus demum, contusionibus & fracturis, maximè autem erysipelate & inflammationibus malè curatis eum obtigisse fuerunt experti, & hoc propterea, quia frigidiorum applicatione materia eorum in duritiem concrescit, aut solis calidis, non additis emollientibus, subsistente portione crassiore tenuior dissolvitur.

Causa Ficus scirrhosi.

Ficum scirrhosum penè ab eadem causa derivant, nisi quòd succus melancholicus hìc aliquantum differat in qualitate, utpote minùs acris, quàm in priore, sed glutinosior, unde & pituita crassa glutinosa eundem producere posse censetur. Reliquæ causæ cum prioribus in Ficu cancroso planè coincidunt, cùm Ficus scirrhosus malè tractatus in cancrosum facilè abire soleat.

Causa Perforationis.

Perforatio oculorum utplurimùm contingit à re externa violenta & acuta.

Juxta Paracelsum causa Atrophiæ.

§. 7. *Paracelsus* in oculorum his affectibus admodùm parcus est & brevis, ideoque valde obscurus: Uti verò naturalem oculorum compositionem ex tribus constare asserit, Substantia videlicet, quæ illi nihil est aliud, quàm totum integrum; Materia, qua Mercurium indigitat, & Sulphur, itemque Sal; & denique Forma, quæ res viva est & rotunditas; ita & illorum morbos ex trium istorum à statu suo integro recessu derivat, & quidem in specie *Atrophiam* ex forma, dum transpositio quædam fit in oculis, iisque vasis annexis & meatibus conjunctis, ut denegetur illis per venas & poros consuetos cursus necessarius mumiæ naturalis, quo fit, ut oculis injuria fiat ac damnum in debito illorum nutrimento.

Causa Procidentiæ.

Procidentia itidem ex forma oriri vult, quatenus non una, sed diversimoda ex occasione oculus ex centro suo excidit.

Strabismi.

Strabismus ad convulsiones vel paralyses referri potest.

Ficus cancrosi.

In *Ficu cancroso* humorem putat nutritivum separatum à substantia sanguinis per porum emunctorialem penetrare extra materiam propriam, transireque in hujusmodi excrescentiam: accusat etiam affluxum salis corrosivi duplicis, plumosi, vel arsenicalis, rodendo maximè intrinsecus fodientis.

Ficus scirrhosi.

Ficus scirrhosi causam deducit ex coagulatione salis sive Tartari, suapte natura ad coagulationem & indurarionem vergentis. Sed de his plura reperies lib. 3. cap. 4. hujus Encyclop. Chirurg. de Epatis & Lienis scirrhis, similis enim & penè eadem horum tumorum causa est, differentia saltem in loco affecto spectanda.

Helmontii sententia de causa Atrophiæ.

§. 8. *Helmontius Atrophiæ* causam potissimùm adscribit fermento lienari, in quo ut diversa munia latent, ita & proprietatum dispensationes; quod si fuerit minutum per ætatem, aut prægressas morborum difficultates, assumpta, quantumvis bona, vitiantur; ex errore igitur duumviratus primò oritur, dein etiam proprio oculi vitio, pars enim propria vivit culina, ità & oculus, quæ tamen in stomacho irruenti assumpto subjecta facillimè turbatur, cùm stomachus duplici calamitati manifestè subjaceat, propriæ nempè digestionis & sextæ, quare & duplex habet fermentum, unum pro prima digestione, quod ex Liene affluit, aliud proprium pro sexta, quod sibi ex insito spiritu vernaculum. Exorbitante autem fellis fermento, deficiente, vel alioqui vitiato per exoticam virulentiam, mox prodeunt producta illius radicibus conformia, atque hinc etiam hujusmodi Atrophia, quæ non minùs à liquoris alimentarii defectu procedit, causato particulari spiritus oculorum insiti errore, lascivientis ideæ spontanea deturpatione, ab humanis vel Archealibus passionibus productæ.

Ficus cancrosi.

Ficus cancrosi causam reiicit in Archeum aberrantem & se transplantantem in furores, quibus carnem topicè infestet, dum priùs à lumine quodam virulento internus irritatus, per indignationem quandam illud depellere conatur, quod tamen in lumen penetrans vitale, commutatur propter venenum occasionale in hujusmodi morbum.

Ficus scirrhosi.

Ficus scirrhosi causam derivat ex sextæ digestionis mucilagine excrementitia adhærente intra harundines, id est, venas & canales, hic oculi, primùm quidem insonte, sed hospitii jus mox violante, unde oculus hospitem illum subigere non valens, eundem expellere nititur; sed quia jam nimiùm est delassatus, Archei vires in auxilium convocantur, à quibus robur morbi imminuitur, quia tamen per debitam crisin nequit omnimodè proscribi, hinc materia illa morbosa vi agendi orbata efficit oppilationes & scirrhos.

Vvillisii opinio de causa Atrophiæ.

§. 9. *Vvillisium* nunc accedamus, qui *Atrophiæ* hujus causam adscribit vitiis & anomaliis duorum liquorum, sanguinei videlicet & nervosi, quatenus sanguis ob varias causas remotas corruptus non nisi alimentum vitiosum suppeditat, liquor autem nervosus in eo actuando assimilandoque delinquit.

Procidentiæ.

Procidentiæ illius, quæ non ab externis violentiis fuit producta, causam imputat majori liquorum, imprimis laticis serosi influxui, quacumque demum occasione allecto.

Strabismi.

Strabismum oriundum vult, ut reliquas spasmorum species, à particulis heterogeneis valde explosivis, pulveris nitrati æmulis, & spiritibus oculorum nervulos & musculos agitantibus sese immiscentibus, eosque in hanc vel illam partem magis pellentibus, atque ob iniquam istam combinationem, hincque contingentem irrequietam materiæ hujus & spirituum collisionem musculos oculorum huc magis quàm illuc distorquentibus, quò fit ut spiritus in hoc latus violentiùs quàm in illud influere consuescant.

Ficus cancrosi.

Ficum cancrosum ex sanguine & succo nervoso propullulare censet, dum succis atrabilariis sanguis irritatur, & extra arteriolas circa glandulas oculares seu lacrymales expellitur, ibidemque colligitur & coagulatur, disponente eum in hujusmodi excrescentiam cancrosam succo nervoso, itidem acribus atrabilariis particulis scatente.

Ficus scirrhosi.

Ficus scirrhosus ortum trahit, secundùm hujus Authoris nobiliss. principia, ex succo nutritio multis crassis terrestribus particulis è sanguine impuro illas assumente, adque partes molles glandulares in oculis deponente, ubi ob superfluitatem à succo nervoso in talem excrescentiam formantur.

Sylvii opinio de causa Atrophiæ.

§. 10. *Sylvius* uti aliàs omnem, ita & hanc oculorum *Atrophiam* vel à sanguinis, vel ipsius partis vitio oriri statuit. Sanguinis quidem, dum vel deficit aut propter insufficientem ejus generationem, aut effusionem qua-

qualemcunque notabilem, aut impeditum ejus influxum, arteriarumque ad ipsos oculos tendentium compressionem, vel ineptus est his partibus contabescentibus reparandis, tum propter qualitatem vitiosam post affectus & morbos graves prægressos aut adhuc præsentes retentam, tum ob commistos ei humores vitiosos, salsos nimirum, viscosos & purulentos. Partis autem vitio, dum ex infortunio quodam externo vasa imprimis alimentum deferentia dissecantur, vel alio modo rumpuntur.

Procidentia. *Procidentiæ* causam tribuit utplurimum vehementiori vel conatui, vel externo illapsui rei violentæ, nec non copiosiori humorum influxui, musculos oculorum nimium humectando relaxantium.

Strabismi. *Strabismus* etiam, juxta hunc Authorem, vel ad paralysin, vel ad spasmum musculorum hujus vel illius lateris oculorum referri potest.

Ficus cancrosi. In *Ficu cancroso* accusat succum acidum acrem in oculis à sanguine separatum, nec à spiritibus animalibus per nervos opticos eò delatis contemperatum, unde ob redundantiam sui in talem excrescentiam dolorosam convertitur.

Ficus scirrhosi. *Ficus scirrhosus* gradu tantùm differt à priori, eundem enim succum acidum sui causam agnoscit, nondum talem acrimoniam adeptum, quamvis & hanc malè tractatus facilè nancisci soleat.

Cartesianorum Ætiologia Atrophia. §. 11. *Cartesii* prementes vestigia nunc adeamus, ut quam de prænominatorum affectuum causis statuunt sententiam, paucis percipiamus. Hi verò *Atrophiam* oculorum induci volunt propter qualemcunque alimenti necessarii ac debitè dispositi penuriam, sive illa pendeat ab ipso benigni, mitis, atque ovi colliquamento persimilis illius succi defectu proprio, dum in glandulis, præsertim mesaraicis, haud sufficienti copia fuit præparatus, sive ab impuris aliis particulis, iisque valde acutis, & spiculis quibusdam præditis ei intermistis minùs idoneus redditus, quàm partibus oculi alendis adsociari possit; sive à viis interclusis, tubulis videlicet musculorum, quatenus isti obstruuntur à mucagine quadam sordida, à succis prioribus transfluentibus ibi relicta, & parietibus illorum arctiùs adhærente, atque fibras contiguas simul premendo, eorum interstitia angustante; tum etiam quatenus à spiritibus influentibus per nervos paucioribus non satis actuatur, ut per minimas arteriolas à sanguine separatus oculi partes ingrediatur, ibidemque adsimiletur, unde potius circa extremitates illarum stagnat & cum tempore corrumpitur, quàm ut pro nutritione commodè distribuatur. Et his quidem propioribus causis variæ magis remotæ ansam præbere solent, quales sunt morbi præcedanei succum illitum depascentes, Febres causticæ, malignæ, phthisis, exulcerationes viscerum aliæ, continuatæ lucubrationes, nimis intentus aut acutus adspectus rerum minimarum in quibusdam artificibus, imprimis cælatoribus, aurifabris & phrygionibus, &c. unde ob consumptos spiritus non modò visus fit hebes, sed & nutritio imminuitur. Frequentius denique exercitium Venereum pinguiorem non modò succum, & quasi florem sanguinis debito largius profundens, totam sanguineam massam turbat, sed ipsos quoque spiritus depascit & nervos concutit. Cùm enim præ reliquis spiritus visivi & oculorum partes inhabitantes admodùm sint subtiles & proinde facilè mobiles, ideò & levi de causa citiùs avolant in auras, quare etiam præ cæteris membris ex Venereo hoc excessu in nutritione sua partes hæ durioribus & immobilibus terminis obductę singulare sentiunt damnum, deque commisso illo errore aliis intuentibus sufficiens præbent indicium.

Procidentia. *Procidentiæ* causam unà cum aliis duplicem agnoscunt, vel externam violentam, percussionem videlicet, casum ab alto, item conatum magnũ, &c. vel copiosioris seri à sanguine secreti majorem influxũ, quem nonnunquam intueri licet in fœminis aut puerulis frequentiùs & diutiùs illacrymantibus, imprimis quando lympha nondum ita acris existit; allicitur enim ex mala ista cõsuetudine in pusillanimis major lymphæ copia, & debito facilior ejusdem affluxus, unde glandulæ lacrymales nimiùm repletæ oculos non tam humectant, quàm planè inundant, & hinc musculorum, & interdum ipsorum quoque nervorum opticorum mollities & relaxatio ipsum oculi prolapsum tandem permittentes.

Strabismi. *Strabismum* à convulsione aut paralysi hujus vel alterius musculorum oriri itidem statuunt, unde tubuli spirituum animalium influxui minùs apti redduntur; propterea eo in latere, in quo fluxus ille spirituum adhuc liber est, promptior quoque visio peragitur, quàm in altero influxu isto destituto.

Ficus cancrosi. *Ficum cancrosum* originem ducere credunt ab impuro succo nutritio, multis particulis gladiolatis, seu acribus referto, per occasionem quandam externam ad oculos influxum majorem, quàm ad reliquas partes adepto, quare spiritus animales à copia obruti eundem succum ritè dispensare non valentes, eum in hujusmodi excrescentiam facessere permittunt, cujus particulæ acutæ vicinas partes indies magis magisque rodunt, corrumpunt, & in sui similitudinem redigunt.

Ficus scirrhosi. *Ficus scirrhosus* illis oboritur, quando particulæ istæ acutæ à crassioribus obtusangulis, quibus succus nutritius simul scatet, adhuc detinentur & opprimuntur, quę tamen temporis tractu ab acutioribus arrodi, attenuari, sicque vinci & pari modo acui possunt, ut segniori aut inepta imprimis Chirurgi manu malè tractatæ scirrhosum hunc ficum in cancrosum convertant.

Judicium nostrum de causa Atrophia. §. 12. Perceptis ità sufficienter aliorum opinionibus, jam demum & *nostrum* de affectuum horum causis liberum dabimus judicium. *Atrophia* igitur oculorum oritur sępissimè ob nutrimenti defectum, si corpus emacietur vel contabescat, quod singulis diebus in phthisicis & hecticis observare licet. Variis verò de causis nutrimenti hic defectus accidit, imprimis quia vel non generatur, vel depravatur, vel impeditur. 1. Non generatur hic succus nutritius ob quodcunque vitium in primis viis. 2. Depravatur ille succus, quando loco balsamicarũ oleosarum particularum acidæ & acres salinæ voraces vel in succo nutritio, vel in sanguine continuò circa has nobiles partes imperium sibi rapiunt, & sic nihil vel parũ in partium deperditarum locum reponitur; hinc potest non fieri, quin pars talis corporis sensim atque sensim decrescat atque consumatur. Particulæ enim hæ acidæ & acres oculi partes oleosas seu pingues facilè absumere queunt. 3. Impeditur hæc nutritio ob pororum hisce in partibus obstructionem factam, quæ utplurimum obstruuntur à spirituum animalium influxu denegato; si enim hi non semper partes membranosas irradiant, & humectant, necessariò alia pororum facies oboriri debet, pars enim spiritibus destituta labascere incipit; hinc affectum istum utplurimum videre est in iis, qui à morbo jam convaluere, & adhuc laborant inopia spirituum, vel in iis, qui morbo magno detinentur & spiritus animales deficiunt, fitque ergò ἀταξία spirituum in nerveis & membraneis partibus oculorum, in quibus hoc in casu pauci exstant spiritus, & si eos ponderare poteris, habebis tantùm grana tria tunc in tali systemate, cùm ordinariò & in statu integritatis reperias grana decem; semper ergò & ii, qui hoc affectu laborant, sunt imbecilles, deque visu imbecilli conqueruntur ob defectum spirituum; quare Deus non frustrà oculum, nobilissimam illam partem, tot nerveis & membraneis partibus, tunicis scilicet instruxit, sed ut inibi plures possint inhabitare spiritus ad officium suum obeundum, scilicet ad lucem afferendam, imprimis nervus ille opticus, qui certè est via quasi regia spirituum. Oritur ergo hęc atrophia vel ex nutritii humoris defectu, vel ab humectatione debita intermissa, vel nimia spirituum jactura.

Procidentia. *Procidentia* oculi à relaxatione oculi connexus cum sua orbita procedit, quæ à causa utplurimum violenta proficiscitur, cùm membranis suis & musculis adeò firmiter sit connexus, ut etiam vix & non nisi magno labore in mensa appositi in capite vitulino vel vervecino evelli possint. Nuper à contusione magna capitis alapa inflicta ab homine forti, vidi ex sua sede prolapsum: contingit quoque ut malum hoc ab impura lue venerea originem habeat. Per conatum magnum in excretione alvi, difficili partu, aut vociferatione oculi non-nihil extrorsum vergere solent; in Consiliario etiã non ita pridem vidi ob tussim violentam cum vomitu coor-

coortam hanc prominentiam, non tamen totalem prolapsum observavi; sic quoque ipsam procidentiam annotavi in buccinatore ab inflatione vehementi tubarii: quod malum etiam aliquando fieri solet in iis, qui ischuria laborant: hinc facilè oculi sive pupilla, sive uvea tunica à propria sede commoventur ac foras protuberant, in qua procidentia plerumque cornea tunica rupta vel erosa est, vel ejus ligamenta laxata. A tumore, scirrho, inflammatione, & ulcere interno hic affectus oritur, unde vascula lymphatica premuntur ita, ut per eorundem canales circulatio humorum rite peragi nequeat, sed ad novos oculares meatus à D. Nuckio detectos uberior exeritur humorum secretio, quapropter continuo ad oculum affluxu, impedito refluxu, oculus intumescit. Sic quoque in moribundis ob spirituum singularem ἀταξίαν & vehementiorem impulsum, ac quasi dispositioni suæ similes, lucidas scilicet sibi quærere vias velint, ultimum ita conatum in partibus hisce exercere solent. Similiter nervum opticum cum reliquis partibus tendinosis & musculosis à serosis & nimis humidis relaxari posse, quis est, qui dubitat? exemplum admirandum est in cive hujus civitatis, cujus oculus sinister in totum à catarrho propulsus est, ita, ut pupilla & omnes humores ablati, & tantum carnis portionem instar pugni prominentem aspicias, quam & feliciter exscindebat Chirurgus.

Strabismi. *Strabismus* est distortio & utplurimùm musculorum ocularium resolutio, vel convulsio nervorum musculis ocularibus insertorum, vel nimia musculorum ocularium relaxatio, cui sepe accedit consuetudo oculos contorquendi indebita & diutina, unde spiritus animales consuescunt influere in musculos, hinc tale malum manet semper; quare infantibus matrum imprimis blandientium aut de educatione eorum nimis solicitarum hoc solenne esse solet, quoniam ab incuria & negligentia seu inscitia nutricum oritur, dum in decubitu infantum peccant, ponendo cunas tali positione, ut lateraliter vel lucidas fenestras, vel ardentem candelam continuò aspiciant, quo aspectu fit distortio pororum, atque hinc distorquentur musculi, vel eorum fibræ per spiritus animales tali modo irradiantur, ut posteà semper aspectu eorum, contortus maneat; aliquando hunc affectum ab occursu subitaneo alicujus rei terrificæ, vel flammæ ignis, vel fulguris accidisse observavi. Sæpissimè tamen oritur hic affectus post convulsiones infantum; sic bis post variolas Epilepsia stipatas, & post plures insultus epilepticos hunc annotavi Strabismum.

Ficus cancrosi. Uti *Ficus cancrosus* plures afficit partes, ita etiam non parcit nobilissimæ parti, oculo scilicet, acido enim volatili insigniter corrosivo circa nobilem hanc partem sibi imperium rapiente, senioribus melancholicis utplurimum post diuturnam opthalmiam, nec non mulieribus demenstruis, acido corrosivo abundantibus, hoc malum accidere solet.

Ficus scirrhosi. Causa *scirrhosi Ficus* est ferè eadem, nisi quod in scirrho acidum non adeò sit corrosivum, sed magis viscidum ac coagulans, & sæpe à sanguine coagulato, vel succo nutritio non bene assimilato exoriri solet; facilè tamen scirrhosus hic ficus in cancrosum degenerare potest, hinc tantùm hi affectus differunt secundum magis & minus quoad causam.

Perforationis. *Perforationis* oculorum causam unà cum reliquis adscribimus rei externæ acutæ & pungenti, vel ex improviso oculis illapsæ, vel violenta & inimica manu plus minus altè in illos intrusæ, vel humoribus acribus.

Prognosis Atrophiæ & Procidentiæ. §. 13. Et hæc de causis sufficiant, haurienda jam præsagia. *Atrophia* & *Procidentia* oculorum semper involvunt difficilem curationem; & quo causa intensior, eo malum difficiliùs curatur.

Strabismi. *Strabismus* in adultis vix emendabilis est, vel arti auscultat, quemadmodum & ille, qui ex Epilepsia productus diuturna, ubi jam spiritus assueti sunt influere, rarò curatur. In infantibus tamen faciliùs curationem recipit.

Ficus cancrosi. *Ficus cancrosus* pro incurabili & deplorato relinquitur, ac tantùm cura palliativa à Practicis adhiberi solet, spectans solummodò ad mitigationem symptomatum, per evacuantia & topica remedia, de quibus in cura.

Ficus scirrhosi. Si *scirrhosus Ficus* facilè ob acidum, quod haud rarò nimis corrosivum ob stagnationem reddi solet, in cancrum transit.

Perforationis. *Perforatio* si vulnus dederit angustum, in sola cornea subsistens, nec nimis altè transiens, non ita difficulter curari potest: si verò altè penetret, ut magna subsequuta fuerit humoris aquei effusio, aut ita latum existat, ut ipsam uveam attingat vel etiam lædat, parva spes restat de omnimoda consolidatione, à qua visus perfectè restituatur.

Diæta. §. 14. Diætam quod attinet, in oculorum hisce affectibus aer sit calido temperatus; Victus sit optimus, vitentur carnes & pisces minùs bonæ notæ, omnia nimis salsa, acria, dulcia, acida. Omnes fructus horarii, legumina quæque, fugienda. Cerevisia junior & minus defæcata noxia. Somnus & vigiliæ sint moderata, alvus consueto ordini respondeat, animi affectus immoderati omnes abigendi.

Cura Pharmaceutica & Chirurgica Galenicorum in Atrophia. §. 15. Hisce premissis ipsam nunc aggredimur curam pharmaceuticam, quæ methodo medendi & præsidiorum materiis absolvitur. Prodeant autem primò *Galenici*, suam nobis affectus hosce tractandi rationem aperituri. Hi in oculorum *Atrophia* curam instituunt primùm victu optimo, qui corpus maximè alere & implere bonis succis valeat; hinc vitandam præcipiunt quamcunque causam lacrymas excitantem, uti quoque omnem tàm corporis quàm animi agitationem, posthæc fotus adhibent calidos & attrahentes ex lacte muliebri, decocto fœnigræci, malvæ, aut seminis lini cum molliori spongia oculis applicandos, quin frictiones parant in partibus vicinis, nihilque intermittunt eorum, quæ ad sanguinem spiritusque in partes has alliciendos innoxiè applicari poterunt.

In Procidentia. *Procidentiam* restituere conantur amovendo quascunque causas externas instituta sanguinis missione ex cubito, vel purgatione per scammonium aut veratrum, aliisque adhibitis præsidiis convenientibus, ut humores ad oculum confluentes avertantur. Et si præ nimio humore tendines & ligamenta sint relaxata, victum precipiunt siccantem, oculosque spongia aqua frigida seu rosacea aut plantaginis imbuta, item lana succida succo cichorii ac plantaginis, aut linteolis duplicatis, & Decocto rosarum, pillularum cupressi, acaciæ, hypocistidis, vel myrtillorum conspersis insuper comprimunt, atque in pristinum ac nativum locum restituunt; ut meliùs ibidem contineantur, fascina tenuiori eos aliquandiu deligant Cucurbitulas; quoque cum magna flamma cervici affixas collaudant.

In Strabismo. *Strabismum* ex Paralysi aut nervorum distentione ortum iisdem remediis, quæ in his affectibus tanquam proficua proponunt, depellendum suadent, qualia sunt fotos ex chamomilla, anetho, sal via, betonica, calamenta, hyperico, ruta, stœchade, herb. & flor. paralys. serpillo, flor. & bacc. lauri, &c. Olea tamen ut oculis noxia vitare docent. Hisce sine fructu adhibitis, vix alia remedia quicquam prodesse rentur. In ætate tamen adhuc tenera eum curari posse concedunt, quando nuper nati infantuli ob consuetudinem intuendi lucernam noctu in aliquo ex thalami angulis collocatam, in illum inciderint, si lucerna è regione collocetur, vel persona ita ponatur, ut eam à fronte recta inspiciant: quando verò versus nares detorquentur oculi, floccos rubro colore suffusos externo oculorum angulo agglutinant, ut ad hos fixis luminibus respiciendo depravatus oculorum situs corrigatur.

In Ficu cancroso. *Ficus cancrosi* curationem distinguunt in palliativam & veram seu legitimam. Palliativam, præter indictam diætam convenientem, perficiunt præparando primùm humorem melancholicum & adustum biliosum apozematibus aperientibus & spleneticis; simul hepar calidus temperantibus. Ex. gr.

℞. *Rad. fœnic.*
Cappar.
Cichor. aa. ℥ iij.
Polypod. qu. ℥ ij.
Caryophyllat. ℥ j.
Herb. beton.

Cha-

Chamædr.
Euphras.
Scolopendr.
Epithym.
Rut. murar.
Fumar. aa. m ß.
Flor. beton.
Borrag.
Bugloss.
Epat. nob. aa. *p.ß.*
Cort. tamarisc. ℨ iij.
Sem. 4. frig. maj. aa. ℨ ij.
Fœnic. ℨ j ß.
Vitic. ℨ j.
Incisa & contusa coq. in s. q. aq. commun. F. Decoctio clara, cujus ℔ iij. *vel* ℥ xxxij. *ad.*
Syr. de pom. Reg. Sapor.
Lupul. aa. ℥ j ß.
De Scolopend. Fornel. ℥ j.
M.
Bibat æger de hoc Apozemate singulis diebus ℥ iij.

Temperant eundem humorem atrabilarum jusculis carnis vitulinæ & pullorum gallinaceorum, alteratis foliis borraginis, buglossæ, sonchi, pomis dulcibus, & ratione oculorum tanquam partis affectæ, euphrasia, & summitatibus aut radice fœniculi. Humorem præparatum evacuant syrupo rosato composito cum sena, agarico, & rhabarb. Electuar. diacathol. confect. Hamech, dissoluto uno aut altero in Decocto convenienti, qualia fiunt ex beton. agrimon. fumar. euphras. fœnic. &c. vel in decocto cortic. Hellebor. nigr. in sero lactis caprini, vel etiam in Decocto de epitymo Mesuæ. Venæsectionem quoque instituunt secando venam brachii ad latus partis affectæ, cucurbitulas scapulis & clunibus, hirudines autem modò sub aures ad jugulares venas, modò ad hæmorrhoidas ano applicant, sensim emittendo sanguinem, ne importuna phlebotomia ob hepar debilitatum nimiùm noceat. Topica etiam adhibent loco affecto, inter quæ Aquam suam stillatitiam contra cancrum non immeritò magni æstimavit *Hildanus*, cujus descriptio hæc est:

℞. *Rad. Scrophular. maj.*
Herb. Geran. Robert aa. M ij.
Arnogloss. maj.
Solan.
Bugloss. sylvestr.
Herb. Borrag.
Portulac.
Euphras.
Beton. aa. M j.
Ranar. aquat. &
Album. ovor. diu agitat. aa. No. xij.
Sem. Cydon. &
Fœnigræci aliquantum conquassat. aa. ℥ j.
His seminibus affund. aq. rosar. & euphras. aa. ℔ j.
Incidantur omnia & conquassentur, destillenturque in alembico plumbeo.
Gossypio aqua hac imbuto oculus seu pars affecta aliquoties abluatur.

Ad intercipiendum humorum affluxum fronti admovent defensivum ex farin. hord. pulv. rof. rubr. myrtill. balaust nuc. cupress. flor. beton. acac. cum oleo rosac. cera & aceto in unguentum redactis. Legitimam curationem non medicamentis, sed ferro potiùs peragendam suadet idem *Hildanus*, ut simul & semel extirpetur quidquid vitiosum est. Pharmaca enim parum judicat proficua, quia eadem vel resolventia erunt, vel erodentia. Resolventibus tumor hic durissimus non auscultat, sed verendum potiùs, ne ex iisdem summam contrahat malitiam. Erodentia autem valde sunt periculosa, cùm ratione duritiei tumoris non mediocri, sed valida esse deberent, quæ tamen, cùm ad nervum opticum illis penetrandum sit, ob viciniam cerebri, membranis ejusdem facilè causarent inflammationem, quare ab iisdem est abstinendum.

In Ficu scirrhoso.

Scirrhosum Ficum penè eodem modo curandum tractant, quo priorem; purgato enim ægro, remediis in priori affectu prænominatis, venam secant cephalicam in brachio lateris affecti, optimaque instituta victus ratione forcipe oculari palpebram, cui scirrhus ille magis adhæret, attrahunt & invertunt, tum cultello separatorio tumorem auferunt; hoc peracto, albumen ovi aqua rosacea mistum imponunt, tandem collyriis anodynis ex mucilag. sem. cydon. & plantag. aq. rosac. extract. lacte muliebri, additis camphora & croco, nec non exsiccantibus ex aq. plantag. & rosar. cum tutia pp. C. C. p. & ceruss. lota oculum ad sanitatem perducunt.

In Perforatione.

Perforationem oculi curant imponendo ei albumen ovi cum aqua rosacea & nonnihil croci, fronti verò ad humorum influxum intercipiendum defensivum ex bolo armena, terra sigillata cum oleo rosac. & pauca cera & aceto in formam unguenti redactum. Ut alvus maneat aperta, iniiciunt enema, & postera die exhibent catharticum. Hinc anodynis tractant ad aliquot spatium dierum, & tandem cicatricem inducunt collyrio ex aq. euphras. saccharo & tut. ppt. ita sanari dicunt, etiam visu post aliquod tempus redeunte.

Paracelsistarum modus ac ratio curandi Atrophiam.

§. 3. *Paracelsistarum* cura *Atrophiæ* in eo consistit, ut affluxus mumiæ naturalis omni studio promoveatur, aperiendo omnes poros, & adimendo omnia obstacula eosdem occludentia, deinde restituendo succum viridem vegetantem, quod præstari posse rentur quinta essentia Antimonii & Auri, quæ ut totum corpus, ita & membrum ejus hoc nobilissimum acuunt, & mirum in modum renovant.

Prolapsum

Prolapsum oculum demptis priùs causis & impedimentis quibuscunque, in debitum locum, sive orbitam suam reponunt, & ut repositus ibidem maneat & obfirmetur, inspergunt ei pulverem subtilissimum ex mumia, ossibus dactylorum combustis & tutia ppt. &c.

Strabismũ.

Strabismus si à convulsione vel paralysi ortum habeat, ejus remedia ex Medica nostra Encyclopædia, titulo de convulsione vel paralysi, secundùm *Paracelsistarum* sententiam hic repeti possunt: qui verò ex mala consuetudine obvenit, eum simili modo per larvam ut reliqui Authores, corrigendum suadent.

Ficum cancrosum.

In *Ficu cancroso*, ut ulterior humoris nutritivi à sanguine separati prohibeatur affluxus, & corrosivitas salis plumosi vel arsenicalis hebetetur & corrigatur, laudat *Paracelsus* Lithargyrium modo sequenti præparatum. ℞. Lithargyr. triti ℔ ß. aquæ salis, Aluminis aa. ℔ j. Aceti albi ℔ iij. reduc super carbones usque in consummationem aquarum istarum: Cujus Lithargyrii cum aq. fontis aa. reduc ad calores per noctem, & exsicca. De hoc minutissimè pulverisato oculis cancrosis aliquid inspergi potest, vel aliis addi collyriis oculis commodè applicandis.

Ficum scirrhosum.

In *Ficu scirrhoso* curam omnem ad resolutionem tartari istius, vel salis coagulati dirigunt, optimè eam obtineri persuasi internè per aurum vitæ & tincturam alcahest, externè verò non adeò multa oculis applicari aut immitti vult *Paracelsus*, fumum tamen farinæ fabarum in aceto humectatæ, ut in aliis tumoribus oculorum, ita & in hoc affectu permittit.

Cura Helmontiana Atrophia.

§. 17. *Helmontii* juxta sententiam *Atrophiæ* oculorum curatio obtinebitur, si fermenta lienare & fellis modo debito restaurabuntur, corrigentur & reficientur, nec non spiritus oculorum insiti ita detinebuntur, ut ab Archealibus passionibus minimè deturpentur, hisce recta ratione & remediis conformibus frænum iniiciendo. In describendis autem & aperiendis hujusmodi & talis virtutis medicaminibus, plus debito parcus & planè mutus est, tanquam in perpetuum permansura sint arcana, ne sui communicatione vilescerent.

Ficus cancrosi.

Ficus cancrosi curatio peragitur reducendo Archeum furiosum in debitam viam, qua exorbitaverat, insimul corrigendo & abigendo venenum illud irritativum occasionale, à quo remanente aliàs Archeo non permittitur esse tranquillo & quieto. Huic autem negotio præ reliquis conferunt cancri fluviatiles, cum ranis, & metallo Saturno dicato, quæ triplicata & fortissima liga Archeo furioso multum facessunt laboris, inque opere cœpto insigniter impediunt.

Ficus scirrhosi. *Ficus scirrhosus* ut tollatur, opus est resolutione mucilaginis excrementitiæ, à digestione sexta relictæ, ne illa ca nalibus oculi nimis arctè adhærens, ab accurrentibus Archei irritati & in auxilium vocati manipulis, in ejusmodi duram & renitentem excrescentiam adigatur, & tanquam in Marpesiam cautem convertatur. Hoc præstari posse non dubitat Author hic nobiliss. à lixiviosis sive alcalibus tam internis, quàm externis, utpotè non parva potentia resolutiva à Natura dotatis.

Vuillisii methodus medendi Atrophiæ. §. 18. *Willisii* affectus hosce tractandi ratio modò venit consideranda, cujus intentio curatoria in *Atrophia* ista eò potissimum vergit, ut primò succus nutritius debita ea copia elaboretur, quò pars quoque hæc corporis nobilissima illius affluxu atque irrigatione necessaria gaudere possit; deinde liquor nervosus, seu spiritus animales ad officium suum excitentur, quod præstare tenentur in succi istius nutritii commoda distributione, & in partibus aridis adsimilatione. Prius obtinere satagit tum succurrendo chylo, ne ille primarum culpa viarum pervertatur, sed potiùs laudabilis ac copia sufficienti sanguini inferatur, tum sanguinem corrigendo & depurando, ne ejus vitio chylus in ipsius massa corrumpatur, sed ritè potiùs rectèque in sanguinem & succum nutritium commutetur. Huic scopo Decocta parat, Aquasque destillatas, sanguinem restaurantia ac purificantia. Sint paradigmata quædam:

♃. *Rad. fœnic.* ℥ ß.
Imperat. ℥ ij ß.
Levistic. ℥ j ß.
Rasur. Ebor. ℥ iij.
Herb. beton.
Rut.
Hepatic. aa. *M* j.
Flor. salv.
Borrag.
Buglosf. aa. *p.* j.
Passular. ℥ j.
Coq. in Aq. font. ℔ iv. *ad tert.*
In Colatura clara dissolv. Salis Tartari puriss. ℥ j. *add. Syr. de pomis* ℥ ij. *Sumantur* ℥ iij. *bis vel ter in die.*

♃. *Rad. Chærefol. rec.* ℥ j.
Herb. seu fol. potentill.
Euphras.
Fumar. aa. *M.* j.
Flor. anth. p. j.
Caud. Cancrorum fluviat. No. xv.
Limac. mundat. No. xij.
Cort. Aurant. ℥ vj.
Concis. & contus. affund. lact. recent. ℔ iv.
Succi fœnic. ex herb. rec. ℥ iv.
Borrag. ℥ ij.
Destillentur per Alembicum.
Æger de hoc Destillato assumat itidem ℥ iij. *vel iv. manè, à meridie, & vesperi.*

Spiritus animales ut ad officium redeant, succumque nutritium debitè excipiant, & partibus oculorum alendis rectè adsimilent, excitantur à variis spirituosis & volatilibus, sale videl. volatili sanguinis humani, floribus salis ammoniaci, Spir. C. C. lil. convallium, Essentia rorismar. Valerian. Ambræ, Tinctura succini, &c. Capiatis exemplar:

♃. *Aq. fl. lil. convall.* ℥ j ß.
Rorismar. ℥ ß.
Essent. valerian. ℥ ß.
Spir. C. C. cinamomisat. ℥ ß.
Sal. volat. succin. gr. vj.
Syr. de Pæon. ℥ vj.
M. Dos. Cochlear. j. vel ij. aliquoties in die, imprimis tempore matutino.

♃. *Tinct. flor. Tunic.* ℥ ij ß.
Cinam. ℥ j.
Essent. ambr. ℥ ß.
M. Dos. gt. 20. *vel* 30. *in vino generoso.*

Procidentia. Procidentiam oculorum à causis externis violentis productam eadem ratione, qua reliqui Authores curandam permittit, debita videl. repositione, & impositis externis vulnerariis & adstringentibus, vel forma pulverum inspergendorum, vel sacculorum applicandorum, vel aliorum collyriorum: quæ verò nimio humorum, imprimis laticis serosi influxui natales suos debet, ejus cura instituitur evacuantibus & exsiccantibus, tum internis, tum externis, catharcticis maximè, & diaphoreticis. Inter catharctica sequentes pilulæ conveniunt:

♃. *Extract. Diacartham.* ℈ j.
Resin. Gialapp. gr. vj.
Salis Tartari gr. iij.
M. cum s. q. Tinct. Tartari F. Pilulæ vj. *pro una dosi.*

Inter diaphoretica laudantur Decocta lignorum, Antimon. diaph. Sal Card. bened. Rorismar. &c. Esto formula:

♃. *Rad. bardan.*
Sarsaparigl. aa. ℥ ß.
Rasur. lign. Junip. ℥ vj.
Sassafr. ℥ ß.
Fol. Card bened.
Rorismar. aa. *M* ß.
Coq. in s. q. Aq. simpl.
Colatur. ℥ iij. *add.*
Julep. Sambuc. ℥ j.
D. una vice, & corpus disponatur ad sudorem.

Externè vesicatoria nuchæ & brachiis applicat.

Strabismo. In *Strabismo* ut inordinatus idemque violentus Spirituum animalium corrigatur motus, illique non ad unam tantummodò, sed quamlibet oculorum partem facilè & æqualiter influere denuò adsuescant, varia adhibet antispasmodica, spiritus à copula illa explosiva eos huc magis quàm illuc raptu quodam subitaneo & fulminari impellente, liberantia tubulosque musculorum affecto lateri obversos sufficienter dilatantia, qualia sunt Spir. & Sal volat. C. C. castoreata, succinata. Externè quoque, præprimis si mala accedat consuetudo, insans per varia in medium prolata objecta luminosa ita disponatur, ut ad omne latus oculos movere & flectere conetur, cui voto & cortices nucum, vel larvæ quædam aliæ latere eo, quo intuitus aliàs est difficilis, perforatæ oculis apponuntur, ut ad lumen diei, vel candelæ cujusdam per foramen illud attendat.

Ficui cancroso. In *Ficu cancroso*, ne nihil agere videatur, curam eò dirigit, ut sanguis à particulis illis atrabilariis acribus purificetur, insimul succus nervosus ab iisdem liberetur, quod præstari non dubitat sequenti vel simili Decocto purgante:

♃. *Rad. Oxylapath.*
Polypod. qu. aa. ℥ ß.
Helleb. nigr. ℥ iij.
Sem. Cartham. ℥ ij.
Herb. rut. murar.
Fumar.
Beton.
Veron. aa. *M* ß.
Santal. alb.
Citrin. aa. ℥ j ß.
Sulph. alb. ℥ iij.
Sem. fœnic. ℥ j.
Coq. in aq. font: ℔ iij. *ad mediet. add.*
vin. Rhen. ℔ j.
Colaturæ tepidæ impon. fol. sen. select. ℥ ß.
Cort. aurant. ℥ ij.
Fiat Infusio per noctem.
Colatura hinc servetur ad usum, cujus dosis ℥ vj. *quibus pro edulcoratione addi & immisceri possunt Syr. de fumar. compos. vel de Epithym.* ℥ ij. *Assumatur bis vel ter ad summum in hebdomade.*

Topica sunt saccharum Saturni, & Balsamus lithargyrii.

Ficui scirrhoso. Ad resolvendum *Ficum scirrhosum*, quod in principio fieri debet, ne ullum capiat incrementum, topica usurpat ex gummi, imprimis Ammoniaco, ut reliqui Authores.

Iuxta Sylvium Curatio Atrophiæ. §. 19. Sed *Sylvii* è sylva nunc eamus collectum, quæ pro morbis hisce abigendis aut leviùs ferendis alicujus erunt emolumenti, nobisque impetrare & eruere licet. In *Atrophia* hac oculorum, ut in ipsa universali, tria ille proponit maximè observanda axiomata cura-

curatoria. 1. Sanguinis defectus est reparandus. 2. Ejusdem vitium qualecumque corrigendum. 3. Partium alendarum noxa, per infortunium facta, reparanda. Primum obtinetur usurpando alimenta optima, quantitate moderata; deinde amovendo emendandove singulas defectus istius causas. Secundum fit vel amovendo à sanguine humores vitiosos singulos ipsi admistos per evacuantia commoda, vel adhibendo corrigentia tum universalia, tum unicuique ejus vitio maximè apta. Tertium ipsam requirit manum Chirurgi.

Procidentiæ & Strabismi. In *Procidentia* curanda nihil à reliquis Authoribus statuit peculiare, uti & in *Strabismo*, cujus emendatio pro diversitate causarum variè erit instituenda, atque unà cum materia medica ex *Encyclopedia* nostra *Medica*, vel capite de Paralysi p. 147. vel de Convulsione p. 191. & 192. repetenda.

Ficus cancrosi. In *Ficu cancroso* si non plane depellendo, tamen leniendo, laudat alcalica fixa vel fixantia, acidumque illud acre concentrantia & corrigentia, ut sunt Creta, sanguinis draconis, Tutia, Lithargyrium, saccharum Saturni, Oculi Cancrorum, Corallia, Margaritæ, &c.

Ficus scirrhosi. Ad *Ficum scirrhosum* discutiendum itidem laudat gummi, Bdellium, Galbanum, Ammoniacum, nec non thus, myrrham, &c. Emplastri forma applicata.

Cartesianorum Curatio Atrophiæ. §. 20. Jam fores *Cartesianorum* pulsandæ nobis restant, ut eorum quoque consiliis, pro consueta iis liberalitate ditemus. Suadent verò hi, in ipsa Oculorum *Atrophia*, ut omne locetur studium in reparando succo nutritio puro & futuræ alimoniæ commodo, tum promovendo ejus præparationem in glandulis, præsertim mesaraicis, quò sufficiens copia laudabilis chyli Cysternam vel Receptaculum illud chylo dicatum influat, atque ex eodem massæ sanguineæ communicetur; tum depurando illum à recrementis & impuritatibus quibuscumque à sanguine infecto sibi adsumptis, omnemque adsimilationem aliàs irritam reddentibus: Deinde aperiendo meatus seu tubulos illos musculorum, quò absque ullo obstaculo ad partes oculi alendas permeet: Postremò, si spiritus animales deficiant, aut crassiores existant, quam ut nutritium succum actuare & partibus apponere nati sint, illos etiam ipsos reparant & subtiliores reddunt. Chyli præparatio prærequirit debitam ciborum in ventriculo digestionem, quare stomachus confortandus, & fermentum ejus excitandum aut ità corigendum, ut succus ex digestis cibis intestinum ingrediens, inibi facilè in chylum abeat; quare Digestiva, & Aromatica in usum ducenda sunt ex crystallis Tartari, Ebore s. ign. rad. ari, liquor. terræ fol. tartari, Essent. Zedoar. rutę, melissæ, Elixir Menthę, Tinctura baccar. Junip. cum cardamom. mac. & cochinill. spirit. vin. tartarisat. extracta, &c. Ne peregrinas & noxias, acutas videl. & acres particulas in sanguine assumat, sanguis ab iisdem depurandus per alcalia, humores istos acres imbibentia, & diaforetica varia, medicamenta ex lignis Tubuli musculorum referandi, dilatandi, & spirituum animalium in eosdem influxus promovendus per spirituosa & volatilia, v. gr. spiritum Euphras. Essent. Ambr. Meliss. Elixirium illuminans, Liq. C.C. succinatum. Venus immoderata interdicenda, & noxa ab ea inducta corrigenda, quare fibræ nimiùm exsicatæ, durisque circumseptæ terminis emolliendę instillata partibus illis oculi ex consumptione excavatis gutta una vel altera lactis calidiusculi, imprimis humani recens ex ubere, ægro supino in lecto jacenti, ut ita per diuturniorem moram partes sufficienter emolliat, cui remedio substitui potest Aqua Ophthalmica de cancris. Lucubrationes & acutus rerum intuitus moderanda, & assumenda superiora spiritus augentia & recreantia.

Procidentia. *Procidentiæ* à causa externa violenta inductæ curationem obeunt, oculum prolapsum intra orbitam suam commodè intrudendo, quod manu aptisque instrumentis, aut linteo tenero peragitur, oculum intumefactum & partes vicinas prius emolliendo sacculis flor. Chamomill. Melilot. Rosar. Herb. Euphrag. sem. fœnigr. fœnic. &c. repletis, & aqua rosar. incoctis: reposito inspergunt vel pulveres, vel applicant Collyria adstringentia ex alcali C.C Tut. pp. amydo, acac. olibano, &c. Laudantur Trochisci Ophthalmici *Mynsichti*; Aq. plantag. rosar. pecul. ear. verben. flor. Ligustri, polygoni. Æger autem supinus decumbat, usque quo oculus firmiter adhæreat. A nimio lymphę aut seri influxu citatam auferunt medicamentis serositates vel educentibus catharcticis, vel absumentibus, diaphoreticis nim. anteà dictis, applicatis nuchæ, scapulis aut brachiis etiam vesicatoriis, topica adhibent exsiccantia, nec contemnunt fumum tabaci oculis nimium humidis modicè insufflatum, imprimis quando species convenientes eidem immixtæ sunt, ex rosis videl. Cortic. myrabol. Nucista, sem. fœnic. cum Junip. animæ, mastichis, succini, cùm de successu optato non pauca habeant experimenta.

Strabismi. *Strabismum* difficillimæ ac penè nullius existimant curationis, si altiores temporis tractu fixerit radices; pro diversitate tamen causarum remedia variant, modò antiparalytica, modò antispasmodica adhibentes; quæ verò in infantibus ab aliis per larvam tentatur in statum convenientem reductio, & illi, ne præ aliis videantur otiosiores, placidè permittunt.

Ficus cancrosi. *Ficum cancrosum* prudenter & solicitè tractandum esse jubent, ne incautè tractatus, exulcerationi subiiciatur, omnem posteà reiicienti medelam, quin morti ipsi ansam præbenti, quare principio ejus etiamnum occurrendum, internè adhibitis sanguinem & cum illo succum nutritium purificantibus, aut succos vitiosos planè eliminantibus per Extractum helleb. nigri, Trochiscos alhandali, Lapidem Lazuli pp. &c. Pilulas melanagogas *Mynsicht*. Sanguis optimè purificatur diaphoreticis, in specie Sale fuliginis, & Mixtura de fumaria *Ang. Sal.* Bezoard. Solari Externè illa adhibentur, quæ excrescentiæ huic ulterius impediunt incrementum, & particulas acutas gladiolatas obtundunt, hebetant, & ne ad vicina serpant detinent, ut sunt Crystalli Jovis, saccharum Saturni, cinis testar. Cancrorum, Liquor mellis ab Antimonio abstractus.

Ficus scirrhosi. Dum verò adhuc est *Scirrhosus* atque indolens, resolutionem & discussionem duri crassique illius succi instituunt adhibitis topicis gummosis, ex Ammoniaco videlicet paratis, & Galbano cocto, ita tamen, ut circumspectè cum eo agatur, ne imprudenter immistis nimiùm emollientibus suppuratio promoveatur, quam ipse Cancer excipit, nulla postmodum arte domabilis.

Iuxta Authorem Cura Atrophiæ. §. 21. *Nos* in curatione horum affectuum tali ordine progredimur. *Atrophia* oculi si oriatur ab aliis morbis, eò incumbendum, ut illi priùs curentur; si verò à succi proprii acidis & acribus particulis oculi partes devorantibus, tunc præmittantur varia sudorifera ex lignis, posthæc demulcentia & balsamicum succum restituentia, inter quæ eminent omnia salia balsamica volatilia, balsamus meus nervinus per mensem & ultra ad gutt. 20. in Aqua euphras. meliss. &c. assumptus. Huc pertinent liq. C.C. succinatus &c. item Sal. volat. C.C. usus per tempus continuetur. Interponenda quoque sunt varia absorbentia, inter quæ palmam habent Cinnabarina cum oculis Cancrorum sæpius per septimanam exhibenda. Antimonium diaphoret. & Bezoart. mineral. ad sudorem excitandum non sunt contemnenda. Topica sint blandè demulcentia, ut mucilag. ex sem. cydon. cum aqu. fœnic. euphras. addito momento Aq. Regin. Hungar. quæ sepe sola sufficit oculis imposita ad spiritus iterùm alliciendos, & obstructionem tollendam, præsertim ubi spirituum inopia percipitur. Aquam *Langii* ita impositam hoc in affectu præstantem observavi. Ad acres etiam has particulas repellendas & quasi retrahendas, conducunt varia vesicatoria nuchæ vel auribus applicata.

Procidentiæ. In *Procidentia* Oculi Curatio instituitur cum causarum suarum ablatione. Si ergò evenit à causa violenta, varia sunt imponenda demulcentia & inflammationem impedientia: sacculi proinde ejusmodi herbis, ex. gr. veron. euphras. pentaphyll. fl. balaust. chamomill. melilot. &c. repleti, & lacte incocti parentur, & imponantur loco affecto: manu verò in locum debitum reponatur oculus; vel asser quercinus applicetur sæpe oculo per diem, si affectus fuerit inveteratus:

teratùs: Si verò affectus est recens, statim ad inflammationem arcendam imponatur seq. cataplasma,

℞. Micæ panis alb. ℥ ß.
Lact. dulc. q. s.
Coq. ad consist. pult. dein
Add. vitell. ov. No. 2.
Ol. rosar. ℥ j.
Pulv. croci ʒ ß.
Camph. ℈ ß.
F. cataplasma.

Infundatur oculo lac muliebre, vel applicetur seq. linimentum,

℞. Mucilag. sem. cydon.
Psyll.
Aq. plant. extract. q. s.
Vng. Rosar. ℥ ß.
M.

Hartmannus commendat pulverem scarabæorum in stercore equino natorum, ad Solem in vitro clauso exsiccatorum mollificatis partibus inspersum. Partibus relaxatis inspergatur pulvis terræ Japonicæ, & linteo calido fiat dextra repositio & applicentur in occipitio vesicativa. Si verò Procidentia oculi fiat ab humoribus serosis, ligamenta oculorum ita relaxantibus, tunc conveniunt serum educentia, & purgetur corpus radice laxativa,

℞. Rad. laxativ. ℈ j.
Salis euphras. ℈ ß.
Ol. fœnic. gt. j.
M. D.

Josep. Burrh. Epist. ad Thom. Barth. Oculi prominentiam collyrio quodam adstringente, emplastroque defensivo Vigonis collo applicito, se sustulisse scribit. Confer. D. Stalpart. Obs. rar. lect. poster. Observ. 9.

Postmodum dentur sudorifera: hoc in casu proderit Decoctum lignorum per tempus aliquod in dosi convenienti usurpatum, quæ simul adstringunt.

Inter topica conveniet Aqua plantag. cum saccharo Saturni & lapide scissili Angl. Terra Japon. sæpius applicanda, aliaque modicè astringentia.

Varia Vesicantia applicantur: sequens semper applicuimus nuchæ cum effectu:

℞. Sem. Cannab. M. ß.
Rad. pyrethr. ʒ j.
Coq. cum vino rub. & f. instar emulsionis. Lintea madefacta hoc liquore imponuntur nuchæ.

Ad Procidentiam plures Authores commendant cucurbitulam magnam sine scarificatione posteriori capitis parti applicitam. Sic omnia ea hic conducunt quæ in aliarum partium Procidentiis.

Strabismi. *Strabismus* jam confirmatus & in adultis nullam, ceu diximus, admittit curationem. In *convulsis* rarò curatur. Si proinde affectus hic fuerit obortus post epilepsiam convulsionesque, tunc omnia conveniunt antispasmodica; internè pulv. spasmod. & illinantur musculi Balsamo Spasmod. *Mynf.* Aq. Regin. Hungar. *Lang.* Liquore nervino meo externo, axungia viperina, Essentia viperina, &c. imprimis sequenti:

℞. Aq. Fœnic.
Euphras.
Regin. Hungar. aa ℥ j.
Spir. Salis Ammoniaci gt. iv.
Camph. gr. j. F. Collyr.
Quo tangendi sunt oculi, & portio ipsis infundenda.

Dentur & hæc aliaque internè, & eodem modo cures hunc affectum uti Spasmum vel Epilepsiam. In infantibus aliquando ex objecto splendente in loco Strabismo opposito collocato curatur hic affectus, aut ex larva, in qua foramina visioni contraria respondentia, faciei imposita, qua aliquot curatos vidimus; nec negligenda superiùs dicta antispasmodica tum externa, tum interna.

Ficus cancrosi. *Ficus Cancrosus* rarò, vel, ceu dixi, nunquam curatur, & si quid tentandum, semper Medicus se muniat prognostico, nè famam imprudenter plebi exponat; melius enim est, eum non attingere, quàm attingendo irritare; si autem tangi debet, palliativè tantùm tractetur: vel periti Chirurgi manus commendetur, feliciter enim excisa fuisse ejusmodi Carcinomata legimus *Observ. 1. Guillelm. Fabric. Hildan. & Obser. 18. Henrici Rhonhysen.* Ad acidum ergò cancrosum, corrosivum scilicet, omnia Saturnina conducunt sæpe cum cinnabarinis permixta, cinnabaris enim serum resolvit, & acidos arsenicales humores absorbet, nervosque solatur. Sequens applicetur sæpius.

℞. Plumb. usti ʒ j.
Cinnab. Antimonii ℈ ß.
Croci ʒ ß.
Cum olei ros. q. s. in mortario plumbeo
F. Linimentum.

Imponatur etiam amalgama Antimonii cum Saturno.

Exulceratum Carcinoma ut planè non tangatur, author sum.

Et cùm *Scirrhosus Ficus* facilè exulceretur, cautè incedendum est; communis enim in scirrhis & scrophulis affectio est, ut si nigrescant, vel livescant, vel sint dolorosa, degenerent in cancrum exulceratum; acidum enim istud volatile corrosivum obscurè mordicat fibrillas quasdam nerveas & partes vicinas, unde dolor ille punctorius. Acidum ergò in hisce tumoribus scirrhosis temperandum, & durities emollienda. Faciunt huc resolventia discutientibus maritata. Inter hęc eminent Emplastr. ex Gumm. Ammoniaco, de cicuta, de ran. Vigon. cum Mercurio. Sed ob partem mobilem non bene imponi possunt, hinc variis liquoribus illinendæ sunt hæ partes, ex gr. Aqu. Hungar. spiritu viperar. maritata; Spir. vin. Camph.

In *Perforatione* Oculi tunicæ, sive Annatæ, sive Corneæ, sive Uveæ, absque humoris aquei effusione, curari solet per vulneraria, ex quibus præ aliis magnifacimus succum chærefolii recenter expressum, vel aquam ejusdem, vel Veronicæ ritè destillatam & applicatam; in herbis enim his traumaticis latet alcalinum principium possunt & Decocta fieri ex agrimon. alchymill. chærefol. sanicula, hyperic. rad. plantag. primul. ver. flor. balaust. & sic calidè oculus læsus foveri.

Saturnina omnia, ut Lac Lunæ, lapis calaminaris, pompholyx, Tutia, ut & bol. Armen. Antimonium diaphoret. prosunt, ex quibus varia parari possunt Collyria & sæpius tepidè applicari.

Quemadmodum etiam certum est & constans fidumque assertum, Traumatica pro interno usu ad externam curationem plurimum prodesse, ità & in hoc casu eadem non sunt omittenda, qua de re non parùm laudatur Tinctura Terr. Japon. Sæpe quoque sufficiunt oculi Cancrorum, vel soli cum successu à me usurpati. Addi etiam Traumaticis hisce possunt specifica oculis dicata & adscripta, ex. gr. paretur Tinctura Terr. Japon. cum spiritu euphras. & detur. Non raro & hic conducunt omnes potiones vulnerarię communiter dictæ; quæ tamen non ità largiter sunt exhibendæ, sed tantum cochleatim; sic enim liquores, sanguinem & serum, ad id aptant, ut & ipsi partis clima non destituant, aliàs communi vita privandum; insuper resistunt putredini, sanguineum & serum ichorescens corrigunt, motum succorum in parte læsa conservant, simulque pororum laxitatem debitè coarctant, de quibus vide de *Vulneribus in genere librum 5. cap. 19.*

In ea Perforatione verò, ubi jam aquei humoris effluxus fuerit factus, sunt Neotericorum quidam, qui aqueum hunc humorem restituere satagunt. Humor enim hic aqueus sive anterior, pupillæ motui & radiorum temperationi maximè inservit, hinc ex humoris hujus defectu in senibus visionis munus, ceu superiùs dictum, non ritè peragitur.

Humor ergò aqueus, utpotè à lympha progenitus, faciliùs (Tunicæ corneæ vulnere adstringentium ope priùs obducto; ad inflammationem arcendam sequens vel simile applicari potest, aq. plantag. cum bolo, album. ovi, & granis aliquot Camphoræ: optimum verò remedium est, si oculus vulneratus optime operiatur, & ab aere defendatur, sic enim non tantùm citius generabitur cicatrix, verùm humores restituentur) succi

nutritii particularum & lymphæ blandioris copiosiùs influentis beneficio restituitur, prout centies in ansere aliisque animalibus tentavi; inflicto enim vulnere, & elapso humore aqueo, altero vel tertio à vulnere die oculus collapsus pristinam recuperavit formam, una cum visu. Inutilia sunt ergo ab Authoribus imprimis à Burrho commendata arcana, & alia quæ de ulmi & chelidonii viribus prædicantur, & tantum impostura est, ut quilibet mecum experiri potest, de quibus inferius, ubi de humoribus restituendis agemus, plura videre poteris; in quem finem meretur legi Obs. 126. Eph. Germ. A. 6. & 7. Sic reperies apud Beninvenium de abd. morb. c. 73. historiam de puella 4. annorum, cui dum nodum in panno solvere acuto gladio niteretur, resiliens mucro oculum dextrum percussit, quo perforato ipsius oculi tunicæ humor effluxit; quare etsi visum prorsus amiserit, ipsum tamen haud multo post recepit, restituto scilicet humore effuso. Confer Fallop. de vuln. cap. 3. Tulp. l. 1. c. 30.

CAPUT VII.

DE MORBIS PALPEBRARUM,

Trachomate, Emphysemate & Oedemate, Coalitu, Cancro, & Ectropio seu Inversione & Lagophthalmo, de Hydatide, Callo, & Calculis.

Ficus scirrhosi.

§. 1. SI quis alius, *Celsus* certè Romanorum ille Nobilissimus, admodùm pulchrè de Oculo sermocinans *lib. 6. cap. 6. p. m. 368.* Ingentibus & variis, ait, casibus oculi nostri patent; qui cùm magnam partem ad vitæ simul & usum & dulcedinem conferant, summa cura tuendi sunt. Nemo autem meliùs illis prospexit, aut prospicere potuit unquam, quàm Ipse Sapientissimus nostri Opifex, utrumque duobus muniens velamentis, *Palpebris* videlicet, ut tum aliàs, tum in somno potissimùm, illis sese conjungentibus gemmarum adinstar pretiosissimarum, sub iis tegantur, & custodiantur à quovis cæteroquin imminenti periculo. Proinde ut eædem ipsæ suo hoc ritè fungantur officio, opus est, ut à morbis serventur immunes, aut impetitæ protinus liberentur; hinc eosdem nunc meritò tractandos atque depellendos aggredimur.

Trachoma. *Trachoma* vocatur iste affectus, ubi Palpebræ in parte interna asperitudo adest, vocatur & *Dasymma*: Describi potest, quòd sit asperitas palpebrarum seminum milii aut granorum ervi instar cum dolore & gravitate. Dividitur etiam in tres alias species, quas ob confusionem metuendam haud libet addere.

Emphysema. *Emphysema* Palpebrarum, dicitur & *Physodes*, & est earundem tumor & inflammatio ex flatuosi spiritus copia ibidem sub cuticula palpebrarum collecta, & subsistens: fit & à rebus acribus, ictu araneæ, vespæ, apis, vel erucæ.

Oedema. In Palpebrarum externa sede intumescentia quędam œdemati diffuso haud dissimilis aliquando oritur, per quam palpebræ inflatæ & tumidæ apparent, nonnunquam & circumferentia quæ eas ambit simul, tum in oculorum morbis, tum extra hos, quæ diu sæpe permanet, aliàs mox remittit, hanc *Oedema oculorum* nonnulli nominant, rectiùs tamen *Intumescentia* dici meretur.

Coalitus. *Coalitus Palpebrarum* dicitur & *Connexio*, Græcis *Anchyloblepharon*, & quia fit semper noctu, hinc *nocturna* dicitur *Cohærentia*, item *Palpebrarum ulcus*, cùm scilicet Palpebræ vel inter se, vel cum aliis oculi partibus per somnum coalescunt; ut vix aperiri queant.

De Palpebræ superioris cum Oculo coalitu, vide *Hild. Cent. 6. Obs. 7.*

Cancer. *Cancer* etiam aliquando occupat Palpebras, isque vel exulceratus, vel non, qui cùm nihil vel parum admodùm habeat peculiare præ aliarum partium cancro, videas de *Cancro in genere lib. 5. cap. 8.*

Ectropion. *Ectropion* dicitur Inversio Palpebræ inferioris talis, ut nihil præter carnem rubram videas, estque caro luxurians suborta in palpebra, quæ sua gravitate palpebram foràs evertit, à cicatrice utplurimum producta.

Lagophthalmus. *Lagophthalmus* est inversio palpebræ superioris, vocatur *Leporinus Oculus*, cùm superior palpebra adeò retrahitur, ut oculum, dum clauditur, integrum non tegat, quod vitium nuper in lanione observavi, cui pustula exedit palpebram, qua breviore facta, nunc oculo aperto dormire necesse habet.

Hydatis. *Hydatis* dicitur & *Aquula*, à Zacuto Lusitano appellatur *Alsarnac*, & est pinguis quædam substantia tanquam adipis frustulum sub palpebræ superioris cute latens. Describi potest, quod sit mollis & laxus tumor, totam palpebram adeò obsidens, & œdematosam reddens, ut pondere degravata palpebra surrigi nequeat.

Hydatides palpebrarum *differunt* ab aliis Hydatibus, quia illæ pinguedinem, hæ verò aquosum liquorem continent.

Calculi & Callus. Sæpe etiam accidit, ut *Calculi* generentur, ut & *Callus* in palpebris, qui affectus videantur inferiùs suis capitibus lib. 5.

Pars affecta. §. 2. *Pars affecta* sunt palpebræ, externæ illæ oculi partes superciliis subjacentes supernè infernèque, interiores oculi tunicas contegentes, quarum una Inferior, altera Superior vocatur. Superior major atque mobilis, Inferior minor atque immobilis, Palpebræ hæ constant cute, membrana carnosa, musculis, nervis, tunica, tarsis, & ciliis: vocantur & καλύμματα, i. e. tegumenta Oculorum, vel coopercula.

Diagnosis Trachomatis. §. 3. *Trachoma* cognoscitur ex rubore, pruritu & milii granorum veluti eminentia, si fricentur palpebræ, magis intumescunt, adest gravitas & dolor.

Emphysematis. *Emphysema* apparet per se ex intumescentia scilicet palpebrarum, & si præcessere vel ictus araneæ, vel vespæ, vel erucæ; si enim erucam digito apprehendas, & dein palpebram attingas, statim hunc affectum patieris, quod sæpe meo damno expertus sum; sic in febribus diuturnis, vigiliis nimiis, cachexia, affectus hic oritur, & œdematosus iste tumor ex seroso colligitur humore, ibidem stagnante.

Coalitus. *Coalitus* exinde cognosci solet, quando palpebræ vel inter se, superior cum inferiore, vel cum alba, aut cornea, aut utraque oculi tunica coalescunt, couniuntur & extremitates earum conglutinantur, ut vix aperiri queant, & utplurimùm fit noctu, hinc vocatur Cohæréscentia nocturna.

Cancri. *Cancer*, tumor ille rebellis, cognoscitur ex suis propriis signis, de quibus infra lib. 5.

Calli. *Calli* diagnosis ibidem quoque tradetur.

Ectropii. *Inversio* seu *Ectropium* cognoscitur ex carne luxuriante palpebras inferiores gravitate sua premente, ut *Lagophthalmus* patet ex Superiorum palpebrarum retractione, unde oculi semper aperti manere debent, & hinc vocatur leporinus oculus, quia lepores apertis oculis dicuntur dormire.

E contra alium vidi affectum, ubi quidam palpebram semper clausam & oculum exinde tectum habebat, eundemque aperturus manu palpebram elevare coactus fuit, absque ullo tumore seu hydatide, in quo palpebræ superiores totum oculum tegebant.

Calculi & Calli per se patent.

Calculi Causa Trachomatis secundum Galenicos. §. 4. Veteres *Galenici causam Trachomatis* statuerunt humores acres, mordaces, ex bile adusta vel pituita salsa serosa oriundos, & palpebris illatos, sæpe à causa externa, vento aspero, fumo, & collyriis acrioribus excitatos & allectos, membranam palpebrarum interiorem dissolventes aut exasperantes.

Emphysematis. *Emphysematis* causas ponunt tum internas, humores videlicet aquosos & serosos, interdum etiam flatus; tum externè ictum vespæ, apis, vel aranei, &c.

Coalitus. *Coalitum* Palpebrarum oriri volunt vel à materia quadam pituitosa & viscida ad partes hasce oculi affluente, vel ab ulcere negligentiùs tractato, quo ad sanitatem vergente, partes hæ anteà mobiles & diductiles aut sibi invi-

invicem agglutinantur, aut cum alba, vel cornea, vel etiam utraque tunica uniuntur & coalescunt.

Cancri. *Cancri* non exulcerati causam imputant succo atrabilario adusto crasso, aliquantum tamen mitiori, in venulis harum partium hærenti; exulcerati verò, materiæ isti ità acri existenti, ut ipsas Palpebras corrumpat, & illuviem quandam sordidam ad oculos emittat.

Ectropii. In *Ectropio* tanquam causas accusant vel paralysin, seu resolutionem, vel carnis in parte interiore incrementum, vel vulnus aut ulcus malè curatum, ex quibus omnibus tum internam Palpebræ inferioris partem dilatari, tum externam abbreviari & strictiorem fieri contendunt.

Lagophthalmi. *Lagophthalmum* oriri existimant vel à mala conformatione in utero, vel prava in pueris consuetudine, vel vulnere aut ulcere malè curato.

Hydatidis. *Hydatidis* causam derivare student ex humore seroso intra Palpebrarum membranas illapso, à quo substantia illa unctuosa in medio Palpebrarum existens dilatetur & augeatur.

Callorum & Calculorũ. *Callorum* & *Calculorum* causam ponunt succum quendam crassum & peculiari sua natura lapidescentem, à facultate, nescio qua, lapidifica in hujusmodi duritiem & solidam substantiam conversum.

Juxta Paracelsum causa Trachomatis. §. 5. *Paracelsus* causam *Trachomatis* esse vult Sal aluminosum separatum & plumosum, quod non modò exedendo membranam Palpebrarum interiorem variè exasperat, sed in varias guttas segregatur, quæ coagulatæ, & à sale aluminoso dulci detentæ, in durities & tubercula ista, milii semina ostendentia, abeunt, ab eodem verò derelictæ partes corrodunt & varia producunt foramina.

Emphysematis. *Emphysema* oriundum vult ab arsenico puro, præter resolutionem Palpebram cum aliquali duritie & intentione inflante.

Coalitus. *Coalitum* Palpebrarum fieri censet vel à nervorum claro effuso, & Palpebras invicem glutinante, vel à mumia in saniem corrupta post malam ulcerum aut vulnerum tractationem, unde tunicæ oculorum eroduntur, & tandem Palpebræ similiter inficiuntur, & iisdem adhærent, atque mediante mumia vulnera curante concrescunt.

Cancri. *Cancri* causam statuit sal quoddam acutum colcotharinum ab eo, quod temperare potuit, separatum, & ob subtilitatem suam etiam ad superiores hasce oculorum partes externas perveniens, easque rodens & variè deformans.

Ectropii & Lagophthalmi. *Ectropium* & *Lagophthalmum* cum prioribus vel à contractione aut paralysi, vel mala conformatione, vel inconsiderata ulcerum aut vulnerum tractatione ab imperito Chirurgo produci posse concedit.

Hydatidis. *Hydatidem* oriri existimat à sale narcotico, & separato à sale trium, ut inquit, primorum, quod à natura propulsum in pustulam transmutatur vel bullulam instar aquæ transparentem.

Calli. *Callum* statuit tumorem arsenicalem, ex liquore carnis & sanguinis provenientem, dum per fricationes excitatur, & in superficie carnis suum ponit emunctorium.

Calculorum *Calculos* oriri aliis persuadere conatur à sale corporis ab occulto suo igne accenso, & Nephidicum quendam ictum recipiente, unde in lapillos istiusmodi induratur, uti firmamentum est causa lapidis & fulminis, quæ similiter in microcosmo existunt & interdum in externum veniunt conspectum.

Juxta Helmontium causa Trachomatis. §. 6. *Helmontius* causam *Trachomatis* quærit in acido cruoris ad interiorem Palpebrarum partem effuso, eamque exagitante, simulque cruoris quasdam partes variè coagulante, undè non tantùm asperitas & pruritus ab irritato Archeo, sed etiam pustulæ & tubercula exoriuntur, pro diversitate partium cruoris, in quas acidum illud agere consuevit.

Emphysematis. *Emphysema* similiter ab acido diducit, membranam palpebræ externam distendente, sicque dolorem excitante, & convellente, quare Blas Palpebrarum intenditur, eæque intumescunt.

Coalitus. *Coalitum* contingere docet à mucilagine ex latice à Custode cerebri errante ad Palpebras demissa, dum Custos ille vel ab aeris injuriis agitatur, vel ob ulcus & vulnus cruor corrumpitur, ex quo latex dissoluta salia adsumit, & in glutinum convertit Palpebras vel inter se, vel cum tunicis ipsius oculi connectens.

Cancri. *Cancri* ortum adscribit indignationi Archei ob compressionem doloris aut spontaneam confusionem, unde passio exurgat furiosa, quæ palpebris confermentata venenum conglomeret, sicque tuberculum efformet, non cessante Archeo fabricare ideas in alimentum propagandas; in eo autem tuberculo latere vult causam ipsius ulceris, quod facilè ex eo producitur.

Ectropii & Lagophthalmi. *Ectrophii* & *Lagophthalmi* causam adscribit vel latici, aut peregrino cuidam hospiti acidiori membranas Palpebrarum externas crispanti & contrahenti; vel cicatrici externæ earum membranæ annatæ; vel etiam malæ in utero conformationi.

Hydatidis. *Hydatidem* formari vult à liquore nutriente copiosius in Palpebras transmisso ab Archeo aliquantum prodigo, nec portionem abundantem reducente, quapropter membranulæ earum partium distenduntur, & liquor ille tumorem inducens, per easdem transparet, & interdum etiam exsudare consuescit.

Calli & Calculorum *Calli* & *Calculorum* originem similiter ex latice deducit, quatenus salia in eo detenta aliquid rodendo subigunt, & à nativa conditione in neutrum transeunt & coagulantur, accedente acido quodam nutrimentum harum partium corrumpente, & spiritum latiùs compingente.

Vvillisii sententia de causa Trachomatis. §. 7. Ex *Willisii* sententia *Trachoma* ortum sumit ab humore lymphico aut latice seroso acescente, & fibrillas in cute Palpebrarum nerveas variè exagitante, accedentibus sanguinis quibusdam recrementis, postmodum fermenti corruptivi naturam induentibus, & per effervescentias suas cum aliis succis variè coagulatis, ut adeò non modò pruritus, ob spirituum agitationem majorem, sed etiam ex diuturniore stagnatione granula, pustulæ, & quandoque scabiosa dispositio illis obveniant.

Emphysematis. *Emphysema* similiter latici isti seroso vel soli, vel simul aliis succis ex sanguine ei se immiscentibus & sub cute stagnantibus natales suos debet, præsertim quando succi isti humori lymphico ritè nequeunt misceri, ità enim ex eorum colluctatione vapores quidam assurgunt, cutem Palpebrarum distendentes, & tumidam reddentes; quam succorum ebullitionem & externum quoddam heterogeneum per ictum & stimulum insectorum quorundam parti communicatum excitare solet.

Coherentiæ. *Cohærentia* Palpebrarum contingit, quia humor ille aquosus pro oculorum humectatione ex sanguine per arteriolas eò delatus, & reliquo sanguine per venulas secedente, à glandulis lacrymalibus imbibitus, crassior & viscosior existit, qui, dum oculi per somnum clauduntur, inter utramque palpebram & oculum diffusus easdem glutinositate sua combinat; interdum ob vulnera vel ulcera, mediante eodem & succo nervoso nutritio similiter tunicis oculorum agglutinantur & concrescunt.

Cancri. *Cancer* in his locis, secundùm Authorem hunc, oboritur à succis impuris acido-salsis ex arteriolis cum sanguine effusis, & ab eo separatis, insimul liquore nervoso multis particulis salinis scatente, ibidem stagnantibus, sicque depressis spiritibus in fluorem degenerantibus, non modò in parte extra venas tumorem excitantibus, sed quia sanguis per venulas refluens iisdem inficitur & turgescit, ipsæ etiam venulæ intumescunt, & tandem majori per stagnationem impetrata acrimonia, & corpusculis sulphureis sibi adsociatis, succus ille corrosivitatem induens partes hasce corrodit atque planè exulcerat.

Ectropii & Lagophthalmi. *Ectropium* & *Lagophthalmum* vel à vellicatione spasmodica fibrarum cutanearum externarum, vel à cicatrice membranæ interioris post vulnus aut ulcus, vel à mala conformatione ortum habere itidem cum reliquis arbitratur.

Hydatidis. *Hydatidem* à latice cutaneo lentescente, adeòque non facilè transpirante deducit, quapropter eo diutiùs

& tenaciùs adhærente, novus ex sanguine arteriali affusus simul detinetur, quia verò non sunt æqualiter proportionati, hinc ebulliendo cutem attollunt & pustulam excitant, ex cujus poris dilatatis latex aliquando diffluit, præsertim quando novus latex facta distributione ex sanguine apportatur, unde effluxus ille humoris lymphici horis matutinis obtingit.

Calli. *Callus* haud dissimili ratione à latice partibus spissioribus scatente dependet, quæ cum per poros cutaneos commodè nequeant dissipari & evaporare, eidem tenaciùs adhærent & densè coagmentantur.

Calculi. *Calculi* excrescunt ex particulis terrestribus & salinis, spirituosis liquoris nervei avolantibus aut depressis, atque accedente quodam acido ex liquore cutaneo easdem coagulante.

Sylvii Ætiologia Trachomatis. §. 8. *Sylvii* de morborum horum Palpebras occupantium causis ratiocinia eò collimant, ut *Trachomatis* ortum deducat ex acido acri austero à sanguine quidem separato, at ob pituitam glutinosiorem poros cutaneos obstruentem minimè exhalante, quare non modò acrimonia sua pruritum excitet & cutem exedat, sed vi sua coagulativa pituitam aliquando conglomeret & tubercula producat.

Emphysematis. *Emphysema* verò tum generatur, quando acido illi sese immiscet salsum aliquod lixiviosum, quod ab acido agitatum redditur flatulentum & cutem distendit.

Coalitus. *Coalitus* fit à pituita glutinosiore, majori, quàm par erat, copia à sanguine separata, & ad glandulas oculorum lacrymales diducta, sicque oculis superfusa, & Palpebras conniventes conglutinante; qui verò post ulcera & vulnera contingit, inde dependet, quòd membrana Palpebrarum interior à pure acido-acri sit corrosa, & ab accedente sanguine benigno consolidationem absoluturo, cum tunicis oculorum conjungatur, atque hocce modo concrescat.

Cancri. *Cancri* scaturiginem tribuit succo acido-acri in glandulis collecto, acrimonia ex stagnatione à pituità obstruente causata adepto, quod tunc spiritus volatilis ei naturaliter junctus & eum blandè temperans, magis magisque ab eo secedat, & residuum acre tumorem & ulcera maligna excitet.

Ectropii & Lagophthalmi. *Ectropium* & *Lagophthalmum* excitari credit vel ab humorum acrimonia, fibras musculorum Palpebrarum ita vellicante, ut perseverans spirituum animalium motus ad easdem consequatur & convulsio oriatur; vel ab iisdem causis, quas reliqui Authores unanimiter admittunt.

Hydatidis. *Hydatidis* ortum lymphæ adscribit è vasis suis intra Palpebram effusæ, & propter obstructionem ibidem coacervatæ & majorem consistentiam nactæ, à quà cutis in tumorem attollitur.

Callorum & Calculorum. *Callorum* & *Calculorum* concrescentiam imputat succo austero, materiam terrestrem & salinam volatilem glutinosæ junctam, & ex sanguine cum nutrimento ad Palpebras delatam, coagulanti.

Cartesianorum opinio de causa Trachomatis. §. 9. *Cartesii* qui premunt vestigia, *Trachomatis* causam attribuunt particulis acidis, salsis, asperis, acutis & valde subtilibus, vel cum succo nutritio ex sanguine, vel ab aere aut topicis seu collyriis extrinsecè ad Palpebras delatis, quæ non modò reliquorum succorum particulas variè exagitantes & circulantes, rubram iis conciliant tincturam per cuticulam transparentem, sed cuspidibus etiam suis fibrillas cutaneas pungunt & aliquo modo vellicant, citra tamen ulteriorem earundem læsionem; fibrillæ verò cutaneæ ita agitatæ simul vascula cutanea succutiunt, ut majori copia succum suum ad glandulam innominatam effundant, à quo lobi ejus distenduntur, & nimia mole onerati sarcinam tandem deponunt, & lympham ad interstitia fibrillarum excernunt, quæ diuturniore mora à particulis istis inficitur, & in similem sui redigitur dispositionem, qua poros cutaneos arrodit, ut non solùm pustulæ scabiei similes extollantur, sed interdũ ipsa lympha subtilior relicta crassiore per poros effluxui conformes redditos emanet, sicque cuti Palpebrarum interior rimarum quasi plena undique, & sæpiuscule diffluat, interdum moleculis crassioribus cum lympha allatis & ab acido præcipitatis inter membranam relictis granula repræsentantibus.

Emphysematis. *Emphysema* induci credunt tum ob liquorum crassitiem minùs commodè per vasa transeuntium, tum ob pororum mutationem à fermento quodam peregrino factam, stagnant enim liquores, sive lympha sit, sive ipse partis illius succus nutriens, & ab austero coagulatur & inspissatur, sicque Palpebram reddit tumentem; vel flatus succis istis immisti cutem distendunt; aut venenosum quidpiam morsu insectorum per poros illatum, fermento suo acerrimo & spiculato fibrillas nerveas & cutaneas exagitans dolorem infert, & majorem humorum affluxum, qui similiter infecti vitiosè effervescunt, & majus sibi quærentes spatium, cutem attollunt & palpebram reddunt tumidam.

Coharentia & Coalitus. *Coherentiam* adscribunt particulis gummosis & glutinosis, ex particulis pinguibus oleosis inspissatis oriundis, majori copia lymphæ glandulari immistis, quæ ex glandula lacrymali pro oculorum humectatione una cum lympha effusæ extremitates seu cilia utriusque Palpebræ conglutinant: *Coalitum* autem unius aut utriusque Palpebræ cum tunicis oculorum ab iisdem particulis glutinosis derivant, cum succo nutritio pro consolidatione vulneris vel ulceris eò delatis.

Cancri. *Cancri* causam ponunt particulas acidas volatiles, acres & corrodentes, ex succis ob diuturniorem extra vasa stagnationem corruptis exsurgentes, quæ sæpe ex parvo principio intra breve temporis spatium magnum capiunt incrementum, & ipsum sanguinem in venis corrumpunt, & hæ propterea circa tuberculum intumescunt, tandem verò crescente corrosivitate tuberculum eroditur, & ulcus malignum & penè incurabile subsequitur.

Ectropii & Lagophthalmi. *Ectropio* & *Lagophthalmo* non alias causas adscribunt, quàm illas, quas superiùs ex aliorum Authorum opinione jam percepimus.

Hydatidis. *Hydatis* fit, quando lympha circa palpebram superiorem abundans effunditur è ductibus suis, atque ob alterationem in vasis suis factam, sive eadem obstruantur aut rumpantur, sive aliter lædantur, inter cutem & glandulas stagnat, ita enim ejus collectio copiosior in eandem partem cutem distendit & tuberculum efficit, ex cujus poris dilatatis lympha tenuior nonnunquam exsudare assolet.

Calli. *Calli* excrescunt, quando post fibrarum nervearum aut musculosarum agitationem diuturniorem, vel frictione vel acrimonia succorum factam, eadem extenduntur & succum nutritium majori copia recipiunt, eumque retinent, qui assimilatus in ejusmodi tubercula spissa convertitur.

Calculi. *Calculi* generantur, dum spiritus acidus jungitur lymphæ pinguiori aut sali cuidam volatili cum eadem in Palpebram delatæ, tum enim posterior à priore ita coagulatur, ut in duram rigidam substantiam facilè facessant.

Nostra sententia de causa Trachomatis. §. 10. Juxta *Nostram* sententiam causa *Trachomatis* sunt particulæ salinæ, acres, acidæ pungentes, vel in sanguine, vel succis evasatis latentes, quæ pruritum in fibrillis ac ruborem excitant, sic è ductibus etiam lacrymalibus lympha acribus particulis imbuitur, quæ Palpebræ oculos obtegentis cutem internam rodendo hunc excitare possunt affectum, & si Palpebræ fricentur, major effluxus fit harum particularum: externè aer acris frigidus, seu acido-nitrosus, imò & collyria acria facilè hunc affectum producere valent, quod serum vitiosum ita evasatum in palpebris, avolantibus spiritibus volatilibus, & accedente acido in substantiam semini milii haud absimilem induratur: ob acrium particularum hìc occurrentium & subsistentium copiam fibrillas amicè afficientium oritur vibratio placida palpebrarum fibrillarum, quæ resultat ad sensorium commune, hinc oritur ille pruritus.

Emphysematis. *Emphysema* oboritur ex lympha stagnante ab obstructione vasorum lymphaticorum, vel ob lymphæ per hæc vasa transeuntis crassitiem, vel particularum ad poros partis ineptam conformationem, vel ob acidum nimium hos humores coagulantes & incrassantes; humorum enim particulæ malè figuratæ poros & canales transire nequeunt, hinc stagnare coguntur. Fit hìc

affe-

affectus sæpe ob fibrarum partium contracturam atque crispationem, indeque tubulorum angustiam in dolore à partium nervosarum irritatione; hinc ab ictu vespæ, vel araneæ, vel apis, vel alius veneni statim affectus hic exoriri potest, hæc enim irritata animalcula per ictum spicula deponunt fibris nervosis inimicissima & prorsus fatalia, quarum vellicationem & excitatam liquorum fermentationem à peregrino deposito statim variorum sequitur succorum effluxus, aut à stagnatione excitatur flatulentia palpebræ cutem attollens in tumorem; suntque ideò verissimi sequentes versus *Virgilii*, *Georg. lib. 4. v. 235. p. m. 90.* non modò de apibus, sed & vespis aliisque insectis stimulo præditis intelligendi:

Illis ira modum supra est; læsæque venenum
Morsibus inspirant, & spicula cæca relinquunt
Affixa in venis, animasque in vulnere ponunt.

Nec hìc excludere volumus alia externa, quæ per percussionem, attritum, &c. affectum hunc inferre possunt; neque reiicimus flatus Palpebrarum tunicas extendentes, aliosque stagnantes succos.

Cohærentia nocturna. *Nocturna cohærentia*, quæ sæpe accidit in subjectis humidioribus multa lympha scatentibus, præsertim infantibus & pueris, facilè hinc concludere est, affectum hunc oriri ex lympha viscida evasata ex glandulis noctu exsudante, & palpebras cum tunicis oculorum conglutinante, & cùm materia sæpe sit instar picis, inde patet ipsius viscositas; sic & ulcera prægressa ob acidum viscosum, quo pus abundat, hunc affectum excitant.

Cancri & Callorum. *Cancer* Palpebrarum oritur ex acido volatili insigniter corrosivo, de quo suo capite. Sic & *Calli* generantur, quando pars carnea vel nervea ex quacunque causa externa læditur, ut nimia extensio staminum, & sic tubulorum depravata figuratio superveniat, tunc fibrillis læsis alimentum partis proximum ulteriùs recipitur, diutiùs retinetur, & magis quàm par est induratur, & sic oritur callus, de quo etiam suo loco ex professo pluribus agetur.

Ectropii. *Ectropium*, sive Palpebræ inferioris inversio, sæpe oritur ab hypersarcosi vel tumore Palpebræ interiore, sæpe etiam ex ulcere vel vulnere, imprimis ex mala ulceris curatione, qualia plura novimus exempla, quæ omnia ortum suum habent ex particulis malè figuratis ibidem stagnantibus & à sua massa separatis & quasi præcipitatis, quæ dein tamdiu ibi restitant, donec scindendo, pungendo, ardendo tandem exitum inveniunt, & abscessum vel cicatricem inferunt.

Lagophthalmi. *Lagophthalmus*, ubi Palpebræ superiores retrahuntur, ut oculus claudi non possit, oritur vel à mala conformatione, vel à consuetudine puerorum in cunis sursum versùs respicientium, vel spasmodica retractione à fibris nerveis dependente, spiritibus scilicet animalibus impetuosè motis. E contra affectus is, ubi Palpebræ semper oculum tegunt, oritur à paralysi, vel vulnere, fibris scilicet læsis, & musculis clausoriis.

Hydatidum. *Hydatides* Palpebrarum utplurimum à proprii sui alimenti ob obstructionem vasorum immutatione & stagnatione seu coacervatione oriuntur, hinc illa lympha pinguis facilè in pinguedinem mutari potest. Pueris hìc affectus familiaris est.

Calculorum & Callorum. *Calculorum & Callorum* causa consistit in eadem obstructione ab acido violento, succum nutritium in lapideam coagulante duritiem.

Prognosis. §. 11. Hisce ita enodatis, ut nihil penè clariùs dici possit, de *Prognostico* deliberandum, cùmque pars affecta non sit nobilis, hinc de vita res erit salva, modò deformatio impediatur.

Trachomatis. *Trachoma* difficulter curatur, & si simul accedat scabies, exulceratio & callositas, malum est. In quo verò minor pruritus, & parvæ pustulæ adsint, facilior curatu est. Ubi verò lividus humor effluit, pessimum est; acidum enim intensius indicat, & partium adjacentium necrosin.

Emphysematis. In *Emphysemate*, ubi tumor hic oritur ab interna obstructione vasorum lymphaticorum, difficilior est curatu, quam ubi assurgit à causa externa, ut ictu vespæ, apis, aranearum, aliorumque animalculorum venenatorum. Difficilior verò, qui oritur ab ictu, plaga, vulnere; item, si oritur in febribus, vigiliis, cachexia.

Cohærentiæ nocturnæ. *Cohærentia nocturna* nihil mali portendit, nisi acida hæc visciditas ipsas tunicas oculorum afficiat, hinc sæpe multæ lachrymæ, hoc est affectus pessimi; acidum enim corrosivum tunicam albam aut corneam facilè corrodere & corrumpere potest. Curatur verò difficulter, si tota coaluit; & planè nunquam, si cum cornea simul concrevit.

E contra facilè curatur, si extremitate dumtaxat oculo inhæret, & si annatæ saltem agglutinatur. Si ab ulcere oritur, difficilior est curatu, quam si à lympha acida viscosa.

Cancri. *Cancer* Papillarum, sive exulceratus sive non, difficillimus est curatu, ut & *Callus*, de quibus vide inferiùs cap. 22. lib. V. de Cancro.

Ectropii. *Ectropion* curationem difficulter admittit, cicatricem enim tollere nova dissectione res est periculi plena & incerta; namque Tumor excrescens cathæreticis est exstirpandus, sed ob oculum adjacentem non audemus; hinc meliùs in principio, quàm dum radices jam egerit, curatio exspectanda est.

Lagophthalmi. Si *Lagophthalmus*, sive *Oculus leporinus*, à mala conformatione fuerit, quale novi exemplum, non est curabilis; sic & illa inversio, quæ est vel à vulnere, vel ulcere malè curato & convulsione, difficilis est curatu; nec non affectus iste, in quo oculi ob palpebram superiorem dependentem semper clausi manent, quia à paralysi utplurimum hic affectus est, nullam nisi palliativam admittit curationem.

Hydatidis. Recens *Hydatis* facilè, inveterata ac diuturna difficillimè curatur. Si verò peculiari membrana includatur, tunc non ita difficulter exscindi potest.

Calculorum & Calli. Eadem res est cum *Calculis* & *Callo* Palpebrarum.

Cura Diætetica. §. 12. Requiritur in his affectibus etiam accurata mediocritatis observatio circa res illas vulgo Medicorum ità dictas non naturales.

Aer ergò sit temperatus, cibus & potus congruus, motus & quies, somnus & vigiliæ pro re nata sint juxta leges sanitatis & conditionem morbi. Ante omnia æger sibi caveat ab animi affectibus, & pro affectus ratione ista facilè à Medico præsente præscribi possunt, cùm hæc omnia hìc accuratè additurì tempus tereremus, hinc ad magis proficua & necessaria properemus.

Curatio Pharmaceutica & Chirurgica iuxta Veteres Trachomatis. §. 13. Ad *Curam* enim morborum Palpebrarum *Pharmaceuticam* & *Chirurgicam* nunc accedere necessum erit, & de his omnium primò percipiendi Veteres *Galenici*, qui *Trachomatis* curam aggrediuntur præmissa totius corporis evacuatione, ac massæ sanguineæ depuratione per Decoctum polypod. cum fol. sen. Elect. diacathol. Syr. de fumar. compos. &c. materiæ peccantis aversione per scarificationem, ac cucurbitularum brachiis & scapulis applicationem, ac repercussione, topicis emollientibus & humorum acrimoniam attemperantibus, Decocto rad. altheæ, lil. alb. liquirit. herb. malv. betæ, chelidon. maj. flor. malv. melilot. Chamomill. semin. lini, fœnigr. fœnic. &c. quo lintea duplicata humectanda, & oculis tepidè imponenda sunt, vel mucilago sem. lin. fœnigr. aq. rosf. & fœnic. facta palpebris illinenda; hisce usurpatis substituunt aut subjungunt abstergentia, lac videl. muliebre, in quo parum myrrhæ est dissolutum, vel aloe in aq. rosf. dissoluta & loco laboranti illita. Si scabies palpebram occupaverit in *Psorophthalmia* Unguentum rosatum magnifaciunt, cui quidpiam de tutia pp. sit intermistum, vel. Ungu. Nihili ad oculos.

Emphysematis. In *Emphysemate* itidem post evacuationem humorum peccantium serosorum & pituitosorum per infusum rad. mechoac. Jalapp. sem. cartham. rad. & bacc. ebul. sem. & flor. genist. Syrup. diaser. Andern. vel Electuar. Elescoph *Mes.* institutam & flatuum ablationem per Decoctum aliquod carminativum, Aquam Physagonam, spec. diacum. dianis. &c. topica applicant emollientia & discutientia, fotum vel epithema ex decoct. aneth. calaminth. rut. puleg. flor. Chamomill. Melilot. sem. anis. carv. cumin. coriand. pp. fœnic. baccis lauri, croco, &c. Olea inungunt Susinum, seu lil. alb. aneth. laurin. &c. Ungu. album camphoratum simi-

militer applicant. In causa admodum calida adhibet album. ov. cum succ. semperviv. & plantag. interdum cum terr. sigill. vel bol. Armen. pro majori repulsione. In ictu vespæ, apis, &c. superungunt theriacam vel solam, vel cum succo plantag. commistam.

Cancri. In *Cancro* Palpebrarum eamdem observant curandi rationem, quam tradunt in Cancro generali inferius lib. 5. cap. 8. percipiendam.

Ectropii. *Ectropio* à resolutione seu paralysi oborto ea adhibent remedia, quæ in Paralysi alias usurpare solent, tum interne, tum externa; si à majore carnis interioris incremento dependeat, illud vel medicamentis, vitriolo albo, alum. ust. &c. vel citiùs sectione tollunt; si ab ulcere vel vulnere malè curato & cicatrice sit inductum, adhibent primò emollientia, fotum ex decocto rad. altheæ, lil. alb. sem. lini, malv. flor. melilot. &c. Unguentum dialth. ol. amygd. dulc. Camomill. posteà parùm incidunt cutem ad cartilaginem, figura lunata, ea tamen minime læsa labiisque ad mala spectantibus, plagæ aliquantum diductæ imponunt linamentum conjunctionem labiorum impediens, cui tandem imponunt emplastrum, & fascia in debita servant figura, ne reflectatur & pristinam pravam recipiat.

Lagophthalmi. In *Lagophthalmo* à mala in utero conformatione nullam tentant curationem, incurabilem enim judicant; si à prava sit consuetudine, eandem suadent methodum, quam in priore capite de Strabismo jam percepimus; si ab ulcere vel vulnere malè curato & cicatrice ortum habeat, eodem modo procedunt, quo in Ectropio, ita tamen, ut incisio paulum infra supercilia fiat, & labia oculum spectent.

Hydatidis. In *Hydatide* aliquando præmittunt universalia; ad humorum peccantium & serosorum copiam minuendam & evacuandam, quare hydragoga propinant, & apophlegmatisantia exhibent, hinc externe applicant discutientia; fotum nempe ex decocto salivæ, origani, fol. lauri, summit. thym. absinth. flor. Chamomill. sem. cumini, carvi, fœnic. fœnigr. vel oleo anethi & scorpionum inungunt; post hæc exsiccantia substituunt, inspergendo pulverem ex ossib. ostrear. ustis, ungula asini combusta, cortic. cappar. olibano, &c. vel eundem melle miscent & imponunt; si his non cedat & peculiari membranula obvolvatur, sectionem in cute instituunt & integram eximunt, vel, si metus sit aliquid remansisse, sal commune mansum imponunt, ut id, quod restitit, consumatur, tandem palpebram & totum oculum aqua rosar. & plantag. abluunt.

Callorum & Calculorũ. *Callis & Calculis* fortiter emollientia imponunt & consumentia, ut emplastrum de Gummon. ammon. diachylum ireatum cum sale armoniaco, quibus si cedere nolint calculi, sectionem instituunt, eos eximunt, & plagam emplastro gryseo iterùm sanant.

Paracelsi modus curandi Trachoma. §. 14. *Paracelsus* in *Trachomate* eò dirigit curam, ut sal aluminosum separatum atque plumosum acre corrigantur, & aliis denuò intermisceantur, ne sola existentia Palpebram nimiùm exulcerent, quod præstari posse nullus dubitat ipsa tutia & lapide calaminari, secundùm inventionem suam ritè præparatis, si enim hæc cum aquis rosar. fœnic. & eufrag. per noctem redigantur in collyrium, illudque palpebris in Trachomate à salibus istis exedentibus corruptis illinatur, magnum inde pollicetur juvamen.

Emphysema. *Emphysema*, seu tumor ventosus, ut curetur, suadet ut materia intus contenta resolvatur, & arsenicum crudum mitigetur per pinguia viscosa & terebinthinata, proinde sequens laudat emplastrum humori illi assiduò imponendum, donec cedat & dispareat:

℞. *Terebinth.* ℥ i ß.
Cumini ℥ i.
Sem. lactuc. ʒ j.
Ceræ q. s.
F. Emplastrum.

Coalitum. *Coalitus* Palpebrarum ut inhibeatur, clarum illud nervorum abluit, & ulteriorem ejus effluxum sistit & prohibet, mumiam verò corruptam ad pristinum sanitatis statum redigit, quæ omnia præstat lapis calaminaris pp. succo chelidoniæ immistus, & instar collyrii adhibitus.

Cancrum. In *Cancro* summum arcanum æstimat alkali, imprimis quod ex auripigmento sequenti modo paratur.

℞. *Auripigmenti* ℥ v.
Fulig. ℥ ß.
Sal. Ammoniaci ℥ iij.
Reduc ad quartum gradum reverberationis per diem & noctem, fiat Alkali.

Hoc postmodum cum Sale de cineribus fimi columbini & oleo vitellor. ovor. redigit in Unguentum, quo locum cancrosum sæpius inungit.

Ectropium & Lagophthalmum. In *Ectropio & Lagophthalmo* non videtur à reliquorum instituto recedere, hinc in Paralysi ea adhibenda, quæ aliis ejus speciebus Authori huic consueta sunt, in reliquis ab aliis jam calcatæ viæ erit tenaciter insistendum.

Hydatidem. In *Hydatide*, ut corrigatur sal narcoticum, laudat interiùs assumendam quintam essentiam Chelidoniæ, quæ restaurat, & in debitum statum salia primitiva restituit; externe commendat alkali lithargyrii cum succo chelidoniæ in unguentum redactum, & pustulæ applicatum.

Callum. *Callo*, si post frictionem in apostema transierit, unguentum superponit ex oleo rosar. calce viva extinct. & caphura; reliqua videri possunt capite de Callo in genere.

Calculum. *Calculum* in Palpebra similiter abigi posse credit, uti reliquæ coagulationes tartareæ in corpore, si resolvantur salia incensa & indurata, sepiuscule usurpato lapide saxifrago præparato; externe idem lapis præparatus cum sale gemmæ & sale fuso, admixto succo chelidoniæ, in unguentum redigi potest & calculo superimponi.

Helmontii sententia de curando Trachomate. §. 15. Juxta *Helmontium* in *Trachomate* acidum cruoris corrigendum per alkalica, & Archeus irritatus sedandus, ita enim pruritus cessabit & pustulæ atque tubercula facilè disparebunt.

Emphysemate. In *Emphysemate* Blas illud flatulentum ab acido excitatum iterùm resolvendum, & materia excitans averruncanda est remediis ex anetho paratis & tum intra tum foris adhibitis, qua de causa etiam oleum lauri illini potest.

Coalitu. *Coalitus* impeditur, si mucilago ista dissolvitur, & à viscositate sua exuitur, Custos vero errans ad debitam reducitur viam, ne laticem tam copiose mittat ad oculum, quod præstari poterit spiritu salis armoniaci, cum spiritu vegetabili sociato & intus assumpto; externe alkali ex ossibus humanis adhibendum, à quo latex in ulceribus aut vulneribus corruptus insignem accipit correctionem.

Cancro. In *Cancro* hoc Palpebrarum præ aliis remediis præstans existimatur gluten de aquatico, ut eo sæpius illinatur.

Ectropio & Lagophthalmo. *Ectropium & Lagophthalmum* nulla peculiari tractat ratione, quare in reliquorum Authorum placitis acquiescendum est.

Hydatide. In *Hydatide* Archeus ad officium vocandus est, ut superfluum liquorem nutrientem reducat, quod autem reduci nequit, ad evaporationem disponendum est per alkalia volatilia.

Callis & Calculis. *Calli & Calculi* sui resolutionem exposcunt, & acidi correctionem, ne nutrimentum ulteriùs compingat; interne igitur spiritus sanguinis hirci in aqua chelidonię & fœniculi dari potest, externe autem Unguentum vel emplastrum ad scrophulas conveniens adhibendum.

Vuillisii cura in Trachomate. §. 19. Ad *Willisium* recta accedimus, cujus *Trachoma* curandi ratio eò spectat, ut latex serosus acescens corrigatur, & recrementa sanguinis educantur, quod præstari potest infuso laxativo ex rad. polypod. oxylapath. valerian. chelidon. fol. sen. Mechoac. turpeth. epithym. santal. citrin. sem. fœnic. coriand. pp. in cerevis. vel vino, de quo per aliquot dies omni mane debita dosis sumenda; his subjungi possunt diaphoretica, Decoctum sarsaparill. lign. santal. herb. fumar. euphrag rasur. ebor. & rad. liquirit. in aq. communi. Externe applicari possunt topica pruritum & scabiosam dispositionem corrigentia, quæ tamen hoc in affectu mitiora sint, quàm quæ aliis partibus adhibentur.

bentur. Linimentum sequens tutò usurpari posse promittit.

℞. *Tut. pp.* ℥ j ß.
Flor. sulphuris ℥ ß.
Butyri non saliti ℥ j.
F. Linimentum.

Emphysematis. *Emphysema* si est ab interna laticis aliorumque succorum colluctatione, eorum copia minuenda, & ulterior colluctatio sedanda, additis purgantibus carminativis; ut infusum senæ in vino Rhenano cum rad. valerian. mechoac. epithym. sem. coriand. pp. fœnic. anisi, carvi, cubeb. &c. aliquoties usurpetur; externè etiam discutientia applicentur, macerentur flor. Chamomill. & sem. fœnic. in spiritu vini, filtretur, aut per deliq. effundatur, & in eo dissolvatur camphora, quo tuberculum, aut palpebra tumens aliquoties illinatur aut abluatur. Si ab ictu insectorum, theriaca, vel diascordium cum melle mistum emplastri forma imponatur.

Cohærentiæ. Etiam in *Cohærentia* illa Palpebrarum à latice aquoso crassiore ad glandulam lachrymalem affluentem oriunda, ejus copiam minuentia & evacuantia præscribit, & pro revulsione vesicatoria applicat nuchæ, oculo verò collyria immittit, viscositatem humoris resolventia, corrigentia & majorem fluxum inhibentia, ex aqua rosf. fœnic. flor. calcatripp. verben. chelidon. Sief citrin. de rosf. &c. Si à vulnere vel ulcere malè curato cum tunicis concreverit Palpebra, eam, ut alii, scalpello vel convenientiore instrumento à tunicis vult separandam, & linteolum rasum unguento de tutia vel nihili obductum inter illas inserendum, donec ulcus aut vulnus sanatum fuerit, cui voto Sief de plumbo & thure conducunt.

Cancro. In *Cancro*, quamvis difficillimè sit curationis, & summa cura & cautè admodum in hisce locis tractandus, ea applicat remedia post usurpata sanguinem purificantia, quæ succos impuros acido-acres corrigere & hebetare possunt, ut spiritus depressi pristinum recuperare valeant dominium, emplastrum nempe ex melle, terebinth. succo sempervivi, gypso usto, ciner. Cancrorum, sacchar. Saturni, camphora, &c.

Ectropio & Lagophthalmo. In *Ectropio* & *Lagophthalmo* à spasmodica vellicatione, etiam antispasmodica exhibet remedia, maxime spiritum & Sal C. C. spir. & flor. salis Ammoniaci in aq. fœnic. paralys. & epilept. Lang. cum Syr. pœon. edulc. In reliquis speciebus aliorum effata quoad curandi rationem facilè approbat.

Hydatide. In *Hydatide* ut latex lentescens subtilior reddatur, & ad transpirationem disponatur sudorifera ex lignis, rad. sarsaparill. & lapath. acut. &c. propinat; pustulæ verò emplastrum diachylum imponit, aut si dissolvi & emolliri nequit, exscindit, & foramen aqua aluminosa parum abluit.

Calculis & Callis. *Calculi* & *Calli* valde indurati medicamentis vix abiguntur, quapropter, si motui Palpebrarum sint impedimento, priùs emolliendi sunt emplastro ex gum. & posteà cultello artificiosè exscindendi.

Sylvii ratio curandi Trachoma. §. 17. *Sylvius* in *Trachomate* tam ad acrimoniam acidam corrigendam, quàm pituitam glutinosam resolvendam, præscribit salia lixiva, tum fixa, tum volatilia intus adhibenda; externè aquam rosar. in qua parum croci sit dissolutum, commendat.

Emphysema. In *Emphysemate* ad tumorem à materia flatulenta excitatum discutiendum, vel fotum applicat ex carminantibus, vel tinctura cum spiritu vini ex sem. fœnic. anis. carv. macis extracta illinit, vel aliquid de emplastro suo carminante imponit, quo & hunc tumorem discuti posse nullatenus dubitat.

Coalitum. Ad *Coalitum* Palpebrarum impediendum vel pituita glutinosior est dissolvenda, & opera danda, ne ulterior ejus copia in sanguine colligatur, usurpatis intus salibus lixiviosis volatilibus, spiritu salis Ammoniaci mace vel cinamomo imprægnato; vel pus acidum acre in vulnere & ulcere corrigendum succo chærefol. contusi, & aqua rosar. & fœnic. affusis allecto.

Cancrum. In *Cancro* ad acidum acre corrigendum per salia lixiva volatilia omne studium adhibendum esse monet, unde etiam sal volatile salis Ammoniaci externis emplastris immistum maximè salutare exstiturum promittit.

Ectropiū & Lagophthalmum. *Ectropium* & *Lagophthalmus* si convulsionem agnoscant causam, ad eam abigendam curam dirigit, ex mala conformatione dependentem ut incurabilem negligit, in prava consuetudine ad meliorem aspectum parvulos vult disponi, reliquas species committit Chirurgis.

Hydatidem. *Hydatidem* tolli credit, si lymphæ motus impeditus restituatur, per eadem volatilia, quibus & pituita obstruens dissolvitur: sicuti aromaticis extrinsecè discutitur; aut si ob crassitiem, & quòd peculiari vesicula includatur, discuti nequeat, sectione, à perito Chirurgo peragenda, exstirpatur.

Callum & Calculum. *Calli* & *Calculi*, si possunt, dum adhuc in fieri sunt, resolvendi iis medicamentis, quę acidum austerum corrigunt, & materiam terrestrem separant, ne coagulationi obsequatur, & hic scopus itidem volatilibus obtinebitur; si verò ob moram diuturniorem & compactiorem densitatem hoc sit impossibile, callus prius emollitus deradendus, & calculus planè exscindendus est.

Juxta Cartesianos cura in Trachomate. §. 18. Ad *Cartesianos* nunc accurrimus, quorum Curatio *Trachomate* eò dirigitur, ut particulæ acutæ & asperæ in succo nutritio fibras nerveas agitantes mitigentur, obtundantur & hebetentur, illud quod effusum est apertis poris ad exalationem disponatur, sicque discutiatur, & fibræ nerveæ & cutaneæ in pristinum reducantur tonum & debitum situm. Anguli acuti particularum acidarum acrium obtunduntur aliis particulis porosis, quorum poris anguli dum inseruntur, & in corpuscula aut parietes horum agunt, tantum amittunt impetus, quantum particulis istis impendunt, ut propterea tanta vi ulteriùs non agant in partes earumve fibras, sed obtusæ adeòque valde mitigatæ redeant, donec omninò correctæ non ampliùs noceant. Usurpandos igitur suadent pulveres ex Antimonio diaphoret. C. C. s. igne, terr. sigill. oc. Cancrorum, corall. pp. myrrh. &c. quibus omnibus laxiores pori conceduntur, ut particulas acutangulas absorbere, & eorum impetum refrænare possint. Eadem etiam externè conveniunt in collyriis, quibus tutia pp. lap. calam. pp. camphora, saccharum canthium, Saturni, & parum Vitrioli albi adsociari possunt, & cum aq. fœnic. euphras. flor. cyani, plantag. verben. componitur collyrium. Ut pori aperiantur, & non modò materia æthereа non valde subtiles, sed majores & mitiores particulas invehat, & acutas secum iterum evehat, fotus instituunt parùm emollientes, ut fibræ ritè dispositæ debitum exitum quærentibus particulis cedere queant, quales sunt qui fiunt ex fol. chelidon. maj. malv. menth. flor. cyani, tiliæ, sem. fœnic rutæ &c. in aqua simpl. coctis, adspersis interdum aliquot guttulis spir. vini simpl. aut euphrasiati. Quando verò fortiùs lædunt fibras nec ita domari possunt, aliis medicamentis ramosis & viscosioribus incarcerandæ sunt, ut alligatæ quasi vires exserere nequeant, & hoc tentant mucilaginibus ex sem. cydon. alth. gumm. tragacanth. quod præstans judicant, aq. rosar. &c. extractis. Succo tandem nutritio & massa sanguinea magna earum particularum scatentibus copia, eam diminuere suadent vel blandè purgantibus serum, vel diaphoreticis, aut revellere vesicatoriis.

Emphysemate. *Emphysema* ut abigatur, si indicia adsint de liquorum crassitie, & pororum angustatione, eosdem attenuant, subtilisant & poros dilatant, intùs adhibitis volatilibus spirituosis, spir. salis Ammon. fęnic. euphras. sale succin. volat. C. C. Tinctur. cinnamomi, essent. cubeb. externè fotu ex spirituosis & carminativis, maximè si flatus sint intermisti, spiritu lumbric. camphorat. spir. vin. in quo rad. chælidon. fol. rut. flor. chamomill. sem. fœnic. & bacc. laur. macerata fuerunt, vel etiam sem. fœnigr. dilatatis enim poris etiam peregrinum fermentum cum materia subtili facilè exhalat. Oleosa vix permittunt, cùm ramosis suis particulis poris obrepant, eosque occludant. His si non cedat tumor, fortiora emollientia & fibras distentas relaxantia adhibent, emplastrum videlicet diachyl. simpl. de gumm. Ammon. Insecta quædam si spiculis suis & morsu venenosum quoddam intulerint fermentum, illud quantocyùs suadent elicien-

eliciendum, vel emplastro ex melle, theriaca, myrrh. & camphora, vel solo diascordio imposito, vel fotu ex spiritu vini theriacali & aqua Scordii. Etiam in hoc casu tragacanthum utile fuerunt experti, si in aq. rof. rut. & chelidon. dissolvatur, parum camphoræ addatur, & liquore isto Palpebra ex ictu tumens inungatur, quo remedio puella aliquot jam dies palpebram valde tumidam habens, ut tolli vix ac ne vix quidem potuerit, & ob suffusionem ab ictu crabronis allectam penè subfuscam, una nocte fuerit liberata.

Cohærentia. *Cohærentia* Palpebrarum à particulis glutinantibus cum lympha glandulari ad oculos effusis oborta, juxta hos Autores corrigitur & imposterum impeditur ejusmodi medicamentis, quæ viscidas illas particulas dissolvunt & liquidiores reddunt, ad quæ referunt collyria ex aqua calcatripp. chelidon. fœniculi, quibus aliquot guttulæ spiritus Armoniaci fuerint instillatæ, ab hoc enim spiritu lympha illa fluidior fit & particulæ glutinosæ resolvuntur. Vitriolum album aquæ rosar. in pauca quantitate additum particulas illas gummosas præcipitat, & à lympha separat, ut cum illa oculo tam largè nequeant superfundi. Si auctæ acres particulæ lymphæ commistæ ramosas fortiùs coagulant, & illas mitigandas volunt collyriis cum croco & lacte recente. Ex ulcere aut vulnere malè curato, à particulis purulentis acribus interiorem Palpebrarum membranulam corrodentibus causatam tollunt priùs instrumento cautè adacto, sine oculi tunicarum læsione, instillata postmodum aqua sapphirina Chirurgorum. In Concrescentia Palpebrarum in se invicem à primo statim ortu præsente tollenda nobiscum conveniunt.

Cancro. Ad *Cancrum*, si nulla spes sit plenariæ curationis, palliativè tamen tractandum commendant remedia particulas acutas, acres & rigidiusculas transmutantia, flectentia, vim earum infringentia, & ulteriorem partis & succorum corruptionem impedientia, qualia sunt, quorum particulæ majori constant superficie, obtusæ sunt & aliquantum porosæ, ut illis commixtæ intercurrente materia subtili ita agitentur, ut priores multos angulos deponant & perdant; quo referunt cancros fluviatiles calcinatos, plumbum ustum, saccharum Saturni, ejusdem amalgama cum Mercurio, ex quibus vel pulveres parati oculis insperguntur, vel liquores fiunt cum aq. sempervivi & solani, vel emplastro diapompholyg. immiscentur & imponuntur. Spiritu vini Sale volatili Salis Armoniaci corroborato locum cancrosum aliquando attingunt. Exstirpationem ejus chirurgicam in hac parte admodùm æstimant periculosam.

Ectropio & Lagophthalmo. In *Ectropio* & *Lagophthalmo* corrigendo, misso illo, qui ex mala contigit in utero conformatione, & adhibitis antispasmodicis ei, quem convulsio causat, mala etiam consuetudine in meliorem redacta, cicatricem cutem exteriorem abbreviantem accuratè & debita circumspectione, ne fibras musculosas cultellum fortiùs adigant, iterum dividunt, & lamellam plumbeam interstitio illi tamdiu commodè alligant, donec convenientibus emplastris alia minori superinducta cicatrice fibris cutaneis nullo impedimento futura incisio ista fuerit sanata. Hypersarcasin interiorem vel amputant, vel collyriis ex myrrha, Sale gemmæ, Vitriolo albo, succo chelidon. aq. verben. &c. consumunt.

Hydatide. In *Hydatide* ut lymphæ crassiori debitus concilietur fluxus, & vasa aperiantur, volatilia intus & foris adhibent, poros simul dilatantia, ut resoluti succi exhalent, & glandula palpebralis onere liberetur, quod præstat Spiritus seu Essentia euphras. chelidon. cum spiritu Salis Armoniaci cinamomisato, aut ligno aloes impregnato, & Sal. volat. CC. nec non alia diaphoretica. His si cedere nolit, cutem emolliunt emplastro diachylo & vesiculam cum liquore planè exscindunt.

Callo. *Callosam* materiam itidem emolliunt emplastro diachylo vel citrino, eaque emollita ipsum callum abradunt, & quò faciliùs hoc præstetur, emplastro glutinatorio ligaculum aliquod affigunt, quo Palpebra extendi & fortiùs teneri possit, ne ictus intervenientes operationem impediant.

Calculo. *Calculum* tentant priùs resolvere emplastro ex galbano, terebinthina & sale gemmæ, vel ejus arcano, & si alia nequeat ratione tolli, locum aperiunt, Palpebra prædicto jam modo in fixiori statu servata, & calculum eximunt.

Nostra methodus curandi Trachoma. §. 19. Ex *nostra* sententia in affectu *Trachomate* dicto in id saltem omnes nervi intendendi sunt, ut particulæ acres contemperentur, & si qua adest evasatio liquoris cujuscunque, is vasis suis asserendus, sublatis videlicet causis, aut si hoc non procedat, discussio tentetur, si nec hæc impetretur, per incisionem loco pellatur, maximè ubi restagnant tubercula ficus vel milii semina referentia. Huc & pertinent medicamenta purgantia salsum ac acre serum educentia, & his semper specifica admiscenda sunt, posteà adhibeantur pororum obstructionem reserantia & confirmantia.

Internè quoque conveniunt incidentia, consolidantia & discutientia pro re nata & acres particulas temperantia, quem finem obtinere possumus per decocta lignorum, Essent. fumar. viperin. ocul. Cancrorum terr. Japon. cinnabarinis commixta, & in forma pulveris sæpius assumenda.

Præ aliis hic conveniunt Topica emollientia, acrimoniam temperantia, mox abstergentia vulgò dicta, quæ etiam sæpe sola sufficiunt, quia simul acres & acidas angulares istas obtundunt particulas, quare in affectu militari sæpe omnem paginam supplet lac muliebre tepidè applicatum. Si magis abstergere animus, & affectus pertinacior est, sequenti uti potes:

℞. *Aquæ rosar.*
Plantag. aa. ℥ ij.
Aloes lotæ ℈ ß.
Myrrh.
Tutiæ, aa. ℈ j.
Pulveris Antimonii gr. ij.
M. F. Collyrium.

Vel fiat, quæ sepe satisfecit, ex sem. cydon. psyll. euphras. cum aq. rof. plantag. mucilago, & tepidè applicetur loco affecto. In pauperioribus sufficiunt flores lactis. Fotus quoque sicci applicari possunt, & hic nuper cum effectu applicavi linteum aqua Regin. Hung. imbutum. Abstinendum autem à medicamentis mineralibus corrosivis.

Emphysema. In *Emphysemate* eò incumbendum, ut motus restituatur lymphæ stagnanti, quem restituunt omnia dissolventia, attenuantia alcalia temperata, quæ acidum coagulans maximè corrigunt, & prout coagulum plus minus est forte, ratione vel acidi inspissantis, vel lymphæ crassæ subsistentis, varianda sunt remedia; diaphoretica ergò hic conveniunt, quæ participant de sale oleoso tam fixo quàm volatili, ut sunt Essent. viperin. liq. C.C. succin. Tinctur. Tartari compos. cum Sale Armoniaco, Tinctur. Antimonii volat. &c.

Externè imponantur varia dissipantia, illinatur locus spirituosis, spiritu theriacal. camphorat. spiritu Urinæ. Emplastrum de ammon. aliaque discutientia, & hic aliquando interponi possunt Cinnabarina.

Sin affectus est ex ictu araneæ, apis aut vespæ, tunc theriaca vel diascordium per se vel cum succo chærefol. imponenda. Si ab alia causa externa, vulnere scil. sit inductus, illud lege artis curari debet.

In Convulsionibus Palpebrarum externum optimum est balsamus Peruvianus, tanquam in omnibus affectibus paralyticis euporiston, ut & balsamus spasmaticus *Mynsichti*, noster nervinus externus, &c. Tinct. Castorei.

Coalitum. *Coalitum* quod concernit, seu *Ancyloblepharum*, quamvis hic affectus rarissimè curandus venit Medico, attamen non negligendus est ob periculum, quod sæpe oculis inferre potest. Præmissis ergò Universalibus, imprimis ad serum superfluum educendum radice laxativa, quæ sæpe sola sufficit, ad ℈ j. in for-

in forma pulveris in adultioribus, in infantibus pro eorum ætate & conditione; melius verò dentur diaphoretica cinnabarina volatilia, quæ omnia succorum stagnationem impediunt.

Inter topica in infantibus delicatulis sæpe sufficiat lac maternum oculis tepidè instillatum. Ad viscidam lympham attenuandam conveniunt varia volatilia, sic sæpe cum magno emolumento apposui oculis clausis linteum sequente liquore tinctum;

℞. *Aq. fœnic.*
Chærefol. aa. ℥ j.
Regin. Hung. ℥ iij.
Sal. C. C. volat. gr. iij.
Tinctur. croci ʒ ß.
M. D.

Si à pure ex ulcere quodam abdito emanante, puris acidum corrigendum balsamo Sulphuris anisato, & imponi potest emplastrum de Charitate vel man. Dei. Hoc etiam in affectu sæpe instrumenta chirurgica ad separandum requiruntur, quod ex ipsa inspectione patebit, num necessaria erit nec ne. Palpebræ si invicem ab ortu concreverint, & oculi tunicis non adhæreant, ex attactu etiam de oculi latentis justa constet conformatione, emplastris glutinatoriis attollendæ sunt, & instrumentum illis debito loco inter cilia infigendum, & per vices ita adigendum, ut sine ulla oculi læsione commode valeant separari.

Cancrum. Quod attinet *Cancrum* Palpebrarum, omnia ea conveniunt, quæ diximus capite generali de Cancro, sed exscissio hisce in locis ob fibrillas nerveas valde est periculosa, & optimum Anatomicum requirit; sic & *Calli* in iisdem enati, ut illi, qui in aliis corporis partibus generantur, curari solent, de quibus vide infrà.

Ectropium. In *Ectropio* si Palpebra inferior appàret instar carnis rubræ, & est hypersarcosis facitque inversionem, curatio est difficilis & vix exspectanda: dissolventia externa cum levi adstrictione optima sunt, conquassatum albumen ovi cum momento aluminis, Ungu. diapompholyg. diapalm. aqu. plantag cum Sief alb. externè applicata, quæ & acidum corrigunt. Hisce non juvantibus caro excrescens aut tumor sui ablationem, si possibile, exigunt, quæ tamen cautè & blandè instituenda est, maximè ubi res agitur cathæreticis, quod fere fieri solet, vel filo ligetur.

Si affectus ab ulcere vel vulnere, tum eò curatio dirigenda est; si ex restagnatione humorum ab acido, ea promovenda, & acidum corrigendum & temperandum blandioribus anodynis, emulsionibus & mucilaginibus ex sem. fœnigr. &c.

Lagophthalmum. *Lagophthalmus* si est à convulsione, antispasmodica tum interna tum externa conveniunt. Interna sint liq. C. C. succinat. Cinnabarina, imprimis pulvis spasmodicus, &c. Externè prosunt emollientia & temperantia nervina, Balsamus meus Divinus externus, quo pluma fibrillæ Palpebrarum illini possunt, ut & axungia viperina.

Si à cicatrice, curam eum nullam admittere existimo, ut & illum, qui est à mala conformatione à teneris. Si est à consuetudine puerorum in cunis sursum versùs respicientium, ea contrario visu corrigitur, cunas circa caput obscurando, & circa pedes lucidum aliquid ponendo. Si est à vulnere vel ulcere, ea emendanda sunt.

Hydatidem. Si *Hydatidis* est recens, sola saliva jejuna sæpe abigi potest, sed curatio utplurimùm sectione ejusmodi substantiæ superfluæ, illæsis vicinis partibus, peragitur; hinc sal mansum loco, unde excisio facta, imponatur, quod tabescere facit materiam, ne renascatur: quæ sectio faciliùs perficitur, si peculiari membrana inclusus est tumor; sectione facta imponi possunt albumen ovi in aq. rosar. solut. & Emplastrum defensivum acidum corrigens.

Calculos. *Calculi* Palpebrarum si non emolliri & discuti possunt, exscindi debent, & procedatur ut superiùs in aliis jam docuimus.

Callos. Sic & *Calli* Palpebrarum cataplasmatibus resolventibus & emollientibus abigantur, de quibus præter ea, quæ in præcedenti paragrapho jam sunt prolata, alibi abundè dicetur, tædet enim toties repetere remedia.

CAPUT VIII.

DE MORBIS CILIORUM,

Hordeolo scilicet, Grandine, Madarosi, Trichiasi, Phalangosi & Phthiriasi.

§. 1. EXtremitates Palpebrarum, reliqua substantia cartilaginosiores, id præstant commodi, ut Pili, una cum iis Cilia dicti, instar paxillorum illis fortiùs infixi, oculos custodiant, ne tam facile aliquid externi in illos irruere possit, suntque prætereà oræ quædam maximè aptæ, ut conformiùs claudi, & sine difficultate denuò reserari possint, cùm impediant, ne una Palpebra inter clausuram supra alteram diducatur, & sic, cùm denuò aperiri debeant, aliquam creent molestiam. Ut autem hoc suo bene fungi possint officio, à morbis debent esse immunes, quos proptereà hic examinabimus, & quomodo tolli vel corrigi possint, paucis ordine edocebimus; & inviti cogimur sequi Veteres, qui certe nimis curiosi fuerunt in excogitandis affectuum nominibus.

Hordeolum. *Hordeolum* dicitur tuberculum oblongum in Palpebris super pilorum locum exsurgens, ad hordei similitudinem ita nuncupatum, sæpe cysti inclusum.

Grando. Aliud huic non dissimile tuberculum rotundum & pellucidum in Palpebra superiori concrescit mobile simul atque digito huc illucve impellitur, *Grando* Latinis dicitur, quod grandineo grano simile sit.

Maradosis. *Madarosis* dicitur Ciliorum defluvium post febres malignas sæpe infestans, de qua vide Capillorum defluvium.

Trichiasis. *Trichiasis* vocatur, quando in Ciliis pili inutiles & oculum pungentes innascuntur.

Phalangosis. Sic & *Phalangosis* dicitur talis affectus, quo pilorum subnascentium duplex acies in superiore vel inferiore Palpebra provenit. Alii hunc affectum dicunt esse relaxationem Palpebrarum, cùm extremitas intrò vergit, ut pili non facile appareant, nisi quis distendat Palpebras.

Phthiriasis. *Phthiriasis* dicitur affectus pediculorum, de quo actum est ad nauseam in Encyclopædia nostra Medica de morbis Infantum.

Pars affecta. §. 2. *Pars affecta* sunt Cilia, extremæ illæ Palpebrarum partes externæ semicirculares & veluti cartilagineæ, quæ in somno clausis oculis committuntur. Iis pili semper ferè eandem servantes magnitudinem implantantur.

Diagnosis. §. 3. Affectus hi omnes facilè in nostros incurrunt oculos, & ex eorum jam datis descriptionibus cognoscuntur.

Ætiologia secundum Galenicos Hordeoli. §. 4. Quoad *Causas* horum morborum, *Galenici* contendunt, *Hordeolum* produci ab humore phlegmatico & crasso cum sanguine mixto & ad partes has pro nutrimento delato.

Grandinis. *Grandinis* causam statuunt peculiarem quandam materiam lapidescentem à facultate quadam specifica in substantiam illam duram & translucidam inspissatam.

Trichiasis & Phalangosis. *Trichiasis* & *Phalangosis* causam ponunt humorem copiosum & pituitosum à facultate expultrice ad Palpebrarum hasce partes extremas detrusum vel ob tumorem diuturnum ibi collectum; tum etiam, imprimis *Phalangosis*, vitiosam & diuturnam deligationem, vel defectum humidi & exsiccationem cartilaginis,

laginis, quam sequitur cutis quædam versùs Cilia depressio.

Secundùm Paracelsum causa Hordeoli & Grandinis. §. 5. *Chymici* dicunt *Hordeola & Grandines* esse portiones calculosas & Tartareas congelatas in Ciliis, sic *Paracelsus* dicit Grandinem esse generatum aliquid per salem.

Trichiasis & Phalangosis. *Trichiasin & Phalangosin* ab alimento partis superfluo oriri docet idem *Paracelsus*, hoc enim in excrementum abiens materiam præbet istis pilis copiosioribus.

Helmontii sententia de causa Hordeoli & Grandinis. §. 6. *Helmontius* ipsius *Hordeoli* causam statuit mucilaginosum quidpiam nutrimento mixtum & inspissatum, *Grandinis* verò sal aliquod cum nutrimento ad Cilia translatum, quod partem arrodens aliquam ejus portionem subegit & postmodum fuit coagulatum.

Trichiasis & Phalangosis. *Trichiasis & Phalangosis* causam imputant abundantiæ nutrimenti proprii pilorum in ciliis, cùm enim illud fit copiosius, quàm ut pili jam constituti eo alantur, Archeus novam ex eo producit pilorum seriem, qui postmodum ut alii sua vivunt quadra, & alimentum cum reliquis ordinariò accipiunt.

Ex mente Vvillisii causa Hordeoli & Grandinis. Trichiasis & Phalangosis. §. 7. *Vvillisius* vult *Hordeola & Grandines* excrescere à succo nutritio particulis crassis, viscidis & terrestribus scatente, & lympha acidiore easdem condensante & inspissante.

Trichiasin verò & *Phalangosin* deducit à copia ejus succi nutritii ad glandulas pilorum delata, unde novi quidam surculi exsurgunt, qui ab aliis sæpe ad locum inferiorem versùs oculos deprimuntur.

Juxta Sylvium causa Hordeoli & Grandinis. §. 8. *Sylvius* à succo austero ad cilia cum sanguine aut lympha transmisso *Hordeola & Grandines* produci judicat, vel extrinsecè ad partes illas veniente, qui nutrimentum coagulat & in densa istiusmodi tubercula inspissat.

Trichiasis & Phalangosis. *Trichiasis & Phalangosis* causam adscribit sanguini nutrienti ad radices & glandulas pilosas copiosiùs affluenti, ut ita ex superfluo, quod in reliquorum alimentum non absumitur, alii & novi producantur.

Cartesianorum opinio de causa Hordeoli. §. 9. *Certesiani* causam *Hordeoli* dicunt particulas succi nutritii crassiores & fuliginosas, quæ per diaphoresin exhalare deberent, at ob injuriam quandam externam, sæpe impuritatem pinguiorem digiti tangentis, constrictis aut impletis poris intus manent, & motu privatæ per solam quietem sibi invicem arctissimè conglutinatæ tubercula ista repræsentent.

Grandinis. *Grandines* ortum habere putant à gutta quadam majore lymphæ spissioris è ductu suo effusæ, quæ à materia subtili omnia penetrante aliquantùm agitata & rotata, accedente tandem liquore quodam acido-austero, seu multis particulis acutangulis & rigidis prædito, quas materia illa subtilis flectere nequit, ab eo in motu impeditur, & ad quietem impellitur, unde coagulatio illa & grando oboritur, qui pellicula quadam ideo aliquando obductus esse videtur, quod exteriores partes interioribus citiùs moveri desinant, & hinc duriores, & solidiores evadant.

Trichiasis. *Trichiasin* oriri rentur ab abundantia materiæ illius fuliginosioris, qua peculiariter nutriuntur pili, cum reliquo succo chyloso nutriente ad corpora ovalia circa radices pilorum deposita, quare, cùm neque consumatur ab aliis pilis iam existentibus, neque aliàs exhalet, novi quidam surculi pilosi ex ea exsurgunt.

Phalangosis. *Phalangosin* vel à lympha crassiori & copiosiori, inter externam palpebrarum cutem ad cilia effusa, & eandem laxante, vel à siccitate cutis interioris ex defectu lymphæ lacrymalis eam irrigantis produci æstimant, ut ita Cilia curventur, & pili intus ad oculum flectantur.

Nostra sententia de causa Hordeoli & Grādinis. §. 10. *Nos* existimamus, ex alimento plùs minùs alterato oriri *Hordeolum & Grandinem*, ut tumores alii peculiari membrana inclusi; materia enim illa, ex qua isti producuntur, vel à proprio alimento viscido acido, vel à lympha tali acida condensata, in talem gypsam aut crystallinam abit duritiem.

Madaroseos. *Madaroseos* causam vide superiùs in defluvio capillorum.

Trichiasis. *Trichiasis* oritur à succi nutritii in glandulis nimis turgidi ad Palpebrarum extremitates in pilos superfluos abeuntis copia majori; sed quoq; accidit ob tumorem diuturnum, seu ob deligationem.

Phalangosis. Sic & *Phalangosis*, ubi duplex vel triplex conspicitur pilorum acies, itidem à succi nutritii pilorum abundantia oboritur.

Phthiriasis. *Phthiriasis* causæ ad nauseam dictæ sunt in Encycl. Med. Pract. de Morb. Infant.

Prognosis. §. 11. Sed jam satis de horum affectuum causis dictum est, pergo ad eorum *Prognosin*, *Hordeola*, & *Grandines* in initio sunt curatu faciles; at ubi inveteravit malum, & in gypseam, tophaceam aut crystallinam duritiem concrevit, vix sanationem admittit; & si propria continetur cysti, vix humor intus contentus ad suppurationem perduci potest, reverti insuper solent in iis, qui semel illis laborarunt. Reliquorum affectuum prognosis patet ex capite de Pilorum defluvio.

Diæta. §. 12. Diæta hic absolvitur legitimo sex rerum ab antiquis ita dictarum non-naturalium usu, de quo vide præcedens caput. Carnes suillæ, pingues, ac aliæ adiposæ, caseus recens copiosè ingestus, poma cruda aliique fructus arborum, cerevisia crassa, ac lacticinia in pultes cocta angue pejus fugienda sunt, hæc enim omnia succos stagnare faciunt.

Cura Pharmaceutica & Chirurgica secundùm Galenicos in Hordeolo. §. 13. Ipsam *Curam Pharmaceuticam & Chirurgicam* quod attinet, *Galenici* in *Hordeolo* adhibent emollientia & discutientia, fotum nempe ex chamomill. rad. alth. sem. lin. vel solo hordeo. Gumm. Galban. & Ammon. aceto solutum, addito pauco nitri, apponunt. Si emolliri nequeat, vel suppurant, vel sectione tollunt.

Grandine. In *Grandine* similiter ejusmodi emollientia usurpant, digerentia, discutientia & resolventia, prioribusque subjungunt emplastrum diachylon cum gumm. vel filii Zachariæ; si verò illis cedere nolit, pergunt ad sectionem.

Trichiasi. In *Trichiasi*, præmissis universalibus, ipsos pilos superfluos forcipe evellunt, & medicamenta adhibent eorum regenerationem prohibentia, vel medicamentis corrodentibus auferunt, quæ tamen hac in parte cautè sunt applicanda, ne oculi tunicas lædant. Gummi hederæ in qua euphras. solut. conveniens æstimant. Laudant etiam cineres hirundinum & lumbricor. terrestr. cum succo brassicæ & album. ovi applicatos.

Phalangosi. In *Phalangosi* ab initio fotus instituunt emollientes, hinc cilia attollunt, & ut sublati maneant pili, subadstringentia adhibent ex nuc. cupress. jugland. ferment. alum. &c.

Paracelsica cura Hordeoli & Grandinis. §. 14. *Chymici*, & inter illos maximè *Paracelsus* *Hordeola & Grandines* sæpius urina calida abluit; putat enim ab oleo, quod est in urina, omnivaria ejusmodi tubercula ex sale resoluto & denuò coagulato orianda optimè resolvi & abigi posse.

Trichiasi. In *Trichiasi* eadem ipsa in usum revocat medicamina, quæ superiùs capite 2. de Pilorum inconcinna excrescentia iam percepimus.

Helmontii modus curandi Hordeola & Grandines. §. 15. *Helmontius* ad *Hordeola & Grandines* abigendos imprimis laudat lixiviosa & alkalia, quæ omnium optimè eorum resolutionem præstare posse confidit; quare haud parvi facit ipsum cinerem muscerdæ, ut vel inspergatur, vel cum succo quodam subactus instar linimenti illinatur; sic etiam affricat tuberculum musca obtruncata, eamque specifica quadam virtute juvare credit.

Trichiasin. Ad pilos in *Trichiasi* exstirpandos commendat alios pilos è cadavere spontanea morte sensim sublati evulsos, his enim si pili superflui attingantur, eos pariter excisuros promittit.

Vvillisii ratio curandi Hordeola & Grandines. §. 16. Secundùm *Vvillisium* curantur *Hordeola & Grandines* attenuatis particulis crassis & viscidis, & correcta lympha acida inspissante, adhibitis sanguinem purificantibus ex superioribus jam notis; ipsis tuberculis applicat vel emollientia ex gummi, vel consumentia ex vitriolo, melle & cera vel terebinthina.

Trichiasin. In *Trichiasi* pilos superfluos eradicari vult, sive per evulsionem id commodiùs fieri possit, sive medicamenta superiùs indicata.

Sylvii cura in Hord. & Grand.

§. 17. *Sylvius* tubercula ista curaturus intus exhibet & salia volatilia acidum illud austerum corrigentia & subtilisantia, extus autem emplastra emollientia ex gummi ammoniaco, galbano & terebinthina.

Trichiasi.

Pilos superfluos in *Trichiasi* evellit, usurpatis priùs medicamentis emollientibus & poros dilatantibus, posteà adstringentibus, ut occludantur & angustentur, ne novi iterùm propullulent.

Juxta Cartesianos Curatio Hordeolorum.

§. 18. *Cartesianorum* ratio curandi *Hordeola* est, ut succus ille spissior resolvatur, attenuetur & fluxilis reddatur, quo per poros apertos exhalet; si verò id obtineri nequit, emplastro de gumm. ammon. aut cerato citrino emolliunt & lancetta aperiunt, ut liquor crassus effluat, vel linteolo exprimatur, hinc aqu. rosar. & verben. in quibus camphora & sacch. canth. soluta fuerint, aliquoties abluunt.

Grandinis.

Similiter si *Grando* in superioribus ciliis ob membranulam, qua aliquando obvolvitur, crassiorem per emplastrum diachyl. simpl. aut cum gumm. nequeat resolvi & dissipari, emollitum tamen aperiunt, aliquantùm exprimunt, & eodem ipso emplastro diachyl. iterùm sanant, rejectis fortioribus absumentibus, oculis facilè noxam inferentibus.

Trichiasis.

In *Trichiasi* emollientibus poros aperiunt, & sudoriferis succum pilos nutrientem subtilisant, quo per apertos poros facilè abeat in auram, ipsa verò psilothra cautè admittunt, & potiùs in altum quodammodo diductis Palpebris, pilos superfluos evellunt, quod emollitis fibris & poris dilatatis haud ita difficulter obtineri posse sibi præsumunt.

Phalangosis.

Phalangosis juxta mentem horum Authorum ex incurvatione cartilaginis versùs interiora dependens, curatur, vel lympham crassiorem exteriori cuti suffusam attenuando sudoriferis & externis dissolventibus, fotu flor. sambuc. & Chamomill. in aq. comm. coct. addito spiritu vini; vel emolliendo cartilaginem interiorem, ut faciliùs extendi possit; quod si sponte non contingat, emplastris glutinatoriis externè super cilia affixis Palpebra filis attollenda est, donec deditum situm & figuram decentem recuperaverit.

Nostra in Hordeolo & Grandine cura.

§. 19. Quoad *Nostram* sententiam, cura in his tuberculis consistit in eo, ut ab initio omni opera contendatur, ut resolvantur & discutiantur, & simul acidum temperetur; huc ergò pertinent omnia, quæ crassum attenuant, coagulum solvunt, & viscida incidunt, in quem finem admovenda sunt remedia acriora & sale volatili participantia, ut volatilitate sua in poros penetrent: Essentia ergò viperina, spiritus vini Tartarisat. lumbric. Vrinæ, salis Ammoniaci, conveniunt; Emplastra quoque imponi possunt ex ammoniaco cum axung. viperar. gallin. vel terebinthina & cera parata, aut imponendum galbanum cum momento nitri subactum, vel emplastr. Apostol. Sic ab initio plura hordeola sanavimus, singulis matutinis horis ægri propria saliva inungendo, saliva enim constat sale volatili. Alii granum hordei, jejuno ventriculo sæpius masticatum imponunt, at non hordeum, sed saliva sanat. Vel malaxetur Emplastrum de melilot. & de gumm. carann. cum oleo philos. & imponatur

Si discuti vel emolliri non possunt, & jam in gypseam concreverint duritiem, aperienda sunt hæc tubercula, ut contenta materia diffluat aut exprimatur. Si exiguum tuberculum sit, trajiciatur acu filum trahente, quod in plaga relinquitur, ea longitudine, ut ejus extrema glutinante emplastro affigi possint, ad frontem quidem, si in superiori palpebra tuberculum insederit, aut ad genas, si in inferiori. Novum verò biduo quoque substituendum, ceu in setonibus chirurgicis fieri solet, sic enim tuberculum complanabitur. Vel optimè curantur hæc tubercula sectione.

In Madarosi.

In *Madarosi* conveniunt omnia ea, quæ in Defluvio pilorum diximus.

In Trichiasi

Sic & in *Trichiasi* omnia psilothra conveniunt, quæ itidem diximus superiùs, sed cautè admodùm ea in hac parte corporis tenerrima cum aliis prudentioribus volumus applicanda, & non nisi oculis studiosè præmunitis, ne quid inde accipiant damni; quin totaliter quoque eximi possunt pili per evulsionem forcipula aut volsella quadam aptè administrandam, dein locus inungatur sanguine ranarum viridium, vel cum aqua calcis vivæ.

In Phalangosi.

In *Phalangosi*, ubi duo vel tres pilorum ordines exurgunt, & oculum pungunt, eadem requiruntur remedia; ut & illa, quæ in Encycl. Med. Pract. capite de Phthiriasi in genere diximus, hic repetantur, ad Ciliorum hanc particularem *Phthiriasin* abigendam.

CAPUT IX.

DE VITIIS CARNIS OCULI Angularis,

Rhyade, Encanthide, Ægylope & Fistula lacrymali.

§. 1. AD angulos oculorum nunc progredimur, ut & ex iisdem coquiramus & in apricum proferamus latentes ibidem affectus, nec ullus relinquatur, quem non fuerimus rimati, ejusque corrigendi modum manifestaverimus, & quidem ex parvo hic spatio non parvi aut vilipendendi nonnunquam exsurgunt hostes, magnam sæpe devastantes viciniam, atque ingentem lacrymarum torrentem prolicientes, ut ex sequentibus patebit, in quibus iterùm excogitandis contemnenda potius quam laudanda Veterum curiositas.

Rhyas, seu Rhœas.

Rhyas dicitur & *Rhœas*, & describitur, quod sit caruncula lacrymalis secundùm majorem angulum imminutio, cum notabili, continuo & involuntario lacrymarum effluxu.

Enchantis, Eius differentia.

E contra *Encanthis* est intumescentia carunculæ lacrymalis, cujus dein differentiæ observantur, siquidem interdum hoc carnis incrementum benignum est & tenerum, laxum & sine dolore, aliquando verò malignum, durum, inæquale & cum dolore punctorio.

Ægylops, Anchylops & Fistula lacrymalis.

Ægylops vel *Anchylops* est carunculæ lacrymalis in cantho majori oculi existentis exulceratio pus continens, quod erumpens aut os exedit, aut ad angulum, aut usque ad nares defluit, & *Fistulam lacrymalem* inducit; quæ describitur, quod sit ulcus profundum, angustum, inveteratum, & utplurimùm intus membrana aut callo obductum.

Horum affectuum differentia.

Apud Authores hi affectus sæpe confundi solent, sed ritè sequens inter illos notetur differentia. *Anchylops* est tantum tumor glandularum, in *Ægylope* tumor est exulceratus, *Fistula* dicitur, cùm ulcus jam inveteratum sit. Differunt itaque, sed duntaxat secundum majus & minus.

Pars affecta

§. 2. *Pars affecta* hic sunt anguli oculorum, vel canthi, estque oculi pars communis superioris & inferioris palpebræ, vel est extremum utriusque palpebræ connexum. Habet autem uterque oculus angulum duplicem, unum majorem iuxta nares, sub quo caruncula lacrymalis, Encanthis propterea dicta, delitescit, alterum minorem juxta tempora, Hirquum dictum.

Diagnosis.

§. 3. Affectus hi per se patent, & ex eorum descriptionibus datis abunde cognosci possunt. Adsunt etiam in his affectibus tumor, durities, dolor, humiditatum ab oculo defluxus, gravitasque cum lippitudine.

Ætiologia secundum Galenicos in Rhyade.

§. 4. Oritur *Rhyas* juxta veterum *Galenicorum* sententiam, à catarrhis acrioribus à capite ad oculum fluentibus & carunculam illam depascentibus nonnunquam ab humoribus exedentibus ex ulcere generatis, sicut absque illis à defectu alimenti eandem flaccescere & diminui posse non minùs affirmant.

Encanthide.

Encanthidis ortum adscribunt sanguinis nutrientis majori copiæ ad carunculam hanc transmissæ, & præcedenti diætæ lautiori multum sanguinem in corpore ge-

re generanti, ex quo facilè eiusmodi hypersarcosis & caro luxurians producatur.

Ægylope, Anchylope & Fistula lacrymali. *Ægylopis* primum ortum assignant humoris phlegmatico, qui cum nutrimento ad oculi hanc partem affusus in caruncula tumorem vel melleam, vel sebaceam, vel pultaceam substantiam continentem excitet, qui *Anchylops* propriè vocatur, posteà affluente sanguine calido & acri tumorem inflammari & tandem suppurari dicunt, sicque Aegylopa oriri, ex quo deinde acrimonia humorum accresente, vel medicamentis corrosivis applicatis facilè exulceratio & *Fistula lacrymalis* carunculam planè ad fundum usque perforans subsequatur.

Paracelsi ratiocinna de causa Rhyadis. §. 5. *Paracelsus* causam *Rhyadis* deducit à nutrimento ob defectum salis naturalis emortui ad sustentationem carunculæ inidoneo, unde flaccescat, vel à sale peregrino ex nutrimento corrupto generato, carunculam absumente.

Encanthidis. *Encanthidis* causam ponit excrescentiam quandam ex venis Jovialibus oriundam, & ad regiones lucidas solares excurrentem, dum spiritus Jovis è propria via deviat, & splendoribus solis microcosmici concussus in generationem hujusmodi excrescentiæ transmutatur.

Ægylopis. *Aegylops* oritur ex nutrimento corrupto & morte salis nutritivi, hinc excrementa carunculam augent, & sal alienum ex illis exurgens eandem exulcerat, & progrediendo vicinas partes perfodit, unde *Fistula lacrymalis* emergit.

Helmontii sententia de causa Rhyadis. §. 6. *Helmontius* in *Rhyade* accusat cruorem malè nutrientem, vel ejus defectum, unde caruncula destituta isto suo alimento flaccescit, vel à malo & corrupto latice exeditur & consumitur.

Encanthidis. *Encanthis* fit à latice copiosiùs in carunculam influente eamque extendente, accedit etiam Archeus irritatus & incandescens, laticem fortiùs agitans & carunculam distendens.

Ægylopis. *Aegylops* à fermento quodam deleterio cruorem corrumpente exoritur, qui cruor posteà in corrosivam saniem abit, à qua ulterior devastatio & *Fistula lacrymalis* excitatur.

Vuillisii opinio de causa Rhyadis. §. 7. *Willisius* causam *Rhyadis* dicit serum salsum & acre per vasa lymphatica ad glandulam hanc in angulo dextro sitam delatum, à quo ipsa glandula absumatur, ut valdè diminuatur, atque ad suscipiendum ulteriùs serum inidonea reddatur; hincque lacrymarum illum effluxum involuntarium obtingere.

Encanthidis. *Encanthidis* causam existere vult majorem seri aut lymphæ copiam, ad glandulam prænominatam è vasis suis effusam, glandula enim instar spongiæ eam imbibens intumescit & turgida fit, interdum etiam à particulis corrosivis læditur, & succus nerveus idem affunditur, à quo deinde nova quædam excrescentia oritur, sicque ejus magnitudo similiter augetur.

Ægylopis & Fistula lacrymalis. *Aegylops* oritur è particulis corrosivis, vel ex arteriolis cum sanguine, vel è succo nerveo ad glandulam delatis, quæ in saniem mutatæ glandulam exulcerant, & puncta lacrymalia non modò corrumpuntur, sed cum tempore ad ipsum canaliculum & os nasi subjectum transeunt, easque partes perforando *Fistulam* constituunt *lacrymalem*.

Sylvii opinio de causa Rhyadis. §. 8. Ex *Sylvii* sententia *Rhyas* oritur ab humoribus acribus vel muriaticis vel acidis, circa glandulam stagnantibus & eandem derodentibus, hinc ipsa consumitur & decrescit.

Encanthidis. *Encanthis* autem vel ab humoribus copiosioribus, quos glandula imbibit, exoritur, vel à sanguine nutriente nimio, quo substantia ejus augetur; & potissimum fit, quando glandula vel à sero acri, vel materia purulenta, priùs exesa, hinc ulcere sanato, denuò nutriri incipit, cuticula enim detracta nutrimentum intra limites debitè detineri nequit, sed latiùs diffunditur & excresentia carnea exsurgit.

Ægylopis. *Aegylops* itidem ab acido acri glandulam profundiùs perforante, & à pure intus collecto producitur, &, si malum increscat, ut ipsum os nasi exedatur, & puncta lacrymalia occalescant, exoritur ulcus profundum, quod *Fistula lacrymalis* dicitur.

Cartesianorum sententia de causa Rhyadis. §. 9. *Cartesiani* particulas angulosas acutas vel cum lympha per arteriolas ad glandulam in oculi cantho majore existentem depositas, vel externè cum aere aut medicamentis aliisve rebus oculo illatas, vel ex ulcere oculorum progenitas, ut causam in *Rhyade* accusant, putantes, easdem assiduò poros glandulæ permeare, & angulis suis acutis parietes eorum radere, donec destructis fibrulis illa planè dissolvatur & funditus corrosa secedat.

Encanthidis. *Encanthidem* oriri volunt à lympha illa crassiori, in glandulæ poris diutiùs hærente, & fibrulas illius aut membranulam extendente, vel à succo nutritio copiosiùs ad eam transmisso, dum post exulcerationem denuò sanescere incipiens, majus capit incrementum, alteratis & dilatatis per corrosivas particulas prioribus vestigiis, & moleculis eidem appositis.

Ægylopis & Fistula lacrymalis. *Aegylopis* & *Fistulæ lacrymalis* causam easdem statuunt particulas acutas, acres, fortiùs agitatas, & non modò glandulam, sed cum punctis lacrymalibus ipsum canaliculum exedentes, continuitatem harum partium solventes, & rimam illam seu fistulam in nares detegentes, quin os narium erodendo eandem dilatantes, simul etiam angulis suis fibras membranarum oculi pungentes, & ità continuum fermè lacrymarum effluxum prolicientes, qui eo est largior, quo caruncula eam aliàs impediens magis est vel imminuta, vel consumpta.

Nostra sententia de causis Rhyadis. §. 10. *Nos* existimamus, quòd *Rhyas* ut plurimùm ortum habeat à proprii sui alimenti defectu, partem, seu carunculam non nutriente, vel à particulis acribus & acidis eò delatis, partem corrodentibus; hinc facilè hic affectus excitatur post variolas vel epiphoram, vel ulcera profunda, eò enim delatæ particulæ hæ acres, substantiam carneam abradere, & sic majorem oculi angulum sive canthum imminuere possunt: huc faciunt medicamenta corrosiva vel venena, hisce partibus incautè adhibita. Sic & lympha acris per ductus lacrymales eò delata, & continuò istas partes allabens, hunc affectum producere valet.

Encanthidis. *Encanthis* vel intumescentia carunculæ majoris anguli oritur ex nimio alimenti effluxu, ejusque stagnatione ab acido facta, sæpe fit ex mala Pterygiorum curatione; quo & pertinet lympha per ductus lacrymales eò delata ab acido ibidem latente coagulata, prætertim ubi jam spiritus animales ob obstructiones fibrillarum harum partium avolare coacti fuere, & sic circa has partes necessariò tumor stagnare, & talem intumescentiam inducere debet.

Ægylopis. *Aegylopis* causa plerumque existit circulatio humorum læsa, & acrimonia è sero & sanguine expirans, circa canthum imperium sibi rapiens, ibidem stagnans & tuberculum excitans, (materia enim cysti propria includitur,) quod acrimonia diu hac in parte hærens succum etiam nutritium tandem degenerare facit in succum vitiosum, qui successivè collectus dat tumorem continuò in ulcus degenerantem.

Fistula lacrymalis. Ulcus etiam hoc facilè abit in fistulam, & ob acrimoniam & acidi copiam ipsam cariem ossis inducit. *Fistulas* enim lacrymalis oritur, quod pori vasorum vicinorum detorsi, & sæpe rupti sint, ita ut particulæ seri acriores transmittant, quod in partibus vicinis ob angustos tubulos hærens acido suo aut particulis suis salinis corrosivis carunculam perfodit, unde puncta lacrymalia occallescunt, aliaque graviora producuntur symptomata, & glandulæ in his partibus quasi excavantur.

Prognosis. §. 11. Hi affectus sunt difficiles curatu, ob vicinitatem nobilissimæ hujus partis, oculi nempe; si verò in fistula lacrymali ulcus fuerit cancrosum, nulla curatio tentanda, ne Medicus vel Chirurgus famæ suæ maculam inurat, quia incurabile est tale malum.

Diæta. §. 12. *Diæta* sit, uti in aliis tumoribus vel ulceribus, sæpius jam dicta; abstineat patiens à frigidis & acidis nutrimentis, quia hæc sanguinem aliosque succos inspissant, & ad motum seu circulationem ineptos reddunt.

Curatio Pharmaceutica & Chirurgica. §. 13. Ad ipsam itaque *Curam Pharmaceuticam* & *Chirurgicam* properantes, à *Galenicis* vetustioribus antiquitatis causa ordinem consulendi inchoabimus, quorum unanimis ferè est sententia, ut in *Rhyade* ad hu-

secundùm Galenicos in Rhyade. ad humorum acrimoniam temperandam, & humores noxios educendos, præmissis aliquando universalibus, purgantibus imprimis & serum acre educentibus, adhibeantur medicamenta sarcotica & consolidantia, ut non modò ulcus sanetur, sed caruncula denuò, si possibile sit, succrescat & conveniens capiat incrementum; quare hujusmodi priùs applicant collyrium, quod constat ex resin. laric. vitell. ovi cum aq. rosar. & plantag. agitatis, ut forma liquida facilè oculo immitti possit. Hoc aliquoties adhibito, ad sequens accedunt linimentum magis adhuc sarcoticum:

♃. *Tut. pp.*
Sarcocoll. nutrit.
Thuris aa. ℥ ß.
Plumb. ust.
Aloes,
Myrrh. aa. ℈ j.
Pulverisata excipiantur melle rosaceo, & loco affecto applicetur.

In Encanthide. *Encanthis* ut corrigatur, similiter vitiosos humores educentia quandoque præmittunt, venæsectionem itidem & vesicatoria nuchæ adhibita, ut nimius humorum minuatur affluxus, hinc ea usurpant medicamina topica, quæ partem carunculæ superfluam imminuunt, sed non in totum absumunt, alumen videlicet ustum, æs ustum, antimonium & pumicem combustum, æruginem, cineres concharum, &c. vel forma pulveris subtilissimi inspersa, vel aqua aliqua ut rosar. verben. chelidon. flor. ligustri excepta & instar. collyrii adhibita. His si non imminuatur, ex *Celsi* adhortatione carunculam hamulo prehendunt, cultello vel forfice abscindunt, applicatis posteà adstringentibus & consolidantibus ex tut. sarcocoll. bol. Armen. &c.

In Anchylope. *Anchylopis* curationem instituunt venæsectione, purgatione, revulsione & interdum repulsione, ut quovis modo inhibeatur suppuratio; hinc tuberculum nondum cessurum, vel sectione, vel caustico tollunt, escharaque decisa ulceri imponunt unguentum aureum, cui parum aluminis & antimonii usti immistum sit; quando verò suppuratio nequit impediri, & *Aegylops* fieri cœpit, omni studio ipsam maturationem promovent, vel imposito unguento digestivo communi, vel emplastro Apostolico, vel cataplasmate ex cepis sub cineribus coctis, & pinguedine suilla subactis, addita quadam parte saponis nigri; rupto abscessu pus evacuant, ulcus abstergunt & mundificant oxymelle simplici, vel aqu. rosar. plantag. succo granator. in quibus mel rosatum fuerit dissolutum, additis floribus æris; ulcere mundato, carnis generationi, & cicatrici superinducendæ incumbunt, vel pulvere insperso ex rad. aristol. rotund. Ir. Fol. sarcocoll. cort. thur. mastich. myrr. vel melle exceptum pulverem instar linimenti imponunt. Ipsam autem jam existentem *Fistulam lacrymalem* ut commode tractent, primò omnium callositati auferendæ maximè student, vel insperso pulvere alum. ust. vel applicato unguento Ægyptiaco cum turunda, vel cauterio actuali locum affectum & ipsum os subjectum cariosum inurunt, oculo adhibito defensivo ex album. ovor. in aq. rof. plantag dissoluto, & panno lineo eidem intincto, hinc escharæ casum promovent linimento ex mucilag. cum vitell. ovi & butyro, & tandem ulcus curant sarcoticis superiùs paulò jam dictis.

Paracelsi cura in Rhyade. §. 14. *Paracelsus* ad sal peregrinum corruptum corrigendum, & nutrimentum restaurandum mundificativa adhibet, & imprimis ea, quæ componuntur ex lapide Calaminari, sequenti modo parato:

♃. *Lap. calaminar. abluti & puri* ℥ j.
Colcothar.
Sulphuris vivi aa. ℥ j ß.
F. S. S. S. ad quartum ignem per diem & noctem, reduc in secundam ablutionem.
♃. *Lap. hujus calam. pp.* ℥ j.
Aceti destill. ℥ vj.
F. Extractum, deinde exsicca istud.
Hinc
♃. *Lapidis hujus Calaminaris posterioris* ℥ j.
Aq. Euphrag.
Fœnic.
Rosar. aa. ℥ iij.
F. Collyrium per noctem, quo *Rhyas* seu Caruncula decrescens sæpius illinatur.

Encanthide Excrescentiam istius carunculæ in *Encanthide* tolli posse confidit ipsa tutia præparata, & quidem non modò ut in maculis oculorum, sed & in strumis eam exhibere assuevit, nempe

♃. *Thut.* ℥ iij.
Sal fusi,
Calc. viv. aa. ℥ vj.
F. S. S. S. ad quartum gradum ignis, reduc in alkali, & cum aq. rof. vel fœnic. F. Mixtura, carunculę intumescenti studiosè applicãda.

Ægylope & Fistula lacrymali. In *Aegylope* & *Fistula lacrymali* potissimùm curationis studium eò dirigit, ut excrementa & sal alienum corruptivum destruatur, & sal naturale emortuum cum debito partis nutrimento resuscitetur; eapropter ulcus illud & ipsam etiam fistulam lacrymalem sequenti aqua singulari frequentiùs abluit;

♃. *Alum. Roch.* ℔ ij.
Aceti albi ℔ ß.
Salis fusi vertonem unum.
F. Mixtura cum ebullitione usque in coagulationem, destilla.

Hac aqua ulcus fistulosum abluatur. Eadem ratione sequens commendat Unguentum, quo fistula sæpe inungenda:

♃. *Anathron.* ℥ vj.
Ciner. fabar. ℥ ij.
Calc. ex testis ovor. ℥ iij.
Reduc in quartum gradum reverberationis ad horas duodecim:
♃. *Hujus anathri* ℥ ij.
Butyri crudi ℥ iij.
Pingued. murmentor. ℥ iij.
F. Unguentum.

Fidelis ille Paracelsi sectator *Crollius* in *Basil. sua Chym.* non modò ad alios morbos oculorum penè cunctos, sed ad Fistulam etiam miris extollit laudibus specificum suum Ophthalmicum, ex pluribus oculis appropriatis compositum, sicuti lapidem quoque medicamentosum encomiis haud parvis ad eandem commendat.

Helmontiana curatio Rhyadis. §. 15. *Helmontius* ad cruorem & laticem corruptos corrigendos, & debitam nutritionem suscitandam in *Rhyade* interius adhibet parata ex mumia, exteriùs autem aloetica cum thure & sanguine draconis.

Encanthidis *Encanthis* secundùm hunc Authorem imminuitur sistendo ulteriorem laticis influxum, & Archeum ad statum quietiorem reducendo, proinde tuberculo inspergit pulverem ex tunica interiori putaminum ovi recens exclusi, & colcothare calcinato, temporibus autem inungit pinguedinem lucii piscis, qua Archeus ad placidam componitur quietem.

Ægylopis & Fistulæ lacrymalis. Ad *Aegylopem* & *Fistulam lacrymalem*, adeoque ipsum fermentum deleterium in iis mortificanda, pręaliis laudat fel lucii piscis, ut ulceri vel fistulæ sæpius illinatur, vel guttatim instilletur.

Vvillisii Curatio Rhyadis. §. 16. *Willisius* in *Rhyade* curam eò dirigit, ut serum illud salsum & acre corrigatur, & nimia ejus copia evacuetur, vel aliò revellatur; quare Decocta ex rad. valer. fœnic. lapath. herb. verben. beton. flor. cartham. turpeth. fol. sen. cort. aurant. cum vino & aqua facta laudat, postmodum decocta ex lignis & fumar, hinc vesicatoria nuchæ vel brachiis applicat, & sequenti vel simili Decocto consolidante & sarcotico carunculam sæpius abluit, & linteola eodem humectata imponit:

♃. *Rad. Hierac.* ℥ j.
Flor. rosar. p. j.
Thur. ℥ iij.
Mastich.
Sarcocoll. aa. ℥ j ß.
Gran. sumach. ℥ j.
Sang. dracon. ℥ ß.
M. Coq. in vino, & angulus sæpe abluatur.

In

Encanthide. In *Encanthide* præmissis aliquando purgantibus, & sanguinem purificantibus, hinc vesicatoriis aut sectionibus, ad carnem superfluam absumendam inspergit pulverem ex alumine usto, vel vitriolo ust. vel Unguentum Aegyptiacum illinit, vel, si medicamenta hæc minùs sint efficacia, carnem superfluam forfice vel cultello abscindit, & residuam caruncululam aqua vel decocto quodam adstringente frequentius abluit, donec debitè sit sanatum.

Ægylopis & Fistula lacrymalis. In *Ægylope* etiam purgantia nonnunquam præmittit, & reliqua in superioribus jam indicata; ad carunculam verò exulceratam abstergendam & consolidandam aquam mellis in usum ducit, cui saccharum canthium & myrrha pulverisata sunt immista, & si suppuratio impediri nequit, eam promovet, postmodum ruptum abscessum abstergit lixiviosis, & consolidat adstringentibus, ut plumbo usto, thut. lap. calam. alum. ust. sang. dracon. &c. In *Fistula* callum Unguento Ægyptiaco exedit, vel cauterio escharam inducit, qua deposita consolidationi promovendæ incumbit ante jam dictis, & ulteriùs additis lap. hæmatit. ceruss. sarcocoll. aloe, myrrh. &c. cum resina & cera in unguentum redactis & studiose applicatis.

Sylvii Cura in Rhyade. §. 17. *Sylvius* ad acrimoniam humorum in *Rhyade* corrigendam consulit, ut concentrantia usurpentur & mitigantia ex creta, terra sigill. lap. Cancrorum, C. C. ust. sarcocoll. &c. quibus omnium optimè humores isti attemperentur, & ulterior absumptio præpediatur, insimul debitum incrementum à laudabili sanguine expectandum promoveatur.

Encanthide. *Encanthidem* optimè curari posse sibi aliisque persuadet si humorum copia minuatur, & sanguinis nutrientis influxus nimius inhibeatur, evacuando lympham superfluam per jalappam & mechoac. bacc. ebuli, & alia, vel sudorem proliciendo decocto ligni sassafr. quercin. Junip. buxi, flor. sambuci, Herb. & summit. cent. min. Posthæc ipsam carunculæ superfluitatem adimit vel alumine usto, vel unguento Ægyptiaco, vel Chirurgo præcipit, ut eandem sectione prudenter auferat.

Ægylope & Fistula lacrymali. *Ægylopem* & *Fistulam lacrymalem* curaturus itidem acidum acre concentrantia, in Rhyade jam memorata, plusculis commendat laudibus, ulcus autem & fistulam exercitato committit Chirurgo, non absimili modo tractanda, ut ex aliis superiùs modò intelleximus, eique simul injungendo, ut post suppurationem & ulceris abstersionem non omittat pro consolidatione ea medicamenta, quorum in compositionem tutia, myrrha & saturnina ingrediuntur.

Cartesianorum Cura in Rhyade. §. 18. *Cartesiani* jam in promptu sunt, ut de morborum horum curatione interpellati placidè respondeant, admonentes, ut in *Rhyade* potissima locetur opera in hebetandis particulis angulosis acutis cum lympha ad glandulam lacrymalem illabentibus, quod impetrari promittunt iis medicaminibus, quæ angulos istos poris suis laxioribus suscipiunt, eos flectunt & excitata quadam colluctatione cuspidulas frangunt: eapropter sanguineæ massæ, & mediante illa reliquis succis & ipsi etiam lymphæ infundunt dulcia, porosa, & spirituosa, Tincturam videlicet myrrhæ, Antimonii, spiritum salis Ammoniaci, sem. fœnic. & rad. Chelidon. imprægnatum, Sal volat. C.C. & similia, quibus simul reliqui corporis pori aperiuntur, & superfluum impurum eliminatur. Angulo oculi, & ipsi glandulæ imminutæ insinuant fixiora porosa ex plumbo usto, saccharo saturni, lapide calaminari pp. quæ dulcedine una mitigant, subjunctis leviter adstringentibus & poros glandulæ istius oppessulantibus, ne ulteriorem lymphę acuatæ admittat influxum, ex rosis, balaustiis, lap. hæmatit. pp. mastich. sarcocoll. sang. dracon. vel pulveris forma, vel unguenti cum melle facti linteolis carptis suscepti admovenda.

Encanthide. Ut lympha superflua in *Encanthide* ex caruncula abigatur, rarefacientia & sudorifera intus exhibent, Spir. C.C. cum essent. rorismar. ipsum etiam succum chylosum nutritium imminuunt, ne copiosius admittatur, per similia diaphoretica & solventia, tum tuberculum exedunt & consumunt vel alumine aut Vitriolo usto, vel oleo ejusdem melli immixto, vel forfice abscindunt, & remanentem carunculam aqua plantag. & rosar. tinctis sanguine draconis abluunt, aut pulverem adstringentem ex balaustiis, nuc cupress. lap. hæmatit. pp. bol. Armen. corall. ust. &c. inspergunt.

Ægylope. Non absimili ratione ipsum tractant *Anchylopa*, at quando diuturnitate temporis & succorum majori corruptione in *Aegylopa* transmutatus est, ad particulas illas acutas valdè agitatas corrigendas eadem in usum ducunt, quæ in Rhyade jam consideravimus; insuper ut cuspides istæ magis hebetentur, & filamenta carunculæ mitigentur & blandè in pristinum statum reducantur, instillant aliquando guttam unam vel alteram lactis, cui parum myrrhæ immistum est. Suppuratio, si non potest præcaveri, sed succus chylosus ab acido corruptus per eandem eiici debet, eam facilitant cataplasmata ex rad. alth. lil. alb. flor. chamomill. cepis sub cineribus coctis, &c. abscessum ruptum abstergunt aqua mellis, hinc consolidant linimento ex thut. C. C. ust. plumb. ust. sarcocoll. cum vitello ovi indurato susceptis Ossis subjecti portionem ab acutis particulis corruptam & cariosam eximunt, & unguento Ægyptiaco vel Mercurio sublimato ulteriorē corruptionem prohibent & callositatem adimunt, oculo reliquo prius studiosè custodito, hinc aquā Ophthalmicā auream *Mynsicht.* instillant, & *Fistulam* vel Unguento *Hartmanni* ex Sulphure viv. Alumine, sale, rad. lapath. acet. fort. composito, vel ex thure, sarcocoll. aloe, myrrh. spod. thut. rad. aristol. melle exceptis ad sanitatem perducunt.

Fistula lacrymalis.

Nostra Cura in Rhyade. §. 19. Cùm ordo *Nos* tangat, methodum, quâ in morbis hisce curandis uti adsuevimus, distinctè nunc edocebimus, & quidem in *Rhyade* ad succum nutritium augendum salia adhibemus volatilia, & aromatica temperata aliis blandis immista, quæ omnium optimè restaurant & nutrimenti distributionem promovent; succum itaque cancrorum, juscula consummata, spir. C. C. cinamomisat. Essent. fœnic. Elixir macis intus sumenda exhibemus; ad particulas autem acidas acres corrigendas sudorifera propinamus; Tinctur. Tartari Antimoniatam, Spiritum salis Ammoniaci succinatum, Tincturam salutis, Bazoardicum Solare, & his similia, unde acres & corrosivæ particulæ mitigantur, & ulterior devastatio & carunculæ abrasio præcavetur, quare ipsum etiam angulum aqua Regin. Hungar. aliquando abluimus, & collyria applicamus ex myrrh. aloe, thut. præsertim quando ab ulcere reliquiæ quædam acres ejus erosionem & consumptionem causaverint, vel etiam si post variolas lympha acrior stagnans & pustulam excitans, aut medicamenta acria corrosiva carunculam absumpserint, cui scopo etiam sequens satisfacit collyrium:

> ♃. *Mucilag. Gum. tragac. aq. plantag. fact.* ℥ j ß.
> *Succ. Cydon.* ʒ ß.
> *Pompholyg. lot.* ʒ j.
> *C. C. ust. & subtiliss. pulverisat.* ℈ ij.
> *Thur.* ℈ ß.
> *Myrrh.* ℈ j.
> *M. F. Collyrium.*

Lympha quoque acris per ductus lacrymales in glandulam delata similiter venit corrigenda & mitiganda, vel lacte muliebri recente tepidè instillato, vel fotu ex decocto Chamomillæ, fœnic. sem. fœnigr. herb. tot. euphras. vel mucilag. ex sem. cydon. lin. rad. alth. &c. aliquando illinendæ. In specie laudatur succus ex grano Parnassio viridi expressus carunculæ aliquoties instillatus. Nec omittenda reliqua sarcotica, decoctum flor. rosar. rad. aristol. rot. sarcocoll. thur. &c. in aq. rosar. & plantag. quibus simul constringuntur vasa, ne lympham acrem ulterius suscipiant.

Encanthide. *Encanthidis* curatio reposcit resolutionem tum succi nutritii, tum lymphæ aliorumve succorum stagnantium, & acidi correctionem, quod per volatilia & spirituosa impetrabitur, quibus defectus spirituum animalium compensatur; dentur itaque interiùs Essent. & Sal volat. viperar. liq. C.C. succinat. essent. chelidon. maj. spir. salis Ammoniaci, ambra moschata, &c externè discutiētia adhibemus, & acrimoniam succorum corrigentia,

gentia, imprimis quando ex mala Pterygiorum curatione malum ortum suum habet; fotum itaque instituimus ex rad. valerian. rad. & herb. chelidon. herb. rut. puleg. verben. flor. sambuc. lavendul. beton. sem. fenic. siler. caryophyllor. aloe, in vino generoso coctis, addito pauco camphoræ: si verò hisce discuti nequeat, & hypersarcosis durior sit, superfluum ut absumatur, cauteria apponimus, oculo tamen diligenter præmunito; tangi proinde sepius potest cauterio meo indolenti, vel linteolo humectato in aqua calcis vivæ in vase cupreo facta, cui aliquid Mercurii sublimati additum est. Si nec his cedit, forcipe apprehendimus tuberculum & superfluitatem forfice conveniente abscindimus, omni posito studio, ne nimium auferamus, & ipsam carunculam valde decurtemus, ne vitium hoc vertatur in aliud, & malum superiùs jam curatum, Rhyas nempe, exoriatur. Abscissione hac feliciter peracta, ad mitigandam acrimoniam & residuam carunculam parùm adstringendam, vel pulverem ex ceruss. tut. cinnab. sarcocoll. matre perl. pp. CC. ust. &c. paratum inspergimus, vel aliud collyrium ex aq. flor. cyan. plantag. chelidon. maj. cum sacch. canth. aloe, myrr. & pauco Vitrioli alb. compositum applicamus, in quo casu etiam Unguentum Ophthalmicum *Mynsicht.* tanquam singulare quoddam & specificum cuilibet seriò commendamus.

Anchylope. In *Anchylope* etiam cura pharmaceutica consistit in eo, ut in principio tumor ille glandularum discutiatur, quod sæpe obtinere possumus per discutientia ex spirituosis volatilibus parata, ut sunt Aqua Reg. Hungar. spir. pan. silig. in mortario æneo parum agitati in oculi canthum instillatus, humores etiam stagnantes viperinis propelluntur in parte affecta; hic & conveniunt myrrh. aloe, croc. cum melle in unguentum, vel cum aq. fl. sambuc. additis spirituosis, in aquam Ophthalmicam redacta; adhibeantur & varii fumi ex discutientibus parati, ut succini. Si tumor hisce discuti haud potest, tum ad maturationem & suppurationem accedendum est, hinc varia cataplasmata ex herb. emollientibus & seminibus parata applicari possunt, ut & emplastra de melilot. de ammoniac. Crocat. *Mynſ.* Sequens cataplasma semper proficuum reperi, quod paratur ex mica panis albi, lacte, vel aq. rof. & croco, vel ceratum ex farina ervi & melle confectum, vel instilla in oculum aq. rosar. vel plantag. cum tutia maritatam, vel lac maternum.

Ægylope. Hæc si non juverint, tendatque nihilominus abscessus ad pepasmum sive mutationem, juvetur admoto peptico, ut basilico, moxque cauterio aut scalpello aperiatur, quia periculum est in mora, vel ulceri imponatur gr. j. cauterii potentialis. *Aquapendens* habet methodum os narium aperiendi & perterebrandi, ut pus per aperturam effluat, ne acrimonia sua in partes vicinas proserpat, easque corrumpat, verendum enim ne pus subjectum erodat fiatque ex Anchylope *Ægylops* & *Fistula lacrymalis*.

Sed hisce in casibus pro re nata interponantur temperantia, & præ aliis detur decoctum vulnerarium, non verò mensurantium, sed cochleatim, quod sępe plus pręstat quam omnia & quidem optima externa. Si cauterio potentiali fuerit eschara inducta, ea est removenda digestivo communi notissimo ex terebinth. & vitello ovi parato, addito pro libitu momento croci, potest imponi in forma emplastri cum parva turanda.

Post remotam escharam adhiberi potest sequens vel simile ex Mercurii Præcipitati rub. p. vj. & p. j. aluminis cum unguent. aur. exceptis, & toties repetendum est, donec os conspici potest an illud corruptum vel carie infectum sit necne; si os adhuc sanum est, exficcetur, ulcus linteis carptis, & bis in dies mutatis, & ulcus consolidandum & cicatrisandum. Ad ulceris acre corrigendum commendamus myrrhata & aloetica: Ex. gr.

℞. *Troch. de myrrh.* ℥ j ß.
Croci ℈ j.
Aloes hepat. ℥ ij.
Cum resin. terebinth. & melle F. Unguentum.

Alii uti solent butyro recenti ad separationem perficiendam. Si oculus valde rubeat, Aq. Regin. Hungar. cum camphor. proderit applicata.

Fistula lacrymalis. In *Fistula lacrymali* eò incumbendum ab initio, ut pori vasorum coarctentur, ne humores acres transmitti possint, in quem finem conducunt modicè adstringentia dicta, sola igitur aqua aluminosa linteis madefactis imponi potest. Cùm in fistulosis his ulceribus rarò curatio absque cauteriis feliciter succedat, eapropter cauteriis potentialibus cura incipienda est, & cùm ulcus os denudavit, fistula idoneo instrumento, si fieri potest, discindatur, & ut in alio ulcere curando f. a. procedatur. Imprimis conducet balsamus Saturni rubicundus vel seq. remedium calidè, dum lancetta fuerit fistula aperta, infundendum:

℞. *Elix. vitæ* ℥ ij.
Spir. Myrrh.
Aloes aa. ℥ j ß.
Ammoniac. ℈ ß.
Camphor. gr. xv.
Ol. Sabin. ℈ j.
M.

Cauterium meum indolens imponere soleo, quod constat ex cineribus fraxini sacculo linteo inclusis; & sic parti affectæ imposito; unde eschara nascitur; & ut eschara cadat, imponi possunt mucilagines cum vitello ovi. Quod si cauterium actuale necessarium sit, si os denudatum & cariosum fuerit inventum, parum immittatur, ut tenuis tantùm decedat squamula; alii abradere solent instrumento idoneo, ne puris acrimonia poros variet, & ità corruptionem inducat. Modum urendi docet *Aquapendens*, qui in ulcus cannulam argenteam intrudit, ne oculus à ferro candente lædatur, & cannulam fortiter loco affecto applicat, ut forti compressione sensus quodammodo obtundatur, tum candente ferro ulcus exurit, usque dum os videre possumus, tunc prospiciatur, an os cariosum sit an secus, si os fuerit infectum, ulteriùs uratur, dein curetur ut ulcus commune. Sequens optime curat fistulam lacrymalem:

℞. *Limat. Martis*,
Spir. Salis aa. q. s.

Digere donec acrimonia remiserit, filtra, evapora ad dimidium, add. aa. Sacchar. Saturni, leni igne inspissa in pulv. rubrum admodum dulcem ab aere servandum. Interne conducet Decoctum Antiscorbuticum.

Exemplum novimus in diuturno hoc affectu, ultra anni unius spatium durante, frustulum ossis exesi in Cantho majore oculi, unà cum carne corrupta illi adnata, à parte sana sponte decidisse, & in narium cavitatem subitò delapsum, excretumque fuisse, unde dein nullum pus ex ista fistula, sed per viam illam in nares descendit; & quod cum tempore tandem carne obducta coaluit: hinc optime *Aquapendens* docet methodum, ut os narium, quod ibi valde tenerum est, subtili terebro perterebretur, ut ita materia, pus scilicet & lachrymæ, per nares effluat. Si caries conjuncta est, tunc usque ad os fistula aperiendum, & calidè infundendum seq. medicamentum:

℞. *Spir. matrical.* ℥ j.
Elix. Vitæ ℥ ß.
Gumm. Ammon. ℥ j.
Tinct. castor.
Aſſ. fœtid.
Galban. aa. ℥ j.
Sal Tartari ℈ ß.
Camphor. ℥ j.
Myrrh. ℥ j. ß.

Cum spongia vel siphunculo applicetur sæpius, & ligetur f. a. Si hæc non juvant, ad ferrum & ignem, vel cauterium potentiale, ceu diximus, accedendum est. Si verò fistula fuerit ablata, & callosæ partes consumptæ, tunc ad mitiora confugiendum est. Ex. gr.

℞. *Aqu. Sambuc.*
Fœnicul. aa. ℥ j.
Spir. matrical. ℥ ij.
Mirrh.
Aloes aa. ℈ j.
Camp. ℈ ß.
Croci gr. xij.
M. F. Collyrium.

CA-

CAPUT X.

DE TUNICÆ ADNATÆ VITIIS,

Ophthalmia, Pterygio, Panno & Hyposphagmate seu Sugillatione Oculorum.

§. 1. IPsi certe oculi in omnibus partibus suos patiuntur manes, seu cœlo contermino compatiantur, indeque grassantes experiantur ignes, seu inferori loco flamma huc adscendat. Tristantur hoc incendio, nec fungi munere suo possunt ampliùs, quousque faces accenduntur dolorum, & in ambitum exporrigitur ignis; Ophthalmometor quidem fundit lachrymas, hinc undæ uberes domesticæ affluunt, ast alunt potiùs ignem, quam extingunt. De rubore hoc flammeo oculorum *Ophthalmiæ* nomine insignito pauca hic referamus. Dicitur autem *Ophthalmia* à Greco nomine ὀφθαλμὸς, (oculus,) & quamvis hoc nomine ferè omnes oculorum læsiones plures Auctores comprehendant, ut magna inde oriatur confusio, strictè tamen sumitur pro inflammatione, hinc Latinis dicitur *Inflammatio oculorum*, seu *Phlegmone*, aliis etiam *Epiphora*, *Celso* audit *Lippitudo*, quod in hoc vitio lachrymæ fervidæ sint comites & ex oculis stillare soleant. Hic asterisco notandum, quòd Lippitudo duplici sensu accipi potest; latiori; pro quacumque illachrymatione involuntaria & morbosa, seu cum, seu sine inflammatione unde Lippitudo modò humidam Ophthalmiam denotat, de qua *Horatius*:

Lippitudinis homonimia.

Hic oculis ego nigra meis collyria lippus
Illinere

quod etiam notus ille versiculus de eodem & Virgilio, dispnœa, forte laborante, exprimit:

Hinc inter lacrymas sedet & suspiria Cæsar.

modo de sicca Ophthalmia, vel pumiceis oculis accipitur eadem, quibus *Pseudolus* ille apud *Plautum* *Act.* 1. *p. m.* 501. laboravit, quando inquit:

Pumiceos oculos habeo, non queo
Lacrymam exorare ut expuant unam modò.
C A. Quid ità? PS. genus nostrum semper siccoculum fuit.

Germani dicunt *die Entzundung der Augen, rothe flussige Augen.*

Descriptio Ophthalmiæ.

Describi potest hic affectus, quòd sit inflammatio tunicæ adnatæ oculi, cum rubore, dolore & illachrymatione, à στάσει sanguinis acrioris aliorumque sucorum ibidem imperium sibi rapientium, & fibrillas tunicæ vellicantium, & commoventium.

Differentiæ.

Ophthalmiæ ratione generis tres sunt differentię juxta gradus, sic & ratione subjecti quandoque alteruter oculus, interdum ambo afficiuntur; sic interdum sola tunica adnata, aliquando etiam vicinæ partes in consensū trahuntur, alia est à causis externis, alia ab internis; alia dicitur vulgò contagiosa, alia benigna; alia epidemica, alia sporadica; quędam à motu est periodica.

Pterygium.

Pterygium dicitur Germanis *ein fell der Augen*, aliàs *Unguis*, omnesque Authores solicitas distinctiones faciunt inter Pannum & Unguem oculi, si enim tunica plana, tenuis ac albida est, dicitur Unguis, si est carnosior & rubicundior, tunc vocatur Pannus, quæ distinctiones memoriam torquent.

Unguis seu Pterygium quid?

Unguis oculi, seu *Pterygium*, describitur vulgò, quod sit menbrana p. n. exteriùs Tunicæ oculi adnatæ affixa, seu suffusio quædam exterior, à particulis crassis & viscidis per poros vasorum p. n. apertos ad tunicam delatis, & pelliculam hac efformantibus exorta, & oculo lucem præripientibus.

Differentia.

Differt à Suffusione, quod hæc membrana exteriùs tunicæ oculi adnatæ sit affixa, suffusio verò intra oculū.

Pannus.

Pannus maximam habet cum priore affectu affinitatem, estque quiddam instar panniculi rubeum, à sanguinis particulis stagnantibus nonnunquam evasatis in hanc tunicam coactum, & differt à Pterygio, eo quod Ungula sit nerveum quid sine venarum repletione, exoriens ab angulo oculi majore, operitque oculum, in forma sagittę, Pannus autem obtegit totum oculum, sive tunicam adnatam, vel etiam corneam, instar panni rubei intertexti.

Hyposphagma.

Hyposphagma dicitur & *Sugillatio*, & est macula rubra seu livida, à sanguine è vasis suis ruptis effuso, exorta.

Eius differentiæ.

Aliud est à causis externis, aliud ab internis; aliud est recens, aliud inveteratum malum: hoc livescit & nigrescit, de quibus in causis. Sic quoque adnatam hanc tunicam non duntaxat inflammari, sed & aliquando suffundi posse humore legimus *in Eph. Germ. Obs.* 124. *Ann.* 6. & 7.

Pars affecta

§. 2. In Ophthalmia *Subjectum* primarium, seu radicationis, est Tunica adnata, ab Anatomicis dicta, album oculi constituens, levis hæc est membrana à pericranio ortum suum habens, omnium extima atque ossi proxima. Tunica verò hæc adnata afficitur inprimis quoad vasa arteriosa, venosa, & substantiam nerveam. Si bene se habeat hæc membrana, vasa illa sanguifera non conspiciuntur, vel rara tantùm vestigia, attamen morbus ea facilè manifestat. Facilè hæc membrana, ut & aliæ, suos patitur manes, & imprimis inflammationem subit. Secundariò & afficiuntur reliquæ tunicæ & musculi, ut uvea & cornea, imò humores ni bulbo latitantes. Sic quoque hæc tunica in Ungue oculi & panno, ut & Hyposphagmate patitur.

Diagnosis Ophthalmiæ.

§. 3. Quo feliciùs curationi operam impendamus, *Signa diagnostica* pręmittamus, ut re magis ita cognita in causis judicium melius ferre queamus. In Ophthalmia ergo oculus rubore, ardore, & dolore afficitur, lachrimę plus minùs pro causarum conditione & vehementia, ab humore tenui exstillant, adest imminuta videndi actio, ęgris enim oculus connivet, nec ipsi lucem videre possunt, hinc illam refugere coguntur, oculus enim tumidus ac lachrymis afflictus dolensque, officio suo neutiquam fungi potest; sic horis matutinis fit Palpebrarum coalitus, qui debetur lachrymis vel humoribus viscidis noctu eò delapsis & stagnatione glutinosis factis. Quin pupilla subinde angustatur, & unguiculo obducitur crispatis fibrillis. Sępe etiam visus depravatur, objectis omnibus rubris apparentibus & flammeis. Coniunguntur sępe dolores capitis, febris ipsa faces dolorum accensas majores sequitur, & suppuratio, nisi caveatur, succedit. Sępe non sola tunica adnata inflammata est, sed & bulbus oculi totius ejusque musculi & palpebrę. Lachrymæ tenues ità sunt acutæ, ut genas defluentes ipsas exulcerent excorientque, & oculi hoc casu quasi uri videantur, prout observavi hoc die, quo hęc scribo, in filia 8. annorum, quę non tantùm oculos inflammatos, sed etiam ipsas genas adeò excoriatas habuit, ut si manum aut brachium applicuerit loco affecto, ipsum brachium eodem modo ac genę exulceraretur, & pustulis in manibus inficeretur, ob acidum illud volatile emanans; hinc distinguimus Ophthalmiam in *ferinam* & *benignam*: ferina illa est, quę oculi exterminium quasi intentat, tum seri rosionibus in toto capite, oculis facie emicantibus se in conspectum tradit; benigna verò mitior est.

Unguis.

In *Ungue* oculi membrana aliquando conspicitur carnosa, aliquando adiposa & membranosa, interdum albicat, interdum rubet, ut plurimum ab angulo interno, aliquando ab externo, rarò ab alterutra palpebra protenditur, & nunc magis, nunc minùs latè per oculum extenditur. Ut plurimum conspicitur pellicula, quę asperæ tunicæ adnatæ adhæret.

Panni.

In *Panno* signis non opus est, apparet tanquam tela carnosa in superficie, præsertim tunicę adnatę, cum prurítu, dolore, oculorum à lumine offensione, visione obscura vel penitus ablata.

Sugillationis.

Sic quoque *Sugillatio* seu *Hyposphagma* facilè visu deprehenditur ex macula rubra seu livida, à sanguine ex venis apertis effuso.

Ætiologia secundùm Galenicos Ophthalmiæ

§. 4. *Causam* horum affectuum, & quidem primò *Ophthalmiæ* ipsi *Galenici* statuunt sanguinis inter tunicam oculi adnatam affluxum, qui vel à causis externis, fumo nempe, solis nimio splendore, percussione, corporis motu nimio, &c. vel internis, humorum, maximè bilis, acrimonia, ob epatis intemperiem calidam pronata, plethora, flatibus aliisque per venulas in cornea existentes allectus, tunicam istam adnatam, aliàs albam,

albam, reddat cruentam; simul etiam humorem confluere volunt copiosiorem modò ex pericranio, modò cerebro, unde non tantùm dolor capitis, sed lacrymarum frequens effusio & sternutatio crebra suscitentur.

Unguis. *Unguis* oculi, seu *Pterygij* causam statuunt sanguinem multis humoribus crassis & tenacibus lentis permistum, ex partibus capitis potissimum inter cranium & cutem contentis, ad angulum oculorum majorem defluentem, atque inæqualitatem & scabritiem ibi producentem, quam facultas nutrix complanare studens, majorem sanguinis nutrientis aliisque humoribus referti adducit copiam, sicque affundendo & operiendo novam producit membranam, eamque in tantum per vices auget, ut sagittæ instar ab angulo ad tunicam annatam, interdum etiam ad ipsam corneam extendatur.

Panni. *Panni* causam dicunt sanguinem vel purum, vel aliis humoribus mixtum, ad oculum, & imprimis tunicæ annatæ superficiem copiosiùs derivatum, sive ex venulis exterioribus, sive interioribus illuc perveniat, idque vel per modum effluxus, vel congestionis, qui superficiei istius tunicæ intertextus, pannum rubrum repræsentet.

Sugillationis. *Sugillationis* causam proximam itidem ponunt sanguinem, vel ob sui copiam, vel venas à causis externis, lapsu videlicet, ictu, contusione, vocis intensione adeoque clamore, vel tubarum inflatione, interdum aeris asperitate ruptas effusum, & modò annatæ, modò corneæ tantum, modò utriusque tunicæ albedinem simul obscurantem, qui sanguis si multa scateat bile, ruborem in colorem lividum facile transmutari affirmant, quòd ipse sanguis in grumos secedat & emoriatur.

Secundùm Paracelsum causa Ophthalmiæ. §. 5. *Paracelsus* uti ipsos oculos ex tribus constare asserit, ità etiam morbos eorundem ex tribus istis corruptis dependere existimat, nimirum vel substantia, vel materia, vel forma; & quidem ipsam *Ophthalmiam* ex substantia deficiente produci docet, quem defectum potissimùm sal quoddam vitriolatum efficiat, & rodendo non modò suscitet dolorem, sed ipsum etiam oculi colorem, in alium transmutet.

Unguis. *Unguem* oculi ex materia produci æstimant, sale videlicet fisso & sulphure albido, quæ ambo sese invicem miscentia, & cum humore nutritivo per porum oculi emunctorialem transeuntia, in hujusmodi excrescentiam abeunt oculo sagittæ aut unguis instar adhærentem.

Panni. *Panni* originem deducit à læsione venarum, ex quibus sanguis effluens & tunicæ annatæ inhærens à sale quodam sylvestri coagulatur, & sic in membranulam quamdam rubeam concrescit.

Sugillationis *Sugillationis* causam itidem à sanguine ob venas à contusione aut alia causa violenta ruptas, inter tunicam oculi corneam effuso & emoriente derivat, unde macula ista ob exhalans sal naturale vividum exoriatur.

Helmontii opinio de causa Ophthalmiæ. §. 6. *Helmontius* ab excandescentia Archei *Ophthalmiam* produci affirmant, quatenus materiam quandam occasionalem oculo illapsam expellere nitens, at non valens, seipsum accendit, & sic oculum inflammat, insimul dolorem & ruborem in signum incendii super oculum suspendit.

Unguis. *Unguis* originem dedudit à latice, qui cùm ad sordes oculorum eluendas à natura sit destinatus, digestionum verò vel aliena vitia reperiens, ea secum defert, & in oculi angulum deponit, quæ accumulata laticem stagnare faciunt, & tandem in novam quandam pelliculam convertuntur.

Panni. *Pannum* succrescere putat ex diuturniore Archei incendio, ad quod extinguendum cruor cum latice à custode partis transmittitur, at cùm fortius sit, latex ille pro extinctione non sufficit, sed coagulatione in velum quoddam transmutatur, quo ignis ille operiatur, cui tum cruor immistus, tum splendor igneus ab incendio Archei translucens ruborem istum conciliat.

Sugillationis *Sugillationem* oriri æstimat à cruore extravasato ob venulas oculi diffractas, qui vitæ sodalitio sensim destitutus & corruptus variè transmutatur, & spiritu vitali orbatus mutat colorem & lazureum induit, postea livescit, & tandem planè emoriens nigrescit.

Juxta Vvillisium causa Ophthalmiæ. §. 7. *Vvillisius* etiam *Ophthalmiæ* causam ponit sanguinem extravasatum inter tunicam oculi adnatam effusum, sicque copiosiùs aggestum, turgescendo inflammationem excitantem, cui ob solutionem continui membranæ istius maximè sensilis dolor superveniat acutus, rubor à transparente sanguine calido, & lacrymarum affluxus, quas tamen ab ardore vehemente interdum exsiccari vult, ut lympha illa pro oculorum & palpebrarum lubricitate aliàs valdè necessaria planè consumatur & deficiat.

Unguis. *Unguem* oculi pronasci putat à succo nutritio, propter asperitatem ab acrimonia liquoris lymphici, seu laticis serosi in glandula angulari & tunica annata excitatam mitigandam & lævigandam, majori copia & spissiori substantia transmisso, qui postmodum in superfluam ejusmodi concrescat membranulam.

Panni. *Pannum* deducit à sanguine extravasato & liquore nutritivo invicem mistis, & inter tunicam annatam effusis, ibidemque in panniculum istum carnosum ob spissitudinem concrescentibus.

Sugillationis *Sugillationis* causam statuit sanguinem extravasatum, & inter membranam annatam vel corneam ab acido quodam ibidem existente coagulatum & discoloratum, ità ut particula congrumescens nigrescat, serum autem cum portione bilis separatum, lividum & flavescentem colorem præbeat.

Sylvii iudicium de causa Ophthalmiæ. §. 8. *Sylvius* morborum horum causas ità explicat, ut *Ophthalmiam* à sanguine vel in vasis stagnante, vel ex iis intra tunicam annatam oculi effuso, & avolantibus partibus spirituosis cum acidis & salinis effervescentiam producente deducat, quibus cùm simul partes oleosæ intermisceantur, inflammatio oriatur & dolor, eo quòd acrimonia calida ex effervescentia illa pronata membranas & musculos oculorum vehementer agitet; & hanc sanguinis effusionem, stagnationem, & effervescentiam sæpe ab externo aere, hujusmodi partibus acrioribus repleto, excitari & promoveri.

Unguis. *Unguem* produci credit à nutrimento è sanguine oriundo, post erosionem ab humoribus acribus factam, ad glandulam anguli majoris & tunicam annatam ex arteriolis majori copia affuso, & ab acido austero in membranam illam duriusculam coagulato.

Panni. *Panni* originem itidem ex sanguine nutriente per arteriolas tunicæ annatę copiosiùs superfuso deducit, dum post ophthalmiam sanguis stagnans materię pingui viscidiori intermiscetur, & ab acido isto austero inspissatur.

Sugillationis. *Sugillationem* potissimùm ab externa causa oriri credit, contusione videlicet, lapsu, vel etiam afflatione aut vocis intensione vehementi, unde venulę rumpantur & sanguinem effundant, qui effusus ità mutatur, ut corpori vel oculo ulteriùs nulli sit usui, sed grumescat, corrumpatur, & ex corruptione livorem contrahat.

Cartesianorum opinio de causa Ophthalmiæ. §. 9. *Cartesiani* causam *Ophthalmiæ* ponunt liquores ex arteriolis in ipsos tunicę annatę poros effusos, sępe ab aere acri prolectos, eosdemque stagnando ità obstruentes, & tam exigua relinquentes spatiola, ut non nisi materia illa primi elementi per eadem transire queat, & hęc cùm igneę sit dispositionis, tunicę illi inflammatę ruborem conciliat, quod globuli secundi elementi ab eadem in superficie istius tunicę variè circulentur, simulque rapidissimo suo motu & impetu quodam irruens in poros fibrillas ità lancinet, ut vehemens exoriatur dolor, & vasa ad humorum effusionem vel succutiantur, unde lacrymarum effluxus copiosior, vel urendo omne humidum exsiccetur, atque sicculi reddantur.

Unguis. *Unguem* excrescere docent à liquore nutritio chyloso crassioribus particulis intermixto, & ob erosa vascula à materia acutangula acri copiosiùs effuso, cujus particulę sibi invicem acquiescunt, quatenus ab aere externo multis particulis rigidis referto in motu impediuntur, & invicem sola quiete arctissimè junctę in membranulam sagittę-vel ungui formem compinguntur.

Panni. *Pannum* produci volunt à mixtura sanguinis & materię nutritię chylosę in superficiem tunicę annatę effusę,

effusæ, & stagnando, seu quiescendo inspissata, ut sic intermistis particulis crassioribus, terrestribus & austeriusculis coagulentur, & panniculum istiusmodi carnosum præsentent.

Sugillationis.

Sugillationem fieri censent ab ipso sanguine ex vasis, à causis violentis dilaceratis, inter tunicam annatam aut corneam effuso, & ob poros compressos ibidem stagnante, cum tempore, quia extra vasa existit, corrupto & livorem inducente, eo quòd pori & interstitia à parte illa sanguinis corrupti mutata globulos secundi elementi modò suffocent, modò fibrillæ intercurrentes à spiculis acidis agitatæ superficieculis suis eosdem dispergant, unde color iste lividus, & tandem, nisi discutiatur, sanguine corrupto omnibus poris se insinuante, & superficiem tunicæ ita alterante & poros irregulares reddente, ut globuli isti eò propulsi penitus suffocentur, ipsa nigredo succedit.

Nostra sententia de causa Ophthalmia.

§. 10. Ex *Nostra* sententia causa inflammationis oculorum seu *Ophthalmiæ* eadem est, quæ in aliis inflammationibus; ubicunque enim in nostro corpore humores morulam nectentes stagnant: ubi ergò humores in circuitu suo extra vias sibi convenientes deflectant & aberrent & sistantur, ibi tum statim illam, ubi hærent, partem laborare deprehendimus. Et id cernimus quotiescunque sanguis, & alius humor per rimam seu continui solutionem viis suis, quibus incidebat, exsilit, seu in partes vicinas, seu in ipsas rimas se insinuans, fit potius sugillatio. Solvitur autem hoc in casu vasorum continuum, ubi sive hæreant in ipsis succis, sive in eum aliunde advenerint particulæ acres & acidæ, rodentes puta, scindentes, pungentesque, quæ spiculis suis lapsu temporis magis magisque fibrillas divellunt & rimas faciunt; à spiculis enim istis inæqualibus, aut salibus sylvestribus seu acribus, peregrinis, teneræ, delicatæ & sensiles illæ pulsantur fibrillæ, sicque molestiam fibrillis creant, & hinc dolor, rubor & alia mala producuntur. Solvitur etiam continuum nimio sanguinis vel alius humoris motu undecunque demum orto, quo in hanc illamve fibram impetuosiùs ruens, illius cedere nesciæ compagem dissolvit; cùm ergò sanguis aliique humores in tunicam adnatam palpebrisque succinctam in nimia copia exundant & recipiuntur, ut vasa distendantur, distensa quasi divellantur, unde tumor partium vicinarum interdum simul exoritur; & quia tubuli in hac parte sunt firmioris texturæ, hinc & ophthalmia est perniciosior inflammatio quàm musculorum; hinc non credimus sanguinem extravasatum primariam esse causam inflammationis, sed præter sanguinem alii etiam humores effunduntur, qui faciliùs obsequuntur motum ætheris, & hinc inflammatio.

Solvitur sæpe sanguis ceu alius humor, confestim per vasa seu teneriora, seu angustiora, seu tantæ molis non capacia delatus, fibras dilatat, atque ita per hiatus fluit effluitque. Quandocunque verò vel sanguis ampliores affectat vias, proprio, licet intempestivo motu, vel lympha acrior lancinans poros dilatat, & peregrinum hospitem invitat, inflammatio talis oboritur, utriusque vitiato motu, quod phænomena testantur. Lachrymæ enim sero, (siquidem lympha ibi congesta tumorem, effusa verò lachrymas efficit,) rubedo acido sanguini accepta ferenda; oculi enim rubent, quia tunc vasa ibi minutissima rubicundo implentur sanguine, ab acido coagulante, & ideò conspiciuntur, quia partes subjectæ albent; ardor verò oritur, quòd pori seu tubuli tunicarum oculi à salinis istis particulis ita obstruantur, ut per reliquias pororum nil nisi materia prima elementi feratur, omne siquidem calidum influens est ab æthere, continuo & indesinenti motu poros corporum pervadente, illeque quamdiu legitimo motu per massam sanguineam fertur, ordinem, proportionem, & mixturam particularum ejus inter se invicem conservat, unde tamdiu optima perfruimur sanitate; quamprimum verò, quod in sanguine perfectè sano accidere solet, pori partium minimarum in parte quadam solida, v. gr. membranosa obstruuntur, non quidem in solidum, in tantum tamen, ut minutissimæ quædam singulis in oris restent reliquiæ, necessarium est, ut illæ pororum reliquiæ adeò exiguæ sint, ut non nisi materiam subtilem perfluere patiantur, quæ sicuti igneæ est naturæ, fulminis instar movetur, & undique traiicit cum violentia, ut etiam vehementi illa agitatione ignem producere queat, & ut ad rem accedamus, idem si contingat Tunicæ oculorum adnatæ pariter ac corneæ, & materia primi elementi obstructorum pororum spatiola relicta pervadens, velocissimo suo motu inflammationem producit. Mirum ergo non est, quod manus adsit ardor, cumque humores circulantes in forma roris vel succi valde subtilis membranarum illarum tubulos traiicientes magnum in modum rarefiant & exagitentur ab accurrentibus continuò spiritibus, ita ut producatur tumor, rubor verò ardoris productum est, & ob vasa capillaria valde distensa conspicuus, cumque globuli cœlestes in sanguine circa proprios validiùs rotentur axes, colorem saturatè rubrum præbent.

Causæ remotiores sunt ætas *juvenilis* ob errores in victu commissos facilè in hunc morbum proclivis. Huc & facit *hæreditaria dispositio*, è lippis enim lippigeniti subinde id probant.

Ex Non-naturalibus symbolum suum addit Aer quoad anni constitutiones & aliàs varians; maximè verò aquilonius, acido-nitrosus, maximè obstruens & circulationem succorum impediens, Ophthalmiæ ferax à Coo habetur 3. *aph.* 16. Item inæqualis quoad tempora anni, unde si hyeme sicca prægressa & aquilonia, ver pluviosum & australe fuerit, æstate ophthalmias fieri necesse est, maximè verò mulieribus & viris humidioribus, 3. *aph.* 15. Vel contrà, si hyemem australem, pluviosum & clementem ver siccum & aquilonium excipiat, 3. *aph.* 12. quod verum esse nos annus hic docuit, dum plures hoc malo vexatos curæ nostræ commissos vidimus. Aer enim frigidus aquilonius quatenus suo sale acido obstruit poros, sicque calida effluvia retardat, imò ipsos mordet oculos. Frigus ergò dum obstruit, coagulat humores torpidosque reddit, facilè stasin excitat, imò ipsos spiritus animales membranis & fibris ocularibus incolentes inspissat, maximè cùm oculi injuriis aeris præ aliis sint expositi.

Memorandi hic quoque sunt *Venti irruentes*, atque hinc non rarò etiam epidemicæ Ophthalmiæ observantur, uti hac in nostra Hassia, ob aeris talem constitutionem frigidam ac acidam catarrhis idoneam. Nuper observavi intensissimam inflammationem à nive oculo incautè imposita; frigus enim oculis inimicissimum existit, ut & aliis partibus nerveis & membraneis, quia maximè coagulat humores.

Causa Unguis.

Unguis oculi eodem ferè modò generatur ac membranæ, nonnunquam constat substantia adiposa vel albicantis, vel nigricantis magis coloris. Protenditur potissimùm ab angulo oculi interno, quia dum pars extrusi è sanguine laticis ob asperitatem superficiei Adnatæ, suum huc contribuente tenacitate ejus, ac pororum angustia, ibi detenta in membranæ indumentum secundùm partes minimas disponitur, hinc copiosiori materia rudimento illi suffusa, nascitur tunica alba & opaca, quæ paulatim incrementum sumens, & sensim ac sensim per corneæ superficiem prorepens, partem iridis & pupillæ tegit, ac opacitate sua legitimum radiorum ingressum impediendo & penitus obtegendo, visus inducit imminutionem Sic & quando in Ophthalmia lachrymæ salino-acidæ aut acres carnem in angulo majore arrodunt, hinc membranam adnatam lædunt, nutrimentum inde transudat & coagulatur in concretum ejusmodi membraneum, ceu loquitur *Ettmullerus* de *Vngue oculi*, distinguitque eam in malignam seu cancrosam, & benignam.

Panni.

Pannus verò oculorum oritur, si quando vascula sanguine nimis repleta, unà cum adjuncto chylo sanguinem sub forma sanguinis emittant, qui dein stagnatione crassior factus, unà cum arteriolis coalescens, panniculum oculis carnosum inducit, non alio modo ac car-

ac carnes in primordiis embryonis formari solent, in quibus sanguis in vasis sanguiferis coagulatur, illaq; sibi invicem applicantur & uniuntur, hinc fibræ carneæ suas habent tunicas, quæ olim fuerunt vasa sanguifera.

Causa Sugillationis. *Sugillationis* causa est, quando sanguis ex vasis suis excurrit, & tunicæ suffunditur, eodem modo, quo in ictero humor flavus effundi solet, & color flavus se exserit, ac omnia objecta flavo colore imbuta conspiciuntur, imprimis ab obstructionibus facta.

Prognosis Ophthalmiæ. §. 11. Signa *prognostica* quod concernit, ratione *Generis* nullum vitæ imminet periculum, verùm si incrementum sumpserit morbus, vel inveteratus, gravius damnum infert & difficilè curatur, quia pori arteriarum stabilem tandem illam detortam figuram acquirunt, ut particulas peccantes transmittant.

In puerulis & senibus non tam faciles sunt curatu *Ophthalmiæ*, quàm in illis, qui mediæ sunt ætatis, argumento 3. aph. 28. in his enim circulatio humorum est fortior. Prout oculi plures partes viciniæ, palpebræ, musculi, tunica cornea, &c. læsæ, & humor exudans acrior, eatenus gravior est affectus. Membrana sola affecta minus malum portendit. Ferinus humor si adsit, omnium pessimus est, ob acidum corrosivum, quo abundat, hic enim si diu perseveret, pupillæ tabem & ῥυτίδωσιν arguit, aut oculi visusque corruptionem, aut destructionem; verbo, sæpe cæcitatem totalem ac incurabilem portendit, imprimis si spiritus ob crassitiem influere nequeat.

Dolor urgens in ophthalmia ac perseverans malum signum est, quia humoris acredinem, fibrillarum rosionem & continuatum effluxum notat.

Si evacuationes spontaneæ subsequantur, spes maturæ ac securæ liberationis affulget. Alia ægros affligit instar aliorum acutorum morborum, quæ est cum periculo majori, brevius tamen terminatur; alia est chronica & habituata quasi, quæ lentè progreditur, modesta magis, quàm periculosa est. Inflammatio hæc vel dispalescit sensim sensimque per diaphoresin attenuato humore, nec ulcerantibus amplius, quod salutare est; vel tendit ad suppurationem, quod oculo funestum, rariùs tamen id accidit, nisi serum sit adeò corrosivum, porique sint planè obstructi, & rupti canales. Suppuratio verò levior superficiaria in palpebris & partibus extra bulbum consistentibus non adeò timenda. Quòd si maturatione per evasationem in alias nobiliores partes, v. g. cerebrum, cor, vel nucham influat, ubique res periculi plena est; imprimis si nova accedat fluxio, quæ cæcitatis vel suffusionis metum prænunciat. Si pus ex oculo effluit post ophthalmiam, tunc plerumque actum est de oculo, suppuratio enim ob acrimoniam oculis ferè semper funesta est.

Ophthalmia serosa intempestivè suspensa transit sæpe in phthisim. Hinc affectibus oculorum chronicis obnoxii, si iisdem subitò liberentur, raròultra annum solent supervivere; quòd ex observatione *Celeb. de Vvessen Medici Francofurtensis* communicavit *Cl. D. Valentini professor Giesensis*.

Si lippientibus caput assiduè longoque tempore dolet, si malum latiùs serpit latente acido fomite in massa sanguinea, vix boni quid sperare possumus. Imperfecte aliquando solvitur, si post se relinquat unguiculum, nebulam, ulcusculum in cornea, angustiam pupillæ vel obscurationem, imò aliquando fistulam lachrymalem, sed in nonnullis accidit, ut post lippitudinem acutius videant, discussis turbantibus humoribus & consumptis. Si uno oculo incipiat, non rarò ad alterum etiam transire consuevit, præcipuè si notabilis sanguini adsit visciditas ac crassities.

Si ab inclementia soluta fuerit unitas, inde ex lege circulationis appulsus succus nutritius apponi non potest partibus, scilicet tunicis affectis, sicque in materiam purulentam potiùs degenerat. Ac licet brevi quandoque curetur, notabile tamen remanere solet aliquando incommodum, improportionata videlicet dispositio in ipsis tunicis, quæ postmodum efficit ut facilè redeat, nec hoc solum, sed membrana oculorum adnata, crebris inflammationibus continui solutionem passa, notabilem quandam acquirit asperitatem; siquidem cum frequentibus ophthalmiis dicta modò tunica quodammodo erodatur, non potest fieri, quin post consolidationem quædam relinquantur eminentiæ, quas aliquando palpebræ, tanquam organa valdè sensibilia, cum specie asperitatis sentiunt. Quòd si forti tubuli vasorum & tunicarum erosione magis aperti, particulas quasdam crassiores & viscidas transmittant, asperæ illi tunicæ adhærent, & successivè pelliculam efformant, quam unguem oculi superius appellavimus.

Prognosis Sterygii, seu Unguis. Prognosis hujus est, quòd *Ungula* recens non adeò difficulter curatur, inveterata verò operam chirurgicam exposcit, requirit tamen ea ungula longum temporis intervallum, eò quòd ob exquisitum oculorum sensum affectus acribus medicamentis oppugnari nequeant, unguis autem ob sui attritionem eadem expostulet, aliàs non cedit. Quo magis ergò hæc acria diluuntur, eò tardiùs operantur, atque eo longius spatium postulant. Si tunica cancrosa fuerit, non attingenda, item si cum ungue oculi progreditur.

Panni. Superiùs dicta possunt etiam ad *Pannum* referri.

Sugillationis. In *Sugillatione* cura festinanda est, si enim nigrescit sanguis atque grumescit, malum est, difficilè enim iterum dissolvitur sanguis evasatus, & oculus livescit & denigratur, hinc tandem viscus obscuratur, aliaque graviora accidunt symptomata. Suppuratur rarissimè hic sanguis, hinc difficilis est cura, & raro in ulcus & fistulam abit: observavi per 20. annos hoc affectu laborantem virum.

Cura Diætetica, ratione Aeris. §. 20. Restat *Diætæ* regimen probè observandum in hisce oculorum affectibus. *Aer* eligatur temperatus & purus, fumi, pulveris & ventorum austrinorum expers, admissus enim hic furibundus æther, humores movendo, oculos lachrymis aliisque subsequentibus malis suffundit. Obscurior etiam paulo & tenebricosior locus quærendus est, in quo curationi se submittant patientes, lucifugos enim ea conditione eos existere, minimè turpe ipsis est. Non malè quoque solent oculi pannis viridibus obtegi, qui color oculis gratissimus est, quia blandè lucis radios moderatur; rubrorum autem, rutilantium aut fulgentium intuitus studiosè fugiendus est quia lucem intendunt & improportionatam reddunt debilibus jam existentibus spiritibus in oculis, unde & luminosa omnia intensiùs removenda sunt.

Cibi. *Cibi* sint boni succi facilisque digestionis, exulent salina, acria, fermentativa, & corruptioni obnoxia, vaporosa, ceu nervoso generi inimica, omniaque acida, omnia legumina, quæ cuncta haud inconcinnè comprehendit *Schola* illa *Salernitana* sequentibus versibus:

Balnea, vina, venus, ventus, piper, allia, fumus,
Porrum cum cepis, faba, lens, fletusque, sinapi,
Sol, coitusque, ignis, labor, ictus, acumina, pulvis,
Illa nocent oculis, sed vigilare magis.

Sic & Poeta canit:

Hæc oculis multum Sol, pulvis, fumus, ac æstus,
Ventus cum fletu, vina venusque nocent.
Acria ne mandes, nec quæ sunt plena vaporum,
Nec cepas, lentes, allia, porra, fabas.

Potus. *Potus* sit cerevisia tenuis, bene defæcata, & non nimis lupulata, aut ob lolium spiritibus & oculis infesta, nec nimis recens: vel decoctum Theæ, vel lignorum acida angue pejus fugienda sunt, hinc oculorum rubedo, quod & jam olim novit Sapientissimus Rex Salomon *Proverb. c.* 23. *v.* 30. dicens: Cui rubor oculorum erit? His qui immorantur circa vinum, euntibus ad disquirendum mustum: Ne igitur intuearis vinum, quòd rubrum sit, quòd det in calice colorem suum, agitet sese probè. In fine velut serpens mordebit, & velut regulus dolore afficiet, oculi tui videbunt visiones extraneas, &c. Intendit id etiam *Martialis* de *Aulo*, vini potore nobili, ita loquens:

Hinc Medicus, bibas caveto,
Vinum si biberis, nihil videbis.

Moderata tamen quantitate sumptum aliquando concedi potest, imprimis medicatum euphrasia, beton. fœnic. verben. fragar. melliss. aliisque herbis appropriatis.

Huc

Huc & *tabaci* fumus in societate cerevisiæ admissus à pluribus laudatur.

Motus & quietis, somni & vigiliarum.

Motus & quies, somnus & vigiliæ sint moderata, somnus enim & quies pro oculis afflictis optima sunt remedia; æger verò non dormiat in latere, cujus oculus afficitur: Omnes autem vehementiores commotiones oculos quoque damno suo mactant, sic saltationes & lucubrationes in multam noctem protractæ, ut quietis, sic & sanitatis fures nocturni, inflammationem hanc oculorum parere possunt; nec lumen adeò admittitur.

Excretorum & retentorum.

Quoad *excreta & retenta*, si non legitimo tempore fiant, humores stagnantes facilè ad oculos redundant, ibidemque salia sua infigunt; sic novimus puellam 20. annorum, nondum menstruatam, singulis mensibus per oculos viginti & plures guttas sanguinis loco mensium emittentem: confer alios, *Dodonæum*, *Mercatum*, *Ephemerides*, *Gabelhoferum*, & Sic. sic quoque hunc effectum ex nimia Venere observavi, per quam succi in corpore spissiores redditi fuere.

Animi affectuum.

Animus quoque in hoc affectu sit tranquillus, & liber conservetur à motibus impetuosis, à tristitia enim & conturbatione lympha plus justo salina redditur, & ad motum ineptior, & lachrymarum profusio, utraque consequenter ophthalmiæ occasionem præbent vel præbentem augent. Hinc à lachrymis rubent ordinariè oculi, eliquata sic per glandulas lympha, accersitis salibus liquatis & immersis quasi è centro suo spiritibus animalibus, indeque tum noxæ plurimæ oculorum, tum ophthalmia scaturiunt.

Aliorum externorum.

Huc referri possunt plures res externæ, solis radii, ignis, fulgur, fumus, quo acrior est, & propiùs oculos impetit, eo majorem illis molestiam creat hinc aurifabri ob Gas venenosum acre, quod continetur in fumo aliisque quæ tractant, ophthalmia sæpe corripiuntur: à suffitu etiam cinnabaris Antimonii hortam hanc ophthalmiam observavit *Hildanus*. Pulveres præcipuè adurentes casu quandoque aut vindicta ab iratis in oculos inspersi, cineres, arena, uti & omnia mordacia salina, nitrum, Vitriolum, alumen ustum, ærugo, Mercurius Sublimatus, & Præcipitatus, facilè oculum inflammare possunt, quia humores acres reddunt, & ad stagnationem invitant.

Catarrhum, coryzam, tussim facilè hic affectus comitari solet, & à dysenteria malè curata ophthalmiam propemodum fatalem observavi, quoniam acidum acre mox in his mox in aliis tubulis sibi imperium rapit.

Ophthalmiam aliquando esse contagiosam ob effluvia acria calida, nullus dubito, nuper enim mihi accidit, cùm infantis oculum ophthalmia laborantis manu palpassem, & eadem manu meos fricaverim oculos, statim in eundem incidi affectum; quod & confirmare videtur Poeta canens.

Dum spectant oculi læsos, læduntur & ipsi,
Multaque corporibus transitione nocent.

Diæta in Pterygio, Panno & Hyposphagmate.

In *Pterygio*, *Panno & Hyposphagmate* ferè eadem conducit Diæta, nisi aliquando calidior concedatur, ne humores viscidiores reddantur, sed potius circulatio succorum promoveatur.

Cura Pharmaceutica secundum Galenicos in Ophthalmia.

§. 13. Hisce præmissis ipsam Curationem *Pharmaceutico-Chirurgicam* aggredimur, quam *Galenici* in *Ophthalmia* instituunt, omnium primò toti corpori, & maximè capiti prospiciendo ipsa venæ sectione, imprimis humeralis, oculo patienti è directo oppositæ, aut cephalicæ dictæ, in extrema manu pollici vicinæ; post hanc purgantia propinant humores peccantes, & potissimum, quem sæpius peccare credunt, biliosum educentia, quare hujusmodi aut similem parant potionem:

℞. *Myrobolan. citr.* ʒ iij.
Infund. in aq. cichor. vel borrag.
Rhei elect. ʒ ij.
Infund. similiter seorsim.
Cinam. ℈ j.
F. Expressio, in qua dissolv. Elect. cathol.
Syrup. acetos. simpl. aa. ʒ ß.
F. Potio.

Vel in aquis prædictis dissolvunt electuarium de succo rosarum & syr. solut. rosar. pallidar. Ubi verò pituita peccat, pilulas præscribunt cochias, de agarico, hiera simpl. lucis maj. &c. in melancholicis verò hieram Ruffi & Diacolocynthidos cum epithymo & sena. Hisce purgationibus clysteres substituunt & suppositoria per intervalla repetenda. Revulsionis gratia hirudines apponunt nuchæ, vel vesicatoria eidem applicant & post aures, humeris verò & dorso cucurbitulas cum scarificatione, fonticulos brachiis inurunt, & setaceum instituta paracentesi nuchæ traiiciunt, interdum auriculæ cartilaginem scarificant, & sanguine existente calido & spirituoso, arteriotomiam celebrant in fronte; postmodum ad topica pergunt, initio inflammationis repellentia adhibentes & anodyna collyriorum forma oculis imposita, ex. gr.

℞. *Mucilag. sem. psyll. aq. rosar. & plantag. fact.* ℥ ij.
Aq. papav. errat. ℥ j.
Troch. alb. Ras. ℥ j ß.
℞. *Cerus. cum aq. rosar. lot. & iterum benè siccat.* ʒ ij.
Pompholyg. lot.
Sacchar. canth. aa. ʒ ß.
Camphoræ parum, prout urget dolor.
M. F. Collyrium.
Vel
Cum album. ovor. F. Collyrium,

quod usus tempore dissolvatur in lacte, & oculo applicetur.

Fronti etiam & temporibus applicant adstringentia & vias, per quas fluit materia peccans, contrahentia, cataplasmata videlicet, anacollemata ex bol. Armen. terr. sigill. mastich album. ovi exceptis. Morbo crescente fovent oculos decoct. flor. chamomill. melilot. aneth. sem. fœnigr. lini, fœnic. in lacte vel vino diluto facto, quo gossypium imbutum oculo imponunt, & fascia leviter alligant, ne oculum gravet. In statu tandem & declinatione balnea suadent, erRhina, gargarismos & masticatoria, oculo verò sequens instillant collyrium.

℞. *Sarcocoll. lacte nutrit.* ʒ ij ß.
Croci,
Spicæ aa. ℈ j.
Aloes aqua fœnic. lot. ʒ ß.

M. F. Pulvis, cujus portio quædam dissolv. in aq. rosar. aut fœnic. & liquor ille immittatur oculo. Sic etiam ovum crudum coctum & induratum calidum vel per se, vel lacte muliebri subactum applicare solent.

In Pterygio seu Ungue.

Pterygii seu Unguis curationem inchoant venæsectione, scarificatione, sectionibus & cauteriis, ad sanguinis affluxum minuendum, educendum, revellendum & derivandum; si verò humores vitiosi in corpore abundent, purgatione eosdem educunt, adhibitis in specie humori peccanti convenientibus: post hæc pro opinione sua convenienter ita administrata, ad ipsa remedia accedunt topica, eaque valde exsiccantia, aut hisce non juvantibus, erodentia, instillantes oculo aquam mellis, vel simplicem, vel cum aqua fœnic. mistam, aliquando fel aliquod admiscent, ut lucii & carpionis, vel pulverem inspergunt hujusmodi:

℞. *Punic.*
Oss. sep. aa. ʒ j.
Pompholyg. alb. ʒ ß.
Aloes.
Myrrh. aa. ℈ j.
Sarcocoll. gr. xvj.
Sacch. canth. ʒ j ß.
M. F. Pulvis subtilissimus, oculo & imprimis ungui inspergendus.

Eundem etiam pulverem cum succo chelidon. maj. centaur. min. & melle suscipiunt, indeque parant linimentum, quo unguem sæpe illinunt. Inter erodentia recensent antimonium, ærug. æris, vitriolum album, marchasitam, chalcanthum, &c. Sed si medicamentis hisce abigi nequeat, ipsam celebrant sectionem, hamulo apprehendentes unguem in ægro aliquan-

aliquantum supino, oculoque diducto per speculum oculi, hinc unguem inter hamulo sublatum, & tunicam annatam acum filum lævigatum ducentem traiiciunt, fili extrema alligant & membranam illam vel unguem sic trahendo elevatam, vel scalpello falcato, vel forfice abscindunt, & albumen ovi aqua rosacea agitatum loco secto imponunt, addita ægro præceptione, ut oculum frequentius agitet & moveat, ne palpebris accrescat.

In Panno. Eodem penè modo ipsius *Panni* curationem perficiunt, interjectis aliquando fomentationibus, ut oculus eo meliùs præparetur, hinc exsiccantia adhibent, videlicet:

℞. *Plumbi ust.*
Antim.
Lap. calam. aa. ʒ ij.
Tut.
Ceruss. aa. ʒ j ß.
Oss. sep. ust. ʒ j.
Sarcocoll.
Myrrh. aa. ʒ ß.
Fell. carpion. ℈ ij.
Excip. mell. & album. ovor.
F. Linimentum.

quo panniculus sæpe illinatur. His substituunt fortiora erodentia ex chalcantho, sale ammoniaco, ærugine æris; quibus si cedere nolit, vel venulas Panni circa radicem filamento vinciunt, ne ulterius nutrimentum per eas accipiat & exsiccetur, vel ut in Ungue modò dictum, Pannum elevatum abscindunt.

In Sugillatione. In *Hyposphagmate*, seu *Sugillatione*, si major adsit sanguinis affluxus dolorem & inflammationem excitans, ad eum revellendum reliquæ curæ præmittunt venæsectionem, uti & si diu retentus suppuretur, postmodum adhibent discutientia, inter quæ laudant sanguinem columbarum, & imprimis ex penna alæ calidè oculo instillatum, vel decoctum flor. chamomill. melilot. rosar. herb. chelidon. fœnic. sem. fœnigr. &c. in aqua & vino factum, quo oculum calidè fovent. In inflammatione sugillationi huic conjuncta albumen ovi agitatum imponunt, & ut pus extenuetur, linimentum adhibent ex mucilagine fœniculi facta & melle. In livore, & si malum sit inveteratum, sequens laudant linimentum seu Collyrium:

℞. *Succh. chelidon. maj.*
Raphan. aa. ℥ j ß.
Fell. lucii piscis ʒ ij.
Myrrh.
Thuris aa. ʒ j ß.
Croci ʒ ß.
Mellis q. s.
M.

Medicamentis autem hisce vel similibus quando malum non est cessurum, sectionem instituunt, & tubulo vel pus vel sanguinem corruptum exsugunt.

Paracelsi Curatio Ophthalmiæ §. 14. Sequitur Chymicorum ille Monarcha *Paracelsus*, qui absque ullis verborum ambagibus in *Ophthalmia* aliisque oculorum doloribus, ut summum experimentum lapidem extollit calaminarem, secundùm propriam suam inventionem præparatum, & aq. fœnic. euphras. & ros. per noctem in collyrium redactum, quo oculos summè rubentes frequentius inungi præcipit, & certam promittit medelam.

Unguis & Panni. In *Ungue & Panno* commendat præ aliis thutiam suam præparatam, vitriolum album pp. & oleum siliginis, quibus non modò hujusmodi excrescentias, sed ipsam Neutham, seu cuticulam in partu puerorum oculis subnascentem, abigi posse plenis promittit buccis, maximè vitriolum album sequenti ratione adhibitum:

℞. *Vitrioli alb. pp.* ℈ j.
Liquor. euphrag. ℈ ij.
Papav. rub. ʒ j.
F. Collyrium.

℞. *Vitrioli hujus pp.* ʒ ß.
Liquor. jusquiami ʒ ij.
Ol. Nuc. Mosch. gr. vij.
F. Collyrium.

Sugillationis. In *Sugillatione* curam omnem eò dirigendam esse autumat, ut dissolvatur sanguis ille coagulatus; neque cæruleum illum colorem, hoc est livorem, adeò vult timeri aut præ aliis adverti, facilè enim post dissolutionem sanguinis corrupti illum dispariturum esse promittit; quapropter ut coagulatio resolvatur, sequens è vitriolo paratum collyrium maximoperè conducturum esse confidit.

℞. *Vitrioli alb.* ℥ j.
Ol. Tartari ʒ vj.
Laterin. ʒ v.
Destill. simul.

Crollius hic non cessat laudare specificum illud ophthalmicum ex chelidonia & cancris, chymico more parandum, quo non tantùm sugillationes, sed longè etiam graviores occulorum læsiones sanatum iri minimè dubitat.

Helmontii consilium de curanda Ophthalmia §. 15. Sucedit Chymicis hisce magnus illorum castigator *Helmontius*, qui ad Archeum in meliorem viam deducendum in *Ophthalmia* commendat erucam nuchę applicandam; ad incendium verò extinguendum, oculis imponi jubet folia viridia tabaci, à quibus inflammationem illam valde credit mitigari, quibus interdum substituit chelidonium & flores cichorii.

Ungue. *Unguis* secundùm Authorem hunc curatur, si pellicula illa è sordibus laticis prompta ab oculo separetur, & latex depuretur, ne novam in angulum oculi deponat impuritatem, ipse etiam oculus corroboretur, ne quid sordium istarum suscipiat, quod præstari credit tum succo hieracii, frequentiùs pelliculæ isti illito, tum pulvere testarum ovorum ritè præparatarum subtilissimo eidem aliquoties insperso.

Panno. Ut velum illud in *Panno* detrahatur, conveniens æstimat, ut Archeus priùs sedatur, & incendium extinguatur, quo ille mitior ab opere cœpto desistat, cui scopo satisfaciunt sedativa sua Archei aliunde jam nota; posteà velum illud facile auferri permittit, vel solo illito succo chelidoniæ, cum felle lucii piscis, quod tanquam singulare quoddam in hisce oculorum vitiis ab Auctore hoc ejusque sequacibus perquam commendatur.

Sugillatione. Ad cruorem in *Sugillatione* coagulatum & corruptum resolvendum & discutiendum, adhibet herbam persicariam & caules nigellæ Romanæ, qui impositi maculam illam à cruore corrupto inductam in vividiorem transferant colorem, dissipato & abacto cruore emortuo, quod pariter à bryonia contusa & imposita præstari posse experientia certus affirmat.

Willisii sententia de curatione Ophthalmiæ. §. 16. Præsto nunc est *Willisius* ad aperiendam suam de curatione horum morborum sententiam, præcipiens, ut sanguinis ebullitioni, & ulteriori ad oculum affluxui occurratur venæsectione in brachio, & vesicatorio nuchæ imponendo; fronti verò oxyrrhodinis adhibitis, tum Julapiis, Emulsionibus aliisque remediis fervorem ejus compescentibus, vel serum aliosque humores peccantes eliminantibus intrà sumendis; hinc ipsa depromit topica inflammationi oculorum in specie conducentia, dolorem apprimè sistentia, quo cessat humorum affluxus, quod præ aliis impetrari retur cataplasmata ex pomis coctis, mica panis albi, album. & vitell. ovi, & pauco croci cum lacte muliebri, vel in defectu ejus etiam vaccino parato, & tepidè imposito. Dolore ità sedato, pergit ad paulum fortiora & magis adstringentia, quibus solutioni continui obviam itur & humorum acrimonia mitigatur, proinde sequens vel simile suadet Collyrium.

℞. *Mucilag. sem. cydon. aq. ros. fact.* ℥ j.
Aq. sperm. ranar.
Verben. aa. ℥ ß.
Sief alb. Rhas. s. op. ʒ j.
Sacch. canth. ℈ ij.
Saturni ℈ j.
M. quo oculus aliquoties in die est illinendus, vel linteolum eo imbutum imponendum.

In ardore & siccitate linimentum parat ex butyro recenti, thut. pp. ærug. æris, & camphora, quo oculum sæpæ vult illinendum sub spe certi juvaminis.

Un-

Ungula.

Ungula ut ritè curetur, suadet similiter pro aversione laticis serosi, ne ulteriùs influat & majus apportet nutrimentum, vesicatoria nuchæ imponenda, & fonticulos brachio inurendos, nec non cathartica superfluum serum educentia, pilulas nempe de succino cum resina Jalap. vel sequentem pulverem:

℞. *Ceruss. Antimonii gr. xv.*
Scammon. Sulphurat. ℈ ß.
Salis verben. gr. vj.
M. F. Pulvis.

Ad ipsam membranulam consumendam proponit collyrium sequens.

℞. *Succ. Chelidon. maj.* ℥ iij.
Ruthæ ℥ ij.
Fell. tauri ℥ j.
Aloes ʒ ß.
Ærug. æris ℈ j.
Vitrioli alb.
Myrrh. aa. *gr. vj.*
M. Illinatur Ungulâ sæpius.

Vel pulverem inspergit ex sacchar. canth. Vitriolo alb. myrrh. & Zinzib. Quibus medicaminibus si cedere recuset, Chirurgis eam abscindendam committit, impositis post sectionem, quæ inflammationi & dolori obviam eunt, siccandoque parvulam inducunt cicatricem.

Panni.

Panni curationem aggreditur venæsectione, ut sanguinis minuatur copia, & ulterior ad oculum avertatur affluxus, nec hirudines collo apponendas negligit, nedum cucurbitulas scapulis adhibendas; ipsius verò illius ex sanguine & succo nutritio concreti dissolvendi & abstergendi gratiâ, primò fotum instituit ex decocto malv. euphras. chelidon. verben. flor. chamomill. sem. aneth. fœnic. squama æris, &c. posteà axungiam illinit nycticoracis vel piscis thymalli, vel sequentem aut similem inspergit pulverem, quem interdum cum succis & mucilaginibus convenientibus in collyrium redigit, studiosè postmodum illinendum.

℞. *Lap. calam. pp.* ʒ j.
Sarcocoll. ʒ ß.
Myrrh. ℈ j.
Sacch. Saturni gr. vj.
Vitrioli alb. gr. iv.
M. F. Pulvis.

Sugillatio-nis.

In *Sugillatione* pro discussione sanguinis coagulati oculum fovet decocto malvæ, hyssopi, ruthæ, verben. chærefol. flor. chamomill. sem. fœnic. fœnigr. Si verò fotu hoc discuti nequeat, & livor ex sanguine corrupto oculum valde deformet, oculo superimponit cortices raphani, quibus livorem brevi disparituram esse confidit.

Sylvii opinio de curanda Ophthalmia.

§. 17. Sylvii quoque non contemnendum est de morbis hisce curandis salutare consilium, quod in *Ophthalmia* eò respicit, ut inflammatio contemperetur, externis potissimum, ut cataplasmate ex pomis acidiusculis, aliisque humorem acrem discutientibus, ex succo euphras. verben. calendul. fragor. paratis & tepidè applicatis. In majori sanguinis ebullitione permittit venæsectionem, aliaque topica reliquis Authoribus Chirurgicis consueta.

Ungula.

Ut nutrimentum in *Ungula* imminuatur, intus propinat sale volatili prædita medicamenta, attenuantia nimirum & resolventia, ex radicibus valerianæ, fœniculi, chelidon. maj. herb. euphras. orig. puleg. majoran. sem. fœnic. siler. mont. & similibus; externè itidem incidentia & extenuantia admovet, ut coagulatum dissolvatur, fovendo oculum prædictis herbis in aqua & vino dulci coctis, tum oculum collyriis inungit ex succis fœnic. chelidon. fellibus animalium cum osse sepiæ, aloe, myrrha & sal. Armoniaco paratis, quibus si nequeat absumi, Chirurgicis eam committit abscindendam.

Panno.

Similiter in *Panno* eò dirigit curam, ut sanguis stagnans salibus volatilibus reddatur fluxilis, & acidum corrigatur superiùs jam dictis, ex quibus etiam fotum parat externè oculo adhibendum, cum similibus collyriis aliquantùm lixiviosis, intermixtis nempe succis prædictis C. C. ust. cinerib. equiseti, hirundinum, item sarcocolla & myrrha; si verò malum diuturnitate temporis prorsus sit induratum, illud aut Chirurgorum committit instrumentis, aut ut planè incurabile relinquit.

Sugillatione.

Sanguis stagnans in *Sugillatione* ut fluxilis reddatur, & corruptus amoveatur, adhibet salia volatilia intus & diaphoretica, quibus pori simul aperiuntur, ut sanguis coagulatus subtilior redditus per eosdem exhalet, cujusmodi sunt oculi Cancrorum, sperma ceti, mumia, Antimonium diaphoret. Externè discutientia commendat, & vasa contusa sanantia, inter quæ magni æstimat lac muliebre cum croco tepidè instillatum; aut illitum, vel cataplasma ex rad. Sigill. Salom. vino macerat. & contus. farin. fabar. fœnigr. lini, sem. cymini, flor. chamomill. rosar. sambuc. cum succo chærefol. & hyssopi paratum, addito pauco camphoræ, tepidè impositum; neque absque juvamine prorsus adhiberi judicat mucilagines sem. altheæ & cydoniorum.

Cartesianorum methodus curandi Ophthalmiam.

§. 18. Restant adhuc consulendi *Cartesiani*, quorum fores minimè frustrà pulsantur, siquidem morbis hisce laborantes

Auxilio lætos dimittent opibusque juvabunt.

Proinde ut ritè & secundùm artis regulas curatio in *Ophthalmia* instituatur, ulteriorem liquorum ex arteriolis prohibent affluxum, removendo priùs causam eosdem allicientem quamcunque, sive sint corpuscula quædam per infortunium extrinsecus illapsa, & cuspidata, vel angularia, sicque pungentia, sive aer acris à ventis agitatus, quo vel planè abstinere, vel probè contra eundem se munire suadent ægrotis; deinde revulsionis etiam causâ venæsectionem approbant in brachio instituendam, si malum nempe sit gravius, & sanguis multis particulis angularibus acribus ramosis intermixtis abundet, & ab iisdem sæpius agitatus ebulliat. Quandò verò lympha peccans in causâ est, variis particulis istiusmodi angularibus pungentibus referta, & per ramulos lymphaticos in oculum illata, ejus copiosiorem affluxum avertunt vesicatoriis nuchæ impositis, vel ipso setaceo per eandem traducto, ut majori, si opus sit, effluat copia, & fonticulis in brachio ejus lateris, cujus oculus plurimùm laborat, excitatis, cujus etiam exsiccandi gratiâ suffumigationes ex succino, mastiche, gummi Juniperino, animæ, aliisque convenientibus accendunt, adjunctis frictionibus humerorum & brachiorum; nec explodunt ut supervacanea hoc casu emplastra bregmati imponenda & suspensoria dicta ex majorana, betonica, roremarino, semine nigellæ, mastiche, succino, thure, gummi Juniperino, tacamahaca, &c. fermento susceptis & aceto lavendulæ malaxatis, præterquam enim quòd vasa, & fibras leviter constringendo eorum tonum insigniter restituant, ne nimia copia contentum effundant liquorum, spiritus etiam restaurant & humorem evasatum huc illud fluctuantem per poros alliciunt, imbibunt atque absumunt, ne partibus subjectis cum spiritibus ulteriorem creet molestiam. Quò verò citiùs ejusdem minuatur abundantia, purgationibus eum per alvum eiiciunt, nempe vel sequentibus Pilulis:

℞. *Mass. pil. de succin. Craton. gr. xv.*
Resin. Jalapp. gr. v.
Cum s. q. essent. Chelidon. mai. F. Pilulæ No. tot, quot placent ægro, excip. pulv. spec. dianthos.

Vel sequenti mixtura liquida:

℞. *Aq. Senecion.* ℥ ß.
Tinctur. Jalapp. ʒ ß.
Spiritus Nitri dulc. ℈ ß.
Syr. de fumar. compos. ʒ iij.
M. Propinetur una vice exhaurienda.

Hinc ut residuum eò eliminetur faciliùs, undique reserat ostia, quo absque ullo obstaculo effluere queat atque exhalare; quod obtineri ajunt sudoriferis & præsertim sequenti:

℞. *Rad. valerian.* ʒ ij ß.
Sassafr. ʒ j ß.
Rasur. ligni Junip. ʒ ß.
Guaiac. ʒ ij.

Herb.

Herb. verben.
Ruth. aa. *M.* ß.
Flor. anth. p. ß.
Mixtis & convenienter apparatis superinf. vini generos. ℥ iv.
Aq. fl. Sambuc. ℥ ij.
Stent per noct. in digestione,
Mane filtrentur, addanturque
Spir. euphras. ℥ ij.
Syr. de fumar.
Card. bened. aa. ℥ j.
M. dentur tribus vicibus, corpus posteà ad sudorem disponendo.

Prospectis ita interioribus & hoste graviori ejecto, ipsam partem læsam in pristinum integritatis statum reponendi se gerunt solicitos, fibras à peregrino hoste in tunica annata valde agitatas ad quietem ducendo, easque unà cum spiritibus incolis earundem consuetis corroborando, particulas acutas noxias eliciendo, & poris debitam suam figuram conciliando; quod facilè nonnunquam impetrare sciunt cataplasmate ex pomis dulcibus assatis & per cribrum trajectis, additis saccharo canthio, croco & camphora, tepidè oculis laborantibus applicato, vel sacculo herbis euphras. verben. flor. ros. chamomill. sem. fœnigr. fœnic. repleto, in aqua ros. cocto & similiter tepidè imposito, quo peracto ad reliquias discutiendas & fibras confirmandas, sequens collyrium nunquam frustra se adhibuisse seriò affirmant.

♃. *Aq. flor. cyan.* ℥ vj.
Euphrag. ℥ ß.
Fœnic.
Rosar. aa. ℥ iij.
Vitrioli alb. ℈ j.
M. agitentur & filtrentur, liquor filtratus guttatim instilletur oculis.

Addunt interdum sacchar. canth. ocul. Cancror. pp. alcali C. C. thut. pp. sacchar. Saturni, sed absque his vitriolum illud laudabilem edere effectum probè norunt, ut reliqua sæpius primarium remedium palliandi causa adiici confiteantur; ubi tamen acidum acre fibras lancinat, eadem adjungunt pro majori illius absorptione. Spinam vel festucam altius infixam eliciunt vel carne bubula adhuc à mactatione calida, vel emplastro Apostolico toti oculo per noctem imposito, quod eandem cum lacrymarum copiosiori effluxu eliminat. Siccitate urgente mucilaginosa illinunt; & collyrium ex aqua spermatis ranar. semperviv. maj. cum albumine ovi conquassato, addita interdum pro majori fibrarum obfirmatione, ut primi elementi exagitationi fortius queant resistere, particula quadam aluminis. Si verò pori penitus sint destructi; & fibræ exesæ, ad acidum corrodens domandum, & membranarum restaurationem adhibent unguentum album Antimoniale *Ang. Salæ*, magno, ut credunt, exiturum juvamini.

Unguem. *Unguis* nondum confirmati ulterius impediunt incrementum, & quod de pellicula illa jam est productum, iterum destruunt medicamentis acidum austeriusculum, sive partes angulares terrestribus & ramosis inviscantibus immixtas dissolventibus, ne succos coagulent & spiritus in motu impediant, quod præstant spirituosis & volatilibus coagulationi maximè resistentibus, & spiritibus motum, liquoribus autem fluorem reddentibus, quapropter spiritum euphrag. lumbricor. essentificatum & C. C. frequentiùs porrigunt intus sumendum, ut & salia volatilia succini aliorumque. Externè abstergentia usurpant particularum quieti resistentia, & corpuscula angularia frangentia, & defractos eorum angulos absorbentia & secum auferentia, cujus efficaciæ sequens exiturum credunt collyrium:

♃. *Aq. Chelidon. mai.* ℥ j.
Mell.
Succ. ruth. aa. ℥ ß.
Oss. sep. ust. & subtiliss. pulverisat ℨ ß.
Myrrh. ℈ j.
Æris ust. ℈ ß.
M.

Instillentur aliquot guttulæ, & posteà linteolo eidem intincto levis aliquando fiat abstersio. Majorem & diuturnitate temporis obfirmatum priùs emollire student fotu ex decocto malvę, euphras. flor. cyani, chamomill. sem. fœnigr. fœnic. hinc inungunt axungiam piscis mustelæ, & emollitum acriusculis aliquantùm auferre tentant, adhibita vel aqua Sapphirina Chirurgorum, vel sequenti mixtura pro collyrio, quam itidem guttatim instillant, & linteo eadem humectato leviter unguem abstergunt.

♃. *Aq. fragor. virid.* ℥ vj.
Centinod. ℥ v.
Sacchar. Canar. ℥ j.
Myrrh. ℈ ij.
Thut. pp. ℨ ß.
Vitrioli alb. ℈ ß.
M.

Aquam etiam destillatam fellis lucii piscis non parvi pendunt, qua unguis sæpius est abluendus. Tandem, qui nec his cedit remediis, eum ferro committunt, ut, desiderantibus id ægris, acu filoque traducatur, sicque in altum eductus scalpello penitus abscindatur, loco, in quo abscissio facta, postmodum sequenti abluto collyrio, ut consolidatio & pororum fiat adstrictio:

♃. *Aq. rosar.*
Verben.
Euphras. aa. ℥ ß.
Sarcocoll. ℈ j.
Lap. hæmatit. pp. ℨ ß.
Vitrioli alb. ℈ ß.
M.

Pannum. *Panni* curationem, cùm mixturæ fit sanguineæ, inchoare solent venæsectione, ut sanguinis aliorumque humorum affluxus avertatur; quin vesicatoria nuchæ applicanda non omittunt, & ut pori itidem aperiantur, & materia inspissata resolvatur, attenuetur & fluxilis reddatur, spirituosa usurpant ex antecedentibus jam cognita, quibus ità administratis, ipsa depromunt topica, primò emollientia, post abstergentia & panniculum illum removentia, ex quibus non contemnendarum virium existere affirmant sal Ammoniacum, si ejus ℨ j. dissolvatur in aqua vel succo chelidon. maj. & instar collyrii adhibeatur, tum instillando oculo guttam unam vel alteram, tum linteolo eodem liquore humectato pannum illum abstergendo; vel eodem modo usurpandam sequentem laudant mixturam:

♃. *Aq. Chelidon.*
Euphras. aa. ℈ vj.
Infundantur per noct. super croci metall. ℨ ß.
Manè filtrentur, & filtrato liquori add.
Aq. destill. fell. human.
Succ. artemis. aa. ℥ ij.
M.

Etiam sequens collyrium non parvarum in abigendis istis pelliculis & excrescentiis dissipandis repererunt virium:

♃. *Aq. Sabin.* ℥ j.
Stercor. anserin. mense maio collecti destillat. ℥ vj.
Fell. capræ ℥ ij.
Ciner. mandibul. lucii pisc. ℥ j.
Myrrh. ℈ ij.
Vitrioli alb. ℈ j.
M.

& panniculus eo sæpius illinatur, hinc abstergatur linteo tenui. Frustra verò hisce & similibus tentatis, administrationem chirurgicam celebrant, eamque haud diversa ratione peragunt, ab ea quam supra in aliorum, & imprimis veterum effatis jam reddidimus perspectam. Refecto etiam panniculo oculum abluunt aqua plantag. & rosar. in quibus lap. hæmatit. pp. oc. Cancri pp. thut. & sacch. canth. fuere dissoluta.

Sugillationem. In leviori *Sugillatione*, sine plurium vasorum lęsione, ad discutiendum sanguinem evasatum & corruptum illinunt

illinunt mucilaginem gummi tragacanth. factam in aq. rof. calcatripp. & euphrag. addito interdum pauco croci & camphoræ, quo euporisto non semel hujusmodi sugillationes tum in palpebris, tum in bulbo oculi discusserunt. In graviori verò, ubi cum vasorum læsione multum sanguinis effusum & coagulatum est, instituunt fotus ex decocto chærefol. hyssop. euphrag. summit. fœnic. rad. polygonat. sem. fœnigr. vel linimentum adhibent sequens:

℞. Mucilag. sem. fœnigr. aq. chærefol. extract. ℥j.
Succ. Hyssop. ℥ß.
Thut. pp. ʒj.
Croci ʒß.
Camphor. ℈ß.
M. Illinatur.

Vel sequens:

℞. Succ. chelidon. maj. ʒvj.
Fœnic. ʒij.
Lap. calaminar. pp. ʒß.
Myrrh. ℈j.
Croci gr. vj.
Camphor. gr. iv.
Mell. rof. ℥ß.
M. F. Linimentum.

Quo linteolum obductum superimponatur, vel ipse oculus sugillatus illinatur. Medicamentis autem hisce aliisque, si sanguis corruptus resolvi & discuti nequeat, etiam internis in usum ductis diaphoreticis & poros dilatantibus, quo faciliùs exhalet, tunicam aperiunt, ut contentus ille sanguis inutilis majorem inveniat exitum, digito prementes ad foramen, ut citiùs egrediatur, quæ operatio chirurgica tum maximè est commoda, ubi sanguis ille corruptus chyloso intermixtus secedit in pus, quod in tempore eximendum, ne per moram acescens acredine sua partem adhuc magis corrumpat.

Nostra sententia de curatione Ophthalmiæ.

§. 19. Accedamus jam ad curationem *nostris* rationibus suffultam, quæ in *Ophthalmia* duobus utplurimum absolvitur indicationibus & materia præsidiorum.

Indicatio curatoria morbum seu inflammationem oculi tollere jubet; eò respiciendum simul, ut symptomata urgentia mitigentur medicamentis stagnationem humorum impedientibus, & spiritibus subveniatur. Scopo huic ex voto obtinendo inserviunt præsidiorum materiæ ex duplici fonte, nempe Chirurgico & Pharmaceutico depræmendo. Remedia Chirurgica agunt hic efficaciter.

Primarium autem fontis Chirurgici remedium putatur Vænæ sectio, quæ verò, meo judicio, hic magis obest quam prodest, quia sanguis non est in culpa, nec ille est evasatus, aliàs esset sugillatio, & si sanguis esset evasatus, tunc nunquam V. S. instituta revelleretur vel resorberetur in venas, ceu nuper in sigillatione observavi, ubi ter V. S. absque ullo commodo instituta fuit: ejus ergo curatio duplici instituitur via: prima per materiæ obstruentis discussionem, quæ duplici rursus modo tentatur, primo medicamentis externis pati affectæ applicatis; secundò internis, ut v. gr. diaphoreticis salinis volatilibus, quia hæc sunt omnium penetrantissima: ad mentem etiam Gallorum apex auris perforandus, & frustulum radicis Thymeleæ intrudendus, & de die bis commutandus. Vesicatoria verò cum seroso acri ichori deplendo unicè inserviant, summum Ophthalmiæ erunt remedium, cùm quoque ex tremulis convulsionibus à vesicatorii dolore productis, fortè obstructio ex inflammatis poris tollatur, si enim ex cantharidibus forma emplastri vel cataplasmatis parata cervici, vel humoris quoque simul, vel etiam brachio applicentur, locum ostendunt convenientem, quo hostica & sylvestria salia, sub lymphæ vehiculo hospitata extrudi possint. Sic quoque si brevi tractu depletio seri onerosi acrioris fieri nequeat, & è massa sanguinea scaturiat hic impetus seri, ut duret longiùs, vel repetat, aliaque graviora symptomata minetur, Fonticuli suadendi sunt in brachio vel pede inusti, eo nomine setaceum quoque applicari potest, duro enim nodo durum cuneum, gravi morbo heroicum sed tutum apponamus remedium. Planæ hic sunt laudibus meritis Autorum observationes, adeò ut in Ophthalmia inveterata & Lippitudine non dari generosiorem medelam, nullum præstantius remedium statuatur in scholis Medicis, quam setaceum aut fonticulus. Hirudinum quoque applicatio ad vasa temporalia alii commendant. Frictiones, quæ absolvuntur manibus vel linteolis asperis, maximè prosunt, sicciores fere utplurimum, tantisper continuandæ, dum abundè incalescat & mollius reddatur corpus, jucundusque rubor effloruerit. Eòdem spectant etiam capitis pectinatio & frictio specialis, ventriculo jejuno blandè instituenda.

Ex Pharmaceutico fonte curationi inserviunt omnia ea, quæ obstructionem ex inflammatis poris tollunt. Ut ergò particulæ acres & acidæ sæpe in primis viis latentes, & tandem ad oculum delatæ eliminentur, conducunt lenientia, imprimis pilulæ aloeticæ quæcunque, marocostinæ, Francofurtenses, de succino Craton. Tartareæ, Mercuriales, Pilul. *Conring.* ex gummi vesperi assumendæ. Alii in pertinaci malo ad inunctionem Mercurialem temerè accedunt.

Dein ad diaphoretica blandiora & quasi deobstruentia pergendum est; diaphoretica enim ut omnium inflammationum remedia sunt genuina, ita quoque in hoc affectu apprimè juvant, quo nimirum seri vitiosi & particulis sylvestribus & hosticis imbuti copia imminuatur, & obstructio tollatur. Laudari hic merentur Ebur & C.C.s. igne unicornu fossile, lap. bezoar, ocul. Cancr. Antimoniata, cinnabarina & Mercurialia ritè præparata, Antimonium bezoart. Antihect. Poter. M. S. Sunto formulæ in juniorum gratiam:

℞. Specif. Cephal. D. M. ℈ß.
Camphor. gr. j.
M. F. Pulvis pro una vice in vehiculo domestico.

℞. Aq. Card. bened.
Scord.
Fl. sambuci aa. ℥j.
Rob. Ebuli ℥ß. (quod in omnibus inflammationibus optimum est remedium.)
M. D.

℞. Unicorn fossil.
C. C. s. igne parat. aa. *gr. ij.*
Pulver. Antimonii gr. ij.
Arcan. duplicat. gr. iij.
M. F. Pulvis pro una vice exhibendus.

Nec spem penitus defraudabunt diuretica, quæ serum fundunt, & sic serum vitiosum cum particulis istis lixiviosis educitur, ut sunt arcan. duplicat. succin. arcan. Tartari, Clyss. Antimonii, spiritus Nitri dulc. millepedes; notat enim Cl. Muys in Podalir. suo, in Ophthalmia diuturna cum successu exhiberi pulverem millepedum exsiccatorum, vel eorundem tincturam benè præparatam & ritè propinatam.

Ad sanguinis & seri particulas acidas sylvestres diluendas & corrigendas, simulque acidum in primis viis subsistens absorbendum, conducunt sequentia, Tinctura Martis, Elix. propr. martiale, Tinctur. Corallor. cum spiritu Guajaci parat. Essent. fumar. Spec. diamarg. frig. succinatæ, perlæ, nepta, valerian. euphras. indeque parata infusa, maximè verò hic commendamus potum Theæ, vel eodem modo parata infusa cum prædictis herbis vel radicibus, sic quoque mixturæ, tragemata, & si simul dolor urgeat, cum anodynis misceantur superiùs dicta medicamina. Esto formula:

℞. Essent. succin.
Anodyn. aa. ʒij.
M. D.

℞. Pulver. succin.
Anodyn. aa. ℈ß.
M. D.

Spir. Ophthalmicus sequens est egregium remedium v. g. Sacch. Saturni & spir. vin. ana, destill. per Retortam dosis gr. 5. in aq. rof.

Ex evacuantibus particularibus laudem merentur masticatoria, quæ destinata sunt superfluo, sero evacuando, in salivalibus ductibus contento, ut isthinc

hinc quadantenus avocetur & ab oculis ad palatum derivetur, ne partibus nobilioribus inferat molestiam, paranda ex cubebis, Mastiche, N. M. terra Japonica.

Vel

♃. Sem. stapid. agr. ℨ ß.
Rad. pyrethr. ℈ j.
Piper. alb. rot. ℨ ß.
F. pulv. recipiatur melle, F. pastili pondere ℈ ij.

Errhina verò sint mitiora, ne propter tunicas naribus conterminas nervi optici in consensum trahantur; hinc sternutatoriis consultiùs abstinemus, ne concutiendo ad lacrymandum inducamus oculos, & spiritus æquè ac humores confundamus & irritemus vehementiùs.

Præter jam dicta interna, etiam externa topica necessaria sunt, & sæpe totam implent paginam, his enim dolores & acres oculorum lachrymæ instar incantamenti tolluntur. Inter hæc topica sunt præ reliquis polychresta pluribus scopis satisfacientia saturnina, vitriolata, quatenus obstructiones sua penetranti vi tollere possunt; certum enim est, quòd vitriolum album, Alumen & Thutia sint anima oculi. Esto una & altera formula, ubi simul dolor urgeat.

♃. Sacchar. Saturni ℈ j.
Tut. pp. ℈ ß.
Croci optim. Austriac. gr. vj.
Camphor. gr. iij.
Aq. sperm. ranar.
Solan.
Rosar. aa. ℥ i ß.
M. D.

Ubi dolor adest intensus, maximo cum fructu applicavi sacculos flor. euphras. cyani, chamomillæ, summit. anethi refertos, & spiritu vini, vel aq. Reg. Hungariæ aspersos & foris impositos. Spiritus noster Ophthalmicus est egregius oculis, si guttæ 5. vel plures in aqua rosarum immittantur & applicentur. Cataplasma sequens conducet:

♃. Pomor. dulc. No. iij.
Coq. ex aq. rosar. & plantag. q. s. ad mollitiem, traiiciantur per cribrum, pulpæ add.
Mucilag. sem. Cydon. ℥ ß.
Sacchar. alb. ℨ ij.
Camphor. gr. xj.
Croci gr. v.
M. F. Cataplasma.

Vel Alumen cum albumine ovi in vase stanneo agitetur, usq; dum in pulticulam abit, & tunc parti applicetur.

Ubi verò dolores non urgent, possunt aliis addi Vitriolum & Sal Armoniacum, quia obstructiones tollunt & poros facilè pervadunt. Ex. gr.

♃. Aqu. Euphras.
Rosar. aa. ℥ j.
Sacch. Saturn. ℈ j.
Vitrioli alb.
Salis Armoniaci,
Camphor. aa. *gr.* v.
M. F. Collyrium.

Acida & frigida suspecta sunt, cùm humores & spiritus oculis inhabitantes ab iis incrassentur, qui semper volatiles esse debent.

Omnia oculis, tanquam partibus nervosis, tepidè applicentur, blandis enim & mucilaginosis, adde & acriusculis, tanquam deobstruentibus, delectantur oculi, atque urgenti dolore magis demulcendum, urgente inflammatione magis temperandum, ubivis non neglecto opio Nimis acria, lenta, potiùs ableganda sunt, quorum illa tristi inducto sensu magis irritant, hæc verò nimis obviscant, non enim patitur lusum oculus, & sæpe religiosa nimis medicamentorum copia lædi eundem compertum est. Acida tanquam nervis inimica oculis haud applicanda sunt.

Caro vituli recens mactati, vel hædina, vel vervecina oculis imposita, quia spiritus carnis cum nostris poris convenit, ad illos obstructos reserandos maximè conducit. Ros rori Solis insidens in inflammationibus æque externis ac internis oculorum summum affert solamen, ut & aqua ruthæ. Fungus sambuci cum Aquis ophthalmicis madefactus, item cataplasma ex pomis dulcibus non nimis calidè applicatum, sæpe maximum afferunt solamen. Sic quoque euporiston est remedium succus fumariæ instillatus in oculos, ut & prosiliens ex corticibus recentibus citri. Inter demulcentia & recenseri potest lac recens emulctum & in oculos instillatum. Herba feniculi in oculorum affectibus est commendatissima, iis præprimis, qui lucubrationibus nocturnis oculis nocuerunt, unde & liquor ejus saccharatus à *Bartholeto* tanti æstimatur, qui se quenti modo paratur:

♃. Herb. fenic. cum sumit. q. v. tum caulibus molliter excavatis immitt. sacchar. & ita per noctem relinquatur, quod saccharum in liquorem abit, & collyrium præbet præstantissimum.

Sic etiam pinguedo viperina ipsa suis casibus, ubi discutiendi fuerit intentio, & resolvendi, habito utrobivis selectu, v. g. in unguiculis & aliàs, conducet, hæc enim recens magis demulcet, vetustior magis discutit, hinc vidit celeberrimus *Wedelius* ejus beneficio una nocte unguiculos curatos.

Tanquam polychrestum commendatur à nonnullis spiritus panis siliginei, ex pane sicco per descensum paratus, quem spiritum sumunt, induntque mortario æneo, & obturaculo claudunt, & diu linteo vel pluma oculo hunc liquorem instillant; mihi verò magis arrident salia volatilia.

Temporibus applicentur quoque acidum corrigentia, ne impetuosiùs lympha acida jam effera facta ad locum affectum ruat; in quem finem Emplastrum etiam catarrhale sequens proderit:

♃. Mastic. ℨ iij.
Ladan. ℨ ij.
Bol. Armen.
Sang. dracon. aa. ℨ j.
Op. Thebaic. ℈ j.
Cum terebinth. s. q. F. Massa.

Ad oculos lippientes varia unguenta, linimenta, collyria, trochiscos, Sief describunt Auctores Practici hinc inde, prout ad nauseam usque sæpius jam diximus.

Pertinet huc & lenis palpebrarum frictio, imprimis cum succino sapphiroque. Nostra experientia valet butyrum majale cum bol. mixtum, & sindoni inditum, quo ipsi oculi sunt palpandi: plantis pedum fermentum panis applicetur. Capilli capitis abradantur & caput tegatur pelle lupi vel cucupha.

Rubedinis oculorum imprimis post variolas relictæ curatio eadem est cum jam dicta curatione ophthalmię.

Sententia nostra de curatione Unguis.

Nunc paucis curationem *Unguis* oculi seu *Pterygii* videamus, quæ cum priore in universalibus convenit. Remedia ex fonte Chirurgico ferè eadem conveniunt quæ jam diximus, excepto eo, quod pellicula hæc instrumento ab oculo manu Chirurgica divelli potest, & si oculo nimis firmiter adhereat, filo serico ligari ac forfice abscindi potest, quam Chirurgicam operationem accuratè describit *Claudinus*.

Externis topicis utplurimum peragitur curatio hujus affectus, quæ tamen est difficilis, quia medicamenta acria ad membranam hanc erodendam hic necessaria sunt, sed tamen ob oculum, tanquam partem acuti sensus, hæc simul periculosa sunt, medio ergò tutissimus ibis. Extergentia hic maximè prosunt, inter palmaria remedia mihi sunt axungia viperina & anguillarum, instar aquæ limpidæ à Sole ita destillata & ungui oculi illita, maximè enim resolvit axungia hæc & discutit; item saccharum Candi pulverisat. & spuma maris mixtum conducet. Succus Taraxaci lacteus oculis instillatus leniter mordicat quidem, attamen pro visu clarificando & cuticula absumenda optimus est. Alii commendant balsamum Saturni, nonnulli fel & sanguinem anguillæ vivæ; verùm omnia medicamenta ex fellibus animalium & hominum prosunt quidem in affectibus his oculorum, quædam tamen sunt fortiora. Aqua *Maximiliani Imperatoris* ex stercore anserino tempore vernali collecto & destillato, à *Lipsio* laudatur. Inter lenissima refero mel rosar. cum myrrha & camphora exteriùs applicandum. Vel

♃. Aq. Chelidon. maj.
Verben.
Euphras. aa. ℥ j.

Croc.

Croci mettallor. gr. x.
Aloes succotr. gr. vj.
Vitrioli alb. gr. ij.
M.

Convenit quoque contra Ungues oculorum oleum rectificatum formicarum, quia valde visum roborat, circulationem humorum promovendo. Vel

℞. *Aq. Cyani,*
Calcatripp.
Fumar. aa. ℥ vj.
Perlar. pp.
Sacchar. Canar. aa. ʒ ß.
M.

Omnia enim terrea exsiccantia, ut perlæ, flores enici, sacch. saturni, Unguent. Nihili, Thut. pp. pompholyx, tum acriuscula salina qualitate donata, ut sacchar. Canariense, vitriolum album, sal. Armoniacum, lixiv. cum calc. viv. paratum, &c. in unguiculis, excrescentiis, pustulis, caruncul is, perquàm utilia sunt. Sunto formulæ:

℞. *Mucilag. sem. cydon.*
cum aq. chelidon. ℥ j.
Aq. fœnic.
Euphras. aa. ℥ ij.
Mell. rosat. ℥ ß.
Thut. pp.
C. C. ust. pp. aa. ʒ ß.
Camphor. g. iv.
M. F. Collyrium.

Sic & sequentem aquam plures magnifaciunt:

℞. *Aloes epat.*
Sarcocoll. aa. ʒ j.
Camphor. gr. vj.
Croci ʒ ß.
Pulverisentur subtiliss. add.
Vini Cret.
Aq. rosar. aa. ℥ vj.
M.

Ad pelliculas istas removendas conducunt etiam fumi per infundibulum oculis admissi, ex resolventibus & anodynis parati. Sacculi varii ex his aliisque parati & impositi apprimis prosunt.

Curatio Panni. Sic etiam *Panni* curatio coincidit cum curatione prædicti *Pterygii*, & hic pro re nata adhibeantur sæpius jam dicta præsidia Chirurgica. Interna quoque confortantia conducunt, ut Electuarium ad visum *Mynsichti*, aliaque circulationem sanguinis & succorum promoventia sæpius dicta.

Ad pelliculam ergò hanc carneam tollendam sæpe opus est operatione Chirurgica, de qua vide *Aetium* & *Celsum*. Quod externa Topica attinet, eadem ferè, quæ superiùs in curatione *Pterygii* diximus, concedunt, maximè liquor ex formicis rubris expressus, cum felle anguillarum & pulvere subtiliss. pumicis permixtus & oculis illitus. In initio sequens potest ad guttas 2. pluresque calidè in oculum instillari.

℞. *Lact. muliebr.* ℥ ij.
Tinctur. Myrrh.
Croci aa. ℈ ß.
M.

Valeat & hîc pinguedo collecta ex hepate piscis mustelæ; succus aristoloch. rotund. oculis instillatus euporiston est remediũ. Sequens aqua cerulea pro oculorũ collyrio optima est, quæ paratur ex aqua pluviatili & sale Armoniaco, diu in pelvi tonsoria simul agitatis, cui addatur parũ spiritus vitrioli, qui in agitatione cõmixtus elegantem inducit viriditatem: laudatur & Tinctura bellidis, quæ in pelliculis oculorum depellendis egregia est.

Succum ex limacibus pelliculis illitum cum fructu sepius applicatum vidi, ut enim verrucas abigit, sic etiã pelliculas. Quòd si topicis nõ cedat, ad manus operationem quoque, ceu superius diximus, deveniendum erit.

Hyposphagmatis, seu Sugillationis. Curatio *Hyposphagmatis* oculi, seu *Sugillationis* cõvenit cum cura Ecchymoseos, sanguis enim evasatus suis vasis iterùm afferendus; discussione ergò hic opus est, & conveniunt varii sacculi herbis discutientibus impleti, v. g. hyssop. chærefol. rasur. bryon. flor. sambuc. aneth. &c. in aq. simpl. vel lacte cocti. Si dolores urgeât, & ipsi illi sacculi seu noduli oculis tepidè applicati conveniẽt.

Alii adhibent caseum recentem, alii sanguinem columbinum in specie commendant, cùm tamen omnis sanguis id propter calorem faciat. *Hartmannus* commendat ovum ad duritiem coctum, per medium dissectum & oculo per noctem calidè applicatum. Nos verò, præmissis si opus est, absorbentibus, cum linteis tepidis applicamus cum successu spir. vini camphoratum, vel solam aquam Hungariæ, vel aquam mirabilem, aliaque calida, & sale volatili imprægnata.

In hoc affectu optime conducit aq. flor. cyani & chærefolii, item Decoctum rad. symphyt. & Sigilli Salomonis. Hisce quatuor fidendum, & tanquam ad sacram anchoram confugiendum est. Summitates hyssopi etiam in nodulo immergantur vino Hispanico calido, postmodum cum successu calidè applicentur oculis, & mox omnis cessabit sugillatio.

In puero 7. annorum ex continuò perseverante atrocissima tussi, oculos ita protuberantes ac sanguine suffusos observavi, ut dixisses, non oculos sed grumos sanguinis repræsentare ægrum, qui nihil se videre ajebat, & si quid oculis offerebatur, ignem se videre ajebat qui tamen à nostro Chirurgo *Mutilliet* intra 4. septimanarum spatium, supradictis & similibus, sine visus læsione, feliciter restituebatur.

Si in tunica adnata effusio percipiatur, non statim instrumento aperiatur, sed ut dissipetur humor ibidem concretus annitatur, in quem finem varia conducunt sudorifera superiùs sæpius dicta, imprimis sequens:

Aq. Card. bened.
Fumar. aa ℥ i ß.
Essent. succin. alcalinæ ʒ ß.
M.

Exterius & vesicatorum nuchæ applicetur, & oculo instilletur vel illinatur balsamum ex pinguedine viperina, & collyrium ex croco metallorum cum aq. chelido. paratum. In omnibus jam dictis affectibus cum commodo instituetur setaceum in nucha, in malo nempe ferè desperato tentando; in omnibus oculorum affectibus, colluvie lymphæ salsæ existente copiosiore, conducet rasio capillorum, & capiti raso imponatur capillitium ex pelle vulpina, vel sequens cucupha paretur ex sem. anis. fœnic. bacc. lauri, sem. milii, sal. commun. in sartag. frix. & vin. generos. aspers. quod sæpe pluribus incassum tentatis adjumentum attulit.

CAPUT XI.

DE TUNICÆ CORNEÆ VITIIS,

Crassitie, Nebula, Albugine, Pustulis, Hypopyo, Vulneribus, & Ulceribus.

§. 5. JAm præmissis his, ad Tunicam Scliroticam, seu duram dictam, nos conferamus, quæ à dura matre oritur, estque crassa & posterius opaca, hinc hujus partem anteriorem nuncupant Tunicam Corneam, quia est sicut cornu politum & pellucidum, cui Tunicæ plures contingere solent affectus, & primò ipsi accidit *Crassities* quædam, & nihil aliud est, quàm obstructio pororum Tunicæ hujus corneæ, inde ægri hoc affectu infestati quasi per fumum videre coguntur, & ipsis nebula quasi in superficie apparet.

Crassities quid.

Nebula verò est color Corneæ parum mutatus ab humore subtiliori illapso ita factus.

Nebula.

Albugo aliis dicitur & *Leucoma*, estque macula alba Corneam nostram tunicam ita densam reddens, ut radiis transitus denegetur. Describi potest, quod sit macula quædam Corneæ tunicæ, ex condensatione humoris impacti, vel propter cicatricem vulneris ulcerisque, vel propter obstructionem à viscido crudoque humore inductam oborta, visionem lædens.

Albugo.

Differt à Nubecula (νεφελίον) dura crassitie. Generaliter utraque species cicatricum ἑλκῶν nomine venit: nemo Medicorum vix has species discernere potest.

Pustulæ super Corneam tunicam sunt tumores à vi externa & continui solutione ut plurimum exortæ.

Pustula.

Hypopyon. *Hypopyon*; nonnullis *Pyosis*, aliis *Lunella* audiens, est puris quædam sub tunica cornea, vel inter illam & uveam facta collectio, aliquando post ophthalmiam malè curatam, interdum etiam post sugillationem, materia in pus transmutata, oboriens.

Ulcera & Vulnera. *Ulcera* huic membranæ & sæpe accidunt ab acri acido, lympham ex glandulis oculorũ emanantem ita corrumpente, exorta, ut & *Vulnera*, facilè enim fieri potest, ut à re externa violenta Cornea hæc membrana rumpatur & humor aqueus effluat, sic erosa & rupta Cornea tunica oritur tumor qui Græcis Staphyloma dicitur, qualẽ vidit in Infante 2. annorũ frater meus Germanus Jacob. Wilhelmus Dolæus Pract. Francothalensis.

Pars affecta §. 2. *Pars affecta* est Tunica Cornea dicta, quæ involvit totum oculum anteriorem, firmiter quoque adhæret in posteriore parte Choroides, Chrystallino tamen sociata in medio, ut aquam à vitreo separet.

Diagnosis. §. 3. Affectus hi faciles sunt cognitu, ipsos nostros feriunt oculos. Cognoscitur *Crassities* & *Nebula* exinde, quod Nebula quasi in superficie appareat, & ægri quasi per fumum videant.

Sic & Pustulę, quę sunt tubercula, & ipso visu cognoscuntur, magnitudine granum milii ęquant nigredine exacta, rotunditate, quòd in fundo circulum album non exhibeant, à Procidentia uveę distinguuntur; nonnullę sunt cum inflammatione, plures absque hac; alię sunt superficiarię, alię profundiores, albę magis videntur, & facile totam corneam corrodere possunt.

Hypopyon verò ex eo cognoscitur, quod pus vel nigrum oculi totum occupet, vel iridem adimpleat & per tunicam corneam pelluceat, maximè commoto oculo, vel portio ejus haud ità magna in cornea unguem resectam, vel lanam decrescentem seu falcatam pręsentet, unde etiam nomen adipiscitur *Lunellæ*.

Ulcera & Vulnera nullis peculiaribus indigent signis, & facilè à perito Chirurgo solo adspectu, & relatione ęgri dignosci possunt.

Ætiologia secundùm Galenicos Crassitiei. Cornea. §. 4. *Veteres*, & ex illis maximè *Galenici* Corneę hujus tunicę *Crassitiem* originem ducere ajunt ab humorũ crassorũ intra illam sese insinuantium copia, tum etiam à topicis refrigerantibus aut actu frigidis imprudenter applicatis, unde substãtia ejus exsiccetur & corrugetur, quę corrugatio tunicam ea in parte, ubi fit, crassiorẽ reddat & visum imminuat, vel prorsus tolat & aboleat.

Nebula. Causam *Nebulæ* alii statuunt humorem subtilem, alii crassum, tunicę corneæ illapsum, & colorem ejus mutantem, tum etiam cicatricem post ophthalmiam aut exulcerationem oculo indutam, & tunicam hanc incrassantem, ut visus obscurior fiat, & non nisi per fumum perfici videatur.

Albuginis. *Albuginis* seu *Leucomatis* causam nominant humores crassos, & imprimis pituitam spissiorem, tunicę cornee impactos, sępiusculè post ophthalmiam discussis subtilioribus remanentes, & non modò crassitiem, sed etiam colorem album tunicæ isti inducentes, quod idem contingere posse perhibent ab ipsa cicatrice, post sanatum ulcus aut vulnus ibidem relicta.

Pustularum *Pustularum seu Phlyctenarum* ortum attribuunt humoribus acribus, sive biliosis, sive serosis, salsis, & mordacitate sua tunicam vel distendentibus, vel corrodentibus, sicque ipsam visionem lędentibus.

Hypopyi. *Hypopyon* oriri dicunt à sanguine in tunicam corneam vel uveam illapso, ibidem corrupto & in pus converso, quod frequentiùs accidere observarunt, dum post inflammationem abscessus relinquitur, atque discusso reliquo sanguine, aliqua ejus portio remanens suppuratur. Nonnulli suppurationem hanc absque ulla inflammatione vel causâ violenta externa pręgressa, tamen fieri posse contendunt à solo aqueo humore, non absimili modo, ut sanguis aliàs solet, in pus converso, quod post diuturniores & graviores cephalalgias interdum ita fieri solere affirmant.

Vulnerum. *Vulnerum* Corneę causę sunt, ut aliis, itá etiã his Auctoribus, res externę, violenter intrusę, sive sint perforantes, ut gladius, stylus, acus, frustum vitri, spina, ictus animalium; sive secantes, ut culter, &c. sive contundentes, ut pugnus, baculus, lapis, &c. fortiter & impetuosè oculo, & in specie corneę huic tunicæ impulsa.

Ulcerum. *Ulcerum* causas distinguunt in externas & internas: externas nominant tum ictus, tum res alienas oculis illapsas, tum etiam medicamenta acria & erodentia oculis applicata; internas dicunt esse humores acres erodentes, eosque vel biliosos, vel serosos, aut pituitosos salsos, tum ex sanguinea massa ad oculos affluentes, tum post ophthalmiam, aut pustulas, sive variolas in oculo, & potissimùm cornea hac tunica relictos.

Secundùm Paracelsum causa Crassitiei. §. 5. Ex *Paracelsi* principiis Corneæ *Crassities* causam agnoscit ipsam materiam, sive sal cum mercurio primo resolutum, & sub tunicam hanc oculi corneam majori copia influens, mox denuò una cum sulphure inspissatum & coagulatum, unde ipsa tunica hęc crassitie increscit & pelluciditatem amittit.

Nebula. *Nebula* ex materia generatur, quatenus sulphur à sale resoluto nimiam assumpsit humiditatem, & à mercurio & sale separatus non potest consumi, sed in alienam quandam abit substantiam, quę tunicę Corneę subjecta, salis & mercurii activitatem supprimens, eidem pelluciditatem, quam à duobus hisce posterioribus habere debebat, in tantum adimit, ut ipse visus obscurior, & per vaporem quendam crassũ fieri videatur.

Albuginis. *Albugo* oritur à separatione spiritus salis cum mercurio à sulphure, sal enim subtile fluidius sese ex consortio sulphuris eripiens, & cum mercurio resolutum subter corneam se diffundit, & rubedinem sulphuris extinguit, eapropter tunice proprium sum inducit colorem, & maculam albam imprimit.

Pustularũ. *Pustulæ* excitantur à sale corrupto & urente, mercurii & sulphuris consortium relinquente, & alienam quandam materiam oculo noxiam sequente, sicque ignea suavi, quam sibi à naturali suo statu secedens assumpsit, in cornea hac tunica bullulas seu pustulas quasdam provocante.

Hypopyi. *Hypopyum* ortum habet à putredine, quatenus à sale corrodente pars oculi inter corneam & uveam ita destructa est, ut debita ejus forma non maneat amplius, unde mumia naturalis corrupta in putredinosum abit excrementum, & sulphur vitale penitus aboletur, ut ita flore & fructu suo oculus privetur.

Vulnerum. *Vulnera* communes habent causas, quas nec hic Auctor immutat, sed ex prioribus jam perspectæ sunt.

Ulcerum. *Ulcera* oriuntur à sale per occasionẽ quandam allecto, & tunicam hanc corrumpente & corrodente, quod tum demum fieri assolet, quando tunica hæc ab aliis quibusdam causis ad corruptionem jam est separata, aut notabili quadam labe infecta;

Helmontii ex fundamentis causa Crassitiei. §. 6. *Helmontii* juxta fundamenta *Crassities* Corneæ oculorũ tunicæ à succis oritur mucilaginosis, cũ latice intra tunicam hanc allatis, atque ibidem inspissatis, qui cũ arctè adhæreant, nec se tã facilè ab ea iterũ patiantur divelli, substantiam ejus augent & crassiorem reddunt.

Nebula. *Nebula* ortũ ducit à latice isto cruoris multis scatente excrementis, quæ dum à cruore separatus, & sub corneã hanc è venis effusus ibidem deponit, spiritus lucidus simul redditur impurus, hinc visio non ampliùs clara, sed obscura existit, & tanquam per fumum fieri assolet.

Albuginis. *Albugo* producitur ex proximo venarum nutrimento, dum post inflammationem vel aliam graviorem oculi læsionem sanguis ex disruptis venis tanta effluxit copia, ut eo corrupto venulæ exhaustæ bono cruore, propriũ tandem effundant nutrimentum, quod sub tunica hac consistens pellucet, & naturali suo radiat colore.

Pustularum *Pustulæ* excitantur à sale resoluto, quod latex in via sibi adiungit, & succum ad oculum defert, illud autem acrimonia sua tunicam corneam exedit, & effervescendo ac fodiendo pustulas inducit, interdum etiam latex iste cum sale sibi adsociato ab externis causis evocatur, dum ab indignatione animæ sensitivæ in liquamen acre transmutatur, quod inter fibras Corneę ebulliens istiusmodi parat vesiculas.

Hypopyi. *Hypopyon* fit ex cruore sub Corneam effuso, & ab acido ibidem jam existente in grumum coacto & corrupto, qui cum transpirationi sit ineptus, natura quidquid tum extrinsecè ex aere, tùm intrinsecè ex venis in auxilium trahendo congrumationem illam impedire nititur, at defatigata & impotens à conatu isto cessat, statim verò tunc extraneum acido coagulanti accedens, corru-

corruptionem & congrumationem illam promovet, hinc pus eruitur plus vel minus, prout copia cruoris major vel minor fuit, modò sub uvea collectum.

Vulnerum. *Vulnerum* quod respicit causas, non receditur hic à communi aliorum Auctorum sententia, saltem particularia quædam eorumdem symptomata ratione laticis & cruoris mutationum aliter explicari potuerunt, quæ tamen nimiæ prolixitatis evitandæ gratia hic studio omittimus.

Ulcerum. *Vlcera* hæc Corneæ emanant ab acrimonia salsa vel acida in cruore latente, hæc enim ipsas ejus fibras corrumpit, exedit & dilacerat, insimul latex cruori mistus eodem allicitur, & continuò salsum liquorem effundit, quo simul arteriæ eroduntur, & sanguinem effundunt, qui extra vasa constitutus corrumpitur.

Juxta Vvillisium causa Crassitiei §. 7. Secundum *Willisium* oritur Corneæ *Crassities* ab humoris partibus spissioribus tunicam hanc constringentibus, ut non modò vaporibus ita denegetur transitus, sed illi in motu præpediti aggerantur, & tunicæ fortius adhæreant, sicque eandem reddat crassiorem.

Nebula. *Nebula* ab iisdem vaporibus causatur, qui densiores humorem aqueum turbant, & tunicæ corneæ obducti perspicuitatem ejus adimunt.

Albuginis. *Albuginis* causa putatur succus glutinosior, ex liquore nervoso instar gelatinæ ad tunicam illam corneam delatus, cujus superficiei dum affunditur & expansus agglutinatur, perspicuitatem ejus transmutat in opacitatem, ut in tunica annata plures lamellæ compactæ eam opacam reddunt & albedinem inducunt, quod idem cicatricem post ulcus aut vulnus relictum parare non minus existimat.

Phlyctænarum. *Phlyctænarum* causa ponitur vel humor acris interius ad corneam hanc tunicam affluens, à quo distenditur, & tunc album colorem referunt pustulæ, vel res quædam externa tum acris, tum ignea, tunicæ huic illata, & fibras ejus corrugans, quæ pustulæ atrum magis colorem referunt.

Hypopyi. *Hypopyon* originem habere credit ab inflammatione malè curata, vel contusione aut sugillatione, quatenus sanguis corruptus copiosiorem ad Corneam effundit ichorem, qui ibidem aggestus diuturniore coctione in materiam crassam convertitur, & sic pus intra tunicam hanc corneam colligitur.

Vulnerum. *Vulnerum* causæ sunt res externæ pungentes vel scindentes, & continui solutionem in cornea tunica facientes.

Ulcerum. *Vlcera* producuntur ab humoribus acribus, vel à sanguine in Ophthalmia aut Sugillatione corrupto, & tunicæ corneæ continuitatem acrimonia sua dissolvente, quam acrimoniam corrodentem ulteriori stagnatione haud ita difficulter solet acquirere.

Sylvii opinio de causa Crassitiei. §. 8. *Sylvius* Corneæ *Crassitiei* causam deducit à pituita viscida cum sanguine per arteriolas humori aqueo affusa, quæ dum tunicæ huic arctiùs adhæret, & cum tempore induratur, eandem crassiorem reddit & minus diaphanam.

Nebula. *Nebulæ* causam statuit halitus à pituita ista excitatos & humori aqueo confusos, qui oculo obversantes nubeculam istam præsentant, & tandem non nisi admodùm obscurè lumen admittunt.

Albuginis. *Albuginis* causam eandem pituitam viscidam ponit, à qua humor aqueus incrassatur, & tunicæ corneæ tenacius adhæret, sensim sensimque albescens & tunicam opacam reddens.

Pustularum. *Pustularum* originem adscribit acido acri plerumque in pituita viscida hærenti, & ad superficiem tunicæ delato, vel ab externis quibusdam oculo illatis, acri sua mordacitate eandem in partibus quibusdam corrugantibus.

Hypopyi. *Hypopyon* ex sanguine è vasis effuso; & diutius sub tunica hac stagnante & ab acido accedente corrupto oriri existimat, eo quòd sanguis iste facillimè in purulentam redigatur dispositionem, eamque vel crassam, vel fluidiorem, prout varii ei immisceantur humores.

Vulnerum. In *Vulnerum* causis cum prioribus, absque ulla contentione aut contradictione consentit.

Ulcerum. *Vlcerum* causa ipsis humoribus acidis acribus ab Auctore hoc adscribitur, qui tunicam hanc erodunt, & continuitatem ejus dissolvunt, sive cum sanguine per arterias effundantur, sive ex eodem sub tunica hac corrupto successivè egrediantur.

Cartesianorum sententia de causa Crassitiei. §. 9. *Cartesiani* causam *Crassitiei* Corneæ imputant variis particulis terrestribus, glutinosis commixtis, sese fibris illis tunicę scleroticę in anteriore oculi parte Corneam constituentibus inserentibus & quiescentibus, quo pacto fibris illis arctius adhærentes illarum immutant texturam, ut lucis radios ulteriùs non transmittant, sicque earumdem pelluciditatem planè auferunt.

Nebulæ. *Nebulæ* originem adscribunt tum vaporibus copiosioribus, quibus humor aqueus abundat, & lucis radiis transitum difficulter permittentibus, tum moleculis quibusdam terrestribus spissioribus, humori illi innatantibus, sive ab impuriori succo nutritio à reliquo sanguine per arteriolas separato, sive à mucilagine atra tunicæ uveæ abluta per ductus aquosos allatis, & humorem turbantibus, à quibus pariter transitus ille radiorum lucis ad retinam usque impediatur, & visio fiat obscurior & nebulosa, sicuti idem ab ipso humore aqueo minùs fluido aut diluto, sed densiore, similiter contingere posse affirmant.

Albuginis. *Albuginem* oriri volunt à diversarum particularum mistura, sub Cornea in humore aqueo facta, dum particulæ acutæ acidæ ex lympha per peculiares ejus ductuum ramulos eò delatæ, particulas ramosas sulphureas & pinguiusculas ex succo nutritio ibidem existētes, præcipitant & coagulant, sicque una cum illis massam albam constituunt, quæ tunicæ corneæ arctius adhærens, & poros obtegens, radiis lucis transitum denegat, unde illi parùm mutati resiliunt, & colorem album exhibent; quibus annumerant cicatricem post vulnus vel ulcus relictam.

Pustularum. *Pustularum* causam dicunt esse particulas acutas & oblongas seu salsas, vel cum succo chylosiore ex sanguine per arteriolas, vel cum lympha per ramulos lymphaticos humori aqueo, & deinde tunicæ huic illatas, quarum figuræ minimè respondeant poris & interstitiis fibrillarum ejus, proinde pori à particulis istis perverțantur, & fibrillæ nimis distendantur, unde pustulæ emergant, quæ non minùs à spiculis acutis externis inferri possint, dum poris hujus tunicæ insinuent, ut sunt guttulæ aquæ fervidæ, plumbi fusi, humorum & medicamentorũ acrium parti huic imprudenter admotorum, vel per infortunium illapsorũ, à quibus pori obstruũtur, & humor intus allectus fibras nimiùm extēdit.

Hypopyi. *Hypopyi* causam ex eo adducunt, quod dum pori tunicæ corneæ à sãguine corrupto in sugillatione aut inflammatione valde sint mutati & depravati, materia primi elementi in fibrulas ejusdem tanto cum impetu irruat, ut ex continua ejus pulsatione rumpantur, à se invicem separentur & cum humoribus ibi stagnantibus commisceantur, sicque confusum quoddam omnis generis particularum conficiant chaos, quod in peculiari, quam sibi format, cavitate contentum, vocatur pus, & per corneam hanc tunicam facilè translucet.

Vulnerum. *Vulnerum* causæ ex superioribus satis sunt perspectæ, ut nulla hic indigeat repetitione, cùm prioribus & hi Auctores penitus adsentiant.

Ulcerum. *Vlcerum* causas nominant particulas acutas acres seu acidas, fibras Corneę corrodentes & earum substantiam absumentes, insimul succum nutritium eadem labe inficientes, ut non nutriat, sed labia ulcusculi exedat, & fibras ipsamque tunicam ulterius consumat.

Judicium nostrum de causa Crassitiei & Nebulæ. §. 10. Causa *Crassitiei* & *Nebulæ* consistit, meo judicio, in obstructione pororum tunicæ Corneæ à particulis humoris viscidioribus in oculi cavum delatis & variè motis, dictæ enim particulæ eidem agglutinantur, & crassitiem inducunt; vel ex massa sanguinea, vel ex lympha è glandulis exudante eo facta plerumque verò à frigidorum & acidorum applicatione, unde tubuli facili marte obstruuntur.

Albuginis. *Albugo* seu macula alba oritur à crassa & viscida materia, circa has partes sę coagulante; sic quoque à cicatrice post vulnus vel ulcus facta. Particulæ enim viscidæ, tunicæ corneæ poris intrò foras spectantibus adeò sæpe infarciuntur, ut facilè corpus aliquod membranaceum repræsentent, unde necesse est, ut suam

suam amittat perspicuitatem Cornea tunica & crassior evadat, quod in senibus non rarò contingit, ob fibrarum duritiem ac rigiditatem nimiam, quod irreparabile inducit damnum. Idem ferè contingit à cicatrice ex ulcere relicta, cujus occasione densior reddita Cornea, *Leucoma* contrahit, cujus magnitudo variare solet.

Phlyctanarum. *Pustulæ* hujus Corneæ oriuntur vel à continui solutione, ab externa injuria facta, vel humor partis proximus coacervatur & colligitur p. n. unde stagnatione & obstructione facta, pustulæ oriuntur, aut propter frigus fit tubulorum horum constrictio, aut propter acidum humores hos coagulans, aut propter remedium etiam externum malè adhibitum, eos incrassans; humoris denique particulæ salinę malè figuratę per tubulos transire nequeunt, quia hæ per motum ex massa sanguinea vel serosa separatæ, tantum densius agglomerantur, ut circa tubulos partium Corneæ restitent, & hasce pustulas inferant.

Hypopyi. *Hypopyi* causa proxima est puris collectio sub Cornea; pus autem hoc exinde oritur, quòd ipsi succi in graviori Ophthalmia, aut contusione vel sugillatione extra vasa diutiùs constituti corrumpantur, & acescere incipiant, sicque multas particulas acidas inter fibras hujus tunicæ transmittant, quę tubulos earum obstruentes, & pristinas transmutantes figuras, materiæ subtili consuetum denegant transitum, hinc illa fibras impetuosiùs agitat, unde fibræ irritatæ ad sistendum illum in regionibus suis excitatum tumultum, omnes concutit canales, qui tum inordinatè suos effundunt succos, quo impetus ille materiæ subtilis vi contraria sedetur; at varia & intemperata sic confluit diversorum humorum, etiam chyli crudioris, miscela, quæ peculiarem sibi efformant fossam, modò in medio Corneę majorem, & *Hypopyon* cernitur, modò in ejus fine sub initium Uveæ, unde figuræ hujus tunicæ se accommodare tenetur, & figuram unguis resecti seu Lunæ falcatæ præsentat, & propterea nomen *Lunellæ* nancifcitur.

Vulnerum *Vulnerum* ut quorumvis aliorum est causa & continui solutio, & divisio facta à vi externa, sic & hujus tunicæ corneæ est, & quia tunica hæc membranosa, hinc fit solutio in hisce nervosis partibus. In his vulneribus sæpe particulæ ramosæ extra tubulos prolapsæ sibi invincem implicantur, & concrescunt in materiam quandam fibrosam ac candicantem, non dissimilem isti materiæ, quæ conspicitur sæpe in aqua, quæ ex V.S. profluxit, quæ etiam igni imposita inspissatur. Sæpe etiam ex contusione vascula sanguifera disrumpuntur, è quibus sanguis sub ratione sanguinis emanans stagnat, ac livore inficit partes sibi vicinas. Sic & rarò vulnus in nobili hac parte fit, quòd fibrillæ plures simul disrumpantur, & disruptæ resiliant in concinnos, atque ita tubulos multos obstruant, in quibus humores circulantes accumulati premunt vasa sanguifera vicina, sic ut sanguis stagnet, unde etiam comites tumor & rubor in toto fermè oculo oboriri solent. Dolor verò & ardor oritur, quando sanguis in vasis suis capillaribus stagnans & evasatus brevi acescere incipit, hincque particulis suis pungentibus secantibusque fibrillas vicinas solito citiùs & impetuosiùs commovet. Lachrymæ quoque sæpe emittuntur, & hoc fit, quando particulæ acidæ ejusdem sanguinis stagnantis & coagulati irritatione sua leves quasdam concussiones inducunt in glandulis oculi, unde contentus liquor excutitur; adsunt enim octo vel novem ductus novi, ab Anatomicis hactenus non observati, qui è glandulis in oculum stillant lachrymas, & à quibus oculi irrigantur.

Ulceris. *Ulcus* Corneæ est solutio unitatis ab acredine corrodente, seu acida corrosiva producta, hic enim pervertitur alimentum Corneæ proprium in excrementum acre, & in saniem transmutatur. Ulcera hæc, ceu dictum, oriuntur utplurimum ab aciditate hac peregrina, in sanguine vel lympha quacunque occasione oborta, & sibi imperium rapiente circa hanc tunicam corneam, & tyrannidem suam lacerando, urendo, dividendo & absumendo exercente. Sic quoque post vulnus factum facilè acido exuperante in ulcus fit transitus, cum vasa plura rumpentes plures succi evasantur.

Prognosis Crassitiei, Nebulæ & Albuginis. §. 11. Omnes hi affectus cùm partem nobilem occupent, periculosi & curatu difficiles sunt, & cum in *Crassitie*, *Nebula & Albugine* acribus medicamentis opus sit, facilè malum his augeri potest. Si *Albugo* fuerit orta à cicatrice, tum curatio est difficilis in junioribus, & in senibus nulla. Hæc quæ est à viscida materia coagulata ab acido, facilius curatur.

Pustularum. *Pustulæ* verò si sunt in annata tunica, facilius, si sunt juxta pupillam, difficilius, si Cornea in partem internam rumpitur, nulla ratione curari possunt, tunc enim transit in ulcus; superficiariæ etiam profundioribus facilius curantur.

Hypopyi. *Hypopyon* non caret periculo, etenim si materia diutius hæreat sub Cornea, & majorem induat acrimoniam, quod dolor vehemens subinnuit, fieri potest, ut propter spirituum nimiam coagulationem in ipsius cerebro subsequatur gangræna; cùm aliàs semper sit difficilis curationis, pus enim jam maturum apertionem tunicæ postulat, & sui exemptionem, at tunica non sine noxa instrumento pungitur, & foramen minusculum non satis commodè puris egressum transmittit, eo autem existente majore, humor aqueus facilè simul effundi potest, & visus debilitari, quem cicatrix etiam relicta hebetare solet, ob incrassationem tunicæ ea in parte, in qua illa remanet.

Vulnerum & Ulcerum. Si *Vulnera* non totam dilaceraverint tunicam, hoc est, si non tam altè penetraverint, apparet aliqua spes curationis; si verò Cornea fuerit rupta, & humor aqueus effluxerit, quod in *Ulceribus* accidere solet, omnis curandi spes evanuit. Tum si *Vulnus* sit angustum, minus periculi habet; si ad uveam verò procedit, incurabile est. Sic etiam quo *Ulcus* sordidius & profundius latiusque est, eo curatu difficilius existit, quia in his partibus membranosis ichor seu sanies tenuis acris & minus albicans emanare solet, quod maximè impedit partis curationem; reliqua possunt peti ex capite ulceri dicato.

Diæta. §. 12. Quantum ad *Diætam*, non opus est ut plura hic adjungamus, quoniam prolixè, sæpeque ad nauseam, & speciatim superiore capite eam prosecuti sumus. Generatim tamen fugienda, quæ sanguini & lymphæ acorem conciliant, eorumque circulationem ac motum impediunt; è regione verò usurpanda, quæ eorum acorem temperant, corrigunt & ipsis celeriorem impertiunt motum. Imprimis in vulneribus oculorum lumen fugiendum, & ægri in obscuro detinendi sunt; imprimis potus Theæ commendatur.

Curatio Pharmaceutica secundum Galenicos Crassitiei Corneæ. §. 13. Ordine nunc devolvimur ad *Curationem Pharmaceuticam & Chirurgicam*, quam Veteres *Galenici* in *Crassitie* Corneæ instituunt, evacuando prius humorem superfluum, pituitosum scilicet, convenienter tamen ad evacuationem apparatum aqua fenic. beton. euphras. Oxymel. simpl. & compos. Syr. de Stœchad. Hyssop. &c. hinc sequentes vel similes exhibent pilulas:

> ℞. *Mass. Pil. aloephang.* ʒ j.
> *Agar. trochisc.* ℈ j.
> *Trochisc. Alband.* gr. ij.
> *M. & c. s. q. aq. euphras. F. Pilulæ.*

His aliquando substituunt cochias vel fetidas, & quibus pilulæ minùs placent, iis sequentem parant potionem:

> ℞. *Agar. trochisc.* ʒ i ß.
> *Rhei elect.* ℈ iiij.
> *Macerentur seorsim in aqua hyssop. vel beton. F. expressio, in qua dissolv.*
> *Diaphœnic.* ʒ ij.
> *Syr. de Stœchad.* ℥ ß.
> *F. Potio.*

Posthæc, ne novus fiat affluxus, frictiones instituunt, vel scarificationes, interdum vesicatoria adhibent nuchæ. Inter topica humorem crassum attenuantia maximè laudant fel hircinum aut milvinum, ut & mel cum succo rutæ vel chelidoniæ commistum, aut succum raphani cum myrrha, croco & opopanace in formam collyrii redactum, & oculo sedulò adhibitum. Inveteratam tamen Crassitiem planè æstimant incurabilem, uti & illam, quæ ex corrugatione & exsiccatione Corneæ substantiæ originem duxit, difficilem credunt curatu, eique emollientia applicant, fotum videlicet ex decocto chamomill. malv.

malv. alth. euphras. sem. fœnigr. fœnic. &c.

Nebula.

In *Nebula*, præmissis interdum universalibus ex superioribus jam notis, tum interne, tum externe discutientia adhibent, unde humor vel vapor resolvatur, ne ulterius sit impedimento, qua de re sequentem laudant pulverem post pastum assumendum:

℞. *Rad. Galang.*
Fol. majoran.
Euphras. aa. ʒ i ß.
Rut. ʒ ß.
Cort. citr. ℈ ij.
Sem. fœnic. ʒ i ß.
Siler. montan. ʒ j.
Carvi ʒ ß.
Cinam. ʒ j.
Caryophyllor. ʒ ß.
Pip. long.
Zingib. aa. ℈ j.
Sacchari duplum ad pondus omnium,
F. Pulvis.

Hunc etiam in finem frequentius usurpandas suadent confectiones sem. anis. fœnic. carvi, coriand. &c. Externe sequentem commendant aquam mellis, qua oculum sæpiuscule volunt ablutum, eaque non modo nebulas discuti posse credunt, sed ipsum visum multum corroborari.

℞. *Mellis opt.* ℔ ij.
Rad. aristol. rot.
Fœnic. aa. ℔ j.
Herb. rut.
Chelidon. maj.
Summit. fœnic. aa. *M.* vj.
Flor. ros. recent.
Centaur. min. aa. *p.* ij.
Macerentur omnia in melle prædicto & ℔ ij. urinæ pueri venerem non experti, reponantur in vase vitreo per dies decem, agitentur sæpius, & postmodum destillando eliciatur aqua.

Cicatricem Corneæ inductam sæpius inungunt butyro, vel idem solvunt & linteolum eo madefactum instar fotus adhibent, quo eandem emolliri, conteri & abstergi experti promittunt.

Albuginis.

In *Albugine* post eadem universalia & reliqua interna cum proxime præcedente huic affectui communia usurpata, emollientia adhibent, butyrum videlicet modo jam prædicto applicandum, vel cataplasma ex pomis aq. fœnic. coctis, additis mucilag. sem. fœnigr. cremor. lactis, album. ovor. lap. hæmatit. pulv. cort. granat. & camphor. paratum; deinde abstergentia subjungunt ex lap. calam. plumb. ust. antim. myrrh. sarcocoll. cort. thur. thut. fellib. diversorum animal. succ. rut. chelidon. maj. centaur. min. granat. dulc. fœnic. In specie laudant nonnulli aquam sequentem ex prioribus quibusdam compositam, affectui huic singulariter profuturam:

℞. *Succ. rut.*
Chelidon.
Euphras.
Fœnic. aa. ℥ ij.
Flor. anth. M. ß.
Hepat. hirci sani ℥ ii ß.
Sarcocoll.
Antimon.
Thut.
Aloes aa. ℥ ß.
Fell. capon.
Gallor.
Milv. aa. ʒ ij.
Sacchar. canthisat. de syrup. rosar. ℥ vj.
Nucist.
Croc.
Caryophyllor. aa. ʒ j.
Tritis terendis hepar in frustula concidatur, tunc omnia mista per alembicum vitreum bis destillentur, aqua secundo prodiens servetur ad usum, de qua 2. vel 3. guttulæ instillentur oculo.

Pustularum

In *Pustulis* etiam humores superfluos evacuant, revulsionis gratia venam secant, humores scarificant, vesicatoria applicant nuchæ, & nihil pro contemperanda humorum acrimonia omittunt, posteà accedunt ad topica, eaque in principio adhibent adstringentia & repellentia, ut sunt albumen ovi cum alumine & aq. rosac. bolus armen. Sief de ros. &c. posthæc ad dissipantia accedunt, & resolventia, decoctum videlicet malvæ, alth. flor. chamomill. melilot. sem. lini, fœnigr. &c. mucilag. sem. cydon. malv. &c. cataplasma ex mica panis albi cum lacte & croco, tandem materia resoluta, & per pustulas apertas effusa extergentibus & siccantibus curationem finiunt, unguento nimirum nihili Sief viridi *Rhaz.* Vel collyrio sequenti:

℞. *Aq. plantag.* ℥ i ß.
Smilac. læv. ℥ j.
Verben. ℥ ß.
Ceruss. lot. ʒ i ß.
Terr. Lemin. ʒ j.
Lap. calam. ʒ ß.
Sarcocoll. ℈ j.
M. F. Collyrium, quo oculus aliquoties abluendus.

Hypopyi.

In *Hypopyo* si simul adsit inflammatio dolorosa, venæsectionem instituunt, & ipsam materiam purulentam digerunt cataplasmate ex rad. lil. alb. flor. chamomill. melilot. sem. fœnigr. in aq. fœnic. facto, vel ex farina fabar. cum melle; hinc eam resolvere & discutere student, instillata guttula una vel altera sanguinis ex aliis columbar. adhuc calidi, vel collyrio ex aq. vit. succ. chelidon. maj. myrrh. & croco; si vero discuti nequeat, Corneam aperiunt & purulentam materiam eliciunt, vel linteolo tenuissimo leniter premendo, vel per canalem sugendo, ut in prioribus jam fuit relatum; pure ejecto, mundantia adhibent, abstergentia & consolidantia, quæ ex Ulceris curatione paulo post patescent.

Vulnerum.

In *Vulnerum* curatione semper fere præmittunt venæsectionem, ad sanguinis affluxum, & inde facile subsequuturam inflammationem prohibendam, clysteres applicant, & humores peccantes convenientibus remediis expurgant, interceptionis etiam & repercussionis gratia frontalia adhibent ex album. ov. bol. armen. terr. sigill. ol. ros. & pauco acet. rosaceo. Ad dolorem mitigandum cataplasma ex sem. lini, malv. fœnigr. &c. vel mucilagines sem. lini, cydon. psyll. adhibent, & vulnus denique consolidant sequente vel simili collyrio.

℞. *Thut.*
Sarcocoll. nutrit.
Thur. aa. ʒ ß.
Myrrh.
Antimon.
Aloes
Lycii aa. ℈ j.
Pulverisato excip. mell. rosat.
F. Collyrium vulneri imponendum.

Ulcerum.

Eodem pene modo in *Ulcerum* curatione procedere solent, præmissis enim universalibus, & subjunctis mox intercipientibus, resolventibus & anodynis, ad mundificantia pergunt & abstergentia, quare aquam mulsam oculo instillant, & linteo eadem madefacto ulcus aliquoties abluunt, vel decocto fœnigræci cum melle & myrrha, aut liquore folior. olivæ agrestis, hinc pro majore exsiccatione & adstrictione adhibent succū balaustior. cum lycio aut hypocystide, & si hæc non sufficiunt, collyria componunt ex flore vel squama æris, chalcite & mysi ustis & pulverisatis cum melle mixtis, vel ex cornu cervi usto & subtilissime pulverisato; quibus adjungunt Sief viride vel rubrum. Abstersione & desiccatione hac peracta, ad solutam unitatem denuo uniendam properant, in usum, ductis fortioribus consolidantibus ex thure, sarcocolla sangu. dracon. antimon. usto, Sief de plumbo, &c. quorum plures species subtilissime pulverisatæ, cum melle vel vitello ovi ad duritiem cocto suscipi, & in unguenti formam redigi possunt. Ex. gr.

℞. *Thut.* ʒ j.
C. C. ust. ʒ ß.
Antimon. ust.
Plumb. ust.
Sarcocoll. aa. ℈ j.
Sangu. dracon. ℈ ß.
Cum s. q. mell. F. unguentum.
De hoc portio quædam indatur vel imponatur oculo.

Magni quoque faciunt hoc in casu collyrium *Rhazis* Eleisar dictum, quod ex antimon. lap. hæmatit. Acac. & Aloe cum succo cydon. susceptis componitur, & in magna exulceratione post abscessum ab inflammatione orta, ubi etiam pupillæ procidentia metuitur, singulari juvamini futurum existimatur.

Paracelsi remedia in Crassitie. §. 14. *Paracelsus* etiam in horum affectuum curatione magnarum virium æstimat remedia illa, quæ ex lapide calaminari, thutia & vitriolo albo studiosa operatione Chymica elaborantur; ad coagulatum enim illud ex Sale, & Mercurio cum Sulphure in *Crassitie* Corneæ denuo resolvendum, unguentum hoc ipsum, quod & reliquas abigere expertus est maculas omnes, non sine laudabili effectu applicari promittit:

℞. *Thut.* ℥ j.
Vitrioli alb.
Succ. euphrag. aa.
Fiat in modum boli cum Gummi Arabico, duc ad secundum gradum ignis, F. Unguentum.

In Nebula. Ob eandem quoque causam in *Nebula* prædictum medicamentum ex Thutia idem maximopere laudat, Crollius verò hoc in casu amplioribus ferè laudum spoliis oxornat Specificum suum Ophthalmicum, & pulverem ex sacch. canth. alum. calcin. & off. sep. aa. paratum, quo omnem nebulam facile discuti posse nullatenus dubitat.

In Albugine. Ad tollendam *Albuginem* eadem ipsa commendatur Thutia in lacte extincta, & per noctem in aquam rosaceam posita, tum aqua hæc albugini adhibita eandem abactura creditur, vel sequens paratum collyrium.

℞. *Thut. modo jam dicto pp.* ʒ j.
Vitrioli albi ʒ vij.
Camphor. trit. ℈ j ß.
Fiat mixtura cum aq. rof. vel fœnic.

Pustulis. *Pustulæ* similiter antedictis medicamentis curantur, in specie verò ad salis corrupti & urentis igneam illam vim minuendam, extinguendam, & bullulas ab ea excitatas discutiendas, tanquam apprimè conveniens proponitur medicamentum oleum Saturni, ritè ac sedulo paratum, ut pustulæ eodem aliquoties illinantur.

Hypopyo. In *Hypopyo* post exemptam materiam purulentam, oculus abluendus est sequenti collyrio vel lixivio:

℞. *Alum.* ℔ v.
Succ. chelidon.
Plantag. aa. ℔ ß.
Parthenion. ℥ iij.
Destilla,
℞. *Aq. istius destillat.* ℔ ß.
Commun. ℔ v.
M. F. Lixivium.

Vulneribus. In *Vulneribus* his Corneæ bene curandis ipse lapis calaminaris pp. aliis additus non paucarum æstimatur virium, nec non sequens emplastrum vel cataplasma:

℞. *Flor. æris pp.* ʒ ß.
Aloes epat. ʒ j.
Liquor. consolid. ℥ iv.
F. in modum visci.

Ulceribus. Ad *Ulcera* Corneæ sananda, ex mente hujus Auctoris, præ aliis commendatur lapis calam. pp. cum camph. in succ. chelidon. & euphrag. adhibitus, vel unguento de flore æris mistus & aliquoties ulceri inunctus, si verò eadem ulcera humida sint aut sanguinolenta, commodè additur lapis hæmatites cum bolo Armena; sic etiam Talcum pp. cum liquore mumiæ & terebinthina in unguentum redactum, in hujusmodi ulceribus à Monarchæ hujus asseclis non sine causa magni pendi videtur.

Helmontiana curatio Crassitiei. Corneæ. §. 15. Sequitur jam arcanorum custos ille tenacissimus *Helmontius*, lætiore quodam sydere nunc agitatus in *Crassitie* Corneæ, ad spissiorem illam accretionem resolvendam, & tunicam hanc ab ea liberandam, remedium manifestans paucis admodum communicandum, sanguinem videlicet muris, quo oculus sæpius abluendus aut illinendus, ut alliciatur latex purior, qui similiter interius muccaginem illam abluat, & tunicam hanc clariorem reddat.

Nebula. In *Nebula* ad depuranda illa recrementa, & spiritui luciditatem pristinam reconciliandam, mirum in modum commendat fella quorundam animalium, maximè verò leporis & piscis mustelæ, ut oculus iisdem sedulò illinatur, ita enim densum illum fumum iri cum tempore discussum, & serenitatem successuram esse pronunciat.

Albuginis. *Albuginem* non ita difficulter removeri posse retur, si oculo frequentius instilletur liquor ex hepate mustelæ extractus, quem singularium virium hoc in affectu cum iis existimat.

Pustularum. In *Pustulis* eò maximè operam collocat, ut acrimonia salis mitigetur, ea propter ipsas pustulas sæpius abluit aqua destillata stercoris humani, in hujusmodi affectibus magnæ putata utilitatis.

Hypopyi. In *Hypopyo* aliorum χειρουργίαν tantum concedit, ut corneam loco conveniente aperiant, & ipsum pus bene maturum eximant, quo exempto oculum vel antedicta aqua stercoris humani vel succo chelidoniæ crebrò & studiosè vult abluendum.

Vulnerum. In *Vulneribus* Corneæ laudantur medicamenta quælibet ex tutia parata, maximè verò tinctura ejusdem exterius nunquam sine commodo adhibenda.

Ulcerum. In *Ulceribus* hisce oculorum, & quidem tunicæ hujus corneæ, ipsum antimonium, & parata ex eo medicamina ab Auctore hoc ejusque sectatoribus valde judicantur prodesse.

Juxta Willisium Curatio Crassitiei. §. 16. Juxtà *Willisii* præcepta *Crassitiei* Corneæ curatio, etsi difficilis sit obtentu, institui tamen potest, præmissis humorum peccantium copiam minorantibus & avertentibus, iis remediis, quæ humores spissos resolvere, & spiritus augere & subtilisare possunt, ut sunt internè Aqua rutæ, fœnic. rorismar. Spir. euphrag. essent. anthos, Spir. C.C. Sal. Ammoniaci cum succino imprægnatus, Syrup. flor. caryophyllor. cinamom. Spec. dianth. diamosch. dulc. &c. externè ad spissius illud concretum resolvendum emollientia suadet, ut fotum ex decocto malv. beton. euphrag. summit. fœnic. sem. lin. flor. melilot. quibus subjungit fortiora quædam incidentia & abstergentia, succum videl. rutæ, chelidon. anagallid. & alia, quæ in Albugine proximè sequentur.

Nebulæ. *Nebulæ* cura peragitur resolventibus vapores illos crassos, humorem aqueum turbantibus, quod similiter spirituosis obtineri poterit internè usurpatis; maximè spiritu sal. armon. cum succino imprægnato, & Essentia rorismarini, vel eleosaccharo fœnic. externè leviter abstergentibus & discutientibus, halitu pueri adhuc jejuni semen fœniculi manducantis, quod ipse etiam æger sibi eodem modo præstabit, & propria ista saliva virtute fœniculi dotata oculum illinet; collyrio deinde ex aq. fœnic. rosar. chelidon. maj. ocul. Cancrorum, marg. pp. myrrha & camphora parato, curam istam absolvit.

Albuginis. *Albugo* ut curetur, eò incumbendum esse censet hic Auctor, ut agglutinatio illa emolliatur decocto præcedente in Crassitie jam denominato, vel simili quodam, postea abstergentia adhibet ex fellibus potissimum animalium, ut lucii piscis, lyncis, falconis, humano &c. succis fœnic. centaur. min. chelidon. cum myrrha, aloe, sale armoniaco, camphora. Oleum ex linteis combustis non contemnendi usus habetur.

Phlyctænarum. Ad *Phlyctænas* curandas eo imprimis respicit, ut causa easdem excitans aut fovens amoveatur, evacuando humorem acrem ex latice oriundum, revellendo etiam eumdem adhibitis vesicatoriis nuchæ vel post aures, eximendo res externas, & materiam collectam resolvendo, omni studio collocato, ne eadem suppuretur, proinde in principio discutientia admovenda, cataplasma videl. ex mica panis albi in lacte cocti, cum album. ov. & croc. vel fotu ex decocto chamomill. & sem. fœnigr. Res externæ eximendæ sunt, & oculus mucilag. sem. cydon. aq. flor sambuci facta illinendus, postmodum in progressu magis exsiccantia adhibentur ex tut. bol. armen. camphor. vel Sief. de rof. cum succo rutæ & aqu. verbenæ.

Hypopyi. In *Hypopyo* ubi suppuratio jam consummata, tunica cornea est aperienda, ut pus eximatur, hinc abstergentia adhibenda, exsiccantia & consolidantia; si verò pus adhuc est in fieri, emollientia usurpat & discutientia, decoctum nempe prædictum chamomill. & sem. fœnigr. quibus adjungi possunt herb. chelidon. euphrag. valerian. sem. fœnic. hisce tandem subjungun-

guntur abstergentia & exsiccans, quale sequens collyrium:

℞. *Aq. Chelidon. maj.*
Rut.
Euphras. aa. ℥ j.
Tut. pp. ʒ j.
Aloes,
Myrrh. aa. ℈ ij.
Croc. ℈ j.
Sacch. canth. ʒ ß.
M. F. Collyrium.

Vulnerum. In *Vulneribus* Corneæ, quantum fieri potest, humoribus oculi asservandis, & dolori aliisque symptomatibus præcavendis summè intentus est, adhibitis fotibus adstringentibus ex decocto fol. rubi, plantag. verben. euphrag. flor. rosacac carne cydon. in vino adstringente facto, & tandem conglutinantibus curam absolvit, ex tut. paratis, sarcocoll. lap. calaminar. aliisque, laudat etiam balsamum Peruv. aliquando tepidè instillatum, vel aliis convenientibus intermistum.

Ulcerum. *Ulcerum* curatio ut ritè peragatur, præmittenda vult humorem acrem minuentia & alio derivantia, potissimum verò fonticulum brachio inustum, ipsi ulceri detergentia admovet & exsiccantia, collyria scilicet ex aq. verben. flor. ligustr. plantag. additis thure, sacch. canth. aloe, myrrh. tut. sarcocoll. aliisque brevitatis studio hic omittendis.

Sylvii sententia de curanda Crassitie. §. 17. *Sylvius* ad curandam *Crassitiem* in eo occupatus est, ut pituita viscida corrigatur medicamentis incidentibus & attenuantibus, seu sale volatili præditis, radicibus nempe valerianæ, apii, fœnic. chelidon. maj. herb. euphrag. rut. majoran. fol. rorismar. sem. fœnic. carvi, siler. mont. Syr. Byzantino, stœcad. &c. vel si eadem ipsa pituita corrigi nequeat, & simul copia peccet, evacuetur per phlegmagoga, tum communia, tum maximè chymica, Mercurium potissimum dulcem, vel pilulas suas magistrales, capite proximè sequente communicandas; externè succum chelidon. vel fœnic. oculis instillari permittit, vel spiritum vini tam simplicem, quam prædictorum simplicium virtutibus impregnatum.

Nebula. Ad discutiendam *Nebulam* in eo totus est, ut halituum proventus inhibeatur, corrigendo potissimum bilem acriorem, lapsam halituum causam efficientem, medicamentis subacidis, nitro imprimis, aliisque plantis nitrosis, ut lactuca, endivia, sempervivo, plantagine, &c. vel si nimia peccet copia, evacuando eam medicamentis cholagogis, rhabarbaro scilicet, tamarindis, Cassia & simil. Ne ad oculos ipsi halitus ulterius deferantur, eosdem tum discutit medicamentis sale volatili, maximè oleoso præditis, tum effervescentiam intestinalem vitiosam corrigentibus. Ad oculum jam delati halitus discutiendi non minus sunt salibus volatilibus & internè assumptis, & externè admotis.

Albugine. *Albuginis* cura in ejusdem pituitæ viscidæ incisione & attenuatione consistit, quæ quomodo sit instituenda, in Crassitiei curatione modò manifestavimus.

Pustulis. *Pustularum* curatio obtinetur acidum acre corrigentibus, lixiviosis maximè, seu alcalicis fixioribus & concentrantibus, ut sunt tutia, lapis calaminaris, cerussa, quæ misceri possunt aquis plantag. rosar. sempervív. maj. flor. melilot. & in collyrii formam redigi, quo Cornea pustulosa aliquoties est abstergenda, & guttula ejus una vel altera oculo instillanda.

Hypopyo. *Hypopyon* curatur ipsa puris emissione, &, si aliter discuti & expelli nequit, apertione Corneæ loco conveniente, hinc novi puris generationem impedientibus, abstergentibus & consolidantibus; ut ergo discutiatur materia puris nondum adeò existente copiosa, salia adhibenda sunt volatilia, iisque prædita medicamenta intus & extus usurpanda, quibus si nihil præstari potest, suppuratio facilitanda cataplasmate ex melle, farina secal. & vitell. ovi, ejecto verò pure, abstersio fiat aqua mellis vel alia conveniente, & tandem consolidatio instituatur collyriis, quibus tutia & sarcocolla sunt intermista.

Vulneribus & Ulceribus. In *Vulneribus* & *Ulceribus* curandis in eo pene totus est, ut acidum sese hisce facillimè immiscens corrigatur, & ipsum vulnus vel ulcus mundetur & consolidetur, quod omnium optimè salibus volatilibus oleosis impetrari posse confidit, eamque ob causam non parvis exornat laudibus balsamum Sulphuris vel terebinthinatum, vel anisatum, aut fœniculatum, à quo spiritus acidus in pure luxurians & humores corrumpens præ aliis obtundatur, mitigetur & consolidatio promoveatur.

Cartesianorum cura in Crassitie. §. 18. *Cartesiani* ad Corneæ hujus tunicæ morborum, & quidem ante alios ipsius *Crassitiei* curationem accessuri, distinctionem observant inter accrescentem aut oriundam adhuc, & eandem jam confirmatam. Accrescentis augmentum omni studio inhibere tentant vocatis in subsidium medicaminibus cunctis implicationem particularum terrestrium cum particulis glutinosis impedientibus, & factam jam denuò deobstruentibus, resolventibus & in fluorem reponentibus, adeoque ab ipsa quiete motum illas excitantibus, & variè agitantibus, ne fibrillis iterùm adhærescant, qualia sunt, quæ particulis constant tàm porosis & alcalicis, ut aliquas partes glutinosas cum terrestribus prioribus inviscatis absorbeant, quàm particulis variè acuatis, ut materiam viscidam penetrent, attenuent, resolvant, & poros ita sub utraque forma dilatent, quo materia ætherea facilius & sine ulla obnitentia aut conflictu cum peregrinis, eosdem subintret, & ulteriorem in statum ordinarium repositionem perficiat: adhibent ergò internè Spiritum salis Ammoniaci anisatum vel fæniculatum, C.C. succinatum, roremarinatum, essentiam chelidoniæ maj. euphras. rorismarini, elixium illuminans, Salia fixa prædictarum herbarum & volatilia C.C. succini, &c. Paradigma aliquod sequens esto:

℞. *Aq. fœnic.* ℥ j.
Nepeth. ℥ ß.
Essent. rorismar. ʒ i ß.
Celidon. maj. ʒ j.
Spiritus sal. Ammoniaci anisat. gt. xxvj.
Salis volat. C.C. gr. iv.
Syr. byzant. ʒ iij.
Flor. tunic. ʒ ij.
M.

Impediente verò nimia humorum vitiosorum copia medicamentorum horum ad partem affectam, & virtutem eorundem debilitante, eandem convenientibus remediis imminuunt & evacuant, pilulis nempe lucis maj. vel gummosis aliisque. Oculo exterius similia adhibent spirituosa, subtilibus & acutis suis particulas poros Corneæ facilè penetrantia, & limum glutinosum interius eidem adhærentem similiter incidentium & resolventium, particulas etiam rigidas acidas flectentium, qualia sunt Spir. Chelidoniæ majoris, Sp. Vin. succo chelidoniæ mistus, liquores ex fellibus animalium destillati, axungia viperina paucis & parvis guttis non adeò frequenter instillata. Confirmatæ jam Crassitiei curationem difficulter admodum obtineri profitentur, ob poros Corneæ nimium alteratos, & à particulis tenacioribus arctissimè iisdem adhærentibus clausos, quos medicamentorum efficacissimorum particulæ, utut subtilissimæ, nequeant penetrare, sed absque ullo præstito effectu, & hebetatæ regrediuntur; tentant tamen aliquando eandem superiùs jam dictis, maximè quæ ex fellibus parantur & axungia viperina.

Nebula. *Nebulæ* curationem consistere ajunt in resolutione & attenuatione vaporum, ne illi humorem aqueum obscurent, & Corneæ intus obversantes radiis lucis transitum impediant, nec non in particularum terrestrium humorem illum inspissantium correctione, ut humor pristinam suam fluiditatem cum puritate recuperet, & à muccagine atra depuratus limpidior existat, quod præstari posse existimant medicamentis spirituosis & volatilibus tum internè assumptis, tum externè instillatis, illitis, vel alio modo impositis. Interna sunt medicamenta composita ex radic. fœnic. chelidon. sarsæparill. valerian. herb. euphras. verben. rut. beton. fol. rorismar. flor. cheyri, calendul. anth. stœchad. Arab. sem. anis. fœnic. rut. amom. lign. sassafr. &c. Externè aliis præferunt liquores ex fellibus animalium & hepate mustelæ piscis, cum succo chelidon. & fœnic. instillatis. In leviore hujusmodi affectu halitum illum proprium post manducationem fœniculi oculo inflatum

tum non parvipendunt: tollitur nubecula pulvere sacchari Canthi, & suma maris ceu superius dictum.

Albugine. In *Albuginis* curatione itidem discrimen illud observant inter incipientem & confirmatam. Priorem speciem facilius curari credunt spirituosis illis subtilibus ulteriorem particularum oleosarum ab acidis coagulationem impedientibus, & factam jam destruentibus, interius adhibitis; externe abstergentia usurpant, & similiter resolventia & attenuantia massam coagulatam, succum nempe fœniculi, chelidon. maj. balsamum Peruvianum rectificatum, liquorem ex fellibus variorum animalium & hepate mustelæ, aquam mellis & similia. Confirmatam & diuturnitate temporis magis induratam, majorem operam desiderare norunt, & difficulter admodum depelli, ne tamen hic prorsus sint otiosi, cataplasmata adhibent emollientia & resolventia ex pulpa pomor cum aq. fœnic. coctis, additis mucilag. semin. fœnigr. vitell. ov. lap. hæmatit. pp. cort. granat. vitriolo alb. aliisque concinnatum, & Albuginem jam emollitam fortioribus abstergunt, aqua nempe sapphirina, lacte equino cum melle, succis granat. dulc. apii, agrimon. vel sequenti collyrio, quo Leucoma istud frequentius erit abluendum:

℞. *Aq. mell.* ℥ j.
Flor. rorismar. ℥ ß.
Succ. cent. min. ʒ ij.
Oss. sep. ʒ ß.
Ciner. Card. pratens. min ℈ j.
Myrrh. gr. vj.
Camphor.
Vitrioli alb. aa. gr. ij.
M.

Pustulis. Ad corrigendas particulas salsas & acuta in *Pustulis* Corneæ, medicamentis utuntur porosis & alcalicis, à quibus priores facile possint absorberi, & fibrillæ distentæ in statum pristinum reponi, ut sunt tut. pp. mater perl. pp. lap. calam. pp. oss. sep. nihil. alb. Sarcocoll. sacchar. Saturni, aqu. rosar. plantag. flor. ligustri, chelidon. pimpinell. flor. sambuc. album. ovor. cum Vitriolo ust. Liquor. ad Phlyctænas *Hertodi*, Aqua sapphirina, Unguentum nihili, vel sequens collyrium:

℞. *Aq. flor. sambuc.* ʒ vj.
Ligustri. ℥ ß.
Tut. pp. ℈ j.
Vitrioli alb. ℈ ß.
Croci gr. vj.
M.

In Verruca, vel Cataracta, vel Nebula oculorum nil præstantius dicitur quàm succus bellidis recenter expressus, & 14. dierum spatio oculo affecto instillatus.

Colluvie lymphæ salsæ existente copiosiore, vesicatoria applicant nuchæ vel post aures, interdum ipsas scarificant auriculas. Ab externis causis excitatas, pulveribus nempe acribus & corrosivis, vel spiculis ignitis, spiritu vini abluunt camphorato, & si lympha corrupta in pustulis hærens nominatis hisce medicamentis nequeat absumi, easdem suadent aperiendas, ut liquor ille salso-acris emanet, adhibito hoc studio, ne partibus adhuc sanis diutius inhærens easdem similiter corrumpat, postea iisdem abstergentibus abluunt & iterùm consolidant.

Hypopyo. In *Hypopyo* incipiente soliciti sunt ut pus nondum adeò copiosum discutiatur, & ulterior ejus generatio præcaveatur, ductis in usum fomentis & cataplasmatibus ex decocto sem. fœnigr. fœnic. sesel. herb. euphras. verben. chelidon maj. flor. chamomill. sambuc. croc. pomis putridis, farin. fabar. fimo columb. camphora, &c. Si verò discuti nequeat, & suppuratio jam facta sit, tunicam aperiunt & pus eximunt, illito linimento ex melle cum myrrha & camphora, pure autem penitus exempto foramen claudunt balsamicis, ut in ulcere.

Vulneribus. In *Vulneribus* Corneæ operam dant, si in tempore præstò esse possint, ne humoris aquei effluxus sequatur copiosior, eaque de causa vulneri superimponunt foliolum unum vel alterum auri bracteati, quod Corneæ arctè adherens effluxum illum humoris commodè prohibet, &, si vasa sanguifera simul læsa sint, ejusdem profusionem sistunt mucilaginosis & subadstringentibus quin aversionis gratia in largiori hæmorrhagia aliquando venæsectionem permittunt, & dolori sedando studiose incumbunt, ne inflammatio subsequatur, instillato liquore ex lumbricis contusis per linteum expresso cum camphora & saccharo Saturni, hinc transeunt ad vulneris abstersionem & consolidationem, quam egregiè promoveri existimant pulvere Cancrorum ust. tut. & vitriolo alb. vel per se insperso, vel aquis & succis convenientibus, alchimillæ potissimum, folior. pyri, cydonior. album. ovor. commist. & cunctis in formam collyrii redactis.

Ulceribus. *Ulceris* curationem optimè credunt administrari, si particulis acutis destructivis acidis in quibuscumque ulceribus facilè nidulantibus, eatur obviam, spirituosis scilicet & salsamicis, ut Spir. lumbric. camphorato, Spir. Vin. cum pauco Spir. terebint. commisto, Spir. chelidon. myrrhato, aliisque; hinc ulcere benè mundato consolidationem non ita difficulter subsequuturam esse sperant, instillato vel solo balsamo de Copaiba rectificato & debitè depurato, cujus guttula una vel bis in die solum instillata miræ existimatur efficaciæ.

Nostra methodus curandi Crassitiem, Nebulam & Albuginem. §. 19. Quoad *Nostram* de Curatione horum morborum sententiam, nobilia certè hic Chirurgia nobis exhibet præsidia, conducunt enim fonticuli, vesicatoria, & setacea, rasura capillorum.

Ex Pharmaceutico fonte in *Crassitie* Corneæ, *Nebula* & *Albugine* conveniunt & interna remedia, & præ omnibus saburrra quocumque in loco latens est eliminanda, quod obtineri potest per pilulas Cephalicas sive Ophthalmicas meas sequentes decrescente Luna exhibendas.

℞. *Extract. marocostin.* ʒ ß.
Pil. luc. maj. ʒ j.
de succin. Craton. ℈ j.
Diagryd. Sulphurat. gr. xv.
Salis euphras. gr. x.
Succin. volat. gr. viij.
Ol. d. fœnic. gr. iiij.
F. Massa.

Dentur vesperi cubitum ituro 5. & subsequente mane adhuc 6. vel 7. & dein danda sunt stomachica & cephalica, v. g. salv. euphras. anthos, theé, lavendul. beton. cent. min. trifol. aquat. rad. calam. aromat. ex his parari possunt Infusa (uti cum theé facere solemus) Decocta, Essentiæ, Tincturæ, Extracta, Conservæ, &c. Sic & vinum medicatum conducit sequens:

℞. *Rad. Caryophyllat.*
Calam. aromat. aa. ʒ i ß.
Cort. rad. cappar.
Sassafr.
Tamarisc.
Med. frangul. aa. ʒ ij.
Herb. euphrag. M. j.
Beton.
Fol. rorismarin. aa. p. ij.
Fl. cent. min.
Anthos
Rosar. aa. p. I.
Cort. citr.
Aurant.
Sem. anis.
Fenic.
Cinnamom. aa. ʒ i ß.
M. F. Nodulus, 5. vel 6. mensuris vini infundendus, de quo in prandio & cœna primus haustus sumendus: presertim hic pro usu continuo Sal volat. C. C. quod hodie in cœna cum vino assumere solent plures & non absque emolumento; sed ne quid nimis. Pro massa sanguinea depuranda Essent. mum. Elixir. propr. alcalicum Sal. volat. oleos. succin. pulv. cinnabar. cum succino, aliaque exhiberi possunt.

Hic quoque topica magnum afferunt sæpe solamen, eo enim incumbendum, ut pori obstructi reserentur, & acidum

acidum coagulans & nervis inimicum corrigatur; specifice in Crassitie, Nebula & Albugine prodesse dicunt aquam anagallidis ex succo destillatam, quod euporiston erit remedium, si vel Vitriolo alb. vel Sale volat. C.C. vel succini parum acuatur, ad obstructionem tubulorum eò melius reserandam & spiritus animales alliciendos, qui quasi freno injecto torpidi in cerebro detinentur, item axungia leporina illita proderit; sic & omnia ea, quæ trademus remedia in Suffusione huc quadrant, quare hæc repetere vel ruminare non libet. Imprimis hic prodest aqua Reginæ Hungariæ ad guttas 2. oculo instillata, mira enim hac præstiti aqua temperata Ophthalmica.

Hæc tamen remedia commodum aliquod præstare poterunt, si vitium sit ab humorum crassitie vel impuritate, sin à filamento quodam processus ciliaris à membrana sua libero & humori aqueo innatante, quod obscuritate & nigredine sua radiorum lucis transitum impediat & nebulosam præstet visionem, neque hæc, neque alia remedia quicquam præstare posse judico, & optimum hoc in affectu remedium erit vel neglectus remediorum, vel quies & locus non ita luminosus, ne spiritus animales copiosius allecti filamentum illud fortius agitent & plurium resolutionem intendant. Optimè & hic conducunt vesicatoria, setacea, ac frustulum radicis Thymeleæ apici auris intrusum. Sequens verò collyrium erit egregii usus in Albugine.

℞. *Decoct. fœnigr. & cydon.*
in aq. rorismar. fact. ℥ ij.
Lap. calaminar. ℈ j.
Sacchar. Saturni,
Myrrh.
Croc. or. aa. ℈ ß.
Æris usti ʒ ß
F. Collyrium.

Aqua vero sequens ad oculorum affectus egregia est, roborat enim visum, tollit nebulas, inflammationem, sordes &c. paucis guttis in oculum inditis ter de die.

℞. *Vin. alb.* ℔ ij.
Aqu. rosar. ℔ ß.
Chelidon.
Fænicul.
Euphras.
Rutæ aa ℥ ij.
Tutiæ præpar.
Caryophyll. ℥ j.
Sacch. canth. ʒ j.
Caphur. aloes aa. ʒ i ß.
Digerantur per plures hebdomadas.

Cicatrix difficilè curatur, notum tamen nobis est exemplum illud à *Platero* in *Observat.* relatum de cicatrice casu per pulverem sublimati loco sacchari canthii oculo inspersum curata, quamvis in principio tanta insequuta fuerit inflammatio, ut de oculo periculum affuerit, quare istiusmodi casus non semper adeò promptè imitari licebit.

Pustulæ curantur ferè ut inflammationes, imprimis prodest sequens: *Pustulas.*

℞. *Aqu. Euphras.* ℥ ij.
Sacchar. Saturni ʒ j.
M.

Ubi verò animus est exsiccare magis, tunc tutia & lap. calamin. reliquis addantur.

Hypopyon. Quando post graviorem contusionem aut inflammationem oculi sanguis evasatur & corruptus discuti nequit, idque suppurari, & *Hypopyon* fieri incipit, ipsa illa materia purulenta omni studio discutienda erit, ne ulterius sibi sumat incrementum, quare oculus abluendus erit spiritu vini camphorato, cui succus chelidon. maj. & cent. min. immisti fuerint, vel fotus instituatur ex decocto rad. valerian. raphan. herb. euphras. chelidon. maj. flor. melilot. Chamomill. lil. alb. pal. avenæ, vel si ne sic quidem discuti possit, imponatur cataplasma ex pulp. pom. putr. & passular. cum mucilag. sem. fœnigr. lini, althææ & pauco stercore columbino. Hac etiam de causa sæpiusculè illinatur oculus specifico illo ophthalmico *Hartmanni*, ex fellib. anser. gallin. & pauco mellis in vitro in linimentum redactis. Materia autem purulenta tam copiosa existente, ut omnino discuti nequeat, instituenda est punctura, & foramen ea magnitudine formandum est, ut pus illud commodè eximatur, & quidem punctio hæc in parte Corneæ instituatur, in qua tunicæ omnes concurrunt & terminantur, ad iridem videlicet, ubi tutius pungere licet. Prospiciendum quoque est, ut pus omne eximatur, ne quid residuum maneat humores & succos facilè inficiens, & novæ puris collectioni ansam præbens, quapropter si nec sponte nec levi pressione emanabit, siphunculus quidam foramini commodè est intrudendus, quo pus à famulo exsugatur, qui affabrè ita aptandus est, ut in medio ventrem quendam contineat, in quem pus exsuccum adinfluat, nec sugentis os cum nausea subintret, & ab ulteriore suctione molestia illa abarceatur. Pure tandem egesto, fiat ablutio vel aqua hordei cum melle rosaceo, vel sequente collyrio.

℞. *Aq. verben.* ℥ j.
Chelidon. maj. ʒ iij.
Succ. cent. min. ʒ j.
Thur.
Tut. pp. aa. ℈ j.
Myrrh. gr. vj.
Vitrioli alb. gr. iiij.
M.

Consolidatio solicitè instituatur, ne cicatrix adeo magna relinquatur, & adhiberi eadem hic possunt, quæ proximè in curatione vulnerum & ulcerum sumus propositurі.

Vulnus ergò Corneæ hujus tunicæ admodum providè debet tractari, quia est pars nervea, maximè proinde eò incumbendum est, ut circulus sanguinis & reliquorum succorum restituatur, atque acidum temperetur, & cùm vulneris hujus curatio consistat in unione partis membranosæ, soli naturæ, cujus id opus est, ea committenda, si enim succus nutritius, lympha & sanguis, benè constitutus sit, tanquam balsamus easdem partes divisas renuit, convenit ergo Decoctum vulnerarium. Chirurgus tantum hic applicet remedia membranosas partes consolantia, earundemque corruptionem ab acido inductam impedientia, qualia sunt vulneraria & balsamica, & hic, ut in aliis vulneribus, aer externus & peregrinus ante omnia arcendus est, nihil enim magis lædet quam aer & lumen, acidum enim inest aeri, quod vulneribus maximè infensum est, & acor semper est intensior in partibus nerveis, quam in aliis. Vulneribus oculorum columbæ sanguinem sub ala per V. S. emanantem oculo calidè immitte, postea Collyrium sequens oculo tepidè instilla. *Vulnus.*

℞. *Tut. pp.*
Aloes pulv.
Sief. alb. Rhas. aa. ℈ ß.
Aquæ rosar.
Plantag. aa. ℥ ij.
Vini rubr. ℥ j.
Mucillag. sem. phyll.
Tragacanth. aa. ʒ j. *M.*

Lac muliebre imponatur: Cataplasma quoque ex *pom. assat.* ℥ ij. *mucilag. sem. psyll.* ʒ ij. *farin. lini* ℥ ß. *opii crudi* ℈ j. *croci gr. v. vitell. ov. n. 1. M.*

Ad balsami ergò nutritivi & quasi glutinosi aciditatem impediendam & jam factam tollendam, & motum succorum conservandum, conducunt salia volatilia oleosa temperata, talia enim acidum corrigunt, ut sunt bals. Peruvian. bals. Sulphuris, ol. hyperic. terebint. ex gr.

℞. *Aq. veronic.*
Euphras.
Plantag. aa. ℥ ij.
Ocul. Cancror. pp.
Corall. pp. aa. ʒ j.
Sacchar. Satur. ʒ ß.
Tut. pp. ℈ ij.
F. Collyrium.

Suc-

Sacculi quoque imponendi sunt ex fœnogr. hyssop. flor. Chamomill. euphras. lavendul. &c. in vino cocti.

Temperata debent applicari, non acria, non acida, non urinosa, quia nervosis partibus sunt inimica, & magis acidum augent quam minuunt, nec applicentur acria volatilia, detergentia aut mundificantia dicta. Hic & laudantur Saturnina, imprimis ol. Saturni rubrum; si enim destillatur saccharum Saturni; prodit Spiritus, ol. flavum & rubrum, quod Chirurgis secretissimum est. Vel instilletur sequens:

♃. *Ol. dest. terebinth.* ℨ j.
Spir. vini ℈ j.
Camphor. gr. vj.
M.

Cnophelii experimentum ad dolores compescendos in oculorum vulneribus est sequens:

♃. *Pomor. dulc.* No. iij.
Coq. in s. q. aq. euphras. & rosar. ad mollitiem, traiiciantur per setaceum, pulpis trajectis add.
Sacch. ℨ ij.
Camphor. gr. v.
M. applicentur.

Aqua album. ovor. *Hartmanni*, vel cum aq. vero. & cherefol. parata laudatur, item succus in vesiculis ulmi collectus, de quo videatur *Henr. ab Heer. in obser.*

Omnibus aliis palmam præripit Columbæ sanguis calide oculis instillatus.

Laudat & *Burrhus* Romæ non ita pridem mortuus aquam Vitrioli Martis mysteriose paratam; alii aquam Chelidoniæ cum Camphora, ridicula hac ratione, quod hirundines obcœcatis pullis visum restituant sua chelidonia; quod tamen potius figmentum censemus.

Ubi simul aliquid in oculum illapsum fuerit, sive pulvis, sive festuca, sive musca, hæc manu Chirurgi ope instrumenti eximantur, & dein applicentur acidum absorbentia & demulcentia, ut sunt mucilag. sem. cydon. phyll. cum aq. appropriatis. Sic Dom. *Mutilliet*, Chirurgus aulicus noster experientissimus ex puellæ rusticæ 17. annorum oculo sinistro festucum sub tunica cornea, super pupillam infixam, forcipula feliciter exemit, & dein appositis collyriis & cataplasmatibus demulcentibus & traumaticis intra breve temporis spatium ægram curavit. Exemplum quoque novimus insignis vulneris oculi curati ope unguenti *Angeli Salæ* de cerussa Antimonii, & sequentis collyrii.

♃. *Sief. alb. s. op.* ℨ i ß.
Tut. pp. ℨ ß.
Thur. subtiliss. pulv. ℈ j.
Camphor. ℈ ß.
Crocii gr. iij.
Aq. plantag.
Rof. aa. ℥ ij.
M.

In vulnere corneæ ubi aliquid humoris aquei effluxerit, applicatur Corneæ jam flaccidæ sequens.

♃. *Album. ov.* No. ij.
Conquass. add.
Aq. plantag. ℥ iij.
Rof. ℥ j.
Boli Armen.
Terr. Japon. aa. ℈ ß.
Camphor. gr. ij.
M.

Per intervalla applicetur hæc mixtura, & patiens in loco obscuro detineatur. Humor aqueus à motu succorum ipso restituitur, quia humor ex propria glandula per proprium ductum ad oculum mittitur. Vide de his celeberrimum Anatomicum Haginiensem *NucK*, nunc Professorem Leidensem celeberrimum.

Oculos vulneratos saliva jejuna illita curatos fuisse testantur *Miscell. Med. Phy. Obs. 92. ann. 3.* ubi recensetur, adolescentuli cujusdam 12. annorum cuspide cultelli tunicam Corneam Uveamque ita vulneratam fuisse, ut notabilis quantitas humoris effluxerit, inflictum vulnus nullo alio quam matris saliva curabatur, mater enim diductis palpebris linguam saliva madidam vulneri admovebat, quo sensim ad curam perduxit, remanente tantum exigua cicatrice cum pupilla angustiore. Sic & *Hagendorn Miscell. Med. Phys. ann. 9.* sequentem historiam habet: Ancilla, casu quodam rupturam oculi experitur, qua humor oculi aqueus tam copiose effluxit, ut oculi figura, quæ antea globosa, jam collapsa appareat, cum hæmorrhagia, partium vicinarum tumore & intolerabili dolore; accersitus Chirurgus varia frustrà applicuit, tandem verò *Hagendorn* pulvisculum immisit ex Catechu, myrrha & sacch. canth. quo immisso & dein aquis ophtalmicis juncto, & calide in oculum instillato oculus pristinam recuperavit figuram, & patiens curata fuit.

Methodus nostra curandi ulcera corneæ.

Ut Corneæ *ulcerosæ* erosio tollatur, applicentur acidum corrigentia, consistit enim tota cura in hujus acidi mortificatione, in quem finem conveniunt saturnina, tutia, pompholyx, caput mortuum Vitrioli, & hic quoque detergentia & mundificantia non acria sed temperata eligenda sunt, ut balsamus Peruvianus. Esto formula una atque altera.

♃. *Aq. sambuc.* ℥ j.
Sp. salis Ammon. ℨ j.
Tutiæ pp. ℈ ß.
Antimon. diaphor. ℈ j.
Myrr. Campb. ana. ℨ j.
Guttulæ quædam oculo immittantur hujus mixturæ.

Vel instilletur sanguis columbinus.

♃. *Aq. plantag.*
Pomor. redolent.
Euphras. aa ℥ j.
Sacch. Saturni ℈ ß.
Mercurii dulc. gr. xv.
Camphor. gr. j.
F. mixtura vulneri applicanda.

Vel

♃. *Spir. vini camphorat.* ℥ j.
Balf. Peruvian. ℨ ß.
M. D.

His præmissis tandem ad vulneraria balsamica, sarcotica & epulotica dicta accedendum est. Hic conveniunt temperata & balsamica, de quibus abunde diximus superius in vulneribus, quæ tedet hic repetere. Infusum fl. balust. instilletur oculis variolis laborantium, ad exulcerationem eorum impediendam.

Ad aqueum humorem restituendum nihil aliud usurpandum quàm superius dictum modice adstringens, nam non aliud medicaminis genus hic necessarium, quàm quod muccagine quadam labia vulneris obliniat, & viam elabenti humori aqueo quodammodo præcludat, ne aqua de novo progenita per vulnus elaberetur; dein inflammatio arceri debet, & levi adstrictione extrema vasorum apertura claudatur quibus indicationibus jam dictum remedium absolutissime respondet: totius rei cardo in eo vertitur, ut aer arceatur à vulnere, aer enim incrassat succos circulantes, hinc non facile coit vulnus.

Interne etiam nonnulla adhibenda sunt ad promovendam curam externam. Præmissis ergo universalibus, præsertim Mercurio dulci & Antimonialibus, ut & Tinctura Antimonii in usum ducta, semper interponendi sunt oculi Cancrorum cum myrrh. corall. & quandoque cum aceto dest. propinati. Sic & conducunt omnia viperina, Spir. viperar. & earundem essentia, uti & omnia remedia ex lignis conveniunt, imprimis decoctum lignorum. Ubi excrescentia quædam carnosa super corneam tunicam adfuerit, præter interna etiam transeundum est ad externa, aquam scilicet ophthalmicam cum vitriolo albo & extracto Saturni & minii, qua tangatur excrescentia addito spiritu vitrioli vel alio caustico mitiori: Confer *Eph. Germ. Decur. 2. A. 7. Obs. 176.*

CA-

CAPUT XII.

DE UVEÆ TUNICÆ MORBIS,

Procidentia, Pupillæ dilatione, Angustia, & Suffusione seu Cataracta.

§. 1. NObili huic organo plures certè contingunt affectus, nunc videamus eos qui Tunicæ *Uveæ* contingunt. Debilitas enim visus non semper dependet ab oculis ipsis, sed sæpe lassitudo & debilitas est tunicæ Uveæ à spirituum animalium debiliori influxu orta, quæ Tunica, si objecta propinqua vel longinqua sunt, dilatatur & contrahitur à spiritibus animalibus, & si vitium sit in hac tunica, tunc læditur visus. Humor aqueus etiam aliquando turbidus existit & crassior, & nervus opticus in principio suo nonnunquam est obstructus, inde dependet pupillæ vel tunicę Uveæ laxitas & lassitudo, & per consequens, debilitas visus, qui fere semper est à tardiore motu succorum.

Procidentia. Uvea tunica *procedit*, quando Corneæ unitas solvitur, sive per ulcera, sive vulnera.

Eius species. Species ejus vulgo quatuor numerantur: 1. Dici solet *Myocephalus*, qua extra duram tunicam se exerens Uvea caput muscæ magnitudine refert, 2. *Staphyloma*, qua uvæ acinum, 3. *Malum*, qua pomum, 4. *Clavus*, qua clavi caput, ubi obducta cicatrice occalluit. Sed differentiæ hę vix à Practico felicissimo & accuratissimo observari possunt, quia entia præter necessitatem sæpe multiplicantur à veteribus.

Pupillæ dilatatio. *Pupillæ dilatatio*, Græcis Μυδρίασις, Α'ὔξησις vel Πλατυκορία dicta, est quando pupilla p. n. versus iridis circulum ampliatur.

Pupillæ angustia. *Pupillæ angustia*, Græcis Μύωσις est, quando illa angustior, quam naturaliter fieri debebat, redditur.

Suffusio. Suffusio, Græcis Υπόχυμα vel Υπόχυσις est visus læsio à particulis crassis acidisque, humori tum aqueo tum vitreo p. n. permixtis, eosque obscuros reddentibus inducta.

Pars affecta. §. 2. *Pars affecta* est Tunica Uvea, ob colorem uvæ ita dicta, quæ parte anteriore crassior est & duplicata, morbilis dicitur, & pro diversitate objecti & luminis contrahitur & dilatatur, anterior ejus pars est perforata in medio, ad specierum ingressum, ubi pupilla efformatur in homine rotunda, in quibusdam brutis oblonga. Quia verò Uveæ Tunicæ limbus varios habet colores, hinc oritur his vel circulus, qui variis conspicitur coloribus præditus, & ubi iridem constituit, nunc cærulea est, nunc cæsia, nunc nigra, & hæc tunica afficitur plerumque in ejus procidentia, in pupillę dilatatione ejusque angustia, in suffusione verò afficiuntur humores, aqueus ęquè ac vitreus, crystalinus verò, quia paulò solidior est, quam ut facilè materiæ peccantis particulæ in illum penetrare possint, ab hoc vitio immunis est; humores enim hi æque incrassantur & ad circulationem inepti redduntur ac alii.

Diagnosis Uveæ procidentiæ. §. 3. *Procidentia* Uveæ facilè *cognoscitur* ex ipsius prolapsu, & discernitur exinde, quod pars, quæ procidit, aut nigra aut cærulea est, & in fundo circulum album, qui à labiis Corneæ erosis est, exhibeat, & pupilla parte sui quadam divulsa appareat.

Pupillæ dilatationis. *Pupillæ dilatatio* cognoscitur ex eo, quod patientes seu propter nimię externi luminis copiæ in oculos incursum, seu obliquorum radiorum, qui perpendicularibus debiliores, casum, minus acutè videant, cùm aliquid intueri volunt, oculos nonnihil comprimant, & oculo uno clauso, alterius pupilla dilatari non possit.

Pupillæ angustiæ. *Pupillæ angustia* cognoscitur ex eo, quod vitio hoc laborantes ab externo luminis splendore, ut alii, non facilè offendantur, sed omnia intueantur majora, nocte vero adveniente, aut tempestate existente nubila & sub tenebris, minus & obscuriùs cereant ac cæteri, quod copiosiore luce ad visionem indigeant quam illi, qui latiore præditi sunt pupilla, unde vitium hoc *Nyctalopiæ* præ aliis causam præbere solet.

Suffusionis. Signa verò *Suffusionis* pro ratione principii, augmenti & perfectionis diversa sunt, pellicula aliquando albet, interdum nigra est vel castaneæ coloris, vel livida pro diversitate materiæ, ex qua generatur; hinc pelliculæ vulgo distinguuntur in maturas & non maturas. Maturæ dicuntur, cum patientes clauso oculo sano nihil vident oculo affecto, cum verò aliquid vident, dicuntur immaturæ. Objecta etiam in hac suffusione videntur apparere in aere volitantia & colorata hoc vel illo colore, & quoad objecta apparent vel alba vel nigra, hinc vocant suffusionem, *den graven oder schuvartzen Staar*; quia eundem motum faciunt in nervo optico, qui in oculo sano à talibus objectis fieri solet, & cum hæc pellicula planè opaca redditur, tunc matura dicitur.

Rarum est, quod dum hęc scribo, in puero unius anni observavi, cuius mater tunc temporis gravida, intuens hominem quendam ebrium oculos invertentem, inde perterrita peperit puerum prædictum duas pelliculas in binis oculis habentem.

Ætiologia iuxta Galenicos in Uveæ procidentia. §. 4. Sequitur resolutio *causarum* quam *Galenici* ita instituunt, ut circa *Procidentiæ Uveæ* causam cum reliquis ferè cunctis, adeoque & nobis eandem foveant sententiam, quam postmodum §. 10. percipiemus.

In pupillæ dilatatione. *Pupillæ dilatationis* causam frequentiorem ponunt externam & violentam, ictum videlicet, casum, vulnus &c. unde Cornea vel Uvea relaxatur, item humores copiosos & conatum magnum, à quibus Uvea distenditur.

In angustia. *Angustiæ* ejus causam dicunt contractionem Uveæ, ab exsiccatione ut plurimum, ut in senio fieri consuevit, oriundam, vel etiam à nimia humiditate, unde Uvea circumferentia ad centrum contrahantur.

In suffusione. *Suffusionis* causam statuunt obstructionem pupillæ, ut spiritus animales transire nequeant, factam ab humore quodam à cerebro ad illam affluente & ibidem crassescente, unde humor albugineus similiter crassior redditur, sive vitio stomachi, sive cerebri, humor ille producatur, qui pro diversitate crassitiei diversos efficiat gradus, ita ut stabilis, crassus & copiosus omnimodam *Cæcitatem*, paucus verò, rarus & æquabilis *Visus imminutionem*, & denique vagus atque per partes raras & crassas diffusus, varias pariat imagines ob oculos volitantes.

Paracelsi opinio de causa Uveæ procidentiæ, pupillæ dilatationis & angustiæ. §. 5. *Paracelsus* causam *Procidentiæ Uveæ*, & *Dilatationis* & *Angustiæ Pupillæ* ipsi adscribit formæ naturaliter in re quadam viva & rotunditate consistenti, sed hic corruptæ & à re violenta in vitiosam transmutatæ, adeò ut disrupta Cornea, exeat ultra debitum terminum ipsa Uvea, vel hæc nimium distendatur aut constringatur.

Suffusionis. *Suffusionem* seu *Cataractam* ex materia promanare statuit, dum Mercurius, Sulphur, & Sal invicem resolvuntur, & ipsi humori aqueo se immiscent & vitreo obducuntur, unde perspicuitas iisdem adimitur.

Helmontii de morborũ horum causis sententia. §. 6. *Helmontius* quoad *Uveæ procidentiæ*, *Pupillæ dilatationis* & ejusdem *Angustiæ* causas reliquorum sententiis facilè subscribit, *Suffusionem* verò seu Cataractam oculorum è latice corrupto oculorum scaturire autumat, quando hic vel digestionum vitia reperiat, vel aliena secum ad oculos deferat, utpote ex instituto alienos partium defectus combibens, à quibus spiritus vitalis lumine suo privatur & obscurior redditur.

Secundùm Vuillisium causa Pupillæ dilatationis. §. 7. *Vuillisius* in *Pupillæ dilatatione*, quæ non est à primo ortu, ut causam accusat vel humores copiosius illabentes & aqueum augentes, vel spiritum animalium impetuosum influxum, vel externas violentias, lapsum videlicet, percussionem, aut spiritus retentionem.

Angustiæ. *Angustiæ* ejus causam statuit vel humoris aquei defectum, unde tunica Uvea non satis humectetur & relaxetur, sed siccior fiat & corrugetur, atque pupillæ foramen angustetur; vel spiritum inopiam, quo

quò fit, ut pariter flaccescat, & foramen istud reddatur angustius.

Suffusionis. *Suffusionis* causam ponit humorem crassum, viscidum, utplurimum cum liquore nervoso humori aqueo aut crystallino illatum, eosdem obscurantem, & simili tenacitate & crassitie inficientem.

Sylvii opinio de causa dilatationis & angustiæ pupillæ. §. 8 *Sylvius* in *Angustia* Uveæ causam constituit humoris aquei exsiccationem, ex defectu ejusdem humoris cum sanguine per arterias ad oculum delati, uti in *Dilatatione* ejusdem humoris nimiam copiam & pelluciditatem.

Suffusionis. *Suffusionem* produci vult à pituita viscidiore, quacunque de causa genita, attenuata & sanguini confusa, atque una cum hoc ad oculos per arterias delata & in humore aqueo imprimis hærente ipsumque obscurante, usque dum magis magisque accrescens, iterùmque concrescens ac coagulata circa pupillam constituentem uveam, vel ex parte, vel in totum lumini externo, ac imprimis speciebus visibilibus transitum deneget, sicque cœcitatem tandem inducat. Viscidam autem hanc pituitam in corpore generari credit ab alimẽtis similibus augeri à tristitia & metu, commoveri ab iisdem affectibus iræ præsertim copulatis, item aere conturbato aut æstuante, vigiliis protractis solicitudinibus, corporis motu vehementiore, &c.

Juxta Cartesianos causa pupillæ dilatationis & angustiæ. §. 9. Secundum *Cartesianos* ipsa *Dilatatio pupillæ* originem habet à spirituum animalium & humoris aquei copia majori, unde tunica Uvea expanditur, sicut ejusdem *Angustiam* ab eorum defectu utplurimum contingere existimant.

Suffusionis. In *Suffusione* accusant particulas crassiores & terrestriores ex arteriis ocularibus emissas, in humoribus oculorum primò obvolitantes, & radios lucis diversimodè reflectentes, tandem verò cum ramosis particulis sibi invicem implicatas, & versus aliquem oculi angulum propulsas ibidem flamina componentes alicujus tunicæ, quæ temporis tractu ex particularum novarum accessione augeantur & incrassentur, donec in solidissimam degenerent membranam, oculum totum involventem, & homini visum adimentem.

Nostra sententia de causa Uveæ procidentiæ. §. 10. Nunc ex *nostra* sententia ætiologiam morborum horum formabimus, & quidem *Procidentiæ* causa unica est Corneæ ruptura aut vulnus, vel à vi externa, & ita continui solutione facta, vel ab acrimonia humorum, in variolis potissimum, tunicam istam Corneam erodente, quam diruptam Uveæ hic prolapsus facilè sequitur.

Pupillæ dilatationis. *Pustulæ dilatationis* causa oritur utplurimum à relaxatione Uveæ, cujus illa foramen est, ex fibrillarum laxitate spirituum animalium inopia, & humoris aquei defectu seu ob externas, seu internas causas producta, potissimum verò hæc dilatatio fit à causis externis, ut percussione, casu ab alto, &c. sic à flatibus hanc dilatationem pupillæ observavi in tubicine.

Pupillæ Angustiæ. *Pupillæ angustia* oritur à motu convulsivo sive contractione spasmodica, cùm pupilla sic angustior reddatur. Quandoque etiam à spirituum animalium ad pupillam denegato influxu; hinc pupilla labascit & angustior redditur imprimis ab obstructione.

Contorquetur aliquando in convulsionibus per consensum, desinentibus enim spasmodicis insultibus, partium reliquarum corporis cessant etiam strabismi.

Suffusionis. *Suffusio* seu *Cataracta* oritur à particulis crassioribus, humoribus, aqueo scilicet & vitreo, innatantibus, eosque incrassantibus, quæ radios solares, vel impediunt in eorum progressu, vel eos deflectunt, vel rotationem globulorum imminuunt, vel contra augent, quare objecta videntur apparere in aere volitantia & colorata hoc vel illo colore, quia etiam eundem motum faciunt in nervo optico, qui in oculo sano à talibus objectis fieri solet. Facile enim fieri potest, ut particulæ hæ crassiores humoribus supra dictis innatantes, sibique invicem adhærentes, mussulas quasdam parvas efforment, quæ si tenacitate sua tunicæ Corneæ adhæreant, primò visus debilitatem inferunt, posteà aliis semper accedentibus particulis ramosis tunicam seu pelliculam quandam raram faciunt, visumque magis arcent; aucta tandem hæc pellicula penitus opaca redditur, & nullos amplius poros habet, ut radii admittantur, hinc totalis cœcitas inducatur necesse est. Sic affectus hic facilè à sanguine scorbutico multis salinis viscidis & sylvestribus particulis inferto oboriri potest, à quibus tubuli arteriarum ita aperiuntur, ut particulas has justo crassiores emittant. Hic & possunt suum symbolum addere res p.n. & res non-naturales vulgò ita dictas, de quibus paulò infrà agemus.

Prognosis Uveæ procidentiæ. §. 11. *Procidentia* Uveæ tunicæ difficilis curatu est, imprimis in senibus, facilius curatur in subjectis commodioribus. Si ab ulcere vel vulnere majore, tum vix curationem admittit.

Pupillæ dilatationis. Sic & *Pupillæ dilatatio*, si est cum inflammatione, curatu est difficillima, ut & si sit cum ruptura Uveæ; si verò hæc est sine inflammatione atque ab humiditate, hujus curatio felicius succedit.

Pupillæ Angustiæ. Quod si *angustior* reddatur pupilla ob vitiosam conformationem, aut deficientibus spiritibus, pessimum est signum; si verò ob humiditatem laxior reddatur, spes adhuc superest curationis.

Suffusionis. In *Suffusione* spes curationis affulget, cùm æger non plane cœcus est, cum pupilla sana dilatari & constringi potest, tunc enim partes oculi adhuc sunt mobiles, quod semper bonum est signum.

Curatio verò est difficilior, si scilicet ex febre aut vehementi cephalæa accidit, si in pueros vel senes incidit, si suffusio est nigra, si æger lumen vel nihil cernere potest; quo enim visus magis læditur, eo majus periculum & minorem spem curationis præ foribus esse, nullus recusabit, præsertim ubi affectus diuturnitas accedit, qua mediante causa proxima viscosior, forsan etiam copiosior evadit, quodque etiam probant juvantia, ut quisquis manum adhibens experietur. Tempus anni, ætatem, sexum, vitæ genus, causas remotas omnes & sex res non-naturales dictas nunc prodesse, nunc nocere curationi, omnes percipiunt.

Diæta. §. 12. Postquam de his affectibus, eorum causis, generatione atque signis, tam diagnosticis, quam prognosticis, satis superque ad affectus notitiam interea explicatis egimus, ad curationem & quidem ex fonte *diætetico* deprompram progredimur.

Diæta ergò talis instituatur, ut curationem nunquam impediat, sed omni tempore promoveat.

Aer ut corpus humanum conservat & in melius alterat, ita quoque pro diversa in eo excedente qualitate corpus diversimodè afficit: in genere omnis frigidior & luminosus fugiendus, quia ille poros nimis constringit, hic vero poros arteriarum in oculo nimis aperit, ut particulæ crassæ in oculi humorem facilius irrumpere possint, hæ enim qua data porta ruunt; sit ergo aer hic temperatus absque nebula & fumo.

Cibus & potus dispositionem corporis nostri & humorum pariter immutant, in his affectibus itidem sit cibus conveniens, facilis concoctu, nimis frigida non tantum hic sunt fugienda, sed etiam omnia nimis acida, quia in suffusione potissimum poros arteriarum oculi nimis adstringere possunt, & sanguini motũ minorem conciliare: concedẽda tenuis cerevisia defecata & medicata appropriatis stomachicis, tũ radicibus, tũ herbis atq; seminibus

Quemadmodum *Somnus* moderatus ad humanam sanitatem conducit, & plane intermissus producendo vel saltem augendo in corpore crassiores particulas magnam noxam eidem inducit; ita quoque *Vigiliæ*, quas si sint nimiæ, acriores particulas, lymphamque minùs temperatam posse efficere, nullus dubitabit.

Sic quoque *Motus & Quies*, *Excreta & Retenta*, si suo haud fungantur officio, ansam huic affectui præbere posse nemo inficias ibit, ut & *animi pathemata*, spiritus enim animales per hæc motu nimio dispersi, plura incommoda inferre possunt, eosdemque incrassando & ad motum ineptos reddendo.

Cura Pharmaceutica & Chirurgica Galenicorum in Uveæ procidentia. §. 13. Nunc ad fontem *Pharmaceuticum & Chirurgicum*, ordine nobis proposito pergamus, & quidem aliorum prius de curandi hosce affectus ratione percipiemus sententias, postmodum & nostram addituri.

Galenici autem in *Uveæ procidentia* ad statum naturalem reducenda utuntur adstringentibus & repellentibus,

bus, omni carentibus asperitate, ut sunt, quæ ex bolo armena, albumine ovi, flor. acac. rosar. cort. granat. plantag. rosar. conficiuntur; quibus si curari nequeat, ad manus operam, non tam visus restituendi, quam indecoræ figuræ emendandæ gratia, confugiunt, eamque diversimode instituunt, vel enim acu duplex filum ducente ad radices per medium transeunt, & alterius fili duo capita superius, alterius verò inferius inter se adstringunt, ut paulatim secando id excidant, vel instrumento in summa parte procidentiæ ad magnitudinem lenticulæ eam exscindunt, & spodium aut cadmiam infricant, albumen etiam ovorum lana exceptum peracta hac administratione imponunt, vapore aquæ calidæ oculum fovent, & medicamentis lenibus eundem inungunt.

In pupillæ dilatatione.

Pupillæ dilatationem à causis violentis factam, cum magno humorum affluxu, corrigere tentant præmissis universalibus evacuantibus, ipsa emissione sanguinis tum è venis temporum, tum ex illis, quæ in angulis oculorum conspiciuntur, hinc cucurbitularum in occipitio, & hirudinum post aures applicatione, & denique medicamentorum resolventium & adstringentium adhibitione, quæ inter præ aliis aquam salitam maximopere laudant; à flatibus si sit causata, eosdem præcipiunt discutiendos.

Pupillæ angustia.

Pupillæ angustiam ab exsiccatione nimia causatam, humectantibus & nutrimentum copiosius allicientibus emendant, lacte nimirum & aqua dulci capiti admotis, quin ipsi etiam oculo; à nimia verò humiditate obortam siccantibus corrigere student, ut ruta & chelidonia.

In suffusione.

Ut *Suffusionis* incipientis incrementum cohibeatur, omne adhibent studium, proinde venam secant in cubito, vel etiam in fronte, materiam obstruentem educunt clysteribus acrioribus aliisque purgantibus, præsertim hiera picra & diacolocynth. quapropter sequentes pilulas magno habent in pretio.

℞. *Pulv. Hier. picr.* ℈ ij.
Diacolocynth. ℈ j.
Cum s. q. succ. fœnic. F. Pilulæ
Capiat hora somni, & die decimo quarto easdem repetat.

Laudant etiam pilulas lucis majores, Cochias, &c. Cucurbitulas cum scarificatione revulsionis gratia occipitio affigunt, quas tamen alii omittendas suadent, ne parte spirituosa exhalante, crassior remaneat, apophlegmatisantia verò frequentius volunt usurpanda, & caput corroborantia, quibus sequens constat electuarium:

Conserv. anth. ℥ ij.
Ros. ℥ j.
Spec. diamarg. calid. ʒ ß.
M. Capiat duabus vicibus vel per se, vel in aq beton. aut fœnic. dissolutum.

Post hæc ita usurpata accedunt ad collyria, ex quibus in principio eligunt ea, quæ ex succis rutæ, fœniculi, chelidoniæ & melle similibusque conficiuntur, nec non ex fellibus animalium. Nonnulli sequens linimentum singulariter commendant:

℞. *Annunc. pp.* ʒ i ß.
Thut. pp. ʒ ij.
Omphac. inspissat. ʒ i ß.
Sacch. canth. ʒ ii ß.
Cum mucilag. sem. fœnigr. ʒ v.
Excip. & in Linimenti formam redigantur.

Non minoris efficaciæ judicatur illud quod ex baccis lauri in urina pueri tritis & expressis cum mucagine tragacanth. paratur. Quando verò suffusio in tantum acrevit, ut medicamentis ejusmodi corrigi nequeat, ad Chirurgiam & punctionem acu faciendam accedunt, eamque matura existente suffusione, id est, eo tempore, quo non confluere, sed duritie quadam concrevisse videtur, instituunt, ægro prius convenienter præparato, modico cibo & triduo sola aqua uso, pridie verò ab omnibus abstinente. Modus administrandi inferius pluribus edocebitur.

Paracelsi cura in Uveæ procidentia.

§. 14. *Paracelsus* medicamentis suo more præparatis multum attribuens efficaciæ, in *Uveæ* quoque *procidentia* magno extinturam juvamini thutiam suam magistralem nullatenus ambigit, siquidem hujusmodi se ea curasse testatur affectus, de quibus Medici alii, etiam ex professione oculares, penitus desperaverant.

Pupillæ dilatatione & angustia.

In *Pupillæ dilatatione* ipsum lythargyrium præparatum & vitriolum album non omninò frustra adhibitum iri confidit, ut in ipsius *Angustia* succum Chelidoniæ & fœniculi.

Suffusione.

In *Suffocatione* ut concretum illud humori aqueo obductum denuò resolvatur, & perspicuitas restituatur, sequens maximè laudat collyrium:

℞. *Vitrioli alb.*
Alum. sciss.
Thut. extinct. aa. ʒ j.
Liquor. euphrag. ℥ vj.
Camphor. trit. ʒ i ß.
Reduc. in liquidam substantiam super porphyritide,

Quo liquore cataracta aliquando est illinenda. A copiosioribus tamen & fortioribus corrosivis abstinendum esse admonet, & potius omnia ex consumptivis paranda, quin occipitio cauteria ex calce viva & cineribus applicari præcipit: inveteratam verò cataractam medicamentis radicitus tolli posse planè negat, sed instrumento opus esse contendit & manu periti Chirurgi, quæ operatio postmodum patescet.

Helmontiana ratio hosce morbos curandi.

§. 15. *Helmontius* ad particularem etiam hanc *Uveæ procidentiam* utiliter adhiberi promittit pulverem ex scarabæis siccatis, uti ipse oculus prolapsus eodem haud difficulter reponatur. In *Pupillæ dilatatione* & *Angustia* corrigendis non admodum est sollicitus. *Suffusionem* verò non nimis inveteratam emendari credit ipsa aqua stercoris humani, succo chelidoniæ, hieracii & liquore ex hepate piscis mustelæ, vetustiorem committit Chirurgis.

Willisii modus curandi Uveæ procidentiã

§. 16. *Willisius* uti *Procidentiæ Uveæ* curationem admodum difficulter obtineri posse existimat, ita pauca tentanda vult remedia, eaque subadstringentia, ex succo cydonior. thut. pp sarcocoll. & mucilag. tragacanth. Chirurgos prudentes requirit & in casu hoc valde exercitatos, ne temere nimis partem hanc tenerrimam tractantes, ei majus inferant damnum, quam emolumentum.

Pupillæ dilatationem.

In *Pupillæ dilatatione*, à nimia humorum copia exorta educentia lympham & exsiccantia ex lignis aliisque convenientibus parata commendat; à spirituum nimio influxu inductam, eorundem sedatione per margaritas & corallia pp. Vitriolum Martis, aqu. rosar. paralys. jaceæ, spir. fulig. Syrup. portulac. &c. corrigit, externè subadstringentia admovendo ex thut. ros. rubr. siccis, cort. thuris, &c. paratis. Quæ ab externis causis violentis illata est, eam communi cura cum contusione tractandam esse judicat.

Eius angustiam.

Angustiam ejus ab humorum defectu oriundam corrigit humectantibus remediis & lympham augentibus, quo humor aqueus incrementum recipiat, diæta humida, jusculis carnium juniorum animalium, julapiis & apozematis restaurantibus rad. gramin. acetos. liquirit. fol. endiv. lactuc. nymph. lujul. flor. borrag. eorundemque aquis, ut & limacum, cancrorum &c. laudat. Si à spirituum defectu ortum habeat, eosdem restitui & augeri vult Spiritu C. C. cerasor. nigr. Tinctura succini, aquis rutæ, fœnic. majoran.

Suffusionem

Suffusioni emendandæ plurimum convenire censet, ut in principio statim humoris crassi affluenti copia minuatur pilulis de succino, lucis majoribus, &c. hinc attenuetur & resolvatur internè per decocta salviæ, betonicæ, rorismarini, fœniculi, externè fotibus ex decoctis herbarum quarundam specificarum, ut chelidoniæ, rutæ, euphrag. fœnic. chærefol. flor. melilot. chamomill bacc. lauri: si verò tenacior sit, ut adeò facilè resolvi, attenuari & discuti nequeat, fortiora aliquantum incidentia & abstergentia subjungit, ex succis rutæ, chelidon. maj. centaur. min. conizæ, aqu. mellis,

me[..]llis, lixivia prædictarum herbarum, in quibus radix v[..]lerian. asar. fol. lauri, & semen rutæ fuerint incocta, f[..]ella animalium cum aloe & croco; at cùm suffusio ita induruit, ut nullis resolvi possit medicamentis, ægros committit ophthalmicis operatoribus, ut pellicula condensata acu pungatur, &, si possibile sit, omnino decutiatur, quo patiens oculus ab ea liberetur & visum recuperet.

Sylvii sententia de curatione Uveæ procidentiæ.

§. 17. *Sylvius* in *Uveæ procidentia* curanda non adeo se gerit occupatum, cùm visus restitui nequeat, saltem decori reconciliando ab aliis incumbatur pauca tamen subadstringentia oculo inspergenda concedi, ex thutia, spodio usto, margaritis pp. &c. Chirurgicam operationem cautè vult peragendam.

Pupillæ angustiæ.

Angustiam Pupillæ ab exsiccatione humoris aquei ortam corrigi posse contendit fotu aquæ dulcis tepidæ oculo admoto, & usurpatis alimentis solito magis aqueis. Debilitati visus inde productæ succurri arbitratur perspicillis mediocriter convexis ac valde perspicuis.

Pupillæ dilatationis.

Dilatationem Pupillæ emendat exsiccantibus, & aquosos humores blandè consumentibus oculo adhibitis, visus autem imbecillitati ex hoc vitio pronatæ perspicillis cōcavis succurri posse aliis persuadere conatur.

Suffusionis.

Suffusio, ut præcaveatur, in eo penè totus est, quo pituita viscida medicamentis incidentibus & attenuantibus, adeoque sale volatili prædictis, corrigatur, radicibus nempè valerianæ, apii, fœniculi, chelidon. herb. majoran. euphras. rutæ, sem. fœnic. carvi, siler. mont. oxymelite simplici & squillitico, syrupo stœchad. absint byzantino, &c. Quando verò tardius corrigi possit pituita hæc viscida, & simul nimia ejus adsit copia, eandem penitus vult tollendam & evacuandam medicamentis phlegmagogis tum vulgaribus, tùm chymicis, & præsertim mercurio dulci, vel pilulis suis magistralibus sequentibus.

℞. *Gumm. Galban. cum acet. scyllit pp.* ℥ j.
Mastich. elect. ℥ ß.
Castor. opt.
Myrr. rub. aa. ℈ j.
Carab. alb. gr. xv.
Croci select. ℈ ß.
Trochis. aliband. ℈ j.
Ol. fœnic still. gt. vj.
M. F. Pilulæ No. 50. deaurandæ;

De quibus æger alternis diebus una vel altera post cœnam modicam hora 3. 4. vel 5. accipere debet, ut sequenti die manè semel in alvum deponat. Post hæc in discutiendis flatibus à pituita illa productis, tum per interna, tum externa, ex superioribus jam nota, discutiendis omnem locat operam, cum per experientiam sibi notum sit, salem volatilem sufficiente aquæ quantitate dilutum & oculis applicatum discutere tandem halitus oculis conclusos, sicque humores ipsorum atque visum clarificare. At ubi vel per negligentiam cataractæ præcautio fuerit intermissa, vel eadem nullo modo valuerit impediri, ipsius indurationem seu maturationem suadet patienter expectandam, qua tandem, & requisita ejus soliditate obtenta, acu argentea rotunda oculum in parte exteriore vult perforandum, & cataractam sensim ab uvea liberandam deorsumque depellendam, donec tum lumen, tum objecta externa dignosci possint ab ægro, quo facto mixtura ex ovi albumine atque alumine simul in vase terreo tritis parata & cannabe excepta, oculum præcipit devinciri, ægrumque per aliquot dies in dorso decumbentem quietum servari, quo subsidens cataracta non elevetur denuò, visumque offuscet.

Juxta Cartesianos Curatio Uveæ procidentiæ.

§. 18. *Cartesiani* curationem *Uveæ procidentiæ* admodum pronunciant difficilem, & non nisi in duabus speciebus, & quidem in ipsis illis vix adhuc specialem, *Myocephalo* videlicet, & *Staphylomate* incipiente, in confirmato verò, item *Melo* & *Clavo* nullo modo medicamentis impetrari posse, sed ornatus reconciliandi gratia ope Chirurgica vitia ista curanda esse existimant, reliquis subadstringentia quædam lenia adhibentes, ex aqua flor. cyani, calcatrippæ, albumine ovorum, pulvere lumbricor. C. C. ust. & subtilissimè pulverisato, thut. sarcocoll. myrrh. & oleo rubro Saturni.

Pupillæ dilatationis.

Pupillæ Dilatationem à nimia spirituum copia exortam corrigi posse concedunt, si Sylviano more oculus præmuniatur perspicillis concavis, ut radii colligantur, ne spiritus adeò fortiter dispergant, tum oculis parcendo ne frequentius objectis præfulgidis obvertantur, ut spiritus recedant & quietiores fiant, vocatis simul in subsidium collyriis quibusdam temperantibus & figentibus ex aqua rosar. semperviv. plantag. cum pauco vitrioli albi & margaritis, vel oculis cancror. pp. Ab humoris aquei nimia copia dependentem corrigunt exsiccantibus ex lignis, radice valeriana, chelidonia, herbis majoran. beton. rorismarino, &c. cucurbitulis cervici & post aures applicatis, quin vesicatoriis, frictionibusque linteis succino infumatis perficiendis.

Pupillæ Angustia.

Pupillæ angustiam subcontrariis corrigunt remediis, in defectu namque spirituum, eorundem reparationi incumbunt volatilibus & spirituosis intus & foris adhibitis, vino videlicet euphrasiato, ejusdem essentia, Spiritu salis Armoniaci fœniculato, elæosaccharo sileris montani, macis, sale volatili C. C. aliisque ex superioribus jam cognitis. Humoris aquei defectum quomodo resarciri posse censeant, ex sequente cognoscetur capite.

Suffusionis.

Suffusio incipiens ab ulteriore sui concretione, si possibile est, revocari debet discutientibus, ut succo fœniculi, chelidoniæ, anagallidis, marrubii, verbenæ, Spir. vini, sal. Armoniaci, Aqua cancrorum, consolidæ regalis, rutæ, mellis, valerianæ, nepethæ, fellibus variorum animalium; internè spirituosa adbibenda, penetrantia & similiter discutientia, ut spiritus euphrasiæ, rutæ, salis Armoniaci succinatus, Essentiæ Valerianæ, chelidonii, rorismarini, Conservæ majoranæ, rorismarini, & salia dicta volatilia: si concretio in tantum processerit, ut discussio nullum ulterius habeat locum, ejusdem resolutio & dissipatio tentanda venit, primo medicamentis fortioribus, additis ante, jam nominatis discutientibus, lixiviosis videlicet & acriusculis, lixivio sarmentorum vitis, liquore hepatis mustelæ, aqua stercoris humani; ex urina pueri & vitriolo, liquore acido perlar, *Mynsicht.* oleo myrrh. aloe, vitro Antimonii, Vitriolo albo, aliisque: Si tandem adeò sit confirmata, ut ne his quidem medicamentis resolvi queat, eandem bene maturam submittunt acui, quam operationem & præcedens paragraphus jam descripsit, & sequens plenius adhuc edocebit.

Nostra sententia de modo curandi Uveæ procidentiã.

§. 19. Nunc ordo *Nos* tangit, ut pluribus videamus, quæ in *Procidentia Uveæ* juxta *nostra* fundamenta conveniant, in qua commodè adhibentur modicè adstringentia, ut membranæ relaxatæ iterùm firmentur, vulnus vel ulcus consolidetur jam sæpius dictis remediis; In Uveæ Procidentia præ aliis à pluribus commendatur aqua album ovor. cum sucino; nostra experientia convenit pannus scarlateus vino rubro intinctus vel alii aquæ adstringenti, & sæpe oculis tepidè applicatus; aluminosa hoc in casu non negligenda sunt, imprimis hìc opem affert thutia quocumque modo applicata. In tali protuberantia conducit cataplasma ex pulv. rosar. myrtill. balaust. fl. chamomill. melilot. herb. beton. euphras. farin. fabar. & hord.

Pupillæ dilatationem.

In *Pupillæ dilatatione* post aures applic[e]ntur calidiora. Ubi opus est exsiccatione, convenit Essentia lignorum. Si à flatibus, conducit Spir. anticol. cum essent. Ophthalm. vel potest misceri cum Spir. salis Nitri, cum Spir. euphras. Essentia lignorum cum Spir. rutæ mista commodè usurpatur.

Pupillæ Angustiam.

Angustia Pupillæ curatur pro diversitate causarum. Hic in genere conveniunt corroborantia, ut sunt helenium, valeriana, herb. euphras. rosmarinus, melissa, &c. Si à spirituum influxu denegato, conveniunt omnia spirituosa, Aqua Regin. Hungar. Sp. vin. Spir. euphras.

Suffusionem.

Curationem *Suffusionis* quod attinet, ea ex nostra sententia dupliciter venit instituenda; alia enim requiritur, ubi affectus adhuc producitur, alia ubi jam productus est: ubi affectus producitur, iterùm variatur, pro varietate causarum proximarum, remotarum variè peccantium, atque sex rerum non-naturalium, vulgo sic dictarum, malè usurpatarum; ubi vero jam pro-

productus est, itidem variè instituitur propter materiæ, causæ suffusionis multifariam diversitatem. Cautè ergò & sedulò allaborandum, ut materiæ causæ proximæ Suffusionis generatio ulterior impediatur; si ergo motus tardior sanguinis adsit, ante omnia hæc acceleranda venit: hinc conveniunt varia acida absorbentia, antequam ad medicamenta externa seu Chirurgiam cum successu accedere possimus, imprimis sequentes Pilulæ ophthalmicæ dictæ superius, vel sequentes.

℞. *Extract. pil. de succin.* ℈ß.
Cathol. gr. xv.
Diagrid. Sulphurat. gr. v.
Sal. succin. vol. gr. iij.
Euphras. gr. ij.
Ol. fœnic. gt. ij.
M. F. Pilulæ.

Vel detur pro re nata apozema, quod in sanguinis crassitie plus efficit, quam medicamentum in forma pilularum exhibitum: dein usurpetur sequens vel simile apozema.

℞. *Herb. Chelidon.*
Verben.
Euphras. aa. M. j.
Ras. lign. Guajac. ℥ j.
Rad. Chinæ
Salsæparill. aa. ʒ x.
Liquirit. ras.
Tartari crud. aa. ℥ ß.
F. infusio calida per horas 12. *in vino,*
F. Decoctio lenta. Colat. ℔ iv. *add.*
Oxymel. squill. ℥ i ß.
Salis euphras. ʒ j.
Spir. salis Armoniaci ℈ ij.
Aqu. vit. Matthiol. ℥ i ß.
M.

In crassis humoribus incidendis optimè conducit ejusmodi apozema per 6. vel 7. dies usurpandum, & tunc pilulæ supra scriptæ interponendæ sunt; materia enim ante omnia attenuanda est, dein aliquando decoctum sudoriferum exhibendum vel varia salia volatilia, potus Theè, &c. fumus tabaci internè detur essent. Mumiæ alcal. Elix. propr. alcal. sal. volat. oleos. Essent. Viperar. &c. Omnibus externè præfertur aqua Ophthalm. *Querc.* ex croco metallor. ut & aqua benedict. *Ruland.* nec omittenda sunt vesicatoria, fonticuli, & setacea.

Si adhuc spes appareat rudimenta suffusionis discerpendi & attenuandi, instituantur varia incidentia & attenuantia, tum per jam dicta interna, & nunc dicenda externa; parentur ergò in hunc finem varii fotus, ex. gr.

℞. *Herb. euphras.*
Fœnicul.
Chelidon. maj. aa. M. j.
Verben.
Flor. chamomill.
Sambuc.
Melilot. aa. M. ß.

Decoq. in vino, & vapor ex ferventi hoc decocto in oculos excipiatur; cùm jam deferbuit, sub forma fotus adhibeatur, vel collyrium hoc oculo affecto aliquoties mediante linteolo aliquo puro applicetur, quod magnarum est virium:

℞. *Aq. fœnic.* ℥ ij.
Regin. Hung. ℥ j.
Spir. salis Armoniaci gt. xij.
M. F. Collyrium.

Quod si salia volatilia solo Spir. vini rectificato diluantur, summo cum successu operantur: hinc

℞. *Spir. pan.* ℥ j.
Aq. rosar. ℥ ij.
Salis Armoniaci gr. vj.
M.

Nonnulli commendant panem cum herbis cephalicis subactum & coctum, ex quo in medio discisso & ex furno recens extracto vaporem calidum oculo excipiunt. Sic quoque ex herbis cephalicis aliisqu e particulis balsamicis & mollibus constant, cataplasmata parari & oculo affecto imponi possunt. Ex. gr.

℞. *Herb. euphras.*
Verben. aa. M. ij.
Flor. Chamomill. M. j.
Sem. Fœnic. ℥ ß.
Aloes ʒ ij.
Coq. in lacte, & dein add. Croc.
M. F. Cataplasma.

Ad suffusionem à Dn. Muys. & aliis laudantur infusio croci metallorum in aqua chelidoniæ, spir. panis siliginei, vapor spir. salis Armoniaci, Sal volat. oleosum cum aq. mixtum, aqua mellis, extractum chelidoniæ in aqua solutum, fumus succini, aliaque: sic ex calce viva & sale armoniaco quidam globulos parant, quos in aquam coniiciunt, ut ita fumus inde excitatus per infundibulum perveniat ad oculos: quidam cataractam & sugere conati sunt, sed frustra.

Sequens aqua ophthalmica in pluribus oculorum affectibus, imprimis hoc in casu, est experientia multa comprobata, in quem finem junioribus Medicis eam communicare volui.

℞. *Rad. Caryophyll.*
Fænic.
Angel. aa. ℥ ß.
Chelidon. maj. cum toto M. j.
Herb. Euphras. M. v.
Salv.
Beton.
Hyssop.
Fænic.
Veron.
Verben. aa. M. j.
Ruthæ M. i ß.
Flor. lavend.
Caprifol.
Buglоss.
Rosar. aa. M. ß.
Sem. siler. mont.
Fænic.
Hepat. hircin. san. ℥ i ß.
Aq. vitis non acid. & plantag. aa. q. s.
Stent mixta dieb. 4. *postea s. a. destill. ad* ℔ j.

De qua aqua Ophthalmica 3. vel 4. guttulæ oculo affecto instillentur, frons quoque & tempora ea sæpe illinuntur.

Sanguis quoque animalium, præsertim columbarum, oculo instillatus à pluribus laudatur, ut & ipsi pulli vivi dissecti & oculo applicati, quia multo sale volatili gaudent; ad particulas crassas & coagulatas abradendas & discerpendas conveniunt varia amara, præ aliis laudantur aloetica, & fel carpionum piscium aliorumque animalium, quia sale suo penetrare & cuticulam abradere possunt. Hic & conveniunt Vitriolata & Antimoniata, Croc. scilicet metall. Ex. gr.

℞. *Succi Chelidon. maj.* ℥ j.
Croc. Metall. ℈ j.
M.

Sequens Collyrium *Vigonis* in Suffusione à multis pro secreto habetur.

℞. *Hepat. hircin. san. & recent.* ℔ ij.
Calam. aromat.
Mellis aa. ℥ ß.
Succ. rut. ʒ iij.
Aq. Chelidon. maj.
Fænic.
Verben.
Euphras. aa. ℥ iij.
Piper. long.
N. M.
Caryophyll. aa. ʒ ij.
Croci ℈ j.
Flor. rorismar. M ß.
Sarcocoll.
Aloes hepat. aa. ʒ iij.
Fell. raiæ (vel carpion.)
Lepor.
Perdic. aa. ℥ j.

Terantur omnia, tritisque add.
Sacchar. ℥ ij.
Mell. rof. ℥ iv.
Coniiciantur in alembicum vitreum, & destil. in M. B

stillatitius liquor sæpe oculo instilletur.

Collyrium sequens ad incipientes Cataractas, multum laudatur.

℞. *Spir. panis secalin.* ℥ iij.
Croci metallor. ℥ ij.
Infus. per hor. 24. filtra, ipsique Tincturæ filtratæ add.
Vitriol. Veneris ad levem cæruleitatem conducendam.

Liquor hepatis piscis Mustelæ singulare habetur specificum in oculorum affectibus. Duplici autem modo adhibeatur, vel enim illinitur saltem palpebris, cavendo ne in oculum penetret; vel ipsi oculo immittitur, ubi scilicet fortius agendum, ut in suffusione. Sic ex felle piscis Lucii destillatus aqua, quæ tutiùs instillatur oculis, quàm ipsum fel, & beneficio Spiritus Vini essentia elici potest, quod experimentum est egregium in oculorum affectibus, quia hæc humoribus motum suum restituunt.

Omnia linimenta viscida, quæ poros tunicarum oculorum tantùm obstruunt, & partibus spirituosis viam intercludunt, angue pejus fugienda sunt.

Hic quoque frictiones, fonticuli & vesicatoria & setacea non omittenda sunt, quin danda etiam masticatoria, nunquam parerga: si non juvant, non etiam nocent.

Quod si his & tot generosis remediis nil profectum, & pellicula jam matura visa fuerit, acu removenda est; hinc Chirurgo incumbit internoscere, quibus maturam pelliculam ab immatura, & sanabilem ab insanabili discernat. Sola enim matura & sanabilis manu & acu curanda venit, immatura verò & tenerior, quæque durior & densior, tanquam insanabilis, non est tentanda; sic hic Cassellis nuper empiricus quidam occulista plures pelliculas acu punxit, sed incassum quia statim malum recruduit: vitium etiam sæpe latet in nervo optico, quantumvis ergò cataracta fæliciter decussa, superstes cæcitas manet; præstat tamen tentare remedium non adeò tutum, quàm absque ullo remedio in cæcitate vitam degere. Cataractæ depositionem in utroque oculo feliciter celebratam vidit *Cl. Febrius.* Confer *Eph. Germ. Decur. 2. Ann. 7. Obs. 229.* Sic etiam idem in obser. seq. Tumorem juxta oculi iridem feliciter vidit sanatum.

Operatio hæc sequenti peragitur modo: eligendus est locus mediocriter illuminatus, jejunusque æger sedili angusto imponendus, ipsiusque manus pedesque ligandi, caputque ab alio firmiter continendum, sicque ut à latere lumen habeat æger; oculo sano imponatur lana & deligetur, ne nimis moveatur, nam uno oculo moto movetur & alter: tunc Chirurgus in scamno paulo altiori acu manubrio instructa chalybea seu argentea in oculum penetret, comprehensamque pelliculam decutiat penitùs, & à tunica cornea separet, & partim inferiùs, partim superiùs, partim ad latera est deducenda. Posteà parum expectandum est, antequam acus iterùm eximatur, & ritè prospiciendum, an partes detrusæ iterùm emergant; quod si non fiat, acus extrahatur & oculus ritè ligetur, imposito prius album. ov. cum aq. rof. agitato, adstrictionis, arcendæque inflammationis ergò, quod & vicinis partibus imponi potest, æger in lecto situ resupino collocetur, nec multum loquatur, & oculos, quantum possibile, non moveat, ut pellicula semota firmam accipiat positionem, & posteà non facilè redeat. Si quis de hac operatione plura desiderat, adeat *Vigerium* cap. 23. de Cataracta.

CAPUT XIII.

DE

Visus debilitate, Gutta serena, totali Cæcitate, & Humorum Oculorum amissione.

§. 1. Visorio organo clauso, vel ablato, carcerem *Plato* corpus nostrum non immeritò salutat. Cæcos quod insignia Majestatis videre aut revereri nequeant, à postulatione excludunt Jureconsulti. Visu intercepto quanta enascatur infortuniorum lerna, satis novere Philistæi, Samsonis oculos eradentes, Ulysses Polyphæmum excæcans. Totus oculus sit oportet, cui sensus exquisitissimi emolumenta perspicere, totus lingua, cui ejusdem elogia exactè sistere lubet. Paucis ut multa comprehendamus, quo ex omnium animæ operationum numero plus eminent sensus, hoc sensu quocumque eminentior primatum sibi & sceptra digniùs postulat Visus. Superet necessitate reliquos Tactus, omnibus palmam præripit nobilitate Visus. Jamque sensuum maximus certè est in oculis. Movit tam jucunda, tam necessiaria, totiquæ vitæ utilissima functio animum meum, ut diutiùs, quàm par est, ejus affectibus indagandis opera locarem, & de hujus Visus *Debilitate*, *Gutta serena*, Græcis Ἀμαύρωσις, aliis *Suffusione nigra*, Germanis *Dems Schwartzen Staar*, ipsa Cæcitate, & Humorum oculorum restitutione agerem.

Visus debilitas quid. *Visus debilitas* dicitur, quando ægri parum vident, plures infrà dicendas causas. Imminuitur visus in nonnullis, quando rerum species, quas naturaliter visus assequi deberet, ubicumque & quandocumque non benè vel obscurè vident, idque plerumque nulla quoque causa in oculis se offerente, atque *Amblyopiam*, seu Visus obscuritatem, hebetudinem, & in senibus hoc vitium *Caliginem* vocant. *Amblyopia. Caligo.* Huc & referri potest visus ea imbecillitas, cùm visus res propinquas non meliùs quàm dissitas, ut naturaliter fieri deberet, sed vicinas oculis minùs, quàm distantes assequitur, & proin ubi res minutas cernere volunt aut legere, eas procul ab oculis removere coguntur, vitium senibus familiare, quod cùm perspicillo idoneo corrigi possit, eo in rebus minutioribus apprehendendis continuò utuntur, ob quam causam senum visio appellari meretur. Sic & visus debilitas est, si visus res paulo distantiores non rectè discernit, & à *Platero* juvenum visus nuncupatur. Similiter visus debilitas est, quando nonnulli res, nisi oculis omninò propinquæ sint, non rectè dijudicant, & dicitur *Myopia*. *Myopia.* Occurrit & alia visus debilitas, quando noctu ad accensæ flammæ lumen parum aut ferè nihil vident, interdiu verò in diei luce nullum impedimentum visus percipiunt, quos *Nyctalopes*, Latini *Lusciosos* nuncupant. *Nyctalopes.* Si adhuc alias species desideres, adeas *Platerum* aliosque Practicos, qui ad nauseam usque te informabunt: sed quis quæso omnia hæc memoriæ imprimere potest? *Platerum.*

Gutta serena seu Amaurosis quid? *Gutta serena*, seu *Amaurosis* dicitur, ubi visus est abolitus propter nervorum opticorum obstructionem vel angustiam, nihilque vitii in oculis animadvertitur, & ægri oculis apertis & serenis cæci sunt.

Cæcitas. Quando aboletur visio, ut omni tempore & semper nihil videant ægri, *Cæcitas* dicitur.

Humores oculi. *Humores* jam excutiamus, quorum tres Anatome sistit. *Aqueus* dissectis anterioribus tunicis effluens primum sibi postulat examen. Spatium is totum inter corneam & Chrystallinum, velut alveum ritus interfluit, fluxilis & aquæ adinstar pellucidus, *Albugineus* à nonnullis nuncupatus. Parum abest, quia à multis ex partium vitalium consortio ad excrementorum colluviem detrudatur. Sed proprium ductum, per quem sanguinis & succorum circulatio defectum ejus continuò restituit, invenit celeb. Anatomicus D. *Nuck* in Tract. suo de Ductu novo salivali. In hoc humore Aqueo radios visivos fortiùs uniri, communis fert Authorū sententia.

Quem-

Quemadmodum vitellus in medio album inis duplicis, ità *Crystallini* Humoris globus inter *Aqueum & Vitreum* occupat sedem. Crystallus & glacies concreta vel gemma nitidissima videtur, corpus splendidissimum ac diaphanum. Ligamentum ei tunica Uvea impertitur *Ciliare*, à similitudine ciliorum oculi exteriorum nuncupatum, cujus ope nectitur reliquis partibus & velut à musculo huc illuc pro objectorum diversitate movetur, nigrore verò visio distinctior redditur, uti hæc luculenter proponit *Cartes.* de hum. §. 119. Dioptr. c. 3. & 5. Hinc humor densior est reliquis, & si exsiccetur, ex meris videtur constare pelliculis, instar cæparum invicem se excipientibus.

Ultimus *Vitreus* propria membrana cinctus, crystallinoque pulvinaris adinstar inserviens, superest. Ab hoc vitreo crystallinum nutriri credunt quidam, aliter verò tum de totius oculi, tum de humorum nutrimento judicium fert *Barbat. de sero & sangu. p. 63.* cum quo conferri meretur exactissima sententia *Æmil. Parisan. l. 10. exerc. 1. c. 3. p. 409.*

Tantus Naturæ Artificis in nobilissimo instrumento apparatus eminet: paulo infrà videndum, quomodo humor ille evasatus cognosci & restitui potest.

Pars affecta.

§. 2. *Pars affecta* est in genere totus oculus, in specie verò nervi optici, tunicæ oculorum, eorundemque humores circulantes.

Diagnosis.

§. 3. *Visus debilitas* ex ipsius ægri relatione facile hauriri potest, ut & *Gutta serena* æque ex relatione ut ex ipsius adspectu patet, in quà plerumque nullum planè oculorum vitium animadvertitur, & sic ægri oculis apertis & serenis cæci sunt.

Humoris aquei effluxus post vulnera factus, ipso quoque intuitu, dum contingit, animadverti solet, vel ex ipsius vulnerati aut adstantium relatione percipitur; ejusdem verò, ut & reliquorum humorum consumptionem temporis diuturnitate pronatam, ipsa visus debilitas, & Pupillæ angustia, vel Oculi Atrophia morbos istos subsequens facit hariolari.

Ætiologia secundùm Galenicos ipsius Visus debilitatis.

§. 4. *Causa visus debilitatis* secundùm veteres *Galenicos* non una, sed multiplex esse potest, vel enim ea existit ipsa facultatis videndi imbecillitas, vel spirituum defectus, aut nimius influxus, aut vitiosa qualitas, vel ipsum instrumentum tum in totum, tum secundum aliquam ejus partem malè affectum, ità oculus alter deficiens, vel natura hebes, aut malè conformatus visū reddit debiliorem. Eam visus debilitatem, in qua aliquantum remota non discernuntur, à spirituum animalium defectu, adeoque ipsius facultatis inertia pronasci dicunt, sive illi ob cerebri morbos & debilitates pauciores generentur, sive ob nervorum angustiam debita copia influere nequeant. Assiduum & continuatum intuitum objectorum, imprimis splendidorum similiter hic accusant, ut spiritus nimis defatigantem & absumentem. *Senum visionis* causam attribuunt crassitiei & turbulentiæ humorum, aut tunicarum densitati, à qua parum vel nihil pene *Nyctalopiæ* causam distare credunt, nisi quod causæ istæ magis existant intensæ.

Gutta serena.

Guttæ serenæ & ipsius *Cæcitatis* causas constituunt vel ipsam videndi facultatem penitus in fonte suo extinctam, vel spirituum animalium defectum, vel etiam nervorum, quos spiritus cum facultate transire debent, occlusionem. Addunt iis intemperiem cerebri aliarumve partium principalium, tum ipsorum oculorum siccam, vel sine, vel cum materia, horum vitia in conformatione, ut totalem defectum, figuram inconcinnam & situm depravatum, humorum vitia & defectus, pupillæ angustiam vel dilatationem, tunicæ Corneæ rugas & densitatem, suffusionem, unguem totum occupantem & palpebrarum tumorem & resolutionem earum motum & sublationem impedientes.

Humorum defectus.

Humorum & imprimis *Aquei* defectum à variis causis oriri statuunt, quas inter potissimum recensent calorem & siccitatem ex febribus, tum ardentibus, tum hecticis & phthisicis, ætate senili, venere immodica, evacuationibus nimiis, effusionem per vulnera vel ulcera inductam.

Paracelsi opinio de causa Visus debilitatis.

§. 5. *Paracelso* videtur *Visu debilitas* à substantia corrupta in tantum oriri, quatenus in compositione deficit, & conjunctio subsequuta est incongrua, qua spirituum impeditur accessus.

Cæcitatis.

Cæcitatis causa eadem ipsa est substantia depravata, dum centrum coagulatur à spiritu salis & falsa contingit generatio.

Humorum defectus.

Humorum defectus ad vulnera, eosdem effluere facientia, vel siccitatem, eosdem absumentem, refertur.

Helmontii opinio de causa visus debilitatis & Cæcitatis.

§. 6. *Helmontio* causa *Visus debilitatis* & ipsius *Cæcitatis* est impuritas spiritus vitali, qui minus elaboratus à lumine, seu luce vitali non satis illuminari potest, quare tenebrosus permanet, & character Cæcitatis inducitur.

Humorum defectus.

Humorum defectus aut consumptio nullam peculiarem ab hoc Auctore notatam habet causam, sed reliquorum hic effatis penè consentire videtur.

Vuillisii iudicium de causa visus debilitatis.

§. 7. *Vuillisius* causam *Visus debilitatis* maximam partem imputat spiritibus animalibus sive deficientibus, sive crassioribus, ut ità minus agiles tunicæ retinæ fibras segnius aut non sufficienti copia transcurrentes species visibiles & radios lucis tardiùs & debiliùs ad commune deferant sensorium; tum etiam humori aqueo impuro, pupillæ inconformi, aliisque organi vitiis, ob quæ radii ab objectis lucidis aut illuminatis progredientes ad retinam tunicam nequeant intromitti.

Cæcitatis.

Cæcitatis causam potissimùm adscribit tunicæ retinę ab expansione nervi optici dependenti, adeòque ipsimet illi nervo, quibus obstructis, compressis, vel alio modo læsis, spiritibus animalibus debitus denegetur influxus. Reliqua vitia organica integros oculos pro admittendis radiis inepotes reddentia, quin ipsorum totalem defectum causis hujus Cæcitatis accensenda cum aliis facilè permittit.

Humorum defectus.

Humorum defectum vel vulneribus aut ulceribus uveę solutionem inducentibus, vel æstui interno in sanguine, aliisque morbis chronicis vel malignis laticem & humiditates absumentibus imputari posse, aliis id statuentibus haud illubenter assentiri videtur.

Sylvii opinio de causa visus debilitatis.

§. 8. *Sylvius* etiam *Visus debilitatis* causam pituitæ maximè, & ex ea excitatis halitibus abscribit, à quibus humor aqueus obscuratur, & objecta cum lumine difficulter admittuntur.

Cæcitatis.

Cæcitatis causam statuit pituitam & halitus istos adeò spissos, & humorem aqueum ab illis ità obscuratum, ut pupilla quasi ab iis occlusa lumini cum speciebus visibilibus nullo modo transitum concedat.

Humorum defectus.

Humorum defectum præter effusionem ob dissectam Uveam, potissimùm oriri à defectu aquæ in sanguine universo ab ejusdem exsiccatione inducto.

Juxta Cartesianos causa visus debilitatis.

§. 9. *Cartesiani* in *Visus debitate* ut causas proximas accusant tum spirituum animalium defectum, tum eorundem impuritatem & pigritiem ob admistos vapores crassos & viscidos, à quibus nervi optici facilè obstruantur, & debitus transitus spiritibus occludatur; ut remotas verò nimiam venerem, spiritus consumentem, & lucubrationes frequentiores, maximè ab assumpto cibo statim inceptas & diutiùs protractas, nec non crapulam à quibus multæ oriuntur cruditates, spirituum generationem impedientes, & materiam illorum multis particulis impuris adspergentes.

Cæcitatis.

Inter *Cæcitatis* causas præ aliis recensent nervorum opticorum obstructionem vel dissolutionem, & hinc spirituum animalium transitum denegatum, homorum in oculis turbulentiam, ut & tunicas præternaturales pupillam occludentes & radiorum lucis introitum inhibentes.

Humorum defectus.

Humorum defectum quod attinet, de ejusdem causis aliorum sententiæ facilè subscribunt.

Nostra sententia de Causa Visus debilitatis.

§. 10. Certum est *Nobis*, omnium Visionis enarratorum accidentium causam vel in spiritibus influentibus, vel in instrumento recipiente Osculo consistere. Visus ergò debilitari & in totū aboleri potest ex læsione cerebri, præsertim in ea parte, ubi nervi optici prodeunt; sic nuper ex inflicta contusione cerebri cæcū factum quendam rusticum observavi. Si compressio vel irrigatio circa nervum opticum fit violentior, necessario fit cęcitas, quia succo nerveo seu spiritibus denegatur influxus. Sic *Gutta serena* potissimùm exoriri solet, quādo vasa sanguifera ità aperiuntur, ut humorem aliquem effundant,

dant, qui nervum optimum aut foris comprimat, aut intus penitus obstruat, poris enim arteriolarum valde dilatatis magna succi nutritii egreditur copia, una cum crassioribus corpusculis aliis in tunicam corneam, ac ipsos adeò oculi humores, sicque una cum cornea densiore facta opaciores evadunt, imò uvea in motus sui dilatandi & contrahendi pupillam officio valde impeditur, ità ut radii luminis vix admittantur in oculum, unde visus defectus si non plenarius, saltem magnam videndi imbecillitas, in quibusdam verò, quibus non contingit tanta visus hebetudo, quia tamen à luminis actione dolor exacerbatur, obscuriori in loco semiclausis degere tenentur oculis, ut doloris obviam eant acerbitati, ne spiritus in majores ἀταξία concitentur. Sic affectus subitò fit, si statim humor eò defluat & obstruat vasa quoque, ceu dictum, in cerebro contenta possunt facilè humorem peccantem in nervos opticos deponere, sed & nervi suas habent arteriolas, quæ si oscula earum nimis aperiantur, materiam crassiusculam in nervos deponere possunt. Utplurimum verò visus debilitas oritur à tardiore tum sanguinis, tum aliorum succorum, imprimis verò nervei circulatione, ob acidum illos coagulans, vel viscidum illos invisçans.

Post convulsiones graves & frequentes cęcitatem sępius relictam observavi, absque dubio ob partium membranosarum & fibrillarum contorsionem vel lacreationem & discissionem, unde spirituum influxus denegatur, ut & solutio continui in nervo optico, seu cerebri, cæcitatem inferre potest. Omnia quoque frigida suum symbolum adunt, v. g. ventus austrinus frigidus, aquę frigidæ innatio, prout in puero Dicensi natante observare licuit, qui caput nimiùm aquæ frigidæ intrusit, & planè exinde cæcus factus est. Sic ex oxyrrhodinorum actu frigidissimorum incauta applicatione eundem affectum observare licuit, quod & observauit *Plater. de vis. læs. fol.* 137. Sic post febres malignas, variolas, &c. cæcitas inducitur, partim ob metastasin humorum crassorum ad nervum opticum, partim ob nimiam stagnationem, coagulationem humorum & effluxum. Confer obser. nostram in *Ephem. Germ.*

Causa Amaurosis, seu Guttæ serenæ.

Amaurosis seu *Guttæ serenæ* causa latet utplurimum in obstructione nerui optici à quacunque causa facta, & spirituum animalium influxum impediente. Subitò hic affectus fit, & aliquando subitò perit. Ob obstructos menses in fęminis, & hæmorrhoides in viris Guttam hanc serenam obseruare licuit. Sic ergò hi affectus secundùm magis & minùs duntaxat differunt.

Humorum profusionis.

Humorum oculorum *profusio* utplurimum oritur à continui solutione à violenta causa inducta, plaga, puncturata, ictu, morsu, aliisque venenis acribusque medicamentis in oculos immissis, vasis scilicet ruptis arteriosis. Reliqua eorum vitia ab aliis Authoribus numerosè annotata hic consulto transimus, quum in superioribus oculorum affectibus non raro fuerint causarum classibus inserta, & paucissima omnimodam admittant curationem.

Prognosis horum affectuum.

§. 11. Omnes Visionis læsiones ob organum nobile sunt periculosæ; quo verò causa fortior, & quo humor crassior & copiosior, obstructioque major, eo affectus est periculosior.

Si affectus hi extra oculum adhuc, vel in cerebro vel neruo optico consistant, pro causæ ratione prædictio instituenda; si verò ex læsione insigni vel vulnere circa oculum adacto ad nervum opticum usque uisio sublata sit, cæcitas ista insanabilis erit; quod si quoque post convulsiones ex contorto neruo optico cęcitas inducta sit, nisi intra triduum sponte uisio redeat, ut aliquando accidere solet, desperata salus est; sic & spes nulla est, si ex obstructione plenaria, uel abscissione nerui optica cæcitas relicta sit. Sic quoque si ab externo frigore, uel applicatione oxyrrhodinorum frigidorum & acidorum seu repellentium cæcitas fuerit oborta, cùm neruis frigidum omnino inimicum sit, noxa etiam ferè insanabilis existit.

Si morbus hic, scilicet *Gutta serena*, comitetur uel sequatur capitis morbos, ut Apoplexiam, Epilepsiam, plerumque signum est lethale, indicat enim spirituum animalium totalem absumptionem & stagnationem: Cæcitas subitanea Epilepsiæ prodromus sæpe est, ceu cōstat *Eph. Germ. Dec. A. 7. Observ.* 159. Hinc moribundi non vident: imò plerumque tanquam incurabile malum non tangitur. Senes quoque huic affectui valde sunt obnoxii, quia naturaliter quoad visum hebescunt, ob sanguinis & reliquorum succorū circulationem tardiorem quam habent. Interdum relaxata tunica retina omninò excæcantur, malo incurabili. In genere omnis Amaurosis difficillimè curatur. Nyctalopia, si interdiu rectè, vesperi parum aut nihil videtur, raro curatur.

Quod attinet p. n. *Effusionem humorum* oculorum, si Aqueus effunditur, spes est, quod à circulatione restituatur. Crystallinus verò & vitreus si effusus fuerit tunc majus imminet periculum; qui humores si opaci reddantur à pluribus incongrui particulis in illos delatis, plurimi exinde exsurgunt affectus, & visus hebetudines ac obscuritates.

Diæta.

§. 12. *Aer* sit temperatus, acidus vel frigidus enim poros arteriarum nimis adstringit, & sanguini intempestivam stagnationem conciliat, frigidus etiam concentrat humores incrassatque.

Cibis moderatè utantur ægri atque iis, qui boni sunt succi facilisque digestionis, omnia enim frigida fugienda, sic & acida alimenta, quia poros arteriarum nimis constringunt; exulent ergò cibi saliti, acres, fumo & sale macerati, flatulenti, carnes suillæ, brassica capitata, omniaque legumina, acidaque.

Potus sit Cerevisia tenuis, herbis cephalicis optimè maritata & benè fermentata, non nimis lupulata, triticea, vinum potens fugiatur, neque nisi maximè temperatum & ὀλιγοφόρον concedatur: potius Theé egregius hic est.

Somnus sit moderatus in cubili temperato, decubitus fiat in latus bonum, Optimum est elato capite decumbere & in deorsum resupinare.

Vigilię etiā ordinariā cū somno servent συμμετρίαν.

Motus ne sit nimius, Author sum, omnis enim ad malum proventum confert.

Quies est imperanda, lucubratio verò & maxima illuminatio maximè nocet, hinc vitanda.

Alvus, & in sexu sequiori menses, in viris hęmorrhoides & vesica urinaria, quantum licet, officio suo tempestiva dejectione, si urgeat, satisfaciant.

Inter *Animi pathemata* Mœror, ob lachrymas continuò stillantes, & oculorum quoscumque affectus deteriores reddentes, fugiendus est. Sic & ira aliique motus animi vehementiores culpandi veniunt, quia stagnare faciunt succos.

Curatio Pharmaceutica & Chirurgica secundum Galenicos in Visus debilitate.

§. 13. Aggredimur nunc curationē methodo medendi per indicationes & materias auxiliorum illis respondentes institutam. Eam itaque *Galenici* in *Visus debilitate* aggrediuntur in spirituum defectu & facultatis imbecillitate usurpando corroborantia, & visum ex proprietate quadam peculiari cōfortātia, oxydercica propterea dicta, qualia sunt euphrasia, salvia, rosmarinus, fęniculum, chelidon. majoran. beton. sem. siler. montan. Nucista, &c. ex quibus aliisq; varia parare solent medicamenta tū intus, tum extus usurpanda, præ aliis autē sequens laudant electuarium visum admodùm corroboraturū.

℞. *Flor. ant.*
Salv.
Euphras. aa. ℥ vj.
Chamædr.
Rad. Chelidon. aa. ℥ vj.
Sem. fœnic.
Siler. mon. aa. ℥ v.
Sem. anis.
Petrosel.
Junip.
Saxifrag. aa. ℥ j.

Omnia quam tenuissimè pulverisata s. q. mellis excipiantur, & in formam electuarii redigantur.

De quo nucis juglandis quantitas hora somni & duabus à pastu assumenda. Esum quoque viperarum maximè commendant, & usum frequentiorem trypheræ minoris, theriacæ, mithridati & myrobalanorum conditorum. A spirituum nimia copia obortam imbe-

imbecillitatem, cùm potissimùm ab obstructione nervorum ab humoribus crassis spirituum effluxum impedientibus dependeat, corrigunt remediis aperientibus & attenuantibus, inter quæ referunt purgantia, ut Pilulas Aleophanginas, Arabicas, Cochias, Lucis majores & minores, de quinque generibus myrobalanor. Hieram picram compos. Agaricum trochiscatum & similia. Cucurbitulas etiam aliquando affigunt occipitio cum scarificatione, ut obstructiones ab humoribus crassis eo citiùs reserentur. Vinum euphrasiatum in hoc casu magni ab iis habetur pretii, quin trochisci viperarum *Galeni* spiritus valde clarificare creduntur, & sequens sal oxydercicum:

℞. *Sal. commun.* ℥ j.
Euphras. sicc. ʒ ij.
Macis,
Cinnamom. aa. ℈ j
M.

Externè etiam varia adhibent remedia, ut vaporem ex decocto rutæ, marrubii, fœnic. chelidon. euphras. salv. croci, &c. cinerem capitum hirundinum oculis insufflatum, collyrium ex succis fœniculi, chelidon. rutæ & felle perdicis, sicuti & exuvio aspidis oculos frequenter solent fricare. In *Nyctalopia* peculiariter laudant hepar vel caprinum vel hircinum assatum quotidie comestum, saniem autem ex hepate isto cum felle suo inter assandum destillantem vel per se, vel cum succis prædictis commistam oculis extrinsecè illitam.

Cæcitate. In *Cæcitate* & Gutta serena, ubi spirituum defectus in causa est, remedia in Visus debilitate ab eadem causa dependente jam recensita in usum recipiunt; si verò graviores adsint causæ, & organa visoria vel planè deficiant, vel insigni laborent vitio in conformatione, curationem nullatenus sperandam esse norunt, sed vel baculo, vel alterius hominis videntis ductu Cæcis pericula suadent evadere.

Humorum vitiis. *Humoris* Aquei *defectum* cum tempore à natura restitutum iri confidunt, sola usurpata diæta bene nutriente & succulenta; reliquorum verò penuriam resarcire, & graviora eorum vitia in meliorem reducere velle statum, rem credunt admodùm difficilem aut penitus impossibilem.

Paracelsi Cura in visus debilitate & Cæcitate. §. 14. *Paracelsus* arcanis ferè omnes morbos curaturus, etiam in *Visus debilitate* & *Cæcitate* singulariter extollit Arcanum seu Essent. quintam Chelidon. & Valerianæ, quibus visum multùm corroboratum iri promittit. *Crollius* verò fidelis Paracelsi sectator, in debilitatibus hisce, aliisque oculorum & *Humorum* eorundem vitiis magnarum virium esse deprædicat liquorem ex humore crystallino oculi bovis destillatum. Essentia quoque quinta Euphrasiæ non sine insigni utilitate adhibebitur. Externè collyrium in præcedenti capite ad suffusionem communicatum etiam hoc in casu cum commodo in usum duci posse existimat.

Helmontii sententia de causa Visus debilitatis & Cæcitatis. §. 15. Ab *Helmontio* in *Visus debilitate* & ipsa etiam *Cæcitate* corrigenda & corroboranda fella piscium, & imprimis lucii, mirum in modum laudantur, si oculis instillentur, tum etiam characterem caliginosum Cæcitatis in luminosam & splendidam visionis imaginem transmutari promittit.

Willisii modus curandi Visus debilitatem. §. 16. *Willisius* ad augendos spiritus in *Visus debilitate* utitur salibus volatilibus aliisque medicamentis spirituosis, ut sale volatili succini, spiritu C. C. spiritu salis Armoniaci, Essent. rorismarini, majoranæ, spiritu Euphrasiæ, aliisque. Ad crassiores subtilisandos & tenuiores reddendos similia adhibet: ad humores autem viscidos cerebrum obstruentes nervosque comprimentes evacuandos sequentibus utitur pilulis.

℞. *Pilul. Aloephang.* ℈ j.
de succino ℈ ß.
Resin. Jalapp. gr. v.
Vitrioli Martis gr. vj.
Ol. fœnic. gt. ij.
Bals. Peruv. q. s. F. Massa & ex ea formentur Pilulæ No. x.
Dentur duab. vicibus.

Ut spiritus crassiores ulteriùs subtilisentur, quo promptius & majori copia nervos pervadant, suoque bene fungantur officio, sequens in promptu habet destillatum.

℞. *Herb. beton.*
Euphrag.
Rut.
Majoran.
Meliss. aa. *M. j.*
Rad. Valerian.
Ir. Florent.
Enul.
Fœnic. aa. ℥ ß.
Flor. salv.
Anthos aa. *P. ij.*
Sem. fœnic.
Rut. aa. ʒ iij.
Siler. mont.
Saxifr. alb. aa. ʒ ij.
Nuc. Mosch. ʒ i ß.
Cubeb.
Macis aa. ʒ j.
Incis. & contus. affund. vin. alb. ℔ iv. *stent per noct. 2. aut 3. postmodum destill. Liquor servetur ad usum;*

Cujus dosis cochlear unum aut alterum, in quo sequentem pulverem optimo cum successu adhiberi posse confidit:

℞. *Carn. viperin. Monspel. pp.* ʒ vj.
Spec. dianth. ʒ j.
Herb. euphras. ʒ iij.
Flor. salv. ʒ j.
Sem. fœnic. ʒ j.
M. F. Pulv. add. sacch. ad pondus omnium M. Dos. ʒ j.

manè & vesperi hora somni. Hoc pulvere & humori aqueo majorem claritatem conciliari promittit. Pupillæ verò inconformitatem incurabilem æstimat, sicut & reliqua graviora organi vitia.

Cæcitatem. *Cæcitati* incipienti eadem jam dicta idonea retur, confirmatam verò vix abigi aut in melius mutari posse; ut autem nervi optici cum retina tunica aperiantur, & humor crassus eosdem comprimens attenuetur, resolvatur & ad egestionem reddatur commodus sequens commendat apozema:

℞. *Rasur. ligni sassafr.* ℥ iij.
Rad. fœnic.
Sarsæparill.
Valerian.
Chelidon.
Enul. aa. ℥ i ß.
Herb. Salv.
Beton.
Euphras.
Meliss.
Verben.
Fol. rorismar. aa. *M. i ß.*
Flor. tunic.
Lavendul.
Beton. aa. *P. j.*
Sem. siler. mont.
Rut.
Fœnic. aa. ʒ vj.
Cinnamom. ʒ i ß.
Caryophyll.
Cubeb.
Macis aa. ʒ j.
Coq. in Aq. font. ℔ vj. *F. Colatura.*

Qua utatur æger per tempus aliquod pro potu ordinario. Externè fella animalium approbat, aliaque ex superioribus jam nota, sed graviora vitia organica ut incorrigibilia vix attingit.

Humoris Aquei defectum. *Humoris Aquei defectum* diæta humectante, & commodum succum sanguini contribuentem cum tempore resarciri posse non dubitat, reliquorum verò constitutiones præternaturales neque medicamentis, neque aliis remediis tam facilè, aut vix quidem corrigibiles esse pronunciat.

Sylvii iudicium de curanda Visus debilitate.

§. 17. *Sylvius pro Visus debilitate* curanda in eo occupatus est, ut pituita attenuetur, & halitus ex ea producti discutiantur, quod præstari posse censet medicamentis sale volatili præditis ex rad. Valerian. apii, fœnic. herb. majoran. euphras. rutæ, sem. siler. mont. carvi, fœnic, &c. ex superiore capite jam cognitis.

Cæcitate.

Cæcitatem omnimodam, & superioribus iisque similibus medicamentis haud emendabilem, nullam penitus curationem admittere experientia teste profitetur, sed cæcos illos aliorum fidelium ductui & custodæ commendat, ne in perpetuis tenebris ambulaturi ullo modo offendant, & corpus suum exponant periculo.

Humorum defectum.

In *Humorum defectibus* aliisque vitiis curandis antecedentium effatis atque sententiis jam prolatis sine ulla controversia lubens subscribit.

Cartesianorum consilium pro curanda Visus debilitate.

§. 18. *Cartesianorum* opera in curanda *Visus debilitate* eò potissimum vergit, ut spirituum defectus reparetur medicamentis volatilibus aromaticis ex radicibus Valerian. fœnic. Galang. Zingib. herb. menth. majoran. euphras. salv. basilicon. chamedr. fol. rorismar. bacc. Junip. laur. cubeb. Spic. Nard. lign. Sassafr. aloes, cort. aurant. Gran. paradis. cinnamom. Nuc. Mosch. Pip. alb. & nigr. &c. Ex compositis laudant Elixir vitæ *Mattiol.* Elix. illuminans, Tinctur. cinnamom. cum Tinctur. flor. tunic. Essent. anth. & ambr. cum Aq. Nymph. ment. fœnic. nepeth. & Syr. de Stœchad. Pro vaporibus crassis attenuandis, discutiendis, & spiritibus oppressis excitandis & clarificandis eadem & similia adhibent, evacuatis nonnunquam humoribus viscidis & crassis, à quibus impuritates istæ progrediuntur spiritus obfuscantes & nervos opprimentes, cui scopo præ aliis destinatas credunt ab aliis jam memoratas Pilulas Aloephanginas, it. de Extract. Panchymag. Extr. Hermodactyl. cum Essent. Valeriã. & ol. destil. fenic. caryoph. paratas; postmodum remotis hisce crassioribus obstaculis, ad nervos magis pervios reddendos & spiritus animales subtilisandos, usum volatilium aromaticorum continuant, etiam cibum & potum hujusmodi visus debilitate laborantium iisdem cõdiendo & medicando, eduliis additis herb. salv. roremar. sem. fenic. quod masse etiã panis cum carvo immiscent. Vinum autem concedentes euphrasiatum, vel pluribus ex antedictis speciebus medicatum. Esum carnis viperinæ per tempus aliquod continuatum non sine juvamine fieri posse existimant, vel eandem in pulverem redactã & cum specificis quibusdam commixtam, cum *Willisio* omnibus majorem oculorum aciem desiderantibus seriò commendant, nec non ipsum ejus sal volatile. Cucuphas ex herbis aliisque speciebus cephalico-aromaticis paratas externè capiti imponunt, pro ejusdem corroboratione & spirituum suscitatione. Oculis etiam Collyria nonnulla adhibent, halitus crassos discutientia, tubulos retinæ tunicæ & nervorum opticorum reserantia, & spiritus allicientia, qualia sunt aqua ex fellibus animalium, Collyrium ex Aq. fœnic. verben. ros. sale euphras. & vitriolo alb. Ung. Ophthalmicum *Mynſ.* Usum Veneris rarum esse volunt, & crapulas omnimodò vitandas.

Cæcitate.

In *Cæcitate* à nervorum opticorum obstructione oriunda eadem in usum ducunt, quæ in Visus debilitate jam commendarunt; à dissolutione nervorum obortam incurabilem pronunciant, humorum turbulentiam clarificantibus corrigunt, ut Elix. illuminant. Essent. anth. Valerian. rutæ, &c. In tunicis præternaturalibus in principio abigendis laudant Aquam destillatam sacchari, oleum ejusdem mercuriale, succum rutæ, valerian. chelidon. Zinzib. Caryophyll. sal. euphras. margarit. thut. pp. Vitriolum alb. externè oculis applicata: obturatas autem incurabiles judicant, ut & in senibus diuturnitate temporis obfirmatum Visus defectum, quorum incessui omne obstaculum volunt removendum, eosque aliorum ductui & tutelæ cum baculis seriò commendant, in solatium illis *Tyresiæ* Vatis, eadem quondam jactura laborantis, dictum hoc animo sæpe suadentes volvendum:

Obruit ora Deus, totamque in pectora lucem
Detulit;

quò externis quamvis destituti facibus, interna tamen eo magis illuminati mentis claritate etiam in tenebris valeant gaudere.

Humorum defectum.

Humorum defectum, præter Aqueum, quem cum aliis sponte ex communi fonte lymphatico, per peculiares succos canales reparabilem pronunciant, nullo modo restaurabilem esse ferè persuasi sunt, aliorum promissis non prius credituri, quàm rei illius oculis suis ipsis clarè intuentibus aliquod perceperint experimentum.

Crassitiem verò Aquei & turbulentiam collyriis resolventibus & attenuantibus corrigibilem esse non semel observarunt, qualia sunt Aqua rorismarini, tinctura croci, spiritus sal. Armon. &c.

Nostra sententia de curatione Visus debilitatis & Cæcitatis.

§. 19. *Nos* quod attinet, cum *Debilitas Visus*, ut & ipsa *Cæcitas* consistant utplurimum in obstructione tum majore, tum minore, & succorum circulantium crassitie, hinc convenire existimamus omnia deobstruentia tum interna, tum externa. Quandoquidem ergò sanguis crassus sit, vel primæ viæ sint viscidis humoribus repletæ, tunc incidentia & acidum absorbentia exhibenda veniunt. Nec V. S. nec cucurbitulas admittimus, sed non negligenda sunt vesicatoria, setacea, fonticuli, &c.

His felici, ut speramus, cum successu peractis, compellamus Pharmaciam, & præprimis commendamus præter absorbentia varia, sudorifera ex salibus & mineralibus constantia, quæ ad nervos opticos penetrare & obstructiones ibidem factas reserare possunt. In curanda certè Visus imbecillitate miras habet vires Valeriana, hoc enim in casu vix simplex tale habetur inter vegetabilia. Inter sudorifera sunt salia volatilia quæcunque, imprimis commendamus sequentem spiritum, volatilem deobstruentem, tanquam euporiston remedium in omnibus capitis affectibus, præsertim verò in obstructionibus remedium palmarium.

℞. Spir. C. C. essentif. cum
Sale propr. inebriat.
rectif. ℥ iij.
Spir. vini cum s. q. ol.
still. ver. Junip. circulat. ℥ j ß.
M. add. Sal. volat. succin.
ver. successivè, donec sibilus cesset, v. gr. ℥ j.
M. in vase accuratè clauso, repetatur per alemb.
Dosis à gutt. 30. ad 50. in vehiculo quocumque.

Conducunt etiam Antimoniata fixa, ut sequens innuit formula.

℞. Antimonii diaphoret. ℨ ß.
Salis euphras. gr. x.
Aq. fœnic. ℥ iij.
Liq. C. C. succinat. gr. xxv.
Tyr. fenic. ℨ ß.
M. D.

Item Tinctura Antim. Croll.

Vel detur decoctum lignorum cum herbis cephalicis. Visum roborantia conveniunt omnia, cephalica, nervina, balsamica, ut sunt cinnabarina, pulv. spasmod. Salia volatilia oleosa, quæ conjunctim spiritus, humores ac motum succorum respiciunt, imprimis hic convenit tum internè, tum externè Aqua Regin. Hungar.

In oculorum affectibus semper ad fomitem respiciendum, an iste lateat in capite, vel hypochondriis, vel mass. sangu. scorbutica, acri, serosa, catarrhosa, & eò cura dirigenda est, semperque cephalica & ophthalmica admiscenda sunt. His nihil juvantibus, ad salivationem Mercurio dulci excitandam subito deveniendum est, Mercurialia enim per nerveos, glandulas, & vasa lymphatica penetrant, & obstructiones in iis latentes aperiunt. Sequens remedium pro visu corroborando non inutiliter adhibetur.

℞. Electuar. Optic. Mynſ. ℥ vj.
Spir. euphras. ℨ ij.
M.

Manè & vesperi magnitudo Nuc. jugland. capiatur. Hic & thermæ conveniunt.

Gutta serena.

In Debilitate Visus, gutta serena & Cæcitate (ubi plerumque nulla curationis spes est) præter jam dicta interna, & externa varia tentanda sunt, hinc omnia ferè, quæ superiore capite de Suffusione diximus, etiam hic conveniunt, præ aliis autem infusa Antimonialia, Aquæ ex fellibus aliisque amaris paratæ, axungia viperarum calidè externè palpebris inuncta egregiè

confert

confert pro acuendo visu tam juvenum, quam senum. Acriuscula hic optima sunt ophthalmica, præsertim commendamus Aquam Ophthalmicam *Wedelii*, maxime polychrestam in Ophthalmica æquè, ac unguiculis & Visus debilitate, quæ est sequens:

℞ gr.iv. *vel* v. *vel* vj. *Croci metallor. impurioris & misc. cum aqua Chelidon. maj. instilla prævia motitatione aliquot guttulas in oculum affectum, & exterius quoque cum linteamine impone.*

Alia superius jam ad nauseam usque revelavimus, quare ne cramben bis coctam offeramus, nunc manum de tabula removebimus, quia in his affectibus ferè oleum & opera perditum. Gutta serena solis jejuniis sublata dicitur apud Riverium: quiete enim & abstinentia plures curantur morbi.

Fœmina Lugdunensis per 9. annos gutta serena laborans, omnibus adhibitis remediis convenientibus tam internis, quàm externis, non curari potuit, quàm ope setacei, quo ter quaterve ab illo malo restituta fuit; quamprimùm enim ulcus ad aliquod tempus fuerit clausum, quasi in momento hoc morbo rursus correpta fuit, ceu id etiam in praxi nostra in pluribus observavimus.

Humorum amissionis. Paucis verò adhuc videbimus, quomodo *Humores* oculorum *reparari* debeant. De Aqueo certum, & autopsia Anatomica, teste D. *NucK.* confirmatum est, ab ipsa Natura per proprium ductum eum restauratum iri, modò caveatur, ne per vulnus elabatur, (de Vitreo verò & Crystallino non idem sentio:) hinc varia adstringentia oculo imponenda, ne effluat id, quod Motus restituit. *Heerius* succo vesicularum ulmi tempore vernali reperibili humorem oculi tum Aqueum, tum Vitreum, æquè in gallinis ac puella quadam se restituisse putavit, cùm tamen ipsa forsan Natura fecerit, quod ipse hoc succo se fecisse putavit, quod & *Burrhus* Amstelodami cum aqua sua mirabili destillata per MB. ex foliis Chelidoniæ, addito tantillo camphoræ effecisse sibi plane persuasit, sed impostura est. Alii in eum finem commendant fel humanum aliosque liquores ex animalium oculis depromptos, & *Crollius* huic usui destinatam habet Aquam Chelidon. compositam. *Elsnerus* laudat liquorem ex oculis mactati Urogalli erutum, ut instilletur ocu'o sæpissime. Nec possum persuaderi (absit invidia dicto) quod *KerKringius spicileg. Anat. Obser.* 100. *p.* 198. noverit artificium quo oculus crystallino cæterisque spoliatus visum recuperare potuerit, cùm humores hi nimis inspissati sint, ut impossibile sit, quod per vulnus elabi possint; dubito etiam, quod aliis satisfaciet, ego enim incassum tentavi. *Sala in sept. Planet. terr. spagyr.* describit sequens medicamentum, quod comprobatum dicit ad oculorum humores quoscunque restituendos.

℞ *Cupri flav. bracteat.* ℥ iij.
Vini Malvat. sequilib.
Circulentur ad solem vitro bene clauso, donec liquor viridis & transparens instar smaragdi fiat.

Varias curas, ut ille ait, feliciter exactas vidit, unam palam fecit de juvene Norimbergensi quodam, & Concionatoris uxore, quos liquoris hujus adjumento adjutos fuisse testatur.

Alii ex albuminibus ovorum conquassatis, vel destillatis, vel ex humoribus oculi bubuli aliorumque animalium ejusmodi humores restitui posse sibi persuadent. Optimè verò mecum existimat *Wedelius*, Vir certè multum de republ. Medica meritus in *Amœnit. Medic. cap.* 2. de Ophthalmicis sic ajens: An verò Crystallinus exemptus restitui possit, & sic *Cæcitas*, vel saltem conformatio oculi incongrua curari, dubium est maximum, nam de humoris Aquei regeneratione res clara est. In læsione consimili B. Rolfincius aquam Calcatrippæ unicè adhibebat. Sufficiat, nulla alia ratione restitutionem fieri posse, quàm principaliter quidem à Natura, vulgò ita dicta, ceu superiùs jam diximus, adjuta medicamentis traumaticis oculi spiritibus amicis & specificis, prohibita inflammatione & suppuratione, hinc aqua Chelidoniæ vel consimilis ob viam aquosam resolvit & roborat, ob vim nitrosam terream absorbet, discutit, & optima est inter omnes ophthalmicas.

Qui plura desiderat curiosius, vid. *Act. Med. & Phil. Hafn. p.* 1. *Obs.* 69. 132. 133. *Ephem. Gall. Tom.* 5. *Eph.* 3. *Germ. Ann.* 1. *Obs.* 12. & 117. à N. *Elsnero* notat. item *Celeb. Wedel.* superius allegat. *Amœnit. KerKring. Spicileg. Anat. Obs.* 10. *Sachsii Gammarolog.* &c.

CAPUT XIV.

DE AURIUM MORBIS,

Dolore scilicet, Inflammatione, Ulcere, Vermibus, Rebus externis auribus immissis, Caruncula aurem obstruente, & Parotide.

§. 1. EXaminato Organo nobilissimo Visus, nunc ordo nos ducit ad organum Auditus, multis certè obscuritatibus obseptum, partes enim, ex quibus constant aures, non tantùm parvæ & tenerrimæ sunt, sed & structura partium maximè intricata est, quo ergò structura obscurior, eo & affectus, qui organo huic accidunt, obscuriores esse debent. Omnem verò impendamus operam, ut istos clarè ac distinctè ordine proponamus, & primò examinabimus morbos partes externas occupantes. Maximè verò frequens est partibus auris externis *Dolor*, ab humoribus acrioribus obortus. Hic dolor sæpe cum inflammatione, sæpe absque illa oboriri solet, quæ *inflammatio* meatum auditorium occupat, & sæpe est cum Abscessu & Ulcere, quæ communiter sequuntur. Inflammatio enim vulneribus & contusionibus hujus partis accidit, & nonnunquam etiam aliquas febres consequitur. *Aurium dolor. Inflammatio.*

Ulcera. *Ulcera* uti in aliis partibus, sic quoque in Auribus vel per rupturam, vel abscessus, vel per acrimoniam liquoris alicujus generantur. Hoc tamen vel verum est vel apparens. Verum dicitur quando inflammationem abscessus sequitur; vel quando ab acribus succis in tubulis nonnullis aurium stagnantibus, meatus interiùs exulceratur. Apparens dicitur ulcus, quando pus ex auribus effluit varium, ceu infantibus contingere solet, modò cum, modo sine earundem precedente dolore: & talis effluxus interdum diu durat; quo verò cessante varia capitis supervenire solent accidentia, quæ rursus continuante fluxu levia sunt & sæpe cum fluore cessant.

Vermes. Fit sæpe, ut ex auribus *Vermes* variæ magnitudinis & formæ prodeant, de quibus testantur *Ephem. Germ.*

Extranea intrusa. Sic quoque *Extranea* intruduntur in meatum, velut pisa, globi, nuclei, quæ sæpe difficillimè extrahi possunt, & aliquando germinant & intumescunt: exempla vide apud *Fabric. Hild. & SchencK.* quale quid nuper in filia observavi, cujus à sorore ex improviso pisum auri sinistræ injectum fuit insciis parentibus, hinc tandem germinare incepit, & à Chirurgo maximo cum auris periculo eximebatur.

Excrescentia aurem obstruentes. *Excrescentiæ* etiam *carnosæ & fungosæ*, quæ nonnunquam ex ulcere hujus partis oriuntur, vel ex locis pellere nudatis, dum auris pungitur instrumento nimis aspero, meatum auditorium implere, & obstruere possunt.

Parotis. *Parotis* significat omnem abscessum & tumorem glandulas penes aures occupantem. *Hippocrates* eos nominat tumores œdematosos & scirrhosos citra inflammationem, glandulas sub auribus occupantes: Germanis dicuntur *die Ohrendrusen, oder Geschwulst hinter den Ohren.*

Pars affecta horum morborum. §. 2. *Partem affectam* dicimus totam aurem cum adjunctis membranis, arteriis, venis, nervis, glandulis multis, officulis, cavitatibus, aliisque, queis abunde est instructa.

In *Parotide* afficiuntur Glandulæ *Parotides* dictæ, quæ sunt corpora post & sub auribus sita, tum seri & sanguinis depurationi & circulationi, tum imprimis partim vi structuræ suæ, partim verò salivalis humoris productioni & elaborationi, ejusque in vasa salivali a distributioni inservientia; & ex glandulis his aliæ sunt conglobatæ, aliæ conglomeratæ, quæ sicut aliæ glandulæ, parenchymata sunt spermatica ex innumeris ferè glandulis minoribus & vasis capillaribus, ut & nervulis conglomerata. Vidimus enim ex quacunque conglomerata parotidis glandula peculiarem surculum obortum, qui postmodum in unum coalescentes corpus, ductum salivalem constituunt. Conglobata autem collectioni magis quàm distributioni videtur apta.

Diagnosis Doloris aurium.

§. 3. *Dolor* auris ex ipsius relatione ægri Medico innotescit; sæpè adeò intolerabilis est, ut ægri per totas noctes vigilare cogantur, imò non rarò delirium, convulsiones, lipothymiæ, &c. producantur aliquando per menses & ultra durat hic affectus, & utplurimum hunc dolorem puris excretio ex aure comitari solet. Sic & *Inflammatio* auris ex ipso dolore seu ardore & rubore cognoscitur, quam sæpe febris ut umbra corpus sequi solet, & dolor est vehementissimus.

Inflammationis.

Ulceris.

Inflammationem facilè sequitur *Ulcus* & abscessus, ruptis scilicet vasis, quæ semper dolorem habent comitem, & cognoscuntur ex eo, quod magna materiæ quantitas inde profluat, ac difficulter admodùm sanantur, imprimis ea, quæ sunt in meatu osseo.

Vermium.

Contingit interdum, ut ex diuturnis aurium ulceribus cum pure *Vermes* variæ magnitudinis & formæ prodeant, prout ego nuper egressum vidi vermem ex aure longitudine digiti, capite instar serpentis præditum.

Solent etiam infantes ponè aures multum humoris ejicere, quæ evacuatio ipsis valde proficua est, unde etiam magna cura eò agi debet, ut fluxus iste impediatur, per absorbentia & volatilia acres humores corrigentia, alioquin enim infantes in motus convulsivos & epilepticos inciderent. Sic quoque sanguinis aliquando ex auribus prodit, quin *Res extraneæ*, in aures immittuntur, & ex relatione & dein ex inspectione innotescent; semper autem bene observandum, an corpora ista in meatu cartilagineo, an verò in meatu osseo detineantur.

Rerum extranearum.

Carunculæ & Excrescentiæ carnosæ seu fungosæ ipso visu dignosci possunt.

Carunculatum & Excrescentiarum.

Parotidum.

Parotidum signa diagnostica duplicia sunt, imminentium videlicet; & actu jam existentium. Si in malignis febribus adsit faciei rubor, capitis gravitas, surditas cum stupore, locus criseos per abscessum erit post aures, & prædici possunt Parotides. Præsentis verò Parotidum tumoris adducere signa, non necesse existimamus, siquidem omnis tumor per se manifestus est, & oculos nostros incurrit, adest enim tumor, dolor, rubor. Tumor fit à stagnantium & glandulas distendentium humorum colluvie. Post febres, in peste, lue Venerea, imò in lethargo & aliis capitis affectibus oboriri solent.

Galenicorum iudicium de causa Doloris aurium.

§. 4. In eruenda *Causa Doloris* adscribunt eandem *Galenici* tum parti patienti acri nimis sensu præditæ, qua de re intimioribus auris partibus dolor accidat vehementissimus, exterioribus verò & patentibus, ob sensum non ita acutum, minus etiam vehemens dolor obveniat; tum parti agenti, cujus respectu causarum classi associari possit, quicquid sive obscurè, sive manifestè unitatem solvendi vim habeat, ac naturalem aurium constitutionem corrumpendi, ut sunt tela, ictus, insolens ac magnus caloris, frigoris, ventorum, pluviarum, &c. appulsus, flatus distendentes, humores superflui tumorem, pondus, extensionem, & quandoque inflammationem inducentes, aut acrimonia sua rodentes; nec non sanies, sordes vermes, externa illapsa, ut lapilli ossicula, grana, pulveres, medicamenta incongrua, sonitus & strepitus vehemens & horribilis, tonitru, explosio tormenti bellici & similia tristem auribus sensum inferentia, & continui solutionem minitantia.

Inflammationis.

Inflammationis causam constituunt sanguinem biliosum & tenuem, è vasis suis vel apertis, vel ruptis aut exesis in ipsas auris membranas effusum, & copia sua tumorem, tensione verò dolorem & calorem excitantem.

Ulceris.

Ulceris causa illis est res quæcunque erodendi vim habens, sive sint humores acres interni, & sordes ex abscessu rupto effusæ, sive externè quædam auri illata, ut medicamenta vel venena corrosiva, aliaque continuum in aure solventia & saniem producentia.

Vermium.

Vermium originem deducere volunt ex putredine humore & calore loci, dum vel sordes, vel sanies, aut pus retentum putredinem suscipiat, vel ex ulcere neglecto & non satis mundato multæ egrediantur impuritates, è quibus putrescentibus tandem ipsi generentur vermes.

Rerum externarum.

Res externas varias in causis doloris jam notatas vel ex ipsius ægri imprudenti petulantia, vel alio quodam infortunio auribus illabi, intrudi aut violenter impelli posse existimant.

Carunculæ.

Carunculæ aurem obstruentis causam adscribunt vulneribus vel ulceribus antegressis, hujusmodi excrescentiam ob nutrimentum copiosiùs affluens in meatu illo relinquentibus.

Parotidis.

Parotidis causam proximam constituunt humorem calidum & præ aliis sanguinem, cum quo ut plurimum alter ex tribus reliquis humoribus junctus sit, præsertim autem pituita, nonnunquam humor biliosus, aut melancholicus, ut ità tumor ille non semper inflammatio, sed quandoque etiam œdema, aut erysipelas, aut scirrhus nominari debeat. Causas minus proximas statuunt vel humoris illius paulatinam collectionem, vel subitam & momentaneam receptionem. Collectionem vitiosi istius humoris in glandulis hisce fieri dicunt ob partium laxitatem, facultatis concoctricis & expultricis imbecillitatem, excrementorum crassitiem & meatuum angustiam. Subitam receptionem contingere ajunt tum propter calorem immodicum, tum dolorem à vicinis partibus humores attrahentem, tum potissimum quod vicinæ partes humoribus turgidæ eosdem ad glandulas, natura aliis partibus debiliores, transmittant, ut in febribus malignis per crisin ab omnibus partibus fieri volunt, particulatim verò in phrenitide & lethargicis affectionibus à cerebro item in ulceribus oris & dentium doloribus, quibus pravi succi à capite copiosè alliciuntur, & quandoque ad gladulas istas propelluntur, nec non à frigore externo redundantes in cerebro pituitosos humores ad ipsas illas glandulas exprimente.

Paracelsistarum opinio de causa Aurium Doloris.

§. 5. *Paracelsus* cum suis asseclis *Doloris* Aurium causam constituunt spiritus salium resolutos à sulphure benigno, cujus mixtura aliàs acrimonia & corrosivitas salium inhibeatur & contemperetur, & qua destituti sales descendunt ad Aures, & dolores excitant. Duplici autem casu hanc separationem contingere ajunt, vel enim ab accidente, dum materia aluminosa descendit; vel à loco, à proprio ingenito paroxysmo cum signis chronicis, tinnitu aurium & apostematibus, in auribus ideò existentibus vehementioribus, quod confluentiam cum salibus potentioribus reperiant, ipsumque cerumen aurium sal sit amarum magnæ potentiæ, licet reliqua duo mercurium & sulphur in se contineat, unde phlegma seu mucus ad aures decidens in iis dolorem faciat, mucum verò ex mala digestione membri cujuscumque propria volunt provenire.

Inflammationis.

Inflammationem etiam in hac parte ab obstructione spiritus Yleidi generari dicunt, quem spiritum omnia corporis membra transire & eadem informare fingunt, &, si exitum ob cerumen obstruens non inveniant, in se ipso abire in putrefactionem, qua diversa, quæ in se continet, resolvuntur salia, & hinc exsurgens sal ogertinum reliquis potentiis & vinculis solutum in parte hac corporis calidum hunc producere affectum.

Ulcerum.

Ulcerum progeniem eidem imputant salium resolutorum & corruptorum acrimoniæ & corrosivitati, propter

pter malam digestionem partis, & hinc ortam muci copiam, à quo magna fit cum salibus potentioribus confluentia, sal autem durum per se coagulatur, & facit apostema usque ad tempus ruptionis, quo illud, quod remanet, partem exedit, corrodit & ex mucoso stercore ipsius auris pus & saniem projicit.

Vermium. *Vermium* generationem affirmant esse putrefactionem cœlicam, ideoque nec amaritudinem aurium ceruminis obstare posse, quin in iisdem procreentur vermes, eo quòd putredo in ijs sale naturæ debilitato & aures deserente, contingere possit, ex qua ipsa putrefactione in loco rei propriè resolutæ vermes enascuntur, quorum generatio maximè fit lunaris, eamque fieri ex nimio calore, oppilatione verò aerem auribus adimente magnopere adjuvari.

Rerum extranearum. *Res extraneas* vel propria petulantia, vel alterius malitia auribus intrudi, earundemque aliquas peculiari sua dispositione, humore & calore loci, atque influentia cęlica germinare posse, non minus quam cæteri existimant.

Carunculaum. *Caruncular & Excrescentias* aurem obstruentes ex superfluo quodam, Ulceribus ex tribus primis à sale corruptivo resolutis, & denuò vitiosè conglutinatis aut coagulatis supernasci autumant.

Parotidum. *Parotidum* causam dicunt esse ens veneni, & quamlibet putredinem ens tale veneni existere loco isti, in quo generatur, cùm bonum in parte corrumpat & destruat, hac autem in parte venenum illud esse arsenicale, ut in peste, quam parotis comitetur, quòd sub Aure existimat emunctorium pro exprimendo sudore stercorali, unde & quidam hujus sectę morbum hunc à spiritibus arsenicalibus produci & astrales esse statuunt, Martique & stellis Martialibus, ut scorpioni & cancro subjici, aiuntque astris cœlestibus fructuum suorum resolutionem in terram demittentibus, alimentum spirituum signaturis malignis eorundem inquinari, quo in corpus assumpto morbi consentanei & symptomatum vehementia generentur infames.

Fugilis, seu Fugilici apostematis. Aliam huismodi Aurium morborum speciem addit Paracelsus, eamque *Fugile*, vel *fugilicum apostema* nominat, quod indicium primum *Noli me tangere*, & ex ferrugine Martis produci statuit, iisque potissimum accipere, qui nondum adolevere, videlicet infra quartum & vigesimum annum existentibus, aliis autem si contingat ætatem istam prætereuntibus, eos *Noli me tangere* expectaturos prædicit. Fiunt autem ad auriculas bullæ cum inflatione in earum circumferentia, & tertia post die rubescunt, calor & dolor capitis partim unà cum squinantia concurrunt. Liquor materialis quivis apparet, antequam locum fixum ponat, postea quidquid oritur in sui sanguinis principio, transit in parvam lentiginem.

Helmontii opinio de causa Aurium Doloris. §. 5. *Helmontius* ordine nunc succedens, *Doloris* Aurium originem adscribit peregrino cuidam, sive ab aere, sive à cruore immisso, & in Auribus nidulaturo, à quo anima ad indignationem simul & metum disposita, spiritum insitum ad hospitis illius ingrati ejectionem admonet, eoque operi isti se accingente, auris statim sui crispatione aversionem ab hospite suo subinnuit, sicque manifestus redditur dolor.

Inflammationis. *Inflammationis* causam proximam constituit spiritus insiti incalescentiam, dum causam occasionalem instar spinæ Auri infixam expellere nitatur, quo in nisu spiritus, sive Archeus, seipsum accendat & cruor simul collectus copiosiùs accurrat, sicque tumor, pulsus durus, dolor & calor subsequantur.

Ulcerum. *Ulcera* ex cruore in Aure corrupto progenerari docet, dum in se acescat; & acor exinde exsurgens partem hanc corrodat, ejusque alimentum in simile virus convertat, ex quo sanies tanquam productum facilè promanent.

Vermium. *Vermes* iu Auribus ex putredine pronasci, cum aliis quibusdam statuit, quamvis eosdem acerrimè exagitet, in eo tamen differre se probat, quòd à defectu balsami naturalis, putredinem aliàs longè à se arcentis, vermium horum proventum facilitari profiteatur.

Rerum externarum. *Res externas* eodem modo, ut præcedentes jam aperuerunt, Auribus inseri contestatur.

Excrescentiarum. *Excrescentias carnosas* ex nutrimento, sive cruore alendæ interiori Auris parti destinato copiosiori, ab Archeo in superfluum hoc fabricari productum existimat.

Parotidum. *Parotides* generari credit ex laticis erroribus, dum in via salia quædam resoluta imbibit, eaque secum ad glandulas illas Aurium defert, quæ pungendo Archeum ad eorum expulsionem suscitat, at hic ob materiæ multitudinem & tenacitatem, eam præstare non valens, partem hanc Aurium iracundus distendit in tumorem satis sæpe dolorosum.

Willisii opinio de causa Aurium doloris. §. 6. Sequitur *VVillisius*, causam Aurium *Doloris* imputans materiæ morbificæ sulphureæ, acidæ, salinæ, biliosæ, aut melancholicæ, copia vel acrimonia sua fibras nervosas, membranosas & musculosas aurium distendenti, divellenti vel irritanti, sive illa sit sanguis, sive serum ejus, sive succus nutritius, sive liquor nervosus, vel alia quædam materia peregrina, quorum vel unus pondere gravet, aut motu vehementiore extendat, vel plures confusi aut congressi effervescentia sua mutua partes fibrosas in auribus divellant, spasmosque dolorificos in iisdem excitent; quibus multum etiam contribuere censet ipsam partium aurem constituentium malam conformationem aut debilitatem, variaque Diætæ, adeoque & aeris vitia, materiam istam dolorificam facilè ad actum provocantia.

Inflammationis. *Inflammationem* quoque aurium à sanguine extravasato in meatum auditorium vel post tympanum, vel aurium quendam locum receptioni aptum affuso, ibidemque lentore suo obstructionem & turgescentiam inflammatoriam induente provenire, sibi maximè habet persuasum.

Ulcerum. *Ulcera* à sanguinis & succi nervosi quibusdam recrementis in Auribus collectis, & diutiùs ibidem retentis produci censet, dum mora sua continuata abscessum causent, eoque rupto multas particulas acres erodentes relinquant, Aurium partes corrumpentes, depascentes & saniem projicientes.

Vermium. *Vermium* in Auribus proventum accenset sanguini & succo nutritio in Ulceribus corruptis, à quibus partium aurium compages resolvatur, spiritus cum sale & sulphure confundantur, & cum reliquis inordinatè effervescant, qua dein fermentescentia particulæ sulphureæ & salinæ acquirant fluorem, & euaporare incipiant, unde ipsa sequatur putredo, & ex illa, principiis activis confertim erumpentibus, seque mutuò prehendentibus, in ulceris superficie denuò combinatis ipsi producantur vermes, quorum tamen alii diuersarum specierum, etiam inter.

Rerum externarum. *Res externas* Auribus à foris illabentes ab ipso annumerantur, quarumque ingressui aut intrusioni eosdem relinquit fiendi modos, quos reliqui Auctores iisdem adscribunt.

Excrescentiarum. *Excrescentias* carnosas aut fungosas post ulcera ideò generari credit, quod ex corruptione & confusione succorum particulæ salinæ fluorem adeptæ aliena corpuscula mox sibi adsocient, & mediante liquore nerveo simul ibidem stagnante, & concretionem moliente, pro diversitate particularum illarum terrestrium diversimodas ineant concretiones.

Parotidum. *Parotidum* originem duobus illis succis potissimum adscribit, sanguini videlicet extra arteriolas ad glandulas Aurium effuso, & circa illas sensim congesto formamque sanguinis amittenti, & deinde succo nervoso ibidem congesto & stagnanti, à quibus duobus in communi tanquam foco congestis, excitentur tumor, dolor, & particulis salis & sulphuris exaltatis inflammatio, quin diuturniore quadam concoctione ex confusa illa massa conficiatur pus, quandoquidem tumor hic ex succis collectus sit minùs torridus in parte frigidiore, adeoque satis idoneus suppurationi.

Sylvii mens de causa Aurium Doloris. §. 7. Anglicum hunc Authorem nobilissimum excipit decus illud quondam Leydentium Academię splendidissimum, Franc. de le Boe *Sylvius*, cujus judicium de causa Aurium *Doloris* eò se extendit, ut sub ea comprehendat objectum quodvis sensile tum intra corpus

pus existens, tum forinsecus ipsi adveniens, & sensorium hoc auditus moleste afficiens ac lædens, adeò ut & ipsum sonum fortiorem hinc includat seriei, à quo non minus aliis sensorium hocce lædi, atque ex ejusdem perceptione molesta dolor produci soleat.

Inflammationis. Ex sanguine aut alio humore noxio, vel in vasis adhuc retento & subsistente, vel extra illa post casum vel ictum in Aurium cavitatem, sub tympanum aut ad glandulas effuso & ibidem stagnante *Inflammationem* suscitari putat, dum partibus spirituosis & volatilibus acidas salinasque temperare solitis evanescentibus, posteriores acriores factæ in se mutuò acrius insurgant, obque partes sanguinis oleosas calidam excitent effervescentiam, & sanguinem ipsum tandem ità corrumpant, ut in purulentam materiam convertatur.

Ulceris. A pure autem hoc magis corrupto, & in saniem acrem converso, facilè *Ulcus* Aurium produci posse docet, dum acrimonia ista partes molles erodantur, quin eadem ulcera per se ab aliis humoribus ad Aures effusis, atque acidam quandam acrimoniam in se continentibus, ortum aliquando ducere itidem testatur.

Vermium. *Vermium* productioni etiam in Auribus occasionem præbere existimant sanguinem & humores, cum primis pituitosos, corruptos & putrescentes, ut in ulceribus putridis quandoque contingere solet.

Rerum externarum. *Res externas* varias varios habere scit Aures ingrediendi modos, inanimatas enim potissimùm casu illabi, aut petulantia vel vi & malitia intrudi, animatas verò, ut vermiculos, pulices, culices, aliaque animalcula iisdem irrepere, & nonnunquam periculosam excitare molestiam.

Excrescentiarum. *Excrescentiæ* carnosæ secundùm hujus Auctoris principia ex sanguine nutriente copiosius ad masculosas Auriũ partes, affluente, earundemque magnitudinẽ augente producuntur.

Parotidis. Sanguinem aliosque humores, maximè pituitosos, à variis causis solutos & fluidiores redditos ipsas *Parotides* efficere hoc modo demonstrat, quatenus nempe abundantius hinc inde delati, tandem ad glandulas aurium conglobatas appulsi, à frigore externo supervenientе in iisdem coagulentur, sicque ad motum inepti hæreant vel in vasis, vel in canalibus intermediis, & sanguinem sistant, quò minus per vias impeditas transire queat, sed per glandularum istarum parotidum substantiam dispersus, eandem in molem majorem, adeòque tumorem hujusmodi dolorosum distendat.

Cartesianorum opinio de causa Aurium Doloris. §. 10. *Cartesiani*, quos ordo nunc tangit, *Otalgiæ*, seu *Doloris* Aurium causas adscribunt nimiæ exagitationi fibrillarum tympani, sive aurium membranæ, aut musculorum earundem, ut etiam fibrulæ istæ vel ruptionis periculum, vel ipsam incurrant ruptionem, indeque in mente tristis oriatur sensatio, & hanc subsequens spiritum nimius in nervos influxus, exagitationẽ verò illam violentam fibrarũ interdũ provocari à vehementi & impetuoso materiæ æthereæ influxu, fibrulas illas fortiter & molestè cõcutiente, vel à particulis acribus acutis pungentibus & vellicãtibus in ulcere & inflãmatione sæpius progeneratis, vel à vermibus mordentibus exterius auribus irrepentibus, vel quocumque alio auribus illapso & fibrulas illas nimum distendente.

Inflammationis. *Inflammationem* Aurium à sanguine aliisque humoribus arteriosis è vasis suis carotidalibus in poros partium Auris, sive internæ, sive externẽ, effusis exoriri statuunt, à quibus pori partium istarum ità obstruantur, & adeò exigua relinquantur spatiola, ut non nisi materiæ primi elementi subtilissimæ per ea concedatur transitus, hanc verò, cũ ignitæ sit naturæ, & fulminis instar celerrimè moueatur, non modò parti inflammatæ imprimere ruborem, sed cũ impetu etiam in porulos irruentem fibrillas lancinando prędictum suscitare dolorem.

Ulceris. Quin ab odem illo impetu vehementi in fibrulas partium Aures constituentium, & inflammatione jam occupatarum, *Ulcus* tandem efformari docent, quatenus ex continua illa pulsatione fibrulæ rumpantur, à reliquis separentur, & cum humoribus ibidem stagnantibus commiceantur, ut confusum illud quasi chaos omnis generis particularum etiam in hisce partibus aurium collectum, quanquam sibi efformet cavitatem, in qua mixtura hæc per tempus reservatur, & pus appellatur.

Vermium. *Vermium* in cavitatem aurium ingressum utplurimum ab extra contingere putant, qui varii generis existere queant, & partibus aurium ipsique sensui multum procreare molestiæ; ulceribus verò aliquando supernascentes ex ovulis quibusdam Auribus illatis, & à calore illo fotui oculorum & animalculorum ex iis exclusioni maxime tum accommodato provenire, cum aliis nonnullis nobisque existimant.

Rerum externarum. *Rebus externis* in auribus existentibus eundem cum reliquis adscribunt introitum, cujus varias in superioribus jam percepimus species, & paulo post paucas adhuc sumus addituri.

Excrescentiarum. *Excrescentias* quasdam, carnosas aut fungosas ideò nonnunquam ulceribus superstrui credunt, quòd ejecta mixtura purulenta & cavitate mundata materia quædam chylosa nutritia subsequatur, quæ fibrulis à priori miscel a corruptiua de pristina firmitate in laxiorem versis facilè adhæreat, easdem extendat, & nova figura variè conglutinet, ut relictis inde poris latioribus copiosius influere, & tandem staminibus agglutinari soleat, unde carnosum aut fungosum illud proveniat augmentum.

Parotidis. *Parotidem* fieri dicunt à majori excrementorum copia per arteriolas ad glandulas illas aurium conglobatas delata, quæ cùm multas in se contineat particulas heterogeneas, ab acido quodam præternaturali & quandoque maligno præcipitatas, easdem per vasa lymphatica non satis commodè iterùm deponere valent, sed in se retinere coguntur, quare extenduntur & mole sua augentur cum dolore, quòd fibræ nervosæ & musculosę subjacentes simul premantur & torqueantur, spatiola verò arctata soli materiæ primi elementi accommodentur, furiosius postmodum irruenti, multasque particulas acutas ignitas secum ferenti, inflãmationi subsequuturæ ansam facilè præbituras.

Nostra sententia de causa Aurium doloris. §. 11. Ex *Nostra* sententia *Doloris* Aurium causa statuitur, uti aliarum partium, continuo & citato illo ætheris impetu, poris ac fibrillis magna illata violentia, quæ etiam tensæ & insuper ab incongruis corpusculis in poris hærentibus vellicantur, ac spasmodicè irritantur, ità ut quodammodo à vicinis, quibus junctæ sunt separentur, motum proinde illarum tremulum valde augeri necesse est, unde ab insueti illius motus productione Mens spiritibus & corpori unita, à nervorum incolis nervos & fibrillas membranosas inflatas tenentibus, mediãte illorũ modulatione seu regurgitatione nunc majore, nunc minore, doloris concipit ideam; accurrunt hinc statim ex cerebro spiritus suppetias laturi reliquis, ad canales suos affectos molestia illa liberandos, infausto tamen successu, magis enim tunc adiguntur & impingunt acutas illas & spiculosas particularum in poris obstructis hærentium eminentias, unde Mens solutæ hujus unitatis à spiritibus certior facta, dolet malè affectam Aurem suam dolore sæpe intolerabili.

Dolor hic concham utplurimum occupat, & provenit idem, ceu diximus, à solutione continuitatis particularum, quæ solutio motum concitat in spiritibus irregularem. Hoc supposito facilè colligitur, omne id, quod solutionem continuitatis efficere potest in particulis membraneis, quibus meatus auditorius intus vestitus est, & motum irregularem producere, illud etiam esse sufficiens producendi doloris, ità inflammatio, corpora externa in meatum immissa, pus, cerumen, vermes, & omnia ea, quæ abundant salibus acribus & lixiviosis; sic & quæcunque obstructiones his partibus vel à frigore, vel alia causa inductę dolorem efficiunt, succi enim salsi, qui in motu sunt ut percolentur, detenti in glandulis illas inflant & tumefaciunt, qui & per hanc moram acriores fiunt, extremitatesque nervorum, qui in membranam meatus sparsi sunt, vellicant, quod ἀταξίαν spirituum, & per consequens magnum istud auris dolorem producit; fit enim sepe, ut serum acre & salsum, quod per glandulas auris evacuatur, dolorem in meatu efficiat, id quod patet in suppurationibus, quæ in ea parte fiunt;

fiunt: Causam in genere deducimus à succis acribus, tubulos membranarum aurium modò comprimentibus vel extendentibus modò rodentibus modò vellicantibus vel à catarrhis.

Quod doloris differentias attinet, si particulæ ceruminis vel aliorum liquorum in glandulis contentorum salsæ & rigidæ sunt, & per agitationem solito majorem violenter impingunt filamenta nervosa hujus meatus, tum dolorem excitant pungentem, & hoc fit in omnibus inflammationibus. Quando verò salsa admodum acria fiunt & corrosiva, doloris causa fiunt, qui junctus est erosioni, quæ imprimis in ulceribus hujus partis observari potest. Quando autem materia ceruminis in glandulis adhuc contenta, vel sola, vel cum aliis liquoribus fermentationem patitur, tunc extendit & dilatat particulas membranę, & sensum tensionis excitat. Cùm verò glandulæ inflantur per copiam liquorum, quos imbiberunt, sentiri incipit gravitas.

Quod dolor hic adeò vehemens, & sæpe cum febre acuta conjunctus est, cui accedunt insomnia, deliria, convulsiones ac deliquia animi, tanquam symptomata sæpe lethalia, evenit ex eo, quod membrana, qua meatus auditorius vestitus est, tenerrima est & nervosa, & eandem texturam habet, quam habet membrana nervosa stomachi & intestinorum, nisi quod non est tecta pari tegumento contra humorum acrimoniam eam tegente. Sparsa est & hæc membrana infinitis nervorum filamentis, quæ à quinto pari recipit, & dici verè potest, nullam esse in toto corpore humano membranam, quæ pro magnitudine sua plures, quàm hæc, nervos habeat; certum enim est, membranas super ossa adglutinatas habere sensum cæteris acutiorem, quia firmiores & magis tensæ sunt, & plures fibrillas habent.

Nunc paucis enucleationem horum symptomatum ex prædictis principiis dabimus, & febrem deducimus ex perturbata sanguinis mixtione, per ἀταξίαν spirituum, & sanguinem turbari posse ex lib. *de febrib.* à nobis comprobatum est, cùm enim spiritus animales maxima vehementia undique & per totum corpus secundùm lineam rectam proruant, hinc particulæ multæ sanguinis, quæ motui illi veloci & vehementi obsequi non possunt, secedere coguntur, & turbationem ipsius mixturæ causantur. Sic quoque succi acres & corrosivi ceruminis, & serositates in aure collectæ in massam sanguinis facilè immisceri possunt & turbationem excitare, in qua consistit febris essentia, in catarrhis enim vix aliunde incendi febrem existimamus, quàm à mixtura succorum acrium, qui à massa catarrhum nutriente separati cum sanguine conjunguntur, & turbationem ejus inducunt. Vigilias unde, nisi ab ἀταξίᾳ spirituum animalium extraordinaria deducemus? Spiritus enim à doloris violentia irritati in omnes partes impetuosè influunt, sed & ab insomnibus vigiliis delirium facilè hoc in affectu oboriri debet, quoniam spiritus motum omninò irregularem habentes varia cerebri vestigia permeant, id quod idearum confusionem efficit, quas iidem spiritus primo animæ repræsentant; sic & convulsiones ad hanc hypothesin facilè explicari possunt quando enim crispaturæ à motu spirituum irregulari productæ sunt, sufficit succos salsos nervos, qui in membrana meatus auditorii sunt, vellicare, ut irritatio hæc per communicationem nervorum & membranarum omnibus spiritibus communicetur, atque ita in musculis convulsiones producantur.

Inflammationis. Accidit sepe ut *Inflammatio* meatum auditorium duobus modis invadat, quorum primus est obstructio glandularum, à qua cum comprimuntur, humor in iis detinetur & eadem disrumpit, & sic qua data porta ruit; alter est acrimonia ceruminis, quæ etiam suis spiculis rimas facere, vasa dilacerare, & sanguinem ex iis elicere, potis est, hinc obstructio redditur major & dolor.

Ulcerum. Sic quoque *Ulcera* ea hic eodem modo, quo in cæteris corporis partibus, vel per rupturam abscessus, vel per acrimoniam liquoris alicujus, lymphæ puta acrioris meatum ulterius exulcerantis, oboriri possunt. Materiam, quæ in pus abit, non tantum sanguis suppeditat, & glandulæ irritatæ à pure, magnam seri quantitatem è canalibus suis excretoriis emittunt, hinc acris & salsa illa lympha reunionem partium & cicatricem impedit, ea propter difficulter sanantur ejusmodi ulcera glandularum.

Vermium. Quomodo verò *Vermes* in Auribus generentur, variæ sunt sententiæ, nos existimamus illos generari in his partibus ex ovis minutissimis mediante sanguine vel succo nutritio eò delatis, & accedente calore exclusis.

Excrescentiarum. *Excrescentiæ* carnosæ & fungosæ utplurimum exoriri solent à nutrimento, ibidem nimia copia collecto, quia membranea auris ab externa causa violentius distenta dilatatur aut laceratur, vel si à causa interna, levi tamen, erodantur loca membranosa, fit enim exinde, ut fibris a se invicem separatis porisque dilatatis & ampliatis, alimentum partis uberius recipiatur, retineatur, & extrorsum versus talem tumorem generet.

Sic & fungosæ excrescentiæ eodem modo ex dilatatione membranarum, vel casu inductis læsionibus excrescit, talisque tumor mollis sensim incrementum acquirit, & accrescit sæpe in substantiam carneam, & si humor nutritius diu retentus & collectus occultam acescentiam acquirit, hinc sæpe fungi fiunt cancrosi.

Rerum externarum. Sic quoque *Corpora extranea* in meatum auditorium sæpe ex improviso, sæpe studio ab aliis auribus iniiciuntur, ut sunt pisa, globi, nuclei, vespæ (*Obr-Laus*) & si hæc & alia in profundum meatus intrusa sint, difficillimè extrahi possunt, clauduntur enim tunc meatu osseo, qui valde obliquus est, & versus membranam tympani declivis, qui detinentur ibidem à cerumine viscoso, quod ibi colligitur.

Parotidum tumoris. Causam tumoris *Parotidum* immediatam dicimus tum seri & sanguinis; tum aliorum humorum colluviem stagnationemque in glandulis aurium. Sanguis & serum quamdiu naturali suo gaudent circulo & symmetria particularum, corpus nutriunt; quamprimum verò particulæ serosæ sive sylvestres alięque heterogeneæ consistentiam justam sanguinis vitiant, varii excitantur affectus; hæ particulæ ad glandulas parotides delatæ, ibidem subsistentes & quasi captivatæ & incarceratæ, parotides adimplendo turgescentes reddunt, cutem simul attollunt, & sic tumoris hujus causa immediata est στάσις humorum, & ob hanc subsistentiam tumorum ordinariò parotidibus accedit inflammatio

Prognosis Aurium Doloris. §. 11. *Dolores* qui in fundo auris sentiuntur, adeoque in meatu osseo, semper sunt maximè violenti. Quò symptomata atrociora, eo periculum magis imminet. Si dolor hic junctus est febri acutæ, cui accedant insomnia, deliria, convulsiones & lipothymiæ, sunt certè signa lethalia, prout nos bina ejusmodi exempla in praxi nostra notavimus; sic & dolorem hunc interdum stupor partium sequitur, qualem historiam in puella 12. annorum ex globulo vitreo in aurem sinistram immisso notavit *Fabric. Hildan. Obs. 4. cent. 1.* Senibus præsertim dolor hic est grave malum, infantibus per purulentam excretionem facilè solvitur.

Inflammationis. *Inflammationem* si subsequitur abscessus, pessimum est, item quando partes membraneas occupet, & si dolor vehementissimus ipsam comitetur. Dum suppuratur, periculo non caret, quia sæpe cerebrum cum suis membranis afficitur & sic delirium infert.

Ulcerum. *Ulcera* quoque auris difficulter sanantur, difficultas autem sanandi hæc ulcera inde est, quia semper à liquore è glandulis profluente humectantur atque irritantur; omnes enim affectus glandularum sunt difficiliores aliis partibus corporis curatu, materia enim è glandulis emanans, acris quippe & salsa, reunionem partium & cicatricem prohibet. Sic quoque ulcera in meatu osseo adhuc difficilius sanantur, quàm in meatu cartilagineo, quia canalis osseus versus membranam tympani declivis est, & ubi in planum descendit, fossam efficit notabilem, è qua pus non nisi difficulter eximitur, cum è contra meatus cartilagineus concham versus sit declivis, pus & serum statim eiiciuntur, neque ut in altero meatu corrumpuntur. Sæpe etiam in fistulam abit.

Ef-

Effluxus materiæ saniosæ nonnullos etiam à pluribus præservat symptomatibus, cæphalæa, epilesia. &c. quibus levantur sub fluxus hujus continuatione, uti in infantibus subinde observavimus, qui per hujusmodi aurium fluxus plus minus sordidos à pluribus malis, tam externis, quam internis, levati sunt.

Vermium.

Cum pure quandoque *Vermes* variæ magnitudinis & formæ prodeunt, qui maximam corruptionem humorum denotant, & nihil boni portendunt. Vera aurium ulcera & inveterata facilè in fistulam degenerant, vel erodendo occasionem membranis suggerunt, ut hypersarcoma succrescat, quod meatum auditorium obturet.

Rerum externarum.

Sæpe quoque *Res externæ* in aurem immissæ maxima cum difficultate eximi possunt, imò aliquando nunquam, si nempe in profundum meatus intrusa fuerint hæc corpora extranea, clauduntur enim facile in meatu osseo, qui valde obliquus est. Maxima omnium difficultas est, pisa eximere, ea enim in meatu intumescunt & nonnunquam germinant.

Excrescentiarum.

Quod attinet prognosin *Excrescentiarum* illarum fungosarum, si ex ulceribus pronatæ fuere, malum; si carnosæ sint, non aliter quam excisione curari possunt.

Parotidum.

Parotides verò, si cum signis concoctionis die critico, & à natura huc depellantur, bonæ sunt; si verò absque his signis, semper malæ æstimandæ sunt: quale exemplum infelicis abscessus Borellus notat *Cent.* 10. *Obs.* 85. ut & *Cous* ajens: Quæ dolentes ad aures exsurgunt, perniciem minantur.

Verissimum est, Parotides periculosissimas esse, ob membranarum consensum & cerebri vicinitatem, unde facile delirium & phrenitis produci potest. Hinc omnes fere Parotides suspectas habent *Riverius*, *Forestus*, *Rhodius*, aliique Practici celeberrimi; nuper adhuc feliciter in Principe nostro Juniore parotidem in abscessum versam nostra directione curatam vidi, Parotides certè febre non remittente semper pernitiosæ sunt.

Parotidis inflammatio suppurationis expers recidivæ metum affert, & interdum quamvis appareat, pro lethali habetur. Huc pertinet prognosticum *River. Instit. Med. lib.* 3. §. 3. Parotides, inquientis, si nulla subsequatur suppuratio, malum est signum, nisi larga hæmorrhagia, aut copiosus alvi fluxus, nempe criticus & signis coctionis apparentibus succedat. Non verò de omni alvi fluxu existimandum, quod parotides dissipet, sæpe enim in febribus petechialibus aliisque malignis ægros cum Parotidibus apparentibus surripit. Imò suppuratis licet prædictis tumoribus, mortem tamen sequi, notat *Rolfinc. Ord. & Meth. Med. Spec. comment. p.* 161. Deficiente enim robore naturæ, & morbo recidivante, vires ut succumbant necesse est. *Riverius* jubet observare tumorem crescentem ante maturationis tempus aperiendum, ne periculum suffocationis immineat, locum enim non esse capacem ait, ut omnem materiam simul maturare possit.

Diæta horum morborum.

§. 12. Nunc ordo nos deducit ad curam *Diæteticam*: Aer ergo in his morbis sit temperatus, ne accedente ex improviso frigore, obstructio augeatur, sicut observari potest in aliis corporibus glandulosis, quæ his vicina sunt, ubi eadem aeris dispositio parium obstructionum causa est, unde sequitur, succos salsos, qui in motu sunt, diutius detentos & acriores redditos spiculis suis vellicare fibras nervorum & membranas, quam vellicationem excipit ἀταξία spirituum, & per consequens vehemens iste auris dolor & inflammatio; sic & Æther impetuosius repens in hasce obstructas partes facile inflammationem inducere potest, ceu id quotidie fieri animadvertimus.

Sic & in Parotidibus ex improviso accedente frigore humores ad suppurationem tendentes stagnando acriores, & sic indispositi ad laudabile pus producendum redduntur.

Animalis Diæta exoptat quietem, motu seposito, ne spiritus turbati & jam impetuosi facti ulterius moveantur & confundantur.

Tranquillum quoque maneat corpus, ne Spiritus in expellendo occupati viribus destituantur.

Naturalis licet in omnibus febribus & morbis, tum malignis, tum plurimis vacillet, & nullum cibi adsit desiderium, attamen si fortè cibi appetantur, non concedendi sunt difficiles concoctu, ast varia juscula herbis appropriatis maritata, ova sorbilia, carnes vitulinæ, perdices, pulli, &c. & quæ facilem laudabilemque chylum porrigunt, omnia tamen respectu habito ad regionem, consuetudinem, ætatem & circumstantias ipsius morbi: fugiantur angue pejus acida ac frigida. Alvus quoque sit libera, ut & aliæ consuetæ evacuationes, ne graviora superveniant symptomata.

Cura Pharmaceutico-Chirurgica secundum Galenicos in aurium dolore.

§. 13. Sequitur Cura *Pharmaceutico-Chirurgica* quam *Galenici* in *Dolore* Aurium compescendo ita instituunt, ut morbi, à quibus tanquam causis proximis dolor iste procedat, auferantur; si verò ob doloris vehementiam, indeque metuendum virium lapsum integra morborum curatio expectari nequeat, eundem mitigare docent adhibitis convenientibus quibusdam medicamentis, & quidem in humorum frigidorum & crassorum aures occupantium copia, præmissis internis attenuantibus, resolventibus & evacuantibus, nec non externis frictionibus & scarificationibus, ipsis auribus instillant ol. amygd. amar. aneth. Chamomel. Croc. Irin. laurin. nardin. vel cepæ in medio excavatæ indunt parum euphorbii & oleum commune, illamque super prunis ponunt ad ebullitionem olei, quod tepidè postmodum auribus instillant: vel in aliquo aut pluribus ex prædictis oleis coquere solent majoranam, stœchad. salv. saturej. Castor. Croc. aut Af. fœtid. & similiter instillant, vel fotum exhibent ex decoct. malv. majoran. aneth. flor. chamom. sem. fœnig. Croc. &c. In causa calida unanimi ferme consensu, præmissa aliquando venæsectione & clysteribus soluta alvo, lac muliebre vel vaccinum tepidè auri dolenti immittunt, cui interdum vitellum ovi immiscent, vel oleum amygd. dulc. aut rosac. nec non axung. anat. rec. guttatim instillant, aut locum fovent decocto mal. alth. viol. hord. fœnigr. vel cataplasma imponunt ex pane tritic. in lact. coct. additis farin. sem. lin. fœnigr. ol. Chamomill. vitell. ovi & pauco croci: Dolorem ex flatibus excitatum sedant discutientibus & carminantibus, fomento nempe furfuris milii, salis, anisi, carvi; sacculo fl. chamomill. schenanth. nuc. moschat. caryophyll. mastich. mac. &c. repleto & imposito, vel auri immissis Zibetho, moscho, croco, castoreo, aut succo cyrenaico. Vehementi Inflammationis dolori occurrunt albumine ovi cum lacte muliebri recenter emulcto, item oleis amygd. d. rof. viol. lumbric. asellor. quibus aliquando addunt succos portulac. polygonii, auric. mur. umbilic. Ven. &c. In perseverante dolore cum virium prostratione ad narcotica accedunt, ut sensus partis illis hebetetur, adhibitis philonio Rom. succo mandrag. cum castor. theriac. Mithridat. & opio.

Inflammatione.

Inflammationem verò incipientem curare tentant derivatione, naribus adhibitis hirudinibus, vel instituta venæsectione in fronte aut occipitio tum revulsionis gratia in cubito lateris dolentis celebrata, & si repellentibus abigi nequeat, discutientia in medium proferunt, qualia sunt superius in dolore ex causa frigida oborto mitigando memorata, ut fotus ex decocto Chamomill. fœnigr. aneth. meliloth, olea aneth. Chamomel. irin. lilior. &c. quibus si prohiberi nequeat, sed ad suppurationem pergat, eandem promovere student maturantibus, ut Cataplasmate ex rad. lil. cepar. farin. sem. lin. hord. butyr. non salit. Ol. chamomil. & croco parato, & unguento basilico in oleo lin. dissoluto auribus immisso, rupto abscessu, quod vel sponte fit, vel manu Chirurgi ferro armata, aut succo cepar. in quo fermentum sit dissolutum, auri immisso peragitur; materiam purulentam commodè effluere sinunt, hinc locum mundant & abstergunt vino rubro tepido, cui beton. aristol. spic. celt. &c. aliquando incocta fuerint, addito pauco melle vel syrupo rosar. quæ valde in hisce affectibus detergere observarunt.

Ulcero.

Ulcus ut ritè curetur, illud eluunt & mundificant vel vino rubro, vel aceto, in quibus herb. beton. aristol.

aristol. marrub. abrotan. maceratæ, & decoctæ fuerint, vel succos harum herbarum, nec non succum omphacii cum vino dulci & melle ad moderatam crassitudinem decoctos auri ulceratæ insundunt, vel folia olivar. & myrthi contusa coquunt in aqua mulsa ad mellis crassitiem, & simili modo adhibent. His præmissis ad magis extergentia & exsiccantia pergunt, utiturque *Galenus* trochiscis Andronii in aceto dissolutis, vel scoriis ferri in pulverem redactis, & cum aceto ad mellis consistentiam coctis, quibus simul ulcus consolidari promittunt.

Vermibus. Ad *Vermes* ex sordibus ulcerum oriundos enecandos, amaris utuntur, una cum detergentibus, ut succis apii, abrotani, absinthii, fœniculi, felle bubulino quibus pulverem hellebori nigri & aloes aliquando immiscent, vel oleum nucleor. persicor. aut amygdal. amar. instillat.

Rebus externis. *Res externas* quantocyus suadent eximendas, si fieri potest, volsellis tenuibus aut instrumentis auriscalpii forma elaboratis, vel si hisce nihil profici possit, terebella adhibent, ut in globis plumbeis è vulneribus extrahendis fieri assolet, duriora corpuscula sternutatoriis excutere conantur, lubricato prius auris meatu gutta una vel altera olei communis, aut amygd. dulc. & ore narisque manu præclusis. Conatu verò hoc irrito & meatu nimis existente angusto, eundem scalpello aut novacula suadent dividendum, quo liberiùs instrumenta immitti queant, itaque versari, ut res prehensæ commode iisdem eximantur.

Excrescentiis. Ad *Excrescentias* aurium denuò amovendas aut consumendas omnium primò humorum affluxum inhibere student, præmissis evacuantibus & minorativis, instituta sectione venæ, exsiccantibus capiti adspersis, & setaceo aut fonticulo in nucha efformato, filo easdem tandem attrahunt & abscindunt, reliquias erodentibus absumunt, immissis meatui auditorio particulis ceræ, ne ab erodentibus illis lædatur, & exsiccantibus ex lap. calaminar. thut. plumb. & C. C. ustis, thure, mastich. aliisque catagmaticis curationem concludunt.

Parotidibus In *Parotidum* curatione ad tria solent spectare, morbum nempe, causam & symptomata. Hæc tamen, cum neque multa sint, neque gravia, post morbi curationem remittunt, primarium scopum ad causam proximam, à qua morbus fovetur, dirigentes, quæ cum humor quidam sit, sive simplex, sive mixtus, sub tumore latens, ejus evacuationem commodis instrumentis peragendam reposci dicunt, at in criticis naturæ motum non esse impediendum, sed missa venæsectione & purgatione potius promovendum, si debilis sit, linimentis calefacientibus & emplastris attrahentibus ex baccis lauri, rad. bryon. thapsia, sinapi, fimo columbino, euphorb. caricis &c. vel cucurbitulis appositis. Ad morbum vero jam factum debitè curandum, pro dolore & tensione sedandis emollientia adhibent atque laxantia, ut cataplasmata ex rad. alth. malv. lil. alb. flor. chamomill. melilot. far. sem. lin. fœnigr. butyro recenti, adipe suill. medull. ariet. vitulin. vel fotus ex oleo, in quo prædicta simplicia decocta sint, spongia applicandos, vel illitus ex oleo amygd. dulc. chamæmel. melilot. lil. butyr. adip. anser. quibus si dolor cum tensione minus remittat, tumorem pluribus locis suadent scarificandum, & mitigato dolore evacuationi materiæ incumbendum, ut in Parotidibus non criticis fieri assolet, quæ cum inflammatione conjunguntur, in quibus prohiberi volunt humoris vitiosi novam generationem, & geniti jam ad partem affluxum, instituta in sanguinis redundantia ejusdem larga detractione ex secta vena mediana lateris dolentis, atque hac non sufficiente, altera vice in cubiti vena externa repetita; si verò alii peccent humores, ut biliosus, pituitosus, vel melancholicus, eosdem convenientibus remediis purgantibus jubent evacuandos, hisque rite peractis ipsius materiæ in tumore contentæ evacuationi student, impositis primo digerentibus & obscure, post verò manifeste etiam attrahentibus, ut in tumore sanguineo cataplasmate ex farin. hord. tritic. sem. lini, fœnigr. oleo rosaceo ac mulsa exceptis; in bilioso, cataplasmat. ex ovi lut. ol. chamomel. croco & sapa; in pituitoso, emplastro diachylo magno ireato; in melancholico, linimento Oesypo humida, vel unguento basilico, aliisque, quibus si sanguis, vel alii humores sub cute contenti digeri nequeant, eorumdem in pus conversionem promovent, quod cute scalpello aperta eximunt, & sinu abstersο cavitatem cerato diachalcit. *Gal.* s. diapalm. denuò consolidant.

Paracelsistarum opinio de curatione Aurium doloris. §. 14. *Paracelsus* de morbis hisce consultus, in Aurium *Dolore* suadet duplicem instituendam curationem, unam ex aperitivis frigidis de humido resoluto; alteram per stupefactiva anodyna. Remedia in iis convenientia potissimum commendat sequentia:

♃. Thut. pp. s. aceto ʒ ß.
Carab. ʒ j.
Reduc in liquorem.
♃. Hujus liquoris ʒ vii ß.
Alcohol. vini exsicc. ℥ ij.
Reduc per maris præparationem, F. Sief. album,
imponatur more emplastri.

Inflammationis & Ulcerum. In *Inflammationibus*, ipsisque *Ulceribus* Aurium omnibus aliis remediis præfert ipsam thutiam, eamque tanti æstimat, ut ea excepta nihil auribus infundi permittat, cum nulla medicina tam sit subtilis, quin aliquid ex tartaro secum habeat, quo se in auribus separante & loco isti inhærente morbus fiat pejor, & curationi rarò obediat.

Vermium. In *Vermibus* Aurium enecandis & eiiciendis laudat colocynthidem & Sal Vitrioli, quibus subjungit aloen & myrrham, nec non farinam ex abiete putrida, qua vermes ex nutrimento potissimum enecari contendit.

Rerum externarum. *Res externas* commodè suadet eximendas, si aliter fieri nequeat, instrumentis ad hanc rem debitè accommodatis, quorum aliquod sub tridomatis nomine commemorat.

Carunculárum. Ad *Carunculas* & *Excrescentias* Aurium absumendas similiter non multa auribus vult iniicienda, cum malum facilè augeri aut in deterius transmutari possit, sed thutia debite præparata earundem exsiccationem & flacciditatem promoveri permittit, certus quod eadem aliis minus noceat.

Parotidum. *Parotides* ut pro opinione sua commode curentur, hujus sectæ alumni cum Antesignano suo spiritus effervescentes, ebullientes ac inflammatos volunt extinguendos, & naturæ quietem restituendam, quod præstari putant laudano opiato, aliisque narcoticis, nec non stupefactivis anodynis; posthæc venenum per sudores validè expellentia & discutientia propinant, Mercurium nempe diaphoret. flores Antimonii diaphoret. Spiritum Tartari, Aurum vitæ diaphor. &c. In Panaritio & sequens præscribunt remedium:

♃. Sem. hyoscyam.
Papav.
Lolii,
Nigell. aa. ʒ ß.
Fell. tauri ℥ i ß.
Camphor. liquefact. ad pondus omnium, reduc in Sief. siccum.

Fugilici Apostematis. In *Fugilico Apostemate* ab omnibus aquis fortioribus & corrosivis cavendum præcipit, ut & à purgationibus, capitellis, lixiviis acutis, cum per succum emunctorium, id est, per anum purgari debeat; hinc tripartitam ejus constituit curationem, unam per maturationem, per mundificationem alteram, & tertiam per consolidationem. Nullam fieri vult apertionem, quod prava inde sequantur accidentia, sed per se maturescere potius esse, quare ad primam curam maturationem scil. obtinendam sequens laudat imponendum emplastrum:

♃. Ol. laterin. ℥ j.
Opopanac. colat. ℥ ß.
F. Emplastrum super carbone.

Opopanacum per acetum colatur, deinde fit iterum massa & induratur. Mundificatio fit sequenti.

♃. Mellius

℞. *Mellis*
Brunellæ aa. ℥ j.
Aristol. rot.
Aloes epatic. aa. ʒ j.
F. mixtura in modum emplastri, administra cùm jam apostema fuerit apertum. Consolidatio tandem ita absolvitur.

℞. *Vitell. Ov.* No. iiij.
Resin. de botin. ℥ iij.
Farin. tritic.
Hord. aa. *q. s. fuerit pro incorporatione fiat unguentum.*

Helmontii opinio de cura Aurium Doloris.

§. 15. *Helmontius* in Aurium sedando *Dolore* in eo totus est, ut peregrinus ille hospes eiiciatur, quo spiritus insitus Archeusque placaretur, & auris à crispatione cesset; cui scopo quidem hac in parte nullum peculiare præscribit remedium, sed non obscurum præbet indicium, persicariam etiam hunc attactu suo sedare dolorem.

Inflammationis.

Inflammationis curam eo dirigit, ut causa occasionalis, sive spina adimatur, qua depulsa Archeus ab ulteriori accensione redigatur ad quietem, qua in re fel capræ & sanguis anguillæ auribus instillata non contemnendarum æstimantur virium.

Ulceris.

Ulceri Aurium eadem convenire judicat, quæ virus illud corrodens domare possunt, ne conveniens alimentū ulterius corrumpatur, quo superato & correcto sanies sponte desinet, quare succum Cyclaminis auribus instillatum suo benè functurum esse munere non dubitat, omnibus tamen præfert colchotarina, quemvis enecantia corruptorem, modò cautè hoc in casu adhibeantur.

Vermium.

In *Vermibus* enecandis & expellendis etiam hic magni æstimat Mercurium, cum quo aqua viva bullita auri infunditur guttatim, & vermes certò interimentur.

Rerum externarum.

Res externas varias diversimodè eximendas esse, modo instrumentis, modò sine illis, reliquis id consulentibus, haud difficulter assentitur.

Excrescentiarum.

Excrescentias mortificari & extingui credit illitu sudoris morientium, mira in hujusmodi excrescentiis mortificandis vi præditi, eo enim attactæ ita in radice enecantur, ut deinceps sponte sua facilè evanescant.

Parotidum.

Parotides curantur succurrendo Archeo, ut ille confortatus materiam exosam à se depellere, partemque ab ea liberare valeat, qua abacta tumor & distensio cessabunt, proinde sulphur Vitrioli anodynum egregium hic judicatur & salutiferum remedium.

Willisii modus curandi Aurium Dolorem.

§. 16. *Willisius* ad *Dolorem* Aurium abigendum, curam eò dirigit omnem, ut tum morbi fomes præscindatur, tum causa ejus conjuncta eradicetur, & quidem si sanguis nimis æstuans dolorem hunc foveat, eundem vena in brachio lateris affecti aperta emittendum suadet, hinc remedia fervorem ejus compescentia propinat, ut Julapia & decocta refrigerantia ex sero lactis, endiv. tarax. lujul. lign. santal. citr. &c. Si serum in culpa sit, ejus copiam imminuere jubet tum pilulis ex succino & Jalap. tum aliis medicamentis evacuantibus, ut Apozematibus, & Infusis. Succi nutritii & liquoris nervosi vitia itidem corrigenda sunt remediis crasin sanguinis restituentibus, & succi nervei vitia emendantibus, scorbuticis nimirum & cephalicis. Nec omittenda externa, queis dolor ipse mitigetur, & symptomata graviora præcaveantur, quorum variæ formulæ parari possunt, fotus videl. ex decocto altheæ, malv. hyoscyam. solani, flor. Chamomill. Croci, rosar. hyperic. rad. lil. alb. vel Cataplasmata ex rad. alth. flor. chamomill. far. hord. sem. fœnigr. in lacte coctis, additis axung. anser. vitul. vel œsypo & pauco croco, vel olea quædam instillanda sunt Auri, ut aneth. lil. alb. lumbricor. scarabæor. Si his non cedat, cautè ad narcotica pergendum, quale sequens existit oleum aut linimentum Auri dolenti guttatim instillandum.

℞. *Ol. nucl. persic.* ʒ ß.
Papav. alb. ʒ iij.
Hyoscyam. ʒ j.
Camphor. gr. iv.
Laud. opiat. gr. ij.
M.

Inflammationem.

Inflammatio ut curetur, sanguini motus suus est reconciliandus, & à lentore suo in statum debitum restituendus, quod perfici solet venæsectione, hirudinibus & aliquando cucurbitulis sincipiti aut humeris applicatis. Alvus adstricta clysteribus est relaxanda, & reliqua sanguinem temperantia & æstum ejus sedantia intus assumenda, tum pro dolore mitigando superiùs dicta auri applicari poterunt, & si suppuratio præcaveri nequeat, materia impacta digerenda est & maturanda, cui scopo sequens optimè conveniet cataplasma,

℞. *Cepam* No. j.
Butyr. recent. ℥ ij.
Ol. Chamomill.
Rosac. aa. ℥ j.
Croci ʒ ß.
M.F. Cataplasma, auri imponendum.

Pus debitè jam confectum abscessu aperto est eximendum, & cavitas decocto hordei cum melle rosac. à recrementis est mundanda, abstergenda & ritè consolidanda.

Ulcus.

Ulcus Aurium ut debitam admittat sanationem, sanguis universus à recrementis est expurgandus tum evacuantibus ex carthamo, sena, Jalap. &c. tum decoctis lignorum, aliisque reliquis ulceribus convenientibus, mixtis cephalicis, hinc ulcus ipsum mundificandum, particulæ acres mitigandæ & eliminandæ sunt decocto majoran. menth. beton. heder. terrestr. nicotian. succis apii, centaur. min. marrub. &c. auribus inspersis, iisque turunda iterum mundatis & abstersis, pro majori verò materiæ humidæ exsiccatione, decocto scoriar. ferri & aristol. rotund. nec non fumo ex gum. sandarac. mastich. myrrh. succin. auri per infundibulum immittendo. Consolidationi promovendæ balsamus de Copaiba non parvum præbebit juvamen.

Vermes.

Vermibus enecandis & expellendis varios adsignat succos amaricantes & putredini resistentes, ex absynth. flor. & fol. persic. scord. rut. fel bubuli, aloen, ol. amygd. amar. colocynth. &c.

Res extraneas.

Rebus externis iterum eximendis eandem commendat encheiresin, quam præcedentes jam manifestarunt.

Excrescentias.

Excrescentias optimè Mercurio Præcipitato absumi posse affirmat, sed caute hic versandum esse consulit, & sive medicamentis hisce cathæreticis, sive sectione adimantur, ejus regenerationem præcavendam, inspersis in cavitatem ad locum illum, cui istæ inhæserunt, pulveribus exsiccantibus ex aristol. thut. myrrh. sarcocoll. ærug. æris, &c.

Parotides.

In *Parotidibus* curandis, ab initio in eo totus est, ut sanguis evasatus circulationi restituatur, & succus nutritius stagnari cœptus resolvatur, secta vena in brachio, & diaphoreticis sale volatili præditis intus exhibitis, exterius verò ipsi tumori illinit olea resolventia, ut lumbricor. Chamomill. nuc. jugland. aranear. vel emplastrum diachylum tum simplex tum compositum imponit, &, si discuti nequeat, suppurationem promovet cataplasmate ex cepis in Inflammatione superius manifestato, pus hinc confectum tumore aperto præcipit eximendum, & curam residuam eo modo, qui in ulcere jam traditus est, commode absolvendam.

Sylviana cura in aurium Dolore.

§. 17. *Sylvius* in curatione aurium *Doloris*, ut in aliis ejusdem speciebus, ad tria necessaria præstanda respicere solet, videlicet ad objecti dolorem inferentis ablationem aut emendationem; ad sensorii læsi reparationem, & urgente dolore ad sensus stupefactionem. Doloris causa externa aufertur amovendo & fugiendo quicquid sensum auditus lædere potest, ut clamorem & sonitum magnum, tonitrua, item ventos æstuantes. Interna causa aufertur, si sanguis peccet, venæ sectione, si humores alii, eorundem

dem

dem evacuatione. Emendatur causa externa, obvelando aurem tegmine molli, quo radii sonori absorbeantur, ne forti repercussione sensorium hoc auditus ulterius lædant. Sensorium verò ipsum pro diversitate læsionis variè reputatur. cujus quædam species inferius venient perpetrandæ. In genere tamen, si causa sint pituita & flatus, convenient spirituosa & Salia volatilia oleosa carminantia, ut oleum baccar. laur. rutæ, castor. destill. majoran. salv. macis, carvi, item crocus, decoctum Chamomill. & caryophyllor. in vino rubro, spiritus otalgici varii, &c. In dolore ardente lac muliebre laudant & fotum ex decocto malv. alth. aneth. chamomill. sem. lin. cap. papav. in lacte vaccino parato. Sensui inducitur stupor narcoticis & opiatis prudenter adhibitis.

Inflammatione. *Inflammatio* Aurium etiam rectè curabitur secundùm Authorem hunc nobilissimum, sanando & auferendo quemvis tumorem vasa comprimentem, & eorundem obstructionem à pituita viscida reserando, & sanguinem coagulatim fluxilem reddendo salibus volatilibus & diaphoreticis interius assumptis, & aliquando instituta venæsectione, externè verò dissolventibus, ut oleo lil. alb. chomomelin. aneth. laurin. Unguent. alth. compos. hinc sanguinem ipsum è vasis suis effusum, & per partes vicinas diffusum removendo, & coagulationem ejus impediendo, dissolutis partibus ejus crassioribus, discussis tenuioribus, & temperatis acrioribus per eadem diaphoretica & externa jam memorata, vel fotum ex plantis aromaticis & discutientibus; si verò sanguis his resolvi & discuti nequeat, sed ad suppurationem & abscessum tendat, illa confectio puris est promovenda & acceleranda medicamentis emollientibus ex rad. lil. alth. fol. malv. branc. ursin. sem. lini, fœnigr. far. hord. caric. Axung. hum. &c. medullis ac oleis ex superioribus jam cognitis, Unguento Agripp. emplastro diachyl. simpl. & cum gumm. vel sequenti cataplasmate,

℞. *Cepar. sub ciner ib. coct. & contus.* No. ij. *vel, si major existat*, N: j.
Rad. lil. alb. simili modo parat. ℥ i ß.
Caric. ping. in lacte coct. & contus. N. iiij.
Pulv. sem. alth.
Lin. aa. ℥ ß.
Axung. vitul.
Butyr. recent. aa. ℥ i ß.
Ol. chamomill.
Fl. sambuc. aa. ℥ ß.
Croc. ʒ ß.
M. F. Cataplasma,

Pus genitum absque mora est educendum, ne acrius redditum dolorem augeat, & partes vicinas corrumpat; quare si sponte abscessus non aperietur, cultello aut ruptorio ex sapone & succo cepar. vel caricis contusis appositis, vel alio conveniente puri exitus est parandus: & si post abscessum hunc apertum relinquatur.

Ulcere. *Ulcus* Aurium, illud prius mundificandum erit vel decocto lupinor. vel succis apii, heder. terrestr. betæ, centaur. &c. cum melle rosaceo, postmodum consolidandum linimento ex rad. aristol. thut. sarcocoll. lithargyr. cinnabar. melle rosaceo exceptis, vel, quem Author hic ob laudabilem ejus tum in mundificando, tum consolidando effectum reliquis omnibus præfert, ipso balsamo Sulphuris terebinthinato, cujus guttula una vel altera ulceri, aliquando instillata, pauco dierum spatio ejus curationem felicissimè absolvet.

Vermibus. *Vermes* si ex putredine in ulcere hoc aurium geniti sint, eos enecandos vult amaris, ut succo tenaceti, persicar. Decocto helleb. fellib. animal. ol. amygdal. amar. & potissimum mercurio dulci.

Rebus extraneis. *Res extraneæ* quantocyus expellendæ aut eximendæ sunt, meatu auditorio aliquando oleo quodam lubricato, ut eò facilior reddatur exitus.

Excrescentiis. *Excrescentias*, si fieri potest, filo attrahere suadet, ut funditus exstirpari queant sectione, adspersis postmodùm medicamentis exsiccantibus, vel pulveribus exedentibus, sed tutioribus, easdem pedetentim, absumendas permitit, ut sunt alumen ustum, ærug. æris, cort. granat. gallæ, &c

Parotidibus. *Parotides*, quando possibile, discutiendæ sunt, si vero hoc impetrari nequeat, ad maturationem & suppurationem deducendæ, quæ cuncta iisdem obtinentur remediis, quæ superius in Inflammatione jam sunt prolata.

Cartesianorum Opinio de Curatione Aurium Doloris. §. 18. *Cartesiani* ad mitigandum Aurium *Dolorem* toti pene in eo sunt occupati negotio, quo nimiam fibrillarum exagitationem impediant, easque dislocatas in pristinam & decentem reponant configurationem, quod tum facilius fieri credunt, quando causæ noxiæ prius amoveatur, aut ita superentur, ne fibrulas illas particulis suis acutis ulterius vellicent, hebetantibus videlicet, & aliquantum ramosis, particulas illas noxias invisćantibus, & ad quietem disponentibus, quod omnium optimè diaphoreticis, poris laxioribus præditis obtineri rentur, quo particulæ nocivæ pungentes absorbentur, sicque captæ una cum illis subsequuto sudore eiiciuntur, & interstitia fibrillarum partium auris ingressui non modò materiæ æthereæ, sed & secundi elementi, aliisque particulis paulò crassioribus ita redduntur conformia, ut nullam ulterius inferant noxam, hinc sequens mixtura sudorifera non contemnendi habetur usus,

℞. *Aq. puleg.* ℥ ß.
Spir. C. C. essentif. gt xij.
Antimonii diaphoret. ℈ j.
Salis rorismar. ℈ ß.
Volat. succin. gr. iiij.
Syr. de beton. ʒ iij.

M. D. una vice corpus ad sudorem disponendo. Ut autem posthæc fibrillæ commodius pristinam recuperent configurationem, & impressio vellicationis istius dolorosæ complanetur, auri etiam extrinsecus idonea quædam instillant remedia, ut sequentem mixturam paucis guttulis calidè quandoque instillandam.

℞. *Essent. Heder. terrestr.* ʒ j.
flor. melilot ʒ i ß.
Succ. nicot. rec. ʒ j.
Spir. C. C. essent. ʒ ß.
M.

Intensis nimium fibrillis istis, relaxationem earundem parant fotu quodam convenienti; verb. gr. ex decocto rad. alth. fol. malv. flor. lil. alb. & chamomill in aqua & urina pueri facto, & ne nimia hinc sequatur humectatio, brevi submittunt suffumigium ex Gummi Junip. & succino superfluam humiditatem egregiè exsiccans. Inter mitigantia quoque recensent olea nonnulla lubricis & ramosis suis corpusculis angulos acutos hebetantia, qualia sunt oleum verbasci, lumbricor. scarabæor. quibus guttulæ quædam olei destillati anethi sint intermistæ. Ad narcotica raro non nisi extrema postulante necessitate accedunt.

Inflammationis. *Inflammationem* Aurium debitè curaturi, nihil intermittunt opere, quæ poros partium ab heterogeneis illis particulis ex sanguine evasato & corrupto oriundis liberent, ut sufficiens particulis convenientibus pateat transitus, nec sola ignita materiæ æthereæ corpuscula nociva eosdem pertranseant, quod similiter convenientibus sudoriferis obtinetur, quibus subjungenda externa quædam discutientia, coagulatas particulas ex sanguine corrupto resolventia, & acutas particulas pungentes obtundentia, quod tum spirituosis alcalicis, ut spiritu urinæ, Salis Armoniaci, lumbric. C. C. tum oleosis temperatis & alcalicis saturatè impraegnatis, ut oleo asellor. lumbricor. cancror. scarabæor. castor. cum Sale volat. cranii, aut Corn. C. succin. &c peragere solent, & quandoque essentiis aneth. Chamomill. Roman. Spiritu vini extractis. Fibrillis autem jam ità ruptis, ut particulæ earundem secedentes cum succo nutritio se commisceant, & massæ purulentæ

lentæ sufficiens spatium relinquant, quo abscessus colligeretur, ejus maturationem promovent cataplasmatibus ex farin. fœnigr. medull. panis alb. pulv. flor. melilot. in lacte coctis cum ol. chamomilli. ovor. axung. gallin. & croco. Pus bene maturum rupto abscessu eximunt, & cavitatem emundatam commodè claudunt.

Ulceris. Hoc verò si pro voto non succedat, sed propter acrimoniam puris *Ulcus* per tempus aliquod relinquatur, illud bene abstergunt & emundant, vel urina pueri in qua agrimonia & lignum Guajacum aliquantum fuerint macerata, vel phlegmate spiritus urinæ, vel succo marrub. cum melle rosato tepidè instillatis, & quo citius hæc præstent juvamen, non negligunt etiam hoc in casu interna sudorifera, ut essent. rorismar. lignor. Tinct. Tartari Antimoniat. &c. Sordidius emundant decocto ligni Guajaci, in quo parum unguenti Ægyptiaci sit dissolutum, quo nimia humiditas optimè simul exsiccabitur; ea verò siccitate obtenta consolidatio facilè subsequetur, vel sola aliquando inspersa thutia præparata, vel additis huic pulveribus rad. aristol. rotund. sarcocoll. myrrh. & cum syrupo de rosis siccis in linimentum aliquod redactis.

Vermium. *Vermes* in auribus aliquando generatos, vel jam vivos ab extra in aurem ingressos, ne mordicando dolorem adaugeant, vel dulcibus, ut lacte calido, pomo cocto, &c. vivos eliciunt, vel amaris priùs enecant, qua de causa sequens *Plateri* dudum jam probatum remedium etiamnum singulari habent in usu:

℞. *Colocynth.* ℈ ß.
Aloes ʒ ß.
Hellebor. alb. ℈ j.
Cum succo Persicariæ F. instar linimenti.

indatur auri aliqua ejus portio. Etiam sequens ejusdem Authorés experientissimi in enecandis & eiiciendis vermibus illis maximè arridet remedium, quod constat ex pinguedine capi, oleo coryoli & pauxillo Mercurii dulcis, in unguenti formam redactum, & bombace auribus verminantibus inditum.

Rerum externarum. Reliquas *Res externas* varii generis auribus illapsas, qua fieri potest ratione, denuò volunt eximendas, vel saltu, aut forti sternutatione, naribus & ore obturatis, expellendas, ne auditui ullum inde procreetur damnum de quarũ encheiresi paulo nunc spatio pluribus agemus.

Excrescentiarum. *Excrescentias* interdum mediocribus consumentibus iterùm destrui posse concedunt, ut alumine usto, ærugine æris, aristol. ust. myrrh. &c. interdum verò vel nunquam, vel sedula operatione cum filo attractas commodo instrumento abscindi, atque sic, non tamen citra molestiam ægri & operatoris, auferri, loco vulnerato adhibitis exsiccantibus ex thutia & pompholyge.

Parotidis. *Parotidem* non absimili modo ac incipientem Inflammationem curari posse existimant, assumptis diaphoreticis poros dilatantibus, particulas heterogeneas dissolventibus & attenuantibus, ut commodius exhalent; quod si præstari nequeat, appositis externis maturationem promovent, & eodem modo ut in abscessu procedunt; aliquoties tamen in junioribus oleo chamomill. & scorpion. nec non emplastro diachylo simpl. effecerunt, ut vel discussæ fuerint, vel sine ulterioribus aliis remediis ad suppurationem commodè dispositæ, & post apertionem lancetta factam pure exempto emplastro stictico cum cerat. de beton. mixto, & balsamo Peruv. malaxato felicissimè sanatæ; in malignis verò & pestilentialibus Emplastrum magnet. A. S. & theriacalia magis exornant encomiis.

Nostra ratio curandi Aurium Dolorem. §. 19. His præmissis ad *Nostra* remedia progrediamur, quæ ad *Dolorem* Auris maximè sensilem sedandum diversa esse debent, pro diversis morbi causis Auspicanda ergò doloris curatio à causarum externarum, antecedentis item & continentis per contraria ablatione. Si dolor proinde à frigore fuerit subortus, contra frigus & procellis agitatum aerem defendenda venit auris; applicatis super aurem omnibus illis, quæ calefacere possunt, frigida enim, acria, & acida auribus sunt inimica, ut & repellentia dicta topica applicata, ex quibus sæpe majus damnum, quam emolumentum ægris affertur, de quibus legi meretur *Obser.* 82. *Ephem. German. Ann.* 6. & 7. Præstat ergò species pro fomento sacculo inclusas cum lacte coctas auribus imponere. Ex. gr.

℞. *Herb. salv.*
Calaminth.
Rorismar.
Meliss.
Hyssop.
Flor. Chamomill. aa M. j.
Sem. fœnic ʒ j.
Bacc. lauri No. ij.
Dentur incisa pro sacculo, vel in vino coq. & vapor auribus excipiatur.

Panis quoque calidus cum sem. carui vel aneth, coctus & discissus auri applicetur sæpius. Vel infundatur ol. amygd. amar. rec. cum guttula una vel altera ol. d. caryophyll. vel carvi, aneth. anis. & cum gossypio moschato auris obturetur: Quæ jam dicta remedia sale abundant volatili valde penetranti, hasce partes facile calefaciunt, poros & canales glandularum aperiunt, & circulationem humorum adjuvant: hinc & convenit Spiritus formicar. Cum dolor vero hic sit à congestione seri scil acris & salsi, qui chronicos & molestos affectus producere solet, hic conveniunt spirituosa, quæ tamen cum cautela applicanda sunt; nihil spiritibus auris magis alienum est, quam humor talis peregrinus excipiatur ergò in eum finem fumus tabaci, vel ex thure, mastiche, succino, gum. sandarac. Omnia hic quoque conveniunt remedia sale volatili alcalico prædita, aciditatem humorum serosorum destruentia, nec non ambrata, moschata, Essentia scil. ad auditum *Michaelis* sequens:

℞. *Fol. asar.* M. iij.
Lauri,
Herb. Card. ben. aa. M. j.
Flor. stœchad. Arab. P. iij.
Chamomill. Rom. M. j.
Sem. raphan. ʒ ij.
Cepar.
Porri aa. ʒ i ß.
Cumin.
Carv.
Aneth. aa. ʒ j.
Rad. asar.
Cyclam. aa. ʒ i ß.
Elleb. alb. ʒ j.
Incisa & contusa grosso modo, infund. spiritui formicar. tum instillentur aliquot guttæ.

Convenit præprimis Tinctura mea nepenthes in aurem immissa guttatim.

Spiritus Otalgicus *Myns.* Aqua Apoplect. *Lang.* Anhald. Acovist. *Mind.* sunt polychresta roborantia auribus remedia. Laudantur cepa sub cinere assata.

In dolore aurium egregium quoque est remedium, ob vim suam anodynam oleum scorpionum, vel scarabæorum per infusionem paratum, ad guttulas aliquot cum bombace auribus inditum, vel cum lacte muliebri commixtum. Solum lac muliebre tepidum è mammis emulctum auribus instilletur.

℞. *Ol. Chamomill.*
Aneth. aa. ʒ j.
Hyoscyam expr. ʒ ß.
M.

Balsamus Sulphuris sequenti modo paratus in dolore aurium est egregius.

℞. *Sulph. part.* j.
Ol. terebinth. p. jv.

coq. in aren. ad. solut. sulph. instar balsami rubri, ei affunde Sp. vini rectif. digere ad Tinct. decanta & inspissa in Balneo; qui remanet balsamus est, & potest per Retortam destillari in oleum dulce.

Nec hic interna negligenda sunt, imprimis diaphoretica cinnabarinis mixta in Otalgia omnem implent paginam, lympha enim, ceu diximus, omnium affectuum aurium est causa, quæ omnibus modis emendanda, dissipanda & in ordinem redigenda. Hic ergo præ aliis conducit balsamus noster nervinus vel lig. C. C. succinat. Essent. viperin. anodyna *Wedellii* permixta, & sæpius exhibita. Tinctura succini per vices

vices exhibita nostra experientia est polychrestum remedium. Vel detur sæpius sequens pulvis.

℞. *Specif. Cephal.* Mich. ℈j.
Pulv. anodyn. gr. iiij.
M. F. Pulvis.

Detur una vice, & reiteretur aliquando.

Pulvis anodynus confortans est sequens.

℞ *Magister, Cordial.* ʒ iij.
Laudan. opiat. ʒß.
M. F. Pulvis.

Vel spasmodicus noster.

In contumaciori malo & decoctum lignorum cum herbis appropriatis sæpe magno cum fructu profuit; item conducit Tinct. Antimonii volatilis nostra, Sp. cephalicus.

In doloribus hisce sæpe quoque ad caput aliaque viscera respiciendum est, hinc conveniunt sæpe in sexu sequiori antihysterica, splenetica, aliaq; ut Tinct. Martis nostra. Dolorem hunc sępe unico vesicatorio in nucha applicato curavi. In graviore & diuturniore etiam conveniunt fonticuli, setacea, &c. Si simul humor ex auribus effluat, assumat pilulas *Ruffi*, cum extracto Rhabarb. vel sequens hydragogum, cautè tamen purgantibus incedendum.

℞. *Pulv rad. laxativ.* ℈j.
Resin. Gialapp. gr. iiij.
Salis euphras. gr. v.
M.

Si à rebus externis in aurem immissis dolor hic obortus fuerit, illæ ut exsiccentur necesse est, de quo modo inferius dicemus. In his doloribus non opus est tanto apparatu, modo interne exhibeantur opiata, imprimis Tinct. nepenthes, qua sola plures feliciter curavimus, exhibendo 30. ad 40. guttas.

Ratio curandi Inflammationem.

Si verò dolor auris ab ejus *Inflammatione* dependeat, ea curanda ut alia inflammatio, vel erysipelas nam hic eædem indicationes observandæ sunt, quæ in cæteris aliarum partium inflammationibus. Abstinendum est à carminativis aliisque nimis acribus, sed eligenda sunt blanda diaphoretica, interna & externa anodyna & demulcentia, non enim statim ad suppurationem accedendum est; nec Venæ sectio tam cito instituenda, quod tamen sæpe magni nominis Medici & Chirurgorum vulgus facere solent, non sine ægri periculo & tortura. Ut inflammatio tollatur, succus evasatus discussione suis vasis iterum asserendus est. Auribus imponantur varii sacculi ex florib. sambuci, hyssopi, aliisque herbis parati & lacte incocti, vel infundatur auri ol. amygd. amar. dulc. cum gr. j. vel altero camphoræ; alii oleum ovorum magnificant, auribus per vices immissum, & ol. rosato vel nymph. permixtum. Pinguia verò & oleosa mihi valdè suspecta sunt, potest melius cataplasma emolliens & discutiens ex prædictis parari & auribus imponi.

Si autem pertinax sit inflammatio, & ad suppurationem tendat, maturantibus utendum est, qualia sunt cataplasmata ex mica panis, cepis coctis, bulb. lil. flor. chamomill. melilot. &c. In ulcere recenti & inveterato internè conducit Decoctum sequens:

℞. *Rad. chin. rub. tinctor.* aa. ℥iß.
Enul. camp. ʒij.
Bacc. lauri, Iunip. aa. ʒiß.
Rorismarin. ℥ß.
Salv. ʒij.
Salis Tartari ʒß. *coq. in vin. colat.* ℥xl. *add. Oxymell. syll.* ℥j. *M. Conducet quoque Sal volat. Oleos.*

Ulcus.

Cum abscessus fuerit apertus, ad extergentia fugiendum, quæ non tantum obstructiones reserant, sed & mundant, inter quæ sunt aristol. raphan. rust. cepæ, & amara, ipsæ quoque rad. hellebor. collocynth. imprimis absynthium in lacte coctum, & per injectionem adhibendum; flor. persicor. asarum, rosmar. chamomill. ut & ol. amygd. amar. velut basis omnium oticorum extern. quæ omnia in ulceribus aliisque sordibus proficua sunt, &, si ulcus valde putridum & sordidum sit, frustum spongiæ imponatur, quod imbibit pus, ac arcet aerem ambientem, & præsertim indatur seq.

℞. *Elix. vitæ* ℥ß.
Tinct. castor.
Ass. fętid. aa. ʒ iß.
Spiritus Salis Armoniaci ʒß.
Camph. ʒij. *M.*

Tincturam aloes cum Sp. vini paratam magnifacio, ad guttulas aliquot immissam, vel tinctur. myrrh. &, si valde profundum fuerit, balsamum viride nostrum proderit. Cùm detersum fuerit ulcus, exsiccandum deinceps & ad cicatricem reducendum, ubi laudatur vinum granatorum descriptum à *de Vigo*; sed cum auris sicca expetat, possunt in formam pulveris, vel fumi, vel balsami exsiccantia adhiberi, quæ parari solent ex mastiche, succino, sandar & thure, aliisque, quæ enim alibi diximus de ulceribus, hic etiam proderunt, quo lectorem brevitatis ergo remittimus. Sed hic asterisco notandum, ne apparentia hujusmodi ulcera aurium seu effluxus earundem plus minus saniosi nimis cito sanentur, præsertim in subjectis humidioribus, & infantibus, ne pejora symptomata oboriantur, ceu plura novimus exempla; hoc in casu meatus auditorius tantum mundus servetur, & elavetur quotidie urina humana, vel aqua Salis Armoniaci infusa.

Ratio tollendi Vermes.

Ad interficiendos *Vermes* amara commendamus auribus iniicienda, ut succum absynth. flor. persicor. centaur. min. decoct. colocynth. vel etiam guttas aliquot olei amygd. amar. cum oleo tenacet. vel ol. diacolocynth. maritati; item convenit oleum nucleor. persicor. cum essent. fellis perdicis vel lucii piscis maritatum, fel enim animalis alicujus hic optimè conducet. Sequens mixtura oleosa non sine insigni adhibebitur juvamine.

℞. *Ol. diacolocynth.* ʒ ij.
Nucl. persic.
Amygd. amar. aa. ℈j.
Ol. d. ligno coryl. gt. iii.
M.

Sic quoque urinosa hoc in casu conveniunt. Ephem. Gallor. de anno 1677. commendant spiritum vini tanquam infallibile remedium contra vermes aurium. Ex remediis hisce illa, quæ oleosa sunt & spissa, excellunt, & quidem eo nomine, quod insectorum rostella & proboscides obturent, atque ita eo momento suffocent. Hic & omnia anthelminthica in Encyclop. Med. jam dicta proderunt. Sæpe & allicitur vermis imposito dimidio pomo excavato, mox enim vermis ex aure properat in cavitatem pomi.

Et cum acidum viscidum in corpore peccet ubi vermes hospitantur, hinc id corrigendum est; in quem finem seq. vel simile decoctum præscribere soleo.

℞. *Lign. sanct.* ℥ iij.
Sassafras. ℥j.
Rad. gentian.
Angelic. aa. ℥ß.
Bacc. lauri, Junip. aa. ℥j.
Herb. cent. Cochlear. aa. Mj.
Sal Tartari Vitriolat. ʒj.
Inf. 🜄 *coq. in s. q. seri lact. colaturæ ad* ℥xxx. *add. oxymel. scyllit.* ℥j. *vel delicatulis infund. vino & amaræ possunt interponi.*

℞. *Essent. absynth. camp.* ℥ß.
Elix. vitæ ʒv.
Tinct. corallor. ʒj.
Ol. sassafras gt. xv.
Aurant, gt. x.
M.

Assumantur 60. guttæ in vino mane stomacho jejuno: dentur per septimanam bis pilulæ seq.

℞. *Resinæ guajac.* ℈ß.
Gumm. ammon. gr. iv.
Mercurii dulc. gr. iij.
Ol. sassafras q. s.

In infantib. quibus non multa exhiberi possunt, solum decoct. rad. contrayer. vel chinæ conducet, & in vino malv. exhibeantur guttulæ 6. vel 9. seq. Mich.

℞. *Elix. vitæ* ʒj.
Sal. volat. oleos. ʒß.
Ol. sassafras gt. x.
M.

Externè conducet in ulcere ipso seq.

℞. *Elix. vitæ* ℥ j.
Tinct. myrrh. ℥ ß.
Spir. Sal. Armoniac. ʒ ij.
Extr. centaur. min.
Gentian. aa. ʒ ß.
Camphor. ʒ ij.
Ol. lign. sanct.
M.

Si verò alia animalia in aurem irrepserint, ea variis blandioribus elicienda sunt, vel lacte, vel oleo olivar. scorpion. Legimus exemplum in *Ephem. ann.* 4. *Observ.* 50. quod gryllus in aurem irrepserit, & immissis 8. guttis olei gryllorum cum ol. olivar. parati gryllus in aure mori cœpit. Simili modo aurium illa vespa seu scolopendra parva, portione pomi dulcis recens incisi & auribus admota elici potest, ut pulex, ex suasu D. Riverii, pilis caninis in globum convolutis & auri insertis allicitur, ut iisdem inhærens una cum iis eximatur.

Sic semiebrius quidam frivola stimulatus petulantia, socio ebrio inter pocula obdormiscenti mingit in aurem; hinc expergefactus sentit dolorem auris & capitis, succedente delirioso capitis stupore ac calore insigni, ob lixiviosam urinæ, organa auditus delicatissima partesque nervosas titillantis atque debilitantes, salsedinem. Pro acri lixivio immisso & partes inflammante dulcificando, auri infunditur mucilago è semine psyllii & cydoniorum aqua symphyti facta vapor item è flor. verbasci, pœonia, chamomill. semine lini &c. in lacte coctis eidem per infundibulum communicabatur: internè verò exhibitis nervinis roborantibus, cinabarinis, succinatis, castorinis, item alterantibus Tinctur. flor. pœon. papav. err. nitratis, non omissa insimul opiatorum portiuncula, pro sopiendo spirituum cerebri ac nervorum fervore, sanitatem recuperavit; ceu id testantur *Ephem. Ger. Ann.* 4. *Observ.* 144. Dolor quoque à formica aurem ingressa curabatur lacte calefacto auri apposito: dulci hujus vapore vix ingrediente regrediebatur molestissimus iste hospes.

Res extraneas.

Si corpora *externa* in meatum auditorium incidant, ante omnia hæc extrahantur, quod ut dextrè fiat, perpendendum est, an corpora talia sint ut emolliri possint, sicut ipsa, vel an dura sint, ut globi vitrei, plumbei, nuclei, &c. Videndum etiam est, an corpora ista in meatu cartilagineo, an verò in meatu osseo lateant. Si corpora mollia sint & in meatu tantum cartilagineo, eò annitendum, ut frangantur, vel cochlear ab *Hildano Observ.* 4. *cent.* 1. designatum pone ea adigendum, quod in parte flexibili, qualis est cartilago auris, haud difficulter fieri potest, atque ita eadem extra meatum protrahi: idem fieri potest circa corpora dura, quæ sunt in eodem loco, & cochleari vel terebello eximi possunt. Quod si verò corpora extranea in meatu osseo hæreant, illumque in totum adimpleant, difficillimum est ea cochleari vel terebello eximere; melius verò est incisionem facere pone aurem, & versus ejus partem superiorem, id quod hoc loco satis tutò fieri potest, cum nullum ibi vas sit notabile; eo modo evitari quadantenus potest obliquitas meatus, & adhiberi terebellum, cujus usus potissimum est in globis plumbeis extrahendis. Sed prius iniicienda sunt ad vias lubricandas varia olea, præsertim verò amygd. dulc. &, si nucleus vel pisum in meatum osseum fuerit intrusus, qui propter figuram ovalem utraque sui extremitate posset adprehendi, utendum est instrumento descripto à *Fabric. Hild.* quod tenaculum nominat; oportet autem ut genuina cura conficiantur hujusmodi instrumenta, ex optimo chalybe, ut tenuia fieri possint, &, si incurventur, ex seipsis iterùm recta fiant. Sed cavendum in his operationibus, ne membrana tympani lædatur

Excrescentias fungosas & carnosas.

Ad *Excrescentias fungosas & carnosas* Auri adnatas vel innatas tollendas meretur legi *Obs.* 1. *cent.* 3. *Fabr. Hildani*, ubi describit excrescentiam fungosam & scirrhosam, quæ meatui innata erat post abscessum, antequam verò illam aggrediebatur, præparabat cum cura ægri corpus, quo facto, quantum poterat, auferebat. Si excrescentia hæc magna est; & extra meatum prodit, abscindenda est vel forficis cuspide, vel cultello incisorio, vel etiam filo liganda, & dein abscindenda, ad sanguinem sistendum liquor stipticus usurpetur, & dein Eschara inducatur, sed cavendum, ne membrana interna lædatur causticis. Eschara inducta applicandæ sunt aliquot guttæ olei ovor. vel amygd. ad eandem separandam. Alii illinunt unguentum fuscum VVurtzii. Deinceps detersivis & mitigantibus remediis utendum, ut incarnetur ulcus & cicatrisetur, subinde tamen mistis ejusmodi remediis, quæ renascentiam fungorum impediunt, ut sunt omnia acidum imbibentia, ex. gr. C. C. ust. pulv. myrrh. pomphol. sacchar. Vitriol. paululum enim vitrioli solutum in sufficienti quantitate decocti alicujus vulnerarii admodum proficuum erit, si injectiones ex hoc liquore fiant in aurem, & tormenti aliquantum hoc liquore imbutum in aurem imponatur, & imprimis utile erit tormentum si facile possit imponi, comprimit enim ulcus & excrescere carnem prohibet. Ad cancrosas excrescentias nulla cura superest, nisi ab initio pars superflua exstirpetur & radicitùs tollatur, tollitur enim fungus ex aure scirrhosus vel instrumentis vel ligatura, vel caustico, &, si hoc fieri nequit, cura palliativa utendum, & tantum majus incrementum impediendum, & hoc obtinere possumus, si quotidie parti affectæ inspergamus pulveres ex aristolochia, myrrh. Saturno, saccharo, Vitriolo, lapid. 69 calce viv. & similibus paratos, quandoque & opus est Præcipitato, si hic non suffecerit, malum lethale est. In mitiori verò casu interna; imprimis diaphoretica remedia non negligenda, quæ jam ad nauseam usque superius diximus.

Ratio curandi Parotides.

Parotidum curationem aggressuri monemus, ne externa tantum, sed & interna assiduè adhibeantur. Ex Chirurgicis præsidiis in tumore orto aliquando vesicatoria posteriori cervicis parti admota, quatenus portionem seri peccantis derivant, non contemnendi sunt usus, & fibrillas commovent.

Externè quoque applicentur varia, quæ præsertim calore suo laxent poros, humoresque ad motum incitent, laudatur in eum finem nostra experientia Empl. stict. nostr. vel *Paracels.* Magnet. Salæ, Oxycroc. Diachyl. Caricæ cum butyro frixæ, Gumm. Ammon. Galban. crocat. *Myns. Vigon.* cum Mercurio, nostrum Mercuriale, Emplastrum ad Parotides *VVedel.* quod sequens est.

℞. *Emplast. magnet.* A. Sal.
Diachyl. aa. ℥ ß.
Ol. N. M. q. s.
Camphor. gr. iij.
M.

Emplastrum de melilot. cum gumm. Ammon. in Aceto solut. anat. portione malaxat. c. ol. nicotian. irin. scorpion. applicatum egregiam sæpe navat operam; sic & hæc dicta olea illinantur & dein imponatur emplastrum. Suppuratione jam facta ulcus mundificandum cum digestivo communi ex terebinthina, vitell. ovor. & ol. rosac. cum aa. ℈j. adde camphoram.

Internè quoque varia expellentia & acidum corrigentia exhibeantur, omnem fere paginam absolvunt Alexipharmaca ac diaphoretica, inter quæ palmam aliis præripit specif. cephal. D. *M.* in omni Parotide cum vel sine malignitate proficuum, ut & pulvis spasm. ac temperans noster. Nec pejoris notæ sunt Antimonium diaphoret. Antihect. & Stomach. bezoard. min. *Poter.* Sal volat. C. C. viperar. omnia cinabarina, liq. C. C. succ. Tinct. bezoard. N. flor. Sulphuris. Sic etiam diuretica ad superfluum serum ad renes mittendum conducunt, danda in hunc finem varia abstergentia, Sal. Nitrum Antimon. Sal absinth. genist. &c. Purgantia tanquam acria hic nocent.

Auricularū defectum resarciendi ratio.

Hisce affectibus etiam adjungi potest *auriculas deficientes* resarciendi ratio à *Taliacotio* & *Paræo* excogitata, fitque, si portio ejus dilacerata aliqua adhuc in parte reliquæ adhæreat, eandem stylo aliquot locis perforando, & vinculis commode adnectendo, postmodum emplastris consolidantibus ejusdem agglutinationem & accrescentiam promovendo, qui annexus

nexus quàm fieri potest citissimè ab ipsa læsione & dilaceratione præstandus est. In totum verò deficiente auricula, sive à primo ortu, sive per infortunium aut pravam orbatio ista obtigerit, ad fœditatem contegendam artificialem conficiunt auriculam ex conglutinata papyro aut corio, eamque ita aptatam, ut alteri correspondeant, funiculis ex vertice aut occipite commodè vinciunt, quo capillus nutritus vel pileolum gestatum fraudem istam affabrè celet & obtegat, qua de causa etiam pictoris industria carnis colore infucatam & virgula ferrea occipiti circumpositam, instar oculi artificialis impositi & affixi, in deperditæ locum annectunt.

CAPUT XV.

De Sonitu & Tinnitu Aurium, Obauditione & Surditate.

§. 1. Morbi, qui superius explicati sunt, diminuunt saltem sensum auditus. Sonitus verò & Tinnitus depravant, Obauditio imminuit, & Surditas planè ipsum tollit. Depravatio autem hæc in eo consistit, quod Auris sonos percipit qui non sunt, vel qui minimum non sunt extra ipsam, ita ut occupata jam à sono interno minus apta sit recipiendæ impressioni sonorum externorum, nisi sint admodum violenti & impetuosi.

Surditas. *Surditatem* dicunt, ubi in totum Auditus fuit abolitus, Germ. *die Daubheit.*

Obauditio. *Obauditio* est soni externi obscura saltem perceptio, in qua per densam quasi nebulam radiis sonoriferis penetrandum est, Germ. *das uble horen.*

Sonitus & Tinnitus. *Sonitum* vocant vulgo *das Lausen und Brausender Uhren*, Tinnitum verò *das Klingen*, quæ duæ depravationes Auditus ab aliis species quædam Obauditionis constituuntur.

Pars affecta. §. 2. Vitium horum affectuum latet vel in aure externa, vel in meatu auditorio, vel in membrana tympani, quando in Tinnitu p. n. movetur, vel in surditate, quando rumpitur à causa violenta, vel exeditur à spiculis acribus, vel ab iisdem exulceratur. Sic etiam sæpe vitium latet in nervo auditorio, si is vel est obstructus, vel compressus, vel vitiosè conformatus; frequentius tamen in interioribus illis cavernulis perexiguis lamina ossea vestitis, si illæ viscidiore quadam lympha obducantur aut oppleantur: sic & in ipsis succis circulantibus, imprimis succo nerveo, causa latere potest.

Diagnosis. §. 3. Vitia hæc Sonitus, Tinnitus, Obauditionis & Surditatis cùm per se pateant, non operæ pretium esse duco plura de his adjungere. Cognoscenda potius surditatis causa, quapropter si surdus baculum dentibus admovens sonum percipiat, inde colligere licet, vitium in nervis non esse, sed fortassis in menynge meatus auditorii.

Galenicorũ opinio de causa Sonitus, Tinnitus & Obauditionis. §. 4. De *Causis* horum morborum quæsiti *Galenici*, in *Sonitu & Tinnitu* Aurium, nec non *Obauditione* ut causam conjunctam accusant flatum aerem innatum præter naturam commoventem, unde spiritibus auditoriis falsa imprimatur soni imago; ut antecedentes verò causas omnia, quæ flatum in auribus vel excitant, vel aliunde ad aures transmittunt, ut humores vaporosos, vel in ipso capite vel in aliis corporis partibus contentos, quorum priores tinnitum per se, posteriores verò per consensum producant. Vapores autem hos ad aures elevari volunt vel ex sordibus in sanguine detentis, vel è ventriculo crapulis & ebrietate debilitato, vel ex pulmone, liene, jecore, utero, & quandoque è toto corporis habitu malè affectis, eosque tum per arterias & venas, tum nervum auditorium, tum membranarum continuitatem in meatum auris interiorem delatos aerem innatum diversimode impellere, idque eo magis, quo sensus organi sit exactior & facultas debilior. Diversas autem sonituum species à diversitate flatuum eorumque generatione vel assidua, vel interrupta produci dicunt, ut sonitum ex flatu crassiori, tinnitum ex flatu interrupto, obauditionem verò ab humorum jactatione, & sic in cæteris horum sonituum speciebus procedendo juxta flatuum dispositionem.

Surditatis. *Surditatis* causam efficientem ponunt quodcumque receptionem & diiudicationem soni in Auribus impediens, sive hoc contingat ob debilitatem facultatis, sive læsionem instrumenti auditus primarii, aut partium subministrantium. Facultatis audiendi læsionem fieri dicunt vitio vel cerebri, vel nervi auditorii vel spirituum. Partis primario, seu Aeris congeniti culpa cendem fieri volunt, si ille vel deficiat ob continui solutionem membranæ tympani, aut dissipationem, aut defectum nutrimenti, vel impurus redditus sit à materia quadam vitiosa, modò à cerebro, modo à toto corpore prolata, & eidem se immiscente. Inter partium ministrantium vitia recensent meatus auditorii malam conformationem aut obturationem per obstructionem ab humoribus crassis, constipationem ex inflammatione, tumoribus, tuberculo carnoso, aut ulcere malè curato, compressionem ex ictu & fractura. His adjungunt vitia tympani, crassitiem nempe & tensitatem, tum à primo ortu, tum post eum ab aliis causis inductam, nec non ossiculorum auditus malam conformationem originalem & dislocationem à variis causis, tum externis, ictu, casu &c. tum internis, humorum nempe affluxu, inflammatione, &c. obtingentem.

Paracelsi iudicium de causa aurium Sonitus & Tinnitus. §. 5. *Paracelsus* in Auditus depravationum, ut *Tinnitus, Sonitus* & reliquarum specierum causis consignandis varius & penè inconstans est, modo enim easdem refert ad guttam, modo à fluxionibus capitis oriri vult, ut quid tandem pro rato habuerit, vix cognosci possit, sed aliquando prioribus consentire necessitate quadam coactus fuisse appareat.

Surditatis. *Surdos* nasci vult ex domicilii defectu, in quo morari debet auditus, quamvis enim hic ipse non sit ex tono, vel ex eo, de quo nascuntur aures, sed hæ organa tantum sint illa corporea, vel scrinia, in quibus nascitur sensus auditus, attamen corpus hoc spirituale operationem suam non perficit in loco male disposito, quare organis illis vel originaliter, vel aliunde post ortum corruptis surditas inducitur.

Helmontii ratiocinium de causa Sonitus & Tinnitus Aurium. §. 6. *Helmontius* depravationem auditus adscribit delirationibus spiritus acovistici in labyrintho aurium commorantis, quatenus ille species externas sonoras non debitè excipit, sed iisdem relictis propriis suis commotionibus internis phantasticam quandam ideam *Sonitus* aut *Tinnitus* efformat, dum ab hospite quodam alieno, ex materia excrementitia sæpe exsurgente, ad excandescentiam irritatus species quasdam falsas in imaginem rei sonoræ excudit, quas anima sensitiva interdum ceu veras percipit, donec diuturniore contemplatione erroris commonefacta, aliquando etiam tristetur aut irascatur, sicquè partes aurium membranosas ad similem passionis perceptionem commoveat, ut tumultum istum sedare & exosum hospitem eiicere conentur, cui operi tamen peragendo sæpius impares vires ostendunt, nisi aliis adjuventur remediis.

Surditatis. *Surditatem* oriri credit à defectu luminis vitalis, quo anima sensitiva ad quemcumque sensum adeoque etiam auditum præstandum, prædita esse debet, dum illud à contagio quodam venenoso, sæpe ex inferis ad organum auditus, & spiritum in interiore ejus concameratione habitantem assurgente extinguitur, aut occluso illo instrumento auditus externo suffocatur, quo tum destituta hac in parte anima sensitiva, nihil de speciebus sonoris amplius percipit, siquidem ipsum organum suo prius sensu fuit privatum, ut nullas species ad archeum & animam sensitivam ulterius valuerit deferre.

Vvillisii opinio de causa Sonitus & Tinnitus. §. 7. *Willisio* videtur *Sonitus & Tinnitus* aurium provenire à particulis quibusdam salinis, ex sanguine aut succo nervoso cavitati aurium interiori, & imprimis specui sono excipiendo aliàs destinato illatis, quæ fibras membranarum & nervorum auditoriorum agitantes, & undulationem in spiritibus excitantes id præstant, quod species sonorificæ simili sale præditæ ab extra admissæ, quapropter ejusmodi perceptio soni ope spirituum communi offertur sensorio, qui pro diversitate particularum salinarum tum crassiorum, tum subtiliorum, variat.

Surditatis. *Surditatis* causa modo latet in membrana tympani laxiore, unde non ingentem fragorem transmittat, modo in meatu auditorio à cerumine spissiore & lapidescente, vel aliis excrescentiis aut rebus toto genere præter naturam obstructo, vel corrupta membrana antrum obducente, aut spirituum defectu vel crassitie & nervorum, ramulorum nempe duorum paris quinti, obstructione, compressione aut dilaceratione.

Sylvii iudicium de causa Sonitus, Sibili, & Tinnitus §. 8. *Sylvius* Depravationis Auditus, adeoque *Sonitus*, *Sibili*, *Tinnitus* Aurium & *Obauditionis* causam statuit sonum præter naturam in ægri aure mutatum, vel excitatum à vaporibus & halitibus aut sursum elevatis, aut ibidem productis, & falsa soni externi specie illudentibus.

Surditatis. *Surditatem*, sive auditum abolitum, vel nativum, vel adventitium esse cognoscit, surdosque à nativitate simul & mutos nasci & permanere, cum voces articulatas non audiant, sicque eas imitari nesciant. Surditatis verò adventitiæ causam novit vel in externa auris cavitate hærere, vel interna, modò in tympano, modo in nervo, aut spiritibus animalibus, aut cerebro. In externa cavitate hærentem causam originem debere asserit sordibus collectis & induratis, aliisque rebus forinsecus obvenientibus & aures obturantibus. In interna cavitate excitatum apostema surditatis causam esse; sic Tympanum quovis modo ruptum, nervum auditorium exsiccatum, vel ab humore intra membranam ejus contento oppressum, aut à tumore quodam vicino coarctatum, Spiritus animales torpidos & immobiles, ac denique cerebrum graviter læsum, contusum, vulneratum aut corruptum Surditatem inducere posse existimat.

Barycoia. Difficili & gravi Auditui, seu *Barycoiæ* easdem adsignat causas, sed leviores, nec non humores tum caput universum, tum in specie Aures occupantes, & catarrhi nomine vulgò insignitos.

Auditus aucti. His tandem adjungit *Auditum auctum*, nempe eundem acutiorem, quo laborare dicit illos, qui minimos sonos etiam dormientes observant, & inde expergiscuntur, ejusque causam adscribit sensorio perfectissimo, & quodammodo plusquamperfecto, & simul valde tenero, ut ad minimum cujusvis obiecti motum excitetur, & quamvis tali sensorio prediti quàm plerique alii objecta accuratius & distinctius observent, sensorium tamen illorum facile molestia quadam affici, si vel minimum ab exacta mediocritate objecta recedant, quare & somnum illis hominibus valde levem & continuo ferè interruptum esse, non sine magna quadam adjuncta molestia.

Cartesianorum ratiocinium de causa Aurium Sonitus, Tinnitus & Sibili §. 9. *Cartesiani* Auditus depravati, ut *Sonitus*, *Tinnitus*, *Sibili*, aliarumque ejus specierum causam adscribunt rei cuicumque fibras membranarum Auris interioris commoventi, seque interdum Aeri interno commiscenti, & similem quandam modificationem motus intra membranulas istas inferenti, quam à radiis sonoriferis patiuntur, sive sint vapores varii interni, sive percussiones capitis auriumque, sive harum obturationes, agitationes cerebri circa partes illas, intra quas nervi auditorii fibræ terminantur, hujus & spirituum motus irregulares & extra-ordinarii, ut in deliriis, vertigine &c. quibus annumerant defectum alicuius ex quatuor illis ossiculis interioribus carie separatis & excidentibus, unde organi structura corrumpitur, & motus aeris interioris alteratur.

Surditatis *Surditatis* causam frequentiorem statuunt obstructionem nervi auditorii, vel ejusdem compressionem à sanguine, aliisque liquoribus vasa sua egressis, quibus addunt occlusionem meatus auditorii, vel à membrana præter naturam eidem innascente, vel à cerumine inspissato & lapidescente, vel excrescentiis aut glandularum aurium à serosa colluvie facta intumescentia, meatum comprimente & angustante, vel à rebus extraneis intrusis, nec non ruptionem aut indurationem tympani, quatenus hæc transitum aeris in meatum interiorem denegat, illa verò, quamvis statim surditatem non efficiat, cum tempore tamen eidem futuræ ansam det, transmissis quibuslibet aeris particulis, etiam acrioribus, internas aurium partes destruentibus, & quandoque ossium capsam & labyrinthum constituentium cariem inducentibus, à qua cavitas illa ita reddatur inepta, ut nullus imposterum sonus in ea efformari possit, sed surditas plane subsequatur.

Nostra sententia, de constitutione Auris naturali & modo auditus. §. 10. *Nos* causam horum morborum nunc explicandam aggredientes, primò naturalem Auditus statum perpendemus, antequam ad præternaturalem accedamus, ut eo felicius causas defectus eruere possimus, & rem omnem breviter & extremo veluti digito tangemus, ut ex tot variis sententiis meliorem propinemus. Et cùm aures & oculi uno modo, hoc est minus corporaliter afficiantur, meritò inter sensationes præstantiores numerari solent. Existimamus ergò auditum fieri per motum sonorificum tremulum ad Tympanum, membranam hanc, quæ est expansio nervi auditorii, & ad ipsum nervum auditorium delatum, & partes hasce commoventem; quando nimirum aer percussus motum talem distinctè imprimit auditus organo, ex membrana. Tympano, quatuor ossiculis & nervo auditorio constanti, ad quod tamen negotium, ceu inferius dicemus, reliquus apparatus & elegans totius auris machina requiritur; sine enim aere nullus percipitur sonus, ceu experimento constat sequenti, quod præsente Sereniss. nostro Principe *Carolo* Hassiæ Langravio, Domino meo clementissimo instituimus: Vitro imponatur Campanula cum malleo, & ex vitro extrahatur aer, & pulsetur campana, quo facto nullum audies sonum. Ut enim radii visivi impressionem faciunt in partibus oculorum nervosis, sic etiam motus tremulus ad auditus organum primarium, nervum seu auris internum terminum, cochleam scil. pertingit, hæcque plus sensibilitatis à nervo majore habet, hinc existimamus specierum impressionem in ea fieri, præsertim cum lamina hujus spiralis seu testudo facile contremiscere, sonosque egregie multiplicare & refractos nervorum fibrillis potenter imprimere queat.

Instrumentum auditus non necesse est ut actu sonorum fiat, sed huic talis sufficit dispositio, per quam ab objecto perculsum in sensorium commune itá vibretur, ut hoc tale objectum adesse judicet nostra anima, quale quid nervum hujusque retiformem expansionem meritò nobiscum suspicantur plures Auctores. Quod verò motus hic tremulus tardius ad aurem, quam radii visivi ad oculum perveniant, hæc ratio est, quatenus innumeræ aeris solidioris particulæ particulis vel radiis sonoris in motu constitutis totidem & infinitas moras nectunt, per quas non adeò velociter & in momento quasi teminum ultimum attingere possunt, cum è contra lucis particularum propulsus ac motus simplex & directus magis sit, i. e. per lineam rectam potius contingat: transit ergo sonus per aeris partes, quæ lumini non resistunt, & sic lumen citius videtur, quam sonus percipitur. Concessis ergò illis clarum est, quod auditus fiat, dum diffusus in orbem sonus ad aurem externam appellit, indeque in internam flectitur. Alii dicunt, hoc fieri per undam vocalem, vel circulum sonorum, quod tamen paulò generalius dictum est, scilicet non per superficiem illam circuli rotundam, sed per lineas rectas ab illa superficie mathematica ad centrum, vel potius contrario modo ductas id fieri existimare par est. Motus hic tremulus recta decurrit linea, dum nullum impedimentum invenit, nec tamen huic obstat, quo minus nonnunquam per obliqua audiamus.

Sonum verò in prima cavitate ab anima minimè percipi certum est, quia nulli nervorum rami hic terminantur, invicta enim veritatis est, sensum sine nervis nullum prorsus neque in aure, neque in oculo, neque in naribus aut lingua fieri posse, ex quibus prædictis colligitur, sonum hunc in os allisum ab illo reflecti pro lege reflexionis in latus, quod ex adverso est, rursusque aliò ire, ut motus tremulus in illud incidat, nervumque, qui in his latibulis latet, ipsiusque expansiones membranaceas moveat, sonus autem abit tandem ex concha in cocleam ac labyrinthum, nervus enim utrique proxime adjacet, & in quo excubias agentes spiritus animæ referunt, si quid moveatur; & ut brevis sim, sonus collisione durorum corporum ortus, se per aerem undique diffundit, ea tamen conditione,

ne, ut si impingat in corpus durum, ęquale ac læve, reflectatur pro superficiei illius duri corporis dispositione.

Nostra sententia de causa Sonitus & Tinnitus Aurium.

Præmissis hisce ad statum morbosum nunc accedamus, & videamus causas *Sonitus* extraordinarii & *Tinnitus* aurium; statuimus ergò, hos affectus utplurimum oriri sequenti modo; quemadmodum falsæ luminis species, quæ ab objecto externo non producuntur, nihil habent distinctum & exactè visibile, sed lumen duntaxat simplex, ita etiam nunquam penè contingit, ut soni in aure, de quibus sermo nobis est, quicquam exhibeant, quàm confusum illum sibilum & tinnitum, qui sunt alioqui voces maximè distinctæ, in hoc autem symptomate sunt simplicissimi. Uno verbo, quicquid commovere potest nervulum ipsum auditorium, mediante aere, (sine aere enim ceu dictum nullus percipitur sonus) vel ejus continuos surculos, membranas & tympanum, aptum est producere vel sibilum, vel strepitum, vel sonum, vel tinnitum, affectus enim hi tantum secundum magis & minus differunt. Hinc omnes causæ externæ hic recenseri possunt, quæ tantum nervum auditorium cum annexis membranis movere possunt, eæ enim animæ talem tinnitum auris offerunt, adeoque si sanguis turgescat in febre, ibidemq; coarctatio seu pressio aeris fiat, nervus iste commovetur, & sic affectus hic producitur, hinc vapores flatus aliæque halituositates peregrinę ex primis viis eò pertingentes affectum hunc excitare possunt. Sic existimamus quoq; soni falsi perceptionem fieri posse abs ullo vitio organorū auditus, sed ab ἀταξίᾳ spirituum animalium, seu succi nervei crassitie nimia; spiritus enim hi pręter naturam agitati, vel alios nervos, qui cum filamentis nervi auditorii communicationem habent, commovent, & ita tristem hanc sensationem producunt, & sic oritur sēsatio falsi istius soni, quod probatur ex eo, quod hic affectus sæpe & penè semper conjunctus esse potest cum delirio, phrenesi, vertigine, epilepsia, &c. nervi enim auditorii æquè à cerebri incolis moveri possunt ac in aure, sic & spiritus hi variis heterogeneis particulis innati & ad nervum hunc ducti hunc Tinnitum producere possunt, & hoc fit eodem modo, quo in vertigine, in quâ notum est, solum motum circularem spirituum eundem affectum producere, ac si objecta visibilia revera haberent motum illum circularem, vel in phreneticis, qui festucas videre credunt, quæ non sunt, quod fit per solam concussionem nervi optici intus in cerebro à spiritibus Itaq; quemadmodum suffusionum & phreneseos symptomata referuntur vulgò ad imaginationem depravatam, ita eidem causæ tribuendi sunt tinnitus, qui accidunt morbis auris, quamvis sæpe nullo modo dependeant à prava dispositione organi auditus: hinc optimè statuuntur Tinnitus duo genera, quorum unum ab affectibus çerebri & ipsius incolis spiritibus dependeat; alterum à morbis ipsius auris. Tinnitus verò qui auris morbos sequitur, vel est verus, vel falsus, & ex his quidam tinnitus proprie dicuntur, quidam sibili, quidam fremitus, pars verò murmura; & hoc accidit tantum à concussione vel debili, vel fortiori & intensiori. Rheumatismi & suppurationes, in quibus fibrillæ nervorum & membranarum relaxantur, ordinariè susurrum excitant, inflammationes autem & dolores auris, à quibus utplurimum hæ partes tenduntur, sibilos & tinnitus: & ut contractis velis rem proponam, causa tinnitus aurium vel provenit ab infimo ventre, vel inquinato sero & spiritibus vel flatibus, vel à spirituum animalium ἀταξίᾳ in cerebro, vel eorundum paucitate, vel à tardiore sanguinis & succorum circulatione, præsertim in aurium membranis stagnatione, quæ tunc acres existentes, continuo vellicant ac commovent fibrillas, inde succus nerveus resultat ad cerebrum, ibidemque hunc sonum producit imprimis si succus hic vaporibus multis inquinatus est.

Cùm nervus auditorius difficiliùs movetur, quod fieri potest vel vitio auris externæ, cum fuerit abscissa, vel meatus auditorii aliquantum vel in totum obstructi, vel ab internis vel externis illapsis, aut cerumine, vel vitio humorum oscula vasorum prope aurem in tantum obstruentium, vel à mala dispositione nervi, ossiculorum auditoriorum, tympani aut meatus externi, *difficilis & gravis* redditur *Auditus*.

Sententia nostra de causa Surditatis.

Cum verò nervus auditorius immobilis est, vel in eo contentus succus stagnat, totalis *Surditas* oritur, cujus causa utplurimum latet in meninge meatus auditorii, si vel rupta, vel exesa, vel exulcerata, sæpe tamen latet in ipso nervo auditorio, si vitiosè à nativitate fuerit conformatus, & in alium locum, quam aurem internam derivatur, aut si in totum fuerit obstructus, aut à vicinis nimis compressus, adeo ut spiritibus animalibus crassis omnis transitus fuerit præclusus, quod fieri potest à causis externis, ut à casu ex alto aut nimio sonitu, quin morbis etiam acutis supervenit ad statum properantibus & per hæmorrhagiam criticam finituris. Sæpe etiam latet in defectu spirituum animalium, quando non influunt & refluunt, sic videmus in moribundis, quod non audiant, quod evenit à coagulatione & stagnatione tùm sanguinis tùm reliquorum succorum. Multi tympanum ruptum tanquam unicam surditatis causam allegant, sed male, cùm non, ut illi putant, pulsetur, sed alias functiones habeat, de quo videatur Nob. *Schelhamerus*. Sæpe etiam causa latet in primis viis in Chylo, ceu id sæpius observavimus; nonnunquam & Surditas à cerumine retento suboritur, quod aliquando petrificatur, ut sic radii sonori, seu motus tremulus aeris ad nervum auditorium pervenire nequeat. Sic & aliæ excrescentiæ, item intumescentiæ glandularum hunc meatum obstruere possunt, & quidem premendo nervos, succum nerveum influere impedientem.

Prognosis.

§. 11. Percognito sic affectu non minus interest, ejusdem quoque eventum prænoscere, hincq; ægri salutem & mortem, item morbi longitudinem & brevitatem, modumque eventus quantum possibile prænunciare, utpote quod unicum summam sæpe arti fœneratur gloriam, quare antequam curationem aggrediamur, de Tinnitu & Surditate *Prognosticon* præmittere decebit. In genere autem Tinnitus aurium nullum maximum infert periculum, & in febribus ardentibus sponte curari solet, sed aliquando diu perseverans obauditionem, & rarò surditatem producere potest. Quod si murmur aut strepitus adest, tunc difficilior est curatu, quam Tinnitus. Sic & in senibus rarò medelam recipit. Tinnitus etiam hic, ut sæpe observavi, est præco & anteambulo apoplexiæ. Sic & teste *Coo.* S. 3. A. 17. austrinæ constitutiones corpora exolvunt & humectant, sicque auditum hebetant. Idem S. 4. A. 28. ait, quibus dejectiones sunt biliosæ, superveniente surditate cessat: & quibus surditas adest, biliosorum dejectione finitur. Existimat enim *Hippocrates*, surditatem fieri excrementis biliosis retentis & ad caput recurrentibus, talemque surditatem cessare; alvo turbata, & bile per inferiora dejecta, dummodo non hectica fuerit surditas, sed repente in febribus facta; quod tamen falsum est.

Extra omnem dubitationis aleam ponimus, istam surditatem, quæ vel à vehementi concussione capitis, à lapsu vel ictu, vel à nativitate, vel ubi in organis & nervis, imprimis auditorio, aut aliis auris partibus lateat dispositio præternaturalis, semper esse incurabilem, imprimis in senibus.

Cura Diætetica

§. 12. Deducimur nunc ad fontem *Diæteticum*, auxiliis ditissimum, utpote cujus solius beneficio sæpe gravissimi tolluntur morbi, & quo sine etiam utplurimum frustra laborare solent Medici. Consistit autem in legitimo sex rerum non-naturalium usu, hactenus à Medicis hoc nomine dictarum.

Aer itaque, quo surdaster fruitur, sit purus ac temperatus & clarus, non nubilosus, fumosus, ac frigidus, qui maximè nocet nervis, auditorio enim maximè inimicum est frigus quocumque modo admissum.

Cibi quoque sint facilioris digestionis, boni succi, ut spiritibus nervo auditorio inhabitantibus robur inde accedat & circulatio promoveatur, viscosa & gummosa, adeoque frigida & vaporosa, ut sunt omnia legumina, cæpę, rapa, & id genus alia, nec non omnia quæ diximus superius de visu, hic etiam nocent. Sic etiam *Potus* sit optimus, imprimis cerevisia bene cocta, ac herbis oticis maritata, vel vinum generosum modicè potum, roborat enim ventriculum & spiritus corporis auget, ubi idem languent. Vitandæ verò sunt omnes potationes & ingurgitationes immo-

mmodicæ, præsertim vini, hac enim ratione ventriculi tonus & fermentatio destruuntur, massa sanguinea nimia cruditatum accumulatione vitiatur & spiritus debilitantur. Potus Theê hic etiam summopere conducit, quia circulationem sanguinis ac reliquorum succorum adjuvat.

Corpus quoque *quiescat & somno* indulgeat longiori, ubi in aurem oppositam cubandum est, nec *motionibus animi*, curis, mœrore, terrore, metu, ira, meditationibus, amore, nimiove Veneris usu abigantur spiritus animales, alias non sufficiunt ad auditum producendum. *Motus* verò nervorum tubulorum obstructionibus multum conducit, & corporis exercitium.

Alvus sit libera, melius enim est, eam ad mentem Hipp. laxam esse, quàm adstrictam, oblita ergò officii per Tartarea admoneantur.

Cura Pharmaceutico-Chirurgica secundum Galenicos in Tinnitu, Sonitu & Obauditione

§. 13. Restat adhuc exponenda ipsa cura *Pharmaceutico-Chirurgica*, quam *Galenici in Tinnitu, Sonitu, Sibilo, Obauditione*, aliisque depravati auditus speciebus ad ipsam dirigunt causam, à qua symptoma illud sit productum. quæ si sanguis sit nimium ebulliens, eundem vena secta emittunt, sin cacochymia multorum crassorum & viscidorum humorum, eosdem prius incisos purgantibus superadditis evacuant, pilulis videlicet cochiis, sine quibus, Hiera Pachii, Hiera Ruffi & sim. masticatoria etiam caput exsiccantia subjungunt, nec non frictiones & lotiones capitis cum decocto absinth. beton. hyssop. roremar. majoran. fol. lauri, spica nardi, intemperiem quamcumque debitè corrigunt, & tandem flatus & vapores dicutiunt, auribus immisso fumo ex decoct. aneth. rutæ, chamomill. Spic. sem. anis. cum. carv. fœnigr. in aq. & aceto, vel instillatis guttulis quibusdam ol. amygd. amar. costin. nardin. vel sequentis compositi:

℞. *Ol. Castor.* ℥ ij.
Costin. ℥ j.
Amygd. amar. ℥ i ß.
Aq. ardent. ℥ iij.

bulliant omnia simul ad consumptionem aquæ, liquor residuus servetur ad usum.

Sordes aliaq; meatui auris inhærentia præcipiunt eximenda. In critico & febribus quandoq; superveniente Tinnitu ipse *Galenus* vetat nimiùm propere ad medicamenta accedere, sed caveri vult, ne crisi aliquod fiat obstaculum, ea enim suo bene functa munere, Tinnitum illum facilè cessurum promittit; at si segnius fiat, facultatem expultricem fotu alicujus decocti resolventis, ut absint. Chamomill. Castor. croci, &c. facilè juvari posse, ut vaporem molestum excutiat.

In Surditate:

Surditatem plenariam, ubi ipsa functio penitus periit, remedio ulli cessuram planè negant; eam verò, quæ à debili facultate, aut morbis cerebri, nervorum, vel aurium proveniat, & adhuc sit in fieri, aliquando curabilem aut emendabilem esse concedunt, cum vel sola manus cavatæ admotione facultas imbecilla juvari possit, ut sonum faciliùs & fortiùs in eandem ingrediatur. Tympanum verò læsum, aut ab ortu malè conformatum, arte redintegrari aut corrigi non posse unanimiter confitentur, & à biliosis humoribus sursum vergentibus ortum habentem surditatem, ut in febribus itidem aliquando contingat, alvo turbata & dejectionibus biliosis subsequutis denuò cessare, quare easdem aliquando promovent cholagogis exhibitis, ut electuar. è succo rosar. infus. rhabarb. &c. ab humoribus autem crassis & pituitosis inductam curari dicunt incidentibus pituitam & resolventibus, Oxym. simpl. syr. hyssop. stœchad & tandem evacuantibus, ut agar. trochisc. pil. coch. aur. aggregat. sicut melancoliam peccantem decocto fol. sen. Syr. de lupul. & fumar. prius præparatam, electuaria Diabalzemer, Hiera Logad. pil. coch. cum helleb. de lap. Lazuli &c. evacuant. In specie quoque ipsum caput à saburra peccantium humorum liberare tentant apophlegmatismis, errhinis, & sternutatoriis. Hisce omnibus subjungunt topica auri immittenda, ad humores viscidos incidendos, attenuandos, & obstructiones aperiendas, ut fomentum ex decocto rad. asari, cucum. asin. cyper. herb. beton. hyssop. puleg. origan. thym. flor. chamomill. stœchad. Arab. caryophillor. mac. croci, suffumigium ex thure, mastiche, succino, ligno aloes, fella animalium quorundam guttatim instillata, ut apri, leporis, pinguedo anguillæ, sanguis corvi calens instillatus, vel sequens oleum,

℞. *Rad. Cucum. asin.*
Colocynth. aa. ℥ i ß.
Castor. ʒ j.
Mixta & diligentissimè trita infund. in Ol. laur. ℥ iiij.
Raphan. ℥ iij.

Stent in infusione per dies tres, posteà ad tertiæ partis consumptionem leviter ebulliant, quod restat exprimatur, & colatum servetur ad usum, de quo calefacto aliquot guttæ tempore somni instillentur auri.

Paracelsi remedia in Tinnitu & Sonitu.

§. 14. *Paracelsus* in *Tinnitu & Sonitu* aurium ad destruendam oppilationem à fluxionibus inductam exsiccantia capiti admovet ex herb. beton. fol. rorismar. flor. stœchad. auri verò ipsi instillat quintam essentiam folior. asar. aut oleum succini & caryophyllorum.

In Surditate.

Surditatem originalem penitus incurabilem pronunciat, cum illud, quod natura semel ademit, à Medio nullo pacto reparari possit; in ea verò, quæ sanabilis existit, oppilationem itidem reserandam præcipit, inditis simul auri aliquot guttulis balsami sulphuris, aut essent. ambr. & helleb. nigr. vel etiam olei philosophor.

Helmontii Judicium de curandis Aurium Tinnitu & Sonitu. Surditate.

§. 15. *Helmontius* ad *Tinnitum & Sonitum* Aurium inhibendum oleum corylinum multarum esse virium existimat, si auribus instilletur, interne verò sulphur vitrioli ad exosum illum hospitem domandum, & peregrinam ideam destruendam, non parum juvaminis additurum sibi persuasit.

Ad impressionem *Surditatis* obliterandam laudant Auctoris huius sectatores succum vincæ pervincæ auribus instillandum, uti & fel leporis cum pauxillo mellis commixtum.

Vuillisii ratio curandi Aurium Tinnitum & Sonitum

§. 6. *Vuillisius* in curandis *Sonitu & Tinnitu* Aurium eò potissimum operam locat, ut peregrinæ & heterogeneæ illæ particulæ salinæ in aurium meatu existentes, fibras agitantes, & spiritus turbantes temperentur, & qua fieri potest ratione eliminentur, quamobrem si massa sanguinea huiusmodi particulis abundet, eandem corrigit variis decoctis & aquis destillatis ex rad. ar. pœon. Serpentar. virgin. herb. chamædr. fumar. Card. bened. roremarino, &c. cum sero lacti paratis; si vero copia peccet & æstuet, etiam vena secta eandem imminuit. Si sanguis sit cacochymus, humores peccantes evacuat pilulis de succino, resina Jalapp. vel Sulphure Antimonij. Dein ut spiritus recreentur & in ordinem redeant, medicamenta commendat sale volatili prædita, tincturam videl. succini, spiritum C. C. salis armon. cum aqua rorismar. salv. puleg. &c. Meatus etiam auditorius ut omni materia impura depurgaretur & pervius fiat, & si quid in eo hæreat, radios sonoros immutans, illud discutiatur, aliquando vaporem ex fotu panis calidi, cui spiritus vini superfusus fuit, auribus immittit, vel ex decocto herbarum cephalicarum, aut spiritus acousticei guttulas aliquas instillat, vel solam tincturam castorei, aut oleum amygd. & rutæ, cum oleo destill. macis.

Surditatem

Surditatem à tympani laxitate obortam interdum emendari posse opinatur admisso fumo aliquantum exsiccante & fibris pristinum totum restituente, ex succino imprimis, thure, mastiche, aliisque. Si verò meatui aliquid inhæreat radiorum ingressum impediens, illud eximendum & cerumen spissius emolliendum, & superfluum, & ejiciendum, quod præstari poterit præmisso fotu ex decocto malv. altheæ, origani, puleg. salv. flor. Chamomill. caryophyllor. hinc linteolo & stylo sordes eximendo: nervi aperiuntur spirituosis, ut Essent. helleb. nigr. spiritu vini in quo ova formicarum macerata fuerunt: Spiritus refocillantur & restituuntur medicamentis salibus volatilibus præditis, ambratis & moschatis, tum externè, tum interne adhibitis. Sed malum aliquando

adeò

adeò pertinax esse non ignorat, ut nulla arte curari possit, maximè si fuerit ab ortu, aut grandiori partium internarum destructione.

Sylvii opinio de curatione Aurium Tinnitus & Sibili.

§. 17. *Sylvius Tinnitum & Sibilum* Aurium curari posse affirmat medicamentis humores halitusque ipsorum causas corrigentibus, evacuantibus & discutientibus, tum internis, tum externis, quæ cum alibi jam tradita fuerint, nec peculiaria hoc in casu constituat Auctor, eadem hic nolumus frustra repetere.

Surditatis.

Surditatem connatam incurabilem pronunciat, adventitiam verò nonnunquam curari asserit, præprimis à sordibus in aure moram nectentibus, aliisve forinsecus in aures deductis originem ducentem, quibus artificiosè eductis auditus interdum in momento restituatur. Ab apostemate ortam, eo curati aliquando reparari asserit, aliquando verò remanere gravem auditum utplurimum incurabilem, sicut & à Tympano rupto exortam surditatem pro incurabili haberi novit, à nervorum quoque affectibus, spirituum animalium & cerebri mala dispositione dependentem rarò curari, & affectuum istorum curationem poscere, ut ita humores vitiosi in capite, vel corpore universo existentes sint corrigendi, & pro re nata vel per vias universales, vel peculiares & capiti magis proprias evacuandi.

Auditum acutiorem quæ blandè ac tutò obtundant medicamina, se ignorare liberè fatetur.

Cartesianorum methodus curandi Aurium Sonitum, & Tinnitum.

§. 18. *Cartesianorum* methodus curandi Aurium *Tinnitum*, *Sonitum*, aliasque depravati auditus species, in eo consistit, ut fibræ membranarum & nerveæ auris interioris à re molesta liberentur & in pristinum restituantur situm, quod optimè obtineri posse judicant internis diaphoreticis, maximè ex salibus conflatis volatilibus, quibus simul vapores varii discutiuntur, quorum sequens esse potest formula:

♃. *Aq. rorismar.* ʒ iij.
Essent. card. bened. ʒ j.
Spirit. Sal. Armoniaci succinat. ℈ ß.
Syrup. flor. aurant. ʒ ij.
M. D. una vice, expectetur sudor.

Ad spiritus irregulariter motos in viam reducendos, & domicilii eorundem reparationem, usum volatilium aliorumque convenientium, per tempus aliquod continuant, quo referunt omnia illa remedia præstantiora ab aliis cephalicorum nomine insignita, ut decantatum illud specificum cephalicum *Michaelis*, argentum potabile *Mynsicht.* aquam vitæ cephalicam nobilem *Ang. Sal.* Spiritum lavendul. C. C. Sal volat. Cran. hum. succini, aliaque. Tempore autumnali obortum aurium tinnitum, ex colluvie serosa nimium aucta, fermentum stomachale spirituosum supprimente & debilitante, exsiccantibus & serum superfluum educentibus corrigunt, hinc sequentem pulverem non semel magno exhibent commodo, ubi simul stomachus insigni laboravit anorexia.

♃. *Spec. dianth.* ʒ j.
Diagalang. ℈ ij.
Flor. Sal. Armoniaci,
Sal. majoran. aa. ℈ ß.
M. D. cuspidatim assumendus.

Huic pulveri æqualis sacch. canth. quantitas addi poterit, & frustulo panis albi vino intincto inspergi, atque jejuno stomacho comedi. Ipsi meatui auditorio externè etiam varia discutientia immittunt, & spiritus corroborantia, Acoustica vulgo appellata, essentiam nempe castorei, rutæ, chamomill. Rom. vel essentias compositas ex rad. Cyper. helleb. Imperat. bacc. laur. Junip. herb. salv. puleg. majoran. menth. sem. cymin. carv. macis, caryophyllor. guttatim instillatas auribusque gossypio obturatis. Quin zibethum interdum indunt gossypio, illudque auribus inunt, quo vapores sæpe brevi fuerunt discussi, & sonitus illi præternaturales sedati. Nec reiiciunt oleosa, modò post eorum aliorumque topicorum usum aures denuò bene mundentur, & suffitu convenienti resiccentur. Sequentem formulam aliorum arcanis, sæpe absque merito nimium jactatis, minimè volunt postponendam, cum rarò absque insigni effectu fuerit usurpata, sed in pluribus ab hujusmodi inconsuetis sonitibus, susurris, sibilis & tinnitibus graviter divexatis citò attulerit juvamen.

♃. *Ol. balanin. recentiss.* ʒ ß.
dest. carv. gt. vj.
Cumin. gt. iv.
Succin.
Maioran. aa. *gt.* iij.
Caryophyll. gt. j. *M. D.*

Guttula una vel altera calidiusculè immittatur auri ante cubitum, aurisque obturetur gossypio. Ossiculorum internorum corruptionem aut destructionem totalem resarcire adhuc ignorant, imò ab aliis emendari posse non credunt.

Surditatem & Difficultatem Auditus.

Non absimili modo in ipsa etiam *Surditate* vel *Difficultate Auditus* procedere solent, in qua diaphoreticis & volatilibus nervorum obstructionem commodè reseratum iri confidunt, quin iisdem liquores evasatos & copia peccantes ad debitam quantitatem & convenientes canales reduci posse existimant, occlusionem meatus à membrana præternaturali inductam ejusdem resectione interdum redaperiri posse concedunt, obturationem à cerumine, fotu emolliente, suffumigiis, & emundationibus manu & linteis præstandis volunt corrigendam; à Tympani disruptione productam, ut incurabilem relinquunt, in ossium carie succum cyclaminis & aristol. cum Essent. euphorbii collaudant, & in reliquis speciebus penè cunctis pro spiritibus animalibus excitandis augulis, & corroborandis spiritus acousticos, castoreata, succinata, moschata & ambrata magnis extollunt encomiis, interdum etiam oleosa adhibent, quorum sequens egregia est formula.

♃. *Ol. petr. alb.* ℈ j.
dest. nigell. Rom. gt. vj.
Origan. gt. iv.
Cort. aurant.
Macis aa. *gt.* j.
M.

Guttula una instilletur auri tepidè.

Nostra sententia de curatione Tinnitus, Obauditionis, susurri & murmuris Aurium.

§. 19. Quod *nostram* curationem *Tinnitus & Obauditionis* attinet methodo medendi innixam, commodè illa dividitur in præservatoriam & curatoriam. Indicatio ergò primaria est, ut illud, quod morbosum est, & nervum auditorium commovere potest, ante omnia amoveantur. In praxi verò sedulo indagandum est, num Tinnitus hic præternaturalis ex primis viis ortum suum habeat, an verò à spirituum defectu, vel eorundem vaporosis particulis, indeque dependente læsa circulatione succorum, ex quo curatio moderanda, varianda est. Ad halituositatem ex primis viis exortam dissipandam commendamus varia carminativa, quæ in affectibus aurium egregia sunt remedia, ut sunt Essentia carminat. *Vved.* vel Spir. seq. carminat.

♃. *Sem. Angel.*
Levistic. anis. aa. ℥ ß.
Bac. lauri ʒ ij.
Menth. ℔ ß.
Sem. fœnicul.
Apii aa. ℥ j.
Vin. spirit. q. s.

Destillentur ex cucurbita: *dosis à* ℈ j. *ad* ʒ ij.
Semina tria ita dicta, (*Drey. Saat*) baccæ lauri, ol. destilata seminum carminantium, & si simul lateat viscida saburra hisce in primis viis, conveniunt purgantia, quatenus non solum reserant, & viscidam istam saburram incidunt, & in quem finem conveniunt pilulæ ophthalmicæ superius dictæ, nec sudorifera negligenda. Externè in aurium Tinnitu ex primis viis oborto conveniunt prædicta carminativa, ex. g.

♃. *Ol. amygdal. amar.*
Absynth.
Formicar. aa. ℈ j.
dest. chamomill. gt. v.
M. D.

de qua mixtura indantur auri aliquot guttæ. V.

♃. *Fell. lucii pisc.* ʒ j.
Ol. dest. succin. gt. iij.
Cumin. gt. ij.

M. D. & usurpetur ut superiùs dictum vel Spirit. *Mynsicht.* acouist. vel essent. Succini.

In difficili auditu, Tinnitu aurium, & murmuratione earum vix præstantius habetur remedium, quam Tinctura castorei cum bombace auribus indita, vel spir. cephal. anhalt. Sic quoque oleum acouisticum ambrat. *Minder*. ol. castor. absinth. ol. vermiculorum ligni quercin. comp. ol. rutæ, succin. Essent. fellis humani, Tinctura carvi, &c. hic possunt externè exhiberi, quibus nos sæpe cum fructu pro re nata usi sumus, interpositis internis sudoriferis, & potu Cophæ copioso, quo experti∬. *Muys* gravitatem auditus sanatam expertus est, in *Podalir*. suo p. 104.

Tinnitus hic sæpe pellitur vapore panis calidi cum bacc. laur. semin. carvi, cumini, &c. parati. Sequens in susurro seu murmure aurium egregium est.

℞. *Aquæ picar. cum castor.*
Anhalt. aa. ℈ ij.
Essent. castor.
Card. bened. aa. *gr.* v.
M. D.

Axungia castoris & viperar. post aures illitæ egregia sunt remedia, vel instilletur Aquæ Regin. Hungar. cum Essent. viperar. *Zuuelf.* Vel

℞. *Spiritus Tartari sassafrasat.* ʒ j.
Axung serpent. ℈ ß.
M. D. quod te rarò fallet; vel axungia Aschii.

Excipi quoque quotest fumus ex decocto herb. asar. absinth. fol. laur. origan. serpill. chamomill. Rom. sem. cumin. in vino & lacte coctarum. Huc & vapor ex farina fabarum ab Auctoribus maximè commendatus pertinet. Sic aliquando ad caput etiam respiciendum est, imprimis si sit malum ab *ἀταξία*, vel defectu spirituum animalium, ad quos placandos & restituendos omnia conveniunt cephalica volatilia, quæ scil. prosunt in Epilepsia, ut sunt spirituosa, oleosa, castorina, cinabarina, detur ergò sæpius ad ℈ ß. specif. cephal. D. *Mich.* spir. cephal. pulv. spasmod. Hoc quoque in casu conveniunt omnia diaphoretica, Antimonium diaphoret. in aquis appropriatis exhibitum, quod continuetur per aliquot dies, ac addatur aliquid bezoardici Lunaris & quidem ad gr. vj. Omnia etiam ex lignis parata proficua sunt, ut Spiritus lignor. compositus, item decoctum ligni sassafras cum Theé sæpius assumptum, ut sic sudor cieatur, sassafrata enim & succinata ferè totam implent paginam. In hoc casu purgantia aliaque nimis acria, ut sunt sternutatoria, quæ tantum spiritus magis exagitant, sic frigida & acria nervosis partibus tam adversa, nocent, ut acida.

Externè conveniunt varia cephalica, imprimis aqua Regin. Hungar. Essent. Succin. vel carminat. *Wed.* vel extrahatur ex his floribus, ut rorismar. lavendul. calaminth. beton. majoran. ope spiritus vin. Junip. addito styrace, Tinctura, quæ instilletur guttatim. Sic quoque ad spiritus corroborandos egregium est sequens,

℞. *Aq. Anhalt.*
Regin. Hung. aa. ʒ ij.
In quibus dissolv.
Mosch. gr. iij.
Ambr. gr. j.
Essent. eiusd. ʒ j.
M. D.

Vel fiat suffitus ex castoreo, myrrha, colocynthide, sem. fœnic. & pauco croco in vino coctis, ac per tritorium auribus immittatur vapor, vel Spir. Sal. Armoniaci halitus auribus excipiatur. Instituantur etiam varii fotus & suffumigia, auris enim, ut sonus, succis gaudet, fiant ergò ex mastich. succino & thure, nec negligantur jam dicta castorina aliaque specifica, sic & vapor ex herbis superius dictis spirituosis cephalicis & cumino per infundibulum auribus excipiatur, ut tubulos nervorum aperiat. Aquea in aurem injecta per syringem magis nocent, quia laxant membranas, & sic partem nervorum debilitant, circulationem succorum in iis impediendo. Si Tinnitus fiat ex casu, sequens *Plateri* laudatur.

℞. *Aq. vit. cochl.* j.
Succ. cep. cochl. ß.
Ol. spic. gt. v.
M.

Cucuphæ quoque in his affectibus imponatur capiti, sic & vesicatoria post aurem vel in cervice ponantur, quæ obstructionem poros aperiendo tollere solent: sic & in hac specie Tinnitus magis conveniunt oleosa & spirituosa, quia magis discutiunt & roborant. In susurris aurium & masticatoria commendamus ad phlegma educendum, & circulationem promovendam.

Nostra sententia de curatione Surditatis.

In *Surditate* cura variat juxta causarum diversitatem, & quidem nulla est, ubi vel nervus auditorius immobilis, vel plane ruptus aut abscissus, vel exesus, vel vitiosè à nativitate fuerit conformatus; ubi verò auris externa & interna à cerumine fuerit obturata, id emollientibus attenuari potest, ex. gr. succ absinth. cum Spir. Urinæ, vel vapores ex emollientibus, melius verò est cerumen istud viscidum peculiari instrumento vel scalpello eximere; sic novi civem quendam Hanoviensem, Bernes dictum, plures ejusmodi speciei surditates feliciter curasse. Possunt & hic varia corroborantia instillari, semper verò cum ol. amygd. maritata, vel ol. nucl. persicorum. Quidam Chirurgus aliquot surdastros curavit hac methodo: altè inserit fistulam tabaci, & quidem ejus partem subtiliorem in annis caritatem, tunc vehementissima suctione ori admovens alteram fistulæ partem crassiorem, suxit; ægri hac suctione perceperunt aliquid doloris in aure, ast hac methodo curati sunt, auditusque restitutus. Confer *Ephem. Germ. Dec.* 1 1. *A* 6. *Obs.* 123.

Ubi verò *Auditus difficilis* oriatur à defectu spirituum animalium & eorum tardiore circulatione, pro succo nerveo roborando & eo corrigendo remedia ambrata & moschata excellunt, ut & omnia spirituosa, ut sunt Spir. lil. conval. Aq. Apoplect. Anhalt. Essent. Castor. card. bened. aq. magnanimitat. Spir. formicar. lumbricor. acovistic. *Myns.* & *Barbette*, cum bombace auribus admoti. Vel sequens formula sæpe cum insigni juvamine exhibita.

℞. *Herb. rut. recent. M.* j.
Ceph. mediocr. No. j.
Incidantur & imponantur mortario lapideo, add.
Summit. absinth. P. ß.
Bacc. laur. No. x.
Sem. carv. ʒ j.
Amom ʒ ß.
Macis tantund.
Coryophyllor. ℈ ß.
Asellor. No. xv.
Contundantur omnia, sensim affuso spiritu vini, indantur vitro & per dies 2. stent in digestione, postea exprimantur, liquor expressus servetur ad usum.

℞. *Hujus liquor.* ℥ ß.
Spirit. Urinæ volat. ʒ i ß.
Essent. ambr. ʒ ß.
M.

Duæ vel tres ad summum guttæ instillentur auri, quæ bombace optimè occludenda erit, ne exhalent, sed ad interiora penetrent, tum enim non modo spiritus singulariter attenuantur, sed & nervi cum fibris membranosis insigne hinc percipient juvamen, eos sc. ad motum incitando. Succo recens expresso rutæ nuper quendam à subauditione liberavi.

Oleum etiam ex floribus & nucleis persic. express. & inditum in omnibus aurium affectibus commendatissimum est.

Si verò à catarrho & stagnatione seri oriatur Obauditio, tunc conveniunt varia anticatarrhalia, succinata, carminativa, ex. gr. sæpius dicta Essent. carm. *Wed.* cum essent. viperin. Spir. catarrhalis N. vel Spir. aromaticus ad extra N. quæ omnia quovis modo tubulos circa aures & auditorium nervum obstructos reserare, superfluum serum demere, vapores discutere & succum nerveum invigorare apta nata sunt. Externè itidem varia suffumigia & prædicta specifica non negligenda sunt; pinguedo anguillæ pro restituendo auditu commendatur, anguilla enim dum assatur exstillat pinguedo, quæ ipsa excipiatur foliis lauri & exponatur per tempus radiis solaribus, ut clarescat, dein tepidè instillè-

tur

tur auribus, poſteà obturandis, idque per ſe, vel additis olei aniſi aliquot guttulis: omnia ſalia volatilia auribus indi poſſunt.

In quacunque Obauditione quidam ægri auribus adaptant turbam quandam acoviſticam, ad modum turbæ illius, qua veredarii utuntur, fabricatam, (*uvie ein Poſthorn*) & ſic melius vocem percipere poſſunt.

CAPUT XVI.

DE NASI MORBIS,

Et quidem

De Naſi Sarcomate, Polypo, Verrucoſitate, Ulcere, Ozæna, Inflammatione, Macula rubra Maculis ſeu punctis nigris, Naſo deperdito & eiuſdem figuræ depravatione.

§. 1. NAſus ita locatus eſt, ut quaſi murus oculis interjectus eſſe videatur. Dicuntur quidem Naſuti juxta *Martial.* XIII.

Naſutus ſis uſque licet, ſis denique naſus.

Naſuti certè ſunt, qui ex naſi magnitudinem etiam de mole & magnitudine membri genitalis judicare audent; ex magnitudine ejus melius iracundiam hominis hariolari poſſumus, ceu loquitur Sacra Scriptura. Nares profectò multum uſum commodumque corpori noſtro afferunt, per eas enim omnes odores intrant, item aer ad reſpirationem maximè neceſſarius. Sic quoque excrementa per naſum ceu canalem effluunt, ad vocem quoque aliquid confert, & ad ornatum multum facit. Hinc naſi abſciſſio adulterii pœna fuit apud Ægyptios, quam Hieroſolymitanis quoque minatur Jehovah apud Ezechielem, à qua deinde Chirurgica Curtorum nata, circa renaſcendum naſum occupata, de qua *Taliacotius* primus ſcripſit. Nares proinde, uti reliquæ corporis partes, jure merito ſuos caſtigatores, nimirum peculiares affectus, ceu manes patiuntur, quos jam recenſebimus. Occurrit ergo 1. Naſi *Sarcoma*, Germanis dictum *das Naſen Geſchwuar mit einem Fleiſch Gevuachſ*. *Sarcoma* enim & *Polypus* ſunt excreſcentiæ carneæ in naribus obortæ. *Sarcoma* quidem certam figuram haud habet, ſed caro eſt eidem os humeroſque ſimilis, quæ in aliis ulceribus luxurioſè excreſcere ſolet, hinc aliis *Hyperſarcoſis* dicitur. *Polypus* autem in ſua luxuriante carnoſa excreſcentia certam quandam præ ſe fert figuram, atque radices agit exiles, queis tanquam pedibus adhæreſcit, & ſic creſcendo nares opplet, in longum & latum ſe extendens, naribuſque propendens ſimilitudinem Polypi piſcis refert. Dicitur & affectus hic à nonnullis *Hæmorrhoide narium*, quia non duntaxat hæmorrhoidibus in ano quadantenus aſſimiletur polypus, verum etiam profuſionis ſanguinolentæ proles ſit, uti illæ in ano. Sæpe etiam polypus hæmorrhagiam narium ſequitur ex ſanguine illo in naribus jam ſedato & congrumato. *Differt* verò *Polypus à Sarcomate*, quod Polypus anguſtum habeat fundamentum, Sarcoma latum: adhuc Polypus habet carnem ſui generis, & quò melius intelligas, ut Polypum referat tumor, neceſſe eſt in pedes aut cirros dividatur; ut Sarcoma ſit, ſatis eſt, unam adeſſe & globoſam verè partis protuberantiam: Deinde, Sarcoma magis in carnoſioribus ac imis narium partibus generatur, Polypus autem in ſuperioribus ad radicem naſi, ubi interdum ad palatum propendet, ac obſtructione meatui oris moleſtus eſt, non rarò è naribus prominet, modò albicans, nunc rubens, jam livens, tempore plenilunii, & auſtrinæ conſtitutionis longè plus turget, novilunii verò & aquilonæ decreſcit ac flacceſcit, maximum incommodum infert tam reſpirationi, quam ſermoni.

Naſi ſarcoma.

Polypus.

Differentia Polypi & Sarcomatis.

Verrucoſitas narium ſunt copioſæ verrucæ externam narium partem carnoſam occupantes, ipſaſque mirè defœdantes.

Verrucoſitas.

Ulcus naribus etiam ſæpe accidit, &, ſi eſt inveteratum malum, tunc Chirurgis dicitur *Ozæna*, quod eſt ulcus fetidum & ſordidum; cognoſcitur ex eo quòd in ſimplici exulceratione prodit pus album, in Ozæna verò pus acre & lividum: in Ozæna dolores ſunt majores ac atrociores, quam in ſimplici exulceratione, &, ſi ſimul exeſio partium adeſt, cancroſa ſeu corroſiva eſſe incipit, quæ Chirurgis dicitur *Carcinoma* narium, Germ. *das Gefraſz*, naribus eſt ulcus quoddam maximè corroſivum & ſerpens, aliis & dicitur *Noli me tangere*, nonnullis *Tentigo prava* vocatur, quibuſdam etiam *Lupus*, ob horrendam narium partium depaſtionem; incipit in quibuſdam à malè & intempeſtivè curato Polypo, in nonnullis ſponte enaſcitur. Hi affectus ergò ſecundum majus & minus differunt, quò enim cauſa pejor, eò & gravius eſt malum.

Ulcus & Ozæna.

Carcinoma.

Noli me tangere.

Tentigo prava.

Lupus.

Inflammatio narium ſæpe hos affectus præcedere ſolet, quę dependet ab obſtructione partium circulantium tubulorum, & detentione particularum craſſarum & acrium moras ibi nectentium.

Inflammatio.

Conſpiciuntur interdum multæ maculæ ſeu punctula nigra in ſummitate & tuberculo naſi, aliquid viſcidi ſub tenui cuticula continentia & materiæ pinguis, quæ tamen ſpatiola à nonnullis à vermibus occupari putantur.

Maculæ ſeu punctula nigra.

Naſus quoque interdum à cauſa violenta tum externa, tum interna penitus *abſumitur*, vel figura ejus *depravatur*, vel fit maximus, vel parvus exiſtit, vel ſimus aut aquilinus, aut nimis longus, qui affectus faciei defœdationem afferunt maximam.

Naſus deperditus & depravatus.

§. 2. *Pars affecta* eſt ſenſus organum olfactorium, Naſus tum externus, tum internus, cum cute, muſculis, oſſibus, cartilaginibus, vaſis, nervis, tunicisque.

Pars affecta.

§. 3. Priuſquam verò ad ætiologiam nos accingamus, ſuis oportet ex omnimodis ſignis eruamus genuinum affectum. Naſi *Sarcomatis* & *Polypi* igitur *Signa diagnoſtica* in ſenſus incurrunt & manifeſta ſunt, carnea enim narium excreſcentia in oculos incurrit. Polypus ſæpe totam narium cavitatem implet, & pene extra eas prominet, & hinc ægri in reſpirando difficultatem non levem percipiunt, & quandoque ab una in alteram narium partem, imò ad palatum prorepit, hæmorrhagias quoque patiuntur ſubinde ſpontaneas largiſſimas, quæ ſæpe nec internis, nec externis ſiſti poſſunt remediis. Duo Polypi interna narium foramina adimplentes ſuffocationis periculum minabantur, prout ego obſervavi. Differentias horum affectuum, quibus unus ab altero facilè diſcerni poteſt, ſuperius jam diximus.

Diagnoſis.

Verrucoſitas, ut & *Ulcus*, cum *Ozæna* itidem, facilè in ſenſus noſtros incurrunt; dignoſcitur, ut ſuperius notavi, utramque ex eo, quòd levis & incipiens exulceratio non magnum dolorem infert, & ſicciore cruſtula ſubnigricante obducitur, quæ niſi vi revellatur, ſæpe exareſcere ſolet, ac ſic ſponte ſanatur, at violentius ſæpius attacta vel detracta ſanguinem fundit, ac ab emunctione narium forti, ſæpe unà exturbatur, ubi mox denſior cruſta generatur, ac incuriè habita tandem in Ozænam tranſit, quæ ulcus eſt priori magis dolorificum, cum cruſta humidiori ac ſordidiori, ex quo emanat graveolentia, adeò ut etiam mucum reddat graveolentem ac tetrum; anhelitus etiam ægri non modo adſtantibus, ſed & ipſi ægro nauſeam parit. Sic ſæpe narium ulcera, quæ intus latent, cognoſcuntur ſolum ex eo, quando fętor è naribus provenit.

Inflammatio, Macula rubea, Maculæ, ſeu *Punctula nigra*, & *Naſus deperditus*, ut & ejus *Figura depravata* ex ipſo viſu etiam facilè internoſcuntur.

§. 4. *Ad Cauſas* morborum naſum occupantium eruenda nunc progredientes more nobis conſueto aliorum Auctorum ſententiam noſtræ anteponemus, quo Lectori magis ſit liberum huic vel illi Sectæ pro placito ſubſcri-

Ætiologia ſecundum Galenicos Sarcomatis & Polypi.

subscribere. Ordinem verò vetustatis ratione ducunt ipsi *Galenici*, in *Sarcomate* & *Polypo* narium ut causam accusantes humores viscidos pituitosos sanguini permixtos, & vel è cerebro ad nares exulceratas copiosius dilabentes, & excrescentiam hanc carneam pro diversitate ulcerum producentes, vel etiam sanguinem cessante hæmorrhagia concrescentem in Polypo hujusmodi excrescentiam pedicularem & propendulam inferentem.

Verrucositatis.

Verrucositatis nasi originem adscribunt tum humori crasso & melancholico, nec non pituitoso, è capite imprimis à facultate expultrice ad nasum externum misso, tum succo nasum nutrienti copiosiori & luxurianti, cujus quantitas ultra nasi alimentum abundet, & hinc superfluitas ista in Verrucas aut nasulorum fecunditatem distribuatur.

Ulcerum & Ozænæ.

Ulcerum narium causam statuunt humorem acrem, erodentem, sæpius ex catarrhosa colluvie è capite ad nares defluentem, interdum etiam à causis externis productum, quatenus à vulnere vel contusione sanguis in pus abit, quod acrimonia sua cutem erodit & nares exulcerat, in *Ozæna* verò eundem humorem simul putridum & virulentum esse autumant.

Inflammationis, Erysipelatis, macularum rubrarum & nigrarũ.

Inflammationes, Erysipelata & Maculas rubras in naso nonnunquam conspicuas ortum sumere putant à sanguine fervidiore, ob calidam hepatis intemperiem, à primo ortu, vel errore diætæ producto, in nasi musculos sub cute effuso, atque ob crassitiem suam fixius ibidem hærente, *Punctula* verò atra à succo melancholico sub cutem punctatim disperso.

Nasi defectus,

Nasi defectum vel externæ causę violentę adscribunt, abscissioni nempe quocumque instrumento acuto, & vel percutiente vel scindente factæ, vel acrimoniæ humorũ in ulceribus eundem absumenti, vel facultati plasticæ in utero, ut itadicam à primo ortu naso carent.

Nasi figura depravata.

Figuræ depravationem variam itidem vel in utero à facultate formatrice eundem diversimodè delineante, vel ab externa causa violenta consuetam figuram depravante, originem ducere asserunt.

Juxta Paracelsum causa Sarcomatis & Polypi narium.

§. 5. *Paracelsus* proxime jam sequens *Sarcoma* & imprimis *Polypum* appellat carnem deviatam & buccellos, qui per poros extra locum suum in excrescentiam nodosam transierunt, dum deviatum quodvis nutrimentum in alio quam sui situs loco generat eandem carnem suæ generationis in magna copia.

Verrucositatis.

Verrucositates nasi ex alimenti ejus proprii abundantia originem sumere putat, unde & sæpe ipsius nasi similitudinem habeant, & parvuli quidam musculi appareant.

Cossi.

Cossi, qui apostema est, quo nasus admodum utitur, & postmodum fricationibus crustæ ponuntur, quæ per annum perseverant, causam adscribit albo cuidam sulphuris & sali scisso, quæ prodeant ex regionibus Matris, dum sal scissum in parte Martis erumpens, ibidem extra cutem sua signa proferat in locis, in quibus cartilagines existunt, ubi enim caro cum carne jungatur, naturam ait aliquod producere emunctorium.

Ulceris & Ozænæ.

Ulceris & Ozenæ originem deducit à salibus corrosivis ex minera Martis profluentibus & nasum exedentibus, à quibus etiam proprium nasi nutrimentum corrumpatur, & fœda tanies promanet.

Inflammationis, Erysipelatis & Ruboris, nec non punctulorum nigrorum.

Inflammationis, Erysipelatis & Ruboris Nasi causam imputat liquori salis ex venis Martialibus profluenti, & suo excremento rubedinem producenti. *Punctula nigra* aliquando oriri existimat dum minera Saturni cum minera Martis se commiscet, & nutrimentum nasi proprium iis interspergitur, & cum hæc non satis exactè commisceri possint, minera Saturni dispersa maculas illas nigras seu plumbeas producit.

Nasi defectus & figura depravationis.

Nasi defectum & Figuram depravatam ab iisdem causis contingere adsentitur, quas priores in medium jam protulerunt.

Helmontii opinio de causa Sarcomatis & Polypi narium.

§. 6. *Helmontius* productionem *Sarcomatis* & *Polypi* adscribit tum nutrimento Nasi proprio copiosiori, tum Archeo aberranti & à lumine & fermento quodam peregrino in delirium redacto, à quo in tantum seducatur, ut officii sui distributivi ulterius immemor, pro luminis illius irradiatione & materiæ occasionalis dispositione æquitatem transgressus, peregrinas concipiat ideas, atque hujusmodi carnosas & polyposas formet eminentias.

Verrucositatis.

Verrucositatum originem accenset similiter ipsius nutrimenti Nasi abundantiæ, ex qua fungi hi narium supercrescant, dum caro à latice copiosius affluente nimium humectatur, & in fundum quendam ejusmodi excrescentiis proferendis apprimè habilem disponitur.

Ulceris & Ozænæ.

Quando verò latex hic ponticitate quadam & acidula salsedinis muria infectus sit, ipsa *Ulcera* & *Ozænas* ab eodem vult excitari, & quidem Ozænas, dum fermento quodam virulento, ejusque occulto contagio sit oppignoratus, à quo nutrimentum nasi simul inficitur, caro depascitur, & ossa exeduntur.

Inflammationis & Erysipelatis.

Inflammationem & Erysipelas in Naso ab excandescentia Archei excitari credit, hic enim à peregrino quodam vel in nutrimento Nasi, vel in latice eò affluente existente irritatus & ad iram provocatus, statim ignem illud trophæum in signum indignationis suę producit, & externo naso in turpitudinem hostis eum provocantis apponit.

Macularum nigrarum.

Similiter *Maculas nigras* ab Archeo seminali delineari vult, pro dispositione materiæ ejusque spissitudine, unde colores illi emergant proprietates vitę medię imitantes.

Nasi defectus & Figuræ depravationis.

Nasi defectum & Figuræ depravationem vel externis causis violentis, vel ipsius Archei variis deviationibus in utero fœtum fabricantis annumerat.

Vuillisii iudicium de causa Sarcomatis & Polypi narium.

§. 7. *Vuillisius* nunc accedens *Sarcomatis* & *Polypi* generationem deducit à succo nerveo in transitu impedito, & in aliquo nasi loco stagnante, in quo particulis spirituosis vel depressis, vel evanescentibus, salinæ acorem concipiunt, & arreptis corpusculis sulphureis in tumores hosce carneos & polypos concrescunt.

Verrucositatis.

Verrucositatis Nasi originem tribuit latici cutaneo & seroso multis particulis spissis & viscidis referto, à quo pori cutanei in naso non modo valde infarciantur sed fibræ nerveæ simul rumpantur, & succum nerveum & nutritium copiosius profundant, qui postmodum in ejusmodi verrucositates coagulatur.

Ulceris & Ozænæ.

Ulceris & Ozænæ causam imputat eidem latici seroso, dum non modo ob lentorem in parte quadam narium stagnat, sed ob stagnationem illam diuturniorem corrumpitur, partes exedit & tandem contagium quoddam concipit, quo omnem liquorem nutritium similiter inficit, corrumpit, & narium partes cum palato interdum destruit.

Inflammationis, Erysipelatis & Rubedinis.

Inflammationem, Erysipelas & Rubedinem nasi oriri existimat à sanguine ex arteriolis sub cutem effuso, & multis particulis salinis fixioribus, maximè acidis referto, ob quas diutius ibidem detineatur, febriliter effervescat, & hujusmodi ruborem & tumorem quandoque producat.

Punctorum nigricantiũ.

Puncta nigricantia induci credit, quando foramina sudatoria modò humore atro crassiore, modò vermiculis capita nigra habentibus oppleantur, quæ animalcula è poris expressa & Soli exposita vivere, & se movere, facilè conspici posse aliis persuadere conatur.

Defectus & Figuræ depravatæ.

Quantum ad *Nasi defectum & Figuram depravatam* attinet, eorundem causis designandis à reliquorum sententiis ne latum quidem secedit unguem.

Sylvii iudicium de causis Narium Sarcomatis & Polypi.

§. 8. Sequitur industrius ille *Sylvius*, ut sententia sua de morborum horum causis prolata earundem cognitionem reddat faciliorem. Existimat verò Author hic nobilissimus *Sarcoma* & *Polypum* Narium à sanguine nutriente copiosius ad nares affluente, sed corrupto ab acido quodam ex lympha glandulosa producto excitari, dum partes fibrosæ ex ulcere, in quo acidum quoddam acre & corrodens dominatur, destructæ, sanguinem illum majori quantitate suscipiunt, qui dein cum lympha acidiuscula in excrescentias illas carneas facessit.

Verrucositatis.

Verrucositates Nasi ab eadem lympha glandulosa acido spiritu abundante pronasci autumat, à quo humor ille spissior reddatur, & in poros cutaneos deductus eosdem opplens ab alio succo affluente propella-

pellatur, sicque protuberantias illas verrucosas producat.

Vlcerum & Ozænæ. *Vlcera & Ozænam* originem sumere docet ab acido quodam acri narium partes corrodente, & sanguinem ex arteriolis affluentem non tantum in pus vertente, sed si mali moris reddatur, ipsum pus etiam aucta sua acrimonia ulterius corrumpente, & non modo colorem ejus diversimodè mutante, sed, quod in Ozæna fit, intolerabilem quendam fœtorem eidem inferente.

Inflammationis, Erysipelatis & Ruboris. *Inflammationem, Erysipelas & Ruborem* Nasi vel à sanguine è vasis narium sub cutem effuso ibidemque stagnando accenso, vel à bile acriore effervescente cum sanguine ad nasi partes externas delato, vel ab acido acriori ebulliente eodem effuso, & ignis instar furente produci posse existimat.

Macularũ nigrarum. *Maculas nigras* exoriri credit ab acido in sanguine contento austeriusculo, & hinc inde sub cute nasi disperso, à quo interdum ipsa etiam cutis arrodatur & attenuetur, ut sola cuticula maculas illas operire conspiciatur.

Defectus & Figuræ depravatæ. In *Defectus & Figuræ depravatæ* causis constituendis etiam hic Author reliquorum sententiam facilè subsequitur.

Cartesianorum opinio de causis Nasi Sarcomatis & Polypi. §. 9. Ad *Cartesii* illius subtilissimi vestigia prementes nunc properamus, quorum de *Sarcomatis Polypique* origine hæc est sententia, quod particulæ chylosiores ad partes narium exesas antea à materia quadam acri, atque spatiolis ob fibrulas disruptas majoribus præditas majori copia adinfluant, ibidemque diutius detentæ extremitates fibrularum ita extendant, ut iisdem fortius adhærentes novam hujusmodi excrescentiam efforment, quæ ab affluxu novarum istiusmodi particularum chylosarum nutritivarum in tantum augeatur, ut ex neglectu non modo nares obstruat, sed ad ipsum palatum propendens suffocationem minetur & quandoque subinferat.

Verrucositatis. *Verrucositates* Nasi excrescere volunt ob fibras cutaneas seu nerveas nasi elongatas à succi nutritii copia, quarum diductioni exterior cuticula se facilè accommodet, & pro diversis particulis, quibus succus ille nutritius sit refertus, in superficie variè configuretur.

Vlcerum & Ozænæ. *Vlcerum* Narium causas statuunt particulas acutas acido-salinas, fibras nasi erodentes & corrumpentes, sæpiuscule fermenti instar à lue Venerea naribus cum sanguine & succo nutritivo corruptis communicatas, quæ si ipsa ossa nasi cum aliis ejus partibus erodant, iisque destructis fœtorem intolerabilem inferant, Ozænam ipsam subsequi fatentur.

Inflammationis, Erysipelatis. *Inflammationem & Elysipelas* etiam in naso originem habere putant ab humoribus arteriosis effusis, & poros cutaneos nasi ita obstruentibus, ut non nisi particulis primi elementi ignitam quandam naturam præ se ferentibus transitus permittatur, quæ proinde ruborem facile inferant; absque tamen inflammatione. *Maculam rubram* interdum Naso imprimi ob teneram cutis texturam & arteriolarum capillarium copiam sanguineas particulas effundentes, quæ per cuticulam proprio suo colore transluceant.

Macularũ rubrarum & nigrarũ. *Maculas* verò *plumbeas* ortum habere existimant ab halitibus quibusdam pinguibus poros cutaneos dilatantibus, & ab acido præcipitatis, unde radii luminosi non repellantur, sed absorbeantur & suffocentur.

Nasi defectus & figuræ depravationis. Nasum *deperdi* posse ab externis causis violentis facile concedunt, nec non ejusdem *figuram* vel in utero à spiritibus animalibus in formatione fœtus aberrantibus, vel extra illum ab externa quadam causa diversimodè depravari.

Nostra sententia de causa Nasi Sarcomatis & Polypi. §. 10. Ut in causarum recensione eò felicius provehamur, ponemus ulterius, quæ ad harum confirmationem *nostro* judicio solidiorem faciunt. Existimamus ergò *Sarcomatis* causam latere utplurimum in sanguine aliisque succis, quando scilicet oscula extrema vasorum narium ita dilatantur, ut ipsæ quasi prolongentur, hinc succus viscidus eò propulsus, novas quasi partes progignit efficitque, hic enim cum tempore concrescit & semper novus sanguis eò delatus accrescit. Sic eodem modo in *Polypo* sanguis serosus ex suis vasis effusus fortuito casu continuò per oscula hęc semel aperta cum humoribus quibuscumque exstillare solet & effectum hunc producere; nihil verò est, quod affectum hunc magis excitare valet, quam acidum in humoribus hospitans, maximus enim coagulator est omnium humorum, &, si tandem acrimonia accedat corrosiva, facile hic affectus transit in carcinoma seu cancrum, unde sanguis in his partibus mortificatur & destruitur uno cum seri vigore, acida enim acrimonia corrosiva nihil aliud est, quam aqua fortis sicca, & acrimoniam acidam volatilem sulphure inviscatam seu palliatam gerit. Hæc exulceratio non adeò corrosivam sed magis viscidam comprehendit materiam.

Verrucositatum. *Verrucositates* oriuntur revera à diductis & prolongatis fibris nerveis, quibus cutis & vasa ejus capillaria copiosè sunt intertexta, papillares enim ejusdem processus à succi nutrientis abundantia nimium repleti, insigne capiunt incrementum, & cuticulam substratam attollunt, ut prominentis istis facilè cedat. Affluente verò indies novo nutrimento, quod successu temporis consuetam sibi acquirit viam, tubercula ista augentur, quin glandulæ cutaneæ substratæ iisdem ductum aliquem excretorium sæpe communicant, ut liquor aliquis viscidus per meatum quendam verrucositatibus istis ab expansis ab humiditate perpetuò perfluente papillulis nerveis reservatum, non minus, ac per reliquas nares indies excernatur, ceu experientia apertè commonstrat, atque hic Cassellis aulicus quondam fuit minister naso ejusmodi prolifero præditus, cujus singuli nasuli, quibus septem superbivit, quotidie mucum quendam album ac viscidum reddiderunt, quo etiam expresso melius habuit, retento vero, dolorem tensivum sensit per integrum nasum reliquum. Hæc itaque à glandulis assiduò affluens humiditas exitum moliens, etiam in distortis & diductis fibrulis sibi viam servare potest, unde meatus interior pervius manet, accrescentibus interius particulis crassioribus tuberculum illud verrucosum solidè componentibus.

Vlceris simplicis & Ozænæ. Quod concernit causam Narium *Vlceris* simplicis & *Ozænæ*, eadem est, quæ & aliorum ulcerum sæpius jam dicta. Causæ enim sunt humor acris corrosivus plus minus dilutus; modo magis fluidus, modo ab aere frigido factus viscidus, atque vel à sanguine & lympha per narium vasa suppeditatus, vel à sanguine & lympha in ipso ulcere demum corruptis pronatus, in ea enim parte hæret acrimonia, quæ sanguini delato malignitatem infert; hinc ulcera hæc difficillimè curantur, quia visciditas non inhæret tantum sanguini, aliisque succis, sed quoque sæpe hic morbus ortum suum trahit, vel à lue venerea, vel à scorbuto ab iisdem particulis corrosivis exortis, vel à causa violenta, casu scilicet, hinc vascula facilè disrumpunt, & hinc succi evasantur & obstructio oritur, adest quoque ob aerem febris.

Inflammationis & Erysipelatis. *Inflammationis & Erysipelatis* Narium causa eadem est, quæ aliarum partium Erysipelatis, quæ dependet utplurimum à circulatione impedita particularum Sulphurearum in partibus his narium stagnantium, & ab acido productarum, sed utplurimum oritur à causa externa, nempe ob frigus, hinc videmus plures ob frigus in ejusmodi affectum incidere, à frigore enim in vasis valde exiguis humores aliquatenus commorantur & crassescunt, ac progressu temporis acorem contrahunt, unde tumor, rubor ac dolor facilè deduci possunt, hinc quia tubuli semel distorti sunt à sanguine ac humoribus stagnantibus & acescentibus, non facile ad statum pristinum redire possunt, quare adveniente bruma sanguis ac humores in circulatione aliquod offendunt obstaculum, hinc ægri semper recidivam patiuntur.

Macularũ nigrarum. *Maculas nigras* seu *plumbeas* originem sumere credo à diversis corpusculis succo nutritio intermistis, pinguibus potissimum & ramosis, ab acido hinc inde dispersis & cutis superficiei appositis, ut ita facilè per cuticulam transpareant & radios luminares suffocent.

Nasi deperditi. *Nasi deperditi* causa vel est ab externa violentia, quod vel gladio, vel alio instrumento planè amovetur, vel ab acrimonia corrosiva, puta Cancro, Lupo &c. ipsum devorante.

Figuræ depravationis. *Figuræ depravatio* fit vel in utero materno, vel extra eum itidem à causa violenta.

§. 11. Nunc

Prognosis Sarcomatis & Polypi.

§. 11. Nunc progrediemur ad *Signorum prognosticorum* doctrinam; sunt autem sequentia: *Sarcomatis* prognosis est, quod hoc Polypo sanabilius est, quamquam unum pene & idem sint, & iisdem medicamentis curentur, hocque tantum discriminis intercedit, quod affectus incipiens appelletur Sarcoma, confirmatus autem *Polypus*, qui difficilius curatur, ac neglectus aut malè tractatus in cancrum seu carcinoma narium degenerare solet. Quo affectus diuturnior, eo difficilior est curatu, quia pori stabilem figuram & magnitudinem acquirunt, hinc particulę sylvestres acresque transmittuntur. Si Polypus cancrosam induat naturam, ferè incurabilis est.

Verrucositatum.

Verrucositates nasi præter deformitatem nonnunquam magnam inferunt molestiam, præcipuè quando simul meatus illarum muco quodam viscido repleti sunt, qui quotidie exprimendus, ne fibras premendo dolorem inferat, quia totalis earumdem ablatio difficulter obtineri potest, ægrique easdem per dies vitæ sæpe ferre coguntur.

Ulceris & Ozænæ.

Ulcus verò simplex facilius curari potest, quam *Ozæna*, diuturnitas enim efficit, ut pori stabilem figuram acquisiverint; si quoque exulceratio simplex narium ad deteriorem naturam proclivis est, & remedia nullum commodum afferunt, & si simul acris materia instar catarrhi è vasis suis ruptis effluat, facilè ex ulcere simplici ulcus pascens serpensque fieri potest, unde narium pinnæ interstitiumve, vel ipsa nonnunquam ossa corrumpi exedique solent, ceu plura observavimus exempla, imo talia, ubi palatum simul fuit erosum. Si morbum hunc comitentur lues venerea, lepra, psora vel cancer, ferè incurabilis est, nisi curentur simul prædicti morbi.

Inflammationis.

Inflammatio recens facilè curatur; inveterata verò facilè renascitur.

Macularũ rubrarum & punctulorum nigrorum.

Maculæ etiam *rubræ* & *Punctula nigra*, delicatulis & formositati admodùm studentibus perquam intolerabilia, non facilè tolli & mutari queunt, præsertim si fœtus iisdem in utero jam fuerit notatus.

Nasi deperditi.

Nasus deperditus haud restitui potest aliter, quam palliativè.

Figura depravationis.

Figuræ depravatio itidem difficulter corrigitur.

Diæta.

§. 12. Superest ut *Diætam* subnectamus, quæ in sex rerum non naturalium recto usu consistit. *Aer* ergo sit temperatus, ad caliditatem paulò inclinans, vitetur frigidus. *Cibus* sit in omnibus his narium affectibus levis ac tenuis, prosunt omnia temperata & insipida, in quibus nullum acidum latet, contra vitentur omnes cibi acres, salsi, fumo indurati ac acidi, quia sanguinem ac serum acriores reddunt ac crassiores. *Potus* sit hordeatum, vel vulnerariis maritatus, exulent vina fortiora, & acida quæcumque vitentur, conducet potus Theę & Coffæ.

Corporis exercitia vehementiora summopere fugiat æger, quia sanguinem fervidiorem ac acriorem reddunt.

Alvus sit libera, & ab omnibus *Animi passionibus* ęger abstineat.

Galenicorũ methodus curandi Sarcoma & Polypum narium.

§. 13. Ad remedia tandem properandum, quæ ex duplici fonte, Chirurgico & Pharmaceutico, desumuntur. Ea verò *Galenici* hoc modo præbent, ut in *Sarcomate* & *Polypo* ulteriorem ejus accretionem prohibeant inhibendo ne crassa & viscida materia in naribus colligatur, & eandem jam genitam avertendo, quod siccando & firmando cerebrum fieri volunt, ne morbum foveat. Hinc polypum ipsum tenui pedunculo naris tunicæ internæ inhærentem rescindunt, & ulcus cruentum sola posca frequenter per nares attracta sanant. Quando verò Polypus basi latiori naribus inhæret, medicamenta præmittunt partim adstringentia, partim denique exsiccantia ac discutientia, laudant proinde experimentum Galeni ex malorum punicorum triplicis generis succo modicè cocto, & in vase stanneo servato, usus autem tempore in collyrium formæ nasi, cui applicari debet, redactum & applicatum, quod, si æger diu continuatum molestius ferat, vel succum mali punici humidum, vel pulverem ex eodem exsiccato naribus attrahendum interserunt, nec non succum serpentariæ. In malo graviori ad validiora progrediuntur medicamina, qualia sequentia magni ab iisdem habentur usus.

℞ *Alum. sciss.* ℥ ß.
Myrrh.
Sandarac. aa. ʒ iij.
Gall.
Ær. ust. aa ʒ j.
Trita abluantur vino odorato, & penicillo excepta naribus adhibeantur,

Vel:

℞. *Scor. ær.* ʒ j.
Helleb. nigr.
Arsenic. rub. aa. ʒ j.
Chalcanth ℈ ß.
M. F. Pulvis, qui insuffletur naribus, vel cum vino dissolutus instar linimenti adhibeatur.

Ad eundem usum commendant etiam attramentum sutorium per se cum aceto adhibitum, nec non pulverem Alexandri ex chalcantho, chalcitide, misy & ære usto paratum, & pastillos Andronici. Causticis etiam medicamentis per cannulam argenteam aut fistulam plumbeam parti solum affectæ applicatis excrescentias istas adurunt, & loca perusta butyro illinunt ad crustæ excisionem, quo peracto ulcus curant ut reliqua ulcera. Remediis verò istis voto minus respondentibus, ad chirurgiam properant, & ferramento acuto ad modum spathę efformato Sarcoma aut Polypum ab osse abscindunt, abscissumque unco ferreo extrahunt, data cura ne cartilago lædatur, postmodum sanguinem supprimunt & cicatricem inducunt. Polypum malignum ferramentis candentibus tenuibus urunt, cancrosum verò vel omnimodo non tangunt, vel solo succo solani in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo agitato & condensato, aut succo foliorum salicis sæpe studiosius abluunt, & ut citra morsum exsiccetur, unguento diapompholygos aliquoties inungunt.

Verrucositates.

Verrucositates Nasi minores instar aliarum verrucarũ tractant, sæpius easdem fricando elaterio cum sale, vel attramento sutorio, aliisque reliquis verrucarum speciebus dicatis medicamentis; quas fili constrictione circa radices abigi posse existimant.

Ulcus & Ozænam.

In *Ulceribus* & *Ozænæ* operam dant, ut ulterior prohibeatur materiæ vitiosæ accretio, instituta debita victus ratione, purgatione, venæsectione & capitis corroboratione, ne vitiosam materiam ulterius transmittat ulceris curationem impedientem. His præmissis ad curationem ipsius ulceris pergunt adhibitis medicamentis siccantibus, repellentibus & discutientibus invicem mixtis, & tandem, si affectus iisdem renitatur, subjunctis valde detergentibus. Abluunt proinde ulcus frequenter aqua & vino austero, in quibus rosæ rubræ siccæ, & flores lentisci macerati & decocti fuerint. Ulcere existente sordido, mel rosar. cum terebinth. vel succum calamenthi, aut amurcam cum melle permixtam naribus infundunt, ut non modo ulcus ita detergatur, sed crusta etiam resolvatur, sternutamento eiiciatur, eoque facto vaporem aquæ calidæ submittunt & omphacium cum amurca permixtum, vel succum marrubii aut menthæ, vel attramentum sutorium prius candens redditum hinc subtilissimè tritum & cum melle mixtum. Quando verò hęc medicamina debiliora sunt, transeunt ad validiora, ulcusque sequenti liquore frequentius attingunt.

℞. *Myrrh.*
Cort. thur.
Chalcit. aa. ʒ vij.
Attramen. sutor. ʒ vj.
Alum. sciss.
Gallar. immat.
Squam. ær. aa. ʒ iij.
Alum. rot. ʒ ij.
Coquantur s. q. aceti in vase æreo. Decoctum servetur ad usum.

Pro majori exsiccatione impetranda curam sequentibus trochiscis concludunt, quorum fumus naribus est recipiendus.

℞. *Myrrh.*
Cort. thur. aa. ʒ ij.
Sandar. ʒ j.
Auripigment.
Cinnab. aa. ʒ ß.

Ex-

Ex his f. Pulvis, qui terebinth. susceptus formetur in trochiscos, & hi prunis pro fumo excitando frequenter imponantur.

Inflammationem, Erysipelas, maculas & punctula nigra. *Inflammationem*, *Erysipelas* & *Maculas* Nasi rubras ut ritè curent, omnium primò ad calidam hepatis intemperiem respiciunt, quam hepaticis frigidis corrigere student, ob quem finem etiam venæsectionem celebrant, & tandem ad topica & repellentia accedunt, quæ componuntur ex succis plantag. nymph. fumar. solan. citri, limon. emulsion. ex sem. melon. cucurb. cicer. nucl. persicor. ceruss. myrrh. borrac. camphor. alum. Gerf. serpentar. &c. Unguentum item album camphorat. laudant, & unguent. de lithargyrio. In *Punctulis nigris* adigendis succum melancholicum in sanguine existentem expurgant, & nasum succo raphani cum sulphure vivo aliquoties abluunt.

Nasi defectum. *Nasum* totaliter *abscissum* nulla arte reparare sciunt, si verò frustulum aliqua parte adhuc hæreat, illud residuo statim apponunt, & vel ligatura, vel emplastris glutinatoriis firmant, additis consolidantibus, ut cum tempore denuò accrescat.

Figuram depravatã. *Figuram* in utero depravatam vix corrigi posse judicant, à causa verò extrinseca inductam aliquando emendari debita compressione, totalem tamen restitutionem difficulter admodum obtineri sciunt, idque eo magis, quo causa depravans exstitit violentior.

Paracelsi modus curandi Nasi Sarcoma & Polypum. §. 14. *Paracelsus* curam *Sarcomatis* & *Polypi* ita instituendam vult, ut buccelli isti prius incidantur, nutrimentumque illorum tollatur, & tandem integra cura absolvatur emplastro oppodeldoch.

Verrucositates. *Verrucositatibus* etiam nutrimentum omne vult adimi, distortis & constrictis earundem venis & meatibus, insuper ut facilius flaccescant & exsiccentur linimento ex realgar. pp. & succo chelidon. aliquoties easdem suadet inungendas.

Cossum. *Cossum* citò vult auferri, ne fistulæ subsequantur, à quarum cura omni modo vult abstineri. In tempore proinde Cosso sequens præcipit adhibendum.

℞. *Succ. agrimon.* ℥ j.
de porris ℥ ß.
Ol. aneth. ad pondus omnium.

Fiat mixtura, cui pannus intingendus, & hic sine aspersione superponendus, sic liquorem exire & per se Cossum curari promittit.

Ulcus & Ozænam. In *Ulceribus* Narium & *Ozæna* ad salia corrosiva ex minera Martis producta corrigenda, ulcus mundandum & incarnandum, præ aliis sequens commendat oleum è mumia arsenicali paratum, ulceribus istis petia illinendum.

℞. *Arsenici alb.* ℥ vj.
Sal. fus.
Colcothar. aa. ℥ ß.

Fiat mixtura, reduc ad secundum gradum reverberationis per horas tres vel quatuor & excipe.

Tum

℞. *Hujus mumiæ* ℥ j.
Liquor. myrrh.
Botin. aa. ʒ ij.
Fiat in modum olei.

Eadem illa ulcera & sequenti lixivio calido aliquoties suadet abluenda.

℞. *Alum.* ℔. x.
Succ. Chelid.
Plantag. aa. ℔. j.
Parthenion. ℔. ß.
Destilla.

℞. ℔. j *istius aquæ*,
Aqu. commun. ℔. x.
Fiat Lixivium.

Inflammationem, Erysipelas & Maculam rubram. Ad Nasi *Inflammationem*, *Erysipelas* & *Maculam rubram* abigendam sequens commendat linimentum.

℞. *Myrrh.*
Thur. aa. ʒ j.
Lithargyr. ℥ iv.
Aceti fortiss. ℔. ß.
Reduc in decoctionem.

℞. *Hujus lithargyr. pp.* ℥ ß.
Alum. de roch. ℥ ij.
Aqu. Sal. ℥ ß.
M.

Maculas plumbeas. *Maculas plumbeas* oleo Mercurii aliquando, caute tamen, attingi permittit, ut decolorentur.

Nasum deperditum & Figuram eius depravatam. In *Naso deperdito* restituendo, & *Figura* ejus *depravata* corrigenda nullatenus occupatur, ne videatur frustraneos adhibuisse labores.

Helmontiana cura in Sarcomate & Polypo. §. 15. *Helmontiano* more morbi hi curari solent absumendo nutrimentum superfluum, vel avertendo illud, ne ulterius ad nasi loca adinfluat, & Archeum in viam & officium pristinum revocando, ne à fermento illo peregrino se amplius patiatur seduci, quod Mercurio diaphoretico & tinctura lilii antimonialis perfici posse ab Authoris hujus asseclis vix ullatenus dubitatur, utpotè à quibus *Sarcoma* cum *Polypo* haud ita difficulter absumatur, & nasus ad integritatis statum reducatur.

In Verrucositatibus. Eodem modo in *Verrucositatibus* procedere solent, quas & cum aliis excresentiis sponte evanescere sibi Author hic imaginatur, quando Lunæ lumine per vitrum collecto superirradientur, donec frigus intrò senserint, fortasse quod alimentum eorum ita destruatur, & liquescant.

In Ulceribus & Ozana. In *Ulceribus* Narium & ipsa *Ozæna* tum radicem Gentianæ, tum vinum, in quo colcothar fuerit maceratum, si frequentius eodem abluantur, nec non remedia exactè elaborata ex arsenico, & auripigmento in casu fortiori magnopere commendant.

In Inflammatione, Erysipelate, Maculis rubris & nigris. *Inflammationem* & *Erysipelas*, seu potius *Maculam* Nasi *rubram*, etiam in utero matris fœtui inductam, deleri posse promittunt, si menstruo muliebri frequentius abluatur. *Maculas* autem nigras succo bryoniæ, & persicariæ abigere satagunt.

In Naso deficiente, & Figura eius depravata. *Nasum deficientem* & *Figuram* ejus *depravatam* resarcire, & corrigere vix tentat Author hic, aliorum judicio hoc in casu libenter adsentiens.

Vuillisii modus curandi Sarcoma Narium & Polypum. §. 16. *Vuillisii* intentio in *Sarcomatis* & *Polypi* curatione eò dirigitur, ut stagnatio succi nervei solvatur, diaphoreticis imprimis, aliisque massam sanguineam ab acrimonia salsa depurantibus, ut decocto lignorum similibusque destillatis convenientibus ex cephalicis compositis; posthæc ipsi tumores consumantur, & concretum illud heterogeneum destruatur, quod præter alia à superioribus jam notata remedia sequenti destillato à pluribus singulariter laudato præstari posse confidit, si tumores illi nariumque partes internæ eo frequentius tangantur.

℞. *Uvar. immatur.* ℔. iij.
Cort. mali granat.
Balaustior.
Cumach. aa. ℔. ij.
Macerentur in aceto & destillentur, dein add.
Alum. ℔. j.
Denuo destillentur omnia simul.

Mercurium præcipitatum rubeum plurimis lotionibus edulcoratum, pulverisatum, melle susceptum, & cum turunda in nares demissum non minus approbat, tanquam in excrescentiis istis absumendis summè idoneum. Emplastra itidem ex viridi æris, auripigmento, vitriolo, alum. antimon. in aceto maceratis & denuò exsiccatis & pulverisatis, cum lithargyrio & oleo rosaceo parata ab aliis commendata nullatenus contemnit, si cereoli ex illis formati naribus indantur, & excrescentiis illis applicentur, quibus remedijs incassum tentatis, tumores hosce Chirurgiæ committit abigendos.

Verrucositates. *Verrucositates.* Nasi minores iisdem remediis tollere tentat, quibus reliquæ verrucæ aliarum partium abiguntur; majores verò citra periculum adimi haud posse retur, solamque ligaturam in iis aliis remediis omnibus præfert.

Ulcus & Ozanam. In *Ulceris* & *Ozænæ* curatione se non parum præbet occupatum, ut laticem & sanguinem ab impuritate acri vindicet, & ad debitam crasin reducat, quare noxios humores evacuat vel electuario diacartham. cum speciebus diaturbith cum rhabarb. vel pulvere Sulphuris Antimonii, vel sequenti decocto:

℞. Po-

℞. *Polypod. qu.*
Rad. lapath. acut.
Scabios. aa. ℥ j.
Herb. fumar.
Senec. aa. M. j.
Fol. sen. ʒ x.
Epithym.
Turbith.
Agar. aa. ℥ j.
Sem. cartham. ℥ j.
Flor. ejusd. ℥ ß.
Ras. santal. citrin. ʒ iij.
Sem. anis.
Fœnic. aa. ʒ ij.
Incisa & contusa coq. in aq. font. ℔. vj. *ad medietatem, add. postmodum*
Vini albi ℔. j.
Statim coletur, F. Apozema.

Dentur ℥ vj. una vice horis matutinis.

Ulcus ipsum topicis convenientibus vult tractari, crustas ejusdem emolliendo vapore aquæ dulcis, vel in quo radices altheæ decoquantur, & easdem emollitas digitis oleo amygd. dulc. inunctis leviter amovendo, hinc ulcus abluendo decocto hordei cum melle rosato, vel aqua ferrarior. in qua flores rosar. decocti fuerunt. Ad fortius adstringendum in *Ozæna* aquam laudat aluminosam, & pro majori exsiccatione fumum ex pulvere mastich. Gumm. sandar. myrrh. cinab. & auripigmento prunis injecto, qui naribus est suscipiendus.

Inflammationem, Erysipelas & Maculas rubras: *Inflammationem & Erysipelas* Nasi non aliter, ac reliquas aliarum partium inflammationum & erysipelatum species vult tractari; *Maculas verò rubras* Cosmeticis, ut lacte Virginis, aliisque frequentius suadet abluendas, imprimis sequenti liquore.

℞. *Camphor. incis.* ʒ ij.
terantur in mortario vitreo,
sensim affund. succum unius limoni,
dein add. vini albi ℔. j.
F. Colatura, & Camphora residua petia ligata in vitro suspendatur.

Maculas nigras. *Maculas nigras* vix ullo remedio citius abigi posse censet, quam aqua Cosmetica mercuriali, vel succis ari, bryoniæ & Sigilli Salomonis.

Nasi defectum & Figuram depravatam. *Nasum deficientem*, aut in *Figura depravatum* restituere sibi non præsumit, aliorum laborem hunc in se suscipientium agilitati & felicitati minime invidens.

Sylvii ratio curandi Narium Sarcoma & Polypum. §. 17. *Sylvius* in curandis Narium *Sarcomate & Polypo* ad acidum, tanquam omnis mali hoc in morbo fontem, præprimis respicit, ut illud dometur, & excresentia superflua consumatur, quod cauteriis tum actualibus, tum potentialibus ex lixiviosis paratis, nec non medicamentis Mercurialibus optimè obtineri posse aliis persuadere laborat.

Verrucositates. *Verrucositates* simili modo exsiccari vult, quo omni succo privatæ flaccescant, & decidant, maximè autem constrictionem fili & attactu linteoli spiritu sulphuris humectati.

Ulcus & Ozænam. In *Ulcere* itidem & *Ozæna* acidum maximè corrigendum est secundum Authoris hujus methodum, abstergendo illud lixivio quodam vel urina, in quibus aliquid aluminis fuerit incoctum, tum Unguento Ægyptiaco in succo plantag. & heder. terrestr. dissoluto. Posthæc exsiccantia & acidum ulterius imbibentia sunt exhibenda ex thutia, lithargyr. plumb. usto, thure, myrrh. & cinabari similibusque composita, & vel pulveris, vel linimenti aut unguenti spissioris forma applicata.

Inflammationem, Erysipelas, Maculas rubras & nigras. *Inflammationem & Erysipelas* Nasi non aliter curat, ac reliquarum partium, in *Rubedine* verò à bile effervescente aut ab acido acri ebulliente orta sulphuribus metallicis effervescentiam istam sedat, & maculas succo vel aqua taraxaci cum borrace & myrrha illinit. *Maculæ nigræ* abiguntur correcto acido & abluto naso ex lixivio cinerum betulæ, in quo radix lapathi decocta fuit, addito tantillo florum sulphuris, cum camphora aut Mercurio sublimato correcto.

Nasi defectum & Figuram depravatam: *Nasi defectum* totalem ullo modo reparare nescit, ut & *Figuram depravatam* in utero, ex infortunio autem inductam aliquando corrigi concedit, prout reliqui Authores jam protulerunt.

Cartesianorum ratio curandi Nasi Sarcoma & Polypum. §. 18. *Cartesiani* in curatione morborum horum sequenti modo procedunt.

In *Sarcomate & Polypo* sanguinem & succum nutritium mundant ab omni impuritate acri, tum purgantibus Mercurialibus, tum sudoriferis ex lignis & antimonialibus aliquoties repetitis, etiam Tinctura Antimonii potui ordinario per tempus aliqando instillata. Præter hæc interna, forinsecus Sarcomati & Polypo incipienti ea applicant, quæ eadem exsiccare, & ne ulterius excrescant impedire valent, ut succum nasturt. hortens. & aquat. oleum Saturni, Pulverem ex cort. granat. cadmia fossil. antimon. crud. litarg. mastich. myrrh. Croco Martis & similibus adstringentibus, ne via succo chyloso ulterius adeò pateat; quibus non sufficientibus, & Polypo nimium increscente ad fortiora & exedentia accedunt, Aquam scilicet Mercurialem, quæ fit, Mercurium sublimatum decoquendo in aqua communi, linimentum ex ærug. ær. Vitriolo, alum. cort. granat. rad. aristol. rotund. melle vel succo plantag. exceptis, vel ex chalcitid. pp. & auripigment. aa. s. q. mellis commixtis. Si nec his cedat, vel filo eundem constringunt, vel forcipe prehendunt & abripiunt, loco vulnerato exsiccantia & sanguinem sistentia postmodum submittendo ex alum. ust. balaust. terr. sigill. lap. hæmattit. croco Martis adstring. succino, thure & similibus paratis, vel forma pulveris adspersa, vel cum terebinth. & melle rosaceo suscepta instar turundę naribus ad locum affectum insinuata.

Verrucositates. *Verrucositates* exsiccari dicunt constrictis radicibus illarum filo serico, ne aliquid ulterius recipiant nutrimentum, ita enim flaccescent & decident, quod si minus pro voto succedat, easdem aqua Mercuriata vel lacte ficuum aliquando attingunt, quibus itidem interiores Narium verrucas consumere tentant, partibus vicinis defensivo conveniente prius munitis, & Unguento Ægyptiaco gangrænam aut inflammationem justo tempore præcavendo, aut ferro candente leviter & successivè easdem comburunt.

Ulcus & Ozænam. In *Ulcere* Narium & *Ozæna* eodem modo, ut in Sarcomate jam innuimus, massam sanguineam immunem reddunt ab impuritatibus acribus, omnesque particulas acutas erodentes hebetant, mitigant & ad temperiem commodam redigunt medicamentis antimonialibus aliisque diaphoreticis & porosis absorbentibus, quo voto obtento, externè ulcera abstergunt & mundant vel Aqua viridi *Hartmanni*, vel mixtura tali aut simili:

℞. *Aq. plantag.*
Majoran. aa. ℥ ß.
Mell. rosat. ʒ vj.
Spir. vin. rectificat. ʒ iij.
Merc. sublim. gr. vij.

M. & vel guttatim naribus absorbeatur, vel linteolum mixtura hac madefactum & contortum naribus inseratur, vel syringula quadam iisdem inspergatur.

Hinc ad magis exsiccantia accedunt, exhibentes vel Unguentum exchalcit. pp. sandarac. & alum. ust. succo granat. & melle exceptis, vel sequens magis compositum:

℞. *Aloes aq. plantag. lot.* ʒ iij.
Myrrh. elect. ʒ ij.
Rad. Irid. N.
Sarcocoll. aa. ʒ ij.
Cerus.
Antimonii.
Thut.
Min. aa. ʒ ß.
Ol. Hyper.
Rosar. aa. ℥ ij.
Mell. ros. colat. ℥ j.
Succ. granat.
Pillosell. aa. ℥ ij.
Coquantur primum succi cum oleis, deinde mel, ultimò species pulverisatæ inspergantur, & bene miscendo redigantur in formam unguenti.

Tan-

Tandem pulveres pro fumo ex ſuperioribus jam notos accedunt, ut à fuligine adſcendente naribus ſuſcepto reliquiæ penitus abſumantur.

Inflammationem & Eryſipelas. *Inflammationem & Eryſipelas* Naſi tollere audent poros obſtructos reſerando, quo non tantum particulæ primi ſed & ſecundi elementi eoſdem permeare queant, & fuligines retentæ exhalent; qua de causa ſequente mixtura Naſum inflammatum vel attingunt, vel etiam abluunt:

℞. *Aq. plantag.*
Sperm. ranar. aa. ℥ j.
In iis coq. myrrh.
Oliban. aa. ℈ ij.
Filtrentur & add.
Spir. vin. camphorat. ℥ iij.
Spir. flor. ſambuc. ℥ j.
M.

Maculas rubras. Reliquas *Maculas rubras*, quibus fœmellæ tenera cute præditæ ſæpe deformantur, difficilioribus norunt eſſe curationis, & ſi ſanguis copioſior ad cutem effuſus in vaſa reſorberi nequeat, extremum naſum aliquando jubent ſcarificare, hinc aquis flor. Hyper. & flor. til. in quibus lac ſulphuris diſſolutum ſit, vel liquore rad. Oxylap. in aceto maceratæ, contuſæ & expreſſæ, addito tantillo ceruſ. myrrh. & camph. aliquoties abluere.

Maculas nigras. *Maculas nigras*, ſeu *Punctula plumbea* ſi non penitus abigi, tamen minui poſſe ſciunt, ut ad tempus minus conſpiciantur, ſi in unoquoque puncto cutis acicula perforetur, ut liquor ſpiſſus, ſeu vapores pingues ab acido coagulati exprimantur, & Naſus poſtmodum decocto balauſtior. & alum. in aq. plantag. & fragar. facto abſtergantur.

Naſi defectum & Figuram depravatam. In *Naſi defectu & Figura* ejus *depravata* corrigendis aliorum & noſtro calculo ſuum perlibenter ſubjiciunt, quare quid de iiſdem nobis videatur, proximè nunc pluribus percipies.

Noſtra ſententia de Curatione Sarcomatis & Polypi. §. 19. Cum ordo *Nos* ergò tangat, en de morbis hiſce debitè curandis noſtram ſententiam. Curatio *Sarcomatis & Polypi* ferè eadem eſt, ante omnia enim circulatio ſanguinis & humorum promoveatur, in hunc finem conducunt varia abſorbentia ſuaſu Chirurgi Amſtelodamenſis *MeKerani* in hoc opere verſatiſſimi, præprimis verò hic conveniunt quæcumque ſudorifera, hinc pro ſudore ciendo optimè prodeſt cinabaris Antimonii aliquoties exhibita, item ex ea paratum ſpecificum cephalicum, vel pulv. ſpaſm. dentur & tinct. Antimonii volat. & Solaris, decoct. lignor. &c. dein ad operam Chirurgicam accedendum, ubi remediis cedere recuſat, in quem finem erodentia & cauſtica conducunt. Poſſunt placentulæ parvæ & tenues ex mercurii ſublimati & viridis æris cum fermenti tantillo ſubactis parari, & harum una parti prominenti imponi, & ne decidat cum goſſypio applicari, vel ad mentem *Hartmanni* Mercurius præcipit. vel ad aliorum, butyrum Antimonii rectificatum, vel noſtro judicio melius conducet lapis infernalis cum cautela cum cannula argentea l. a. aplicatus: & quilibet tyro gradatim curam peragat, & Eſcharæ imponat ſeq. digeſtivum:

℞. *Ungu. baſ.* ℥ ij.
Elix. vitæ ℥ ß.
Myrrh. ℈ j.
M.

& dein utere ſeq.

℞. *Elix. vitæ* ℥ ß.
Olei ſabin. ℥ iß.
Spir. Sal. Armoniaci ℥ j.
M. imponatur plumaceolis.

Sed antequam ad hæc accedamus, prius exſiccantia vulgò dicta naribus ſæpius immittenda, imprimis commendamus ſequentem vel ſimilem pulverem conſumentem ex cort. granatorum, gallis, & magiſt. ſaturni paratum cum colchotare Vitrioli. Eſcaram poſt horarum aliquot ſpatium Chirurgus poteſt blanda manu ſeparare, & iterùm aliam placentulam imponere, idque toties repetere, uſque dum totus Polypus ablatus fuerit, &, ſi potentiali huic cauterio non obedіet malum, ad ferrum candens accedere potes, quod per cannulam ad carnem luxuriantem uſque trajicias, atque ſic adimas comburaſque: poſt combuſtionem atque operationem turundam albumine ovi cum oleo roſato imbutam immittas, poſtea aliam digeſtivo maritatam imponas per tempus aliquod, & dein ſolo unguento albo cum ſperm. ceti & ſaturnino totam peragas curam. Sunt qui cum Carteſianis ſpecificum hoc in morbo jactant, naſturtium ſcilicet hortenſe & aquat. vel contuſum, vel ejus ſuccum polypo applicatum, à quo omnis luxurians caro ſecedat. *Poterius* commendat ſuccum ſcorpion. ſeu heliotropii minor. naribus bis de die cum goſſypio immiſſum: alii laudant ut Panacæam Mercurium album *Hartmanni*, ex Mercurio præcipitat. vel arcan. corallin. paratum. Nos aliis præferimus medicamentis ſequentem aquam ad polypum:

℞. *Auripigmenti* ℥ ij.
Ær. virid. ℥ iß.
Vin. generoſi ℔ j.
Coq. ad medium, & add. aq. roſar. & Solani aa. ℥ ij.
M.

cum penicillo Polypum ſæpe attinge: vel quod magis arridet:

℞. *Aqu. calc. viv.* ℥ j.
Elix. vitæ ℥ ß. ʒ ij.
Olei ſabin. ʒ ij.
Spir. ſalis Armoniaci ʒ i ß.
Merc. ſublim. gr. v.
M.

quo continua uſque ad totalem Polypi exſtirpationem. Alii inſtrumento plumbeo longitudine unius digiti, forma pyxidis excavato imponunt cauterium potentiale, & admovent Polypo interno, & ita excreſcentiam carneam abſumunt, remota hac cannula butyrum applicant, donec eſchara & caro combuſta deciderint. Excell. D. *Craan* commendant Vitriolum album ſæpe parti affectæ applicatum, ut & ſuccum granatorum per coctionem inſpiſſatum. Si verò radices Polypi narium partibus nimis firmiter affixæ fuerint, melius eſt eum vel laqueo, ſecundum *Hippocratem*, vel alio inſtrumento radicitus exſtirpare & evellere, quæ operatio Chirurgica ſequenti modo peragetur. Æger die & loco claro in ſedili collocetur capite firmato, forcipe extractorio cavo, & in ſummitate denticulato prehendatur Polypus; & dein turundæ unguento detergente imbutæ naſo indantur, vel ſi hæmorragia larga ſubſequantur, liquore ſtiptico madefiant turundæ, &, ſi reliquiæ non omnes eximi poſſunt, inurantur ferramento per cannulam naribus immiſſo, imprimis ſi in palatum uſque promineat, quod æque forcipe evellatur: poſt operationem gargariſmus conducet ex decocto hordei, vini ſpiritu & melle paratus, qui etiam per nares ope ſyringæ injiciatur, & ad craſſos humores incidendos & corrigendos per tempus decocto lignorum utatur æger.

Novimus ægrum Hanovienſem Dn. le Roydітum, qui Polypum in naribus fovebat reſpirationem maximè impedientem, quem Dn. *Vuedlinus* me præſente feliciter forcipe exemit fruſtulatim, & nihil aliud erat, quam mucus ſanguine permiſtus & congelatus, cui diu præſcripſi humores temperantia & fluidos reddentia varia, unde nunquam recidivam paſſus eſt. In hoc etiam Polypo, qui ſeroſus & pituitoſus, formaque Sarcomati, quam Polypo proprior eſt, convenit fonticulus in brachio inſtitutus: ad infundendum ſeq. utere:

℞. *Spir. vin. Camph.* ℥ iij.
Matrical. ℥ ß.
Extr. cent. min.
Abſynth. aa. ℥ ß.
Myrrh.
Aloes aa. ʒ i ß.
Camph. ʒ j.
Sacch. Saturn. ℥ ß.
M. D.

In *cancroſa* verò ac cartilaginea diſpoſitione, qualem Belgico idiomate Obſervat ſuarum cap. 11. deſcribit *MeKeranus*, tantum abeſt, ut alterutro remediorum genere

genere aliquid efficere possis, ut ne extirpationem, quidem nisi summa cum prudentia adhibendam esse existimem, adeò difficilis illa molitio & periculo plena, ut cùm jam semel inceperis, aliquando desistendum esse ducas ad tot symptomatum ipsa sectione sæviorum, deliquiorum, hæmorragiæ, suffocationis & reliquiarum metum. Cessit aliàs illud artificium semel atque iterùm *MeKerano* ex voto, tum illi apud *Tulpium lib. 1. Observ. 26.* attamen non semper contingit, & vidimus, cui post tentatam hanc curam nil præter immensam dolorum vim & tumoris cancrosam malignitatem relictum fuit solatii.

Verrucositatis. Curatio *Verucositatis* Narium in eo maximè consistit, ut nutrimentum illis adimatur, quo exsiccatæ decidant, quod in minoribus, tum internis, tum externis, perficitur succi portulacæ & salis armoniaci frequentiori attactu & attritione, vel butyro antimonii si leviter eo aliquoties attingantur, vel succo folior. ficus vel lacte esulæ, vel succo mucoso limacum. Possunt eiam emplastro diachyl. emolliri & emollitæ abscindi, & ne recrescant, locus abstergatur aceto cum alumine. Ferro candente si sæpius adurantur, marcescunt & flaccidæ tandem decidunt. Majores autem pendulæ, & minutos quasi nasulos seu Nasi fœtus præ se ferentes admodum difficulter abiguntur, &, si tenui dependent petiolo, vis ullo remedio melius tolluntur, quam curatione per Anabrochismum, seu constrictionem fili vel seti equini, ut ita fibris arctius compressis, meatus, per quem nutrimentum hauriunt, præcludatur, & sic eodem destitutæ & exsiccatæ decidant, indies filo arctius constricto, & inuncto aliquando unguento Ægyptiaco ne dolor & gangræna sequantur, petiolusque tandem dissecetur, atque ut radices illarum penitus exstirpentur, remedium ex sandaraca in lixivio sarmentorum ficus sylvestris dissoluta, vel unguenti, vel emplastri forma adhibeatur. Sic feliciter pastor Schlizensis à tali nasulo verrucoso usque ad os pendulo fuit liberatus.

Ulcerum. Narium *Ulcera* sunt curatu difficillima; internè conveniunt corrigentia, ex quibus præstantiora non dantur mercurialibus, hinc affectus enim eodem modo ac lues Venerea debet curari; post hæc sudorifera conducent, imprimis decoctum lignorum, ex. gr.

℞. *Lign. sanct.*
Cort. ejusd. aa. ℥ iv.
Rad. Chin. Zedoar. Imperator. aa. ℥ j
Herb. scord. hyper. aa. M. j.
Sabin. ℥ j.
Nasturt. aq. M. j.
Salis Tart. sal. Armon. aa. ʒ j.
coq. in s. q. vin. & seri lact. aa. *p. æ. colat. ad* ℥ XL.

Post hæc Elix. propriet. omnia enim myrrhata & aloetica, item antimoniata & martialia omnem implent paginam, hinc acidulę egregię sunt in curando hoc malo. Omnia quæ sanguinis acrimoniam corrosivam corrigunt, hic conveniunt, ut sunt omnia absorbentia, præprimis commendamus ocul. cancrorum sæpius & per vices assumptos; interdum propinetur decoctum vulnerarium, non ad mensuras, sed tantùm cochleatim exhibendum. Pilulæ de fumaria sepius exhibitæ egregię sunt Dentur & Essentia lignorum cum essent flor. anthos, vel cum essent. traumatica. Si ulcera à Scorbuto oriuntur, semper admisceantur antiscorbutica, hic convenit pulvis temperans N. item spir. noster antiscorbuticus, item pulv. spasmod. vel detur seq. spir.

℞. *Spir. Cochlear.* ℥ ß.
Salis volat. Oleos. ceph. ℥ j.
Elix. vitæ ʒ vj.

Exterius laudamus omnia mercurialia, Saturnina, myrrhata, aloetica, cinabarina. Hic junioribus Medicis communicamus in Ulcere narium incipiente euporiston remedium rarò fallens.

℞. *Ocul. Cancrorum,*
Sperm. ceti aa. ℈ ß.
Cinab. nat. gr. vj.
Sacch. Saturni gr. v.
Camph. gr. iij.
Bals. Peruv. q. s.
F. Balsamus.

Quo sæpius illinatur pars affecta. Convenit quoque unguent. aureum vel sequens mistura contra Ozænam: aqu. majoran. plantag. aa. ℥ ß. Mell. rof. ʒ vj. Spir. vin. rectif. ʒ iij. applicentur cum syringa, aliquando addi potest mercur. sublim. gr. vj. Si febris adest, sequenti vel simili linimento utatur.

℞. *Unguentum basil.* ʒ j.
Ol. guajac. bals. Peruv.
Ol. sassafras, gumm. elem. ammoniac. dissolut. aa. ℈ j.
Præcipit. alb. gr. ij.

M. F. linimentum, vel cum plumaceolo imponatur decoct. hord. cum mel rosar. & aq. calc. viv.

Si febris abest, fiat injectio seq.

℞. *Hydromel.* ℥ v. *succ. hyper. absinth. apii*
Spir. matrical. aa. ℥ ß.
Myrrh. camph. aa. ℈ j.
M.

cum spongia bacillo alligata eluatur ulcus seq. vel simili mixtura:

℞. *Aq. Regin. Hung.*
Elix. vitæ aa. ℥ ß.
Spir. matrical. ʒ ij.
Salis Armon. ℥ ß.
Myrrh. aloes aa. ʒ j.
Campb. ℈ ij.
Ol. guajac. ℈ j.
M.

vel seq. trochisc. f. Suffumigium,

℞. Ladan. pur. mastich. gumm. animæ, hynocist. storac. calam. sandar. aa. ʒ j. excip. Terebinth. & f. trochisci. Et si ossa fuerint infecta, conducet ol. vel Spir. cochlear. vel Cauterio actuali opus est. Setacea, fontanellæ, vesicatoria & ejus generis remedia ab authoribus commendatur, quæ tamen fidem rarò explebunt.

Decoctum myrrhæ & olibani aa. ʒ ij. in vino & aceto aa. ℔. ij. & in petiis (de syndone) aliquoties ad mentem *Hartmanni* calidè applicandum. Nec ipsius contempnimus aquam viridem sępius adhibendam. Vel fiat suffumigium sequens, quod sępe egregias pręstat vires.

℞. *Thur.*
Gumm. animæ aa. ʒ ij.
Cinabar. ʒ j.

M F. Pulvis pro suffumigio carbonibus injiciendus, vel cera suseptus in formam candilæ redigantur, assiduo in conclavi accendendus.

Inflammationum & Erysipelatis. *Inflammationes & Erysipelata* narium communi more instar erysipelatum cæterorum restringuntur; Rob sambucinum instar linimenti inungatur, vel locus affectus Aqua Reg. Hung. cum camphora illinatur, vel Spir. vin. camph. Si affectus est à sanguine, *D. Muys* commendat linteolum spermate ceti imbutum & naso applicatum. Plura qui cupit, ea ex generali Inflammationum capite petat.

Macularũ rubrarum & nigrarũ. *Maculas* reliquas *rubras* abigere potes vel sanguine menstruo vel aqua sperm. ranar. cum camphora, vel Sulphur ligetur in petia, & per noctem ponatur in aqua rosacea, qua nasus frequentius abluatur. *Maculas nigras* aqua exylapathi cum lacte sulphuris, vel cosmetico Clavii in aqua bryon. & centaur. min. solut. aliquando, cautè tamen attinges, ut materia spissa eliciatur, quam acicula quoque cuticula aperta eximere poteris, & locum postmodũ decocto agrimon. rad. ari, balaust. cum alumine abstergere, ut fibrulæ cutis aliquantum adstringantur, ne succum spissiorem, & vel flavum, vel atrum, tanta copia ulterius admittant.

Nasi defectus. *Nasum deperditum*, vel alio modo, ob errorem scilicet virtutis plasticæ, *deficientem* quod attinet, cum pars ejusmodi ablata haud restitui, nec defectus resarciri possit, operam ejus gratia adhibitam omninò perdi reor, quamvis nonnulli sint, qui existimant, si aliud frustulum statim imponatur, illud consolidari posse; credat tamen Judæus Apella, ego non, quia fibrę tam exactè invicem nullatenus respondebunt, ut succus nutritius cum spiritibus animalibus per tubulos commodè distribui queat, & pars apposita eadem gau-

gaudeat quadra cum reliqua. Intereà, si vulnus inflictum portionem *Nasi* nondum omnimodo semoverit, sed ea residuo nasi adhuc in parte quadam adhaereat, ab ictu statim iterùm unienda est, & emplastris glutinatoriis firmanda, ne decidat, sed emplastris sticticis & consolidantibus interveniente cicatricula denuò agglutinetur, cujus rei gratia, ut nasus commodius tractari & emplastra firmius ahærere queant, æger supinus decumbat, per os ad solutam usque curam potissimum respiret, & nasi cavitati portio quædam plumbea figuræ nasi apte respondens inseratur, qua ratione cura aliquando voto citius succedet. Nasum verò artificialem in defectum veri *Paræus* substituere docet, ex auro, argento, papyro aut glutinatis linteis confectum, ejusque coloris & figuræ, quæ proximè accedat ad naturalem, qui ad occiput & pileum funiculis est revinciendus. Sed non credo artificium illud tam affabre præstari posse, ut nasus ille factitius exactè pristino respondeat foraminique adeo firmiter adhæreat, ut fraus ista aliis non facilè detegatur, odoratui tamen, & ne quid foramini aperto ingruat incommodi ita facilius prævidebitur.

Figura depravata.

Figuræ depravatio varia in utero materno delineata omninò nequit mutari aut corrigi, supra enim hoc omnem est artem; &, si fieri possit, næ! Medicum illum vix sufficere credo tot officiis, quum magnus foret hominum numerus, qui alium sibi fingi vellent nasum, pristina ejus figura minimè contenti, & proinde Medicum illum simul prædicarem ditissimum, etenim ἄνθρωποι αἰσχροί μὲν εἶναι πολλὰ ἀποτιμῶσιν, ut loquitur *Hippocr. de artic.* §. 31. & nullo parcerent pretio, maximè virgines & mulieres ditiores, quo pulchritudo illis concilietur aut augeatur, ad quam nasi figura concinna non parum contribuit. Quando verò ex casu, percussione, aut alia quadam offensa figura naturalis variè distorquetur, opera danda est, ut in pristinum situm reducatur, digito molliore naribus inserto, vel turunda ex carbaso aut corio conveniente, externè autem cataplasmate ex farina triticea imposito, quo facilè ad pristinam redeat figuram: nec spleniis impositis nasus nimium venit deprimendus, sed potius manibus leviter & convenienter componendus, idque est statim die, qua læsus fuit, posthæc quietum se gerat æger, ne quod Chirurgus convenienter disposuit, ille iterùm destruat, maximè quando cartilago aut os simul fractum est, ubi id quod eminet, deprimendum, quod depressum, debitè attollendum est, naresque ita contrectandæ, ut omnia in debitum & naturalem reducantur situm, imposito emplastro ex album. ovi, thure, mastich. terr. sigill. sang. dracon. & pauco alum. ust. inditoq; frusto ex pulmone ovillo ad narium figuram dissecto, ut *Hippocrates* vult, vel linamentis in longitudinem implicatis, & pelliculo molli cinctis circumsutisque, juxta *Celsum*, vel qui commodiores sunt, ex invento *Paræi*, immissis tubulis non exactè rotundis, sed aliquatenus latis & depressis, itaque foraminibus instructis, ut pileolo nocturno revincti nec saniei exitus, nec inspirationi & expirationi via præcludatur, externè verò lorum ex corio molliore convenienter resecto & extenso ad nasum inclinatum agglutinetur, & infra aures circum caput obducatur & in fronte ligetur, super illum vero ceratum aut emplastrum ad fracturam applicetur, & si callus augeri videatur, spongia aqua calida imbuta, ex ejusdem *Celsi* præcepto, indies foveatur, post diem verò duodecimum aut decimum quartum lorum cum emplastro iterùm dematur, quo tempore ossa debitè constabilita & ad integritatis statum omnia erunt reducta.

CAPUT XVII.

De Hæmorrhagia Narium, Coryza, Sternutatione nimia, Odore depravato & abolito.

§. 1. **Q**Uemadmodum aliorum sensuum organa suos patiuntur affectus, ita & Olfactus sensorium, ipse nimirum Nasus, non paucis morbis divexatur, inter quos autem illius haud postremum locum *Hæmorrhagia* obtinet. Frequenter enim in praxi nobis occurrit, & adeò nonnunquam enormis est, & impetuosa, ut ægre admodum sisti queat, & propterea laborantem non raro ob spirituum reliquorum succorum stagnationem ac sanguinis effluxum in vitæ discrimen adducat, prout nuper adhuc in puella observavi intra spatium 3. dierum 18. libras sanguinis effusas, quæ & sic Creatori suo animam, quam ab ipso accepit, reddidit. Sanguinem enim esse vitæ nostræ thesaurum, (qui consistit in ejus motu,) & spirituum animalium nutrimentum, quo certe coagulato & stagnante omnia in corpore pereunt, & homo cadaverosus relinquitur esca vermium, quotidiana nos docet experientia.

Hæmorrhagia quid?

Dicitur verò hic affectus *Hemorrhagia* Greca origine, ab αἷμα & ῥέω, quasi dicas fluxum sanguinis, cujus quidem variæ dantur species, quales sunt, qui vel ex sedalibus provenit vasis, & fluxus Hæmorrhoidum dicitur; vel ex utero singulis mensibus elabitur, & Mensium fluxus appellatur, vel qui post partum è muliebribus effluit, & Lochiorum fluxus audit. Sunt adhuc aliæ cruentæ excretiones ex quibuscumque partibus, de quibus suo loco dicemus: nunc verò fluxum sanguinis è naribus erumpentem, Hæmorrhagiam scilicet Narium, videamus, quæ interdum non addito partis nomine exprimit eam sanguinis eruptionem, quæ per nares fit, ut testatur *Gal.* 1. *Epidem comm.* 1. quo sensu etiam hic usurpatur, & significat fluxum illum è venis & arteriis cerebri in ejus præsertim basi existentibus. Describi ergò potest, quod sit p.n. & immodica sanguinis per nares excretio, vel ejusdem è naribus effluxus, à causa nunc interna, nunc externa productus, imprimis ob vasa rupta.

Differentias quod attinet, dicitur vulgo aliam esse criticam, aliam symptomaticam; illa in affectibus acutis quandoque instituitur; hæc vel pauca est, vel nimia, ast nunquam secura. Omne nimium vertitur in vitium.

Gravedo seu Coryza.

Gravedo, quæ & *Coryza* dicitur, est species catarrhi cuilibet nota & solennis, & describi potest, quod sit excretio p. n. cum strepitu humoris à capite ad nares defluentis acris, fibrillas membranaceas narium fortiter commoventis, & vasa lacerantis diffringentisque.

Sternutatio

Ad narium affectus etiam referri potest *Sternutatio*, quæ dicitur *Bartholino*, parva Epilepsia, aliis Apoplexia parva, & describi potest, quod sit motus convulsivus musculorum pectoris expectorationi inservientium, quo per os & nares aer una vice exploditur, à particulis acribus sero inhospitantibus, vel externè advenientibus, & membranas narium vellicantibus oborta.

Sternutatio est quidem indicium optimæ valetudinis, si debitè fiat, ac apertæ viæ sint, ut noxia educatur materia, hoc enim modo morbos alios curat, & à gravioribus præservat, sæpe tamen etiam malum signum præbet & noxam parit, dum humores acres coacervatos in capite denotat, quibus alii morbi vel producuntur, vel augentur, vel exitiosi redduntur, merito hinc sternutantibus gratulamur & salutem iis precamur, quòd salubritatis adhuc aliquid desit. Hinc à nonnullis & planè morbus appellatur, & in catarrhis, in cephalalgiis, in Epilepsia, apoplexia, phrenitide, in letargho, in caro, in pleuritide, peripneumonia & pluribus aliis morbis sternutatoria tanquam noxia reici solent. Cœterum Sternutamentum adeò latè se extendit, ut ab *Ovidio* lucerna-

rum crepitus eo quoque designatus, & pro fausto omine, non tamen sine ethnica quadam superstitione, habitus fuerit, quando in *Epist.* ita refert.

Intereà lumen (posito nam scribimus illo;)
Sternuit & nobis prospera signa dedit.

Odor depravatus. Odor narium *depravatus* est, quando ægri odorem alium, quam ipse est, percipiunt, vel quando fœtorem exhalant. Depravatur etiam odor, quando odores alii, quàm sunt in rebus percipiuntur, iique utplurimum putridi & fœtidi.

Odor imminutus & abolitus. *Odor imminutus*, vel planè *abolitus* dicitur, quando ægri vel parum, vel nil olfaciunt. Fit autem olfactus, quando effluvia odorifera mediante aere impetum faciunt in tunicam nerveam narium.

Pars affecta §. 2. *Locus affectus* in morbis hisce est Nasus, olfactus organum & aeris inspirationi quoque inserviens, qui quandoque ad excrementorum crassorum, muci scilicet evacuationem utilis est. Præditus autem est nasus multis vasculis per ipsam cutim dispersis, ex quibus arteriarum seriem eleganter delineat *Highmorus*.

In *Sternutatione & Olfactus vitiis* partes membranosæ cum processibus mamillaribus; fibrillisque nerveis ac arteriolis potissimum afficiuntur, quatenus per harum oscilla posteriora fit effluxus sanguinis.

In *Hæmorrhagia* verò afficiuntur. Nares, quando vasa illorum utplurimum tamen propagines rami arterialis à carotide interna aperiuntur, rumpuntur, vulnerantur, eroduntur, vel à vi externa, vel à causa interna, ad quam referenda sunt viscera conficiendo & depurando sanguini destinata, in his enim cum sanguis non sit ritè elaboratus, sed sero salsiori sociatus, aut vitiosè coagulatus & acris factus, hæc oritur lerna malorum. Certum etiam est, Nares laborare vel per essentiam, vel per consensum: & ut in Hæmorrhagia afficiuntur vasa sanguinea, ex quibus optimè *Rolfincius* autumat arterias magis in culpa esse, quàm venas, sinumque tertium crassæ meningis per longitudinem falcis ad os cribrosum excurrentis in hæmorrhagiis aperiri; sic in sternutatione & odoribus læsis patiuntur partes membranosæ; pars verò proximè affecta in sternutatione præter membranam narium sunt & musculi intercostales dicti & infimi ventris, quod ex eo liquet, quia in hoc motu convulsivo non solum constringitur thorax, sed & abdomen comprimitur ab ejus musculis hinc sternutatio commendatur in partu difficili & secundinarum retentione.

Diagnosis Hæmorrhagia narium. §. 3. Cùm *Hæmorrhagia* narium oculis usurpetur, non operæ pretium ducimus *Signis diagnosticis* recensendis diutius immorari. Imminentis verò Hæmorrhagiæ narium indicia sunt, capitis dolor punctorius, facies intensè rubra, ejusque intumescentia & vasorum obstructio, in ipso fluxu sanguis exstillat floridus indicio acidorum acriumque copiosè sanguini immistorum. Vires labascunt, ob depauperatum plus justo vitali nectare corpus. Pallidior redditur facies, ob eandem causam tingente purpura expressa. Vertigo comitatur hunc affectum, ob ἀταξίαν spirituum animalium. Post desinentem fluxum obstruuntur sæpe nares, ob coagulum concreti & restitantis sanguinis. Sic quoque respiratio per nares minus procedit, denegata scilicet per angustatos tubulos aeri vitali via.

Titillatio & Sternutatio irritationi appellentis sanguinis acrioris & salsioris delicatas narium membranarum fibrillas ferientis accepta ferenda. Regurgitat quandoque sanguis ad fauces, ob vias, per quas effluxerat sanguis, obstructas, adeoque pristino impetu durante ad vicinam portam declinare cogitur.

Sternutationis & odoris depravati & aboliti. *Sternutatio*, quam titillatio narium utplurimum præcedit, non opus habet signis, uti nec *odor depravatus* vel planè *abolitus*, hi enim affectus ex relatione ægrorum facile patent.

Ætiologia secundùm Galenicos in Hæmorrhagia. §. 4. *Causas* horum morborum quod concernit, Veteres *Galenici* in *Hæmorrhagia* narium symptomatica tres ejus constituunt species, ἀνασόμωσιν, διαπήδησιν & διαίρεσιν, quarum causas speciatim enumerant, easdem in internas & externas subdividendo, & quidem Anastomoseos causas internas ponunt ipsius sanguinis copiam cum impetu ad venarum ora ruentis, ejusdem caliditatem & acrimoniam facultatem expultricem stimulantem, retentricis debilitatem, venarum mollitiem & tenuitatem; externas autem diætam lautiorem sanguinem copiosum generantem, intermissionem venæsectionis, abstinentiam à Venere, exercitia immodica, medicamenta oscula venarum nimis reserantia & similia. In Diapedesi internè culpant vasorum raritatem, & relaxationem, & sanguinis tenuitatem; externè exercitia vehementiora, ambulationem aut moram longioram sub Sole, balnea. In Diæresi internè sanguinis acrimoniam & mordacitatem vasa erodentem, eorundem distensionem à sanguine copiosiore & ebulliente; externè acria quævis, motum vehementem pondus grave, clamorem, contusionem, incisionem, puncturam, rupturam. Hæmorrhagiam criticam à natura robusta in febribus aliisque morbis acutis, prægressis, signis coctionis & criseos, sanguinem, ut causam morbi, die critico copiosius deiiciente excitari referunt.

In Coryza. *Coryzæ* causam proximam statuunt nimiam humorum copiam, eamque tum ob debilitatem cerebri, ab intemperie calida vel frigida inductam, & intus contenta non satis concoquentem, sed multos crudos humores relinquentem, quos facultas expultrix cerebri ab onere eorundem agitata ad nares ableget excernendos; tum etiam ob vapores multos ex visceribus inferioribus ad caput adscendentes, & ibidem in humorem è frigiditate cerebri condensatos; inter remotas verò recensent, refrigerationem capitis ab aere nocturno hyemali, vento boreali, nive, aquæ frigidæ appulsu, aut medicamentorum refrigerantium usu immodico, & id genus aliis.

In Sternutatione. *Sternutationem* nimiam causari dicunt à vapore vel substantia quadam tenuiore aut acrimonia prædita, instrumenti olfactus facultatem expultricem irritante, & ad noxia expellenda stimulante, cujus indolis esse volunt aspectum Solis vaporem excitantem, refrigerationem capitis calorem ad interiora cerebri repellentem, & eo modo vapores provocantem aut humorem tenuem ad nares exprimentem, medicamenta acria in pulverem redacta, ut piper, euphorbium, ptarmicam; vel externa quædam naso intrusa, ut stylos, pinnulas, turundulas, & quæcumque partes illas irritantia.

In odore depravato & abolito. *Odorem abolitum* itidem vel ab intemperie cerebri frigida & humida, ac copiosæ pituitæ collectione meatum narium & cerebri obstruente produci credunt, vel à cerebri aut processuum ejus nariumve, aut ossis ethmoidis angustia, vel ab humorum copia eodem modo, ut in præcedentibus jam dictum, collectorum & ad nares nimium profusa. *Depravatum* olfactum à quacumque materia fœtida vel ex naribus in ulcere, vel alia quadam corporis parte vapores ad cerebrum & olfactus organa transmittente oriri posse agnoscunt.

Paracelsicorum opinio de causa Hæmorrhagia. §. 5. *Paracelsici* in *Hæmorrhagia* narium accusant sanguinis nimiam liquiditatem Mercurialem, qua debita ejusdem consistentia resolvitur & ipse in vasis ulterius contineri nequit, sed exitum sibi quærit, tum etiam sulphur volatile resolutum à vinculis ob majorem sui expansionem vasa dirumpens.

Coryza. *Coryzæ* causam statuunt sal tartari resolutum è regia Mercurii ad regionem Martis destillans, emunctorium illud copia sua claudens, &, si exitum ibi non inveniat, vel acrimoniam acquirens emunctorium illud erodens, vel ad fauces aliquando deflectens.

Sternutationis. *Sternutationem* à sale ejusmodi acri nares stimulante deducunt, quod impetu & sonitu illo sibi exitum faciat.

Olfactum depravati & aboliti. *Olfactum depravari & aboleri* dicunt pro diversitate salium istorum nares occupantium, & externos sales à rebus odoratis evolantes inficientium aut virtute propria spoliantium.

Helmontii judicium de causa Hæmorrhagia. §. 6. *Helmontius* in *Hæmorrhagia* Narium Duumviratum læsum in culpa esse existimat, nec non acorem in sanguine extra pomœria sua vagantem, Archeumque partium irritantem & interdum vasa rumpentem.

Coryza. In *Coryza* os ethmoides potissimum peccare censet, dum

dum muco oppilatum, continuum provocat laticem, mucumque profundit.

Sternutationis. *Sternutationem* ab eodem osse ethmoide provocari dicit, dum ad expellendum mucum illum, vel se liberandum à materia molesta, in subsidium vocat musculos thoracis, qui transmittendo aerem os illud in eiiciendo hospite illo molesto apprimè adjuvant.

Olfactus depravati & aboliti. *Olfactum* pro diversitate muci istius variè etiam *depravari*, quin *lædi* & interdum planè *aboleri* putat, eo quod Archeus aliquando decipiatur, judicando odorem esse in re externa, qui in muco vel latice consistit, aliquando à causis illis irritatus, nullum planè admittat odorem.

Vuillisii opinio de causa Hæmorrhagiæ. §. 7. *Vuillisius* causam *Hæmorrhagiæ* aut in sanguinis, aut in vasorum, aut simul in utriusque horum vitio consistere docet. Sanguinem verò per se hæmorrhagiam inducentem aut quantitate aut qualitate peccare. Qualitate quidem, dum occasionaliter effervescens intra vasa contineri nequit, sed ora eorundem aut distendendo aperiens, aut acrimonia sua reserans, foras exilit: vel in compage solutus & quasi venenatus, circulationis filo continuando impar evadit, quatenus portiones ejus ab invicem decedentes, partim in carne aut cute designantur necrosin passæ; partim erumpentes, hæmorrhagias immanes & non rarò lethales cient; uti passim in febribus malignis, & aliquatenus nonnunquam in scorbuto cernitur: mera tamen quantitate aut acrimonia peccantem, nisi vasorum culpa etiam superveniens effluxum ejus proritet, aut facilè nimis permittat, rarò in hæmorrhagiam immanem erumpere, sed vasa sanguifera, quoties ad affectum istum producendum conspirant, in vitio esse solere, vel 1. quatenus ob fibras nimis laxas & debiles oscula illorum dehiscentia sanguinem ex arteriis in venas non expeditè transvasent, ut in schorbuticis & cachecticis contingit, vel 2. quatenus ob easdem fibras motrices spasmodicè affectas & convulsas, sanguis huc illuc, & imprimis versus caput impetuosè correptus, propter continuandum circulationis filum erumpere cogatur.

Coryza. *Coryzæ* originem deducit à colluvie serosa è sanguine suffusa, qua processus mamillares & membranæ tubulatæ narium compages obruantur, & ejusdem pori & meatus tam copiosè inundentur, ut materiam illam serosam diutius continere nequeat, sed interdum nimis eadem instar spongiæ repleta, levi de causa compressa eandem vel per nares foras, vel per palatum ad fauces transmittat.

Sternutationis. *Sternutationem* ab eadem colluvie serosa excitari vult, quatenus impuritatibus aut particulis quibusdam spasmodicis imbuta tubulos nervosos exagitat, & ad motum convulsivum stimulat, qui subitò mediantibus spiritibus animalibus similiter irritatis, & pectoris, & abdominis musculos in consensum trahentes, materiam noxiam motu illo explodere satagant.

Olfactus depravati, imminuti, & aboliti. *Olfactum* itidem variè *depravari* putat à particulis illis, quibus materia ista serosa abundat, vel ex ulcere aliisque tum nasi tum inferiorum partium vitiis & impuritatibus exspirantibus, & fibras sensiles membranæ narium agitantibus; *minui* verò & *aboleri* eundem, dum pori ejusdem membranæ nimium infarciantur, atque fibræ sensiles in eadem & simul in linguæ membrana obstruantur, cumque nares & lingua humore continuo madere debeant, hinc utrasque seri exundantis depluvium non modo gravius & plus quam alias partes luere, sed quoque ambas eidem malo leviore quavis de causa ex æquo obnoxias existere.

Sylvii ratiocinium de causa Hæmorrhagiæ. §. 8. *Sylvio* videtur omnis *Hæmorrhagiæ* causa esse apertio vasorum qualiscunque, sive illa fiat ex nimia vasorum à copioso, valde rarefacto aut retardato sanguine, flatibusve, distensione, sive ab humoris aut in vasis, aut extra ipsa subsistente acrimonia rodente, sive à re dura & acuta vulnerante, obtusave contundente, aut quovis alio idem contingat modo.

Coriza. In *Coryza* glandulas conglobatas circa plexum choroeidem in cerebri ventriculis leteralibus & alibi observabiles, ab aere externo malè credit affectas, pituitamque non modo ita coagulari, sed gravedine urgente lympham quoque produci salso-acidam, qualis in coryza plerumque gustatur.

Sternutationis. *Sternutationem* à causis quibuscumque eatenus produci credit, quatenus nares irritando vellicandoque ad molestiam illam expirato per nares potenter aere simul expellendam, partes expirationi dicatas movent; cum qua vehementi aeris excussione concurrere soleat universi corporis concussio vehemens. Inter causas autem illas recenset tum Solis lucentis splendorem aut immediatè, aut mediante reflexione per nivem, glaciem, aquam, speculum, &c. facta nares attingentem; tum res acres, cepas puta, sinapi, raphanum, &c. vel naribus admotas attractasve, vel ore assumptas; tum Humores itidem acres è capite ad nares in gravedine seu Coriza delabentes; tum vapores halitusve similiter acres è ventriculo, tenuive intestino adscendentes, naresque irritantes.

Olfactus depravati, imminuti, aboliti & aucti. *Olfactum depravari* dicit à fœtore in corpore existente, atque odoribus externis admissis se admiscente, illosque inficiente ac vitiante; & forsan aliquando à quibusdam halitibus ad certos demum odores externos admissos in corpore excitatis & tunc per œsophagum sursum propulsis, cæteros aliunde accedentes inficientibus. Fœtorem verò sponte ac continuè ad nares è corpore ægri delatum parti alicui in naribus, faucibus, ore, pulmonibus, vel alibi corruptæ aut putrescenti deberi asserit. *Aboliti* & *diminuti* odoris causas gradu tantùm differre novit, easque vel in sensorii ineptitudine ab exsiccatione potissimum & humectatione nimia inducta, aut gravi læsione; vel in nervi odoratorii, spirituum animalium aut cerebri morbis existere. His accenset *Odoratum auctum*, cujus causam enumeret sensorium solito tenerius, atque à quovis odore potentius affectum.

Cartesianorum judicium de causa Hæmorrhagiæ. §. 9. *Cartesiani* causam *Hæmorrhagiæ* Narium similiter ferè cum *Vuillisio* adscribunt tum sanguini, tum vasis. A sanguine oriri dicunt Hæmorrhagiam, quando vel à fermento nimis potente, impetuosè motus magna cum vehementia irruit in arterias carotidas, indeque deductos narium ramulos, eorumque oscula, aut poros aperit & effunditur; vel quando nimis acris & corrosivus existens vasorum poros perforat. Vasa in culpa esse volunt, quando ipsa aut nimis sunt tenera & rara, ut sanguini facilè concedant transitum, etsi non adeò feratur impetuosè; aut à causa distendente & rumpente aperiuntur; aut poris osculisve constant nimis dilatatis aut apertis, quibus sanguis nullo obstante impedimento facilè elabitur.

Coryza. *Coryzam* potissimum excitari existimant à particulis acutis, acidis, acribus in aere volitantibus, fibrasque membranulæ illius, qua nares investiuntur, vellicantibus, unde vasa lymphatica simul concussa liquorem effundunt aliquando adeò acrem, ut partes illas, quas alluit, erodat, tamque copiosum, ut & ad laryngem & fauces profluat, easque simili modo afficiendo raucedinem & tussim procreet.

Sternutationis. *Sternutationem* ab irritatione ista fibrarum Narium membranæ originem sumere asserunt, quatenus vel lympha antedicta, vel alia quædam causa acris & molesta easdem exagitat & vellicat, quapropter ad rem molestam explodendam spiritus animales irritati musculos diaphragmatis & abdominis in motum convulsivum disponunt, prægressaque alta & profunda inspiratione, magna aeris copia thoracis cavitatem intrat, & per canaliculos intermedios cum impetu in musculos ruit thoracis, & diaphragmatis, antagonistas musculorum abdominis, à quibus deinde aer celerrimè excutitur ex cavitate thoracis & narium, & insultu suo vehementiore sonitum excitat, excussionem istam assiduò subsequentem.

Olfactus depravati, imminuti & aboliti. *Olfactum* sæpe *depravari* dicunt in Coryza à particulis lymphæ sese particulis odoriferis variè immiscentibus, earumque figuram & motum alterantibus, vel ab aliis quibusdam affectibus partes quasdam corporis corrumpentibus egrediuntur particulæ motum aliarum odoriferarum turbantes, & nervis olfactoriis alium imprimentes: *Imminui* verò & *aboleri*

eundem existimant à fibris nervorum nimium incrassatis, aut nervis obstructis, ut spiritus animales species odoratas ad commune sensorium satis commodè nequeant apportare.

Nostra sententia de Causis Hæmorrhagiæ Narium.

§. 10. *Nostrum* de causis horum morborum ratiocinium sequenti se habet modo, Quandiu sanguis intra sua mœnia placido, ac tranquillo gaudet in circuitum motu, tamdiu omnia manent pacata, quamprimùm verò à causa aliqua turbatur, ejusque motus in circulum impeditur, in varias motus degenerat anomalias, sese que amplius continere nescius vasa sua diffringendo osculaque distendendo liberum sui vendicat exitum, qua data porta foras erumpit, hinc fit illa ad mentem Scholasticorum apertio vasorum vel per anastomosin, vel per diæresin, vel per diapedesin, de quo posteriore modo valde dubito, quomodo scilicet sanguis sub forma sanguinis è vase aliquo transsudare possit. Causa ergò *Hæmorrhagiæ* immediata est apertio p.n. canalium sanguiferorum ad Nares terminatorum, sanguis enim forulis suis contineri nescius, tenuior, serosior, acrior qui alveos suos transcendit, limites integerrimos dirumpit, tenuitate sua penetrat, acredine serosa & salina stimulat, verbo, exitum p. n. quærit.

Qualitate quoque delinquit tum prima, acrior existens, dum nimirum exæstuat & poros referat ac dilatat; tum secundis, ut cum scholis loquar, tenuior, & imprimis salinis, lixiviosis ac sulphureis atomis plurimis scatens, unde & findit oppositorum murorum tubulos, ac erosione vasorum extremitates afficit, suas enim talis sanguis in sinu gerit claves, quibus effringit suas portas, & sic non tantum emanat, sed sæpe cum impetu prosilit.

Motu denique peccat generationis & locali, generatus si fuerit impurior, salsior, ac crassior, in cohobiis debitis non depositis scoriis & visceribus læsis. Chylus enim acrior sale & sulphure characterem sui sanguini & sero imprimit, sulphureque sanguinis adaucto motum non citatiorem & ὀργασμὸν conciliat, sed potius stagnando acrimoniam acquirit, & sic vasa sua erodit.

Causæ huic proximæ plures aliæ velificantur *occasionales & antecedentes*, quas inter Res non-naturales quærere solent. Ex Non-naturalium causarum classe suum symbolum affert Aer, & quidem acidior, ac multis particulis peregrinum ætherem inferentibus imprægnatus, quæ fibras sanguinis divellendo eas ad prosequendum circulationis sanguinis motum ineptas reddunt, ut in extremitate cutis defixæ hærentes sæpius maculas, intra vasa autem arteriolarum ostiola exedendo, hæmorrhagias producant. Ne ergò longiori mora quis se radiis solaribus exponat.

Nec ex *Victus genere* succendicula mali desunt, ut sunt alimenta calidiora ac aromatibus condita, salsa ac fumo indurata, quæ sanguinis circulationem impediunt & scorbutum inferunt. Huc faciat Spiritus vini abusus, potus enim quicumvis acrior consimilem characterem imprimit sanguini, cujus crassitiei & cerevisia triticea justo pinguior, & vini abusus aliaque mirum quantum velificant.

Motus quoque corporis irrequietus, qui ut motum sanguinis dispensat, ita non potest non eundem non promovere, sed tardiorem reddere.

Quantum verò & *Ira* ad stagnationem sanguinis excitandam polleat coagulando humores, confundendo spiritus, excitando motum intestinum utrumque vix dici potest; unde visi sunt quidam ita excanduisse, ut non duntaxat facie spirarent ignem, sed & sanguinem ex oculis ac naribus emiserint.

Quod consuetas excretiones suppressas concernit, quid hæ valeant, præsertim in sexu sequiori, abunde testantur monumenta Medicorum.

In *præternaturalium* rerum classe stant plures affectus tum chronici, tum acuti, ex inveteratis viscerum obstructionibus, & acrioris sanguinis diathesi oriundi, è quorum prosapia sunt hydrops, scorbutus, cachexia, febres omnes, tum intermittentes, tum malignæ, variolæ, ipsaque pestis. Huc referri possunt spasmodicæ fibrillarum contractiones sanguinis circulationem retardantes & quandoque sufflaminantes, quo pariter vulnera, contusiones, tumores, cancri, scrophulæ scirrhosæ nunc exulceratæ referri possunt, tum quoque ob gangrænosam sanguinis constitutionem, tum ob pressionem sanguis per capillaria vasa egredi cogitur. Sæpe à sanguine acri eroduntur valvulæ sinus cerebri, & fit inde hæmorrhagia narium curatur difficillima. Sed & p. n. constitutio Nasi, vel Naribus p. n. inhærens & irritans hunc affectum producere potest, sive sit ossiculum oblongum & acuminatum, quale exemplum habet *Bartholin. Act. Hafn. Vol. 5. Observ.* 122. sive aliud quoddam externum intus lapsum. Vermes rodendo arterias quandoque aperiunt, & hunc fluxum excitant, prout patet ex *Ephem. Germ. Decur. I. Obs.* 99. Sic & aer & certus influens æther hunc affectum producere potest.

Coryzæ.

Causa *Coryzæ* est plerumque effusio salis à sanguinis massa, quod per arterias sitas circa narium radices in Nares ipsas deponitur istas excorians; sic & sæpe phlegma in foramine palati & naribus hærens os cribriforme obstruit, admisso scilicet aere frigido, hinc respiratio per nares impeditur, & lymphæ fit præternaturalis excretio, ita ut lympha ista copiosa, sicque minus temperata effluens, sed acris, & membranam narium erodat, & Olfactû gustu depravet & sæpe prorsus aboleat.

Sternutationis.

Causa *Sternutationis* nimiæ est omne acre, sive particulæ salinæ cuspidatæ ad organum hoc, sive membranam interiorem narium delatæ, eamque irritantes, sive hæ sub lymphæ aliusve humoris & catarrhi nomine insignitæ, sive externè eò pertingunt. Sternutationes inanes crebræ & immodicæ plerumque gravissimam latentem causam denotant, ex qua sæpe deterrimi effectus & affectus oriuntur. Sic *Horat. Augen.* in Lauræ uxoris Fioravanti Mattnici sternutatione creberrima vexatæ anteriore cerebri parte, quà narium meatus elucescunt, abscessum quendam contineri suspicatus est, a quo sternutatio ista creberrima fuerit oborta. Sic *Cardanus lib. 5. A. 47. Hipp.* observavit ex inani & frequenti sternutatione epilepsiam. *Hildanus* observavit sternutationem frequentiorem per sternutatoria intempestivè in odontalgia exhibita, *Harsius* ex subsistente hæmorrhagia narium per aliquot dies certis intervallis conatibus magnis puellam afflixisse. Ex acri quoque catarrho sternutationes continuas productas observamus continua nostra praxi.

Ex salibus acribus volatilibus & corrosivis ad membranas narium delatis affectus hic facilè oritur, uti in famosa illa peste Attica, in qua cùm frequentes sternutationes ægris acciderent, statim concidebant & animam efflabant. Confer *DiemerbroK. l. 4. de peste*.

Lumbricos etiam in intestinis herentes, nares vellicare, & sternutationes producere, quis non in quotidiana praxi, præsertim in pueris, experitur? adeò ut hinc concludendum foret, crebram sternutationem absolutè noxiam, cerebro incommodam, vitæ periculosam, sæpeque mortis causam esse, præprimis, si inanis sit, & non ab acri materia fiat, tum ferè lethalis existit, magnam enim cerebri affectionem, & partium membranosarum illi adjacentium læsionem significat. Confer *Miscell. Cur. Decur. 2. Ann. 6. Obs.* 12.

Ex pectinatione capitis antrorsum versus nares nonnullis sæpe, pro materiæ copia & inopia, frequens vel rara sternutatio oboritur.

In catarrhis & Coryza lympha acrior rodendo membranam narium, primitus sternutationes, deinde dolorem, hinc ruborem narium, sæpe earundem excoriationem & exulcerationem infert. Sic quoque aer externus rigidis particulis præditus interiora narium ita afficit, ut ex irritatione membranarum copiosam glandulę fundant lympham, puram, tenuem, adeoque acrem, à qua in naribus Coryza & sternutationes oriuntur; huc referuntur omnia sternutatoria dicta acriora, nimis frequenter usurpata, quæ continuo stimulo membranam narium irritando, copiosam lympham effluere faciunt, imò non tantùm sternutationem, sed & coryzam inducunt: Confer *Epistolam* 11, celeberrimi *Dn. Waldschmidii* ad nos scriptam. Huc medicamenta acria insufflata, ut sunt

sunt nicotiana, lil. convall. majoran. item fumi varii inspirati pertinent; sic radii solares eundem excitare possunt morbum, causa enim occasionalis hujus motus est omne id, quod narium membranam internam superiorem irritare, stimulare ac afficere potest, hinc & pectus per consensum patitur, & consensus hic fit per plexus surculorum nervorum paris tertii & quarti ad nares productorum, cum pari nervorum vago & intercostali pectus imprimis moventium: in istis ergo nervis fit motus celerior spirituum, eorundem ἀταξία & spasmus iste, & quo subtilior est ista narium membrana superior, eo propter faciliorem irritationem promptius sternutant homines.

Olfactus depravati. Causa *Depravationis Olfactus* consistit sæpe in singulari textura hujus membranæ narium; sic fœminam novi, quæ planè nullum incommodum habet, nisi quod semper peregrinum concipiat odorem. Sæpe etiam organi hujus sensus ab humoribus variis vel halitibus peregrini odoris infici possunt: Similiter ob ulcus narium in lue Venerea ægri fœtidum continuo sentiunt odorem, item ob scorbutum oris olfactus depravatur, ceu pluribus exemplis comprobare possum.

Olfactus imminuti & aboliti. Causa verò *Odoris imminuti* vel planè *aboliti* consistit utplurimum in defectu spirituum animalium, in membranam narium non influentium. Interdum etiam contingit à causa externa, violenta, vel ab interna. Sic videmus toto die in apoplexia, paralysi, quod ægri his morbis detenti non olfaciant. Sæpius tamen causa in organo hujus sensus malè conformato, vel singulari modo vitiato consistit, si nimirum membrana hæc p. n. crassior. & carnosior est, vel si callus, vel cicatrix istam occupaverit partem, ceu aliquot novi exempla eorum, qui ob has prædictas causas olfactu caruere. Hic paucis addamus naturalem olfactus statum, ut eo melius præternaturalem intelligamus. Olfactus ergò fit, quando effluvia odorifera quæcumque mediante aere impetum faciunt in tunicam nerveam narium internam, quæ impressio contactu vel motu horum effluviorum facta ope nervorum narium, & spirituum animalium, illos inflantium, delata ad sensorium commune, ab anima percipitur, eaque tunc de objecti conditione judicium ferre, & sic olfacere dicitur.

Prognosis Hæmorrhagiæ Narium. §. 11. In *Prognosi* Hæmorrhagiæ Narium cautus sit Medicus, nunquam immemor, hic non ludi de corio, sed de sanguine humano, vitæ thesauro. Certè si hic fluxus sanguinis narium se extendat ultra 4. libras, malum est, si ultra 6. & 8. pessimum, si verò à 14. ad 20. lethale est. Rarissimum ergò est exemplum illud *Savonarolæ*, quòd mulier gravida ex familia Zabarellarum Patavinarum oriunda libras sanguinis circiter 22. è naribus profuderit, quæ tamen peperit & una cum fœtu supervixit. Omne enim profluvium sanguinis immodicum est periculi plenum, viam sternens ad mortem, imprimis si extrema frigeant, si facies appareat pallida, viridis aut livida. Sic quoque hæmorrhagiam narium facilè insequitur cachexia, hydrops aliique morbi, quos frigidos vulgò nominant. Sic filiam Prætoris pagi Mors prope Francothalium observavi ex nimia hæmorrhagia narium cæcam factam, quæ adhuc in vivis est. Capiti dolenti & vehementer laboranti si pus, vel aqua, vel sanguis per nares, aut os, aut aures effluit, morbum solvit, teste *Hippocr. Aph.* 20. *S.* 6. Mulieri menstruis p. n. deficientibus sanguinem è naribus profluere bonum est, itidem teste *Coo Aph.* 33. *S.* 5. Quibus per febres aures obsorduerunt, iis sanguis è naribus profluens, aut perturbata alvus morbum solvit, ex *ejusdem Aphorismo* 60. *S.* 4. Quæ vertigines tenebrosæ cientur, ab initio sanguinis profluvium è naribus solvit. Profusa narium hæmorrhagia violenter suppressa spasmum & convulsiones nonnunquam parit. Ut enim hæmorrhoidibus longo tempore consuetis si inconsideratè supprimantur, secundum nostrum Senem, periculum tabis aut hydropis, & secundum alios scirrhi, cancri & lepræ impendet; ità hæmorrhagia narium intempestivè cohibita, parit prædicta, convulsio, epilepsia, &c. succedunt; hinc illud *Hippoc.* in *Coacis*: Qui statis temporibus sanguinem fundunt, si non profuderint, epileptici fiunt. Si verò conveniens est ægrotantis naturæ & morbi indoli, & non in excessu fiat, nihil est quod inde timeamus. Sanguinis verò stillicidium sive substilla in his morbis infaustum prędicit eventum, & vel mortem, vel recidivam prænunciat, Epaminonis & Sileni exemplo penes *Hippoc. Epidem. lib* 1. qui interierunt, quod pusillum quid è naribus stillaverit. Symptomatica semper mala, & morbum reddit pejorem. Semper etiam malum est, si in senibus oboriatur hic affectus, indicat enim sanguinis coagulum, & in his non facilè resarciendum.

Prognosis Coryzæ. *Coryza* sæpius ullo caret periculo, & interdum salubris existit, materia catarrhosa hoc modo per nares exitum quærente. Contingit tamen aliquando, ut lympha existente acri interiora narium valde exulcerentur, & ipsis ulceribus & Ozænis via sternatur. Quin ipsa Coryza existit contagiosa, & miasmata ex partibus affectis exhalantia, & vel per aerem attracta, vel per lintea aut pocula communicata, fermenti instar aliis similem labem inferre solent. Gravedines & sternutationes in omnibus circa pulmonem morbis & antecessisse, & succedere, malum est, observante *Hippoc. prognost.* §. 13. *Coa. c.* 3. Raucedines & Gravedines in valde senibus non concoquuntur. *S.* 2. *Aph.* 40. Quibus verò dolores circa caput & frontem ex magnis ventis fiunt, & ex frigoribus cùm vehementer calefacti fuerint, eos gravedines quidem maximè perfectè liberant, fiunt autem gravedines perfectæ, adeò ut tusses succedant, *Porrhet. lib.* 1. §. 36. Oriuntur Gravedines veræ, *S.* 3. *A.* 20. & hyeme post æstatem siccam & aquilonarem, Autumnum verò pluviosum, *S.* 3. *A.* 13. *& de Aer. aq. & loc.* §. 28.

Sternutationis. *Sternutatio* peculiare prognosticon vix meretur, hactenus enim periculosus non esse solet, præsertim in coryza & catarrhis; ast sæpe prænuncius est apoplexiæ & epilepsiæ, aliorumque catarrhorum. In Pleuritide & peripneumonia sternutatio mala est, teste *Coo* nostro. Sternutatio, ceu dictum, leve malum est, & lethalis tamen observata in puerpera ab *Hildano*, qui ex sternutatione nimia etiam cæcitatem observavit, *Cent.* 1. *Obs.* 24. Sternutatio crebrior, diuturnior & gravior cum animi deliquio & motibus convulsivis, non sine periculo vitæ est: aliquando transit hic affectus in paralysin, vid. *Ephem. Germ. Ann.* 3. *Obs.* 138. *Cardanus* juvenem ægrū se vidisse testatur, qui altera die periit, cùm vespere pręcedente sternuisset tricies & plus inaniter. Sic mulier *Hildani cap.* 4. *Obs.* 12. postquam duodecies inaniter sternuisset, mortua est: & *Famianus Strada lib.* 3 *prælect.* 4. refert, quendam cùm vigesies & ter continenti spiritu sternutatione afficeretur, 24. sternutamento simul animam efflasse. *Amatus Lusitanus* juvenem frequentibus sternutationibus ità dedecoratum fuisse, ut propterea hominum frequentiam fugisset. *Hildanus* etiam recenset, quomodo ex sternutatione crebra & immodica obstructio nervorum opticorum suborta, & profluvium mensium periculosissimum sequutum. A coitu sternuisse, abortivum esse refert *Plin. Secund. Nat. histor. lib.* 6. & ex eo *A. Gell. Noct. Att. lib.* 3. *cap.* 16. *p. m.* 101.

Sternutatio quandoque & prodest, & quidem in pluribus morbis, in Surditate, oculorum affectibus, Gardialgia, singultu, hinc sunt illi versus:

Tollere singultum sternutamenta, Platonis
Conviva est nobis testis Aristophanes.

Uteri materiam sternutatione in facie, oculisque excuti notavit *de Gradi*. Sternutationes & prosunt difficulter parientibus. Sternutationes in morbis longis & chronicis, exceptis morbis pectoris, signum bonum sunt, quia spiritus cerebri validos significant Tandem & miraculi loco Sacræ Scripturæ *lib.* 2. *Reg. cap.* 4. exemplum adduci potest, ubi filius Sunamitidis per Prophetam Elisæum à mortuis sternutatione suscitatus, quòd sternutando caput humores gravantes expulit, unde purgato cerebro puer pristinæ sanitati fuit restitutus.

Prognosi Odoris de- Si *Odor depravatur*, vel *imminuitur aboleturque* in catarrhis, periculo carent; iis enim curatis, etiam sponte cessant

pravati, imminuti & aboliti.

cessant hæc pathemata: sin verò inveterata sint, difficilia sunt curatu, & omnia sæpe generosa remedia respuunt, ceu nos sæpe inviti experti sumus. Ab Odore depravato aliquando præsagium mortis desumitur, hinc *Borellus cent.4.Observ.8.* inquit: Terram oluit quidam, & paulo post fato cessit: quod & confirmat *Garmannus in Ephem. Ann. 1. Observ. 144.* Sic legitur in *Observ.65. Ridlini*, quendam circa nares sensisse fœtorem fœtidissimum, nec suavissimis odoramentis, nec aliis medicamentis plurimis curabilem.

Diæta Hæmorrhagiæ.

§. 12. *Diætam in Hæmorrhagia* Narium quod spectat, opera danda, ut æger decumbat in conclavi *Aere* temperato perfuso, vitetur autem aer squalidus ac particulis uliginosis inquinatus, sit potius particulis aquosis temperatus. Quoad *Potum*, is sit tenuis ac herbis specificis impprægnatus; vinum generosum, ut & omnia acida, acria, & salsa angue pejus fugienda sunt.

Prospiciendum semper ægro de *Cibo* boni succi ac humectante, ut sunt varia brodia herbis acetosæ, chærefol tarax. endiv. portulac. aliisque alterata, pulmenta ex amylo, hordeo, oryza & milio confecta egregia sunt, gelatinæ, carnes gallinar. agnorum, vitulorum, pruna, pyra, poma cydon. cerasa cocta, denique olera superius dicta in usum vocari possunt *Avicenna* scribit, cerebella gallinarum multum & sæpe comesta singularem esse & cibum & medicinam in sanguinis fluore, quod hactenus experiri non licuit. Exulent omnia salsa, & acria, quæ sanguinis visciditatem & acrimoniam augent. Conveniunt somnus & quies, quoniam humectant & sanguinis stagnationem impediunt, & spirituum animalium ferociam placant.

Excreta & retenta sibi invicem correspondeant, ne hic vel excessus vel defectus deprehendatur.

Animi pathemata prudenti moderamine ad præceptum *Salomonis* componenda, imprimis hic ira ceu pestis fugienda.

Coryza.

In *Coryza* conveniunt diuretica, internè & externè assumpta conducunt. Omnia quoque acria hic vitanda sunt.

Sternutationis.

In *Sternutatione* itidem *Aer* externus nimis frigidus, ut & fumosis particulis inquinatus vitetur. Omnia similiter, quæ irritant hanc narium membranam, ut sunt externa omnia acria, odores fortes, fumus, medicamenta acria inspirata, v.gr. Nicotiana, Majorana, Hellebor. Vitriolum album, omnia purgantia & venena sunt fugienda. Contra radios quoque solares se muniat laborans. *Potus* ne sit nimis spirituosus, vitentur & cibi acres aromatizati. Animus sit tranquillus.

Odoris aboliti imminuti & depravati.

In *Odore abolito*, vel *imminuto*, vel *depravato* omnia respondeant naturæ, & odores peregrini vel in aere, vel undecunque advenerint, nullatenus sunt admittendi.

Galenicorum Ratio curandi Hæmorrhagiam.

§. 13. Superest nunc *Curatio Pharmaceutica & Chirurgica*, quam *Galenici* in *Hæmorrhagia* Narium sequenti modo aggrediuntur: In Anastomosi omnem impendunt operam, ut vasa reclusa obturentur; in Diæresi, ut uniantur; in Diapedesi, ut densentur. Impetus ruentis sanguinis si adsit, eundem sistunt revellendo, derivando, repellendo & refrigerando. Sanguinem copia peccantem minuunt, calidum refrigerant, tenuem incrassant, flatulentum discutiunt, habito semper respectu ad calidam hepatis intemperiem, quam hepaticis frigidis volunt corrigendam. Phlebotomiam in sanguinis copia & impetu magnifaciunt, & quidem in vena cubiti è directo profusioni respondente celebratam. Cucurbitulas etiam è directo naris affectæ aut hypochondrio dextro super jecinore, aut sinistro super liene, aut fluxu ex utraque nare erumpente super utroque viscere imponunt. Nec frictiones partium inferiorum, maximè pedum, nec ligaturas dolorificas omittunt. Ex Pharmacia medicamenta eligunt humores peccantes præparantia, purgantia & alterantia, acrimoniam humorum attemperantes sero lactis, syrupis de cichor. viol. Papav. rhœad. aliisque decoctis alterantibus. Purgationem instituunt pro diversitate humoris peccantis, evacuando bilem decocto myrob. citr. cum syr. rosf. multipl. infus. aut manna cum rhabarb. Melancoliam decocto epithym. sen. myrob. Ind cum syr. epithym. de fumar. Pituitam oxymel. prius incisam decocto agar. mirob. cheb. cum syr. diacartham. His præmissis ad refrigerantia & constringentia progrediuntur, interius exhibentes medicamina ex aqu. plantag. nymph. burs. past. Solan. syr. myrthin. rosf. papav. nymph. conserv. rosf. nymph. oxal. trochisc. terr. sigill. Lemn. ebor. Externè fronti & temporibus anacollemata adhibent ex argill. bol. Armen. acac. hypocist. cum album. ov. & aceto excepta, vel ephitemata ex succo plantag. lactuc. burs. pastor. sempervίv. portulac. bolo Armen. gall. hæmatit. aq. rosar. acet. & album ovi fronti & suturæ coronali imponunt. Fovent etiam frontem spongia aqua frigida vel rosacea, vel succo caudæ equin. cum acet. madida. Ipsis naribus indunt sistentia, eaque vel adstringentia, ut acet. succ. cydon. myrth. mastich. bolo Arm. cort. granat. alum. gall. hypocist. vel refrigerantia, ut lactucam, papav. opium; vel glutinantia, ut thus, gum. Arab. album. ov. vel cauterisantia & crustam obducentia, ut calc. viv. vitriol. arsen. vel occulta proprietate agentia, ut sterc. rec. porc. asin. can. rad. nigellastr. urticam tritam, porrum, hæmatitem, lanugines salicis, populi, ulmi, &c.

Coryzam.

In *Coryza* curanda ad ipsum respiciunt caput & cerebrum, ejus intemperiem calidam vel frigidam corrigentes, humores peccantes evacuantes, facultatem concoctricem & retentricem corroborantes, expultricem verò sedantes, ne humores crudi ulterius ad nares transmittantur, tum materiam ipsam nares obstruentem educunt, attracto in nares succo ex castoreo in aceto macerato, vel liquore ex melathio pulverisato & oleo vetustissimo, vel succo betæ, anagallidis, cyclaminis, vel medicamento ex rad. pyrethr. ireos, herb. puleg. calamenth. origan. serpill. stœchad. flor. anth. salv. agar. trochisc. verat. alb. per diem & noctem in aqua commun. maceratis, hinc coctis & colatis, additis mell. anthos. & Oxymel. squillitico. Naribus etiam olfacienda præbent serpillum, polyum, thymum, calament. melanth. castor. aliquantisper in aceto prius macerata. Nec omittunt apophlegmatismata ex mastich. Zinzib. piper. alb. & pyrethr. in forma pastillorum parata & ore masticanda. Capiti imponunt exsiccantia ex thure, Gumm. Junip. bacc. cupress. caryophill. Mac. Nuce Mosch. beton. melis. majoran. salv. orig. flor. lavend. stæchad. &c. Suffumigia quoque ejusdem exsiccationis gratia accendunt, quo humor superfluus eo facilius absumatur, & Nares ab eo liberentur.

Sternutationem.

Sternutationem nimiam & molestam propulsare student remotis & vitatis omnibus, quæ forinsecus eandem concitare valent, avertendo materiam Nares petituram ad occiput, tum constringendo nares & supprimendo anhelitum, quo magno impetu detrudantur nares alioquin infestatura, quo fine etiam aures & oculos fricari, ac venas in oculorum angulis existentes comprimi jubent, quin timorem & horrorem repente concitari. Si penitus cohiberi nequeat, lenire tamen aggrediuntur oleo dulci vel rosaceo, & unguento nardino naribus infuso, olfactu panis, anisi, flor. nymphææ, rad. mandrag. opii & similibus.

Olfactum imminutũ, abolitum & depravatum.

Olfactum imminutum aut *abolitum* ab intemperie capitis frigida vel pituitæ collectione ortum restituere satagunt cephalicis calefacientibus & exsiccantibus, evacuata prius pituita minorativis ex agar. trochiscat. myrob. Cheb. cum elect. diacarth. & cephalicis quibusdam forma decocti paratis, post purgationem verò exhibent theriacam veterem cum conserv. rorismar. aut anth. majoran. lavendul. Nuc. moschat. cond. spec. diambr. diamosc. dulc. diagalang. Capiti etiam corroborantia imponunt ex rad. arist. rot. Cyper. Ir. Flor. Herb. Majoran. beton. pol. mont. flor. lavend. anth. &c. Ad obstructionem narium reserandam succum betæ & majoranæ naribus ex vola manus præbent exhauriendos. Pulveres etiam sternutatorios, errhina & apophlegmatismos adhibent

ex castor. rut. nigell. majoran. veratr. alb. aliisque supra in Coryza iam nominatis, nec suffumigia omittunt ex thur. mastich. succin. benzoin. styrac. calam. maci, caryoph. similibusque convenientibus parata. In *Odore depravato* ad causam respiciunt, eximentes aut corrigentes quamcumque materiam fœtidam, sive in naribus hæreat, ubi vaporem aquæ calidæ naribus immissum commendant, sive in alia quadam corporis parte, capite videlicet aut inferiorum ventrem aliquo viscere lateat, quam educi volunt evacuationibus, pilulis aut apozematis, & partem corroborari, hinc ad fœtorem corrigendum intus exhibent Electuar. aromaticum nardinum *Mes.* Naribus autem ejusdem Oleum Nardinum, tum simplex, tum compositum vel per se instillant aut illinunt, vel additis rad. Cyper. Ir. Flor. rosar. Cheyr. lavend. myrrh. aliisque turunda illitum naribus insinuant.

Paracelsicorum modus curandi Hæmorrhagiam.

§. 14. *Paracelsici* in curatione *Hæmorrhagiæ* ritè administranda etiam ad causam attendunt, qua semota sanguinem faciliùs sisti affirmant. Animadverti proinde volunt ad complexionem & sanguinis constitutionem, ad ebrietatem aliaque externè obvenientia & his correctis aut sedatis tandem ad sanguinem sistentia procedunt, inter quæ laudant Crocum Martis optimè reverberatum, æs ustum, cinerem ex ranis adustis, sperniolæ compositum *Crollii* internè ad 3. vel 4. grana in aq. burs. pastor. exhibitū & forinsecus etiam naribus impositum, ejusdem pulverem dysentericum, essentiam Croci Martis, Syrup. Corall. & sequentem potionem ditioribus exhibendam.

℞. *Ol. croc. Martis,*
Essent. Corall. aa. ℈ j.
Cum aq. sperm. ranar.
F. Potio.

Pro pauperibus verò talem.

℞. *Croc. Martis* ℈ j.
Calc. test. ov. ʒ j.
Syr. myrtill.
De rof. sicc. aa. ℥ j.
Cum aq. flor. Papav. errat.
F. Potio.

Externè sequens linimentum aut unguentum naribus vel per se spissius, vel turunda illitum intrudunt, aut forinsecus naso imponunt.

℞. *Croc. Martis* ℥ j.
Calc. test. ovor.
Colchot. aa. ʒ ß.
Ciner. ran. ust. ʒ ij.
M. & excip. cum ol. visci pomor.

Lapidem Carneolum aut collo suspendunt, aut manibus detineri jubent.

Coryzam.

In *Coryza* eodem modo procedunt ut in catarrhis reliquis, tartarum enim resolutum denuò volunt coagulandum, & superfluum educendum, & consumendum, ventriculum simul & cerebrum corroborandum. Coagulatur tartarus sarcocoll. mastic. sal. gemm. Educitur hermodactyl. colocynth. euphorb. agar. pyreth. Tartaro Vitriolato. Consumitur essent. meliss. lunar. Spiritu Tartari, ol. sulphur. terebinth. bugloss. rof. Ventriculus corroboratur granis Junip. rad. ari, zinzib. cubeb. roremar. Cerebrum verò & caput caryophyllat. acoro, euphras. & succino, cujus oleum etiam vertici, temporibus & naribus illinitur.

Sternutationem.

Sternutatio nimia sistitur corrigendo sal illud acre, ne posthac nares ita stimulet, quod omnium optimè præstari censent laudano opiato, oleo violar. vel mucilagine quadam dissoluto & naribus illinito.

Olfactum depravatū & abolitum.

Olfactum depravatum & abolitum restaurari posse asserunt, correctis primum salibus, quibus nares morbosè detinentur, sive ex ulceribus, sive aliis causis illa exsurgant & corrumpantur, quod fit pulvere elaterii, pyrethri, aliisque medicamentis superius in Ulceribus narium indicatis, quibus subjungunt confortantia spiritus & odorem suaviorem conciliantia, ut ambram, moschum, Zibetham, castoreum, extractum majoranæ, menthastri & similia, quibus fœtor supprimitur, & vis illa salium corruptivorum domatur.

Helmontii opinio de curatione Hæmorrhagia.

§. 15. *Helmontius* in *Hæmorrhagia* respicit ad duumviratum, confortando imprimis stomachum & cohibendo, ne degener quædam fiat generatio, sed vitium fermenti digestivi corrigatur, qua ratione laudanum opiatum maximè laudat intus exhibitum, exterius verò axillis apponit bufonem exsiccatum, & naribus indit fungum betulæ, aut succum millefolii.

Coryza.

Coryzam sedari posse promittit providendo ne ulterior mucus ex latice progeneretur, digestionem stomachi corroborando, & custodem partis sedando, hinc laticem peccantem educendo sternutatorio ex helleboro albo & saccharo.

Sternutationis.

Ipsam etiam *Sternutationem* nimiam sedari credit, si os ethmoides à muco liberetur, unde sternutatorium aliud sternutationem sępe cessare faciat, provocans post mucum simul laticem, impetum verò musculorum educto latice optimè sedari docet opiatis convenienter adhibitis.

Olfactus depravati & aboliti.

Olfactum depravationem & abolitionem correcto muco illo restaurari posse confidit, dum Archeus corroborantibus quibusdam erroris admoneatur, qua virtute præ aliis pollere ab ipso existimantur majorana & mentha caballina.

Vuillisii methodus curandi Hæmorrhagiam.

§. 16. *Willisius* in curatione *Hæmorrhagiæ* ritè obeunda tres advertit indicationes, curatoriam, vitalem & præservatoriam, quarum duarum priorum respectu symptoma urgens sistendum, ultimæ verò causa, ne insultus hæmorrhagiæ redeat, tollenda, non neglecta animadversione, ut hæmorrhagia alio modo in febre, aliò verò absque illa tractetur. In hac igitur sanguinis turgescentia est compescenda, fluxio ejus à naribus alio divertenda, & vasorum ora intra nares dehiscentia sunt occludenda, qua de re non omittit ligaturas artuum in ægro quieto instituendas, nec venæsectionem contemnit, quamvis non usque adeò semper eandem juvare noverit; topica concedit fronti, temporibus & nuchæ applicanda, pubi & genitalibus spongiam aceto madidam, & aquæ frigidæ in faciem subitam inspersionem ad terrorem incutiendum, cucurbitas hypochondriis, illis, femoribus internis & plantis pedum admovendas cum incurvatione digiti minimi ejusdem lateris, in quo fit sanguinis fluxus, quin à lipothymia excitata hæmorrhagiam sisti ratione adductus affirmat, ipsa quoque remedia per sympathiam quandam operari observata adhiberi permittit, qualia sunt pulvis sympatheticus, Lignum fraxini virginei, Bufo siccatus, lapis hæmatites, usnea, nec non topica vasorum oscula dehiscentia occludentia, aquas nempe vitriolicas varias, turundus iisdem intinctas, usneam cranii humani; tandem ad escharotica, turundam videlicet colchotare caustico in summitate imbutam & naribus altissimè immissam devenit. Externis verò hisce simul jungenda vult interna remedia, & quidem duplicis finis obtinendi gratia, tum ut sanguinis effervescentia sive incensiva, sive fermentativa suppressa, liquor ejus intra vasa coercitus placidè circuletur, tum ut cordis motus impetuosior sanguinem nimis rapidè impellentis per sufflamina idonea deprimatur. Primi scopi causa ejusmodi præscribit remedia:

℞. *Aq. plantag.*
Papav. Rhœad.
Portulac.
Sperm. ranar. aa. ℥ iiij.
Syrup. nymph. ℥ ij.
Sal. prunell. ʒ j.
M. F. Julap. Dos. ℥ iij. *ter aut quater in die.*

Secundum scopum sequentibus obtinere laborat.

℞. *Conserv. rof. rub.* ℥ i ß.
Pulv. sem. hyoscyam.
Papav. alb. aa. ʒ ij.
Syrup. Papav. q. s.
F. Opiata Dosis quant. Nuc. Moschat. sexta vel octava quaque hora.

Vel:

℞. *Laudan. cydoniat.* ʒ j.
Dos. gt. xv. bis in die in vehiculo idoneo.

In Hæmorrhagia febrili seu critica eò potissimum redigit curam, quo hæmorrhagia in diaphoresin commutetur,

tetur, conditque sudore blando excitato fluxum sanguinis esse sponte cessaturum, qua de causa tale præscribit remedium.

℞. Rad. bistort.
Tormentill. aa. ℥ j.
Fol. Ulmar.
Pimpinell.
Lujul. aa. M. j.
C.C. ust. ℥ ij.
Ras. ebor,
C. C. aa. ℥ ij.
Coq. in aqu. font. ℔ iij. ad. ij.
Add. circa finem Conserv. rof. rub. ℥ iij.
F. Colatura, cujus Dos. ℥ iij. sæpius in die.

Indicatio vitalis victum ordinat tenuem, cardiaca temperata & ægrotantis tractationem idoneam, pro diversitate ejusdem temperamenti, ratione cujus vel extra lectum, vel in lecto pro majori sanguinis halituositate est detinendus. Indicatio præservatoria causam aggreditur tollendam, ut sanguinis eruptiones vel inhibeantur, vel rariores & mitiores reddantur, idque duplici sub intentione, quarum prima est, ut sanguis ad temperiem & mixtionem debitam restitutus, intra vasa absque turgescentiis & eruptionibus placide circuletur; secunda, ut vasa sanguifera quoad osculorum conformationes & fibrarum muscularium tenores in statu legitimo contineantur, quapropter nimiam sanguinis copiam venæsectione impuritatem verò purgatione instituta præcavet, & εὐκρασίαν ejus sequentibus conservat.

℞. Conserv. rof. rub.
Cynorrhod. aa. ℥ iij.
Pulv. santal. omn. aa. ℥ ß.
Corall. pp. ℥ j.
Croc. Martis rubicundiss. ℥ ij.
Sal. prunell. ℈ iv.
Cum s. q. syrup. è Corall.
F. s. a. Electuarium.

Capiat æger primò mane & hora somni q. nuc. castan. vel per se, vel superbibendo aq. destill. seq. ℥ iij.

℞. Summitat. Cupress.
Tamarisc. aa. M. viij.
Hyperic.
Equiset. aa. M. iv.
Santal. omn. contus. aa. ℥ j.
Mic. pan. alb. ℔ ij.
Minut. concis. affund. lact. recent. ℔ viij.
Destillentur organis commun. edulcoretur quæque dosis inter sumendum cum s. q. syrup. è succo plantag.

In casu quodam, ubi sanguis non ob plenitudinem aut turgescentiam è vasis erupit; sed è contra rivus ejus admodum depressus & tenuis, vix circulationis fluento sustinendo par visus fuit, cum flatibus modò sursum, modò deorsum obrepentibus, & vasorum sanguiferorum fibris motricibus spasmo affectis, sequentia felici cum successu præscribit remedia.

℞. Pulv. rad. pæon. mar.
Corall. rub.
Margarit. aa ℥ j.
Ebor.
Ocul. Cancrorum,
Lapid. hæmatit. aa. ℥ ß.
Prunell. ℥ j.
F. Pulvis: Dos. ℥ ß. in sequenti Julapio assumenda.

℞. Aq. Ceras. nigr. ℥ viij.
Meliss.
Cinamom. hordeat. aa. ℥ ij.
Theriacal. ℥ j.
Syrupi è corall. ℥ i ß.
M.

Coryzam.

Coryzæ curationem peragit sedando seri affluxum, ejusdem nimiam copiam evacuando, & fibras sensiles narium læsas in pristinum integritatis statum reducendo, instituta interdum venæsectione & purgatione per pilulas de succino, resina Jalap. vel scammon. sulphurat. vel pro dispositione ægri, apponit vesicatoria cervici vel post aures, non omissis diureticis & diaphoreticis, serositates superfluas blandè evacuantibus, ut decocto Guajac. Sassafr. Sarsap. rad. bardan. Caryophyllat. herb. beton. salv. rorismarin. verben. veron. Laudat quoque usum potus Coffæ tanquam pro exsiccatione serositatum istarum maximè proficuum. Spiritum salis Armoniaci cum succino vel coralliis imprægnatum magnipendit. Masticatoria ex mastiche, pipere, eruc. & similibus etiam approbat. Fibris deinde ab acrimonia serosa læsis illinit unguentum pomatum vel jasminum cum axung. castor. & ne à copula quadam explosiva ex serositatibus egrediente, & spiritibus animalibus communicata nimium agitentur, antispasmodica subjungit ex aq. epilept. & Spir. Corn. C. aut fulig. quibus linteum humectatum naribus admovetur.

Sternutationem nimiam.

In *Sternutatione* nimia potissimum advertit motum istum convulsivum fibrarum & tubulorum, quem sedare præcipit adhibitis nervinis & antispasmodicis explosionem illam sedantibus, hinc materiam illam heterogeneam explosiones excitantem eliminandam suadet, provocato in subjectis dispositis aliquando vomitu, appositis scapulis cucurbitulis, & institutis frictionibus artuum extremorum, pectinatione capitis, vellicatione aurium & confrictione oculorum, quo copula illa explosiva discutiatur, & ejusdem impetus in fibras coerceatur, narium fibras oleo amygd. dulc. & castor. illinit, ut ita aliquantum relaxatæ eo fortius impetum materiæ irritantis sustineant, nec ab ea convellantur.

Olfactum depravatũ imminutum & abolitum.

Olfactum depravatum pro diversitate causarum variam curationem exposcere novit, &, si colluvies serosa hujusmodi particulis corrumpentibus sit infarcta, hasce corrigi aut eliminari credit eadem evacuata & correcta modo superius in Coryza relato; ab ulceribus nasi aut aliarum partium ortum, eorundem curationem requirit. *Imminutum* aut *abolitum* Olfactum ab obstructione pororum membranæ Narium à colluvie serosa inductum, eorundem reseratione & lymphę nimiæ evacuatione reparat, usurpato aliquamdiu sequenti Decocto intus assumendo.

℞. Rad. Caryophyllor.
Chærefol.
Ir. Florent.
Imperat. aa. ℥ j.
Fol. Beton.
Majoran.
Salv.
Hyssop.
Orig. Cret. aa. M. j.
Sem. fœnic.
Dauc. aa. ℥ j.
Passular. ℥ ij.
Coq. in aq. font. ℔. iv. ad tert. part. consumpt.
Add. vin. alb. ℔ ß.
F. Colatura edulcoranda
Syr. de 5. radic. ℥ ij.
Salaminth. ℥ j.

Dos. ℥ iv. bis in die non statim à cibo.

Conservas rorismar. majoran. salv. cum specieb. diambr. non sine commodo in usum duci existimat. Externè naribus spirituosa adhibet, penetrantia & poros à materia peregrina liberantia, ut balsamum majoran. succin. spir. C.C. Caput corroborat externis quibusdam bregmati impositis, emplastro de beton. cum succino aliisque convenientibus.

Sylvii processus in curanda Hæmorrhagia Narium.

§. 17. *Sylvius* in cujusvis *Hæmorrhagiæ* Narium curatione statim ad sanguinis suppressionem accelerat; quam obtineri promittit partim evacuando sanguinem, ubi effluit, quo reliquo effluenti non pateat amplius exitus; partim temperando acrimoniam bilis sanguinem nimium attenuantis, quo minus aptus sit ad affluxum hinc & effluxum. Prius peragit medicamentis adstringentibus naribus applicatis, ut pulvere lapidis hematit. & alum. aceto & albumine ovi susceptis, & in formam linimenti redactis, quo linteum obductum naribus intruditur, vel pulvere ex terr. sigill. Spod. farin. volat. & nucib. cupressi, naribus insufflato. Posterius

sterius fit medicamentis austeris aliisque bili corrigendæ destinatis interius assumendis, ut succo berber. granator. omphac. alum. hypocistid. Spiritu nitri, Sulphuris, vel viscidioribus, ut emulsione amygd. dulc. in iis præsertim, qui ab acidis abhorrent, aut eadem perferre nequeunt, quibus & sequens conducit mistura,

℞. *Aq. plantag.*
Portulac. aa. ʒ j.
Spiritus Salis dulc. ℈ ß.
Diascord. ʒ ß.
Laud. opiat. gr. ij.
Syr. portulac. ℥ j.
M. D. cochleatim.

Coryza.

In *Coryza* curanda cerebro imprimis faciendam vult medicinam, roborando & in pristinam integritatem restituendo glandulas in affectu hoc semper male affectas, quod citò, tutò & jucundè fieri promittit suffitu solo & solius succini, ore patulo & naribus sæpius ac sensim excepto, quo sæpenumero una vice usurpato Gravedinem satis gravem se mox in principio suo curasse affirmat, ne ultra noctem duraret. Si magis composita desiderentur, ad pompam augendam, succino isti addi permittit mastichen, thus, benzoinum, Styracem, ex quibus pulvis pro suffitu parandus, prunisque inspergendus, & ne quid fumi pereat, sed integer ore & naribus excipiatur, caput pallio aut alio quodam operimento studiosè est obtegendum.

Sternutatione.

Sternutationem ab externis causis originem ducentem, illis sublatis vel vitatis mox cessaturam certus est. Ab internis autem, tum à cerebro delabentibus, tum ab inferioribus partibus assurgentibus inductam curare docet, tum corrigendo in Coryza humores acido-salsos, ipsisque ferè conjunctos pituitosos viscidos, medicamentis oleosis & spirituosis aromaticis; tum eosdem educendo partim per alvum hydragogis & phlegmagogis, partim per nares aut os sternutatoriis blandioribus aut masticatoriis; tum corrigendo humores vitiosè in ventriculo ac imprimis tenui intestino effervescentes, atque halitus acres sursum ad nares propellentes laudatis modò spirituosis & oleosis, non neglectis vel omissis opiatis; tum eosdem, si redundarint, educendo deorsum potius, quam sursum, medicamentis iisdem hydragogis & phlegmagogis, quibus addit sudorifera, tanquam plurimum collatura quatenus non modò sursum protrudant humores vitiosos, sed eosdem simul emendent.

Olfactu depravato, abolito & imminuto.

Olfactum depravatum curari aut emendando materiam in corpore halitus fœtidos ad nares propellentem, aut impediendo cohibendoque effervescentiam vitiosam similes halitus promentem, & tandem curando partium variarum putredine affectarum morbos varios. *Olfactum abolitum* vel *diminutum* curat humectando paulatim nares sicciores tum per interna, tum per externa medicamenta. Cum Gravedine verò conjunctum curare aggreditur exsiccando humiditatem superfluam nares occupantem, evacuandoque per vias universales, hinc & nares ac os, serum in corpore redundans, aut copiosius saltem in cerebri glandulis secretum, maximè verò restituendo dispositionem vitiosam in glandulis cerebri, ab externo frigore inductam, per suffumigia ex mastiche aliisque in Coryza jam notatis parata, & tum naribus excepta, tum linteaminibus simul calefactis capiti & cervici affricta.

Cartesianorum modus curandi Hæmorrhagiam Narium.

§. 18. *Cartesianorum* modus curandi *Hæmorrhagiam* Narium hic est, ut fermentum sanguinis impetuosius corrigatur & sedetur medicamentis absorbentibus & præcipitantibus, & hinc sanguinis simul vehementia mitigetur, & ad quietem reducatur, ne oscula arteriarum ulterius adeò latè aperiat; quod præstant medicamentis internis omnem impetum in massa sanguinea sistentibus, & particulas acriores dissolutas hebetantibus & compingentibus, qualia sunt ponderosa & austeriuscula, corallia, margaritæ, lap. hæmatites, sapphirus, smaragdus, ceratites, sang. dracon. magister. alum. nitrum cum papav. errat. insuccatum, terra sigillata, & similia in vehiculis convenientibus adhibita. Sit pro exempto sequens mistura.

℞. *Aq. plantag.*
Millefol. aa. ℥ vj.
Fol. pyror.
Querc. aa. ℥ ß.
Cinam. cydoniat. ℥ ij.
Magister. Corall. rosat. Mynſ. ℈ ij.
Lapid. ceratit. ʒ ß.
Alum. crud. ℈ j.
Syr. Papav. rhœad. ℥ ii ß.
Suleb. rosat. ℥ i ß.
M. D. cochleatim.

Vel in forma solidiori,

℞. *Conserv. ros.* ℥ ß.
Flor. Papav. rhœad. ʒ ij.
Fol. querc. primo vere dum prorumpere incipiunt & adhuc tenerrima sunt, parat. ʒ ß.
Confect. Hyacinth. ʒ j.
Ebor. s. igne ℈ ij.
Nitr. perlat. ʒ ß.
Sang. dracon. ℈ j.
Syrup. ex succ. urtic. mort. q. s.
F. Electuarium: Dos. quantitas nucis majusculæ.

Ut viæ angustentur & canales non adeò patuli permaneant, remoram iniici approbant, institutis ligaturis artuum, & appositis epithematis adstringentibus ex succis austeriusculis & terris argillaceis paratis, fronti & temporibus applicandis. Frictiones dolorificas, frigidorum applicationem ad pubem, cautè tamen institutam, ne gravius hæmorrhagia malum accersant, cucurbitularum appositionem in mammis, scapulis & hypochondriis, in tantum prodesse judicant, quatenus sanguinis impetum ad partes superiores & consuetam viam revocant, eundemque aliò divertunt. Vasorum texturam nimis teneram, osculorumque & pororum dilatationem porrigunt adstringentibus, coarctantibus & angustantibus ipsis naribus insertis, qualia sunt fuligo pulverisata albumine ovi mixta & turundæ illita, vitriolum album succo granator. acid. vel folior. querc. vel in eorum defectu sola aqua fontana, recenti & frigida vel etiam pluviatili dissolutum, & linteolo naribus insinuatum, attramentum scriptorium gossypio susceptum & eodem modo adhibitum, muscus in tegulis ædificiorum repertus, & ex placito *Plateri* udus adhuc naribus adhibitus, stercus suillum recens eodem modo usurpatum, pulvis ranarum ustarum naribus insufflatus, vel cum succo urticæ mistus, & mediante turunda iisdem insertus, liquores styptici aluminosi & vitriolici, ex quibus injectiones in nares commodè instituuntur.

Coryzam.

In *Coryza* corrigenda eò simul respiciunt, ut particulæ acres in aere aut coerceantur, ne corpus contingant, aut si hoc non semper obtineri queat, aut tentare liceat, easdem corrigendo suffumigiis convenientibus, ut gummi animæ prunis injecto, aliisque à Domino *Sylvio* modò laudatis pulveribus semper aliquid de succino continentibus, quibus lympha effusa simul exsiccatur, cujus rei gratia etiam tacamahacam vel solam, vel cum aliis quibusdam lympham superfluè evasatam absumentibus & caput corroborantibus vertici inspergunt, qualia sunt rad. Cyper. Calam. aromat. Ir. Flor. aristol. rotund. fol. majoran. salv. beton. mont. rorismar. flor. stœchad. Arab. ros. rub. bacc. laur. rasur. Xyloaloes, Xylobalsami, in pulverem redacta & in cucupha capiti imposita; vel ceratum de beton. aut aliud quoddam emplastrum cephalicum adhibent, quibus spiritus animales ad officium revocantur, quo facilius è lympha se valeant extricare, ejusque æquam distributionem promovere. Nares obstructas reserant spirituosis, ut essentia majoran. sem. nigell. Spiritu camphoræ, aliisque naribus adhibitis, &, si lympha nimis sit inspissata respirationem impediens sequente linimento nasum internè & externè ad oculos usque inungunt, quod non semel repererunt proficuum.

℞. *Axung. Capon.* ℥ i ß.
Castor. ʒ ß.
Ol. Irin. ℈ ij.

Ol.

Ol. d. majoran. gt. iij.
Camphor. gt. ij.
M. D.

Membranam Narium à lympha acri erosam illinunt butyro insulso, vel sevo hædino & ol. amygd. dulc. nec improbant usum herbæ Nicotianæ, si convenientia quædam ex succino, gum. anim. mastich. styrac. herb. majoran. roremarin. flor. rosar. lign. Junip. Rhod. sem. anis. eidem fuerint admista.

Sternutationem. *Sternutationem* auferri dicunt demptis illis omnibus, quæ fibras membranosas Narium irritant & convellunt, diducto ægro è loco luminoso & splendore Solis in tenebrosum, correctaque lympha acriori modo in Coryza jam annotato, posthæc fibras in situm debitum reponunt, & spirituum impetum sedant incusso terrore, aquæ frigidæ in faciem ægri tale quid minime expectantis inspersione, agitatione oculorum circa narium radicem, retentione aut valida attractione spiritus, frictione aut titillatione plantarum pedis, & inunctione narium butyro recenti, oleo papaverino, mucilagine sem. psyllii, succo folior. salicis extracta, vapore decocti basilici naribus hausto, & pectoris inunctione cum nervinis & antispasmodicis, vel fomentis ex chamomill. fol. basil. menth. salv. & furfuribus paratis, & tepide thoraci impositis, quibus si repugnet, ad narcotica progrediuntur, naribusque acetum rosaceum vel violaceum, in quo parum opii dissolutum est, admovere consuescunt.

Olfactum depravatum, imminutum & abolitum. *Olfactum depravatum* corrigunt particulas illas lymphæ alterando vel eliminando per medicamenta sudorifera, reliquosque affectus inferiorum partium aut nasi sanando, ne corruptæ particulæ ex iis ulterius exsurgant odoriferarum motum placidum turbantes, quare & Naribus bene odorata ex ras. santal. citrin. ros. rub. cort. citr. lavend. camph. in petia locata, & aqua flor. Namph. & spiritu rosar. adspersa, vel ex myrrha, cinamom. amom. anis. admovere solent. In *Olfactu imminuto & abolito* fibras nervorum liberant ab omnibus recrementis easdem incrassantibus; eorundem obstructiones reserant & spirituum transitum promovent spirituosis & volatilibus tum intro assumptis, tum foris admotis, ut Essent. majoran. rorismar. nigell. ambr. spir. lil. convall. balsam. apoplect. rut. citr. majoran. vel graveolentibus sed fortiter penetrantibus, ut Essent. Castor. As. foetid. Spiritu Sal. Armoniaci cinamomisat. aut succinat. Sal. volatil. Urinæ, quod essentiæ nepethæ additum & naribus admotum egregii credunt usus, nec non liquorem ex fellibus animalium & as. foetid. per retortam destillatum. Fibris nimis rigidis existentibus adhibent ol. destill. ceræ, vel balsamum ex oleo nucistæ expresso, oleo ceræ, & majoran. vel unguento viridi potabili cum pluma easdem aliquoties inungunt.

§. 19. *Nobis* in *Hæmorrhagia* Narium duplex instituitur curatio, una in paroxysmo, altera extra paroxysmum. In paroxysmo plerumque in subsidium vocantur opiata, styptica, & sic dicta specifica; sic & ab aliis, quam tamen potius ob imminens periculum omittendam censemus, V. S. tentari potest: ad sanguinis etiam acrimoniam corrigendam ejusque compagem nimis viscidam incidendam, varia ex lactuca, endivia, portulaca, symphyto, bistorta, flor. balaust. papav. rh. parari possunt remedia: serum lactis cum harum succis egregium est remedium sæpius datum, quia diureticum est.

Nostra methodus curandi Hæmorrhagiã Narium. Conveniunt etiam Tinctura Corall. Terr. Japon. omnia Martialia, & quæ antiscorbutica vocantur, quorum plurima in ipso paroxysmo ad sanguinis acrimoniam corrigendam ac demulcendam propinari possunt, qua ratione laudem meretur mixtura ex sequentibus parata, ut aq. scolopendr. capill. Veneris & lupul. cum Syr. Scelotyrbic. ad mentem *Sal. Alberti* de Scorbut. §. 253. Huc pertinent omnia quæ sanguini omnem adimunt acrimoniam, ex. gr. Tinctura Martis adstringens, &c.

♃. Pulv. rad. peon. mar.
Corall. rub.
Margarit. aa. ℈ j.
Ebor.
Ocul. 69.
Lap. hæmatit. aa. ʒ ß.
Prunell. ʒ j.
M. F. Pulvis. Dosis ℈ j. ad ℈ ij. in vehiculo seq. vel simili.

♃. Aquæ Cerasf. nigr.
Papav. Rhæad.
Plantag.
Melliss. aa. ℥ ij.
Aq. cinamom. hordeat. ℥ j.
Syrup. Corall. ʒ vj.
M. D. ad vitrum.

Optimo cum successu sequentem dedi potionem.

♃. Aquæ plantag.
Chærefol. aa. ℥ i ß.
Liq. styptic. n. d. gt. xj.
Camphor. gr. ij.
Theriac. cœlest. gr. iij.
Syr. Papav. errat. ʒ iij.
M. D. ad vitrum.

Vel seq. ad mentem Dekeri & Sylvii.

♃. Aquæ plantag. ℥ ij.
Cinnomi ℥ ij.
Confect. Hyacinth. ʒ i ß.
Corall. rubr. pp. ʒ ß.
Fl. balaust.
Sang. Dracon. pulv. aa. ℥ ß.
Laud. opiat. gr. iij.
Syr. Myrtin. ℥ j.
M.

Sic & omnia ea, quę motum sanguinis accelerant, cumque ab omni acrimonia liberant, exhibenda sunt, & ea quæ vasa simul constringunt.

♃. Pulv. lap. hæmatit. ℈ j.
Sperniol. Croll. gr. xv.
Laudan. opiat. gr. iij.
F. Pulv. divid. in 2 partes, & detur in seq. vel simili vehiculo.

♃. Aquæ portulac.
Semperviv. maj. aa. ℥ j.
Succi plantag.
Urtic. aa. ℥ ij.
Syr. plantag. ℥ ß.
M.

Sequens verò pulvis sit instar omnium.

♃. Pulv. lenient. m. d. ℥ ß.
Temperant. m. d. ℥ j.
Sem. plantaginis ʒ j.
Rad. bistortæ ʒ ß.
Cort. granat. ℥ ß.
Croc. Martis probè edulc. ℥ i ß.
Terræ catechu ʒ iij.
M. Dosis à ℈ j. *ad* ʒ j.

Sed debet ex tempore aliquid anodyni, vel Tinct. catechu addi, item Tinct. Sulphuris Vitrioli sequens:

♃. Cap. Mort. Vitrioli Martis ab omni Sale edulc. Spir. Salis vel Nitri q. s. digere aliquamdiu, & inde abstrahe spir. ad consistentiam mellis, hinc cum spir. vini Tinct. elice aurei coloris. Dosis à gt. xx. ad 40.

Vel detur succus stercoris asinini vel suilli cum aqua plantag. expressi ℥ ß. cui addantur Syr. myrtill. ʒ v.

Maximè quoque conveniunt pulveres testacei, item emulsiones cum aqua urticæ paratæ, ex sem. 4. frigidis valde prosunt. Ex. gr.

♃. Amygd. dulc. ℥ ß.
Sem. 4. frig. maj. aa. ʒ ij.
Papav. alb. ʒ iij.
Cum aq. urtic. & hordei F. Emulsio.

Laudatur Tinctura Sulphuris Vitrioli ad vij. gutt. exhibita. Omnia medicamenta ex Vitriolo desumpta hoc in affectu conducunt, ut & omnia Temperantia, ut sunt Tinct. bellid. rosar. Tinctur. Vitrioli Martii *Zwelf.* Sequens Mistura valde erit proficua.

♃. Aquæ plantag.
Semperviv. maj. aa. ℥ ß.
Tinctur. flor. bellid. ʒ iij.
Syr. Papav. alb. ℥ j.

Spir.

Spir. Mart. Vitrioli q. s. Dentur pro tribus vicibus. Tandem ad opiata, tanquam ad anchoram sacram, fugiendum, hinc *Sylvius* notissimæ suæ mixturæ stypticæ addit laudanum. Sequens quoque proderit:

℞. *Aquę plantag.*
Rosar.
Tormentill. aa. ℥ i ß.
Mum. ℈ ij.
Trochisc. de camph. ʒ j.
Magist. corallor. gr. x.
Laud. opiat. gr. iiij.
Syr. Corallor. ℥ ß.
M.

Extra paroxysmum pręservandi gratia possunt varia demulcentia exhiberi, qualia sunt superius dicta, vel detur tantum Conserva rosarum cum rad. symphyt. vel sequens electuarium.

℞. *Conserv. heder. terrestr.*
Ros. rub. aa. ℥ i ß.
Terr. sigillat. ℈ ij.
Sem. hyoscyam.
Papav. alb.
Trochisc. de carab. aa. ℈ j.
Ocul. Cancrorum pp. ʒ j.
M. cum Syr. myrtill. F. Electuarium.

Hic V. S. improbamus, quia sanguis revelli non potest, nisi vasa nimis turgeant, in quo casu conducit V. S. quia inde vasa deplentur; & rejicimus omnia purgantia, quæ à Practicis solent præservandi ergò ægris præscribi, quia plus obsunt quàm prosunt, & sic magis ansam dant huic affectui. Sequens ad consolidanda vasa egregium est.

℞. *Rad. bistort.*
Tormentill. aa. ℥ ij.
Consolid. aa. ʒ vj.
Sem. plantag. ʒ j.
Coq. in aqua fabrorum, adde sacchar. ℥ ij.
Inspiss. add. Croc. Mart. ℥ ß.
Sangu. dracon.
Terr. sigill. aa. ʒ j.
Cort. granator. ʒ ij.
M. Dosis ℈ j.

Internis hisce præmissis ad externa topica transeamus: hoc certe in foro mille & mille commendantur, & vix decem ex his probam sustinent, imò aliquando ne unum quidem satisfacit, prout sæpe id tristis eheu! observavi, nam nonnunquam docta plus valet arte malum.

Sunt qui magnificiunt fungum coriaceum in medio quercus reperibilem, cujus particulæ discissæ, vel in manu detentæ, vel regioni cordis appositæ pro cohibendis narium hæmorrhagiis laudantur. Plures tentant cum maxima temeritate curas magicas, inscribendo nempe cum sanguine regioni frontis sequentes literas, OIPULU, frontemque dein obligando. Curationem Homericam itidem superstitionis ream, quæ sanguinem carminibus certis & verbis sisti posse præsumit, tanquam magicam rejicimus: amuleta tamen non semper rejicienda, sic in hunc finem optimè sub axillis gestatur bufo serico inclusus, aliaque commendantur amuleta, quæ non semper superstitionis argui debent, dum juvare possunt eo, quod certam aliquam materiam æthercam transmittant sanguini in motu placido conservando magis amicam, nolo tamen diffiteri, quandoque juvare empirica, quod ægrotantis imaginationem corroborent, & sic spiritibus animalibus peculiarem & alium influxum efficiant, ut enim mundus regitur opinionibus, sic ipsi ægri plures committunt fallacias non causæ ut causæ. Melius verò & absque ulla superstitione applicentur ipsis naribus stillantibus varii pulveres stegnotici, ut pulvis sympatheticus *Dygbæi*, Sperniola *Crollii*, Terra Vitrioli dulcis Hassiaca, Vitriolum Martis, muscus cranii humani pulverisatus ac naribus inflatus, vel parentur turundæ ex usnea in fimo porcino cum mucilagine tragacanth. per aquam sperm. ranar. facta. Laudamus quoque penicillos ex charta emporetica albumine ovi imbutos & pulvere stegnotico adspersos. In vivam araneam cruor derivetur, quo remedio sistebatur hæmorrhagia contumacissima, nulli alii quam huic remedio obediens. Vid. *Acta Haffn. Ann. 3. Obs.* 18. Sæpe & fronti & testibus cum commodo applicari solet epithema ex aq. fol. quercus, sperm. ranar. acet. ros. cum lap hematit. sed hæc & alia plura experientiæ falsæ adscribuntur.

Ad constrictionem osculorum vasorum tenellorum inflantur varia, ut pulvis ex stercore porcino cum flor. rosar. & balaustior. distemperatus, optimo verò cum successu inflatur sequens pulvis à *D. Hertod* communicatus, & in *Ephem. Germ.* summis laudibus evectus, constans ex alumine & pauco laccæ pictorum, q. s. pro incarnato colore, quo pulvere plures Author ab orci faucibus liberavit. In eundem finem etiam prosunt vitriolata, huius solutio vel pulveris forma, ad albedinem sc. calcinati, & cum turunda naribus intrusa, coagulando sanguinem & adstringendo orificia vasorum egregia sunt, vel croc. Mart. astring. instar tabaci narib. assumatur. In hunc finem ab aliis laudantur atramentum ita naribus intrusum. Sic Tintura Vitrioli Sulphuris naribus immissa eundem sortitur effectum. Sic quoque phlegma Vitrioli cum album. ovi subactum potentissimè sanguinem inspissat & coagulat, fluxumque reprimit vasa constringendo. Laudatur à pluribus radix cichor. flore albo ore masticata, sed nunquam mihi satisfecit, sed semper effectu me frustravit. Alii utuntur, nescio an meliori effectu, pulvere ranar. calcinat. & usnea cranii humani. Nonnulli urticas manu contritas naribus sanguinem stillantibus immittunt, quo collimare videtur *Æmilius Macer* sequenti modo canens:

Quod si manantem cupias retinere cruorem,
Urticæ succo frontem line, repprimit illum.

Arteriosus sanguis spiritibus turgidus sæpe difficulter reprimitur, huic generosa & plura remedia excogitavit ars ἰατρικὴ, servabit enim hominem, sanguinem qui servare didicit; & recensentur quidem a pluribus remedia sanguinem sistentia, quæ tamen semper & ubique non satisfaciunt; sic usnea manu detenta, bufo collo appensus vel sub axillis detentus, item dens equinus, mentha, aliaque magnopere laudantur, quæ tamen cum infinitis aliis me fefellere sæpius.

Totum sanguinis sistendi mysterium consistit in ejus coagulatione momentanea, & eius vasorum constrictione, quod remedium austerum esse debet; huc pertinent aluminosa, vitriolata, colchotar; vitrioli enim quantum jus sit in coagulando sanguine, superfluè indicant famigeratissimus pulvis sympatheticus, de cujus admiranda vi in sistendo sanguine pleni sunt libri Practicorum. Nunc verò usus ipsius ferrè exolevit, & liquor stypticus palmam aliis præripuit, huic non unica hujus liquoris existit descriptio, sed quot authores, tot reperiuntur descriptiones. In gratiam tyronum aliquot hic notabimus & quidem 1. *Vvec Keri*, ab ipso in Anchora sauciatorum p. 124. descriptum.

℞. *Vitrioli Ungar.*
Alum. aa. ℔ ß.
Phlegmat. Vitrioli ℔ iiij.
Coq. tamdiu, donec omnia fuerint dissoluta, liquorem frigefactum filtra, & à crystallis subinde natis separa, add. singulæ libræ liquoris
Ol. Vitrioli ℥ j.
& serva pro usu.

Naribus turundam hoc liquore madefactam intrude. Liquor stypticus *Bartholetti* sequens est: Imbibe terram sigillatam cum nitro vel aceto, donec pultis consistentiam acquirat, post exsiccabis in lapideam duritiem, hic lapis tritus super porphyritide in loco frigido sacculo inclusus ponatur, donec liquescat in liquorem insigniter adstrictivum, saporis aluminosi. Usus ejus tum internus, tum externus. Sequens tamen nobis magis arridet ab Amico communicatus.

℞. *Salis Armoniaci,*
Lap. hæmatit.
Vitrioli aa. p. æq.
Solve in cella in liquorem non contemnendi usus.

Liquor

Liquor stypticus sequens etiam egregius est.

℞. *Alum.*
Vitrioli aa. ℥j.
Coq. in aqua pluviat. & inspiss. parum. F. Aqua seu Liquor stypticus.
Vel qui melior est:

℞. *Terr. Hass.* q. v.
Coq. in aq. ferrarior: vel pluviatil.

Terra hæc Hassiaca ex alumine, & Vitriolo constans in cella in liquorem soluta est egregius liquor stypticus, & non te fallet. Alium novimus parare ex solo vegetabili. Nota est aqua styptica *Budetz*.

Nonnulli lignum sympatheticum ex fraxino certo tempore decisum naribus admotum magnifaciunt, à quo etiam *D. Ettmullerus* stupens felicem observavit effectum: sed sit fides penes auctorem. Hæmatites vel Jaspis genuinus manu detentus à pluribus magni penditus. Filiæ 13. annorum hæmorrhagia narium laboranti, omnia, etiam nobilissima remedia frustra adhibita fuere, accedit empirica & nuchæ apponit cæpam manibus prius communicatam, & fluxus sanguinis statim sistebatur. In aqua communi solv. Vitrioli alb. q. s. quo turundæ madefiant, & intrudantur naribus: rarò hoc te fallet remedium. Vel acetum affundatur lapidi ignito, & fumus excipiatur naribus.

In contumaciori malo alii cauteria actualia, & quidem plantis pedum admovent, quo cauterio curavit plures *Zacutus Lusitanus*: sed nolo author esse hujus crudelis remedii.

Spiritum quoque acrimonia quantum possibile sopiatur. Cl. D. *Vvedelius* sequens cataplasma commendat fronti applicandum.

℞. *Bol. Armen.*
Terr. sigillat.
Sang. dracon.
Spod. aa. ʒij.
Alum.
Gallar.
Musc. cran. human. aa. ʒj.
Succi vel aq. solan.
Burs. pastor. aa. q. s.
Album. ov. No. j.
Aceti parum. *M.*

Ventri quoque admoveatur ceruleum linteum immersum liquori styptico, vel stercus suillum calefactum. Vel

℞. *Aq. plantag.*
Burs. pastor. aa. ℥iß.
Acet. rosac. ℥j.
Lap. hæmatit.
Croci martis aa. q. v.
F. Epithema, vel mammis, vel epati, vel scroto applicandum. Ad ista epitemata pertinet Frontale *Poterii*, ex croco Martis, bolo Arm. & opio cum oleo rosarum mistis & temporibus applicatum, quo ipse hæmorrhagiam pertinacem curavit. Sic nuchæ ventosę magnę à nonnullis in pertinaci narium hęmorrhagia apponi solent, quo pertinent cucurbitulæ supra pedes admotæ, quę authore *Foresto* miraculi instar hęmorragiam narium sistunt: sed fides sit penes authores.

In Hæmorrhagia ex sanguinis nimia acrimonia orta, opiata cum absorbentibus seu præcipitantibus mista omnem absolvunt paginam, vitando scil. volatilia. Ex. gr.

℞. *Bol. Armen.*
Terr. sigill. aa. gr. viij.
Camphor. gr. ij.
Theriac. cœlest. gr. j.
Vel laud. opiat. gr. j.
M. F. Pulvis.

Vel detur Tintura Nepenth. Si morbus enim producatur ab acribus impetuosis & sanguinis nimia carassitie, tunc camphorata optima sunt. Conserva rosar. cum theriaca sæpius assumatur, egregium est certè remedium. Si sanguis acer, tunc conducunt lenientia, oleum, lac, &c. Nitri ʒiß. in aq. papav. err. vel frigida solvatur & propinetur, quod remedium est sæpe præstantissimum. Decoctum mille folii cum cort. aurant. immatur. vulgare, sed optimum audit remedium. In sanis aqua frigida etiam intrò sumpta confert, quæ simul in faciem sparsa conducit. Si potenter adstringere velis, vitriolum album solvatur in aqua, & hac tingantur turundæ naribus stillantibus intrudendæ. Item fungus bovis, sive crepitus lupi sub forma turundarum intrusus etiam sistit.

In Narium fluxu, ubi præcedit capitis gravitas, dolor & faciei inflammatio, & sanguinis sponte sua non fluit, sæpe cum penna anserina, vel alio modo venulæ, vel magis arteriolæ in naribus irritandæ sunt, post quam irritationem sanguis fluit. Sic plura exempla novimus, quibus hæmorrhagia narium adeò familiaris est, ut singulis septimanis recurrat, ac jam quasi ordinaria ac naturæ consueta esse videatur, ob scorbutum, quo laborant ejusmodi homines.

Curatio Coryzæ.

Coryza optimè nostro sensu curabitur inhibendo ulteriorem salis lymphatici præcipitationem ad partes narium factam, & exsiccando lympham majori abundantia p.n. evasatam, cui scopo præ aliis conuenire judicantur diaphoretica serositates nimias absumentia, & per poros cutaneos evacuantia, quæ parantur ex Antimonio diaphoretico, pulv. spasmod. qui egregius erit, C. C. s. igne, Sale Card. bened: scabios. rorismar. liq. C. C. succinat. essent. lignor. electuar. Orvietan. electuar. ex resina santal. rubr. *Schneider*. Mixtur. simpl. Tinctura bezoardica, quibus medicamētis internis idoneè subjunguntur externè suffumigia, ex quibus sequens nobis præ aliis placet, quo solo juvenis robustus magna gravedine cum ophthalmia tetra, & hordeolis laborans, post diaphoresin citò fuit restitutus, ut postero die hordeola arida fuerint reperta, & brevi evanuerit.

℞. *Gummi. sandarach.* ʒiß.
Anim.
Succin. aa. ʒj.
Mastich.
Benjoin.
M. F. Pulvis grossus prunis inspergendus, à quo excitatus fumus aperto ore & obtectò capite ab ægro est excipiendus, ejusque usus aliquoties in die repetendus. Sunt qui opiata commendant, quæ tamen cautè exhibenda, ne nimis incrassando fœtorem & aliud incommodum tibi contrahas, quod sæpe factum fuisse nostrą constat experientia. Nares obstructæ etiam sunt reserandæ vel pulveribus sternutatoriis modicè insufflatis, vel spirituosis externè adhibitis, ut nodulus herbis majoran. origan. flor. lil. convall. anth. sem. nigell. & castoreo repletus, Spiritu lil. convall. & aqua serpilli humectatus, vel fumus ex aceto ferro candenti insperso nares ingrediatur. Sic etiam globulus odoratus confici potest ex pulveribus rad. Ireos Flor. rasur. santal. citr. herb. majoran. basil. flor. lavendul. rosar. rub. odorat. sem. nigell. macis, Sapone Veneto in aqua rosar. & namph. dissoluto exceptis, additis liquidamb. oleo Jasmin. camphor. ol. d. lavendul Nuc. moschat. cort. aurant. qui manibus est gestandus & sæpiusculę naribus admovendus. Vertex aliquando, maximè ante cubitum, oleo succini est illinendus, aut emplastrum aliquod suspensorium, vel potius succorum acrimoniam corrigens, ex succino, gumm. sandar. mastich. sem. nigell. fol. majoran flor. lavendul. ros. fermento acri immistis, & cum aceto rutaceo malaxatis eidem est apponendum, quod siccatum cum alio recenti est commutandum. Quando excoriatio narium facta est, illinantur eædem oleo momord. vel oleo amygd. dulc. cum aliquot guttulis olei destill. anisi & camphoræ, vel etiam unguento alabastrino, vel aureo, cui oleum d. ligni Rhod. guttatim adspersum est. Lympha ad fauces ruens ob vasa post distentionem nimiam dirupta, masticatoriis, aliisque salivationem quandam mediocrem excitantibus est exhaurienda, quo refertur fumus tabacalis, quem modicè usurpatum cum *Cartesianis* non omninò vetamus, sed ut proficuum aliquoties repertum, hac addita admonitiuncula, commendamus, ne quod fumus ille correxit, nimia potus ingur-

ingurgitatione denuò pervertatur, quod tamen vitium fumisugis & philocapnis istis hodie nimis est frequens.

Sternutationis nimia.

In *Sternutationis* nimiæ paroxysmo statim inquirendum, à quanam causa, internane, an externa, oriatur, vel an à sanguinis acrimonia, vel à cacochymia seu stagnatione succorum in inferiore ventre, vel ab ipsa lympha acri ex vasis suis effusa suscitetur; secundùm causæ enim variationem & curatio variat, sed semper ad acrimoniam respiciendum: statim ergò æger per nares attrahat solum lac tepidum, vel oleum amygd. dulc. cum mucilag. sem. cydon. addito opii momento. Omnia antiepileptica dicta hic conveniunt, imprimis cinnabarina, pulvis cephalicus *D. M.* vel pulv. spasm. aliquoties exhibitus, liq. C. C. succinat. item castorina & quæcunque in Epilepsia conveniunt. Vesicatoria vel spiritus volatiles nuchæ, & cucurbitæ siccæ femoribus applicentur, frictiones palati cum panno aspero parentur; quo calefacta pars humores dissipet, ut ii divertantur à naribus ad palatum, præprimis tanquam euporiston remedium communicamus fermẽtum panis cum succino & mastiche, ut in Coryza paratum, & vertici impositum. Rarum est quod legitur apud *Bartholinum Act. Haffniens. Obs.* 1. *Volum.* 5. de puella 14. annorum post febrem tertianam singultu ac sternutatione per aliquot menses graviter afflicta, & ab empirico exhibito solùm spiritu æruginis feliciter ab his symptomatibus liberata; acida enim mihi hic suspecta sunt. Eligerem potius sudorifera, sanguinem dulcificantia & serum corrigentia, imprimis cinnabarina, succinata, castorina, viperina opiatis oxsiasis remixta. Item clysteres conveniunt.

Curatio Odoris depravati, imminuti & aboliti.

In cura *Odoris depravati*, causa amovenda, & organa hujus sensus quoque modo confortanda sunt. In *imminutione* ejus aut *abolitione* semper etiam ad causam respiciendum est, &, si fistula vel ulcus adsit, illud prius curandum, si verò à catarrho oboriatur malum hoc, conveniunt varia nervina & aromatica, v. gr. lil. convall. majorana, rosmarinus, pulegium, imprimis Aqua Reginæ Hungar. sæpius naribus excipienda, vel cum linteolo intrudenda, nec non Essentia viperina. Internè conducit præ aliis balsamus meus nervinus, vel liquor C. C. succinatus. Utatur & æger potu Theæ, nam plures curavimus continuo moderato tamen ejus usu. Balsamus & ruthæ, succini, majoranæ, vertici capitis, nuchæ, & ipsis naribus sæpius illinatur, vel fiat suffitus ex gum. animæ, succino, & mastiche. Cinnabarina item & castorina internè & externè hic medentur. Omnibus incassum tentatis ad acidulas Martiales confugiendum, quarum usu plures observavimus restitutos; non verò ad mensuras potarunt. Affectus hic curatur ut Epilepsia, & omnia in morbo illo laudata remedia & hic conducunt.

Si odor ablatus sit à Coryza vel gravedine, illa prius curanda est, hoc in casu conducit oleum Irinum per infusionem paratum, vel solum, vel additis guttulis nonnullis olei destill. majoran. quod potenter promovet lymphæ effluxum. Semen nigellæ cum majorana conjunctum naribus applicetur sæpius pro restaurando olfactu in obstructionibus narium & coryza, vel solum vel cum camphora. Oleum nigellæ per infusionem paratum cum tantillo olei majoranæ idem præstat. Vel assumatur sequens mixtura interne, & naribus applicetur externè.

℞. *Aquæ benedict. serpill.*
Majoran.
Lang.
Ceph. cum vin. aa. ℥ j.
Tinct. castor. ʒ i ß.
M. D.

Hic etiam ea conveniunt remedia, quæ superius in Coryza fuerunt exhibita.

CAPUT XVIII.

DE LINGUÆ MORBIS,

Fræno, Tumore seu Crassitie, Ranula, Nigritie & Fissuris, Pustulis, Verrucis, ejus substantiæ portionis ablatione, Aphonia, Blæsitate, item de Gustus læsionibus.

§. I. LInguam πολυδαίδαλον illud instrumentum quo naturæ & artis arcana panduntur, expositurus, cum Parmenone apud Terentium mussito: Lingua hæret metu! Difficile enim est ex tot diversarum sententiarum congerie semper colligere verum, aut ubique recta ingredi via, nec extra orbitam deflectere, cùm tamen audentes fortuna juvet. In hac mea Encyclopædia semper annitar veritatem, & sic meliorem eligere sententiam in omnibus, ideò & hic de Linguæ morbis. Lingua certè ad mentem *Jacobi in Epist. c.* 3. *v.* 5. est pusillum membrum & magna jactat: Ecce exiguus ignis, quantam materiam sæpe incendit. *Proverb.* 8. 21. dicitur: Mors & vita in organo linguæ sunt: ac suo more doctè id exprimit *Jac. Pont. l.* 1. *Miscell.* hisce versibus,

Haud lingua membrum est homini præstantius ullum,
Atque iterum nullum plus nocuum est homini.
Lingua gerit mistum dulci cum melle venenum.
Percutit, & blandam, si lubet, addit opem.
Quod ferrum nequit, quod non potuere cohortes,
Sæpius effectum lingua diserta dedit.
Quod ferrum potuit, nec non potuere cohortes.
Sæpius infectum livida lingua dedit.

Linguæ Frænum.

Ideò naturæ Artificis sagacissima providentia videtur factum, ut linguæ in medio corpore adnascatur ligamentum validum & membranosum, cujus extremitas *Frænulum*, aliis *Frænum*, nonnullis *Ligamentum*, quibusdam *Viaculum* dicitur, quod non duntaxat ad robur & stabilitatem, item ad insertionem propriorum musculorum inservit, sed & ut munimentum ita habeat homo ad linguam suam refrænandam. Sic quoque impedimentum loquelæ à solo hoc vinculo sæpe dependet. Cùm ergo homini lingua magis soluta sit, ac cæteris animalibus, nihilominus sæpe accidit, ut anterius proglossis justo arctius subtus adhæreat, cum frænum istud illam adeo dein impediat, præsertim, in recens natis, ut hi non ritè possint sugere, imò maximè in adultioribus Loquela impeditur, aut saltem depravatur, quod malum quibusdam dicitur τὸ ἀγκυλόγλωσσον. Rarum est quod quis in Gallia sine lingua locutus fuerit, hinc legi meretur iste tractat. in *Append. Eph. Germ. Ann.* 3.

Porrò quod linguæ quantitatem concernit, tantæ magnitudinis secundum naturam existit, quæ oris capacitati respondeat, figura pyramidem imitatur, nam pars anterior, quæ *Proglossis* sive *Apex* dicitur, acutior dentibus alliditur, posterior latior in sinuoso faucium antro, *Basis* sive *Hypoglossis* dicta, absconditur. Superior ac asperior palato vicina *Epiglottis*, excavationes utrinque obviæ *Ciramon* & *Parastira* vocantur ab Anatomicis. Lingua hæc tanquam ad benè, non verò ad absolute vitæ esse data, sæpè præter naturam *intumescit*, adeò ut Leidæ puella quædam linguam manus magnitudine amplam grossamque habuerit, ut ore vix contineretur, testante *Bartholino Histor. Anat. l.* 2. *h.* 22. hinc dicitur *Tumor*: non solum verò Tumor hic à Linguæ inflammatione inducitur, sed & à causis externis, prout inferius dicemus. Distincta tumoris species œdemati vicina est *Ranula* sub lingua, quod hoc linguæ vitio correpti coaxando magis, quam loquendo enunciant, molliorem ejusdem partem tantum occupans, pueris admodum familiaris, Græcis Βάτραχον dicta, aliis *Ranuncula*, inter abscessus à *Celso* refertur, & sæpe duram compactamque suo folliculo mate-

Tumor.

Ranula.

siam

riam includit, ut ferri levi vulneri non cedat, sed ferro candente sit absumenda, interdum media materia inde exit, acceditque ad meliceridis naturam; modo materia est nigra, modo candicans, ovi albumini non absimilis.

Ranula Homonymia. Ranula quoque vocatur in ductuum salivalium extremis occurrens laxa, mollis & alba coagulata substantia à sali va crassiore copiosiore causata. Venarum raninarum Ranula etiam dicitur à sanguine p. n. in iis collecto imprimis crassiore dependens intumescentia.

Nigredo, Asperitas & Fissura. Præterea Lingua redditur aspera, sicca & *nigra*, cum scabritie atque scissura vel *Fissuris* à particulis acidis & acribus eo delatis, & sæpe ex primis viis exortis, utplurimùm verò lymphæ acrimonia erosis, & hinc stagnantibus.

Substantiæ perditio. Quin & Linguæ *substantiam deperdi* historiarum certissima fides testatur, & nostra quidem observatione constat; deperditam verò regeneratam esse quidam sunt qui asserunt, ut *Horstius*, *Bartholinus* & ex eo *Sachsius* in *Gammarolog.*

Calculi, Vermes, Tophi. Sunt & *Calculi*, *Vermes* & *Tophi* sub lingua, qui ægros quoque vexant.

Pustula. Interdum etiam *Pustula* in extremitate Linguæ existit dolorem pariens, dum dentes offendit, quam vulgus, nimis aliquando superstitiosum, induci credit, si alius quidam mendacio aut calumnia eundem hominem commaculaverit; sed revera à succo crassiori & particulis acidis sub parvulo quodam Linguæ cornu collectis, & papillam nerveam sub ea comprimentibus dependet.

Aphonia. *Aphonia* dicitur & *Anaphlia*, Aphoni enim *Hippocrati* iidem ac Apoplectici, cum Aphonorum nomine intelligat eos, qui ne motum ullum voluntarium retinent, hodie verò confunduntur.

Porrò *Motus* Linguæ variis *læditur* modis: primò *aboletur*, conformationis vitiatæ à primo ortu contracta culpa, vel denegato spirituum animalium influxu tum ob subsidentiam cerebri & compressionem principii spinalis medullæ, uti in Apoplexia. 2. In Hæsitatione *depravatur* motus linguæ, dum homines non possunt initium capere loquelæ, nisi linguam aliquoties moveant, aut postquam loqui inceperunt, nõ possunt in sermone progredi, sed sæpius eamdem vocem repetunt.

Hæsitantia, Battarismus. Blesitas. Balbuties. Illud symptoma dicitur ἰχνοφωνία Linguæ *Hæsitantia*, sive *Titubantia* & *Battarismus*. Non minus depravatur motus Lingue quando una syllaba pro altera profertur in *Blæsitate* & *Balbutie*, quarum hæc litteras aut syllabas quasdam inter pronunciandum absorbet, vel quasi supprimit; illa litterarum unam pro altera vitiosè effert, imprimis litteram R. & L.

Gustus depravatio, immunitio, & abolitio. Tandem nec Gustus organum speciatim à præternaturali morbosa dispositione immune est; pariter enim & *Gustus* 1. *aboletur* in *Gustus nullitate*, quam ἀγευςίαν Græci vertunt. 2. *Imminuitur* Gustus, quo minus sapores percipiantur. 3. *Depravatur* Gustus, quando alii sapores ac ipsi sunt, percipi solent.

Pars affecta. §. 2. *Subjectum* horum affectuum merito dicitur Lingua, cujus substantia est membranaceo-nervoso-glanduloso-carnea, venas, arterias, nervos admittens, siquidem in exteriore ejusdem parte, superiore scil. regione, quam aperto conspicimus ore, notabis extimam membranam porosam in cornua quadam fibrosa elevatam, quæ modo mobilia & flexilia sunt, inter hæc cornua dein quadrato ordine dispositas videbis primi generis papillas nerveas, mox detracta priori illa membrana substantiam in modum crassioris retis extensam conspicies, qua examinata papillares secundi generis globuli quamplurimi visui se exponent, & circa has reliquæ graciliores conicæ conspectui sese dabunt. Tandem sub papillaribus istis corporibus Lingua carne musculosa, multiplici fibrarum carnosarum rectarum, transversarum, obliquarum sibi invicem superequitantium & velut tegetem efformantium concursu intertexta constat. Glandulæ ex conglomeratarum genere basin occupant, aliæ minimæ & miliares fibris interioribus hinc inde dispersæ interjacent. Præterea inferiùs in medio centro ligamento valido membranoso firmata est, cujus extremitas frænulum constituit, impediens ne lingua nimium excurrat, aut inordinatius moveatur. Hoc in quibusdam recens natis adeò totam alligat linguam, ut divelli obstetricis ungue, seu Chirurgici scalpro incidi soleat, ne suctioni vel loquelæ impedimento sit, de qua operatione inferius dicemus. In Lingua ergo non tantum Gustus organon, sed & vocis est, hinc teste *Aristotele* homo linguam absolutam, mollissimam & latam præcipuè habet, ut commoda ad utrumque officium sit, ad sapores nempe excipiendos; & ad litteras exprimendas. Hoc quoque hìc asterisco notandum, quod lingua semper madida existat, & semper humor quidam ex glandulis papillaribus effluat, & flaccidas habeat fibrillas, hinc si ceram sigillarem, (*Sigelwachs*) vel aliud resinorum, & quidem cum flamma imponas linguæ, statim extinguitur absque ullo incommodo, quod quidam nescio cui humori linguæ illito hactenus adscripsere histriones, lucri ergò pro vita sustentanda tale quid exercentes, quod tamen quilibet in semet experiri potest: & inde oritur, quòd lingua habeat fibrillas flaccidas & minus extensas, ceu dictum. Pro affectus ergò diversitate diversæ quoque & peculiares afficiuntur Linguæ partes, de quibus infra in paragrapho.

Diagnosis Fræni. §. 3. Si *Frænum* sive ligamentum nimis arctè constrictum aut longius exporrectum sit, ex eo cognoscitur, quod recens nati non rectè papillas sugere possint, & impediantur, quo minus ritè deglutiant, quia motus atque volutatio linguæ ad deglutitionem alimentorum valde necessaria, redduntur etiam morosi, extenuantur atque debilitantur. In adultioribus loquela vel impeditur, aut saltem depravatur.

Tumoris & Ranulæ. *Tumor* & *Ranula* sæpe ovi columbini magnitudine apparent, durus ille, rotundus, rubensque cum dolore molesto. Lingua retrorsum protrusa est, loquela & deglutiendi facilitas impediuntur: quando suppuratur, pallida est Ranula, digitisque utrinque appositis deprehenditur mollis, & in tunica crassa sæpe fluctuat.

Vitiorum Loquelæ & Gustus. Vitia *Loquelæ* & *Gustus* per se innotescunt, hoc solum notandum, qua ratione discernenda sint: illud palam fit, quando reliquæ functiones animales minimè læduntur; hæc verò quando illæ simul coafficiuntur.

Ætiologia secundùm Galenicos Fræni. §. 4. *Causam* horum affectuum, & quidem primo ipsis *Fræni*, imputare solent *Galenici* vel malæ conformationi, ob quam in infantibus membrana seu ligamentum illud linguæ aut nimis breve sit, aut nimis longa extremitate polleat, unde lingua palato arctius annectatur; vel affectibus aliis ætate grandioribus obvenientibus, & cicatricem solidiorem post se relinquentibus, linguam similiter in motu impedientem, ut sunt ulcera aut vulnera denuò consolidata.

Tumoris. *Tumoris* causam statuunt vel substantiæ incrementum, vel humorum influxum, quos lingua imbibens ita excrescat, ut in inunctione mercuriali aliquando contingit, vel sanguinis plenitudinem & phlegmonis abundantiam, vel calculorum sub lingua collectionem, aut materiæ venenatæ accessum linguam in molem istam distendentem, quod cognoscitur ex mole nimia, loquelæ defectu, vel difficultate, aliisque signis.

Ranulæ. *Ranulam* produci credunt ex materia quadam frigida, humida, crassa, lenta, viscida & pituitosa, colore & consistentia albumen ovi referente, & ob facultatis concoctricis debilitatem in cerebro collecta, ab expultrice verò è cerebro expulsa, & ob laxitatem substantiæ sub lingua eò prolabente, ibidemque retenta partem illam mollem adeò late extendente.

Nigritiei, *Ariditatis*, *Asperitatis* & *Fovearum* Linguæ originem adscribunt vaporibus fuliginosis, ferventibus & acribus ex sanguine in febribus potissimum causticis & malignis, tum & inflammationibus internis, peripneumonia scil. & pleuritide, aut ex ventriculo malè affecto assurgentibus, humiditatem linguæ exsiccantibus & continuitatem ejus dissolventibus.

Pustularum & Verrucarum. *Pustulas* & *Verrucas* pronasci volunt ab humorum fervore & acrimonia quadam cuticulam perurente & in vesiculas illas attollente, quibus si postmodum affluat humor crassus vel melancholicus, vel pituitosus, vesiculas illas in ipsas decedere verrucas.

Substantiæ portionis ablationis. *Substantiæ portionis ablationem* contingere cum reliquis fatentur, vel à causis externis violentis & vulne-

vulnerantibus, sectione nimirum, abruptione, aut præmorsione, vel ab internis acribus corrodentibus humoribus, in ulceribus & cancris degenerantibus.

Aphonia.

Aphoniam vel à prima nativitate esse norunt, à mala nervorum in utero conformatione, vel ab apoplexia aut Paralysi, sicque facultatis animalis defectu, aut voluntatis certa constantia, nihil lingua proferendi, ut à phreneticis & melancholicis fieri assolet, vel ab organorum voci inservientium ineptitudine, ut pulmonum, asperæ arteriæ ac gutturis obstructione aut compressione à pluribus causis, tum externis, lapsu, percussione & hinc oboriente luxatione vertebrarum, tum etiam internis humoribus crassis inducta.

Blæsitatis, Balbutiei & Battarismi.

Blæsitatem, *Balbutiem* & *Battarismum* fieri judicant tum à lingua breviori, tum ab ejus imbecillitate ob intemperiem humidam, aut etiam siccam, frigus, iram, aut calorem, tum à fræno aut membranula subjacente linguam nimis adstringente, & liberum ejus motum impediente.

Gustus Imminutionis, Abolitionis, & Depravationis.

Gustus imminutionem aut *abolitionem* tanquam causam sequi putant modò nervorum gustatoriorum obstructionem, compressionem, aut perfrigerationem, modò spirituum defectum, sicque facultatis debilitatem, modò Linguæ intemperiem humidam aut siccam, modò vulnera aut ulcera: *Depravationem* verò fieri dicunt, quod Gustus organon, membrana videlicet linguam & palatum succingens, pravo quodam humore, eoque vel pituitoso, vel bilioso, vel melancholico copiosius sit imbutum, unde pro diversitate istius humoris peccantis, diversimoda etiam existat Gustus illa depravatio.

Secundum Paracelsum in causa Fræni

§. 5. *Paracelsus* quoad *Fræni* causam nihil habet à reliquis peculiare, sed illud, quod cuivis homini naturale esse deberet, in quibusdam naturam morbi inducere putat, vel in matrice seu utero ità formari ob formatricem aberrantem, vel postmodum ab infortunio quodam contingere, ut frænum illud linguam ori strictius alligaret.

Tumoris.

Tumorem Linguæ originem sumere putat à sale resoluto per substantiam linguæ diffuso, & eandem in tantam excrescentiam expandente,

Ranulæ.

Ranulam dicit immaturum plumosum, vel apostema quoddam esse ex omnibus venis, quæ sub lingua sunt, accumulatum, ex radice linguæ sumens originem, unde tam latè, ac lingua fuerit, extendatur, esseque sal resolutum ejusdem sanguinis, ex debilibus venis tantum, quapropter in ætate provecta ejusmodi resolutionem minimè fieri posse.

Nigritiei, Asperitatis & Fissurarum.

Nigritiem ex colore Linguæ emortuo, *Asperitatem* verò & *Fissuras* ex sale cruoris, vel carnis sine ulteriore corruptione promanare censet.

Pustularũ, Verrucarum & substantiæ ablationis.

Pustulæ & *Verrucæ* procrescunt ex sale entalico, cui nutrimentum Linguæ occurrit; *Substantiæ* verò *ablatio* aut fit ab externo quodam instrumento, aut à sale corrosivo, linguam successivè absumente.

Aphoniæ, Balbutiei & Blæsitatis.

Aphoniam à defectu synoviæ pendere concipit, quòd ea separata linguam deserat; *Balbutiem* verò & *Blæsitatem* ex peculiari quadam materia oriri, ad genus salium resolutorum ex sanguine accedente.

Gustus Depravationis, Immunitionis & Abolitionis.

Gustus depravationem à sale liquoris corrupto deducit, sed nondum corrosivitatem adepto, *Imminutionem* verò & *Abolitionem* tum ab eodem sale sapores rerum non admittente, tum à resoluto quodam per nervos influente, & in iisdem coagulato, à quo gustus perceptio impeditur ac tandem plane tollitur.

Helmontii judicium de causa Linguæ Fræni.

§. 6. *Helmontius* Linguæ *Frænum* ex nimia extensione membranæ sub lingua in utero aliquando obortum, aliquando ex cicatrice relicta post vulnerationem abbreviari, & motui Linguæ impedimento esse cum aliis agnoscit.

Tumoris.

Tumorem Linguæ induci retur à mucilagine ex latice relicta, & sub tunica ejus latente, eandemque in tantam magnitudinem distendente.

Ranulæ.

Ranulam similiter à saliva mucida & tenaci è latice prodeunte, & in venis raninis sub Lingua nimia copia collecta deducit, quam peculiari quodam fermento Archeus, pertæsus quod eam aliò distribuere nequeat, in hujusmodi excrescentiam convertat.

Nigredinis.

Nigredinem, *Asperitatem*, & *Fissuras* Linguæ induci vult à defectu laticis deturbati, vel egestate penuriosi, dum in stomachi hospitio ineptus evasit pro suo munere, ut per venas nequeat transire debito instructus viatico, quare crustatæ istæ sordes non satis abluuntur, sed accumulantur in lingua, ideoque nullatenus sint indicium exhalationis è stomacho sursum elatæ, sed soli latici inepto adscribendæ.

Asperitatis & Fissurarum.

Pustularum & Verrucarum.

Pustulas eidem latici fermento quodam salino acri infecto adscribit, à quo illæ facile excitentur; *Verrucas* verò excrescere ab eodem crassiore & copiosiore ad linguæ tunicam fluente, ejusque fimbrias in tubercula hujusmodi attolente.

Aphoniæ. Balbutiei & Blæsitatis.

Aphonia fit, dum Lingua ab impuritate quadam ita vitiatur ut munere suo debitè fungi nequeat, & ab ejusdem impuritatis impostura anima simul seducta organi vitiati conjugio parem debilitatem contrahat, quale quid etiam in *Balbutie* & *Blæsitate* contingat, in quibus impuritas non est tanta atque in Aphonia, adeoque & Lingua aliquantum, at non totaliter vitiatur, ut sic vel initium loquelæ sit difficile, vel literæ quædam certæ non satis clarè enuncientur.

Gustus Depravationis Immutationis & Abolitionis.

Gustus Depravatio, *Imminutio* & *Abolitio* pro ratione laticis impuri aut deficientis contingit, à quo vitiato Archeus fallitur, quamvis præter Gustum linguæ alius sit in stomacho, velut Archei extremo, unde fiat, ut quæ linguæ sunt insipida, præcordiis odore suo specifico vel horrorem incutiant, vel aliquam offerant delectationem.

Vuillisii ratiocinium de causa Fræni.

§. 7. *Vuillisius* in recensendis Linguæ *Fræni* vitiosi causis à prioribus sua non abludit sententia, sed ligamenti vel magnitudinem aut brevitatem in utero acceptam, vel ab externo infortunio inductam Linguæ motui obstare, eandemque arctius aut longius annectere, & fræni instar retrahere fatetur.

Tumoris.

Tumorem linguæ oriri retur ab humiditate quadam nimia, aut aliis quibusdam particulis incongruis poros ejusdem occupantibus, & texturam fibrosam ita dilatantibus, ut in monstrosam quandoque vastitatem expandatur, oris cavitati sæpe minus respondentem, & proinde ab ea satis convenienter tegi aut contineri nesciam.

Ranulæ.

Ranulam ab humore viscido sub lingua collecto exoriri credit, dum partes salivæ salsæ & fixiores eidem tractu temporis immixtæ eundem inspissent, & intumescentiam illam producant, quæ affluxu novi humoris facilè augeatur.

Nigredinis, Asperitatis & Fissurarum.

Linguæ *Nigredinem* & *Asperitatem* cum *Fissuris* ortum habere contendit à calore & fuligine ex ventriculo & pulmonibus æstu flagrantibus exhalata, sicut in febribus putridis plerumque fieri consuevit, unde humiditas Linguæ naturalis non modo consumatur, sed exarescat, decoquatur & à calore torrido velut elixetur, sicque scabra evadat, prout idem à jusculo calido aliquando contingat, ab humore autem bilioso Linguam vel introrsum suffusam, vel extrinsecus tinctam flavedine colorari, & à calore adeò intenso, ut sanguinem adurat, & ignem solito ardentiorem accendat, aliquando fieri, ut è cordis foco per pulmonum spiracula tanto incendio ventilando vix sufficientia, fuligines quædam suscitentur, quæ ad palati fornicem allisæ linguam quasi reverberio feriant, & nigredine quadam inficiant, in medianis ejus partibus ideò magis conspicua, quod exteriores ambitus frequentiori ad gingivas & palatum attritu detergeantur.

Pustularum & Verrucarum.

Pustulas Linguæ adscribit particulis salinis copiosioribus in humore linguæ & salivæ, vel è glandulis maxillaribus, vel ab humore tonsillarum eò allatis, & inter fibras linguæ cutaneas stagnantibus, easdemque attollendo hujusmodi pustulas, & succo nutritio crassiore imposterum ad deductas fibrillas affluente & indurato etiam *Verrucas* excitantibus.

Linguæ ablationis.

Substantiæ Linguæ *ablationem* vel humori acri corrodenti & absumenti, vel violento morsui præter voluntatem in convulsis & epilepticis nonnunquam contingenti, vel externo infortunio, seu instrumentis scindentibus aut secantibus adscribit.

Aphoniæ, Blæsitatis, & Balbutiei.

Aphoniam à defectu aut debilitate spirituum animalium, & sic paralysi Linguæ sæpissimè dependere tradit, nonnunquam à copula explosiva in fibras linguæ motrices

trices è sanguine suffusa, & motum ejus impediente, ut in terrore subitaneo aliquando contingit: *Blæsitatem* verò & *Balbutiem* à nervorum paris quinti aut linguæ vitio obtingere, dum spiritibus via adimitur, ne linguæ fibras sat copiosè adinfluant, sed pauca tantum quantitate, unde lingua spiritibus motricibus destituta cuilibet vocis expressioni minus sufficiat.

Gustus Depravationis Immutationis & Abolitionis.

Gustus depravationem à saliva glandularum maxillarium variis salibus aliisque particulis impraegnata contingere autumat, dum fibræ nervosæ tum linguæ, tum palati & partis gulæ superioris iisdem magna copia repletæ alia corpuscula sapida non satis discernant, uti in *Imminutione* & *Abolitione* Gustus corpuscula ista non sentiuntur, quod ab humore linguæ crassiore, viscido & insipido poros linguæ anteoccupante excludantur, ut nullo modo poris insinuari & fibrillæ nerveæ ab iis affici queant, interdum & nervos paris quinti & noni in culpa esse, ut obstructi particulas sapidas non excipiant, neque communi sistant sensorio.

Sylvii opinio de causa Fræni & Tumoris.

§. 8. *Sylvius* in assignandis causis horum morborum eò sua vergit opinione, ut quoad *Fræni* causam motum linguæ impedientis nullum cum reliquis moveat dissidium, sed unanimis quædam foveatur sententia; *Tumorem* vero ortum habere putat vel à substantia Linguæ nimium aucta, vel ab humoris, præsertim glandularis effusione, linguam in majorem illam molem extendente.

Ranula.

Ranulam similiter à succo pituitoso & lympha glandulari sub linguam effusis, intra membranam venas raninas tegentem collectis, eandemque distendentibus, dependere credit, quibus si austerum & terrestre quidpiam accedat, massam ita aliquando inspirari, ut in calculum abeat.

Nigredinis, Asperitatis & Fissuræ.

Linguæ *Nigredinem* produci vult ab acrimonia quadam salsa lixiva vel succi forma linguæ affusa, vel halituum potissimum per ventriculum ad os assurgente, prout ejusdem *Asperitatem* & *Fissuras* ab halitibus, tum salsis, tum lixivis, è pulmone cum exspirato aere emanantibus, & unà cum faucibus linguam & palatum malè afficientibus ortum habere contendit.

Pustularum & Verrucarum.

Pustulas excitari credit à partibus succi pancreatici acrioris tum humoris formo ad linguam delatis, tum halitus instar per œsophagum adscendentibus & linguæ communicatis, uti *Verrucas* à partibus salivæ spissioribus ab acido coagulatis.

Substantia ablationis.

Substantia Linguæ vel instrumento acuto, vel morsu violento, vel humoribus acris erodentibus ex progenie succi pancreatici oriundis decurtatur.

Aphoniæ, Blæsitatis & Balbutiei.

Aphoniæ causam vel musculorum, vel nervorum Linguæ ab humore pituitoso obstructionem, & spirituum animalium influxum prohibitum, sicuti *Blæsitatem* & *Balbutiem* à vitio quodam Linguæ organico, vel musculis, vel nervis inhærente & plerumque connato, aut dentium defectu pendere existimat.

Gustus aboliti, diminuti, depravati & aucti.

Gustum aboleri, aut plus minusve *diminui* docet, tum sensorii linguæ & palati vitio, dum in morbis variis, imprimis febribus ardentibus illa exsiccatur, arida fit & omnis gustus expers, tum salivæ deficientis & potissimum spiritus acidi contemperati in ea latitantis defectu, tum spirituum animalium & nervorum culpa: *Depravari* verò eundem ob vitia salivæ aliorumque humorum vel halituum ad os delatorum, dum saliva vel aciditate, vel salsedine abundat, aut bilis, vel succus pancreaticus, vel pituita, vel mistura diversa ex hisce promanans, vel aliud quid ex intestino tenui per ventriculum adscendit, vel pituita multiplex à cerebro ejusque glandulis descendit, vel humor multifarius ex pulmonibus prodit, vel ex variis partibus sanguis, pus & sanies promanant, vel halitus quidam ab intestino tenui aut ventriculo per œsophagum, aut pulmonibus per asperam arteriam, aut naribus malè affectis per palatum exsurgunt *Aucti Gustus* causam addit sensorii constitutionem valde teneram, linguam delicatam & salivæ temperiem exquisitam.

Cartesianorum conceptus de causa Fræni.

§. 9. *Cartesianis* Linguæ *Frænum* eam arctiùs retinens, à Ligamenti linguæ brevitate nimia in prima conformatione obtingere itidem videtur, uti non minus quoad cicatricem post vulnera vel ulcera inductam præcedentibus adsentiuntur.

Tumoris.

Tumor Linguæ obvenire solet vel ab abundantia succi nutrientis, fibras ejus distendente, vel à materia venenata per fermentationem quandam cum reliquis succis in Lingua contentis institutam, easdem fibras distendente, & majorem succorum affluxum alliciente, vel ab obstructione pororum membranæ papillaris, aut succi glandularis viscositate, nervorum extremitates & papillas ipsas cum superinstructis cornibus in majorem molem augente, qua simul ipsius linguæ magnitudo intenditur.

Ranula.

Ranula exoritur à liquore glandulari sub lingua spissiore multis particulis ramosis, glutinosis & chylosis adhuc constante, & proinde haud satis apto à vasis resorberi, aut in solis glandulis contineri, sed subtus membranam illam glandularem linguæ subsistente, avolantibus particulis salinis volatilioribus in gelatinam abeunte, quæ tamen ab accedentibus particulis acutis lanceolatis aliquando dissolvitur, & similem particularum suarum nanciscitur configurationem, unde membrana nonnunquam eroditur & liquor contentus instar abscessus effunditur; interdum partes quædam terrestriores lamellis suis sibi invicem fortiter adhærent, & in calculis substantiam, sola quiete diuturniore condensantur.

Nigredinis, Asperitatis & Fissurarum.

Nigredo Linguæ oritur à particulis acutis rapidissimè motis, & vel ex nimia massæ sanguineæ ab æthere agitatione, ut in febribus ardentibus & malignis fieri assolet, vel ex pulmonum inflammatione aut angina egredientibus, & linguæ fibras & cornua ita divellentibus, ut magnos & sulcosos efforment poros, in quibus radii lucis suffocantur. *Asperitas* à particulis austeris & multis angulis aut hamulis præditis inducitur, cornua cum papillis adstringentibus, & aliquantum rigida efficientibus, unde illa obdurata & rigida asperitatem inducunt, vel à saliva multis particulis rigidis & bicuspidatis aut tricuspidatis imbuta, quarum unus quidem mucro poro membranæ linguæ exterioris inhæret, reliqui verò minus subsequuntur, sed supereminentes asperitatem illam fibris nervosis præbent. *Fissuræ* fiunt à particulis illis acutis fibras planè discindentibus, & vel ex lympha intra corpus, vel extra illud ab aere ipsi linguæ in damnum illud cōmunicatis.

Pustularum & Verrucarum.

Pustulæ excitantur dum liquori nutritio immiscetur una vel altera particula salina rigida, quæ inter papillam & cornu quoddam constituta eam comprimit, sicque dolorem & liquoris affluxum inducit, unde cornu humectatum emollitur & augescit, & hinc reliquis cornibus major existens pustulam quandam refert; vel peregrinum aliquod acidum per cibum & potum, aut etiā aerem illatum particulas quasdam salinas in lympha linguam humectante præcipitat, quæ fibras rodendo & distendendo ejusmodi pustulas provocant. *Verrucæ* emergunt ex liquore nutriente per diruptas à particulis angularibus papillas copiosius fluente, unde cornua pariter dilatantur, vel fibræ papillares extra cornua per poros membranæ egrediuntur, & succum nutrientem alliciunt; sicque novam excrescentiam producunt.

Substantiæ imminutionis.

Substantiæ Linguæ *imminutio* vel ab instrumentis acutis, vel morsu, vel erosione quorundam succorum acrium oboriri, cum aliis unanimiter concluditur.

Aphoniæ, Balbutiei & Blæsitatis.

Aphonia oritur aliquando ab obstructis nervorum tubulis à materia viscida ab acido coagulata, ut in terrore contingit, unde fit, ut nulli spiritus per illos in linguam influere eamque movere possint, aliquando verò à suffocatione & constrictione faucium, ut in Angina & Catarrho suffocativo contingit, in quibus larynx simul afficitur, & epiglottis opprimitur, ut pro voce efferenda satis hiare nequeat, vel nimis aperta aerem absque ulla voce emittat. *Balbuties* & *Blæsitas*, vel à spirituum nimia agitatione dependet, unde inordinatè tubulos musculorum linguæ ingrediuntur, vel ab eorundem copia minore, ut non sufficiant motui linguæ perficiendo, vel ab inconcinna linguæ conformatione, respectu ejusdem molis, tubulorum & nervorum.

Gustus aboliti, immi-

Gustus aboletur & *imminuitur* potissimùm à lympha limosa poros membranæ linguam investientis replente,

uti & depravati. replente, obducente & sic particulas sapidas hebetante, ne fibras membraneas, & papillarum nervearum satis moveant & afficiant, abs qua etiam lympha diversis particulis acidis aut salsis aliisque repleta, eædem fibræ jam motæ reliquarum extrinsecè adventantium particularum impetum non satis suscipiunt, sed spiritus animæ priorem & fortiorem motum, à particulis lymphæ aliisve sæpe è sanguine aut partibus aliis corruptis egredientibus & fibras præoccupantibus suscitatum offerunt, & sic *Gustus* fit *Depravatio*, dum alius percipitur à mente, ac revera existit in re pota aut manducata.

Nostra sententia de causa freni. §. 10. *Nostra* sententia est, *Frænum* in ipsis infantibus ideò existere adeò molestum, & linguæ motui incommodum, quod membrana seu ligamentum illud sub lingua aut longius sit diductum, linguam prolixiùs inferioribus oris musculis & sic maxillis alligans, aut nimis breve linguam debitè attolli aut huc illuc diduci non permittat, quæ formatio inconcinna vel in utero in elaboratione fœtus ita contingit, vel à vulneratione vitiosius curata, & hinc superinducta cicatrice crassiori membranulam breviorem reddente, & linguam strictius alligante.

Tumoris. *Tumor* sæpe oboriri solet in febribus continuis, malignis, ardentibus, angina, quando sanguis & succi per ductuum & acres per arteriarum carotidum propagines effluens, vasorum & fibrarum ordinem turbat, nec per venarum jugularium surculos prompte refluit, sed subsistit, hinc lingua aut tota intumescit, aut in particularem tumorem elevatur, qui sæpius in abscessum degenerat. Non verò duntaxat tumor à jam dicta inflammatione inducitur, sed & à causis externis, ut inunctione hydrargyri, ceu non ita pridem in matrona quotidie cosmetico Mercuriali faciem inungente tumorem linguæ observavi. In alia eundem ab esu fungorum venenatorum notavi, & in quodam à morsu canis inductum vidi, qui & producitur à vermibus sub lingua stabulantibus, & omnibus humoribus ibidem stagnantibus.

Ranula. Tumor alius *Ranula* dictus causam agnoscit utplurimùm massam chylosam crudam, indigestā, à sanguine in transitu ibi relictam, unde si aperiatur, mucus albumini ovi similis effluit, haud raro etiam cum *Cartesianis* ob longiorem moram ex mucosa illa materia calculos concretos observavi, qui aliquando priusquam sectione tollantur, acerbissimos dolores excitare solent: nec sub lingua tantum, sed in apice ejusdem similes lapillos genitos fuisse alii Auctores, imprimis *Zacutus Lusitanus*, scriptis suis annotarunt. Vide de lapillis sub lingua *Ephem. Germ. Ann.* IX. & X. *Obs* 144.

Sæpe etiam Tumor ille præternaturalis est à mala conformatione hujus organi, & succi nutritii nimia congestione, abs qua in immensum quandoque concrescit. Sic vidi puellam bilinguem & tamen elinguem, hoc est, quæ habuit duas linguas sibi invicem incumbentes, quæ totam cavitatem oris ferè implebant, de qua historia vid. *Ephem. Gen. Ann. IX.* & *X.* Sic Celeberrimus *Hannemannus* in Suedia fœtum vidit, cui lingua ex ore instar canis venatici propendebat, quam abscindendo superfluam partem ritè formavit Chirurgus & vulnus feliciter consolidavit.

Asperitatis Nigredinis & Scissuræ. Lingua sæpe laborat *Prunella*, id est, *aspera* redditur, *sicca & nigra*, cum *Scabritie* atque *Scissura*, à fuliginibus illic subsistentibus, vel acribus particulis è primis viis illuc delatis; aliquando ab humorum serosorum lymphaticorum acrimonia eroditur atque exulceratur lingua, hinc ipsius substantia ferè ablata visa est in puero variolis laborante, & cùm portio quædam in imis faucibus cum glottide & gargareone remanserit, ita articulatè loqui poterat, ut omnes adstantes puerum admirarentur. Confer *Riolanum*, dum narrat *Enchirid. Anat. lib.* 4. *cap.* 12. quosdam fuisse, qui sine lingua satis distinctè loquerentur, quod & confirmat *Slegelius*, ubi loquitur de quodam, cui linguæ ex intempestiva inunctione Mercuriali in immensum intumescentis pars abscissa fuerat, absque loquelæ impedimento. Notatu digna est historia *Marcellini*: Rex Hunericus, ait, unius catholici adolescentis, vitam à nativitate sua sine ullo sermone ducentis, linguam præcepit abscindi, idemque mutus, quod sine humano auditu Christo credens fide didicerat, mox præcisa sibi lingua locutus est, gloriamque Deo in primo vocis suæ exordio dedit. Confer appendicem *Eph. Germ. Ann.* 3.

Substantia ablationis. *Aufertur* ergo *Substantia* linguæ ab hujusmodi causis internis acribus erodentibus, utplurimum tamen à causis externis violentis, gladio videlicet, aliisque instrumentis vulnerantibus, vel etiam à morsu proprio sed illubenti, ut in epilepticis contigisse aliquoties observavimus.

Pustularum & Verrucarum. *Pustularum* causa est res quædam acris in lympha contenta, fibras membraneas distendens, & sæpe unum vel alterum cornu in majorem attollens protuberantiam, præsertim quando ad vellicationem illam fibrarum simul accurrit lympha, aut liquor quidam spissior glandularis, unde cornu ita repletur, ut instar cucurbitulæ aliis præmineat, ceu in extremitate linguæ ipso visu facilè percipi potest, ubi hujusmodi pustulæ aliquando cum dolore excitantur, ob compressionem fibrarum & attactum linguæ ad dentes. *Verrucæ* à diruptione papillarum, earumque extra cornua per poros tunicæ linguæ dilatatos expansione oboriuntur, nutriunturque à communi succo nutritio per fibrarum & papillarum tubulos, ceu per radices quasdam sufficienter affluente, & hujusmodi excrescentiam instar plantulæ sustentante.

Aphoniæ. *Aphonia* musculorum vel nervorum vitio utplurimum fit, & sæpe nihil aliud est, quam obmutescentia ex vitio laryngis. Sin vitio linguæ fit, dicitur loquela amissa; & linguæ motus tunc deficit, vel ex vitio paralytico, vel convulsivo, sive spasmodico, denegato scil. spirituū animalium influxu, vel consumptis aut ad alia loca avocatis spiritibus, in syncope, uteri suffocatione, agone, &c. ab obstructione nervorum enim linguæ frequentius producitur, sæpe à catarrho subsidente à cerebri ventriculis in nervos. Sic affectus hic à paralysi musculorum laryngis & utplurimùm vitio nervorum recurrentium accidit. Interdum quoque à nimia humiditate, & per consequens resolutione musculorum laryngis, qui flaccidi redduntur, fit Aphonia, hinc illi, qui raucedine laborant, aphoni sæpe redduntur, hinc quoque *Tulpius* ob abundans phlegma evasatum puellam aphonam vidit. Ex ira vehementissima, terrore, (qualem vidit *Bartholinus*) gaudio nimio & spiritibus sic incrassatis affectum hunc observavi, item à crapula, ex concussione cerebri per ictum vehementiorem facta. *Ettmullerus* observavit Aphoniam in puella ob extinctam lampadem ex oleo constructam. A mœrore & luctu ob obitum Consanguinei Principissam aliquot septimanas aphonam redditam, novi, quæ simul spasmodicis afficiebatur doloribus, erat enim scorbutica & ob sanguinis & aliorum succorum crassitiem circulatio erat tardior. Accidit plerumque loquela amissa, aut ægri linguam quidem movere possint, sed non articulatè loqui, quod videtur indicare, quod omnes fibræ linguæ non eodem modo sint dispositæ, verum quod cum spiritus fluant per hunc nervum inter has fibras, linguam hoc modo moveant, per alium nervum iterum alio modo, quod si ita fiat, potest accidere, ut nervi vel tubuli isti, qui loquelam efficiunt, sint obstructi, & alii aperti maneant, & sic loquela salvo motu linguæ sæpe aboleri potest, sic à succo nerveo nimis spisso & viscido non satis validè influente aphoniæ oriuntur, ut videre est in moribundis, ubi succus iste nerveus stagnare incipit.

Diximus superius ex motu convulsivo fieri aliquando Aphonias, quod probamus per hystericas, quæ sæpe in paroxysmo aphonæ permanent. A vermibus obmutescentiam observavit *Forestus*. Rara est illa obmutescentia ex improviso affligens, quæ notatur *Ephem. Germ. Ann.* 3. *p.* 193. Aphoniam consignavit literis *Zacut. Lusitan. lib.* 1. *Prax. adm. Obs.* 77. ex retenta gonorrhœa virulenta, fonticulis in virgine curatis, inde enim circulatio succorum impeditur.

Subitanea spirituum ἀταξία in nervis recurrentibus facta ad aphoniam multum facit, hinc ex terrore aliisque animi passionibus plures obmutescere solent,

solent; sic curiosum est exemplum in *Eph.Germ.Ann.* 2.*pag.*229.& *Ann* 3 *pag.*348.item *Ann.*3.*pag.*454. Rara itidem illa est observatio aphoniæ paraliticæ ex globulo plumbeo per vomitum moto, undique recurrentes nervos comprimente.

Ipsius Linguæ vitio fit Aphonia, quando intemperanter se habeat, vel nimis aspera & humida sit; illud accidit in febribus ardentibus, hoc in ipsis puerulis. Linguæ etiam tumor, linguæ amputatio, ejus vulnus & ulcus, ut & ligatura, impedit loquelam. Nervorum linguæ motorum tubuli obstucti, vel compressi, vel vulnerati, vel in ipso utero male conformati, unde muti nascuntur. Lingua quoque in motu suo impeditur ratione palati, quod vel tumefactum, ulceratum, vel vulneratum; ratione dentium, qui vel desunt, vel vitiosi sunt; ratione buccarum, quæ vel tumidæ, vel exulceratæ sunt, ratione gingivarum, quæ nonnunquam in prodigiosam excrescunt magnitudinem; ratione partis, quæ linguæ subjacet, in qua Ranula ejusdem motum impedit; ratione maxillæ inferioris, quando ea effringitur, vel laxatur. Rara est illa historia Jacobi Rolandi de Belebad, ubi os alicujus perfecte loquebatur, & reliquas suas functiones naturaliter exercebat *sine Lingua, à Carolo Reigero in Eph.Herm.Ann..descript.*

In *Hæsitationis* ἰχυοφωνία vitium partim consuetudini, partim inordinato spirituum influxui assignamus. Fauces malis hisce occasionem præbent, cum præcluduntur, vel coarctantur à tumoribus & inflammationibus tum laryngis, tum faucium ipsarum, tum etiam columellæ & tonsillarum; arctantur itidem à polypo, qui quandoque ita excrescit, ut per foramina palati ad ipsas quoque fauces descendat.

Blæsitatis & Balbutiei. *Blæsitatis* & *Balbutiei* vitium dependet utplurimùm à fibrarum carnearum in musculis invalidiore robore, & ob præsentiam copiosæ humiditatis nimia relaxatione, cui conformatio linguæ inordinata inutiles fert suppetias, ψελλότητος causæ remotæ sunt nimia in loquendo festinatio, defectus dentium, labiorum mutilatio, palati exesio, lingua justo longior aut brevior, crassior & indecenter formata.

Gustus in quo naturaliter consistat? Restant nunc *Gustus* tum *aboliti*, tum *imminuti* ac *depravati* causæ dicendæ. Antequam verò ad morbosum hunc accedamus statum, videamus priùs sanum, cùm enim Lingua habeatur pars organica, ex pluribus partibus constituta, meritò quæritur, cuinam harum principaliter Gustatio sive saporum perceptio assignanda sit? *Galenus* Tunicæ per linguam expansæ munus hoc conferre videtur. Alii propius ad scopum accedentes, Nervum gustatorium eo nomine adducunt, propterea quod eo læso, Gustatus quoque lædatur. *Bauhinus*, *Capivaccius*, *Varolius* & alii integram linguæ carnem spongiosam verum & proprium Gustatus esse organum existimant, ad quam tunica instar medii interni sese habeat.

Rectiùs verò à *Malpighio* & *Carolo Fracassato* papillares eminentiæ nervorum per totam linguam dispersæ assignantur, de quibus ipsos videas Auctores, ubi invenies, papillas seu papillaria capitula, vel fungulos istos nerveos in lingua, itemque palato, proprium ac genuinum Gustus organum esse. In Gustu ergò & nostro judicio filamenta nervea linguæ, seu funguli isti nervei, vel papillaria capitula tanguntur & pulsantur à corpusculis plus minùs rigidis salivæ innatantibus & fibrarum interstitia divellentibus, unde papillas sive cupulas istas nervosas παραδόξως digitulos appellare poteris, qui alimentorum sapores molliter palpando immissos sentiant ac percipiant, ita ut tunc Gustus excitetur, quando assumpta ab aeris vi pressoria & elastica partim ab intermedia ad palatum allisione, papillas nervosas diversimode tangunt ac simul afficiunt.

Causa Gustus aboliti & imminuti. *Gustus* ergò *aboletur* obstructis penitus papillarum nervosarum meatibus, vel obductis viscida materia quadam, aut ob omnimodam absentiam & defectum spirituum, papillis illis nervosis planè flaccidis & concidentibus; ob hanc causam Gustus aboletur in appoplexia, paralysi aliisque morbis soporosis. Latet & causa aliquando in organo sensus à nativitate mala conformato vel aliquando vitiato; sæpe etiam malum hoc exortum fuit ex primis viis ab acido ibidem latente, & spiritus figente & coagulante. *Gustus imminutus* oritur ex iisdem causis sed levioribus; item quando papillæ deficiente humido irrigante nimis aridæ & siccæ factæ se contrahunt, aut ipsarum capitula muco obducta sunt, quo minus sapores penetrare possunt, ut & fieri solet in catarrhis, corysia, &c.

Gustus depravati. *Gustus Depravatio* fit sæpe culpa salivę, alieno sapore corruptæ, vel alienorum humorum excrementitiorum affluentium sensorio peregrinum saporem perpetuo imprimentium, porulosque papillarum invertentium, quo minus oblata sapida discernere rectè queant, sicut in ictericis videmus; in quibus gustus ferè amarus est, quo fortè picantium gustus referri potest.

Prognosis Fræni. §. 11. Quid de morbis hisce sperandum vel timendum sit, nunc paucis quibusdam præcognoscamus. *Frænum*, quod aliàs naturale est, si brevius sit, linguam ori fortius alligans, non est ut leve malum penitus negligendum, sed in tempore arte solvendum, ne motum linguæ impediat, & sic tum suctioni in infantibus, tum loquelæ & masticationi in adultioribus sit impedimento. A cicatrice quod contingit, difficilius est curatu præ illo, quod fœtus ex utero affert, cùm hoc non ita difficulter instrumento à perito Chirurgo aut obstetrice ad justam mensuram secari, sicque resolvi valeat & extremitates conveniente callo obduci, illud verò in adultioribus non sine gravioribus doloribus denuò discinditur, & molestiùs nova cicatrice curatur.

Tumoris. *Tumores* Linguæ valde sunt molesti, & pro diversitate causæ aliquando difficiles curatu, quorum tamen curatio minimè differenda, ne respirationi sint impedimento, præsertim quando simul sunt anginosi, qui citra signa disparentes periculosi sunt. Qui Tumores non sunt ex materiæ cujusdam vitiosæ collectione, quæ interdum in abscessum mutatur, sed ex substantiæ augmento, & in ipsis jam infantibus existunt, nullius fermè sunt curationis, & sermoni magno impedimento, tarda enim fit loquela, & hæsitant ob molem linguæ à spiritibus difficulter mobilem. In quibus Tumoribus acidum corrosivum commixtum est, ii facilè abeunt in cancrum.

Ranulæ. *Ranula* curari potest, si in tempore Medica ei adhibeatur manus, quod in pueris cito fieri debet, ne periculum suffocationis incurrant, cùm fistula pneumonica ab ejusdem incremento facilè possit occludi, & tum mors præ foribus maneret. Quæ cum febre & dolore conjuncta est in adultis, vitæ periculum afferre potest, cum haud raró in anginam degenerare soleat. Nec periculo caret illa, quæ nigra, aut fusca & dura est, ob acidum furiosius ibidem dominans, & hinc timendum carcinoma, cujus fere remedio obmurmurans: Noli me tangere.

Nigredinis Asperitatis & Fissurarum. *Nigredo*, *Asperitas* & *Fissuræ* nihil sanè portendunt boni, & semper propemodum pedissequæ sunt febrium urentium & malignarum, in quibus interna ustulantur, ut flamma exsurgens etiam linguam prehendat ejusque fibras destruat. Lingua quæ in principio quidem inhorruit, in colore verò permanet, progressu autem temporis exasperatur & livescit, & rumpitur, lethalis est: Si verò valdè nigrescat, in quarta decima die judicationem fore significat; periculosissima autem est nigra καὶ χλωρη, seu cum virore pallida. Quibus cum cibi fastidio, sudore frigido, ex alvo nimis laxa & vomitu inordinato linguæ fiunt denigratę, in iis celerem mortem significant. In Peripneumonia si in principio Lingua nigrescat, citius morbus finitur, sin posterius, tardius, observante hęc nostro *Hippocrate Coac.prænot.* & *de morb. lib.*3.§.16. Linguæ asperæ & resiccatæ phrenetici sunt, teste eodem in *Coac.*

Pustularum & Verrucarum. *Pustulæ* nullum quidem gravius denunciant periculum, nisi quod dolore suo admodum sint molestæ, imprimis quando in extremitate Linguæ existunt, ut dentibus sæpius allidantur, facilem tamen admittunt curam, & quandoque per se evanescunt repetita quadam sputatione. *Verrucæ* verò ut majo-

majorem creant molestiam, ita studiosiorem solicitant curationem, quæ tamen feliciter obtinetur, si dextrè adhibebitur, aliàs ne reliquæ valetudini, nec sermoni valde sunt incommodæ, modò non sint copiosæ, aut nimis magnæ, tum enim utrique nocet, & singulari sint impedimento.

Substantiæ ablatio per instrumenta & violenta manu facta tam facilè reparabilis non censetur ac illa, quæ à succis corrosivis in puerulis variolis laborantibus contigit, de qua cum tempore sæpe dimidii anni reparata historiæ fidem tribuunt.

Substantiæ ablationis.

Aphoniæ omnes sunt periculosæ, quæ verò cum singultu & exsolutione fiunt, pessimæ sunt teste *Hippocrate*, & quæ ex dolore oriuntur, dolorosam mortem inducunt. In febre convulsorio modo contingentes, quæ ad mentis demotionem cum silentio deveniunt, perniciosæ sunt. Spiritus velut in his qui strangulantur, præ manibus expositus, malus est. Rigentibus lethales sunt Aphoniæ, quæ tamen per se & solitariè obvenientes successivè curabiles sunt. Frequentes autem subsoporatæ Aphoniæ consistentes, tabem præsignant. Ex ebrietate si quis voce privetur, & statim ipsum etiam febris corripiat, sanus fit, si verò non corripuerit, die tertia moritur, ex effato *Hippocratis lib.* 2. *de morb.* §. 22.

Aphoniæ.

Blæsitas & *Balbuties* nullum vitæ periculum inferunt, ast rarò curantur. Balbi & celeri lingua prædìti melancholici sunt, alvique profluvio longo maximè corripiuntur, teste eodem *Hippocrate*. Nativa vitia Linguæ, quæ in magnitudine & conformatione consistunt, vulnera item & rupturæ nervorum, immedicabilia sunt. Ab Apoplexia vel Caro relicta rarò & difficulter curantur, ex confirmata Paralysi omnes obmutescunt; dum tota Lingua resolvitur, gravis impendet motus Apoplexiæ.

Blæsitatis & Balbuciei.

Affectus qui *Gustum* concernunt, si hi à catarrhis sint, sine periculo sunt, iis enim curatis sponte cessant; si verò sint ab Apoplexia aliisque gravioribus malis, tunc periculum vitæ portendunt, ut & illa quæ inveterata sunt, difficilia sunt curatu.

Gustus affectuum.

§. 12. *Diætæ* respectu, *Aer* in *Frænulo*, *Tumore*, & *Ranula* eligatur siccior, temperatus, nullis inquinamentis turbatus, vitetur humidior, pluviosus, frigidus. In *Nigritiæ* & *Asperitate* cum *Fissuris* & *Pustulis* paululum humidior est eligendus, omni tamen carens acrimonia, &, si natura ita non existat, arte procuretur, ab acido autem acriori est depurandus. In *Aphonia*, *Blæsitate* & *Gustus vitiis* nimia ejus humiditas exsiccanda suffumigiis convenientibus, quibus etiam subtilisatur, ut spiritibus animalibus fiat accommodatior, ætherque purior succos corporis ingrediatur, fibris nervosis & membranosis minus molestus.

Diæta.

Cibus in affectibus istis parandus est levis, qui facile deglutiri potest, neque multa affert recrementa, ut sunt jusculа hordeacea, avenacea, pullorum & juniorum animalium, additis foliis endiv. lactuc. rad. Cichor. taraxac. &c. Assati minus conveniunt, uti & qui acriores sunt, qui maximè vitandi sunt in prioribus Linguæ affectibus, in Aphonia verò & Gustus difficultatibus concedi possunt, maximè ii, qui macem, roremmarinum, salviam, fœniculũ in se recipiunt. *Potus* sit cerevisia tenuis, ptisana, decoctum C. C. imprimis potus Coffeé & Theé. Vinum spirituosum in *Aphonia* & *Gustu debili* aliquando permittitur, sed modicè & modicè adhibitum.

Quieti magis studeant ægri, quam corporis exercitiis, in *Aphonia* corpus movere commodum erit, sicut in *Blæsitate* & *Balbutie* ægri se aliquoties exercebunt, ut Linguam commoveant, & ad vocis expressionem disponant, cum *Demosthene* aliquando ad littus aquarum mediocrem declamationem peragendo, ut continuato hoc exercitio linguam sibi comparent liberiorem.

Somnus concedatur pro libitu, quia per hunc liberior fit circulatio sanguinis & reliquorum succorum, succedat tamen *Vigiliis*, præterquam in Aphonia & Gustu læso, in quibus affectibus somnus est longius protrahendus.

Alvi adstrictio nullatenus est permittenda, sed curandum, ut promptè ista suo respondeat officio, ne curationi ulla iniiciatur mora, vitetur tamen & hic nimium, quod semper & ubivis naturali dispositioni existit inimicum.

Animi Affectus in ordinem redigendi sunt, neque iracundiæ laxanda habena, maximè in Tumoribus & Nigredine, cùm aliàs insanis aliquando ora tumeant ira & nigrescant sanguine venæ. Odium omne deponendum est cum tristitia & metu, gaudium verò mediocrius semper in sinu gerant, sanitatem pristinam seriò desiderantes: hæc enim omnia coagulant sanguinem, & reliquos succos, ad circulationem inidoneos.

§. 13. Curatio *Pharmaceutico-Chirurgica* enarratorum modò morborum ita peragitur, ut uno omnium ore Frænum nimis arctum sectione liberetur & laxius reddatur, cujus operationis modum, additis cautelis in ea observandis, inferius, ubi nostram sententiam liberius proferendi assignabitur locus, pluribus dabimus enodatum.

Curatio Pharmaceutico-Chirurgica secundum Galenicos.

In *Tumore* vero Linguæ curando *Galenicorum* mos est, ut substantiæ incrementum minuatur, præter victum tenuem & frequentiorem Linguæ motum, exsiccantibus & consumentibus, ut frictione cum sale communi vel Ammoniaco, cucurbitularum applicatione ad dorsum, scapulas, nates, cum scarificatione, medicamentorum densantium & constringentium adhibitione, decocto cortic granator. gallar. rosar. balaust. alum. oxymelle simplici, & similibus; à naturæ tamen primordiis existentem, nullis medicamentis corrigibilem existimant. Ab influxu humorum ortum habentem tractant ut intemperiem cum materia, repellendo, derivando & exhauriendo humores superfluos. Prius præstant succi lactucæ, portulac. plantag. lentis. palustr. rob. rib. myrtin. diamor. linguæ illiris; secundum errhinis per nares attractis, & hirudinibus iisdem applicatis, cucurbitulis cum scarificatione occipiti adhibitis, sectione venarum post aures; ultimum vel obscurè per medicamenta digerentia, decoctum fœnigræci, glycyrrhiz. sem. fœnic. caricar. hyssopi, bacc. lauri cum passulis, hordei cum sinapi & pauco salis ammon. myrrha cum croco & nitro permista, vel apertè per sectionem venarum sub lingua ad aliquem sanguinis effluxum. Abscessum aperiunt, & pus vel calculos eximunt & sinum mulsa cum melle rosarum parata repurgant.

In Tumore Linguæ.

Ranulæ curationem aggrediuntur derivatione & evacuatione, ut in præcedente. Tumore jam dictum, subjunctis postmodum topicis digerentibus, incidentibus & interdum suppurantibus, decocto alth. malv. agrimon. marrub. flor. melilot. farin. fabar. sem. lini, &c. Materiam suppuratam, vel si suppurari nequeat, & lacti coagulato similis existat, crudam præmissa sectione vel in ore, si fieri potest, vel sub mento instituta eximunt & locum vulneratum decocto balaustiorum cum melle rosato aliquoties abluunt.

In Ranula.

Nigredinem, *Ariditatem*, *Asperitatem* & *Foveas* curant medicamentis refrigerantibus, lenientibus, dulcibus & emplasticis, omni vi detergendi carentibus, ut sunt mucilagines psyllor. cydonior. succus portulac. lactu. lent. palustr. Julapium violar. diacod. diatragacanth. frigid. lac. bubul. butyrum recens elotum, oleum amygd. dulc. rec. expressum, amylum, ova sorbilia, syrupus nymphææ, glycyrrhizæ.

In Nigredine, Ariditate, Asperitate & Foveis.

Pustulas eodem pene tractant modo, inungendo illis mucilaginosa, quibus adhibitis si non dispareant, easdem aperiunt, & aqua plantag. cum melle rosaceo & pauco vitrioli abstergunt. *Verrucas* filo serico arctè ligant & tandem abscindunt. *Substantiæ* portionis *ablationem* instrumento factam arte reparare nesciunt, in variolis verò à succis acribus aliquando contingentem, sponte naturæ restitutam fuisse observarunt, adhibitis remediis putredini resistentibus, ut decocto flor. malvæ, balaust. cum alumine & melle.

In Pustulis Verrucis & Substantiæ ablatione.

Aphoniam originalem simpliciter incurabilem pronuncient, ab Apoplexia verò aut Paralysi inductam iisdem curant remediis, quæ Apoplexiæ & Paralysi conveniunt, proinde venam secant, vel in brachio, vel sub lingua, pituitam ex capite evacuant agarico & carthamo, additis convenientibus humorem frigidum & viscidum digerentibus, incidentibus, attenuanti-

In Aphonia.

nuantibus & calefacientibus. Intemperiem frigidam & humidam corrigunt masticatoriis & gargarismis ex salvia, majorana, roremarino, stœchade, cinamomo, croco, cubeb Zingib. Nuc. Moschat. pip. masticin. euphorb. castor. Oxymel cum theriaca propinant intus sumendum, ut & varia decocta ex specificis quibusdam cum vino, vel succum flor. palays. cum speciebdianth. diagalang. diatr. piper. Linguam theriaca, mithridatio, melle anthosato, Aurea Alexandrina post frictionem inungunt, vel aceto lavendulato cum pyrethro aliquoties abluunt. Phreneticos & melancholicos ad meliorem mentem reducunt, & reliqua vitia organica corrigere student, ut quantum fieri potest, iis in naturalem statum reductis, vox & sermo recuperetur.

In Blæsitate Balbutie, & Battarisme,

Blæsitatem, *Balbutiem* & *Battarismum* difficilis esse curationis fatentur, Linguæ enim brevitatem naturalem arte prolongare nesciunt, imbecillitatem verò ab intemperie humida ortam corrigere conantur siccantibus, & frigida, calefacientibus in Aphonia à Paralysi orta modò relatis, ab ira cessari volunt, calorem quiete & refrigerantibus mitigant, atque frænum sectione relaxant.

Gustu læso & abolito.

Gustum læsum aut *abolitum* corrigere & restituere tentant aperientibus nervos obstructos, intemperiem humidam vel siccam corrigentibus & evacuantibus humores peccantes, in genere laudant mel rosarum cum foliis salviæ pulverisatis, & farina sem. sinapi linguæ sæpius illitum.

Paracelsi modus curandi Linguæ Tumor.

§. 14. *Paracelsus* in *Tumore* Linguam aliquoties radi præcipit, & tum oleo vitrioli vel liquore centaureæ cum sale gemmæ illini.

Ranulam.

In *Ranula* venulis apertis elicit sanguinem, & postmodum illinit aquis brassicellæ, agrimoniæ, alchimillæ, diapensiæ, vel oleo hypericonis, aut oleo de floribus centaureæ. Si post curam hanc Ranula redierit, curam iterum incipere mandat.

Nigritiem, Asperitatē & Fissurā.

In *Nigritie*, *Asperitate* & *Fissura* ad materiam mortem in Lingua facientem eliciendam, Linguam assiduò radi jubet, sicut in Prunella, & gargarisari, etiam ad sanguinis effluxum, tum eandem abluit compositione prunellæ sequente.

℞ *Aq. prunell.* ℔j.
Laudani puri ʒß.
M.

Pustulas, Verrucas, & Substantiæ ablationem.

Pustulas illinit liquore salis armoniaci & carabis, *Verrucas* autem filo arsenicali abscindit, vel oleo ardenti inungit. Circa *substantiæ ablatæ* restitutionem, ut arte haud impetrabilem, nullatenus occupatur.

Aphoniam, Blæsitatem & Balbutiem.

In *Aphonia* ad recuperandam loquelam præ aliis commendat sal & oleum margaritarum orientalium intus adhibita, Linguæ verò instillat guttulas olei castorei destillati, lavendulæ, baccar. lauri, aut Spir. lil. convalium, quæ remedia simul in *Blæsitate* & *Balbutie* usum habere possunt ad sal resolutum corrigendum.

Gustum depravatū & abolitū.

In *Gustus depravatione* & *Abolitione* sal liquoris corrigendum, ejusque coagulatio resolvenda remediis penetrantibus, ut spiritu vitrioli & spiritu vini mixtis & linguæ illitis.

Helmontii de morbis hisce curandis opinio.

§. 15. *Helmontius* in curationibus horum morborum pauca admodum monstrat remedia, omnemque operam latici corrigendo & muco abstergendo impendendam esse sibi aliisque persuadet, qua virtute in *Tumoribus*, *Ranula*, *Nigredine*, *Asperitate*, *Pustulis* & *Verrucis* præ aliis Salem nitri perquam pollere existimat.

In *Aphonia* & *Gustus læsionibus* ad impuritates eliminandas apprimè laudat vomitoria, & potissimum vitriolata, ut vitriolum album à sulphure suo libetatum, vel sal vitrioli fixum; posthæc ad Archeum roborandum, & ad officium debitum excitandum sal perlarum singulare credit allaturum esse juvamen.

Vuilisii ratio curandi Linguæ Tumorem.

§. 16. *Vuillisio* curatio *Tumoris* Linguæ à venæsectione, purgatione, & cucurbitularum affixione auspicanda videtur, quò humor superfluus evacuetur & avertatur, hinc linguam scalpro abradit, & decocto ligno Guajaci cum hyssopo & veronica sæpius abluit, nec salivationem aliquando absque fructu tentari posse persuasus.

Ranulam

Ranulam tollere tentat evacuantibus, sudoriferis & ablutionibus discutientibus ex decocto marrubii, hyssopi, salviæ, flor. rosar. melilot. rad. pyrethr. hermodactyl. scyllæ, caricarum, &c. quibus si non cedat, suppurationem instituit, & aperto tumore materiam purulentam aut spissam eximit, ulcus mundantibus & subadstringentibus ex decocto plantag. rosar. cum melle & pauco olei vitrioli aut sulphuris studiose abluit, atque ad sanitatem & consolidationem perducit.

Nigredine, Asperitate & Fissurā

In *Nigredine*, *Asperitate* & *Fissuris* æstum interiorem diligenter vult observari, ut eo sedato vitia externa facilius curentur, Linguæ verò mucilagines refrigerantes ex sem. cydon. psyll. cum aq. prunell. rosar. semperviv. & addito nitro præparat. illinit, vel gargarismata adhibet ex decocto glycyrrhiz. alth. lactuc. portulac. papav. Rhœad. cum diamoro & nitro præparato.

Pustulas & Verrucas.

Pustulas & *Verrucas* consumere tentat masticatoriis salivam elicientibus ex foliis nicotianæ, pyrethri, sale armoniaco, quibus si non dispareant, aperire suadet Pustulas, & decocto balaustiorum cum alumine abluere; *Verrucas* verò constrictione optimè tolli fatetur.

Substantiæ ablationem

Substantiæ ablationem ulteriorem præcavendam vult remediis sanguinem & reliquos humores ab acredine liberantibus, decoctis videlicet fumariæ, scabios. endiv. prunell. ligni sandal. citr. ebor. & ablutionibus Linguæ cum decocto hordei cum melle rosarum, addito pauco alumine; ab infortunio autem & instrumentis jam factam cum aliis omninò censet irreparabilem.

Aphoniam Balbutiem & Blæsitatem.

Aphoniam à defectu spirituum ortam iisdem remediis curat, quæ in Paralysi commendat, qualia sunt decoctum salviæ, beton. rad. Imperator. Conserv. lil. Convall. Spec. diambr. dianth. vinum viperinum, &c. intus usurpanda: externè linguam fricat melle anthosato cum pulvere sem. erucæ, succo nasturt. & oleo succini. *Balbutiem* & *Blæsitatem* vitio nervorum ortam & originalem arte non putat corrigibilem.

Gustus læsiones.

In *Gustus læsionibus* humores superfluos evacuat purgantibus, vel salivatione, & interdum diversi & diaphoresi pro lymphæ peccantis dispositione, deinde linguam frequentius abluit gargarismatis ex decocto rad. Imperator. angelic. galang. herb. hyssop. salv. betō. rorismarin. flor. pœon. stœchad. caryophill. cubeb. castor. &c. Salia etiam volatilia cum Speciebus diagalāg. diambr. aut. dianth. interius sumenda non omittenda esse monet, ut ita nervi obstructi citius aperiantur, spiritibusque animalibus debitus pateat transitus.

Sylvii opinio de curanda Linguæ Tumore.

§. 17. *Sylvius* in *Tumore* Linguæ ab ejusdem substantiæ augmento proveniente difficilem curationem agnoscit, si verò idem ab humoris glandularis nimia copia oriatur, eundem minuit hydragogis, diureticis, & diaphoreticis.

Ranulæ.

In *Ranula* pituitam spissiorem attenuat spirituosis & volatilibus, feri copiam itidem evacuat, materiam sub lingua collectam emolit, & dissecta membrana eximit.

Nigredine, Ariditate, Asperitate & Fissuris.

In *Nigredine*, *Ariditate*, *Asperitate*, & *Fissuris*, habito morbi primarii respectu, linguam abluit humectantibus & lenientibus, ut aqua pura, succo vel aqua destillata vel etiam decocto acetosæ, semperviv. majoris, lactucæ, &c. quibus & gargarismum instituit, & mucilag. sem. cydon. & psyllii eidem Linguæ illinit.

Pustulis, Verrucis, Substantiæ ablatione.

In *Pustulis* acidum acre corrigendum suadet salibus volatilibus oleosis, &, si succus pancreaticus copiosior in intestinis deprehendatur, eundem, acrimonia prius correcta, hydragogis vult minuendum *Verrucas*, ut reliqui, filo constringit & postmodum planè abscindit. De *Substantiæ* portione amissa restituenda idem fovet judicium cum cæteris.

Aphonia Balbutie Blæsitate.

Aphonia si sit ab humore pituitoso nervos obstruente, eundem salibus volatilibus vult attenuandum, Spiritu potissimum Salis aromatici: *Balbutiem* & *Blæsitatem* connatam correctionem non admittere, sed à defectu dentium advenientem artificialibus affixis aliquando emendari posse fatetur.

Gustu abolito & imminuto.

Gustum abolitum & imminutum pro diversitate causæ variam ait reposcere curam. Ab ariditate Linguæ producto curam in ariditate jam manifestata accommodat, pituitam capitis & salivam ab halitibus in febri-

febribus ardentibus inspissatam incidit acidis & humectat, si verò universa saliva existat viscosior, eandem emendat iisdem acidis, sed cum spiritu volatili contemperatis, in specie spiritu salis dulci cum aquis aromaticis fœniculi & similibus soluto, & subinde parva quantitate assumpto. In *Gustu depravato* corrigendo itidem causam advertendam esse monet, atque si saliva peccet acidior, non tantum ab acidis præcipit abstinendum, sed aciditatem quoque vitiosam temperandam spiritibus volatilibus, oleo, & sale lixivo, imprimis volatili & oleoso. Ex spirituosis & volatilibus sequentem commendat mixturam:

[Gustu depravato.]

♃. *Aqu. majoran.* vel
Fœnic. ℥ ij.
Vit. Matthiol. vel
Antapoplect. vel
Antiparalyt. ℥ ß.
Syr. Stœchad. ℥ j.
M.

Monet autem, ut spirituosa hujusmodi per vices & minori quantitate assumantur. Saliva existente salsa eidem in specie conducentia vult adhibenda per experientiam cognita, ut sunt pilulæ de cynoglossa, vel styrace, gummi tragacanth. mastich. thus masculum & similia. Serum salsum in sanguine redundans per hydragoga minuendum. Bile autem ob volatilitatem potentius ad os elevata, ab omnibus spirituosis, ipso etiam vino & spiritu vini abstinendum præcipit, & bilis excellentem amaritudinem medicamentis acidis temperat, maximè verò spiritu aluminis: si copia peccet, educit eam vel emeticis antimonialibus, vel deorsum cholagogis, ut Rhabarbaro, tamarindis & sim. Succi pancreatici aciditatem volatilem curat salibus volatilibus oleosis & aromatibus; Salsedinem iisdem, quibus salivam salsam corrigit; abundantem succum prius correctum hydragogis evacuat. Humores mixtos & halitus ex iis exsurgentes, prout magis de uno vel altero participant, diversimodè curat, acidos videl. salibus volatilibus, potissimum Spiritu salis armoniaci; dulcedinem nimiam corrigit acidis & subinde amaris & acido-salsis, ut Tartaro Vitriolato, Elix proprietatis, &c. Pituitam in capite errhinis educit, in pulmonibus alterat & expectoratione promovet. Sanguine ad os fluente vasa aperta consolidat, & os cum vino, aceto, aqua, aut similibus eluit. Pus & sanies ad os deducta sint, affectum, à quo procedunt, curat & os emundat. Halitus è ventriculo & intestino tenui assurgentes & gustum vitiantes discutit, acidos quidem sale volatili oleoso, nidorosos vero spiritu nitri, insimul novam ipsorum productionem impedit. Halitus à pectore, faucibus, nariumve ulceribus & carie manantes corrigi quodammodo putat per aromatica, illorum tum odorem, tum saporem integrum obliterantia, tum noxam emendantia. *Gustum auctum* alimentis subpinguibus obtundi posse non improbabile illi videtur, tum quod salivam reddant aliquanto spissiorem, tum linguæ sensum exquisitum obtundant.

[Gustu aucto.]

§. 18. *Cartesiani* pro varietate causarum *Tumoris* Linguæ curationem variè instituunt, si enim à succi nutrientis abundantia ortum habeat à prima origine, difficilem fore curationem pronunciant, & molis ejusdem imminutionem sectione perficiendam cautè volunt tractandam, & non nisi à perito artifice tentandam; si verò alio tempore productus sit, victu tenui, rasione & scarificatione Linguæ, repetitis sudationibus succi nutrientis abundantiam, & per consequens ipsum tumorem minui posse pene sunt persuasi, Linguæ simul impositis aut illitis subadstringentibus austeriusculis, fibras comprimentibus & succum in porulis contentum ita exprimentibus, ut sunt portio aluminis, lapis prunellæ Linguæ imposita, vel Linimentum ex syrupo de agresta, Rob. diamor. flor. balaust. & lap. prunellæ, vel sale gemmæ, vel phlegmate alum. paratum eidem illitum. Materia venenata si sit in causa, ut in febribus malignis, morsu vel ictu iracundo contingere potest, præmissis diaphoreticis bezoardicis, Linguam Spiritu theriacali camphorato frequentius abluunt, vel succo rutæ, vel etiam succo alii in vino macerati, & in mortario lapideo contusi expresso; pororum obstructionem & succi glandularis viscositatem corrigunt aperientibus, incidentibus & attenuantibus volatilibus, decocto fol. majoran. & rorismarini tepidè adhibito, vel folia rorismarini cum portione quadam rad. pyrethri masticanda præbent, ut partes subtiles volatiles horum medicaminum sese linguæ immiscendo, eandem moveant & fluxiliorem reddant, poros linguæ aperiant, & fibrulas stimulent ad eiiciendam materiam noxiam, quæ postmodum ipsa cum saliva exspuitur, & tumor evacuata materia distendente valde imminuitur.

[Cartesiano rum modus curandi Linguæ Tumorem.]

Ranulam abigere student dissolvendo congeriem illam à variis particulis liquoris glandularis collectam, remediis itidem volatilibus, quorum poros singularis quidam ęther benignus & activus inhabitat, ut sunt collutiones ex decocto ligni Junip. baccar. lauri, fungi sambucini, thuris, Linimentum ex melle anthosato, additis nucibus juglandibus combustis & pulverisatis, sale gemmæ, pauco myrrhæ & camphoræ, vel frictionem instituunt leviorem cum pulvere ex rad. Ireos, hermodactylor. pyrethr. fol. salv. saturej. orig. majoran. & sale communi invicem mistis. Si materia intus contenta fluctuet, & membranæ durities ejusdem obstet effluxui, eandem lancetta dissecant, ut materiæ illius effluxus ita facilitetur, vel lapilli concreti eximantur, quo peracto, ut vulnus hac ratione inflictum iterum consolidetur, collutiones parant ex adstrigentibus, hamulis suis fibras sejunctas denuo unientibus & compingentibus, ut decocto flor. balaustior. ligustri, folior. quercus, pyrorū, argentinæ, pyrol. cum pauco aluminis, addito saccharo canthio albo, vel mel rosarum cum phlegmate aluminis & sanguine draconis adhibent instar linimenti.

[Ranulam.]

In *Nigredine* Linguæ internè priùs sanguineæ massæ furiosiorem agitationem sedant benignioribus fixantibus subacidis; quorum anguli interstitia pororum occupantes impetum ætheris sustineant & vim ejus mitigent, ut sunt Conserva citri, acetosellæ, Syr. Rub. Id. arcan duplicat. oculi cancrorum crud. corall. rub. subtilissimè pulverisata, hinc Linguam obducunt linimento ex semperviv. maj. succ. cancror. mucilag. sem. psyll. & lapide prunellæ, ut sulci expleantur, ulterior ætheris violentia inhibeatur, & particulæ acutæ lacerantes ex sanguine egredientes inviscentur & hebetentur, vel linimento sequente:

[Nigritiem.]

♃. *Pulp. Tamarind.* ℥ ij.
Rob diamor. ℥ j.
Succ. cancror.
Portulac. aa. ℥ ß.
Tinctur. rosar. ℈ ij.
Essent. citr. ℈ j.
Nitr. perlat. ℈ ß.
M. & cum s. q. Syr. fragor.
F. Linimentum.

Asperitatem Linguæ tollunt medicamentis aliquantum pinguibus, quibus anguli hebetentur & rigiditas cornuum flectatur, ut sunt lac caprinum, butyrum recens, emulsiones sem. 4. frigid. maj. aq. senec. & fol. borrag. extractæ, mucilag. rad. althææ cum fæculis bryoniæ, aqua lardi, & similia particulis oblongis, teretibus & aliquantum ramosis prædita. *Fissuras* corrigunt medicamentis particulas habentibus teretes, lubricas, vim angulorum eludentes, quæ fibris linguæ irrepentes & fissuras replentes efficiunt, ut vis illa angulorum scindentium valde minuatur, & benigniores particulæ succi nutritii admittantur, fibras denuò glutinantes, quod pręstant succo raparum addito saccharo canthio, vel linimento ex aquilegia aut cremore hordei.

[Asperitatem. Fissuras.]

Pustulas in extremitate Linguæ aliquando existentes abigere docent comprimendo eandem aliquoties dentibus ut saliva cum particulis salinis effluat, vel admovendo salem armoniacum, à quo sal illud rigidum flectitur & pariter cum saliva elicitur; si verò effectus non respondeat voto, & Pustula diutius sit molesta, ejus quandam portionem forfice abscindunt, ut liquor vitiosus intus contentus ita facilius exprimatur. *Verrucas* filo ligant, ut nutrimento destitutæ flaccescant.

[Pustulas.]

Substantiæ ablationem. *Substantiæ ablationem* instrumento vel morsu factam ne quidem tentant restituere, ne operam perdant, cum res hæc sit impossibilis, ab erosione autem productam in Variolis mitigatione partium acutarum, & demptione portionis corruptæ reparari aliquando norunt sponte naturæ, accedente denuò laudabiliore chylo nutriente per tubulos, & à fermento in Linguæ portione relicta inhærente benigno in similem substantiam disposito.

Aphoniam. *Aphoniam* tollere & vocem amissam restituere tentant admodum volatilibus, motu velocissimo omnes corporis tubulos pervadentibus, & obstacula quævis removentibus, ut ad spiritus animales penetrent, eosdem excitent & eorum in nervos influxum promoveant; quibus viribus sequens constare creditur mixtura.

℞. *Aq. majoran.* ℥ iij.
Rorismarin. ℥ ij.
Spir. cerasor. nigr. ℥ j.
Lavendul. ℈ ij.
Spir. Salis Armoniaci cum caryophyll. imprægnat. ℈ j.
Syr. flor. Paralys.
Fœnic. aa. ℥ j.
D. D. 2. *vicibus.*

Linguam iisdem spirituosis aliquoties abluunt, Gargarismate videlicet ex decocto rorismarini, saly. thymi, rad. angelic. levistic. pyrethri, bacc. Junip. sem. erucæ, sinapi, macis, caryophyllor. Oleum destill. lavendulæ linguæ instillant, eamque essentia castorei & pyrethri frequentius solent fricare. Ab epiglottidis oppressione ortam tum diaphoreticis curant, tum expectorantibus, imprimis spiritu Gummi Ammoniaci cum aqua Asthmatica, vel Gargarismatis cum sale Ammoniaco, aliisque morbo primario convenientibus *Balbutiem & Blæsitatem* ab agitatione spirituum nimia dependentem corrigere suadent non tantùm remediis motum nimiũ sedantibus, eundemque æqualem iis conciliantibus, qualia sunt Spir. cerasor. nigror. rosar. Tinctura flor. Tunic. Elixir vitæ, aqua lavendul. flor. Paralis. salia volat. &c. sed debita quoque præmeditatione verborum efferendorum, quo spiritus ad mentis imperium ordine colligantur, ne tanquam servi fugitivi è stadio suo transcurrant & linguam prius ad motum cieant, quam rem plenè conceptam debitè susceperint eidem ad publicationem offerendam. Si sufficiens spirituum copia desit, & Lingua plenariè nequeat commoveri, eosdem adaugent similiter spirituosis & volatilibus, spiritu nimiram lavendulæ, essent. ambræ, aliisque ex superioribus jam cognitis. Vitia conformationis originalia vix ullam correctionem admittere censentur.

Balbutiem & Blæsitatem.

Gustum imminutũ & abolitũ. In *Gustu Imminuto & Abolito* limum abstergunt poros obstruentem remediis incidentibus & resolventibus, succo nempe raphani, essentia seu tinctura baccar. Junip. Zedoar. at si tenacior existat, talia adhibent, quorũ particulæ gladiolorum instar acutæ omne viscidum discindunt, abradunt, & papillas ab eo liberant, quibus remedia acidiuscula predita esse asserunt: hinc linguam fermento veteri fricant & aceto lavendulato sedulò abluunt, interius Sal Tartari adhibent vitriolatum cum conserva acetosellæ & rad. cichor. condit. & Rob. Ribium cum pauco Spiritus Vitrioli Martis. Quibus non minus *Gustum Depravatum* corrigi posse promittunt, ita ut pro diversitate causæ etiam varientur remedia: Gustum nimis dulcem aut amariusculum subacidis, acidum verò spirituosis & alcalicis temperando, præmisso aliquando vomitu, si ventriculus succorum crudorum vitiosorum copia sit oneratus.

Gustum depravatum.

Nostra sententia de Curatione Linguæ Fræni. §. 29. Fuerunt hæ aliorum de Curatione morborum istorum sententiæ, in sequentibus nunc *Nostram* pluribus exponemus & cum prioribus conferemus. Quod si ergò *Frænum* impediat præcipuè in recens natis ut surgere non possint, & in adultioribus ut loquela vel impediatur aut depravetur, vel deglutitio prohibeatur, tunc affectus hic Chirurgiam exposcit. In recens natis si obstetrices observant nimis exporrectum esse vinculum istud, tunc abscindunt plerumque digitorum ope, (*Sie streichen mit dem Finger unter der Zungen her.*) *Hoffmannus* scribit, se ex Aquapendente audivisse, obstetrices in quibusdam Italiæ locis gerere unguem pollicis dextri longum, sed in apicem cultri conformatum, quo subito ac natus est infans, abrumpunt vinculum. Ungue obstetrices aliqua ex parte divellere frænum notat *Bauhinus*, quod tamen rectè improbant *Barbette, Scultet. Johann. van Hornæ, Bartholin. Camerar.* aliique plurimi. Ridicula quoque est ex parte ratio improbationis apud *Lovis Bourgois int Hebammen-Buch: Sic sool mit nichten sich unterstehen das Bandezuzerreissen, den die Nagel an den Fingern seynd gifftig, und mochte dem Kinde ein fressend Geschuuar, als Krebs, oder anders im Munde uerursachen.* Nescio quale & Chirurgi unguibus venenum adscribunt, quod credant ungues posse inficere aut malum inducere, verùm magna est differentia inter venenatum esse & noxium. Illud planè denegatur unguibus, posterius potest interdum concedi. Imò contingere potest, ut aliunde inficiantur, aut sordibus quibusdam coinquinentur, & tunc per accidens, non ex se sunt noxii, sed insontes ut reliquæ partes. Ad hanc ergò operationem nullatenus admittũtur ungues, quia facilè vicinas partes lacerare ac planè disrumpere possunt, hinc sæpe dolor ac inflammatio, aliaque gravissima mala oboriuntur. In quibus proinde hoc Frenulum malè est conformatum, (aliàs nunquam) hanc sectionem aut divulsionem alii instituunt non unguibus, quod improbamus, sed aliis instrumentis. Nummi acie hoc præsepe obstetrices tentant, quod rectè improbat *Sennertus* dicens in *praxi de Infant. curat. p. 2. c. 15.* Solent interdum obstetrices statim edito infante vel unguibus rumpere, vel nummi acie dissecare hoc vinculum, sed sæpe hoc sine necessitate agunt & in operando errant, commodius ergò perito Chirurgo res committitur. Alii hoc volunt frenulum discindere phlebotomo vulgari barbitonsorum, quod itidem rectè improbat *Johan. Scultetus l. a. p. m. 67.* quia inceptum est, nec certò possumus illo secare, alii propterea hoc administrant scalpello.

Curationem per sectionem suadet & *Barbette Chirurg. par. 1. cap. 13.* si scilicet modo transverso vulnere vinculum hoc ope forficis incidatur, hinc melle rosato sæpius de die pars læsa inungatur. Totam operationem hisce verbis describit *Fabr. Hildanus Cent. 3 Observat. 28.* ita inquiens: Vacat omni periculo operatio hæc, dummodo rectè administrata fuerit, præcipuè autem perspiciendum est, ne nimis profundè incidatur. Ego elevata Lingua apice forficum ligamentum utplurimum in duobus, nonnunquam in tribus locis incido; sic enim difficilius coalescit iterum, quam uno tantummodo in loco incisio facta esset; incido autem tantum quicquid nerveum est, ita ut carnem vix attingam, quod si prima vice non satis abscissum aut iterum annexum fuerit, poterit postea eadem operatio denuo administrari: inciso ligamento jubeo ut nutrix sæpissime digito melle rosaceo aut communi madefacto linguam blandè elevet, sic enim agglutinatio atque consolidatio impeditur. Alii post sectionem, si labra vulneris non statim coeant, adhibent linimentum è farina hordei, melle despumat. vitell. ov. thure, mastich. alum. ust. cum melle rosaceo factum.

In nostra aula etiam in consuetudinem abiit, recens natis Principibus vinculum hoc solvere, quod efficit Chirurgus forfice Parisiis allata, una cuspide obtusa & capitulum habente, altera verò acuta, qua fibras ligamenti abscindit: quandoque sanguinem stillat, quandoque non, quam operationem hactenus improbavimus, & cum *Aquapendente* aliisque credimus, ex centum vix unum infantem nasci cum tali ligamento, quod Chirurgiam postulet; si enim ultra dentes & gingivas & labra linguam potest exserere, non teneri hoc malo signum est, ait *Horne* in *Microtechne p. m. 123.* admodum proinde improbatur, si promiscuè omnibus applicetur. Confer instar omnium *Camerar. Syllog. memor. cent. 6. par. 24.*

Cautè verò, si opus est, in operatione est procedendum, sive id obstetrix, sive Chirurgus, aut alius peritus homo faciat, ne venæ aut arteriæ vicinæ, ductus salivales sub lingua, partesque adsitæ aut

nervuli

nervuli lædantur. Novimus exinde ptyalismum continuum inductum, dissectis extremitatibus ductuum salivalium, quod & observarunt *Riolanus* & *Herne*. Sic quoque ex nervorum illorum læsione Linguæ convulsio supervenire solet, hinc moneo, ne temere & absque necessitate ad hanc operationem quis se accingat.

Tumor si oboriatur à sanguine & succo acriori ibidem congesto, ei imminenti occurrendum collutionibus oris ex gargarismis resolventibus & inflammationem sedantibus, sæpe ergò os eluatur sequenti.

♃. *Aq. Plantag.*
Card. bened.
Lign. Heraclin. aa. ℥ ij.
Essent. viperin. Zvvelf. ʒ ij.
Spiritus theriacal. ʒ j.
M.

Tumori quoque inspergatur pollen. ex card. bened. nicotian. & trochisch. è viperis, vel illinatur essentia vel axung. viperar. vel adhibeatur cataplasma ex sacch. canthio, flor. Sulphuris & theriaca, cum oleo ligni Heraclini, vel imponantur ficus, semper enim de resolutione cogitandum est, quare illinatur lingua sæpe spiritu ligni Heraclini vel Guajaci; aliàs sæpe Tumor Linguæ in suppurationem transit, de quo vide *Ephem. Germ. Ann.* 4. & 5. *Obs.* 209. Si apostema ergo ruptum fuerit, per essentiam rosar. scabios. ac saniculæ saccharatam, & inspersos similiter oculos canc. facilè curabis omnia. Si verò est Tumor hic ab inunctione Mercuriali, tum utendum antidotis Mercurii, talia sunt sudorifera, imprimis spiritus theriacalis, Aqua scabios. spir. vin. camph. aurum quoque ore detineatur. Dum hæc scribo, virgo mihi offertur, quæ à cosmetico Mercuriali à barbitonsore porrecto incidit in tremorem Linguæ adeò frequentissimum, ut serpentem lingua vibrantem eam imitari dixisses, in quo casu ipsam tractavi ut epylepticam, & simul antidota Mercurii admiscui, & Linguam cum genis illini curavi aqua Langii cum spiritu Sal. Armoniaci succinat. & sic brevi feliciter convaluit & cosmeticum neglexit. Si verò ab alia causa venenata, tum externa, tum interna, exhibeantur sudorifera theriacalia, volatilia. Si Tumor hic sit à nativitate præternaturalis, particulæ superfluæ in extermitatibus ope manus Chirurgicæ abscindendæ sunt, donec ad consuetam pervenit molem; qua operatione curavit celeberrimus *Vvalæus* puellam Leidensem Linguam manus magnitudine amplam habentem.

Ranula. *Ranula* verò quæ oritur à materia crassiore & viscidiore difficilior est curatu, ob metum inflammationis vel cancri. Si ergò Tumor hic adhuc durus ac renitens est, topicis collutionis forma imprimis usurpatis attenuare, atque dissipare materiam studeat Medicus, ubi Fungi scambuci laudantur in hunc finem. Si his non obediat Tumor, sed mollis ac sequax sit Ranulæ materia, (quod facilè attactu dignoscitur,) excidatur duntaxat summa ipsius tunica, & effluet sponte, vel exprimatur saltem digito limpida ac viscida materia simillima albo ovi, recens ex effracta testa excidenti. Si verò materia fuerit nimis indurata, ut scalpello vel alio instrumento tumore aperto non exeat, annitatur Chirurgus, ut consumat eandem ferro candente, quod & impediat, ne identidem revertatur, si enim apertura cauterio actuali facta fuerit, minùs recidiva metuendum erit, quam operationem sic peragas: Laminam ferream, incurvam concameratam, & foramine in sui medio perviam compara, eamque diducto ægri ore tumori ita adapta, ut ejus, ei parti, qua aperiendus, foramen respondeat. Hoc candente ferro pertunde, sic enim nullam oris partem, quæ sana sit, violabis. Insusturus verò appresso suo mento pollice tumorem altius proferes, quo sic certior sit ictus; apertione facta, contentam materiam effundes, os ægri colluatur hordei decocto cum flor. sambuc. melle & sacch. ros. addito spiritu vini camphorato; sic enim tutò & citò ulcus sanabitur.

Ranula venarum raninarum curatur facile sanguinis eductione, etiam ex loco affecto, dein usurpentur varii gargarismi, collutiones, atque illinitiones ex aq. prunell. ei specifica, fol. querc. scabios. cum lap. prunell. item decocto ex herbis emollientibus & discutientibus parato.

Ranula ductuum salivalium à saliva crassiore producta curata attenuantibus & præsertim phlegmatizantibus. At verò ubi ductus hi aperti sunt, conveniunt adstringentia linctus collutionisque forma usurpata, vel fricetur ulcusculum Sale Armoniaco & melle ros.

Sæpe ex Tumore aperto *Fistula* oboritur, quale exemplum habemus in *Ephem. Germ. Decur.* 2. *Obs.* 52. in Equite Gallica lue infecto, imò ejusmodi fistulæ sæpe omnem respuunt consolidationem; eò ergò incumbendum, ut effluxio sistatur & mundificetur Lingua, dein applicentur sarcotica, ob ductus salivales, qui sæpe causæ sunt, ut fistulæ hæ sint insanabiles. Rarum est, quod legitur in *Ephem. Germ. A.* 8. *Obs.* 100. quod lingua subitò intumuerit & nigrore infecta fuerit à vermiculo vivo in vena sub Lingua subsistente, & per V.S erupto exorta; hic proderunt anthelminthica Linguæ illita. Si verò Tumor sit à calculo sub Lingua latente, is removendus est admotis variis cataplasmatibus emollientibus, &, si hisce non cedit, excidendus est. De calculis feliciter sub Lingua excisis, meretur legi *Observ.* 1. *Eph. Germ. Ann.* 3. Ex Tophis & Tumor Linguæ oboriri potest, quale exemplum quoq; in prædictis *Ephem.* annotatum, *Observ.* scil. 43.

Nigredinis Asperitatis & Fissurarum. Ad acres particulas ad Linguam delatas eamque *Nigram*, *Asperam*, & *Fissam* reddentes demulcendas, conveniunt varia mucilaginosa, imprimis mucilag. sem. psyll. cydon. cum aq. semperviv. factæ, vel Aqua semperviv. cum succo cancrorum & Sal. Armoniaco destillato, quæ egregia est ad os sæpe colluendum. Conveniunt & blandè acrimoniam corrigentia, ut phlegma Vitrioli cum aq. semperviv. mixtum, item Tinctura rosar. violar. lap. prunell. in aqua appropriata dissolutus & mixtus. Candidum ovi cum lentore psyllii, cum sem. portulac. spod. & ocul. canc. mirè convenit illitum, imprimis in scabritie Linguæ. Ad *Rhagades*, *Scabritiem* & *Fissuras* omnia pinguia utiliter adhibentur, præsertim lardum salitum & fumo induratum si in ore detineatur & combustioni & nigredini Linguæ resistit. Singulare remedium Vvittichii est sequens:

♃ *Ol. Olivar.* Cochl. j.
Vitrioli quant. Nuc. avellan. magnit.
M & inunge Linguam.

Unguentum nostrum ad fissuras labiorum.
Ad Linguæ scabritiem laudatur etiam sequens.

♃. *Sem. citrull.*
Portulac.
Papav. alb. aa. ʒ j.
Rad. dulc.
Tragacanth. aa. ℥ ij.
Cum mucilag. sem. cydon. aq. rosar. extract.
F. Globuli in ore tenendi.

Nitrosa hic maximè conveniunt, propter vim nitrosam rusticis egregium remedium. Febricitantibus labia erysipelatis scabritie incrustantur, hoc fit non rarò in febrium discessu, cùm post sanguinis restitutionem, glandulæ quædam salivales adhuc materia acri ac obstruente laborant, labia inflammantur, pus effundunt, ac crustis labia obducunt, quæ lactis cremore & creta facilè medentur.

Pustularum. *Pustulæ*, quæ paucæ numero, & sæpius una solummodò Linguæ extremitati innascitur, optimè tolluntur eductione lymphæ acrioris, per leviorem quandam institutam salivationem, ut hinc vulgaris illa curatio superstitiosa non sine effectu perficiatur, dum illas ex mendacio falso de persona, cujus linguæ innascuntur, à calumniatore quodam dicto inductas sibi imaginantes, abigere suadent efferendo similiter mendacium aliquod de calumniatore ignoto, & cum indignatione quadam ter exspuendo, ubi compressio fibrarum & salivæ ejectio juvant; proinde admoto salis armoniaci suasu *Cartesianorum* non inconveniens æstimanda pro elicienda lympha acriori & rumpenda pustula, quæ si densior existat, lancetta aperienda, ut sic liquor contentus effluat.

Verrucarū. *Verrucæ* in Lingua eodem modo, sicut in reliquis partibus, tolluntur, optimè autem constrictione fili serici interdum in sublimata macerati, ita enim tubuli occlusi non permittunt alimentum, sed efflorescentiæ illæ prima in herba suffocatur & exsiccatæ decidunt. Cauterii cujusdam potentialis applicationem minùs censeo conveniens, cùm saliva allecta inficeretur & adjacentes partes læderet, insimul remedium istud facilè ablueret.

Substantiæ ablationis. Nonnulli sunt, qui credunt, *Substantiam* Linguę à Natura ipsa, optima nimirum medicatrice, resarciri: interim quum præter balsamicas sanguinis, maximè verò chyli nutrientis particulas, vix ac ne vix quidem intellectu concipi possit, quid decantata illa morborum medicatrix, Natura videlicet, sit, & ubi locorum in corpore humano existat, ad auferendam materiam noxiam, & augendum liquorem illum balsamicum, ejusq; activitatem facilitandam; non omnimodò contemnenda sunt bona remedia: sed si Linguæ portio à materia venenata ulcerosa sit ablata, ut in Variolis aliisque morbis malignis, item Lue venerea & Scorbuto oris sæpius contingere solet, adhibenda varia alexipharmaca tum interna tum externa, mixtis simul antiscorbuticis: Detur ergò sequens vel similis potiuncula.

℞. *Aquæ Card. bened.*
Scord. aa. ℥j.
El. diascord. ʒj.
M. Fiat Potiuncula pro una vice.

Vel

℞. *Antimonii diaphoret.* ℈j.
Pulv. Angl. ℈ß.
M. F. Sudoriferum, quod exhibeatur aliquoties.

Vel in forma Essentiæ guttatim sępius exhibendæ

℞. *Essent. viperin.* Zvvelf. ʒij.
Trifol. febrin. ʒiij.
M. D.

Vel Tinctura Antimonii ad gt. 20. sæpius exhibeatur.

Os eluatur antiscorbuticis & mundificatibus, inter quæ sequens palmam aliis præripit.

℞. *Decoct. scord.* ℔ß.
Succi beccabung. ʒ iij.
Mell. rosat. ℥iß.
M.

Tandem ad Sarcotica accedendum, quæ acrimoniam tollunt & vitale γλισχρὸν roborant, ac citra acrimoniam adstringunt, glandulæ enim papillares Linguæ facilè ichorem stillant, hinc exsiccantia maximè prosunt, conveniuntque vitriolata & aluminosa constrictiva; in his externis & celebrantur alcalina ex pompholyge & cerussa parata, sæpe sufficit solus pulvis ex foliis aristolochiæ longæ paratus. Nec negligantur varia balsamica inter Traumatica satis laudata. Olea verò & pinguia, quod acidum foueant, non conveniunt in ulceribus. Quod si Lingua maximè exulcerata fuerit, siquidem hæc non rarò putrescit, eroditur & exspuitur, contra hanc exulcerationem Linguæ euporiston remedium est sequens.

℞. *Flor. Malv. arb.* ℥ß.
Balaust. ʒij.
Myrrh. elect. ʒj.
Alum. ʒß.
Cum. s. q. mellis despumat.
F. Linimentum molle.

Vel

℞. *Mell. ros.* ℥ß.
Ungu. Ægyptiac. ʒij.
M. D.

Si Linguæ portio notabilis sit resecta, quæ nullo modo renascitur, ne sermonis usus planè intercidat, sed æger cogitata sua voce intelligibili aliis aperire queat, *Paræus* docet instrumentum ligneum parare, figura ovali, cujus pars superior crassitie sesquicapitati argentei inter dentes incisorios ita continenda, ne ab ore promineat, nihilque præter naturam ore haberi videatur, inferior autem ejus pars tenuior & tantum unius capitati argentei crassitie Linguæ tenaci adhæsu rectà ad ligamentum membraneum sub Lingua componenda est, & interior pars scalpta & nonnihil excavata esse debet, quo sic adhibito Linguæ defectus in sermone efferendo resarciri potest, quale experimentum casu inventum, & commodè adhibitum in adolescente, cui Lingua fuerat amputata, ipse hic Auctor recenset figurasque addit utriusque instrumenti lateris *Operum suorum lib. 22. cap. 5. p. m. 489.*

Cura *Aphoniæ* in eo sita est, ut ad primarium affectum, cujus symptoma est Aphonia, respiciatur, imprimis verò ad paralysin nervorum recurrentium, unde sæpissimè nascitur, tollendam cura dirigenda est, quæ obtineri potest per volatilia, & omnia ea quæ circulationem tum sanguinis tum reliquorum humorum promovent, adjectis herbis & rad. cephal. item salibus; iniiciantur & clysteres in delicatioribus. Aliqando ad motum convulsivum seu spasmodicum sistendum animus dirigendus, in quem finem omnia conducunt Antiepileptica, nervina, Antispasmodica dicta, ut sunt volatilia aromatica, castorina, cinabarina, succinata, imprimis quæ simul sudorem conciliant, liq. scil. C. C. succinat. cum aqua theriacali mistus, Balsam. nervin. nost. spir. C. C. Tinctur. Antimonii volat. spir. cephal. aromatic. &c. pulv. spasmod. n. In contumaciori malo prodest decoctum lignorum. Omnia quoque conducunt spirituosa, ut spiritus vitrioli cephal. Extr. Teriac. spir. ceras. lil. convall. sem. eruc. cum conserv. flor. Tunic. Confect. Alkerm. ambrat. & moschat. Ambrata enim cum spiritu rosar. solut. maximè spiritus recreant, quorum influxus in nervos recurrentes impeditur. Ex. gr.

℞. *Aq. Carbunc.*
Apoplect. Lang. aa. ℥j.
Spir. cerasor. nigr. ʒj.
Liq. C. C. succinat. ℈j.
Confect. alKerm. ʒj.
Sacch. perlat. q. s.
M D.

Curatur ergò hic affectus, qui consistit ut plurimùm in obstructione tubulorum nerveorum Linguæ, tanquam alius partis corporis Paralysis, quare exhibeatur sępius spirit. Salis Armoniaci succin. & C. C. antiepilept. cum specifico cephal. manè & vesperi cum Rob sambuci Imprimis ptyalismus phlegmatizantibus masticatoriis excitetur, & Enemata inijciantur, &, si malum ex primis viis ortum suum habeat, incidentibus plus efficies, quam corroborantibus. Si à sanguine subsistente & nervos comprimente, fotus sub Lingua propediem instituatur, & varia sanguinem dissolventia exhibeantur.

Externa omnia nervina, spirituosa, oleosa, quę in aliis affectibus cephalicis conducunt, & hic proderunt. Possunt etiam in hunc finem parari sacculi herbis & radicibus nervinis & aromatibus repleti & collo & capiti apponendi. Essent. Castor. cum spiritu lumbri. vel formicar. aqua Apoplectica permixta maximè confert, præ aliis verò conducit Astrum meum cephalicum, quod componitur ex oleo succini & camphora; vel illinatur aqua apoplectica cum spiritu Armoniaci succinato. Essentia castorei in Aphonia seu loquela amissa infra linguam circa frenum linguæ illita frequentius confert, & egregium experimentum est in affectibus apoplecticis & similibus. Exterius etiam Tempora, Nucha & Nares frequenter obliniantur balsamo apoplectico, rut. succin. Ubi aphonia oritur à capitis manantibus & subitò exsiccatis ulceribus, conducet pulvis sequens, quo in *Ephem. Germ.* curabatur puella 9. annorum.

℞. *Tartari Vitriolat.* gr. xv. *Troch. alband.* gr. v.
Antimonii diaphoret. Diagryd. aa. gr. ij.
Ol. carvi gt. iij.
M.

Lin-

Lingua fricetur sequenti vel simili mixtura.

℞. *Theriac. Andr.*
Confect. Anacardin.
Conserv. fl. Anth.
Lil. convall. aa. ℥ß.
Ol. succini gt. iij.
Syr. de Stœchad. ℥ij.
M.

Maximè quoque laudatur sequens mixtura in *Ephem. Germ. Ann. 6. & 7. Obs. 92.*

℞. *Mithridat.* ℥j.
Extract. acor. ℈j.
Rad. aron. pulverisat. ℈ij.
Essent. castor. gt. vj.
Ol. Carbunc. gt. iiij.
M. Illinatur lingua.

Vel Theriacæ potest addi gutta una aut altera olei alicujus stillatitii & spiritus sal. Armoniaci succin. & sic in ore teneri. Vel detineantur in eo spirituosa, ut aq. vit. *Matthiol.* aq. antiepilet. *Lang.* Sal. volat. aromat. aq. & spiritus lil. convall. spir. ceras. nigr. Variæ in hunc finem præscribi possunt collutiones oris & gargarismata. Sequens non contemnendi erit usus:

℞. *Rad. bryon.* ℥vj.
Enul. camp. ℥ß.
Fol. rorismar.
Salv.
Beton.
Rut. aa. M. ß.
Flor. lavend. P. ij.
Coq. in s. q. vin. & aq.
Colatur. ℔ ß. add.
Mell. anthos.
Scyllit. aa. ℥j.
Theriac. vet. ℥iij.
Salis Armoniaci ℥j.
Card. bened. ℥ß. *M. D.*

Vel solo decocto salv. in vino colluatur os. Applicentur Vesicatoria & setacea.

Blæsitatis & Balbutiei. *Blæsitatis* & *Balbutiei* curationem quod concernit, si vitium hoc fuerit à nativitate & organi vitio, h. e. à conformatione Linguæ inordinata, fere incurabilis existit, si verò dependeat ab inordinato & intermisso spirituum animalium influxu, & reliquorum succorum, curatur ut paralysis, hinc conveniunt omnia nervina, cephalica superius jam dicta, tum interna, tum externa, ut robur fibris carneis in musculis & nervis concilietur. Specificè hic laudatur spiritus cephal. cum aq. theriacali mixtus, eoque lingua sæpius fricetur. Si frenum fuerit impedimento, illud solvendum, prout superius diximus.

Gustus aboliti & imminuti. *Gustus Abolitus* & *Imminutus* si sit ab obstructis papillarum nervosarum meatibus, curatur itidem uti affectus paralyticus, imprimis ubi papillæ nervosæ sunt flaccidæ, hinc conveniunt omnia ea, quæ diximus superius in Aphonia, cephalica, castorina, cinnabarina, succinata, theriacalia, quæ omnia Linguæ motum restituunt. Si verò vitium latet in organo à nativitate malè conformato, eò incumbendum ut id vitium curetur, quod tamen difficulter obtinebitur. Sin ex acido in primis viis latente malum hoc fuerit productum, varia conducunt præcipitantia & acidum absorbentia, pulv. scilicet Marchion Cordial pret. & imprimis oculi canc. sæpius exhibiti; nec negligenda sunt amara, inter quæ reliquis palmam præripit Elixir antifebr. *Myns.* omnium sensuum vitiis appropriatum remedium, sed per temporis spatium continuandum. Si sit ab ἀταξίᾳ spirituum animalium, viscidum incidentia & volatilia non negligenda, & cephalica, ceu dictum, usurpãda, ut sunt aqua Regin. Hung. Balf. Apoplect. noster faucibus & Linguæ illinendus. Fiant quoque & hic suffitus ex gum animæ, succin. Essent. viperar. majoran. rorismarini, egregia sunt remedia.

Gustus depravati. In *Gustu depravato* eò semper respiciendum, ut causa prius removeatur, hinc si Gustus est salsus à saliva per ductus salivales eò delata ita factus, illa prius corrigenda, &, si simul adsit catarrhus, ille corrigitur optimè per pilulas de cynogloss. vel de styrace, antiscorbutica quoque interponantur varia: Si verò Gustus fuerit amarus, prout in ictericis solet fieri, vomitus eum in finem instituatur & curetur icterus, in quem finem & conducet Tinctura Martis per temporis spatium quoque assumpta. Sic quoque raphanus ante pastum usurpatus & masticatur ab *Hofero* Gustum acuere dicitur. Succo acetosæ vel acetosellæ os sæpius colluatur.

CAPUT XIX.

DE LABIORUM MORBIS,

Tumore, Tremore, Perversione seu Spasmo Cynico, Fissuris, Labiis Leporinis, & Ulcere.

§. I. Labia non tantum os & dentes partesque interiores oris tuentur à frigore & externis injuriis, hincque externum oris munimentum dicuntur, sed & ad edendi & bibendi commoditatem & deglutiendorum assumptionem, item ad vocem & loquelam, imò ad ornatum multum conferunt, hinc ipsorum affectus Meditationem merentur.

Labiorum Tumor. *Tumor* itaque Labiorum dicitur, quando p. n. illa sunt tumefacta à serosis interdum humoribus ibidem p. n. collectis & stagnantibus, & ab acido coagulatis, partes has distendentibus. Alius verò est nativus & familiis quibusdam quasi proprius, de quo Physionomorum varia extant auguria, quæ tamen rerum veritati sæpius minus respondent, unde fit ut virtuosi existant, qui omnibus vitiis dediti ex adspectu censentur, & vitiosi, qui omnibus virtutibus creduntur ornati; mens enim sui interdum obliviscitur officii, quandoque verò exercitiis & virtutum contemplationibus assiduis generositatem sibi comparat, ergastuli sui corporei exteriorem formam & dispositionem longis parasangis post se relinquentem.

Tremor. *Tremor* Labiorum dicitur, quando ea citius, quam par est, vibrantur, ab ἀταξίᾳ & acrimonia scorbutica Spirituum animalium inductus, qualis observatur in vomiturientibus, in quibus inferius labium tremit.

Perversio. *Perversio* Labiorum dicitur, quando Labia convulsis musculis contrahuntur, & sic pervertuntur, quod vitium ab ἀταξίᾳ & coagulatione ac stagnatione spirituum animalium plurimum producitur.

Spasmus Cynicus. Huc pertinet *Spasmus Cynicus* dictus, sive canina convulsio, quæ est contorsio oris, in qua musculi oris à suo loco distorquentur, ita ut labris prominulis canum venaticorum consimiles videantur, estque paralysis seu resolutio musculorum oris & annexorum mãdibulis, in qua os in alterutram faciei partem retorquetur, ac naturalis constitutio oris valde vitiatur ac deformatur, ut ita Spasmus cynicus describi possit, Musculorum faciei in alterutro latere contractio involuntaria, stabilis & dolorosa, speciem ringentis canis referens, ab intimiore nervosarum partium irritatione & convulsione dependens. Alio nomine etiam appellatur *Risus Sardonius*, ab herba Sardoe, cujus esus convulsionem ejusmodi causare solet; pervertunturque in eo Labiorum musculi ab utraque parte, ita ut figuram ridentis referant, quo morbo sæpius laborant infantuli in cunis à spirituum motu inordinato & spasmodico, & ab eorum coagulatione, ab acido quodam suscitata, qui tamen ab ignaris ventulis & superstitiosis mulierculis, nescio ob quod interius colloquium cum Angelis habitum, & gaudium inde conceptum, ridere pronunciatur; sed revera motus sunt convulsivi potius cum commiseratione, quam applausu conspiciendi. *Risus Sardonius.*

Fissura, vesiculæ & Aspredo. *Fissura* Labiorum est continuitatis Labiorum à nimia rigiditate & tensione solutio, quò pertinent & *Vesiculæ* & *Aspredo*. Vesiculæ oboriuntur sæpe in inferiori & superiori labio, in quibus clara lympha continetur, quæ disruptis vesiculis effluit, & crustam

crustam super vesiculis relinquit, quæ tandem arescit & decidit.

Aspredo sive *Asperitas* Labiorum est, quando pellicula Labiorum ex nimia asperitate squammatim se à Labiis separat, deglubique ac detrahi potest. *Scissuræ* & hic, uti in aliis corporis partibus, Lingua, volis manuum, &c. provenire solent.

Labia Leporina.

Fissura Labii *nativa* imperfectum id, & aliqua parte sui destitutum ferè infert, *Leporinum* à figura vocatum, utrumque maximè autem superius, solum aut cum maxilla ipsa hiatu laborare faciens.

Ulcera.

Ulcera Labiorum ab humoribus acribus producta solutionem Labiorum continui indicant, & nihil notatu dignum habent præter aliarum partium ulcera.

Pars affecta.

Pars affecta sunt Labia, tum superius, tum inferius cum suis musculis, nervis, venis & arteriis, quibus purpureus ille Labiorum splendor debetur, pulchritudinis & sanitatis nota. Labia hæc constans ex carne indigesta & fungosa, quorum cutis adeò cum musculis miscetur, ut cutis musculosa, vel cutaneus musculus esse videatur, testante *Bartholin. lib. 3. anat. cap. 11.* sed meo judicio Labia ex innumeris glandulis constant.

Diagnosis Tumoris.

§. 3. *Tumor* facilè innotescit, inquirendum verò, num sit nativus, an adventitius, uti in catarrhosis, scorbuticis, hypochondriacis, hecticis, ejusmodi Labia tumefacta observavimus.

Tremoris.

Tremor itidem Labiorum ex ipso aspectu vel relatione ægri patet, præcedit aliquando affectus cephalicos, & sic præcipitur stridor dentium, si quid convulsivi subest, simul adsunt torpor, metus, ira, hinc nervi obstruuntur, & spiritus circa Labia in ἀταξίαν & stagnationem vertuntur, si vero adest nausea & dolor ventris, malum ex primis viis oriri solet, ubi chylus præparatur nimis viscidus.

Labiorum perversionis Spasmi canini, & Risus Sardonii.

Sic quoque Perversio Labiorum facilè patet, ut & *Spasmus Cynicus*, qui ipse oculis expositus prolixa indagine opus non habet, oris figura depravata canum ringentium speciem refert, pars affecta dura est, plerumque dolet, sana ad tensam trahitur, cutis in una parte quadantenus rugosa, in altera densa, nonnunquam si alii simul musculi convulsi, oculus alter ritè claudi nequit; æger exspuere jussus, altera solum parte id facit. Sin verò ex paralysi alterius lateriis facta fuerit canina oris contorsio, pars affecta laxa erit, & sensus obtusioris, atque ad sanam trahetur, Palpebræ oculi ex parte decident, facies sine rugis extensa continuò ad inferiora inclinabit. Quibus ex causis inducta fuerit convulsio, temperiem, habitum corporis, diætam & morbos antegressos suscitanti eruere non erit difficile. *Risus Sardonius* indè cognoscitur, quod musculi faciei cum Labiis in utraque parte contracti os ridentis exhibeant, quod visu facilè percipitur.

Fissurarũ, Labiorum Leporinorũ pustularum & Asperitatum.

Fissura Labiorum, item *Labia Leporina*, *Pustulæ*, *Asperitates*, *Ulcera*, &c in sensus nostros similiter incurrunt, unde lippis tonsoribusque nota sunt hæc omnia.

Ætiologia secundùm Galenicos Labiorum Tumoris.

§. 4. *Causam* Labiorum *Tumoris* constituunt *Galenici* vel influxum humoris calidi biliosi vel sanguinei in musculos harum partium sæpe ab externis causis provocatum, vel congestionem humoris frigidi, melancholici scilicet vel pituitosi ex debilitate facultatis concoctricis non satis elaborati, & expultricis ibidem retenti, vel etiam materiæ copiam & crassitiem in semine à facultate formatrice imbecilliore minus justè distributam, unde labia istiusmodi tumida nascantur.

Tremoris.

Tremoris Labiorum causam proximam ponunt ipsius facultatis animalis imbecillitatem, labia pro voluntate movere aut continere non valentis, remotiores internas humores acres membranam & nervos vellicantes, vel inanitionem nimiam & vomitum, vel vermes intestinorum, ventriculi, & per consensum ipsam Labiorum membranam convellentes; externas aerem acrem, venena, ebrietatem, Venerem nimiam & similia.

Perversionis Spasmi Cynici, & Risus sardonii.

Perversionis & Spasmi Cynici causam accusant distentionem & convulsionem nervorum & musculorum, vel unius lateris, & resolutionem antagonistarum in Perversione & Spasmo Cynico, vel utriusque in *Risu Sardonio* ab exsiccatione nimia inductam, ut in febribus ardentibus contingat, vel ab excedente frigore spiritus coagulante, quale in venenis quibusdam existat, & ab ipso etiam aere rigidiore partibus hisce communicetur.

Fissuræ.

Fissuræ Labiorum causam proximam ponunt solutionem continui in membrana Labia investiente, remotiorem verò siccitatem nimiam membranam illam debito fortius distendentem & tandem rumpentem, uti vel ab internis vaporibus ex sanguine in febribus aliisque morbis calidiore, ascendentibus, vel ab aere externo sicciore contingere soleat.

Labiorum Leporinorũ.

Labiorum Leporinorum causam vel defectum materiæ ex qua corpus fœtus in utero formandum, vel formatricis aberrationem propter imaginationem fortiorem ipsius prægnantis, vel externè vulnera & ulcera portionem quandam absumentia, & fissuram illam magnam excitantia constituunt.

Ulcerum, Pustularum.

Ulcerum & Pustularum causam ponunt humores acres erodentes, eosque vel pituitosos, vel biliosos, vel serosos, vel atrabilarios, ab inferioribus corporis partibus ad superiores hasce transmissos.

Secundùm Paracelsum causa Labiorum Tumoris.

§. 5. *Paracelsus* singularem in Labiis *Tumorem* observans eundem *Alcolam* vocat, carnis videlicet quandam superfluitatem, insurgentem ex venis Jovialibus per Martis regionem transeuntibus, ubi primò in Labiis nascuntur porri, qui postmodum cùm emittunt sanguinem vel per se, vel per incisionem enascitur caro quædam spongiosa, & foraminibus undique repleta, cujus finis est, indies magis crescere, donec locum suum penitus occupans, os obstruat, ut comedi nequeat impostèrum phrenesin atque maniam excitet, originem inde habens, quod Spiritus Jovis, qui duntaxat in alopeciam transire deberet, aliò se recipiat, ad Martis regiones videlicet, ibidemque in generationem excrescentium transmutetur, & pro natura Jovis fiat alkola.

Tremoris, Perversionis & Spasmi Cynici.

Tremoris, *Pervesionis & Spasmi Cynici* causam primariam ponit sal quoddam mistum ex sale mercuriali spirituoso & spiritu salis, per venas Martiales transcurrens, humoresque in quibus spiritus motivus continetur, exsiccans, quare acetositas spiritus salini, modo à vento, cibo & potu externè, modò ab ira & colica internè proveniens, rapto sibi dominio, nervos & musculos hinc inde violenter instar venti commoveat, donec tandem profligato omni spiritu motivo, in procellæ naturam conversa, eosdem vel ad unum vel utrumque latus prosternat, firmiusque eidem affigat.

Fissurarum & Labiorum Leporinorum.

Fissuras progenerari dicit à sale alopeciæ seu vitriolato scisso per venas Martiales effluente, in Labiis separato, & cutem eorum quandoque cum carnis portione rumpente vel plane absumente, ut in *Labiis Leporinis* contingat, quæ tamen imaginationi matris nonnunquam originem debeant, cum fœtus in utero in formatione positus sit in manu & voluntate matris, ut argilla in manu figuli, & ita facilè hujusmodi impressionem suscipiat.

Ulcerum.

Ulcerum causam ponit sal resolutum & separatum, vel æruginem quandam salis ex martialibus exsurgentem, in superficie Labiorum sedem figentem & cutem cum carne erodentem.

Juxta Helmontium causa Labiorum Tumoris.

§. 6 Juxta *Helmontium* Labiorum *Tumor* oritur ab influxu laticis à spiritu quodam, seu spina occasionali provocati, qui deinde in musculis Labiorum aliquamdiu subsistens magnitudinem eorum adauget.

Tremoris.

Tremor excitatur à vita Labiorum musculorum peculiari, quâ fit, ut Archeo a causa peregrina acida injuria quadam immissa, musculi illi motu proprio tumultuentur ad excutiendum peregrinum illum hospitem Archeo satis molestum.

Perversionis & Spasmi Cynici.

Perversio Labiorum & *Spasmus Cynicus* fit, dum hospes ille peregrinus adeò immorigerus est, ut nec indignationi Archei, nec motui musculorum cedere velit, unde musculi invita voluntate & animæ imperio se subtrahentes, motu suo proprio seu blas vitali violentiùs versus unum locum feruntur, & per temporis spatium ibidem fixiùs contrahuntur.

Fissu-

Fissuram. *Fissuræ* producuntur à latice sal quoddam asperum sibi copulante, quo cutem labiorum dirumpit, quodque illi sæpius ab externo aere communicatur.

Labiorum Leporinorũ. *Labia Leporina* ex principio seminali, & imagine seu idea quadam à prægnantis conceptu formata, nonnunquam exsurgere credit, aliquando verò à causa externa violenta labia dividente & portionem aliquam auferente.

Ulcerum. *Ulcera* causam agnoscunt singulare quoddam fermentum virulentum acre, quo latex simul inficitur, & cruor alimentarius corrumpitur, ut ad nutritionem fiat ineptus, hinc caro devastatur & defectu alimenti relinquitur cavitas.

Vuillisii iudicium de causa Labiorum. Tumoris. §. 7. *Vuillisii* mens est, *Tumorem* Labiorum fieri à viscositate laticis serosi poros cutaneos obstruente, & majori copia circa glandulas collecto, cutem distendente, & Labiorum molem augente. In utero verò à succi nutrientis copia ad partes has fluente eorum substantiam increscere.

Tremoris. *Tremoris* causam statuit inordinatam spirituum animalium in musculis, & nervis Labiorum agitationem à copula quadam heterogenea suscitatam, unde fibræ musculosæ varié concutiantur, & inordinatè commoveantur.

Perversionis, Spasmi Cynici & Risus Sardonii. *Perversionis, Spasmi Cynici* & *Risus Sardonii* causam, eorundem spirituum animalium violentiorem statuit explosionem & adulterationem, vel à materia morbifica ad genus nervosum suffusa concitatam, ut in febribus malignis, aut malè judicatis aliquando contingat, vel ab ipsius liquoris nervosi longo quodam temporis tractu facta corruptione, ut ita à debita crasi in liquorem acrem, aut acidum, aut alio modo præternaturalem & spasmodicum degeneret, vel denique à venenis liquorum illum depravantibus, sicuti comestionem cicutariæ, apii risus, aliarumque herbarum horrendæ istiusmodi contractiones sequantur.

Fissura. *Fissuram* produci asserit vel à defectu humidi benigni & aliquantum oleosi, unde cutis satis commodè flecti & distendi nequit, sed ad quemvis motum, etiam leviorem facile dirumpitur; vel ab humore salino cutem erodente.

Labiorum Leporinorũ. *Labia Leporina* oriri credit à defectu materiæ nutritiæ, interstitium istud inter dexteram & sinistram Labii partem non satis explente, tum à spirituum & virtutis plasticæ aberratione ab imaginatione matris potissimum causata, qua fit, ut vel ab opere cœpto desistat, vel quod jam disposuit ante debitam consolidationem iterum destruat.

Ulcerum. *Ulcerum* causam constituit particulas salinas acres latici cutaneo vel succo nutritio immistas, & cutem non modò, sed ipsam etiam carnem mascularem erodentes.

Sylvii iudicium de causa Labiorum Tumoris. §. 8. *Sylvio* Labiorum *Tumor*, ut aliarum partium, oritur vel ab augmento substantiæ carneæ, vel ab humorum extra locum naturalem, & intra substantiam Labiorum effusione.

Tremoris. *Tremor* producitur tum à spiritibus animalibus à flatibus & halitibus inordinatè agitatis, tum à nervorum continua, minus tamen gravi, & vel ab humoribus acidis, vel halitibus similibus excitata.

Perversionis & Spasmi Cynici. *Perversio* & *Spasmus Cynicus* oriuntur à spirituum animalium nimia copia in fibras musculorum Labiorum hujus vel illius, vel utriusque lateris, citra & contra voluntatis decretum impulsu, à causa quadam præternaturali, maximè humore vel halitibus acidis acribus excitato; sæpius autem ex alterutrius maxillæ labiorumque masculis paralyticis, musculis nempe oppositis cœterum sanis, ob defectum renitentiæ & æquilibrii paralysin consequentem, partem sanam mox nimiùm contrahentibus & convellentibus.

Fissuræ & Labiorum Leporinorũ. *Fissura* fit vel ab halitibus acidis acribus, vel à nimia siccitate, unde cutis Labiorum dirumpitur: *Labia* autem *Leporina* sive hiulca causa potissimùm agnoscunt matris imaginationem, vel casum aut ictum, à quibus latera eorum disjunguntur, fiuntque divisa & hiantia.

Ulcerum. *Ulcera* etiam in hisce partibus ab acido quodam acri producuntur, continuitatem earum dissolvente & carnem quandoque exedente.

Cartesianorum opinio de causa Labiorum Tumoris. §. 9. *Cartesiani* in *Tumore* magnitudinem Labiorum secundum longitudinem, & latitudinem & profunditatem quandoque augeri dicunt in ipso adhuc utero, fibris musculosis adhuc tenerioribus à copiosiore succo chyloso nutriente diductis, & spiritibus obrutis, ut eundem ad alias partes commodè nequeant remittere, unde particulæ nutrientes sibi arctius adhærentes ad fibras quiescunt, pluribusque sequuturis viam sternunt, sicque partem hanc in sua magnitudine conservantes. Extra verò uterum quovis tempore Tumorem oriri dicunt à particulis spissioribus cum succo nutritio chyloso ad labia delatis, quæ cum per poros nequeant exhalari, viscositate sua retinente, fibris & glandulis cutaneis tenacius adhærent, poros ipsos occludunt, ut subsequentes liquores intra cutem subsistant, & molem Labiorum adaugeant, cui incremento sæpius quoque externum quoddam fermentum heterogeneum ansam dare soleant, spiritus & fibrillas neveas exagitando, ut succussione hac liquorum affluxus promoveatur, quale quoddam ab aculeis vesparum aliisque insectis aut rebus venenatis præternaturaliter communicetur.

Tremoris. *Tremorem* Labiorum suscitari docent ab indifferenti & nullatenus impedito spirituum animalium influxu ex uno musculorum labiorum pari in aliud, propter valvulas in tubulis eorum intermediis vel in contrarium distortas aut revulsas, tum compressione aut contusione nervi, tum ab impetu spirituum regurgitantium, vel breviores factas ab exsiccatione & defectu humidi, quare spiritus hac de causa redditi quasi effrænes fibrillas Labiorum varié concutiant. Sed à defectu spirituum in senibus quoque contingere posse admittunt, quatenus musculi Labiorum ita satis nequeant inflari, sed fulcris suis destituti tremant atque vacillent.

Perversionis, Spasmi Cynici & Risus Sardonii. *Perversionem* verò, *Spasmum Cynicum* & *Risum Sardonium* induci monstrant à spirituum animalium quadam incarceratione intra tubulos unius vel alterutrius Labiorum musculi, eo quòd valvulæ, queis exigui meatus inter musculos istos existentes donantur, à causa quadam violenta in situm revellantur contrarium, ut ita spiritus ex uno musculo venientes in alterum liberè amplius nequeant moveri, sed in hunc vel illum musculum impetuosius irruentes, ibidemque detenti eundem adinflent & nimium distendant, unde in ipsis infantibus hujusmodi convulsiones sepissimè prodromi sint insultus epileptici, in agonizantibus verò signum mortis instantis, quod spiritus animales non amplius subsint imperio mentis, sed tumultuariè in hos vel illos nervos irruant, qui tumultus à particulis etiam venenosis inducatur, spiritibus animalibus & nervis quàm maximè infestis.

Fissuram. *Fissuras, Pustulas* & *Asperitates* Labiorum cum *Vuillisio* fermè fieri censent à defectu humoris benigni particulis suis terrestribus fibras cutaneas irrorantis, sicq; tunicam mollem reddentis, ut citra noxam distendi possit, quem defectum aliquando causant particulæ rigidiores terrestres in aere existente flante borea exsiccante, vel à calore interno ustulante omne humidum consumente, quare tunica illa Labiorum humiditate privata & ob siccitatem rigida, ad leviorem quamvis tensionem facilè dirumpitur, nonnunquam etiam à particulis angularibus acutis fibrillæ illæ discinduntur aut variis in partibus transfodiuntur.

Labiorum Leporinorũ. *Labia Leporina* in utero ideo formari volunt, quod spiritus animales ipsius fœtus in diducendis filamentis musculorum labiorum, & aptandis iisdem corpusculis novis ex sanguine allatis occupati, à spiritibus matris forti imaginatione agitatis in operatione illa impediantur, & ab opere cæpto cessare cogantur, quare filamenta in utroque latere, dum spiritus aliò recurrunt & nulla corpuscula interstitia illorum sustentant, statim connivent & sibi arctius in extremitate adherent, priusquam cum aliis alterius lateris filamentis connecti possint, sicque rimam illam relinquunt; interdum quoque à vehementiori spirituum prægnantis influxu filamenta valde adhuc tenera denuò credunt dirumpi, & heterogeneam quandam formationem contingere, quod in his

in his partibus facile fieri possit, quæ longè tardius quam reliquæ in fœtus formatione elaborentur. Vulnera & Ulcera continuitatem solventia ut causas in adultioribus harum rimarum aut sulcorum cum reliquis placidè admittunt.

Ulcerum

Ulcerum originem, ut in reliquis partibus, à continuata verberatione fibrillarum à particulis primi elementi rapidioribus facta, dependere putant, dum pori ab humoribus aliisque particulis heterogeneis angulosis aut viscidis ita fuerunt obstructi, ut nullis aliis, nisi subtilissimis & violentissimis hujus elementi particulis via patula concedatur, à quibus fibræ non modò cutaneæ, sed etiam musculosæ rumpuntur, & continuitas consueta resolvitur.

Nostra sententia de causis Labiorum Tumoris.

§. 10. *Nostro* calculo *Tumor* Labiorum præter allatas jam à *Cartesianis* fiendi rationes, sepe dependet ex primis viis, ex mala chyli seu lactis præparatione, ex qua inexplicabiles atque innumeri morbi suppullulant, item ex serosis cruditatibus conglomeratis & coagulatis, & latice seroso, ex infima corporis regione post varias cum sanguine circulationes, ex arteriolarum ostiolis ad sapientiæ arcem, dein ad labia elevatis, hæc omnia ex ventriculo languido & torpido, reliquorumque viscerum obstructionibus, unde & serositates & tartareæ humiditates ortum suum habent; hinc in his personis sæpe scorbuticus latet character, atque cachexia illa producitur catarrhalis, & ἀσυμμετρία sanguinis, unde balsamica sua salsedine destituitur, sed redditur fæculenta & effœta, ut circa has partes subsistere, & sic affectum hunc excitare cogatur: circulatio enim lymphæ hic impeditur & succi nutritii, in glandulis enim ipsis labiorum ab aere frigido acido stagnatio lymphæ fieri potest, hinc Tumor ceu in aliis partibus fieri solet.

Tremoris.

Tremor Labiorum sæpe producitur à spirituum debili influxu, facilius enim viscidum acre penetrare, faciliùs recipi in copiam spirituum, ipsisque intimè combinari potest; hinc ii, quibus constitutio spirituum à prima nativitate crassa & humida est, hoc affectu vexantur, spiritus enim crassi & humidi non duntaxat rationis imperio minùs ritè præsidere possunt, verum ad quasvis impressiones externas recipiendas sunt aptissimi, & hinc, juxta *Paracelsum*, Lunatici spectris utplurimum vexantur, quæ sæpissimè nihil aliud sunt, quam entia quædam imaginativa, quæ phantasia ob spiritus crassos firmiter citra voluntatem sibi imprimit, ut spectrorum apparentia præsupponat nonnunquam insomnium vigilantis, seu leve delirium. Et hinc omnes illi, in quibus rationis imperium ob spiritus crassos cessat, ut melancholici, senes, mulieres, febricitantes, timore correpti tempore nocturno facilè spectris vexantur, illorumque phantasia cruciatur; adeoque non immeritò *Paracelsus* nonnullos, qui à spectris continuò cruciantur, per medicamenta, quæ in debitam activitatis sphæram spiritus ponunt, hoc est, ad motum incitant, restituere conatur. Sic novi civem Limburgensem à terrore concepto statim in Tremorem Labiorum incidisse, quia terror spirituum cursum inhibet, delicatamque nervorum compagem irritat. Terroris enim, uti omnium animi affectuum, idea per totum systema nervosum, non aliter ac sonorus tremulus motus per terram, propagatur ac disseminatur, imò tanquam per tubam, cujus ope in distans cum alio colloqui possumus, qualem curiosis monstrat Celeberrimus *Waldschmidius* Collega & Fautor meus honorandus: Terror coagulat succum nerveum, à cujus stagnatione plurima terrifici oriuntur affectus.

Porro multum ad hunc affectum excitandum contribuere potest ira, à qua spiritus nostri maximè irritantur, illorumque influxus in labia languidus redditur. Sic quoque in primis viis sæpe latet acidum acre, succum chylosum inficiens & per consequens systema ibidem nervosum & labia afficiens, & tremorem hunc in iisdem excitans, ceu videmus in vomiturientibus aliisque morbis, in quibus non ritè sunt constituti; sic malum hoc sæpius ex vermibus in infantibus productum observavi. Rarum est, quod vidi Hanoviæ in puella pro libitu hunc tremorem producente, hinc patet, à spiritibus animalibus esse hunc motum tremulum Labiorum.

Perversionis.

Perversio Labiorum fit ab affectu nervorum tertii paris, convulsis scilicet musculis, quod evenit à spiritibus animalibus in his alisque annexis musculis consistissimis insigniter irritatis à particulis heterogeneis acribus densius ipsis agglomeratis; & circa has partes imperium sibi rapientibus; hinc non potuit non subsequi animali regimine influxus sanguinis & spirituum vitalium acrium in has, qui ob fibras immaniter contractas ac distensas musculos Labiorum contraxit, partesque annexas simul pervertere aptus extitit.

Spasmi Cynici.

Ab hoc affectu non parùm abludit *Spasmus Cynicus*, symptoma certè horrendum & detestabile, quippe quod faciem deturpat, labia contorquet, utque canem ringentem quasi repræsentet, facit; cujus causa aliquando latet in cerebro, hinc apoplectici, paralytici facilè hoc morbo infestantur, quia spirituum animalium ratione acrimoniæ scorbuticæ insultu ramos tertii paris nervorum oris nec non faciei musculis insertos contrahunt, quà contractione musculi unà tracti convelluntur, ac in alterutram partem retorquentur, ac abrepta eorum propria configuratione ac deturpata. Contingere etiam potest à vulnere ac transversa dissectione nervorum musculorumque oris, malaque curatione aliorum vulnerum; sic eandem observavi ab hernia secutum.

Risus Sardonii.

Ab esu herbæ Sardoes, seu Apii risus affectus *Risus Sardonius* dictus oriri solet, eo quod herba hæc multas particulas nervis communicet spiritibus animalibus inimicas, & coagulantes acres vellicantes, imò toti generi fibroso, quòd variè convellunt. Ex contusione violenta circa regionem diaphragmatis similiter produci observatur, ob consensum fibrarum musculosarum & generis nervosi, quæ cuncta hoc modo valde convelluntur.

Fissurarum.

Fissuræ ab acribus acidis salsisq; particulis cutem dissecantibus & corrodentibus originem habent, hinc videmus tempore hyberno ab acido aeris fissuras oboriri, sic etiam sæpe ab acribus, uti tempore æstivo à calore & siccitate, item ab iisdem particulis acribus in febribus per motum ad has partes delatis, sæpe ab eadem causa in morbo Gallico alisque affectibus venenatis oriuntur ejusmodi fissuræ labiorum.

Labiorum Leporinorũ.

Labia Leporina causam, ut nativi morbi omnes, agnoscunt seminis defectum aut pravitatem, vel spiritus plastici errorem, maximè si terror aut imaginatio primo conceptus tempore accesserit, à quibus spiritus plasticus in operatione hac valdè confunditur, consternitur & ad erroneas divagationes seducitur. E quibus apparet, quod anima ex aspectu alicujus objecti conquassata & vehementer afflicta, spiritibus animalibus similem jungit imaginem, sive sit id incrassando, sive coagulando ac stagnando. Vidi in puella labium leporinum in utero matris ab aspectu alicujus labio leporino laborantis contractum. Fissura etiam illa, vel hiatus in labio præsertim superiorem, tum quoque inferiore, nonnunquam oriri potest à vulneribus malè curatis.

Ulceris.

Causa *Ulceris* Labiorum est eadem, quæ aliarum partium, quæ vel oriuntur ab humore corrosivo à sanguine & lympha aliisque succis transmisso, vel ab humore acri in ipso ulcere corrupto & nato; utplurimum verò oriuntur hæc ulcera à lue Venerea, & sunt sæpe signa luis Venereæ; si tamen alia non adsunt signa, huic soli non est omnimodò fidendum, facilè enim in glandulis labiorum ab acido vel frigido obstructio fieri potest, hinc stagnando succi acriores redduntur.

Prognosis Labiorum Tumoris.

§. 11. *Tumor* Labiorum si est à nativitate, vix curabilis est, imprimis si familiæ est solennis; si accidat in juventute, increscente ætate sæpe sponte decrevit. Si adest status lymphæ viscidus, Medicum maxime fatigat, ac sæpe optima remedia frustra adhibentur.

Tremoris.

Tremor Labiorum, uti omnium aliorum affectuum tremulorum, semper periculum involuit, eo majus, si accidat viribus debilibus, in febribus continuis malignis, sanguine & reliquis succis imprimis nerveo crassis

sis & viscidis existentibus. Periculo aliquando vacat, si enim vires sint validæ, & actiones sibi constent, spes adhuc refulget optimæ curationis, beneque sperare jubet ægrum ætas juvenilis calore vegeto adhuc pollens, spiritusque habens fortes, circulationemque humorum vegetam, porrò si morbus est recens nec inveteratus, adeoque etiam facilius dissipabilis.

Perversionis & Spasmi Cynici. *Perversio* Labiorum & *Convulsio Cynica* cum particularis sit, non tam periculosa, quam universalis, nisi phrenitidi vel febri ardenti & malignæ, vel maximo vulneri nervoso jungantur; quo in casu Hippocraticum metuendum fulmen, IV. *Aph.* 49. Perversio Labii, supercilii, oculi vel nasi in febre continua, lethalis, periculosior quoque, quæ ab evacuatione quacumque excessiva, hypercatharsi, sanguinis profusione, &c. oritur, item si cum virium & spirituum aliorumque succorum coagulatione & prostratione jungantur. Terminatur ad salutem discussa materia acri nervos vellicante, vel motu quodam spontaneo, vel medicamentorum ope, vel etiam febre superveniente, juxta *Hippocr.* IV. *Aph.* 57. quæ febris quomodo comparata esse debeat, si salutaris inde eventus sperandus, docet *Rolfinc. de affect. cap. partic. diss. XI.* qui videatur. Ad mortem vergit coagulatis omnibus succis & affectu graviore, Epilepsia vel Apoplexia superveniente, aut etiam viribus resolutis.

Risus Sardonii. *Risus Sardonius*, cum à veneno oriatur, periculo plenus est, & difficilem admittit curationem, venenum enim fibris sæpius fortissimè inhæret, ut præstantissimis etiam remediis vix expelli possit. A contusione diaphragmatis non minùs existit periculosus, comitem enim sæpius nanciscitur epilepsiam, quam ipsa mors frequentius excipit.

Fissurarum. Prognosis *Fissurarum & Labiorum Leporinorum* sic se habet, quod *Fissuræ* Labiorum in febribus ardentibus & intermittentibus bonam spem denuntiant, particulis scilicet acribus è massa sanguinea circa has partes emissis; &, si fissuræ nimium profundæ fuerint, nullumque frigus vel alia causa præcesserit, infectionem Luis Venereæ indicant.

Labiorum Leporinorum. *Labia Leporina* præter deformationem etiam suctionem in infantibus impediunt, aut difficiliorem reddunt, &, si Labia maxillæ fuerint annata, majori cum dolore & difficultate curantur, quam si ab eisdem sint libera, attamen obtinebitur tandem curatio sectione & constrictione, si à perito artifice dextrè peragatur.

Ulceris. *Ulceris* Labiorum prognosis cum aliarum partium ulcerum prognosi coincidit.

Diæta. §. 12. Præmissis his, necesse est, *Diætæ* quoque simul exactam habere rationem. In *Tremore* ergò, *Perversione*, *Spasmo Cynico & Risu Sardonio* aer sit temperatus, ad caliditatem magis inclinans & serenus; crassus, frigidus & nebulosus suffitu ex odoratis cephalicis, vel solo juniperino frutice alterandus.

Cibi quoad qualitatem sint euchymi & eupepti, non salsi nimis, acres, muriave vel acidis acrioribus conditi. Ab acidis, generi nervoso inimicis, abstinendum, qua de causa non desunt, qui omne vinum tanquam acidum, interdicunt. Existimamus tamen concedi illud posse assuetis cum moderatione & cephalicis alteratum, vel simplex salviatum, vel roremarino confectum, ad virium tantùm instaurationem, nisi aliæ circumstantiæ id dissuadeant. Similiter quoque cerevisia mediæ ætatis nervinis medicata, ex. gr. salvia, roremarino, chamæd. rad. caryophyll. helen. &c. in usum tum nutritivum, tum alterativum commendanda. Potus Theè his in affectibus cum commodo assumitur.

Somnus & Vigiliæ, Motus & Quies omnia moderata sint.

Veneri, ne ulteriùs enervetur corpus, ad tempus dentur induciæ, quia à nimia venere inspissantur omnes succi, imprimis nerveus.

Alvus ingestis quotidie, respondeat, sin minus, enemate vel jusculis lubricantibus, aut etiam pilulis aloeticis sui admoneatur officii. *Mensium* quoque & *Hæmorrhoidum* in assuetis ratio habeatur, ut justum observent ordinem, tempus, & mensuram.

Ira, Terror & Tristitia exulent, contra si ad hilaritatem componatur animus, blandis compellationibus erigatur, & omnia præscripto modo peragantur, additis simul medicamentis infrà dicendis, brevi molestæ Contractionis & Tremoris speramus optatum affore finem.

Sic in *Tumore*, *Fissuris & Ulceribus* Labiorum prædictis observatis ante omnia frigus amovendum, & causæ nonnaturales & præternaturales quæcumque, quæ aptæ sunt hos affectus producere aut fovere, abigantur, quam Diætam facilè quilibet Medicus peritus & exercitatus pro circumstantiarum ratione potest præscribere.

Curatio Pharmaceutico Chirurgica & quidem 1. secundùm Galenicos in Labiorũ Tumore. §. 15. Tradita sic Cura Diætetica, restat ut *Therapejam* quoque subjungamus, & quidem priusquam nostra aperiamus cogitata, aliorum Affectibus hisce medendi rationem præferemus, inter quos ob antiquitatem *Galenicis* primus conceditur vota sua proferendi locus. Hi verò in *Tumore* Labiorum ipsum advertunt humorem, cujus influxus vel congestio labia reddit tumentia, eumque pro diversitate sua prius correctum idoneis, ut putant, remediis evacuant, biliosum nempe cholagogis; melancholicum melanagogis; pituitosum verò phlegmagogis, omnibus ex superioribus jam cognitis: sanguinem copia peccantem ipsa venæsectione emittunt, & ne ulterior fiat humorum affluxus, eosdem revellunt frictionibus, cucurbitulis, fonticulis & setaceis: facultatem concoctricem debilem roborant, ut suo in coquendis humoribus bene fungatur officio, remediis imprimis stomachicis & cephalicis ex rad. calami aromat. acori, vulg. Ir. Florent. caryophyllat. galang. herb. hyssop. majoran. beton. salv. rut. polio, thymo & similibus, ex quibus decocta, vel pulveres, vel electuaria mediante melle parare solent, & humore vitioso jam collecto, sed ob facultatem expultricem debiliorem non satis expulso, facultatem hanc sui admonent officii, pilulis vel aloephanginis, vel assajereth, vel de fumaria pro ratione humoris evacuandi. Externè humore tenuiori bilioso in causa existente interdum repellentia adhibent, eodem verò crassiore attenuantia & resolventia, ut Unguent. Apostol. Emplastr. diachyl. parv. *Mes.* Cerat. Oesyp. *Philagrii*. Scarificationem in ipsis etiam Labiis interdum instituunt, præsertim si humores sint pertinaciores, ut in Tumore à nativitate, quem tamen plerumque incurabilem pronunciant, &, si cura nihilominus sit tentanda, eandem ab evacuatione humorum peccantium, sicque debita, ut sibi persuadente, corporis præparatione & depuratione adinchoant.

Tremore. *Tremorem* Labiorum curare intendunt roborando facultatem animalem, demptis prius causis malum hoc foventibus, unde humores acres corrigunt, imprimis remediis nervoso generi amicis, ut decocto salviæ, centaur. minor. fol. rorismar. rad. calam. aromat. & similium, copia verò simul peccantes idoneis catharticis evacuant. Ab inanitione & Venere nimia prodeuntem analepticis emendare student, ut cibis boni succi, jusculis restaurantibus, tum medicamentis etiam corroborantibus ex conserva anthos, flor. salviæ, acori, secac. electuario de hyacinth. Aur. Alexandr. Speciebus diambr. confect. liberant. diaxyloaloe, Aspalath. castor, Syr. de Stœchad. de Pœon. Vermes intestina vellicantes enecant amaris & Rhabarbaro, vel aloeticis eiiciunt. Aerem acrem vitandum præcipiunt & suffumigiis corrigendum. Ab ebrietate si ortum habeat, pedilluvia instituunt nervos corroborantia. Venenum si fuerit assumptum, præmisso vomitorio evacuante ex rad. asari, & decocto anethi, theriacam propinant vel diascordium aut mithridatium. Externè loco affecto inungunt oleum Irinum, in quo aliquid theriacæ fuerit dissolutum, vel oleum Susinum cum oleo de Castor. & unguento Martiato Nicolai.

Perversione Spamo Cynico & Risu Sardonio. *Perversionem & Spasmum Cynicum* eodem penè modo curare suscipiunt, observatis nempe causis, à quibus morbus iste producatur, hinc in febribus ardentibus intemperiem sanguinis ad convenientem reducunt statum, Julapiis humectantibus, aliquantum refrigerantibus & corroborantibus ex Aq. Endiv. ceras. nigr. flor. Til. cum Syr. viol. & rub. Id. A frigore verò natales

les si habeat corpus ab eodem præmuniunt, ab aere acriori cavere jubent, & intus confortantia exhibent ex decocto beton. salv. hyssop. pol. chamæpit. flor. Stœchad. anthos, in quo dissolvuntur elect. diacor. diacastor. & Syr. de stœchad. In *Risu Sardonio* Theriacam præ aliis exhibent & Mithridatium. Externè fotum adhibent cum linteis in decocto rad. Ir. malv. narciss. Cyper. calam arom. sem. lin. aneth. &c. humectatis & calidiusculè admotis, posthæc illinitionem instituunt oleo castor. laurino, crocino & rutaceo.

Fissura.

Fissuram Labiorum curare tentant linimentis vel unguentis emollientibus, quibus cutis à siccitate nimis tensa reddatur laxior, & unitas soluta resarciatur, qualia parantur ex oleo amygd. dulc. nucum, olivar. sevo hircino, axung. caponis, gallin. mucilag. sem. cydon. phyll. In profundioribus unguentum adhibent de cerussa vel lithargyrio, & vaporum acrium ulteriorem productionem impediunt remediis sanguinis æstum sedantibus, ubi nec venæsectionem interdum omittunt.

Labiis Leporinis.

Labia Leporina ad convenientem formam reducunt uniendo labia divisa, & ut eo facilius hoc præstari possit, separando prius cutem utroque in latere rimæ, ut caro denudata sibi invicem adducta absque ullo impedimento concrescat, ob quam causam acu trajecta partes divisas adducunt, & filo per tempus aliquod servant unitas, donec superimposito emplastro planè concrescant.

Ulceribus.

Ulcera Labiorum evacuatis prius humoribus peccantibus curare solent remediis acrimoniam corrigentibus, & mitigantibus, quapropter ulcera abluunt decocto aristoloch. agrimon. & absinthii, cum parte quadam aluminis, in quo mel rosatum dissolvunt, hinc linimentum ex lithargyrio inungunt, & unguento Apostolorum vel emplastro griseo ad plenariam consolidationem perducunt.

Paracelsi cura in Labiorum Tumore:

§. 14 *Paracelsus* ad curationem *Tumoris* Labiorum, sive Alcolæ commodè obtinendam, ductus venarum atque meatus per transversum præcipit deflectendos secundùm regionem, postmodum verò Tumorem sequenti inungi vult unguento, ne frustraneè curetur.

℞. *Realgar. pp.*
Succ. chelidon. q. s.
Formetur Unguentum.

Tremore, Perversione & Spasmo Cynico.

In *Tremore*, *Perversione & Spasmo Cynico* ad sal mercuriale eliciendum sudorem provocandum esse retur quocumque id fieri possit modo ac tempore exhibita ægro vel theriaca, vel mithridatio, post hunc verò locum affectum sequenti inungi vult unguento, ad quemcumque tremorem & spasmum convenientissimo.

℞. *Pingued. excoctæ ex vulpe* ℔ ß.
Castor. destill. ℥ ii ß.
Terebinth. destill. cum pipere, cantaridibus & baccis lauri aa. ℥ ij. ʒ vj.
M. ad ignem, & F. Unguentum.

Fissuris.

Fissuræ ut ritè curentur, eo in opere sedulum esse vult Chirurgum, quo sal illud corrumpens extrinsecus auferatur, quod sale urinæ optimè fieri posse promittit, adhibito postmodum emplastro de lithargyrio, ut ad pristinam consolidationem debitè reducantur.

Labiis Leporinis.

Labia Leporina non per suturam, sed emplastra & pulveres glutinatorios secundùm Auctorem hunc curantur, detracta priùs cute, ut labii partes divisæ aptè queant conjungi.

Ulceribus

Ulcera Labiorum curari asserit, si sal ille exterior erodens similiter extrinsecus auferatur sale metallorum & aqua bituminis invicem mixtis, quo remedio ulcus aliquoties in die abluendum, & more postmodum vulgato emplastro oppodeldoch, vel alio convenienti claudendum.

Helmontiana methodus curandi Labiorum Tumorem.

§. 15. *Helmontius* curationem *Tumoris* Labiorum instituit aliorsum revocando laticem, ne Labia ulterius extendat, & magnitudinem eorum adaugeat, quod mercurio sudorifero intus exhibito facilè præstari posse asseverat: externè verò cataplasma quoddam ex farina fabarum haud inconveniens habetur.

Tremorem.

In *Tremore* Labiorum ad motum musculorum tumultuosum sedandum & Archeum corroborandum, ut ab acido peregrino se facilè liberet, & ab omni insultu violentiori abstineat, vix ullum præstantius novit auxilium, quam opiatum aliquod intus assumptum, & axungiam humanam foris illitam, quam itidem in *Perversione & Spasmo Cynico* singulariter commendat.

Fissuras.

In *Fissuris* Labiorum levioribus cremorem lactis aut sevum hædinum sufficere putat, in profundioribus verò linimentum de Thutia aut cerussa in usum ducit. *Labiorum Leporinorum* curam peculiarem non novit, sed aliorum modo & operationi acquiescit.

Ulcera.

In *Ulceribus* etiam Labiorum colcothar à sale suo noxio liberatum commode adhiberi posse censet, adeoque vel vino, in quo maceratum sit colcothar, ulcera illa abluenda, vel mediante oleo lini in unguentum redactum iisdem adhibendum. Conferre quoque hisce ulceribus existimat balsamum arsenici fuliginis, seu Realgar fixum per nitrum, & cum repetito spiritu vini in sulphur adstringens edulcoratum sive mitigatum, quod pluribus ulceribus salutare existit.

Willisiana Curatio Labiorum Tumoris.

§. 16. *Willisii* juxta fundamenta in *Tumore* Labiorum viscositas laticis est corrigenda attenuantibus & sudoriferis, decoctis videlicet lignorum cum rad. lapath. caryophyllat. herb. card. bened. salv. flor. sambuc. C. C. & similibus nimia etiam abundantia pilulis vel aliis medicamentorum formulis ex Jalappa est imminuenda. Externè fotu ex decocto bacc. Junip. flor. Chamomill. sambuc. herb. agrimon. & majoran. addita parte quadam spiritus vini camphorat. tumor est discutiendus, qui tamen in utero contractus vix ullam æstimatur admittere curationem.

Tremoris, Perversionis Spasmi Cynici, & Risus Sardonii.

In *Tremore*, *Perversione*, *Spasmo Cynico & Risu Sardonio* spiritus animales à copula heterogenea priùs liberati ad motum ordinarium sunt reducendi & fibris musculorum debitus tonus est reconciliandus, quod fit vomitorio quodam vel carthartico convenienti materiam venenatam eiiciendo, hinc instituendo sudorem, & postea specifica contra motum convulsivum exhibendo, qualia sunt lap. bezoar, Cranium humanum, sal. corallor. Spir. C. C. sanguinis hum. Decoctum Serpentar. virginian. & pœon. Externè locus tremens aut convulsus linimento ex ol. nucistæ, Capivii, castor. succin. rut. & sim. est inungendus.

Fissurarum.

Ad *Fissuram* commendantur mucilagines & unguentum pomarum, nec non butyrum recens insulsum. Si sint paulo majores, sequens unguentum probati existimatur usus.

℞. *Litharg.*
Thur.
Zinzib. alb. aa. ʒ j.
Ceræ,
Mellis aa. q. s. ut
Fiat Unguentum.

Labiorum Leporinorũ. Ulcerum.

Labia Leporina manuali operationi committuntur, quæ inferius pluribus communicabitur.

Ulcera aqua Nicotian. & melle rosato probè mundantur, hinc emplastro diapalmæ vel griseo ad integram deducuntur sanitatem, non omissis aliquando remediis internis laticem serosum acriorem corrigentibus.

Sylviana Cura in Labiorum Tumore.

§. 17. *Sylvius* ad *Tumorem* Labiorum potissimum ab humorum effusione productum auferendum denuò sua commendant remedia hydragoga & diaphoretica, quo evacuatis humoribus peccantibus etiam tumor ille disppareat.

Tremore.

Ad *Tremorem* tollendum flatus & halitus sunt discutiendi, & spiritus animales ab iisdem liberandi, medicamentis subtilissimis, volatilibus & spirituosis, ut spiritu Vitrioli salis Armoniaci, essent. castorei aliisque quo peracto iidem spiritus ad motum placidum & ordi-

ordinatum reducendi sunt anodynis & narcoticis, quantitate minori & vicibus partitis adhibitis, mixtis etiam prioribus, ut opus utrumque eò absolvant felicius.

Perversione & Spasmo Cynico. In *Perversione & Spasmo Cynico* humores & halitus acidi acres corrigendi sunt medicamentis sale volatili lixivioso atque oleo præditis, quo spirituum impetus sedetur, iique liberius ad quamvis Labiorum partem movendam per musculos influant, interné quidem sudoriferis penetrantibus, ut essentia valerianæ, aqua hirundinum, Spiritu salis Armoniaci succinati; externè verò axungia humana vel anguillæ, & fotu herbarum & seminum calefacientium, id est, multo sale volatili præditorum ex majorana, roremarino, mentha, lil. convall. lavend. sem. cumini, fœniculi.

Fissuris. *Fissura* tollitur remediis vel acidos halitus acres mitigantibus, ut linimento de cerussa, creta & similibus, vel cutem à siccitate rigidam emollientibus, unguento pomato, axungia caponis, mucilagine tragacanthæ, & id genus aliis remediis.

Labiis Leporinis. *Labia Leporina* arte curari vult Chirurgica cordata, liberando eadem nunc plus, nunc minus à partibus subjacentibus, quo adduci queant & conjungi labia hiulca, deinde excoriando partes labiorum uniendas, mox adducendo ad se invicem dictas partes, hinc continendo easdem contiguas denique conglutinando ipsas simul & una cum partibus subjectis. Separatio cruenta labiorum à partibus subjacentibus aliquando tanta instituenda est, ut tota maxilla superior carne sua & labiis denudetur, excoriatio facienda scalpello in labiorum lateribus p. n. hiantibus, & partes uniendæ ad invicem adducendæ emplastris tenacissimis ex terebinthina, mastiche, sanguine draconis, thure aliisque paratis, & labiis prius applicatis, ipsisque arctè adhærentibus, in extremis per fila fortia munitis, quorum scilicet ope ex parte digitis verò potissimum adducuntur & uniuntur; in contiguitate post hæc artificiali retinentur nodis in filis istis emplastrorum factis, & tandem conglutinantur balsamis, inter quos reliquis præstantior judicatur Peruvianus. Per vulnus transversim hiantia minori censentur opus habere artificio, in iisque sufficere labiorum per emplastra modò relata adductionem, illique subnexam consolidationem.

Ulceribus. *Ulcera* curanda præcipit acrimoniam acidam in illis obtundendo, posthæc eadem à puris sordibus mundando, & denique eadem consolidando & cicatrisando, ubi in mundificatione præ aliis convenire censetur mel rosatum, addito nonnunquam spir. Vitrioli, ad aliquot guttas, non ad acidum acre obtundendum, sed ut ulcera à puris viscositate mundentur, quem in finem acida conducere existimat & quidem non pura, sed mellitis & saccharatis addita, nec non in parva quantitate, cum aliàs aut pura aut quantitate notabili usurpata, non tantùm dolores producerent intolerabiles, verùm ipsa insuper ulcera profundiora adeoque pejora efficerent.

Cartesianorum ratio curandi Labiorum Tumorem. §. 18. Ad *Cartesianorum* mentem *Tumoris* Labiorum in utero contracti ipsis in infantulis, quamvis difficilem fore agnoscant, tentandam tamen aliquando curam suadent remediis fibras comprimentibus, & tubulos musculorum angustantibus, ne succum nutritium tanta ulterius admittant copia, quod fieri potest fotu ex decocto nucum cupressi, gallar. cydonior. fol. pyror. flor. balaust. sem. myrtill. cum pauco alumine in vino rubeo, vel linimento ex albumine ovor. creta, borrace & camphora. Reliquos Tumores unoquoque tempore quibusdam obvenientes imminuere solent remediis particulas spissiores resolventibus, attenuantibus & succum nutrientem subtiliorem reddentibus, ut spirituosis & volatilibus, ipsisque diaphoreticis sale C. C. volatili, essent. ligni sassafr. chamædr. aliisque, quibus simul pori dilatantur, ut partes inconvenientiores attenuatæ & commotæ per eosdem eliminentur, quod & medicaminibus foris adhibitis præstari potest, præprimis fermento quodam extrinsecus poris cutaneis illato, aut fibris morsu & punctura quadam læsis & irritatis, qua in re Tinctura croci cū spiritu theriacali, rutaceo & cāphorato tepidè labiis adhibita opem singularem præstitura planè confidunt.

Tremorem. *Tremorem* Labiorum abigere solent spiritibus, seu liquori nerveo motum ordinarium & consuetum in tubulos musculorum reconciliando ipsis remediis spirituosis, fibras simul irritatas blandè demulcentibus, qualia sunt Tinctura succini, castorei, essentia cranii humani, spiritus C. alc. lavend. salv. vini camphorat. aqua hirund. picar. lunar. lil. convall. Parti elaboranti foris adhibent penetrantia spasmodica, qua virtute sequens præstat linimentum.

℞. *Sev. hircin.* ℥ j.
Axung. castor. ʒ ß.
Ciner. picar.
Cran. corvor. cum cerebr. ust. aa. ℈ j.
Ol. d. lavendul.
Nigell. aa. gt. vj.
Petr. ℈ ß.
Sem. pœon. express. q. s.
M. F. Linimentum.

Defectus spirituum in senibus, generosioribus remediis ambratis & volatilibus restituitur, maximè sequenti mixtura.

℞. *Aq. salv.* ℥ vj.
Lil. conval. spirituos. ℥ iij.
Elixir. vit. Matthiol. ℥ ij.
Essent. ambr. ʒ i ß.
Spir. ros. ℈ j.
Lavend. ℈ ß.
Salis volat. viperar. gr. iv.
Syr. flor. Paralys. ℥ ij.
de cinam. aut
Flor. arant. ℥ j.
M. D. cochleatim.

Labiorum Perversionem, Spasmum Cynicum, & Risum Sardonium. Iisdem penè remediis Labiorum *Perversionem & Spasmum Cynicum* curare suscipiunt, quum tubulos optimè permeent, spiritusque incarceratos ad liberiorem transitum reducant, valvulis insimul situm convenientem reconcilient, quod interne Spiritus salis Armoniaci succinat. cum aqua hirundinum compos. exhibitus, externè verò balsamus spasmat. vel nervinus, vel antedictum linimentum egregiè perficiunt. *Risum Sardonium* Spiritu imprimis theriacali camphorato, & essent. diascord. tū intus, tū foris adhibitis emendare aggrediuntur.

Fissuras. *Fissuris* Labiorum prius vel spiritu vini, in quo fol. malv. & flor. sambuci per horam unam aut alteram macerata fuerint, vel decocto flor. chamomill. in lacte ablutis, illinunt mucilaginosa & blandiora ramosa, particulas acutas inviscantia & hebetantia, unguentum nempe de aquilegia, linimentum ex butyro recenti insulso, cum creta & camphora, vel si paulum sunt profundiores, unguento aureo, quo brevi curari promittunt etiamsi plures iisdem junctæ fuerint Pustulæ & Asperitates.

Labia Leporina. In curatione *Labiorum Leporinorum* ritè peragenda cum *Sylvio* Nobisque unanimiter conveniunt.

Ulcera. In *Ulceribus* Labiorum, præmissis diaphoreticis succos impuriores in sanguine corrigentibus, & tubulos obstructos reserantibus ex decocto lignorum & Tinctura Antimonii Tartarisata, forinsecus adhibent remedia acidum noxium vel absorbētia ex Saturno, thutia, aliisque, vel mitigantia & hebetantia, ut Spiritum vini camphoratum, in quo sal Saturni fuit dissolutum, hinc fibras læsas demulcent & ita disponunt, ut blandiore succo nutriente per tubulos easdem alluente denuò connectātur, soluta uniantur, & fovea particularum apta congerie repleatur, sicque ulcus omnimodè consolidetur, quod præstant ipso unguento aureo vel citrino, vel emplastro diachylo, aut, quod reliquis præstare censent, emplastro Manus Dei dicto, hæc aliaque ulcera optimè persanante.

Nostra methodus curandi Labiorum Tumorem. §. 19. Jam demum & *nostram* de curandis hisce Labiorum morbis liberè proferamus sententiam, secuturi in omnibus veluti regulam Lesbiam usitatam methodum medendi non veterum, sed nostram, novis & veris hypothesibus superstructuram. Materias præsidiorum Chi-

Chirurgicus & Pharmaceuticus fons abunde suggerit, *Tumor* proinde Labiorum si sit à mala conformatione & à nativitate, difficilem admodùm admittit curam, quamvis *Borellus Observ. Med. Phys. cent. 4. observ. 47.* statuat, labia magna in quodam pristinum habitum acquisivisse, sola aquæ cum linteis frigidæ admotione, confer etiam *Severinum de efficac. med. pyrotechn. Chirurg. lib. 2. p. 1. cap. 51.* de Labiorum eversa carnulentia & dependentia. Ab humore verò in Labiis collecto, vel lapsu, ictu, dolore, inflammatione, &c. humores in labia affluere facientibus, si sit productus, varia conveniunt deobstruentia, antiscorbutica, chalybeata aliaque serum acre corrigentia; si verò serum nimis abundet, id blandioribus purgantibus educendum, pulvere scilicet Jalap. Mercurio dulci cambinato, vel in delicatulis & pueris paretur decoctum ex fol. senn. flor. genist. serpill. sale tartari & sem. dauci Cret. ut ita massa sanguinea à sero superfluo, vel ipsa vasa lymphatica ichore suo seroso depleantur. In facilè vomentibus & signis ruminantibus vomitoria blandiora ex Tartaro emetico etiam cum cerevisia exhibita, magnum sæpe afferunt emolumentum, præsertim si vitium in primis viis correctum fuerit aqua beton. beccabung. & oxysaccharo. Dein ἀσυμμετρία & per hanc productæ peregrinæ qualitates in acidum exaltatæ salibus volatilibus corrigantur. Sic etiam conducet sequens vel simile destillatum per tempus usurpandum ad humiditatem nimiam consumendam, & sanguinis & lymphæ salsedinem corrigendam, partesque affectas ab obstructione liberandas.

℞. *Rad. Sarsæparill.* ℥ vj.
Chin.
Scorzon.
Cappar. aa. ℥ j.
Rasur. lign. bux. ℥ ß.
Fol. lauri M. ij.
Herb. ceterach.
Rut. murar.
Epithym. aa. M. i ß.
Summit. serpill.
Flor. scabios. aa. p. iij.
El. diascord. ℥ ij.
Cum aq. scabios. vin. & succ. beccabung. F. l. a. Destillatum ex organo vitreo.

Interponantur varia Martialia, aperitiva salina, ut Spiritus aperit. *Mœbii*, Essent. hypochondr. item conducunt omnia amara diu usurpata, ut Elix. antifebr. *Myns.* Optima Martialia sunt acidulæ, præsertim si malum ortum suum habeat ex primis viis, quæ acidulæ non tantum ope vitrioli Martis viscerum æstum placant, & obstructiones quascumque reserant, sed & serosum laticem superfluum per urinam & sudorem evacuant, absque ulla læsione ventriculi, quam sæpe acidulis utentes timent, modò non nimia sumuntur copia, vel harum loco Tinct. Vitrioli Martis usurpanda, vel acidulæ artificiales.

In scorbutico charactere varia antiscorbutica conducunt, in quem finem proderit cura asinini vel caprini, vel etiam vaccini, cum Theè usurpati, interposita aqua antiscorbutica à Celeberrimo *BonteKoe* amico nostro, dum viveret, intimo, in tractatu suo Bellico idiomate scripto. Sudorifera remedia aliquoties repetita hic sæpe omnem absolvunt paginam, aperiendo poros & liquorem contentum ita rarefaciendo, ut per aperta ista foramina facilè exhalet, quæ proinde ipsa venæsectione, quibuscunque cucurbitulis, tum siccis, tum scarificatis, longum anteponimus. Habent itaque juniores sibi commendatam sequentem mixturam diaphoreticam.

℞. *Aq. rorismar.*
Flor. sambuc. aa. ℥ iij.
Spir. lumbric. ℥ i ß.
Essent. viperin. ℥ ß.
Syr. diascord. simpl.
de scabios. aa. ℥ ij.
M.

Propinetur una vice: nec negligantur diuretica varia Salina, quæ sæpe serum abundans per vias urinarias educunt.

Externè varia applicentur exsiccantia & deobstruentia, illinatur Tumor Spiritibus volatilibus, ut aqua Regin. Hung. essent. viperin. maritata, instituatur fotus & fumus ex resolventibus.

Tremorem. In curatione *Tremoris* Labiorum ritè præstanda Chirurgica inter præsidia merito in prima acie collocamus vesicatoria brachiis vel nuchæ apponenda, ubi tamen frictiones etiam conveniunt, dropaces & sinapismi ad materiam tubulis infixam & nervis illapsam rarefaciendam & evacuandam, in quem finem nobis magis placent blanda paregorica & resolventia nervina ex fonte pharmaceutico desumenda. Affectus hic si ab inopia & coagulatione existat spirituum, uti sæpe in moribundis observamus, tunc varia spirituosa infundantur atque volatilia, & quidem cephalica, quæ diximus in Encyclopædia Medica capite de Paralysi, non enim aliter curandus venit hic affectus, quam paralysis. Sin affectus est à coagulato chylo vel aliorum succorum, tum & eò cura dirigenda, & semper ad causas obvertenda est, nempe si sit à vomitu, vomitus sistendus, si ex inopia spirituum, illi spirituosis recreandi sunt.

Externè varia topica ad spiritus animales coagulatos resolvendos applicentur, in quem finem conducunt Aq. Apoplect. *Lang.* Regin. Hung. spirituosa item castorina ac volatilia, de quibus alibi.

Perversionem. In *Perversione* Labiorum, 1. spirituum ac humorum in labia influxus tardior ac spasmodicus irregularis promovendus & demulcendus est; 2. Spiritus summa ἀτονία ac dyscrasia laborantes confortandi ac corroborandi sunt; 3. Lymphæ στάσις ac vappescentia impedienda ac copiosa eliminanda. Spirituum verò atque humorum tardiorem influxum ac motum promovere debemus, *Zecch. in consult. pag.* 851. Clysteres quoque ex variis herbis nervinis emollientibus ac stimulantibus parati applicari possunt, singulari enim vi pollent partes inferiores tanquam fotu fovendi, & sic succos viscidos resolvendi, ut inibi sese liberent ab irritantibus peregrinis humoribus; & hinc clysteres in omnibus motibus convulsivis ac affectibus capitis sunt convenientissimi. Præ aliis commendo diaphoretica.

Ut materia ex alto ad superficiem alliciatur, sed & humores corrigantur, vesicatoria, aliis incassum adhibitis tentari possunt, sicuti quoque non incommodum foret, in recidivæ metu fonticulum in brachio excitare. Frictiones, dropaces & sinapismi etiam adhibentur à pluribus.

Adhuc anomalum & tardiorem spirituum & humorum in partes musculosas Labiorum influxum blandè demulcent ac detinent medicamenta sulphure anodyno delibuta, blandisque particulis paregoricis & suavi ἀναθυμιάσει gaudentia, verb. gr. Laud. opiat. *Langelot.* Theriac. cœlest. n. d. item Essent. anodyna ex Laud. opiat. p. iij. bals. apoplect. p. j. cum Spiritu vini Tartarisato, acuato prius cum Spiritu sal. nitri dulci, parata. Spectant quoque huc ex vegetabilibus aqua tilliæ, ol. destill. buxi, famosum Heraclinum aq. Regin. Hungar. in omnibus convulsivis morbis internè & externè remedium euporiston.

Porrò spiritus dyscrasia, imprimis crassitie insigni laborantes resolvunt ac nervos consolantur medicamenta sale volatili blando sulphureo pollentia, quæ spiritibus convenientem schesin ac crasin seu motum inducunt, ipsisque maximè amica existunt; laudem hic merentur Spir. salis Armoniaci urinosus, cum aq. Apoplect. vel lil convall. spirituosa mixtus, ac externe applicatus, item spiritus nervin. volat. ex succin. castor. croc. bals. Peruv. cum Spir. vin. addita s. q. salis tartari & salis Armoniaci destillatus, item Essentia castor. cum Spiritu cephal. & hoc nervino penetratissimo parata, aliaque epileptica & cephalica jam alibi ad nauseam dicta remedia, ut sunt cinnabarina, volatilia, urinosa & sulphurea, pulv. spasm.

Visceribus quoque mineram mali foventibus prospiciendum, infarctus eorum tollendo, motum restituendo & dyscrasiam M. S. corrigendo, quod optimè præstabunt acidulæ, Martialia & aperitiva, vulgo splenetica dicta, aliaque absorbentia.

Tan-

Tandem lympham stagnantem ac vappescentem acido charagmate notatam in ordinem redigunt, corrigunt ac noxium evacuant salivantia, quæ specificè spiritus animales movendo lympham movent, ob hanc causam divinas medentibus porrigunt manus in desperatis quibusdam morbis à lympha spirituosa stagnante incunabula agnoscentibus. Omnem hic superant laudem Mercurius dulc. Lunæ astro imprimis exaltatus, item Mercurius cum Sole & Luna amalgamatus, & igne fortiter per diem administrato, in pulverem rubicundum, egregiè lympham moventem, qui vera panacæa *de la Vigne*, Medici Regis Parisiensis existit, redactus, cujus dosis est à gr. 2. ad 3. Nec inferioris energiæ quoque est amalgama Mercurii, Sole bene per lotionem à scoriis nigricantibus depurato, & frequentiori aquæ abstractione in pulverem rubicundum fixatum.

Si verò ab inanitione, seu nimia acrimonia, seu evacuationibus immodicis inductus fuerit *Spasmus Cynicus*, conveniunt medicamenta & diæta analeptica atque humectans. Laudantur hunc in finem Tinctura corallor. Confect. Alkerm. analept. *Rolfinc.* Spiritus cordiai. balsamicus, bals. nervin. m. d. & alia.

Si malignitas, h. e. nimia viscositas acris sanguinis &, reliquorum succorum ad motum ineptorum conjuncta est in *Risu* imprimis *Sardonio*, maritanda cum cephalicis antedictis Bezoardica, Tinctura vel Pulv. Bezoard. Essent. viperar. theriac. Convulsiones enim epidemicæ & malignæ bezoardicis potissimum mitigantur.

Si scorbutica sanguinis depravatio adsit, antiscorbuticis agendum. Si à vulnere aut punctura producatur, iis prospiciendum.

Sequens balsamum externè hoc in casu mira præstat, & incantamenti instar spasmodicos motus sistit: ℞. Ol Hyoscyam. expr. & destill. q v. quod cum ol. N. M. ol. castor. Zibeth. bals. Peruv. addito momento cinnabar. nativ. & gutt. ol. rutæ, salv. rorismar. M. F. Balsamum, quo illinantur Labia convulsa. Celebre quoque est linimentum *Penoti*, quod tale est:

℞. *Ol. terebinth.* ℥ß.
Caryophyllat. gt. vj.
Mucilag. bryon. q. s. ad consistentiam Linimenti.

Inunge locum affectum cum insertione & origine nervorum. Misceri quoque possunt olea succin. Junip. Lavend. anthos, angelic. cum aq. apoplect. Regin. Hung vel Anhalt. & tantillo Spir. salis Armoniaci pro balsamo liquido nervino externo penetrantissimo, quæ sale suo volatili, quo prædita sunt, penetrant, & stagnantes succos ad motum incitant. Speciatim ol. lavendulæ specificum est in convulsionibus nervorum à vulnere & punctura, tam internè, quam externè. Ante inunctionem balneum vaporosum ex decocto lavendul. salv. rorismar. origan. &c. lapidibus ignitis affuso ad porulos & tubulos laxandos, & levem sudorem proliciendum conducet. Post balneum verò & inunctionem, partem convulsam studiosè à frigore præmuniendam monet *Septalius*. Hinc *Riverius* pelle arietis adhuc calente partes convulsas ab inunctione tegit. Nobis sacculi cephalici referri calefacti impositi placent. Nec incongruum forte foret Theriacam vel Elect. Orvietanum tantillo Spir. lavendulæ vel Juniperin. subactum alutæ inducum applicare. Si dolor urgeat, fotus ex anodynis & paregoricis instituendus. Inter emplastra excellunt diaphoreticum *Myns.* nervinum, de galbano; inter olea succinum & lavendulæ. In contumaciori malo ad thermas sulphureas mittendi sunt ægri.

[...]suras. Ad *Fissuras*, *Rimas*, *Rhagades* in Labiis vel à frigore, calore, siccitate, particulis acribus & salsis contractas curandas conveniunt varia serum corrigentia & educentia, & malo diuturno purgetur nodulo serum salsum educente, vel detur pulvis Gialappæ cum Mercurio dulci, item pro re nata dentur varia antiscorbutica serum id salsum corrigentia. Si malum est à lue Venerea, hæc prius curetur; si à febribus, ad eas cura dirigenda est.

Externè conveniunt varia blanda demulcentia, ut sunt mucilagines sem. cydon. psyll. quibus addi potest saccharum Saturni, parum camphoræ & Mercur. dulc. præsertim si quid luis Gallicæ subest. Illinantur Labia Unguento de sevo hircino *Myns.* quod excellens, vel imponatur emplastrum de carne bubula ejusdem, vel illinatur tantum exungia anseris. Rarò Medicus vel Chirurgus hisce in casibus consulitur, quia vulgus utitur pomato vel alio simili unguento, de lithargyrio sc. vel de cerussa cum camphora. Si à frigore malum fuerit contractum, omnia quæ de Pernionibus habemus, conducunt, ut acidum aëris infringatur. In Fissuris Labiorum quibuscumque optimum remedium est, quod paratur ex oleo amygd. dulc. cera & mastich. vel ex litharg. myrrh. & zinzib. aa. p. æq. cum melle & oleo olivarum: sequens unguentum in fissuris labiorum est optimum.

℞. *Ol. olivar. vel papav.* ℥ vj.
Ceræ alb. ℥ iß.
Ceruss. Antomonii ℥ xv.
M. Vel unguentum nostrum rubr.

Fissuræ quoque sæpe saliva propria illinantur. Laudatur ab omnibus pinguedo ex cochlearibus ligneis exstillans; vel serum Cervinum. vel oleum ovorum sufficit.

Labia Leporina. In *Labiis Leporinis* curatio non est alia, quam Chirurgica, licet *Casp. Nosocom. Infantil. cap* 19. ad Labia Leporina infantum statim secundo die post partum imponere jubeat ter in die cum linteis sequens unguentum.

℞. *Ol. oliv.*
Pic. commun.
Pingued. canis,
Taxi aa. ℥ j.
Liquefiant ad ignem, dissolv. in iis
Mastich.
Oliban.
Galban. aa. ℥ i ß.
F. l. a. Unguentum.

Sic & *Sylvii* mentem esse jam percepimus, ut Labium Leporinum absque acubus sanetur, sola ope emplastrorum, atque Chirurgorum in Batavia nonnullos hoc pacto sanasse meminit *D. Muys Prax. Rational. p. m.* 313. Accedendum tamen aliquando est ad ipsam operationem Chirurgicam, modò vires & ætas permiserint, Chirurgia enim in Senioribus & cachecticis subjectis, v. g. Scorbuticis, vel in quibus ulcera non facilè coalescunt, eò quod inter reliqua corporis membra labia quoque cancrum facilius admittant & conceptum difficilius dimittant; in junioribus vero corporibus & infantibus felicior hujus operationis successus est, præprimis lactantibus, quamvis *Guileaume p.* 415. contrarium asserat, testatur nihilominus *Ronhysen. P. 2. Observ.* Petrum Roliesse aliquando in persona 28. ann. labium leporinum felicissimè sanasse: & si in infante hæc operatio fiat, inutilis erit cautela *Dn. Ronhysen*, ut is per 10. vel 12. horas vigilarit, quo post operationem felicius somnum capiat, & diutiùs quiescat, quia inde & faciliùs alia incommoda oboriri possunt. Hiatus, præsertim in osse, non sit nimis magnus, & auferri callositas maxillæque prominentia, si adsit, possit; hic caput laborantis, si infans fuerit, viri alicujus femori impositi & involucris debitè, ne manus fovere queat, ligari, ab alio à tergo adstante convenienter detinetur, mox cultello incisorio labium utrinque à maxillæ osse celeri manu separatur, hinc forfice acuta extremitates labii callosæ auferuntur, imò forcipe simili particulæ maxillæ protuberantes. Hoc facto ab eo, qui caput tenet, labium utrimque quoad hiatum coarctatur, quod dum fit, Chirurgus acus tres tricuspides, posteriùs globo insigni præditas ordine, primò superiorem, tum mediam, inferiorem ultimò per utriusque lateris extrema hiante in spatio certo traiicit, filo sericeo rubro, quo omnes instructæ sint, cruciatim ea constringendo, curiosè ad debitam & decentem figuram respiciendo, unde in principio conveniens est, spongia vino tepido humefacta locum affectum mundare. Sericeum filum acubus circumductum balsamo vulnerario vel Capaiva calefacto

facto madefiat, imo emplastrum eodem humefactum cum alio ficciore imponatur, quæ ut firmius retineantur, & consuetæ ipsæ partes non facilè iterùm separentur, linteum forte extremo utroque emplastro validè adhærere valente inunctum, adeoque utrique malæ agglutinatum apponatur, & ligamentis aliis ritè omnia conserventur, benè observando, nec nares claudantur, & hinc respiratio inhibeatur. Sequentibus diebus 1. 2. & 5. pro re nata filiorum dictorum aliqua portio indies aufertur, imò acus media tertio die in totum ferè auferri potest, semper extremitates acus forcipe simul demendo, superior quarto, ultima quinto, nisi vagitus infantis impediat. Semper Chirurgus operationem hanc instituturus aqua cordiali Vol. carbunculi instructus esse debet, ad lipothymiam auferendam, in quam sæpe incidunt ægroti, & dum deligatio fit manu ministri, buccæ anteriora versus assiduò premi debent, ne solutio nova oriatur, omnia hæc testante D. *Blasio*. Confer *Hieron. Fabricium tract. de operat. Chirurg. pag.* 30. quomodo Labia curta resarciantur, item *Severinum lib.* 1. *de Efficac. Medicin. Chirurg. p.* 2. *de Sectionib. cap* 125. *de Scissura Labiorum Leporinorum, &c.* item vide operationem hanc p. 71. *Microtechn. Horni*. In infantibus semestribus operatio hæc Chirurgica plerumque exercetur nam juniores si sint, carnem adeò mollem habent, ut illa minima de causa laceretur ab acubus inhærentibus, ac in ætate magis matura labii fissi extremitates tam promptè non coalescunt, ut optimè monet *Cl. Muys Chir. Rational. p.* 517. In eo etiam totius curæ cardo vertitur ut utraque labii fissi extremitas sufficienter excorietur, ac uniatur, unitaque servetur tribus acubus argenteis, vel melius chalybeis, quæ non facile tanguntur rubigine, circum quas fila duci debent, ut acus in situ suo retineantur & cuspes acuum instrumento idoneo abscindantur ne noxam inferant. Ipsæ acus in diem quintum tantùm relinquantur.

Ulcera. *Ulcerum* Labiorum curatio ab aliarum partium ulcerum ratione nihil differt, si malum est ex ipso ulcere, tum interne neque purgantia, neque stomachica quid prosunt. Si verò ab aliis humoribus acribus stagnantibus, conveniunt absorbentia, quibus semper addatur aliquid Mercurii dulc. ad gr. v. præstant tamen sudorifera, imprimis Antimoniata & Mercuriata, quæ præ aliis medicamentis hic maximè conveniunt.

Inter topica magnifacimus emplastrum Saturni cum croco Martis impositum, unguentum diapompholi de liquirit. &c. Fonticuli in serosæ colluviei abundantia quandoque conceduntur. Sequens mixtura in puero Labiorum Ulceribus scorbuticis cum multis crustis divexato, post interna sanguinem depurantia à visciditatibus acribus, ventriculum & intestina roborantia, & antiscorbutica, singularem præstitit opem qua labia ulcerosa & crustata aliquoties in die fuerunt illita, & bene mundata.

℞. *Fol. salv.*
Veron.
Aquileg. aa. M. ß.
Rasur. lign. Guajac. ℥ ij.
In s. q. aq. simpl. F. Decoctum, cujus
Colatur. ℥ iij. *add.*
Tinctur. salut. ʒ ij.
Terr. Vitrioli dulc. ʒ ij.
Spir. Sal. gt. vj.
Syr. de tormentill.
Scabios. aa. ℥ j.
M. Illinatur pluma
Vel
℞. *Tinct. as. fœtid.*
Myrrh.
Benzoin. aa. ʒ ij.
Camphor. ℈ j.
Ol. ovor. ʒ j.
Sabin. ℈ ß.
Elix. vit. ʒ iij.
Abluatur exulceratio: dein utere sequenti,
℞. *Ungu. Basil.* ℥ ß.
Tinct. benzoes,
Myrrh.
Styrac. liquid.
Sperm. ceti aa. ʒ ß.
Ocul. cancror. pulv. ʒ j.
Bals. Peruv. ℈ ij.
Camph. ℈ ß.
Elix. vitæ ʒ i ß.
M.

Moneo enim hic Chirurgos, ne ulcera ista contumacia leviter curent, cum magna acrimonia sæpe adsit, & cancrosa qualitas, quæ ab unctuosis & emplasticis exasperatur, abstergentibus autem, exsiccantibus & absorbentibus cinnabarinis, aliisque volatilibus & Antimoniatis convenientissimè corrigitur. Naso exutos, labiisque & facie exesos esse ab ejusmodi tonsorum perverso curandi modo manifestum est, teste celeb. Curiosorum Præside, doct. *Tractatu de Scorzoner. p.* 87.

CAPUT XX.

DE FACIEI MORBIS,

Gutta Rosacea cum & sine pustulis, Inflammatione, ejusque scilicet Phlogosi, Varis, & Maculis.

§. 1. HAbet *Facies* mirum & inexplicabilem cum animo consensum, quo nomine nuncia, imago, exemplar, speculum, & theatrum animi audit pictura item conceptuum, & à *Cicerone* & *Pisone* tacitus quidam sermo appellatur, quoniam in facie indoles ingenium, mores, atque affectus animi, secretioraque mentis arcana elucent, ut haud immeritò *Momi* damnata sit sententia, qui ut animi pathemata parent, fenestrata optabat corda. Hinc illud πογυδρύλλητον ortum sumpsisse videtur: Pulchra facies muta commendatio est. Facies enim bona & laudabilis (*Eccles. cap.* 13.) est vestigium boni cordis Facies quoque si sit pulchra, tantam habet gratiam, ut deformitatem cæterorum membrorum facilè tegat. Contrà si in quantitate aut qualitate turpis sit, ut vitiosa, reliquum corpus, quantumvis sit venustum, displicere solet: unde faciem plerique omnes, imprimis verò sexus sequior, tanti faciunt, ut de nullius partis cultura magis sint solicitæ quam faciei, hinc vitia ejus fuco, ut *Plaut.* in *Captiv.* loquitur, occultant, variisque pigmentorum, & quod pejus est, venenatorum generibus colorem, quemadmodum *Quintilianus* ait, mentiuntur. Facies namque prima visum movet, prima placet, prima allicit, prima animum subit prima amoris semina spargit. Hæc hominis facies medendi artificibus ad dignoscendam sanitatem & ægritudinem haud parum confert, etenim quibus illa florida est, vividoque colore prædita, & mediocriter corpulenta & figuram habet naturalem, sanitatis est nuncia; quæ verò contrario planè modo est affecta, hominem sinistra premi valetudine significat. Videmus enim ut flaveat facies in Ictero flavo, ut nigricet in Arquato nigro, ut palleat in affectu ἐρωτικῷ seu amatorio, ut liveat, plumbeumque colorem referat in obstructione mensium, ut albicet in morbo virgineo & Cachexia, ut ardeat in phreneticis, in phlogosi, ut cadaverosa appareat in syncope, ut torva, truculenta, minax & horrida conspiciatur in Mania, ut punctulis notetur variis in Variolis & Morbillis, ut tota contabescat, exarescat & consumatur in Phthisi & Marasmo, ut pilorum palpebrarum & menti patiatur jacturam, variisque labeculis, nævis & pustulis deformetur in Lue Gallica, ut vividum deponat colorem, densior, durior, asperiorque evadat, verrucis atque tuberculis lividis conspurcetur, pilis exuatur, & callosa glabraque supercilia, resimas & obstructas nares, crassa, fissaque labia, & auriculas tumidas valdeque densas acquirat in Lepra, Elephantiasi Arabum; quàm denique horrenda sit illa, quam *Hippocrates* in limine suorum prognosticorum in animam agentibus describit.

Non

Non minori fœditate deturpatur facies in illo vitii genere, quod vulgò *Guttam Rosaceam* vocant, & inde *Rosacea* dicitur, quod facies guttis quibusdam roseis sit conspicua. Dicitur & *Rubedo* faciei, quoniam facies in ea rubore suffusa, Arabes *Albedsamen* dicunt, cùm facies hoc in affectu cupro seu æri Cyprio polito colore haud absimilis sit, Germani eum, *ein roth finnicht und Kupffern Angesicht* appellant, sicuti *Varos & Pustulas* illi non rarò associatas dicunt *die Finnem desz Angesicht*: item quod Rubinis similes sint pustulæ, *Er handelt mit Rubinen*. Describitur vulgò, quod sit Rubor p.p. faciei interdum sine, interdum cum pustulis, aliquando & ulceribus conjunctus, magna fœditate in facie efflorescens, à coagulatis & stagnantibus succis obortus.

Gutta rosacea quid.

Phlogoses in facie apparentes, quæ & dicuntur *Vagæ Excandescentiæ*, rarissimè in Medicorum scriptis expositæ, Practico frequentissimè tamen obviæ, describi possunt, quod sint obstructiones minutissimorum faciei tubulorum ab acido volatili factæ. Hinc acidum illud volatile frequens ac subito totum corpus pervadit, & in facie ob ambientem aerem poros angustantem intra fibras subsistit, easque motu quodam vibrante exagitat.

Phlogoses.

Vari, Grecis *Ἴονθοι dicti, & vulgo signa Venerea credita, quod indicent hominem Veneris sacris idoneum, sed abstinentem, unde & Germanis, *die Venus-Blumlein* audiunt, tubercula sunt dura & parva à particulis pinguioribus spiritu turgidis ad faciei musculos delatis, & ab acido ibidem præcipitatis & coagulatis, ut nec in vasa resorberi, nec per poros cutaneos exhalare queant, sed ibidem diutius morantes fibras distendat, & faciem reddant cum aliquali rubedine tuberosam.

Vari.

Maculæ sunt quoque faciem defœdantes, hinc dicuntur quædam *Lentigines*, *Sirones* seu *Maculæ Solares* (*Sonnen FlecKen*) quædam *Nævi materni*, qui variorum sunt colorum, nigri nempe, fusci, flavi, rubri, viridiusculi, diversarum etiam figurarum, pro diversa imaginatione matris fœtum gestantis.

Maculæ variæ & Næv.

§. 2. *Differentiæ* Guttæ Rosaceæ vulgo tres statuuntur: 1. Est, quando rubedo absque pustulis & ulceribus faciei adest, vocaturque absolutè *Facies rubra* 2. Cùm adsunt etiam pustulæ vel vesicæ, diciturque Rubedo faciei pustulosa vel vesicosa. 3. Quando ulcera quoque faciem obsident, & Rubedo faciei ulcerosa nuncupatur. Sed hæc distinctio inanis est, sufficit, quod Gutta Rosacea suos gradus habeat, & tantùm differat secundum magis & minus, hinc in primo gradu acidum non adeò acre existit, atque in posterioribus.

Differentia Guttæ Rosaceæ.

Brevitas, frequentia ac subitanea *Phlogoseos* invasio ab aliis corporis fervoribus ac caloribus ipsam differre monstrant. Aliæ etiam sunt vagæ illæ volaticæ maculæ, *Flug* vocatæ. Phlogoseos vocabulum quidam cum Phlegmone malè confundunt, quamvis & hi affectus secundùm magis & minùs differant. Notum enim est omnibus Practicis, ejusmodi coagulationes affrænesque obstructiones in corpore humano absque febre se prodere posse, si considerent Moniacorum feroces jactationes, epilepticorum turgescentes concussiones, hystericarum vagabundos impetus, hypochondriacorum subitos dolores, borborygmos, murmura, scorbuticorum, ictericorum, cachecticorum asthmata, Arthritides, Cardialgias, gulæ ardores, purgantium actiones & similes affectus, qui cuncti à ferocientibus, scorbuticis acribus, & coagulatis succis oriuntur, quod dubium etiam refellit celeberr. *Vvaldschmidius* in Disp. *de morbis aulicis*, ajens *Th.* 23. alterum dubium, quod scilicet sanguinis fermentatio sæpe sæpius cum tumultuoso particularum motu intendatur, nulla tamen subsequente febri, pari facilitate refellimus: quandoquidem probe hic distinguere debemus effervescentiam à turbata mixtione. Illa enim & in aqua ebulliente & in acidulis actu frigidis notatur, neque tamen est, qui dicere audeat, ipsam quoque mixtionem ibidem læsam & turbatam esse. Hæc enim præsupponit insensibilium particularum immutationem, qua alii formentur pori, aliaque & nova inducatur textura, id quod in vino fulmine tacto videre est.

Phlogoseos.

§. 3. *Sedes* seu locus *Guttæ Rosaceæ* cutis faciei est cum suis tubulis, & vasculis, nonnunquam subditæ quoque partes, in quibus sanguis stagnat & coagulatur, si enim jam diu malum protractum est, fieri vix potest, quin & contiguæ afficiantur partes. Subjectum verò causale est ventriculus & primæ viæ, in quibus ipsa hujus mali causa frequentius solet latere, ex acido enim & spisso talis sanguis fit.

Locus Guttæ Rosaceæ.

Subjectum *Phlogoseos* in genere est totum corpus, modo enim hanc, modò illam partem occupat, hic verò imprimis petit faciem, nec ab ipsa immunes sunt os, gingivæ, fauces, gula, ventriculus intestina thorax, caput, brachia, crura. Tota quoque Massa sanguinea & alii humores faciem alluentes subjectum constituunt causale, nec spiritus, nec viscera cum glandulis excludenda sunt.

Phlogoseos.

§. 4. Cùm *Gutta Rosacea* se foras proferat, omniumque oculos incurrat, *Signa* ut tradamus, necessarium non est, quivis enim visu deprehendit roseis istis guttis faciem commaculari, aut in ea extuberare pustulas, aut ulcuscula ejus cutem dilacerare.

Diagnosis Guttæ Rosaceæ.

Signis quoque ad *Phlogoses* detegendas opus non est, ægri enim sentiunt ac referunt, imò & adstantes plerumque, cùm adsunt, easdem cernunt in facie aliarumque partium exterioribus. Scorbutum produnt gingivæ sanguinolentæ, saniosæ, tumidæ, albescentes, maculæ crura & brachia tingentes. Si verò à sulphureis, salsis, acrioribus, pungentibus & acidis particulis, ex siti, ardore ac siccitate gulæ, hæmorrhagia narium, urina flammea, &c. signa petantur.

Phlogoseos:

Reliquæ *Maculæ*, Pustulæ & *Vari* ipso etiam adspectu cognosci possunt, nec non tactu, Vari enim duri sunt & interdum callosi, pro majori succi peccantis sub cute collecti & ab acido coagulati spissitudine & tenacitate.

Macularum & Varorum.

§. 5. Progredimur ad *Ætiologiam* quam veteres *Galenici* ita instituunt, ut in *Gutta Rosacea* tanquam causam proximam accusent sanguinem crassum & fervidum ad faciem delatum, & ibidem ob crassitiem istam hærentem; procatarcticam verò intemperiem hepatis, imprimis calidam, vel naturæ vel diætæ vitio inductam, sicque causam proegumenam intemperantiam constituunt in potu admissam, & alimentis calefaciendi vi præditis, ut aromaticis frequentius & copiosius in cibo usurpatis, præ aliis verò vino generoso hepar valde accendenti.

Ætiologia secundum Galenicos Guttæ Rosaceæ.

Phlogosis causam statuunt vapores multos, crassos & acres, interdum per sanguinis ebullitionem, vel in febribus ardentibus aut malignis, vel in scorbuto à corrupto in liene sanguine, vel in Hepatis intemperie calida commotam, ad faciem aut alias quoque corporis partes transmissos, calorem & ruborem in iis accendentes.

Phlogoseos.

In *Varis* ut causam accusant sanguinem seu succum nutrientem ab humore atrabilario sibi admisto crassiorem, quàm ut à facultate nutriente partibus ritè aptari queat, unde in poris hæreat & quandoque quendam profundat ichorem, sæpe ulcera excitantem.

Varorum.

Macularum causam frequentiorem statuunt sanguinem biliosum adustum cuticulam occupantem, & ibidem in humorem melancholicum degenerantem: illarum verò varias species fœtui impressas & *Nævorum maternorum* nomine insignitas ab imaginatione matris originem habere fatentur, licet veram ejus ortus rationem sufficienter nequeant explicare.

Macularum

§. 6. *Paracelsus* proxima à Galenicis vestigia premens, *Guttam Rosaceam* provenire docet ex croco Martis habente naturam, qui in carne Marti subjecta per totam cutem circa poros expulsus; & crocea tinctura sit Martialisque, sine tinctura sanguinis aut carnis, unde caro in suæ mineræ naturam transeat, pro augmento mineralium eo loco sanguinisque metallici, quo fiat ut color faciei primò flavus appareat, deinde rubicundus, indies magis absque bullis vel pruritu, donec coccineum colorem cutis & caro simul acquisierint.

Paracelsi iudicium de causa Guttæ Rosaceæ.

Phlogoseos causam in Mercurio quærit stabulante in quibusvis corporis membris, dum agitatus ille incenditur, quod ex satietate frequentius contingat, & per totum corpus sursum deorsum fertur, ac in pelicano

Phlogoseos.

variè & citissimè circuletur, unde sublimatus ad superficiem corporis perveniens, eidem cum calore unum ex coloribus propriis imprimit, maximè ruborem, donec præcipitatis graviores morbos aliquando inducat.

Varorum. *Varorum* causam constituit liquorem nutrientem tincturæ Martis immistum, ad superficiem carnis delatum, & ibidem subsistentem, unde cum rubore tuberculum excitetur.

Macularũ. *Macularum* varias novit species, ex quibus *Panni* proveniant à colore emortuo, ubi id, quod moritur, in corpore fixum maneat; *Lentigines* liquoris dicit esse Mercurii, qui vergat in sui regenerationem, *Nævos* ab imaginatione matris produci statuit, à qua astra interiora citissimè commoveantur, ut fœtui hæc vel illa macula imprimatur, pro diversitate rei externæ imaginationem agitantis.

Secundùm Helmontiũ causa Guttæ Rosaceæ. §. 7. *Helmontii* secundùm principia *Guttæ Rosaceæ* causa ad excandescentiam Archei referri potest, quatenus à re molesta, vel è latice, vel è cruore emergente irritatus furoris ideam concipit, & ruborem, ut signum illius indignationis, in extremis faciei partibus exponit.

Phlogoseos. *Phlogosis* ortum habet à cruore in venis mesaraicis non satis depurato, sed unà cum sale volatili multum acidi in sanguinem inferente, quod dum spiritus sanguinis à volatilioribus partibus separare necesse habet, magis in se accenditur, unde & cruoris sal volatilior majori vi accensus, motu violentiori totum corpus pervadit, & ipsum Archeum ad aliqualem commovet excandescentiam, quæ tamen propterea non diutius durat, quod Archeus à peregrino hospite non adeò violentam, sed leviorem tantum patiatur invasionem, quam brevi tempore à se valet depellere.

Varorum. *Vari* ab eodem cruore laudabili fermento destituto oriuntur, dum in externa faciei parte quædam ejus cruoris portiones ineptæ fiunt ad nutritionem, nec sensim ad volatilitatem transponi possunt, sed remanentes istiusmodi tubercula producunt.

Macularũ. *Maculæ* ab impuritatibus sextæ digestionis relictis & transvolationi ineptis oriuntur, sæpe etiam ab imaginatione matris perturbata alimentum fœtus, ei ut ramulus arbori inserti, inficiente.

Vvilisii sententia de causa Guttæ Rosaceæ. §. 8. *Vvillisii* ex principiis causa *Guttæ Rosaceæ* adscribitur aciditati liquoris cutanei & recrementis sanguinis sibi invicem junctis, & effervescentiam in glandulis excitantibus, unde pori cutis obstruuntur, transpiratio particularum impeditur, & à fervore succorum diversorum calor & rubor in cute suscitatur.

Phlogoseos. *Phlogosis* oritur illi à succi nutritii degeneratione, ob quam cum sanguine non ritè miscibilis effervescentias quasdam concitat extemporaneas, quas aliquando à materia quadam extranea cum succo nutritio sanguini illata similiter excitari novit.

Varorum. *Varorum* originem imputat concretionibus acido-salinis in massa sanguinea contingentibus, quæ subigi aut dissolvi nescientes in cutim faciei depellantur, dum per unum vel alterum ramum faciem respicientem eò convehantur.

Macularũ. *Maculas* provenire vult à portionibus sanguinis secretis & ab eo penitus derelictis, adeò ut nihil illis cum sanguine circulato deinceps commercii fuerit, unde nec in molem accrescant, nec suppurentur, nec facilè evaporent. *Lentigines* & maculas citrinas aut obfuscas existimat portiones quasdam esse bilis flavæ aut atræ è sanguine in cutim suffusas. *Nævos* verò portiones sanguinis aut cruoris corrupti ab imaginatione matris fortissimè agitatis, ut arteriarum fœtus osculis extrusæ in cute ejus defigantur.

Sylvii opinio de causa Guttæ Rosaceæ. §. 9. *Sylvii* de causis horum morborum judicium est, quòd *Gutta Rosacea* oriatur à bile ab acido corrupta, accedente igne quodam externo vel cœlesti, vel sublunari, & concretum illud nocentius reddente, unde faciei cutis eo faciliùs hisce maculis notetur rubris, quoniam præ aliis corporis partibus igni isti exponatur.

Phlogosis. *Phlogosis* causa est vitiata bilis cum pituita, aliisque succis eidem immistis effervescentia, ex qua halitus exsurgunt cum sanguine facilè in totum corporis habitum dissipabiles, qui dein ante plenariam dissipationem & resolutionem aliquem cum calore ibidem excitant ruborem.

Varorum. *Varorum* causa est acidum quoddam minùs acre in sanguine latitans, cum eo ad faciei cutem delatum, & ab externo calore suscitatum, unde tubercula ejusmodi cum rubore & aliquali interdum dolore attolluntur.

Macularũ. *Maculæ* à simili quodam acido depinguntur partem quandam faciei corrumpente sua acrimonia, & hinc maculæ ab acido productæ ad ruborem inclinant, atræ verò ab acrimonia dependent salina lixiva, *Nævi* fœtui ab imaginatione matris imprimuntur, eò quod mater & fœtus sibi arctè sint uniti, & fœtus à matre facilè aliquid patiatur, sicque nota rei imaginationem graviter occupantis imprimatur.

Cartesianorum opinio de causa Guttæ Rosaceæ. §. 10. *Cartesiani* causam *Guttæ Rosaceæ* quærunt in particulis acutangulis subtilioribus ex massa sanguinea per arteriolarum poros cum succo nutritio percolatis, fibris musculorum faciei cutaneisque adhærentibus, & easdem variè agitantibus pungentibusque, quapropter globuli ætherei eò propulsi circa fibras à particulis antedictis tremulè motas variè circulantur, unde color ille ruber emergat, & quum in vino alioque potu generosiori ejusmodi spiculæ acutæ lateant, ab ejusdem frequentiori haustu morbum hunc facilè provocari experientia teste pronunciant.

Phlogoseos. *Phlogoseos* causam asserunt subitaneum conflictum particularum ramosarum seu pinguium, cum particulis angularibus seu acidis, eò quod particulis ramosis non facilè commisceantur, quin ramosæ ab angularibus coagulentur, & pori adeò reddantur minuti, ut globuli secundi elementi excludantur, & soli materiæ æthereæ transitus concedatur, quæ subito quarumcunque corporis partium poros transgreditur, & calorem iisdem infert, circulantibus simul globulis circa fibras à materia ætherea, tum interna, tum externa, fortius commotas, unde rubor, donec coagulationibus istis resolutis etiam secundi elementi particulis transitus concedatur, & tum phlogosis cessat, quod in scorbuticis succis acidis & salibus fixioribus abundantibus frequentiùs contingit, quòd cum cibo & potu ramosæ, angulares & salsæ particulæ ventriculo & intestinis inferantur, à quibus nova in chylo aliisque succis oritur coagulatio, sed à porosioribus angulares absorbentur, & coagulatio resolvitur.

Varorum. *Vari* oriuntur à coagulatione ista, dum in Gutta Rosacea non tantum subtiliores particulæ per arteriolas in musculos & cutis glandulas, sed crassiores quoque & terrestriores influunt, quæ ibidem permanentes fibras musculares & cutaneas distendunt, unde tubercula producunt, à distensione verò nimia eædem interdum dirumpuntur, & in sulculis partes chylosæ colliguntur, hinc pustulæ emergunt.

Macularũ. *Maculas* produci docent à particulis angularibus & lamellatis poros arteriarum magis dilatantibus & aperientibus, ut particulæ simul ovales, crassæ, viscosæ & terrestres ejiciantur, quæ ob crassitiem suam circulationem absolvere nequeant, sed exhalato eorum vehiculo in faciei partibus diutiùs hærent, diversorum colorum, pro diversitate partium commixtarum poros cutis vel occludentium & superficiem asperiorem reddentium, ut radii lucis repellantur, unde albedo; vel eosdem distorquentium, dilatantium & radios suffocantium, unde nigredo; vel particulis cuspidatis fibras variè commoventium, ut tremant & radii luminares plùs minùs circulentur, unde color flavus & ruber præsentetur; quæ macularum causæ ab imaginatione matris, mediantibus spiritibus animalibus in fœtu excitatæ in eodem maculas originales seu *Nævos* efforment, partibus fœtus tenellis multifarias eorum figuras admittentibus.

Nostra sententia de ætiologia Guttæ Rosaceæ. §. 11. Perceptis ità aliorum de causis sententiis nostram nunc paucis ordine subnectemus. Quantum proinde ad Rubedinem faciei & *Guttam Rosaceam*, solet vulgo accusari nescio quæ hepatis intemperies calida, vel contradictionem involvens ἀντιπραξία viscerum.

Verùm

Verùm cùm viscera nunc non amplius eo fungantur munere, prout quidem ab antiquis fuit creditum, nec diverso alantur sanguine, utpote qui unus idemque ad corporis partes solidas dispensatur, meritò has causas ad aniles referimus fabulas. Vera autem & constans causa occasionalis est in ventriculo, & non tam in calore, quam chylo acido vitioso plùs minùs volatili consistit, quippe horum hominum sanguis ad coagulationem semper pronus est, quod facilè ex juvantibus & nocentibus desumi potest; si enim affectum hunc hepaticis dictis refrigerantibus curare velis, & julepos, acidulas, serum lactis exhibeas, malum tantùm auges, quia hæc acidum augent, motum ventriculi labefactant, digestionemque turbant, è contra acidum hoc absorbentia magnum commodum afferunt, prout in cura vela nostra latius pandemus. In tubulis enim faciei sanguis stagnare cogitur ab acido ibidem hospitante, à quo sanguis in hisce vasculis detinetur, hinc fibræ extenduntur & quandoque dilacerantur, ut exstillet lympha, quæ ab acido nitroso externo aeris indurator in gypseam materiam, quę maximè faciem defœdat.

Phlogoseos. *Phlogoseos* causam accuso particulas acidas volatiles, sanguinem utplurimum circa faciem in suis tubulis, & vasculis coagulantem, à qua coagulatione ab acido isto volatili facta rubor, & reliqua symptomata suum habent ortum. Acidum hoc volatile generatur sæpe in primis viis, ejusque causa itidem non tam in calore, quam chylo acido vitioso multùm volatili consistit, hinc & chylus, liquor gastricus, intestinalis, pancreatis, vesiculæ fellis succus, acriores redditi sanguinem depravant, imò si instrumentum ventriculi, sicque spiritibus debitis destitutum, alienis influentiis à sanguine degenerante inficiatur, à lymphæ particulis heterogeneis conspurcetur, aut ob glandulosam tunicam diruptam, corrugatam, exesam, aut nimia viscositate obductam suo non ritè fungatur officio, aut liquor intestinorum à debito deviet munere, sanguini illabitur chylus minus elaboratus, & proinde acidior, qui lege circulationis defertur ad faciem, ibidemque coagulator existit. Lympha quoque diversis heterogeneis & materię & efficientis vitio tincta moleculis, acidis maximè jam accusatis, phenomenis istis exhibendis aptissima est, quapropter & hæc causæ rationem hìc facilè subire potest. Particulæ enim istæ acriores valde sunt impetuosæ, ut fibrillas partium solidarum variè exagitent, & globulorum cœlestium impressionem variè modificent, iisque ad circulationem ansam præbeant; ad quas causas & remotæ referri solent, aer videlicet austrinus multum acidi nitrosi in se continens, item cibi pejoris notæ, imprimis acidi sulphurei, carnes salitæ, fumo induratæ, lardum rancidum, pisces maritimi sole vel frigore indurati aut muria conditi, potus aquæ crassæ, crudæ, impuræ & corruptæ, aut cerevisia ex his aquis parata, sic & vinum nocet, ubi frequentius & copiosius potatur, acidum enim maximè auget, & sic humoribus scorbuticis alas addere solet. Sic & de reliquis rebus non naturalibus non bene se habentibus judicium ferendum est. Frequentes ergò & subitæ oboriuntur Phlogoses cum rubore ac fervore faciei, cùm sanguis in facie stagnare incipit, acidum augetur, hinc fibrillæ agitantur & irritantur, & tota facies quasi accenditur. Oriuntur tamen ab acidis acribus particulis, quæ dum subtiles canales, fistulas & nervos faciei corrodunt, aperiunt, perforant, non potest aliter esse, quin inter diversos hos existentes, & quasi stagnantes succos motus inordinatus succorum oriatur, uti videmus in præparatione Tartari vitriolati. Frequentiùs autem in primis viis occurrentes humores, aliàs consueti & ordinarii hìc tamen peccantes, liquor gastricus, chylus, bilis, succus pancreaticus, &c. tum sibi invicem, tum cibo aut potui acidum istiusmodi communicant, quod per laborem illum, qui semper anteactus redit in orbem, faciei communicatum, nec per poros ab ambiente aere arctius, quàm in aliis corporis partibus vestibus obductis occlusos tam citò avolans, eidem fervore suo inducit ruborem hunc aliorum oculis ita expositum, ut simul ipsis ægris ob minutissimarum in succis particularum motum varium aliquem accendat calorem. Sanguis enim talis non tantùm copiosiùs, sed impetuosiùs quoque in hanc vel illam partem movetur, ruit, ac stagnat. Hinc frequentius vultus, imò totius corporis phlogosin mox à vini potu, ab animi affectibus, pudore, ira, amore oboriri observamus. Stagnans ergò nimis ille sanguis partes hasce & interdum totum corpus fervore isto perfundit, ubi serosis fluidis particulis, in glandulis subcutaneis ad secretionem dispositis parcior vel copiosior quidam udor per poros à calore expansos & dilatatos emergit. Sæpe & occurrit *Inflammatio* faciei, ut & *Erysipelas* cum Tumore, de qua videatur capite generali de Erysipelate.

Varorum. *Varorum* causa existunt particulæ quædam pinguiores spiritibus plenę, cum succo nutriente ad faciei partes delatæ, sed ab acido ibidem præcipitatæ, & coagulatæ, quæ spissitate sua fibras extendunt, iisdem dissolutionem aut ruptionem minantur, sicque interdum dolorem excitant, & cùm liber transitus reliquis particulis ab iisdem inhibeatur, illæ stagnant, fibras variè agitant, & calorem cum rubore circa tubercula ista producunt.

Macularũ, Lentiginum & Nevorũ. *Maculæ* quoque variæ & *Lentigines*, in extremis corporis partibus, & ipsa etiam facie conspicuæ, sanguinis sæpius accusati, ad arteriarum capillarium araneata vascula, oscilla & tenuissimas lineas moti, sub & per tenella integumenta, efflorescentiæ aut recrementa sunt, quæ interdum in ipso matris utero ipso ipsi inducuntur fœtui, quòd spiritus tum fœtus, tum matris, ab imaginatione hujus fortius agitati, totam commoveant sanguinis massam, ut crassiores ejus partes non minus ac leviores fortius excitentur, & fluxu ad partem hanc vel illam, cujus tubuli ob fibrillarum tenuitatem quorumvis corpusculorum transitui haud ità difficulter accommodantur, propelluntur, & à spiritibus amandatis per profundam imaginationem officii sui in æquitate consistentis immemorem diutius detinentur, donec per quietem fixiores, extremitatibus vasculorum inter glandulas cutaneas vasculares arctè adhæreant, nec tractu temporis solidiores redditas fibras ad regressum sui in reliquos succos debitè dilatare, & aptè queant disponere; & hanc ob rationem ut ejaculamenta quædam ex succis aliam particularum extra canales nactæ configurationem, per omnes sæpe vitæ dies in homine permanent *Nævi* illi *materni*, nec disparent aut delentur, cùm ex glandulis illi aliqua fruantur humoris portione, qui pilis educendis in œconomia animali aliàs destinatur, adeò ut & in ipsis quandoque maculis longiores & crassiores provenite videamus pilos, quam in aliis partibus, quòd fibræ glandularum istarum, quin ipsorum vasculorum, figuram & plicam quandam à pristina violentiore dilatatione retinuerint, in quam liquor ille per ductus consuetos facilius & copiosius influit.

Prognosis Gutta Rosacea. §. 12. *Gutta Rosacea* in primo gradu curatu difficilis non est, in secundo verò & tertio, cùm altiores egerit radices, eò ægrius curatur, sic etiam quum hæreditaria est, vix curationem admittit, quæ namque vitia à primo ortu in ipsa generatione ex seminibus parentum impressa sunt corpori atque inusta, arte elui nequeunt. Reliqua adventitia majorem curationis spem nobis relinquit. Quæ à causis externis profecta & minor est, paucioresque partes obsidet, recens quoque emergit, facilius longè exstirpatur ea, quæ in hisce contrario planè modo se habet, quæ enim conjuncta cum gravibus symptomatibus, malique moris est, ea deterrima videtur, nec exiguum periculum minatur.

Phlogosis. *Phlogosis* nullum vitæ periculum involuit, attamen pertinax & diuturna est, & Medicum maximè fatigat, rarò enim penitùs tales remittunt affectus, hinc nullum facilè proponant prognosticum Medici, ne famæ maculam inurant. Affectus hic facilè transit in cachexiam & hydropem imò scorbutum, qui sæpe conjunctus est, sed juvenes aliquando idoneis adhibitis medicamentis ab hoc morbo liberantur.

Varorum & Macularũ. Sic & *Vari*, *Maculæ*, aliæque vesiculæ in facie non semper negligendæ sunt, ex illis enim si malignitas, hoc est, acrimonia adest, facilè gangræna & sphacelus oboriri potest, qualia nonnulla novimus exempla. Confer *Ephem. Germ. Ann.* IX. & X. *Obs.* 16.

Lentiginum & Nævorum.

Lentigines & *Nævi materni* medicamentis difficulter abiguntur, & pulchritudini studentes fœmellæ vix centum adhibitis cosmeticis ab iis liberantur, sed toties frustraneos se iniisse labores conqueruntur, interim sanitati non obsunt, quin vegetioribus utplurimùm atque candidiore pelle superbientibus obveniunt.

Diæta.

§. 13. *Diæta* in nobis hisce observetur talis, quæ aerem vitat inclementiorem, ne ab externo calore fibras cutaneas urente particularum acidarum acrium influxus promoveatur, nec ventus borealis iisdem est proficuus, quia asperiores particulas ad cutim pellit & poros occludit, ut ideo aer temperatus sit eligendus, & facies contra ejus excessum munienda. In *Cibo* rariùs usurpentur acida & salsa, sanguinem & succos magis coagulantia, & particulas acidas aut volatiliores & acriores aut fixiores reddentia, & in causis anteà enumerata; adhibeantur verò frequentius succosa aliquantum mucilaginosa & amariuscula, qualia sunt cichoracea & intybacea, nec non lactuca, ex quibus juscula cum pullis gallinarum, agnorum & similium carnium animalium juniorum parari solent. *Potus* sit cerevisia tenuis, vinum enim & omnis potus generosior & acidior valde nocet, quod potatores suo damno percipiunt, qui tamen flosculis illis potius superbire volunt, quàm falsa illa potus dulcedine carere, hinc solum frequentius irrigatum fertilitate sua Dominum brevi solet ditare. Caveant proinde à frequentiore & copiosiore vini haustu, quos pulchra facies commendare debet, maximè sexus muliebris, ne ab externo colore prodantur, & potatorum aut potatricum numero inscribantur. Hic præ aliis conducet potus Theé hodie ferè ubique receptus, & Capheé. *Motus* vehementior nocet, præsertim tempore æstivo, quo lentiori gradu incedendum. *Somnus* conceditur longior, ut sanguinis acredo acida imminuatur. Inter *Affectus* Ita & excandescentia vitentur, cum amore nimio & quocumque reliquorum animi pathematum excessu, cuncta verò rectæ rationis norma dimetiantur. *Excretiones* liberæ sint, ne recrementa inutiliora diutiùs retineantur, quare alvus officii sui est admonenda, & re postulante, ad illud etiam excitanda, nec conjugalis amplexus nimiùm protrahendus.

Curatio Galenicorum in Gutta Rosacea.

§. 14. Sequitur Curatio *Pharmaceutico-Chirurgica*, quam *Galenici* in *Gutta Rosacea* ita instituunt, ut ad sanguinis fervorem restringendum, ejusque copiam minuendam venæsectionem in brachio celebrent, & cucurbitulas cum scarificatione applicent scapulis, non omissis purgantibus cholagogis, si humor biliosus sanguini sit immistus; posthæc intemperiei hepatis calidæ temperandæ, & obstructioni reserandæ incumbunt, usurpatis remediis hepaticis dictis refrigerantibus, ex endiv. cichor. acetos. tarax. Nymph. Scariol. sem. 4. frig. maj. & min. ex quibus vel decocta parant, vel succos cum sero lactis caprini assumendos. Externè remedia applicant ex succo heder. terrest. limon. portulac. solani, borrac sulphure, camph. lithargyrio, farina fabar. lupin. ol. laurin. rosac. hinc sequens unguentum *Elidæi* magis evehunt laudibus.

℞. *Cort. rad. lapath. acut.* ℥ij.
Farin. fabar.
Sulphuris viv. aa. ℥j.
Borrac.
Camph. aa. ℥ß.
Succ. heder. terrestr.
Plantag. aa. ℥iß.
Cum axung. porcin. q. s.
F. l. a. Unguentum.

Phlogosi.

Phlogosi curam peculiarem vix adhibent, sed eandem ad morbum primariam, febres videlicet ardentes, vel scorbutum, vel hepatis intemperiem primariò dirigunt, quibus morbis curatis & istam cessaturam confidunt, in genere tamen laudant refrigerantia, & leviter aperientia, ut lactucam, nymphæam, omnia cichoracea, fumariam, Julep. rosaceum, violaceum, syrup. acetos. simpl. de lupulis, de limon. margarit. coral. & similia, ex gr.

℞. *Aq. Endiv.*
Fumar.
Lupulor. aa. ℥iij.
Syr. fumar.
Cichor.
Violar. aa. ℥j.

M. F. Potio, duabus vicibus assumenda, & ter in septimana repetenda.

Varis.

Varorum curationem aggrediuntur venæsectione, aut cucurbitularum aut hirudinum applicatione, in corpore plethorico, sanguinem purificant remediis superius indicatis & hepatis intemperiem corrigentibus, hinc ad topica accedunt emollientia & discutientia, vel etiam aliquantum erodentia, ut sunt axung. anser. ursi, ol. irin. laurin. scorpion. succ. lapath. cepar. limon. farina lentium, sal. armon. commun. sulphur, lithargyrium, emplastrum diachylum ireatum, unguentum in Gutta Rosacea jam manifestatum.

Maculis.

Maculis & Nævis varia adhibent topica, sæpe tamen voto minus respondentia, ut sunt semen sinapi cum aqua calida in formam pultis redactum & illitum, vitellus ovi assatus tritus & maculis impositus, coctus cum aqua & melle adhibitus ex præscripto *Galeni 7 de simpl. medicam. facult.* semen brassicæ, alysson, succus arrhanitæ, fel gallin. sapo albus, sanguis menstruus vel secundinæ, calide ne vis adhibita, quas illitiones cunctas vesperi ante introitum lecti institui præcipiunt, & manè decocto sem. lupin. iterùm abluere.

Paracelsi modus curandi Guttam Rosaceam.

§. 15. *Paracelsus* curationem *Guttæ Rosaceæ* solummodò sitam esse vult in citrinula & fabiola, nec non in re bona destillatis in aquam, istamque curam vocat ex tincturis, cui substituit sequens destillatum externè adhibendum.

℞. *Album. ov. coct.* No. x.
Calc. ovor. ℥vj.
Destilla in aquam, & adde
Fol. argent.
Stann.
Plumb.
Veneris aa. ℥j.
Fol. auri,
Marchasit. argent.
Aureæ,
Chimoleæ aa. ℥ij.
F. Digestio ad mensem & destillatio.

Phlogosin.

Ad *Phlogosin* emendandam remedia suadet ea, quæ Mercurio conveniunt ratione volatilitatis, ejusque coagulationem impediunt, qualia parantur potissimum ex ligno Guajaco, flor. namph. & sale armoniaco.

Varos.

Vari extrinsecus abluuntur, aut potius aliquoties leviter tanguntur liquore sequenti;

℞. *Salis Armoniaci*
Vitrioli Roman.
Virid. ær. aa. ℥ij.
Alum. rub. ℥j.
Calc. viv. ℥ß.
Destill. in alembico vitreo.

Primus liquor rejciatur, secundus servetur ad usum.

Maculas.

Macularum curationem ita instituit, ut primo cutis medicamento corrosivo evellatur, quo postmodum nova, pura & immaculata generetur, & ut eo facilius hoc contingat, carnem sua cute nudatam sequenti lavat medicamento.

℞. *Balsam. ad ulcera,*
ei add.
Terebinth. lot.
Lumbric.
Ol. ovor. aa. part. æq.
M.

Balsamus ad ulcera est sequens.

℞. *Bals. ad vulnera,*
Bals. ex rubigine similiter facti, prout ex Ssmach aa. ℔. j. *simul bis permixtis add. ol. ferri* ℔ß.
M.

Balsa-

Balsamus ad vulnera ita paratur:

℞. *Samech optimè combustum & in albedinem calcinatum, cui circulatum adde minus. Destilla postmodum, ut siccissimum caput maneat in fundo mortuum, utque vitrum omninò candeat. Postea recens affundes iterùm ut prius: tamdiu id feceris, donec circulatum ab eo dulce prorsum redeat, ut est in seipso: tandem resolvi sinas per seipsum.*

Nævos maternos unicè curari intendit, si res, quæ imaginationem matris movit, maculæ eadem die, hora & momento, quibus mater perculsa est, adhibeatur, & infans vel re appetita satietur, vel terrore aut timore afficiatur, ut res illa exstirpetur; & tum ut extra cutem prodeat, cutis aqua aliqua forti aut Regis lavetur, prout hanc curationem prolixius exhibebimus *lib. 5. cap. de Nævis*.

Helmontiana cura in Gutta Rosacea. §. 16. Secundum *Helmontium* Cura *Guttæ Rosaceæ* peragitur, ipsum Archeum vel sedando, vel in levem aliquam fugam vertendo, ut ita signum excandescentiæ suæ amoveat, cui scopo admodum convenit liquor vel ex menstruo virginis, vel ex indusio aut linteo sudore morientis imprægnato per retortam destillatus, si Gutta eo nunquam abluatur.

Phlogosi. *Phlogosis* curatur promovendo cruoris elaborationem & acidum corrigendo, quod fit ipsum ventriculum corroborando per salia alcalia volatilisata apprimè penetrantia, & abstergentia sordes, easque eliminantia, ut cruor purior in sanguinem distribuatur, qua virtute pollere præ aliis æstimatur sal tartari volatile, stomacho debilitato & succorum depurationi maximè conveniens.

Varis. *Vari* ut dispareant, eosdem inungere suadet oleo bufonum vel smegmate mercuriali, quo nutrimentum corruptum absumitur, quod aliàs planè erat incorrigibile.

Maculis. *Maculas* & ipsos etiam *Nævos* sponte evanescere promittit, si iisdem manus cadaveris longa tabe extincti, omnique vitæ proprietate exuti admoveatur, donec frigus partem maculatam penetraverit.

Vvillisiana Curatio Guttæ Rosacea. §. 17. *Vvillisius* pro *Gutta Rosacea* curanda hanc suadet methodum, qua liquor glandularis à fermento corruptivo depuratur, & in debitam reducitur crasin, remediis potissimum catharticis & simul sanguinem mundantibus ex rad. polypod. lapath. acut. herb. fumar. epithym. sem. cartham. fol. senn. turbit. lign. santal. citr. subjuncta venæsectione, hinc pori cutanei ab obstructione liberantur, & cutis color debitus restituitur ungento maximè mercuriali.

Phlogosis. *Phlogosis* ut curetur, ejusque invasior ulterior inhibeatur, succus nutritius est corrigendus, & ut perfectiùs ille elaboretur, ventriculo prospiciendum, reliquisque visceribus chylosi inservientibus, quod medicamenta digestiva scorbuticis mista optimè præstare creduntur, utpote quibus dyscrasia sanguinis simul aufertur, imprimis Tartar. chalybeatus, tinctura & sal tartari, sal fumar. card. bened. ocul. cancrorum, Spec. diatr. santal. rad. ari, cum aq. fumar. cochlear. & Syr. limon. quibus per vices substituenda sunt diaphoretica, ut pulvis è chelis cancror. bezoard min. Ebur Philosoph. pp. & id genus alia.

Varorum. *Varorum* curatio perficitur resolutione concreti illius acido-salini in poris cutaneis hærentis, internè quidem assumptis remediis diaphoreticis, ex lignis aliisque sanguinem purificantibus paratis, externè verò cosmeticis lixiviosis, ut lixivio è sale tartari, cum oleo amygd. amar. ex quibus liquor lactescens paratur, quo Vari manè & vesperi sunt abluendi; quo tamen præstantior æstimatur sequens liquor cosmeticus mercurialis in Macularum curatione mox describendus.

Macularũ. *Macularum* proinde curatio obtinebitur tum aperiendo poros cutis atque cuticulæ, vel etiam excoriando hanc, ut humor vitiosus exterius attrahatur & prorsus evaporet; tum materiam maculosam è cute repercutiendo & intus adigendo. Prius præstant medicamenta detergentia, & imprimis sequentia.

℞. *Rad. ari,*
Bryon.
Sigill. Salom. recent. aa. ℥j.
Pulv. sem. fœnigr. ʒj.
Camph. ʒß.
Simul contusis affund.
Ol. tartari per deliq. ℥iij.
Fiat expressio. Applicetur cum petia tincta bis in die. Vel

℞. *Sulphuris viv. pulv.* ℥j.
Sapon. ℥ij.
Ligat. in pet. suspend. in acet. ℔j. per IX. dies, dein in usum adhibeatur, loca affecta bis in die abluendo & confricando. Ad alterum scopum, repulsionem videlicet, obtinendum, lac virginis ab aliis commendatum itidem in usum duci permittit, vel simile medicamentum ejusdem etiam virtutis ex solutione minii vel cerussæ in aceto destillato facta, & cum aq. alum. aut sal. gemm præcipitata, quo facies bis in die similiter abluenda. In eundem usum etiam sequens commendat.

℞. *Virid. ær.* ℥ iiij.
affund. acet. vin. alb. ℔ij.
Cucurbitulæ vitreæ indita destillentur in calore arenæ: phlegma primò exstillans ad usum servetur, quo itidem facies bis in die illinenda. Eumdem etiam in finem ros aut phlegma vitrioli per se destillati egregiè convenire promittit. Quæ verò fœminæ his nequeunt esse contentæ, sed curiosiores munditiei & pulchritudini nimium student, ut nullam turpitudinem in facie tolerare queant, iis sequentem commendat liquorem cosmeticum mercurialem, humores omnes intra porulos & foraminula, utut minutissima, impactos expediens, salium aut sulphurum combinationes inveteratas & pertinaces dissolvens, totamque cutim quoad meatus ejus malè conformatam restituens, & εὔχροον faciens, ut proinde ad ipsas etiam pustulas, Varos & Ruborem auferendum commodè adhibeatur, hac tamen observata cautela, ne usus ejus nimis sit familiaris, aliàs non modo particulæ hydrargyri unà cum salibus materiam noxiam & defœdatricem poris excuterent & depellerent, sed eandem intus repercussam insequerentur, & sanguini & liquori nerveo se insinuarent, unde vertigo & affectus spasmodici & paralytici oboriri solent. Liquoris autem descriptio sequens est.

℞. *Mercurii sublimat.* ℥ j.
pulverisat. ponatur in vase stanneo cum aq. fontan. ℔ iij. *stent per XXIV. horas cum spatula lignea subinde agitando, donec totus liquor nigrescat, qui tamen per chartam emporeticam colatus limpidus evadit*; cum petia aut pluma huic intincta facies semel intra diem unum alterum blandè obducatur.

Sylviana Curatio Gutta Rosacea. §. 18. *Sylviana* curatio *Guttæ Rosaceæ* eò vergit, ut bilis ab acido corrupta corrigatur salibus volatilibus lixiviosis, sed blandis, ut spiritu salis dulci, vel copiosior evacuetur idoneis medicamentis cholagogis, hinc externè etiam cosmetica quædam adhibeantur, potissimum sulphurea & camphorata, ut illinatur vesperi unguento albo camphorato, & manè denuò aqua fol. fraxini, in qua aliquid lactis sulphuris & salis armoniaci fuerit dissolutum.

Phlogosis. *Phlogosis* curatur corrigendo vitiatam bilis cum succis acidopituitosis effervescentiam, & halituum exinde productorum resolutionem promovendo, quod itidem volatilibus peragitur temperatis, ut spiritu nitri vel salis dulci, tum pituitam viscidam incidentibus, ut sale tartari vitriolato, aqua ment. fœnic. elixirio vitæ *Matthioli*, aliisque remediis succo primario peccanti accommodatis & temperatis, qualia parantur ex aqua multa & pauco oleo, sed ita sali volatili immisto, ut aquæ simul conjungi queat, ea enim remedia in hujusmodi affectibus ab Auctore hoc æstimantur præstantissima, cum utrumque acre tum acidum, tum lixiviosum, non modo demulceant, sed etiam diluant & enervent.

Varorum. *Varorum* cura aliquando acidi plus minus peccantis correctionem reposcit, plerumque tamen per sola externa instituitur, idem extra cutem prolicientia, qualia sunt succus ceparum, oxylapathi, farina orobi Borrax, Sal ammoniacum, myrrha & lithargyrium.

Macularũ. *Maculas* pro diversitate causæ variis abluere aut inungere suadet remediis, rubras & flavas videlicet lixiviosis, ut farina orobi, sale armoniaco, melle, succo cepar. & felle animalis cujusdam in linimentum redactis, vel oleo tartari; nigras verò subacidis, ut succo limonum,

num, fimo columbino cum aceto subacto, lacte virginis & similibus, quibus *Næui matern.* illini possunt.

Cartesianorum curatio Guttæ Rosaceæ.

§. 19. *Cartesianis* videtur curatio *Guttæ Rosaceæ* omnium optimè institui posse particulas acutangulas tum hebetando, tum poros aperiendo, ut exhalare aut ejici queant, aliquoties per vices adhibitis sudoriferis, quorum virtus si pervenit ad poros cutaneos, particulæ illæ heterogeneæ primò ad motum disponuntur, deinde commoventur, è locis consuetis protruduntur & agitantur, qua ratione sese invicem tangentes cuspidulas suas frangunt & alium nanciscuntur situm, ut sibi ulterius non adeò arctè cohæreant, sed liquori lymphico immistæ per poros simul dilatatos & lubricos redditos expellantur; quare Antimonialia & camphorata diaphoretica propinant, ut Tincturam tartari antimoniatam, Spiritum theriacal. camphoratum cum aqua fumar. flor. sambuc. scabiof. helen. & Syr. Card. bened. vel decoctum lignor. & rad. taraxaci. Posthæc ipsa topica ducunt in usum, quæ cuticulam penetrare, poros cutaneos distendere, & reliquias acutas ulterius frangere, absorbere, & adeò comminuere possunt, ut facilè per poros egrediantur, hinc fibris & extremitatibus vasculorum conglomeratis convenientem conciliant situm & configurationem, proinde ramosa & porosa esse debent ista remedia, ut angulos hebetent, quibus simul aliquantum arrodentia substituenda, ut penetrent, poros dilatent, & recrementa in iis contenta destruant, hinc merito laudatur unguentum citrinum parti rubenti illitum, vel quod paratur ex lithargyrio, aceto fortissimo aliquoties abluto, camphora in eodem dissoluta & unguento pomato. Nec rejiciunt olea lacertarum & bufonum, & cum particulas istas angulosas in poris contentas valde destruant, & fibras ad earundem ejectionem disponant, quod præstari etiam potest unguento communi ex axung. Gallin. farin. lupinor. bacc. lauri & flor. sulphuris parato. Abstersiones post litum instituendæ sunt ex succo bryoniæ, aqua hyperici, taraxaci, lacte Sulphuris & myrrha, quam mixturam sepius profuisse observarunt. Quin frictiones utiliter abhiberi ducunt cum pannis sulphure & thure suffumigatis. Fortiora si desiderentur, ad Mercurialia nonnunquam accedunt quibus tamen preferunt essentiam Benzoin cum elixirii camphoræ guttis aliquot mixtam, & loco affecto aliquoties illitam, nec non pulverem cosmeticum album ex marcasita argentea per aquam fortem soluta, hinc aqua frigida præcipitata paratum, & studiosè edulcoratum. Reliquiæ si quæ observentur in sanguine & lympha restitare, easdem per diuresin, si eò vergunt, per vices expellunt, cui scopo sequens convenire putatur mistura ad guttas 40. in vehiculo quodam communi usurpata:

℞. *Essent. fumar.* ℥ iij.
Tinctur. flor. bellid. ℥ ij.
Tinct. Vitrioli Martis Tartarisat. ℥ j.
M.

Phlogosis.

Phlogosis curam ut rectè aggrediantur & optatò perficiant, ipsi ventriculo & intestinis prospiciunt, ne in iisdem noxia quædam fiat coagulatio; sed tum particulæ ramosiores, tum angulares ita disponantur, ut sine conflictu graviori cum chylo in sanguinem deferantur, quod paucis sed selectis remediis haud ità difficulter obtineri posse confidunt, modo scorbutici sibi ab esu pinguiorum & acidiorum, una in mensa sepæ malè conjunctorum, noverint cavere, ita enim solo pulvere ex cremore Tartari, lap. Cancror. & flor. sal. Armoniaci compilato molestam hanc ebullitionem profligari posse asserunt, vel si liquidior placeat forma, sequente mixtura post pastum cochleatim assumenda.

℞. *Aq. Cichor.* ℥ j.
Succ. seu lacrym. vit. ℥ vj.
Aq. menth. ℥ ij.
Liq. terr. foliat. Tartar. ℥ j. ℈ ij.
Spir. sal. armon. anisat. ℈ j.
Syr. Fumar. ℥ ß.
M.

Varorum.

Varorum curationem eadem ferè ratione peragunt, qua superiorem Guttæ Rosaceæ, pori enim similiter sunt dilatandi, ut particulæ crassiores ejiciantur, & quando fibræ nimis tensæ dolorem creant, emolliendæ sunt emplastro diachylo, vel unguento citrino aut etiam aureo, quo peracto aperiri possunt, ut liquor contentus crassior & transpirationi ineptus exprimatur; sin tuberculi grandiores sint, & tàm flavi, quàm rubri, eo quod acidum magis in iis contineatur corruptivum, cantharidum usum proficuum esse ducunt, quo cutis aperiatur, & liquor noxius ad effluxum promoveatur, eodem penè modo, ut in fontanellis fieri assolet, proinde pulverem cantharium miscent cum axungia porcina & nodis istis imponunt per noctem, hinc liquorem per diem unum vel alterum effluere sinunt, postmodum unguento Ægyptiaco correcto abstergunt, vel spiritu theriacali camphorato, & foraminula unguento albo vel de thutia consolidant. In Sulphure, myrrha, & camphora singulare credunt existere remedium ad hujusmodi faciei morbos commodè abigendos.

Macularū.

Maculis & Lentiginibus faciei topica potissimum adhibent eaque fortiora, ut cuticulam abradant, nam leviora vix aliquid præstare cum aliis nobisque fuerunt experti, hinc succum formicarum rubearum expressum maculis illinunt, vel easdem cum *Platero* abluunt vino generoso albo, in quo aurum ignitum & candens aliquoties fuit extinctum, addito Tartaro vini albi pulverisato. Aquam cosmeticam *Mynsichti* pluribus aliis præstare censent, potissimum propter mel, borracem, saltem Tartari & camphoram, quæ cum aliis compositionem ejus ingrediuntur. Aquam Satyrii maculosi cum sale ex cineribus caulium ab *Hartmanno* laudatam, etiam in usum aliquando adducere solent, sed si, quod sæpe fit, incassum hæc aliaque cosmetica fuerint adhibita, præstantissimum remedium fore promittunt, quando maculæ attinguntur bacillo acuto Spiritu sulphuris madido, ut ita erodantur, & partes in poris cutaneis contentæ una cum fibris penitus destruantur, sic relinquuntur foveæ. quæ unguento de thutia successu temporis occludi & denuò sanari possunt, superveniente cicatricula alba & macula nunquam redeunte, sed hoc tentare tantum licet, si maculæ non adeò sint copiosæ, & persone de foveolis sequuturis sed temporis tractu sanalibus præmoneantur. Ad hunc etiam modum *Næuos maternos* tractari posse existimant si sanguine menstruo calido, vel aqua ex sanguine & lacte humano destillata nequeant deleri.

Nostra methodus curandi Guttam Rosaceam.

§. 20. *Nos* quod concernit, diximus superius, latere in primis viis acidum plus minus volatile, ad quod refrenandum varia exhibenda sunt præcipitantia, vel rectius absorbentia dicta, v. gr. oculi cancrorum, ebur, C.C. corallia &c. Cinnabaris, quibus conjungenda diaphoretica fixa, ut sunt Antimonium diaphoret. antihecticum *Poterii*, Stomachicum ejus, Bezoardicum Martiale *Ludovici*, ex. gr. sit formula,

℞. *Ebor. pp.*
Mandib. Luc. aa. gr. v.
Antihect. Poter. gr. iiij.
Sal. absinth. gr. j.
M. F. Pulvis. Detur per vices.

Salina & fixa his aliquando addenda sunt, proinde sequens pulvis detur per mensem.

℞. *Bezoard. min.* ℈ ß.
Salis absinth. gr. vj.
M.

℞. *Ebor. s. ig.*
Smaragd. ppt. a. ℥ ß.
Cinnab. nat. M. F. pulv.

Iterim ad acidum illud volatile refrænandum conducunt etiam salia volatilia, hinc Sal C. C. volat. frequentius adhibetur, vti usu receptum est in aulis ad mentem *Bontekoe* illud in mensa & alibi pro libitu assumere, in quem finem novi & liquorem volatilem parare, qui adeo potens est, vt ex paucis ejus guttis instillatis vinum album rubrum induat colorem, quod & C.C. volatile vino albo in usum facit. Sic quoq; potus Theè in acido refrænando non contemnendi usus est,

est, modo non in nimia quantitate aqua hauriatur, & tonus ventriculi inde labefactetur, cruditatesque augeantur. Venesectio, scarificationes frequentius institutę, fonticuli & setacea à practicis vulgaribus multum quidem commendantur, sed cùm hæc planè nihil pręstent commodi, quin obstructiones magis augeant quam tollant, mihi hactenus persuadere non possum, quod aliquid opis ab iis sit expectandum, cum hęc remedia, quantumvis generosa ab ignaris habeantur, ne guttulam quidem evasati sanguinis in sugillatione resorbere vel extrahere possint, ceu id in generali capite de Inflammatione latius deducturi sumus.

Externa topica Cosmetica dicta in Gutta Rosacea vix famam sustinent, sed plerumque suos deserunt Magistros, qui ut aliquid lucrentur, fucatis his aliis fucum faciunt, & Mercurialibus sępè plus noxę inferunt quam commodi. Magnipenduntur illa, quę ex talco & marcasita parantur, sed cuncta sępe frustra adhibentur, vel si prodesse videntur, id non tàm cosmetico, quàm frictioni excrementa tertię coctionis vulgo dicta tollenti, in acceptis ferendum, sic enim humores anteà restagnantes iterum alacrius per tubulos & vascula capillaria circulantur, in qua totus rei cardo vertitur. Quod si opinioni aliquid dare velis, ad ruborem faciei adhiberi possunt sequentia. Facies ungatur unguento de ceruss. camphorat. vel paretur linimentum cum aqua Regin. Hungar. thure, Mastiche & camphora. Sequens à pluribus magni æstimatur.

℞. *Salis Armoniaci* ℨß.
Camphor. ℨj.

F. Pulvis, qui conjiciatur in vitrum, affundatur aqua rosar. ut transversum digitum superemineat, insolentur donec exaruerint, posteà frangatur vitrum, eximatur pulvis & addantur ceruss. ℨj. *Hic Pulvis lęvigetur cum pauco ol. olivar.* & faciei illinatur.

Inter arcana habetur sequens.

℞. *Porcell. lactant. mundat. & eviscerat. concis. & contus. inde cucurbitæ vitreæ, affund. vini Hispan.* Mens. iij. *adde Cochlear.* Mens. j. *Pom. citr.* No. iij. *Sacch. canth.* ℨiv. *Destill. s. a. & receptaculo impon. fol. Auri* No. iv. *post exponatur radiis solaribus per 5. septimanas.*

Meliorem effectum ex sequenti expertus sum.

℞. *Thur.*
Mastich. aa. ℨj.
Alum. ℈j.
Coq. c. aq. flor. sambuc. & rosac.
Colatur. ℞. ℥vj.

qua mixtura lavetur vesperi cubitum ituris facies tepidè. Lavetur quoque facies cum spiritu vini camphorato prius aq. flor. sambuc. temperato, hic enim omnia ea conducunt, quæ commendamus in Erysipelate & Inflammatione, affectus enim hi tantùm secundum magis & minus differunt. Sic quoque externè salia volatilia in liquoribus solvi & applicari possunt: instituatur suffitus ex mastiche, thure. Panum sanguine menstruo imbutum & exsiccatum imponere quidam jubent in aquam calidam, ut coloretur, qua Gutta Rosacea per triduum lavetur & per se exsiccetur, faciem dealbare dicunt, quod tamen nondum expertus sum. A *Varignana* sequens maximè laudatur.

℞. *Aq. rosac.* ℔j.
Flor. lil. cœlest. ℔ß.
M. tunc
℞. *Sulphuris viv.* ℥j.
Camphor. ℨij.
Oss sepiæ ℥ß.
Medull. vitul. ℨij.

Terantur omnia, & cum aq. supradictis misceantur, ponantur in Sole quotidie agitando, & eo liquore facies illinatur.

Meliori nota sunt commendata sequentia.

℞. *Aq. flor. fabar.*
Lil. alb.
Sigill. Salom.
Rosar. aa. ℥j.
Cosmetic. Clavii ℈j.
Mercurii dulc. gr. xv.
Camph. gr. x.
M. D.

Sequens Tinctura cosmetica nostra egregia est.

℞. *Storac. cal. gumm. benzoes* aa. ℨj.
affund. Spir. vin. ℥ viij.
Diger. & adde. mosch. gr. v.

Huius Tincturæ instillentur guttæ aliquot aquæ fontanæ f. q. & lavetur facies.

Vel

℞. *Aquæ flor. omnium,*
Sperm. ranar.
Ros.
Flor. fabar.
Pulp. citr.
Sigill. Salom. aa. ℥ß.
Ol. Tartari per deliq. ℨij.
Sacchar. Saturni ℈j.
Borrac. Venet.
Ceruss. aa. ℨß.
Mercurii præcipitat. dulc. gr. iv.
M. D.

Sequens fuit probatissimum D. D. *Michaelis.*

℞. *Unguent. rosat.* ℨij.
Flor. Sulphuris ℈ij.
Lact. Sulphuris ℈j.
Sacch. Saturni ℈ß.
Ol. rosat. q. s.
F. Linimentum.

In Faciei *Erysipelate* seu Inflammatione cum Tumore sequentibus non ità pridem vidi Ducem Saxoniæ curatum. Detur ad motum lymphæ stagnanti conciliandum sequens mixtura intus sumenda.

℞. *Aquæ Card. bened.*
Flor. sambuc. aa. ℥iß.
Mixt. simpl. ℨß.
Syr. papav. errat. ℨij.
M.

Et cùm hanc inflammationem plerumque sequi soleat febris catarrhalis, interponi possunt varia absorbentia cum anodynis, ex. gr.

℞. *Pulv. cordial. prep.* ℈j.
Theriac. cœlest. Hanov. gr. j.
M. F. Pulvis.

Vel

℞. *Antimonii diaphoret.*
Specif. cephal. aa. gr. viij.
Bezoar. or. gr. iv.
Salis Card. bened. gr. iij.
M F. Pulvis.

Externè faciei tumidæ & inflammatæ imponatur sacculus sequentibus speciebus repletus.

℞. *Pulv. Erysipelat. Myns.* ℥j.
Salis commun. tost. ℨvj.
Flor. sambuc. ℥ij.
F. Pulvis, aspergatur Spiritu theriacal. camphor.

Instituatur etiam sequens vel simile suffumigium.

℞. *Gumm. anim.*
Oliban. aa. ℨj.
M. F. Pulvis pro fumo.

Os etiam colluatur sequenti vel simili gargarismo.

℞. *Aquæ flor. sambuc.*
Lil. convall. aa. ℥ij.
Spir. theriacal. camphorat. ℨiß.
Mell. ros. ℥j. *M. D.*

Phlogosin. Quantum ad *Phlogoseos* curationem, si mali sedes est massa sanguinea, à particulis sulphureis, acidis ac salsis acrioribus, scorbutico charactere imbutis, varia antiscorbutica vulgo ità dicta laudant medicamenta, quæ particulis & salibus volatilibus suis penetrantibus, incidentibus & attenuantibus enervant scorbuticum fascinum, ac eliminant per ductulos glandularum subcutanearum, ut sunt trifolium fibrinum, beccabunga, quæ non tam acribus & activis moleculis pollent, quàm cochlearia, in quem finem & hoc in affectu conducunt acetosa, quæ prosunt ægris particulis aqueis & acidis, temperando, restinguendo, diluendo, immutando & educen-

educendo; & hic asterisco notandum, quòd acetosa, acetosella, beccabunga aliis antiscorbuticis palmam præripiant, in tali enim scorbuto acri, si cochlearia, raphanus sylvestris, sinapi & similia frequenter ac copiose exhibeantur, concitant quiescentem sæpe causam, Narium hæmorrhagias, arthritides, asthmata, phlogoses, &c. excitant, hinc becabunga præfertur. Sin cochlearia arrideat, addita acetosa vel acetosella frenum injici potest, præ aliis conducet sæpius laudata aqua Antiscorbutica Dni Bontekoe. Sic quoque nasturtium aquaticum & hortense scorbuti antidota, lenta illa nec nimia coctione in juscula penetrantes transferunt particulas, quæ acrimonia sua salina volatili, salinas scorbuti malitia tinctas infringunt, emendant, expelluntque, Fumaria vi gaudent acres humores mitigandi, per glandulas subcutaneas sensibiliter educendi, Endivia verò non tam decantata bilis fervorem restinguendi, quàm diuretica sua virtute insigne præstat commodum, & medicamenta hæc vel in forma Electuarii, vel Essentiæ, vel pulverum, adjectis absorbentibus exhibenda sunt, in quem finem etiam acidulæ Selterenses conducunt, quę omnia motum sanguinis & humorum ac spirituum promovent, vel potui ordinario insundantur seq.

℞. *Rad. endiv.*
Scorzoner.
Tarax. cich.
Raſ. ling. santal. citr.
Sassafras,
C. C. eboris aa. ℥ ij.
Herb. fumar. endiv.
Fragar. violar.
Flor. bellid. aa. P. ij.
Dentur incisa.

Si verò Phlogoses sint ex acido volatili in primis viis latente, tunc conveniunt absorbentia dicta, quę acidas imbibunt in corpore atomos ac enervant, at non harum solum, sed & lixiviosarum, enixarum acrium sulphurearum, dum ipsis cohærent, crasin, texturam, ordinem, agitationem, immutare valent, quidem etiam in massa sanguinea, non cum insigni, seu quędam acida, verum lenta refractione, vi insimul diaphoretica & partes firmandi gaudentia, qualia sunt hoc in casu C. C. Ebur, oculi Cancrorum, corallia, mater perlarum, perlæ, unicornu, bezoar, antihecticum poterii, ejusdem stomachicum, bezoarticum solare & martiale, item joviale, salia etiam, ut sunt Tartarus Vitriolatus, sal absinth. Card. bened. arcan. duplicat. acidos salinos in primis viis latentes humores eliminant, destruunt, dissipant, ligantque. Ex. gr.

℞. *Arcan. duplicat.* ℈ ß.
Camphor. gr. j.
Ocul. Cancrorum gr. v.

Detur cum aqua acetosæ. Vel liq. terr. foliat. Tartari, vel Tinct. Vitrioli Mart. Tartarisat. Zwelf.

Eundem promittunt effectum salia volatilia tum liquida, tum forma salium solidorum exibita, quę potentem habent vim in refrenando acido, ut spir. Sal. Armoniaci anisat.

De Externis Topicis idem sentiendum judico, quod paulo superius dixi in Gutta Rosacea, Imprimis hic applicari possunt salia volatilia in liquoribus temperatis soluta, unà cum camphora, sed cum hæc sexus sequior ob ingratum odorem raro admittat, ea eligenda sunt, quæ superius attulimus, nec adeò sunt ingrata, instituatur suffitus ex mastiche, thure & succino, imponatur spir. vini Camphorat.

Varos & Lentigines. In *Varis & Lentiginibus* sequens certum dicitur experimentum, penetrando enim subitò vitiosas aciditates sub cute latentes absorbet, & eas ex tubulis quasi elicit.

℞. *Mercurii viv.* q. v.
Subig. cum succ. limon. & cum pingu. viperar. redig. in formam Linimenti.

Saliva quoque spiritu acido & alcali turget, cujus ratio cosmetica est, & contra serpigines jejuna illa usitatissima, imò contra maculas faciei à variolis relictas valet sæpe illita, & cum Aqua flor. omnium tandem abluta, quæ aqua attemperat valde acidum in cute latens. Liquor, qui fit ex cochleis contusis & Sale Tart. inspersis in loco frigidiusculo, ubi in liquorem egregie cosmeticum defluunt, qui in ardoribus & doloribus ex acido viscido oriundis singulariter est anodynus.

Hic tamen asterisco notandum, quòd cosmetica habeant hæc incommoda, nempe quòd sint tantùm pro fuco, rugas quoque cutis contrahant, & citò senescere faciant, dein inimicissima sunt gingivis, imprimis Mercurialia, tonsillis, dentibus & partibus circa palatum existentibus, hinc ulcera oris & fœtorem imò vacillationem dentium inducunt, quare puellis suadeo ut caute hisce mercentur.

In *Lentiginibus* (*SommerflecKen*) mira præstat ad mentem *Michaelis* aqua leucoji bulbosi, item aqua satyrii maculosi, Decoctum cosmeticum *Mynsichti*, unguentum nobile ejusdem, liquor Mercurii saccharinus, vel sequens.

℞. *Camph.* ʒ j.
Olibam. alb.
Ceruss.
Myrrh.
Sulpuris viv. aa. ʒ i ß.
Axung. gallin. q. s.
M. F. Linimentum. Lac equinum conducet si eo lauentur maculæ.

Vel Sulphur citrinum si in linteolo ligetur & infundatur per 24 horas in loco calido, omnes lentigines pellere quidam pro certo affirmant. Camphora in spiritu terebinth. soluta ab aliis commendatur, ut & sanguis gallinæ calide illitus. Oleum ceræ destill. cum oleo Tart. per deliq. plures laudant, ut & pinguedinem ursæ, quæ tamen omnia sæpe fallunt, & non sæpe aliter curari possunt, quam si caustico vel instrumento eximatur, quod tamen difficile, si non impossibile.

In *Ephelidibus* gravidis familiaribus, quæ magnæ sunt maculæ & post partum sępe evanescunt, prosunt medicamenta superius dicta, specifice vero aqua fungorum cum maculis à *Michaele* laudatur.

Maculas. *Maculas* quascunque faciei tollunt præter alia Tinctura Benzoes cum aqua rosar. in lacteam misturam redacta, quæ optima est, si faciei maculis illinatur, purificat, & cutim nitidam reddit, hic conducit lac virginis.

℞. *Aluminis* ℥ ij.
Aquæ ℔ j.
Coq. ad 3.
℞. *Lithargyr. auri* ℥ iij.
Aceti ℥ jx.
Coq. ad ℔ ß.
Cola & misce cum priore quod lactescet.

Liquor quoque myrrhæ ab *Ettmullero* descriptus egregium est cosmeticum contra maculas, in specie solares (*Die SonnenflecKen*) rugas faciei & cicatrices delendas. Aliàs fucus muliebris est sequens. ℞. Patellam ferream novam, candefiat prope ignem, huic ex ore vinum adspergatur, & vapor inde surgens facie probè munita similiter excipiatur, tegatur facies, & hoc per septimanam continuetur, rugas seniles abigit, ut juventutem mentiri queant vetulæ. Urina quoque propria rusticis cosmetica est faciei illita. Axungia viperarum faciei illita maculas delet, unde & misceri potest balsamo Penotiano, qui contra rugas faciei elegans est remedium. In Maculis faciei spiritus vini animatus cum salibus volatilibus, ut & sacchar. Saturni ac spiritus vini myrrhatus non frustra adhibentur, ut & Oleum Tartari.

Nævos. *Nævi materni* optimè abluuntur lochiis & secundina matris statim à partu, vel si tam citò non fuerint observati, medicamentis aliquantùm corrodentibus absumuntur, prout lib. 5. illud pluribus sumus ostensuri.

CAPUT XXI.

DE ORIS VITIIS,

Ejus Apertione, Coalitu, Scirrho, Tortura, malè affectis ductibus salivalibus, Ptyalismo, & fœtore.

§. I. OS quoque suas luit pœnas, & meritò, quia ex eo, loco benedictionum & celebrationum Divini nominis, sæpe prodeunt blasphemiæ aliæque calumniæ, aut per id ingrediuntur nimis lauta & majori copia ab illis deglutita, qui parasitorum & gulonum more interdum omne suum abliguriunt patrimonium, ut ossa vix unquam tantum valeant lucrari, quantum ora absumunt & devorant, quæ peccata Deus O. M. juxta præscriptam legem variis & molestissimis quandoque punit affectibus, quales sunt 1. Oris inordinata & indecora *Apertio*, quando scilos, quod ordinariè claudi debebat, præter decorem & voluntatem manet apertum. 2. *Coalitus*, quando id inconvenienter coaluit & ità unitum est. 3. *Scirrhus*, quando id à tumore duro fuerit occupatum. 4. *Tortura*, si id vitiosè invertitur. 5. Quando ductus salivales vel à tumoribus compressi, vel aliter obstructi, vel in *Ptyalismo* nimis aperti existunt, vel fistula suborta fuerit. 6. *Fœtor* oris, quando ex eo odor fracidus atque teter exspiratur, qua graveolentia oris Medi Persæ laborant.

Oris Apertio. Coalitus. Scirrhus. Tortura. Ptyalismus. Fœtor.

§. 2. *Locus affectus* sunt partes externæ & internæ oris, os enim constat ex partibus partim osseis, ut maxilla superiori & inferiori cum dentibus, partim carnosis, ut labiis musculisque labiorum, buccarum & maxillæ inferioris. Oris tota interna capacitas succingitur crassa tunica, quæ gingivas & labia ambit, & reduplicari putatur, quando uvulam constituit. Hic potissimùm agimus de harum externarum partium affectibus, de internarum verò malis paulò inferius tractabimus, exceptis ductibus salivalibus è *Warthono*, *Stenone*, *Bartholino* & *NucKio* inventis, post aures, propè oculos & per genas internè ad os decurrentibus, unde & varia nomina hi ductus acceperunt, quorum affectus prioribus hic subnectemus.

Pars affecta.

§. 3. Vitia hæc oris omnia vel ex ipsius ægri relatione vel ipso Medici visu cognoscuntur. Scirrhus oris iisdem signis cognoscitur, quibus Scirrhus in genere. Ita Ductuum quoque salivalium vitia per se facilè patent, & ex sequente ætiologia clariùs innotescent.

Diagnosis.

§. 4. *Galenici* ipsius *Apertionis* & Hiatus Oris *causas* varias enumerant, nempe luxationem maxillæ inferioris, distensionem cervicis ex vulnere nervorum, consuetudinem malam, Narium obstructionem, vaporum ex febribus adscensum, læsam in lethargo memoriam, à quibus omnibus os apertum vel plane nequeat recludi, vel ab ægris quid decorum sit, minus advertatur.

Ætiologia secundum Galenicos Apertionis oris.

Oscitationis causam statuunt vapores halituosos & excrementitios maxillarum & labiorum musculos occupantes, & facultatem expultricem ad excernendum stimulantes, provocatos interdum à frigore aut excitatione à somno nondum absoluto, retentos verò à cutis densitate, & pauca perspiratione, ut ità oscitatio secundùm *Avicennam* languida quædam & invalida sit vaporum istorum expulsio.

Oscitationis.

Oris *Coalitum* à nativitate vitio facultatis plasticæ frequentiùs contingere fatentur, labiis ita inconvenienter unitis, vel ab ulcere aut vulnere malè curatis, aut tumore foramen illud occludente. Maxillarum vitia etiam accusant, à quibus in diductione impediuntur, ut ità os aperiri nequeat.

Oris Coalitus.

Scirrhi causam etiam hic, ut in aliis partibus humorem putant esse melancholicum vel pituitosum, aut partibus tenuioribus à calore dissipatis incrassatum, aut medicamentorum repellentium, adstringentium vel discutientium applicatione immoderata in tantam duritiem redactum.

Scirrhi.

Torturæ oris causam adscribunt musculis faciei vel nervis tùm tertiæ & quintæ conjugationis, tùm cervicalibus malè affectis, imprimis à spasmo seu convulsione, vel ab inanitione, vel à repletione subnato.

Tortura.

Ductus salivales cum planè ignoraverint, sed eorum inventio hujus seculi felicitati sit adscribenda, priores & antiquiores de eorundem morbis nullatenus fuerunt solliciti, possunt tamen morborum eorum causæ secundum consueta Galenicis principia explicari, ita ut *Vulnera* à continui solutione à causa secante vel pungente externa, *Ulcera* ab humoribus erodentibus & *Tumores* à variis humoribus vel per affluxum, vel congestionem in vasis hisce collectis oboriantur.

Ductuum salivalium Affectuum.

Ptyalismi causam proximam constituunt ipsius salivæ copiam, facultatem expultricem ad sui excretionem stimulantem. Remotiores verò internas accusant humoris serosi & pituitosi abundantiam, sive ille à cerebro ad fauces defluat, sive in toto corpore cumuletur, sive ex ventriculo, intestinis, liene, pectore & pulmonibus proveniat. Externas autem inunctionem hydrargyri, cibos humidiores & potum nimium, omnes salivam nimis augentes.

Ptyalismi.

In Oris *Fœtore* ut causam agnoscunt vapores fœtidos vel à cibis ipsis per se fœtidis, ut allio, cepa, &c. vel in ventriculo & dentium interstitiis corruptis, vel ab excrementis intestinorum propter orificium ventriculi inferius minus clausum, vel humoribus fœtidis aut in ulceribus diversarum partium corruptis, vel vermibus in intestinis stabulantibus, adeoque ipsa putredine proveniente & vitiose per os exhalatos.

Fœtoris oris.

§. 5. *Paracelsus* proximè accedens non verbis sed silentio suo de *Apertionis* Oris causis priorum se subscribere sententiæ facilè annuit.

Juxta Paracelsum Causa Oris Apertionis.

In *Oscitatione* quoque eò vergere videtur, ut causam ejus approbet humorem resolutum & in vapores fuliginosos abeuntem mercuriales, qui musculis & juncturis maxillarum tantam moveant molestiam, ut Archeus per vim expulsivam eosdem diductis maxillis, adeoque ore dilatato eiicere opus habeat.

Oscitationis.

Oris *Coalitum* itidem cum aliis vel in utero ex formatione deficiente, vel externa illum à materia glutinante ex vulnere vel ulcere producta oriri posse concedit.

Coalitus.

Scirrhum etiam in ore, uti in aliis corporis partibus, vel à sale nitroso in partes oris dejecto, ibidem alienam naturam induente, & tumores hosce inducente, vel à vitriolo in duritiem abeunte produci putat, quorum posteriores tumores ob vitrioli corrosivitatem nonnunquam in ulcera abeant.

Scirrhi.

Torturam oris ad eos refert morbos, qui in spasmum & tetanum abeant, quamvis horum non habeant principia, nec ab ipsorum membris oriantur, sed in ipsis tamen generentur, qua tandem virtus crescitiva spasmi & tetani lædatur, & spasmus vel tetanus fiat, ejus verò causam vult spiritum esse Mercurii non subtilem, sed frigidum cursum peragentem, & ad musculos oris pertingentem tarditate sua eos distorquentem.

Tortura.

Ductuum salivalium vitia & *Ptyalismum* non minus liquori Mercurii adscribit, qui à sale & sulphure divortium faciens reliquos succos dissolvit, hinc sal extra reliquorum consortium constitutum, subtilisatum & conditionem expellendi subiens vasa erodit, & eorum ulcera suscitat, induratum verò & coagulatum tumores. Vulnera à causa externa contingunt vi quadam vasa ista dividente. Resoluti à spiritu mercuriali liquores impetuosè ad linguam ruunt & per salivam effluunt.

Ductuum salivalium vitiorum & Ptyalismi.

Oris *Fœtoris* causam imputat tum stercori intestinorum etiam per os fœtenti, tum propriis excrementis oris, post digestionem ciborum in eo factam relictis, & aliquando sputo rejectis.

Fœtoris.

§. 6. *Helmontio* eadem mens est de causa *Apertionis* oris cum prioribus; *Oscitationem* verò non tam à fuligine vult oriri, quam ab ea facultate & parte, quæ imaginationi paret, ore videlicet stomachi, ita ut à segni stomacho dormitionem postulante, libido oscitandi

Helmontii opinio de causa Oris Apertionis & Oscitationis.

tandi musculos subter dormiendum irrequietos excutiat; tendat, & musculos buccarum & tracheæ in clientelam vocet, nullatenus verò oscitationem esse musculorum mandibulæ, cùm compressis pressis etiam dentibus, adeoque motu mandibulis prorsus contrario, nihilominus possit oscitari.

Coalitus. Scirrhi & Tortura:

Dei *Coalitus* oris causis ultra priora ab aliis prolata nihil addit, *Scirrhum* verò à cruore ad os effuso & ibidem ad volatilitatem facto inepto produci credit, sicuti *Torturam* oris, ut reliqua spasmorum genera à musculorum oris propria vita reducit, musculis istis proprio motu tumultuantibus.

Ductuum Salivalium vitiorum & Ptyalismi.

Ductuum Salivalium morbos & *Ptyalismum* à latice vel corrupto vel aucto originem sumere credit, quatenus in via varia sibi adsumit salia aliaque digestionum excrementa, & inter ea etiam fermentum quoddam alienum, quod vasa exedit, vel lingua & faucibus cum amygdalis, quibus opificium salivæ è latice proprium esse credit, à morbis affectis ad vocationem Archei ex venis promptè accurrit, sed morbis istos extinguere non valens per copiosam sputationem effunditur.

Fœtoris.

Fœtoris causas quod attinet, silentio suo priorum opinioni placidè videtur annuere.

Juxta Vvillisium causa Apertionis Oris.

§. 7. *Vvillisio* non minùs quàm cæteris *Apertionis* Oris causæ variæ existere posse videntur, potissimum verò præter malam consuetudinem Luxatio Mandibulæ inferioris, abs qua magnum oritur impedimentum in ore debito tempore recludendo.

Oscitationis.

Oscitationis causam credit tum spiritus animales multis particulis crassioribus infectos, à quibus in transitu per tubulos musculorum maxillæ & buccarum impediantur, quasque distensione fibrarum & angustatione tubulorum subsequente eam oris diductione tali modo exprimere & excutere conentur; vel easdem particulas heterogeneas tubulos occupantes, quas spiritus animales minus vegeti tam promptè nequeant eiicere, nisi suscitato quodam impetu fibras istas musculares sive motrices aliqualiter concutiant, & ad explosionem rei molestæ excitent, quod & impulsu proprio peragere soleant.

Coalitus.

Coalitus causas easdem ipsas accusat, quas priores jam retulerunt.

Scirrhi.

Scirrhi in Orbis partibus existentis causam eandem regerit, quam aliorum membrorum Scirrhi agnoscunt, corpuscula videlicet terrestria particulis salinis juncta, & post spiritus depressos longiore stagnatione in tumorem istiusmodi congelata.

Tortura.

Torturæ oris causam, uti aliarum convulsionum particularium, copiam quandam heterogeneam statuit explosivam, spiritibus animalibus immixtam, & medullæ oblongatæ caput cum nervis musculos oris ptospicientibus potissimum occupantem, una cum relaxatione interdum alterius lateris musculorum, unde oppositi fortius agant, & partem, quæ inter utrosque velut in æquilibrio consistere deberet, versus se totam corripiant & diutius detineant.

Ductuum Salivalium vitiorum.

Ductuum Salivalium *Tumorem* à liquore salivari seu humore seroso à glandulis parotidibus, maxillaribus & sublingualibus effluente crassiore & stagnante; *Ulcus* ab eodem salino acriori corrodente; *Vulnus* verò ab externis causis scindentibus, pungentibus aut rumpentibus originem habere contendit.

Ptyalismi.

Ptyalismum à nimia humorum serosorum crassiorum copia & superfluitate à glandulis modò dictis ad ductus nominatos profluentes causari asserit; eò quod ob crassitiem tam facile nequeant vel per diuresin, vel diaphoresin secerni; sæpiuscule verò ab argento vivo salibus subacto & vel intus adsumpto, vel foris illito hoc propterea contingere, quoniam illud à particulis corporis humani salinis minutissimè dissolvatur, & iis involutum penitissimè immisceatur, quas salium & Mercurii concretiones per omnes humores inque omnes totius corporis partes diffusas, dum molestiam pariunt, natura expellere moliatur, & quidem sanguine & forsan aliquatenus liquore nervoso recrementis istis mercurio-salinis eadem omnimodo excutere satagentibus. In febrium etiam malè judicatarum declinatione criseos loco salivationem hancce succedere observavit, humore excernendo non tantum apertioribus ductuum salivalium foraminibus, sed & arteriarum osculis ubique consitis exudante. Similem sputationem in Scorbuto inde excitari docet, quatenus in sanguine depravato salis ac sulphuris enormium recrementa plura & crassiora congeruntur, quàm ut diaphoresi vel per urinam aut sedem satis excerni possint, quæ tum ad oris emunctoria, quibus salsiora sanguinis purgamenta exire solent, deferantur, & sero diluta è vasis salivalibus exundantia sputationem hanc creent copiosam.

Fœtoris.

Fœtoris causam statuit particulas salino-sulphureas, partim humoris per salivationem excreti, partim ciborum in dentium interstitiis aut ipsarum gingivarum ab humore corruptarum putrescentium continuò exspiratas.

Sylvii opinio de causis oris apertionis.

§. 8. *Sylvius* causam *Apertionis* oris potissimum accusat luxationum maxillæ inferioris, aut musculorum temporalium paralysin, vel vulnus transversum.

Oscitationis

Oscitationis causam statuit halitus copiosiores ex ventriculo erumpentes, & ad sui exhalationem majus spatium postulando, musculos maxillarum & buccarum diducentes, ut per apertum os faciliorem habeant exitum.

Coalitus.

Oris *Coalitum* ab erosione aut ulcere Labiorum aliquando contingere docet, partibus læsis ob glutinositatem succi ex ulcere effluentis sibi invicem concrescentibus, aliquando etiam os manere conclusum ob musculorum temporalium convulsionem.

Scirrhi.

Scirrhi causam statuit humores tenaces & spiritum acidum in oris aliqua parte collectos & condensatos, vitio imprimis glandularum.

Tortura.

Oris *Torturam* fieri vult à paralysi musculi oppositi, & alterius sani naturali & continua contractione, unde dum hæc ab opposito musculo paralytico non impeditur nec cohibetur, musculus sanus videatur torqueri & convelli.

Ductuum Salivalium morborum.

Ductuum Salivalium *Tumorem* oriri docet à saliva crassa & viscidiore, ductus hosce non modo obstruente, sed etiam in tumorem attollente. *Ulcus* verò ab eadem acida acriore ductus erodente; & *Vulnus* à causa externa violenta scindente vel pungente, vel à ruptione à saliva copiosiore & impetuosè in ductus influente.

Ptyliasmi.

Ptyalismi seu Salivationis nimiæ triplicem statuere solet causam, nempe 1. Materiæ salivaris redundantiam, nunc ex ubere usu alimentorum liquidiorum, vini præsertim acidiusculi, vel remediorum vi sua peculiari salivationem moventium, imprimis mercurialium; nunc ex urinæ aut sudoris consueti excretione parciore provenientem. 2. Viarum sanguinem spiritusque animales ad glandulas salivares deferentium amplitudinem aut multitudinem, propter quam plus materiæ in salivam mutandæ affertur dictis glandulis. 3. Glandularum ipsarum salivam conficientium vitium, propter quod salivalis materiæ plus, quam decebat, excipitur è sanguine, mutaturque in salivam; licèt illud vitium, quale sit, aut esse possit, nequeat determinare.

Fœtoris.

Fœtoris causam adscribit parti alicui in faucibus, ore pulmonibus, vel alibi corruptæ & putrescenti, vel reliquiis ciborum in dentibus corruptis & putrescentibus, ex quibus ejusmodi fœtor erumpat.

Cartesianorum sententia de causa oris Apertionis.

§. 9. *Cartesiani* ipsius *Apertionis* Oris causas itidem cum aliis fere communes statuunt, malam scil. consuetudinem, luxationem maxillæ, & narium obstructionem, unde pro respiratione ægri os perpetuò ferè apertum servare cogantur.

Oscitationis.

Oscitationis causam recensent particulas quasdam mucronatas acres, in musculis maxillæ inferioris hærentes, leniter fibrillas nervorum vellicantes, & spirituum versus oris musculos influxum promoventes, à quibus motus ille violentior producatur.

Coalitus & Clausura.

Oris *Coalitum* vel labiorum accretioni in utero, vel extra eum ab ulceribus malè curatis, succo nutritio glutinoso existente, contingenti accensent; uti diuturniorem ejus *Clausuram* maxillarum musculis paralysi laborantibus, aliisque morbis convulsivis

aut soporosis, in quibus tum nervi, tum liquor eorum variis modis afficiuntur.

Scirrhi. *Scirrhi* originem succo cuidam adscribunt tubulos musculares partium oris aliquantum obstruenti paulatim indurato, vel simplici condensatione, avolantibus nempe partibus subtilioribus, relictis terrestrioribus, vel coagulatione ab angularibus acidis particulis prioribus commistis inducta.

Torturæ. *Torturæ* Oris causam potissimùm valvulis adscribunt in tubulis musculorum contentis vitiosè dispositis, ut spiritus animales satis promptè & æqualiter nequeant ex musculo contractore in appositum extensorem transire, sed in contractore diutiùs detineantur, unde partes reliquæ musculum contractum sequi cogantur, nanciscentibus valvulis musculi contractoris eum situm, ut spiritus per apertam quasi viam faciliùs in hujus, quam alterius tubulos influant, & partem ejus ad hoc vel illud latus distorqueant.

Ductuum Salivalium Tumoris Ulceris & Vulneris. *Ductuum* Salivalium *Tumorem* à saliva multis particulis ramosis & angularibus acutis referta in tantum provenire censent, dum ramosæ illæ particulæ ab angularibus coagulatæ stagnationem inferunt, circa quam humor salivaris tenacior diutiùs subsistens, fibras vasorum distendit & intumescere facit. *Ulcus* ab angularibus illis particulis valde acutis & ab aliis liberatis produci contendunt, illæ enim sui juris factæ, & à solis materiæ æthereæ particulis fortius agitatæ, fibras vasorum horum facilè rodunt, frangunt, iisque ruptis foramen aliquod constituunt, per quod liquor contentus ab iisdem similiter corruptus assiduo emanat. *Vulnus* ab externo quodam instrumento scindente, & dissecante, violenta manu vasis hisce adhibito, induci cum reliquis fatentur.

Ptyalismi. *Ptyalismum* oriri docent à nimia seri à sanguine præcipitatione, unde lympha copiosa per vasa lymphatica oris salivalia in os ipsum detrudatur, existentibus simul glandulis nimis laxis, quod utrumque à mercurii tum externo, tum interno usu frequentiùs oboriri soleat, cui tamen accedant simili sua potentia particulæ angulares acutæ & rigidæ, sive acidum in melancholicis sputatoribus dictis, illud enim sanguinem coagulando tantum efficere credunt, ut serum præcipitatum à sanguine liberaliùs per vasa salivalia ad os derivetur. Ventriculi cruditatem morbo huic eatenus ansam præbere concedunt, quatenus multi ab ea humores serosi & pituitosi generantur.

Fœtoris. *Fœtoris* causam esse existimant vel particulas ciborum in dentium interstitiis, vel poris, vel cavitatibus hærentes & per lenem quandam digestionem putrescere incipientes, dum particulæ constituentes à se invicem secedunt, eumque fœtorem à tartaro circa dentes hærente valde augeri & foveri; vel vapores & halitus ex intestinis per ventriculum in gulam supremam adscendentes, & ibidem cum aere à pulmone per arteriam asperam exspirato se miscentes; vel purulentam materiam in pulmonibus collectam & fœtorem in os exhalantem, uti & particulas salivæ copiosiores à mercurio præcipitatas, quæ non modo fœtorem hunc excitant, sed & gingivas corrumpunt, & ad putredinem disponunt.

Nostrum judicium de causa Oris Apertionis. §. 10. *Nostro* judicio Oris *Apertio* à pluribus oritur causis, à tumoribus nempe circa juncturam maxillarum in inflammatione maxillæ & tonsillarum obortis, item quando oris cardo, in quo gena vertitur, obrigescit, & os redditur strictius, quo minus in rictu queat expandi, ab acido viscido humore in juncturam illam & vincula altiùs imbibito. Ex vulnere quoque nervorum hiatus oris producitur, nec non à luxatione inferioris maxillæ, narium obstructione, læsione memoriæ, ut in lethargo fieri solet.

Oscitationis. *Oscitatio* ortum habet à particulis acidis acrioribus stagnantibus, musculos maxillæ inferioris stimulantibus ac irritantibus. Ad oscitationem proni post eam sæpe experiuntur os saliva abundare, quod non aliunde est, quam quod musculi, quibus oscitatio peragitur, simul & glandulæ & glandularum ductus salivales comprimantur, unde omnis, quæ in iis continetur, saliva os versùs demandatur, à simili seu potius gingivarum tumore & inde facta compressione. Quòd verò oscitante uno oscitet & alter, inde oritur, dum à diductione maxillarum fortiori spiritus in altero similiter ita disponuntur, & determinantur, ut versùs eandem prorumpant partem, & eandem fermè diductionem instituant, qua in re mens facilè occupatur.

Coalitus. Causa *Coalitus* seu Coalescentiæ Oris sæpius à nativitate dependet, ob errorem formationis in utero, quo partes dissolvendæ uniuntur, interdum verò extra uterum tum in parvulis, tum in adultioribus à malè curatis ulceribus, cancro & hypersarcosi obtigisse experientia mihi commonstravit, disruptis prius cutis & musculorum fibrulis, quarum extremitates ab utraque parte se tangentes interveniente chylo gummosiore facilè glutiantur, eoque modo partes, quæ distare debebant, vitiosè uniuntur. Oris occlusio etiam à maxillarum vitio dependet, dum deduci nequeant, sed vel inferior capiti sit annata, vel humor viscidus circa juncturam earum hæreat, vel nervi cervicis sint vulnerati.

Scirrhi. Causa *Scirrhi* Oris est liquor evasatus in tubulis diutius retentus, tubulos obstruens & avolantibus particulis volatilioribus condensatus, vel ab acido quodam austeriori coagulatus, partem non modò tumidam, sed ob inspissationem aut coagulationem istam etiam duriorem reddens.

Torturæ. *Tortura* Oris eandem agnoscit causam, quam Spasmus seu Convulsio, quæ cùm in proximè præcedente capite pluribus jam sit explanata, eò Lectorem nostrum remittimus, ne crambembis coctam proponendo aliquam moveamus nauseam.

Salivæ status in sanis. Ad *Salivæ* statum morbosum antequam accedamus, more solito, quomodo in sanis sese habeat, prius contemplabimur. Per salivam verò hic intelligimus humorem illum limpidum, qui per ductus salivales in os fluit, non vero illud sputum, quod cum excreatione rejicitur, vel quod è naribus supra palatum è cerebro in os assugitur, quod quandoque circa fauces bivias aut isthmum oris tenax & viscidum adhæret, propterea & screatu rejici solet; uti neque mucum tonsillarum, qui screatu à tonsillis & succo iis proprio exprimitur ex sinu communi in os & fauces aperto. Quod enim ore ordinario rejicitur, sputi & salivæ mixtura est, non tamen dicendum, simplicem liquorem & phlegma esse inutile salivam, sed varii generis particulas in se continet, quæ præter particulas alcalicas oleosas, particulæ scintillantes etiam salem in se continere nos docent; præterea quod Mercurii mortificationem eadem promoveamus, particulas oleosas acidis permixtas esse necesse est. Lac vaccinum dum excoquunt ancillæ, si inter coquendum illud gustaverint, & dein cochlear lambant, & saliva adhuc madidum iterum lacti immiserint ebullienti, observatur lac hocce secedere non aliter, ac si liquor planè acidus fuisset admixtus, certo indicio, ab acido in saliva contento hoc provenire. Salivam & habere adhuc alias particulas præter flexiles, patet ex canibus rabie hydrophobica laborantibus, quibus adeò est venenata saliva ut etiam alios inficiat. Si plura hujus rei cupias experimenta, adeas Cl. Dn. NucK tractatum *de Anatomia Salivæ* à p. 50. usque 60.

Ductuum Salivalium Vulneris, Ulceris & Tumorum causa. Salivæ huic ejusque ductibus varii accidunt affectus, præterquam quod hi ductus aut *Vulnere* aliquando læduntur, aut materia acri exeduntur, unde transitus Salivæ versus os impeditur, quod idem accidere potest à *Tumoribus* durioribus hisce partibus subortis, quemadmodum aliquando observavimus à Tumoribus ductum salivarem sinistri lateris tam superiorem quàm inferiorem in tantum comprimi, ut transitui salivæ via præcluderetur & ægris os in totum fermè aridum habeant, adeò ut salivæ pauxillum tantum ventriculo per deglutitionem tradi posset. Si ductus salivalis in glandula surculi concurrentes & pelvim quasi facientes lædantur ex vulneribus harum glandularum facilè *Ulcera fistulosa* suboriri solent, imprimis si vulnus sit majusculum, aut transversim abscissus ductus, aut materia acri erosus; rarius tamen hoc accidit in vulneribus perexiguis aut secundum longitu-

gitudinem ductuum fibrosorum læsis, tunc enim leviori compressione ductuum latera sæpe coalescunt & pristino statui restituuntur.

Causa Ptyalismi.

Causa proximi *Ptyalismi* omnium Doctorum consensu est saliva redundans; lympha enim in vasis cumulata & ad glandulas dictas delata, si quantitate immodica aut qualitate prava imbuta sit, & sæpe à glandulis tumefactis tanquam nefaria & superflua exspuitur, inde necessum est in os ut regurgitet, copiosamque excretionem constituat. Quomodo verò secretio hæc in glandulis fiat, diversæ sunt Auctorum sententiæ. Nonnulli mediante fermento quodam hoc peragi putant, quod à succo nervoso expectant, considerantes, quod nervi numero plures glandulis inferantur, quàm quidem ad motum illarum & sensationem requirantur. Alii à varia particularum & pororum proportione id deducunt? Nos verò sequenti modo secretionem hanc fieri sumus persuasi. Sanguis namque arteriosus variæ magnitudinis & figuræ particulis constans, in glandulas has delatus, (sive id fiat à subsequentis sanguinis protrusione, sive partium ambientium pressione) ulterius propellitur, donec ad angustissimos glandularum venerit canaliculos, ubi dum poruli occurrunt diversæ ab invicem figuræ & diametri, quorum hi unius, alii alterius generis particulas suscipere apti nati sunt, salivalis humor porulos ductuum salivalium, lymphaticus verò particulis magis flexilibus constans, ductus lymphaticos subit, reliqua autem massa per patentiores vias, venas scil. transmittitur. Rei hujus veritas peritioribus Anatomicis cognita est, venis enim jugularibus subducto filo in cane arctè ligatis, non duntaxat lachrymas copiosius prodire observabis, sed & salivam tam copiosè profluere, ac si Mercurio assumpto fluxus is concitaretur, quod non aliunde, quam ab impedito sanguinis ab arteriis in venas circuitu. Separatio verò hæc ut legitima fiat, requiritur particularum & pororum proportio, confusa enim miscella seminis milii & frumenti per cribrum separari potest, sic Auri porositas Mercurium admittit, quæ tamen aquam, oleum & aerem arcet; sanguis itidem cùm non constet ex particulis indivisibilibus, sed ex corpusculis quantis & figuratis, quæ per proportionata tantum foramina permeare possunt, hinc in cerebro spiritus, in mammis lac, in hepate bilis, in renibus serum & in venis sanguis transit. Magna salivæ quantitas in glandulis salivalibus secernitur, adultum nempe in statu sano 12. horarum spatio uncias x. aut libram integram hujus salivæ exspuendo reddere posse, experientia constat, quæ verò non omnis ad os mittitur. Quidam non nisi singulis bihoriis unciam unam duntaxat deglutiunt, alii plus quàm 2. uncias ventriculo tradunt: hinc constat, tantam salivæ quantitatem præter quam ori, etiam ipsi stomacho, ut & toti intestinali tubo, virtutes suas communicare.

Sed è diverticulo in viam. Salivæ ergò secretio aliquando copiosa adeò, ut *Ptyalismus* inde oriatur, & præsertim à Mercurialibus medicamentis aut inunctione, aut fumigatione, vel etiam internè adhibitis, & tum frequentissimè ulcuscula in ore & lingua adsunt, os dolet, lingua tumet, dentes vacillant & os fœtere solet, quia cum sero copiosus sal præcipitatur, qui sua acrimonia os, linguam, & per vasa salivalia inter dentes ad dentes delabens gingivas afficere solet. Mercurius namque vel maximè exiguos glandularum canaliculos & tubulos in tantum aperit, ut excretio fiat satis copiosa. Sanguineæ enim massæ communicatus Mercurius, & in innumeras particulas orbiculares divisus ad omnes pororum configurationes sese accommodat, saliumque aciculas, ubique hærentes confringit, quibus loco motis, plurimæ obstructiones tolluntur, iisque sublatis, tota materia morbifica per tubulos glandularum salivalium delata, patentiores jam invenit vias, quibus facilius in os fluit & foras amandatur. Sic quoque in Quartana aliisque affectibus vulgo melancholicis dictis *Ptyalismus* iste oriri solet, ob sanguinem crassitie sua peccantem, & tardiùs per glandularum salivalium canaliculos motum, quia acidum in melancholicis sanguinem coagulat, hinc necessariò in vasorum extremitatibus stagnare debet, & copiosiorem salivæ materiam suppeditare. In Scorbuticis & sputo sanguineo hoc symptoma non rarum est. Ptyalismus hic etiam oritur à nimia præcipitatione seri à sanguine, quare cùm multa lympha per vasa lymphatica redit, per ductus salivares in os detruditur, quia etiam pori glandularum sæpe sunt nimis laxi. Ventriculi cruditas ansam dat huic affectui, quatenus multum chyli serosi & mucosi generat, nam non facilè ab aliis caussis tam copiosum serum à sanguine separari solet. Salivatio etiam est aliquando salutaris. Phthisin Ptyalismo per septem dies perdurante restitutam legitur *Eph. Germ. Ann.* 1. *Obs.* 122. Febrem ardentem ejusmodi critica salivatione judicatam fuisse testatur *Zod. Med. Gall.* quod & non ita pridem hic Cassellis in Matrona nobili à febre maligna ptyalismo laborante observavi, quæ & à me diureticis brevi curata fuit. Sic quoque salivationem hanc promovent omnivaria medicamenta masticatoria dicta, imprimis herbæ Nicotianæ usus, partes namque hujus herbæ subtiliores & magis volatiles in vasa glandularum excretoria penetrantes, ea ipsa irritare, particulasque viscidas hinc illinc hærentes incidendo salivæ secretionem promovere valent. In pluribus cum saliva & alii humores excrementitii excerni solent cum commodo, quamvis in aliis adeò nocivus est ejus usus, ut continua hac salivatione massam sanguineam reddant non tantum in motu nimis tardam sed & exsuccam, uti sæpe hecticam & ob acrimoniam hujus fumi phthisin inductam novimus, imò à Tabaci usu appetitus destruitur, quando sc. in ventriculum abliguriunt; hinc herbæ hujus amatores nihil vel parum appetunt; dyspnœa aliis oboritur, imò innumera alia mala inde orta observavimus. Saliva etiam ipsa vel acris est, vel verminosa, qualem nos in civi Hamburgensi vidimus, cui sæpe tanta vis est, ut ab hac dentium intervallis aliquamdiu conclusa mox colorem saporemque mutent, imò ab hac rubedo vini ore detenti protinus pereat.

Causa Oris Fœtoris.

Fœtor Oris utplurimum oritur ex primis viis, h. e. stylo fœtido, vermibus, pure aliisque in ventriculo aut ei annexis intestinis contentis corruptis, inde acres & fœtidæ hæ elevantur particulæ nares adstantium vellicantes, quod in ipso etiam Volvulo sive Iliaca passione ex retentis fæcibus contingit: hoc etiam fit quando Chylus non ritè à recrementis suis liberatur. Quandoque materiam in ore corruptam, aut partem quandam oris pro causa habet. Huc caries dentis, gingivæ tonsillarumque ulcus, fistula, &c. pertinent. Nonnunquam corruptum in pectore aut pulmone hærens tertium spirat odorem, item in Ozæna, novimus enim quendam Ozæna laborantem, quem ob tetrum halitum nemo ferre poterat. In Gravedine sine Coryza nimis maturè & imprudenter suppressa & materia inspissata, imprimis ab opiatis, hujusmodi fœtor produci solet: sic nuper quidam in Coryza assumpsit statim ab initio pilul. de cynogloss. à quibus materia incrassata in ventriculis cerebri ob stagnationem putrida reddita maximum fœtorem ægroto conciliavit, ut fœtorem hunc in excernenda materia ipse vix ferre potuerit.

Apertionis Oris.

§. 11. Oris illi affectus si cum magnis morbis, imprimis cephalicis sunt stipati, magnum portendunt periculum.

Prognosis.

Oris *Apertio* seu Hiatus à mala consuetudine, præter dedecus nullum suadet timendum periculum, sed à luxata maxilla, convulsione, aliisque causis producta, pejus quidpiam timendum esse subinnuit.

Oscitationis.

Oscitati sæpius nulla indiget curatione, sed discussa materia musculis molesta facilè cessat; si vero sit frequentior, diuturnior & in nixu accidat, curatio fermè nulla est, dubia autem, si maxillam inferiorem luxet, utplurimum etiam febrium existit præludium.

Coalitus.

Oris *Coalitus* à nativitate obortus longè curatu est difficilior illo, qui est à tumore vel alia causa, labia vel alias oris partes coagulante.

Scir-

Scirrhi. *Scirrhus* in Oris partibus majus periculum infert, quam in aliis corporis locis, &, si tumores hi imprudenter tractentur, in ulcera cancrosa facile abeunt, *Ulcera* etiam oris non bene tractata in serpentia degenerant.

Tortura. *Tortura* Oris eandem admittit prognosin, quam superiori dedimus capite de Labiorum vitiis.

Ductuum Salivalium affectuum. *Ductuum Salivalium* affectus, ut Fistula, Tumor, Cancer, Ulcus, magnum involuunt periculum, & postulant expertum Chirurgum, quare ductuum horum cognitio Chirurgis admodum est necessaria. Ductus salivalis læsus non semper est curabilis, sed aliquando in fistulam transit. In Saliva quoque vermes conspiciuntur, ceu exemplum communicavimus curiosis.

Ptyalismi. *Ptyalismus* seu immodica Salivatio aliquando magnorum & multorum morborum exhaurit scaturigines, quod monumenta Medicorum hinc inde testantur. In Cephalica nempe, Odontalgia, Gravi Auditu, Phthisi, &c. sæpe levamen attulit. Eadem salivatio prodest infantibus dentientibus, quando scil. eorum os irrigat, relaxat enim gingivas & hinc eruptionem facilitat. Improbandus verò est si nimius & quidem à Mercurialibus excitatus in morbis visceribus labe quadam infectis & scorbuticis, quale exemplum non ita pridem in milite observavi, miserè inde vitam cum morte commutante. Sic etiam malum est, si Ptyalismus fluens in morbis subitò deficit. Periculi non est expers, si magnis & serosis evasationibus conjungatur, quia cerebrum sæpe à sero inundatur & diuturnum fluxum, quem glandulæ absque dispendio non ferunt, significat. Malus, si glandulæ simul inflammentur, ex glandularum enim tumoribus febres omnes malæ sunt, teste *Hipp. S.4. Aph.55.*

Fœtoris. In *Fœtore* Oris quo causa deterior, eo & affectus incurabilior haberi solet & pro varietate causę & prognosis dicenda est.

Diæta. §. 13 *Diætæ* ratione in his affectibus Oris recensitis ante omnia *Aer* vitetur multis particulis acidis refertus, vel corrigatur variis suffumigiis ex junipero accenso; thure, mastich. &c *Cibi* sint euchymi, eupepti & polytrophi, exulent difficilioris concoctionis, qualium sæpe mentionem injecimus, & tædet sæpius hæc repetere, cùm & ipsi ægri hodie non amplius in hisce Medicorum præscripto obediant, nec monitis salubribus obtemperent. In læsis Ductibus Salivalibus diæta sit exsiccans, potu parca solummodò manu assumpto, & herbis convenientibus, ut salvia, scolopendria, betonica melissa, rad enul. caryophyllat. & similibus vulgo cephalicis dictis & vulnerariis medicato. *Somnus* etiam sit moderatus, imprimis in Ptyalismo illi indulgendum, nocte enim minus secernitur saliva, quod à variis dependet causis quia circulatio seri nocte tardior est, subsequente secretio minor, motus musculorum, præsertim linguæ, feriatur, hinc & glandularum pressio minor, sic & animi motus cessant. Quod attinet *Motum & Quietem*, iis tantum indulgendum, quantum videtur sufficere. Sic etiam in reliquis *Excretis & Retentis* item *animi Pathematibus* quid tenendum, superiora facile docebunt.

Curatio Pharmaceutico-Chirurgica secundum Galenicos in Oris Apertione. §. 13. *Curationem* Pharmaceutico-Chirurgicam *Apertionis* Oris *Galenici* ad earum varietates referunt, malam consuetudinem regulis ethicis corrigendam suadentes in reliquis verò speciebus humorum correctionem & evacuationem pro more suo imperant, per venæsectionem, purgationem, cucurbitularum applicationem, fotus ex herbis cephalicis, & illinitionem maxillæ circa juncturas cum oleis & unguentis calefacientibus & discutientibus, Unguento Agrippæ, Arregon. ol. lilior alb. sampsuchino, bacc. laur. croci, castorei & styracis.

Oscitatione. *Oscitationis* curam tum ad materiæ vapores suppeditantis, seu humoris flatulenti exclusionem, tum ad vaporum ipsorum discussionem vel revulsionem dirigunt, adhibito prioris scopi gratia interdum levi quodam minorativo ex fol. sen. additis carminantibus; posterioris verò ratione suadet *Avicenna* seu Ibn Sina vinum æqua lymphæ portione dilutum & epotum, alii verò Acori vel aliorum carminantium masticationem commendant.

Coalitu. Oris *Coalitum* à nativitate sola sectione corrigibilem cum aliis pronunciant, à reliquis verò causis ortum iis demptis itidem corrigi, & in formam debitam restitui posse consentiunt

Scirrho. *Scirrhi* curam difficilem esse fatentur, tentandam verò aliquando volunt eductis prius humoribus peccantibus, per medicamenta valde emollientia, ut emplastro de Gummi Ammoniaco, vel suppurantia, si ad suppurationem vergere videatur.

Tortura. *Torturæ* Oris curationem non aliter atque ipsius Convulsionis aggrediuntur, quare non opus est remedia ad morbos convulsivos alibi proposita hic absque commodo repetere.

Ductuum Salivalium vitiis. *Ductuum Salivalium* vitiorum curatio ad communem methodum dirigitur, quæ in morbis istis generalioribus erit conspicienda.

Ptyalismo. *Ptyalismum* curare auspicantur evacuatione vel exsiccatione humoris serosi vel pituitosi copia peccantis, adhibitis pilulis Assajeret, Cochiis vel Aloephanginis, caput in catarrhis confortant, & siccant remediis cephalicis calefacientibus intus & foris usurpatis, ut speciebus diagalang. anthos, diacor. herb. majorana, salvia, beton. rad. calam. aromat. aristol. cassia lignea, nuce moschata, thure, mastiche, in species pro cucupha redactis & capiti impositis; tum ipsas tonsillas roborant, decocto ex adstringentibus, ut fol. plantag. myrti, querc. flor. rosar balaustior. alum. in ore sine gargarisatione detento.

Fœtore. *Fœtorem* Oris emendant tum causarum extirpatione, tum medicamentis fragrantibus & suaveolentibus ore detentis & masticatis, qualia sunt Nux moschata, rad. Ir. Florent. Zedoar. Cort. citr. caryophylli, Gallia moschata, ambrata, pulveres dentifricii odorati, cum flor. lavendul. spic. rosar. anth. fol majoran salv. basilic. Ventriculum etiam roborant & orificium nimis hians adstringunt pulvere post pastum, Morsulis Imperatoris, Confect. cardamom Coriand. cinamom Cydon. & Nuc. Ind. conditis, Conserv. menth. rosar. vino medicato salviato, caryophylla, & similibus.

Secundùm Paracelsum Curatio Oris Apertionis. § 14. *Paracelsus* in curanda *Apertione* Oris nullam præscribit methodum diversam ab ea, quam Galenici superiùs demonstrarunt, quare & ejus sequaces eidem sine obmurmuratione ulla acquiescunt;

Oscitationis. In *Oscitatione* vix medicamenta adhibet, quoniam per se expulsis vaporibus molestis cessare solet; si verò hominem diutiùs & graviùs infestet, medicamentis morbis mercurialibus convenientibus etiam hancce eorum speciem abigere suadet, videturque Elixirium Juniperinum hic commodè in usum duci posse.

Coalitus. Oris *Coalitum* non alia cura corrigere novit, quàm à prioribus jam annotata.

Scirrhi. In *Scirrho* hoc curando medicamenta ex terebinthina & lithargyrio parata aliis præfert adhibito simul studio, ne in cancrum abeat, nec diversum quid hic Scirrhus ab aliarum partium Scirrhi curatione reposcit

Tortura. Ad *Torturam* Oris non alia adhibet remedia, quam quibus in reliquis spasmi speciebus uti solet, præprimis singulare juvamen sibi promittens ex quinta perlarum essentia, aliisque remediis spiritum mercurii corrigentibus.

Ductuum Salivalium vitiorum & Ptyalismi. *Ductuum Salivalium* morborum & *Ptyalismi* curationem similiter ita instituendam esse retur, ut tum salis, tum mercurii diversa habeatur ratio, in Ulceribus & Vulneribus præ aliis balsamum arsenicalem commendans, vel potius oleum ex mumia arsenicali, liquore myrrhæ & botin confectum. In *Ptyalismo* Spiritum Mercurii corrigendum suadet remediis subtilitati ejus maximè conformibus, imprimis quæ ex ligno Guajaco & buxo comparantur.

Fœtoris. *Fętori* Oris abigendo ablutionem oris ab Eremitis, ut putat, introductam singulariter inservire judicat, ut eidem corrigendo odorata in ore detenta.

§.15. Hel-

Helmontiana cura in Oris Apertione & Oscitatione. §. 15. *Helmontius* in claudenda Oris *Apertione* non est adeò sollicitus, sed eandem operam reliquis committit, nec *Oscitationi* cuivis statim medicas adhibet manus, quin stomachum segnem corroborat atque excitat remediis digestionem ejus promoventibus ex aliis jam notis, aut somno & dormitione eundem reficiente.

Coalitu, Scirrho & Tortura. *Coalitus* curationem aliis peragendam relinquit, *Scirrhum* per gummata resolvit, & in *Tortura* axungiam anguillæ itidem ut in aliis spasmis seriò commendat.

Ductuum Salivalium vitiis & Ptyalismo. In *Ductuum Salivalium* vitiis & *Ptyalismo* curandis ad laticem respicere jubet, & affectas fauces, nec non ipsam stomachi digestivam, quibus omnibus remedia antimonialia maxime convenire sibi aliisque persuadet.

Fœtore. *Fœtoris* curationem tum odoratis, tum stomachum & digestivam facultatem roborantibus perficere videtur, ad quod Elixir proprietatis ab eo correctum non parum conferet.

Willisii modus curandi Oris apertionem. §. 16. *Willisius* in Oris *Apertione* cum reliquis ad causas respicit, pro quarum diversitate etiam curationem variandam esse admittit, nec quidpiam peculiare aut ab aliis nondum manifestatum hic locorum in medium profert.

Oscitationem. In curanda *Oscitatione* spiritus animales à crassioribus particulis sunt liberandi, & tubuli musculorum permeabiles reddendi, frictione buccarum juxta maxillarum articulationem, tum spirituosis intus & extus adhibitis, ex aq. lavendul. majoran. Spir. fulig. C. C. aliisque remediis spiritibus animalibus augendis aut depurandis accommodatis.

Coalitum. In *Coalitu* curando ab aliis nullatenus recedit.

Scirrhum. *Scirrhi* Oris curationem itidem uti reliquarum partium Scirrhorum emollientibus peragit & resolventibus gummosis, ut alibi pluribus percipietur.

Torturam. In cura *Torturæ* Oris eò præ aliis respicere solet, ut spiritus animales à copula aliena liberentur, eorumque æqualis in utriusque lateris labiorum musculos promoveatur influxus, quod spirituosis & antepilepticis ex succino & castoreo peragitur, nec non Balsamo Capivi & succini foris inuncto.

Ductuum Salivalium Tumorem, Ulcus & Vulnus. In *Ductuum Salivalium Tumore* stagnationem humoris serosi resolvit medicamentis sudoriferis ex lignis & C. C. additis herbis Card. bened. fumar. scabios. rad. serpentar. virgin. aliisque. In *Ulcere* humorem salinum acriorem corrigit remediis similibus, hinc ipsum ulcus mundat & abstergit decocto hordei cum melle rosarum & tandem unà cum *Vulnere* adstringit & cicatrice claudit gargarismis ex decoctis herbis vulnerariis & alumine.

Ptyalismum. *Ptyalismi* curam ita instituit, ut humores serosos à crassitie liberet & subtiliset, quo postmodum faciliùs vel per diuresin, vel diaphoresin possint eliminari, nec tanta copia ad glandulas & ductus salivares deferantur quod ipsis remediis tum diureticis, semine dauci, baccis Junip. heder. rad. chærefol. petrosel. fœnic. eryng. millep. flor. sal. armon. sal. succin. tum diaphoreticis, ex rad. petasit. Contrayerv. sem. Card. bened. herb. fumar. rut. bezoard. min. cerus. Antimonii, &c. peragit, additis simul in scorbuto remediis eidem propriè dicatis.

Fœtorem. In *Fœtore* Oris particulas salino-sulphureas ex corporibus corruptis & putrescentibus productas corrigit & emendat collutionibus ex rad. Imperat. helen. Ir. Florent. lign. santal. odorat. herb. salv. ment. fol. lauri, flor. rosar. in aq. coctis, & frequentius adhibitis, non omissis fortioribus, si gingivarum caro corrupta putrescat, ut decocto rad. gentian. aristol. rotund. herb. centaur. min. absinth. Pont. saturej. aquileg. in aq. calcis, aut lixiviali, addito melle. Fœtorem urgentem aliquando cum reliquis odoratis in ore detentis aut masticatis solet obpalliare.

Sylvii opinio de curatione Oris Apertionis. §. 17. *Sylvius* curationem *Apertionis* ad causas itidem dirigendam præcipit, quarum respectu maxilla luxata in debitum situm & locum est restituenda, musculorum temporalium paralysis salibus volatilibus tollenda, & vulnus debitè sanandum.

Oscitationis. Ad *Oscitationem* curandam halitus discutit salibus volatilibus oleosis interiùs assumptis, & potissimùm ex plantarum partibus halituum discussioni per se aptis sedulò paratis.

Coalitus. Oris *Coalitum* curari vult incidendo & diducendo partes concretas, hic earum novam concretionem impediendo interposita lamella quadam convenienti, ne se invicem immediatè attingant, & tandem in utraque parte debitam suscitando cicatricem, quod faciliùs obtineri novit exsiccatis humoribus illis acribus in ulceribus contentis.

Scirrhi. In *Scirrho* humores ab acido condensati resolvendi remediis volatilibus & præ aliis gummosis, quibus omnium optimè resolvuntur.

Torturæ. In *Torturæ* curatione eadem adhibet remedia, quæ in reliquis convulsionum & paralysium speciebus in usu habere solet, salibus videlicet lixiviosis ratione convulsionis, & unguentis nervinis ex castoreo, roremarino, succino, &c. loco paralytico foris inunctis & illitis.

Ductuum Salivalium Tumoris, Ulcerum & Vulnerum. *Ductuum* Salivalium *Tumorem* curat remediis attenuantibus & incidentibus, tam collutionis, quam fomenti forma usurpatis; *Ulcera* remediis salivam acidoacriorem corrigentibus, ut lap. hæmatit. cancror. sangu. dracon tum subadstringentibus & blande aromaticis, quæ simul in *Vulneribus* convenire existimat, excepta eorum dissectione, quam nullo modo curari novit.

Ptyalismi. *Ptyalismum* seu copiosiorem Salivæ proventum curat, 1. minuendo ejus materiam, tum detrahendo indies aliquid de alimentis liquidioribus, tum evacuando ipsam per alvum, aut cum urinis, vel sudoribus. Inter alvum moventia laudat phlegmagoga & hydragoga simul mixta & sæpius minore quantitate assumpta, imprimis sequentes Pilulas.

℞. *Mass. Pilular. masticbin.* ℥ j.
Resin. Jalapp. ℈ j.
Ol. succin. gt. iij.
M. F. Pilulæ No. xx. Inaurentur.

Sumat æger cubitum iturus tres quatuorve, ut bis aut ter ad summum inde purgetur. Inter diuretica & sudorifera præ aliis remediis commendat Decocta minus ingrata aliquoties in die, aut potus ordinarii loco usurpanda; Ex. gr.

℞. *Rad. Chin. in taleolas sect.*
Apii aa. ℥ j.
Ras. ligni Junip. vel
Guajac. ℥ ij.
Sassafr. ℥ ij.
Passul. maj. incis. ℥ iv.
Coq. s. q. ex aqua pura.
In Colatur. ℥ xxx. *dissolv.*
Syr. 5. rad. ℥ ij.
Spiritus Sal. armoniac. gt. xxx.
Aq. cinamom. ℥ j.
M.

In Decocti hujus ℥ ij. suadet etiam Electuar. sui hydrarg. ʒ ij. dissolvere, & semel vel bis in septimana adhibere, si per plures vias pituita & serum sint evacuanda. 2. Viarum salivæ materiam afferentium amplitudinem corrigendo fomentatione subadstringente & blande aromatica in vino rubello parata, & maxillis per pannum laneum sæpius calidè applicata. 3. In glandularum vitio, quamvis nondum satis cognitio, subadstringentia tamen & blande aromatica tum externè, tum internè commodè usurpari posse existimat, maximè verò sequens Apozema.

℞. *Rad. Caryophyllat.*
Bistort. aa. ʒ j.
Imperator. aa. ʒ ij.
Chin. select. ℥ j.
Glycyrrhiz. ras. ℥ i ß.
Coq. s. q. ex vino rubello,
Ad Colat. ℔ ij. *addendo*
Aq. cinamom.
Syr. Myrtin.
Ros. rub. aa. ℥ j.
M.

De hoc ℥ ij. aut iij. bis vel ter in die assumantur.

Oris Fœtoris. *Fœtoris* Oris curatio consistit Auctori huic tum in emendatione materiæ in corpore halitus fœtidos per os propellentis, reliquiarum ciborum in dentium inter-

interstitiis corruptarum exemptione, & emundatione dentium, tum in cohibitione effervescentię vitiosæ similes halitus promentis, vel curatione morborum variorum partium variarum putredine affectarum, non omissis intereà suaveolentibus fœtorem corrigentibus ore detinendis, à quibus halitus ex ore erumpentes emendantur, ne nares tum ægri, tum circumstantium ab iis adeò molestè feriantur.

Cartesianorum modus Curandi Oris Apertionem. §. 18. *Cartesiani* in curatione *Apertionis* Oris ad causam respiciunt, malam consuetudinem meliori corrigentes, luxationem restituentes & narium obstructionem tollentes, Oleo Irino, destillato macis, majoran. lavendul. naso illitis, vel spirituosis naribus adhibitis, Spir. nempe lil. convall. Essent. rorismar. majoran. aq. flor. namph. salv. cum vino destill. aliisque remediis in Coryza superius indicatis.

Oscitationē. *Oscitationem* nimis molestam abigere student liberando musculos maxillæ à particulis illis molestis, fibras nervorum vellicantibus, & ipsas fibras in convenientem situm reponendo, quod frictione cum panno calidiusculo peragitur, vel medicamentis porosis & volatilibus particulas mucronatas non modò hebetantibus, sed apertis tubulis & poris ad exhalationem promoventibus, qualia sunt Essentia macis cum spiritu Sal. Armoniaci, Essent. salv. Balsamus nervinus, Balf. polychrestus *Myns.* tùm intus assumpta, tum foris adhibita.

Coalitum. Oris *Coalitum* ut ritè curent, ad ipsas respiciunt causas, labiorum accretionem separando cultello, & prohibendo ne denuò accrescant, quo in opere eodem modo, quo superiores, procedunt; in *Clausura* verò ad paralysim aut convulsionem aliosque morbos musculorum maxillæ inferioris respiciunt & præ aliis remedia adhibent nervina, interna simul & externa, quæ ex castor. succin. lil. convall. valerian. salv. aliisque ex superioribus jam notis commodè parantur.

Scirrhum. *Scirrhus* Oris ut pro voto curetur, medicamenta usurpanda suadent volatilia succum incidentia, eoque correcto & mobiliore reddito, tubulos musculares aperientia, maximè spiritum Salis & Gummi Ammoniaci, item essent. rad. Scrophular. peucedan. cum Sale volat. C. C. internè propinata; foris verò gummosa saturnina & interdum mercurialia commendant, qualia sunt Galbanum coctum *Myns.* emplastr. diachyl. cum Gumm. Vigon. cum Mercurio, & plura horum indoli conformia, cavendo tamen in Scirrho dolenti nimis emollientia, ne, quod aliàs fieri suevit, citò abeat in cancrum.

Torturam. In *Tortura* Oris in eo seduli sunt negotio, quo valvulis tubulorum muscularium in convenientem situm restitutis, spiritibus animalibus ęqualis & promptus per utrumque musculum & omnes tubulos concilietur transitus, nec diuturniori mora in contractore ad motus inordinatos irritetur, quod facilè obtineri posse promittunt spirituosis penetrantibus liquori nervoso amicis, tum foris, tum intus exhibitis, ut spir. lil. convall. vin. camphorat. Essent. seu Tinct. Castor. cinab. Antimonii & similibus internè assumptis; locum verò affectum inunguendo linimento ex axung. Castor. medull. cervin. ol. petr. alb. salv. lavend. succin. quibus interdum sal volat. lumbricor. immiscendum, vel spiritus lumbricor. essentificat. cum Essent. camph. mixtus foris illinatur, quibus alia annumerant nervina sæpius jam manifestata.

Ductuum Salivalium Tumorem, Ulcus & Vulnus. *Ductuum* Salivalium *Tumorem* tollunt resolvendo stagnationem salivæ, eamque ad motum excitando sudoriferis, imprimis ex decocto rad. scabios. lapp. maj. caryophyllat. sarsaparil. lign. Guaiac. Junip. sassafr. herb. Card. bened. salv. serpili. fol. rorismar. flor. sambuc. &c. paratis, vel spiritu Tartari rectificato, Tinctura Antimonii, &c. Externè vel fotum ex decocto flor. sambuci & Chamomill. in spiritu vin. commun. factum adhibent, vel olea destillata anisi, fœnic. rorismar. Chamomill. ipsi Tumori illinunt. In *Ulceribus* & *Vulneribus* præter sudorifera ex Antimonio diapnor. ocul. Cancrorum, myrrh. terr. sigill. gargarismata exhibent particulas acutas hebetantia & simul subadstringentia, ex decocto rad. aristol. rotund. consol. bistort. herb. salv. beton. millefol. veron. alchimill. fol. pyrol. plantag. flor. rosar. balaustior. sem. myrt. mastich. in vino facto, addito pauco cap. mort. Vitrioli. Si vasa transversim sint dissecta, & omnimodò aduniri nequeant, ut salivæ effluxus copiosior sedetur, extremitates vasorum adstringunt fortioribus etiam quandoque exhibitis ex oleo Vitrioli, liquore stiptico; nec emplastra rejiciunt, potissimùm verò laudant ea, quæ ex Gum. elem. mastich. colophon. aloe & thut. conficiuntur.

Ptyalismū. *Ptyalismum* nimis molestum corrigunt inhibendo ulteriorem seri à sanguine præcipitationem, exhibitis remediis spirituosis & salibus volatilibus satis jam cognitis, vel remediis mucilaginosis, sanguini reliquisque humoribus in eo contentis lentorem quendam conciliantibus, ut Gumm. Arab. tragacanth. gelatin. C. C. terr. sigill. &c. copiosum vero jam pręcipitatum ad convenientiores vias, ureteres scil. derivando, & cum urina simul effundendo, quod promptè & jucundè præstari potest spiritu Salis Armoniaci, terebinth. lumbric. Tinctur. Tartari, liq. terr. fol. Tartari, spir. Vitrioli Martis, Nitri dulc. Salis dulc. Tintura flor. cyani, calcatripp. lap. Cancrorum, percar. testis ovor. subtilissimè pulverisatis. A Mercurio productam salivationem nimiam sistere aggrediuntur vel remediis poros cutaneos aperientibus, ut particulæ mercuriales lubricitate sua per eos elabantur, ut decocto rad. Chinę, vel remediis angustos poros habentibus, ut iisdem arctius ob similitudinem pororum adhęreat, dum à materia subtili ad eadem propellitur, qualia sunt nummus aureus ore detentus, & folia auri intus assumpta. Si opus sit, poros etiam vasorum salivalium nimium apertos replent & obturant decocto fol. plantag. flor. rosar. balaustior. in aqua ferrarior. addito bolo Armen. quod in ore tantùm retinendum absque agitatione, ut vasa salivalia eò melius coarctentur.

Fœtorem. In *Fętorem* Oris ad ipsas respiciunt causas, mundando dentes à quibusvis ciborum reliquiis, ne eædem vel in eorum interstitiis, vel poris, vel cavitatibus diutius hærentes putrescant, hinc post unamquamque cibi assumptionem os jubent eluendum, & dentes pulvere dentifricio ex osse seq. Corall. rad. Ir. Florent. fol. rorismar. myrrh. & pauco alum. ust. probè purgandos & abstergendos: vapores autem & halitus ex intestinis per ventriculum adscendentes emendant medicamentis aromaticis, & suaveolentibus, digestionem simul promoventibus & halitus in intestinis discutientibus, ut Elixir. menth. Tinctur Cass. lign. Essent. citr. Claret. moschat. *Myns.* Marmelad. cydon. Pulvere stomachali ex rad. Zedoar. acor. nuc. Moschat. macis, cinam. & cubeb. cum pauco Ambr. Materiam purulentam in pulmonibus contentam corrigunt balsamicis terebinthinatis & anisatis, nec non balsamo Peruviano albo. Particulas salivæ à Mercurio copiosiùs precipitatas & gingivas corrumpentes diaphoreticis ex lignis eliminant, ipsasque gingivas decocto ligni sassafr. cort. Guajac. fol. salv. veron. flor. rosar. & myrrh. à putredine preservant. Quando verò in totum deleri nequit ista oris graveolentia, eandem moschatis & ambratis remediis ore detentis solummodò suadent supprimere aut palliare, ne aliorum consortio ægri tales reddantur odiosi.

Nostra Cura in Oris Apertione. §. 19. *Nos* itidem existimamus curationem *Apertionis* Oris pro causæ varietate diversimodè esse instituendam, ex prava enim consuetudine si fiat, objurgandi sunt juniores, atque seriò admonendi, quo ad figuram decentiorem omni studio & maxillas cum labiis componant, nec cuivis vento os patulum opponant, non enim semper assa columba per eum venit deglutienda; si verò à maxillæ luxatione dependeat, illa restituenda manu Chirurgi: vulgo dicitur, alapa inflicta restitui posse maxillam luxatam, sed melius est, si restituatur magis solicitè manu Chirurgi. Si à Tumoribus vel Inflammationibus tonsillarum obortum fuerit malum, illi potissimùm resolvendi & discutiendi sunt tum diaphoreticis intus exhibitis, tum sacculis ex flor. Chamomill. sambuc. herb. aneth. parietar. betonic. spec. pro cucuph. & similibus forinsecus impositis. Si à spasmodicis affe-

ctibus vel vulnere nervorum, tunc conveniunt antispasmodica tum interna, tum externa imprimis ol. lavendulæ cum balsamo nervino externè illinatur.

Oscitatione. In *Oscitatione* diuturniore humores acres in musculos delati demulcendi & discutiendi sunt, quod spirituosis seu volatilibus diaphoreticis peragitur, & potissimum spiritu C.C. essentificato, sale volatili succini, essentia fœniculi, aliisque spiritibus amicis. Ab aliis morbis si dependeat, ad eos cura primariò est dirigenda, iis enim victis symptoma illud sponte cessat. Externè illinantur musculi variis itidem spirituosis anodynis, maximè verò hic convenit balsamus meus arthriticus externè illitus.

Oris coalitu. In *Coalitu* Oris partes vitiosè connexæ separandæ sunt ferro, interposita postmodum lamella quadam eburnea, donec cicatrice obducta partes arte sejunctę ulteriùs non concrescant. Si est ab hypersarcosi, conducet aq. viridis, alum. vel fortius Mercurius rub. præcip. Ad ipsa ulcera oris convenit sequens:

℞. *aq. burs. pastor.*
Plantag.
Sol. querc. aa. ℥ i ß.
Syr. de Symphyt. Fern. ℥ ij.
M. Vel spirit. vin. Camph cum decoct. Calcis uivę.

Scirrho. In *Scirrhosis* Oris tumoribus conveniunt internè, quæ vim volatilisandi habent, ut Sal volat. viperar. Tinctur. Antimonii, spir. Sal. Armoniaci aromatic. Externè emollientia & dissipantia adhibenda, ut Emplastr. diasulph. Rul. malax. ol. Tartari, cui quoque Salia volatilia addi possunt.

Tortura. Ad *Torturam* Oris eadem adhiberi possunt remedia, quæ superius cap. 19. de Labiorum vitiis, Spasmo Cynico, &c. in medium protulimus. In hac prẹter Datam exsiccantem commendat *Bartholinus* in *Act. Hafn. Volum.* 3. cephalica, vesicatoria in occipite & post aurem partis affectę applicata, quę tamen remedia non semper probamus, sed castorei extractum ejusque spiritum sępe sufficere existimamus, cum aliis volatilibus cephalicis dictis seu Anticonvulsivis.

Ductuum Salivalium Vulnere. *Vulnus Ductuum Salivalium* prudenter tractandum est, & quidem omni modo annitendum est, ut consolidetur, hinc prodest compressio horum vasorum manu, vel imposito emplastro, ex compressione enim ductus latera facilè coalescere possunt, & hisce in vulneribus apprimè conveniunt remedia acidum infringentia, ut sequens vel simile emplastrum.

℞. *Resin. pin.* ℥ vj.
Terr. Japon. ʒ ij.
Ol. Mastich. ℥ j.
Coq. ad Consistent. Emplastri.

Si vulnus est majus aut transversim factum, aut ex materia acri corrosum, plurimi sunt qui cauterium applicant, sed hic cautela *D. NucKii* observanda, dicentis, non hoc à ferro ignito semper expectandum, sępe quidem hoc mediante vulnerati ductus osculum clauditur, sed si non longè ab extremitate ductus, ubi in os hiat, contingat, subsequi solet, quòd à saliva continuò secreta ductus à glandula versus cicatricem quotidie extendatur & sacculum facere incipiat, qui cùm sese extendere amplius non queat, humorem collectum os versus internè aut externè evomit, & fistulæ insanabilis causa evadit, quod ipse exemplo vno & altero confirmat. Non ergo, ad mẽtem predicti Autoris, prope osculum ubi in os hiat, ductui salivali cauterium applicandum, ne ductus extendatur & sacci formam induat. Prope glandulam autem ipse ductus, aut per glandulam dispersi ductus minores urantur, quoniam hi parum salivæ excipientes ita extendi non possunt & saccum formare, quo necessariò ipse salivæ canalis usum suum amittet, venæ & arteriarum adinstar umbilicalium. Sed etiam aliquando hoc in casu tutò cauterium potentiale vulgo dictum ductui lęso applicare licitum est. Sic clariss. & prẹlaudatus D. NucKius ipse vidit superiorem ductum salivalem Stenonianum lęsum, & cõtinuò salivam stillantem, admoto caustico ex oleo Vitrioli cum melle rosato permixto, brevi temporis spatio aliis incassum tentatis curatum, cum hoc subsequente incommodo, quòd hic ductus salivalis in totum usu suo fuerit destitutus. Antequam verò id fiat, tentari possunt varia remedia modicè resolventia, ut sunt resin. pini, Emplast. stict. *Croll.* Internè detur potio vulneraria cochleatim, quæ salivæ acrimoniam maximè temperat, paucę verò herbæ vulnerariæ coctæ in cerevisia vel vino sufficiunt, & singulis tribus horis interpositis detur cochleare unum vel alterum. Esto in juniorum gratiam formula.

℞. *Pyrol.*
Virg. aur.
Sanicul. aa. Mj.
Rad. sarsaparill. ℥ ß.
Pulveris.
℞. *hujus Pulv.* Cochl. j.
Coq. cum vin. alb. ℔ j.
Interponatur Essent. nostra Vulneraria.

Externa omnia hisce uulneribus tepidè applicentur. Eodem modo paululum mutato in ulceribus fistulosis procedendum est, adjectis nempe Mercurialibus & Saturninis, prout uidere poteris capite de Vulneribus & Fistulis.

Ulceribus. In *Ulceribus* Oris ut non abeant in serpentia, collutionibus semper instillari possunt aliquot guttæ spiritus Vitrioli, spirit. salis. Sequens Tinctura in ore detenta etiam maximopere conueniet.

℞. *Ras. lin. Guajac.* ℥ ß.
Sassafr.
Rad. Chin.
Sarsaparil. aa. ℥ j.
Pyreth.
Alum. crud.
Gum. lacc.
Salis Armoniaci,
Nitri pp. ℥ ß.
Herb. Hyssop.
Rut.
Virg. aur.
Orig.
Serpill. aa. ʒ ij.
Croc. orient. ʒ i ß.
Incis. & contus. M. inde vitro & superfund. Spir. vini & acet. vin. aa. ℔ i ß.
Stent in Infus. per triduum pro extrahenda tinctura, ut est artis.

Vel aqua viridis seq.

℞. *Mellis* ℥ ij.
Sulph. aluminis ʒ j.
Alb. græc.
Sabin. aa. ʒ ß.
Fol. hyper. rorismar. rutæ, plantag. salv. puleg. aa. M ß.
Coq. in vin. alb. & aq. ℔ ij. *ad cosumptionem digiti unius, sub finem addendo virid. ær.* ʒ j. *dein coletur: confert. ulceribus oris, palati ac faucium aphthis, si in forma gargarismi cum decocto Tabaci & solani aut veronicæ detur, mundificat enim & consolidat ipsa quoque ulcera venerea.*

Ptyalismo. In *Ptyalismo* ad serum copiosius educendum aliquando conducunt hydragoga, frequentius tamen diaphoretica & diuretica, quibus lympha copia peccans optimè educitur, & à ductibus salivalibus ad renes, ureteres & uesicam deriuatur aut reuellitur.

Interdum humoribus lentor & crassities est conciliaanda, cuius rei gratia exhibeatur gumm. tragacanth. Arab. &c. vel detur pulvis boli Armen. ℈ j. Camphor. gr. iij. Ore detineatur decoctum adstringens ex fol. plantag. flor. rof. balaust. in aq. ferrarior. factum & quiete servatum, ut tantò melius adstringantur ductus saliuales. Si Salivatio à Mercurialibus fuerit producta, uti soleo decocto Chinæ cum rad. scabios. & herb. Veron. & cum *Cartesianis* nummum aureum ore detinere jubeo, qui semper igni impositus iterum dealbandus est. A sero euasato ortum si habeat, conueniunt pilulæ de Succino *Craton.* Rob Nucum cum Aqua plantag. item opiata, quæ optima sunt. In primis uiis si vitium hæreat, conuenit Elixir propriet. uti in Scorbuto conuenit Elix. antiscorbuticum. Si fit pueris tempore matutino cum genarum rubore, signum est vermium, & anthelmintica conueniunt.

Ad *Fętorem* Oris à carie dentium productum auferen-

auferendum, eo ante omnia annitendum est, ut ipsa caries auferatur & dens evellatur, sin minus, gallia moschata cum rad. Cyperi & mastiche mixta denti cavo imponatur, vel sæpius eluatur os aqua Ducis Candalæ, egregio certè remedio, in hujus verò defectu abluantur dentes aqua, in qua Sal Armoniacum fuerit solutum,& hoc repetendum post prandium & cœnam. Si verò est ab ulcere narium, vel ex putredine, vel ex ulcere occulto, illa sunt prius curanda, quæ tamen difficillimæ sunt curationis. Internè præmissis aliquando absorbentibus conveniunt hoc in casu Elix. prop. item antiscorbutica, acidulæ quoque conducunt, ut & decoctum Theæ & lignor. Externè pulvis pro suffumigio *Barbette* convenit. Si malum ex primis viis & intus latente vitioso acido vel ulceribus aliisque malis ibidem hærentibus oriatur, omni ope annitendum, ut isti curentur morbi, quorum curatio aliis in locis sufficienter detegitur. Sic quoque in cura palliativa ad moschata confugiendum & ambrata; in quem finem varii excogitantur trochisci ore detinendi.

CAPUT XXII.

DE DENTIUM MORBIS,

Odontalgia, Corrosione vel Carie, Fistulis, Mobilitate, Casu, Nigredine, Lapide dentali, Sorditie, Stridore, Hæmodia, & Vermibus.

§. I. DEntes in maximo semper fuisse æstimio non duntaxat sacræ sed & profanæ testantur paginæ, imò Deus Optimus Maximus tanti eos in lege Mosaica æstimavit, ut *Exodi* 21. servum cui Dominus dentes effregisset, manumittendum, mandaverit. Eandem dignitatem dum Peruviani considerant, dentes Dii sacra facturi, sibi eximunt, & summi cultus nomine offerunt, ea potissimùm ratione inducti, quod Diis optima quævis offerri deberent, homines autem dentibus nil præstantius aut necessarium magis habere videntur. Et id certè non immeritò, qui enim ipsorum munus in masticatione ciborum solidorum perpendit, quis eos non magni penderet, præprimis cum probè factam masticationem proba sequatur digestio ad vitam nostram maximè necessaria, ita ut Arabes prudenter statuerint, qui masticationem negligunt, vitam oderunt. Eò etiam collimant plures Medicinæ Proceres, à dentium pluralitate longævitatem, paucitate vitæ brevitatem prædicentes, teste *Coo* nostro 2. *Epid.* 5.6. dicente: Longævi plures dentes obtinent. Iidem etiam fortitudinem denotant, & novi quendam hortulanum duplicem dentium seriem habentem fortissimum. Non minor dignitas dentibus accedit à loquela, dum ad sermonem articulatum magnum conferunt adjumentum. Exemplis infantum hoc liquet, imò eorum certa conformatio votum articulationi mirificè favet, hinc Hamerus in Salana Lingg. Or. P. P. à Chirurgo sibi diversimodè dentes radi curabat, quo aptior esset pronunciandis quibusdam literis Hebraicis. Certè dentes suo nitore & politie insigni seipsos omnibus & singulis commendant, nigritie verò aliisque vitiis hominem dedecorant. Utriusque alveolis inserti sunt dentes in homine 28. vel 32. Prædictio & futurorum à quibusdam ex dentibus desumitur, hinc Matrona quædam Lipsiæ matrimonii tempore tres tantùm filios peperit, & quoties unum enixa est, toties cum eo dentem sapientiæ ut vocant simul accepit, qui quoque dentes morientibus hisce filiis exciderunt, hinc fœmina filiis semper mortem prædixit, prout testatur Mœllenbroccius in *Eph. Germ. Ann.* 1. *Obs.* 100. Hæc tamen non tanquam regulæ strictè sunt observanda. Quanto verò majorem usum toti œconomiæ præbent & digniores sunt partes, eo pluribus & atrocioribus sunt obnoxii morbis, hinc magnitudo vel à violenta extrema, vel à defectu alimenti periclitatur. Modò exerti & justo longiores prominent, modò vacillant & mobiles fiunt, modo excidunt & planè deficiunt, modò plures numero sunt quam par est, modò nigrescunt & fœdo lentore tophisque obducuntur, modò cariosi & fistulosi sunt. Singula licet satis gravia hominique molesta sint, attamen nullum est symptoma dentium, quod crudeliùs & crebriùs afficere soleat, quàm Odontalgia seu Dentium dolor, qui licet sæpe prima fronte levis videatur, non rarò tamen cum gravioribus aliis comparandus corpus affligit: ordine ergò in illorum affectuum indolem inquirere constituimus.

Odontalgia, seu dentium dolor. Dentagra. *Odontalgia* Grecis dicitur, ab ἄλγος dolor, & ὀδοὺς dens, facta derivatione, hinc Latinis dicitur Dolor dentium, appellatur à *Strobelbergero Dentagra*, interque Guttarum species refertur, quia guttatim in dentium gomphosim humores pro excitandis doloribus defluere existimat, nominat quoque dentium podagram, meliore potius jure potuisset appellari arthritis, vel Spasmus aut Convulsio dentium, quia fibrillæ ab acido ita convelluntur ac dolorificè contrahuntur. Sed ad quem usum ejusmodi nomina finguntur, annon sufficeret appellare unico verbo Dentium dolorem?

Stupor dentium. Sub hoc dolore & comprehendere liber *Stuporem* dentium, item dolorem ipsis dentibus quoad nervosas & membranosas fibrillas evenientem, quando jam in loculis suis existunt, nec ab extraneo acido superficietenus affecti sunt.

Odontalgia descriptio. Describitur vulgo Odontalgia, quod sit tristis sensatio partium membranosarum in dentibus; proveniens à solutione continui, introducta à re acri & acida, continuum violenter & cum impetu solvente. Vel juxta alios est tristis sensatio mentis hic producta, à particulis succi nervei ac lymphæ acidis, acrioribus, ac corrosivis, membranas, dentes intimè invenientes & nervulos eorum poros penetrantes, inque substantiam se insinuantes, stagnando scindentibus & corrodentibus. Adest enim tristis sensatio, quia plures sunt, vi vitæ ac animæ sæpe cum periculo eadem laborant, quippe præ dolore sæpius ac insania laborantes nesciunt quæ faciant, se ipsos gladio interficere, jugulare, vel capite parietes incursare conantur, quale exemplum de muliere Alcmariana adducit *Forestus*, item *Salmut* l. 3. Obs. 32. inquiens, novi quosdam præ assidua ejusmodi dolorum vehementia pene exanimatos, alios ad insamiam ferè redactos fuisse. Ad quam actionem pertineat hic affectus, relinquimus Scholasticis disputandum, cum non libeat cum his in arenam descendere, nam ipsis res relinquunt & de verbis tantum sunt solliciti.

Corrosio seu Caries dentium. Sæpe Odontalgiæ causa existit *Corrosio* dentium seu *Caris*, quæ describi potest, quod sit pororum dentium corruptio, ab acribus vel aliis tartareis acidisque reliquiis ipsis adhærentibus, vel vermibus, producta, dolorem maximum inferens.

Eorum Foramen seu fistula. Sic quoque in his dentibus præcedente corrosione aliquando observatur *Foramen* ita excavatum, ut *Fistulam* in carnosioribus partibus meritò diceres, à particulis acribus improportionatis ita excavatum.

Mobilitas. *Mobilitas* dentium dicitur, quando digito ita moveri possunt, ut facili marte eos eximere possis, vel à gingivarum vitio, vel ipsarum radicum exesione dependens.

Casus. Quo pertinet & *Casus* dentium, quando scil. ab eadem causa sed atrociore planè ex suis alveolis excidunt, caries enim incipit à parvo puncto, ab acido scil. quod primitus nigrescit, hinc fenestra aperitur, & sic dens excavatur, corrosio verò si penetraverit ad dentis radicem nerveam, oritur dolor.

Stridore. In *Stridore* dentium tremulè movetur maxilla, unde nascitur sonus ex dentium crebriore collisione.

Sordities, Tophi, Nigrities. Sic & *Sordities* vel *Tophi* & *Nigrities* dentium interdum conspiciuntur, quando scil. dentes ita sordidi & nigri sunt, ut hominem planè dedecorent, & adstantibus nauseam pariant, ab acido corrosivo ita facti.

Hæmodia. *Hæmodia* dicitur, ubi dentes dulcia acidaque ferre nequeunt, ab acido salino producta.

Vermes.

Vermes etiam in cavitate dentium reperiuntur, ab ovulis ibidem producti.

Pars affecta.

§. 2. Principalem *Partem affectam* ipsa nominis ratio insinuat, & sunt Dentes utriusque maxillæ & superioris & inferioris. Hi quidem potissimum afficiuntur secundùm membranosas partes eorundem cavitates succingentes, quæ nervo tertiæ conjugationis irradiantur, & pulsantur à particulis heterogeneis, tumque dolor acerbissimus percipitur. Dolor nunc in fibrillis nerveis dentium cavitatem cingentibus, nunc in gingivis. Disputatur inter Medicos, num dentes in substantia sua doleant? & plurimi sunt, qui hoc statuunt: alii sententiam hanc, & quidem jure, impugnant, permoti, quod dentes tanquam ossa sine dolore frangi, secari, lima atteri possunt, unde omnem ipsis sensum denegant; nos persuasi sumus, nullum sensum fieri posse absque fibrillis nerveis & in iisdem constitutis spiritibus animalibus. Si enim accuratè examinemus, in qua parte dentium dolor fiat, extra omnem dubitationis aleam inveniemus, 1. tactus organum genuinum esse membranas, in quas nervi infinitis fibrillis sunt expansi: 2. tanto exquisitiorem sensum vel obtusiorem iisdem contingere, quo magis vel minus nervi easdem irradiant: 3. Ossa subtili membranula vestita, quæ acutissimi est sensus, periostii nomine veniens. Utut igitur Deus Optimus Maximus nudos dentes effecerit quoad basin seu partem extra alveum prominentem, ut concisioni ciborum citra molestiam vacarent ullam, neque quoad hanc partem sensus æque manifestus sit; non minus tamen ac alia ossa membranula pollent tenuissima, internam cavitatem succingente, nervis item ex tertia conjugatione instructi sunt, ac circumcirca parietibus gaudent membranosis, quoad radicem diffuso per eorundem substantiam & poros intimiores sensu. Hinc ergò clarè elucet, dolorem residere tantum in partibus membranosis seu nerveis succo nerveo repletis, vel cavitatem eorundem, vel ipsos dentes succingentibus. Et sanè istæ membranulæ satis capaces sunt ad suscipiendum dolorem, quippe quæ maxima subtilitate gaudeant, maximamque affinitatem habent cum nervis, à quibus tanquam parvi funiculi dependent, quibus irritatis & irritantur ipsi nervi, & succi stagnare coguntur. Dolor hic dentium quandoque infallibile est signũ conceptionis, quod plurimæ confirmabunt mulierculæ. Singulatim & gingivæ afficiuntur imprimis in dolore dentium, quando ipsæ inflammationem patiuntur, interdum etiam in Odontalgia ipsæ conficiuntur maxillæ, totumque caput. Quamvis verò dentes omnes & singuli obnoxii sint doloribus, magis tamen id experiuntur, qui profundiores habent radices, quod molaribus præcipuè competit, unde ad hos potissimum mali labes derivatur, ibique contumacius urgent cruciatus & diuturnius utplurimum. Dentes mutuæ vitæ & nutritionis sunt participes, non duntaxat per propria sua vasa, arteriolas, venas, nervulos, sed & ex adjecta gingiva firmiter dentibus annexa, unde & dentes crescunt, nisi continua attritione imminuantur.

Diagnosis.

§. 3. Assignata jam ritè affectus parte affecta, devolvimur ad morbi *Cognitionem*, quippe quæ ad curationem ex legibus artis instituendam, ut citò, tutò & jucundè morbus curetur, summè necessaria est, teste *Hipp.* dicente: qui morbum cognoverit, facile poterit medicamenta ad istum curandum invenire. Quoad Odontalgiam dolor ipse inhærens se manifestat ipso sensu, satis vehemens, acutus, punctorius, tensivus, circa dentium radices præsertim torquens; ex consequentibus varia sequuntur symptomata, appetitus imminutus, pavores, vigiliæ, deliria, motus convulsivi, inquietudo, gravativus capitis dolor cum pulsatione temporum, frequens salivatio, pallor vel rubedo faciei, sapor in ore salsus, stridor dentium, tumor genarum, aliquando inflammatio gingivarum cum tumore, rubore & calore, quin sæpius ipsa febris hunc affectum tanquam comes vel pedissequa sequitur; hinc interdum dolor est adeò acutus, tensivus & intensus, ut ægri manus violentas expetant. Quo acriores serum habet cuspides, eo dolor est vehementior. Interdum dolor est vagus, interdum fixus, prout humores crassioribus, vel acrioribus acidis particulis referti sunt, vel quo vermes in cavitate dentium plures, vel acidum corrosivum excedat. Visu etiam percipi potest, qui dentes afficiantur, an sint excavati, an verò circa radices, ubi maximè inseruntur nervi, afficiantur, nam spina non ablata dolor vix remittitur; qui sæpe adeò vehemens est ut ægri delirantes manum sibi inferant, quale exemplum novimus.

Sic & *Caries* dentium, *Fistulæ*, *Mobilitas*, *Casus*, *Nigredo* & *Hæmodia* ipso visu & ex ipsius ægri relatione patent.

Inspicienda etiam est gingiva, in qua si vitium hæret, dolor, inflammatio, tumor, corrosio & putrefactio aderit; sin minus dolor erit obtusus & non ita profundus, sed secundum latitudinem dentis extendetur, & sine omni dubio dens erit cariosus verminosaque materia scatens. In nervis & membranis si sit, dolor profundior est & vehementior: in funiculo si dolor sit, secundum longitudinem maxillæ extenditur magis, quam secundum longitudinem dentis & in superficie observatur. Si ex primis viis originem habeat, id cognoscitur ex repletione, dolore & conturbatione in ventriculo preexistentibus. Si *Vermes* adsint, maximus est pruritus dolorque interpolatus, exiguis intervallis desinens & rediens, imò motus vermium interdum percipitur.

Æthiologia secundum Galenicos in Odontalgia.

§. 4. Quoniam causarum cognitio est morborum exploratio admodum necessaria, ita ut absque ea morbi nec præcaveri, nec faciliter curari queant, nobis etiam incumbit in affectuum dentium causas inquirere. Ut verò eo melius veritas eruatur, aliorum sententias nostræ pro more præmittemus. Veteres itaque *Galenici* in *Dolore* dentium vel intemperiem quandam simplicem, vel humorem è cerebro, aut ventriculo, aut hepate ad dentes ob loci debilitatem irruentem accusant, dum iidem nervos eorum alveolis insertos premant, quorumque intemperies calida & copia major præ aliis dolorem hunce adaugeat, maximè verò quando in dentium radicibus jam sint obfirmati.

Dentium Stupore.

In *Stupore* dentium intemperiem frigidam nervos antedictos infestare autumant, quam frigidam etiam externa occurrentia adaugeant, ad quæ etiam acida referunt & austera.

Corrosione & Carie.

Corrosionis & *Cariei* causam accusant humores putres erodantes dentium essentiam invadentes & perterebrantes, quæ exesio si profundiùs penetret, *Fistulam* dentium dicunt oriri.

Mobilitate.

Mobilitatis dentium causam recensent gingivarum laxitatem aut erosionem, ab humoribus quantitate peccantibus inductam, ut ita dentes non satis arctè & firmiter à gingivis detineantur.

Casu.

Casum dentium oriri dicunt vel ob eandem gingivarum laxitatem & corruptionem, seu putredinem, vel ob ictum violentiorem, quo ex ipsis gingivis expellantur.

Stridore.

Stridoris dentium causis annumerant imbecillitatem musculorum maxillarum à frigore inductam, vermes in cerebro membranas vellicantes, & vapores copiosos ad musculos prædictos delatos, à paroxysmis morborum quorundam, & imprimis febrium intermittentium incipientibus.

Sorditie, Tophis & Nigredine.

Dentium *Sorditiei*, *Tophorum* & *Nigredinis* originem deducunt vel ab humoribus corruptis & halitibus internis dentes corrodentibus, aut muco seu visciditate inficientibus, vel à cibis calidis frequentiùs adhibitis, aut dulcibus & saccharatis, aut caseo putrido, vel ab incuria dentes detergendi & mundandi.

Vermibus.

Vermes propullulare credunt ab humoribus in cavitate dentium corruptis & putrescentibus.

Paracelsi de causis morborum horum opinio.

§. 5. *Paracelsus* Dentium hosce morbos ad unum omnes à Mercurio exoriri docet, qui singulari sua vi modò dolores, modò laxationes seu vellicationes, casus putredines, stridores, sordities, nigredinem & vermes per modum influxionis inducat.

Helmontii opinio de causa Odontalgia.

§. 6. *Helmontius* rigidus ille Scholarum censor *Dolorem* Dentium non à catarrhis originem habere statuit, sed quod dens hic aut ille vel detecta gingiva nimium sensilis factus sit, vel aliàs male digesta ultimi alimenti sui materia circa radicem dẽtis putrescat. Differre enim

vult digestionem dentis, uti & unguis, à digestione partium aliarum in hoc, quod hæc in culinis fiat sibi internis, illa verò in culinis radici illorum contiguis, hinc frequentem esse dicit odontalgiam, dum gingiva decrescit, & dens est ossicolor.

Corrosionis & Cariei. *Corrosionis* & *Cariei* causam adscribit excremento gingivarum, quod in senio dentis nimiùm accrescit, dum dente crescere desinente, & alimento vix indigo, gingiva plusculum alimenti rapit, cruenta fit & tumida, mox minuitur, ac velut cariosa evadit, qua carie, cavitate & putredine simul dentes inficiuntur, præcipuè quibus in juventute mox tempestivè accretionem suspendunt.

Mobilitatis & Casus. Dentium *Mobilitatem* & *Casum* ab eadem gingiva decrescente, nec dentibus ut antè contigua ortum habere putat, eo quòd dentes debito suo vinculo ita destituantur.

Stridoris. *Stridoris* causam nullam novit peculiarem, sed hac in re aliorum sententiæ facilè adstruere videtur.

Stuporis. *Stuporem* dentium oriri existimat à spiritu vitali peregrino quodam charactere in cerebro imbuto, & errore quodam ad gingivas & dentes ipsos deducto, quo dum dentium radices in gingiva existentes intempestivè irrorentur, molestum huncce sensum percipiunt.

Sorditiei, Tophorum, Nigredinis & Vermiũ. Dentium *Sorditiem*, *Tophos* & *Nigredinem*, nec non ipsos eorum *Vermes* quod attinet, hosce morbos dentibus pro diversitate eorum ætatis Auctor hic obvenire statuit; uti enim dentem post octennium hominis candorem vitri opaci vel lapidem limacis referentem, adolescentem, deinde sensim pallescentem, mox surdè albescentem tanquam ebur, juvenem, postea verò obscurè pallentem, ut in syncopizatis & defunctis virginibus spectatur, in ætate virili constitutum, & tandem pallidè flavescentem instar ossis, ad ætatem senilem vergere existimat; ita caducam ejus putat esse ætatem, quando cariosus, cavus, niger, verminosus & olidus est. Insimul ipsas etiam accusat gingivas, dum cruentæ vel minus sanæ dentibus non aptè cohærentes, & caveas sive fossulas, ad dentem malè nutritum ab inde ab suæ indispositionis exordio relinquentes, dentem nigrore extravenati sui cruoris tingant, sicque excrementum gingivarum, ut ex præparato cruore pro nutritione dentis fuisse contendit, ita & aliqualem suscipere determinationem sive potentiam dentalis duritiei, & ubi muccaginem ciborum & potuum combibat, mox quoq; festinare ad destinatam duritiem & decedere in lapidem, quatenus semel sigillum coaguli semenque lapidescentiæ pro dente suscepit, quod, etsi recrementum jam factum esset, adhuc retinuerit, non quidem ut tartarus proinde esset, sed à determinatione Archei, quà jam ad dentificationem destinatum fuerat, adeo ut insolitum non sit putandum, dentes proferre excrementum, hocque olidum è putrido cruore resolutum cadaver, muccaginem verò linguæ à cibis impactam siccari nec petrescere, nisi admista fuerit excremento, quod inter dentem & gingivam insensibiliter prorumpit, hocque ut dentis sit excrementum, ita duritiei determinationem hausisse ab initio, adeoque crustæ lapideæ specie illudere denti adnatum. Hanc itaque ob causam juxta læsionem gingivarum & dentium læsionem, ab excrementi scil. pluralitate & feritate docet æstimandam, & non secus atque cerebrum oblæsum plurimum muci, & quævis alia pars incommodata sordes multas accumulet, ita dentes horumque nutrices partes si sint oblæsæ, non modicum lapidescentis, ac putidi recrementi obtrudere, quod quia non tam ciborum exuvium, quàm humanum sit excrementum, ideò omnibus Nationibus peræque putidum contingere lapidem dentalem, qui Paracelsum circumvenerit, & Tartari suspicionem in nobis auxerit.

Secundùm Villisium causa Odontalgiæ. §. 7. *Vvillisius* causam *Odontalgiæ* constituit quodvis incongruum & improportionatum sensibile, cum humoribus serosis per ductus salivales gingivis communicatum & fibras membraneas & nerveas in iisdem sub dentibus contentas ab invicem dividens & divellens, ob quod spiritus animales ibidem placidè aliàs hospitantes simul ab emanatione sua consueta repellantur, distrahantur & in fugam vertantur, unde continuata eorum serie repulsus iste ad πρῶτον αἰσθητήριον communicatus spiritus ibi degentes in parem confusionem cieat, sicque doloris sive molestiæ ejus efficiatur irreptio.

Cariei Corrosionis & Fistulæ. *Cariei*, *Corrosionis* & *Fistulæ* causam putat particulas salsas acres dentibus diutius adhærentes, & substantiam eorum non modò erodentes, sed profundius quandoque perterebrantes.

Dentium Mobilitatis & Casus. *Mobilitatem* & *Casum* dentium oriri dicit à diuturno materiæ planè corrosivæ per ductus salivales affluxu, à quo gingivarum caro corrumpitur, unde dentes stabilire nequeat, quin hi alveolis dissolutis laxentur aut decidant.

Stridoris. *Stridorem* dentium ab agitatione nimia maxillæ inferioris originem habere existimat, dum vel à motu explosivo spirituum animalium in affectibus spasmodicis, vel aliis halitibus in febribus nimiùm concutitur & dentes invicem alliduntur.

Sorditiei, Tophorũ & Nigredinis: *Sorditiem*, *Tophos* & *Nigredinem* dentium à corrupto gingivarum nutrimento produci judicat, & sæpe ab externis causis, ut cibis minus convenientibus.

Hæmodiæ & Vermiũ. *Hæmodiam* ab acidis austeris fibras nervosas nimium constringentibus, & *Vermes* ex putredine humorum in dentium cavitate facta deducit, principiis activis foras detrusis vetus hospitium affectantibus, coeuntibus & invicem conjunctis corpora hujusmodi viventia producentibus.

Sylvii opinio de causa Odontalgiæ. §. 8. *Sylvius* humorem acidiorem in *Odontalgia* ut causam accusat, à succo pancreatico in corpore abundante ad dentes derivatum.

Dentium Cariei & Fistulæ. *Cariem* & *Fistulam* dentium ab eodem acido acriori ad dentes delato originem sumere docet, quod singulari sua vi adeò profundè soleat penetrare.

Mobilitatis & Casus. *Mobilitatem* & *Casum* dentium à gingivarum majori vel minori laxitate ab humoribus copiosius eò profusis inducta deducit.

Stridoris & Stuporis. *Stridorem* ab agitatione maxillæ oriri cum aliis statuit, & *Stuporem* ab austeris nimium constringentibus & spiritus turpidos reddentibus.

Sorditiei, Tophorum & Nigredinis. *Sorditiem*, *Tophos* & *Nigredinem* itidem ab acido substantium dentium corrumpente, & succos viscidiores circa eamdem coagulante exoriri contendit.

Vermium. *Vermium* etiam in dentibus proventum contingere putat à ciborum, imprimis carnium, in cavitate dentium diutius retentorum corruptione.

Cartesianorum judicium de causa Odontalgiæ. §. 9. *Cartesiani* in *Odontalgia* ut causam accusant particulas angulares acutas vel cum succo nutriente ex arteriolis, vel cum lympha ex ductibus propriis in interiorem dentium cavitatem illatas, quæ inordinata sua mixtione & motu irregulari cum aliis ibidem jam contentis fibras nerveas & medullares dentium vellicent, pungant, distendant & ruptionem earum adinchoent, quam spiritus animales ad commune referentes sensorium, in mente ideam excitent doloris. Hujusmodi verò particulas vel cum cibo & potu, vel etiam cum aere dentibus communicari dicunt, præsertim dentibus jam erosis & cavitate ad medullam interiorem & ipsos nervillos prolongata, in qua nonnunquam coagulationes particularum ramosarum cum angularibus acutis, & hinc validæ pressiones & digestiones in fibrillis istis obveniunt.

Cariei & Fistulæ. *Corrosionis* seu *Cariei* causam similes constituunt particulas acutas valde pungentes, & dentium poros ingredientes interstitia illorum tandem dissolventes, maximè si dentes antè cibis calidis & potui frigido illis mox superhausto redditi fuerint friabiles, quæ caries si profundius pereterebretur, *Fistulam* dentium inde formari ostendunt.

Dentium Mobilitatis & casus. Dentium *Mobilitatem* contingere norunt, quando gingivæ vel relaxantur, sive copiosiore nutriantur succo, & magis ideò expandantur, ut in pueritia & juventute contingit, in quibus dentes minores non respondent dilatatis alueolis, sive ab affluente liquore lymphatico & salivari humectentur & distendantur, quod ab inunctione mercuriali aliisque salivantibus dictis obvenit; vel quando gingivæ à salibus

ibus erodentibus consumuntur, ut satis altè dentes nequeant investire & obfirmare, quod in scorbuto contingit, eo quòd salia ista scorbutica fixa nutrimento gingivarum minus sint accommodata, eaque propter arescant. Quo verò laxior vel magis absumpta sit caro illa gingivarum, eo faciliùs ipsum dentium *Casum* subsequi nullatenus dubitant, quem tamen & à violentis causis externis, ut casu, ictu, &c. contigisse, fuerunt experti.

Stridoris. *Stridoris* dentium causam ab agitatione maxillæ dependere cum reliquis adserunt, quatenus fibræ membraneæ & nervosæ à peregrino quodam vellicantur, & spirituum animalium æqualis per tubulos consuetos denegatur transitus, sed hi obstacula non pauca invenientes inordinatè hinc inde transcurrant, & ubivis penè fibrulas offendant, unde maxillæ & dentes neque constanter conjungi, neque ab invicem detineri possint, sed frequentius allidant, & hoc sæpe in paroxysmo febrili obtingere ajunt, quoniam à crudiore & crassiore succo aut aura fibræ comprimantur, & tubuli angustentur, quin & ab angularibus & cuspidatis quibusdam particulis ipsæ fibræ convellantur, quod & præ iracundia nonnulli ex professo faciant, aut quod mens eorum officii sui oblita violentiorem spirituum agitationem non satis compescat.

Sorditiei & Tophorum. *Sorditiem* & *Tophos* dentium inde produci credunt, quod vel ciborum particulæ ob figurarum & magnitudinum suam convenientiam cum dentibus, intercedente sola quiete, iisdem fortius adhæreant, vel ob viscositatem & ramositatem à particulis quibusdam acutis lamellatis in ipsis dentibus jam contentis coagulentur & inspissentur, ut ità non modò in lapideam quandam abeant duritiem, sed dentibus etiam ob particulas cuspidatas eorum poris unà inhærentes firmius annectantur.

Nigredinis. *Nigredinem* dentibus ideò obvenire censent, quatenus eorum pori, quos aliàs habent minutissimos, à particulis acutis perterebrentur & amplificentur, ut radii luminares in iis suffocentur, quibus particulis instar salis cujusdam volatilis saccharum maximè constare perhibetur.

Hæmodiæ. *Hæmodiæ*, sive *Stuporis* dentium causam constituunt particulas non modò acutas, sed & hamatas, fibrillas medullares & nervosas valde compingentes, ut spiritus simul comprimantur nec libero suo motu ob fibrarum tubulos efformantium rigiditatem ulterius fruantur, hinc nimis tensæ ad quemcumque leviorem etiam contactum molestè moventur & vi quadam flectuntur, quam molestiam dum spiritus communi sensorio offerunt unà cum idea quadam ineptitudinis ad motum, perceptionem stuporis hujus in eodem excitant; ejusmodi verò particulis abundare dicunt succos quosdam valde acidos & acerbos, ut prunorum sylvestrium, citriorum, berberum, ribesiorum, pomorum aliorumque fructuum immaturorum, quorum comestionem aut haustum hæmodia ista facilè subsequatur.

Vermium. *Vermium* progeniem etiam in dentibus ex ovulis egredi mente sua concipiunt, dum mediante cibo à muscis aliisve insectis ovulis suis conspurcato dentium cavitati inferuntur, & animalcula hæc à mediocri illo calore putredinoso à reliquiis ciborum suscitato ibidem excluduntur: Qualem odontalgiam à verme productam notavit Cl. Clauderus *Eph.G. D.2. A.7.*

Nostra sententia de causa Odontalgiæ. §. 10. *Nos* cum Cartesianis in *Odontalgia* pro causa immediata habemus solutionem continui, quæ est vel vellicatio, vel rosio, vel tensio, vel irritatio, vel quæcumque commotio violenta membranosarum & nervosarum partium dentibus adjacentium, quæ fiunt potissimùm à particulis cuspidatis angularibus salinis acribus in humoribus & succo nerveo hospitantibus, & circa dentium partes membranosas imperium sibi rapientibus. Sic in nimio fluxu humorum, ubi sæpe simul regurgitant humores & ad dentes decumbunt, non legitimè facta circulatione, sed ibidem inducta stagnatione, hinc tum in aliis individuis consimilibus Odontalgia oboritur, tum hujus rei exemplum præbent fœminæ, si vel ob graviditatem, vel ipsam obstructionem mensium, fiat redundantia. In gravidis sanè dolores dentium sunt frequentissimi, hinc rarum est, quod notavit *Bartholinus in Act. Hafn. Vol. 3. Obs. 17.* in propria uxore, quæ Odontalgia laboravit, quando non gravida fuit, gravida verò facta dolor hic evanuit, neque prius rediit, quàm quando peperit. Serosi etiam, viscidi & salsi, acres, cacochymici & scorbutici humores ibidem accumulati authores sunt hujus affectus; serosi, viscidi coagulando & tenendo; acres, salsi & ejus farinæ findendo, rodendo, pungendo, &c. singuli particulis inæqualibus angularibus acutis fibrillas membranaceas rodendo sensum tristem inducere apti. Non tamen æquè effectus dolorificus consurgit, nisi velificetur motus duplex generationis & localis, uterque circulum sanguinis & lymphæ turbans, unde velut spina infigitur parti, quod simile fuit Helmontianum in ejusmodi dolorum speciebus aliquoties usurpatum, & dolores hinc oboriri necessum est. Si enim serum acribus, erodentibus & acidis particulis refertum est, dolores dentium & mobilitates fiunt. Latet & causa in alimento proprio & innato depravato, & in excrementum aliquando acre, mordax, causticans, pungens & corrodens degenerante. Gignuntur hi vitiosi liquores in ipso loco per stagnationem ab obstructione factam; huc faciunt jactus, casus, ictus, percussio, contusio, aliaque, quæ doloris hujus generationem promovere possunt, vel ob errorem externum, hinc ob congesta observantur & dentes cariosi redditi, & sæpenumero in horum cavernulis producuntur vermes, pungendo & vellicando molesti.

Frequentissimè verò particulæ vitiosæ huc stagnant per evasationem seu sanguinis, seu seri acrioris, unde à sero & insolenti catarrho intolerabilem patiuntur homines odontalgiam. Sic in hypochondriacis & scorbuticis non solum gingivæ sensim exprimunt lutuosum, acetosum, corruptum & tartareum serum, verùm etiam dolores dentium sat atroces toto die sentiuntur. Exemplum hujus rei quoque præbet insigne lues Venerea, quæ ut serum viscosius & acrius conjunctum habet, ità doloribus capitis & dentium juxta ac tumoribus partium glandulosarum in facie infamis est; imò arthritici quoque divagari ad mandibularum incolas salinum rodens & urens inquinamentum frequenter persentiscunt.

Ex primis viis ex digestione vitiata Odontalgia oboriri potest, non benè digesto chylo, sed crassiore facto. Certè nihil ità præter acriores particulas in serum & sanguinem transmittitur, quæ auctores sunt hujus morbi.

Causæ remotiores, quæ ansam vel occasionem & materiam præbent priori eandemque excitant, desumuntur vulgò ex temperamento, ætate & sexu. Ità fœminæ, quæ serosiores sunt, præ viris Odontalgia pluries afficiuntur. Aer etiam affectui huic plurimùm favet, hinc frequentiùs judicantur incolæ maris Balthici & alii populi septentrionales carie & doloribus dentium affici ob aerem inclementiorem; è contrario autem in Ægypto, ubi aeris clementia insignis, vel fortè ob aquæ Niloticæ saluberrimæ potum, rarius vel dentes dolere, vel decidere, vel cariosos evadere scribitur. Sic & Odontalgiæ maximè ferax est autumnus & hyems flante Borea; obstruuntur enim tubuli ab acido seu frigido aere, unde stagnatio humorum facilior ab aere acido nitroso. Sicut exemplum in viro quodam, dum hæc scribo, observavi, qui tempore æstivo odontalgia correptus ob doloris vehementiam pavimento frigido faciem suam imponit, exinde tumor totius faciei & capitis adeò excrevit ut magis faciem bovis quàm hominis repræsentaret, durante suppuratione deliria maxima passus est, materia erat instar casei coagulata, ipse patiens cultrum petiit ad aperiendam genam, inflammatione meningum cerebri accedente mortuus est.

Cibus ad producendum malum hoc facit non solum immodicè sumptus, sed vitiosa etiam qualitate præditus. Hinc nocent nimis salita, infumata, allia, cepæ, aliaque pravi succi edulia, acrimoniam sero con-

conciliantia, præprimis dulcia dentibus ipsis infensissima, ut saccharata, quæ eosdem corrumpunt, lutosum enim sanguinem generant; quo & referri potest historia ultima ab *Henr. ab Heer* allegata de muliere quadam, quæ ficubus improvidè adhibitis dolores adauxit.

De Potu idem sentiendum, utpote qui copia sua digestionem interturbat, fugiendus imprimis intensè frigidus, glacie potissimùm ità redditus, quippe adeò notum, quam quod notissimum est, frigida, ob coagulationem quam faciunt, dentibus esse inimicissima, tantoque magis id fit, si v.g. jusculis calidioribus assumptis desuper frigidus hauriatur, unde, quod adversissimum est ventriculo, ab uno extremo ad alterum subitaneo facto transitu & fibræ relaxantur, & coagulo ac stagnationi humorum seorsum aperiuntur fenestræ. Nocet & potus intensè calidus dentibus, hinc & ipse potus Theæ fervidus dentibus dicitur infensus. Quies etiam, somnus & vigiliæ, excreta & retenta si minùs ritè se habeant, dolori huic producendo vel augendo operam haud parvam contribuunt. Ad animi pathemata tandem referimus Iram & Terrorem; illam, quia spiritus in corde & arteriis ad motum citatiorem provocat, nervos irritat ac convellit, humores exagitat, morbosque sæpe inducit lethales: Terror verò coagulando numeros millenos morbos inducere potis est.

Causa Dentium Cariei.

Causa dentium *Cariei* est acidum corrodens, quod sæpe generari solet ex pravi nutrimenti assimilatione, & imprimis à dispositione scorbutica, hinc scorbutici cariem dentium utplurimùm patiuntur, & sicuti dentes niveo colore superbientes perfectam digestionem ventriculi indicant, ità caries dentium imperfectam & diminutam chylificationem comprobant, hinc canes habent dentes elegantissimos, ob fermentum ventriculi potentissimum, & in quibus digestio ità peragitur, ut suum cuique tribuatur, & chylus fit tenuior & benè separatur.

Fistulæ.

Huc & pertinent Dentium *Fistulæ*, quarum causa est acidum magis corrosivum. Caries enim in parvo incipit puncto, quod ob acidum vitriolaceum primitus nigrescit, hinc prima Cariei & Fistulæ aperitur fenestra, siquidem acido magis ac magis reddito corrosivo, dens profundius excavatur, & si corrosio hæc ad dentis radicem nerveam penetraverit, oritur dolor intensus.

Mobilitatis.

Causa *Mobilitatis & Casus* dentium utplurimùm latet in carne gingivæ, cum qua vita communi pro ratione spiritus influi gaudent dentes; hæc enim quando nimis redditur flaccida, aut absumitur, dens non jungitur amplius gingivæ, sed ab hac separata facilius excidit, hinc omnia, quæ gingivas laxas flaccidasque reddunt, aut absumunt, ad hunc affectum disponunt, ut sunt frigida sæpius assumpta, quæ senium dentium accelerant, ut & nimis calida, quæ dentes & gingivas quasi comburunt, item plura acida acria in odontalgia admota nocent, à quibus dentes stupefiunt & insensiles redduntur, eorum fibrillæ & ipsi dentes sensim ac sensim corroduntur ac tandem decidunt. Huc & pertinent omnia ea, quæ superius in Odontalgia enumeravimus.

Nigredinis & Sorditiei.

Nigredo ac *Sordities* dentium est nil nisi productum morbosum ex depravata dentium nutritione enatum, & utplurimum à dulcibus saccharatis & viscidis, à masticatione tabaci aliarumque rerum sordidarum, malè colorati dentes suam habent originem; ob cruorem gingivæ extravasatum, & serum corruptum stagnans & malum hoc oritur hinc scorbuticis dentium nigrities & sordities solennis est, ipsi enim semper ferè patiuntur flacciditatem cruentam gingivarum. Ab inunctione etiam Mercuriali pro cura luis Venereæ non tantum vitiantur gingiuæ, sed & nigrescere solent. Sic etiam à tartaro illo, sive calculo, seu lithodonte, dentes non tantùm corroduntur, sed & ab acore hoc nigri ac fœtidi redduntur.

Stridoris.

In *Stridore* dentium tremulè movetur maxilla, unde nascitur sonus ex dentium crebriore collisione; tremulè verò movetur maxilla à spasmo reciproco musculorum in genis obductioni & adductioni mutua opera inservientium, & hic motus convulsivus in febribus malignis sæpe funestus existit. In infantibus hic affectus sæpe oboriri solet à frigore externo, vel lumbricis intestinorum convulsivos motus excitantibus, qui stridor dentium communis est in febrium rigoribus propter fibras communes partium membranosarum circa præcordia agitatas.

Hæmodia seu Stuporis.

Hæmodia sive *Stupor* dentium ab acore peregrino produci solet, sic & saccharata, quæ occultum in se habent acorem, facilè hunc affectum excitant, ut & omnia acida. Sic & affectus hic, quod mirum, à tetrico & aspero sono sæpe oboritur, hinc egomet nullum sonum asperum ob hæmodiam, qua statim affligor, ferre possum.

Causa Vermium.

In dentium cavernulis sæpe putredo concipitur, & quidem animato seminio fœta, quod sufficienter testantur *Vermes*, utplurimum à putrescente nutrimento dentis geniti, vel aliunde ibidem congesti, quo modò plures, modò pauciores, magnitudine diversi dolorum dentium atrociorum aliorumque symptomatum fabri existunt, unde apud *Salmuth. Cent. 3. Obs. 32.* extat historia Odontalgiæ à verme sesquiarticulum longo excitatæ; & sunt, qui suffimentis certis adhibitis ad oculum tales vermiculos prolectos demonstrare satagunt; prout patet ex Obs. Cl. *Pechlini*, *Eph. Germ. Ann. 9. & 10. Obs. 24.* qui notavit perspicillo munitus, vermiculos illos non illepidè figuratos, multo saltem concinniores, quam quos in ovium hepate quotidiana comperit experientia, vulgusque lanionum in Italia Briscioli vocat, nuper à Domino *Francisco Redi libro de Insectis* depictos. Hos vermes dentium aqua ablutos vidit & *Scholtzius Obs. 167. Eph. Germ. Ann. 9. & 10.* qui latum pollicem ferè omnes æquabunt, tenuissimum netricum filum crassitie vix superantes; coloris, dum vivebant, incarnati, mortui vero & arescentes magis ruffescebant, per microscopium inspecti egregiè intestinorum lumbricos referebant, utrimque in acutum rostrum desinentes, corpore ex annulis innumeris coagmentato pellucido, rubello intestinulo per cutim transparente. Quo ovo, aut semine, aut putredine enascantur hi vermiculi, à pluribus disquiritur; an superstitis escæ ramenta seminio antè aliquo aut ovulo animata? an ex scorbutico dentium tartaro, spiritus volatilis accessu, unde raptæ vivaces ampullatæque verminum vesiculæ, tandem etiam rostratæ & pedatæ emergunt? Hi vermes sensum doloris inferunt mordendo & vellicando fibrillarum nervearum, quæ exesæ cavitatis fornici impendent, extrema, vel repedo, seu membrorum pedumque circa dentium membranulas mobili jectigatione, qualis esse motus videtur vermiculorum, qui pustulis faciei occuluntur, importuna prurigine graves.

Lapidis dentalis.

Quod concernit *Lapidem dentalem*, ejus causam existimamus nutrimentum ex gingivis depravatum, ubi simul quicquid mucilaginis ciborum ac potuum fuerit appositum, in lapideam hâc indurescit materiam. Flaccidæ ac laxæ cruentæque gingivæ, non verò quæ cuspidali figura ad dentis medium assurgunt huncque firmant, lapidem istum producunt dentalem.

Prognosis Odontalgia.

§. 11. Signis *Prognosticis* si prudens Medicus instructus fuerit, plura subinde hariolari potest de eventu morbi. Hæc prognostica dispescunt Medici in tres classes, prædictionem nempe eventus seu salutis & mortis, temporis, quoad brevitatem & longitudinem morbi, & modi eventus; quæ distinctio tamen non semper in praxi locum invenire solet. Quamvis autem *Odontalgia* non simpliciter & per se sit morbus lethalis, affectus tamen non parvi faciendus, ne lethalitas inde sequatur. Experientia quippe testante plures ob vehementiam hujus morbi incomparabilem mori maluerunt, quàm diutius cùm eadem conflictari, imò ad insaniam sæpè redigit ægros. Ratione subjecti, periculosa est Odontalgia, si partes ipsæ membranaceæ, seu magis nervosæ, circa radices, ubi nervi inseruntur, affliguntur, præprimis à vermibus, & particulis acribus acidis aliis ibidem latentibus, easdem indesinenter vellicantibus, unde facilè spiritus animales, imò totum corpus in consensum trahi possunt, imprimis cùm ob diutur-

nam moram stagnantium humorum acerbitate sua, vigiliis, inquietudine, similibusque vires insigniter profligantur.

Ratione causæ, curatu facilis est, quę ab errore externo; difficilior, quæ à vermibus vel rheumatismo ortum habet; curatu autem difficillima, si inflammatio adest, caput obsideat, & nervosum genus à nimis acribus irritetur, unde facilè convulsiones oboriri solent.

Longitudinis & brevitatis dignotio est necessaria. Subita doloris dentium sedatio nunquam est promittenda, maxime in principio & augmento; deinde celerius terminatur dolores ex sero acri, quàm viscido. *Columbus* notat alicubi dolorem per totam vitam perennantem.

Quoad modum eventus, vel integrè solvitur correcta & discussa materia morbifica & doloribus consopitis, quod ordinarium magis est, vel mutatur in alium morbum, ut in maniam, vel in febres, quod utique nihil boni indicat; sæpe cum magno fructu terminatur gingivarum & genarum tumoribus, indicio, humores dente derelicto ipsam partem, in qua tumor colligitur, invasisse. Et hic quidem tumor itidem paulatim exspirat & imminuitur; sin gravior sit affluxus & inflammatio, interdum in abscessum abit, rumpi solitum vel intus, vel exteriora versus, qui à me visus fuit ab ægro admisso frigore in tumorem scirrhosum tandem terminatus. Insolenti quoque modo aliquando terminatur lacrymis dolor noster dentium, cujus exemplum proponit *Timæus à GudenKlee*, de Nobili quodam, qui inter acerbissimos cruciatus plorare cœpit, adeò ut ultra horam à fletu sibi temperare non posset, quo factum, ut dolor sublata per lachrymarum effusionem largam causa, remiserit. Ad mortem tendit, ubi cum stridore & febre ardente seu maligna conjungitur.

Cariei & Fistulæ. *Caries* Dentium fœtorem oris infert, & hoc ex nutrimenti dentis cariosi proprii corruptione, aut ciborum masticatorum in iisdem cavernulis dentium retentorum & corruptorum putredine. In totum quoque curari nequit, uti nec *Fistula*, siquidem quod In Dente consumptum est, nulla arte potest restitui, sed præcaveri solummodo, ne ulterius corrumpatur.

Mobilitatis. *Mobilitas* Dentium non est parvi habenda, denotat enim magnam gingivarum corruptionem, cui si in tempore non occurratur, ipse *Casus* facilè subsequitur, qui extra tempus illud, quo pueris vel adolescentibus ordinariè obvenire, & novi in priorum locum succrescere solent, non modò pulchritudinem imminuit, sed loquelæ & masticationi etiam maximè incommodat.

Nigredinis & Sorditiei. *Nigredo* & *Sordities* præterquam quod nitorem dentium obfuscant, & pulchritudinem eorum adimunt, ulteriori eorum corruptioni, cariei & casui quandoque ansam præbent, si dentes ab iis in tempore non liberentur, quod pro copia vel paucitate sordium citius vel tardius aliquando obtineri potest, siquidem morbus hic non est penitus incurabilis.

Stridoris. *Stridor* dentium absque manifesta causa superveniens in adultis malum portendit, vel Apoplexiæ vel Epilepsiæ prodromus est, sic & in febribus pessimus est; juxta *Hippocr.* enim *prænot.* §. 4. & *Coac.* §. 2 Dentibus stridere in febribus, quibus non familiare id est à pueris, furiosum ac lethale censetur.

Stuporis. *Stupor* Dentium admodum est molestus, sed non semper difficilis curatu, sæpe enim sponte cessat absque ullo ulteriori damno dentibus illato.

Vermium. *Vermes* si dentibus ità excavatis medullam & fibras nervosas attingere valeant, easdem mordendo intolerabiles aliquando inducunt dentium dolores, & summum in dentibus obortæ corruptionis indicium præbent, attamen si commoda iis adhibeantur medicamenta, non modò enecari, sed ex hospitio suo etiam penitus queunt eliminari.

Lapidis dentalis. *Lapis dentalis* non semper æque facilè depellitur, sed aliquando fortius adhæret, & dentium substantiam erodit, ac tandem penitus consumit, aut ità reddit friabiles, ut ad fortiorem attactum frustulatim decidant, in tempore verò si malis hisce præveniatur, antequam nimia ejus collecta fuerit copia, diligentia & frequentiori dentium ablutione & emundatione abstergi, & novus ejus proventus commodè poterit præcaveri.

§. 12. Theoria affectuum dentium præmissa, restat ut curationem aggrediamur, & quidem ordine semel proposito à *Diætetica* incipiemus. *Diæta.*

Aer sit temperatus, atque pejus vitetur frigidus nebulosusque, qui semper corrigendus suffumigiorum beneficio.

Cibus sit boni succi & digestione facilis, in quem finè condiri possunt mace, Zinzib. cinamomo, caryophill. Carnes non sint nimium tenaces, fibrosæ, ne particulæ adhæreant dentibus. Omninò relegentur cibi flatulenti, crassi, viscidi, fructus horarii, fugiantur dulcia, saccharata, mellita. Sic nocent & acerba & acida. *Potus* sit temperatus, purus, non frigidus vel glacie frigefactus, vel acidus.

Motus & *Quies* justis temperentur mensuris, motus magis instituendus ante cibum, ut sensim atque sensim incalescat corpus, tubuli aperiantur & particulæ aeres discutiantur. Quies quoque maximo erit solatio dolentibus.

Somnus itidem omnium dolorum est levator; *Vigiliæ* nimiæ spiritus absumentes & humorum acrimoniam augentes ab odontalgico exulent.

Excreta & *Retenta* quotidie suo fungantur officio, alvos adstricta est laxanda, sudor in assuetis non facilè est coercedus, sed potius promovendus. Sic conjux mea sudore inhibito statim in dentium dolorem incurrit.

Animi passiones refrænentur, incandescentiæ aliæque perturbationes sanguine viperino cautius vitentur.

§. 13. Reliquos nunc curationum fontes, *Pharmaceuticum* scil. & *Chirurgicum* aggressuri, aliorum sententias nostræ faciemus præcurrere, & quidem omnium primò Veterum *Galenicorum*, quorum opera in curanda *Odontalgia* ad id potissimum locatur, quo intemperies omnis, sive simplex ea sit, sive cum materiæ & humorum influxu corrigatur, & humor superfluus evacuetur, quare purgationem instituunt tùm totius corporis per Hieram fortissimam *Galeni*, vel Hygiam Gręcam, tùm in spec & solius capitis per errhina, ut succum rad. beræ, & gargarismata apophlegmatisantia, ex tædarum ramentis, malicorio & alumine in aceto ad tertias coctis & ore contentis, quo si os saliva fiat refertum, eandem ore hiante effluere volunt; nec venæsectionem interdum omittunt, si magna humorum adsit acrimonia calida, potissimùm verò ad urgens symptoma respiciunt & dolorem leniunt vel oleo lentiscino calidiusculè ori indito, & diutius super dente dolente retento, vel lacte asinino, vel decocto rad althææ, glycyrrhiz flor. melilot. sem. malv. &c. In causa calida refrigerantia, & adstringentia in usum ducunt, ut decoctum rosar. fol. plantag myrt. flor. hyoscyam. in aqua & aceto, vel vino austero, in quo rad. pentaphyll. fol. heder. salv. salic. summit. lentisc., cort. myrt. & gallæ immaturæ coctæ fuerint, os frequentius colluere jubent. Si digestione & resolutione opus sit, totum instituunt ex decocto althææ, chamomill. melliot. sem. lini, fœnigr. quo spongiam imbuunt eamque calidè admovent, aut malas inungunt oleo anethino, lilior. chamomill. Irino, vel sequens iisdem imponunt emplastrum. *Curatio Pharmaceuticorum Chirurgica secundum Galenicos in Odontalgia.*

℞ *Picis*,
Mastich. aa. ℥iij.
Thur.
Ladan.
Gumm. Ammon. aa. ℥iv.
Ol. lentisc.
Nardin. q. s.
F. Emplastrum.

Ut citius sedetur dolor, suadent ut decoctum ranæ in aqua & aceto, vel dentis canini usti & triti in aceto calido factum ore contineatur, vel gingiva cum dente ungatur vel theriaca, vel mithridatio, vel Aurea Alexandrina, vel sequens propinant masticatorium.

℞ *Sem. rorismar.* ℥ij.
Orig.
Tip. alb. aa. ℥j.
Uvar. passar. pinguissimar. sextar. ß.
Redigantur in massam.

Post

Post cujus usum os vino colluatur. Si verò dolor sit contumax, sensum obtundunt stupefacientibus, ut opio in aceto soluto, vel radicibus mandragoræ, & hyoscyami cum vino, aceto, aut mulso contusis & illitis, nec non ipso philonio, aut requie *Nicolai*; Medicamentis verò incassum adhibitis, ipsum dentem evellere suadent, ut gingivæ ita relaxentur, circumraso prius dente scalpello angusto, ac dein forcipe, vel tenacula, vel instrumento alio concusso & eruto, quo facto locum sale contrito superfricare jubent, ut caruncula lacerata absumantur, & gingivæ laxatæ condensentur, vino verò rubro vel posca sistunt sanguinis fluxum. Qui chirurgiam hanc horreant, iis corrumpentia & dentes mobiles reddentia commendant, ut facile manu eximi queant, qualia sunt purethrum aceto acerrimo diebus quadraginta maceratum, tritum ac repositum, usus verò tempore reliquis dentibus cera obducta præmunitis, & dente eximendo præmundato, illinitum, quo facto interjecto unius horæ spatio dens digitis extrahi poterit. Hinc subjunguntur sory cum aceto acerrimo pluribus diebus illinitum, aut succum tithymali & sory unà cum galbano impositum.

Dentium Stupore.

Ad *Stuporem* dentium specifica quædam commendant remedia per experientiam affectui huic depellendo commoda observata, ut sunt portulaca viridis crebrius masticata, oleum dulce, amurca, butyrum recens dentibus torpidis illita, collutio ex lacte asinino recenter emulcto, caseus pinguis modicè assatus & diutius masticatus, nux avellana, sal, scilla, grana lauri & similia.

Carie & Fistula.

Cariem & *Fistulam* dentium commodè abigere & dentes integros reddere nequeunt, sed ne nimium doleant, aut graviter oleant, & ulterior erosio prohibeatur, foramini indunt veratrum nigrum ervi magnitudine melle coctum, vel sal fossile melle subactum, assatum & tritum, admixta myrrha, vel piper coctum cum melle & diligentem tritum, vel etiam sequens:

♃. *Lacrym. Papav.*
Myrrh.
Styrac. aa. ʒ ij.
Pip. alb.
Galban. aa. ʒ j.
Uv. pass. q. s. ad comprehendendum.

Ut dentes adhuc integri à carie præserventur & nunquam exedantur, eosdem alumine cum modico myrrhæ jubent confricari.

Mobilitate.

In *Mobilitate* dentium, ut hi in alveolis suis firmentur, & à casu præserventur, humores peccantes evacuant, & tunc adstringentia commendant, maximè verò sequentia:

♃. *Fruct. terebinth torrefact.* ʒ viij.
Alum. scissil. cremat.
Flor. punic. sylvestr.
Succ. uv. acerb. aa. ʒ ij.
Gallar.
Croci,
Myrr. aa. ʒ j.
Terantur.

Vel

♃. *Corn. Cerv.* ʒ viij.
Rhois rub.
Balaust. aa. ʒ iij.
Cort. pini,
Gallar.
Croc.
Myrrh. aa. ʒ j.
Terantur.

Dentes jam elapsos, & diutius extra alveolos existentes aut planè amissos reparare nesciunt, nisi artificiales iisdem interantur, ad loquelam impeditè exercendam & ornatum; quando verò modò elapsi sint & integri, vitio solius gingivæ nimium relaxatæ, eosdem statim pristino restituunt alveolo, & prædictis adstringentibus gingivas roborant, quo pacto dentes denuò firmari & arctius credunt retineri.

Stridore.

Stridorem dentium tum demum curari dicunt, cum causæ, à quibus originem sumpserit, abigantur, & ipsi morbi præcedentes curentur; in Maxillarum imbecillitate à frigore corroborantia & calefacientia adhibentes, ut fotum ex decocto majoran salv. rorismar. Inunctionem cum oleo laurino, rutaceo, moschel. Unguento Aregon. Ab aliis morbis si dependeat, ad eosdem primariam curationem dirigunt.

Sorditie. Tophis & Nigredine.

In Dentium *Sorditie*, *Tophis*, & *Nigredine* humores peccantes exsiccant & à dentibus abstergunt variis masticatoriis ex mastiche, thure, terebinth. rad. pyrethri, Cyperi, &c. vel lanas succidas linteolis illigatas urunt, hinc salis tertiam partem addunt & trita dentibus affricant, vel pulveres parant dentifricios ex testis ostrear. oculis cancror. lap. pumic. rad. Ir. aristol. ciner. capil. leporin. origani myrrh. & similibus, quas species interdum quoque cum melle vel oxymelle in linimentum redigunt, quo dentes fricare jubent, & quando tophi fortius adhærent, & dentes reddunt asperiores, eosdem lima quadam abradunt.

Vermibus.

Ad *Vermes* è dentium cavitate eiiciendos radicem pyrethri laudant, si ejus portio quædam ipsi cavitati inseratur, vel dentem in quo vermes continentur, semine hyoscyami fumigare suadent.

Paracelsi modus curandi Dentium Dolorem.

§. 14. *Paracelsus* in Dentium *Dolore* duplicem proponit curationem, unam Physicam, alteram Chirurgicam. Physicalis sequens est.

♃. *Tormentill.*
Staphisagr.
Sem. plantag. aa. ℥ ß.
Rad. exter. Jusquiam.
Succ. papav. aa. ℥ ß.
Reduc in decoctionem cum aceto.
Fiat Lavamentum calidum.

Præcipit etiam ut emunctorium sanguinis fiat, & similem effectum præstari promittit, si rumex acuta, quæ aliàs oxylapathum & melioca nominatur in orbiculos scindatur, qui aceto imbuti dentibus admovendi sunt, aut si radix crassius contusa & aceto humectata per horæ quadrantem aut diutius dentibus imponatur. A quis etiam fortius & pulveribus dentalibus eos abigi posse autumat. Chirurgica cura peragitur materiam peccantem auferendo, videlicet vermem, cujus abactio inferius patebit. Quando cruciatus ex punctionibus & repentinis fluxionibus oriantur, vulgaribus compositis non vult instare, sed arcanis cum usu phlebotomiæ & scarificationum si necessitas requirat; os brachii bufonis attactu odontalgiam sedat.

Putredinem & Carie.

In *Putredine* & *Carie* dentes eluit aqua mellis & posteà inungit melle & aloepatico mixtis per aliquot dies, hinc in destillata & præparata aqua aluminis ponit plantaginem, sal, consolidam, serpentinam, & illa aqua quotidie bis dentes proluit, ut ita putredo desinat. Novit etiam arcana, per quæ dentes erosi & putrefacti ex alveolis fuerint extracti, & novæ dentium radices fuerint regeneratæ, sed ea non patefacit.

Mobilitatem seu Vacillationem Casum.

In *Mobilitate* & *Vacillatione* dentium nihil superare asserit ipsum oleum de Croco Martis, si eo inungantur.

In *Casu* nihil planè aliud esse affirmat, quod vim mercurialem tollat, quam oleum Nucis Moschatæ.

Stridorem & Stuporem.

In *Stridore* oleum Succini, & in *Stupore* comestionem panis calidi commendat.

Sorditiem & Tartarũ & Nigredinem.

Ad Dentes à *Sorditie*, *Tartaro*, *Nigredine* depurgandos spiritum Vitrioli modicè & non diu usurpatum valere promittit, si dentes abstergantur linteo, cui guttula una vel altera ejus spiritus sit instillata, postea alios pulveres admittit ex dentalibus, lap. calaminar. sale gemm. margarit. alum. & similibus paratos.

Vermem.

Dentium *Vermem* eodem modo occidendum esse annuit quo scabrum & panaritium occidere solent, videlicet per sperniolum, quem tamen & mori novit, si aerem sentiat. Si putrescat ille & fœteat, os colluendum præcipit gargarismo ex melle & aceto, quo adhibito fœtor vanescat.

Helmontii remedia ad Odontalgiã

§. 15. *Helmontii* in *Odontalgia* curanda arcana sunt os brachii aut pes bufonis probè selectus & denti dolenti applicatus, qui primo statim contactu quasi per incantationem quandam, omnem abigat dolorosam molestiam;

etiam, dens canis aut hominis non violenter, sed extinctis viribus emortui, cujus attactu dens marcescat, & excidat; quod pariter præstari vult à pulvere lacerti denti dolenti imposito, nec non à pelle anguis.

Dentium Cariem. *Cariem* dentis, cum per senium eam fieri putet, medicamentis abigere minimè tentat, sed si dolores producat, eundem superioribus eiiciendum esse approbat.

Mobilitatē. & Casum. Ad Dentium *Mobilitatem* & *Casum* similiter nulla peculiaria excogitavit medicamina quæ gingivam decrescentem restituant, unde ex aliorum placitis defectus hic est resarciendus.

Stridorem, Stuporem, Sorditiem, Tophos, Nigredinē, & Vermes: Vuillisii ratio curandi Odontalgiā. In *Stridore, Stupore, Sorditie, Tophis* & *Nigredine* remedia ab aliis proposita facilè approbat, quin ad *Vermes* etiam enecandos succum hyoscyami admittit.

§. 16. *Willisius* eò in *Odontalgiæ* curatione respicit, ut incongruum illud fibras nerveas sub dentibus molestè afficiens omni arte amoveatur, qua ratione humores serosos nimios evacuat pilulis illis in catarrhosa colluvie communibus, ex succino videl. & resin. Jalappæ; nec vesicatoria & fonticulos improbat, & ad serum in gingivis copiosius existens eliciendum gargarisma ex rad. lapath. & ligno Guajaco in vino coctum, ad dolorem verò valde urgentem sedandum adhibet, quæ fibras placare & spiritus in pristinam viam revocare queunt, decoctum videl. C.C. aut Camphoræ, olea destill. aneth. caryophyllor. hyoscyam. cum bombace denti admota, vel pilulam ex laudano opiato; temporibus etiam applicat emplastrum ex pice Burgundica cum Nuce Moschata, vel de Gummi Carannæ & mastiche, uti & instillationes oleorum calidiusculorum, ut amygdal. dulc. chamomill. scorpion. &c. in aures admittit.

Cariem & Fistulam. In *Carie* particulas salinas corrigit, ne dentem ulterius erodant, pulveribus dentifriciis ex C. C. ust. Corall. myrrh. & similibus: ubi verò profundior & *Fistula* jam existit, ne levi occasione nervi lædantur & dolor augeatur, cauterio actuali ustionem instituit, & cavitatem implet massa quadam ex melle rosato, cineribus dentis canini & thure confecta, vel dentis eradicationem promovet sale armoniaco cum succo esulæ eidem cavitati inditis.

Mobilitatē. & Casum. In *Mobilitate* ad dentes firmandos & *Casum* eorundem inhibendum, adstringentibus gingivas nimis laxas corroborat, ut gargarismate ex decocto fol. salv. prunell. mespilor. rad plantag. pentaphyll. sem. myrtill. vino rubro facto, vel linimento ex rad. tormentill. prunis sylvestr. immatur. Corall. sang. dracon. & alum. ust. melle rosaceo exceptis.

Stridorem. In *Stridore* Dentium ad causas respicit & morbos, quibus superveniat, iis enim correctis & hunc cessare existimat.

Sorditiem Tophos & Nigredinem. In *Sorditie, Tophis* & *Nigredine* Dentes frequentius mundari jubet ablutionibus & pulveribus dentifriciis, ex crusta panis torrefacta, crystallis tartari, lap. spong. putam. ovor. aliisque compositis, vel oxymelle squillit. cum guttulis aliquot spiritus salis, rarius tamen usurpatis, qua mixtura linteolum imbuitur & dentes fœdati fricantur.

Hæmodiam. Ad tollendam *Hæmodiam* ea approbat remedia, quæ acidum austerum corrigunt, & fibras nervosas blandè commovendo reficiunt, ut Decoctum salv. majoran. bacc. lauri. vel balsamus Peruvianus cum gossypio denti affecto applicatus.

Vermes. *Vermes* dentibus cum reliquis vel fumo seminis hyoscyami, vel succo absinthii & tanaceti cum aloe dentium cavitati inditis, eiicere conatur.

Sylvii modus curandi Odontalgiā. §. 17. *Sylvius* in curatione *Odontalgiæ* ad duo potissimum advertit animum suum, humoris nempe acidioris temperationem, & temperati blandam eductionem. Prius præstat mixturis convenientibus, qualem sequentem paradigmatis loco proponit:

℞. *Aq. beton.*
Fœnic. aa. ℥ ij.
Theriacal. simpl. ℥ i ß.
Laudan. opiat. gr. iij.
Ol. caryophyllor. gt. iiij.
Syr. Stœchad. ℥ j. *M.*

In dolore lancinante regioni dolenti applicat theriacam recentem emplastri forma corio illitam. Humorem ita temperatum hydragogis educit, forma ægris accepta & minori dosi, sed vicibus iteratis exhibitis, quibus dolores felicius auferri promittit, quàm si potentissima etiam purgantia majori dosi semel assumantur.

Cariem. Ad *Cariem* dentium omnimodò tollendam multam requiri operam, & vix ejus medelam possibilem esse judicat, laudat tamen ad acidum illud acrius corrigendum & temperandum salia volatilia, nec non omnia idem concentrantia & à dentibus avertentia, ne serpendo eosdem ulterius corrumpat, qualia sunt Corall. pp. C. C. ust. testæ ostrear. ust. borrac. ust. thut. mastix, cineres origan. rorismarin. & id genus plura. Dentem verò omninò corruptum, exesum & fistulosum, ne dolori ob sorditiem collectam frequentius ansam præbeat, penitus suadet evelli.

Mobilitatē & Casum. In *Mobilitate* Dentium, ne *Casus* subsequatur, humores superfluos per selecta quædam salivantia elicit, ut masticatione rad. pyrethri, vel decoctione ejusdem in aqua pro gargarismate; ipsas deinde gingivas nimis laxas adstringit decocto cupular. gland. bacc. sorb. flor. balaustior. fol. myrthi & alum. in vino rubro aliquoties in ore detento, ut gingivæ eo probè colluantur.

Stridorem. In *Stridore* Dentium ad ipsos itidem respicit morbos, quos agitatio maxillarum symptomaticè subsequitur, & quibus abactis, hæc facile cessabit, qui cum diversarum esse possint specierum, ideo curatio hic certa describi nequit.

Stuporem. Ad *Stuporem* tollendum ea commendat, quæ acidum austerum temperent, imprimis terrea & aliquantum oleosa, ut sunt terra sigillata, unicornu fossile, sulphur viv. vitell. ovi ad duritiem coctus, pineæ cera, & similia frequentius masticata.

Sorditiem, Tophos & Nigredinem. In Dentium *Sorditie, Tophis* & *Nigredine* non minus ad acidum respicit corruptivum, & proinde absorbentibus admiscet abstergentia, quibus interdum mel rosatum, vel tincturam laccæ, aut Elix. propr. adjungit, ut sic liquidiori forma adhibita tophos & sordities tenacius adhærentes citiùs emolliant, quo facilius abstergi possint, qua virtute pollere novit testas cochlearum ustas, ossa dactylor. ust. ebur. ustum, lap. crystall. Sal ustum aliaque à præcedentibus jam prolata, quæ cuncta, vel aliqua ex iisdem in pulverem sunt redigenda, eoque dentes frequentiùs, potissimùm verò mane & ab assumpto cibo sunt fricandi, & vel aqua communi, vel vino rubro abluendi, insimul interstitia eorum stylo convenienti à quibuscumque ciborum reliquiis liberanda.

Vermes. Ad *Vermiculos* enecandos & è dentibus eiiciendos omnia laudat amarè, item fumum baccarum halicacabi, & decoctum prun. sylvestr. cum rad. angelic. & sem. Zedoar. in aqua commun pro gargarismate sedulò usurpatum.

Cartesianorum modus curandi Odontalgiam. §. 18. *Cartesianorum* modus curandi *Odontalgiam* in eo consistit, ut particulæ illæ angulares auctæ tum educantur cum humoribus, in quibus domicilium quoddam locarunt, & per ductus salivales ad dentes deferantur, tum hebetentur & ita corrigantur, ne fibroso & nervoso generi ulterius existant molestæ, quòd simul roborandum & aliquantum emolliendum est, ut tensioni & punctionibus cedat, nec adeò facilè periculum solutionis continui sustinere opus habeat. Educuntur humores spiculas istas in se continentes omnium optimè medicamentis sudoriferis, quæ à calore, id est, minimarum particularum motu vario, tum in succis corporis nostri, tum in aere illud ambiente concitato ducuntur in actum, & ad particulas istas acutas pervenientes iisdem se adsociant, easque tum mitigant & domant, quatenus in conflictu, quem ineunt invicem, multæ ex cuspidulis franguntur & deperduntur, tum per interstitia fibrarum & poros cutaneos dilatatos secum auferunt, qualem effectum sequens mistura præ aliis præstare solet.

℞. *Aq. flor. sambuc.* ℥ ß.
Spir. theriacal. camphorat. ʒ ß.
Essent. salv. ʒ j.
Salis volat. succin. gr. iiij.

Syr.

Syr. Hyssop. ℥ iij.
M. Detur una vice.

Ad eundem obtinendum scopum etiam masticatoria post sudorem commendant, ut rad. pyrethri, &c. nec fumum tabaci cum mastiche, succino & gummi sandarachæ, aliisque convenientibus speciebus commistis abhorrent, quo cum saliva acutangula ista corpuscula ejaculentur. Residuum eorum in partibus fibrosis adhuc hærens, & laninando dolorem fovens hebetant variis gargarismatis ex decocto ligni Guajaci, rad. urtic. lapath. Ireos Flor. fol. salv. sabin. origan. Cret. serpill. saturej. in quo camphoram dissolvunt, vel Spiritus, Tincturas & Essentias Odontalgicas cum bombace denti dolenti adhibent, quales sunt Essent. thymi caryophyllor. Castor. Spir. lumbricor. & salis Armoniaci camphorat. quibus subjungunt particulis ramosis constantia, ut particulæ angulares iisdem involvantur, & partes nervosæ obductæ tam facilè attingi & perfodi nequeant, ut sunt olea destillata chamomill. caryophyllor. croc. myrrh. origan. Cretici: Fibras nimium tensas relaxant decocto fol. malv. rad. alth. & flor. Chamomill. in vino dulci parato, & frequenter in ore circa regionem dentis dolentis detento, qua de causa & venæsectionem in vicinia institutam aliquando admittunt, ut depletis venis fibræ tensæ non ita comprimantur. Vesicatoria parotidibus imposita magnopere laudant, ut affluxus lymphæ eò provocetur, & cum particulis noxiis per apertas vesiculas emanet. Emplastra itidem fibris convenientia ex gumm. tacamahac. carann. mastic. terebinth. &c. malis super maxillam, cui dens dolens insertus est, prope articulationem imponunt. Ad opiata aliquando, sed rarius & non nisi in dolore vehementissimo, progrediuntur, dentibus dolentibus applicanda, quo sequens *Fallopii* referunt secretum;

℞. *Op.* ℈ ß.
Salis gr. v.
Ol. rosat. ℥ j.
Ceræ alb. ℥ ß.
M. F. instar Unguenti, de quo aliquid suscipiatur gossypio, & loco dolenti imponatur.

Dentium Cariem & Fistulam. *Cariem* Dentium in totum curare nesciunt, imprimis si & latior & profundior ea sit, vel in *Fistulam* conversa, cui ne quid sordium in ea colligatur, globulos ex mastiche terebinth. & cera confectos inferunt, vel dentem integrum tanquam masticationis inutilem & doloribus commovendis apprime idoneum vel instrumentis præcipiunt evelli, vel medicamentis convenientibus friabilem reddi, ut facile in frusta comminui & sic per partes educi queat, ubi tamen evulsionem præstare notant, ne ex radicibus quidpiam in alveolo relinquatur, & gingiva adstringentibus minùs occludi queat. Quando verò caries non valde accrevit, ne illa incrementum capiat, sedulò prospicere jubent, adhibitis absorbentibus & particulas acutas erodentes frangentibus, dentifriciis nempe pulveribus ex ciner. lumbricor. cancror. salv. rorismar. mastich. dentibus canis, lupi, cervi ustis & camphora compositis, vel ferro candente eosdem exurunt.

Mobilitatem. Dentium *Mobilitatem* in pueris tempore conveniente & succrescentibus aliis, à quibus gingivæ dilatantur, obvenientem non modò non aggrediuntur curandam, sed si difficilius elabantur priores, eorundem etiam casum promovent, vel digito, vel filo. vel, si opus sit, instrumento, & ut absque graviori hoc fiat dolore, gingivas etiam emolliunt lacte tepido in ore aliquamdiu detento. A salivatione nimia si accidat diaphoreticis lymphæ superfluitatem evacuant, vel si ad tantum subtilitatis gradum reduci nequeat, ad ureteres & vesicam derivant, medicamentis diureticis satis cognitis, & fumum Nicotianæ permittunt, ut gingiva exsiccetur. Pro adstrictione verò gargarismata commendant ex rad. tormentill. filic. mar. symphyt. Herb. centumnod. salv. equiset. fol. quer. vit flor. rosʃ. balaust. acac. cydon. ligno santal. nuc. moschat. mastich. thur. in vino rubro styptico coctis vel maceratis, addito nonnunquam pro majori adstrictione portiuncula quadam aluminis, vel Tinctura Laccæ, aut sequenti linimento dentes & gingivas frequentius illinunt, quod & in scorbuto convenit.

℞. *Ebor. ust.*
Oss. olivar. combust. aa. ℥ j.
Gumm. lacc. ℈ ij.
Thur.
Sangu. dracon. aa. ℥ ß.
Myrrh.
Alum. ust. aa. ℈ j.
Spir. salis gt vj.
Mell. rosac. ℥ j.
Syr. de Tormentill. q. s.
F. s. a. Linimentum.

His Gingivæ non modo adstringuntur, sed ulterior earum inhibetur corruptio, simul & Dentium *Casus* præcavetur.

Stridorem. *Stridoris* Dentium curationem pro diversitate causæ variè instituunt, vel enim demptis particulis vellicantibus spirituum per tubulos promovent transitum remediis nervinis in spasmo & paralysi aliàs usitatis, ut Spir. salv. lil. convall. sal. armoniaci succinat. essent. Castor. vel succum crudiorem in febribus corrigunt & discutiunt antifebrilibus & sudoriferis; iracundos verò adhortationibus ethicis & objurgationibus ad meliorem mentem revocant.

Sorditiem & Tophos. A *Sorditie & Tophis* dentes liberant variis dentifriciis, quæ tum ex superioribus satis jam cognita sunt, tum in sequente paragrapho pluribus adhuc innotescent maximè verò farinam virgineam *Mynsichti* extollunt, &, si Tophi fortius adhæreant, eorundem remotionem promovent melle rosato, vel anthosato, vel salviato, cui Tinctura laccæ, & aliquot Guttulæ spiritus salis fuerint admistæ. A pastu etiam dentes jubent studiosè abluere, & quascumque ciborum reliquias ex interstitiis eorum eximere.

Nigredinem. *Nigredinem* similibus abigunt, per pulveres enim asperiores dentes ita credunt poliri, ut abrasis eminentiis pororum majusculorum superficies eorum fiat planior, & in oris subjacentibus radii luminares non ita suffocentur, quare farinam virgineam in hoc casu itidem laudant, modò gingivæ non nimium ea fricentur, vel sequentem pulverem dentibus & gingivæ corruptæ maximè proficuum.

℞. *Corn. C. ust.* ℥ ß.
Oss. sep.
Corall. alb.
Margar. aa. ℥ j.
Pumic.
Rad. Ir. Flor.
Sal. gemm aa. ℥ ß.
Aristol. rotund. ℈ j.
Cort. citr. ℥ j.
Ligni aloes ℥ ß.
Macis ℈ ß.
Moschat. gr. iiij.
Ambr. gr. ij.
Pulverisata M.

Hæmodiam. *Hæmodiam* curant remediis particulas acutas & hamatas non modo hebetantibus, sed emollientibus & flexiliores reddentibus, ne fibras ulterius ita constringant, ut spiritu Theriacali, essentia salviæ, rorismar. Tinctur. Junip. masticatione amygdalar. amarar aliarumque rerum à prioribus jam indicatarum.

Vermes. *Vermes* in Dentium cavitate hospitantes eiiciunt amaris, aloeticis & liquore myrrhæ, vel fumo absinthii, & ne novi in iisdem deuuò nidulentur, cavitatem globulis vel pilulis ex terebinth. mastich myrrh. & cera confectis occludunt.

Nostra methodus curandi Odontalgiam. §. 19. *Nos* denique ad duo summa capita sensus nostros dirigimus ad felicem curationem obtinendam, ad causarum nempe remotionem, quæ expetitur evacuando atque alterando; & ad ipsius doloris mitigationem, quam præstant anodina. Si corpus sero multo abundet, exhiberi possunt hydragoga mitiora, quæ simul sal cum sero educunt, quod hic sæpe peccare solet, conducet ergò pulvis Jalappæ, seu radix laxativa, quæ semper tuta, agaricus & Mercurius dulcis, interdum

dum pro re nata dentur enemata. Si in primis viis lateat saburra, lene vomitorium concedendum. Pessime verò consulunt sanitati, qui confestim vomitoriis purgantibusque instant, morbum nascentem in ipsa herba se ita oppressuros imaginantes, qua temeritate sæpe gravius redditur malum, & affectus efferascit, hinc cautius ubique purgantibus incedendum, quippe pori purgantium admodum abludunt à poris sanguinis, hinc iisdem commixtis eadem, ac si oleum tartari & Spiritus Vitrioli commixta essent, lucta concitatur; dein id quod in doloribus dentium plus quàm Vatiniano prosequimur odio, est Acidum: ast in qua patria natum est purgans illud, quod hunc infensissimum hostem fugare audeat.

Diaphoretica omnium morborum à sero oriundorum optimum præbent remedium, quorum beneficio tota massa sanguinea purificatur, vitiosa colluvies humorum serosorum per insensiles cutis tubulos profligatur, ejusdemque reliquiæ in corporis peripheria & glandulis subcutaneis hæsitantes discutiuntur atque exterminantur, inde verò à loco affecto fit diversio & abactio; conducunt in hunc finem Tinctur. bezoard. *Mich.* lignor. cum essent. anodyn. Vel

♃. *C. C. Phil. pp.*
Antimonii diaphoret. aa. ℈ß.
Bez. Martis cachect. gr. vj.
M. F. Pulvis.

Vel

♃. *Rob. sambuc.* vel *Junip.* ℥ij.
Extract. theriacal. gr. v.
Bezoard. min. ℈ß.
M.

Conducunt & omnia alia theriacalia volatilia, sed semper eò respiciendum, ne quid nimis, ne sanguinem nimiùm agites, & plures particulæ efferæ eò detrudantur, & sic dolores majores erunt, quia particulæ hæ sylvestres & aculeatæ acrimonia sua seu cuspidibus fibrillas nervorum vellicando dolorem denti atrociorem inducunt. Sic aliquando diuretica, quæ & amurcam scorbuticam educunt, unaque serum heterogeneum & salsum acre corrigunt præcipitantque, ut faciunt Tinctura antimonii Tartarisat. cum essent. succini maritata, & absorbentia non negligenda, quæ sæpe totam implent paginam, eapropter multo usu comprobatum habeo pulv. cephalicum *Mich.* acidum valde compescentem, vel nostrum spasmodicum. Si serum est acre & tenue, absorbentibus, vulgo incrassantibus utendum ut mastich. thure, nuc. mosch. papav. s. & errat. glycyrrhiza. Præprimis hic conveniunt pilulæ de cynoglossa & styrace, vesperi cum aq. ad gr. 5. exhibitæ, vel sequentes magis compositæ.

♃. *Oliban.*
Myrrh. aa. ℥ij.
Succ. liquirit.
Styrac. calamit.
Gumm. ladan.
Opii,
Spec. diamb. c. aa. ℈j.
M. & cum Syr. de stœchad. & papav. err. F. Massa, ol. fœnic. irroganda, ex cujus singulis ℈ß. formentur pilulæ No. vij. pro una vice assumendæ.

Si verò serum vel lympha crassior & tenax, tunc attenuandum variis incidẽtibus & attenuantibus, tum internis, tum externis. Hic conveniunt salia volatilia, sal volatile oleosum *Sylv.* & nostrum, quod constat ex spiritu vini rectificati. Spiritu salis Armoniaci alcolisat. & ol. anthos, succini, lavend &c. Si salsæ & acres particulæ in massa sanguinea aliisque humoribus hospitentur, per antiscorbutica & alexipharmaca corrigenda veniunt. Si dolor à vermibus, per amara, myrrhata & absinthiaca curandus est, de quo inferius plura addemus.

Sic quoque si malum radices suas habeat ex stomacho, tunc conducent varia stomachica, & carminativa, ut sunt pulver. stomachal. *BircKen. Querc.* & aliorum, Elixir antifebrile *Myns.* propr. stomachal. nostr. Essent. carminat. Si malum ex capite ortum habeat, tunc conducunt varia cephalica, nervina, cinnabarina, ut specific cephal. Balsam. nervin. Si ab utero, conducunt varia antihysterica, ut sunt castorina, succinata anodynis mista. Et, si dolores maximè urgeant, ad ipsa opiata, tanquam ad sacram anchoram confugiendum est, in quem finem nota sunt laudana varia, theriac. cœlest pulv. anodyn. Theriac. &c. quæ opiata in omni odontalgia à quacumque etiam causa producta, conveniunt. Ex. gr.

♃. *Conch. pp.*
Pulv. ceph. D. M. aa. ℈ß.
Laudan. opiat. gr. iß.
M. F. Pulvis.

Hujusmodi opiatis per annum & ultra usurpatis, ex. gr. Laudan. gr. iij. cum confect. Alkerm. usa est cum maximo emolumento Nobilis & honesta fœmina, cujus mentio fit *Ephem. Germ. Ann.* 8. *Observ..* 62. Duobus enim remediis omnes meos ægros odontalgia laborantes feliciter curavi, Tinctura scilicet Nepenthes m. d. ad 30. & plures guttas tradita & in ore detenta, & Tinctura odontalgica; si addere velis externum sacculum genis impositum ex anodynis herbis & floribus, res in vado erit.

Chirurgica præsidia ut paucis nunc attingam, ex fonte hoc primo in ordine se sistit V. S. quæ an hic locum inveniat, hinc inde à veteribus & recentioribus, maximè Helmontianis controvertitur. Nos autem existimamus, in tali affectu non esse vitæ hunc thesaurum pretiosum effundendum, quia stagnantes & irritantes humores non adeò facilè resorberi possunt, nec circulatio humorum promoveri. Hic asterisco notandum, quòd in Odontalgia nova medendi methodus est, peculiarem incidere venulam, vel arteriolam in auris externa incisione parte, (*Ohrenlapplein*,) à qua incisione nunquam æger, ut dicunt Odontalgia amplius afficietur; credat verò Judæus Apella, ego non; usum tamen ejus magni æstimat præ aliis, & comperisse se scribit probatissimam *Riolanus*, quando *lib.* 4. *cap.* 5. *Anthropograph.* dicit: *Notandus ille diligenter surculus à carotide deductus, qui auris antitragum perreptat maxillam superiorem irrigaturus, ut singulis dentibus spiritum vitalem suppeditet, per eum ramum fluxionem in dentes fieri puto, quia eo resecto miraculi instar sedatam vidi odontalgiam, propter commeatum serosi & acris humoris interceptum.* Sed si *Riolanus* novisset circulationem sanguinis ac nos, aliter forsan nobiscum sensisset. Melius forsan succedet inustio moxæ super arteriam Carotidem prope aurem, de qua operatione lege *Observat. expertiss. Dn. à Gehema.*

Vesicatoria nunquam in doloribus dentium negligenda, maximum enim afferunt commodum parti cervicis vel ponè aures admota, non tantùm enim humores serosos acres potentissimè educunt, sed & fibrillas concutiendo juvant. Sic refert *Paræus*, se dentium cruciatus intolerabiles sæpe sedasse vesicatoriis remediis sub aurem admotis, in ea scilicet cavitate, qua maxilla inferior superiori dearticulatur: subsunt enim vena, arteria, nervus, quæ ad dentium radices distribuuntur. Cauteria etiam plures adhibent denti affecto, sic enim exuritur nervus, omnique sentiendi potentia exuitur, utpote de quibus scribitur, applicata antitrago aurium, seu anticæ parti, sæpius incantamenti instar profuisse, attamen cautela opus est propter exquisitum sensum nervorum, præsertim de potentialibus vulgo ità dictis notandum, ne incautè adhibeantur, aliique dentes tangantur vel affricentur, siquidem facilè exinde edentuli evadere possunt. Et scribitur de rustico quodam, qui cùm dolore dentium acerbissimo premeretur, suasit alter, ut elleborastro dentem confricaret, ille improvidè utens remedio, majorem partem dentium maxillæ afflictæ confricuit, & intra paucas horas omnes propemodum deciderunt. Vid. *River. p. m..* 262.

Fonticulos, frictiones extremorum, ligaturasque in discutiendis humoribus plures Medici magnificant, sed nihil ad rem faciunt & tantùm pro fuco sunt. De extractione dentium paulo inferiùs dicemus.

Nunc

Nunc ad topica transeamus remedia. Inter hæc referimus masticatoria seu apophlegmatizantia, quippe serum in cavernulis ipsis latitans fluxile reddendo, ejusque superfluitate per salivales ductus educẽdo, efficacissima se præstant, efficiuntque ne serum illud dentes ampliùs acrimonia sua lædere possit. Commendantur verò præprimis pyrethrum, mastiche, sinapi, caryophylli. Refert *Mœbius* se vidisse odontalgia laborantes, in quibus à sola mastiches masticatione unius diei spatio serosæ materiæ ℔. j. fuerit evocata. Nicotianam masticando & fumando doloribus dentium inservire, lippis & tonsoribus notum est.

Inter Topica sunt & illa externa, quæ genis apponuntur, quæ sunt roborantia, discutientia & anodyna seu dissolventia, ut sunt omnia cephalica, nervina, stomachica & carminativa, eaque comprehendunt species pro cucupha cum florib. chamomill. sambuc. summit. aneth. & sem. carminat. sindoni inclusa & aquis spirituosis irrorata genis apposita. Nos cum successu applicamus Theriacam Andromachi vel Diascordium Sequens in lacte coctum, ubi simul tumor genæ conjunctus fuit, rarò me fefellit.

♃. *Pulv. rad. alth.* ℥ j.
Liquirit. ʒ ij.
Herb. Chamomill. cum fl.
Flor. sambuc.
Flor. melit. aa. ℥ ß.
Farin. hord.
Sem. lin. aa. ʒ vj.
M F. Pulvis, qui in lacte coctus calidè in linteo duplicato de die ter tumori applicetur.

Vel sequens Tinct. Odontalgica conducet;

♃. *Lign. Guaj.* ʒ vj.
Sassafr.
Rad. ireos aa. ℥ i ß.
Pyrethr. ʒ vj.
Spir. vini rect. q. s. fient infus. per aliquot dies, filtretur & seru.

Vel genæ illinantur variis liquoribus spirituosis & calidioribus, ut sunt Aq. Regin. Hungar. Lang. spir. vin. camphor. cum balsamo arthrit. nostr. spir. lumbricor. formicar. infus. arthrit. &c. Et cùm necessitas urgeat, ut dolores mitigentur, eò semper incumbendum, ut citò curentur ejusmodi ægri, quare semper ad anodyna confugiendum, in hunc finem & temporibus varia emplastra applicantur. Sequens multa experientia nostra comprobatum est:

♃. *Mastich.* ʒ iij.
Ladan. ʒ ij.
Bol. Armen.
Sang. dracon. aa. ʒ j.
Opii Thebaic. ℈ j.
Camphor. ℈ ß.
Cum Terebenthin. f. Massa.

Vel applicetur emplastrum de tacamahaca, vel de mastiche, quæ emplastra videntur juvare quatenus spiritum aliquem gummosum exspirant, qui per poros corporis in nervos penetrat, & per illos ad dentes delabens particulis suis ramosis particulas acres involvit, & sic acrimoniam leniendo dolorem sedare solet, ut acutè more solito disserit Cl. *Craan.* Celeberrimus *Dn. Clauderus* contra hos dolores pugnat Tinctura Sulphur. Vitrioli, quæ è capite mort. vitrioli summè edulcorato, spiritu salis & vini paratur, dum 40. ejus guttas aquæ appropriatæ instillat, & loco gargarismi utitur: laudat etiam spiritum salis Armoniac. volat. Essent. è sale fuliginis, Mumia, adjecta portiuncula opii vel extracto hyoscyami. Alii gingivis illinunt aquam cærulam, alii Tincturam Laccæ.

In ore detineantur varii liquores, decocta aliaque liquida, Aq. Regin. Hungar. præprimis aqua asthmatica absque saccharo, vel mirabilis, vel lil. convall. triplici infus. flor. recent. parata in ore detenta egregiè sedat dolorem. Vel

♃. *Aq. asthmat. non edulc.* ℥ i ß.
Flor. sambuc. ℥ j. ʒ ij.
Tinctur. Odontalg. M. ʒ j.
Elect. diascord. ℈ ij. *M.*

Vel Tinctura Odontalg. *Wedelii*, quæ fit ex ligno sancto, rad. pyrethr. & caryophyllis, per se detineatur ore. Vel juxta Hagendonrium Massa pillularum Ruffi in aceto solut. cum gossypio indatur denti doloroso, mirè enim dolores hos sopire dicit, test. *Ephem. Germ. Dec.* 11. *Ann.* 6. *Observ.* 146. Vel sequens nostra:

♃. Rasur lign. sanct. ℥ iij. sem. staph. agr. rad. pyrethr. santal. citr. aa. ℥ ij. Zinzib. piper. caryophyll. aa. ℥ i ß. sem. origan. ℥ ij. fol. serpill. salv. nicotian. aa. M. ß. opii ʒ ß. Caphur. ℈ j. Spir. vini q. s. destillentur ex cucurbita: tollit dolores dentium ore detenta. Vel spiritus vini camphoratus in ore detentus & naribus attractus, vel etiam intro assumptus, vel aqua Anhald. Vulgò spiritus vini in ore detinetur, alii acetum vini extollunt, sed hoc rectius improbatur. Aqua Ducis Candalæ est præsentissimum remedium in quavis Odontalgia à quacumque causa suborta, quod sæpius cum admiratione vidi. Eadem aqua conducit ad gingivas putridas, fistulas & cancrum. Nonnulli frustulo lardi fricant dentem dolentem seu gingivas. Quæcumque olea aromatica dentibus cariosis, unde sæpe dolor oritur, immissa dolorem propediem sistunt, ut sunt ol. caryophyllor. macis, carvi, tabaci, Iunip. chartæ, spicæ, lavendul. petroleum, quod æque efficax est ac ol. caryophyll. ol. camphoræ, vel Peruv. item oleum coryli & oleum hyoscyami tanquam anodynum in doloribus dentium scorbuticis maximè conducit, imò in quacumque odontalgia radix ejus gingivis affricta, vel dentibus inserta; certissimum dicitur remedium. Confert & maximè herba & radix persicaria, cum rad. lapath. acut. in aceto cocta, in casu, ubi salsæ particulæ peccant. Spirituosa cum camphoratis maximo cum emolumento induntur dentibus, Spir. scil. vin. ʒ ij. cum camphor. ʒ j. calidè cum bombace denti inditus Gumm. tacamahac. cum camphor. dentibus applicetur & ore detineatur, vel sequens.

♃. *Herb. salv.*
Beton.
Origan.
Caryophyll.
N. M. aa. ʒ ß.
Rad. pyrethr. ℈ j.
Contus. bulliant in cerevis. pro collutione oris.

Item opiata ex variis anodynis & sacculis inclusa vel per se dentibus erosis indita, mirificè aliquando dolorem sedant. Sic & pilula *Herlicii* in ore detenta omnem dentium dolorem mirificè placare scribitur, quæ conficitur ex semine apii, hyoscyam. opio & syrup. papav. Sequens noster Balsamus Odontalgicus dentibus immissus mille experimentis comprobatus est.

♃. *Laudan. opiat.* ℈ j.
Ol. camphor.
Caryophyllor. aa. gt. v.
M. pro Balsamo, cum bombace denti dolenti applicando. Vel

♃. *Vitrioli ust.* ʒ j.
Opii corr. ℈ ij.
Cort. Mandrag.
Ol. philosoph. aa. ℈ ß.
M. cum pil. Ruffi q. s. pro consistent.

Sequens præmisso sudorifero rarò te fallet.

♃. *Opii* gr. v.
Camphor. gr. iv.
Ol. sabin. gt. j.

Cum spir. vini fit vel Essentia ore detinenda, vel forma pilularum denti immittenda.

Alii extollunt pinguedinem ranarum, nos verò viperinam huic præferimus.

Omnia frigida, omnia fervida, ut & saccharata, præsertim verò acida in omnibus dentium affectibus nocent, quod jam olim novit *Salomon* Regum sapientissimus, qui Dei Spiritu actus inquit in *Proverb. cap. X. vers.* 26. quod acetum dentibus, quod fumus est oculis, hoc piper est iis, qui eundem emittunt.

Si dentibus dolor oriatur à dentibus emergentibus, non statim cum Italis ad incisionem transeundum, excitantur enim facilè febres ac vigiliæ, & aliquando accedunt

dunt deliria, tandem furor, & ultimò mors, quale exemplum legi meretur *Observ. 36. Tulpii*. Rarum est quod ex relatione celeberr. *D. Wedelii* obtinuit *Cl. D. Lucas Schrockius, M.D. & Phys. Aug. S.R.I. Acad. N. Adjunctus*, Amicus noster, in *Tract.* suo *de Mocho*, quo Gregorius quidam Belga Odontalgiam per aquam moschatam auri lateris affecti infusam sæpissimè curaverit.

Transplantatio in multorum versatur ore, & censetur à pluribus maximi momenti auxilium esse, si nempe quis corticem exteriorem salicis, sambuci vel coryli cultello nonnihil aperiat, & segmento ligni ab arbore scissi dentes dolentes scalpat usque ad sanguinis profusionem, segmentum sanguine tinctum postmodum parti abscissæ arboris iterùm inserunt, & foramen luto recenti optimè claudunt; sed hæc ridicula sunt & voto nunquam respondent, credas mihi tanquam experto Roberto. Sic dicitur de ancilla, quæ in gravi dentium dolore Milesium domesticum catellum noctu apponebat genis & levamen sensit, sine dubio à calore temperato, sed ille canis dolorum in eum translatorum perceptione, ut ipsa existimabat, agitatus, è lecto prosiliebat, latrabat & ægre habebat. Sic & saltatio, seu subsultus, cùm corpus nimirum agitetur, conducit in Odontalgia, prout id confirmat *Bartholin. in Act. Haffn. vol. 5. Obs. 168.*

Laudatur etiam inter sexcenta illa, quæ diximus, vilissimum illud caput mortuum post olei pini destillationem restitans, nigricans & austeriusculum, per chartam bibulam, vel linteum colatum, & ad consistentiam extracti inspissatum, quod cum pauca farina denti imponatur doloroso & sæpius repetatur. Sed quis omnia recensebit.

Ratio curandi dentium cariem.

In curatione dentis *erosi* eò annitendum, ut acidum illud corrodens corrigatur, & si potest fieri, in totum auferatur. In hunc finem varia conducunt absorbentia, inter quæ sunt corallia & ossa sepiæ cum camphora denti cavo indita, quæ ulteriorem cariei progressum inhibent; alii pulverem corall. alb. cum melle rosato, meo judicio meliùs cum Elect. diascord. ad consistentiam linimenti crassioris redigunt & dentibus illinunt, ad cariem inhibendam. Nonnunquam dentes valde excavati sunt, & hinc cum commodo, ut in memet probavi, implent mastiche emollita in ore saliva propria. Ad acidum illud corrosivum demendum, indantur dentibus cavis varia olea aromatica superiùs de Odontalgia jam enumerata. Internè possunt exhiberi varia salia volatilia.

Cariei dentium occurritur per inustionem dentis cariosi in loco carioso cum cauterio actuali vulgò ità dicto, sive ex ferro, sive ex argento, sive ex auro facto, dein cavitas dentis expleatur myrrha cum cera subacta, melius ceu diximus cum mastiche masticata. Attamen in hac inustione cautela opus est, propter exquisitum sensum nervorum, quia inde sæpius tristia exempla novimus. Alii, ubi ferrum abhorent ægri, ad potentiale sic dictum confugiunt cauterium: sunt qui denti carioso Aq. fort. indunt, alii spiritum Vitrioli, nonnulli Zinzib. in oxymelite coquunt, ac denti immittunt, alii spiritum Sulphuris, quæ tamen non approbamus, cùm hæc sint acida & corrosiva, quæ superius jam culpavimus cum *Salomone*, & parum vel nihil sæpe juvant. Potiùs in curatione dentis erosi eò incumbendum, ut dens evellatur, aliàs acrimonia sua acidum illud corrodens gingivas infestat & varia excitat tubercula, quę tandem desinunt in fistulam & cancrum, ut factum vidimus in filia Hanoviensi. Nullum ergò certius remedium corrosi dentis est, quàm evulsio, quæ idoneo peragitur instrumento: optimum & tutum Pelicanus dictus, forcipes, & aliud, pes caprinus, seu *der Gemsenfusz* dictus, majus incommodum afferre possunt. Forcipes varii generis videantur apud Auctores, imò vix ullus est, qui non habeat aut excogitaverit aliquod sibi proprium, aut familiare instrumentum, certè in excogitandis tot instrumentis vetustas nimis solicita fuit. Sunt ex Agyrtis qui jactant se absque dolore dentes exempturos, sed falsò. In extractione instituenda cautela opus est, ne fiat in gravidis. Sic refert *Salmuthus* de gravida quadam Consulis Servestani uxore, quæ cùm ingentes pateretur dentium sinistræ maxillæ superioris dolores, moræ impatiens ocularem maximè dolentem evellendum curabat. Sed quid fit? Paulo post enititur fœtum oculo sinistro prorsus destitutum. Aliam novi matronam, quæ etiam extrahi curabat dentem molarem, infanti excluso loco dentis tuberculum in eodem spatio, quo matris erat dens evulsus, nascebatur. Sic nota est *Observatio 316. Ephem. Gemm. Ann. 3.* ubi nobilis persona curavit sibi evelli dentem, unde maximus sanguinis fluxus, cùm hic sisteretur, ortus est tumor circa genam & collum, & mortua est, forsan propter aneurisma, à qua strangulata vel suffocata fuit, & ejusmodi fluxus provenit utplurimum ex arteria gingivæ subdita. Senibus etiam non temere extrahendos esse dentes, monet exemplum Bononiense, cujus meminit *Forestus*. Sic in insula Delphos ob extractum dentem molarem accidit mors Philosopho cuidam.

Dentium demum maxima habenda est ratio. Sic primores incisores & gelasini dicti, ob primarium usum, quem præstant in cibis dividendis, locutione articulata, & quòd in risu denudentur, non temerè sunt eximendi, nam, ut dicit *Martialis*,

Haud grata est facies, cui gelasinus abest.

Nec caninorum, ob communionem nervi oculos moventis, tuta semper censenda est extractio, à qua nuper quis torvum accepit oculum. Molares tutiùs ferro eruuntur, modò non frangantur; videndum ergò semper, num radices eorum sint incurvatæ, quod tamen oculatissimus Chirurgus haud percunctari potest, videat tantum ne frangat, vel maxillæ partem incautè simul abrumpat. Dum hæc scribo, dentem molarem superiorem erosum usque ad radicem Frater meus Johannes Fridericus Dolæus Pelicano mihi exemit cum radicibus, cui denti eroso frustulum maxillæ adeò firmiter annexum fuit, ut vix abradi potuerit, absque ullo verò meo incommodo, & immunis factus sum à doloribus, quibus anteà, sæpe atrocioribus, modò mitioribus, diu vexabar. In extractione etiam sedulò est prospiciendum, ne dens sanus loco malè habentis apprehendatur, cujus exempla quàm plurima nobis sunt nota, æger enim sæpe non discernit, quòd viciniæ jure doloris acerbis æqualiter in omnem maxillam diffundatur. Quapropter veteres difficultatem extractionis maximam agnoscentes ὀδοντάγωνον plumbeum in templo Apollinis suspenderunt, quo significabatur, dentem non esse tollendum, nisi vacillet, & corruptus sit, ut facilè excidat, ac ceu plumbeo forcipe sine magna & temeraria violentia eximi possit. Sed ad quid dolor ægros non cogit, sæpe ipsis placet dubia, quam nulla salus. Exemplum dolorum ejusmodi vehementissimorum observavimus in viro, qui sibi dentem eximi curabat, Chirurgus autem non ritè instructus, vel ob violentam extractionem institutam fregit simul maxillam, ubi dens hæserat, & hinc licet dens esset exstirpatus, attamen dolores multò atrociores fuerunt redditi. *Galenus* alios, qui ob dentem extractum convulsi periere, notavit.

Si verò æger & Medicus à ferro abhorreant, & tamen extractio sit necessaria, plurimi Chirurgi, quamvis spe frustra, per medicamenta acida, spiritum Vitrioli, Sulphuris, aliaque denti cavo indita, dentis per frusta tentant ejectionem. Alii nescio quam extrahendi vim possidere dicunt medicamenta quædam, quibus dens extrahendus sit illinendus, & sunt, qui sequens commendant:

℞. *Salis Armon.* ℥j.
Succi hyoscyam.
Dent. corp. hum. mort. pp. aa. ℥ß.
Pingued. ranæ viridis q. s.
F. Unguentum.

Alii denti cavo indunt succum tithymali, nonnulli dentem cariosum cum dente mortui hominis attingunt, & sic dentem excidere volunt, plures salem Armoniacum cum farina in globulos redigunt, & sic denti indunt. In *collect. Etmull.* sequens commendatur:

℞. *Gumm Ammon.*
Sem. hyoscyam.

Succi

Succi ejusd. aa. ℥ i ß.
Mistis addatur pingued. ran. virid. q. s.
Ceræ parum.
F. Unguentum.

Sed hæc & alia fidem non sustinent, alia habemus remedia tutiora & certiora, quibus uti possumus.

Tophos & Sorditiem. Ad *Tophos* & dentium *Sorditiem*, ne ab his præmaturior dentium casus mobilitasque oboriantur, præcavendam, eò incumbendum, ut sordes istæ abstergantur, & vitiosus acor gingivis & dentibus hostilis corrigatur, & blanda adstrictiora vi gingivæ tonus roboretur, in quem finem conducent omnia incidentia & dissolventia, & quoque exedentia. In leviori malo conferunt inter externa ossa sepiæ, C. C. testæ ovor. panis ustus, cinis rorismar. tabaci, Sulphur. calcinatum, vel sequens compositum.

℞. *Mastich.*
Thur.
Alum. roch.
Tartari alb. aa. q. v.
M. F. Pulvis.
Vel
℞. *Mel. ros.* ℥ j.
Spir. Matric. ℨ ij.
M.

Quo fricentur sæpius dentes, & materia ista lapidea dentibus adhærens idoneo instrumento auferatur.

Mobilitatē. Si *Mobilitas* & *Casus* dentium à vitio gingivæ factus, gingivæ roborentur, acrisque humor eas absumens corrigendus per varia blanda adstringentia, ut sunt, quæ desumuntur ex Terra Japonica, quæ simul balsamica quadam gaudent virtute. Ex. gr. ex Tinctur. gumm. lacc. spiritu cochlear. & ol. Tartari paretur mixtura, qua quotidie tangantur gingivæ ac laventur. In cura cardo rei vertitur in remotione causarum, & hinc egregium est remedium externum Balsamus Peruvianus, vel sequens Linimentum polychrestum, & gingivarum putredini simul accommodatum.

℞. *Vitrioli Roman.* ℨ j.
Solvatur in aq. fontan. ℔ j.
℞. *Amyl.* ℥ j.
Mell. rosat. ℥ ß.
M. F. Linimentum.

Laudatur etiam muria olivarum, si os frequentius ea colluatur.

Casum. Dentium *Casum* quod concernit, ex semine in alveolo latente restituuntur, alveoli implentur & defectus ita restituitur; quamdiu enim semina intra gingivas restitant recondita, novi dentes post priorum defectum renasci facile possint, hinc & in senectute dentes renasci solent. Artificiales dentes ex ebore, vel dente hippopotami fabricatos in illorum locum substituunt, non verò in alium finem, quam pulchritudinis & loquelæ gratia. Mobilitati dentium conveniens est sequens vel simile corroborans & firmans.

℞. *Gland.* ℥ j.
Gallar. ℥ ß.
Alum. ust.
Succ. acac. aa. ℨ ß.
Flor. rof. alb. P. ij.
Coq. cum vin. rub. ad Colat. ℔ ß. *add.*
Tinctur. terr. Japon. ℥ j.
M.

In hunc finem paratur & Tinctura Laccæ, & optima est, quam habet *DecKer in exercitat. pract. circa medendi methodum p.* 15. Hinc

℞. *Tinctur. Lacc.* Decker ℥ ij.
Spiritus Cochlear.
Beccabung. aa. ℨ ß.
Ol. Tartari per deliq. ℈ j.
M.

Ad dealbandos & firmandos dentes sequens commendatur.

℞. *Salis ust.*
Vitr. Venet. aa. ℨ j.
Rad. Cyper. ust.
Cann. combust. aa. ℨ ß.
C. C. ust. ℈ ij.
Corall. alb. ℨ ß.
M. F. Pulvis.
Vel
℞. *Mel. rosar.* ℥ ij.
Farin. N. M. ℨ ij.
Elix. vitæ gt. xxvj.
M.

Quo fricentur dentes cum gingivis singulis horis matutinis. Sequens ab *Ettmullero* Beato tanquam egregium ad vacillationem dentium scorbuticum commendatur.

℞. *Rad. bistort.* ℨ iij.
Flor. rof. rub. ℨ i ß.
Balaust. ℨ j.
Alum. ust. ℈ ij.
M. & imprægnentur largiter Spiritu Cochleariæ, qui ad oris scorbutum egregius est. Decoctum salviæ in vino rubro cum camphora egregius etiam est gargarismus in omnibus dentium vitiis.

Nigredinem & Lapidem dentalem. Ad Dentium *Nigredinem & Lapidem dentalem* nullum melius reperi remedium, quam tartarum crudum cum mastiche, si quotidie dentes eo fricentur. Tartarisata enim optima sunt remedia ad dealbandos dentes, & ad firmandos eos styptica ex lacca & terra Japonica commendamus, aluminosa nobis sunt suspecta. ut & Vitriolata. Sunt, qui malè oleum Vitrioli ad dealbandos dentes nigricantes adhibent, nam licet hoc statim tollat nigredinem, attamen dentibus nocet, quia sal volatile corrumpit, quod magna copia in dentibus est: qui ergò dentium nitore delectantur, semper post pastum os suum aqua pura eluant, semelque in septimana dentes pulvere terræ porcellanæ fricent, cùm enim à sordibus istis sæpius oriantur dolores, seriò videndum, ut à cibis sumptis dentes mundentur, unde hoc faciunt etiam externa, dentiscalpia ex ligno lentiscino, juniperino, vel penna anserum parata ablutio oris cum vino, vel etiam confrictio cum dentifriciis, Ex. gr.

℞. *Silic. fluviatil. pp.*
Lap. pumic. aa. ℥ ß.
Conch. pp.
Ocul. cancrorum pp. aa. ℨ ij.
Corall. pp. ℨ j.
Rad. Irid. Flor. ℨ i ß.
Ol. lign. Rhod. ℈ ß.
M. F. Pulvis.
Vel
℞. *Tinctur. Terr. Iapon.* ℥ ß.
D
Vel in forma Linimenti nostra in aula usitati.
℞. *Nuc. Moschat. ust.* ℨ j.
Oss. sep. ℨ i ß.
Tartari crud. alb. ℈ ij.
Mell. rof. q. s.
M. F. Linimentum.

Sed & complures hodiernarum virginum ad nitorem dentibus conciliandum fricant eosdem pulvere Coffæ tostæ vel panis tosti; alii volunt ut dentes quotidie semel inungantur butyro.

Stridorem. In *Stridore* Dentium conducunt omnia antispasmodica, cephalica, nervina, cinnabarina, castorina, spirituosa, tum externè, tum internè usurpata, maximo enim cum emolumento usus sum externè aq. Regin. Hung. Lang. infuso arthritico, & balsamo arthritico meo externo.

Hæmodiā. In *Hæmodia* ad acidum illud dentibus infestum corrigendum conducunt præter jam dicta, in hoc affectu singulari vi portulaca & nasturtium, cochlear. beccabung. & alia antiscorbutica dentibus affricata & masticata, & succus ex his expressus ore detentus & internè etiam usurpatus. Curat stuporem hunc & caseus recens

cens & vetustus, alcali prædictus. Omnium optimum dicitur urina hominis propria calidè dentibus applicata, vel sal armoniacum in aqua portulac. solutum & applicatum. *Algorem* dentium curat aqua Regin. Hung. vel mirabilis dentibus affricta, item electuar. Diascord. vel Theriaca dentibus illita.

Vermes.

Ad *Vermes* Dentium necandos optimè conducet decoctum sabinæ, vel absinth. vel tanaceti, in vino, quod in ore detentum copiosos vermes elicit. Sic & alii fumum seminis hyoscyami per infundibulum ore exceptum unicè depredicant ut superius jam percepimus, nonnulli Spiritum Sulphuris, alii Tincturam myrrhæ, nos liquorem C.C. succinatum dentibus cavis cum lana vel bombace indimus. Sic quoque plures pulverem Nuc. gallarum cum succo rad. pyrethri in formam pilularum redigunt & dentibus imponunt. *Bartholinus* laudant sevum cervinum contra dentium Vermes. Omnia amara, ut absinthium, myrrha, aloe, &c. optima sunt remedia. Ad illos eliciendos & fallendos quandoque conducunt dulcia; sic fœmina Lugdunensis, cujus mentio injicitur *Ephem. Germ. Ann.* 9. & 10. mel imponebat denti carioso & sic eliciebat vermem. Celeberr. *Schulzius* commendat mucum seu chyli reliquias interiori tunicæ ventriculi suilli adhærentes, qui licet sordidum quadantenus, & delicatioribus abominabile sit remedium, vulgo tamen crebris experimentis commendatissimum. Mucus hic linteolo exceptus & formula noduli dolenti & verminoso denti imponatur.

CAPUT XXIII.

DE GINGIVARUM MORBIS,

Excrescentia, Parulide, Erosione, & Fistula.

§. 1. **P**Erspectis præcedente capite affectibus Dentium, nunc & gingivarum morbos paucis perspiciamus; Gingivæ sunt illæ portiones duriusculæ carneæ, quæ dentes instar valli cingunt, eosque in suis alveolis stabiliunt; vel sunt carnes illæ sui generis, totum dentium ordinem obsepientes, eosque oppletis illorum intervallis firmantes. His gingivis accidunt varii morbi, ut *Excrescentia, Parulis, Erosio, Ulcus*, sive *Fistula*.

Gingivarũ Excrescentia quid?

Excresentia Gingivarum vulgo describitur, quod sit protuberantia nimia carnis spongiosæ & laxæ gingivarum, vel à proprii nutrimenti vitio, vel uberiore sanguinis & succi nutritii vitiosi effluxu dependens.

Parulis sive Epulis.

Parulis sive *Epulis* dicitur inflammatio gingivarum, ad dentium radicem intus & foras adeò prominens, ut etiam vicinæ partes distendantur, caleant & rubeant, ab obstructione inflammatoria in hisce locis producta.

Erosio.

Erosio Gingivarum est earum absumptio à particulis acido-corrosivis vel proprii nutrimenti, vel aliorum humorum eò alluentium producta.

Ulcus & Fistula.

Ulcus vel *Fistula* Gingivarum est earundem profundior quædam excavatio ab acido itidem corrosivo continuitatem earum ità dissolvente producta.

Pars affecta.

§. 2. *Pars affecta* sunt Gingivæ dictæ, caro laxa illa dentes obtegens, & instar valli cingens, in edentulis sæpe ipsorum dentium officio fungens, dum ita indurescit, ut cibi eadem comminui possint, multis ad latera ornata glandulis, liquorem lymphicum in se continentibus, & per ductus singulares eundem varie distribuentibus, ne quid ipsis gingivis desit humiditatis, nec ob nimiam siccitatem corrugentur & male habeant.

Diagnosis Excrescentia.

§. 3. *Signorum* tanta est ad medicinam rectè faciendam vis, ut iis sublatis fundamenta sæpius sensim collabascere necessum sit. Illa quippe in morbi cognitione nos manu ducunt, & quidquid vel in præsens ad illius dijudicationem, vel fausti infaustive eventus prædictionem in futurum spectat, graphicè nobis præfigurant. Cùm verò in externis affectibus non adeò necessaria sint, quam in internis; sciendum tamen, quod indocti sæpius excrescentiam gingivarum pro cancro exclament, & contra alii cancrum pro excrescentia, quare Medicus oculatus esse debet, ut bene distinguat cognoscatque morbum. *Excresentia* ergò gingivarum cognoscitur ex eo, quando caro excrescens est laxa, sordida & flaccescens, cruorem etiam, si paulatim attingatur, de se fundit, interdum dentes molares ab ea in totum obteguntur, nonnunquam caro hæc putredine corripitur, aliquando ejus est expers, in masticando & tangendo dolor percipitur.

Inflammationis seu Parulidis.

Inflammationis Gingivarum, sive *Parulidis* signa eadem sunt, quæ aliarum partium inflammatarum, ut rubedo, calor, & vicinæ partes propter obstructionem adeò distenduntur, ut maxilla superior & inferior aliquando compatiantur.

Erosionis, Ulceris & Fistulæ.

Signa *Erosionis, Ulceris & Fistulæ* ex ipsa inspectione nosci possunt; adest sæpe Hæmorrhagia gingivarum, quæ interdum adeò larga est, ut 24. libræ ex gingiva emanaverint, quam notabilem gingivarum hæmorrhagiam annotavit Cl. *Sorbait Ephem. Germ. Ann.* 2. *Obs.* 48.

Ætiologia secundùm Galenicos Gingivarũ Excrescẽtiæ.

§. 4. *Causas* horum morborum quod concernit, veteres *Galenici* accusant in Gingivarum *Excrescentia* spongiosam earum laxitatem nimiam, & sanguinis bene nutrientis copiam majorem, à præcedente victu valde sanguificante inductam, & ad gingivas delatam.

Parulidis.

In *Parulide* causam tribuunt sanguini intemperato ferventiori ad gingivas influenti, unde hæ non modo distendantur & tumeant, sed valde etiam rubeant & dolore prehendantur ingenti.

Ulceris.

Erosionem, Ulcus & Fistulam originem sumere credunt ab eodem sanguine corrupto & humoribus acribus erodentibus inter misto, carnem hanc gingivarum mollem, & spongiosam vel depascentibus, vel profundius nonnunquam perfodientibus.

Secundùm Paracelsum causa Excrescentiæ, Parulidis & Ulceris.

§. 5. *Paracelsus* Gingivarum *Excrescentiam* à resoluto sale aluminis originem sumere credit, à quo caro earum ita extendatur & augescat.

Parulidem, Epulidem, Erosiones & Ulcera potissimum natales suos habere censet ex catarrho luis Venereæ complicato, non modo reliquas palati & faucium partes, sed gingivas etiam inflammante, quandoque etiam penitus erodente & exulcerante.

Helmontii opinio de causa Excrescentiæ. Parulidis.

§. 6. *Helmontius* existimat *Excrescentiam* Gingivarum contingere ex prodigalitate Archei, ipsum cruorem nimia copia intra gingivarum foramina transfundentis, unde caro earum in majorem molem excrescat.

Parulidem à peculiari quadam spina Gingivis infixa pronasci credit, dum Archeus ab eadem irritatus ex iracundia quadam sanguinem eò transmittat, & gingivas hasce signo suo iracundiæ obvelet.

Ulceris.

Erosionem & Exulcerationem harum partium sequi putat ipsam inflammationem aut abscessum ruptum, quoniam cruor à peculiari quodam acido sit corruptus, qui postmodum omne earum nutrimentum simili quodam fermento inficiat, & ipsas hasce partes exedat & destruat.

Vuillisii opinio de causa Gingiv. Excrescentiæ.

§. 7. *Vuillisius* vult, *Excrescentiam* hanc Gingivarum à sanguine, vel sero, vel liquore nutriente copiosius ad molles hasce carnes affluentibus progenerari.

Parulidis.

Parulidem verò à sero copiosiori salsis quibusdam recrementis scorbuticis imbuto, & cum sanguine per arteriolas ad gingivas advecto, à quo ichoroso sanguine pori earum nimis impleantur, sicque cum dolore inflammatorio, ob admistam acrimoniam salsam, caro hæc spongiosa supra modum intumescat.

Exulcerationis.

Exulceratio ab ejusdem materię ichorosę & corrosivę diuturniore affluxu induci putatur, à quo gingivarum hæc caro profundius exedatur, & planè tandem corrumpatur.

Sylvii opinio de causa Excrescentiæ.

§. 8. *Sylvius* à sanguine multo & multum nutriente *Excrescentiam* Gingivarum oriri putat, per arteriolas gingivarum ad easdem largius fluente, interdum etiam ab aliis humoribus in easdem effusis.

Parulidis.

Parulidem à sanguine quidem excitari sibi persuadet, sed

sed obstagnationem diuturniorem corrupto, ita ut exhalatis partibus volatilibus acidæ & salinæ dominium sibi arripiant, & partes hasce tendant, inflamment & dolorem in iisdem suscitent.

Exulcerationis. *Exulcerationes* & *Fistulas* ab acidis istis partibus valde acribus produci docet, à quibus caro hæc gingivarum erodatur, & quandoque etiam profundius excavetur.

Cartesianorum judicium de causa Gingivarum Excrescentia. §. 9. *Cartesianis* videtur *Excrescentia* seu Intumescentia hæc Gingivarum vel à succo nutriente copiosius in substantiam hanc gingivarum distributo oboriri, vel à lympha aut saliva ex tabulis glandularum inter fibrulis gingivarum illabente, à quibus fibrulæ istæ nimis distenduntur, imprimis, quando liquoribus hisce multæ particulæ angulares & lamellatæ sunt intermistæ, quæ in conveniente situ, & tandem firmiori ad invicem adhæsione in tubulis varias succorum pariunt obstructiones.

Parulidis. *Parulis* ipsi huic stagnationi primam suam originem debere videtur, dum particulæ angulares & acutæ reliquis potentiores fibrulas non modo valde distendunt, sed etiam pungunt, & sanguis in compressis arteriolis contentus per extremitates earum translucet, unde rubedo in gingivis hisce inflammatis facilè perspicitur.

Erosionis, Exulcerationis & Fistulæ. *Erosio, Exulceratio* & *Fistula* tandem ipsa inflammationem subsequi existimatur, quatenus fibrulæ istæ nimis tensæ & punctæ rumpuntur, & à particulis acutis & cuspidatis, sive acido-salinis perpunguntur & discinduntur, unde fibrulæ ruptæ abeunt in cincinnos, & majores elaborantur sulci, in quibus semper acrior colligitur succus erosione sua pergens, & foramen reddens profundius.

Nostra sententia de causa Gingivarum Excrescentiæ. §. 10. *Nostra* sententia est, quod in Tumore seu *Excrescentia* Gingivarum relaxentur fibrillæ, unde textura fiat amplior, & relaxata caro uberius in se recipiat cruorem, qui stagnans ita, fibrulas valde distendat, hoc verò nimium tensæ ad quemvis leviorem attactum facilè rumpantur, & cruorem contentum emittant, uti videmus excrescentes hasce gingivas digito leviter attactas sanguineam facile plorare, disponuntur enim ita arteriolæ, ut oscula inordinatè dilatata succum illum rubicundum promptè nimis effundant.

Parulidis. *Parulidis* verò seu inflammationis origo contingit, dum vasa capillaria Gingivarum fuerint obstructa, unde necessariò sanguis restagnare debet, in qua stagnatione ipsa consistit instammatio, imprimis si simul cum sanguine sylvestres, improportionatæ, crassæ, Tartareæ ac scorbuticæ particulæ eò pertingant.

Erosionis & Ulcerum. *Eroduntur* & *exulcerantur* Gingivæ ab acribus salibus, vel cum proprio nutrimento, vel cum sanguine eò delatis, à quibus & ipsa vascula sanguinea sæpe corroduntur, ut sic sanguinem fundant. Sic & exulcerantur sæpe hæ gingivæ à salibus illis corrosivis in sanguinea massa præexistentibus, ut in scorbuticis, vel ab intempestivo Mercurii usu, tam in salivatione excitanda, quam in ablutione faciei pro usu cosmetico, inductis, hinc & corrumpuntur adeò, ut ad gangrænam fiat accessus, quod malum vulgo *die Mundfaule* dicitur.

Prognosis. §. 11. Quod *Prognosis* attinet, Affectus Gingivarum non sunt vilipendendi, facile enim *Excrescentiæ* in scirrhosam duritiem abeunt aut cancrum, ceu exemplum novi in filia Hanoviensi à Chirurgo Fay curata.

Exulceratæ Gingivæ facilè in gangrænam transeunt, & sæpe propter insensissimum fœtorem nemo ægrum ferre potest. Ob dolorem quoque vehementem vigilias & deliria excitare possunt, unde gravia satis eas comitantur symptomata.

In *Erosione* Gingivarum, ubi simul sanguis stillat, res non est extra periculum, prout non ita pridem observavi in virgine 17 ann. quę singulis mensibus fluxum suum per gingivas passa est, non sine maximo incommodo. Utplurimùm scorbuti nimiùm increscentis prębent indicia; à quo tota sanguinea massa jam penitus occupetur, quæ mala Veteres lienosis suis adscripserunt, quare *Hippocr. Prorrhet. lib.* §. 42. magnos splenes habentibus, neque sanguinis eruptione, aut oris graveolentia laborantibus, ulcera prava in tibiis vaticinatur & cicatrices magnas; in habitibus verò tabescentibus cum febre fluxiones ad gingivas comparentes omnes malas pronunciat, *Coac. cap.* 3. Abscessum circa Gingivam factum dentis corruptio solvit, *Coac. cap.* 2. quòd particulę corrodentes gingivam relinquant, & dentem apprehendant, aut post diruptionem gingivæ dens demum invadatur, sicque dolores & inflammatio in gingivis planè cessarint.

Diæta. §. 12. *Diæta* hisce omnibus affectibus proportione respondeat, quæ nisi ritè observetur, aliis auxiliis parum efficitur, cùm nullum efficax possit esse remedium cui Diætæ ratio contraria resistit.

Aer eligendus est, qui causæ horum affectuum semper contrarius est, imprimis vitetur frigidus & humidus.

Cibus sit succi laudabilis & in pauca quantitate adsumatur, vitentur nimis salita & omnia, quæ vetavimus in cap. de scorbuto, quia horum affectuum semper ferè comes est dyscrasia sanguinis scorbutica. Sic & *Potus* sit apprimè congruus, potus Theæ hic non negligendus.

Somnus & *Vigiliæ* mediocritatem haud excedant.

Animi Pathemata graviora omni studio sunt vitanda, maximè ira, ne acriorum humorum concitetur motus nimius, omnes itaque vitæ leges μέσον ἄριστον respicere debent.

Curatio Pharmaceutico-Chirurgica secundùm Galenicos in Gingivarum Excrescentia. §. 13. Curationem *Pharmaceutico-Chirurgicam* Veteres *Galenici* ità instituunt, ut in Gingivarum *Excrescentia* nimiam earum laxitarem corrigant adstringentibus & humiditatem superfluam consumentibus, quapropter frictiones instituunt sequenti vel simili pulvere ab *Actuario* valde æstimato.

℞. *Herb. Syderit.* ℥xvj.
Sal. candidi & tenuis.
Mell. aa. ℔iß.
Contund. & in massæ formam redig. quæ in ollam coniiciatur, & operculo probè obturetur, in medio verò operculi sit foramen, per quod massa rudicula agitetur, donec nihil amplius fumi aut vaporis exhalaverit; dehinc, ubi ab igne sublatum fuerit, ac refrixerit,

℞. *Hujus massæ* ℥xiiij.
Pip. alb. ʒv.
Pip. nigr.
Pyrethr. aa. ʒvj.
Alum. sciss. cremat. & vino austero extinct. ʒij.
Pumic.
Myrrh.
Hyssop.
Sem. apii,
Puleg. aa. ʒij.
Menth.
Rad. Ir. aa. ʒiij.
Contundantur omnia & cribrentur, quo pulvere Gingivæ aliquoties abstergantur.

Parulide. Ad *Parulidem* præmissa nonnunquam venæ sub lingua sectione, ut sanguis corruptus evacuetur, præcedentem pulverem itidem deprædicant, vel si major adsit corruptio, sequenti utuntur linimento.

℞. *Misy cremat.* ʒij.
Irid. ℥ß.
Croc. ʒj.
M. terantur, & cum melle suscipiantur.

Erosione, Ulceribus & Fistulis. In *Erosione*, *Ulceribus*, & *Fistulis* ad humores acres corrigendos, præmissis aliquando universalibus, venæsectione & purgatione, exsiccantia adhibent & præ aliis sequentia.

℞. *Nitri,*
Cyperi,
Hord. aa. q. v.
Combusta M. cum melle, & formentur in Unguentum.

Ubi magna simul adest putredo, sequens priori substituunt.

℞. *Irid.*
Sandarach.
Cyper. aa. ℥iij.
Alum. sciss.
Myrrh.
Croc.
Crocomagnat.
Flor. rosar.
Gallar. aa. ℥ij.
M. & pulverisata excipiantur melle.
F. Linimentum.

His si putredo domari nequit, cauterium adhibent ex ferro candente, munitis partibus circumjacentibus, quod tamdiu in parte exulcerata & putrida detinent, donec humiditas sit consumpta & locus evictus, quibus peractis, prioribus eundem colluunt, aut melle illinunt, ad crustarum usque decisionem.

Paracelsi morbos hosce Gingivarum curandi ratio. §. 14. *Paracelsus* ad morbos hosce Gingivarum omnes curandos summè proficua laudat medicamenta subadstringentia & putredini resistentia, præ aliis verò ea, quæ ex lap. calaminar. litharg. rad. fumar. bulbos. & alumine parantur. *Ulcera* si sint profundiora & nullis aliis remediis domari queant, oleum & pulverem auripigmenti præparati commendat, hunc quidem ulceribus adspersum, oleum verò in fistulas injectum aut panno applicatum.

Helmontii opinio de curanda Gingivarū Excrescentia. §. 15. *Helmontii* ex sententia in Gingivarum *Excrescentia* Archeus ad parsimoniam in cruoris distributione servandam est admonendus, & Gingivæ aliquantum stringendæ, ne tam facile cruorem admittant, cui operi mel rosatum cum pauco alum. conveniens esse pronunciat.

Parulide. In *Parulide* totus est in exemptione spinæ, ut Archeus sedetur, in specie verò laudatur hic gargarismus ex decocto flor. malv. arbor. cui aliquid nitri pp. additum est, ut gingivæ eodem aliquoties gargarisando abluantur.

Erosione & Ulceribus. In *Erosione* & *Ulceribus* etiam Gingivarum curandis singulares vires obtinere putat ipsum colcothar, & remedia à *Paracelso* jam laudata, maximè fumigationem arsenici & auripigmenti.

Vuillisii methodus curandi Gingivarū Excrescentiam. §. 16. *Vuillisius* curationem Gingivarum *Excrescentiæ* peragit easdem à sanguinis & seri, præsertim corrupti, majori influxu liberando & exsiccando, gargarismis maximè subadstringentibus & sanguinis corruptioni resistentibus, additis etiam illis, quæ in scorbuto habentur specifica, quibus sequens constat formula.

℞. *Cort. Med. sambuc.*
Ulmi aa. M. ß.
Fol. saturej.
Salv.
Erysim.
Nasturt. aa. M. j.
Rad. pyrethr. ℥ij.
Coq. contusa & concisa in aq. Calc. ℔ iij. *ad tertiæ partis consumptionem, pro educatione si lubet add.*
Mell. rosat. ℥ij.
F. Gargarismus.

Laudat etiam liquorem ex Vitrioli comprobati ℥j. in aq. fontan. ℔ ij. in vitro mixtis & conquassatis per subsidentiam clarescentem, eodem modo adhibitum. Aliud etiam parat colluvium ex lixivii ciner. genist. vel rorismar. vel Tartari & nitri calcinat. ℔ iij. quibus incoquuntur fol. saturej. thym. salv. rorismar. aa. M j. Colatur. superfundit fol. Cochlear. M ij. F. infusio calida per horas tres, iterùm colatur & servatur ad usum. Unguentum de Aquileja noctu adhibendum non minus quam alii seriò commendat.

Parulidem. Ad *Parulidem* eadem adhibere solet, cùm causæ horum affectuum sæpe parum differant, & iisdem remediis depelluntur, maximè verò liquorem ex Vitriolo huic affectui convenire existimat, aut sequens linimentum.

℞. *Mell. rosat.* ℥j.
Ol. Vitrioli ℨß.
M. & illinantur gingivæ.

Erosionem & Ulcera. In *Erosione* & *Ulceribus*, in quibus Gingiva adhuc magis corrumpitur & putrescit, ad fortiora accedit medicamenta, putredini valde resistentia, infusionem videlicet Vitrioli camphorati, vel lapidis medicamentosi, vel sequentem adhibet collutionem.

℞. *Rad. gentian.*
Aristol. rot. incis. aa. ℥ß.
Fol. centaur.
Absinth. Pont.
Saturej.
Aquilej. aa. M. j.
Coq. in aq. Calcis aut lixivialis, modò etiam ferratæ, modò aluminos. ℔ iij. *ad tert. part. consumpt.*
Colatur. add.
Mell. crud. ℥ij. *vel* iij.
M.

In *fistulosis* ulceribus præter antedicta Unguentum Ægyptiacum in usum refert, quo in spiritu vini dissoluto, vel loco ejus lapidis medicamentosi aut sublimati infusione imbutam petiam loco affecto aliquoties solet applicare.

Sylvii curatio Gingivarum Excrescentiæ. §. 17. Secundùm *Sylvium* curabitur Gingivarum *Excrescentia* remediis subadstringentibus & aliquantum acidis, ut ulterior nutrimenti accessus copiosior inhibeatur, quo fine laudat aluminosa & lapidem prunellæ, si vel in aqua plantag. collutionis, vel cum melle rosato linimenti forma usurpentur.

Parulidis. In *Parulide* omnem sanguinis in Gingivis stagnationem resolvit, tum internè diaphoreticis, tum externè remediis ex decoctione plantarum scorbuticarum, studiosè tamen & cautè parata, ne sal earum volatile deperdatur, in quibus dissolvit rob dianucum, & parum nitri pp. addit, vel ex sola aqua nasturt. aquat. cum lap. prunell. oris parat collutionem, quæ hoc in casu valde æstimatur proficua.

Ulcerum. In *Exulcerationibus* & *Fistulis* ad acidum acre corrigendum primariam dirigit operam, medicamentis adhibitis vel volatilibus, vel subacidis aliis temperatis, ut spir. Vitrioli cum melle rosato illitum, vel unguent. Ægypt. à quibus acidum in ulceribus existens valde domatur, quo facto tandem ulcera mundat & consolidat.

Cartesianorum modus curandi Gingivarum Excrescentiam. §. 18. *Cartesiani* nimiam Gingivarum *Excrescentiam* imminuunt remediis cum adstrictione fibrularum etiam succum copiosiorem, sive sit nutritius peccans, sive lympha aut saliva, elicientibus, aut eo ejecto fibræ arctius jungantur, & tubuli fiant angustiores, qua de causa locum tumentem aliquoties fricant pulvere quodam ex nucibus cupress. capul. gland. myrrh. sale armoniaco & camphora parato, vel sequenti mixtura linteum humectatum apponunt.

℞ *Rad. pentaphil.*
Lapath. acut. aa. ℥iiß.
Salsaparigl. ℥ij.
Ir. Florent. ℥j.
Fol. Querc.
Ligustr.
Salv.
Chelidon. min. aa. M ß.
Malicor. ℥ß.
Summit. rub. Id. M j.
Coq. in vino rubro, Colatur. ℥ iiij. *add. Spir. theriacal. camphorat.* ℥ß.
M.

Formant etiam placentulas sequentes, quas iisdem gingivis excrescentibus apponunt.

℞. *Prunor. sylvestr. immatur. exsiccator.* ℥j.
Thur. ℈ij.
Gumm. lacc. ℨß.
Alum. ust. ℈j.
Pulverisata excip. mucilag. gum. tragacanth in aq. fol. querc. facta.
F. s. a. Placentulæ, seu Trochisci non signati, teneantur aliquamdiu digito super loco tumente.

Parulidem. *Parulidis* curationem inchoant internis diaphoreticis, quamvis stagnationem in quibuscumque corporis partibus facilè resolventibus; Essentia nimirum

rum ligni Guajaci, vel saſſafras, cum ſpiritu C. C. vel Antimonio diaphoret. Sale C.C. & camphora, tum externè aquam adhibent calcis vivæ cum ſpiritu vini, aut theriacali camphorato, quibus parulidem & quemvis locum in gingivis inflammatum aliquoties in die attingunt, vel ſpir. vini camphorat. ℥ ij. addunt ſpirit. flor. ſambuc. ℥ j. & eodem modo procedunt. Tincturæ laccæ convenienter præparatæ etiam in hoc affectu debitas relinquunt laudes, attamen mixturas prænominatas eidem ferè præferunt.

Eroſionem, Ulcera & Fiſtulas.

In *Eroſione* & *Ulceribus* Gingivarum toti ſunt in demandis particulis illis acutis profundius erodentibus, qua virtute itidem aquam calc. viv. conſtare affirmant, uti quoque aq. virid. *Hartm.* vel ſequens colluvium, quo ulcera abluenda, vel illinenda ſunt.

℞. *Raſur. lign. Guajac.* ℥ ij.
Rad. ariſtol. rotund. ℥ iij.
Tormentill. ℥ j.
Fol. Salv.
Aquileg.
Veron. aa. M. ß.
Flor. liguſtr. P. j.
Coq. in aq. ſimpl. q. ſ.
Colatur. ℥ ij. add.
Tinctur. myrrh. ℥ iij.
Spir. ſalis dulc. ℥ ß.
Cap. mort. vitrioli ℈ j.
Camphor. ℈ ß.
Syrup. de tormentill. ℥ v.
Rob. diamor. ℥ iij.
M.

In *Fiſtula* profundiori Unguentum Ægyptiacum approbant cum myrrha, vel liquorem myrrhæ, & ſi malum medicamentis hiſce non cedat, cum aliis ad ipſum auripigmentum præparatum progrediuntur, quod vel per ſe fiſtulæ inſpergunt, vel melli roſaceo admiſcent & ulceribus fiſtuloſis inſinuant.

Noſtra cura Gingivarum Excrescentia.

§. 19. *Noſtro* judicio in hiſce Gingivarum affectibus ſemper ad humorum acrimoniam reſpiciendum. Sanguinea ergò maſſa ante omnia à particulis iſtis acribus ſalinis corroſivis liberanda, in quem finem præprimis conducunt decocta illa ex lignis & rad. Chin. ſarſaparill. conſol. &c. parata, ſalia quoque volatilia, aliaque, quæ cap. de Scorbuto in Encyclop. Med. commendavimus, proderunt, neque interna negligantur vulneraria, decoctum ſcilicet heder. terreſtr. & veron. cum ſyr. ejuſd. parum edulcoratum.

Præmiſſa interna curatione ad externa nos conferamus. In omnibus gingivarum affectibus ſequentem aquam ad gingivas commendamus noſtra experientia comprobatam.

℞. *Herb. cum tot. cruciat.* M. iv.
Cochlear.
Naſturt. rec. aa. M. i ß.
Flor. balauſt. ℥ ß.
Fol. querc. M. i ß.
Rad. Angel.
Pyrethr. aa. ℥ j.
Alum. crud. ℥ ii ß.
Cort. granat. ℥ ij.
Inciſ. & contuſ. affund.
Acet. vin.
Brod. olivar.
Aq. nicotian. aa. ℔ j.
Aceto ſcyllit. ℥ ij.
Stent per d. & n. poſt deſtill. in M. B. ad remanent. Menſ. j.

In Excreſcentia, parulide, Eroſione & Ulceribus medicamentum hoc eſt euporiſton. Sic & aqua illa Ducis Candalæ ſuperiùs laudata & hic egregia eſt. Medentur quoque gingivarum huic Excreſcentiæ decocta chalybeata & vulneraria. In Excreſcentia gingivarum ſcorbutica ſuccus cochleariæ cum alumine uſto egregius eſt, ſic & decoctum ſalviæ in vino rubro cum Vitriolo de Cypro huic non cedit, item decoctum herbæ vermicularis cum alumine & melle Batavis ſolenne eſt. Aqua Calc. viv. in metu gangrænæ cum Tinctura laccæ optimum eſt remedium.

In eo affectu, ubi gingivæ ſanguinem ſtillant cum ptyaliſmo, conducit ſequens decoctum, noſtra experientia ſæpiſſime comprobatum.

℞. *Cort. rad. prunor. ſylveſtr.*
Rad. gent.
Irid. Florent. aa. ℥ ij.
Summit. rub.
Cupreſſ.
Saturej. aa. P. j.
Inciſ. coq. in vin. rub. & aq. ſexies chalybeat.
Colat. ℞. *hujus* ℥ vj.
add.
Mell. roſat. ℥ iij
M.

Quo decocto os eluatur ſæpius. Flaccidæ Gingivæ tumidæ ac cruentæ adſtringendæ ſunt decocto ſalv. tormentill. roſ. rub. ac flor. balauſt.

In Parulide, Epulide & Inflammatione.

In *Parulide*, *Epulide*, *Inflammatione* & dolore Gingivarum præmiſſo interno abſorbente ſæpius repetito aliiſque ſudoriferis ex ſalibus volatilibus, ut his acidum corrigatur, & humoribus ſtagnantibus motus debitus reſtituatur, ſequens vel ſimile decoctum propinetur, quo patiens os ſæpius eluat.

℞. *Aq. Aſthmat. non edulcorat.* ℥ i ß.
Flor. ſambuc. ℥ j.
Tinctur. Odontalg. ℥ j.
Elect. Diaſcord. ℈ ij.
M. D. ad vitrum.

Vel ubi ſimul internæ oris partes inflammatæ ſint.

℞. *Aq. roſar.*
Flor. ſambuc. aa. ℥ i ß.
Spir. flor. ſambuc. ℥ ij.
Aq. theriacal. ℥ iij.
M. D.

Quando in *Epulide* caruncula in exteriore gingiva ita prominet, ut digitis vel forcipula prehendi queat, ligetur pilo equino, vel filo ſericeo rubro, ut ita denegato nutrimento flacceſcat, & exſiccata aut ſponte decidat, aut forſicula innoxiè abſcindatur.

In Eroſionibus & Exulcerationibus.

Eroſæ & *Exulceratæ* gingivæ abſorbentibus emundandæ ſunt, ne acres ſalſæ & acidæ particulæ eaſdem ulteriùs corrumpant, & hinc conſolidandæ, in quem finem conducunt Unguentum de aquileg. Decoctum flor. roſ. aquileg. biſtort. malv. ſalv. Poſſunt & pulveres dentifricii ex ebore, C.C. uſt. corall. & Tartaro adhiberi, quo pertinent omnia edulcorantia acidum, mel roſar. ſuccus chermes, ſuccus beccabungæ, cochlear. apii, brodium olivarum, aq. theriacalis, aſthmatica, aq. ad gingivas Tartariſata. Tinctura laccæ cum eſſentia myrrhæ egregium eſt purificans. Aqua & decoctum ſalviæ cum ruta faciunt hic pocula tuta. Huc pertinent *Ettmulleri* Dentiluvium, & Gargariſmus de tormentilla *Mynſ.* Et cùm plurimum in iſtis eroſionibus gingivarum acidum corroſivum peccet, ſequente uti ſolemus unguento, quod acido corroſivo multùm reſiſtit.

℞. *Elect. Diaſcord.*
Theriacal. aa. ℥ ij.
Unguent. Ægyptiac. ℥ i ß.
Gumm. Laccæ,
Spir. ſal Armon. aa. ℈ ij.
Cochlear. ℥ j.
M. F. Unguentum.

Ad *Ulcera* cum *putredine* Gingivarum ſananda elegans remedium eſt mel roſaceum cum ſpiritu ſalis, ad gratum tantùm acorem impræegnatum vel quod melius eſt, cum ſpiritu Matriculi. Si Gingivæ nimis exulceratæ fuerint, ut inde metuatur gangræna & ſphacelus, (*Mundfaule*) tunc abſque omni cunctatione ad ſpir. vini camphorat. vel ad Unguentum Ægyptiacum melle roſato probè mixtum accedendum eſt, ubi enim in atrociori malo mitiora non juvant, ad fortiora accedendum: ex. gr.

℞. *Virid. æris.*
Vitrioli de Cypro aa. ʒ ß.
Auripigment. gr. iij.
Alum. roch. ℈ j.
Elect. diascord. & mell q. s.
F. Unguentum.

Quo gingivæ illinantur; vel aqua virid. *Hartmanni* frequentius abluantur, vel seq. quod optimum est.

℞. *Muriæ limon.* ℥ ij.
Elix. vitæ ℥ ß.
Myrrh. ʒ ij.
Spir. vin. rectif. ℥ j.
Tart. Vitriolat. ℈ ij.
M. & laventur partes affectæ, gingivæ nempe.

Si consumantur in totum gingivæ à proprii nutrimenti vitio, prodest præprimis ad gingivas in aula Anglorum usitata, (*das Englische Mundwasser*,) vel nostra, vel decoctum salv. vel chochleariæ in vino rubro, addito momento Vitrioli de Cypro. Si adsit comes hæmorrhagia gingivarum, omnia ea prosunt, quæ in medium protulimus capite generali de Hæmorrhagia Narium, præprimis autem laudatur liquor stypticus gingivis applicatus, vel pulvis chalcanthi, vel adhibeatur cauterium in casu desperato. A Tulpio in tali casu maximè æstimatur sequens.

℞. *Bol. Armen.* ℥ iv.
Calc. viv.
Vitrioli ust.
Alum. ust. aa. ℥ i ß.
Lapid. hæmatit.
Aloes lucid.
Sangu. dracon.
Terr. Lemn.
Croci Martis.
Mumiæ aa. ℥ ß.
Mastich.
Thur.
Oliban. aa. ʒ j.
M. F. Pulvis.

Fungus iste, sive crepitus lupi applicetur gingivis, vel lintea vitriolo albo soluto, vel liquore styptico imbuta. Mistura sequens Ettmulleri pro dentibus & gingivis à variis affectibus præservativa est.

℞. *Aq. plantag.*
Sedi minor. aa. ℥ ij.
Sal Armoniaci,
Sal Tart. ʒ ß. *ad* aa. ʒ j.
M. Filtra.

CAPUT XXIV.

DE MAXILLARUM MORBIS, *Immobilitate, Luxatione, & Fistula.*

§. 1. Capitis osseam partem, quæ Facies dicitur, complent duæ *Maxillæ*, Superior & Inferior, quarum affectus tùm theoreticè, tum practicè nunc considerabimus. Ipsis maxillis, imprimis inferiori, contingit aliquando *Immobilitas*, ut ægri os aperire nequeant. Sic & interdum *luxatur* Maxilla inferior à causa violenta, unde os nimis hiat. *Fistula* Maxillæ dicitur ulcus cavum, angustum & callosum, cavitatem juncturæ maxillæ occupans.

Maxilla Immobilitas. *Fistula.* *Pars affecta.*

§. 2. Facilius in morbi notitiam & curationem perveniemus, si prius *Sedem*, & quæ circa illam observanda veniunt, ostenderimus. Subjectum igitur denominationis constituimus Maxillam, utplurimùm verò inferiorem, in qua, & quidem circa juncturam, conspicuus est fistulosus sinus. Maxilla superior anteriùs orbitis oculorum & dentium superiori ordine circumscribitur: posteriùs sphænoide, & temporum ossibus duodecim, vel ad aliorum opinionem, undecim, quorum utrimque sex numerantur, de quibus videantur Anatomici. Maxilla inferior est os durum & solidum, figura litteræ Græcæ (υ) suis alveolis dentium inferiorem ordinem recipiens, duobus utrimque processibus adscendens, quorum anterior & acutus pontis Zygomatici arcum subintrat: posterior obtusus sinui ossis petrosi inarticulatur.

§. 3. Morbi internotio rectæ curationis fundamentum est. Igitur de Signis *Diagnosticis* paucis agamus. Cognoscitur ergò *Immobilitas* Maxillæ inferioris, si os clausum manet, & æger id aperire nequit rectâ ratione utens, & quando adest maximus tumor genarum, & sic motus ipsius impeditur.

Diagnosis Maxillæ Immobilitatis.

In *Luxatione* Maxillæ os hiat, & præcessit vel causa violenta, vel oscitatio vehementissima, locutio depravatur, masticatio tollitur, &, si luxatur processus rostro similis, qui subjaguli ossi inseritur, ipso osse jugale humilior fit, & aliquando extra ipsum fertur.

Luxationis.

Cognoscitur autem *Fistula* Maxillæ ex aliarum fistularum signis, quæ capite generali de fistulis dicta sunt, si ulcus sit scilicet profundum, angustum & callosum; dein signum est ulceris diuturnitas, tunc enim necesse est os maxillæ abscedere, quia ob continuum contactum os madet & remollitur, juxta illud *Hippocr. Sect. 6. Aph. 45.* Quæcunque ulcera annua sunt, aut longiore tempore durant, in iis os abscedere necesse est & cicatrices cavas fieri. Item quando immisso specillo os reperitur asperum, cariosum & inæquale, dein si conspicitur ad os Fistulæ frequenter caro livida, flaccida, & corrupta, atque si humores sunt tenues, & fœtidi, qui emanant.

Fistulæ.

§. 4. Ad *Causarum* investigationem & enodationem ut me accingam, ordinis ratio postulat; sicut enim nullius rei, ita neque morborum accurata cognitio perfectaque sine harum notitia haberi potest, & ita consequenter neque præservatio, neque curatio legitima institui: eapropter ut tantò profundiùs in causarum horum maxillæ morborum cognitionem perveniamus, aliorum priùs de iisdem percipiemus sententias, & quidem omnium primò *Galenicorum*, qui in *Immobilitate* tanquam causas allegare solent ipsum coalitum maxillæ cum capite, destillationem e capite in ejus radicem, luxationem & rupturam ictu vel telo inductam.

Iuxta Galenicos causa Maxillæ Immobilitatis.

Luxationis verò causam communissimam proponunt nimiam maxillæ apertionem, sive ex oscitatione, sive ob bolum majorem capiendum ea contingat, unde musculi nimium tendantur, & maxilla inferior vel ex uno latere, vel ex toto elabatur, sed hoc rarius, prius autem frequentius contingere adverterunt.

Luxationis.

Fistulam ex ulcere antiquo circa Maxillarum articulationem morante provenire docent, dum humores corrupti acrimonia sua musculos non modò, sed osseam quoque substantiam cum cartilaginibus profundiùs erodunt & quasi perterebrant.

Fistulæ.

§. 5. *Paracelsus* Maxillæ *Immobilitatem* tum à causis à prioribus jam relatis induci concedit, tum à discessu Synoviæ, & crescentia quadam veteri circa juncturam maxillæ inferioris cum superiori pronasci recenset.

Secundum Paracelsum causa Maxillæ Immobilitatis.

Luxationem contingere statuit à motu quodam violento per ictum, lapsum, aut apertionem nimiam, à quibus omnibus musculi ita queunt distendi, ut Maxillam inferiorem è loco suo pristino exire permittant.

Luxationis.

Fistulam Maxillæ oriri putat ex morte salis nutritivi & excrementorum, quam apostemata & vulnerationes vel fodicationes circa hanc partem facilè accersant.

Fistulæ.

§. 6. *Helmontius* in denominandis causis Maxillæ *Immobilitatis* præcedentibus absque ulla mota controversia adstipulatur, saltem Archeum suum subjungens delassatum, aut alienis occupatum negotiis, ob quæ de motione hac Maxillæ minimè sit solicitus.

Ex Helmontii principiis causa Maxillæ Immobilitatis.

Luxationis ortum eundem agnoscit, quem reliqui Auctores, & *Fistulam* Maxillæ vel ex ulcere, aut vulnere

Luxationis & Fistulæ.

nere malè curato, aut apostemate quodam produci fatetur, acido vitioso omnem cruorem ratione fermenti sui corrumpente, & in virus profundiùs rodens exedensque convertente.

Villisii mens de causa Maxill. Immobilitatis, Luxationis & fistulæ.

§. 7. *Vvillisius* Maxillæ *Immobilitatem* præter antedictas causas etiam à convulsione frequentiùs induci arbitratur; uti *Luxationem* à nimia oris dilatatione, aut laxatione ligamentorum utramque maxillam connectentium; & *Fistulam* ex abscessu aut ulcere diuturno, in quibus materia purulenta nimiam adepta acrimoniam partem istam profundiùs exedit, & instar cuniculorum longiùs perfodit.

Sylvii opinio de causa Maxillæ Immobilitatis, Luxationis & Fistulæ.

§. 8. *Sylvius* ad causas Maxillæ *Immobilitatis* refert ipsam ejusdem luxationem & musculorum temporalium paralysin, vel vulnus transversum. *Luxationis* verò originem eandem existere concedit, quam Antecessores jam manifestarunt. In *Fistula* denique acidum in ulceribus, vulnere aut abscessu temporis tractu acrius redditum itidem cum aliis pro causa venditat excavante.

Cartesianorum judicium de causa Maxillæ Immobilitatis.

§. 9. *Cartesianis* in Maxillæ *Immobilitate* placent ab anterioribus allegatæ causæ ad unum penè omnes, siquidem & à luxatione, & fractura, & coalitu eandem oriri posse concedunt, nec non à musculorum vel omnium maxillæ inservientium, vel temporalis solùm vitiis organicis, tum convulsione & paralysi motui quarumcumque partium maximè adversis.

Luxationis.

Luxationem sæpius contingere norunt ab oris apertione nimia aut violenta, lapsu, concussione, ligamentorum laxitate, & interdum, quamvis rariùs, ex musculorum debilitate ob spirituum animalium parciorem influxum, quo fit, ut musculorum fibræ non satis tendantur, sed flaccescentes ad levem quamque causam maxillæ protuberantias ex pristino suo loco excidere permittant.

Fistulæ.

Fistulam ex ulcere aut abscessu tandem emergere profitentur, dum particulæ acutæ vel partes musculosas, vel etiam osseas profundiùs excavant, & ab aliis quibusdam hamatis in motu impeditæ quiescunt, & quiete hac sola sibi invicem circa interiorem ulceris superficiem annexæ, crustam quandam instar tunicæ cujusdam constituunt, qua fistulositas hæc diutiùs sustentatur.

Nostra sententia de causa Maxillæ Immobilitatis.

§. 10. Præmissis aliorum de morbis hisce opinionibus, & *nostram* apponamus. *Immobilitas* inferiori Maxillæ utplurimum accidit vel ob luxationem, fracturam, maxillæ cum capite coalescentiam, vel ob humoris serosi copiosam in junctura collectionem & stagnationem, subsequentem dolorem & tumorem durum ac conspicuum. Huc & scorbutica maxillarum rigiditas pertinet, in scorbuto enim contingere solet, ut aliquando lentus acidusque humor juncturam illam Maxillæ cum ossibus temporum repleverit, adeòque motum liberum illius impediverit. Sic idem malum obvenire solet hystericis, aliisque motibus convulsivis vexatis, ubi maxillæ quasi ligantur & immobiles redduntur, debili existente succo spirituoso, & imprimis à stagnatione & coagulatione humorum ab acido, uti plura ejusmodi exempla novimus, & non ità pridem in Principissa quadam observavimus.

Luxationis.

Luxatio Maxillæ inferioris, ubi os hiat, utplurimum à causa violenta externa oboritur, quando scilicet caput maxillæ è sua cavitate violenter moveatur, interdum etiam fit ex oscitatione vehementiori, qua caput maxillæ itidem è sua junctura depellitur. Dividitur in eam, in qua altera tantùm parte maxilla depellitur, & tunc à parte illa in anteriorem magis prominet, in adversum ipsa & mentum inclinatur, os destorquetur, & ordo dentium inferior & superior ità sibi non respondet, ut sub incisoriis sint canini; & in eam, in qua utraque depellitur, & tunc series dentium sibi respondet, os magis hiat, & balbuties insequitur. Maxilla inferior cum superiore non potest committi, sed illa magis prominet, ob quatuor musculorum maxillam sursum trahentium, & nervorum ipsis insertorum affectum, unde sæpe intensus dolor, maxima inflammatio cum febre acuta, stomachi doloribus, &c.

Fistulæ.

Oriuntur *Fistulæ* ex abscessibus, est autem Abscessus seu apostema hic, ut in foro Medico receptum est, puris seu purulentæ materiæ in partis alicujus cavitate collectio. Abscessus si vel ob corporis impuritatem, & humorum pravorum copiam ex tubulis laceratis effusam, vel ob Medici vel Chirurgi negligentiam vel imperitiam nimis diu partibus inhæreant, aut non benè curentur, facili marte in fistulam degenerant, pure cuniculos agente & spiritus insitos abigente. Plerumque enim cavernosa ulcera fistulam præcedunt, à quibus corrosivis particulis circa hanc vel illam partem imperium sibi rapientibus oritur fistula; de quibus omnibus vide latius caput generale *de Fistulis*.

Prognosis Maxillæ Immobilitatis.

§. 11. Pulchrum & ex Medici dignitate est, mortem ipsam aut vehementes dolores prædicere. Si ergò *Immobilitati* Maxillæ dolor & tumor durus ac conspicuus accidit, malum est, item si inflammatio oboritur, aut si accidit à male adhibita salivatione cum Mercurio non ritè præparato instituta, facilè enim gangræna & sphacelus accedit, prout nuper in milite vidimus. Confer *Observ.* m. curiosis communicatam *Decur.* 4. *Obs.* 4. *Ephem. Germ.*

Si rigiditas est à scorbuto aliisque convulsivis motibus, pessimum est, &, si morbo acuto aliisque febribus & vulneribus conjungitur, lethale signum, uti nuper in hernia malè secta maxillam rigidissimam in rustico agonizante observavi.

Luxationis.

Quod attinet Maxillæ inferioris *Luxationem*, si sit à leviori causa, facilè illa restitui potest manu experti Chirurgi, & quia restitutio hæc interdum absque singulari labore obtineri potest, hinc Chirurgi gloriantur, se alapa inflicta ipsam posse restituere, sed hisce non jocandum est, cùm musculi affecti ob ramos nervorum quinti paris cerebrum in consensum trahunt, & sæpe animam de sede sua regia præcipitant. Si enim non restituitur, periculum mortis circa diem undecimum cum febre continua & sopore minatur. Propter enim nervorum insertorum vellicationem ac crispationem sæpe dolor, inflammatio, febris acuta, cardialgia, aliaque symptomata oriuntur, unde sæpe mors præ foribus est.

Fistulæ.

Fistulæ sunt curatu difficiles, faciliores verò, quæ in mollibus ac carnosis partibus existunt, hinc notatam maxillæ fistulam in carnosa parte existentem non tàm difficilem curatu esse judicamus, quam illæ, quæ in cartilaginosis, nervosis & excarnibus oriuntur partibus. Sed difficultatem implicat nostra Fistula, quando articulum seu juncturam maxillæ occupat, item quando os, vel nervum, vel musculos læsit, si enim fistula ad os usque decumbat, curari hanc absque manus opera impossibile est, nisi temporis spatio sua sponte squama vel os abscedat. Difficiles & longæ curationis sunt fistulæ inferioris maxillæ, præsertim quæ post dolorem dentium accidunt. Reliqua peti possunt ex superius allegato capite generali *de Fistulis*.

Diæta.

§. 12. Investigata igitur & cognita morbi conditione, curationi quoque aliquot pagellas tribuemus, non enim sufficit omnia hæc nosse, nisi etiam quomodo illa profliganda compertum habeamus. Ante omnia ergò in curatione horum affectuum tota victus ratio convenienter est instituenda, quia supervacaneum est, illis præscribere medicamenta, qui rectam victus rationem servare nequeunt. Hæc consistit in regimine aeris, cibi potusque, motus & quietis, promotione excernendorum, vel retentione retinendorum, moderatione somni & vigiliarum, nec non ipsorum animi affectuum, quæ cuncta à Medicorum vulgo rerum non naturalium nomine quondam, quamvis non ità sapienter, fuerunt indigitata, cavendum etenim ne ulla harum rerum vel excessu, vel defectu noceat. In specie verò observatum fuit, electionem alimentorum glutinosorum & siccorum in tempore consolidationem promovisse, humidorum impedivisse, excandescentiam noxiam fuisse, nimium motum seu exercitium vehementius detrimentum attulisse; deinde alvus aperta semper est asservanda.

Curatio Chirurgica.

§. 13. *Chirurgiam* & *Pharmaciam* quod attinet, veteres *Galenici* soliti fuerũt in Maxillæ inferioris *Immobilitate*

& Pharmaceutica secundùm Galenicos ipsius Maxillæ Immobilitate.

tate pro causarum varietate diversam instituere curationem, coalitum enim maxillæ cum capite ut omnimodò incorrigibilem transierunt, à destillatione verò producta si fuerit immobilitas, sacculos admoverunt discutientes ex herbis salv. beton. agrimon. flor. chamomill. sem. lini, fœnigr. & sale, insuper locum affectum inunxerunt unguento alth. Agripp. ol. Chamomill. rutac. susin. & similibus; in *Fractura* ad inflammationem præcavendam venæsectionem celebrarunt, catharticum exhibuerunt, cucurbitulas admoverunt & partium inferiorum frictionem, tum parti affectæ repellentia imposuerunt & emplastra vulneribus aliàs destinata, uti quoque lintea vino & oleo malefacta, tum partes sejunctas debitè unierunt, unitæ ut contineantur, dentes proximos setas vel auro alligarunt, & tandem partes callo consolidarunt, ægro præcipientes, ut in parte sana decumberet, & cibos molles & liquidos assumeret, non omissis quandoque habenis ab *Hippocrate* inventis, tres digitos latis, & ex molli corio ea parte confectis, qua cutem tangunt, quarumque una inferiori maxillæ parti mentum complexura, altera superiori aurem comprehensura, agglutinatur, & utrimque super verticem alligantur.

Luxationis.

Luxationis curationem ità aggressi fuerunt, ut primo statim tempore id, quod exciderat, reposuerunt, & quo faciliùs hoc obtinerent, partem affectam priùs relaxarunt fotibus convenientibus ex hydrelæo aut decocto fol. & rad. malv. & alth. sem. fœnigr. & inunctionibus, hinc extenderunt, quo spatium sit liberum, ubi articulus queat agitari & in sedem pristinam compelli, & quo citius & commodius hoc peragatur ægrotum resupinarunt subjecto pulvino scorteo, maximè furto, ut quàm minimè cedat, tum minister caput tenuit immotum, & Medicus pollices digitos fasciis obvolutos in os conjecit, reliquos extrinsecus admovit, maxillam fortiter prehendit & deorsum ad guttur adduxit, imperans simul ægroto, ut modicè hiet, ad musculos claudentes relaxandos, quo pacto maxillam hinc inde agitavit, & è regione sinus sui aptè collocavit, in quem tùm Medici aut Chirurgi, tùm musculorum Crotaphitarum ope facile compelli potuit, eoque obtento os arctè ut claudatur præceperunt, ut musculi maxillam ulterius in sedem adducerent, & in ea obfirmarent; ne verò rursus exciderent, quietem injunxerunt, ita ut homo neque loqueretur, nec cibum comederet solidiorem, nec maxillam dimoveret, insimul vinculum admoverunt, pannos & fascias loco affecto imponentes, & super loco eodem fortius adstringentes. Ad propulsandam inflammationem venæsectionem instituerunt, catharticum exhibuerunt, inediam injunxerunt, & pannum cerato liquido aut oleo rosaceo madidum imposuerunt; tandem maxilla satis confirmata vinculum resolverunt, maxillam foverunt, leniter dimoverunt, & medicamento quodam molliente illiverunt, ad duritiē residuam omnimodò discutiendam. Hanc curam utriq; lateri adhibuerunt, si luxatio ab utroque fuerit inducta.

Fistula,

Fistulam Maxillæ ut aliarum partium Fistulas curarunt medicamentis callum amolientibus & agglutinantibus, veratro videlicet nigro eidem imposito, quo duorum aut trium dierum spatio callum elidi promittunt, hinc amurca cocta, affusa & sory crudo aut usto cum pauxillo vini diluto, aut elaterio terebinthina excepto, & in collyrium redacto adhibito, aut, si ad os usque pertingat; nec squama aut os sua sponte abscedat, manuali opera eandem separarunt, aut cauterio absumpserunt, ulcus lixivio ex sarmentis vitis, in quo mel rosatum fuit dissolutum, abluerunt, & emplastro conveniente consolidarunt.

Paracelsi cura in Maxillæ immobilitate.

§. 14. *Paracelsus* Maxillæ *Immobilitatis* curationem aliquando difficilem esse agnoscit, laudat verò ad eandem perficiendam, imprimis Synoviæ vitiis & excrescentiis destruendis interius assumenda arcanum sulphuris, oleum auri, & aquam Tartari; externè axungias animalium quorundam, ut taxi, murmenti, vulpis, sevum cervinum, ol. lumbricor. & balsamos ad membra contracta, potissimùm qui paratur ex terebinth. galban. & gumm. elemi destillatis, quo junctura maxillæ calidè est inungenda.

Luxatione.

Luxationem per restitutionem partis luxatæ curari posse adserit, & quo facilius curatio impetretur, partes emollit balsamo ex axungiis parato, ne verò maxilla restituta denuò elabatur, ligamenta obfirmat emplastro suo oppodeldoch.

Fistula.

Fistulam Maxillæ eodem modo, ut reliquas curare nititur, medicamentis nempe tum internis, tum externis, quæ libro quinto sunt evolvenda, & quia fistularum species non æquè ut reliquæ emplastra & alia medicamenta topica admittit, ea propter ablutiones præ aliis hic commendat, de quibus guttulæ quædam, si fieri commodè possit, per syringam fistulæ ad fundum quovis die bis sunt immittendæ, qualia sunt, aqua mercurialis, oleum Saturni, vel sequens destillatum:

℞. *Ol. laterin.* ℥ iij.
Terebinth. ℥ vj.
Caryophyllor. ℥ i ß.
Destillentur simul per alembicum, & post modum cum sequenti additione destillatio denuò repetatur.

℞. *Mastich.*
Myrrh.
Thur. aa. ℥ ij.
Mum. ℥ iij. *M.*

Abluit etiam intermissis vicibus vino vel aqua salsa, ut nulla putredo remaneat.

Helmontiana cura in Maxillæ Immobilitate.

§. 15. *Helmontius* in Maxillæ *Immobilitate* curanda præter alias intentiones etiam respicit ad Archeum delassatum, quem excitat & corroborat linimentis quibusdam specificis, potissimùm verò axungia humana in quibuscumque tendinum debilitatibus valdè proficua ab eo observata.

Luxatione,

Luxationi restitutionem committit Chirurgis, de qua operatione nihil peculiare admonet, sed aliorum placitis lubenter album adjicit calculum.

Fistula.

In *Fistula* Maxillæ medicamenta edulcorantia commendat, & omnem corruptorem domantia, quæ in ulceribus vetustis aliàs commodè adhibentur, præsertim arsenicum cum nitro fixatum per colliquationem, in hisce aliisque ulceribus præstantissimum, sed non nisi externè adhibendum.

Vuillisii curatio Maxillæ Immobilitatis.

§. 16. Secundum *Vuillisium* Maxillæ *Immobilitas* curabitur correctione tum vitiorum organicorum, prout à superioribus jam fuit commemoratum, tum ipsius convulsionis, cujus respectu spiritus animales à quacumque copula heterogenea sunt liberandi, & influxus eorum in musculos maxillæ est promovendus per fotus ex herbis cephalicis in aqua & vino ardente coctis, & linimenta & emplastra convenientia.

Luxationis.

Luxatio tollitur restitutione partis elapsæ, ubi obstacula prius sunt removenda, & musculi cum tendinibus post restitutionem roborandi, quam administrationem superiores satis jam edocuerunt, quibus in hoc casu Auctor hic omninò adsentitur.

Fistula.

Fistula Maxillæ curatur domando tum nimiam acrimoniam & cavitatem destruendo, tum expletione ejusdem per novam carnis aut cicatricis generationem; quorum prius impetratur Mercurio præcipitato, qui vel per se, vel cum melle rosaceo, aut unguento aureo ipsi cavitati est inserendus; posterius verò unguento de tutia & lythargirio, aliisque emplastris ulceribus profundioribus dicatis, maximè Saturninis.

Sylvii modus curandi Maxillæ Immobilitatem.

§. 17. Ex *Sylvii* sententia Maxillæ *Immobilitas* curabitur restituendo luxationem, aut musculorum paralysin, vel vulnus sanando medicamentis morbis ejusmodi in genere amoliendis accommodatis.

Luxationē.

Luxatio verò ipsa curatur reponendo os Maxillæ elapsum in locum & situm pristinum, quod manibus hic potissimùm peragitur, deinde retinendo & confirmando illud ipsum, ne denuò elabatur, quiete videlicet, abstinentia ab oscitatione, pulvinis & fasciis, nec non emplastris subadstringentibus ex mastiche, colophonia, thure, resina & oleo rosaceo, vel emplastro communi ad fracturas etiam hoc in casu convenientissimo.

Fistulam.

Fistula curatur cavitatem carne laudabili replendo, quod tum demum impetrabitur, quando tunica fuerit ablata, quo peracto ulcus abstergendum & conso-

consolidandum, cui scopo in universum satisfacit mel rosatum cum oleo aut spiritu salis vel Vitrioli, vel unguentum Ægyptiacum in lixivio quodam dissolutum, quibus succedunt unguenta & emplastra ulceribus sanandis idonea.

Cartesianorum ratio curandi Maxillæ Immobilitatem.

§. 18. *Cartesiani* in Maxillæ *Immobilitatis* curatione commode peragenda ipsas advertunt causas, à quibus fuerit inducta, has enim removere student, si possibile est, ne quid remaneat obstaculi, quo minus musculi maxillarum opus suum valeant exercere, quapropter os luxatum restituunt, *Fracturam* iterùm sanant reponendo ossa fracta, & postmodum eadem glutinando sequenti vel simili emplastro.

℞. *Ceræ* ℔ ij.
Resin. ℔ j.
Terebinth. ℥ v.
Ol. lin. ℥ ij.
Pulv. rad. consolid. maj. ℥ viij.
M. F. Emplastrum.

Coalitum in ipsa fœtus formatione factum, ubi ossa maxillæ inferioris ossibus superioris planè sunt connata, incurabilem pronunciant, musculorum verò vitia corrigunt, sive ulcera sint, sive vulnera, sive convulsiones, sive paralyses, quibus in casibus remedia convenientia sunt seligenda, potissimum enim succinata, castoreata & nervina in posterioribus sunt proficua, nec non fotus ex fol. rorismar. salv. majoran. origan. flor. paralys. anth. baccis lauri, mace, lumbricis, in vino coctis, quibus tepidè adhibitis; spiritus etiam limacum, lumbric. salis Armoniaci, essent. castor. & succini sunt illinenda, & internè mixtura ex aq. mirabili, hirund. cum castor. Spir. C. C. syr. flor. Paralys. aliquoties cochleatim est exhibenda.

Luxationem.

Luxationem curant Maxillam ad partem oppositam manibus propellendo, & ita in locum pristinum reponendo, si ab uno latere tantùm contigerit; ex utraque verò parte inducta si sit, caput à ministro fortiter jubent teneri, & maxillam duobus pollicibus ori insertis huc illuc, deorsum nempe, retro & sursum trahunt, donec in situm & locum debitum protuberantiæ ejus restituantur, & ne succi crassiores interstitiis illapsi sint impedimento, tum diaphoretica internè, tum spirituosa externè adhibent, ita enim illi expelluntur ad musculos non modò maxillarum, sed etiam buccarum, & tandem apertis poris sub specie vaporis eliminantur, & penitus discutiuntur, quod fotus præstant ex herbis majoran. salv. chamæd. flor. sambuc. anth. Sulphuris in Spir. vini maceratis tepidè adhibiti, nec non spiritus vini camphorat. aliquoties illitus; restitutam maxillam quiete & emplastro nervino jubent corroborare.

Fistulam.

Fistulam Maxillæ ita curandam aggrediuntur, ut omnium primò tunicam amoveant vel callum medicamentis aliquantum erodentibus seu cauteriis, uti ferro ignito, vel butyro Antimonii, aut mercurio sublimato melli intermixto, & cum turunda adhibito, vel fistulæ illito; nec omninò reiiciunt ab *Helmontio* jam commendatum arsenicum, si ritè sit præparatum, prout *Platerus* in *Praxeos Tom. 2. cap. 17.* id describit, cautè tamen adhibitum, & simul usurpatis internis depurantibus & diaphoreticis, imprimis sequenti mixtura.

℞. *Aq. Ulmar.* ℥ j.
Flor. sambuc. ℥ v.
Essent. vincetox. ʒ ij.
Tinct. Antim. Tartarisat. ʒ j.
Syr. botryos,
Scabios. aa. ʒ ij.
M. Detur cochleatim ter in die.

Unguenta abstergentia quoque in usum ducunt, imprimis ex succis apii, centaur. min. chelidon. melle rosato & terebinthina paratum, vel unguento Ægyptiaco addunt spiritum vini camphoratum, & cum turunda fistulæ insinuant. Ulceræ sic debitè emundato siccantia subjungunt & sanantia, ut linimentum ex vitell ovi ad duritiem cocto, melle rosac. terebinth. olib & myrrha, vel balsamum de Capaiba eidem immittunt, & emplastro stiptico ad perfectam deducunt consolidationem.

Nostra cura in Maxillæ Immobilitate.

§. 19. Nos in curatione morborum horum ita procedimus. Si *Immobilitas* Maxillæ ab ipsius luxatione fuerit orta, maxilla elapsa priùs manu Chirurgi restituenda est in suam juncturam; si verò producta fuerit à succorum corporis stagnantium colluvie, illa amovenda est variis resolventibus, vel dissolventibus & discutientibus medicamentis, in quem finem sacculi ex herbis aromaticis, flor. sambuc. chamomill. sem. aneth. vel sal tostum cum sacculis linteis sæpius tepidè parti affectæ applicentur, vel varia volatilia oleosa applicentur, proinde cõducet balsamus meus volatilis anodynus externus, mille experimentis comprobatus, sæpe illitus, ut & aquæ spirituosæ variæ, aqua nempe mirabilis, epilept. Lang. Hungarica, Anglica, vel potius Angelica ob vires egregias, quas possidet. Interna sudorifera aliaque balsamica interponenda, decocta lignorum, salia volatilia, liquor C. C. succinat. Si à scorbuticis salinis tartareisque particulis in cavitate hac collectis malum fuerit natum, prædictis medicamentis varia antiscorbutica adjicienda sunt, ut sic una fidelia plures dealbemus parietes, ipsis quoque topicis semper antiscorbutica admiscenda erunt. Ubi verò malum ab hystericis aliisque convulsivis motibus ortum habet, egregiè conferunt internè cinnabarina, imprimis pulv. spasmod. castorina, volatilia, succinata, balsamus meus nervinus: externè item conducunt varia antispasmodica; omnibus Palmam præripit balsamus supradictus volatilis anodynus, spiritus enim hisce valde delectantur & ad motum incitantur. Cum verò aliis in locis de remediis hisce latius egerimus, eò Lectorem remittimus, ne cramben bis coctam proponamus, & repetendo toties nauseam pariamus.

Luxatione.

Cura *Luxationis* maturanda est, ne cavitas repleatur viscidis humoribus, tum enim difficulter restituitur. Restitutio verò eodem planè modo, uti à *Galenicis* superius fuit indicatum, manu Chirurgi fieri debet, pollice scilicet maxillæ imposito, & manu reliqua in suam restituatur juncturam, à qua fuerat remota. Dein pars firmetur variis impositis blandè resolventibus, Emplastro scilicet nervino, ad rupturam, imprimis stiptico nostro.

Fistula.

Cura *Fistulæ* Maxillæ est eadem ac aliarum partium, potiones vulnerariæ, quæ acrimoniam corrigunt, & fistulam ad consolidationem præparant. In cariæ Maxillæ superioris extrusum dentem subsecuta *Celeberrimus Zwingerus* Ventriculum & intestina à cruditatibus superfluis liberavit exhibito extracto catholico atque helleborino cum Mercurio dulci, in pilulas redacto, dein ad M. S. & ipsius fistulosi ulceris particulas acido-acres absorbendas & quàm optimè corrigendas, quò minùs acutis suis spiculis vicinas partes amplius erodere & discerpere possent, præscripsit decoctum Taumaticum, ad plures usque hebdomadas matutinis simul & vespertinis horis bibendum suasit, non oblitus Diaphoreticis Jovialis cum Antimonio diaphoretico, Corallis & sacchari Saturni tantillo in pulvere bis quotidie sumendo, redacti, singulis septimanis purgans Mercuriale reiteravit. Dentes cariosos educi jussit, & ulceris cavitatem plumaceolis pulvere euphorbii; atque caryophyllorum conspersis implebat manè & vesperi quotidie, super imponendo labiis fistulæ digestivum ex melle rosaceo cum myrrha, Aloe, Euphorbio, Alumine & Terebinthina, vitello ovi solut. Turundas quoque foramini juxta dentes evulsos dilatando, immitti solitas hoc digestivo inunxit; stipticum Crollii Emplastrum tandem superinjecit: intra 2. mensium spatium cavitas fistulæ omnis carne recenti replebatur, cui tandem cicatrix solo Diapalmæ Emplastro superinducta est, malo nullum hactenus recrudescentiæ vestigium præbente. Sint in juniorum gratiam formulæ aliquot.

℞. *Herb. Heder. terr.*
Agrimon.
Plantag. aa. M. i ß.
Fol. oliv. M. ß.
Rad. liquirit. ʒ ij.
Lign. Guajac. ℥ ß.

Concidantur minutiss. & contundantur, postea in vino albo coquantur, & fiat Colatura, de qua singulis diebus manè & vesperi capiantur 3. cochlearia plena. Vel.

℞. *Herb. Osmund.* M. iij.
Rad. Gentian. ℥ ß.
Summit. centaur. min. M. j.
Caricar. No. v.
Coq. in vino albo & fiat Potio.

Quæ & valde efficax est in ossium corruptorum expulsione. Spir. vini Camph. fistulæ etiam indatur.

Interponenda sunt varia diaphoretica ex Antimonio & Mercurio dulci parata, diaphoreticis enim & diureticis internè ejusmodi fistulæ curari debent.

Topica verò quod attinet auxilia, procedendum est eodem modo, ac in cura aliarum partium fistularum, de quibus vide caput generale *de Fistulis*. Et cùm Gangræna facilè circa Maxillam & Genam in Variolis accedat, & non tantum Fistulam, sed sphacelum & certissimam pedissequam mortem causari soleat, prout multa habemus exempla, in hisce casibus plurimi Chirurgi saccharum Saturni vino incoctum cum fructu loco applicant affecto. Hisce ulcerosis partibus majori cum fructu applicari potest ad mentem *Sylvii* Spiritus salis vel Vitrioli mellè rosaceo ad sufficientem aciditatem permistus, & loco ulceroso illitus, & ne variolæ nimis confluant, illinatur facies Spir. vini myrrhisato ad aliquot dies repetitis vicibus, vel aqua rosarum saccharo Saturni maritata penna illini potest facies, vel Spir. vini Camph. vel decoct. calcis vivæ.

Curam Fistulæ inferioris Maxillæ ab extracto dente productæ, vide *Observ. Chir. Centur. Hildani.*

CAPUT XXV.

DE MORBIS UVULÆ ET TONSILARUM,

De Vvulæ Laxatione, ejusdem & Tonsillarum Inflammatione, Ulceribus & Palati ossis Erosione.

§. I. INtra Oris cavitatem & Fauces continetur & *Vvula*, ita dicta, quia acinum uvæ refert, aliàs & *Gurgulio* vocatur, seu *Gargareon*, à sono illo, qui in gargarismate auditur; item *Columella*, quod parvulam veluti columnam, seu columellam constituat. Est autem caro fungosa ex palato in fauces instar glandis propendens, aeri recens inspirato infringendo, vocisque tono formando dicata, hinc non adeò ineptè audit *Vocis plectrum*, & *D. Braunius* hominem novit, qui ex amissa in morbo uvula nunquam dein potuit voces articulatas proferre, quamvis uvulam absque incommodo in puella à nativitate absentem observavit *Hagendorn. Ephem. Germ. Ann. 2. Observ 239.* contra Dn. *Volgnadius* Columellam duplicem, imò potius divisam vidit in puello, qui labio leporino ita deformatus erat, ut simul palatum ad imas usque fauces fissum conspiceretur.

Circa Palatum glandulæ considerandæ veniunt *Tonsillæ*, nonnullis *Amygdalæ* dictæ, quarum unaquæque in homine ʒ j. pendit, hæ in faucibus inflammatis tumidæ aliquando videntur, & in magnam molem excrescentes, quas Chirurgi imperiti subinde minus cautè exscindere solent, nonnunquam eædem ulcerosæ conspiciuntur, potissimum in iis, qui morbo Gallico afficiuntur.

Vvula Laxatio. *Vvulæ Laxatio*, quod Germanis audit *der Zapffen ist gefallen*, describitur vulgo, quod sit ejus inconcinna & molesta extensio, à serosis humoribus eam nimium humectantibus & fibras ejus distendentibus inducta.

Vvula & Tonsillarum Inflammatio. *Vvulæ* verò & *Tonsillarum inflammatio* describitur communiter, quod sit earum partium tumor cum rubore ac deglutiendi difficultate, à sanguinis in vasculis suis ac humorum in tubulis Tonsillarum ac Vvulæ stagnatione dependens.

Tonsillarum Ulcus & Erosio. *Ulcus* verò *Tonsillarum* ac *Palati Erosio* est continui earum partium dissolutio, ab humoribus serosis acidis acribus, & interdum scorbuticis salsis erodentibus, & fibrulas dirumpentibus inducta.

Pars affecta i. §. 2. *Pars affecta* horum affectuum sunt *Vvula* & *Tonsillæ*. Uvula est illa caro fungosa intra fauces in palatum propendens, cujus membrana subjecta habet nervos plures, qui tacti deglutitioni inserviunt, una cum musculis.

Tonsillæ. *Tonsillæ* sunt glandulæ, quæ congeries sunt plurimorum acinorum, naturaliter pumicosæ, cavernosæ, & glandularum mammalium adinstar flaccidæ sunt, è quibus dum alimenta lingua premuntur, multum humoris elicitur, sed cum reliquis per palatum dispersis glandulis ejusdem conditionis non sunt, plurimum enim tum respectu molis, tum respectu humoris, quem copiosius reddunt, ab illis differunt. Hæ glandulæ sunt contiguæ, quæ acinis constant majoribus & à palatinis reliquis facilè possunt deglubi. Amplum insuper utraque hæc glandula ovalis figuræ habet sinum, intra cujus oram, duo majores, & in majoribus plures minores sinus & ostia triplo quadruplove reliquis palatinis majora conspiciuntur. Hujus glandulæ accuratissimam delineationem vide in Celeb. *NucKii* figura sexta Tract. de *Anatomia salivæ p. m. 69.*

Diagnosis. §. 3. *Laxationis* Uvulæ *Signa* ex ægri & adstantium relatione, vel ex ipsius Medici inspectione patent, nempe quando in longitudinem fuerit extensa, ut quasi super linguam jaceat & ægri cum difficultate deglutiant, quam uvulæ relaxationem comitatur tumor partium circumjacentium, quia tunc catarrhus, non duntaxat uvulam occupat, sed & musculos aliasque partes obstruit oppletque, & ob glandulas obstructas & tumidas à catarrho suffocatio aliquando adest, cumque à lympha crassiori coagulata fit Uvulę obstructio, eadem albet; si à sanguine, rubet, & febris eam sæpe comitatur.

Inflammatio Uvulæ ac Tonsillarum cognoscitur ex earum tumore, dolore, rubore ac deglutiendi difficultate, quamvis ægri ad deglutiendum assiduè impellantur.

Ulcus verò Tonsillarum ac Palati *Erosio* ipsi visui patet, ac eadem adsunt signa, ut in aliarum partium ulceribus & erosionibus.

Ætiologia secundùm Galenicos Vvulæ Laxationis. §. 4. *Causas* quod attinet, Veteres *Galenici* Uvulæ *Laxationem* oriri putarunt ab influxu humoris sive pituitosi, sive biliosi, sive ipsius sanguinis ex vicinis partibus, maximè cerebro debilitato destillationibus obnoxio oriundo, atque simul à peculiari illa dispositione & propria imbecillitate, qua Uvula apta existat ad suscipienda excrementa, & humores pravos paulatim contrahendos; quo referunt causas remotiores, aerem nempè humidiorem & frigidum, vel calidum excedentem, & alimenta vel medicamenta iisdem prædita qualitatibus, frequentius & copiosius usurpata, ut intemperiem quandam humoribus facilè inferant.

Vvulæ & Tonsillarum Inflammationis. *Uvulæ & Tonsillarum Inflammationem* oriri docent ab humoribus acribus, potissimum verò sanguine bilioso in partes hasce influentibus, & non modò tumorem, sed ruborem etiam cum dolore in iisdem producentibus, tum quoque externè ab aere calido acri, cibis valde aromatisatis & asperis, vini meraci copiosiore ingurgitatione, in fœminis verò interdum ab obstructione menstruorum, sanguine ita ad loca illa regurgitante, incalescente & acriore reddito.

Ulcerum & Palati Erosionis. Uvulæ & Tonsillarum *Ulcera* & *Palati Erosionem* excitari volunt ab humoribus salsis, acribus, putridis & erodentibus, vel à vaporibus iisdem præditis qualitatibus & cum aere inspirationem absorptis, tum cibis aut medicamentis erodentibus, exulcerantibus aut vehementer exasperantibus, à quibus omnibus ejusmodi in partibus hisce contingere soleant continui solutiones.

Para-

Paracelsi opinio de causis horũ Morborum.

§. 5. *Paracelsus* hosce Uvulæ, Tonsillarum & Palati morbos ab arsenico resoluto & catarrho ad partes hasce fluente deducit, liquorem enim quemvis scissum & à vera origine deflectentem in emunctorium externum transire asserit, unde primo *Tumor* in Uvula & Tonsillis producatur, dein *Inflammatio*, *Exulceratio* & ossis Basiliaris ad Palatum *Erosio*, deficiente magis balsamo naturæ, quod frequentius contingat in lue Gallica, cum qua catarrhus iste complicatur, & erosio illa Palati tantum capit incrementum, ut ad nares usque pertingens causa sit, ut cibus potusque per nares quandoque reddantur.

Helmontii opinio de causis horũ morborum.

§. 6. *Helmontio* etiam in morborum horum Uvulæ & Palati causis denominandis ad spinam respicere placet, quæ si Uvulæ sit infixa, laticem proritari inquit, hoc verò copiosius influente, *Laxationem* tum Uvulæ, tum Tonsillarum, si temporis verò tractu acrimoniam simul acquirat latex, ipsam sequi Uvulæ & Tonsillarum *Exulcerationem* & ossis Palati *Erosionem*, maximè si latex iste ex primis culinis egrediens, in via salium dissolutorum copulam admittat, à quibus ad hujusmodi exulcerationes promptè disponitur.

Willisii opinio de causis Uvulæ Laxationis.

§. 7. *Willisius* Uvulæ *Laxationem* oriri vult à sanguine multis recrementis serosis & viscidis onusto in partem hanc influente, & substantiam ejus spongiosam nimiùm distendente, unde uvula aucta & quasi prolapsa in faucibus persentiatur.

Uvulæ & Tonsillarum Inflammationis.

Uvulæ & Tonsillarum *Inflammationem* originem sumere affirmat à sanguine in partibus hisce ob lentorem seu visciditatem obstructo, aut extravasato, & ob turgescentiam quandam copiosiùs aggesto, unde rubor, & ob tensionem fibrarum earumque continui solutionem, dolor suscitetur, cui causæ proximæ suppetias ferant remotiores, ut aeris constitutio intemperata, adeoque caloris aut frigoris excessus, pororum in partibus hisce constipatio, ciborum calidorum & potuum ardentium usus, quæ cuncta sanguini intemperiem ejusmodi soleant inferre.

Exulcerationis partium harũ & Palati Erosionis.

Exulcerationem partium harum & Palati *Erosionem* à saliva aut latice acriori corrosivo deducit, partium harum continui solutionem penitus dissolvente, non modo in tenuioribus Uvulæ & Tonsillarum fibris, sed in ipsis etiam Palati partibus durioribus & substantia ejus ossea, quæ ab acrimonia hac liquorum eroditur.

Sylvii opinio de causis Uvulæ Laxationis.

§. 8. *Sylvio* placet Uvulæ *Laxationem* oriri à pituita aut sero per arteriolas ad partem hanc delatis, prævia quadam in arteriolis aut vasis lymphaticis obstructione, unde substantia hæc laxa citra majorem calorem, rubedinem aut dolorem, magis solummodò dilatetur, ita ut tumore quodam absque inflammatione laborare videatur.

Uvulæ & Tonsillarũ Inflammationis.

Ipsam verò Uvulæ & Tonsillarum *Inflammationem* contingere putat à sanguine in spongiosam & glandulosam eorum substantiam ex vasis obstructis, mox & ruptis effluente; &, ni brevi præveniatur, in apostema abeunte, & tandem pus effundente. Obstructionem istam fieri existimat, quoties toto corpore, aut capite saltem cum partibus maximè vicinis ab æstu Solis, foci, balnei, vel potu generoso, vel aromatico, corporis motu vehementi, aut febri ardente &c. incalescente solvitur solito magis pituita & quaqua-versum transfertus, etiam in exigua faucium, Uvulæ & Tonsillarum vasa; per arterias nempe & venas cum sanguine, per vasa verò lymphatica vel cum lympha propria, vel liquore proprio ibidem præparato, & à superveniente confestim frigore nunc aeris ore patulo inspirati, nunc potus imprudenter magna ingurgitati copia denuò coagulatur.

Uvulæ & Tonsillarum Exulcerationis & Palati Erosionis.

Uvulæ & Tonsillarum *Exulcerationem* & ipsius Palati *Erosionem* ab acido valde acri produci docet, sive hoc ex lympha oriatur ex obstructione diuturniore acescente, sive ex abscessu & pure post inflammationem subsequente, & partes non modò molles, sed duriores quoque erodente.

Cartesianorũ judicium de causa Uvulæ Laxationis:

§. 9. *Cartesiani* lymphæ copiosioris in Uvula stagnationem causam pronunciant ejusdem *Laxationis*, quatenus spongiosa ipsius substantia ab ea nimium distendatur, hæcque ita distensa & relaxata prolapsum quendam mentiatur, dum fauces ipsas attingat.

Uvulæ & Tonsillarũ inflammationis.

Ab eadem etiam lympha & sanguine extravasato in Uvulam & Tonsillas effusis, in iisdem stagnantibus & corruptis *Inflammationem* excitari statuunt, dum pori ita angustãtur, ut sola primi elementi materia transgressum per eosdem reperiat, quæ ignea sua dispositione statim calorem, ruborem & dolorem producat, in quibus præter tumorem ipsa inflammatio consistere ab omnibus creditur.

Ulcerum & Palati Erosionis.

Ulcera Tonsillarum & Palati *Erosionem* pronasci dicunt à particulis valde acutis in lympha aut sanguine existentibus, ipsasque fibras dissolventibus, non modò partium glandulosarum, sed etiam ossearum: quod in Scorbuto simul & Gonorrhœa frequentius contingere cum *Paracelso* unanimes fatentur.

Nostra sententia de causa Uvulæ Laxationis.

§. 10. *Nostra* sententia est, Uvulam *laxari* utplurimùm ab humoribus serosis & viscidis catarrhis circa hanc fungosam carnem imperium sibi rapientibus & stagnantibus, sicque fibras carneas dilatantibus & partem hanc extendentibus, unde suffocatio aliquando oritur, quia glandulæ sunt obstructæ & tumidæ, nec non catarrhus in faucibus hæret, easque obstruit, & deglutitionis difficultas in hoc affectu, est, quia musculi œsophagi & laryngis sunt affecti, & ità incipientem Anginam producunt: & febris sæpe adest, ob turbatam sanguinis mixtionem.

Uvulæ & Tonsillarũ Inflammationis.

Inflammatio harum partium utplurimùm oritur, quando sanguis in vasculis suis ac humores reliqui in tubulis tonsillarum & Uvulæ stagnant, ab acido utplurimùm ob aerem acido-nitrosum per inspirationem admissum, qui humores hirca has partes coacervantur ac acescunt, unde exoriuntur tumor, dolor, rubor ac deglutiendi difficultas, sæpe enim in ægris, imprimis in infantibus, observavimus frequentem ad deglutiendum impulsum, cum tamen nihil deglutiverint, hinc existimo, membranam uvulæ subjectam habere nervulos, qui ab uvula inflammata, vel relaxata ac incumbente tacti causa sunt, quod succus nerveus majori copia deferatur in musculos deglutitioni dicatos. Ab obstructione Oesophagi & deglutitio in totum aboletur, quale exemplum habemus *Ephem. Germ. Ann.* 4. & 5. *Obs.* 67.

Ulcerum & Erosionis.

Ulcera & *Erosiones* oriuntur utplurimum à particulis acribus liquorum, fibrulas dilacerantibus & super fauces ruentibus, qui succi salini & corrosivi tantæ sæpe sunt acrimoniæ, ut Uvulam cum Tonsillis corrodant ac sæpe in totum auferant, quorum exempla plura exstant in monumentis Medicorum, & nostra experientia constat; hinc illi utplurimum rauca voce & submissa, non clara loqui possunt, ut rectè dicat *Riolanus lib.* 4. *Enchirid. Anat. cap.* 11. quibus deest gargareon, (uvula) vox rauca evadit, quod & confirmat tanquam testis omni exceptione major Cl. Dn. *Schrockius Eph. Germ. Ann.* 6. & 7. *Obs.* 228. Sic & Oesophagus quandoque corroditur, & homines cum impossibilitate deglitiendi contabescere & tandem mori coguntur, ceu exemplum annotavit Cl. *BeKers*, *Eph. Germ. Ann.* 3. & 4. *Obs.* 67. Deglutitio aboleri & depravari potest in apoplecticis, quando scil. musculi deglutitioni inservientes resoluti fuerint, qui ne guttam quidem bibere possunt sine metu suffocationis præsentissimæ.

Prognosis horum morborum.

§. 11. *Prognostica* omnium optimè & fusissimè fidelis eorum promus condus *Hippocrates* hinc inde tradidit, unde commodè peti possunt. Insuper regulantur juxta symptomatum atrociorum syndromen maximè variantem. Quod Uvulæ *Laxationem* attinet, per se minùs periculosum malum est, nisi in maxima obstructione & tumore Tonsillarum, ubi suffocatio facile accidere potest. *Inflammationem* verò & *Ulcera* omni vacare periculo, absolutè pronunciandum non est, cum sæpe vitæ filum præscindant, quotidiana suffragante experientia. Modus eventus Medico omnia symptomata atque circumstantias probè

be consideranti non potest esse ignotus, constat enim ex hactenus dictis, omnia symptomata à dolore seu face accensa, vel spina infixa dependere. Hinc salus prædicenda, si dolor, rubor ac tumor aliaque symptomata spasmodica remittant; sin Uvula ex Inflammatione nigrescit, & vel nimiùm albet & stupet sensu, facilè putrescit & sphacelatur, ceu nuper id in filia 12. annorum observavimus, & id abscindi curavimus, ne partes vicinæ vitiarentur. *Ulcera* verò Tonsillarum aliquid in recessu habent, quia difficillima sunt curatu, confer *Obs.* 37. *Tulpii*. Si rubescit Uva cum aliqua nigredine, indicat aliquid cancrosi adesse. *Inflammatio* ac *Tumor* Tonsillarum, ut & musculorum Pharyngis aut Laryngis suffocationem inferre possunt.

§. 12. Cura *Diætetica*, & in his affectibus admodum est necessaria, cùm nisi vires suppetant, Pharmacia & Chirurgia suis excidant ausis. Sit igitur *Aer* temperatus, ad calidum vergens, vitetur angue pejus pluviosus ac frigidus, acidus scil. à quo utplurimum oritur Inflammatio Uvulæ & Tonsillarum, item Laxatio, quia ab acido aeris stagnare coguntur humores; sic & frigidum, attestante *Coo.* 5. *Aph.* 20. Ulceribus mordax est doloremque insuppurabilem facit. *Victus* in statu inflammationis sit tenuissimus, in statu autem tumoris plenior, confer *Aph.* 7. 8. 9. & 10. *S.* 1. Pro cibo exhibentur juscula, cremor hordei, aliaque hujus farinæ: caveat æger à crudis, crassis, acidis viscidis, acribus, salitis, infumatis, &c. *Potus* sit decoctum hordei cum pustulis, veronica, rad. liquirit. herb. heder. terrestr. Cerevisia sit assuetis tenuis, vitetur vinum tanquam noxium in Uvæ inflammatione. *Somnus* sit solito largior. *Excrementa* alvi quotidie respondeant, quod si obstructio sentiatur aut alvus segnior sit, prunis laxativis vel clystere leniente injecto sui officii admoneatur. Cumque sanguis cæterique humores facilè stagnent, ubi animi motibus concitantur, eorum proinde excessus qualiscumque moderetur, ira præsertim cane pejus & angue fugiatur, cæteraque pathemata, ne ægrum in transversum rapiant rationis fræno cohibeantur.

Diæta.

§. 13. Curatio *Pharmaceutico-Chirurgica* nunc restat explananda, quam *Galenici* in Uvulæ *Laxatione* seu Procidentia ità instituunt, ut prohibito morbi incremento ad caput ipsum respiciant, à quo humorem pituitosum descendere, & in Uvulam prolabi suspicantur, medicamentis nempe in catarrho aliàs adhibendis, potissimum evacuantibus & exsiccantibus humori peccanti dicatis, tum ad ipsam uvulam, ut partem suscipientem se convertunt, cui remediis exsiccantibus & adstringentibus prospiciunt, liquore videlicet ex origano & hyssopo cum posca contusis, & adjecto caricarum surco expresso & percolato, quo Uvam frequentius jubent colluendam, nec non alio, qui fit ex foliis lauri & apii contritis, & in vino vel decocto lentium dissolutis. Nonnulli eandem, sed minùs tutò, adspergunt pulvere piperis tenuissimo bis vel ter repetito, ut ità pituita copiosior exspuatur, Uva contrahatur, & ad justam redeat magnitudinem, quod alii similiter tentant pulvere gallar. alum. scissil & Sal. ammon. cochleario eidem adhibito; aut sequentis *Asclepiadis* remedio.

℞. *Myrrh.* ℥ j.
Gallar. immatur.
Alum. scissil. aa. ʒ ij.
Pip. alb. ʒ j.
M. terantur subtilissimè, & Uvulæ procidenti cochleario adhibeantur.

Lapis Ageratus ab iis valde etiam fuit existimatus, quem vel solum derasum adhibuerunt, vel aliis convenienter admixtum, quibusque sequens constat formula.

℞. *Lap. Agerati*,
Flor. lap. Asii,
Terr. Sam. aa. ℥ ß.
Alum. scissil.
Croc. torrefact.
Gallar. immatur. aa. ʒ ij.
Terantur omnia in Pulverem tenuissimum.

Non minori tamen efficacia prædituis esse videtur pulvis sequens, eodem modo, quo priores, Uvulæ relaxatæ adhibendus.

℞. *Rosar. rub.*
Balaust.
Myrtor. aa. ℈ iv.
Cor. thur.
Gallar. immatur. aa. ℈ ij.
Piper.
Cinamom. aa. ℈ j.
M. F. Pulvis.

Ne verò aridis istis in faucibus & palato asperitas quædam suscitetur, post eorum usum partes hasce aliquoties abluunt decocto hordei cum rad. liquirit. pyreth. & Zinzib. in aqua vel vino parato. Quando verò remediis hisce morbum haud propulsari posse advertunt, & Uvula in tantum increverit, ut in fauces propendens suffocationem minetur, ad Chirurgiam illicò pergendum esse monent, & Uvam volsella prehensam præcisione in tantum minuendam, quantum inutile & deglutitioni obstaculo esse videbitur, quod commodè fit, si ægro loco luminoso exposito, os ejus latè diducatur, Uva forcipis extremo arripiatur, & ità torqueatur, ut citra magnam sanguinis effusionem ea pars, quæ infra forcipem est, tantæ magnitudinis, quæ sufficere judicatur, instrumento excisorio adimatur, & operatione hac peracta os colluatur posca diluta, aut decocto, vel succo plantag. & symphyti, vel si sanguinis effusio sisti nequeat, decocto rosar. & balaust. in quo trochisci de carabe vel de terr. Lemn. fuerint dissolutis. Interdum etiam cauteriis eandem absumunt, & partem combustam posteà vel lana aut stuppa extergunt, vel decocto hordei frequentiùs colluunt.

Inflammatione.

Inflammationem Uvulæ & Tonsillarum, præmissis aliquando purgantibus, venæsectione, hæmorrhoidum provocatione, hirudinum & cucurbitularum applicatione, pro materiæ effluxu promovendo, remediis quoque adstringentibus & repellentibus abigere conantur, mediocribus quidem, si fluxus humorum fuerit mediocribus validioribus verò, si ille sit vehementior. Ad priora referunt collutionem ex palmulis in aqua factam vel sola, vel addito pauxilo mellis, nec non aliam ex pluribus concinnatam simplicibus, ut rosis, balaustiis, pampinis vitis, rubo canino, hedera, lentisco, terebinth. rhamno, aspalatho, siliquis, malis austeris, pyris & sorbis. Fortioribus si opus sit, gargarismata parant ex baccis myrti, cotoneis acerbis, mespilis, cornis, cortic. nucum virid. gallis, rhoe coriario, vel fructu myricæ in aqua coctis, aut pulveres ex rosis, hypocistide, cypero, rheo, & alumine scissili cochleario adhibent. Quando verò malum adeò vehemens existit, ut remedia hæc eludat, prioribus admiscent discutientia, ex iride, myrrha, & thure, respiciendo simul ad dolorem urgentem, quem leniunt lævorem inducentibus, adeòque dulcibus & pinguibus. In casu graviori, alvo prius subducta, gargarismata propinant ex lotura lupinorum, cremore ptisanæ, decocto ficuum cum hyssopo, auribus oleum amygd. dulc. instillant, & locum externè spongiis expressis leviter fovent, aut cataplasma imponunt ex farin. hord. sem. lini, fœnigr. ut suppuratio, si in eam malum vergere conspiciatur, commodè adjuvetur. Si verò hæc impetrari nequit & deglutitio adest difficilis, ita ut strangulatio metuatur, enemate acri alvum eluunt, hinc venam in cubitu vel sub lingua secant, & cucurbitulas cum scarificatione collo & mento apponunt, partem affectam fovent decocto origani, hyssop. saturej. in aceto facto & in olla adhuc fervente, vapore saltem per arundinem in os admisso, aut nitro, origano, sem. nasturtii, & oleo in posca mixtis eodem modo fotum instituunt.

Exulceratione.

Exulcerationem ab humoribus acribus in partibus hisce excitatam & adhuc superficiariam curandam sibi præsumunt medicamentis cicatricem inducentibus, collutionibus nempe ex vino, cui balaustia, malicorium, gallæ immaturæ, folia myrthi, oleæ, & sumach fuerint incocta, & earum aluminis dissolutum,

solutum, vel mysi crudum cum vino adstringenti adhibent, nec non linimentum ex butyro recenti cum balaustiis vel succum portulac. & plantag. aut apii cum melle rosato permistum. Ulceri verò sordido & depascenti validiora admovent detergentia, ut æruginem æris, aut mysi cum vino, aut chalcitidem cum oleo tritam, nec non pulverem alum. usti cum melle rosaceo, vel sequentem magis compositum.

℞. *Alum. ust.*
Irid. sicc.
Acac.
Sang. dracon.
Bol. Armen. aa. ℥ j.
Rhois ℥ ij.
Adorcis ℈ j.
M. Pulverisentur & melle rosaceo excipiantur.

Frequentius abluere jubent os muria aut vino, in quo bolus Armena fuit dissoluta, & ubi antedicta nihil efficiunt, ad caustica & crustam inducentia pergunt ex chalcitide, chalcantho, &c. paranda. *Erosioni* Palati eadem fermè adhibent, non omissis illis, quæ cariei conducunt, si os profundius sit erosum, qualia sunt euphorbium, flores æris, antimonium ustum, rad. dracont. ust. pulverisat. & melle rosaceo excepta, ut linimenti forma commodè queant admoveri.

Paracelsi cura morborum horum.

§. 14. *Paracelsus* curationem horum morborum arcanis peragendam esse præcipit, laudatque potissimùm in Uvulæ *Laxatione* & *Inflammatione* Tonsillarum aquam prunellæ, vel sequentem gargarismum ad branchum aliàs convenientissimum.

℞. *Pyreth.* ℥ j.
Succ. Hypericon. ℥ ij.
Persicar. ℥ iij.
Oxymell. scyllit. ad pondus omnium.
M.

In *Exulceratione* harum partium sequens remedium satis habetur commodum.

℞. *Liquor. Mum.* ℥ j.
Succ. Persicar. ℥ ij.
Acat. commun. ℥ iij.
F. Mixtura.

Sed opportunè satis admonere videtur, ut in Ulceribus hisce & Palati *Erosione* simul ad morbum Gallicum dirigatur curatio & catarrhus depellatur, quod, peragitur iisdem fermè remediis, quæ morbo isti conveniunt, & putredinem prohibent, ea enim abacta brevi integram sanationem subsequuturam esse promittit.

Helmontii cura Uvulæ Laxationis.

§. 15. *Helmontii* sequaces in Uvulæ *Laxatione* & Procidentia ovum ad duritiem coctum & coronæ capitis impositum commendare solent, ut singulare quoddam remedium, quo eadem denuò attollatur, & in pristinam formam restituatur.

Tonsillarũ & Uvulæ Inflammationis.

Ad Uvulæ & Tonsillarum *Inflammationem* auferendam satis sufficiens Autori huic habetur medicamen, si cinis hirundinis partibus hisce insuffletur, vel pro disponendo Archeo, ut se à spina liberet, nec adeò promptè excandescat, filum sericum rubrum, quo vipera fuit strangulata, collo jubet circumligare.

Ulcerum.

In *Ulceribus* partium harum & Palati *Erosione* terram vitrioli edulcoratam singulariter commendat, quæ vel gargarismis, vel linimentis addi potest & ità ulceribus adhiberi, vel per se pulveris forma inspergi.

Wvillisii cura in Uvulæ Laxatione.

§. 16. *Willisius* in Uvulæ *Laxatione* curanda, non parvam catarrhi rationem habendam esse suadet, qui pilulis succinatis imminuendus, aliisque decoctis & destillatis ex lignis & herbis cephalicis, dehinc Uvula ut nimiam assumptam humiditatem reddat & pristinam acquirat magnitudinem, eidem subadstringentia & exsiccantia quædam pulveris aut gargarismatis forma admovet, qualia sunt pulvis ex myro balanis citrinis ustis, gall. immatur. C. C. ust. & alum. saccharin. gargarismus ex decocto salv. pyrol. rad. bistort. flor. balaust. & Nuc. cupress. in vino & aqua facto. Capiti etiam emplastrum imponit catarrhum exsiccans, quale est de betonica & mastiche.

Uvulæ & Tonsillarũ Inflammatione.

In Uvulæ & Tonsillarum *Inflammatione* ad sanguini conciliandum fluorem, & à lentore eundem liberandum, venæsectionem admittit, & interdum, ubi simul alii peccant humores, laxationem & purgationem, quibus præmissis, ipsis partibus debita adhibet remedia, qualia sunt gargarismata ex decocto rosar. liquirit. & passular. addito nitro & rob. dianuc. vel aq. plantag. & veron. cum Sale ammon. sacch. Saturni, & oxymell. simpl. si verò major. timeatur continui solutio, herbas vulnerarias, ut fœnicul. pyrol. plantag. &c. in lacte coquit, & pro collutione aut gargarismate exhibet.

Ulceribus.

In *Ulceribus* partium harum & *Erosione* Palati præter antedicta infusionem lapidis medicamentosi; aut vitrioli camphorati in usum ducit, tanquam remedia morbis hisce summopere proficua.

Sylvii modus curandi Uvulæ Laxationem & Inflammat.

§. 17. *Sylvius* tàm in Uvulæ *Laxatione*, quàm ejusdem & Tonsillarum *Inflammatione* sudorifera laudat ex antimonio diaphoretico, & salia volatilia intus assumpta, deinde collutiones ex decocto fragor. & fol. salicis, cum pauco Sal. Armoniaci crudi in eodem dissoluti, vel Spiritu ejusdem guttatim addito, quibus obstructio quævis facilè reseratur, cujus rei gratia & foris varia adhibet unguenta & cataplasmata dissolventia.

Tonsillarũ Ulcera & Palati Erosionem.

Ad *Ulcera* Tonsillarum & Palati *Erosionem* gargarismata itidem commendat ex decocto aut emulsione hordei cum melle rosato & pauco spiritu Vitrioli, ne acrimonia sua partes hasce aliasque circumjacentes plus lædat, sed acrimoniam in ulceribus existentem corrigat, ulceraque emundet, delineet & exsiccet: ad acidi verò in *Erosione* Palati acrioris existentis majorem concentrationem pulverem sangu. dracon. cretæ & simil. syrupo aut rosato admista laudat linimenti forma admota.

Cartesianorum methodus curandi Uvulæ Laxationem.

§. 18. *Cartesiani* ad solvendam lymphæ stagnationem in Uvulæ *Laxatione* sudorifera magno habent in pretio, & gargarismata non modò subadstringentia, sed quæ particulis etiam volatilibus stagnationi occurrunt, qualia sunt decoctum salviæ, alchimillæ, flor. acac. malv. arbor. rad. tormentill. & in quo Sal. Armoniacum fuit dissolutum, vel spiritus ejus ad ℥ ß. & ultra instillatus, quem singulariter prædicant. Quando quoque simul adest inflammatio, in decocto hordei dissolvunt nitrum vel sal prunellæ, vel aqua fol. querc. & fragar. addunt saccharum Saturni & mixtura hac pro gargarismate utuntur. Quin pulverem nuc. cupressi cochleari adspergunt, & si hujusmodi remedia aliquoties adhibita non juverint aqua sublimata eandem quandoque tangunt, vel putrefactam abscindunt, ne vicinæ partes simul corrumpantur. Tabaci fumum non temnunt, si lympha tenacior existat.

Uvulæ & Tonsillarũ Inflammationem.

Similem curam enim adhibent Tonsillis *inflammatis*, in quibus etiam pro faciliori pororum apertione sequentem exhibent mixturam gargarisando, aut potius in ore calidiusculè detinendo usurpandam, præsertim si morbus nondum egerit radices.

℞. *Aq. Malv.* ℥ iij.
Flor. sambuc. ℥ i ß.
Spir. vin. camphorat. ℥ ß.
Mell. Mercurial. ℥ j.
M.

In statu verò decoctum althææ cum ficubus in lacte paratum egregium promittunt præstiturum esse juvamen.

Earum Ulcera & Palati Erosionem.

In Ulceribus Tonsillarum mundificantia usurpant, hinc abstergentia & consolidantia, quæ sunt præter decoctum althææ in principio adhibitum, decoctum de Tormentilla, de Veron. & fol. querc. cum nitro & melle rosato; in sordidioribus verò æruginem æris cum melle rosato, vel aquam viridem *Hartmanni* in usum ducunt, quam in Erosione quoque Palati maximopere laudant, in qua & decoctum ligni Guajaci, aliaque Lui Venereæ convenientia substituunt, si malum morbo huic sit conjunctum; in profundiore verò carie linimentis ex melle rosato aliisque convenientibus paratis, etiam salis Saturni & olei Antimonii paulum admiscere consuescunt.

Nostra Cura in uvulæ Laxatione.

§. 19. Nos denique existimamus, in *Laxitate* Uvulæ eò respiciendum esse, ut humores viscidi illic stagnantes ac coagulati resolvantur, in quem finem conducunt varia gargarismata & topica quædam convenientia. Sic Celeb. *Muys* Uvulam relaxatam in semetipso sæpius restituit, dum apice digiti solo spiritu Sal. Armoniaci madefacto eandem blandè tangebat. Vel detur sequens vel simile decoctum pro gargarismate.

℞. *Herb. Uvular.*
Prunell.
Plantag.
Beton. aa. P. ij.
Gallar. ℥ j.
Flor. rosar.
Balaust. aa. P. j.
Decoq. in Aq. Colat. add.
Mell. rosat.
Rob. nuc. aa. ℥ j.
M.

Et quia interdum principium inflammationis adest, leniter adstringentia admitti possunt, v.g. ex rosis rubris, balaust. &c. Sic

℞. *Flor. plantag.*
Ligustr.
Portulac. aa. M. ij.
Hord. mund. P. j.
Flor. ros. rub.
Sambuc. aa. M. ß.
Cort. mal. granat. ℥ j.
Sem. cydon.
Malv. aa. ʒ ß.
Coq. in aq. Colat. add.
Salis prunell. ʒ i ß.
Rob. dianuc.
Diamor.
Mel. rosat. aa. ℥ ß.
M.

Vel in decocto hord. dissolv. nitr. pp. Vertici alii applicant ovum recens ad duritiem coctum per medium dissectum, pulvere thuris conspersum; alii emplastrum suspensorium ex fermento panis cum thure, succino, & mastiche superiori capitis parti imponunt. Uvula tangatur sæpius spiritu vini, vel aqua Regin. Hungar. & mirabil. sed cavendum sedulò, ne fiat incommodum uvæ ab instrumento, quare non malè illinuntur ejusmodi instrumenta, qualia describit *Bartholinus Observ. Ann.* hodie utimur communi spatula. Si enim vis inferatur Uvulæ, facilè Gangræna oritur. Uvula verò sphacelata abscindenda est, ne partes vicinæ inficiantur. *Aquapendens* forcipe exiguo abscindit, & peracta abscissione ferrum calens non candens applicat: confer *Bartholin. Act. Haffn. Vol. 3. Obs. 13.* aliàs non est pars hæc abscindenda. In causa pituitosa non tantus oritur metus Gangrænæ ab adstringentibus, quàm si est à causa salina, ubi ergò adstringendum, convenit decoctum granator. vel aliis additur Tinctura lap. hæmatitis. Cura relaxatæ uvulæ mira est, quam describit *Hannemannus Decur. 2. Ephem. Germ. Observ. 56.* qui una manu ægri manum apprehendit, altera fricat brachium duos digitos supra pollicem altum, illic etiam tempore Procidentiæ Uvulæ exiguos nodulos sub cute percipere & tangere licet; & plures hoc modo à malo isto liberatos novit.

Uvulæ & Tonsillarũ Inflammatione.

In *Inflammatione* Uvulæ ac Tonsillarum totius rei cardo in eo vertitur, ut coagulati humores dissolvantur, ac obstructiones recludantur, vesicatoria applicentur, dein ad sudorifera confugiendum. In Inflammatione Gurgulionis convenit præ aliis Nitrum fixum, saccharum Saturni, Aqua prunell. &c. Ex. gr.

℞. *Aquæ prunell.* ℥ iv.
Sal Nitri fixi ʒ j.
Syrup. Semperviv. ℥ j.
M. pro Gargarismo.

Topica enim sæpius sola sufficiunt, imprimis Gargarismata, quæ acidum temperant, coagulatos humores dissolvunt, ac obstructiones reserant. Sequens experientia multa comprobatum est.

℞. *Aquæ flor. sambuc.* ℥ iv.
Asthmat. sine sacch. ℥ j.
Spir. vin. ʒ ij.
Sal. Armoniaci gt. xx.
Flor. sambuc. ʒ ß.
M. D. ad vitrum.

In faucium affectibus Sal Armoniacum vires habet singulares in liquoribus solutum, & instar gargarismatis usurpatum. In faucium æstu succus sedi optimus est, imprimis cum Sale Armoniaco vel illitus, vel ut gargarismus adhibitus. Sic & prunella propter vim vulnerariam conducet sequenti modo.

℞. *Herb. prunell.* M. j.
Summ. ejus M. ij.
Alb. græc. ʒ ß.
Coq. in aq. & vin. & add.
Spiritus vin. ʒ j.
Mell. ros. ℥ ij.
M. pro gargarismate.

Vel phlegma Armoniaci, vel nitrum addi potest, cum ingenti ægroti levamine. Vel

℞. *Herb. succis.*
Scabios.
Beton. aa. M. j.
Alb. græc. ʒ ß.
Mell. ros. ℥ ij.
Coq. in Aquæ q. s. & hoc crebrius utere pro gargarismo. Sic & in Tumore Uvulæ ac Tonsillarum vinca pervinca decoquatur in vino, quo crebrò os eluatur, quod egregiè juvat. Sal Armoniacum in Inflammationibus Tonsillarum est egregium, quia solvit & dissipat, idemque efficit in prunella febrili cum succo semperviv. maj. vel succo Cancrorum fluv. adhibitum instar gargarismatis. Nidus hirundinum usitatissimum est remedium contra Anginam & Inflammationem Tonsillarum; verum nidus nil valet, sed potius excrementa nitrosa, quæ in eo reperiuntur, vi enim hac nitrosa ardorem compescit & maturationem promovet. Fiat ergò cataplasma cum Aquæ simpl. hunc in modum.

℞. *Nid. hirund.* No. j.
Flor. sambuc. M iiij.
Cæpar. integr. (quæ tamen in delicatioribus omittantur) vel *Rapar.* No. ij.
Conscind. contund. & coq. in Aquæ simpl. decoctum ad mollitiem subigatur cum ol. chamomill. F. l. a. Cataplasma, quod regioni Tonsillarum applicetur.

Tumorem faucium præservat frequens linguæ scalptio, testante. *Hornio in Arca Mosis.*

Inflammationi harum Tonsillarum optime quoque conducit ol. amygd. dulc. externè illitum, item emplastrum de meliloto, & gargarismus ex magmate pini cum aqua fontan. paratus & debitè adhibitus. Abscessus si fuerit in partibus hisce collectus, lancetta venit aperiendus, ut materia purulenta exitum reperiat, ea enim ejecta tumor & dolor facilè cessabit, ulcus verò antedictis mundandum est & sanandum.

Ulcere & Palati Erosione & Prolapsu.

In *Ulceribus* enim Uvulæ & Tonsillarum, nec non ipsius Palati *Erosionibus* acrimonia corrosiva tum lymphæ, tum aliorum liquorum est corrigenda & mitiganda, hac enim correcta ulcera illa facilius sanantur, ea de causa præ aliis hic in usum ducenda veniunt sudorifera, ut decoctum ligni Guajaci, sassafras, rad. sarsaparill. scabios. personat. herba veron. card. benedict. scord. &c. Tinctur. Antimonii, Antimonium diaphoret. & similia. Præter interna vulneraria ad topica etiam transeundum: ubi ergò adstrictione opus est, convenit Rob diamorum, in exulcerationibus hisce optimum remedium. Sic & succus ligustri ejusque aqua destillata, vel decoctum in exulceratione faucium sub gargarismatum forma usurpata, egregia sunt remedia, vel succus ejus cum melle illitus euporiston est remedium. Pro exulceratione detergenda sequens conducet.

℞. Un-

℞. *Unguent. Ægypt.* ℥ ij.
Mell. rof.
Diamor. aa. ℥ ß.
Sacch. Saturni ℥ ß.
M.

Dein os eluatur sequenti.

℞. *Aquæ Calcis vivæ* ℥ iv.
Succ. solan.
Chelidon. aa. ℥ j.
Mercurii sublimat. ℈ j.
M.

Scorbuticis semen mespili in gargarismis ad faucium exulcerationem & inflammationem cum commodo usurpatur, item semen cucumerum, quia in hoc multum alcali latet.

Ulcera tum Uvulæ tum Tonsillarum curantur uti lues Venerea, salivatione scil. instituta, vel aliis sudoriferis; confer caput generale de Ulceribus, item *Zodiac. Med. Gall. Ann.* 4. & 5. Si ulcus externam simul occupat maxillam, injiciatur sequens decoctum raro fallens & mille experimentis comprobatum.

℞. *Herb. Card. bened.*
Scord.
Veronic. aa. M i ß.
Rad. aristol. rotund. ℥ ß.
Ocul. Cancrorum ℥ j.
Myrrh.
Aloes,
Mastich. aa. ʒ i ß.
Coq. s. a. in vino, ac Colatura pro injectione ad usum servetur.

In ulcere cancroso ora occupante proficuus est pulvis ex ranis aquatilibus, gammaris & C. C. usto compositus.

Ulcera Palati os occupantia insanabilia sunt, quia os Palati est maxime porosum, & cùm sit pars declivis & madida. Partes *cariosæ* debent separari oleo cinamomi mixto cum oleo sublimati, quo remedio in segregandis celeriter ossibus non vidit nec legit præstantius Celeb. *Tulpius Obs.* 37. Laminam argenteam cum annexa spongia hisce partibus imponendam suadet modo laudatus *Tulpius*.

Prolabitur quoque nonnunquam Palatum, quod fit ab humore seroso illic concluso & ab acido stagnante. Vidit hunc tumorem idem *Tulpius* in Palato adeò celeri ac pernici cursu aliquando exortum, ut vix licuerit cogitare de gargarismate, nedum de aliis remediis, præterquam de sola scalpelli incisione, qua dextrè & festinanter instituta vidit non modo effluxisse inde multum aquæ, sed tumescente palato protinus ad se rediisse hominem morti proximum. Si ex quacunque causa contingit, ex. gr. gangræna uvulæ quandam partem corrumpi, aut illam absque inflammatione ita elongari, ut ad fauces propendens has assiduis irritationibus ad tussim stimulet, vel suffocationem minetur, extirpatione opus est illius, quantum vel magnitudinem naturalem excedit, vel ita corruptum, ceu in lue venerea accidere solet, ut nulla arte aliàs curari queat. Ad hanc operationem administrandam uti solent Chirurgi vel filo, vel instrumentis secantibus vel adurentibus. Filum applicatum in subjectis delicatis, & ad hæmorrhagiam vitandam applicando hoc vel mediante instrumento, quod *Hildanus Cent.* 2. *Obs.* 21. delineat, vel quod *Guilleaume pag.* 503. commendat. Sic quoque uvula constringi & nodo firmari valet, ut ejusdem extrema extra os propendeant, & uvula secundo vel tertio decidat die. Instrumenta secantia vel forficula communis, vel staphilotomum magis approptiarum. Illa qui utuntur columellam volsella comprehendunt, eam aliquando protrahunt, & sub hac quantum convenit, resecant: quamvis Aquapendens volsellæ usum negligat, & depressa saltem per speculum oris lingua, uvulam præcidat. Singulare verò & huic negotio aptissimum est instrumentum à *Bartholino C.* 2. *Obs.* 88. delineatum. Abscissa portione ad hæmorrhagiam impediendam nonnunquam sufficit collutio vel pulvis adstringens instrumento applicatus: Vel saltem liquore styptico nostro applicato. Ferrum ignitum reiicimus tamquam crudele remedium, licet Aquapendens minùs ignito sed probè tantum calefacto utatur ne caruncula hæc exilior sub igniti ferri contactu magis quam par est absumatur. Cauterium pro exstirpanda uvula à pluribus adhibetur: pro actuali utuntur instrumentis ex Hildano & Sculteto modo allegatis. Potentiali verò inservit cannula eadem ab Hildano delineata, à cujus foramine extremitas uvulæ excepta caustico medicamine immisso aduri solet, cujus ne aliquid super linguam decidat, speculo oris hic prius tegi & muniri debet, sufficit Ol. Vitrioli aut simile, quod mediante stylo bombace instructo applicatur: aut cochleari tantillum caustici seu fluidæ seu solidioris formæ, imponatur, hocque uvula contrectetur. Si ad primum statim corrosivi contactum columellæ extremum nigrum evadat, sufficienter hoc cauterisatum est: sin verò colorem haud mutet, repetatur caustici applicatio, quo facto vel Aqua communi, vel plantaginis, vel vino rubro eluatur.

FINIS LIBRI PRIMI.

JOHAN.

JOH. DOLÆI ENCYCLOPÆDIÆ CHIRURGICÆ RATIONALIS.

LIBER SECUNDUS.

De Morbis Thoracis.

CAPUT I.

DE FAUCIUM MORBIS,

Angina, & Glandularum Colli Tumoribus.

§. I.

LUstravimus hactenus præmunimenta Metropolis Microcosmetoris, nunc pergimus ad externa præmunimenta Regiæ sedis Cardimelechis, hoc est, ne Oedipo opus sit, ad externos Thoracis Affectus, inter quos prima acie stant morbi *Juguli & Faucium*, quæ Fauces quantę necessitatis ad mortalium vitam continuandam utilitatis sint, *Respiratio* nos docet, quæ vitę adeo est necessaria, ut ejus fructu carere ad tempus aliquod nemo queat. Respiratione enim spiritus reficiuntur, cumque ad actionem aliquam exercendam in machina instrumenta necessariò requirantur, non abs re erit, si paulum circumspiciamus, quænam instrumenta ad respirationis actionem perennandam concurrere debeant. Sunt autem illa Oris & Narium patentes hiatus, Larynx, & Aspera Arteria. Verùm enim verò quam insignia respirationis in statu sano continuatio libera hominibus adfert emolumenta, tam infinita e contra impedita in statu morboso parit incommoda. Quid enim molestius est in apoplexia, quid periculosius in suffocatione hypochondriaca, in asthmate scorbutico, in dyspœa quàm respirandi difficultas? Attamen omnia hæc incommoda ab ægris faciliùs feruntur, à læsis quia proveniunt pulmonibus & thorace, neque subitam minantur suffocationem, sicut læso Larynge in Angina accidit, quo in casu horrendum & visu miserabile suffocationis periculum acceleratur, crudeliorem trucidationis speciem, strangulationem æmulans, qua nulla violentior, ut nisi maturè remediis ęgrotus sublevetur, omninò Cardimelechis nostri, Regis Thoracis, extinctio subitanea (quia satellitibus suis destitutus propugnaculis hisce cordis prospicere nequit) metuenda sit. Ordine ergò semel proposito affectus potiores Faucium, nempe *Anginam*, & Glandularum adjacentium externarum seu jugularium morbos examinabimus. Dicitur autem prior affectus Latinis *Angina*: sic legitur apud *Plautum Mostell. Act. 5. Scen. 3.* Vellem in *anginam* verti, quo huic veneficæ fauces præoccuparem; & *Demosthenes* cum à Legatis Milesiorum pecunia corruptus dicere contra eos, quod pridie fecerat, postridie recusasset, Anginam se pati dixisse fertur, sive, ut *Gellius N. A. lib. 11. cap. 9. p. m. 259.* recenset, Synanchen, cui tamen ex populo quidam lepidè contradicens, eum argyranchen potiùs pati exclamavit. Dicitur autem Angina ab angendo, vel Græcè ab ἄγχω strangulo, suffoco, vel ab ἀγχύνη laqueo, derivari videtur. In hoc quidem affectu qua si laqueo collum constringitur, liberaque spiratione prohibita miser homo, nisi opportunè occurratur, derepente suffocatur ac strangulatur. Gręcis verò audit κυνάγχη, aliis συνάγχη, sed malè plura nomina excogitarunt Medici, cùm inde nullum commodum resultet, sed potiùs confusio Medicis pariatur. Barbaris Squinantia dicitur, quibusdam Germanicè *die Braune*, Prunella, sed perperam, cum sit diversus ab hac affectus & linguæ saltem symptoma, conjungitur tamen aliquando cum hac, meliùs *Halss-Geschwuar, oder rothlauffische Entzundung desz Halses* dicitur: Latinis Inflammatio musculorum aliarumque pärtium in isthmo faucium existentium. Reperiuntur in monumentis Medicorum plures, quam in praxi semper observari possint, affectus hujus differentię, illam enim, quę est ab Inflammatione musculorum internorum faucium & Laryngis sine tumore κυνάγχην; quæ in externis hæret, παρακυνάγχην; quæ cum tumore internos musculos prehendit, συνάγχην; quæ externos, παρασυνάγχην vocarunt, ad quas insuper alii ut quintam speciem eam referunt Anginam, quæ à luxatioae vertebrarum colli oboritur, & quam nos in aliud caput reponemus. Distinguunt etiam tam veteres, quam recentiores Medici Anginam in exquisitam & notham. Notha, quam alii albam dicunt, febris expers est, & occupat fauces orisque interiora, & hanc speciem Germani *den weissen Ansatz* dicunt. Rara est illa species Anginæ, cujus mentio fit *Ephem. Germ. Ann. 2. Obs. 14.* ubi Amygdalis membrana quædam & petiolum longum accrevit, & tandem in racemo similem extremitatem, quæ tamen remediis per tempus adhibitis decidit, tàmque dura fuit, ut cultro vix scindi potuerit. Sed ejusmodi distinctiones nobis habentur inutiles, meliùs dicitur, species illas differre secundùm magis & minùs.

Angina.

Eius Etymologia.

Synonyma.

Differentiæ.

Glandularum Colli Tumor.

Glandularum Colli Tumor est earundem nimium incrementum, à majori lymphæ aut liquoris nervei collectione, & ab acido plus minus austero in eodem vel in glandulis restante coagulatione seu inspissatione pronatum. Tumor hic quando ob acidum acrius immistum varias fermentationes præter pororum obstructionem inducens, cum dolore, & calore, & rubore est conjunctus, vocatur *Inflammatio*, quam in superioribus lib. 1. cap. ultimo, adeoque huic quàm proximo in Antiadibus, seu Tonsillis inflammatis sufficienter jam reddidimus cognitam, quum nulla inter hosce affectus existat differentia, nisi ratione partis affectæ, quod maximè sequens paragraphus clariùs enucleabit.

Pars affecta Anginæ.

§. 2. *Pars* itaque *affecta* ipsius *Anginæ* est larynx cum suis musculis, tàm communibus, quàm propriis. Larynx est Tracheæ arteriæ caput, principio Oesophagi superjacens, quinque cartilaginibus suis musculis instructis compositum: aeri in Pulmones admittendo, vocisque modulatui dicatum. Cartilaginum, ex quibus componitur, prima Thyroides dicitur, seu scutiformis, eo quòd scutum quadratum antiquorum referat. Secunda Cricoides seu annularis instar annuli rotunda totum ambit laryngem. Tertia & quarta Arythænoides seu Guttulares dicuntur, quia processus earum

rum ita uniti sunt, ut in medio rimulam, per quam aer intrat & exit, relinquant, qua conjunctione Gutturnium referunt. Quinta Epiglottis figura sua Linguam refert, & sæpe rimulam à priorum conjunctione efformatam, porrigitur versus gulam, ut cibum potumve ab ea rimula arceat, dirigat è contra in œsophagum, Musculi laryngis sunt perexigui brevesque, ab insertione sua & ortu denominantur, suntque varii, de quibus videantur Anatomici. Nec tamen excludendi hic sunt musculi in radice Linguæ ossis hyoidis, Gargareonis, Tonsillæ & Amygdalæ, vel Paristmia & Antiades dicti, qui omnes oris communi tunica teguntur atque venas à jugularibus accipiunt. Partium interim harum à gutture longius distantium inflammatio Anginam non parit, nisi malum faucibus hæreat, id est, parti ex gutture & gula constitutæ communicatum respirandi impedimentum afferat. *Paracelsus* & ejus asseclæ hoc subjectum latius extendunt, septemque membra principalia constituunt. In Angina ergò Pharynx cum summitate gulæ, Larynx cum aspera arteria, ac denique Tonsillæ, uno nomine partes omnes in Faucium Isthmo contentæ inflammantur, imprimis verò ea pars, quæ Pharyngem & Laryngem constituit, (Tonsillæ verò in Angina notha afficiuntur,) ac imprimis partium harum musculi, tam interni, quam externi superius dicti; hinc & subinde glandulæ harum partium, tàm Antiades seu Tonsillæ, quam Thyroidææ circa Laryngis sedem humiliorem, & ad latera cartilaginum thyroidis, cricoidis, & primorum aliquot arteriæ asperæ annulorum sitæ, partibusque hisce immediatè incumbentes, compatiuntur.

Tumoris [Gla]ndula[rum] Colli.

Absque Faucium verò hac inflammatione seu Angina, solius *Glandularum* Colli *Intumescentiæ* sedes seu pars affecta sunt ipsæ istæ Glandulæ Colli, seu *Jugulares* Cl. *Vvartbono* ita dictæ, quod juxta vasa jugularia sitæ sint, racematim quodammodo crescentes, & in utroque latere aliquando quatuordecim observatæ, aliæ aliis minores, dum magnitudo earum ab exiguitate seminis coriandri ad fabæ usque molem variare solet, in anteriores & posteriores, superiores & inferiores quidem Anatomicorum solertia distinctæ, sed membranarum & vasorum connexione inter se & cum parotidibus ac maxillaribus mobiliter junctæ, molles & fungosæ colore diverso, inferiores nempe juxta latera glandularum thyroidæarum, inter spinam, vasa thoracica & thymum in thoracem descendentes, rubicundiores, superiores ad glandulas maxillares & parotides pertingentes, pallidiores. Omnes hæ glandulæ humiditatem superfluã à nervis vel aliunde collectam in venas & lymphæ ductus reducunt, adeo ut totum eorum officium sit reductorium, cum vase excretorio penitus destituantur.

[Dia]gnosis [An]gina.

§. 3. Antequam ad causas hujus affectus transeamus, animum dirigamus ad signa diagnostica, quæ scil. imminentem & præsentem denunciant morbum. Signa ergò imminentem anginam significantia sunt, quando deglutire ac respirare difficulter æger incipit, quando dolor præcipue circa Fauces molestus sit, calor insuetus, sive dolor ardens faucium percipitur collum sine causa manifesta vix moveri potest; si ex *Aph. 6. S. 3.* assidui imbres præcesserint, aut *Aph. 20. S. 3. & S. 5.* vernum tempus fuerit, si rigor adfuerit, capitis dolor, maxillarũ intumescentia, ægre sputum deglutiatur, saliva dura & viscida exspuatur, & in imis faucium stertor percipiatur

Ipsius verò Anginæ præsentia innotescit, quando deglutiendi ac respirandi summa adest difficultas, absque aliquo thoracis ac pulmonum vitio, quando potulenta ipsa per nares reiiciuntur; quando Lingua apprehensa Gurgulionem quidem non magnum, sed mollem videmus, faces interiores saliva implentur, respiratio ferè abolita est, & non nisi cum summa difficultate repetenda, subinde quasi suffocatio imminet; quando ægrotus neque exscreare potest, neque decubitum sustinet, sed si decumbat, suffocari videtur, venæ in facie manifestè tument, Lingua, in qua sunt mucidæ, salsæ, amaræ aliæque tenaces ac viscidæ particulæ salivæ, livet aut nigricat tumetque, facies ipsa calet, roseo colore suffunditur, febris est acutissima propter turbationem sanguinis æstuantis, differt tamen quo Angina est vel major vel minor: in acuta sæpe lenta febris conjuncta esse solet, circa vesperam exasperatur; duplicem enim observavi febrem, unam continuam, alteram periodicam, in maligna scil. Angina, dolor ardorque faucium intensissimus, tumor plerumque internas gutturis partes obsidet. Accedunt sitis, oris amaritudo, delirium, oculi velut in iis, qui strangulantur, prominent, & per eos intentè æger intuetur, crebrò se jactat & exilit, pulsus est instar peripneumonicorum, undosus scil. parvus & rarus. Quæ pars verò potius afficiatur ex læsionibus respirationis & deglutitionis, item loco doloris, Medicus facile perspicere potest.

Tumoris Glandularum Colli.

Tumor vel inflammatio *Glandularum* Colli facilè visu & tactu cognoscuntur, præterea pueri pallidi sunt, de tensione in parte colli exteriore conqueruntur, & exspuunt multum salivæ viscidæ & glutinosæ, nonnunquam atrophia simul laborant, quoniam glandulæ ex lymphę stagnatione tumefactæ tubulos & vasa comprimendo distributionem succi nutritii impediunt.

Ætiologia, & quidem 1. secundùm Galenicos ipsius Anginæ.

§. 4. Nunc ad generationis modum & *Causas* progredimur, de quibus antequam nostram exponamus sententiam, aliorum colligemus vota, eaque candidè communicabimus. Prodeant itaque antiquitatis ratione omnium primo in medium Veteres *Galenici*, qui unanimi consensu eò inclinant, *Anginam* exquisitam oriri vel à sanguine puro, vel cum humore bilioso mixto, eam verò, quæ est absque inflammatione, sed cum tumore, vel ab humore pronasci pituitoso, vel melancholico, ex aliis partibus, maximè capite, à facultate expultrice irritata transmisso, & à faucibus ob partis & expultricis in ea debilitatem, dein viarum laxitatem, largiùs recepto; tum paulatim ejusmodi humorem vitiosum colligi credunt ob facultatis imbecillitatem propria partis recrementa expellere non valentis, vel attrahi eundem ob calorem aut dolorem. Causis remotioribus inferunt tum lautiorem diætam, copiosiorem sanguinem progignentem, immoderatiorem vini usum, mensium & hæmorrhoidum suppressionem, vel etiam hæmorrhagiam narium aliàs certo tempore quibusdam subjectis consuetam confestim cessantem, aliamve evacuationem intermissam, ætatem juvenilem, temperamentum corporis calidum, frequentiorem faucium commotionem in cantoribus, venatoribus & præconibus, aerem frigidum & humidum, vel calidum & humidum subitò ingruentem, destillationesque à capite producentem, adeoque tempus vernum anginæ suscitandæ aptissimum, fructus horarios, cerasa, pyra, poma, &c. strangulantia.

Glandularum Colli Tumoris.

Tumoris Glandularum Colli causam constituunt itidem humores antedictos in glandulis istis collectos, & easdem nimium distendentes, ut in Tumore inflammatorio sanguinem, in erysipelaceo bilem, in œdematoso pituitam, in scirrhoso melancholiam: fieri verò potissimùm in pueris ejusmodi tumores œdematosos ob nimiam eorum humiditatem, & cibi frequentiorem ingurgitationem, qua multi humores crudi colligantur, qui propter facultatem expultricem apto tempore non eliminati, sed diutius retenti in molles & laxas istas partes influant, easque in tumorem cum tensione partium vicinarum extollant.

Juxta Paracelsum causa Anginæ.

§. 6. Chymicorum Antesignano illi *Paracelso* hoc in consessu post Galenicos proxima locanda est sella, qui in *Anginæ* seu *Squinantiæ* causis enarrãdis hoc dat effatum, produci affectum hunc à liquore scisso descendente & in faucibus centrum ponente, sed situ suo totam colli & capitis circumferentiam occupante, unde collum in nuchæ circulo tumeat cum rubore cacuminis ejus ac folii, caput inflammetur & tumor iste ut apostema maturescat, hinc retro cacumen foramen incidat, & inglutitio cum sputo prorsus auferatur, tandem verò balsamo naturæ in gutture deficiente exteriùs putrescat & uvulam atque folium simul inficiat.

Glandularum Colli Tumoris.

Tumoris Glandularum Colli originem esse ait ab humore in partibus hisce mollibus collecto & in iisdẽ coagulato, qui cùm pro ulcere excitando adhuc immaturus sit, partes hasce solùm extendat, & protuberare faciat.

Secundum Helmontium.

§. 6. Presso nunc sequitur pede Adeptorum ille Coryphæus, & famigeratus per ignem Philosophus *Helmontius*,

tium causa Anginæ.

montius ipsam *Anginam* non à cerebro, sed à latice corrupto natales suos nancisci asserens, dum ille in via partium sordes nimiùm eluat, easdem assumat atque ad fauces quantitate excedente apportet, quæ ibidem à facultate attractrice debili fortius detineantur, unde Archeus ab iisdem excitetur ad peregrinam excudendam ideam, & filum quoddam viscidum è faucibus fabricandum, sive mucaginem quandam fœtentem, à qua fauces non modò constringantur, sed & ipsa tandem exoriatur exulceratio.

Glandularum Colli Tumoris.

Ab eodem quoque latice spissiore *Tumorem Glandularum Jugularium* vult excitari, quatenus ad glandulas hasce deductus, in iis ob pororum interclusionem aut tractricis languorem diutiùs hæreat, nec per sudorem egeratur, aut à pelle alliciatur ob alienam labem, qua inquinatus est; hinc glandulas copia sua nimium repleat, & in majorem magnitudinem extendat.

Willisii ratiocinium de causa Anginæ.

§. 7. Succedit Conterraneo suo diligentissimus ille causarum Indagator *Willisius*, qui non procul à scopo aberrans *Anginæ* causam constituit sanguinem multis particulis sulphureis & terrestribus refertum, ob quas in musculis faucium obstructionem faciat inflammatoriam, eò quòd massa ejus strictior inter circulandum recrementa sua non dimittat, sed potiùs incrassetur & lentescat, ideòque in viis faucium angustioribus diutiùs hærens, non modò effervescentiam quandam subeat, sed musculosas fibras distendat, arteriam pulmonalem & œsophagum comprimat, sicque respirationem cum deglutitione quàm in dispositione sana fieri debeat, longè reddat difficiorem.

Glandularum Colli Tumoris.

Glandularum Colli *Tumorem* suscitari opinantur, quando liquor nerveus ob heterogeneas quasdam particulas terrestriores aliquantùm spissior effusus, tàm citò ad venas transfundi nequeat; sed in glandulis citra effervescentiam diutiùs hæreat, harumque substantiam laxiorem nimis replendo faciat protuberare.

Sylvii opinio de causis Anginæ.

§. 8. Pergimus ad Batavorum illum Apollinem *de le Boe Sylvium*, cujus nobis dictat Oraculum, *Anginam* oriri à bile tùm acriori, tum pinguiori, sed salivæ imprimis atque glanduloso facium liquori infesta, ipsisque & faucium musculis arctius adhærente, unde hi non modò tumeant, sed frequentius etiam inflammentur, dum sanguis in iisdem stagnans cum bile oleosa effervescat, & ità corrumpatur, ut tandem etiam in materiam abeat purulentam.

Glandularum Colli Tumoris.

Glandularum Colli *Tumorem* induci ab eodem discimus, tùm quando ipsæ in statu optimo copiosius aluntur, tum quando in substantia sua sanguinem continuò alluentem præter naturam coacervant, qui per eandem substantiam molliorem atque flaccidiorem facilius dispergitur, quàm per carnium firmiorum ac solidiorum. Sanguinem verò in glandulis hisce conglobatis ità coacervari docet, propter impedimentum illius refluxui positum, & potissimùm obstructionem in venis capillaribus, canalibusve, arteriis & venis interpositis à pituita concrescente frequentiùs, sanguine verò coagulato rariùs contingentem, & quidem quoties vel ab aere tum natura, tum arte æstuante, vel ab alimentis condimentisque aut spirituosis, aut aromaticis, aut volatili sale abundantibus, vel à corporis animive motu, Ira præsertim vehemente, vel à vigiliis solito magis soluti & fluidi facti in corpore unà cum sanguine humores omnes, maximè pituita, quaquaversum abundantius deferantur, hinc superveniente aeris aquæve frigore, vel usurpatis alimentis, condimentis, vel medicamentis actu frigidis, aliave coagulandi vi præditis, vel ad quietem summam devoluto corpore, vel tristitia extrema, metuve panico inexpectatoque homines opprimentes coagulentur, unde ad motum inepti facti, in vasis, vel intermediis canalibus hæreant, & sanguinem, ne per vias impeditas ulterius pergat, sistant, qui deinde per glandularum harum substantiam vicinam ità dispersus, eandem in molem majorem distendat.

Cartesianorum iudicium de causa Anginæ.

§. 9. Restant adhuc sententiam dicturi Viri illi acutissimi, secundùm subtilissimi & in veritate eruenda diligentissimi illius Philosophi *des Cartes* principia Physica fundamenta Medica quæcumque dirigentes, qui *Anginam* exoriri pronunciant, quando vel liquores ex communi illa massa sanguinea per arteriolarum poros, vel lympha per proprios suos ductus in tubulos musculorum faucium ingredientes, particulis suis rigidioribus angularibus poris eorundem fortius adhærent, eosdemque obstruendo liquorum diuturniorem inter fibras retentionem causant, unde fibræ hæ distenduntur, & musculi gulæ cum glandulis adjacentibus non modò intumescunt, sed quia solummodò materiæ æthereæ subtilissimæ transitus per poros obstructos conceditur, hæc ignitas solùm particulas iisdem infert, à quibus ipsa producitur inflammatio, &, si huic brevi non subveniatur, à celerrimo & vehementiori particularum ignearum motu fibræ ipsæ tandem rumpuntur, & generantur sulci quidam, in quibus liquor chylosus, pro nutrimento aliàs in tubulos partium harum subinfluens, majori copia colligitur, & à particulis angulosis inficitur & corrumpitur, ut in materiam abeat planè purulentam, quæ acrimonia sua fibras membraneas dirumpens, ipsam ità inducit exulcerationem. Ab aere verò corrupto, multis particulis istiusmodi angularibus acutis, & pungentibus aut hamatis prædito, quali in constitutione tempore autumnali & verno potissimùm persentitur, eandem pororum obstructionem facilè produci posse, & hinc anginam suscitari asserunt, nec non ab aere calidiori liquores glandulares colliquante ut illi celeriùs & copiosiùs partes inundatione quadam adimpleant, posteà verò mutato æthere, & subsequente frigore à particulis illatis angularibus coagulentur, & frigidiores in tubulis stagnent, fibras tendant & poros obstruant, quod aliquando contingit, si ex lecto calido vel balneo homines se subitaneo frigori imprudentiùs exponant; cibum quoque, potum & medicamenta quædam ejusmodi particulas asperiores faucibus inferre posse fatentur.

Glandu[larum] Co[lli] Tumori[s].

Tumorem Glandularum in Collo exteriore originem sumere dicunt ex lympha glandulari inspissata aut copiosiori, & lymphæ ductuum obstructione, ut ab iisdem citò nequeat excipi, tum pororum quoque cutaneorum interclusione, à qua liquorum resolutorum evaporatio impediatur, quare hi denuò coagulati & in glandulis hisce detenti easdem in molem majorem soleant extollere.

Nostra [sen]tentia [de] causa A[n]ginæ.

§. 10. Fuerunt hæc aliorum de causis judicia, jam verò & *Nos* cùm tangat ordo loquendi, en paucis quæ de iisdem priorum dictis censeamus necessariò adjungenda. Præter generales equidem causas Inflammationibus quibusvis communes, in specie eæ, quæ Faucium ac partium vicinarum Inflammationem excitant, sunt vel internæ, vel externæ. Inter internas primarium obtinet locum non sanguis, sed lympha acris acida, salina simul plùs minùs glutinosa, obstructionem in tubulis musculorum vel aliarum partium adjacentium producens, hinc sanguinis circulatio impeditur, unde inflammatio & tumor, quo & referenda saliva vitiosa per ductus suos salivares ad fauces delata, quæ nimis salsa vel acida, prout ea existit in morbis catarrhalibus, acrimonia sua & aciditate rodendo & fauces excoriando facilè hanc inflammationem inducere potest, prout hodie, dum hæc scribo, accuratè hoc in filio mercatoris observavi, in quo à ptyalismo faucium calor, rubor, dolor cum aliquali tumore, & per consequens deglutitio impedita fuit. Epidemicè quoque malum hoc oritur, quando inspiratum acidum copiosiùs cum aere in transitu suo non tantùm fauces læserit, sed succos etiam coagulando ad facilem sui in faucibus stagnationem, quin & febrilem fermentationem disponit. Utplurimum verò Angina fit ab acrimonia seri, quod vulgari nomine salivæ vel defluxionum catarrhalium insignitur, hinc & œdematosa tumefactio istarum partium ab acri ista lympha glandulas faucium afficiente loca vicina rodente & excavante, sicque junctam phlogosin producente, circulationem sanguinis plùs minùs impediente, & Cardimelechem irritante aliquando excitantur, & hæc dicitur vulgo Angina alba seu notha, de qua satis periculosa confer

Ephem.

Ephem. Germ. Ann. 6. p. 218. item huc pertinet rara Anginæ quasi membranosæ species, de qua vid. *Ephem. Germ. Ann. 2. p. 31.* Externæ causæ sunt plures, primò enim se offert aer, siquidem, teste *Hippocrate*, assiduis imbribus præter alios morbos fiunt etiam anginæ, conf. *Sect. 3. Aph.* 20. 22. Inter cibos malo huic ansam præbent omnia acria, ut sunt aromatibus & pipere condita, quæ fervorem & acrimoniam augent, ità refert *Hildanus Cent. 3. Obs. 27.* de inepto Chirurgo, qui ægro pustulis affecto quotidie ter aut quater pulverem piperis & croci gulæ faucibusque inspersit ac insufflavit, unde dolor mox auctus est, nec non inflammatio & febris, per intervalla quoque lipothymiæ supervenerunt. Inspirata ergò immediato contactu loca hæc facilè excoriare & Anginam producere valent, vel coagulando succos obstructionem parere possunt. Huc pertinent varia ineptè deglutita, sic nuper inflammationem faucium observavi ab officulo aviculæ incongruè deglutito, quod faucibus inhærens irritando ad fibrarum contracturam, & hinc ad successivam inflammationem disposuit. Sic & alii à spina piscis, à clavo ferreo, ab aciculis deglutitis, & frustulis vitri devoratis & faucibus infixis, inflammationem & tandem abscessum notarunt Practici, & *Hildanus in Observ. Chirurg. p. m.* 511. dicit, quod imprimis frigidi potus ingurgitatio ansam sæpe huic malo præbeat. Quo & pertinet potus liquorum corrosivorum, aquæ fortis, aliorumque Mercurialium, nec non inunctio Mercurialii ineptè instituta, à qua acrimonia caustica fauces non tantùm excoriantur, sed planè sphacelantur, uti exemplum notavi in milite Curiosis communicatum, de quo vid. *Ephem. Germ. Dec. 4.*

Glandularum Colli Tumoris.

Glandularum Colli, sive *Jugularium Tumor* oritur à nimia lymphæ copia, & in glandulis hisce stagnatione, dum potissimùm à vasis propriis sive lympheductibus non resorbetur, & in occenum microcosmicum reducitur, sed ab acido quodam inspissatur & in glandulis jugularibus racematim sibi junctis retenta fungosam & molem harum substantiam expandit, unde simul fibræ musculorum collo adjacentium premuntur & distenduntur, & hinc dolor ille oritur tensivus Fit autem stagnatio ista modò in paucioribus, modò in pluribus glandulis, & in quibusdam major, in aliis verò minor, ut aliquando globus quidam appareat major, minoribus quibusdam stipatus, quod itidem ab ipsa glandularum diversa magnitudine dependet. Puerulis verò & junioribus frequentius hi glandularum tumores obveniunt, quò majori abundent lymphæ aliorumque liquorum copia, hique citiùs ab occurrente quodam acido coagulari, & pori cutanei obstrui possint, unde videmus à retrocedente tinea vel scabie capitis glandulas hasce facilè intumescere, eo quòd lympha spissior & salsior tùm ad parotides, tùm ad glandulas hasce prioribus contiguas subter cutem adinfluat, in iis stagnet & tumorem producat, quod itidem obvenit ex vitiato chylo in primis viis, & tempore augmentationis, dum pro lubricitate & humectatione partium extendendarum liquor ille in glandulis asservatur, sed ante sui in membrorum subjectorum tubulos distributionem copia auctus, fungosam hancce substantiam extendit eandemque reddit protuberantem

Prognosis Anginæ.

§ 11. Quamvis Signis Prognosticis non semper fidendum, & Deus O. M solus morbi exitum novit, attamen non planè sunt rejcienda, cum sæpius vel salutis spem, vel mortis pericula denunciaverint. Ea verò optimè annotavit prudentissimus ille *Cous* in *Aphorismis* suis, & quidem *Sect. 1. Aph* 34 profitetur, si febrem habenti suffocatio repentè superveniat, nullo tumore in faucibus existente, lethale hoc esse malum. Eandem sententiam stabilit in *Coac. Prænot.* Angina, inquiens, gravissima est & celerrimè interimit, quæ neque in cervice quicquam conspicuum facit, plurimum verò dolorem exhibet, & difficultatem spirandi, quæ erecta cervice obitur, induit, hæc enim eodem die, & 2. & 3. & 4. strangulant. Ait. Angina, quæ in reliquis quidem dolorem exhibet, in faucibus verò tumorem ac ruborem excitat, admodùm quidem exitialis est, priore tamen longè diuturnior, si ingens rubor fuerit. Tumores faucium in Angina sine ulla ratione evanescentes lethales sunt. Quòd si neque diebus judicatoriis erysipellas dispareat, neque tuberculum ad exteriorem sedem se vertat, neque pus per tussim reiiciant, facileque & absque dolore ferè se habere videantur ægri, mortem indicat, aut ruboris reversionem. Huc pertinet *Aph. 10. Sect. 5.* Quibus ex Angina in pulmonem mali fit conversio, intra septem dies moriuntur, si verò hos effugiunt, empyici evadunt, inflammatur enim sæpe ab hac materia acri pulmo, hinc peripneumonia, aut planè suppuratur pulmo, unde empyema. Angina exquisita & maligna est periculosior notha. Si febris diu durat, est pessimum. Si cum maxima & difficili respiratione in anginosis spuma circa os apparet, est signum lethale, prout in strangulatis & suffocatis. Sic quoque si Abscessus ruptus fuerit & patiens non exspuit, sed in pectus ruit, sepe inde suffocantur ægri. Angina laborantes nisi celeriter cocta exspuant, perniciosè habent. Securius tamen est, tumorem & ruborem ad extrema converti. Sic etiam ex Angina, ubi non solùm fauces, sed cervicem quoque rubor occupat, evadunt, imprimis si pectus etiam rubor detineat, neque ad interna erisipelas revertatur, quod etiam approbat *Hippocr. Aph. 4. Sect. 7.* Ab Angina detento tumor & rubor in pectore superveniens, bonum, foras enim morbus vergit. Hæ faucium inflammationes finiuntur tribus modis, aut citò evanescunt, aut discutiuntur, aut suppurantur, &, si suppurantur, abeunt interdum in ulcera diuturna & difficulter sanabilia. Anginosi suffocati intereunt, si moriuntur. Aliquando Angina in pleuritidem transit, interdum critico motu per hæmorrhagiam curatur, confer *Forestum lib. 15. Obs. 14.* Aliam per mensium fluxum criticum curatam observavi. Omnium gravissima vulgo dicitur *Cynanche*, quæ ante quartum diem sæpius jugulat, hinc *Paracynanche*, levior est *Synanche*, levissima *Parasynanche*, quia affectus hi in gradu inferiori sunt constituti, cum ut superius jam annotavimus, alias secundum magis & minus differant. Vulgò nothæ sunt quidem tutiores, sed lungiores trahunt moras, sæpiusque terminatur vel per insensibilem resolutionem, vel suppurationem, vel indurationem, quæ aliquando in gangrænam abit, vel per metastasin ad alias partes debiles secedit. Si una ad cerebrum fuerit delata, statim gravissimus dolor capitis, deliria & phrenitis subsequitur. Asterisco notandum, quòd semel anginosus, facilè eodem denuò corripiatur morbo, quia semel apertis vasis & fibris ad flexibilitatem dispositis succi acriores redditi vias priores repetere, & vasa ad apertionem jam proniora levi opera iterum potuerunt reserare.

Glandularum Colli Tumoris.

Glandularum jugularium *Tumor* non omninò aspernendus est, cùm ex stagnatione Lymphæ diuturniore tubuli valdè comprimantur, & distributio liquorum impediatur, ut atrophia partium reliquarum inde sequatur. Oritur etiam exinde tandem inflammatio, sive lympha existat acrior, majorem fluxum ad tubulos fibris irritatis concitans, sive tenacior & viscida, validiorem obstructionem & diuturniorem liquorum detentionem inferens. Ex scabie aut tinea capitis retrocedente inductus, non caret periculo, cum circulationem liquorum impedire facilè possit, unde succorum quies omnimoda & totius machinæ destructio impendet, quare ex revertente scabie humidiore tumores glandularum disparituros esse certò sperari poterit. Tutiores & non adeò frequenter periculo juncti sunt, qui tempore augmentationis in pueris & adolescentibus exsurgunt, denotant enim solummodò materiæ nutritiæ copiosioris in glandulis, ceu optimis hujus rei promis condis, asservationem quæ si ab æthere subtilissimo utroque, tùm corpus ambiente, tùm intus jam existente, in tubulos partium ad opus hoc satis jam adaptatos commodè distribuatur, & glandulæ aliquantum exhaurientur, sicque ex repletione earum productus ille tumor sufficienter imminuetur. In ætate gravioribus instante febre catarrha-

catarrhali nonnunquam suboriuntur, & majorem Medicis facessunt laborem, quam in puerulis & adolescentibus, quod fibræ existant duriores, & materiæ vehementiam labemque spirituum majorem manifestant, hinc pori tam citò nequeunt aperiri nec tubuli dilatari, quare tardior expectanda est curatio.

Diæta.

§. 12. Cùm verò sat periculosi hi nostri se offerant affectus, maximè Angina, curationem non tam postulant, quàm urgent citam atque præsentaneam, cui pede faustiori conciliandæ non parum ipsa tribuit *Diæta*, nunquam non cum Pharmacia studiosè simul observanda. *Aer* ergò sit temperatus, quem æger corpore erecto, si fieri potest, hauriat, faveatque respiratio transpirationi; videtur pluviosus, fumosus, frigidus, acido austeriori prægnans, maximè enim hic nocet coagulando succos, qui ad valetudinem prosperam semper requiruntur apprimè fluidi. *Potus* sit eupeptus, tenuis, parcus, liquidus, liquida enim fauces facilè transeunt: prosunt juscula alterantia. *Potus* sit dectum hord. cum Scorzoner. C. C. Syr. Papav. errat. vel viol. edulcoratum, cerevisia tenuis potest concedi. Si verò æger deglutire planè non possit, ad præscriptum *Capivaccii* plures vesicula bubula fistulæ instar clysteris alligata succum nutrientem in œsophagum dimittendum censent, alii ægros reficiendos esse jubent panis & carnium vaporibus; quæ cura tamen nostro judicio tutò omitti potest, plures enim novimus, qui per novem dies nihil deglutire potuerunt, attamen fame non periere, sed pristinam recuperarunt sanitatem. Post *vigilias* moderatas *somnus* conciliandus emulsionibus ex seminibus 4. frig. maj. papav. alb. & aq. flor. sambuc. mala enim est ex 3. *Aph. Sect.* 2. alterutra res, si modum excesserit. Præ *motu* corporis, ne succi nimis agitentur, *Quies* ægro suadenda, eique silentium imperet Medicus. *Excernendorum* & retinendorum quoque consuetudo tam per alvum, quàm per vesicam aut uterum ritè ut peragatur prospiciendum, consuetæ enim evacuationes suppressæ, ob acidum, quod stagnando acquirunt, stimulandæ sunt, imprimis verò opera danda, ut tr̃spiratio sit liberrima. Tandem & *Animi pathemata*, quibus magna vis est in Microcosmetorem & Cardimelechem, rectæ rationis compede sunt coercenda, imprimis verò ira est moderanda, ne ferocia Cardimelechi concilietur, sed tranquillus habeatur, ne spiritus animales, sive succi subtiles nimis concitentur & impetuosius effervescant.

In glandulosis colli obstructionibus Diæta in omnibus sit aliquo modo calidior & fluidior, ut eo melius obstructio tollatur, in quem finem conducet potus Theæ vel Caffæ.

Curatio Pharmaceutico-Chirurgica secundum Galenicos ipsius Anginæ.

§. 13. Post Diętam ad ipsam accurrimus *Pharmaciam* & *Chirurgiam*, ut in morbo tam periculoso citò satis ægris auxiliares porrigantur manus, & ut eo melius hoc fieri possit, aliorum quoque Medicinæ Antistitum consilia de curatione hac feliciter instituenda percipiemus; omnium verò primo *Galenicorum*, qui antiquitatis jure primatum sibi vendicant, eorumque scopus in *Anginæ* curatione eò collimat, ut causa ejus quàm citissimè fieri potest, removeatur, ea enim abacta & ipsum morbum, faucium nempe angustiam tolli, & symptomata quæcumque simul profligari promittunt. Eapropter si ab inflammatione morbus hic ortum habeat, sanguinis influxum & minuunt, & ulteriorem præcavent instituta tenuissimi victus ratione & sanguinis eductione, tum per venam aliquam sectam, sive ea sit humeraria, sive sublingualis, tùm per evacuationis cujusdam aliàs consuetæ suppressionis reserationem, ut sunt hæmorrhoidum fluxus per hirudines ano admotas provocatio, mensium per venæ popliteæ aut malleolorum sectionem evacuatio, hæmorrhagia narium, quæ si malo abigendo non sufficiant, sed morbus augeri & tumor accrescere videatur, ut suffocationis immineat periculum, parti tumori oppositæ cucurbitulam affigunt, loco scalpello prius conciso, ut sufficiens sanguinis copia effluere possit, quam curam maximè observant, quando ab inflammationis vehementia vertebræ colli quasi convelluntur, ubi vertebræ loco laboranti oppositæ cucurbitula ista injicitur; alvum obstructam liberant clystere mitiore, vel, si opus sit, acriori etiam stimulant. His autem ratione partis mandantis, sanguinem effundentis, sive caput sit, sive aliud quoddam corporis membrum, ità studiosè observatis, non minorem operam impendunt parti accipienti, gutturi nempe interno, aut œsophagi capiti, quibus constringentia & constipantia adhibent remedia, ut ità corroborentur, nec humores aut sanguinem affluentem tam promptè admittant, quare intrinsecus potius quàm foris eadem admovent, ne materia intus compellatur, sed foras ejiciatur, cui scopo sequentem collutionem apprimè judicant idoneam.

℞. *Fol. plantag.*
Lentisci,
seu *myrti*, aa. M j.
Flor. rosar.
Acac.
Balaust. aa. P. j.
Cort granat. ℥ ß.
Lent. M i ß.
Coq. in s. q. aq. pluvial.
In Colatur. ℔ j. *dissolv.*
Rob. diamor. ℥ i ß.
Syr. rib.
vel *granat.* ℥ iiß.
M. F. Gargarismus.

In progressu morbi prioribus admiscent resolventia ex sem fœnigr. hord. rad. glycyrrhiz. herb. hyssop. capill. Ven. rad. Irid. passulis, palmulis, caricis, quibus sequens gargarismus est compositus, quo os frequentius colluendum.

℞. *Hord. integr.* M j.
Rad. Glycyrrh. ras. ℥ j.
Herb. Hyssop.
Capill. Ven. aa. M. ß.
Cort. granat. ℥ ij.
Flor. rosar. P. j.
Passular. ℥ ß.
F. Decoctio in aq. pluvial.
In Cujus Colat. ℔ j. *dissolv.*
Rob dianuc. ℥ iv. *M.*

Sedata sic inflammatione ad materiæ collectæ aut suppuratæ extractionem lenientia propinant & relaxantia, qualia sunt lac caprillum, decoctum passularum, caricarum, aqua mulsa, in qua & hyssopus, & abrotanum, & sinapi bullierint, vel ob specificam qualitatem stercora canis, lupi, vel pueri lupinos comedentis exsiccata vel pulveris forma inspergunt, vel cum melle & syrupo hyssopi in electuarii formam redigunt, illudque exhibent frequentius elambendum, quo & cineres pullorum hirundinum, capitum piscium, cancrorum & testarum cochlearum referunt eodem modo adhibenda. Ipsi collo ad meliorem digestionem imponunt lanam carptam & oleo amygdal. dulc. vel anethino imbutam, vel spongia decocto chamæmel. aneth. melilot. malv. sem. lini, &c. immersa locum dolentem fovent, aut oleo lil. aneth. rutac. irin. vel unguento ex pingued. gallin. œsip. humid. unguent. resumptiv. pulv. nid. hirund. & oleo lil. parato inungunt, aut cataplasma ex farina fabar. hord. in decocto chamæmel. aneth. sem. lini denuo coctis, additis oleis antedictis paratum applicant. Suppurationem, quando materia aliter educi nequit, sed in eam vergit, promovent cataplasmatis concoquentibus & pus moventibus, quale sequens existit satis probatum.

℞. *Rad. lil. alb.*
Alth. aa. ℥ j.
Flor. melilot. P. j.
Coq. probè in aq. simpl. [illegible]
Contund.
Postmodum add.
Farin. sem. fœnigr. ℥ vj.
Adip. gallin. ℥ iß.
Croc. ℨ ß.
F. Cataplasma.

Hoc applicato insimul exhibent gargarismata ex decocto

decocto caricarum, passular. semm. malv. alth. fœnigr. hinc si pus sit confectum, abscessum rumpunt digito vel calamo, vel candela cerea, vel gargarismo quodam ruptorio ex sale armoniaco, nitro aut sulphure in aqua dissolutis, pure verò evacuato locum vel aqua mulsa, vel decocto caricarum, in quo mel rosatum fuit dissolutum, detergent, & tandem adstringentibus, siccantibus & sarcoticis ad integram deducunt sanitatem. Non absimilem adhibent curam in Angina *erysipelacea* à bile producta, in qua præter antedicta in usum ducta humorem peccantem evacuant specificis suis cholagogis, pilulis scilicet aggregativis, de rhabarbaro, de quinque generibus myrobalanor. & in nimia faucium angustia, ubi pilulę deglutiri nequeunt, electuario rosato *Mes.* syrupo rosar. laxat. infuso rhabarb. in debilioribus verò & febre divexatis cassia fistula, manna & syrupo aut melle violaceo. His præmissis ad minuendum nimium in parte calorem medicamenta adhibent repellentia, qualia sunt posca, diabatonon in decocto plantag. & flor. violar. dissolutum, decoctum hord. cum glycyrrhiz. & jujub. gargarismatum forma usurpata, foris verò collum oleo rosaceo completo, & hinc oleo amygdalino inungunt, vel fovent spongia in decocto malv. alth. & sem. lin. tepidè humectata. Tumorem *œdematosum* abigunt remediis humorem frigidum & pituitosum evacuantibus, si prius oxymelle simplici vel scillitico, aut decocto hyssopi, origan. cinamom. & pip. incisus sit, & commodè præparatus, & pars accipiens debilior roborata, quare enemata applicant acriora, ex colocynth. agar. diaphœnic. Hier. simpl. rad. pyreth. centaur. min. orig. calaminth. mercurial. sem. cumin. & similibus parata, hinc copiosiorem purgationem promovent pilulis cochiis, vel ex Hier. cum agar. aut Hier. diacolocynth. paratis; impediente verò faucium angustia pilularum deglutitionem, antedicta dissolvunt in jusculo vel alio conveniente vehiculo, ut commodius absorbeantur, qua de causa & infusum agarici, cui aliquid electuar. diaphœnic. vel diaturbith, aut elescophi additum est, propinant. Nonnulli vomitoria exhibent ex veratro albo, elaterio, thymelæa cum sinapi in mulsa aut sero lactis, quæ tamen ab aliis improbantur, ne humorum peccantium nimia copia ad fauces propellatur, & suffocatio inducatur. Gargarismata deinde exhibent ex incidentibus, ut decocto hyssopi, thymi, origan. rad. Ir. angel. flor. spic. sem. sinap. in aqua mulsa paratis, & curam ut in prioribus absolvunt. Tumori *scirrhoso* medentur humoris melancholici ulteriorem generationem, & in partem hanc influxum prohibendo, & geniti jam & in parte consistentis imminutionem per infusum fol. sen. Confect. hamech. pil. ex lap. Lazul. helleb. nigr. & similibus, topica verò eadem penè adhibent, quæ in tumore œdematoso fuerunt denominata, emollientia potissimùm, leviter digerentia, ut tumor durus paulatim discutiatur, cui rei externè maximè convenire judicant emplastrum diachyl. magn. ireat. de meliloto, mel anacard. ol. Irin chamæmel. laurin. & id genus alia. Ubi verò remediis hisce nihil proficitur, & de salute ægri desperandum esse videtur, ne hic ob cavitatem præclusam omninò suffocetur, cum *Archigene* ad subscannationem aliqui pergendum esse contendunt, qua dissecta aliquo in loco arteria aspera aeri adducendo & remittendo novus paretur meatus, eamque ita instituunt, ut reflexo capite & dissecta prius cute in collo, labia vulneris & vasa occurrentia hamulo deducantur, quo arteria aspera facilius in conspectum veniat, tùm infra guttur sub tribus aut quatuor ejus orbibus transversa linea inter duos orbes constitutam membranam, intacta orbium cartilagine, cultello incidunt, foramini fistulam auream vel argenteam inserunt, ut meatus tamdiu maneat apertus, donec suffocationis periculum fuerit declinatum, quo tempore plagam denuò consuunt, solam nempe cutem intactis cartilaginibus acu perforantes, & vulnus adstringentibus, sarcoticis & epuloticis ad perfectam deducunt curationem.

Glandularum Colli Tumoris.

Glandularum Colli *Tumorem* eodem ferè modo curare & abigere solent, inhibendo ulteriorem humorum productionem & partem mandantem exsiccando, partem verò recipientem ab iisdem liberando, & molliorem & debiliorem roborando, ne ulterius humores suscipiat, hinc venam aliquando secant, si sanguinis influxus glandulas tumere faciat; si verò alii humores peccent, eos specificis suis humori cuivis idoneis evacuant, vel si in solis partibus illis mollibus detineantur, & nulli preterea in corpore reliquo elaborentur, ex solis glandulis depellunt, frictionibus, inunctionibus ex unguento resumptivo, dialthææ, maritato, oleo amygd. dulc. irino, laurino, chamomill. lil. alb. præmisso aliquando fotu cum spongia ex decocto flor. chamomill. melilot. herb. hyssop. origan. sem. lin. vel si discuti nequeat tumor, sed ad suppurationem tendat, eam promovent digerentibus, cataplasmate nempe ex rad. lil. fol. malv. far. trit. &c. additis œsipo, vel axung. porc. ol. lil. vitell. ov. & croco, ut in aliis tumoribus glandulas occupantibus & bubonum nomine occurrentibus.

Paracelsi modi curandi Anginam.

§. 14. *Paracelsus* priorum præcepta in *Anginæ*, seu *Squinantiæ* curatione minimè observat, quin à phlebotomiis, purgationibus & ventosarum positionibus omnino præcipit abstinere, & curationem post apostematis maturi apertionem unicè per gargarismum incarnativum instituendam esse consulit, cujus descriptionem sequenti proponit forma.

℞. *Mell. rosar.* ℥ iiij.
Aristol. rotund.
Pyrol. aa. ℥ ß.
Aq. de prunis,
Prunell. aa. ℥ vij. *M.*

Gargarizet æger bis vel ter in die, ut intret apostema, quod balsamo naturæ tunc facilè curari promittit. Quando verò apostema non fuerit apertum, Gargarismi hujus usum nihil profuturum esse admoneat; quare si tumor adsit magnus, sequens potius eidem superponi vult digestivum.

℞. *Mucilag. de fęnogr.* ℥ x.
Ceruss. ℥ ij.
Caphar. trit. ℥ ß.
F. Mixtura instar Cataplasmatis collo imponenda, ut dolores & tumores mitigentur. Capitis quoque calori nimio sequenti prospicit epithemate.

℞. *Aq. rosar. rub.*
Burs. pastor.
Solatri,
Barb. Jovis aa. pond. æq.
M. & ei immergatur linteum, quod madidum ita super caput alligandum.

Glandularum Tumorem.

Glandularum Tumorem, si per se ipsum non dispareat & diutiùs duret, per remedia humorem crudiorem maturantia & apertionem, eodem fermè modo ut ipsum bubonem, curare consuevit.

Helmontii cura in Angina.

§. 15. *Helmontius* non adeo magnum ad *Anginam* curandam proponit apparatum, sed multis remediis aliis præfert ipsum nitrum, cui singularem in morbo hoc depellendo adscribit virtutem; ejusdem verò Sectatores eidem addunt stercus caninum, nidos hirundinum, sedum majus, quæ medicamenta proprietate quadam specifica pollere dicunt contra vim anginæ strangulatoriam, tum foris, tum intus adhibita.

Glandularum Tumore.

Tumorem Glandularum curat laticem spissiorem resolventibus & poros cutaneos aperientibus, ut ita vitiosum per sudorem eliminetur, & glandulæ in debitam elabantur magnitudinem ad quod impetrandum ipsum antimonium diaphoreticum, aliaque singularia quædam sudorem moventia remedia summopere judicat proficua.

Vuillisii cura in Angina.

§. 16. *Vuilisius* ad solvendam obstructionem, & sanguini motum necessarium reconciliandum, ejusdem emissionem per venam sectam in *Angina* non modo approbat, sed eandem etiam liberalius tum in brachio, tum sub lingua celebrandam præcipit, ne ejusdem repetitio frequentior sit necessaria, existimat enim parciorem ad sanguinem commovendum non sufficere; quando verò liberalior semel fuit instituta, post hæc cucurbitularum cum scarificatione appli-

applicationem ejus vicem aliquoties supplere posse, easdem loco ipsi tumido imponendo, ut eo citius sanguis reddatur circulationi. Ad eiicienda recrementa, ne eadem sanguineæ massæ ulterius communicentur, clysteres commendat emollientes ex decocto malv. violar. cum prunis dulcibus, additis eidem syrupo violac. & sale prunellæ, nec non ut inflammationi simul in tempore eatur obviam, apozemata aut julapia, quorum formulæ sequentes pro exemplo existere possunt.

♃. *Rad. gramin.* ℥ß.
Taraxac. ℥j.
Liquirit. ʒ vj.
Succis. ʒ ij.
Hord. M j.
Fol. sonch.
Fragar.
Fol. hepat. nob. aa, M j.
Passular. ℥j.
Flor. Papav. Rhœad.
Prunell. aa. P j.
Coq. in s. q. aq. simpl.
Colatur. clarificat. ℔ ij. *add.*
Syr. jujubin. ℥ ij.
Violar. ℥j.
Sal. prunell. ʒ ij.
M. F. Apozema.

♃. *Aq. flor. acac.* ℥ vj.
Prunell. ℥ iiij.
Flor. Papav. Rhœad. ℥ ij.
Sal. prunell. ʒ iß.
Syr. Semperviv. maj. ℥ iß.
Violar. ℥ j.
M. F. Julapium.

Fortiora cathartica & vomitoria minùs approbat, sed mitiora tantùm, ut sunt decoctum cassiæ cum tamarindis, addito syrupo de cichor. cum rhabarbar. in principio tamen aut statu periculosissimo vomitoria concedit, ut sic evacuato ventriculo etiam fauces liberentur à suffocatione. Postmodum ut sanguinis viscositas dissolvatur, remedia stercoraria & diaphoretica commendat, ut decoctum stercoris equini, vel ejusdem destillatum in Pleuritide simul approbatissimum, nec non dissolutio stercoris canini, quæ sequenti ratione institui potest.

♃. *Stercor. canin.* ℥j.
Aq. Card. benedict.
Scabios. aa. ℥ vj.
In his dissolvatur ipsum stercus, agitando simul in mortario lapideo,
F. colatura per linteum, cui add.
Spir. Sal. Armoniaci ʒ j.
Syr. Papav. Rhœd. ℥ ij. *M.*

Ex eodem stercore mediante Spiritu vini Tartarisato tincturam parat, quam ad triginta vel 40. guttas exhibet in vehiculo idoneo. Solidiora enim cùm ob fauces præclusas commodè nequeant deglutiri, iisdem liquidiora meritò sunt præferenda, hinc & inter diaphoretica mixturam simplicem, spiritum fulig. vel C. C. præ antimonio diaphoretico aut Bezoardico minerali, quæ aliàs maximè forent accommodata, in usum duci suadet, nec moram in faucibus inveniant, sed citiùs penetrando subitaneum afferant remedium. Extrema verò non minus approbat pro faciliori sanguinis coagulati resolutione & discussione, qualia sunt gargarismata, & cataplasmata collo apponenda ex nido hirundinum, præsertim si materia in abscessum se convertere perspicitur, tum pro faciliori apertione materiam emollit cataplasmate ex rad. alth. sem. fœnigr. caric. flor. melilot. cum axung. gallin. & butyr. aut emplastro diachyl. magno, nec non gargarismate ex decocto glycyrrhiz. cum caricis; apertionem promovet Spir. Sal. armon. & ejecta materia purulenta fauces abstergit, adstringit & consolidat decocto rad. prun. sylvestr. aristol. rotund. fol. rub. plantag. agrimon, prunell. flor. papav. rhœad. addito melle rosato & Rob dianucum. In casu desperato & periculo suffocationis Laryngotomiam minimè improbat.

Glandularum Colli Tumore.

Glandularum Colli *Tumores* abigit resolventibus diaphoreticis, ut stagnatio prohibeatur, quæ sunt Antimonium diaphoret. Sal Volat. C. C. Spir. Tartari, Decoct. rad. sarsæparill. cum ras. C. C. & herb. Card. bened. Externè unguentum dialth. vel ol. amygd. dulc. chamomill. cum ol. destill. succini inungit, nec frictiones cum pannis calidis & succino aliisque infumatis institutas contemnit, cum & hisce liquores ad motum & fluxitatem disponantur.

Sylvii modus curandi Anginam.

§. 17. *Sylvius* ad curandum legitimè *Anginam* summopere necessariam ducit sectionem venarum raninarum, & ut in reliquis inflammationibus, remedia sudorifera sæpius exhibet ex aqua theriacal. & Spir. Armoniaci, addito interdum laudano opiato, hinc gargarismata suadet ardori faucium convenientia & subacida, ex decocto vel aquis solan. lactuc. portulac. plantag prunell. ligustr, caprifol. additis interdum succis austeriusculis mororũ, citri, acetos. berber. & sale prunell. Topica à superioribus jam indigitata similiter adhibenda permittit, & quando abscessus ruptus fuerit, evacuata materia purulenta ulcus decocto hordei itidem cum melle rosar. & Spiritus Vitrioli guttulis mundat, & consolidationi præparat.

Glandularum Colli Tumorem.

Glandulas Colli tumefactas & induratas curat medicamentis incidentibus, attenuantibus & sudorem simul moventibus, ut non modo pituita in glandulis coagulata solvatur, & mobilis facta à loco, in quo p.n. hæret, removeatur, vel in vasa sua reducatur, sed illud etiam, quod poros cutaneos obstruit, foras propellatur, quod effectui dari promittit sequente mixtura cochleatim assumpta, & corpore ægri decumbentis ad sudorem promovendum mediocriter tecto,

♃. *Aq. fumar.*
Fœnic. aa. ℥ iß.
Theriacal. simpl. ʒ vj.
Spir. Sal. Armoniaci gutt. xx.
Bezoard. min ʒß. vel
Antimonii diaphoret. ʒ j.
Syr. Card. bened. ℥ j.
M.

Suffitum ex carabe, mastiche & similibus etiam approbat, nec non frictionem blandam glandularum eodem suffitu linteis excepto, quo non modò humorem pituitosum in glandulis hærentem solvi asserit, sed glandulas etiam ipsas in pristinum statum reduci, & adversus novas aeris injurias muniri & roborari, cujus rei gratia & easdem unguento martiato & althææ composito suadet inungi. Quando verò inflammatio simul juncta fuerit, eodem modo, ut in priori affectu, aut Tonsillis inflammatis, curationem prosequitur, hoc tamen sedulò observato, ne adstringentia imprudentius adhibeantur, sed emollientia & incidentia, eaque tepida, ut eo meliùs humor pituitosus obstruens & sanguis aut in vasis subsistens, aut in glandularum substantiam effusus & accensus corrigantur, aut si hoc præstari & suppuratio impediri nequeat, eam emollientibus & blandè incidentibus aromaticis promovet, & quoad reliqua uti in aliis apostematibus procedit.

Cartesianorum ratio curandi Anginam.

§. 18. *Cartesianis* placet, ut in *Angina* ritè curanda ea seligantur & adhibeantur remedia, quibus tubuli musculorum faucium à re quavis molesta liberentur, ne quid ulterius in iis contineatur, quod poros obstruendo aut angustando, exclusis secundi elementi particulis, solas primi rapidissimas separatim admittat, à quibus violentiùs cùm moveatur & agitetur, particulæ pungentes huc illuc vertantur, & modò fibrulas nimium tentendo & agitando cum inflammatione dolorem, modò comprimendo faucium angustiam & deglutiendi summam inferant difficultatem. Hæc verò remedia nec venæsectionem, nec refrigerantia, nec repellentia, nec adstringentia, nec purgantia deprædicant, sed opportuna remedia sudorifera, summè penetrantia, angulares pungentes succorum irregulariter in faucium partes effusorum particulas domantia, hebetantia, aut à quiete in motum disponentia, & tandem dilatatis aliquantulum poris, per salutarem

quandam exhalationem eiicientia, quali virtute prædítam sequentem laudant mixturam parvis intervallis cochleatim exhibendam in loco calido, aut ægro adhuc in lecto constituto, ut sudorem expectet.

℞. *Aq. Card. Mar.* ℥iij.
Scabiof.
Flor. sambucc. aa. ℥ij.
Tinctur. myrrh. cum Spir. vini Tartarisat parat. ℥ß.
Spir. vini camphorat. ℈j.
Sal. Armoniaci. ℈ß.
Syr. Scord. simpl. ℥iij. *M.*

Vel

℞. *Aq. menth.* ℥ß.
Tragopog. ℥ij.
Tinctur. Croc. ℈ij.
Spir. flor. sambuc. ℈j.
Urinæ volat. ℈ß.
Rob. Sambuc. ℥j.
Syr. Card. bened. ℥iij.
M.

Ut pori cutanei magis adhuc pateant, & materiæ peccantis evaporationem liberius permittant, collum undiquaque lana succida carpta, & super prunis gumm. anim. & succino perspersis calefacta circumdant, & quando lana illa non satis humet, aut sale volatili urinoso abundat, eandem jam calidam & collo apponendam adspergunt spiritu urinæ, ita enim & intus & foris diaphoresis facili negotio promovebitur. His remediis prudenter adhibitis, si respiratio ab ægro percipiatur liberior, & sufficiens inde colligatur indicium, remedia solidiora deglutiri posse, instant etiam diaphoreticos pulvereis, quicquid angulare profundius absorbentibus, &, cùm corpore ad sudorem disposito nullibi in eodem quieta permaneant, secum per poros dilatatos auferentibus, qualis sequens existit mixtura.

℞. *Aq. Tragopost.* ℥ß.
Galeg. ℥ij.
Antimonii diaphoret. ℈j.
Myrrh.
Salis volat. C.C. aa. gr. vj.
Camphor. gr. ij.
Syr. Scabiof. ℥ß.

M. & ut omnia probe solvantur, agitata exhibeantur cochleatim, sed continuatò. Periculo ita aliquantum superato, etiam colluvium quoddam exhibent, quo leviusculè solùm gargarisando aut deglutiendo, aut in ore tenendo faucium partes inflammatæ aut tumidæ sunt attingendæ, & hoc sequens est simplicissimum & proinde optimum.

℞. *Aq. Caprifol.* ℥vj.
Vitrioli alb. ℈ij.
M. ad dissolutionem Vitrioli.

Si contingit affectui huic alvum simul jungi adstrictam, eamdem etiam liberant, ne curationi reliquæ offerat impedimentum, quapropter die à sudatione libera sequens iniici præcipiunt enema.

℞. *Decoct. lenitiv.* ℥viij.
In eo dissolv.
Extract. hier. picr. ℥ß.
Nitri Antimoniat. ℈j.
M. applicetur tepide.

Cùm verò curatio hæc in tempore institui nequivit, sed fibræ motu æthereæ materiæ violentiori jam fuerint ruptæ, ut in fovea quadam liquor chylosus copiosius fuerit collectus, & ab austeris particulis corruptus, adeoque abscessus productus, commodam tunicarum attenuationem & emollitionem, seu ut vulgares loqui amant, suppurationem promovent inunctionibus unguenti dialth. & ol. scorp. s. nec non cataplasmatum oppositione; ex quorum numero sequens illis satis extitit approbatum.

℞. *Pulv. Nid. hirund. cribrat.* ℥ß.
Rad. lil. alb.
Flor. chamomill.
Sambuc. aa. ℥j.
Farin. fabar.

Sem. fœnigr. aa. ℥ß.
Coq. in lacte ad pultis consistentiam, cui adde
Ol. lil. alb. ℥ij.
Vitell. ovi No. j.
Mell. commun. ℥j.
M. Imponatur collo tumido tepidè, & quovis bihorio removetur: hinc

℞. *Flor. Malv. arbor.* P. iij.
Herb. Heder. terrest.
Agrimon. aa. Mj.
Rad. tarax. ℥j.
Ir. Flor. ℥ß.
Caricar. incis. No. iiij.
Coq. in aq. s. Colatur. ℔j. *add. alb. græc. subtiliss. pulveris. & cribrat.* ℥ij.
Sal. Armoniaci ℥j.
Rob. sambuc. ℥j.
Syr. absint. ℥ij. *M.*

Aperto his brevi tempore abscessu, pus expuendum præcipiunt & ulcus sequenti gargarismate mundandum, ut sponte sua postmodum consolidetur & fauces pristina sua constitutione fruantur.

℞. *Decoct. salv. veron & flor.*
Ligustr. ℔ß.
Tinctur. Sulphuris ℥iß.
Spiritus Salis ℈j.
Syr. de ros. siccis ℥ij.
M. pro Gargarismate.

Rebus ita secundum methodum hancce sedulò gestis, omnia votis cedere promittunt, nec laryngotomia ulla opes esse audacter satis pronuntiant.

In *Tumore* quoque *Glandularum* Jugularium ad lympham spissiorem resolvendam diaphoretica commendant sæpius in usum vocanda, ex bezoard. min. Sal volat. C.C liq. C. C. succinat. essent. rorismar. & similibus, quibus lympha resoluta partim per poros exhalat, partim fluidior remeat in vasa, & glandulæ convenientes pristinam recuperant formam. Hoc vero præstabit itidem sequens mixtura:

Tumorem Glandularum jugularium.

℞. *Aq. fumar.* ℥iij.
Rorismar. ℥ij.
Essent. chamædr. ℥j.
Spir. C. C. essentif. gt. xx.
Syr. Card. bened. ℥ß.
M. D. una vice.

Potui ordinario, qui vel vinum mitius, vel cerevisia tenuis sit, imponunt nodulum ex rad. imperator. fœnic. sarsaparill. rasur. ligni Junip. fol. rorismar. salv. chamædr heder. terrestr. scabiof. flor. sambuc. beton. sem. fœnic. &c. Frictiones minimè contemnunt & glandulas induratas aliquoties calide inungunt ol. chamomill. lumbricor. scorpion. & destill. anis. invicem mixtis, vel Spiritu lumbricor. Sale volat. viperar. imprægnato, aut si tumor hisce non cedat, emplastrum diachyl. simpl. camphoratum, vel mitigativum & emolliens *Mynsicht.* oleo lumbricor. malaxatum imponunt, quibus si tumor non discuti, sed ad suppurationem disponi videatur, eandem promovent, & more consueto ut in aliis abscessibus parotidum aut bubonum curationem expediunt.

§. 19. Perceptis ita aliorum sententiis, & *Nostram* nunc brevibus annectemus, ne quid ad impetrandam salutarem curationem videatur omissum esse operæ ac diligentiæ: equidem si in ullo morbo cunctari malum, in hoc certe pessimum erit, quia suffocationis periculum summum adest, ea propter omnem movebimus lapidem, ut potentissimum hostem Cardimelechi interitum minantem extremis præsidiis mature aggrediamur. Ast hoc opus, hic labor est, ut agendorum ratio & ordo certissimus innotescat. Ergò ante omnia ad causæ morbificæ exstirpationem procurandam nos accingemus, cum ea ablata, & morbus, & symptomata, tanquam effectus cessent; cumque causa morbifica *Anginæ* utplurimum sit acidum acre tum sanguini, tum lymphæ reliquisque succis arctius inhærens, à quo stagnatio inducitur, ea illico resecanda

Nostra methodus medendi Angina.

 est,

est, quare si stagnatio hæc humorum tanta sit, ut à musculis tumentibus suffocationis periculum immineat, vena secanda venit. Secanda verò vena in brachio, si maturè vocatus fuerit Medicus, aut in pedibus, aliàs autem sub lingua, ita enim non copia duntaxat evacuatur, sed & commovendò sanguinem ad citatiorem fluxum, obstructio facta facilius resolvitur, interdum enim sola sectio venarum raninarum præcavet angustiam, sæpe enim Angina in principio hac curatur. Quod si æger venæsectionem non ferat propter virium debilitatem & ætatis infirmitatem, vicariæ possunt esse cucurbitulæ cruribus apponendæ, quam evacuationem quoque utilem existimat *Hippocr. S. V. de Morb.* item *Benivenius lib. de abdit. morb. caus. cap.* 38. historiam narrans de quodam anginoso, qui cum ab aliis Medicis pro deplorato relictus fuisset, ab eo liberatus est profundis scarificationibus sub maxillis & ipsa cervice celebratis. Venæsectionem ut & scarificationem pro re nata repetendas dicunt Galenici: novimus tamen plures, qui à nobis absque venæsectione sunt curati; unde colligitur, ipsam non esse necessariam, sed ne vulgus ansam arripiat calumniandi, concedi aliquando potest in Cynanche ad ℥ iij. quamvis enim V.S. ad sanguinem in fibris stagnantem per arterias eliminandum neutiquam valeat, efficit tamen quod imminuta aliquantum cruoris copia, sanguinis perpetim affluentis particulæ stagnantibus tam copiosæ non adhæreant, neque fomentum inflammationi accedat. Inter prophylactica remedia quoque refertur fonticulus in brachio excitatus. Purgantia verò angue pejus fugienda sunt, sed si fęces induratæ intestina onerent, enema adhibeatur emolliens, cujus sequens esse potest formula.

℞. *Rad. alth.* ℥ ß.
Fœnic. ʒ iij.
Bryon. ʒ ij.
Herb. malv.
Violar.
Branc. ursin.
Bon. henric. aa. M ß.
Flor. malv. arbor.
Chamomill. aa. P j.
Sem. lin. ℥ ß.
Concis. coq. s. q. aq. *simpl.*
In Colat. ℥ viij. *dissolv.*
Elect. benedict. laxat. ʒ vj.
Mell. mercurial. ℥ ß.
Vitell. ov. No. j.
Ol. lil. alb. ℥ j.
Nitri Antimoniat. ℈ j.
M. F. Enema tepidè applicandum quavis hora diei.

Loco enematis utiliter etiam exhibebitur per os in jusculo assumendum ol. amygd. dulc. cum cremore Tartari, ex. gr.

℞. *Ol. amygd. dul.* ℥ j.
Cremor. Tartari ʒ j.
M. D.

Sedulò etiam distinguenda est Angina à Tonsillarum tumore & inflammatione, prior enim sæpius feliciter bezoardicis curatur, posterior anticatarrhalibus. In maligna Angina & epidemica ante omnia conveniunt blandiora diaphoretica, quæ in curatione omne ferunt punctum, acidum absorbendo, & succos peccantes per diaphoresin eliminando, quæ præsidiorum universalium nomen & partes sibi meritissimo suo vendicat jure, & reliquis palmam reddunt dubiam, momentaneamque, si in tempore in usum vocentur, auxilium concilant, utpote quæ salinas acres particulas in partem delatas corrigunt, acidum infringunt, & per universum corporis emunctorium expellunt, sicque à parte affecta avertunt. Huic fini inserviunt C. C. Solare, sal C. C. volat. card. bened. antihect. Poter. dentes apri, & omnia quæ in pleuritide prosunt, Mixtura simpl. Aqua theriac. camph. Theriaca, Tinct. Bezoard. spiritus Tartari cum additamento aliquo, rad. vincetox. scabios. cum syr. papav. rhæad. aq. scabios. plant. or. sambuc. omnia enim, quæ in pleuritide alisque inflammationibus conducunt, & hic prosunt, ubi observandum, diaphoretica hic non in pulveris, neque boli, neque pilularum forma danda, ob summam deglutiendi difficultatem, sed potulenta propinanda. In maligna, ceu majori malo, & epidemica alexipharmaca interponenda, & pro re nata granum unum theriacæ cœlestis addi potest. Proderit quoque decoctum ex rad. chin. salsaparill. & herb. scabios. add. mell. ros. & parum lap. prunell. vel arcan. duplicat. Interea verò dum deglutiendi difficultas permanet, ne æger ob alimentorum defectum planè enecetur, clysteres in usum ducere licet, qui parantur ex lacte, brodio carnis agninæ, vitulinæ, bubulæ, pullarum, cum vitello ovor. pauco vini generosi, non acidi aut austeri, ne coagulationes excitentur, & commoda nutrimenti distributio adhuc magis impediatur.

Sed non adeò diu differenda sunt Topica, quæ hoc in morbo toties salutaria reperta sunt remedia, eaque existunt vel gargarismata, vel linimenta, vel unguenta, vel cataplasmata, vel emplastra resolventia & discutientia succos stagnantes acidos, & inde natam inflammationem, qualia sunt blanda incidentia, volatilia aromatica, &c. Sequenti gargarismate nonnullos feliciter curavimus.

℞. *Aquæ flor. sambuc.* ℥ ij.
Plantag. ℥ j.
Spiritus vin. ʒ vj.
Sal. Armoniaci gr. xx. *M.*

Quando verò æger nequit gargarisare, aut timendum est, ne fauces magis irritentur, tunc præstat gargarismum sæpius solummodò in ore detinere, absque ejusmodi faucium commotione. Vel

℞. *Decoct. flor. sambuc.* ℥ viij.
Aquæ flor. sambuc. ℥ ij.
Spir. vin. Tartarisat. ʒ ij.
Camphorat. ʒ j.
Mell. rosar. ℥ ß.
M. F. Gargarismus.
Sufficit solus spir. vini cum albo græco prò Rusticorum gargarismo.

Sequens verò experientia nostra comprobatus est gargarismus, quocumqne morbi tempore usurpatus.

℞. *Decoct. fol. salic.* ℔ j.
Spir. Sal. Armoniaci ʒ iij.
Sacch. canth. q. s.
M. F. Gargarismus.

Quidam urina propria se gargarisant, sed præstat sine ulla agitatione talia detineantur in ore, capite retrò deposito, donec incalescant, dein exspuantur & repetantur subinde. Pro resolutione & discussione non placent unguenta, potius salia volatilia & quæ nullas obstructiones post se relinquunt. Ex. gr.

℞. *Salis volat. Urinæ* ʒ ij.
Solv. cum pauc quant.
Aquæ flor. sambuc. add.
Butir. recent. vel virid. ℥ j.
M. F. Linimentum.

Vel externè circa collum imponantur lintea duplicata Spiritu vini camphorato madefacta, vel aqua Regin. Hungar. vel aq. theriacal camphorata, quæ egregia erit. Nimis adstringentia quocumque morbi tempore atro carbone notamus & proscribimus, cùm malum indurando & acidum augendo magis nutriant, quam solvant. Laudamus verò sacculum ex croco & floribus sambuci circa tumorem applicatum, item emplastrum ex rob sambuci, nitro & vitello ovi paratum. Refert etiam *Cardanus lib. 7. de variet. rer. cap. 25.* quod rubeta cocta & pro emplastro imposita adeò anginosis prosit, ut quendam jamjam moriturum auxilio hoc liberarit, creditque & filum, quo rubeta suspensa interiit, conferre.

Sed si tumor iste cum inflammatione discuti non potest, vel neglectus fuerit ab initio, de suppuratione cogitandum est, in hunc finem conveniunt varia mitigantia & emollientia temperata. Sit verò in Juniorum gratiam sequens formula.

℞. Flor.

℞. *Flor. scabios.*
Malv.
Chamomill.
Melilot.
Ficuum aa. M. j.
Rad. liquirit. ℥j.
Alb. græc. ʒj.
Coq. in aq. simpl. vel lacte in formam cataplasmatis.

Ettmulleri cataplasma singulariter etiam existit proficuum, quod paratur ex medullę panis tritic. ℔ß. rad. alth. lil. alb. aa. ℥j. sem. lini ʒ vj. fœnigr. ℥ß. quibus in lacte coctis ad consistentiam pultis & per setaceum trajectis addit ol. amygd. dulc. lil. alb. aa. ʒ vj. butyr. recent. non salit. ℥ß. Croci ʒ i. vitell. oui No. ii. Prodest quoque cataplasma de nido hirund. *Mynsichti*, nitrosa enim quàm maximè conducunt, & tàm discussioni, quàm suppurationi inserviunt. Vi verò hac nitrosa prędita sunt omnia stercora, quę multum Sal. Armoniaci & nitri continent; nec non pulvis noctuę cum penis combustę, vi sua lixiviosa volatili non parum commodi pręstat. Loco cataplasmatum istorum sumatur lana sub collo ovium crescens, illinatur oleo amygd. dulc. & oleo Tartari per deliq. vel oleo scorpion. & imponatur. Cataplasma verò quod paratur ex salibus volatilibus aromaticis, Camphora & Theriaca, optimum est sępius in die & ab initio morbi applicatum, interpositis internis sudoriferis; si verò quis suppurationem desiderat, paretur cataplasma ex allio, gumm. Armoniaci.

Cùm abscessus ruptionem minatur, caricę in ore teneantur iuxta locum affectum, vel coquantur in lacte & ore detineantur. Quod si maturatus fuerit abscessus, aperiendus est, quod fiet, si illinatur abscessus cum melle & albo græco, vel decocto sinapi ʒ j. in hydromell. ℔ j. aut si attingi potest, aperiatur scalpello. Rupto abscessu abstergentia vulgo dicta usurpanda sunt. Esto formula.

℞. *Syr. de ros. sicc.*
Violar. aa. ℥j.
Aq. flor. sambuc. ℥ij.
M. & sæpius assumantur.

Ad ulcus mundificandum & consolidandum convenit decoctum hord. ℔ j. cum melle ros. ℥ iij. vel decoctum plantag. veron. cum melle. Si ulcera sint contumaciora, ad præscriptum *Sylvii* melli rosato addi potest spiritus salis q. s. ad suavem aciditatem. Si sordidiora fuerunt ulcera, conveniet aqua viridis *Plateri*, vel *Hartmanni*. Consolidat postmodum ejusmodi ulcera decoctum veron. cum melle, addito momento alum. usti.

In extrema necessitate etiam approbamus opportunum illud auxilium Chirurgicum, nempe Laryngotomiam vulgo, sed rectius Bronchotomiam dictam, quæ à *Paulo Ægineta lib.* 6. *cap.* 3. φαρυγγοτομία nominata in summa respirandi difficultate proponitur, & à *Marco Aurel. Severino de Sect. p.* 2. maximo extollitur opere, & non modò ab *Archigene*, ut superius iam Galenici retulerunt, sed etiam ab *Asclepiade* & *Anthillo* usurpatum creditur remedium, uti ex *Paulo Ægineta* loco citato videre est, quam Brenchotomiam Cl. BlanKardus in Collectaneis suis Medico-Physicis ex voto institutam fuisse testatur. Sic. Cl. D. *Vualdschmidius* cani strangulato laryngem incidit & halitum inflavit, inde canis reviuiscere cœpit, & larynx sauciatus interum coaluit. Perficitur autem sequenti modo. Sectio per longitudinem myrtiformis in collo sub larynge fit cutanea, factaque cutis diductione inter tertium & quartum annulum bronchi cartilagineum, & quidem in medio membranaceo foramen aperitur, in quod foraminulum dein canula plumbea, alis prædita, ne introrsum rapiatur, inditur, tamdiuque ibi relinquitur pro aeris summè necessaria reciprocatione, donec tumor cessaverit, tunc enim removetur & locus apertus consolidatur.

Quoad Anginam minorem, veteribus malè notham, aliis verò albam dictam, de qua sat prolixè *Mindererus* in *Medicina Militari p.* 109. tractat; ubi scilicet lentor seu lympha viscida fauces & linguam obsidet, prodest abstersio mediante linteo Aceto sambuci humectato, & fiat gargarisatio cum decocto vel aq. ligustri cum pauco Aceto, addito momento Salis Armoniaci. Sic & rob nucum, diamor. cum melle rosato conveniunt, vel sequens gargarismus polychrestus in uvulæ exulceratione simul congruus.

℞. *Herb. malv. hortens.* M j.
Salv. M ß.
Flor. ros. rub.
Prunell.
Veron. aa. M ß.
Rad. polypod. qu. ℥ j.
Coq. in aq. prunell. ℔ iv.
& vini ℥ vj.
Usque ad casum transversi pollicis, posteà colentur, & Colatura leniter exprimatur.

Si verò fauces obsidentur à succo salso & Tonsillæ sunt inflammatæ, conveniunt varia anticatarrhalia vulgò ità dicta, ut sunt cinabarina, liquor C.C. succinat. Cephal. n. d. Nervinus, &c. item Rob sambuci in aqua sambuci solutum multum juvat pro gargarismate usurpatum. Externè vertici capitis inungatur balsamus succini, vel imponatur fermentum panis cum thure & succino, aut Spiritu vini, & suffitus ex thure, mastich. succin. gumm animæ, aliisque pulveribus anticatarrhalibus institui potest, omnia enim hic prosunt, quæ de catarrhis diximus, unde & nuces moschatæ singulare commodum præstabunt, si loco tabaci fumentur.

Curatio Tumoris Glandularum iugularium.

In *Tumore* & obstructione Glandularum Jugularium colli à materia acida viscida, conducunt præ omnibus, quæ acidum corrigunt, & obstructionem factam tollunt, ut sunt omnia volatilia, præsertim liquor C. C. succinat cum essent. viperin. Zvvelf. permista & sæpius data, & in his affectibus primas vias semper respiciendum est, ne chylus acescat, quare eum in finem conducunt varia absorbentia, Martialia, item amara; pro specifico hoc in casu commendamus essentiam carminativam cum Elixir. antifebrilis *Mynf.* maritatam & diu usurpatam, dein, si lympha nimia copia peccare videatur, interponatur diuretica, ut serum viscidum non tantùm incidatur, sed evacuetur, in quem finem convenit momentum salis aperitivi, card. bened. absinthii. Laxativis tamen meritò præferuntur diaphoretica, non modò lympham crassiorem incidentia & acidum corrigentia, sed per apertos poros etiam abundantiam ejus ejicientia, ut residuum posthęc facilius à vasis absorbeatur & glandulę liberentur quapropter quovis tempore sequentem exibere licet mixturam.

℞. *Aq. flor. sambuc.* ℥ j.
Essent. Card. bened. ʒ j.
Spiritus vin. camphorat. ʒ ß.
Liq. C. C. succinat. gr. xvj.
Syr. de Scord. simpl. ℥ ß.
M. D.

Post evacuatam lympham acidum corrigatur, & obstructio in glandulis tollatur volatilibus oleosis, inter quæ excellit Sal. volat. oleos. nostr. ad paucas guttas per mensem & ultrà usurpandum, quod raro te fallet.

In tumore glandularum catarrhali inter remedia salutaria meritò numerantur cinabarina & succinata, & quæ toties his in affectibus subitaneum præstiterunt auxilium, infusa lignorum & herbarum anticatarrhalium in vino, ex quibus sequens formula tyroni inserviat pro paradigmate.

℞. *Rad. Enul.* ℥ ß.
Caryophyllat. ʒ iij.
Arist. rotund. ʒ ij.
Imperator. ʒ j.
Rasur. lin. sassafr. ℥ ß.
Guajac. ℥ iij.
Cort. tamarisc.
Fraxin. aa. ʒ ij.
Fol. rorismar.
Herb. majoran.
Serpill.
Menth.
Salv. aa. M ß.

Flor. cent. min.
Beton. aa. P. j.
Baccar. junip. ℥ß.
Mac. ʒij.
Caſſ. lign. ʒj.
Ex hiſce ſ. a paretur Nodulus,

menſuræ vini impendendus, de quo ſingulis diebus ter ℥iij. hauriantur. Eſſentiæ ſaſſafras, ſalviæ, roriſmarini, aliæque loco vini iſtiuſmodi medicati ordinario potui inſtillari poſſunt, & cum ſalibus volatilibus acuatæ etiam aliàs in vehiculo convenienter exhiberi. Maximè tamen hic conveniunt Mercurialia imprimis pilulę noſtræ polychreſtæ ex Turbith. min. ℈ß. & theriac. Andr. ℈j. paratæ, 3. vel 4. veſperi exhibendæ.

Inter Topica aliquoties magno cum fructu impoſui Emplaſtr. diachyl. ſimpl. oleo petræ malaxatum, Vigon.cum Mercurio, crocatum *Mynſichti* & polychreſtum noſtrum, quod paratur ex ſale Armoniaco, minio, camphora, vitro Antimonii & cera, gummata enim glandulæ haud æquè ferunt. Sępe etiam magno cum emolumento ejuſmodi Tumoribus reſolvendi gratia imponi juſſi Sal commune toſtum, & Sali Armoniaco mixtum in ſacculo Conveniunt quoque ſuffumigia ex maceratione flor. ſambuci, chamomill. & ſem. carvi in ſpiritu vini, item ſolo ſpiritu convulſivo, vel ſpiritu matricali aloe maritato, nec non ilinitiones ex oleo amygd. dulc caſtor. deſtillat. chamomill. menth. majoran. carvi, balſamo nervino, &c. calidè adhibitę, quibus interdum facilè diſcutiuntur. Quando verò diſcuſſio impetrari nequit, opera danda eſt, ut ſuppuratio promoveatur cataplaſmatis ex ſuperioribus jam cognitis, ut ità abſceſſu aperto materia pecans funditus tandem ejiciatur.

CAPUT II.

De Strumis & Bronchocele.

§. I. EA eſt Creatoris Sapientiſſimi benignitas, ut mentis humanæ habitaculo non modò membris ad uſum vitę proſpexerit neceſſariis, ſed eadem etiam ipſa tam pulchro collocaverit ordine ut cuivis intuenti ſingularis inde emergat venuſtas. Quis enim non facilè perſpicit, quam concinnè caput inter & thoracem collocatum ſit Collum, ut hac parte etiam ſingulariter ſuperbire ſoleat ſexus fœminea, toties erecto incedens collo, illudque ſub jugum flecti ſępiſſime impatiens. Quin pulchritudinem hanc variis adhuc aliis ornamentis commendare ſtudet, ut ob cultum hunc eruditis quibuſdam Collum à colendo dictum fuiſſe rectè videatur, ſępe enim torquibus, monilibus, margaritis, auro & argento mirum in modum veſtitur, ut in luxum & ſuperbiam deflectant. Deuſque benigniſſimus iuſta ira in pœnam immittendam excitetur, ideòque loco margaritarum aut globulorum aliorum variis excreſcentiis morboſis Collum hocce deturpari permittat. Inter Excreſcentias verò, quę in Collo emergere ſolent, imprimis recenſendæ ſunt *Strumę*, ſeu *Scrophulæ*, Latinis Extuberantię, ſeu Excreſcentię glandularum colli dictę, item Hydrops glandularum Colli, Germanis *Kropffe*. Vocantur autem Scrophulę à Scrophis, id eſt, porcis, quoniam ſcrophis ſeu porcis, vel porcellis frequenter in collo inhęrent ejuſmodi glandulę, vel quòd ſuos multos pariant porcellos, & ità multę ſcrophulę ſimul in collo naſcantur, unde *Felix Platerus* Scrophulas à Strumis rectè diſtinguit, quòd Scrophulę plures ſint & minores, Strumę verò pauciores & maiores fiuntque tumores parvi materiam ſteatomaticam propriæ tunicæ incluſam continentes, &, ſi tumor eſt magnus & ſolitarius, magis ad carnis naturam vergens, tunc vocatur Struma. Addunt & aliud Strumę genus, quod dicitur *Bocium*, *Bronchocele*, ſeu Hernia gutturis, aliquando majorem carnis formam induens, & verum colli fungum conſtituens. Ut plurimùm tamen hæc ſtrumarum diverſa genera ab omnibus inter ſe confunduntur. Incolæ quædam, ut Carinthię & Styrię omnes ferè à ſcrophulis vexantur, quare *D. Horn* Alpinos ait ſtrumoſos eſſe & craſſos.

Callum à colendo dictum.

Strumæ Scrophulæ.

Bocium, Bronchoceles.

Scrophulæ & Strumæ ſub duplici ſunt differentiâ, vel enim ſunt mobiles & pendulæ, vel immobiles ſeu fixæ, quæ reliquis partibus profundius intertextæ & quaſi radicatæ ſunt; attactu vel molles, vel durę, vel dolentes, vel indolentes; à quibuſdam etiam dividuntur in benignas & malignas.

Differentia Scrophularum & Strumarũ.

Deſcribi poſſunt, quòd ſint tumores duri glandularum conglomeratarum colli, vel ſalivarium dictarum, ob craſſitiem & viſciditatem lymphę aliorumque ſuccorum ab acido ibidem ſtagnantium & tubulos obſtruentium producti.

Deſcriptio Scrophularum.

Bronchocele ad mentem *Celſi* inter cutem & aſperam arteriam increſcit, in quo modò caro hebes, modò humor aliquis melli aquęve ſimilis includitur, interdum etiam minutis oſſibus pili immixti ſunt, vel, ut à *Foreſto* obſervatum, pediculi vivi Deſcribi verò poteſt, quòd ſit tumor partium mollium prope bronchia, à diſtentione & dilatatione violenta membranæ aſperę arteriæ, nervorum, muſculorum & ipſius colli cutis, in formam ſacculi, in quo ſucci poſtmodum colliguntur & ſtagnando ab acido coagulantur.

Brõchocele. Eius deſcriptio.

§. 2. *Pars affecta* Strumarum ſunt Glandulę conglomeratę dictæ colli; notum enim eſt hodierna accurata inſpectione Anatomica, officium conglomeratarum planè diverſum eſſe à conglobatis, uti videre eſt in Hepate, cujus glandulę ad ſeparationem & tranſcolationem bilis inſerviunt, Pancreatis verò glandulæ ad ſuccum pancreaticum, ſic glandulæ ſalivales ad ſalivam. Sed licet videamus, revera uſum planè illarum glandularum diverſum eſſe, lympha tamen & ſaliva vix admittunt differentiam, ſi utraſque lapide Chymię Lydio probaveris. Et quòd in iſtis, qui ſcrophulis laborant, non duntaxat glandulę iſtæ ſalivales afficiantur, ſed & aliquando internę, non ità pridem obſervavi, dum non tantùm glandulas in collo, ſed totum quoque brachium cum ſcapulis ſcrophuloſum deprehendi in filia mercatoris huius civitatis mortua, in cujus meſenterio, aperto cadavere, plures quàm mille glandulas parvas tumidas obſervaui. Confer etiam *Obſerv. annotat. Pauli Barbette* in ſua *Praxi, lib. 2. cap. 2.* quot enim aperui, eorum meſenterium ſtrumoſum inveni: confer *Vvarthonum in Adenogr. cap. 40.* de Strumis, alioſque. Proinde certum eſt, glandulas meſenterii plerumque affectas & ſtrumoſas eſſe in illis, qui à ſcrophulis vexantur in his regionibus, illas enim ſemper iuſto majores, & duriores inveni, quam aliàs eſſe ſolent; & in promptu cauſa eſt, quia ſucci in corpore noſtro ab acido craſſi, lutoſi & ſpiſſi facti ubicumque remorantur & ſtagnant.

Pars affecta Strumarum & Scrophularum.

Bronchoceles ſedes proxima ſunt membrana duplex Bronchi, ſive Fiſtulę pulmonalis, aliàs Tracheę & Arteriæ aſperæ dictæ, uti & nervi eam comitantes, hi enim in magno conatu valde diſtenti intumeſcunt, & dilatantur, aliquando etiam convolvuntur & diſpoſitionem ganglioformem nanciſcuntur, ſicque muſculos & cutem colli ſimul extendunt, & ſucci illabentes coagulati & ſtagnantes partes haſce in extumeſcentia detinent & conſervant. Notum verò eſt ex Anatomicis, Fiſtulam hanc eſſe canalem quendam cartilagineum membrana duplici, externa à pleura & interna à tunica palati pronata obductum, aerem ad pulmones inferentem, atque in homine ipſi incumbere œſophago, ubi ab ore rectà deorſum per collum ad pulmones procedit, cujus caput ori proximum Larynx dicitur; alterum extremum ad quartam thoracis vertebram in ramos duos dividitur utrimque pulmones ingredientes, & ſucceſſivè in ramulos alios diſtributos, donec ad pulmonum ſuperficiem extremam in ramulos minimos deſinant; intermedia verò Fiſtulæ pars *Bronchus* eſt, ἀπὸ τοῦ βρέχεσθαι facta etymologia, quòd potu ad eam depluente irrigetur. Hanc Fiſtulam pręter venas à jugularibus, & arterias à carotidibus communicatas,

Brõchoceles.

catas, etiam nervi à recurrentibus sexti paris producti comitantur, quorum ii, qui in dextram Tracheæ partem emittuntur, annulos ejus deorsum movere pro inspiratione & voce gravi, qui verò in sinistram utrimque exeunt, annulos pro expiratione & voce acuta sursum attollere à *Vvillisio* creduntur, in quibus aliquando affectus hic solet primariò hærere. Deinde in quibusdam regionibus contingit, ut membranis hisce illæsis soli musculi, sive Longi, sive Scaleni, sive alii afficiantur, sunt enim utrimque quatuor, quorum præter dictos adhuc recensentur Transversales & Spinati, atque in illis dum fibræ tubulorum à crassiore succo ab aqua & reliqua diæta communicato tenduntur & cutis simul depelitur & in protuberantiam extenditur; aspera verò arteria & esophagus premuntur compressione tali angustantur, sed tum est affectus impropriè dictus ut in scroto Pneumatocele, Hydrocele, & species quædam aliæ, non Herniarum, sed Tumorum seriei inserendæ.

Diagnosis Strumarũ & Scrophularum.

§. 3. *Diagnosis* ipsarum *Strumarum* & *Scrophularum* non ità difficilis, tumor enim collo unus vel plures adsunt duri & sæpe sub glandulæ forma, quas etiam occupant, & hæ benignæ sunt, malignæ verò & cancrosæ sunt dolentes. Deinde omnes Strumæ aliquando suis membranis sive cysti includuntur, quemadmodum Steatoma, Atheroma, & Meliceris, & sensibus statim deprehenduntur; interdum centum & plures collum obsident, & ad Scapulas usque disseminantur, prout observavi in filia nostri mercatoris. Sunt ut plurimum absque inflammatione, quædam tamen cum inflammatione sunt conjunctæ; aliæ malignæ & cancrosæ, pro materiæ acrioris & corrosivæ ratione. Sunt & aliæ mobiles, aliæ immobiles. Mensium obstructiones easdem facilè comitantur, ob crassitiem succorum massæ sanguineæ communicatorum, ab acido viscido ad stagnationem inducendam aptissimo Distinguuntur à Glandulis in catarrho intumescentibus, quod tumor hic mollior sit & per medicamenta diaphoretica stagnatio lymphæ citius resolvatur, & hinc tumor evanescat, Scrophulæ verò & Strumæ longè sunt duriores, & tam brevi discuti nequeunt. Prætereà Scrophulæ magis etiam sunt pendulæ, & protuberantes, adeò ut gradualis adsit differentia, secundùm majus & minus. Ex diuturniore enim lymphæ stagnatione, facilè ejusdem spissior subsequitur coagulatio, unde major illa durities, quæ in Scrophulis tactu percipitur. *Paracelsus* verò longè alia exponit *Scrophularum* signa à *Strumarum* signis maximè differentia Scrophulas enim dignosci asserit, si bullæ surrexerint in carnoso quopiam loco, rubei coloris cum flavo centro, cum uredine maxima, tumoreque, posteà mirum in modum & citissimè rubuerint, ac postremò foramina, quorum unum alterum non tangat inciderint. Strumam verò adesse colligi vult, cùm in collo nodosi tumores excreverint, cute connexi adinstar raparum.

Brõchoceles.

Bronchocele est aliquando insignis magnitudinis, & deturpat sæpe totum collum, ab eo instar sacculi, aut pyri, aut vesicæ inflatæ pendula & undulatio atque fluctuatio humorum in ea nonnunquam percipitur. Sæpe lympha modò spissior, modò flatulenta in ea concluditur, interdum materia carnea, hinc ægri organa respirationis & deglutitionis sæpe ab onere premuntur, ut inde aliquando suffocatio timenda sit, imò reperta est aliquando massa carnea dura pugni magnitudine cum ossiculis pluribus, uti apparet ex *Observ. Cl. D. de Muralato, Observ.* 134. *Ephem. Germ. Decur.* 3. *Paracelsus* Bocii signa exhibet sequentia: Si mulieri bullæ nascantur, posteà porri, postmodum carnis excrementum sub cute, vel super eam, quæ pro menstrualium augmento habeant progressum.

Ætiologia secundum Galenicos Scrophularum & Strumarũ.

§. 4. *Galenicis* videntur *Scrophulæ* & *Strumæ* progenerari à succi alimentari superfluitate, producta ab alimentis phlegmaticis & mucilaginosis in hominibus temperamento phlegmatico præditis, quorum facultas concoctrix debilior humorem phlegmaticum superfluum & non superabilem ad partes debiliores propellat, in quibus in Glandulas scliroticas induretur, quoniam materia hæc frigida & mucosa inepta sit ad suppurationem; in collo verò facilius, quàm in partibus aliis indurationem hanc contingere dicunt, quia aeri frigido magis sit expositum, materiam hanc mucosam & viscidam citius compingenti.

Brõchoceles.

Bronchocelen pronasci dicunt à collectione vel humorum, vel flatuum inter cutem colli & asperam arteriam, abs qua cutis distenditur & succi alimentares crassiores ibidem coacervantur; eandem quoque cutis distensionem & flatuum impulsionem à magno excitari affirmant conatu, in enixu partus, egestione fæcum, aut sustollendo onere, aliisque laboribus gravioribus.

Paracelsi opinio de causa Scrophularum.

§. 5. *Paracelsus* statuit *Scrophulas* prodire ex sale de milio, dum alumen resolvitur in aquam, & in primam redit materiam, & postmodum in grana rursus coagulatur, gutta quælibet suum foramen edit, & in membro collectum remanet; quodvis etiam foramen peculiare centrum habere asserit, atque operationem salis hujus similem esse operationi salis lapillati de grandine.

Strumarum

Strumarum originem spiritui minerali assignat, quatenus hic, qui in tartari genera permiscendus erat, propter naturæ suæ conditionem elevatur & adscendit, unde si collum obsederit & ocupaverit, nodos gutturis gignat quippe tartarum faciendi minimè potens, quoniam sine corpore existat, struma tamen materiam cruspuleam contineat, qua singulariter oblectetur, & in venosis partibus nodos magnos aut parvos suscitet, ut ita tartara mineralium alimentum tantùm aut nutrimentum strumarum fiant ac illarum generatio, seu mater, eaque cognationem & affinitatem quandam habere pronunciat cum tartaro vini in vesica, adeò ut simili modo liquores tartari collum obsideant, eoque loco vasa sua & virtutem habeant crescentem. Præterea *lib. Philos. de generat. stultor.* commemorat, quamvis strumæ stultis non sint propriæ, sed ipsis cum aliis communes, in stultis tamen cum aliis deformantibus esse frequentissimas, idque hanc ob causam, quod non tantùm sculptura mala ipsa ratio corrumpatur, verum & ipsum corpus, quod indecoris formis appensis turpetur. Ori verò ex metallicis & mineralibus aquis, quæ strumas ex nativa proprietate gignant, ubi multæ etiam constellationes coincidant, & potissimum ubi hujusmodi regiones reperiantur. Nasci quoque easdem ex mineralibus vult modo planè eodem, quo alia, quæ oriuntur ex eisdem, sicut intempestiva marchasita, vel mineralia cruda, & hinc fieri putat, ut strumosi magis ad maniam, quam ad intellectus temperantiam proni sint, propter mineræ nempe cruditatem in struma sitam, quæ collum occupat in quo mineralium est principium; quodvis autem minerale crudum prope radicem crudam generare excrescentiam illi similem, quod inde fieri debuisset, quoniam crudum quodque mater sit & origo nodosorum.

Bocii.

Bocio ortum adsignat ex menstruis & hemorrhoidibus, eodem loco, in quo ambæ hujusmodi fluxiones uniuntur, illudque in alio fluxu proprium sibimet facere emunctorium, liquorem enim seu fluxum, si constipatus fuerit, ut ad locum pervenire nequeat, nec id ipsum exequi valeat, quod sui fuerit officii, retrogradi asserit, donec transeat in carnis generationem.

Helmontii opinio de causa Scrophularum.

§. 6. *Helmontius* docet, *Scrophulas* sepissime oriri ab imaginatione & idea quadam aberrantis Archei, dum ex tristitia ob paupertatem, digestiuam in stomaco simul aberrare facit, & imaginem sibi cudit istiusmodi nodorum, qui toties tristitiæ affectum sequuntur.

Strumarum & Bocii.

Strumas & *Bocium* defectum dicit esse transmutatoris Archei, non verò coagulationem Tartari, sed ex bono fieri cruore, cui strangulans potestas vitæ mediæ sit relicta, Archeum enim omnem sibi substratam transmutare massam, nisi à vita media potentiore victus cesserit. Contradicit proinde manifestò Paracelso, dum easdem ex cachymiis mineralibus & aquis potis mineralibus pronasci credit, poscitque ab eo, ut per ignem cachymias istas in aquis ostendat, quibus proprium sit, in ultima duntaxat nostri digestione, nec albi quam circa jugulum coagulari, quod eum nunquam præstiturum esse novit. Interim fatetur quidem aquæ inesse vitam mediam, cui sit proprium Archeum excitare,

citare, & inficere in commutatione boni alimenti, non autem tartari peregrini illi inexistentis materialiter in duritiem petrosam, sed ad strumas requiri contendit materiam, quæ proprietate sui Archei nata sit præcludere fauces ac quasi præfocare, idque citra adstrictionis aut terrestris acerbitatis, transmutataque in alimentum, retinensque pristinas vires vitæ mediæ perfungatur sua potestate, circa guttur magis, quam alibi, & hanc potestatem jure sibi hæreditario in alimentis, & hinc in cruore relictam convertere proximum solidorum alimentum in excrementum petrosum, quod directionis facultate strangulante ad guttur concedat. Hoc trutinantem Seduni se reperisse dicit fungos præfato præfocandi veneno pollere, illosque frequentes è radice laricis abietis & pinorum, in rupibus ad septentrionem declivibus succrescere, ubi niger agaricus, ejusdem criminis hæres, in trunco frequens, unde didicerit, totum terræ Leffas fungosa indole ibidem contaminari, credideritque Strumas nasci usu herbarum & aquarum, quæ hujusmodi Leffas imbiberunt.

Vuillisii de causis morborum horū opinio.

§. 7. *Vuillisius* morbis hisce universis eandem fermè adsignat causam, *Scrophulas* enim oriri vult ex liquore nerveo in glandulis ob diuturniorem stagnationem inspissato, *Strumas* verò & *Bronchocelen* ab eodem humore nerveo in transitu suo impedito, & in parte quadam colli stagnante, dum spiritu depresso aut avolante, particulæ salinæ à volatilitate in acorem degeneres, consortia aliena mox ineat, atque corpuscula sulphurea sibi arripientes, in tumores strumosos coagulentur.

Sylvii ratiocinium de causa Scrophularum.

§. 8. *Sylvius* à coagulatione pituitæ aut Sanguinis in glandulis colli *Scrophulas* oriri existimat, dum ab acido austeriori succi isti propter venarum capilarium obstructionem refluere non valentes, fortius inspissantur, & glandularum harum substantiæ arctiùs impinguntur, sicque a volantibus fluidioribus succorum partibus, remanentia eorum spissior redditur & compactior.

Strumarū.

Strumarum originem ex lympha deducit peccante, & acido spiritu nimio in illa contento, à quo humores in glandulis colli conglobatis reddantur tenaciores, & tandem in gypseam consistentiam redigantur.

Brōchoceles.

Bronchoceles causam esse affirmant rupturam & distensionem cutis & subjacentis membranæ à reliquis partibus, & flatuum seu aeris sub ea collectione, quod frequentiùs à violentiori contingat conatu & laboribus cum spiritus quadam retentione conjunctis.

Cartesianorum iudicium de causa Scrophularum.

§. 9. *Cartesiani* à succo glandularum sive lympha tenaci & viscida, à particulis angularibus & hamatis fortius coagulata *Scrophulas* oriri existimant; quando enim per arteriolas succus iisdem communicatur multis particulis angularibus acutis & solidis præditus, eæ in particulas lymphæ ramosas in glandulis adhuc restitantes agentes aculeos suos particulis ramosis imprimunt, easdem in motu impediunt, sicque ad quietem pellunt, figunt & coagulant, hinc lympha inspissata & crassior per ductus suos ab arteriolis & venulis diversos, adeoque sibimet proprios transire nequit, sed stagnat, & novis particulis ex communi massæ per arteriolas communicatis augescit, unde glandulæ distenduntur & in tumorem elevantur, ipsa verò massa pro majori aut minori copia particularum ramosarum, angularium aut terrestrium diversum præ se fert colorem, soliditatem & cohærentiam, prout ramulæ divulsæ in globulos coierunt, vel diversimodè implicatæ & acutangulis compactæ fuerunt, vel intercedentibus particulis terrestribus & porosis aliquantum denuò fuerunt resolutæ, sed nondum omninò fluidæ redditæ, ut mucilaginem crassiorem, aut materiam pultaceam referant, quales particulæ per aerem, cibum & potum succis corporis humani facilè poterunt inferri, aut affectibus melancholicis stagnationes & angulares particulæ in iisdem augeri & cumulari.

Strumarū.

Strumas ab iisdem penè deducunt causis, & differentiam earum à Scrophulis saltem in majori copia particularum terrestrium particulis ramosis & angularibus intermistarum consistere credunt quæ minus ab angularibus coagulari queunt, hic massa non ita inspissatur, & cùm particulæ quædam porosæ iisdem intermistæ aliquando existant, potiùs dilatatur, & fibræ glandularum & membranarum adjacentium magis tenduntur, unde & tumor incrementum capit, maximè dum lympha massam contentam satis humectat, ad quę insuper si chylosus aliquando accedat liquor per arteriolas, hic ipsemet tandem corrumpatur, materia putrida & fœtida ob dissoluta salia inde facilè emergit. Quòd autem in quibusdam regionibus strumæ copiosiores conspiciantur, quàm in aliis, id ab iisdem particulis rigidioribus, angularibus, rerrestribus & ramosis copiosioribus, quam porosis & alcalicis, per diætam succis corporis internis communicatis, contingere rentur, quæ per angustos ductuum glandularum vascularium meatus tam facilè nequeunt transfluere, sed angulis suis hic illic tubulis adherentes, eosdem obstruendo tandem claudunt, & circa obturationem istam variarum particularum pariunt collectionem, coagulationem, aut aliam quandam misturam inconcinnam & minùs convenientem.

Brōcocelesi

Bronchocelen oriri putant, dum vi quadam impetuosa, & retentione spiritus membrana asperam arteriam aut musculos colli inuestiens nimium extenditur, & à reliquis partibus divellitur; spiritus enim animales à priori via repelluntur, & magna vi regredi coguntur, hinc spatium sufficiens non reperientes in tubulis consuetis, impetu vehementi membranam divellunt, quo interdum simul vascula quædam & nervuli dirumpuntur, ut succi eorum in cavitatem seu sacculum hunc effundantur, & successivè non modò majori copia colligantur, sed accedentibus particulis diversimodè figuratis singularem quandam constituant massam, modò spissiorem, modo flatulentam, à qua cutis simul distenditur, & pars ea colli redditur tumida.

Nostra sententia de causis Scrophularum, & Strumarum.

§. 10. *Nostra* ex sententia *Scrophulæ* oriuntur à lympha tenaci viscida & acida, acore austero prædita, in tubulis & meatibus glandulosis stagnante & obstruente, unde glandulæ non modò intumescunt, sed etiam indurantur. Sæpe enim ex acido vitioso, interdum corrosivo, oriuntur duræ illæ *Strumæ*, quæ nonnunquam primordium ex primis viis aquirunt, ubi chylus à fermento vitioso facilè acescit, hinc acidus ille chylus proclivis est ad obstructionem pariendam & mesenterium strumosum reddendum, quare imprimis hisce viis læsa lympha non facilè corrigitur in glandulis aliis colli. Nempe quacumque in parte glandulæ indurantur, inde fiunt scrophulæ, sed alio nomine à Medicis pro loci ratione donatę. Has scrophulas comitari solet febris lenta, ob viscidam materiam continuò sanguini permixtam. Certum autem est, per glandulas ex sanguine arterioso sequestrari lympham. Motus hujus lymphę non est à succo chylifero ad partes externas, verùm è contra à partibus externis ad receptaculum. Hæc lympha cùm satis tenuis est absque ulla resistentia, facilè per substantiam glandularum percolatur, ne glandulę quicquam damni patiantur à lympha transeunte; verùm si lympha crassior ac tenacior evadat, item si particulis terrestribus sit inquinata, vel sale crasso ac rigido turgida, non rarò pori glandularum obstruuntur, cumque particulę fluidiores serosę prę terrestribus & salinis se facilius accommodent angustis glandularum poris, hinc iis sedentibus successu temporis glandulę obstruuntur à terrestribus particulis & salinis rigidioribus, quę se angustiis pororum accommodare nequeunt. Hę glandulę si à materia tantùm viscosa & tenaci cum particulis terrestribus commixta impleantur in collo, oriuntur tumores nostri Scrophulę dictę, si prędominentur acidę acres particulę, degenerant in cancros, at si terrestres imperium habeant, degenerant in scirrhos. Qui succis abundant viscidis & acidis, proniores sunt in affectum hunc, quod pueris contingit scorbuticis sanguinem lutuosum habentibus, & catarrhosis; pręterea aer nimis frigidus & humidus, hoc est, qui abundat acido nitroso, & victus humidus acidus, chylum acidum subministrans ad coagulationem & stagnationem pronum, scrophulis producendis facilè inserviunt; maximè verò hic culpatur aqua præter mercurium particulas austeras in se continens, quales sunt in Carinthia,

Styria,

Styria, & circa Alpes; quo pertinet luxus, vitæ intemperantia, & ingluvies, ob quam causam & in senibus producuntur. Symbolum suum quoque conferunt somnus longus, otium nimium, vita sedentaria & desidiosa, aut melancholica, & similia, quæ succos in copia generant acidos & viscidos facile stagnantes.

In *Bronchocele* cum *Cartesianis* vehementem illum impetum meritò tanquam causam communiorem accusamus, cum experientia demonstret, ex validiore conatu in attollendo graviore onere, violenta spiritus emissione & retentione ejusmodi membranæ colli interioris divulsionem obtingere; dum enim spiritus per consuetos suos tubulos & cavitates impeditè anteà fluxerunt, at spiritus alii ad sufflandos musculos antagonistas prioribus impetuosiùs obviant, non modo valvulæ aliter disponuntur, sed spiritus ipsi per angustatos tubulos transgredi nequeunt, hinc cursum suum mutant, & diruptis fibrulis claustra egredientes quandoque ipsam asperæ arteriæ tunicam, si copiosiores spiritus ante inter cartilagineos ejus angulos & tunicam eos investientem fuerint contenti, frequentius verò membranam communiorem colli tendunt & divellunt, ut sacculus quidam formentur, in quo liquores ex diruptis venis, aut aliis quibusdam stillantes colliguntur, quæ pro diversa sui mixtura aliam atque aliam quandoque componunt massam, sicque nonnunquam materia quædam, sive sit succus nerveus, sive lympha pallida, fœtida & indurata quasi, aut in grumos concreta, propriæ cystidi inclusa in parte carnosa prope guttur fuit observata, quæ in tanta copia aperta Bronchocele emanavit, ut adstantes Medici non potuerint satis admirari, qualem videre licet in *Zodiac. Med. Gall. Ann. 2. Obs. 9. & 11. p. m. 47.*

Prognosis Scrophularum & Strumarũ.

§. 11. *Prognosin* quod concernit, omnes *Strumæ* cum *Scrophulis* difficiles sunt curatu, unde Strumæ ad pessimum colli morborum genus referuntur ab *Hippocrate lib. de glandul.* in *Tom. 1. p. 417. §. 6.* Faciliorem tamen curam admittunt incipientes, mobiles & in senioribus. Sic & illæ, quæ causam agnoscunt corrosivam, sunt sæpe incurabiles, ut illas vidi in condiscipulo quondam meo *Selein* dicto à Chirurgo Gallico *Attamen* nominato improvidè exsectas, unde mors ipsi fuit accelerata. Quædam etiam intrinsecus in collo producuntur, quæ suffocationis periculum minantur, uti *Hildan. lib. 3. Observ. 34.* cujusdam pastoris meminit, qui longo tempore struma tali in collo laboravit, cui catarrhus, ut ille inquit, accessit, & ad exulcerationem pervenit, ita ut non amplius victu uti potuerit & tandem ipsi morti fuerit traditus. Ordinariò quidem magnum adeò non inferunt semper vitæ periculum, attamen suffocationis metum, cùm augentur & laryngem comprimunt, sæpe incutiunt; inveteratæ quoque si fuerint, medicamentis cedunt, ubi verò Chirurgicum præsidium adhibetur, multitudo vasorum in collo præsentium, & arctius sæpe iis adhærentium, minus tutam reddit excisionem. Strumæ certè fatigant Chirurgos & ægros, quoniam non facile suppurantur, nec discutiuntur, ob viscidam & tenacem lympham in glandulis stagnantem & induratam. Sic & Strumæ frequenter in Scirrhum exquisitum degenerant, ob eandem materiam viscidam, quæ si diutiùs, acido scilicet aucto, subsistat, in duritiem gypseam transit, & quando exulcerantur, desinunt in cacoethica ulcera fistulosa, ac nonnunquam in cancrosa & corrosiva, acido illo in iis reddito nimis acri.

[B]ronchoceles.

Eodem ferè modò se habet cum *Bronchocele*, à cujus compressione asperæ arteriæ illata, sæpe suffocatio oboritur, quale nos novimus exemplum. Confer quoque *Theod. Berkring. Observ. Anat. 74.* qui observavit à Bronchocele subitò increscente & asperam arteriam colli vertebris adprimente monialem quandam suffocatam, quod & de puella *Tulpius lib. 1. Observ. 46.* animadvertit. A Bronchocele internè circa jugulum abscondita suffocationem observavit Platerus. Ob læsos quoque aut compressos nervos in sensibus oritur defectus, ut ægri vel difficulter audiant, vel gustus aut olfactus iis imminuatur, aut alia quædam spirituum obtingat aberratio, unde forte *Paracelsus* affectum hunc stolidis sæpius accidere putavit. Curatio in totum observatur difficilis, & aliquando casu, quàm studio Chirurgico, felicius fuerunt abactæ, quod simul præbet indicium, non semper de curatione penitus esse desperandum.

Diæta.

§. 12. Optimum *Diætæ* regimen, sicut in aliis affectibus, ita in hisce præsentibus, cum magno ægrorum instituitur emolumento. Quemadmodum enim commissi in Diæta errores sæpe affectuum origo sunt, ita optima victus ratio utplurimum in curatione omne fert punctum. *Aer* ergo sit optimo æthere, non verò acido nitroso repletus, proinde vitetur nebulosus ac pluviosus. *Victus* sit eupeptus, & attenuans, & quidem parcissimus, nam inedia & abstinentia multum ad curandas strumas facit: angue pejus fugiantur cibi crassi, fumo indurati, legumina, brassica, & alia digestu difficilia. Nocet & nimia repletio. Assa alimenta potius conducunt, quàm frixa, à carne suilla & piscibus omnino abstinendum. Omnia aromatica & aperientia vulgo ita dicta conveniunt. Potus sit vinum Gallicum, aut potus Theæ vel decoct. scrophular. vel potus aquarum mineralium, quæ imprimis in thermis inveniuntur, ut sunt Embsenses, potissimum verò reperta ibidem aqua mineralis in puteo peculiari exsiliens. Conducunt & thermæ Wisbadenses & Badenses in Helvetia, & Carolinæ in Bohemia. *Motus* & *Quies* minimè excedant, motus enim nimius nocet, nec non gestatio super caput maximorum onerum, item motus aut conatus nimius in partu laborioso. *Alvus* quotidie respondeat. *Animi motus* temperentur justo rationis fræno, omni studio ablegentur tristitia & mœror succos & spiritus nimis coagulantes. Vitetur & locutio plurima, & risus immoderatus, ne distendendo vasa & musculi magis dilatentur.

Galenicorũ modus curandi Scrophulas & Strumas.

§. 13. Curationem *Scrophularum & Strumarum* aggrediuntur *Galenici* omnium primò evacuatione humorum peccantium medicamentis pituitam incidentibus & eliminantibus, aliisque materiam earum absumentibus, qualia sunt radices bryon. pimpinell. aristol. rotund. polypod. querc. scrophular. Ir. Herb. agimon. heder. terrestr. rut. murar. artemis. filipend. Hermodactyl. agar. sem. cartham. turpeth. sem. urtic. nasturt. sinapi, &c. ex quibus varias colligunt remediorum formulas, potissimum verò infusum aliquod parant initio ad septimanam integram dosi convenienti propinandum, quale sequens exhibet formula.

♃. *Rad. Ir. Flor.* ℥ j.
Pimpinell.
Polypod. querc. aa. ʒ vj.
Rusci,
Bryon. aa. ℥ ß.
Hermodactyl. ʒ iij.
Herb. Heder. terrestr.
Scrophular.
Chamædr.
Saturej.
Rut. murar.
Salv.
Agrimon. aa. M ß.
Summit. thym.
Flor. anth. aa. P. j.
Spic. Ind. P. ß.
Fol. sen. s. st. ℥ j.
Agar. trochiscat. ℥ ß.
Sem. cartham. ʒ iij.
Fœnic. ℥ ß.
Urtic.
Sesel.
Apii aa. ʒ ij.
Cinamom. acut. ʒ j.

Incis. contus. & Nodulo inclusa infundantur ℔ vj. *vini generosi, stent loco tepido*, & postmodum quovis manè de eo potio assumatur conveniens, necessario asservato dietæ regimine. Infuso quando humores peccantes nondum satis inciduntur & evacuantur, decoctum aliquod parant validiùs attenuans & ad faciliorem evacuationem eosdem disponens, quale conficitur ex rad. enul. Ireos, Spatulæ fœtidæ, pentaphyll. filipen. Scrophular. apii, herbis marrub. beton. capill. ven. pimpinell. tanacet. flor. genist. sem. apii, urtic. sinap. cicer. rub. in vino

no coctis cum melle, & cinamomo aromatisatum quotidie, simulque comedendas tabulas aromaticas ex speciebus diagalang. diarrhod. dianth. tum humores superfluos eliminant Pilulis aggregativis, aureis, vel cochiis. Ejecta verò sic materia peccante & superflua, reliquias ejusdem ulterius specificis quibusdam absumunt, electuario nempe sequente.

℞. Conserv. majoran.
Rosar. aa. ℥ vj.
Cort. citr. condit. ℥ ß.
Pulv. rad. scrophular. ℨ ij.
Spong. combust. ℨ ij.
Oss. sep. ℨ j.
Cinamom. ℈ ij.
Zinzib.
Sem. sinap. aa. ℨ ß.
M. cum s. q. syrup. heder. terrestr. redigantur in formam Electuarii.

De quo singulis vespertinis & matutinis horis ℨ ij. assumantur. Re ita gesta topica quoque remedia ad subsidiarias vocant copias, initio quidem emollientia, vel resolventia & discutientia, at quando hæc nihil præstitura conspiciuntur, ipsa substituunt suppurantia. Ad priora referunt emplastrum de meliloto, oleo chamæmelino malaxatum, empl. de mucilag. oleo Irino malaxatum, ceratum de œsypo *Phylagrii*, Cataplasma ex farina lupinor. amaror. in oxymelite, aut ex fimo bubulo in aceto coctis, vel malagma monomachium sequens ab *Actuario* commendatum.

℞. Spum. argent. ℔ ß.
Farin. rad. alth. ℥ ix.
Sem. malv. sylv.
Fœnigr. aa. ℥ iij.
Lini ℥ j.
Sertulæ campan.
Aneth. aa. ℥ ß.
Chamæmel. ℥ iij.
Veratr. candid. ℨ iij.
Sampsuch. ℥ j.
Adip. Suill. vetust. ℥ iij.
Anserin. ℥ ß.
Gallinac. ℥ j.
Medull. cerv. ℥ iij.
Ceræ ℔ ß.
Galban.
Colophon. aa. ℥ ij.
Ol. vetust. ℥ xv.
Liquentur, quæ liquari debent, & arida adiiciantur.

Suppurationem promovent, quando de discussione spes cuncta redditur irrita, cataplasmatis ex farin. rad. alth. lil. alb. sem. fœnigr. vitell. ov. butyro & cepis parùm assatis, nec prius abscessum aperiunt, quàm de contenta materia omnimodò in pus conversa satis sint certi, ne immatura facta apertione & spirituum dissipatione, calor nativus, ad putrefactionem & suppurationem necessarius, imminuatur, proinde longo temporis tractu suppurantia apponunt, ut fomes scrophulosus putrefactione ista penitus exstirpetur. Si nec hoc obtinere queunt, & materia omni emollitioni & suppurationi repugnat, scrophulas colli superficiarias minusque profundis pendentibus radicibus, cutis facta incisione à partibus quibus attexuntur, divellunt & tandem abscindunt, cautè tamen animadvertendo, ne aut venas jugulares, aut arterias carotidas aut nervos recurrentes instrumento lædant. Hæmorrhagiæ instantis periculum avertunt, ipsas scrophulas post divulsionem acu filum ducente ad basin traiiciendo, & filum utrinque arctius revinciendo, ut sic constrictæ sensim decidant, & tum vulnus communi ratione denuò occludunt.

Bronchocelem. *Bronchoceles* curationem aggrediuntur præparatione humorum peccantium & eorundem evacuatione, potissimùm quando morbus hisce nondum adeò auctus est, sed adhuc pronasci incipit, quapropter eadem in usum ducunt medicamenta, quæ in scrophulis arripiunt decocta nempe, aut infusa, humores vitiosos, maximè verò pituitosos incidentia & educentia, ipsosque flatus dissipantia & discutientia, ex sem. carv. cymin. cinamom. galang. caryophyll. piper. & Zinzib. tum revellendorum & derivandorum humorum gratia fonticulos in brachiis effodiunt, aut setaceum per cervicem traiiciunt, topica apponunt adstringentia & intercipientia, posthæc discutientia & exsiccantia, non omissis specificis tumori huic absumendo singulariter dicatis radicibus nempe bistortæ, aristol. rotund. bryon. filipend. polypod. ononid. urtic. mort. Herb. agrimon. herniar. pilosell. rut. flor. genist. cort. tamarisci, visci pyror. ciner. spong. marin. alum. ex quibus variæ concinnandæ sunt medicamentorum formulæ, quarum sequens tyronibus præbeat exemplar.

℞. Herb. siccat. agrimon. ℨ ij.
Herniar. ℨ i ß.
Pilosell.
Rut. aa. ℨ j.
Rad. ononid.
Bryon. aa. ℨ i ß.
Filipend. ℨ ij.
Ciner. spong. cynosbat. ℨ ij.
Oss. sep. ℨ j.
Sem. cymin. ℈ iv.
Pip. long.
Alum. aa. ℈ ij.
Pulverisata excip. s. q. mellis dispumati, & s. a. F. Electuarium.

De quo luna decrescente exhibeantur singulis diebus ℨ ij. in aurora, & potui ordinario qui sit vinum mediocre, sequens imponatur Nodulus.

℞. Rad. filipend.
Scrophular. aa. ℥ ß.
Aristol. rotund.
Verbasc. aa. ℨ ij.
Herb. Heder. terrestr.
Herniar.
Beton.
Saturej. aa. M. j.
Flor. geni. P. j.
Fol. cupress. M. ß.
Visci querc. ℥ ß.
Sem. fœnic. ℨ iij.
Galang. ℨ ij.
Cinamom. ℨ j.
Sal. gemm. ℨ i ß.
M. convenienter apparentur, & nodulo indantur.

Augumentum ejus inhibent quoque externis topicis adstringentibus, fotu videlicet ex decocto fol. pyror. equiset. cupress. alum. in vino adstringenti facto, vel ex thermis sulphureis & aluminosis, aut emplastro ex gumm. ammon. in aceto soluto, pice navali, mastich. oliban. pulv. rad. irid. colocynth. sem. sinap. sal. gem. & alum. cum oleo nucum malaxato, per septimanas aliquot imposito. Quando verò tumor itá jam increvit, ut ejus augmento modo dictis nequeat resisti, fortiora adhibent discutientia, qualia sunt cataplasmata ex farin. fabar. orobi, baccis lauri, foliis rut. rad. cyclam. sem. cymini, sulphure, nitro, &c. in vino coctis, vel unguento ex oleo rutac. piper. axung. castor. pulv. hermodact. cymin. colocynth. lumbricor. succo arthanit. & pauco ceræ parata, quibus tumor hic studiosè est inungendus. Hic verò si cedere nolit, ad cauteria & sectionem accedunt, prioribus quidem ex præcepto *Celsi* summam cutem cum subjecta tunica exurentes, ut & id, quod in tunica continetur, itá curetur & absumatur, humore siquidem effluente, eo verò, quod densius est, digitis educto, & ulcere postmodum sub linamentis sanescente. Sectionem verò scalpello instituunt, tumorem medio una linea ad tunicam usque incidendo, & sinum vitiosum ab integro corpore digito separando, totumque cum velamento suo eximendo, tùm aceto sale vel nitro imbuto eluendo, & oras una sutura jungendo, superimposito iis emplastro glutinante, aliisque convenientibus & leniter, ne fauces comprimantur, deligando. Tunica verò si eximi nequeat, eidem

eidem adurentia aspergunt ex fæce usta, stercore hirundinum, chalcitide, mysi, veratro albo, pyrethro & thure, ut ità penitus consumatur, eoque obtento linamentis aliisque pus moventibus medicamentis curationem prosequuntur, usque dum cerato diachalcitid. vel alio quodam emplastro idoneo consolidatio & integra sanatio perficiatur.

Paracelsi Curatio Scrophularum.

§. 14. *Paracelsus* curationem *Scrophularum* corrosivis & consolidativis absolvendam esse præcipit, abstinendum verò à pice, oleis calidis, aristolochia, viridi æris, arsenico, sale armoniaco, præcipitato, auripigmento, alumine calcinato, ungula cibullina & herbis omnibus attractivis. Corrosivum verò commendat sequens.

℞. *Vitrioli alb.* ℥ j.
Aq. rof. ℥ iij.
Litharg. ablut. ℥ ß.
Commisc. cum oleo rosar. & pannis in eo madefactis foraminum orificia quæque leniter impleantur.

Consolidativum ejus ità paratur.

℞. *Consolid. Regal.* ℔ ß.
Aristol. long. ℥ iij.
Myrrh. ℥ ß.
Mum. ℥ ij.
Post triturationem
℞. *Ol. rosar. q. s. pro incorporatione, formetur in modum emplastri.*

In curandis quoque scrophulis hisce magnam vim adscribit opopanaco, à quo externè adhibito easdem penitus evanituras esse confidit.

Strumarum & Bronchoceles.

Strumarum & Bronchoceles curationem non minus duplicem proponit, medicinalem, per pulveres & portiones ex cineribus spongiarum, corall. rub. cinamom. & similibus constantes instituendam, vel actualem, per cauteria actualia vel sectionem perficiendam. *Bocii* ex menstruis & hæmorrhoidibus progeniti, adeoque morbi muliebris à priore aliquantum diversi, sequentem administrat curationem. Fluxum exsiccare jubet per deoppilationem, vehementissimè provocando menstrua vel hæmorrhoidas. Postremò sistendam vult fluxionem, uti in Noli me tangere. Ad provocationem menstrui cum deoppilatione venarum, sequentem commendat mixturam.

℞. *Liquor. puleg.*
Artemis. aa. unc. iij.
Vini correcti ℥ vij.
Liquor. splenis castrati bovis ℥ j.
Reduc ad mixturam.
Exhibeantur ℥ ß. *manè & serò*

Huic mixturæ addit aquam ex fructibus savinæ, vel oleum de granis ejus. Hæmorroidas provocat sequenti.

℞. *Serapini colati* ℥ ß.
Bdellii,
Mastich. aa. ℥ j.
Fiat emplastrum per se s. a. super locum hæmorrhoidarum.

Helmontiana cura Scrophularum.

§. 15. *Helmontius* ad destruendas *Scrophulas* singulare putat existere remedium pulverem ex radice gladioli & digitalis, tùm internè studiosè exhibitum, tùm gummi ammoniaco, vel alii intermistum & emplastri modo externè admotum.

Strumarū & Bronchoceles:

Ad *Strumas & Bronchocelen* abigendas deprædicat cum aliis pulverem ex spongiis marinis vel fungo cynosbati in olla cumbustis, vel sequentem magis compositum tum triplo sacchari paulatim liquati miscendum, & tempore lunæ decrescentis ad ʒ ß. adhibendum, quo unius mensis spatio strumas & fungos liquidari promittit, & unà cum præfocatione ab illis illata fugari.

℞. *Spong. marin. in carbonem combust.* ℥ iij.
Oss. sep. ust.
Pip. long.
Zinzib.
Gallar.
Pyrethr.
Sal. gemm.
Calc. testar. ovor. aa. ℥ iij.
M. cum aq. stillat. ex præfatis spongiis, & paulatim exsiccetur.

Externè sequens itidem adhibere jubet unguentum.

℞. *Ol. laurin. per pingued. suill. non adulterat.* ℥ viij.
Oliban.
Mastich.
Gumm. Arab.
Resin. abietin. aa. ℥ iij.
M. & per retortam destilletur oleum, cum cineribus clavellatis denuò rectificandum.

Vvillisii modus curandi Scrophulas & Strumas.

§. 16. *Willisius* curationem *Scrophularum & Strumarum* aggreditur resolutione liquoris illius in glandulis inspissati, ejusdem resoluti commoda eductione per cathartica & diuretica, & prohibitione, ne ulterius hujusmodi materia in glandulis colligatur & inspissetur. Ad resolvendum autem liquorem inspissatum, externis potissimùm utitur discutientibus, ut fotu ex decocto rad. bryon. cyclam. lapath. scrophular. succis. herb agrimon. artemis. pimpinell. fol. rorismar. sabin. & similibus, in vino coctis, vel impositione emplastri diachyl. ireati, inunctione unguenti de bryon. vel de arthanita, vel ex succis herb. scrophular. & rad. cucum. asin. cum gumm. ammon. in acet. solut. & pingued. anatis parato, vel linimento, ex pinguedine humana, viperæ cum oleo succini, hinc internè per septimanam exhibet apozema ex rad. lapath. scrophular. pimpinell. Irid. Florent. galang. herb. agrimon. heder. terrestr. saturej. chelidon. min. flor. genist. bacc. Junip. sem. sinap. Zingib. & pro majori evacuatione eidem vel simili decocto immiscet hermodactyl. Turpeth. agaricum, & semen carthami, vel pilulas exhibet Mercuriales, ex Mercurio videlicet dulci cum extracto catholico misto. Glandularum tumore ità aliquantum imminuto, ad materiam penitus consumendum & prohibendum, ne ulterius ejusmodi succum recipiant, pulveres exhibent strumales, quorum sequens esse potest formula.

℞. *Spong. combust.* ℥ iij.
Pil. marin. combust.
Ciner. Lign. Junip. aa. ℥ j.
Lap. pumic.
Calam. aa. ℥ ß.
Spong. ℥ iij.
Visc. pyror.
Pip. long.
Zinzib.
Sal. gemm. aa. ʒ ij.
Sem. lapp. min.
Cinamom. aa. ʒ i ß.

M. F. Pulvis dimidia sacchari canthii pulverisati portione miscendus, & ad ʒ i ß. pondere quovis manè luna decrescente assumendus. Hisce verò remediis absque fructu tentatis, & materia nullam admittente discussionem, eandem cataplasmatis & emplastris emollientibus ad suppurationem disponit, & eodem modo, ut in aliis abscessibus, curationem præcipit commode administrandam.

Bronchocelen.

Ad *Bronchocelen* amovendam fortiora adhuc discutientia, quàm in prioribus, & flatus dissipantia subadstringentibus mista tùm externè, tum internè commendat, fotum potissimùm ex decocto rad. ononid. Irid. urtic. herb. agrimon. puleg. herniar. sem fœniculi nuc. cupress. sulph. & alum. in vino vel lixivio coctis, vel flores salis armoniaci dissolvit in spiritu frumenti, in quo pannos intingit, & calidè eos imponit, aut emplastrum de baccis lauri cum stercoribus, vel ad rupturas. Interius essentiam carminativam. & pulverem in scrophulis annotatum cum commodo credit assumi, in majori verò malo remedia hæc aliaque parum præstitura cum aliis fatetur, unde si tumor nihilominus adimendus sit, ad operationem Chirurgicam circumspectè instituendam transitum admittit.

Sylvii modus curandi Scrophulas.

§. 17. *Sylvius* in curatione *Scrophularum* non minus eò potissimùm intendit, ut succi in glandulis ab acido coagulati denuò resolvantur, & resoluti regrediantur in vasa, per quæ commodè aliorsum distribuantur, vel si planè sint inutiles, per diuresin & alvum elimi-

minentur. Resolutionem hanc volatilibus quidem institui posse concedit, at summum hoc in casu adhibendum vult studium, ne evaporatio partium volatiliorum nimis citò aut violenter promoveatur, & iis abactis crassiores & spissiores remaneant vix dum corrigibiles, sed scirrho viam sternentes. Ut media proinde incedatur via, decocta suadet lignorum aliarumque radicum & herbarum incidentium ex scrophular. fœnic. lapp. squill. pimpinell. saturej. verben. tanaceto, bacc. Junip. &c. parata intus assumenda, quibus si pituita viscida sit dissoluta, eandem copia peccantem pilulis suis consuetis præcipit evacuandam, tùm ad reliquias in glandulis penitus attenuandas & eliminandas, sudorifera porrigit ex spiritu sal. armoniaci, bezoard. min. vel antimon. diaphoret. & post hæc illa, quæ ab aliis ad scrophulas consumendas jam sunt enumerata. Ipsum tumorem externè inungit unguento martiato cum oleo Philosophor. mixto, vel emplastrum eidem imponit ex gumm. ammon. bdell. galbano &c. cum terebinth. parato. Si verò omninò discuti nequeant, sed in abscessum vergere videantur, suppurationem promovet, & ut in aliis abscessibus fieri solet, curationem absolvit.

Strumas,

Strumas eadem planè tractat ratione, nonnunquam fortioribus quibusdam intermistis & salivationem promoventibus, quibus si non obeant, cauteriis exstirpationem earundem instituit.

Bronchocelen.

In *Bronchocele* ad discutiendos flatus non parum subsidii allaturum sperat emplastrum suum carminans ex gummis, opio aliisque paratum, post quod emplastro ad Hernias, aliisque subadstringentibus non contemnendas adscribit vires. Interius pulverem ex sale gemm. & alum. usto cum speciebus diagalang. in aqua genistæ vel rutæ exhibitum, curationem hanc non parum promoturum esse affirmat.

Cartesianorum modus procedendi in cura Scrophularum.

§. 18. *Cartesiani* in curatione *Scrophularum* maximè sunt soliciti, ut mistura illa tenax & viscida in glandulis à particulis angularibus coagulata incidatur & à quiete ad motum excitetur, quare frictiones instituunt pannis calidis & fotus ex lixivio cinerum ligni Juniperi, in quo filipendula, scrophularia & agrimonia cocta sunt, iisque subjungunt illinitiones ex spiritu salis armoniaci succinato, spir. saponis, vel linimentis aliquantum spirituosis aut Mercurium præcipitatum continentibus ex quibus pro emollitione sequens magni ab iis penditur.

℞. *Spir. salis,*
Ol. cer. stillat. aa. ℥ ß.
Spir. sal. Armoniaci,
Vin. rectificat. aa. ℥ j.
Ol. de laterib.
Petr. aa. ʒ j.
Sapon. Hispan. ℥ i ß.
M. optimè pro linimento.

Ad eundem quoque finem emplastra apponunt attenuantia, quorum sequens extet exemplum.

℞. *Mercurii viv. cum aq. fort. solut.* ℥ iv.
Axung. porcin. ℥ viij.
Coq. in olla fictili spatula lignea continuò movendo, donec materia inde exsurgat mollis, cui addantur
Ceræ flav. ℥ ij.
Pulv. mastich.
Oliban. aa. ʒ vj.
M. F. Emplastrum.

Promovent eandem attenuationem medicamentis internis ex lignis paratis & diaphoreticis ex bezoard. mimineral. Regulo Antimonii medicinali, aliisque; tùm ne quid denuò in glandulis colligatur, per tempus aliquod continuant illa, quæ coagulationem impediunt, & visciditatem resolvunt, qualis sequens est mixtura.

℞. *Aq. Pimpinell.*
Scabios. aa. ℥ ij.
Essent. rad. scrophular. ℥ ß.
Viperar. ʒ ij.
Liquor. Salis gemm. ʒ iij.
Syrup. heder. terrestr. ℥ j.
Enul. ʒ iij.
M. dentur duo cochlearia una vice.

Ad suppurationem non minus ac cæteri transeunt, quando materia discussioni penitus repugnat.

Strumarum

Eadem etiam adhibent remedia in *Strumis*, quibus Mercurialia singulariter convenire judicant, unde emplastrum de ranis magnis extollunt laudibus, etiamsi in totum ob terrestreitatem materiæ dissolvi nequeant, ad dolorem tamen mitigandum, & ne tumores increscant, emplastrum hoc profuturum credunt, gummosa verò & calidiora omittenda volunt, ne glandulæ nimis irritatæ in cancrum transeant, aut particulis subtilioribus violentius discussis, reliquiæ crassiores scirrhum producant. Ad sectionem non nimiùm properant, nisi morbus hic non aliis cedat remediis, & exstirpatio tamen ab ægris seriò postuletur, tùm cautè eandem absque nervorum aliorumque vasorum læsione experto Chirurgo permittunt administrandam.

Bronchoceles.

In *Bronchocele* commendant interne essentiam chamomill. & cortic. aurantior. cum spiritu salis Armoniaci anisaro; externe verò emplastrum de baccis lauri, & subadstringentia ex gallis & nucibus cupressi, ut cataplasma ex farin. fabar sem. cum pulvere gallar. bol. armen. & simplicibus. In principio, ne tumor incrementum capiat, ferulas aut laminam plumbeam imponunt super emplastrum, & fortius aliquanto colligant, observato tamen ne gula nimium constringatur Emplastra quoque ad reliquas herniæ species convenientes hic usum dicunt, cùm similem operam in hoc morbo præstare queant. Tandem incisionem admittunt, si medicamenta non prosunt, ut flatus & reliqua materia eximantur, & foramen postmodum emplastro styptico iterùm claudunt & consolidant.

Nostra methodus medendi Scrophulis & Strumis.

§. 16. *Nostro* judicio in *Scrophulis* ab obstructione contumaciori glandularum, ab acido viscido facta oriundis conducunt omnia illa medicamenta, quæ acidum illud viscidum corrigunt & obstructionem tollunt salia nempe volatilia, liq. C. C. succinat. cum essent. viperin *Zwelf.* Sal volat. C.C. quæ omnia succis motum reconciliant; huc pertinent & omnia aperientia vulgo sic dicta, ut sunt Martialia: ex. gr.

℞. *Antimon. diaph. Martial.*
Chalyb. cum sulph. præpar. aa. ʒ j.
Cassiæ ligneæ ʒ iv.
Cum Sacch. in aq. puleg. solut. ℥ iij.
F. Rotulæ.

Semper enim ad primas vias in hoc affectu respiciendum est, ne facilè acescat chylus; eam ob causam conferunt omnia absorbentia, imprimis spongia combusta, ossa sepiæ, oculi cancrorum cum floribus salis armoniaci permisti, qui elegans sunt remedium, ut & terra foliata Tartari more Tacheniano parata, & internè, & externè usurpata. Pro specifico commendamus arcanum duplicatum, & essentiam carminativam cum Elixire antifebrili *Mynſ.* maritatam, amara enim generosa sunt remedia. Chylo ità correcto in primis viis, lympha remanens viscida in glandulis stagnans educatur blando hydragogo, in quem finem sola radix laxativa cum Mercurio dulci sufficit. Alii commendat Turbith. addito momento salis aperitivi, sal. Armoniaci, vel card. bened. vel trisol. fibrin. In delicatioribus exhibui Decoctum passulatum cum fol. senn. & Tartaro crudo paratum. Evacuata lympha, acidum viscidum porrò corrigatur volatilibus oleosis, inter quæ excellit sal. volat. oleos. n. d. ad paucas guttas per aliquot menses usurpatum, quo plures Dei gratia feliciter restituimus. Cavendum verò, ne calida nimis & exsiccantia applicentur in principio, quo in casu mobiles magis partes relictis terrestrioribus discuti, & ità scrophulæ in scirrhos transire solent: sed applicanda veniunt, quæ materiam viscidam & terrestrem incidere, attenuare & fermentare valent, conducet ergò internè sequens.

℞. Be-

♃. *Bezoard. min. gr. vij.*
Mercurii diaphoret. Joviat. gr. iij.
Theriac. Andromach. ʒ j.
M. pro sudorifero.

Assiduo etiam studio ad mesenterium strumosum cura dirigenda est, qua de causa Tinctura Antimonii ex scoriis Reguli ad 20. guttas singulis matutinis horis in aqua lignor. succis. tarax. exhibeatur. Potui indantur rad. sarsaparill. lign. sassafr. bacc. Junip. fol. ceterach. Extracta quoque ex his aliisque vegetabilibus sæpe omnem paginam implent, quibus deinde pulveres contra strumas, acidum absorbentes, interponantur; laudamus sequens.

♃. *Pulv. contra strumas* Querc. ʒ j.
Arcan. duplicat. ʒ j.
Misc. F. Pulvis.

Vel

♃. *Rad. vincetox. ononid.* aa. ℥ ß.
Antimon. diaph. ʒ iij.
Pulv. ad strum. A. ʒ vj.
Ol. nucist. ℈ ß.
Sacch. alb. ℥ ß.
M.

Dosis, quantum capit cuspis cultri bis de die Luna decrescente. Vel

♃. *Pulv. ad strumas* August. ʒ iij.
Arcan. duplicat. Myns. ℥ ß.
Magist. Spin. viper. ʒ j.
M.F. Pulvis ad ʒ j, exhibendus Luna decrescente.

Electuarium ex pulvere lacertarum & melle paratum capiat strumosus magnitudine Nuc. moschat. horis matutinis per 30. dies, quod valde commendat *Scultetus* & alii. Sequens etiam euporiston est remedium *Lossii*. quo Empiricus quidam se innumeros curasse gloriatur.

♃. *Spong.*
Lap. Spong. aa. ℥ j.
Floccor. ex panno laneo rubr. discis.
Mandib. luc. aa. ℥ ß.
Panis tost.
Lap. Specular. aa. ʒ iij.
Comburantur omnia simul in olla clausa, F. Pulv. exquisitiss. trit. add. sacch. ℥ j. Dosis ʒ j. decrescente Luna.

Sequens etiam laudibus suis non est destituendum.

♃. *Spong. combust.*
Oss. sepiæ,
Pip. long.
Nig.
Zinzib.
Arcan. duplicat.
Lap. spong. aa. ℥ ß.
Viper. pp.
Sem. plantag.
Nuc. cupress.
Moschat.
Turbith. aa. ʒ ij.
Sacchar. q. s.
M. F. Pulvis.

Vel conducit pulvis *Arnoldi de Villa nova* ad strumas. Radix vincetoxici tanquam verum antidotum in scrophulis laudatur ab *Elsnero in Ephem. Germ. Ann. I. Observ.* cujus decoctum non incongruum erit remedium per longum tempus potatum, radix enim hæc singulare quid obtinet in curandis strumis. Lapis spongiæ calcinatus etiam dicitur specificum in strumis remedium, quia acidum in succis abundans absorbet.

Medicus Dantiscanus sequenti modo feliciter instituit curam. Interne dedit Luna decrescente pulv. spong. & lap. spong. calcinat. & sequente liquore illini curavit scrophulas.

♃. *Vitrioli ad albed. calcinat* ℔. ij.
Impast. cum spiritu vin. ℔ ij.
C.C. ust. ℔ ß.
M. & ex Retort. destill. l. a. rostro add.
Camph. ℥ ß.

Dein illi jussit sequenti linimento:

♃. *Ol. destil. ex lardo porcin.*
Laurin. aa. ℥ j.
M.

Inter Topica verò in principio discutientia sunt adhibenda & dein ad emollientia accedendum, si verò hæc nihil efficiant in scrophulis, exedentia sua corrodentia usurpanda. Discutientia parantur ex volatilibus, hinc *Barbette* commendat unguentum ex sale volat. quodam cum butyro majali, ut & emplastrum sequens, quæ optima sunt.

♃. *Gumm. Galban.*
Ammoniac.
Bdell. aa. ℥ ß.
Bacc. laur.
Staphyd. agr.
Pyrethr.
Cumin. aa. ʒ vj.
Stercor. columbin. ʒ j.
Caprin.
Axung. porci ℥ i ß.
Ol. Chamomill. ℥ j.
Ceræ, &
Picis aa q. s.
M. F. Emplastrum.

Vel

♃. *Succ. Raphan.*
Salis volat. ʒ j.
Sapon. Venet. ℥ ij.
Coq. in Unguentum.

Spirituosa verò mihi magis placent: ex. gr.

♃. *Spirit. topic.* ʒ ij.
Sal. Armoniaci ʒ j.
M.

Vel sequens, quod experientia comprobatum est.

♃. *Spir. frumenti* ℔ ij.
Bacc. Junip.
Laur. aa. ℥ ß.
Fol. beton.
Serpill.
Flor. lavend. aa. P. j.
Salis Armoniaci ʒ ß.
Tartari ʒ j.
Ligni Guajac.
Rad. sarsæparill. aa. ʒ vj.
Coq. in aperto vase,
Detur pro Epithemate.

Ad fermentationem in succis stagnantibus excitandam, & ad motum materiam latentem incitandam, conducet præ aliis cataplasma sequens vel simile.

♃. *Herb. scord. absynth. rutæ,*
Cicut. aa. M. j.
Stercor. columb. ℥ vj.
Sal. tar. colocynth. aa. ʒ vj.
Herb. salv. M j.
Sem. bardan. ℥ v.
Fœnicul. ℥ i ß.
Sal. Armoniaci ʒ iij.
Extr. rad. bryon.
Sem. cumin. aa. ℥ ß.
Add. fæcib. vini vel urina f. cataplasma, & quidem bis de die applicandum.

Post applicatum cataplasma scrophulæ sequenti illinendæ sunt linimento, quod commendat celeberr. Dn. Overcamp.

♃. *Ungu. Dialth.* ℥ j.
Ol. succin.
Junip. aa. ʒ i ß.
Laurin.
Philosoph.
Spir. sal. Armoniaci aa. ʒ ii ß.
M. D.

Post inunctionem applicari potest seq. Emplastrum.

♃. *Empl. melilot.*
Diachyl.

Gumm.

Gumm. galban. aa. ℥ ß.
Labdan. ℥ i ß.
Pulv. myrrh.
Aloes aa. ℥ ß.
Macis, caryoph. aa. ʒ ij.
Sem. cumin. R. salv. aa. ℥ j.
Tinct. labdan. ℥ i ß.
Styrac. liquid. ʒ ij.
Sal. volat. C. C. ʒ vj.
Ol. macis still. ʒ iij.
M. F. Ceratum.

Scultetus laudat oleum lacertarum, nos nostrum viperinum, quo multum præstitimus. Sic & pinguedo viperina in strumis incipientibus egregia medicina est, earumque incrementum præcavet. Inter resolventia & numerari potest tanquam egregium remedium sal volat. lap. spong. in liquorem arte Chymica redactum & & externè illitum, Item sequens illinatur sæpius.

♃. *Spir. vin. camphorat.* ℥ ij.
Tinctur. Antimonii ʒ j.
M.

Optimè resolventia cum maturantibus & emollientibus adhibentur, in quem finem conducunt gumm. Ammon. Galb. bdell. opopanac, &c. Sic. & oleum irinum, liq. terr. fol & ol. Tartari per deliq. item. *Helmontii* efficacissima sunt in resolvendis strumis. Spiritus convulsivus n. d. etiam conducit sæpe strumis illitus.

Conveniunt quoque pro resolvendis his tumoribus strumosis omnivaria Mercurialia, & emplastrum illud in tumoribus discutiendis adeò famosum *Vigonis* de ranis cum mercurio, nec non amalgama mercuriale, ex quo & cum quo emplastra parata sunt proficua, item sequens nostra experientia optimum est.

♃. *Succ. rut.*
Sabin. aa. ʒ vj.
Squill. ℥ ß.
Aq. vit. ʒ ij.
Ol. lil. alb.
Rut. aa. ℥ j.
Castor. ʒ ij.
Coq. ad succor. consumpt. add. bdell. in aceto dissolut. ʒ ij.
Salis Armoniaci ʒ iij.
Sulphuris viv.
Lap. pumic.
Nuc. cupress.
Aristol. rot. aa. ʒ ß.
Euphorb. ℈ ß.
Cort. citr. q. s.
F. Linimentum.

Sequens *Ettmulleri* mercuriale non contemnendi erit usus.

♃. *Emplastr. diachyl. cum mucil.* ℥ j.
Mercurii viv. saliva extinct. ʒ j.
M.

Ol. cucum asinini etiam hic proficuum est.

Strumas curari posse dicunt, si ter manu mortui cujusdam fricentur. Propria etiam saliva singulis diebus manè illinantur. Alii easdem abigi posse promittunt, si patiens singulis matutinis horis propriam potet urinam. Tanquam specificum à *Cardilucio* in *Prax. Hartm.* laudatur Sal pumicis, si ℈ j. in aqua scrophulariæ omni mane assumatur. Cineres Talpæ in decocto scrophular. exhibiti ab *Hartmanno* internè commendantur. Quòd si exulceratæ fuerint, eodem authore curantur inspersis cineribus salamandræ in olla igne circulari exustæ. Si verò scrophulæ fuerint dolorificæ, optimè mitigabuntur vel per emplastrum *Vigonis*, vel nostrum Mercuriale. Si tendant ad suppurationem, sequens conducet unguentum *Barbette*, quod ex *Fabricio* est mutuatus.

♃. *Ol. Myrtin.*
Laurin. aa. ℥ ß.
Unguent. martiat. ℥ j.
Argent. viv. florib. sulphuris extinct. ʒ vj.
M. F. Unguentum.

Vel imponatur emplastrum de meliloto cum oleo chamomill. & pingued. viperin. malaxatum. Strumæ suppuratæ non statim sunt aperiendæ, quia ob viscidi-tatem acidam materia universa non facile suppuratur; proinde semper cataplasmata emollientia & suppurantia ulterius sunt imponenda, & foramina diu aperta servanda. Si verò ad suppurationem ob viscididitatem lymphæ tam facilè perduci nequeant, imponatur aliquando corrosivum, ac applicetur turunda cum unguento basilich. cum terebinthina communi mixto, cui aliquando, ut melius foramen apertum maneat, admisceri potest momentum croci metallorum. Glandularum ulcera semper studiosissimè sunt mundificanda & dein incarnanda. Pro mundificatione sufficit bals. sulphuris anisat. vel terebinthinatus.

Scrophulæ prominentes & pendulę filo vel pilo equino sensim sunt constringendæ, ut tandem marcidæ spontè decidant. Si verò propria cystide includantur, Chirurgi manu necesse est ut curentur, & cultro exscindantur, eò tamen respiciendum, ne magna vasa sanguifera aut nervi lædantur. *Hartmannus* sine incisione strumas facilè curari affirmat, si bibat æger ex cranio hominis sepulti, non quidem semel, sed sæpius.

Amuletum ex fabarla collo appensum à Celeberr. *Wedelio* magnipenditur. Bufo per 40. dies caseo putrido & oleo olivarum nutritus, & in unguentum redactus optimè conducit tunicis illitus, Auctore Patre Capuccino Gallo.

His si non cedat malum, cura tantùm instituatur palliativa, exterius applicando emplastrum de ranis cum Mercurio, quippe verum est, quod *Cartesiani* jam enunciarunt, si glandulas obstructas fortius agitaveris per gummi & olea calidiora, non rarò ferocius etiam transeunt in cancros, vel discussis particulis subtilioribus abeunt in scirrhos.

Sola imaginatione curari posse scrophulas & strumas affirmant Historici quidam, de curatione Regia Gallica & Anglica agentes, quam, ne quidpiam ad curationem hanc scrophularum pertinens videatur omissum, breviter nunc exhibebimus. Die Pentecostes Rex Galliarum, pridie hora vespertina prima Deo reconciliatus & sacra usus synaxi in æde D. Francisco sacra homines morbosos ab Archiatro Regio ejusque Collegis in duos ordines ab utroque latere itá collocatos, ut spatio intermedio personæ quatuor juxta se invicem una vice transire queant, insimul probè exploratos, num ex avaritia & studio captandi doni, aut dolo & malitia ex aliorum hostium instinctu Regem instrumento quodam aut armis hac ratione insidiosè & clanculum lædendi aut occidendi se ægros simulent, satellitibus, aliaque cohorte militari stipatus capite nudatus & facie manibusque singularem præ se ferens pietatem accedit. Adventante verò Rege homines morbosi manibus in cœlum sublatis in genua devotè procumbunt, quos deinde Medici à tergis eorum stantes capillis placidè prehendunt, & versus Regem declinant, qui brachio dextro aliquantum exerto & manu in formam crucis posita singulorum frontes tangit, hisce simul prolatis verbis: Rex tangit te, Deus sanat te, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Quibus peractis Regis accedentes Eleemosynarii, unicuique exhibent munusculum, & unum post alium per atrii fores dimittunt, Regi verò exhibetur aqua pro abluendis manibus, & actus hic ceremoniis hisce finitur. In Anglia cura hæc sequenti more peragitur: Archiater Regius cunctos ad se vocat morbosos, ex quibus, re probè explorata, strumis seu malo Regio laborantibus certum denominat conclave aut templum in quo congregetur, ut ad Regem accederent, qui finita concione cathedræ insidens, à dextris Secretarium tot Angelottos, seu nummos vinculo sericeo albo dependentes, quot adstant ægri, manu tenentem, à sinistris verò strumosos admittit, ab Archiatro sufficienter, instructos, quomodo terna capitis incurvatione Regiæ Majestati sint approximaturi. Tum Ecclesiastes versiculum quendam prælegit ex Biblis ad ceremonias

monias istas aptum, verb. gr. ex B. Marc. cap. 16. v. 18. Christus Apostolis suis promittit ægros ab impositione manuum eorum sanatum iri. Medicum cum quovis strumoso separatim Regem accedit, & cum illis procidit in genua, Rex verò manu sua dextra malam ægri sinistram, & sinistra dextram tangit, & simul Concionator priorem versiculi lectionem repetit ad quemvis actum, Medico non prius surgente, quàm ægri cuncti fuerint tacti, quibus peractis Ecclesiastes priores sex versiculos capitis primi Evangelii S. Johan. prælegit, &, si quidam nondum plenè fuerint curati, eorum unus post alium denuò ad Regem ducitur, qui ipsemet uniuscujusque collo Angelottum appendit, eosque à se dimittit: ubi Regi pro ablutione manuum aqua porrigitur, & recitatis precatione Dominica cum collectis actus hicce clauditur. Quidquid verò alii de re hacce sentiant, Regibus hisce solis donum hoc peculiare tribuentes, mihi in imaginatione ægrorum curatio hæc, si quæ est, potissimum consistere videtur, cùm & Comites Habspurgienses eos à strumis liberasse dicantur, qui potum aquæ ab eorum manibus acceperint, & quotidie hujusmodi curationes à privatis hominibus contingere observentur in variis morbis, ita ut sola spirituum animalium valida dispositio id præstet, quod externo adscribitur attactui, spiritus enim valde ab imaginatione commoti quævis claustra perrumpunt, & omnia dimovent obstacula, ut commodior inde succorum antea stagnantium & jam resolutorum sequatur distributio, & sic tumor omnis evanescat.

Cura Bronchoceles.

Cura *Bronchoceles* non multum differt à curatione Strumæ, nisi quod Bronchocele felicius ac tutius manu Chirurgi aperiatur: notum enim exemplum est Bronchoceles fortuitæ curationis *Zod. Gall. Observ. 11.* Quidam enim patria Municensis 40. annos natus, cujus jam pridem deturpabat collum Bronchocele insignis magnitudinis, assidens fabro ferrario soleas ferreas equo affixuro, dum urget fabri ministrum, ut compendium temporis faciat, veru ferreo acuto recentissimè è fornace educto, & clavorum formationi destinato percutitur; ictus ille, quo Bronchocele transadacta est, primò horrorem incussit, sed qui postmodum in ingens gaudium cessit, exiliente enim affatim humore multo in grumos concreto, calculiformibus corpusculis, lentibus similibus, admixtis, uno penè momento subsedit tumor, qui ante ad pectoris regionem devolvebatur, unde subsecuta suppuratione curatio integra brevissimè successit. Confer quoque prædict. *Zod. Gall. Observ. 9. pag. m. 96.* Sic & Clariss. *Muralto* ejusmodi Bronchocelen curavit incisione facta in parte molli & declivi profundius instituta, foramen vulneris spongia præparata implevit & diapalma deligavit, & sic ægram perfectè ab hac Bronchocele liberavit, prout videre est in *Decur. Ephem. Germ. Ann. 3. Observ. 134.* Emollientia tamen singulariter conveniunt & medicamenta flatus discutientia, sive carminativa, manuali operationi circumspectè præmittenda, præcipuè verò ex chamomilla, internè & externè, essent. carminat. cum Elix. antifebril. *Mynf.* Tinctur. myrrh. Pulv. ex rad. Ireos, sem. anis. & herniar. pip. long. cinamom alum. ust. myrrh. & similibus. Externè oleum chamomill. smaragdin. emplastr. de bacc. lauri, malaxat. cum ol. chamomill. item Bals. Sulphuris & empl. diasulph. vel sequens cataplasma.

℞. *Cæpar. alb.*
Rad. lil. alb.
Alth. aa. q. s.

Cum ol. chamomill. in pulticulam reduc. & addito sapone nigro q. s. F. s. a. Cataplasma per 12. dies calidè applicandum, quod & proderit in Scrophulis.

CAPUT III.

De Glottidis Constrictione, & Epiglottidis Induratione.

§. I. SOla structuræ diversitas organorum corporis nostri usum atque operationem variat, ejusdemq; commoda dispositio unum idemque membrum pro partium, ex quibus compositum est, differenti figura, situ, magnitudine & motu pluribus destinat usibus. Hæc itaque causa existit, quod *Larynx* & respirationi, & voci efformandæ inserviat, posteriori quidem maximè, quoad superiores sui partes, *Glottidem* videlicet, & *Epiglottidem*, quibus rectè se habentibus nullum patitur vox impedimentum, morbis verò afflictæ tantum aliquando inferunt damnum, ut nullus edi ab homine queat sonus, aut quàm difficillimè, sed vox ipsa hæreat faucibus, nec ultra possit propelli. Cùm verò & hac in actione machinæ humanæ nullum sit inferendum aut permittendum obstaculum, affectus, quibus partes hasce nonnunquam prehendi posse observatum fuit, quamvis rariores sint, nec adeò frequentes in praxi occurrant, meritò hic separatim tractandos suscipimus. *Glottidis* verò *Constrictio* est ejusdem angustatio, facta à re quadam rigidiore, partes ejus tum musculosas, tum cartilagineas & membraneas, vel externè, vel internè comprimente, & sic rimam à priori forma in aliam cogente, ut latera ante distantia, nunc plus minus invicem conniveant. Pertinet ad constrictionem istam altera quædam species, in qua rima hæc à re quadam externa importunè illapsa interius obturatur & præcluditur, sicque non modo vox impeditur, sed aeri transitus denegatur, sicque respirationis difficultas, & suffocationis periculum infertur.

Glottidis constrictio.

Epiglottidis Induratio est partis hujus sive operculi Glottidis, quod particularum ejus interstitia fibrosa occupantium, à majori motu & tardiori, in minorem & celeriorem, à particulis alienis asperioribus, & defectu liquoris irrigantis orta transpositio, unde & fibræ compinguntur, & operculum hoc rigidius rimulam Glottidis magis patulam reddit, quam decet, sicque & voci & deglutitioni ponit obstaculum.

Epiglottidis Induratio.

Referri huc possit è contrario ejusdem operculi nimia emollitio & depressio à re quadam humida, aut dura & gravi, sed hæc symptomata tum per enantiasin quandam ex prioribus intelliguntur, tum posterius ratione causæ cum Glottidis præclusione in unum coincidit.

§. 2. *Partes affectæ* sunt Glottis cum Epiglottide, quarum prior γλῶττις Latinè vertitur Lingula, seu parva quædam lingua, & est pars, seu corpus illud, quod in Larynge pro aeris ingressu & exitu ad inspirationem & vocem necessariò foramen seu rimam constituit. Ex tertia & quarta Laryngis constat cartilaginibus, uno verbo ἀρυταινοειδὴς ab Anatomicis comprehensis, Latinè cartilago guttalis dicta, quod forma ejus ad gutturnium, vel partem illam vasorum accedat, qua aqua effunditur, & hæc rimula junctis duobus superioris hujus cartilaginis partis processibus efformatur. Notum enim est, Laryngem, id est, asperæ arteriæ caput, quinque constare cartilaginibus, ex quibus prima θυρεοειδὴς, seu scutiformis, secunda κρικοειδὴς, seu annularis, quod totam Laryngem ambiat, cognominatur, tertia & quarta, à quibusdam pro unâ habitæ, Glottidi huic impenduntur, quinta demum rimam tegit & claudit, Epiglottis proinde dicta, situm obtinens ponè linguæ radicem ad os hyoides, in brutis pari musculorum supra dorsum donata, in hominibus autem iisdem destituta, musculo tamen membranoso fruens, cujus fibræ carneæ rectà ab osse hyoide per epiglottidis dorsum excurrentes ipsum attollunt, & versus summitatem suam moliuntur insertionem. Dum verò per rimam hanc reliqua Larynge angustiorem aer majori copia eliditur, sonus ille efformatur,

Partes affectæ.

sive vox, ad loquelam percipiendam & interiora mentis cogitata aliis aperienda tantopere necessaria. In opere hoc ritè præstando mens nostra officio fungitur Organistæ, spiritus animales per nervos recurrentes sexti paris ad musculos mittens tum thoracis, tum Laryngis. Pulmones follium instar aerem extrudunt & mittunt in fistulam, qui per angustiam Glottidis inter Epiglottidem cum impetu quodam erumpens sonitum efficit, quem lingua, tanquam digiti Musici musculos Laryngis variè tangentes, moderatus, pro lubitu mentis diversimodè disponit, & interdum suaviter modulatur. Absque mentis quoque imperio sola organi structura & vario spirituum influxu, varii in brutis oriuntur concentus & diversæ vocum species, & has in avibus quibusdam, quæ tamen omnes epiglottide destituuntur, singulari mentis acquiescentia nonnunquam auribus nostris percipimus; in aliis verò brutis, quorum nonnulla in profundo Laryngis ventriculum quendam obtinent, impetu tam molesto quandoque efferuntur, ut non sine horrore aures percutiantur. Ad diversitatem quoque vocum multum tribuit constitutio fistulæ pulmonalis, quatenus illa vel brevior, vel longior, latior, vel angustior est, potissimum verò officium præstat Glottis nostra cum Epiglottide, quibus malè se habentibus ipsi respirationi obex quidam interponitur, & deglutitio redditur difficilis, quorum prius in Glottidis Constrictione fieri assolet, posterius autem in Epiglottidis Induratione, ob quam rimula illa perpetuò solet hiare, ut in cognitione morborum horum pluribus nunc percipiemus.

Diagnosis Glottidis Constrictionis.

§. 3. Facilè verò *Glottidis* & Laryngis *Constrictio* manifestatur ipsa vocis in ægrotis interceptione, quando enim omni adhibito conatu ne sonum quidem emittere possunt, nullus dubitabit rimulam hanc Laryngis à re quadam molesta angustatam & pene præclusam esse, cujus adhuc certius indicium hinc desumi potest, si æger de loco doloris rogatus summam faucium partem ostendat penes ipsam linguæ radicem, & nulla alia adsint signa anginæ, nullus tumor in collo, nulla inflammatio aut aliud quidpiam inferiores faucium partes occupans. Deinde pro majori vel minori ista in vocis elisione aut respiratione difficultate, ipsius quoque morbi cognoscetur magnitudo, ut gravior hic morbus sit percipiendus, quando omnino vox proferri aut respiratio peragi nequit, levior verò, ubi uxor aliqua, aut exspiratio adhuc persentitur. Multum preterea ad morbum hunc facilius cognoscendum investigatio faciet causarum, qua in re sequentes paragraphi nos commodè adjuvabunt.

Epiglottidis Indurationis.

Epiglottidis Induratio colligitur ex voce graviori, rauca & nigra, vel ejusdem omnimoda ablatione citra apoplexiam, anginam aliumque morbum, aphoniam aliàs inducentem, respiratione frequentiore, singulari in deglutitione molestia, quatenus frustula ciborum minora ipsam Laryngem ingrediuntur, & suffocationem minantur, hinc ægroti majores tantummodo bolos gulæ suæ aptare coguntur. Potus etiam quando assumitur, majori copia tracheam ingreditur, & ad pulmones pertingens tussim inducit, sed ex hac non statim de Induratione ista judicandum est. Cibi in asperam arteriam aut laryngem illabentes, de nimio glottidis hiatu sicque Epiglottidis apertura & distantia judicium præbent satis firmum, quod si frequentiùs & ferè semper obveniat, meritò de ipsius rigiditate suspicio oboritur, ob quam à cibis delabentibus non deprimitur, nec rima clauditur, sed per patulum quasi ostium non modo in gulam, sed ipsas quoque fauces & asperam arteriam illabuntur, & non modo difficilem causant respirationem & tussim, sed si portiones crassiores & asperiores sint, nec citò satis expellantur, dolorem ingentem & suffocationem.

Ætiologia secundum Galenicos ipsius Glottidis Constrictionis.

§. 4. Ut in *Causarum* pervestigatione feliciores simus, aliorum non transibimus adjumenta, sed toties jam rogatos nostros denuò consulemus Medicinæ Antistites. Referunt verò omnium primò ipsi *Galenici*, priorem illum morbum, nempe *Glottidis Constrictionem* oriri vel à causis internis, humoribus scilicet crassis, viscidis, pituitosis aut melancholicis, circa partem hanc collectis, vel à rebus austeris foris illabentibus, ut comestione fructuum immaturorum, aut vi pollentium strangulatoria, vel rebus durioribus in principio gulæ diutius hærentibus, & adjacentem glottidem comprimentibus, aut etiam alia ratione occludentibus, quod à morbis quoque organicis partium vicinarum contingere posse profitentur.

Epiglottidis Indurationis.

Epiglottidis Indurationem deducunt ab intemperie calida & sicca partium vicinarum, ob quam cartilago hæc itidem nimium exsiccatur, quod in Peripneumonia, Angina, aut febribus maximè causticis, interdum obvenire posse adserunt; tùm à rebus adurentibus & exsiccantibus, ut pipere, Zinzibere, cibis fumo induratis, salitis, parciore potu, aere per inspirationem adsumpto nimis sicco & aspero, vento boreali & id genus aliis humiditatem cartilaginis hujus absumentibus & eandem corrugantibus.

Paracelsi opinio de Glottidis Constrictione.

§. 5. *Paracelsus* ordine sequens *Glottidis Constrictionem* obtingere ratiocinatur à sale aluminoso resoluto, ad partem hanc delato, eandemque pro virium ratione & subjecti dispositione comprimente.

Epiglottidis Induratione.

Epiglottidis Indurationem à sale spissiori deducit, à quo omnis durities partibus quibuscumque obveniat, unde sal istud vel cum cibo & potu, vel alia ratione ad cartilaginem hanc pertingens, similem morbum generi suo communem eidem inducat.

Helmontii opinio de causa Glottidis Constrictionis.

§. 6. Ad *Helmontii* tesseram *Glottidis Constrictio* natales suos debet Custodi Laryngis à re quadam aliena irritato & perterrito, unde fugam ille moliens vela sua contrahit, & simul superiorem istam laryngis partem constringit. Res verò illa custodem percellens variarum potest esse specierum, sive in corpore genita, sive exterius adveniens, instar peregrini cujusdam hospitis dominium in alieno territorio conquisituri.

Epiglottidis Indurationis.

Epiglottidis Indurationem à defectu laticis dependere approbat, & custode defatigato nihil ex communi laticis massa ad ejusdem partis irritationem secernente, & ad eam transmittente, quare defectu succi emollientis rigescat, ut glottidem ulterius nequeat claudere.

Vvillisii ætiologia Glottidis Constrictionis.

§. 7. A *Vvillisio* percipimus, *Glottidis Constrictionem* fieri tùm à rebus foris illapsis & meatum hunc obturantibus, tum à convulsione partium fibrosarum laryngis, tum ab alia quadam compressione vicinarum partium, unde Glottis simul angustatur, & tandem à latice aut sanguine evasato circa partem hanc moram trahente, & temporis diuturnitate incrassato, sicque tracheæ introitum occludente.

Epiglottidis Indurationis.

Epiglottidis Indurationem ab inopia humidi irrigantis produci annuit, hancque consumptionem à variis causis fieri, aere nempe sicciore per inspirationem assumpto, febribus ardentibus, inflammatione pulmonum, & similibus.

Sylvii de causis morborum horum ratiocinium.

§. 8. *Sylvius* superiorum sententiis absque ulla controversia subscribit, tum quoad *Glottidis Constrictionem* aut à morbis vicinarum partium, aut à rebus extraneis irruentibus, aut humoribus acidis convellentibus oriundam; tum *Epiglottidis* quoque *Indurationem* ab humoris defectu quomodocumque inductam certò dependentem.

Cartesianorũ sententia de causa Glottidis Constrictionis.

§. 9. Eadem etiam *Cartesianis* stat sententia, ad rem clarius delineandam addentes, fibras musculi arytænoidis interdum à particulis hamatis nimium constringi, à quo similiter cartilago hæc constringatur, ab alienis autem corporibus irruentibus cavitatem occludi, aut in formam torqueri incongruam.

Epiglottidis Indurationis.

Epiglottidem indurari asserunt absumpto aut inspissato liquore cartilaginem hanc aliàs irrigante, vel ab aere sicciore & asperiore multis particulis salinis prædito, vel à morbis diuturnis calidis, quo facto poros ejus angustari, & fibras sibi invicem propiùs accedere, quarum situm ad invicem arctiorem substantiæ totius cartilagineæ mutatam configurationem & corrugationem immediatè dicunt subsequi, & sic foramen aut rimam illam Laryngis non obtegi, sed apertam manere.

§. 10. No-

Nostrum judicium & causa Glottidis Constrictionis.

§. 10. *Nostrum* ut nunc addamus de hisce judicium, asserimus equidem Laryngis illum introitum, quem Glottis constituit, constringi, id est, occludi posse à variis rebus heterogeneis ab extra in rimam hanc infortunio quodam irruentibus, ut quando vel fortiori inspiratione alliciuntur res in aere volitantes, flocci nempe, muscæ, apes, vel inter ridendum aut loquendum frustulum cibi deglutitur, quod deviando non gulam sed Laryngem per apertum meatum ingreditur, idque eo citiùs contingit, quando portiones istę aliqua in parte fuerint acutæ; sic nota sunt exempla de suffocatis ab ossiculis animalium, mica panis, frustulo ficus, nucleo cerasi, pilo circa epiglottidem evoluto; idque frequentius accidisse, dum homines inter manducandum & deglutiendum sibi non temperarunt à risu aut fortiori loquela, siquidem exspiratione illa validiore operculum laryngis sive Epiglottis à rimula fuit dimota, & hæc amplius, quàm decebat, aperta, res verò istius generis illapsæ & in Glottide hærentes, eam tunc variè torquent, constringunt & occludunt, ut aeri pro respiratione admittendo, aut emittendo, non sit ulterius patula. Res præterea, aut cibi austeri, dum ad deglutiendum gulæ offeruntur, musculos laryngis unà cum gula & faucibus constringere possunt, qualia sunt poma & pyra sylvestria, acido-austera, sorbi, pruna sylvestria immaturiora, aliique fructus acerbi & succi eorum, liquores styptici; aer crassus, aut particulis vitriolicis, sulphureis, acidis, austeris, aut fumo carbonum sulphureorum prægnans eandem edit operationem. Laqueus & vincula è regione Glottidis collum fortius circumducta eandem constringunt, & vel ex proposito, vel improviso suffocationem inferunt. In convulsione musculorum laryngis, vel angina, aut alio quodam eorundem tumore idem obvenire solet, maximè si par quartum, sive thyroarytænoides est inflammatum, tum enim cartilago arytænoides valde constringitur & hæc constricta laryngem claudit. Simile quidpiam cartilago hæc pati potest à Tonsillarum tumore, inflammatione & duritie, majori loco in gula hærente, caruncula glottidi incumbente tumefacta, à quibus pariter aliquando comprimitur. Alia quędam glottidis constrictio aut occlusio fieri solet, dum boli majores deglutiendi, aut vi intrusi, per œsophagum, non satis patentem, non transeunt, sed in faucibus hærentes epiglottidem comprimunt, sicque laryngem fortius occludendo aeri itidem transitum denegant, respirationem impediunt & suffocationem inferunt, ut contigit quibusdam fructus integros deglutituris, pyrum nempe aut castaneam; alii verò pisces vivos ori indentes, sive ex incuria aut amentia, sive piscatores natando manus liberas servaturi, qui per fauces viam quæsituri operculum laryngis depresserunt, & antequam istis succurri potuisset, vitæ iis filum abbreviarunt.

Epiglottidis Induratio.

Epiglottis induratur aliquando canaliculis à carunculis Epiglottidi incumbentibus oriundis obstructis, ut nullus liquor ad cartilaginem hanc seu operculum Laryngis pervenire queat, tùm enim substantia hæc ordinariè mollis, exsiccatur, induratur & rigescit, quoniam motus partium illius, qui antè in spatiis fiebat majoribus, & tardior, jam longè est celerior, & intra spatia minima exercetur. Consumitur quoque idem hic liquor in majori febrium æstu, inflammatione Tonsillarum, Angina, Peripneumonia, Pleuritide, salivatione nimia, à quibus omne humidum nonnunquam adeò exsiccatur circa partes hasce, ut communis illas oris membrana laryngis interiorem partem succingens, eadem simul destituatur, quod obvenire etiam solet iis, qui nimia copia tabaci fumum assumunt, quo instar furni aut camini partes hasce aridas reddunt & planè exsuccas. Ventus borealis & Cæcias aperto ore aut diuturniore inspiratione assumptus, quod viatoribus quibusdam circa mare iter diutius ducentibus contingere potest, partes hasce aridas reddit, unde Glottis hæc rigida & flecti nescia rimulam Laryngis non claudit, sicque homines multis obiicit periculis, ut in priori morbo jam perspeximus. In Lue Venerea cùm universa lympha sit infecta, & à temperie sua blandiore in acriorem corruptivam transposita, & cartilaginem hanc detrimentum aliquod pati posse vix dubitandum est, quin eandem penitus corrodi, ut & hac ratione ad officium pristinum, rimulam videlicet occludendi, reddatur inepta. Imò cùm pars ista sit laryngi contigua, si hęc defectum patiatur liquoris, propter vitium aliquod glandularum nihil per ductus consuetos ad eam mittentium, ejusdem ipsius inopiæ & ista suprema cartilago tandem redditur consors, & liquore privata irrigante facilè corrugatur & rigescit.

Prognosis.

§. 11. Non sunt morbi hi contemptui habendi, cùm *Glottidis Constrictio* diutius durans suffocando mortem ipsam accersere queat, summè enim ad vitam necessaria respiratio viis præclusis inhibetur, & propterea morbus hic periculo satis est plenus, ut verba *Hippocratis Prædictor. lib. I. §. XI. m. Tom. I. pag.* 477. *& Coac. Prænot. cap. 2. m. Tom. eod. pag.* 545. tanquam veritati consona etiam huc referenda esse censeam, nempe quòd fauces dolorosæ, graciles, cum ægrè tolerabili modestia, strangulatoriæ, perniciosè sint acutæ. Sæpe enim vix moram concedunt ad medicinam idoneam parandam, & parti laboranti commodè applicandam, sed antequam via recipiendo aeri reseretur, ægri eodem destituti, quo tamen diu carere nequeunt, inter apparatum ipsum intereunt. Hoc verò non tantummodò contingit in inflammationibus vicinarum partium, imprimis musculorum Laryngis, sive Angina, nec in morbis solùm convulsoriis, sed in hisce quoque casibus, ubi corpus aliquod externum inconvenienter in rimulam hanc fuerit illapsum, & parietibus ejus adeò firmiter adhæreat, ut citò satis eiici, & meatus hic à re illa obturante liberari nequeat. Pertinent etiam aliquo modo ad convulsivam illam Glottidis constrictionem, & quæ in Angina obvenire solet, effata illa *Hippocratis*, *Prædictor. lib. 1. §. 2. m. Tom. 1. pag.* 477. Loci circa fauces in acutis morbis dolorosi, graciles, parvi, suffocatorii, quando hiarit æger, ut os aperire & claudere non facilè possit, mentis emotionem portendunt: ex talibus phrenetici fiunt, & perniciosè affecti. Ab ipsis verò rebus ex infortunio quodam in Glottidis foramen illapsis quæ contigit constrictio, non minùs, ac quæ externa quadam violentia, ut fune collum circumducto fieri solet, sæpius visa lethalis, quemadmodum de *Terpandro* Citharœdo refert *Triphon*, eum Spartę in Sciade canentem, dum ore hiaret, quodam ficu temerè jaciente & in faucibus ejus vi impingente, subitò fuisse stangulatum; & ex recensione *Valerii Maximi* Anacreon Tejus Poeta anno ætatis 85. dum passæ uvæ succo tenues & exiles virium reliquias foveret, unius acini pertinacior in aridis faucibus humor eum suffocavit. Quod enim in Glottide pertinacius hæret, ob impedimentum Epiglottidis aut planè non, aut difficulter admodùm eximitur, nec commodum est, ut per tracheam in pulmones protrudatur, ibi enim hærens teneram pulmonum substantiam vesicularem levi negotio lædet, aut vasa comprimet, sicque vel mortem subitaneam, vel lentam consumptionem & phthisin procurabit. Quæ verò ità sunt constituta, ut vel citò, vel tractu quodam temporis non adeò longo resolvi & liquari possint, aliquando per tussim quandam, irritatis ità pulmonibus, eiiciuntur, quod mulieri cuidam obvenisse recenset *Marcellus Donatus in Histor. mirabil.* cui pilulas justæ satis crassitudinis devoraturæ una ex illis per Glottidem, sive tracheæ os dilapsa fuit, ibique per tres ferè horas persistens suffocationem fuit minata, nec ullo ingenio eximi potuit, tandem verò liquata per tussim fuit rejecta & mulier à suffocatione & imminenti morte liberata. Sic quo breviora sunt corpora illa, eo difficilius extrahi possunt, longiora verò sufficienti parte extra rimam laryngis prominentia, ut in faucibus videri & instrumento prehendi possint, facilius & citius aliquando educuntur. Meritò ergò morbus hic statuitur periculo plenissimus & in quo si spes quædam alluceat liberationis, omnis mora habenda quam maximè noxia.

Epiglottidis Induratio morbus est admodùm contumax, & nullis fermè remediis in statum pristinum reducibilis, aut admodùm difficulter, & in leviori solummodò specie, in qua nondum in osseam duritiem cartilago hæc fuit transmutata, sed fibræ emollientibus adhuc flecti, & corrugatio seu rigiditas resolvi valent. Morbo verò hoc detenti multis subjecti sunt periculis, tum propter inspirationem, tum propter deglutitionem. Quando enim aer frigidior magna copia per patentem Laryngis rimam tracheam ingreditur, & ad pulmones pervenit, hi valde irritati tussim ferinam excitant, & magnam nonnunquam percipiunt læsionem. Ex cibo insuper & potu in deglutitione quæ non sunt timenda mala? Vix comestio institui potest, in qua non maximè sit cavendum, ne quid comminutorum ciborum apertum hoc ostium ingrediatur, & lethales machinæ excitet tumultus. Hinc fortè accidit, ut Anacreonti seni exsucco cartilago hæc adeò exsiccata obriguerit, ut quodcumque assumptum eam potius, quàm gulam petierit, & succus compressæ uvæ tenacior fuerit, quàm aridiorem tracheam pervaderet, sed in strictiori Glottidis foramine hærens, respirationem interceperit, & suffocationem insperatam attulerit. Quapropter cùm in ætate admodùm provectis humidi universalis quidam sit defectus & consumptio, fibræque partium rigidioris, quam ut facilè flecti & emolliri queant, affectus hic in iisdem adhuc certius, quam in junioribus, pronunciandus est incurabilis.

Diæta.

§. 12. In morbis hisce *Diætæ* regulæ studiosè sunt observandæ, maximè quod *Aerem* concernit, cùm organa respirationis læsa, aut morbo aliquo infecta, aeris excessu magis adhuc corrumpuntur; cibo enim ad tempus aliquod homines possunt carere, aere verò nullo modo. Eligendus itaque aer purus, serenus, temperatus; vitandus frigidus, nebulosus, crassus, pluviosus, ventis nimium agitatus, aut particulis acidis, ut fumo sulphureo, carbonum fossilium, lignorum recentium, aut alio quodam incongruo infectus, quapropter aer aliqua ex hisce labibus inquinatus, arte corrigendus est & depurandus, in *Epiglottidis Induratione* & hinc nimia Laryngis apertione eò respiciendo, ne patulo ore aer copiosius hauriatur, & hinc larynx, trachea & pulmones lædantur, sed accurata mensura & potius per nares admittatur. *Cibus* in *Glottidis Constrictione* convenit tenuior & fluidior, parva dosi una vice assumptus, & probè masticatus, ne crassiores & majores boli in faucibus aut gula longiori mora hærentes, laryngem adhuc magis comprimendo suffocationem accelerent; in *Epiglottidis* verò *Induratione* boli aliquantùm majores sunt deglutiendi, ne portiones minutiores deviantes patulam tracheam potiùs, quam gulam ingrediantur, & commodum foret, ut ægro supino fluidiora propinentur. Vitanda acida & austera, fructus sylvestres, pyra strangulantia, & id genus alia, eligenda verò discutientia & aromatibus mediocriter condita & lubricantia, piperata tamen omittenda, sed mace & aniso juscula potius condienda, quæ post coctionem cochleari perforato separari possunt & à residuo detrahi, ne ori illata aliquid creent periculi. *Potus* erit cerevisia tenuis, vinum dulcius enulatum, vel quod præstat, decoctum hordei cum passulis & glycyrrhiza, lac bubulum calidisculum, vitanda cerevisia vetusta, acida, crassa & tenax, vinum asperum, aut minus viscidum, quale mustum est recens ex uva expressum & nondum defæcatum, vinum Hispanicum aut Malvaticum nimis glabrum, pessimum verò est in hoc casu glacie refrigeratum, utpote conniventem jam vitæ januam penitus occludens. *Somnus* quidem concedendus est longior, cùm humectationi partium non parum contribuat, sed cautè simul observandum, ne humor lymphicus auctus & copiosius ad Laryngis ostium constrictum irruens, inopinatò suffocet, ægro dormiente non advertente, quapropter in catarrhosis prudenter dignoscendum, quid magis conveniat. In Laryngis Induratione *Vigiliæ* nimiæ sunt abbreviandæ, & somnus justo tempore & æqua mensura procurandus, atque sedulò observandum, ne tempestate existente sicca ore hiante ægri somno se tradant, ne major inde sequatur exsiccando, aut quidpiam in aere volitans simul hauriatur; quod laryngem intrans ejusdem ostium obturet; quare decubitus supinus, in quo oris apertio, ob compressos pulmones, musculos thoracicos, & hinc difficiliorem respirationem frequentius contingit, irruente somno est interdicendus. A *Motu* nimio abstinebunt, nec tamen omnem à se relegabunt Glottide constricta laborantes, quietiùs autem agant Epiglottidem habentes induratam, si enim occlusio contigerit à re forinsecus illapsa, motu quodam conveniente, exspiratione fortiori, & studio quoddam excitata tussicula, eorundem ejectionem facilitare possunt, in patente verò rima per motum validiorem aer noxius copiosius absorberetur, quod minimè conveniret, sed grave malum importaret. *Excernendorum* ratio studiosè est habenda, ut nihil ex illis ultra debitum retineatur, aliàs & hinc malum hoc valde augeretur, proinde & alvus strictior solvenda, & vesicæ repletæ via reddenda patula, per quam sarcina sua commodè liberentur, mucus naribus & auribus cerumina citò sunt eximenda, ne obstructione sua respirationem difficilem magis augeant. *Animi affectus*, quantum possibile, rectæ rationis fræno sunt coercendi, Iracundia & Tristitia planè pellendæ, & spe bona spirituum motus servandus est liberior, multum enim animi laxatio contribuit tubulis corporis dilatandis, & fluidorum per eos transitui facilitando, aut aliquo modo promovendo.

Galenicorum modus curādi Glottidis Constrictionem.

§. 13. *Curationi Pharmaceutico-Chirurgicæ* horum affectuum studium nunc locaturi, meritò Antecessoribus nostris prima concedimus vota. Incipiant proinde Vetustiores, nempe *Galenici*, quos reliqui ordine sequentur. Porrigunt verò isti in *Glottidis Constrictione* curanda hoc consilium, ut humores vitiosi, crassi & tenaces, sive pituitosi sint sive melancholici, attenuentur & incidantur per pectoralia convenientia, uti sunt decocta varia ex rad. pimpinell. enul. ononid. cichor. chinæ, Ireos Flor. Imperator. scillæ, herb. Hyssop marrub. capill. Ven. chamædr. beton. erysim jaceæ, scabios. thym. flor. stœchad. sem. anis. basilic. Card. Mar. urtic. siler. mont. bacc. junip. passulis, caricis, &c. quale sequens exhibet formula.

♃. *Rad. Enul.* ʒ vj.
Ir. Flor.
Imperat.
Pimpin. aa. ℥ ß.
Chin. ʒ ij.
Herb. Hyssop.
Scabios.
Capill. Ven.
Chamædr. aa. M. j.
Summit. thym.
Flor. anth. aa. P. j.
Sem. urtic. ʒ iij.
Anis. ʒ ij.
Bacc. Iunip. ʒ iij.
Incis. coq. in s. q. aq. commun.
Colatur. ℔ ij. *add.*
Oxymell. squillit. ℥ ß.
Syr. Diaprass. ℥ i ß.
M. Assumat æger ℥ iij. una vice.

Hoc adhibito si humores facti sint fluidiores, at nondum commodè eiiciantur, eosdem evacuant decocto potissimum fol. sen. cum agar. decocto galli veteris cum speciebus solutivis, vel electuar. Hier. cum agar. aut Indo, vel confectione Hamech, aut pilulis aggregativis, assajereth. Arab. vel similibus, si gula adhuc satis patula sit, ut commodè deglutiantur. Si opus videtur, etiam venæsectionem instituunt. Ab austero quodam succo ad Laryngem à comestione fructuum sylvestrium aut aliorum strangulantium transmisso ortam constrictionem resolvunt edulcorantibus, ut decocto Glycyrrhizæ cum passul. vel caricis & sem anisi, looch de Scylla syrup. Jujubin. de erysim. capill. Ven. Res externas ex improviso illapsas commota tussi exscreari jubent, vel si prehendi possint, instrumento educunt, & via lubrica reddita, butyro insulso & recenti, vel oleo amygd. dulc.

dulcis aut sesamino, vel si hoc fieri nequeat, & locus mucrone rei, ut ossiculi, aciculæ, &c. læsus ad suppurationem tendat, eandem promovent appositis externe convenientibus cataplasmatis, aut rupto abscessu res illa molesta simul cum pure commodiùs eiiciatur. Intereà verò, ne ob denegatam respirationem æger suffocetur, Laryngotomiam instituunt, & foramini fistulam artificiosè insinuant, per quam aeri liber concilietur transitus. Topica etiam foris adhibent, emollientia, forma linimentorum, ex quibus sequens tyronibus præbent exemplar.

℞. *Unguent. pectoral.* ℥iij.
Alth. ℥ij.
Agripp. ℥j.
Ol. lil. alb. ℥iß.
Sesamin. ℥iß.
M. F. Linimentum.

Vel

℞. *Rad. liquirit. ras.* ℥iij.
Herb. Marrub.
Arnic. aa. ℥ij.
Farin. sem. lin. ℥ß.
Sem anis. ℥j.
Caric. No. j
Incis. & pulverisata misceantur cum butyr. recent. ℥iiij.

Stent per horas aliquot in loco calido, vel super cineribus calidis, agitentur spatula, post exprimantur per linteum, expresso linimento eædem denuò admisceantur species dosi dimidiata, & idem labor adhuc semel repetatur, postea admisc.
Medull. cervin. ℥ij.
Axung. anat. ℥iij.
F. Linimentum.

Quo regio loci affecti sub mento frequentiùs illinatur. Morbi partium vicinarum si constrictionem hanc induxerint, eorundem curationi incumbunt, ut iis profligatis & Glottis debitè rursus dilatetur.

Epiglottidis Indurationem.

Epiglottidis Indurationem à causis exsiccantibus inductum corrigere tentant emollientibus & humectantibus, si morbus nondum sit diuturnus, nec cartilago hæc in osseam abierit duritiem, cui optima quoque medicamina frustra adhiberi norunt, sed in leviori malo decoctum propinant pectorale, decoctum passularum cum flor. malv. arbor. & syrup. dialt. decoctum caulium, Loch de iisdem; tum pinguia & oleosa lentim deglutita, ut butyrum recens, oleum olivarum, amygdalar. sesaminum, vel per se assumpta, vel in jusculo tepido exhibita, quibus aliquando externa associant, ut unguentum resumptivum, dialt. vel alia ex superioribus jam cognita.

Paracelsi cura in Glottidis Constrictione.

§. 14. *Paracelso* cura in *Glottidis Constructione* eo dirigitur, ut sal aluminosum illud resolutum, ad partem hanc nimia copia transmissum corrigatur, & aliorsum relegetur, aut quocumque modo dometur, hinc liquorem hyperici, essentiam melissæ, liquorem perlarum, salutaria exstitura putat remedia ad constrictionem hanc solvendam.

Epiglottidis Induratione.

In *Epiglottidis* quoque *Induratione* sal illud spissius suadet dissolvendum, ut pars indurata relaxetur & debitè emolliatur, quod præ aliis impetrari vult elixirio auri, misto cum elixirio throni, & in aqua mellis, vel essentia vini assati adsumpto, hisce enim sperat siccum quodcumque tandem iri dissolutum.

Helmontii cura in Cōstrictione.

§. 15. *Helmontiana* cura hæc est in *Glottidis constrictione*, ut omne custodem hujus partis irritans amoveatur convenienti emetico ex Antimonio potissimum parato, deinde custos in libertatem restituatur, ut à metu hostis sui liberatus à fuga placida revertatur, & pristino suo bene fungatur officio, prospiciendo nempe parti huic, ne ullum patiatur damnum aut periculum, quod per arcana & elixiria vegetabilium quorundam præstabitur.

Epiglottidis Induratione.

In *Epiglottidis Induratione* defectum laticis resarciri vult, & custodem corroborari, ut secretioni laticis, partisque hujus irrigationi debitè rursus advigilet, qua virtute simul præter alias Elementum perlarum lacteum pollere existimatur.

Vuillisii modus curandi Glottidis Constrictionem.

§. 16 *Vuillisii* scopus in *Glottidis Constrictionis* curatione hic est, ut quodcumque foris illapsum & rimam hanc occludens eximatur sive digitis, sive instrumento, sive screatu aut vomitu, quo commota gula asperam arteriam simul agitet, & hæc corpus heterogeneum & molestum expellat: si verò hoc obtineri nequeat, ne suffocatio oboriatur, Laryngotomiam necessariam esse credit, pro aeris ad pulmones introitu, sine quo respiratio peragi nequit, hac verò cessante, ipsa vita hominis desinit. Ab affectu quodam spasmodico, seu convulsione partium fibrosarum, aut musculorum Laryngis si accederit, antispasmodica in usum ducit remedia aliunde jam cognita, uti & in compressione vicinarum partium morbis curationem ad hos ipsos dirigit, & sanguinem aut lympham circa Laryngem & Glottidem evasatam atque incrassatam resolvit diaphoreticis & salibus volatilibus spir. sang. human. sal. armon. vel bezoardico minerali, aliisque remediis in Angina aut Pleuritide aliàs usitatis. Illinitiones insuper ex unguento dialth. & fotus ex fol. lil. alb. & far. sem. lin. in aqua coctis externè approbat adhibenda.

Epiglottidis Indurationem.

Ad *Epiglottidis Indurationem* emollientia adhibet cum aliis, & humectantia ex lacte, decocto passular. butyro, oleo amygd. & simil. quæ lentè sunt deglutienda, quo circa partem hanc diutiùs commorantia eandem debitè imbuant, quapropter & externè linimenta à Galenicis jam prolata, fotusque superiores admittit.

Sylviana cura in Glottidis Constrictione.

§. 17. *Sylvius* nihil de morbis hisce curandis proponit singulare, sed in *Glottidis Constrictione* ad causas respicit, & morbos vicinarum partium prius removet, vel rerum ab extra illapsarum ejaculationem, si possibilis sit, promovet per tussim aut sternutationem excitatam, vel quocunque modo hæc convenienter obtineri queat, humores verò acidos corrigit salibus volatilibus aliisque remediis mitigantibus & absorbentibus.

Epiglottidis Induratione.

Ad *Epiglottidem* emolliendam remedia commendat lympham glandularem augentia, vel eandem coagulatam & inspissatam solventia & incidentia, quorum priora sunt alimenta facilis digestionis & succum copiosiorem in sanguinem & lympham inferentia, imprimis lac, butyrum & jusculа, ex carne animalium juniorum, tum medicamenta humectantia, ex quibus decoctum herb. malv. violar. tussilag. capill. ven. cum passulis satis æstimatur salubre; posteriora verò sunt aromatica blandiora & salia volatilia oleosa, à quibus omne viscidum inciditur & in statum convenientem deducitur.

Cartesianorū ratio curandi Glottidis Constrictionem.

§. 18. *Cartesianis* placet in adeunda *Glottidis Constrictionis* curatione, ipsas etiam advertere causas, & pro earum diversitate dirigere remedia eorundemque administrationem. Quando enim musculi Laryngis à particulis hamatis constricti cartilaginem hanc simul comprimunt, & ita rimam reddunt angustiorem, easdem flectere student & ita emollire, ut tubulos seu canaliculos musculorum ulterius non detineant, & hi in pristinum restituti situm liquoribus consuetum permittant transitum, hoc enim obtento nihil stagnabit, sed motu succis permanente libero, etiam cartilagines debita sua fruentur forma, cujus rei gratia ea propinant remedia, quæ porosa sunt, & globulis secundi elementi facile cedunt, ut iisdem tubulos ingredientibus, & hamulis aliisque acutis particulis rigidioribus in iis detentis se miscentibus, materiæ subtili intervenienti via paretur magis patula, unde tubulis illæsis solas particulas istas destruat, frangat, & ita vel in aliam redigat figuram, vel secum extra corpus abripiat, & hac virtute sequentes constare judicant remediorum formulas.

℞. *Decoct. rad. lapp. maj. & ligni sassafr. aa. in aq. commun. parat.* ℔ß. *add.*
Spir. sal. Armon. ℥ij.
Salis succin. volat. ℈j.
Syr. fœnic. ℥ß.
M.

Assumantur 2. vel 3. cochlearia una vice tepidè.

℞. *Aq. anis.* ℥ iß.
Flor. sambuc.
Scabios. aa. ℥ ß.
Tinctur. Croc. ʒ iij.
Spir. sal. Armoniaci ʒ j.
Salis volat. C. C. ℈ ß.
Syr. de Hyssop. ℥ j.
M. D. Cochleatim.

Res illapsas eximunt, si prehendi possint, & quo commodius peragatur, regionem loci affecti solvent externè decocto rad. lil. & flor. chamomill. in lacte facto, quod calidiusculè quoque bibendum suadent, nec Laryngotomiam in extremo periculo abnuentes, quavis aliquando diaphoreticis & salibus volatilibus frustula ciborum rimulæ huic illapsa, commodè ejecerint, commota inter sudandum tussicula, qua juvante, etiam ægris vix advertentibus animum, facile fuerunt expulsa.

Epiglottidis Indurationem. *Epiglottidem induratam* emollire student humectantibus, id est, lympham augentibus, quæ ex copiosiori & laudabili chylo demum reparatur, quapropter lac tepidiusculum, cum sale quodam volatili sæpius assumptum affectui huic valde convenire judicant, uti & decoctum ligni sassafras cum santalo rubro, vel sequentem mixturam.

℞. *Aq. Malv.*
Bellid. aa. ℥ ß.
Mucilag. sem. cydon. aq.
ros. extract. ℥ iß.
Spir. Nitri optimè dulcificat. ʒ ij
Syr. Juiubin. ʒ j.
M.

Assumatur cochleatim sæpius in die, & lentim deglutiatur, ut cartilago hæc satis imbuatur. Eadem de causa masticationem excitant per trochiscos convenientes, aut grana mastiches, ut saliva prolicita ad partem hanc fluens eandem irriget & quantum possibile est, expandat; sed operam hanc perdi fatentur, quando cartilago hæc omni succo tamdiu fuit destituta, ut in osseam abierit duritiem, quam nulla ratione sciunt emollire.

Nostra curra in Glottidis Constrictione. §. 19. Ex *Nostra* sententia curatio *Glottidis Constrictionis* aut Occlusionis debitè instituitur, quando causæ ejus citò auferuntur, quapropter rimulæ huic illapsa sternutatione sæpe repelli possunt, & nonnunquam diaphoretico volatili, quo liquor nervosus oppressus excitatur, ejusque copiosior in tubulos musculorum Laryngis affluxus promovetur, ut ita eorum auxilio expulsio rei extraneæ procuretur, quod nonnunquam feliciter satis successit, retulitque nobis D. *Vogelsangius* historiam typothetæ cujusdam inter labores suos pomo vescentis, dum intereà ab alio re quadam projecta petitus fuit, ex terrore interveniente gemitu frustulum quoddam pomi asperius Glottidi irrepsit, & per aliquot dies ibi hæsit, non modò tussim, sed respirationem quoque difficilem cum dolore satis acuto & molesto excitans, & tamen symptomata brevi cessarunt, cum sequentia ab eo præscripta adhibuisset remedia.

℞. *Antimonii diaphoret.* ℈ j.
Spec. diair. simpl. ℈ ß.
Sal. volat. CC. gr. vj.
M. F. Pulvis una vice assumendus in sequenti vehiculo.

℞. *Aq. Cariof.* ℥ ß.
Scord. ʒ ij.
Spir. anis. ʒ j.
Syr. Hissop.
M.

Majora tamen corpuscula aliqua adhuc parte extra rimam prominentia vel digitis, vel alio instrumento forma forcipis prædito facilè prehenduntur & extrahuntur, serum verò inibi stagnans propinato vomitorio sæpe cedit, & tum incidentia demum & succos austeros strangulantes corrigentia locum habent. Ex. gr.

℞. *An. Hyssop.*
Serpill. aa ℥ iß.
Spir. sal. Armoniaci anisat. ℈ j.
Essent. Gumm. Ammon. ʒ ß.
Spir. de liquirit. ℥ j.
M.

℞. *Essent. succin.*
Sassafr. aa. ʒ ij.
Spir. sal. Armoniaci ʒ j.
M. D. gutt. 30. pro dosi.

A rebus strangulantibus externè admotis si contingat, ut fune, compressione manuum, aliisque rebus violentis, eadem, si licet, illico sunt adimenda, & liquori nerveo debitus reconciliandus est transitus per remedia spirituosa & volatilia, sed justitia id aliquando non permittit, & malefici quidam pœna ejusmodi viis sunt eximendi. Morbi in vicinia partis hujus commorantes, & rimam hanc constringentes si debitè tolluntur, & constrictio hæc simul cessabit. Ne verò diuturnior Glottidis constrictio ob impeditum aeris ingressum suffocationem & mortem inferat, in extremo periculo instituenda est Laryngotomia vulgo sic dicta, melius autem Bronchotomia appellanda, utpote cujus subjectum non Larynx, sed ipse asperæ arteriæ truncus, seu Bronchus est, ut ita aliis remediorum generibus non sufficientibus, extraordinaria aeri per chirurgiam hanc paretur via, quo nimirum interim respiratio per vulnus Tracheæ inflictum fieri queat, usque dum obices illæ fuerint remotæ. Novimus tamen plurimos abhorrere ab operatione hac, tanquam periculosissima, quorum rationes videri possunt apud *Aquapend. de Operat. Chirurg. p. 232. Fien 4. cap. 2. Barthol. cent. 1 Epist 80. & Lamzvv. pag. 199.* quas tamen pariter apud eundem *Aquapend. l. a. Fienum tract. 4. cap. 3. & Renatum Morean in Epist. ad Barthol.* hujus *Cent. 1. Epist. 81.* refutatas observabis, & periculum, quod inde metuunt, non tantum est, ut lethalitatem absolutam inferat, quatenus per providam satis operationem hoc declinari potest: dum vulnera enim casu asperæ arteriæ illata, licet vocem atque loquelam, haud tamen semper respirationem lædant, atque per se lethalia non sunt, ut experientiæ *Aquapend. Tulp. lib. 1. Observ. 1. Parei lib. 9 c. 19. Schenck. Obs. lib. 2. pag. 228. atque Sennert. Prax. lib 2. pag. 2. c. 1.* testantur, imo, utut non sine omni periculo hæc chirurgia peragatur, tantum tamen hoc non est, quantum illud præsentaneum, quod morbus intermissa operatione minatur. De cætero per dexteritatem Chirurgi felicissimè cum successu hanc sectionem adornatam perhibent *Schenk. p. 223. Maureau* apud *Barthol. & Lamzvv.* modò juxtà *Aquapendentem* is sit Anatomes peritus, quia sub hoc Medico & Artifice omnia tutissimè ac felicissimè peraguntur. Præprimis tamen inquirendum erit primò, annon difficultas spirandi maximam partem à Pulmonum inflammatione pendeat? cùm hæc sæpius asperæ hujus arteriæ morbos, & potissimum Anginam comitetur vel excipiat; secundò, an multum materiæ viscidæ canalem hunc repleat; tertiò, an Laryngis inflammatio per totum bronchum extendatur? In his casibus frustranea est operatio, ac pereunt nihilominus ægri.

Modus operandi hic est. Reclinetur primò ad posteriora ægri caput, quantum per inflammationis aut alterius morbi dolorem fieri potest: partim ut aspera arteria conspectior fiat, partim ut hujus interstitia membranosa magis à se invicem distendantur. 2. Ab explorato tracheæ capite atramento ducatur linea per mediam colli longitudinem versus juguli cavitatem. 3. Ab eadem Laryngis inferiore parte numerentur circuli cartilaginei, descendendo in brevioris colli subjectis usque ad interstitium tertii vel quarti, in procerioris verò cervicis hominibus usque ad quarti vel quinti, in quibus sectio fieri debet, id est, in remotiore magis à larynge affecta vel inflammata parte, ne inflammatio sectioni forsan superveniens malum augeat. 4. Locus hic digitorum contrectatione inventus, ducta secundum colli latitudinem linea, descendentem ad rectos angulos intersecante,

note-

notetur, & cutis cum panniculo carnoso digitis ministri utrinque elevetur, ac ita complicetur, ut linea transversa in medio plicaturæ appareat: hinc 5. mox sub transversa trajiciatur culter falcatus, qui elevatus atque retractus integumenta hęc secundùm tractum lineæ longitudinalis dissecet, ita quidem ut vulneris longitudo pollicem transversum æquet, sufficiens nihilominus sit pro musculis sternothyroideis detegendis, qui 6. sanguine deterso in sui interstitio, quod linea alba longitudinalis designat, manubrio scalpelli, similive instrumento aliquantum ancipiti parum divellantur, quo aspera arteria denudetur: ac 7. hujus interstitii antea notati tantum sectione transversa incidatur, quantum pro excipienda minore cannula sufficiens sit. Hæc autem cannula 8. argentea seu plumbea incurvata & foraminibus pertusa, ita tamen ne extremitate sua parietem asperæ arteriæ posticum attingat, in anteriore verò parte ansata sit, ne inter inspirandum simul attrahatur, sed circa collum vinculis firmari queat, per quam vulneri tracheæ immissa, respirationem æger celebret usque dum inflammatio Laryngis cesset, aut obstaculum respirationis quodvis fuerit sublatum, ac per viam ordinariam illa denuò fieri queat. Interim 9. labia vulneris unguento digestivo & emplastro conveniente illinantur, donec 10. cannula protrahatur, & scarificatis, si opus fuerit, vulneris externi labiis, sutura hæc sibi adducatur, ac medicamentis & deligatione commoda consolidentur.

In *Epiglottidis Indurationis* curatione placet nobis sententia *Cartesianorum*, de restitutione nempe lymphæ deficientis, ut ita cartilago sufficienter denuò irrigetur, & hoc solummodo tentari & aliquando obtineri potest, si fibræ cartilagineæ nondum adeò exaruerint, nec in osseam abierint duritiem, sed adhuc flecti queant, dum à lympha glandulari reparata satis insuccantur, cui rei inserviunt non modo remedia humectantia, qualia sunt lac tepidum, decocta pectoralia & similia, sed salia quoque volatilia glandulas & ductus lymphaticos aperientia, ut absque ulla mora conveniens & sufficiens liquor ad cartilaginem hanc stillare valeat, quale remedium sequens exhibet formula.

℞. *Decoct. Glycyrrhiz. cum hord. & passul.* ℔ ij.
Spir. vin rectificat. ℥ ii ß.
Spir. sal. Armoniaci ℥ ß.
M.

Oleum amygdal. dulc. in jusculo aliquoties lentè deglutitum cartilaginem hanc emolliet, ut melius expandatur, & rimulam Laryngis debito modo operiat.

Si verò è contrario cartilago hæc rimulam nimis arctè claudat, & vel à re extranea, vel à muco viscido ibidem collecto valde deprimatur, res illæ sunt eximendæ, & materia viscida incidenda & attenuanda, ut tussicula quadam aut fortiori exspiratione eliminetur, ad quod aqua asthmatica conferet cum essentia enulæ & Spir. sal. Armoniaci anisato, vel spir. gumm. Ammoniaci, affectibus hisce abigendis satis congruo & respirationi facilitandæ proficuo.

CAPUT IV.

De Asperæ Arteriæ Angustia, Asperitate, Ulceribus & Vulneribus.

§. I. EXaminatis priore in capite morbis superiorem Asperæ Arteriæ & Laryngis partem occupantibus, nunc ad reliquos organum hoc aliis etiam in partibus invadentes ordine nobis placito progrediemur, quales sunt Asperæ Arteriæ Angustia, Asperitas, Ulcera & Vulnera.

[Descriptio Asperæ Arteriæ Angustia.] Asperæ Arteriæ *Angustia* est meatus ejusdem seu cavitatis imminutio, quoad circumferentiam, vel parietum seu superficiei cartilaginum circularium membrana quadam lubrica inducæ à se invicem distantium, qua aeri consuetus denegatur, vel difficilis saltem redditur trãsitus, vel à constrictione aut compressione cartilaginum istarum annularium externa, vel ab obstructione interna proveniens.

[Asperitatis.] *Asperitas* est membranæ Asperæ Arterię interioris à consueta lævitate & lubricitate defectus, & voci & respirationi difficultatem pariens, & à diversis causis inducta.

[Ulceris.] *Ulcus* est solutio continui, seu diruptio fibrarum & tubulorum unius vel alterius partis Asperæ Arteriæ, vel cum, vel sine effluxu materiæ purulentæ vel succorum corruptorum, à stagnatione & aciditate corrosiva succorum excitata.

[Vulneris.] *Vulnus* est ejusdem Arteriæ continuitatis dissolutio, orta à vi externa & re quadam pungente, vel scindente, vel contundente. A diversitate hac causarum vulnera hæc dividuntur in Puncturas, dissectiones, easque vel longitudinales, vel transversales, vel obliquas; & Contusiones, vel vulnera cum contusione, qualia sunt quæ ab ictu, aut globis explosis bombardarum, aliorumve instrumentorum bellicorum inferuntur.

[Pars affecta.] §. 2. *Pars affecta* est aspera Arteria, Trachea, seu Fistula Pulmonum, aliquando raro exemplo duplex observata, *Ephem. Ann. 1. p. m. 26.* ordinariò verò in machina hac vitali tantum unica existens, cujus structura ex præcedentibus capitibus, quantum ad morbos curandos requiritur, satis jam reddita est cognita atque perspecta. Ab hisce verò affectibus non tantum musculi Laryngis, sed secunda etiam ejus pars seu Bronchia propriè dicta, & tertia nonnunquam, à *Malpighio* vesicularis nuncupata & in pulmonum corpus desinens, occupari possunt. In Angustia enim fistulositas primariò læditur, dum vel cartilagines annulares, & cum iis simul ligamenta, membrana externa à pleura oriunda, & interna à tunica palatum investiente producta, vel à re quadam externa violenta comprimuntur, ut parietes interiores magis vel minus invicem conniveant, vel à corpore quodam inconvenienter vel in cavitate ipsa, vel inter cartilagines & tunicam interiorem hærente, contigui redduntur; in Asperitate verò à re quadam acuta seu acri tunica seu membrana interior, in flatu sano liquore quodam unctuoso obducta, & binas adhuc alias sibi adjunctas habens membranas, glandulosam nempe & vasculosam, molestatur; in Ulceribus & Vulneribus & musculi Laryngis, & tunica utraque, & cartilagines, & ligamenta, quę hisce intermedia sunt & motum pręstant, cum vasis omnis generis lædi possunt & infestari, adeo ut vix ulla pars integrè hujus fistulæ sit eximenda, quæ ab uno vel altero ex morbis hisce nequeat prehendi, & nonnunquam lethaliter corrumpi.

[Diagnosis.] §. 3. *Cognitio* morborum jam designatorum non adeò latet in obstruso, etenim ex respirandi difficultate, vocis defectu, imminente suffocatione, rebus strangulantibus exteriùs adhibitis, vel interiùs in asperam arteriam illapsis & obstruentibus, tumore partium vicinarum, *Angustia* Tracheæ facilè colligitur. Deinde *Asperitatem* raucedo vocis, dolor pungens in inspiratione, exspiratione, vel deglutitione potulentorum perceptus, tussicula frequentior & sylvestris sufficienter produnt & manifestant. *Ulcera*, si oculorum non pateant adspectui, ex dolore tamen, exscreatione succi cruenti, aut in diuturnis & sordidis, purulenti & fœtentis satis colliguntur, cruore nempe & pure ulcus, dolore vero locum affectum ostendentibus. *Vulnera* vix ullo indigent signo, cùm & videantur, & ex recensione ipsius ægri vel adstantium, quo instrumento, quo tempore & qua ratione illata fuerint, abunde percipiatur.

[Juxta Galenicos causa Asperæ Arteriæ Angustiæ.] §. 4. Causam *Angustiæ* adscribunt *Galenici* vel constrictioni, vel compressioni, vel obstructioni. Constrictionem fieri dicunt à manu, laqueo, vel alia re externa & violenta, vel etiam à medicamentis adstringentibus compræssionem à tumoribus & inflammationibus partium vicinarum, vel bolo majore in gula hærente; obstructionem verò tum ab humoribus crassis & glutinosis ex cerebro in asperam arteriam destil-

lantibus & in ea cumulatis, tum excrementis saniosis cruentis aut purulentis ex abscessu pulmonum aut thoracis rupto copiosius in partem hanc proruentibus, tum grumo sanguinis aut excrescentia carnosa post ulcus vel vulnus promanante, tum à rebus externis variis in arteriam hanc illapsis & in eadem hærentibus.

Asperitatis. *Asperitatem* Tracheæ huic contingere docent aut à destillatione acri ex cerebro membranam interiorem petente, aut vaporibus quibusdam internis, aut rebus externis, fumo nempe, vento, pulvere, aliisque aeris vitiis, aut ab ulcere membranam dilacerante.

Vlceris. *Vlceris* verò causam constituunt humores acres & erodentes, & potissimum pituitam salsam in cerebro calido ex vaporibus copiosis contractam, conferente multum ad ejus generationem aere externo, uti contingat tempore verno sicco, squalido & aquilonio, excipiente hyemem austrinam, pluviosam & serenam, præterea etiam materiam acrem & purulentam ex inflammationibus & exulcerationibus partium thoracis in partem hanc transmissam, vel potulenta aut medicamenta acria & corrodentia in cavitatem hanc delata.

Vulnerum. *Vulneribus* communem adsignant causam, videlicet instrumenta acuta vel pungentia, vel scindentia, vel contundentia, ut tela, ictus, morsus, aliaque ratione continuitatem hujus membri solventia.

Paracelsi opinio de causis morborum. §. 5. *Paracelsus* in Tracheæ *Angustia* nullas novit causas à prioribus differentes, *Asperitatem* verò & *Vlcera* à salibus corrodentibus, & *Vulnera* ab instrumento quodam acuto scindente, ungente, vel contundente infligi fatetur.

Helmontii opinio de causis morborum. §. 6. *Helmontius* præter res externas *Angustiam* seu Constrictionem & *Vulnera* Tracheæ procreantes, potissimam horum affectuum causam Latici diversimode corrupto adsignat, adeò ut ob lassitudinem Custodis in mucum crassum & viscidum versus, arteriam hanc obstruat, acescens autem acrimonia sua tunicam interiorem erodat, & lævitate sua privet consueta, sicque *Asperitatem* inducat, tandem verò salium quoque dissolutorum copiam adsumens partem hanc planè exulceret.

Vvillisii ratiocinium de causis Tracheæ Angustiæ & Vulnerum. §. 7. *Vvillisius* quoad res violentas Compressionem, Constrictionem, & *Vulnera* parti huic inferentes priorum effatis album adjiciens calculum, *Angustiam* quoque fieri posse refert ab oppletione, quam sæpissimè contingere observavit à feri, dum à sanguine abscedit, fluore catarrhali, & è vasis sanguiferis in has partes exundatione, quod primò tenue & acre tussim pariens molestissimam, postea per coctionem crassescens & tracheæ parietibus adhærens, inspirationis vias valde angustet, & extremitates earum prorsus implendo decurtet, qualem angustiam & à sanguinis extravasati, nec non puris aut materię ichorosę è lymphęductibus aut sanguiductibus in vesiculas tracheales exudatione & superveniente stagnatione, vel concretionibus quibusdam lapidosis, à quibus tracheæ vasa valde comprimuntur, excitari & dyspnœam oriri affirmat, vel à fibris tracheæ ductuum spasmodice affectis, à quibus ipsi ductus contrahuntur & occluduntur, ut aeri ad debitam inspirationem transitus necessarius denegetur.

Asperitatis. *Asperitatem* Tracheæ obvenire monstrat, vel à serositatibus nimium acribus à sanguine in tunicam tracheæ glandulosam copiosius depositis, & magna ex parte in ipsius cavitatem exudantibus, à quibus tunica interior vellicetur & erodatur, sanguinem verò à superveniente quodam acido, ut frigore suscepto, vel acidis epotis, nimis fundi & in serositates ejusmodi præcipitari; deinde etiam à rebus aliis radentibus in tracheam illapsis, vel pure acri ex pulmonibus per tracheam hanc rejecto in transitu ejusdem corrodi posse lubenter admittit.

Vlcerum. A majori tandem ejusmodi erosione, in qua tunica vasculosa profundius exeditur, *Vlcera* etiam ipsa provenire asserit, quod in phthisi etiam obvenire soleat, dum materia purulenta in pulmonibus à sanguine secreta ubique in tracheę vesiculas & ductus minores insinuetur, & sic foveas & ulcera in partibus ejus ubivis efformet.

Sylvii ætiologia Tracheæ Angustiæ. §. 8. *Sylvius* opinatur *Angustiam* Tracheæ frequentiùs fieri à pituita sive fluida viscidave, sive acri, blandave, vel sanguine concrescente solutove, vel pure crasso, tenuive, vel sanie, vel aqua in demersis ad pulmones usque penetrante, à quibus omnibus etiam aspera hęc arteria possit oppleri, sicque simul aeri transitus angustari.

Asperitatis. *Asperitatem* ejusdem interdum ab humoribus acidis, vel salsis muriaticis, tum à capite, tum aliunde ad fauces & asperam arteriam delabentibus; interdum verò à solis halitibus eadem qualitate præditis, & partem hanc malè afficientibus ortum trahere, sibi quàm maximè habet persuasum.

Vlcerum & Vulnerum. *Vlceris* causam constituit quodcumque acre, sive lympha sit, sive pituita, sive sanguis, siue sanies, quod rodendo continuitatem partis hujus dissolvit. *Vulneris* causam adscribit cuicumque cæsim, vel punctim, vel contusim solutionem parti huic inferenti.

Cartesianorum judicium de Asperæ Arteriæ Angustiæ causis. §. 9. *Cartesiani* & constrictionem & compressionem admittentes, *Angustiam* quoque à muco quodam viscido ex lympha vel liquore nutriente, tunicæ interiori superfuso, & à particulis quibusdam rigidioribus ab aere vel aliunde superveniente coagulato & inspissato, dum liquores isti in motu impediti fuerunt, oriundo induci credunt, nec non à liquore nerveo ab heterogeneo quodam corpusculo in motu impedito, & aliqua in parte moram nectente, à quo tubuli comprimuntur, & aeri per fistulam hanc consuetus intercipitur transitus.

De causis Asperitatis. *Asperitatem* communiter contingere putant, dum particulæ quędam rigidiusculæ & mucronatæ, vel cum aere, vel alio quodam succo ex vasculis, vel glandulis in tubum hunc respiratorium effluente liquori unctuoso intermiscentur, quæ ibidem inviscatæ diutius hærent, suasque cuspidulas ipsis fibrularum tunicę interioris interstitiis insinuant, unde hæ vellicatæ, pulmonibus in consortium tractis tussiculam excitant, insuper liquor lubricans ab iisdem impeditus tunicam hanc ubicumque nequit illinere, sed sulculi aut prominentiæ quædam redduntur, ad quas aer in exspiratione allidens, voce quadam rauca læsionem istam obsignat.

Vlcerum. *Vlcera* à majori tubulorum diruptione per diuturniorem liquorum glandularium & vascularium stagnationem, atque particularum acutarum intermistionem inducta exoriri aliis persuadere conantur, in quibus majoribus sulcis variorum colligatur succorum mistura, etiam pars quædam chylosa, quæ ab acido corrupta materiam exhibeat purulentam, cruorem verò ex arteriolis promanare ab iisdem scindentibus particulis vel paulatim erosis, vel violenter diruptis.

Vulnerum. *Vulnerum* causam à superioribus satis expositam esse, nec ulterioribus eandem verbis indigere fatentur.

Nostra sententia de causis Asperæ Arteriæ Angustiæ. §. 10. *Nos* tandem quod attinet, facilè damus prioribus, *Angustiam* Fistulæ hujus pulmonalis contingere posse à constrictione externa per funem, manus violentas, catenas aliaque vincula, vel compressione manus, pedis, tumoris partium adjacentium, aliarumque parti huic incumbentium rerum tum externarum, tum internarum, sicut & à globulo vel sagitta ex obliquo cuti & musculis colli ad usque partem hanc infixo fieri non est impossibile, magis tamen propriè, & absque aliarum partium circumjacentium ęquali afflictione oriri solet, vel à rebus quibusdam in fistulam hanc forinsecus illapsis, & in ampliori etiam ejus parte aliquamdiu sine suffocatione hærentibus, quod accidere posse argumento sunt res illæ sæpius per tussim salutariter ejectæ, quidni enim sine suffocatione illabi possint, dum sine eadem per tussim rejiciuntur? Et videtur suffocatio tum demum accidere, quando res illapsæ in capite & orificio asperæ arteriæ hærent, nec per angustius laryngis foramen aut ejici, aut ulterius protrudi valent; Præterea à muco tenaci viscido, vel in ipsa arteria hac ex propriis vasis collecto, liquoribus in cavitatem ejus depluentibus, ibidem stagnantibus, & ab acido quodam coagulatis, aut temporis tractu, consumptis particulis volatilioribus, induratis; vel à pulmonibus transmissa materia cruenta aut purulenta

lenta copia aut tenacitate sua tracheam obstruente. Angustari denique solet fistula hæc, quando musculi faucium paralysi resolvuntur, hoc est, à denegato influxu partium fluidarum, spirituum nempe, unde aspera arteria quasi collabitur & flaccescit, vel à fibrarum Asperæ Arteriæ strictione spasmodica, sive convulsione, prout hypochondriaci & mulieres hystericæ nonnunquam affliguntur.

Asperitatis

Exasperatus Trachea hæc à quibuscumque particulis acrioribus vel aridioribus liquorem lubricantem vel corrumpentibus, vel absumentibus, tum ipsas tunicę interioris fibras lædentibus, quales interdum cum aere per inspirationem ad partem hanc transferuntur, vel ab aliis quibusdam succis eidem communicantur, vel cum cibo & potu assumuntur; ut ex nimio nucum vel fructuum austeriorum comestu contingit, ex quibus masticatis liquor ràcidus & particulis asperioribus præditus emanat, qui liquori lubricanti domestico commistus hic illic tenaciùs adheret, & tum aeri, tũ succis moram nectere, & fibrarum irritationẽ excitare cõsuescit.

Ulcerum.

Ulcera Tracheæ oriuntur à succis corrosivis circa partem hanc tum foris, tum intus stagnantibus, ejusdem fibrillas aut tubulos erodentibus, qui vel ex lympha in glandulis corrupta, vel ex materia purulenta acri ab exulceratis pulmonibus in partem hanc transmissa progrediuntur.

Vulnerum.

Vulnera causam agnoscunt violentam, instrumenta nempe acuta scindentia, pungentia, vel obtusa contundentia, casu aut malitia quadam parti huic fortiùs admota, à quibus unitas fistulæ hujus pulmonalis dissolvitur, prout antecessores nostri satis iam demonstrarunt, quorum verbis hoc in casu huc usque rebus ipsis conformibus lubenter acquiescimus.

Prognosis.

§. 11. Qualis morborum horum sit sperandus eventus, & quæ secum portent pericula vitæ, paucis jam est dispiciendum. Lætum undecunq; ægri non auferent nuncium, quo enim organorum respirationi inservientium integritas ad protrahendam vitæ incolumitatem magis est necessaria, eo quoque morbi eandem devastantes sunt periculosiores. Hinc quando *Angustia* Asperæ Arteriæ omnem aeri præcludit viam, nec cito satis eandem dilatari, vel obstructio reserari, vel constrictio solvi potest, suffocatio certissima vitæ claudet januam. Obstructio à materia quadam dissolubili oborta aliquando curatur, & materia dissoluta, vel ita disposita, ut glottidem transire possit, exscreando ejicitur. Quæ post phthisin consummatam subitò & graviter invadit, mortem portendit, cùm vel crassiorem bolum materiæ purulentæ & corruptæ pulmonum substantiæ, vel totalem humidi consumptionem, & cartilaginum ab ariditate constrictionem significet, quæ nullis restaurabuntur remediis. A gulæ compressione oborta, sublata gulæ obstructione aut intumescentia ipsa quoq; brevi cessabit, si verò morbi gulæ curari nequeant, sed in dies augeantur, de subsequutura suffocatione remanet periculum.

Asperitas voci maximè incommodat eandemque raucam reddit, aut planè supprimit, & prout tunica Tracheæ interior magis vel minùs est exesa, & liquor unctuosus absumptus vel corruptus, eo etiam faciliorem vel difficiliorem admittit curationem. In principio proinde graviori incremento occurri potest, & asperum faciliùs lævigari, quàm si morbus eundo vires assumpserit.

Ulcera hujus partis non carent periculo, nec adeò facilè curantur, præsertim si interiorem membranam occupent, ad quam medicamenta aptè satis nequeunt applicari, quæ enim forma liquida intus assumuntur, vel citò transeunt ad pulmones, vel potu abluuntur; insuper cùm pars hæc nulla unquam fruatur quiete, sed ob aerem hauriendum & emittendum continuò moveatur, consolidatio non facilè obtinetur: quod dictum in *Vulneribus* etiam locum habet, quæ utplurimum periculo sunt plenissima, præsertim si vasa jugularia simul sint discissa, aut ipsa arteria integrè per transversum dissecta, quæ nulla arte denuò connectetur, sed machinæ humanæ totalem affert destructionem. Quæ cum contusione facta sunt, difficulter admodum sanantur, & longius requirunt tempus ad partium contusarum per suppurationem ab integris separationem & novæ carnis progenerationem.

Diæta.

§. 12. *Diæta* instituatur talis: *Aer* eligatur purus, serenus, nocet enim nebulosus ac pluviosus austrinus, acido nitroso nimis refertus, æther verò benè constitutus, seu multis particulis blandis volatilibus præditus, maximus morborum horum existit sanator. *Cibi* sint liquidi, subdulces ac deglutitu faciles, nocent acida, spissa, aliaque coagulantia & humores magis inspissantia, uti & nimis salina & acria, partes læsas magis corrumpentia. Si quis Angustiæ est obnoxius, fugiat nimis magnas offas, & caveat à deglutitione ciborum solidorum. *Potulenta* sint tepida, frigida enim maximè nocent. *Somnus* ac *vigiliæ*, item *quies* omni careant excessu graviori. *Alvus* sit lubrica, *Animi pathemata* moderata; exulent anxietas & mœror, tanquam maximi coagulatores & acidi auctores.

Galenicorũ cura in Asperæ Arteriæ Angustia

§. 13. *Curationem* morborum præsentium ita instituunt *Galenici*. In Asperæ Arteriæ Angustia à constrictione & compressione orta causas illas removere jubent, manum nempe vel laqueum, vel morbos partium vicinarum curare, quibus sublatis & hanc angustiam cessaturam esse certi sunt; in obstructione verò res forinsecus illapsas tussi aut vomitu jubent ejiciendas, quod ut faciliùs obtineatur, partem hanc vel butyro, vel oleo amygdal. vel unguento pectorali foris illinunt; humores autem crassos incidunt & attenuant, ut commodè postmodum exscreatione vel tussi ejiciantur, quo sequens conferre promittunt decoctum,

℞. *Herb. Hyssop,*
Capill. Ven.
Marrub.
Scabios. aa. M ß.
Glycyrrhiz. ℥j.
Scyll. ℥ß.
Incis. coq. in aq. simpl.
Colatur ℔ij. *add.*
Syrup. de prass. ℥. iij.
M.

In eundem finem quoque propinant syrupos capill. Ven. de Hyssop. oxymel tum simplex, tum scylliticum, Lohoch de pino, diaireos, aliaque electuaria expectorantia.

Asperitate.

Asperitatem à quacumque fermè causa productam curare tentant lenientibus & emplasticis dictis, humidioribus præsertim, vel siccis mollioribus immistis, quorum numero inserunt bolum Armenam, terram Samiam, amylum, tragacanthum, Lohoch de psyllio, diapenidium, diacodion, mel rosatum, item lac, vinum dulce, alicam & ptisanam, ex quibus pro formula inserviat sequens.

℞. *Lohoch de pino* ℥. j.
Conserv. violar. ʒv.
Spec. diatrag. frig. ʒiß.
Diapenid. ʒj.
Bol Armen. ʒß.
Syrup. de papav. simpl. q. s.
F. Electuarium molle, seu Lambitivum.

Ulceribus

In *Ulceribus* ab humoribus salsis acribus oriundis usum lactis magnifaciunt, tum ut pravorum humorum generatio inhibeatur, tum ut geniti jam temperentur, sordes abluantur, detergantur & carnis generatio promoveatur; si verò sordida sint, fortioribus utuntur detergentibus, siccantibus & sarcoticis. Ad detergentia referunt mulsam, decoctum hordei cum melle rosato, vel magis compositum seq. modo parandum.

℞. *Hord.* Mij.
Glycyrrhiz. ras. ℥. ß.
Fol. apii,
Heder. terrest. aa. Mj.
Flor. ros. rub. Pij.
Juiubar.
Passular.

Cari-

Caricar. aa. ℥ ß.
Bulliant in aq. simpl. ℔iij *ad tertiæ partis consumptionem*
Colatur. reliquæ add.
Mell. rosat. ℥iß.
Elect. diapenid. ℥ß.
M.

Assumatur aliquoties in die portio quædam in ore detinenda, & sensim deglutienda, vel gargarizatio eadem instituenda. Posthæc exsiccantia usurpant & adstringentia, ut bolum Armen. myrrham, olibanum, aristoloch. rotundam cum melle in electuarium redacta, quod paulatim præcipiunt deglutiendum ut portio quædam ad ipsam partem ulceratam perveniat.

Vulneribus. In *Vulneribus* ad sanguinis sistendum effluxum pulveres adspergunt adstringentes, ex mastiche, bolo, farina volatili, crepitu lupi, C. C. usto, pilis leporinis, sanguine draconis, & similibus, hinc labia suturis conjungunt & sarcoticis conglutinant, si verò contusio id prohibeat, carnem laceratam suppurantibus vertunt in pus, quo facto sordes detergent, tum carnis generationem promovent, & tandem cicatrice vulnus occludunt.

Cura Paracelsica horũ affectuum. §. 14. *Paracelso* curatio *Angustiæ* peragitur remotione causarum, tum externarum, tum internarum, & phlegmatis ex pulmone in fistulam hanc rejecti resolutione, ut ulterius expectoretur, ad quod Elixir de Tartaro crudo in Asthmate tantopere laudatum multum utilitatis conferre putatur.

In *Asperitate & Ulceribus* remedia ex sulphure & croco, nec non liquorem hyperic. aristol. mum. & myrrh. intrò recepta, externæ verò emplastrum de calaminari, & in sordidis ulceribus mumiam arsenicalem collaudat.

Similiter quoque in *Vulneribus* vinum assatum de pulmonaria & veronica, cum liquore mumiæ aut aristolochiæ proficua existimat, & foris liquorem aluminis Rochæ pro adstrictione facili impetranda, ad totalem verò consolidationem emplastrum suum oppodeldoch apprimè commendat.

Cura Helmontiana. §. 15. *Helmontius* ad mucum illum obstruendo *Angustiam* causantem commodè resolvendum antimonium laudat diaphoreticum, ad *Asperitatem* verò laudanum opiatum *Paracelsi* quo omnis acrimonia laticis facilè dometur; in *Ulceribus & Vulneribus* corruptorem vult enecandum, & Archeum remediis balsamicis placandum, eodem planè modo, quo in Ulceribus & Vulneribus in genere, per consueta remedia curatio instituenda ab Auctore hoc præcipitur.

Vuillisii cura in Trachea Angustia. §. 16. *Vuillisio* curatio *Angustiæ* ab obstructione ortæ peragitur expectoratione materiæ obstruentis, quæ ut faciliùs succedat, nimia viscositas corrigenda, & fluiditas tum sero incrassato, tum materiæ purulentæ est concilianda, præmissa nonnunquam venæsectione, decocto chinæ, lignor. & glycyrrhizæ, vel oleo amygdalar. dulc. vel syrupo aliquo pectorali; deinde novus materiæ influxus est inhibendus sanando vasa aut lymphæductus nimis patentes, vel aliter læsos, per species diatragacanth. cum Lohoch sano, vel conserv. rosar. & syrupo de papav. rhœad. Fibris verò Tracheæ spasmodicè affectis antispasmodica pectoralibus permiscet, propinando Aquam Hyssopi cum aq. antepilep. Lang. Spir. cerasor. C. C. Syrupo de erysimo & musco pyxidato.

Asperitate. *Asperitas* Tracheæ secundùm Auctorem hunc curatur mitigando & absorbendo acrimoniam nimiam liquoris serosi, tum tunicam interiorem læsam sanando per dulcia pectoralia & lubricantia, vel etiam balsamica, qua de causa sequens in tussi phthisica adeò salutare, etiam in hoc affectu cum singulari effectu adhiberi posse affirmat.

℞. *Ol. Amygd dulc. recent.*
Syrup. Capill. ven. aa. ℥iß.
Sacchar. canth. ʒij
M. terendo in mortario vitreo, vel agitando in phiala, donec albescat.

Lambatur sæpius in die lentim deglutiendo. Laudat quoque syrupum de meconio, de erysimo, jujubinum ad guttulas aliquot in conserva violar. aut Lohoch de pino assumptum.

Ulceribus & Vulneribus. In *Ulceribus & Vulneribus* ad decocta pergit vulneraria ex ligno Guajac. sassafr. rad. chin. enul. Herb. heder. terrestr. veron. millefol. paranda, quibus addit sulphurea, iisdem fermè nimium tribuendo virium, qualia sunt lac, Tinctura & Syrupus Sulphuris, Tinctura picis liquid. cum aq. calc. viv. ter cohobat. in balneo ad medietatem abstrahendo parata, addita Tinctura Tartari, quibus subjungit opobalsam vel balsamum Peruvianum. Externa sunt unguentum digestivum ex terebinth. & melle cum myrrha & croco, quibus cùm ulcera vel vulnera benè sint mundata, emplastro styptico, vel oppodeldoch, vel diasulphuris curam absolvit.

Sylvii modus curandi Aspera Arteria Angustiam. §. 17. *Sylvium* si audimus, Curatio *Angustiæ* Asperæ Arteriæ instituenda est vel effluxu aquæ admissæ, vel excretione contentorum, quæ spontanea ab iisdem excitata tussi aliquando peragitur, interdum verò expulsio promovenda est vel incidentibus, vel incrassantibus, pro excernendorum varietate variandis, sæpiusque quantitate mediocri assumendis; præterea vomitu quoque expulsionem istam obtineri posse experientia confirmatus promittit, quem tamen in sanguinis sputo tutius omittendum esse prudenter adhortatur.

Asperitas In *Asperitate* Tracheæ ea adhibet medicamina, quæ humorem illum salsum muriaticum vel acidum corrigere valent, inter quæ maximi facit pretii pilulas de cynoglossa, vel de styrace, quibus subjungit linctus & gargarismos ex decocto fol. violar. fragar. beton. tussilag. passulis majoribus, hordei, sem. Papav alb. & similibus, in aqua vel cerevisia tenui, vel sero lactis parato, additis syrupo de jujub. vel violar. vel melle rosat. aut rob diamoro. Ab halitibus si obvenerit, volatilia aliis præfert, olea nempe aromatica anisi, cort. aurant. fœnic. maximè verò spiritum salis armon. in liquore convenienti aut vino qualicumq;, non tamen acido salutariter assumenda.

Ulcera & Vulnera. In *Ulceribus & Vulneribus* gargarismata laudat & potiones vulnerarias ex decocto radic. plantag. Consol. Saracen. Herb. Heder. terrestr. veron. sanic. alchimill. summit hyperic. pilosell cum syrupo botryos & oculis cancror. vel Antimonio diaphoret. Mundationem verò & consolidationem omnium optimè solo balsamo sulphuris anisato obtineri posse confidenter satis sibi aliisque promittit.

Cartesianorum ratio curandi Aspera Arteria Angustiam. §. 18. *Cartesiani* ad dilatandam *Angustiam* Asperæ Arteriæ omne viscidum & coagulatum resolvunt, liquoribusque motum deperditum restituunt attenuantibus & volatilibus spirituosis, quibus sequens constat mixtura.

℞. *Aq. Enul.* ℥j.
Asthmat. ℥ß.
Tinctur. propriet. Myns. ʒiiß.
Essent. menth. ʒiß.
Spir. Sal. Armoniaci ʒß.
Syrup. Hyssop. ℥ß.
M. D. cochleatim.

Laudant quoque Elixirium Juniperi, Essentiam ex speciebus diair. & dimidiata parte myrrhæ cum Spir. Vini, Spir. Sal. Armoniaci acuato extractum, Tincturam cinamomi cum Spir. gummi Ammon. & camphoræ in aqua anisi assumptam. Externa quædam corpora per glottidem illapsa, & in trachea diutius cùm respirationis impedimento & vitæ periculo morantia, quantocyus student ejicere, laryngis regionem inungendo unguento pectorali vel viridi potabili, & sequentem propinando potiunculam vomitoriam.

℞. *Aq. caprifol.* ℥ß.
Essent. enul. ʒj.
Syrup. emet. Ang. Sal. ʒiij.
M. D. una vice.

Asperitate. *Asperitatem* mitigant lubricantibus, particulas pungentes hebetantibus & fibras læsas demulcentibus, ut Lohoch de caulibus cum specieb. diatragacanth. trochiscis de alth. decocto liquirit. cum caric. vel sequenti mixtura.

℞. *Aq.*

℞. *Aq. lil. alb.* ℥ ij.
Lohoch dialth. Quer. ℥ ii ß.
Tinctur. Croc. ℥ i ß.
Syr. Erysim. Lob. ℥ ß.
M.

Cochleare hujus mixturæ teneatur in ore, & lentim permittatur ad glottidem perfluere. Reparationem liquoris pinguioris in Trachea deficientis instituunt oleo amygdal. dulc. cum oleo dest. anis. decocto passular. & pinear. in quo butyrum recens sit dissolutum, vel jusculo ex cerevisia calida, cui sem. fœnic. contus. & in petia ligatum fuerit incoctum, addito oleo olivarum recent. q. s. vel dimidiata cerevisiæ quantitate.

Ulcera & Vulnera.

In *Ulceribus & Vulneribus* decocta lign. Guajac. sassafras, fraxini cum herb. veron. heder. terrestr. scabios. aliisque vulnerariis commendant, nec non Tinctur. Antimonii, oculos cancror. myrrham, aliaque porosa, succos corruptos imbibentia, tum & sanantia balsama interna & externa, nec non emplastra in usum admittunt.

Nostra modus medendi Trachea Angustia.

§. 19. *Nobis* curatio *Angustiæ* Asperæ Arteriæ peragitur remotione, si licet, omnium illorum, quæ vel foris partem hanc comprimunt, aut constringunt, vel intus obstruunt, quod posterius ut faciliùs & feliciùs impetretur, necessaria sunt aliquando remedia fistulam hanc lubricantia, ita enim res forinsecus illapsæ commodius eiiciuntur, qua de causa oleum amygd. dulc. vel butyrum recens insulsum cum juvamine exhibebitur, ita ut in ore aliquamdiu detentum lentè per glottidem in Tracheam defluat, si verò hæc non sufficiant, agitatione manus aspera arteria foris frequentiùs, sed læviùs fricetur, & tussis excitetur, vel etiam vomitus per tartarum emeticum, vel aquam benedictam *Rulandi* aquæ asthmaticæ & syrupo capill. Veneris intermistam, ut motu vehementiori expulsio ista promoveatur, ad quod etiam conferet, si pars hæc tum inferiùs, tum superiùs circa Laryngem illinatur variis linimentis pectoralibus & emollientibus, ut membranæ cum ligamentis, cartilaginibus & musculis faciliùs cedant rei exitum molienti, aut si aliter fieri nequeat, & periculum instet suffocationis, ut nihil relinquatur intentatum, Laryngotomia, seu potiùs bronchotomia instituenda, ut per foramen illud rei, quantum possibile, exitus paretur, vel ad minimum suffocationi obviam eatur. Materia verò tenax, viscida & crassior in cavitate Tracheæ hærens & eandem obturans, ex succis stagnantibus, coagulatis & inspissatis oriunda, incidenda, dissolvenda, attenuanda & fluxilis est reddenda, ut levi quadam exscreatione queat eliminari, quà in re juvamini erunt spiritus anisi cum essentia enulæ, item spiritus gumm. Ammon. Species diaireos, cum sale volatili & ol. dest. anis. pulvis ex rad. Ir. aron. flor Sal. Armoniaci & benzoe, Tinctura proprietatis *Mynsichti*, & quando materia illa est purulenta, balsamus Peruvianus rectificatus, seu destillando per retortam cum arena vel cineribus fluidior factus, in aqua scabios. & syrupo diaphras. frequentiùs exhibeatur. A Tumore partium vicinarum Angustia hac producta ante omnia tumor iste curandus variis resolventibus & discutientibus, hinc egregiè convenit unguentum aromaticum sequens,

℞. *Bacc. lauri* ℥ ij.
Rad. pyreth. ℥ ß.
Lumbric. terr. No. iiij.
Butyr. non salit. ℔ ß quart.
Frixentur & exprimantur, add.
Ol. laurin. ℥ vj.
Junip.
Rorismar. aa. ℥ ß.
Sapon. nigr. ℥ j.
Pulv. colocynth. ℈ ß.
Ceræ flavæ q. s. M.

Addi etiam potest sal aliquando volatile. Hoc resolvit, emollit, ideò convenit in omnibus tumoribus ac doloribus, paralysi, &c. Si Angustia hæc fuerit producta à stagnantibus succis, varia itidem conveniunt resolventia, quæ succum ad motum pristinum incitant, ut sunt omnia salia volatilia, & ex his parata cataplasmata sæpius de die calidè applicanda, & quæ simul acidum in succis contentum absorbent, ut sunt omnia porosa. Si coarctura exorta fuerit à paralysi, vel defectu spirituum animalium, conveniunt omnia nervina liquida, tum interna, tum externa. Decoctum salviæ in vino laudatur, addita essentia thymi; salia volatilia in vino vel alio liquore conveniente assumantur, quæ egregiè restituunt spiritus animales pessundatos, & liquoribus motum pristinum restituunt. Esto formula,

℞. *Aq. lil. convall.*
Salv.
Ceras. nigr. aa. ℥ j.
Spir. lil. convall. ℥ ß.
Theriacal. cum essent. castor. ℥ ij.
Syr. de Erysin. ℥ j.
M.

Externè conducet Aqua mirabilis, Anhalt. Spiritus meus arthriticus externus, Cataplasma nostrum nervinum. Illinatur collum & nucha spirituosis ac nervinis, ut ol. lumbric. costin. destill. succin. anis. lavendul. Tinctura castor. & similibus. Si Angustia Asperæ Arteriæ oriatur à spasmo, hoc est, à succi nervei acris effervescentia, ubi non aliter motum illum excitat, ac si naribus indamus aliquod acre, unde sternutatio excitatur, conveniunt quæcumque antispasmodica vulgo dicta, item aromatica, tam interne, quàm externè: in hunc finem præ aliis conducit balsamus nervinus *Schæfferi*, & externè balsamus meus arthriticus externus, vel unguentum nervinum & cataplasma ex nervinis & volatilibus paratum.

Asperitati.

Asperitas Tracheæ corrigitur omnibus illis, quæ succos acres destruere & mitigare possunt, qualia sunt Spiritus Sal. Armoniaci anisat. Essent. menth. Aq. Asthm. Spec. diair. diatragacanth. Syrup. Jujubin. Tussilag. liquirit. ol. amygd. d. cum sacch. canth. & ol. d. anisi, quibus simul partes læsæ & exasperatæ debitè lubricantur & leniuntur. Sic quando ab acribus succis fauces fuerint excoriatæ, ut solet contingere in febribus, convenit internè mucilago sem. cydon. cum aq. spermatis ranar. extracta, & pulvis noster temperans sæpius exhibitus. Ad succos tenuiores incrassandos, mitigandos, & expectorationi faciliori accommodandos, non contemnendi usus erunt pilulæ de cynoglossa, quibus optimo cum successu frequentius utimur. Externè convenit sequens vel simile unguentum.

℞. *Unguent. resumptiv.*
Fil. Zachar. aa. ℥ ß.
Ol. ranar.
Amygd. dulc. aa. ℥ ij.
Camphor. ℈ j.
M.

Vel fiat mucilago ex lacte muliebri. Salivæ defectus potu, præsertim vini, vel cerevisiæ secundariæ, resarcitur, addito Spir. Salis Armoniaci.

Ulceribus.

In curatione *Ulceris* omnis collocanda est opera, ut parti huic periculosè ita laboranti, quantum possibile, succurramus; exhibeantur proinde internè varia sudorifera, nempe decoctum lignorum, & cuilibet ejus dosi addantur Tincturæ Antimonii gt. 20. aliaque, quæ salia ista corrosiva in succis stabulantia absorbent, ut pulvis noster temperans. Variæ quoque & frequentiores fiant injectiones, instar omnium sit aqua Calcis vivæ, vel si aqua hæc misceatur cum oleo nucum recent. quod egregiè sanat & temperat acrimoniam, quo & pertinet aqua nostra viridis forma gargarismatis usurpata. Pulvis quoque pro suffumigio est egregius. Hisce alia decocta vulneraria abstergentia intermisceantur & tandem consolidantia subjungantur, in vulneribus aliàs proficua.

Vulneribus.

Vulnera verò cum pectoralibus succos acidos mitigantibus & absorbentibus vulneraria ita dicta reposcunt, ut decoctum chinæ cum herb. veron. heder. terrestr. tussilag. alchimill. pulmonar. maculos. pentaphyll. pilosel. & lign. santal. rub. quod edulcorari

potest

potest syrupo jujubino & de Hispidula, qui hoc in casu multum conferunt. Sic pulveres quoque conveniunt ex oculis cancror. Antimonio diaphoret. terr. sigillat. myrrh. mastich. lap. hæmatit. pp. croc. Martis adstring. & similibus; nec non essentia traumatica, cancror. lumbricor. Tinctura hyperici, Solis. Balsamus Peruvianus vulnera optimè mundare & sanare solet, tum internè, tum externè adhibitus. Externè fumigatio vulneris instituatur, per pulverem prunis inspersum ex olibano, opopanace, asa fœtida, castoreo, & camphora, quibus succi acres singulariter mitigantur, corriguntur, & liquor nerveus ad convenientem excitatur influxum, sanationi vulnerum tantopere necessarium, nobis enim certum est, absque sutura aut conglutinatione labiorum vulnera hæc coalescere posse, si impedimenta convenientibus auferantur remediis, atque noxii aeris, quantum fieri potest, prohibeatur accessus, & hac de causa locus, in quo ægri hi servantur, aerem contineant tepidum, per suffumigia correctum, & vulneri imponatur epithema calidiusculum ex spiritu lumbricorum & vini camphorato, quo prudenter facto vulnera hæc aliquando feliciter curantur, modò Trachea non nimiùm læsa, aut planè dissecta, vel cartilagines & ligamenta totaliter sint destructa. Consolidatio emplastro styptico *Crollii* commodè tandem poterit promoveri. In hæmorrhagia hujus vulneris sistenda sufficit solus spiritus vini rectificatus, externè applicatus, quo nihil securius est.

CAPUT V.

De Gulæ, seu Oesophagi Tumore, Angustia, Ulcere, & Vulnere.

§. I. Post Epiglottidem & Asperam Arteriam in conspectum venit Gula seu *Oesophagus*, cujus orificium *Pharynx* denominatum, utplurimum obturatum reperitur, nec dehiscit, nisi ut viam aperiat iis, quæ à lingua in hanc partem propelluntur, vel ut exitum permittat iis, quæ à ventriculo in os reiiciuntur, quod ut commodè & absque ullo impedimento peragatur, oportet, ut Oesophagus à morbis existat immunis, sed cùm & his suos quandoque patiatur manes, non immeritò morbos istos, à quibus occupari & ad traductionem ciborum masticatorum & potuum, vel ejectionem illorum, quæ ventriculo molestiam creant, ineptus reddi potest, examini nostro jam submittimus, eo quòd hic œsophago malè affecto sæpius compatiatur, convenientior nobis hic, quàm alibi de iisdem tractandi videatur locus. Inter morbos verò illos primò nobis occurrit *Tumor*, qui est Oesophagi in magnitudine excessus inconveniens, & dolorem, & difficultatem deglutiendi importans, atque à succis in canaliculis musculorum, vel glandulis annatis stagnantibus & coagulatis suam trahens originem.

Oesophagi Tumore.

Angustia Oesophagi est cavitatis ejusdem imminutio aut interclusio à diversis quibusdam causis inducta, cibisque deglutiendis & nonnunquam ipsi etiam potui transitum ad ventriculum intercipiens.

Angustia.

Ulcus Oesophagi est dissolutio fibrarum & tubulorum ejus à corrosione facta succorum internorum acrium, uti *Vulnus* ejusdem dissolutio est, facta à causis externis pungentibus, scindentibus vel contundentibus.

Ulcus & Vulnus.

§. 2. Affectus nostri pro *Parte affecta* agnoscunt Oesophagum, canalem istum seu infundibulum, veteribus etiam Gula dictum, per quod cibi à dentibus comminuti & masticati ope linguæ detruduntur ad ventriculum. Hic canalis pro necessitate aperitur & clauditur, 7. musculorum ope; quorum primus *Oesophagius* dicitur, fortiter adhærescens utrique lateri cartilaginis scutiformis, & circuitu suo œsophagum obvolvens, in obturatione Oesophagi suum præbens officium. Alii sunt duplices, eorumque primi nominantur *Sphænopharyngii*, ortum ducentes ab apophysibus acutis ossis sphænoidis, & obliquè pharyngis inserti lateribus eundem sursum attollendo aperiunt. Secundi sunt *Stylopharyngii*, enati ab extremis apophysibus styloidibus ossium, temporum & lateribus pharyngis implantati, quem dilatant, latera ejus dextrorsum & sinistrorsum trahendo. Tertii sunt *Cephalopharyngii*, orti ab inarticulatione capitis cum prima vertebra, & fibras suas expandentes in substantiam pharyngis, quem constringunt fibrarum suarum contractione. Cæterum Oesophagus à Pharynge ad ventriculum usque exporrigitur, triplici gaudens tunica, quæ dici possunt; Tunica interior, tunica media, & tunica exterior. Interior ex fibris tantum tendinosis diversimodè intertextis est compacta. Media ex fibris carneis est composita, quarum duplex recensetur ordo, tum in hominibus, tum in brutis. In hominibus fibræ prioris ordinis in longum protenduntur, à pharynge ad ventriculum usque, quare *Longitudinales* indigitantur. Fibræ verò alterius ordinis sunt instar totidem minimorum circulorum œsophagum circumvolventes, *Circulares* appellatæ, quòd spirali linea œsophagum circumeant, & quoniam aliæ à dextra ad lævam tendunt, aliæ à sinistra dextram petunt, variis in locis se decussatim secant. Singulare quid in isto transitu animadvertitur, quod fibræ scilicet, quæ uno in loco aliis superjacent, primo in occursu substernantur, post superiora petant, & denuò tandem subiiciantur. Tunica exterior conflata est ex fibris tendinosis subtilioribus, tenuioribusque fibris interioris. Hæc autem omnia ut ritè intelligantur, Anatomia te apprimè docebit. Tunicæ interior œsophagi & exterior mediæ tendinum vices agunt, ita ut œsophagum considerare debeas instar musculi, cujus tunica interior est caput, media venter & exterior cauda. Posteriori œsophagi parti prope quintam thoracis vertebram corpus quoddam adnascitur glandulosum, modo ex duplici glandula; modò ex pluribus compositum, humorem quendam suppeditans ad cavitatem pro faciliori deglutitione commodè imbuendum.

Pars affecta.

§. 3. *Tumor* Gulæ facilè cognoscitur ex dolore in deglutitione versus posteriora & dorsum, ipsaque deglutitione difficili, non uti ex angina, quia sæpe ipse Oesophagus ita obstruitur, ut omnis aditus cibo & potui in ventriculum denegetur, verùm & musculos, quales Cephalopharyngæus, Sphænopharyngæus in suo motu impedit. Tumor enim cibos deglutiri non permittit, ægrosque inedia debilitat. Benè verò hic est distinguendum, num vel ab obturatione ab ingesto & ibidem hærente, vel an ab abscessu quodam in gula latente, an verò à paralysi gulæ deglutitio nostra lædatur; quæ signa ex causis peti possunt. Nam si instrumentum vel flexile os balænæ profundè satis gulæ intrudi potest, signum est, nullam carunculam aut tumorem adesse, sed Paralysin esse gulæ, unde & ipsa *Angustia* inducitur, quam ipsa quoque deglutiendi prodit difficultas, atque si ab externis ingestis hæc producta sit, relatio ipsius ægri, vel adstantium Medicum de morbi specie & causa adhuc reddet certiorem. *Ulceris* cognitio haud difficilis est, cum ex sanie circa hunc locum emanante, & simul læsa deglutitionis functione sufficienter pateat. Sic quoque *Vulnus* à prægressa causa violenta, ipsa continui solutione, tum interiorum, tum exteriorum partium, & interdum hæmorrhagia, facilè liquet.

Diagnosis.

§. 4. Causam *Tumoris* Oesophagi adscribunt *Galenici* uni, vel pluribus ex quatuor humoribus, nempe vel sanguini, vel pituitæ, vel succo melancholico, in parte hac vel lentim congestis, vel in eandem subitò affluentibus, quorum prius ob facultatem partis expultricem debilem, posterius verò ob dolorem humores attrahentem potissimùm obveniat, & tumoribus hisce frequentiùs adjunctam esse ajunt intemperiem quandam cum materia, ex qua, si discuti nequeat, vel inflammatio, vel abscessus aliquando suboriatur.

Galenic. Ætiologi. in Oesoph. Tumore.

Inter

Angustia. Inter *Angustiæ* Oesophagi causas referunt vel malam conformationem à primo ortu, vel compressionem à tumoribus aut luxatione vertebrarum, vel res externas in eum protrusas & cavitatem ejus obstruentes, ut ossicula, bolos majores, & duriores, lapillos, nummos, & alias, vel pituitam crassam, lac coagulatum, aut vermes ex ventriculo adscendentes & Oesophago diutius inhærentes.

Ulceribus & Vulneribus. *Ulcerum* & *Vulnerum* easdem regerunt, quas in priore capite in Arteriæ Asperæ Ulceribus & vulneribus recensuerunt.

Paracelsi opinio de causis horũ morborum. §. 5. *Paracelsus* Oesophagi *Tumorem* etiam ut reliquos ex collectione procedere docet vel humoris, vel carnis, vel ventorum; *Angustiam* verò vel à paralysi oriri, vel meatum hunc obstrui ab externis illapsis. *Ulcus* à corrosione salium, & *Vulnus* ab instrumento & externa violentia deducit.

Helmontii opinio de causis Oesophagi §. 6. *Helmontius* à laticis influxu uberiore & diuturniore retentione *Tumorem* Oesophagi oriri posse existimat, *Angustiam* verò, vel potiùs obstructionem à majori & sicciori bolo, dum ad ventriculum ob defectum liquoris Oesophagum humectantis descendere nequit, & defatigatione Archei, nec non constrictione aut compressione partium adjacentium, vel etiam ab utero in mulieribus oboriri censet; aliàs gulam per se actu & semper, non secus atque vesica proprio carens contento, clausam esse profitetur, quapropter & cibos, potum aut aerem in se non habentem, ob necessitatem, ut inquit, naturæ, quæ non patitur vacuum, se ipsam lateraliter attingere, à cibo tamen morbis liberam debitè dilatari. *Ulceris* causam latici ab acido corrupto imputat, ut *Vulnera* ab externa re lædente inferuntur.

Juxta Willisium Causa Oesophagi Tumoris. §. 7. *Willisius* originem *Tumoris* Oesophagi deducit ab humoribus crassis inter tunicæ exterioris fibras contentis & ibidem inspissatis.

Angustia. *Angustiæ* causam adscribit vel paralysi tunicæ exterioris carnosæ, vel fibris nerveis tunicæ interioris ab explosione spirituum nimis inflatis & distentis, vel rebus variis in cavitate hærentibus.

Ulcerum & Vulnerum. *Ulceribus* & *Vulneribus* communem adsignat causam ex priori capite jam cognitam.

Ex mente Sylvii Causa Oesophagi Tumoris. §. 8. *Sylvius* causam *Tumoris* Oesophagi non alias novit, quam communes illas omnium tumorum, nempe vel auctam Oesophagi substantiam, vel humorum contentorum extra locum naturalem in substantiam ejusdem effusionem.

Angustia. *Angustiæ* Oesophagi, atque hinc orientis deglutitionis læsæ causas enumerat obstructionem à re solida ipsius canalem implente, carne videlicet nunc in ipso læso excrescente, nunc per ingluviem aut infortunium devorata & in ipso hærente, aliquando cartilagine, osse, nucleo, vel alia re ibidem morante; tum compressionem à tumore vicino, vel coalitum post sui excoriationem, aut paralysin musculos ejus occupantem

Ulcerum & Vulnerum. *Ulcera* ab acido acri, & *Vulnera* à re exterius lædente produci asserit.

Cartesianorum ratiocinium de causis Oesophagi Tumoris. §. 10. *Cartesiani* demonstrant *Tumorem* Oesophagi exsurgere, dum vel lympha in glandulis Oesophagi coagulatur ob particulas quasdam diversimodè angulares aut ramosas, transitui per nervos aliosve ductus minus accommodatas, intermistas, vel interior tunica & subjecta vasa à re quadam acuta, ut officulo asperiori mucronato, frustulo vitri, acicula, aut id genus corpusculis rumpuntur, & tubuli succos suos effundunt, qui extra consuetos tubulos corrumpuntur, & inflammationem aut abscessum constituunt.

Angustia. *Angustiam* hujus infundibuli, indeque deglutiendi difficultatem induci ajunt, dum vel à tumoribus propriis, vel vicinarum partium, musculi & nervi comprimuntur, aut tubuli eorum à visciditate liquorum obstruuntur, ut officio suo in admittendis & detrudendis cibo, potu, aut medicamentis non debitè fungantur, vel fibræ membranosæ à liquore quodam acido aut multis particulis hamatis constante constringuntur, vel latera Oesophagi post ulcus vel vulnus invicem concrescunt, aut caruncula seu excrescentia quædam prænascitur, vel in cavitate aliquid hæret, quod nec in ventriculum facilè detrudi, nec per pharyngem ejaculari valet, ut liquor viscidus inspissatus, bolus ciborum aridior & asperior, aut etiam major, aut res quædam alia inconcinna ad deglutitionis hoc instrumentum improvidè delegata.

Ulceris. *Ulceris* causam etiam hac in parte commonstrant particulas acutas aut liquores violenter commotos, aut obstruendo soli materiæ primi elementi transitum permittenti, à quibus fibræ partis rumpuntur, & tubuli cum vasculis dilacerantur, ut diversi liquores ex iisdem profluant.

Vulneris. *Vulneri* non aliam fingunt causam, quam ab aliis jam prolatam.

Nostra sententia de causis Oesophagi Tumoris. §. 10. Ex *nostra* sententia causa *Tumoris* Oesophagi eadem est, ac aliarum partium tumorum, nempe sanguis, reliquique succi in canaliculis, vel lympha in glandulis Oesophagi ob crassas & tenaces suas particulas stagnantes, qui facta quadam colluvie partes adjacentes distendunt, & tumorem hunc efficiunt.

Angustia. *Angustia* Oesophagi diversas agnoscit causas, etenim inter Oesophagum atque asperam arteriam insinuare se interdum solet durus quidam tumor, gulam tam strictè occludens, ut denegato omni alimentis transitu certò pessundet hominem. Aliquando Angustia hæc fieri solet à caruncula gulæ ex ulcere Venereo oborta. Funestam Oesophagi Angustiam à cartilagine annuliformi, exiguo foramine prædita, & ab ipso Oesophago enata memorat *Excell. D. Bekers in Decur. I. Eph. N. Cur. A. IV. Obs.* 67. Angustia fit quoque à tumoribus improvidè deglutitis, sic Secretarius quidam nuper inter ridendum deglutiebat os aviculæ, quòd in gula hærens assumpto vomitorio feliciter ejecit. Filiolæ cujusdam Oesophagum à variolis ita coalitum fuisse, ut denegato cibi potusque per illum transitu miseræ puellæ fame miserrimè non sine maximo parentum luctu pereundum fuerit, observavit *Bartholinus Act. Haffn. Obs.* 109. *volum.* I. Sic & Oesophagus quasi in totum clauditur à paralysi; ubi simul notandum, quod in hominibus etiam in statu sano Oesophagus ordinariò contrahitur à fibrarum longitudinalium intumescentia, & à circularium contractione constringitur. Abbreviatio & contractio ista Oesophagi cognominatur illius motus peristalticus, motus enim iste peristalticus exercetur, ut id, quod semel pharyngem subingressum est, in Oesophagi cavitate non remoretur; ita ut asserere possimus, Oesophagum hac fabrica evinctum esse, ut motu suo peristaltico, hoc est, succo nerveo ritè influente, alimenta in stomachum usque impellat. Denique motus iste peristalticus vermicularis nuncupatur, quia vermium more movetur Oesophagus, sese in uno loco contrahendo ac constringendo, & in altero sese tumefaciendo, quod continuatur facta per undulationem ab uno isto extremo ad alterum communicatione. Obliquam insertionem surculorum nerveorum in fibras tendinosas tunicarum ejus esse causam meritò suspicari possimus. Nam spiritus animales fibram quandam subingressi, ipsam tumefaciendo constringerent extremum, ex quo prodiissent. Et denegato hac ratione cæteris ingressu, impedirent, ne plures effluerent, dum fibræ in pristino statu repositæ forent, elastici sui motus virtute. Et quia fibræ longitudinales sunt continuæ, & circulares universæ à fibrillis tendinosis inter se invicem conjunguntur, spiritus animales in longitudinales ulteriùs tendentes, & circulares vicinas subeuntes, in iis eundem ederent effectum, quem in aliis produxissent. Continuato ergò fluxu ab uno œsophagi extremo ad alterum, motum vermicularem sive undulantem efficerent, quo locus unus altero strictior breviorque devenit, postea in pristino statu restituitur, dum coarctatio ista & abbreviatio ad inferiora producuntur, & ita deinceps. His præmissis facilè causam paralyseos consignare possumus, cùm musculi convelluntur, & in horum fibris aut tubulis obstructis spirituum animalium influxus denegatur. Sic paralyseos gulæ exemplum habet Celeb. *Hannemannus* in *Eph. G. Decur. Ann.* 3. *Obs.* 48.

Obs. 48. pistoris cujusdam & civis Buxtehudani, qui in morbum febrilem incidebat, quem actutum musculorum pharyngis & Oesophagi tam vehemens paralysis comitabatur, ut nihil quicquam, sive solidum, sive liquidum esset, deglutire posset, & sic morbo hoc fuit extinctus. Sic & *Nicol. Tulpius*, *Petrus Salius Diversus*, & *Thomas Willis* plura habet ejusmodi exempla, ut & Celeb. D. *Stalpart van der Wiel*, qui inquit *Obs. varior. Cent. post p. pr. Obs.* 27. Ità mihi, nec non Experto viro, Domino A. *NuK* (Professori nunc Leidensi & Anatomico Celeberr.) rarior occurrit circa nobilem quandam matronam casus, cui nihil omnino deglutire valenti, etiam id, quod deglutire conabatur, mox Oesophago sistebatur, brevique post ab inferiore parte sursum ebullire incipiebat, inde in vehementem tussim angoremque magno cum suffocationis periculo incidit, ita ut quidquam assumere recusaret. Hi viri clarissimi impeditæ hujus deglutitionis causam non paralysi, multò minùs excrescentiæ, durove tumori, verum glandularum Oesophagi obstructioni, tumorique, carnosarumve interioris Oesophagi tunicæ fibrarum contractioni, ex acidi acerbi effluentia haud dubiè ortæ, adscripsere. Improvidè quoque deglutita angustiam & sæpe plenariam obstructionem Oesophagi inferre possunt, sic recenset. Cl. Dn. *Raygerus Obs.* 109. *Ephem. Germ. Ann.* 9. & 10. plura exempla improvidè deglutitorum, partim cum vitæ periculo, partim sine eo. Sic ex deglutitis nucleis mespilorum & putaminibus nucum vidit sartoris filium derepentè suffocatum; item alium, qui ex nucleo pruni periit; meminit etiam puelli ex improvidè deglutito nummo, *Stuffer*, intereuntis; porrò addit, quod filiolus 2. annorum cum crembalo ludens illud in os sumpserit, tentansque illud deglutire, sed imminente suffocatione perterriti adstantes, cùm illud eximere amplius non possent, immisso digito ad vomitum movere volunt, sed magis detrudunt. Vocatus Chirurgus immissa spongia ferreo filo præfixa, aut vomitum conciliare, aut penitus in ventriculum detrudere laborat, sed frustra, hæsit, quantum coniici poterat, in gula, & puer quidem liquida, quæ ipsi dabantur, valde pinguia deglutiebat facile, neutiquam solida, fluente continuò saliva. Tandem tertia die sponte vomitus exoriebatur, sine dubio urgente hoc crembalo, intimò fibrillas vellicante, quo vomitu istud crembalum unà exturbabatur, & sic parvulus ex præsentaneo vitæ periculo servatus fuit. Alter filiolus ex deglutito officulo in Oesophago hærente, & mortem minitante, circa 14. diem manè post jusculum sumptum inter vomendum ossiculum istud ejecit, & sic cessantibus pluribus, & quidem diris symptomatibus superstes mansit. Sed quis omnia recensebit? Nos enim plures aciculas, acus, araneas, vitra, (*die Glasz-Fresser*) & mille alia vidimus innoxiè deglutita, quæ hic narrare supersedeo, ne videar observationes comportando Lectorem ultra debitum detinere. Conf. *Ann.* 3. *Eph. G. Obs.* 141. & 333. item Cl. Dn. *van der Wiel Observat. rarior. Cent. p. Obs.* 22. *Anat. Lusitan. Cent.* 6. *Curat.* 49. ubi post screatum sanguinis & assumptorum vomitum, deglutiendi omnimoda difficultas, etiam aquæ, sola vini assumptione salva.

Causa Oesophagi Ulceris. *Ulceris* Oesophagi causas dicimus esse particulas acres, seu acidas fibras longitudinales Oesophagi corrodentes, & earum substantiam absumentes, insimul succum nutritium eadem labe inficientes, ut non nutriat, sed labia ulcusculi magis exedat, & fibras simul circulares ipsamque tunicam ulterius & sæpe penitus consumat.

Vulneris. *Vulnerum* Oesophagi, ut quorumvis aliorum, est causa & continui solutio, & divisio facta à vi externa. Perinde verò est, in qua parte facta fuerit solutio continui, sive nervosa, sive musculosa; hinc rectè *BonteKoe* dicit, ruptiones arteriarum, etsi sint ex fibris nerveis, esse etiam vulnera. Illa solutio continui est solutio tubulorum, sive vasculorum, sive canaliculorum, unde tunc humores in iis contenti effluunt, stagnant, particularumque ipsorum mixtio turbatur.

Prognosis. §. 11. Omnes affectus Gulæ seu Oesophagi periculosi sunt, denegato enim alimenti transitu certò pessundant homines. Veteres dicunt, si materia obstruens sit pituitosa, interdum curari, ab atra verò bile ortum affectum nunquam domari, quod confirmat *Tulp. lib.* 1. *Obs. c.* 44. Abscessuum, qui omnem deglutitionem impediebant, meminit *Joach. Camerarius epist.* 110. *Cist. Hornung.* Sic etiam funesta fuit illa obturatio Oesophagi, quæ fuit à cartilagine annuliformi exiguo foramine prædita, cujus mentionem iniicit Cl. *BeKers* in *Dec.* 1. *Ephem. Germ. A.* 4. *Obs.* 67. Si tumores sint scirrhosi, vel carunculæ in gula adsint, lethales sunt, Bronchotomia enim hisce in casibus institui nequit, quoniam pars hæc, Oesophagus sc. constat ex fibris tenuissimis longitudinalibus & circularibus dictis, quibus læsis necessario deglutitio cessat, & hac cessante ob defectum nutrimenti homo mori cogitur. Tumores quoque facilè comprimunt asperam arteriam, eamque ita angustant occluduntque, ut respiratio non tantum imminuatur, sed sæpe in totum tollatur, unde mors. Sic Cl. Dominus *Blancardus Coll. Med. Phys. Cent.* 3. *c.* 45. memorat Oesophagi coalescentiam & Steatoma quoddam mortis causam, quale & exemplum habet *Bartholin.* in *Obs.* supra citata. Sic frustum fistulæ, qua Tabaci amatores fumum imbibunt, faucibus inhærens causam fuisse mortis testatur *van der Vviel Obs.* 21. *cent.* 1. Plura passim occurrunt rerum in faucibus hærentium exempla, quæ mortem causarunt, sive illæ aciditate quadam nimiumque subita ingurgitatione ibidem fixæ remansere, sive per jocum, sive inter ridendum, sive de industria, infortunioque quodam per os immissæ in gulam irrepsere. Plura exempla habet *SchencK Obs. Med. lib.* 2. *cap. de suffocatis à rebus per errorem ingestis, impactisque*: aliique plures.

Herum Oesophagi morborum.

Paralysis gulæ ferè semper lethalis est, de qua legatur *Eph. G. Obs.* 48. *Decur. Ann.* 3. Sic & *Tulpius lib.* 1. *Obs. c.* 42. mentionem iniicit paralyseos Oesophagi musculorum in muliere 50. annorum, quæ ne guttulam poterat transmittere, & septimo obiit die. Paralyseos gutturis è potu frigidæ ortæ meminit *Joh. Helvvigius Obs.* 59. Plura exempla legi possunt apud sæpius memoratum *D. van der Vviel in Obs. rar. Cent. poster. Observ.* 27.

Inflammationes, Exulcerationes & ipsa *Ulcera* Oesophagi sunt ob partis hujus angustiam, & viæ necessitatem, ad alimentorum sc. deglutitionem, maximè periculosa.

Eandem ob causam & *Vulnera* maximè sunt periculosa, imprimis si sint magna, & tubuli seu fibrillæ longitudinales ac circulares fuerint ad plurimam partem abscissæ & ruptæ, unde necessario pars collabi, & officio suo fungi in posterum nequit.

Diata in Oesophagi morbis instituenda. §. 12. Uti plures affectus sola quiete & abstinentia curantur, ita hoc imprimis in his attendendum est affectibus, quare in Tumoribus Oesophagi sola liquida sorbenda sunt, ut sunt jscula varia hordeacea, avenacea, cremor imprimis hordei, gelatin. C. C. ossis bovis & vitul. benè enim nutrientes cibi ac temperati conveniunt. Sic & chærefolium aliaque jusculis incoqui possunt, &, si illa haud deglutire possunt ægri, ipsis per syringas aliaque instrumenta indenda sunt, & ut facilè transeant, sale volatili præditis sunt condienda. *Aer* sit calidior, aut potius temperatus, frigidus angue pejus fugiendus, quia magis incrassat, & ad stagnationem succorum ansam dat, acidum augendo, ac fibrillas longitudinales ac circulares Oesophagi jam patientes pungendo & discindendo, unde sæpe ulcera exoriuntur. Quare aer asper semper calidiore corrigatur, serenus enim, purus ac temperatus calidusque multum facit ad circulationem sanguinis ac reliquorum succorum promovendam. *Potus* sit tenuissimus; hic conducet decoctum Theê, vel rorismarini, vel sassafras, vel veronicæ, vel hederæ terrestris calidè assumptum. Vinum verò ob acidas suas particulas planè exulet. *Quies* corporis conducit, contra *Vigiliæ* nocent, retardant enim motum sanguinis & succorum. Sed nec animi status prætereundus est, qui abactis invidis curis,

curis, lætus ac tranquillus sit. Dematur itaque supercilio nubes, animo onus, fronti senectus. Dum enim aliis animus se nimium torquet curis ac metu mortis, spiritus incrassantur, humoresque ab iis deserti coagulantur & stagnant, imò parti facilè paralysin inducere valent. Hinc ad ultimum fungatur & opere suo venter, sitque alvus laxa. Insensibilis quoque transpiratio, quæ juxta *Sanctorii* calculum in *Med. Stat.* plus excrementum egerit, quàm sensibiles excretiones, in his affectibus sit expedita.

Curatio Galenica oesophagi Tumoris.

§. 13. Præmissis iis, quæ ad Dietam spectant, ad auxilia quibus primò Tumor Oesophagi abigatur, jam pergendum est, de quibus tamen aliorum ætate nobis graviorum sententias prius percipiemus. Galenici ergò ipsas *Tumorum* causas respicientes, si Inflammatio gulam occupet, præmisso victu tenuissimo sanguinis multi generationem prohibente, atque potissimum ex ptisana constante hordeacea succo limonum medicata, aut jure pulli gallinacei, in quo folia lactucæ, endiviæ & acetosæ bullierint, julapia præscribunt refrigerantia & humectantia, ex decocto hordei, acetos. cichor. lactuc. portulac. sem. 4. frig. major. & min. cum julap. rosat. syrup. violar. fragor. &c. Redundantem verò sanguinem, ne inflammatio ulceris incrementum hauriat, vena in utroque brachio dissecta sufficienter emittunt, habita tamen virium & quantitatis sanguinis in corpore toto existentis ratione. Alvum propter nimium calorem febrilem sicciorem & adstrictam humectant & lubricam reddunt clysteribus ex decocto malv. violar. betæ, atripl. in quo elect. benedict. laxativ. fuerit dissolutum, addito oleo lilior. aut violar. & quando majori indiget irritatione, ℨß. sal. gemm. Pro majori aversione cucurbitulas quoque dorso apponunt, scapulis & coxis, cum aliquali scarificatione, nec omittunt frictiones coxarum, tibiarum, & crurum, post quas & vincula iisdem partibus iniiciunt. Audacius etiam ad repulsionem accedunt, applicantes parti laxiori existimatæ, ne plus sanguinis aut humoris fluentis admittat, remedia topica adstringentia, & hoc modo robur parti adiicientia putata, quorum numero inserunt oleum rosaceum omphacinum, myrtinum, cydonior. epithema ex decocto flor. rosar. malicorii, fol. myrti, addito aliquanto vini adstringentis aut aceti rosacei, unguentum ex oleis prædictis & pulveribus balaustior. santal. rub. corall. cretæ, addita q. s. ceræ paratum, vel cataplasma ex ros. rub. myrtil. sorbis, cydon. in aqua vel vino adstringente coctis, addito oleo rosaceo omphacino. Ab adstringentibus & repellentibus hisce per initia usurpatis ad laxantia accedunt seu digerentia, linimenta nempe ex adipe anserino, butyro recenti, oleo chamomill. & melilot. & cataplasma ex sem. fœnigr. lin. rad. alth. flor. chamomill. melilot. quorum usu si materia sit emollita, eandem vel exspuitione, vel si ad ventriculum & intestina vergat, purgatione eliminant, exhibitis elect. diaprun. & pulpa cassiæ vel manna, tum locum affectum mundant & abstergunt gargarismate ex decocto hordei cum melle rosato, vel alio quodam apozemate ex herbis plantag. fragar. veron. cum syrupo granator. & violar. Peccante quoque humore bilioso, & tumore existente erysipelaceo, abundantiam ejus imminuunt & qualitatem corrigunt remediis itidem refrigerantibus & humectantibus, eodem fermè modo, ut in tractata nunc Inflammatione jam percepimus. E contrario verò humore existente pituitoso & tumore œdematoso, visciditatem illius corrigunt calefacientibus, incidentibus & attenuantibus, aliisque pituitam concoquentibus, decocto nempe salviæ, betonicæ, majoranæ, thymi, rad. Imperator. enulæ, Ireos, cum oxymelle simplici vel squillitico, melle anthosato, Syrupo de calamenth. Hyssop. beton. Materiam superfluam evacuant decocto agarici; vel clysteribus ex decoct. herb. malv. parietar. branc. ursin. in quo electuar. hier. picr. sit dissolutum, vel pessario ex melle cum speciebus electuar. hier. picr. intestina solicitant, ut humores peccantes per alvum potiùs, quàm per vomitum eiiciantur, ne dolor in gula augeatur, aut de suffocatione periculum inferatur. Tumorem inungunt oleo anethino, chamomelino, nardino; vel cataplasma imponunt ex farina fœnigr. hord. sem. lin. fabar. cum pulvere rosar. & myrrh. in vino coctis, addito oleo chamomelino aut nardino malaxatum. Tumori scirrhoso emollientia adhibent, relaxantia & digerentia, emplastrum videlicet de meliloto, Oesyp. Philagr. de mucilaginibus, aliaque, quibus Tumor ille durus resolvitur.

Angustia.

Sublato ita Tumore etiam *Angustiam* Oesophagi ab eodem comprimente productam auferri promittunt; si verò ob alias causas contigerit, eadem tollere jubent, adstrictionem à cibis aut medicamentis relaxando oleis, jusculis pinguibus, fomentis aut balneis ex decoctione rad. althææ, lil. sem. lin flor. malv. Chamomill. & simil. Bolum grandiorem vel humorem viscidum & glutinosum in Oesophago hærentem præmissa potione dulci & pingui meatum relaxante, vel vomitu arte concitato per superiora eiiciunt, vel candela cerea aut alio instrumento idoneo in ventriculum ipsum propellunt.

Vulnerum.

In Gulæ *Vulneribus* gargarismata commendant ex decoctione herbarum adstringentium & sarcoticarum, quales sunt equisetum, sanicula, consolida, centaurium, caryophyllata, balsamina, tormentilla, quas pulverisatas cum melle quoque in electuarium redigunt frequentiori in usu habendum. Vicinæ partes si simul læsæ sint, curationem admodum difficilem, sæpissimè impossibilem pronunciant, & remedia topica toti collo imponunt; quando verò gula tantùm contusa est, cataplasmata ad transversos spinæ processus adhibent humores confluẽtes repellentia, gullam ipsam roborantia, & humores jam susceptos digerentia, qualia ex foliis cupressi, plantag. aloe, ladano, cum oleo liliaceo, aut chamomelino aptè conficiuntur.

Ulcerum.

Ad *Ulceris* Gulæ curationem dextrè peragendam venæsectionem & purgationem aliquando præmittunt, ne pravi humores in corpore contrahantur, aut geniti & contracti ad partem affectam copiosiùs ferantur, ulcus inflamment, aut acrimonia sua corrumpant & sævum efficiant; deinde ut carnis restitutio, consolidatio & cicatricis inductio eo faciliùs subsequatur, sordes prius detergunt aqua mulsa, vel decocto hordei, cum melle rosato, vel herb. prassii, calaminth. thymi & caudæ equinæ, vel lacte quoque asinino cum melle rosaceo permixto, quibus simul dolorem & asperitatem ab ulcere excitatam mitigari promittunt; Ulcere verò sufficienter deterso, siccantia, adstringentia & carnem generantia adhibent, collutiones nempe ex decocto herbarum in vulneribus jam nominatarum, quibus addunt pulverem trochiscorum de carabe, de terr. sigill. bol. Armen. & ut melius hæreant, glutinosa addunt, ut syrupum myrtinum, de rosis siccis, gumm. Arab. tragacanth. aliaque acrimoniæ humorum fortiter resistentia.

Paracelsi curatio horum morborum.

§. 14. *Paracelsus* Oesophagi hunc *Tumorem* ut ipsam curat Squinanthiam, internè collutionibus ex aqua prunell. cum melle rosac. & pulvere rad. aristol. rotund. *Angustiam* abigit tum curando paralysin, tum eximendo res cavitatem ejus obstruentes. *Ulcera & Vulnera* ut reliqua aliarum partium solet tractare.

Helmontii cura in morbis Oesophagi.

§. 15. *Helmontius* affectus hosce eodem tractat modo, quo in aliis partibus circa eosdem versari solet, in *Tumore* laticis retentionem tollendo tum per remedia interna ex Antimonio, tum per externa durum resolventia, ex quibus reliquis præfertur unguentum in Strumis descriptum, vel abscessum maturantia. *Angustiam* tollit auferendo quocumque obstruens aut comprimens, vel uterum in convenientem statum reducendo per castorina & arcanum asæ fœtidæ. In *Ulceribus & Vulneribus* communi utitur methodo, habito semper respectu ad irritationem Archei, ut ille omni studio sedetur.

Vvillisii modus curandi Oesophagi Tumorem.

§. 16. *Vvillisius* in Oesophagi *Tumore* humores crassos & duros attenuat & resolvit cataplasmatis, unguentis & emplastris emollientibus foris adhibitis qualia

qualia sunt cataplasma ex sem. fœnigr. cum fol. malv. rad. alth. & flor. chamomill. Unguentum dialth. emplastr. diachyl. de mucilaginibus, internè verò decocta ex radicibus rubiæ, enul. scabios. herb. calaminth. salv. heder. terrestr. cum diaphoreticis quibusdam intermistis propinat. Materiam ad discussionem ineptam & in abscessum vergentem maturat, &, si fieri potest, eodem interiùs rupto, & materia purulenta per exspuitionem evacuata ulcereque absterso, balsamicis & vulnerariis curationem absolvit.

Angustiam,

In *Angustia* ad causas respicit, Paralysin aut Spasmum abigendo per decocta & destillata ex herbis salv. beton. majoran. saturei. flor. paralys. rad. ari, Imperator. ligno Guajaci, sassafr. C.C. vel Spir. C.C. & Sal. Armoniaci, vel etiam diaphoretica, ut Sal viperar. bezoard. mineral. Tinct. Antimonii, nec non externa linimenta antiparalytica & antispasmodica ex succino & thermis; bolos & res deglutitas in Oesophago hærentes & viam hanc aliis præcludentes, ut antecedentes, vel in ventriculum instrumento quodam proprio detrudit, vel per vomitum eiicit.

Ulcera & Vulnera,

Ulcera & Vulnera gargarismatis vulnerariis & balsamicis remediis, quibus in vulneribus & ulceribus aliarum partium uti solet, curare posse sibi maximè habet persuasum.

Sylvii cura in Oesophagi Tumore & Angustia.

§. 17. *Sylvius* in *Tumoribus* Oesophagi eadem adhibet remedia, quibus morbi hi in genere curantur; in *Angustia* vel carunculam absumere tentat linimento ex melle rosaceo cum oleo vitrioli, vel alumine usto, quo caruncula hæc interdum mediante cereo est tangenda, vel res in cavitate hærentes ulteriùs in ventriculum propellit, aut cum prioribus Auctoribus vomitu eiicit, vel paralysin tollit remediis nervinis. Admodùm verò difficilem aut plane impossibilem pronunciat curationem, si post erosionem latera Oesophagi fuerint concreta, in quo casu fercula tantùm molliora per Angustiam hanc penetrare valentia suadet exhibenda.

Vulneribus & Ulceribus.

In *Vulneribus & Ulceribus* etiam hujus partis post decocta aliasque mixturas vulnerarias balsamum suum Sulphuris commendat anisatum, vel succinatum.

Cartesianorum methodus curandi Oesophagi Tumorem.

§. 18. *Cartesiani* in *Tumore* Oesophagi resolutionem urgent succorum coagulatorum per diaphoretica interna, Tincturam videlicet Antimonii Tartarisatam, Spiritum C.C. camphoræ theriacal. flor. sambuc. Electuar. diascord. &c. externè verò per varias illinitiones tum oleosas volatiles, tum spirituosas, nempe oleo lumbricor. flor. sambuc. septem. flor. *Mynsicht* cum Oleo d. succin. camphor. anis. Spir. lumbricor. cui Sal volat. C.C. sit associatum, vel emplastrum imponunt diachylum camphorat. vel de gummis & terebinthina cum salibus volatilibus & oleo d. anisi paratum.

Angustiam.

Resolutis & discussis ita Tumoribus istis, etiam Angustiam Oesophagi ab eorum compressione ortam auferri certi sunt, at si hæc vel ab obstructione pendeat tubulorum, vel fibrarum constrictione, vel paralysi, spirituosa & volatilia adhibent tubulos aperientia, particulas acutas & hamatas hebetantia & flectentia, atque ipsum liquorem nervosum augentia, mixturas nempe ex aqua majoran. salv. thymi, spir. lavendul. essent. castor. Spir Sal. Armoniaci succinat. Syrup. flor. paralys. aurant. & similibus. Res in cavitate hærentes cum aliis vel ad venrriculum detrudendas esse jubent; vel vomitu, tussi aut sternutatione superiùs eiiciendas, aut forcipibus aliisque instrumentis convenientibus extrahendas, lubricata prius cavitate Oesophagi oleo amygd. dulc. cum ol. d. anisi, aut jusculo pinguiori.

Ulcera & Vulnera.

In *Ulceribus & Vulneribus* hujus partis decocta vulneraria non contemnunt, si quidpiam de oculis Cancrorum pp. vel Antimonio diaphoret. & myrrh. iisdem sit admixtum. Essentias traumaticas ex rad. symphyt. herb. salv. sanic. Alchimill. heder. terrestr. flor hyperic. cancris, cum spiritu lumbricor. & syrupo de Hispidula magni æstimant pretii. Externè suffumigia laudant & camphorata, nec non balsamum Peruvianum & Emplastrum stypticum oleo hyperici expresso, & lumbricor. cum guttulis quibusdam ol. d succini malaxatum.

Nostra cura in Oesophagi Tumore.

§. 19. *Nostra* curatio consistit in eo, ut causa immediata ac mediata *Tumoris*, materia scil. obstruens removeatur, meatus, cavitates & vasa à stipatione spissa, viscida, vel alio modo occlusa reserentur. Tubulorum ergò & canaliculorum obstructionem quocumque modo factam, & succi glandularis vel alius succi viscositatem corrigunt ac stagnationem impediunt incidentia & attenuantia volatilia, decoctum scil. fol. majoran. & rorismar. cum Theè tepidè adhibita, internè, & his etiam gargarisatio instituatur, vel folia rorismarini cum quadam portione rad. pyrethri masticanda sunt, ut partes subtiles volatiles horum medicamentorum sese Oesophago immiscendo, eundem moveant, & fluxiliorem reddant materiam ibidem stagnantem, canaliculos Oesophagi aperiant, & fibrulas stimulent ad eiiciendam materiam noxiam, quæ postmodum ipsa cum saliva exspuitur, & Tumor evacuata materia distendente valde imminuitur. Liquida remedia hic eligenda sunt, & utplurimum volatilia. Externè conducunt suffumigia varia ex olibano, mastic. aliisque herbis & floribus aromaticis parata, & semper fumus ore excipiatur. Omni enim ope annitendum, ut tumor discutiatur, hinc conducunt varia volatilia & aromatica externè illita, ut Aqua Regin. Hungar. Spir. lavendul. lumbric. infus. arthrit. &c.

Quoad Chirurgica auxilia, omnium primum V. S. habetur, quatenus feliciter remorantem & opplentem causam humore gravidam expedit, & stagnanti sanguini & succis tumorem Oesophagi producentibus motum debitum restituit. Venæsectione namque in educti locum transfertur sanguis vicinior, atque facto sic universo sanguini spatio ampliore, expeditiori discurrit motu; unde & ille, qui prius in vasis suis stagnans subsistebat, nunc sublata copia stagnantis sanguinis, & succorum motum recipit & obstructiones reserat, hinc in Oesophagi glandularum obstructione, tumoreve carnosarum interioris tunicæ fibrarum contractione, ex acidi acerbi affluentia orta, Expertissimus D. *NucK.* cum Cl. D. *Stalpart van der Wiel* cum successu V. S. bis adhibuerunt in Matrona nobili, quam & adhibitis simul syrupis & gargarismatibus brevi ab ejusmodi tumore liberarunt. Vide *Stalpart. Obs. rarior. Cent. post Obs.* 28. Si verò venæsectio cum D. *BonteKoe* & D. *Gehema* displiceat, frictiones institui possunt in collo, ut cutis canaliculi aperiantur, succi stagnantes moveantur, & sic motus ipsorum promoveatur, sic nempe collum asperiori panno spiritu quodam imbuto, vel gummi animæ fucato fricetur. Huc pertinet instrumenti in Oesophagum immissio, imprimis os balænæ flexile, variis medicamentis illitum.

Angustiam Oesophagi quod attinet, si illa oriatur à caruncula ibidem existente, affectus hic est incurabilis, cùm illam eximere nequeant Chirurgi, Oesophagotomia verò non plane reiicienda est, imprimis in angina externa, cum hæc operatio tantæ periclitationi non sit obnoxia uti laryngotomia, præsertim si rei illapsæ spicula tanta faucibus contumacia inhærerent, ut ad illa evellenda omnia instrumenta (quorum diversa huic operationi destinata prostant) ac remedia incassum adhiberentur, quamvis ne quidem ad hoc nisi exhausto prius reliquarum cautelarum fonte, prudenti Medico sit confugiendum. Hic verò optimè nosse debet fibrillas longitudinales & circulares, ne penitus abscindantur, aliàs pars officio suo amplius fungi nequit, cùm non in casu desperato, ubi aliis remediis nullum impetrari potest juvamen, & mors præ foribus adstat, eandem tentari posse licitum videatur. Si res improvidè deglutitæ hæreant in gula, ibidemque angustiam efficiant, illæ removendæ sunt vel excitato vomitu & irritatis fibris hisce eiiciendæ, vel instrumento eximendæ sunt, vel in ventriculum porrò protrudendæ, cui operationi inservit instrumentum *Vuillisii Pharm. rational. part. 1. p. 54. aut Hildani Cent. 1. Obs.* 31. & cura hæc pro rei infixæ figuræ diversitate varianda est, dein varia demulcentia danda, laxantibus intermixtis, ut ita foras eliminentur. Si gulæ an-

gustia

gustia est ab officulo deglutito & gulæ infixo, exhibeatur Vomitorium, Tartari nempe Emet. Mins. vel Ludovic. quo nuper Secretarium curavi.

Si verò Angustia oriatur à paralysi Oesophagi ab obstructione nervorum & fibrarum oborta, conducunt varia antispasmatica tum interna, tum externa. Inter interna sufficiunt liquor C. C. succinat. pulv. spasmod. nost. vel specificum cephalicum, Tinctura succini, Essentia odorifera, interpositis sudoriferis variisque diaphoreticis hinc inde notatis. Externè sufficiunt cataplasmata ex aromaticis, quas cephalicas vocant, additis spirituosis, atque inunctiones ex balf. nervinis, spasmod. oleis aromatum cum castor. & viperarum pinguedine prosunt; ut & emplastra, quæ recipiunt oleum succini, & castoris axungiam, vel castorei. Sequens oleum animale dictum vidi cum commodo applicatum.

℞. *Carnem juniorem crine rubro & pinguem, eneca & ventrem imple lumbricis, limacibus, herbis item salvia, lavendula, mentha, atque axungia hominis, vel alius animalis, imprimis castoris, præterea pinguedine aliqua solidiore, verbi gr. lardo, canis hinc inde circumdetur, aut traiiciatur, ut solent carnes assandæ, hinc canem lento igne assa, & sæpius oleo decidente obline, tandem collige oleum & omnem pinguedinem.*

℞. *Hujus olei* ℔ ij.
Adipis hominis,
Castor. aa. ℥ iij.
Ol. destill. fetid. ex adipe ursi. canis & anguillæ ℥j.
Ol. lavendul.
Rorismar.
Succin. aa. ℥ iß.
M. & tingatur croco ac styrace aromatizetur.

Maximè conducibile est oleum hoc in convulsione, præsertim in paralysi cujuscumque partis. Potest & temperari & misceri aliis oleis simplicibus. Hic & unguentum nostrum aromaticum, nec non spir. cephalicus valde conveniunt.

Si angustia fuerit oborta à crassa ac viscida materia ibidem stagnante, varia incidentia exhibenda sunt, & gargarismata ex resolventibus parata, de quibus in Angina abundè egimus. Sp. Salis Armoniaci instar omnium erit cum Aqua Sambuci.

Curatio *Ulceris* Oesophagi optimè administratur, si particulis acutis, salibus acribus & destructivis acidis in quibuscumque ulceribus facile nidulantibus eatur obviam spirituosis, scil. Spir. Vin. camphor. vel Theriacal. camphorat. cum lumbric. camphorat. vel Spir. Vini cum pauco Spir terebinth. commisto. Cataplasmata quoque ex herb. scord. card. bened. chamomill. parata applicentur. Sic & Mercurialia maximè conducunt, Spir. sambuc. myrrhat. &c. Ulcere benè mundato consolidationem haud difficulter subsecuturam esse speramus, instillato vel balsamo de Capaiva rectificato, vel de Peru debitè depurato, cujus guttula una vel bis in die solum instillata egregias obtinet vires. Sed cum hic affectus rarò in praxi occurrat, & meo judicio vix curabilis sit, plura addere hac vice non libet, sed si quis plura desiderat, adeat generale caput de Ulceribus.

In *Vulnere* Oesophagi opera danda est, ut si possibile, consolidetur, magnum enim hujus partis vulnus immedicabile est, quia pars ex fibris tendinosis consistit, aer ergò ambiens frigidiusculus & humidus arceatur à vulnere, vel corrigatur accenso igne in fornace, & fumo ex succino, mastice, &c. quo linteum aliquoties complicatum etiam imbuitur & vulneri imponitur. Extraneum quodvis removeatur. Symptomata hic potissimùm timenda, sunt hæmorrhagia, paralysis gulæ, & hinc deglutitio denegata; Vulneri ergo instilletur ol. terebinth. Spir. lumbr. & camphoræ. Consolidatio fiat externè balsamis & emplastris aliis sanantibus, emplastr. diachyl. vel vulnerar. nostr. vel balsam. Peruv. cum oleo Hyperici.

CAPUT VI.

De Thoracis Vulneribus & Fistulis.

§. I. PRopria cujusque partis accidentia contemplari animus est, & nunc quidem, quid Thoraci ab externa injuria accidere possit, & primo quidem ejus vulnera examinabimus. Quamvis autem Deus O. M. ipsum Thoracem variis osseis præmunimentis circumcinxit, attamen acuta & rigida illa instrumenta, quæ vim habent incidendi & perforandi, ipsum thoracem lædere possunt, unde *Vulnus* Thoracis oritur, quod est partium musculosarum, ossearum, carnosarum & membranacearum Thoracis, & nonnunquam etiam in ipso contentarum partium dissolutio, ab instrumento aliquo secante vel pungente, vel globulo ex tormentis bellicis exploso exorta.

Thoracis Vulnus.

Fistula Thoracis describitur, quod sit ulcus sinuosum, altum, angustum & callosum, candelam admotam ob aerem commissum extinguens.

Fistula.

Porrò cùm Vulnera & Fistulæ nunc majora, nunc minora sint, vel cæsim, vel punctim infligantur, atque mille modis varient, variæ ab Auctoribus recensentur differentiæ, quas communiter & malè in essentiales & accidentales dividere solent; illas desumunt à vulneris essentia, partis vulneratæ conditione & causa, has verò à fiendi modo, situ & tempore. Vide alterum illum Germanorum Galenum *Sannertum lib. 5. part. 4. cap. 1. & Barbetten. Chirurg. lib. 2. cap. 1.*

§. 2. *Pars affecta* est Thorax, seu Pectus, aliis Medius Venter vocatus, totum nempe illud corporis spatium, quod à costis utrimque circumscribitur; pertinens anteriore quidem parte ad pectorale os & septum transversum, posteriore verò declinans ad spinam ex 12. vertebris compositam. Internè obducitur membrana quadam tenuissima, Pleura vocata, & versus medium pectus duplicata, septum aliquod Mediastinum dictum constituente. Spatium intercostale impletur à musculis costas ad invicem alligantibus, & propterea Intercostalibus vocatis, atque in interiores & exteriores distinctis, utriusque undecim numero & ita constitutis, ut interiores à superiori & interiori costæ cujusque parte, à posteriore ad interiorem oblique adscendentes, inferiori cujusque costæ superioris lateri inserantur, exteriores verò interioribus superjacentes, à parte inferiori & exteriori cujusque costæ superioris enati oblique antrorsum parti superiori & exteriori cujusque costæ inferioris implantentur, & hoc modo fibræ musculorum exteriorum fibras interiorum crucis seu litteræ X. forma transversim secent, & à musculis hisce pectoris cavitas augetur & costæ sursum ducuntur, sicque sibi invicem fibrarum ope magis approximant. Sunt præterea alii quidam musculi, quibus intercostales substernuntur, quorum nomina sunt Sacrolumbus, Triangularis, Serratus major, Subclavius, Serratus minor, superior, & Serratus minor inferior, quorum structuram & usum hic pluribus tractare non permittit Instituti nostri ratio; sufficiat hæc pro partis affectæ meliori cognitione paucis indigitasse, & observasse, musculos hos potissimum cum cute exteriori & pleura interiori in Vulneribus & Fistulis lædi, & interdum plura vel pauciora vasa intercostalia & thoracica simul dilacerari, undè ipsa hæmorrhagia emanat.

Pars affecta.

§. 3. Quoniam verò ipsa Vulnera quoad externam præcipuè faciem in sensus incurrunt, inanem luderem operam, si recensendis *Signis Diagnosticis* diutiùs immorari vellem; quod verò ipsorum interiorem concernit conditionem, situm & magnitudinem, ea non nisi sagaci conjectura & accurato Medici judicio innotescere poterunt, siquidem non semper facile judicatu sit, quæ partes internæ vulneratæ sint, & quousque vulnus penetraverit, cùm tale scrutinium scientia Anatomica & diligenti partium actio-

Diagnosis.

actionum læsarum, nec non excretorum examine nitatur, & hoc potest nostro Thoracis vulnere demonstrari. Si enim sanguis cum tussi reiicitur, & aer è vulnere progreditur, certiores reddimur, & instrumentum in Thoracis cavitatem penetrasse, ipsosque pulmones cum vase sanguifero perfodisse, vel Fistulam adeò sinuosam & profundam esse, ut in cavitatem Thoracis desinat; adest & suffocatio, anxietas, febris dolor, pectoris inflammatio & tandem mors. Rectè in hanc rem *Barbette*: Ex Anatomia sciendum est, 1. quis partis cujusque situs, 2. quis usus, 3. Syptomata consideranda, 4. eorum, quæ per vulnus eiiciuntur, conditio notanda. Certum enim est, si pulmo vel pectus ob musculos respirationi dicatos vulnus accipiat, spirandi difficultas adest, sanguis effluxit ex ore spumans, ex plaga ruber, simulque etiam spiritus cum sono fertur, in vulnus inclinari juvat, quidam absque ratione consurgunt, multi in ipsum vulnus inclinati loquuntur, in aliam partem obmutescunt; Si spatiosa ac ampla laxitas est, paucus sanguis ex plaga spumans evacuatur, cùm non est, orè magis per vomitum redditur, cervicis vasa attolluntur, lingua alium colorem assumit, & multum spiritus attrahunt ægri, frigida appetentes, & si diuturnus sit morbus, tum febris, tum marcor hominem conficit. Vulnera Thoracis quæ spiritus dissipant, & ita humorum inferunt coagulationem, aut sanguinis largiorem profusionem, uti fit, quando vel vena, vel arteria prope cor læditur, absolutè sunt lethalia, quando respirationem subito tollunt, quod contingit, si ipsi pulmones aut aspera arteria fuerint dissecti, ægri suffocati intereunt.

Fistulæ Thoracis quoad externam faciem in sensus nostros facilè incurrunt, & ex sinuoso anfractu apparent; quale fistulosum ulcus habet civis quidam hujus civitatis, inter tertiam & quartam costam, ex quo jam per annum magna quantitas purulentæ emanavit materiæ, adhucq; manat, & si candela admovetur fistulæ, illa extinguitur, respiratio ipsi valde est difficilis, ex respiratione autem læsa cognoscitur pulmones esse læsos, & si vulnus in pectoris cavitatem penetrat, aer è vulnere prosilit. Haud absimilem casum vidi Hanoviæ in discipulo Franconico, post morbum abscessu laborante sub brachio inter secundam & tertiam costam, ex quo per mensem ultra viginti libras materia effluxit purulenta, & æger in totum emaciatus fuit, sed tamen nostra ope, Deo adjuvante, pristinæ restitutus fuit sanitati. Rarum est, quod Mindæ hac in vicinia in infante nondum tertium annum egresso, & adhuc lactante, non ita pridem observavit Medicus *Teichmeyer* dictus: infans ab initio tussi sicca vexatus, eiiciebat postea materiam purulentam ac fœtidam, apparebat inter quintam & sextam costam sinistri lateris tumor, qui adhibitis variis emollientibus rumpebatur, & ex eo cum materia purulenta simul prodibat spica, (*eine Kornohr*) recens, ac si modò ex horreo fuerit desumpta; iniiciebantur per syringam varia decocta vulneraria, & cæterum vulnus l. a. tractabatur, sed cum aer intus contentus cum impetu egrederetur, & aer externus nimis frigidus ingrederetur, elapso octiduo infans defunctus est.

Ætiologia secundùm Galenicos ipsius Thoracis Vulneris.

§. 4. *Galenici* ad *Causas* Thoracis *Vulneris* referunt omne id, quo unitas cutis, carnis musculosæ, & membranæ carnosæ medii hujusce ventris dissolvitur, sive per sectionem simplicem, sive cum contusione id contingat, quo referunt varia telorum genera, gladios, cultros, scalpellos, ferrum candens, lapidem, lignum, glandem plumbeam aut ferream, & quicquid scindendi, lacerandi, frangendi, pertundendi & contundendi vi præditum est, sive ex improviso, sive cum studio parti huic inferatur, & hoc vel violenta manu & animo hostili, vel ex arte & intentione bona, dum Chirurgus pro educendo pure in empyemate partem hanc aperit, à quibus aliquando superficietenus tantum læditur, interdum verò tam profundè, ut vulnus in ipsam penetret cavitatem, & contenta in ea viscera simul afficiat.

Fistularum.

Fistularum causis inserunt tum humores pravos profundiùs erodentes, tum pus ipsum in vulneribus aut ulceribus ob negligentiam Chirurgi corruptum, unde acrimonia sua angustiores & profundiores sinus effodiat.

Paracelsi opinio de causa vulnerum & Fistularũ.

§. 5. *Paracelsus* peculiares *Vulnerum* causas in hac parte nullatenus constituit, sed à præcedentibus indicatas absque ulla mota controversia lubens admittit. *Fistulas* verò ortum habere asserit ab aluminum cum nutrimentis in partibus Thoracis resolutione, quæ locum suum inclusum appetant & putrefaciant, non tamen corrodant, quoniam dulcedine polleant, postquam verò occultam ejusmodi putrefactionem fecerint, aut in latum extenderint, spiraculum sibimet parent, non alia de causa, quam ad respirationem.

Helmontii de causa Vulnerum & Fistularum opinio.

§. 6. *Helmontius* eandem continui solutionem in *Vulneribus* è variis instrumentis productam agnoscit, & *Fistulam* à latice in vulneribus corrupto, oriri existimat, unionem non modo impediente, sed profundius perforante, ipsum quoque Archeum ad novæ tunicæ fabricationem, qua cavitas illa obducitur, seducente.

Secundùm Vvillisium causa Vulnerum & Fistularum.

§. 7. *Vvillisius* res acutas externas violenter continuum solventes in *Vulneribus* ut causas admittit, & *Fistulas* à succo nutritio & nervoso corruptis, in materiam purulentam acrem conversis, acrimonia sua partes Thoracis profundius perforantibus oriri credit, callum verò sinuosum à particulis terrestrioribus tum partium membranosarum destructarum, tum humorum corruptorum existimat coagulari.

Juxta Sylvium causa Thoracis Vulnerum & Fistularum.

§. 8. *Sylvius* quoque *Vulnerum* Thoracis causam agnoscit continui solutionem à re externa inductam. *Fistulas* etiam vulnera insequi docet, dum humores salsi muriatici, aut acidi acres partes molles, vel etiam membranaceas corrodant & excludant, à quibus simul partes cutaneæ perfodiantur.

Cartesianorum judicium de causis Thoracis Vulnerum & Ulcerum.

§. 9. *Cartesiani* quoad *Vulnerum* causas unanimem cum reliquis fovent consensum. *Fistularum* causam imputant particulis acutissimis aliquantum striatis & subtilissimis, quæ fibrulis inhærendo à materia æthera agitatæ easdem corrodant, interstitia tubulorum perterebrent, sicque ad vicina reptando, destructis fibris ex pluribus tubulis angustioribus unum latiorem efficiant, & succos corrumpant, quo fiat, ut & hi acescentes cum rasuris fibrarum coeant, & à particulis subtilioribus ad circumferentiam repulsi, destituti particulis volatilioribus & porosioribus ob particulas angulares ad motum valde existant inepti, donec tandem totaliter quiescant, atque hoc modo angulis & aliis suis superficiebus invicem variè junctis obrigescant, & hinc sibi fixus adhærentes callosam constituant tunicam fistularum istam cavitatem firma sua contiguitate servantem, & succum chylosum & glutinosum coercentem, ne parietes invicem jungantur & agglutinentur.

Nostra sententia de causis Thoracis Vulnerum.

§. 10. Ex *nostra* sententia Thoracis *Vulnerum* causa proxima est uti aliarum partium vulnerum, continui nempe solutio, seu divisio unitatis in parte Thoracis facta à vi externa. Itaque omnia illa, quæ sunt acuta, dura ac rigida, quæque vim habent incidendi, contundendi, perforandi & urendi, meritò sub causarum mediatarum nomine veniunt, ut sunt gladius, globi sclopetorum, sagittæ, acus, culter, hastæ, dentes animalium, ferrum candens, aliaque innumera, quibus thorax transfodi potest aut dilacerari.

Fistularũ.

Fistulæ fiunt ab acredine corrosiva absumente, & sæpe ex nutrimento proprio corrupto, & unà cum lympha, vel sanguine, vel succo nerveo infecto, & acido corrosivo reddito, à quo oriuntur sanies, pus & sordes, fibrillis enim discissis & corruptis exstillant humores, qui in saniem abeunt continuo effluentem. Si ergò ipsa sanies per interstitia musculorum pectoris seu thoracis latius serpit, & partes molles cum staminibus duris exedit, ulcera sinuosa & vaginosa infert, quorum orificia aut etiam canales in locis membranosis & nerveis indurantur, & in callum quasi osseum transmutantur, unde dein fistula & ulcera fistulosa suam trahunt originem.

Prognosis Ulcerum.

§. 11. In *Prognosi* formanda nonnullæ regulæ experientia & rationibus sancitæ annotandæ veniunt. Vulnera quæ majora vasa pulmonum, vel cordis, vel pericar-

ricardium ita, ut aqua effluat, lædunt, semper sunt lethalia; in pulmonibus enim quando ramus quidam magnus læditur, mors præ foribus est. Si plus aeris ex vulnere quam aspera arteria egreditur, habetur lethale. Sic & vulnera cordis absolutè sunt lethalia, qualia sæpe observantur. Ita Princeps Churlandiæ in obsessione Budensi in Thorace globulo sclopeti læsus mortuus est. In milite Limburgensi idem observavi, qui à globulo in duobus lobis pulmonum læsus, in imo tamen lobo majora vasa fuerunt discissa, quàm in altero, hinc uno lobo curato, altero verò sphacelato defunctus est. Sic & ille D. *Kopff*, cujus fecimus mentionem in Misc. curios. Decur. I. Obs. per cor ense perfossus statim animam exhalavit. Si ergò in Vulnere Thoracis sanguis spumosus cum tussi reiicitur, & aer è vulnere foras progreditur, pessimum est, denotat enim pulmones cum vase sanguifero læsos esse. Sic vulnera in Thorace punctim inflicta, plus alunt periculi, quam cæsim facta. Vulnera Thoracis lateralia periculosiora sunt, quam anteriora; à tergo inflicta, plus inferunt periculi, quam à parte sterni, nam lateralia quamvis sint superficialia, periostium facilè in consensum trahunt, hinc inflammatio, pleuritis, &c. Vulnera quo propiora spinali medullæ, eo periculosiora. Vulnera Diaphragmatis in carnosa parte sunt periculosa, sanantur tamen aliquando, si verò membranosa ejus pars fuerit læsa, lethale est, quia inde producitur febris & delirium, unde mors. Convulsio in vulneribus his Thoracis perniciosa est, denotat enim spiritus, seu humores tenuissimos esse nimis acres. Si vulnera hæc cum intensa febre, inflammatione & dolore sint, malum est. Vulnera hæc quo diutiùs aeri exponuntur, eò redduntur deteriora. Vulnera à sclopeto inflicta plus damni inferunt, quam alia. Si Vulnera pectoris penetrant in dorsum, utplurimum sunt periculosa, & ægri circa diem 7. 11. 14 moriuntur, propter superveniens Erysipelas. Si verò vulnus penetrans per pulmones, nisi majora vasa fuerint læsa, spes est sanationis, abit enim in abscessum sæpe sanabilem. Sunt itaque omnia Thoracis vulnera periculosa, multosque viventium consortio valedicere coegerunt, ac in aliis phthisin excitarunt ipsa morte aliquando pejorem: mortis enim habet vices, lentè cùm trahitur vita gementibus. In Empyemate & Asthmate vulnus pectoris fuisse anchoram salutis, testatur historia Clariss. Dni. *Muys*.

[...]tularum. *Fistulæ* ut omnium partium, sic imprimis Thoracis, sunt periculosæ, imprimis antiquæ, profundæ, & anfractuosæ. Quæ usque ad pulmones tendunt, ob pus acre acidum ibidem congestum, facilè viscera illa Thoracis afficiuntur. In corpore senili & infirmo mortem accelerant, imprimis ubi aer è fistula exit.

[...]ta. §. 12. Quanti sit momenti *Diæta* in cura vulnerum, de hoc consulantur Chirurgi experti, constat enim, ægros in victu vel potu excedentes ex vulneribus simplicibus incidisse in vulnera lethalia. Vulnus ergo quo levius & simplicius, eo largius alimentum concedendum, contra, quo gravius, gravioraque adsunt symptomata, præstat potius tenuissimus victus, avenacea, jus carnium, pullorum gallinaceorum, decoctum caricarum. Exulent omnino acida acria, quia non tantum coagulant humores, sed eosdem etiam pervertunt. *Potus* sit cerevisia tenuis cum rasur. C. C. vel decoctum hordei cum passulis, & liquirit. aliisque herbis vulnerariis paratum, ne tamen in tanta copia exhauriantur, uti Chirurgi hodierno tempore assolent propinare. Vinum acidum asperum & omnia quæ pectori sunt inimica, vitentur. Aer frigidus ob acidum nitrosum asperius ceu pestis fugiendus & quocumque modo à vulnere arcendus. Motus nimius fugiatur, sed quies sanat. Vitet æger animi pathemata excedentia, imprimis iram, etenim propter solam iram vulnus redditur lethale, quia humores redduntur acriores, & motus eorum ordinarius perturbatur.

[...]uratio [...]ndum [...]ricos §. 13. *Curationem* Pharmaceutico-Chirurgicam in *Vulneribus* aggrediuntur *Galenici* iisdem remediis, quibus reliqua vulnera curari solent, nihil singulare observantes, si solum partes musculosas occupent, quando verò ad interiora penetrant, summo studio ipsa advertunt symptomata, maximè tamen sanguinis fluorem nimium ex dissectis venis & arteriis, tum respirandi difficultatem à sanguine effuso pulmones obruente inductam. Ipsi sanguinis profluvio occurrunt largiore ejusdem effusione per venam dissectam in utroque cubito, cucurbitularum & vinculorum applicationem, repetitas frictiones, venarum & arteriarum dissectarum obturationem, adhibitis earum orificiis medicamentis adstringentibus & obstruentibus ex aloe, thure, succo acaciæ, terr. sigill. bol. Armen. cum albuminat ovi in linimentum redactis, & linteolis carptis exceptis. Respirandi difficultatem & gravem anhelitum facilitare conantur, ipsum sanguinem in cavitate contentum, & pulmones obruentem evacuando per vulnus scalpello sufficienter dilatatum, super quod ægrotantem ritè collocant, ut ita pulmones ipsi distensi eundem commodè expellant, & ut hoc citius procedat, ægrum jubent tussire. Sanguinem etiam copiosiorem una vice non evacuandum esse monent, sed pluribus, interjecto aliquo inter easdem intervallo. Si jam sit concretus & in grumos conversus, & propterea commodè nequeat evocari, eundem posca propinata, aut pulvere mumiæ, aut sanguinis hædini exhibito prius dissolvunt. Supervenientem inflammationem & febrem arcent remediis sanguinis intemperiem calidam refrigerantis, decocto hordei, cum fol. plantag. acetos. portulac. in humorum calidorum abundantia sanguinem per venam sectam emittunt, deinde partem vulneratam, ne fluxiones ulterius suscipiat, vel oleo rosaceo omphacino, aut myrtino inungunt, quibus aliquando pulverem boli Armeniæ admiscent, vel fovent cum spongia expressa ex vino rubro adstringente, in quo rosæ rubræ, balaustia, sumach, aut myrtilli bullierint, vel emplastrum diachalciteos oleo myrtino malaxatum & super aluta extensum imponunt, & post tempus aliquod adstrigentibus admiscent aliquantum relaxantia & digerentia, qualia sunt farina fœnigr. hord. sem. lin. fol. alth. melilot. chamomill. aneth. axung. gallin. anserin. Ablatis hoc modo symptomatis, ipsi vulneri postmodum omnem curam impendunt, cujus unitatem restituere tentant, si nulla sanie aut pure sit infectum, per medicamenta adstringentia & sarcotica, quibus simul partes internæ laceratæ aut aliter læsæ sanantur, & quæ conficiuntur ex herbis & radicibus pilosellæ, saniculæ, caryophyllatæ, tormentill. consolid. maj. rub. tinct. centaur. aristol. veron. caud. equin. ex quibus cum aqua parari possunt decocta, quibus adduntur pulveres de terr. sigyll. myrrh. mum. & Syrupi de rosis siccis, myrtin. de Symphyt. vel eadem simplicia unà cum pane coquunt in jure carnium quod ad alendum ægrum exhibeant. Ex simili quoque decocto modicè calido, additis aloe & sarcocolla, injectiones instituunt per syringam, ut facilius ad partes perveniat. Vulnere verò existente sordido & purulento, illud prius detergent & repurgant vel mulsa, vel decocto hordei, hyssopi, calamenth. aristoloch. & equiset. in aqua simplici, vel pro validiori detersione in lixivio, aut vino, nisi inflammatio hoc prohibeat, parato, addito aliquando melle rosaceo, quo facto, & pauco interlapso temporis spatio ipsum ægrum super vulnus apertum collocant, pro faciliori sordium effluxu, & ne eædem in ipsam thoracis cavitatem stillent, & viscera ibidem contenta inficiant, quas validius etiam detergent unguento linamentis filo alligatis excepto & imposito, ne in cavitatem decidant. Vulnere sic repurgato, & parte in naturalem temperiem reducta, unitatem promovent carnis amissæ facta restitutione per medicamenta sarcotica, qualia sunt oleum hyperici, aut abietinum linamentis exceptū & vulneri immissum, vel resina terebinthina cum pulvere thuris, aloes, myrrhæ, sarcocollæ, nec non unguentum basilic. vel de matrisylva, tum emplastrum diapalm. vel de gumm. elem externè imponunt & tandem vulnus cicatrice claudunt.

Thoracis Vulnerum.

Fistularum. Fistulas non absimili ratione tractare solent, ut ipsa vulnera, sedulò tamen observantes, ut callus absumatur, eoque adempto ulcus consolidari queat. Immittunt ergò fistulæ radicem seseli vel spondilii, vel aristol. rotund. vel gentian. quibus callum consumi credunt, vel si remedia hæc nimis sint debilia, & fistulæ tortuosæ sint, aut multiplices, ex *Celsi* effato majus in manu, quàm in medicamentis præsidium quærunt, quare fistulæ subcutaneæ specillum insinuant, & supra id eandem incidunt, explorando omnes ejus rivulos, ut simul incidantur, usque ad fistulæ finem, tum callum exscindunt, & fibrulas iniiciunt, superimposito medicamento glutinante. Fistulis autem super costas euntibus, costam ab utraque parte in loco fistulæ præcidunt, & corruptū omne eximunt, ne quid relinquatur, & pro meliore purgatione linimenta in melle tincta imponunt, vel herbam matrisylvam pulverisatam in vino ad tertias coctam iniiciunt, aut linimenta imponenda eodem solent imbuere. Ne verò abundantia humorum peccantium curationem redat difficilem, ægrotum purgant syrupo rosar. ex multiplici infus. vel pilulis aggregativis, vel sequenti aut simili decocto.

℞. *Rad. enul.*
Scabios. aa. ℥j.
Polypod. querc. ℥ij.
Glycyrrhiz. ℥iß.
Herb. Hyssop.
Marrub.
Capill. Ven. aa. M. j.
Fol. sen. ʒvj.
Agar. trochischat. ʒij.
Epithym. ʒß.
Passular. enucleatar. & contus. P. iij.
Coq. in aq. commun. ℔ij. *ad remanent.* ℔iiij.
Colentur forti expressione, & Colatur. add. vel Mell. commun. ℥vj. *& ad despumationem pariter ebulliant; vel*
Syrup. de Capill. ven. ℥iiij.

De hoc decocto sumantur quovis mane ℥iij, vel iiij. Hoc absumpto alia propinant decocta pectoralia & vulneraria, & in specie sequens.

℞. *Hord. mundat. & contus.*
Passular. mund. contus. aa. P. iij.
Rad. tussilag.
Bugloss. aa. ℥ß.
Glycyrrhiz. ras. ℥ij.
Fol. Veron.
Scabios.
Card. bened. aa. Mj.
Sem. anis. ℥j.
Jujubar. No. xv.
Coq. in aq. simpl. q. s. ad. ℔vj.
In quibus dissolv.
Syrup. rosat. simpl.
De 2. radicib. aa. ℥iij.
Add. cinamom. ʒj.
F. Apozema.

De quo unciæ aliquot quotidie assumantur. Commendatur quoque à quibusdam decoctum ligni Guajaci cum corticibus ejusdem. Ipsis postmodum fistulis imponunt emplastrum nigrum, vel ceratum ex lithargyr. & cerus. in oleo commun. ad debitam consistentiam coctis, quod linteo vel alutæ superinductum adhibent, usque ad perfectam, si obtineri potest, sanationem.

Paracelsi cura in vulneribus. §. 14. *Paracelsus* ad *Vulnerum* horum faciliorem sanationem nihil adeo commendat, quam defensionem, ne quid foris eadem ingrediatur, tum enim naturam curationem optime præstituram esse promittit, si vel solus balsamus mumiæ, vel spiritus auri intus exhibentur, ad incarnationem citiùs impetrandam; externè verò emplastrum oppodeldoch curationem absoluturum confidit.

Fistulis. *Fistula* à vulnere si sit provocata, ad eandem solam omnem curationem vult dirigendam, ita ut ab ipso vulnere etiam plane digrediatur Chirurgus, & ea adhibeat remedia, quæ fistulas absumunt, potiones nempe internas, & ablutiones externas per destillatum & aquam mercurialem, prout de fistulis in genere pluribus indicabit.

Helmontiana curatio. §. 15. *Helmontius* nulla peculiaria in partis hujus *Vulneribus* & *Fistulis* suadet remedia, sed eadem adhibet, quæ morbis istis in genere conveniunt, & alibi sufficienter à nobis indicabuntur.

Vvillisii curatio Thoracis Vulnerum. §. 16. *Vvillisius* in Thoracis *Vulneribus* non superficiariis, tum in cavitatem penetrantibus & pulmones lædentibus, pectoralia adhibet & vulneraria, quibus ligna etiam sunt intermista, quorum formulam sequens præbeat exemplar.

℞. *Rad. Pentaphyll.*
Chærefol. aa. ℥j.
Chin. ℥ß.
Herb. sanicul.
Veron.
Eupator.
Tussilag.
Pilosell. aa. Mj.
Lign. Guajac. ras. ℥j.
Passular. ℥x.
Sem. bombac. ʒvj.
Coq. in aq. font. ad medietatem,
F. Apozema, edulcorandum Syrupo de Symphyt. vel de Pilosella.

Magno quoque in pretio habet pulveres ex corall. pp. ocul. Cancrorum, flor. Sulphuris, C. C. pp. & similibus, uti & Tincturam Sulphuris, Balsam. de peruv. &c. Ipsum vulnus non prius conglutinat, quam sanguis evasatus & in thoracis cavitate contentus effluxerit, partes contusas digestivo in pus redigit, hinc abstergit, mundat & imposito emplastro styptico sinit coalescere.

Fistularum. In *Fistulis* cum aliis urget, ut callus absumatur unguento Ægyptiaco cum Mercurio dulc. & si opus ea sit, incisionem peragit, tum ulcus variis injectionibus ex decocto nicotianæ, & rad. aristol. rotund. cum succis centaur. apii, vel decocto calc. viv. mundat, & turundis ex melle inspissato cum thure, myrrha, sarcocoll. alum. usto exsiccat, tandem ut aliud quoddam ulcus disponit ad consolidationem.

Sylvii modus curandi Thoracis Vulnera. §. 17. *Sylvius* in *Vulneribus* hisce approbat decocta pectoralia ex bistort. tussilag. veron. botr. & similibus cum pulvere ex Antimonio diaphoretico & oculis cãcrorum. Externe linimenta ex melle rosar. cum mastiche, aloe & myrrh. quibus præmissis usque ad consolidationem emplastra styptica suadet imponenda.

Fistulis, si callus spiritu vitrioli melli mixto fuerit absumptus, instillat balsamum Sulphuris anisatum r quibus non modò probè mundari promittit, sed perfectè quoque sanari.

Cartesianorum modus curandi Thoracis Vulnera. §. 18. *Cartesianis* in curatione *Vulnerum* Thoracis secundùm rationem & cum salute ægrorum prudenter administranda, opera præcipua eò dirigitur, aut succi per dirupta vasa & tubulos in foramen partis dissolutæ confluentes per remedia convenientia, & aeris externi temperationem, aut à vulnere coercitionem ita præserventur, ne quid particularum acutarum corrumpentium admittant, quo fibræ partium solidarum exedantur, rumpantur, & redunioni fibrarum sejunctarum, mediante succo nutritivo glutinoso perficiendæ, obex ponatur. Ea propter, quàm citissime fieri potest, in thoracis aliqua parte vulnerata hujusmodi propinant mixturam.

℞. *Aq. Card. bened.* ℥j.
Alchimill.
Tormentill. aa. ℥ß.
Oc. Cancrorum pulveris. ℈ij.
Lap. ceratit. ʒß.
Myrrh. elect.
Bezoard. min. aa. ℈ß.
Sacch. canth. alb. ʒiij.
M. D. cochleatim.

Interea ne quid omittatur forinsecus adhibendum, in spiritu vini camphoram dissolvunt Theriacam, & aliquid salis Card. bened. eoque lintea imbuunt quadruplicata vulneri calide imponenda. Absumpta priori portione, ut spiritus conserventur & hæmorrhagia nimia vel præcaveatur, vel si ea jam dominetur, quan-

quantum possibile, inhibeatur, ægroto sequentem exhibent mixturam.

♃. *Aq. burs. pastor.* ℥ i ß.
Fol. tenell. querc. ℥ j.
Typhor. Cerv. ℥ ß.
Tinctur. bezoart. ʒ ij ß.
Sulphuris Vitrioli ʒ i ß.
Syrup. de Tormentill.
Corall. aa. ʒ vj.
M. detur cochleatim singulis horis.

Parti vulneratæ parcere quidem conantur, ne vulnus studio ampliarent, & fibrarum majorem instituant dissolutionem, iniiciendo per syringem Spir. vin. camphoratum, essent. hyperic. & Spiritui lumbricor. commistum, sed si fibræ quædam tubulorum & musculorum contusione dissolutorum promineant, & succi cum nutrimento partium corrupti in ipsis hæreant interstitiis, in materiam purulentam propter acidum corrumpens abeuntes, vulnus autem existat angustius, quàm ut puri & saniei exitum permittat, illud scalpello aut lancetta dilatari jubent, & vulnus turunda ex radice gentianæ ita parata, ut in fine capitulo quodam aut ansula sit donata, ne in thoracem prolabatur, apertum servant, insuper ipsam turundam illinunt linimento ex melle, terebinthina & paucula parte Mercurii præcipitati composito, pro faciliori fibrarum contusarum separatione & suppuratione promovenda: In ipsam vero thoracis cavitatem si plus materiæ destillet, quàm extracta turunda extra thoracem effluat, & cruor copiosus in eodem hæreat, diaphoretica exhibent & diuretica traumaticis eleganter commixta, quemadmodum è sequentibus constat mixturis.

♃. *Aq. chærefol.* ℥ ij.
Alchimill. ℥ j.
Antimonii diaphoret. ʒ ij ß.
Ebor. sine igne ʒ j.
Salis Armoniaci depurat. ʒ ß.
Syrup. de scord. simpl. ℥ j.
M.

♃. *Aq. Caprifol.*
Veron. aa. ℥ j.
Tinctur. Hyperic. ʒ iij.
Myrrh. ʒ ij.
Spir. lumbric. essentificat. ʒ j.
Syr. Heder. ℥ j.
M.

♃. *Aq. Tussilag.* ℥ j ß.
Millefol. ℥ j.
Tinctur. flor. bellid. ʒ iij.
Spir. Nitri valde dulcificat. ʒ j.
Syr. rub. Id.
Botry. aa. ℥ ß. *M.*

Evacuato pure, atque ex eupnoea & absentia doloris pleuritici, nec non mutato colore urinæ, à rubedine ad flavedinem accedente, de materiæ cruentæ & purulentæ, tum per transpirationem, tum diversim egestione, & reliquorum succorum correctione, quatenus loco particularum acutarum, salibus volatilibus benignis præditi sunt, certiores redditi, vulnus mundant & abluunt, primo spiritu vini camphorato, cui essentia ex electuar. Diascord. parata sit immixta, deinde succo millefolii, in quo myrrha & aloe macerata fuerunt, hinc balsama instillant, nempe vel balsamum momordicæ, vel Peruvianum, vel Hypericonis, & simul emplastrum ex balsamo hoc Sulphurato, nempe dum flores Sulphuris in oleo Hyperici expresso bullierunt, additis cera, terebinth. oliban. myrrh. & terr. Vitrioli dulc. imponunt. Ab his perfectam sperant sanationem, modo ipsum cor non fuerit transfossum; quæ sanatio ut felicius procedat, etiam decocta vulneraria & pectoralia, imprimis si pulmones simul læsi fuerint, cochleatim propinant, eaque parant ex herb. & flor. tussilag. pulmonar. maculos. alchimill. bugul. pyrol. sanicul. rad. tormentill. aristol. rotund. pimpinell. sanguisorb. astacis & similibus. Cerevisiæ quoque instillant Tincturam rosar. Hyper. bellid. essent. cancror. aliosque liquores traumaticos. In virium defectu sequentem extollunt mixturam.

♃. *Aq. buglos.* ℥ j.
Meliss. ʒ vj.
Cinamom. cydoniat.
Nymph. aa. ℥ ß.
Gelatin. C.C. ʒ iij.
Tinctur. bezoard. ʒ ij.
Spir. ceras. nigr. ℈ ij.
Rosar. ʒ j.
Syrup. Corall. ℥ j.
M.

Cui formula placet electuarii, ei sequens solent præscribere.

♃. *Conserv. Pulmonar.* ℥ ß.
Tormentill. ʒ iij.
Elect. diascord. ʒ ij.
Lap. ceratit. ℈ ij.
Margarit. pp. ʒ ß.
Myrrh. ℈ j.
Sp. Vin. camphorat. gt. xvj.
Syrup. symphyt. q. s.
F. Electuarium.

Sumatur nucis avellanæ majoris quantitas, mane, meridie & vespere.

Fistulis Thoracis callo obturatis hoc modo curam accommodant, ut absumpto callo per liquorem mellis ab Antimonio abstractum *Ang. Sal.* quo radicem aristol. rotund. vel gentian. imbuunt, viam parent aliis liquoribus per syphunculum iniiciendis, liquori nempe ex scor. reguli Antimonii, vel aquæ Calcis vivæ, cum Sp. vini, quibus probe mundantur, & succi acres corriguntur, dum particulæ angulares & lanceolatæ absorbentur & hebetantur, liquoribus verò nervino & chyloso nutritio non modò necessarius paratur influxus, sed iidem quoque incorrupti asservantur, ut Fistulæ eorundem oppletione & agglutinatione fibrarum debitè consolidentur. Fistulis profundioribus & multiplicibus ex suasu *Barbettes* cannulam intrudi permittunt subcurvam, qua profunditas earum exploretur, atque per eam acus figura cannulæ respondens & filum sericeum ducens traiicitur, in fundo fistulæ cutis acu perfoditur, hinc acu & cannula demptis, fili fines connectuntur, & filum exedentibus illinitur, ad callositatis absumptionem. Incisione si opus sit, instrumento commodo eandem volunt instituendam, tum Fistulas probè abluunt Sp. Vini camphorato, vel aqua balsamica *Quercet.* hinc balsamum indunt lithargyri terebinthinatum, donec Fistulæ sanationem admittere videantur, quam prosequuntur sequenti balsamo D. *le Mort*, fistulis frequentius instillando, simul internè vulnerariis usurpatis.

Fistulam.

♃. *Fol. Hyperic. cum floribus tenuioribus, reponantur in s. q. ol. terebinth. macerentur loco calido per tres dies; dein recentia adhuc folia & flores oleo à præcedentibus expresso reponantur denuò per tres dies; & eodem modo ter procedatur adhuc. Dein oleum tinctum, aquæ superfundatur. Evaporetur oleum mediante coctione, donec resideat balsamum unctuosum & crassum, ad instar sanguinis rubicundum.*

§. 19. *Nostrum* consilium est, ut Chirurgus statim ad vulneratum in Thorace vocatus inquirat, num vas aliquod magnum læsum fuerit, tum enim statim sanguinem eliciat, jubendo ægrum parti vulneratæ incumbere, os & nares constringendo, quo facilius sanguis expellatur. Quidam Venæsectionem commendant, addentes, quod pars hæc sit vicina cordi, unde & pulmones à sanguine grumoso & nimia subsequente sanie liberentur, pleuritis præcaveatur, & respiratio reddatur liberior, sed non adeo prudenter, quia sanguis semel evasatus crassior redditus, nec in arterias retrogredi, nec in venas promptè influere potest, unde & facta V. S. æger adhuc redditur debilior. Si vulnus Thoracis non fuerit satis amplum, volunt nonnulli illud dilatari, quapropter cannulam immittunt, sed sæpe incassum laborant, cum sanguinis statim in grumos abeat; si verò vulnus non satis pro puris exitu pateat, imponi potest turunda ex spongia parata cum filo. At si satis amplum sit foramen, plumaceolum ex linteis carptis formatum, ac idoneo digestivo oblitum, cum emplastro acidum temperante imponatur, bona

Nostra methodus medendi Thoracis Vulneri.

bona adjecta ligatura. Alii adhibent injectionem, sed ab acribus abstinendum volumus, potius in Thoracis hisce *Vulneribus* commendamus sudorifera ex ocul. Cancrorum, Antimonio diaphoret. antihect. Poter. viper. pp lap. scissilem Anglicum, decocta lignorum cum liquiritia, aliaq; balsamica, balsam. nervin. Schæffer sal. volat. oleos. n. d. Sudorifera enim acidum sanguis ac reliquorum humorum temperant, lympham crassam attenuant, obstructas vias reserant, & vel sensibiliter, vel insensibiliter humores vitiosos eliminant. Purgantia quæcumque, ceu pectoris inimica, ut & omnia acida & acria sunt fugienda.

Quando Chirurgus exploravit & deligavit vulnus more solito, non tamen instrumento ferreo, sed potiùs candela cerea, quia instrumenta rigida fibris musculorum nocent, Medicus quoque interponere debet talia medicamenta, quæ sanguinem grumosum dissolvunt. Esto una & altera formula in tyronum gratiam.

℞. *Aquæ chærefol.*
Card. bened.
Mariæ
Veron. aa. ℥ i ß.
Lap. cancrorum pp. ʒ j.
Antimonii diaphoret. ʒ ß.
Syrup. heder. terestr. ℥ ij.
M.

De hac mixtura acipiat æger singulis horis 3. vel 4. cochlearia. Vel si res est in angusto, respiratio urget, & suffocatio imminet, detur in cerevisia sperm. ceti ʒ ß.

In tempore quoque injiciatur Enema sequens, vel simile, si alvus fuerit adstrictior.

℞. *Rad. enul.*
Alth. aa. ʒ iij.
Herb. violar.
Endiv. aa. M j.
Flor. sambuc.
Chamomill. aa. P j.
Coq.
Colatur. ℞. ℔ j.
Add.
Ol. lini recent.
Nucum aa. ℥ j.
Vitell. ov. No. j.
Salis Tartari ʒ ß.
M. F. Enema.

Elapso die secundo vel tertio, diaphoreticum exhibendum sequens.

℞. *Corall. rub. pp.* gr. xv.
Lap. sciss. Anglic. gr. x.
Antimonii diaphoret. gr. xij.
F. Pulvis.

Exhibeatur in aq. veron. Si tussis toqueat ægrum, & febris adsuerit cum dolore lateris pungitivo, diaphoretica continuanda sunt, aliaque antipleuritica, quæ hic quoque conveniunt, uulnerati enim hi ut pleuritici sunt tractandi, propterea omnia, quæ acidum humorum temperare & coagulationem eorum impedire possunt, optima sunt remedia; nec diuretica hic sunt contemnenda, modò non sint nimium acida. Ex. gr.

℞. *Aquæ Papav. err.*
Fragar. aa. ℥ ß.
Veron.
Chærefol. aa. ℥ j.
Sp. lumbricor. ʒ j.
Confect. alKerm. ʒ ß.
Syr. violar.
Papav. err. aa. ℥ ß.
M.

Singulis horis 2. cochlearia exhibenda cum essentiæ uulnerariæ infrà descriptæ gt. 30. Vel propinetur sequens decoctum.

℞. *Hord.* P. j.
Ras. C. C. ʒ iij.
Rad. liquirit.
Chin. aa. ℥ ij.
Farfar.
Enul. aa. ℥ j.
Herb. heder. terrestr.
Pulmonar.
Veron. aa. M j.
Passular. min. ℥ j.
Coq. in aqua font.
Colatur. ℞. ℔ iij. *add.*
Syr. de jujub.
Violar. aa. ℥ i ß. *M.*

Singulis tribus horis 4. cochlearia plena assumantur.

Si dolor urgeat, blandiora dissoluentia externâ applicentur, sequenti modo;

℞. *Flor. chamomill.*
Sambuc.
Melilot. aa. M ß.
Summit. aneth.
Herb. origan. aa. M j.
Sem. lini.
Fœnigr. aa. ʒ ß.

Incisa infundantur saculis, & coq. in lacte; imponantur ligaturæ. Sic & uulneri sacculi lacti incocti apponi possunt.

Si ex humorum effluxu ex suis uasculis pus fuerit collectum in costarum interstitiis in uulnere non penetrante in Thoracem, omni ope annitendum est, cauterio ut eliciantur, & si hoc non sufficiat, lanceola puri exitus parandus. In uulnus uarię injectiones fieri possunt ex decoctis uulnerariis & pectoralibus paratę. Ex. gr.

℞. *Aquæ fontan.* ℔ iij.
Infund.
Herb. matrisylv.
Vinc. pervinc.
Sanicul.
Prunell.
Pulmonar.
Hyperic. aa. M j.
Rad. aristol. rotund. ℥ j.
Coq. ad tertias,
Add.
Bals. Sulphuris anisat. ℈ j. *M.*

Per syringem injicitur liquor mell. rosar. cum dococtø iridis. Vel

℞. *Herb. tussilag.*
Scabios.
Herb. veronic. aa. M ij.
Fol. abietis M j.
Passular. maj. exacinat. ℥ iij.
Sem. fenic. ʒ ß.
Hordei M iij.
Coq. in aq. commun. ac vin.
p. æq. add.
Mell. rosat. ℥ j. *M.*

Semper etiam respiciendum est, ut sanguis coagulatus dissoluatur per expectorantia uulgo ita dicta. Convenit præsertim in uulnere pulmonum decoctum Veron. cum syr. heder. terr. Vel

℞. *Aquæ veron.*
Chærefol.
Heder. terr. aa. ℥ i ß.
Tinct. myrrhæ ℈ ij.
Ocul. cancr. pp. ʒ i ß.
Syr. heder. terr. ℥ j. *M.*

De hac mistura assumat ęger singulis horis duo cochelaria plena. Si nimis sunt debiles ęgri, exhiberi potest aq. perlat. cum aq. ueron. cochleatim. Si quæ res in pectore latent, eæ extrahendæ sunt, propter quas aliquando etiam paracethensis instituenda.

In applicatione turundarum cautè incedendum est, ne rapiantur in pectoris cauitatem, tale enim factum esse plures testantur historiæ Chirurgorum, quæ & nonnunquam abreptæ cum tussi fuerunt ejectæ. Hoc verò non fit ob sectionem thoracis, sed per pulsionem, quando enim thorax capacior redditur in inspiratione, quoniam diaphragma contrahitur deorsum, & dum hoc fit, abdomen protuberat, sicq; aerem valde propellit, qui, quandoquidem vacuum nullibi datur, eodem tempore intrare debet thoracem ampliatum, atq; ita aer partim ingreditur per rimulam laryngis, partim etiam per uulneris orificiũ, ut-

pote

pote per viam commodiorem, breviorem ac magis liberam, ac dum aer ita proruit intro per vulnus patulum thoracis, in transitu secum propellit turundam, nisi filo fortiter alligetur.

Sed turundis applicandis nimis diu non insistamus, ne producamus Fistulam pectoris immedicabilem, nec in pectoris vulneribus respiratio fiat frequens & fortis, continua enim pectoris agitatione in respiratione facta malum producitur, quia vulnerum consolidationi motus non parum obest, hinc magis conducunt plumaceola.

Chirurgus etiam in vulnere pectoris inquirere debet, an vulnus penetret in thoracis cavitatem, flammam ergò candelæ accensæ, seu plumam vulneri admovere debet, si in iis tremulus observetur motus ab aere ex pectore egrediente, vulnus usque in cavitatem penetrat, sin minus, non penetrat.

Ubi accidit tandem, ut pus super diaphragma copiosè contentum per vulnus nimis altum nequeat expelli, nec per tussim, nec per urinam, tum commendatur paracentesis. Incisio illa artificialis thoracis in loco decliviori fit inter quintam & sextam costam, si numeres ab inferioribus, non in medio pectoris, sed in latere, magis tamen ad anteriorem, quàm ad posteriorem partem, ac potius circa superiorem costæ partem, quam circa inferiorem, & quidem scalpello obvoluto aliqua ex parte panniculo, eo tempore, quo patiens exspirat. Rara est hæc operatio nostris in terris ob ægros immorigeros & impatientes: hoc tamen notandum, ut & in paracentesi abdominis, ne aqua aut pus una vice simul emittatur, sed potius partitis vicibus, ne fibrillis ob aerem accedentem nimis frigidum molestia afferatur & excitetur inflammatio sæpe funesta.

Methodus medendi Thoracis Fistulis.

In *Fistulis* Pectoris ante omnia eò incumbendum, ut acidum in ipsis latens infringatur, internè itaque præter illa, quæ Antecessores jam monstrarunt, varia alcalia salia volatilia & decocta vulneraria exhibeantur, quæ simul pectoralia dicuntur: Ex. gr.

℞. *Herb. matrisylv.*
Sanicul.
Veron.
Virg. aur.
Chærefol.
Heder. terrest. aa. M j.
Ocul. cancr. ℨ ij.
Alb. græc ℨ ß.
Rad. sarsaparill. ℥ ß.
Liquirit. ℨ ij.
Coq. in cerevis. q. s.

Semper etiam respiciendum est ad primas vias, ut chylus sit dulcis, non verò acidus, in quem finem conducunt stomachica, v. gr. essent. absinth. cum Elix. pectoral. n. d. & essent. traumatica, conducet & liquor terr. foliat. Tartari, Tinctur. antiphthis. ut & Tinct. Martis pomata cum Tinctura Tartari, imprimis verò alcalia fixa & volatilia quæcumque, Mercur. dulc. & sacchar. Saturni, quia maximè absorbent acidum. Conducunt & thermæ Embsenses, quę vim habent acidum domandi & fibras nerveas corroborandi; optimè etiam conducet potus Theæ, ob sal volatile oleosum, quod in se continet. Antimoniata sunt quoque optima remedia sæpius exhibita. Ex. gr.

℞. *Antimonii diaphoret.* ℈ ß.
Ocul. cancr. pp. gr. v.
M. D.

Vel

℞. *Aq. sanicul.*
Chærefol. aa. ℥ ij.
Calc. viv. ℨ iij.
Ocul. cancr. pp. ℨ j.
Syr. heder. terrestr. ℨ ß.
M.

Internè præ aliis nostra experientia comprobata est sequens Essentia vulneraria, quæ non tantum omnibus vulneribus pectoris & pulmonum, sed etiam fistulis aliisque ulceribus convenit. Dosis à gt. xx. ad xl.

℞. *Rad. Tormentill.* ℥ j.
Consolid. maj. ℔ ß.
Imperat. ℥ i ß.
Sem. Hyperic. ℔ ii ß.
Fol. pirol.
Alchimill.
Plantag. aa. M. v.
Chelidon. maj. cum toto M. iv.

Contusa digerantur in ana aq. & vini per 14. dies, exprimantur & in Balneo inspissentur ad syrupum liquidiorem, cui adde sextam partem Sp. vin. qui tincturam elicit ex floribus Hypericonis.

Externa chirurgica consistunt in absumptione calli per butyrum arsenici, vel oleum Mercurii dulcis, hinc mundificatione fistularum & dein consolidatione, in quem finem variæ injectiones fiunt ex decoctis. Sequens vel simile conducet.

℞. *Bacc. Junip.* P. j.
Rad. aristol. rotund.
Liquirit.
Enul. aa. ℨ j.
Summ. hyperic.
Herb. veron. aa. M j.
Myrrh. elect. ℨ i ß.
Mercurii dulc. ℨ j.
F. Decoctum in aq. & vin.

Aqua calc. viu. cum Spir. vini conducet Aquam plantag. cum Mercurio dulci & saccharo Saturni optimum expertus sum remedium. Vel iniiciantur succus chærefol. cum succo cancror. fluuiatil. Turundis imponatur sequens unguentum.

℞. *Mell. despum.* ℥ ß.
Aloes
Myrrh.
Thur.
As. fœtid. aa. ℨ j.
M. F. Unguentum.

Reliqua peti possunt ex capite generali de Fistulis.

CAPUT VII.

De Vertebrarum Luxatione, Gibbositate, & Spina nodosa.

§. I. RECtitudo spinæ dorsi homini non modo figuram conciliat venustam, sed actionibus quoque præstandis & oneribus deferendis aptissimam, unde à Physiognomis etiam illi, qui magnam & validam habent spinam, pro magnanimis habentur, quibus verò parva & debilis existit, molles existimantur, quales sunt mulieres. Debito quoque in loco sitæ vertebræ ejus hominem in omne se flectere latus facilè permittunt, & hic præfertur illis, qui duræ sunt cervicis, aut rigidi dorsi, quod de immorigeris prædicari solet atq; obstinacibus, omne à se deiicientibus onus, atque in ullum latus verti aut flecti nescii; ea propter etiam vertebræ extra consuetum sive ordinarium situm prolapsæ aut distortæ & venustati & sanitati non parum solent detrahere. *Luxatio* ergo *Vertebrarum* Vulgò describitur, quòd sit earum ex propria sede emotio excedentiaque, & in alienam prolapsus, cum motus voluntarii læsione.

Luxatio vertebrarum.

Gibbositas vel *Gibberositas*, aliis *Gibber* & *Gibbus*, Grecis Κύφωσις dicta, vel Κυφός, à Scholasticis refertur ad morbos malæ conformationis, consistentis in figura vitiata dorsi ob vertebrarum situm versus exteriora mutatum & luxationem, plerumque à causis externis violentis inductam. Qui hoc affectu laborant, *Gibbosi* dicuntur.

Gibbus.

Spina nodosa dicitur affectus, in quo vertebræ nodos habent & quasi excrescentias hinc inde protuberantes, quale quid Limburgi in defuncta filia VV. observavi; & affectus hic prioribus rarior occurrit, & utplurimum infantes afficit, quia ossa ipsorum sunt haud admodum dura, sed poros habent ampliores.

Spina nodosa.

Differentia. Differentias quod attinet, & Luxatio propriè sic dicta, & Subluxatio in vertebris spinæ locum habet, utraque vel versus exteriora est, quæ Gibbus dicitur, vel versus interiora, & vocatur *Lordosis*, ceu exemplum notavit *Cl. Vuedelius in Eph Germ. Decur. 11. A. V. Obs. 219.* vel ad utramque partem, *Obstipum* reddens, vel ad latus.

Pars affecta. §. 2. *Pars affecta* horum affectuum sunt vertebræ, Græcis σπόνδυλοι dicti, ossa nempe illa intùs excavata, superius & inferius plana, exterius variis processibus, donato, spiram constituentia, quorum in collo septem, in dorso duodecim, in lumbis quinque, & osse sacro totidem numerant Anatomici, quibus adjunctum est os coccygis, quæ hoc in affectu à sede sua vel introrsum, vel extrorsum excidunt. Rarius observabatur hæc Spina dorsi bifida, quale exemplum apud *Tulpium lib. 3. Obs. 30.* legere est.

Diagnosis. §. 3. *Luxatio Vertebrarum & Gibbus* visui & tactui patent, præter quod & symptomata quædam graviora affectus hosce aliquando comitantur, v. gr. paralysis brachii ex luxatione vertebrarum cervicis, femoris, & lumborum. In Gibbo si thoracis structura admodum vitietur, sequitur respiratio difficilis, vel periculum quoque suffocationis. Si cervicis vertebræ luxatio fiat, quæ tamen, cùm pauca illic intercedat cartilago, non nisi summa vi fieri potest. Aliquando verò prima vertebra, quæ per arthrodiam laxè jungitur, si luxetur, sextam anginæ speciem ab *Hippocrate* dictam efficit, quæ species Practicis vix innotescit.

Spina nodosa ex visu, magis verò ex tactu dignoscitur, dum tuberculi quidam vertebris incumbentes in dorso infantum percipiuntur.

Ætiologia secundùm Galenicos Luxationis Vertebrarū & Gibbositatis. §. 4. *Galenici* causam *Luxationis Vertebrarum* & *Gibbositatis* duplicem constituunt, externam nempe, & internam. Externa illis sunt lapsus, ictus, compressio, mala consuetudo, aliudque violentum vertebras vel introrsum, vel extrorsum expellens, ut loco suo excedant. Internam fingunt plenitudinem & siccitatem, à quibus ligamenta contrahantur, quæ postmodum ipsæ vertebræ sequantur: & huc etiam referunt virium debilitatem, ob quam non modo musculi & nervi corporis pondus nequeant sustinere, unde ipsa spina incurvetur, sed partes quoque aptæ reddantur recipiendis humoribus aliunde transmissis, ex quibus tubercula oriantur ligamenta contrahentia & vertebras in priorem partem adducentia.

Spina nodosa. *Spinæ nodosæ* causam imputant humoribus crassioribus ob facultatem concoctricem debilem nimia copia ad spinam transmissis, & ab expultrice partis hujus non amandatis, quos facultas nutriens ipsi spinæ postmodum cum succo nutritio firmius agglutinet, sicque nova quædam tubercula spinæ vertebris adnascantur.

Paracelsi opinio de causa Luxationis Vertebrarū. & Gibbi. §. 5. *Paracelsus* causas externas violentas in *Luxatione Vertebrarum* admittit, & *Gibbum* abortum statuit esse naturæ, qui tantum in substantia sui corporis nascatur, dum virtus crescitiva aberret, & quæ vera membra dorsum & ossa crescere deberent, ea ex defectu virtutis crescitivæ à natura dissolvi, ut nihil sit nisi sparmus virtutis crescitivæ; ideoque si spiritus crescitivus operationem suam perficere nequeat, propter impedimentum formæ, tum naturam subjectam, quod formari debet, supprimere, & gibbum aut curvaturam facere, & membrum ita increscere, si nimirum natura in principio, antequam spiritus crescitivus venerit, monstrum in spina dorsi & nucha constituerit, tunc id secundum formam illam, quam natura delineaverit, ita crescere ac augeri.

Spina nodosa. *Spinam* fieri *nodosam* asserit, dum ex quarta generatione concretum quoddam extra proportionem suam existens transeat in excrescentiam.

Helmontii opinio de causa Luxationis Vertebrarū & Gibbi. §. 6. *Helmontius* refert *Luxationis* Vertebrarum & *Gibbositatis* originem ad inæqualitatem roboris ipsius spinæ, ob quam vertebræ in alienum situm distorqueantur, accedente vel externa, vel interna quadam vi Archeum substernente, à quo distributiva simul seducitur.

Spina nodosa. *Spinæ Nodositatem* oriri putat ab errore sextæ digestionis, dum virtus crescitiva & distributiva ab Archeo inordinatè ad ejusmodi cudendas excrescentias impellatur, ad quod & ipsum partis inæquale robur suam tribuat quadram.

Vuillisii ætiologia Luxationis vertebrarū. §. 7. *Vuillisius* in Vertebrarum *Luxatione* causas accusat externas violentas, casum nempe, ictum, compressionem, nec non internas, abscessus & tumores circa vertebras collectos, à quibus ipsæ vertebræ propellantur.

Gibbositatis. *Gibbositatem* oriri dicit vel ab ipsa luxatione vertebrarum, vel à nervorum & spirituum animalium vitio, dum nervi intercostales spasmodicè afficiuntur, costæ comprimuntur, & vertebræ versus interiora incurvantur, versus exteriora verò protuberant.

Spina nodosa. *Spinæ Nodositatem* succo imputat nutritio, & liquori nervoso, in quantum succus nutritius viscidior majori copia versus spinæ regionem devehitur, liquor verò nervosus paucior aut debilior, aut malo præditus fermento, eundem non ritè distribuit, unde succus nutritius copiosius ibidem congestus in tumores istiusmodi abeat nodosos.

Sylvii opinio de causis Luxationis vertebrarū. Gibbi. §. 8. *Sylvius* quoque in *Luxatione* Vertebrarum causas externas à superioribus jam annotatas agnoscit, & internas, maximè ligamentorum relaxationem.

Gibbi causam tum luxationem istam vertebrarum statuit, tum malam costarum conformationem, in utero fœtui obvenientem, & spinæ inde factam distorsionem, vel humorum circa spinam collectionem.

Spinam nodosam fieri censet à sanguine nutriente copiosius ad vertebras spinæ has vel illas, aut certam vertebrarum partem profluente, à quo partes istæ aliis magis alantur, & proinde quoque substantia sua augeantur.

Cartesianorum ratiocinium de causis Luxationis Vertebrarū. §. 9. *Cartesiani* Vertebrarum *Luxationis* causam & Ligamentorum nimiam admittunt laxitatem, ob quam vertebræ sibi invicem minùs firmiter annectantur, & externum quoddam infortunium, lapsum infantis super brachium ancillæ bajulantis, aut ex altiori in locum inferiorem, jactum lapidis in dorsum, aut alterius cujusdam rei gravioris, & quidquid violentia vertebras extra locum ordinarium potens est propellere.

Gibbi. *Gibbum* oriri dicunt aliquando à luxatione vertebrarum, aliquando à distorsione spinæ adhuc mollioris, vel in utero matris, vel extra illum, nonnunquam & à mala consuetudine, dum infantes & juniores nimis se incurvant, sicque spina indurescens figuram incurvatam adipiscatur.

Spina nodosa. *Spinam* fieri *nodosam* dicunt à succo nutritio multis particulis crassioribus, terrestribus turgido, per arteriolas inter fibras vertebrarum à sanguine propulsas, à quibus fibræ in ætate teneriori molliores diducantur, & tubuli reddantur ampliores, ut in has vertebras nutrientum illud crassius copiosius influat, quàm in alias, sicque aliæ vertebræ copiosiore & crassiore succo nutritæ magis protuberent quàm illæ, ad quas paucius & tenuius pervenit alimentum.

Nostrum judicium de causis Luxationis Vertebrarū. §. 10. *Nostro* judicio causæ Luxationis generales etiam in *Luxatione Vertebrarum* maximè locum habent, quales sunt casus ab alto, à quo plures infantes novimus gibbosos factos, quo pertinet quæcumque vis violenta, item constrictio vestium, ut in juvenculis sæpe fit, quale quid infantibus etiam contingit ex hæreditate. Motus corporis nimius aut inordinatus, item ætas infantilis ob lubrica & delicata ligamenta; omne enim id, quod vi ligamenta extendere potest, luxationem infert. Internè humores nutritii vitiosi solventes copiosius effluentes, vias lubricas reddentes, & ad dearticulationem commoventes, item emollientia & humida aquea incautè & frigidè applicata.

Gibbositas. Dorsi Vertebræ ubi luxatæ, *Gibbositas* oritur, rarò verò una sola extrorsum fertur, quæ enim nectitur cartilagine, vix adeò relaxari potest, vertebræ verò ab invicem plus minusve secedentes, curvitatem in dorso, & cum se erigere nequeant, brevitatem quoque illius, & cum eo totius corporis in gibbosis appellatis procreant, atque prominentia inde nata ad ex-

ad exteriora potiùs, quam interiora, cùm spinæ vertebrarum illas eò adeò detorqueri non sinant, protuberat; pro diductionis autem vertebrarum modo vario, nunc acutum, nunc obtusum, & majorem minoremve Gibbum efficit. Nonnunquam ad latera inflexæ vertebræ alio modo corpus intortum & breve afficiunt. Et in omnibus illis dorsi curvitatibus, cùm costæ dorso annexæ spinam sequantur, pectus quoque vel elatum, vel depressum vel aliter deformatum apparet. Ex *Greg. Horstii* Observatione constat, à vehementi cordis palpitatione gibbum esse excitatum.

Spina nodosa.

Quod causam concernit protuberantium ossium in *Spina nodosa*, arduum esse dicit Celeb. *Glissonius*, hujus rationem reddere, tandem verò apertè nobiscum asserit, excrescentias has, seu nodos ossium, produci ex inæquali nutritione ossium, puta ex liberaliore nutritione protuberantium partium, & parciore cæterarum partium ossis; osseum ergò genus obstructionibus facilè in hoc affectu infestatur, indeque id inæqualiter nutriri contingit, & hæ partes in ipsis infantibus molliores ac spongiosiores sunt reliquis partibus ossium. Ossa costarum extrema ubi cum cartilaginibus sterni committuntur nodosa fiunt, articulorum ossa protuberantia, ita tota spina partim extrorsum partim introrsũ variè inflectitur. Cl. *Majovv.* inquit, ossium inconcinnitatem produci ab inæquali nutritione, nempe si ossa crescant & elongentur, & musculi accrescant & sic detineantur, tanquam in chorda, pari modo, ac si arbori teneræ & crescenti chorda superiùs, & inferiùs alligetur, ita tamen, ut eadem à chorda non tendatur, nullus dubito, quin arbor dicta crescendo incurvabitur. Sic vertebrarum ossa cùm præ brevitate incurvari nequeant, in nodos protuberant.

Ut melius ista intelligantur, hæc nutritio potest ob pororum ossium obstructionem vitiari, imprimis si accedat spirituum animalium debilitas & paucitas, quę alias sunt distributiones succi nutritii, hinc infantes & debiles hic affectus afficere solet. Affectus hic sæpe primordia sua habet in primis viis, in quibus digestio non ritè perficitur, unde nec chylus probus, sed crassus & ad nutritionem ineptus perficitur, qui ad ossa delatus propter obstructionem pororum ossium coagulatur, & in nodos figitur, stagnans enim succus acquirit crassitiem & duritiem adeò magnam, ut quasi in osseam mutetur substantiam.

Prognosis luxationis vertebrarũ.

§. 11. *Luxatio* Vertebrarum dorsi quæ extrorsum accidit, aliquando curabilis est, quæ verò introrsum facta est, pro lethali & incurabili à Chirurgis habetur, præeunte iis *Hippocr. lib. Vectiar.* §. 21. *p. m.* 867. *Tom.* 2. cum tamen aliquando eam curatam viderim: exemplum quoque extat in *Ephem. nostr. Germ. Ann.* 4. & 5. *Observ.* 77. Introrsum enim luxatæ vertebræ; renes, pulmones diaphragma, aliasque partes interiores premere, conquassare ac lædere possunt. Urina quandoque supprimitur, alvus non secedit, ob nervorum constrictionem & spirituum stagnationem, & pedes movere nesciunt.

[G]ibbositatis.

Gibbosi facilè fiunt phthisici, ceu pluribus exemplis confirmari potest, succi enim circa pectus ob pressionem vasorum stagnare coguntur, hinc fiunt acidiores. Gibbus dorsi ab initio aliquando curabilis est, & in junioribus, in adultis verò malo jam inveterato, incurabilis habetur. Quibus gibba fit spina, dum pueri sunt, priusquam corpus ad augmentum plenum perfectum fuerit, his corpus juxta spinam coaugeri solet, sed crura quidem ac manus perficiuntur, illæ verò partes defectuosiores fiunt. Supra septum transversum quibus Gibbositas est, his & costæ in amplitudinem augeri non solent, sed in anteriorem partem & pectus acutum fit, sed non latum, ipsique & difficulter spirant & stridulam faucium asperitatem habent, sed & juxta magnum verticulum cervicem repandam habere coguntur, ut ne caput ipsis pronum sit, multam igitur angustiam faucibus exhibet etiam hoc os intra vergens. Ob talem igitur figuram ejusmodi homines eminentis gutturis magis quàm sani apparent & tuberculis circa pulmonem duris ac crudis plerumque tales affecti sunt. Quibus verò infra septum transversum Gibbositas est, horum quibusdam morbis vesicæ ac renum accedunt: sed & abscessus ad suppurationem, & circa laterum mollitudines & inguina diuturni ac ægrè curabiles, & neutri horum gibbositates solvunt; coxæ verò his magis excarnes fiunt, quam his, quibus supernè gibbositas contigit, universa tamen spina his longior est, quam gibbosis, pubes verò & barba tardior ac imperfectior, & infæcundiores hi sunt, quam supernè gibbosi. At quibus aucto jam corpore gibbositas facta fuerit, his palam præsentis tunc morbi judicationem gibbositas facit, per tempus tamen, aliquid ex iisdem significationem plus aut minus præbet, quemadmodum etiam in pueris, minus autem malignè in totum talia se habent, & multi sanè jam facilè ac sano modo gibbositatem sustinuerunt usque ad senectutem, & maximè hi, quibus ad carnositatem & pinguedinem promotum fuerit corpus, pauci tamen talium sexaginta annos transgressi sunt, plerique verò brevioris vitæ sunt. Ex casu quibus spina gibba fit, horum sanè pauca superantur, ita ut dirigi possit, affirmante hæc *Hippocr. de articul.* §. 37. & 83 *M. Tom.* 2. *p.* 793. *seqq.* Quibus corpus carnosum & pingue redditur, facilius tolerant gibbum, pauci tamen horum ad sexagesimum annum vitam produxerunt, teste *Hippocrate Vectiar.* Ex anhelatione aut tussi gibbosi facti ante pubertatem, pereunt; *Sect.* 6. *Aph.* 46.

Spina nodosa.

Spina nodosa est difficillima curatu, & transit vel in hecticam, vel in tabem dorsalem, vel rachitidem plerumque lethalem, ob nimiam constrictionem vasorum, & inde humorum stagnationem factam.

Diæta.

§. 12. Victus ratio ex *Hippocratis* præscripto primis diebus exquisita esse debet, deinde plenior quies, silentium imperandum, habitus corporis accommodandus, alvus subducenda, Venere abstinendum: quare cura *Diætetica* eò dirigenda ut humoribus stagnantibus concedatur motus liberior, & pars luxata reposita in situ convenienti servetur, nec denuò prolabatur. *Aer* ergò sit purus, subtilis, & benigno æthere præditus, non pluviosus, nivosus, nec ventis agitatus, adeoque si talis non existat per se, sed qualitate quadam nocua præditus, arte corrigendus est, ut ægris hisce reddatur conveniens, quo absque ullo impedimento respirationem peragant. *Cibus* constet ex jusculis & carnibus juniorum animalium, pullorum nempe gallinaceorum, vitulorum, agnorum cum vegetabilibus idoneis paratis, ut mace, semine anisi, vel fœnic. foliis rorismarini, salviæ, saturej. decocto C.C. &c. *Potus* sit cerevisia tenuis, bene defæcata & radicibus angelic. caryophyl. Ireos, herb. capill. Veneris, scolopend. Veron. & cort. tamarisci medicata, vel vinum enulatum modicè exhibitum. Aquæ autem potus frequentior valde nocet, maximè si cruda assumatur, vel si sit nivalis, aut quæ in cysternis aut alibi diu stagnaverit. Lactentes nutrice gaudeant sana, hilari, & fœcundis rivulis prædita, cujus lac est optimæ notæ, neque nimis crassum & viscidum, neque nimis serosum acre, vitiosum verò corrigatur croco & salibus volatilibus quibus nutrices in cibo & potu frequentius utantur. *Motus* non sit violentus, neque nimis diuturnus, sed debito tempore subveniente quiete mitigetur. Ægri quantum fieri potest erecti incedant, non incurvati versus anteriora, si luxatio aut gibbus sint versus anteriora, si verò versus interiora vertebræ fuerint prolapsæ, incurvatio hæc juvare potest, & cavendum ne versus posteriora ea instituatur. *Somnus* largior non est denegandus, procumbatque in ventrem æger, prominente dorso versus exteriora, supinus verò dormiat, si in thoracem vergant vertebræ. Alvus citò fungatur officio, *exercenda* enim diutius *retenta* malum augent, dum intestina repleta diaphragma premunt, & motui musculorum Thoracis multum facessunt impedimenti, unde respiratio magis adhuc redditur difficilis qua gibbi aliàs omni tempore valde affliguntur, & duplici inde premuntur molestia. Quantum possibile, *animus* sit pacatus, nulla anxietate maceratus, sed gaudio, amore mediocri, & lætitia tanquam jucundissimis stipatus satellitibus, à quibus liquor nervosus, sive spiritus animales in semitas rectas commodissimè deducuntur.

Cura-

Curandi ratio secundũ Galenicos Luxationis Vertebrarum & Gibbositatis.

§. 13. *Curationem* horum affectuum, & quidem ipsius *Luxationis* Vertebrarum & *Gibbositatis* ita instituunt *Galenici*, ut locus affectus relaxetur, hinc quantum necesse est distendatur, vertebræ prolapsæ in situm debitum restituantur, ad quod tali utuntur apparatu. Postquam pro relaxatione obtinenda partem affectam balneis, fomentis, inunctionibus ex ol.lil.alb.chamomill.amygd. axung. taxi, vulp. can. capon. &c. satis emolliverunt, hominem super scamno in ventre collocatum duabus circumdant habenis, una vertebram prolapsam sursum, & altera infra eandem deorsum trahente, quas habenas pistillis alligant, ab utroque scamni extremo existentibus, vel, quas alii præferunt, axibus ab utroque illo extremo collocatis, qui conversi habenas alligatas vehementer attrahant, ut homo simul in partes extendatur contrarias, quo facto Medicus vel Chirurgus partem ad posteriora prolapsam manu vel pede in situm pristinum urget atque propellit, ad latera verò prolapsam palma non minus in partem priorem premit, & quantum possibile, restituit. Si difficulter hoc procedere conspiciatur, parti protuberanti imponunt panniculos, & asserem ab uno extremo parieti, juxta quem scamnum est collocatum, inserunt, ab altero extremo manibus illum prehendunt & tamdiu premunt, donec vertebra prolapsa sit reposita. In priora & thoracis cavitatem prolapsam vertebram hac ratione cum reponere nequeant, quidam ex vetustioribus aliud quoddam excogitarunt machinamentum, sed ob crudelitatem vix imitabile & periculo plenissimum; equidem subjectis pannis ægrum hujusmodi scalæ pluribus locis alligarunt, & quidem si vertebræ superiores erant prolapsæ, pedibus deorsum spectantibus, si verò inferiores, iisdem sursum versis, tum scalam cum homine alligato per cochleam & funem ad turrim vel culmen domus alicujus attraxerunt, & subitò inde super locum renitentem demiserunt, ut ita corpus simul distenderetur, & vertebræ prolapsæ in priorem reverterentur locum. Sed quis non videt, citius mortem hoc ausu crudeli, quàm sanitatem & corporis in integrum restitutionem acquiri? Unde cum *Hippocrate* prudentissimo meritò reiicitur, & imposteris potiùs, quàm Medici æstimatur molimen. Humaniori verò & feliciori modo repositæ vertebræ ut contineantur, hominem servant quietum, & partem affectam fasciis albumine ovi, in quo pulvis adstringens ex bolo, cort. granat. rof.myrtill. & pauco aluminis commistus est, imbutis vinciunt, nec non pannis aut lamina aliqua firmiore suffulciunt. Inflammationem præcavent vel cerato liquido, vel oleo rosaceo omphaceo, quibus fascias & pannos inungunt, imperata simul inedia & celebrata venæsectione, aut pro necessitate exhibito cathartico. His peractis & vertebris confirmatis, vincula resolvunt, & quod restat duritiei, medicamentis emollientibus, fomentis & inunctionibus commodè perficiunt.

Spina nodosa.

Hoc etiam modo *Spinam* tractare solent *nodosam*, observantes simul, ut partem mittentem, caput nempe corroborent, insperso pulvere calefaciente, & parum exsiccante ex fol. salv. beton. majoran. rad. Cyper. aristol. rotund mastich.succin.cinamom. Nucist.rasur. lign.Rhod. & similibus, quas species tum terebinthina quoque & cera, addito oleo mastichino in emplastrum nonnunquam redigunt & capiti imponunt. Humores superfluos evacuant electuar. benedict. laxativ. aut syrupo diaser. & pro ventre laxando abdomen inungunt unguent. de arthanit. & dialth. nec enemata omittunt emollientia. Ipsa deinde tubercula & nodos, adeoque spinam vitiosam inungunt emollientibus, aut unguento martiat. popul. ol. lilior. lumbricor. vulpino & aliis, aut amplastrum imponunt de Oesypo *Philagr.* aut diachyl.cum gummis, ad plenariam usque nodorum istorum resolutionem.

Paracelsi modus tractandi Vertebrarum Luxationẽ & Gibbum.

§. 14. *Paracelsus* nihil peculiare in *Luxatione* Vertebrarum novit adhibendum, sed aliorum operationi adsentitur, neque ad *Gibbositates* reperit remedium, quo virtutem crescitivam corroboret, ut defectum hunc suppleat, aut aberrationem naturæ emendet, sed quæ spasmo conveniunt, eadem etiam hoc in casu adhiberi posse censet, quorum numero inseruntur pinguedines taxi, vulpis, sciuri, cauti rubri, quibus partes protuberantes inunguntur.

Spinam nodosam.

Ad *Spinam nodosam* galbanetum suum utiliter adhiberi posse non dubitat, ut tubercula illa emolliantur & concretum vitiosum resolvatur.

Helmontii cura in morbis.

§. 15. *Helmontio* in Vertebrarum *Luxatione* placet vertebrarum prolapsarum repositio in situm debitum, reliquas verò *Gibbositatis* & Spinæ *Nodositatis* species curare jubet confortando Archeum, & resolvendo durities, ut virtus distributiva nutrimentum æqualiter dispenset, ad quod olea nonnulla convenire possunt, maximè oleum ceræ & strobilorum cupressi, neque compressiones per laminas ferreas aut plumbeas ab eo nimium temnuntur.

Willisiana cura in Vertebrarum Luxatione & Gibbo.

§. 16. *Willisius* Vertebras *luxatas* non minùs in debitum suum restitui vult situm, hancque repositionem, ut optatò peragatur, præcedere vult extensionem per vincula sub alis & ad ilia & crura ligata, atque ægro super mensam locato, tum enim vertebras ad exteriora dilapsas vel manibus solis, vel fustibus aut lignis ad interiora tamdiu premi posse contendit, donec pristinum repetierint situm, in quo tum ut retineantur, thorace ferreo ea parte, qua corpus ægri tangit, linteo obducto, & interjecta lana emollito homines illos indui jubet. Luxationes verò Vertebrarum ad interiora factas frequentissimè omnem illudere operam impensam confitetur, uti & illam, quæ facta fuit ad latera. Restitutis autem ita vertebris, etiam *Gibbum* curatum iri promittit, à luxatione illa prius subortum, ad cujus productionem si spasmodicæ affectiones primariæ exstiterint causæ, internè non minùs, quàm externè aliis remediis intermiscet illa, quæ spiritibus animalibus liberum conciliant motum, & copulam demant explosivam, qualia sunt spiritus fuliginis, C. C. oleum succini, castoreum, cujus pinguedinem axungiis vulpis, taxi, aliorumque brutorum associat, & in linimentum redigit, quo locus affectus crebriùs venit inungendus.

Spina nodosa.

In *Spinæ Nodositate* succi nutritii viscositatem corrigit per remedia chylificationem promoventia, & impurum à puro separantia, qualia sunt vel decocta vel infusa ex rad. myrrhid. gramin. silic. maris, cichor. osmund. regal.chin. herb. scolopend. Veron. capill. Ven. rut.murar. cort. tamarisci, Sale Tartari, ligno sassafr. aliisque aperientibus, quibus subjungit illa, quæ liquorem nervosum & augent & subtilisant, folia nempe salviæ, rorismarini, cort.aurant. Spiritus C.C. sal succini. Regionem dorsi pannis calidis fricare & inungere suadet unguentis ex herbis quibusdam in aqua coctis & expressis, quales sunt, fol. salv. rorismar. cochlear. osmund. regal.capill. Veneris, additis medullis cervi, bovis, vituli oleo vulpino, lumbricor. butyro majali, vel emplastrum ex gummi Ammoniaco cum succis herbarum inspissatis paratum, & nodis impositum, ad humorum induratorum emollitionem & resolutionem perficiendam, quam melior succi nutritii dispensatio facilè subsequitur, non parum sperat allaturum esse juvaminis.

Sylviana cura in Vertebrarum Luxatione.

§. 17. *Sylvius* per repositionem in locum pristinum Vertebrarum dorsi *Luxationem* curandam esse docet, quod fit præmissa emollitione per unguentum dialthææ oleum vulp.axung.anseris, canis, human.aliorumque remediorum convenientium adhibitionem, debita compressione in partem contrariam, tum incurvatione aut situ corporis ab ægro præstando, nempe pectoris curvatione, si ad priora fuerint dilapsæ, ut ad dorsi regionem vergant, ipsius autem dorsi, si ad posteriora egrediantur versus interiora aliquo modo deprimantur.

Gibbo.

Non absimili ratione Spinæ prominentiam in *Gibbo* tractandam vult, successivè enim eandem per laminas aut thoraces ferreos si fiat compressio, in junioribus ad figuram magis compositam reduci posse sperat, quo obtento & vertebris in locum suum restitutis, quietem imperat, & partium restitutarum retentionem per emplastrum ad fracturas conciliandam.

Spina nodosa.

Ad *Spinæ Nodositatem* unguenta ex gummis in aliis rumoribus durioribus resolvendis proficua similiter com-

commendat ea spe fretus, non minorem fructum etiam hoc in casu eadem esse allatura.

Cartesianorum modus curādi Vertebrarum Luxationē

§. 18. *Cartesianis* placet ipsa illa repositio vertebrarum *Luxatarum*, partem affectam prius fovendo decocto herbar. beton. salv. chamædr. fol. rorismar. lauri, flor. chamomill. hyperic. in vino generoso facto, hinc illinendo sequenti unguento.

℞. *Sevi cervin.* ℥ j.
Medull. ejusd. ℥ ß.
Spir. lumbricor. essentif. ʒ ij.
Ol. dest. Camomill. ℈ ij.
Salv. ℈ j.
Hyperic. expr. ʒ iij.
M. F. Linimentum.

Partium luxatarum restitutionem perficiunt, prævia necessaria extentione à prioribus jam indicata, potissimum ea, quæ fit per trochleas, compressione per prelum aliquod, quo lintea comprimuntur, si ad posteriora vertebræ promineant, ad interiora verò si vergant, & incurvatio ægri aliquoties repetita nihil præstiterit, curationem perfectam impetrari posse valde dubitant, quin frequentius lethalem fore hunc morbum aperte pronunciant. Ad firmiorem retentionem vertebrarum restitutarum, & diuturniorem quietem, abstinentiam à laboribus gravioribus, & decubitum proniorem omnimodò necessaria esse censent, nec sine juvamine exiturum credunt emplastrum mastichinum cum dimidia parte emplastri styptici mixtum, & oleo hyperici malaxatum, si dorso aut parti debili imponatur & aliquandiu ibidem servetur.

Gibbum.

Incurvatam Spinam in *Gibbo* infantum ad figuram decentiorem redigi posse sperant per thoraces ferreos, aut ex charta crassiori paratos, pannis ubique suffultos, noctesque diesque etiam ad annos aliquot gestatos, adultorum verò gibbos difficulter correctionem admittere autumant; duriora quoque ligamenta repressioni spinæ obsistentia priùs emolliunt unguentis & axungiis variorum animalium; nec non oleo lumbricor. & vulpino, quæ in casu hoc valde congruentia maximè approbant.

Spinam nodosam.

Ad *Spinam* corrigendam *Nodosam* in ætate adhuc puerili operam dant, ut blandis diaphoreticis, tum fixis, tum volatilibus, interne exhibitis particulæ crassiores in succo nutritio attenuentur, subtilisentur, & ad necessarium disponantur fluorem, quo particulis constans homogeneis æqualiter per tubulos distribuatur, & æther amicus canaliculos satis dilatet, atque succos propellat, ne uno in loço copiosius hæreant & agglutinentur, quam in alio, quapropter internis simul jungunt externa quædam remedia, qualia sunt frictiones mediocres frequentius repetitæ, fotus ex decocto rorismarini, ment. salv. flor. chamomill. hyperic. &c. in vino facto, illinitione cum liquore ex ana tartari & salis per Retort. destillatis parato, nec non Spiritu lumbricorum & Spir. sal. Armoniaci, nec in hoc casu improbant emplastrum stypticum *Crollii*, sed ad nodos resolvendos & partem roborandam illud satis aptum existere judicant, si vel oleo Philosophor. vel oleo terræ malaxetur & per tempus aliquod parti nodosæ impositum detineatur.

Nostra curandi ratio Luxationis Vertebrarū.

§. 19. *Nos* de curatione morborum præsentium ita sentimus. Quamvis in Luxatione articulorum nulla salus aut curatio expectanda, nisi præmissa illorum restitutione, sic & de hac in *Vertebrarum Luxatione* eadem ratio est, interim ut restitutio hæc felicius obtingat, incommodis succurrendum est debitis medicamentis, imprimis verò conducunt varia fomenta & linimenta temperatis resolventibus & nervinis parata, quales sunt sacculi ex floribus Chamomill. sambuc. anthos, rosar. herb. majoran. rut. verbasc. alth. aa. M. ij. sem. lini ℥ iij. concisis & contusis, atque in lacte vaccino coctis, qui imponantur parti affectæ. His linimenta idonea possunt interponi; ex. gr.

℞. *Ol. Lumbricor.*
Chamomill. aa. ℥ j.
Salv. ℥ ß.
Axung. Cunicul. ℥ j ß.
Homin. ʒ vj.
M. F. Linimentum.

Internè quoque varia motum liberiorem humoribus conciliantia exhibenda sunt, cujus rei gratia salia imprimis commendamus volatilia & fixa, sal. Armoniacum, Aqu fragar. bals. nervin. liqq. C. C. succin. Antimonium diaphoret. oculos cancror. mumiam, sperma ceti: Potissimū verò manus opera hi morbi indigent. Retrahunt autem vertebræ imprimis in *Gibbo* extrorsum introrsumve, aut ad latera curvatæ vel loco motę, dum contrario nixu stando vel sedando dorsum ita flectitur, ut curvitas illius sensim erigatur, sed cum hoc vi adhibita una vice fieri nequeat, ideò per debitum talem, in quo diutius moram trahere possunt, id rectiùs peragitur, maximè verò ope instrumenti, quo pars illa premitur. Chirurgus Francofurtensis *Almacherus* Luxationem Vertebrarum dorsi introrsum factā sequenti modo restituit: Stragulum in tegumento arctè convoluit, & ægrum magno cum labore imposuit, ita ut vertebræ introrsum flexæ convoluto stragulo incumberent. Hinc mantilia duo, quorum alterum sub axillis, supra femora alterum alligabatur, viris duobus fortibus tradidit, inque terram procumbere, (pedibus parieti affixis, quo fortiùs tenere queant) jussit, postmodum machina tractoria ex *Vitruvii lib. 10. cap. 4.* parietem terebravit, famulum sensim volutare, viros quoque fortiter tenere fecit, manibus suis prius dorso ritè impositis applicatisque, usque dum vertebræ extensę fragorem ederent, quo percepto ac audito funiculi mantiliaque sensim sunt remissa, impositumque emplastrum aliquod contra fracturas. Repositione peracta, blandè dissolventia adhibuit, aliaque traumatica, & sic agonizantem quasi ægrum feliciter restituit.

Aliàs autem restitutio hæc vertebrarum versus interiora dilapsarum admodum est difficilis, & à multis plane habita impossibilis, neque enim ab anterioribus reprimi queunt, neque à posterioribus facile attrahi: ne tamen ęgri absque ullo juvamine tanquam deplorati derelinquantur, *Guilielmus Fabricius Hildanus* singulare excogitavit auxilium, quod tamen tanquam extremum remedium sine periculo nequit tentari, & sequenti modo ejusdem fit operatio. Facta incisione novacula in dorso usque ad ipsam vertebræ appendicem descendentem, denuò per idem vulnus, modo maius, modo minus, pro diversa dislocationis magnitudine, & vertebrarum impressarum pluralitate, immissa novacula duas alias instituit incisiones, unam ad dextrum, alteram ad sinistrum appendicis latus, atque tenaculis aptis appendice prehensa & spina extensa vertebram in altum trahit, & in situm debitum reponit. Quando verò incisione facta hæmorrhagia operationem impedit, eam sistere jubet stupis arctè contortis & albumine ovi madefactis, atque pulvere ad sistendum sanguinem adspersis, quibus totum vulnus adimplet, tum emplastrum applicat tenaciter hærens, & fasciam alligat, donec post horas aliquot sanguis substiterit, tum stupæ clementer eximuntur, & adhibentur tenaculæ fortes & dentatę pro numero vertebrarum, ut iisdem sufficienter apprehendantur. Sed maxima hic habenda cautela, ne propter nervos ex medulla spinali ad latera vertebrarum prodentes incisio nimis fiat profundè, nec operatio instituatur viribus ægri jam dilapsis, sed ab initio statim morbi, priusquam ulla inflammatio aut intumescentia partem affectam occupaverit, quapropter in progressu morbi nimis præcipitanter ad hanc operationem non est transeundum, ne ægri absque juvamine cum morbo plus adhuc crucientur, atque artis subsidia penes vulgum veniant in despectum.

Gibbi.

Gibbi curatio consistit itidem in repositione luxatarum vertebrarum, sensim premendo vertebras, & illas manu in pristinum situm restituendo. Cùm verò id utplurimum longo demum tempore fieri possit, utendum est instrumento ad id opus apto, quod continuò parti adhærens successivè premat, (interpositis variis linimentis acidum temperantibus, & coagu-

coagulatos humores dissolventibus: (hinc paratur thorax ex charta forti, vel ossibus ceti, (*Fischbeinerne Brust*) vel corio picato, vel, quod melius est, ex ferri lamina panno obducta, partem gibbosam premens, à latere verò simul debent vincula annecti, quibus arctius stringi possunt, vel ex ferro possunt trochleæ (*Schrauben*) parari, ut de die in diem arctiùs constringantur. In delicatulis panneus thorax, cui lamina ferri vel plumbei insuitur, applicari potest, quales thoraces optimè novit conficere Dn. Fay Cranenburgensis, & Chirurgus Vvedling Hanoviensis, atque in hac civitate Cassellis Dn. Milling, qui gibbosos quoque vinculo idoneo ad tempus suspendere novit, ut vertebræ restituantur, de qua suspendere confer. *Gliſſon. p.m.* 400. ubi ita refert: Artificialis corporis suspensio perficitur ope instrumenti cujusdam pensilis ex fasciis ea arte formati, ut pectus sub axillis complectatur, caputque sub mento alia fascia circumdet, manusque binis ansis excipiat, unde corporis onus partim à pueri manibus, partim à capite, partim ab axillis in aere pendulum sustinentur, ita ut ab adstantibus non sine voluptate huc illuc impellatur. Hoc exercendi genus multis modis in hoc affectu conducere creditur. Etenim ad ossa curva restituenda, ad articulos deflexos erigendos, ad curtam corporis staturam elongandam, conferre promittitur, idemque quod alia præstant exercitia perficere, succis liberiorem motum concedendo, atque uberiorem alimenti ad partes externas primoque affectas distributionem promovendo, puellosque huic exercitio assuetos voluptatem potius, quam molestiam inde percipere; sed non, uti jactant, magnum ex hac suspensione commodum vidimus. Aliqui, ut magis distendantur partes, calceos plumbeos pedibus adaptant, & contractiori corporis lateri pondus adjiciunt, quo facilius partes ad æqualem longitudinem extendantur. Hoc autem exercitium solis robustioribus competit, & sæpe absque ullo commodo instituitur. Varia quoque emplastra, linimenta nervina acidum & coagulum dissolventia sequenti modo parata applicari possunt, emplastrum scilicet nervinum, A. Emplastrum nostrum nervinum, vel sequens.

℞. *Ol. N. M. expr.* ℥ i ß.
Mastich.
Oliban.
Succin.
Myrrh. aa. ʒ j.
Castor. ʒ ß.
Vitrioli alb. ʒ ij.
Ceræ,
Picis naval. aa. ℥ i ß.
M. F. Emplastrum.

Oleum lumbricor. cum axung. human. & castor. ol. N. M. vel infus. arthritic. balsamus meus nervinus externus, optima sunt remedia spinæ dicata, ut per hanc fluentes spiritus debiles vel coagulati reficiantur, & ad motum celeriorem incitentur.

Spina nodosa. In *Spina Nodosa* ante omnia ad primas vias respiciendum, ut digestio ritè perficiatur & chylus nutritioni destinatus optimè præparetur & ritè distribuatur, dein ut spiritus animales, tanquam succi nutritii distributores, recreentur. His indicationibus satisfaciunt omnia nervina balsamica, acidum scilicet temperantia, ut Balsamus nervinus Schæfferi, Elixir nostrum stomachale, Romanum. Hic & conducunt omnia volatilia oleosa, & curari debet hic affectus eodem modo, quo superius scrophulas, seu glandulas induratas tractavimus, uti enim ibi glandulæ sunt à spissis & crassis humoribus obstructæ, sic & hic ossium pori sunt obstructi, & propterea omni opera aperiendi, insimul acidum obstructionem hanc pariens absorbendum, liquor ergò C. C. succinatus, sal. volat. oleosum, omniaque diaphoretica egregia remedia sunt interna, quibus & pro re nata incidentia interponenda sunt, præsertim amara quæcunque.

Externè quoque varia linimenta & emplastra resolventia applicanda sunt, sicuti etiam conveniunt omnia spirituosa, & omnia illa, quæ commendavimus in glandulis induratis & scrophulis, ut sunt spir. sambuc. theriacal. camph. Spir. vin. camphorat. imprimis cataplasmata ex herbis cephalicis & nervinis cum spirituosis parata: & cum hic affectus rarissimè occurrat, prout hactenus tantum unicum exemplum in praxi nostra occurit, nolumus prolixiores esse, ne tempus inutiliter teramus.

CAPUT VIII.

De Costarum Luxatione & Fractura; item Mucronatæ Cartilaginis Prolapsu & Incurvatione.

§. 1. **D**Ignum sanè est observatu, quod scribit *Fernel. lib. 5. Pathol. cap. 12.* & confirmat *Sylvius*, palpitationis cordis tantam esse vim, ut sæpe sit animadversa thoracis vicinas costas effregisse, sæpe & eas, quæ supra mammas sunt, de propria sede depulisse, unde patet, quam facilè costæ luxari possint.

Costarum Luxatio. Est autem *Luxatio Costarum*, quando ipsarum capita ex situ suo naturali removentur à vi vel externa, vel interna.

Fractura. *Fractura Costarum* dicitur, quando illæ ab insigni vi, tum externa, tum interna, discontinuatæ franguntur.

Mucronatæ cartilaginis prolapsus & incurvatio. *Mucronata* quoque *Cartilago* solet aliquando *prolabi* & incurvari, qui affectus mulierculis quibusdam dicitur, & quidem malè, *Cordis compressio*, hæc enim cartilago si nimium introrsum prematur & incurvetur, subjectæ partes lædantur, hæpar maximè & ventriculus, infantesque atrophia pereunt, quia inde vasa comprimuntur, ut humorum circulatio impediatur, qua cessante necessariò & nutritio cessare debet.

Pars affecta. §. 2. *Pars affecta* sunt illa ossa, quæ ad latera vertebrarum dorsi sunt, & dicuntur Costæ. Superficies costarum externa aspera est, qua vertebris alligantur, quia inde prodeunt ligamenta alligantia, ibi verò duobus donantur tuberculis, quorum primus articulatur sinui vertebræ, secundus jungitur vertebræ processui transverso. Ast inferiores quinque simplici tantum junguntur tuberculo. Hic notandum Chirurgis, in paracentesi, quæ fit, ceu superiùs dictum, inter 5. & 6. costam, eam instituendam esse à summo ad imum, non contra, ne venæ, arteriæ, nervi, qui sunt in infima parte sinus, lædantur. Cartilagineæ sunt hæ costæ plerumque prope sternum, circa quod & ab Anatomicis aperiri solet Thorax, non verò propè dorsum, ubi osseæ sunt. Utplurimum utrimque sunt duodecim in utroque sexu, aliquando tamen tredecim, imò Limburgi in viro quatuordecim observavi. Dicuntur aliæ spuriæ, aliæ veræ, de quibus videantur Anatomici.

Sternum verò seu os pectoris in anteriore Thoracis parte costis incumbit & insternitur quasi, unde & Anatomicis dicitur Sternum, aliis orificium ventriculi, nonnullis cartilago ensiformis, quibusdam os gladioli vel ensiforme, item cartilago mucronata dicitur. Cavitas hoc in loco extrinsecus apparens dicitur fovea vel scrobiculus cordis. Non possum hic me temperare, quin reprehendam Anatomicos, quod uni rei tot imponunt nomina, quæ adeò magnam pariunt confusionem junioribus Medicis, ut tempus inutiliter terere, imò memoriam suam torquere debeant ea omnia sibi imprimendo, quæ tamen in praxi aut nullatenus, aut parum existunt proficua.

Diagnosis. §. 3. In *Luxatione Costarum* ægri conqueruntur de dolore satis valido in regione ipsius luxationis, nec se flectere possunt, coste enim ex sede sua prolapse, subjectam pleuram aliasque partes membranaceas comprimunt, unde dolor vehementissimus, qui sepe adhuc majus incrementum capessit ex eo, quòd in tubulis partium compressis & distortis humores stagnent &

ace-

acescant, atque ita vellicent fibrillas. Quòd verò se ritè flectere nequeant ægri nostri, ex eo provenit, quia caput costæ è cavitate propria propulsum non gaudet, ut antea, loco cavo, qualis ad motum ejus obeundum requirebatur, hoc enim facit, quod spiritus animales per tubulos ab humoribus stagnantibus, sanguine etiam evasato obstructos & ab osse dislocato compressos, musculos intrare eosque inflare nequeant.

Fractura Costarum apparet ex superficie inæquali, dolore, tumore, & nonnunquam inflammatione, imprimis si præcesserit causa quædam violenta, puta ictus, casus ab alto &c. Sumimus enim cognitionem à causis violentis, à casu vel gravitate contundentis corporis, & à relatione ægri vel astantium, quod scilicet dum cecidit, maximum strepitum vel æger ipse, vel adstantes persenserint.

Mucronatæ Cartilaginis Prolapsus & Incurvitas ipsis oculis patet, adest simul respiratio difficilis, & propter objectum os ventriculi continua præssio stomachi, ac dolor instar cardialgiæ.

Ætiologia secundùm Galenicos.

§. 4. In *Causis* constituendis *Luxationis Costarum* omnes unam eandemque fovent sententiam, etenim *Galenici* rem quamvis agnoscunt violentam, per quam Costæ è loco suo protrudantur, quales sunt casus, percussio, jaculatio vehemens & offensio corpore gravi & valido, dein acetabulorum laxitas & nimia lubricitas, ut costarum capitula facilè queant excidere.

Fracturæ Costarum causas easdem agnoscunt, sive enim percussione, sive jaculatione, sive casu costæ ad corpus aliquod durum allidantur, earum diffractionem inde accidere posse profitentur.

Cartilaginis Ensiformis Prolapsum seu *Depressionem* oriri putant tum ab humore quodam interno tenui aut crasso circa ipsam collecto, à quo nimiùm laxetur, tum à rebus externis violentis, casu nempe, ictu, corporis nimia extensione, distorsione aut circumvolutione, à quibus singulis situs hujus partis queat mutari.

Paracelsum.

§. 5. *Paracelsus* morborum horum nullam aliam agnoscit causam, quàm externam violentam, vel ossa hæc extra debitum suum locum aut situm expellentem, vel detorquentem, vel omnimodo frangentem.

Helmontium.

§. 6. *Helmontius* priorum dictis hoc in loco non contrariatur, sed ab externo quodam irruente violento & Costas luxari, & frangi, & Cartilaginem Ensiformem deprimi posse fatetur.

Willisium.

§. 7. *Willisius* se in omnibus hic præbet consentientem, & ad unam omnes morborum horum causas à prioribus relatas admittit.

Sylvium.

§. 8. A *Sylvio* eadem de morbis hisce verba prolata percipimus omnia ad casum, percussionem, depressionem, aut aliam quandam violentiam externam tendentia.

Cartesianos.

§. 9. *Cartesiani* easdem approbant causas, addentes solummodo, *Luxationem Costarum* ab externo infortunio tum frequentiùs contingere, quando acetabula vertebrarum à copiosiori lympha eadem circumfluente magis existant lubrica, ut capitula costarum facilius iisdem expelli queant; *Fracturam* verò, quando Costæ acetabulis istis firmiùs adhærentes, rigidiores sint, ut ab occurrente re duriore vel juxta longitudinem, vel transversim ab unitate sua dissolvantur, nonnunquam unà cum contusione partium carnosarum & membranosarum easdem obtegentium, nonnunquam absque illa. *Cartilaginis* ensiformis depressionem & incurvationem frequentiùs ab ipsa pressione adversus rem duram contingere volunt, quam mollities hujus cartilaginis & copiosior ejus irrigatio à lympha & succo chyloso facilè promoveat.

Nostrum judicium de causis Costarum Luxationis.

§. 10. *Nos* illorum accedimus sententiæ, quibus causæ *Luxationis Costarum* vel extrinsecæ vel intrinsecæ constituuntur. Externæ evidentes sunt, ut ictus, percussiones, casus, & distorsiones & quicumque motus validus & violentus. Internæ sunt plurimæ; sic humor crassus è vasis suis elapsus sua violentia luxare facit costas, ceu nuper exemplum novi in viro 30. annum nondum egresso, cui à sero evasato, vulgo dicto catarrho, costa sexta fuit laxata. Sic & tuberculæ circa ligamenta excrescunt, & costam detrudunt, maximè verò hoc fit in vertebris dorsi, in quibus fit gibbositas juxta *Hippocr. 2. de artic. 6.* ubi ait, quòd abscessus & inflammationes profundæ faciant luxationes, quia tumores faciunt & premunt partes, ita ut ad contractionem ligamentis ipsis luxatio obveniat, mucosus enim humor, puta lympha spissior copiosiùs collecta circa ligamenta costarum in causa est, ut laxitas oriatur, & consequens costarum luxatio.

Fractura.

Causæ *Fracturæ Costarum* ferè eædem sunt, plerumque extrinsecæ, (cùm rarum sit, quòd à palpitatione forti fuerint costæ ruptæ:) videlicet omne corpus durum, violentum, grave ac contundens partes osseas, vel casu hoc accidat, vel alio modo, non refert: Fracturæ hæ contingunt vel cum inflammatione, vel ulcere, vel vulnere, ut ab ictu sclopetorum, cum prominentia costarum, cum convulsione, cum gangræna, aliquando cum luxatione, quæ omnia ex capite generali luculentiùs & accuratiùs sunt petenda.

Cartilaginis ensiformis Prolapsus.

Causa prolapsæ & incurvatæ *Cartilaginis ensiformis* est abundantia lymphæ cũ succo nutritio copiosiore ad partem hanc profusæ, à qua cartilago hæc nimis emollitur, & à fortiori aliquantum peracta inspiratione, aut externa quadam vi superveniente, aut è pristina sede propellitur, aut interiora versus comprimitur.

Prognosis.

§. 11. *Luxatio Costarum* difficulter pristino loco restituitur, ast non magnum periculum infert, & sæpe absque incommodo ægri vitam degunt. Pessima illa est, quæ fit cum Fractura Costarum. Sic si diutiùs fuerint luxatæ costæ, cavitas illa expletur muco, & impossibilis est restitutio.

Fractura verò Costarum, ut & *Prolapsus* ossis pectoris, majus inferunt periculum, quia substrata viscera & reliquæ partes solidæ facilè premuntur, hinc propter obstructiones inflammantur & sphacelantur partes hæ obstructæ, & vitali suo alimento ex motu succorum impedito destitutæ. *Harveus de generat. animal. exerc. 52. p. m.* 300. costarum proponit fracturam, in qua suppurato abscessu tantus permansit pectoris meatus, ut pulmones & cor videri ac tangi potuerint.

Diæta.

§. 12. *Victus ratio* & in his affectibus externis accuratè observanda est. Aer ambiens frigidus summopere fugiendus. *Hippocr. 3. de Fract. 12.* in omnibus luxationibus & fracturis cum & sine vulnere utitur victu admodum tenui; quod & confirmat *Celsus lib. 8, cap. 30.* unde sola juscula avenacea & hordeacea cum pane albo concedunt, tenuis enim talis victus inflammationem inhibet & febrem impedit. Si febris verò cessaverit, & inflammatio non metuenda, ad victum mediocrem, ad humectantia & liquida accedendum. Imprimis fugiantur omnia acida, quæ majorem coagulationem humorum efficiunt, uti sunt mustum & cerevisia non bene cocta, vinum austerum; convenit autem decoctum vulnerarium nostrum ex alcalibus paratum, item potus Theæ. Somnus & vigiliæ, motus & quies sint convenientia, ne vis humoribus inferatur, omnia sint pacata. Animi affectus sint moderati, ira & animi quæcumque commotiones vehementiores sunt fugandæ, quia humores vel coagulant, vel incrassant, hinc omnia in deteriora ruunt, & mors aliquando acceleratur, ob nimiam coagulationem & stagnationem humorum vel succorum corporis nostri. Venus fugiatur, & alvi excrementa altero die sunt cienda & evacuanda.

Galenicorum modus curandi Costarum Luxationem.

§. 13. *Galenicis* in Costarum *Luxatione* præcipuam locant operam, ut in pristinum locum fiat repositio, & simul inflammatio vitetur & jam præsens tollatur vel oleo rosacino omphacino frequentiùs illito, vel emplastro diachylo imposito. Pro diversitate verò Luxationis etiam repositionis variant modum, quando enim versus superiora costa extra situm suum discesserit, vel manibus, vel locatione ægri super januam, capitulum elapsum tamdiu premunt, donec descendat & ad debitum situm revertatur. Vergente verò costa versùs inferiora, ægrum versus anteriora se incurvare jubent, brachium aut manum genu imponere, & eadem manu per impositionem istam corroborata costam elapsam comprimere, quo situm priorem & convenientem repetat.

petat. Ad interiora & anteriora tandem dilabentem costam emplastris attrahentibus loco cavo super costam istam frequentius impositis, & aliquoties vehementius revulsis adducere tentant, & in debitum situm reponere.

Fracturam. In *Fractura* Costarum solliciti sunt, ut partes fractæ denuò aduniantur & componantur, propterea ægro spiritus retentionem iniungunt, vel tussim, ut hoc modo versus interiora depressæ partes ad exteriora propellantur, quam reductionem & manuum opera & emplastrorum impositione adjuvant, inflammationem autem arcent venæsectione, quam necessariam quoque æstimant in contusione ad removenda obstacula, humores nempe ad partem læsam affluentes, virtute sua revulsoria, dein linimentis & emplastris jam cognitis. Fragmenta ossium membranaceas partes pungentia per incisionem eximunt, ne ingentes inde exoriundi dolores pejora adhuc accersant symptomata. Cucurbitularum impositionem non omnes approbant, metuentes per humorum attractionem costam fractam magis adhuc deprimi, quapropter uti malunt lana oleo calido intincta, & cerato pannis fasciisque leniter adstrictis, ut ita simul compleantur partes desidentes, vinculum reddatur æquale, sicque os thoracem versus expulsum paulatim ad cutem revertatur: ubi simul observant, ut fascia media omnium primò deligetur, atque hoc modo præcaveatur, ne cutis ad alterutram partem debito magis declinet. Si neglecta hac ligatura contigerit, ut caro reddita fuerit mucosa, eandem ad os usque adurunt, ut succus ille glutinosus dissipetur, cui rei medicamenta non credunt sufficere, & hanc ustionem necessariam quoque esse monent, quando caro collisa abiit in pus, ad exitum illi parandum, ubi ad omnimodam ejusdem evacuationem interea linimentum lino devinctum foramini imponunt, ut facile queat educi, neque ulcus exasperetur. Unionem costæ promovent per callum emplastris ad fracturas ossium consuetis, & vulnus communi more ad solidationem disponunt.

Cartilaginis Ensiformis Prolapsum. *Cartilaginis* Ensiformis *Prolapsum* corrigere & in statum debitum restituere aggrediuntur, tum cavendo humorum influxum, & imminuendo plethoram instituta venæsectione & victu tenui, tum impositione cucurbitulæ superiùs perforatæ cum levi flamma, loco priùs butyro insulso illito, ut prævia hac emollitione cartilago faciliùs flectatur, quo obtento cartilaginem firmant vel fomentis ex balaustiis, Nucib. Cupressi, mastiche, thure in vino nigro coctis vel emplastro ex iisdem speciebus cum resina & cera parato.

Paracelsi morbos hosce tractande ratio. §. 14. *Paracelsus* in Costarum *Luxatione* restituenda nullam aliam proponit methodum, quàm qua in aliis dislocationibus curandis utitur, eamque alibi aperiemus.

Similiter *Fractura* Costarum eadem tractat ratione, qua reliquorum ossium; in *Prolapsu* verò *Cartilaginis* Ensiformis tacito quodam consensu præcedentium processum approbare videtur.

Helmontii de morbis hisce curandis opinio. §. 15. *Helmontius* Costarum hosce morbos aliis manuali opera tractandos permittit, internis verò remediis in Fractura exhibendis præfert radicem Consolidæ qua sola fracta ossa felicissimè conjungi experientia fuit edoctus.

Vuillisii cura in Costarum Luxatione. §. 16. *Willisius* repositionem *Costæ luxatæ* necessariam prædicat, & repositæ confirmationem, ad quas operationes eodem plane utendum esse judicat apparatu & processu quo Galenici officia sua commendarunt.

Fractura. Ad *Fracturam* Costarum debitè curandam partium sejunctarum unionem requirit, & ad eandem citiùs obtinendam obstaculorum remotionem, quare frustula ossea dolorem & inflammationem excitantia removeri vult facta incisione, & emplastro ad fracturas curam absolvere, exhibitis, si iisdem opus esse perspiciatur, potionibus aliisque remediis vulnerariis.

Cartilaginis Ensiformis Depressione. *Cartilaginis* Ensiformis, sive Ossis Sterni *Depressionem* nonnunquam & humerorum & costarum compressione indigere existimat, in ægro supino & dorso pulvinar subjectum habente instituenda, ut cartilago hac ratione denuo attollatur, usurpatis simul linimentis quibusdam emollientibus & anodynis, & adhibitis plagulis & fasciis super humeros decussatim ligandis.

Sylvii opinio de morbis hisce curandis. §. 17. *Sylvius* in *Costis luxatis* ipsam instituendam præcipit repositionem modo convenienti, pro luxationis diversitate, & repositarum confirmationem; fractas verò & unionem & compositionem reposcere asserit, uti *Cartilaginis Depressionem* ejusdem in priorem situm repositionem, sive per costarum & humerorum compressionem, sive cucurbitularum ipsi cartilagini impositionem ista faciliùs queat obtineri.

Cartesianorum ratio curandi Costarum Luxationem. §. 18. *Cartesiani* diuturniorem cunctationem in *Costarum luxatione* admodum pronunciat periculosam, & repositionem earum quantocyus jubent instituendam, eodem planè modo, quo Galenici pro triplici Luxationis diversitate eandem celebrandam esse edocuerunt, quam nostri hi maximè approbant, & ne quid succi ob tubulos & caliculos in figura & situ mutatos impedimenti procreet stagnatio & coagulatio, eosdem diaphoreticis, diureticis & dissolventibus in fluorem debitum redigere student, subjunctis volatilibus liquorem nervosum augentibus & motum ejus promoventibus, ut tubuli depressi commodè inflentur & attollantur.

Fracturam. *Costas fractas* sanari promittunt solo emplastro quodam ad fracturas, aut cataplasmate ex radice symphyti, quando nempe fractura existat simplex, absque ulla contusione & inflammatione, cum malis verò hisce conjuncta majorem reposcere curam fatentur, & non modo remedia interna diaphoretica & post hæc volatilia ex Tinctura Hyperici, Spiritu lumbricor. sale C.C. exhibenda esse, sed per incisionem frustula ossium separata eximenda, & partium carnearum & membranearum aut præcavendam esse corruptionem per Spir. Vini camphoratum, crocatum & Aquam calcis vivæ, aut si hæc præcaveri nequeat, per suppurationem eadem à portione sana & integra esse segreganda, tum partes costæ fractæ uniri mandant, eam, quæ extra prominet, manu in situm debitum reponendo, quæ verò ad interiora vergit, & spiritus retentione ab ægro propellendo, & manuum opera à Chirurgo debitè locando, aut emplastro glutinatorio imposito & vi abstracto in locum debitum revocando.

Cartilaginis Depressionem. Ad *Cartilaginis* Ensiformis *Depressionem* faciliùs corrigendam fotus ex herbis majoran. rorismar. serpill. flor. Chamomill. Cort. aurant. sem. Coriand. sacculo inclusis & in Spir. Vin. calido maceratis non parum juvaminis allaturos confidunt, quando sacculus iste per tempus sterno depresso imponatur, & tum cucurbitula cum flamma imponatur, ægro supino decumbente, & è regione partis depressæ cylindro ligneo dorso ejusdem subjecto, & simul humeris & costis circa latera compressis, donec cartilago hæc decedens debitè rursus collocetur, quo obtento oleo mastichino locum illinunt, & emplastrum ex eadem pro majori corroboratione eidem imponunt.

Nostra sententia de curatione Costarum Luxationis. §. 19. In *Costarum Luxatione* etiam nostra sententia omni opera annitendum, ut pristino restituantur loco, rarò enim sponte restituuntur, ceu observavit *Bartholinus Histor. Anatom. Cent. 1. Obs. 22.* Communi methodo restitui solent costæ imposito emplastro glutinatorio, quo Chirurgus cutem cum costa elevat & sic restituit, atque hæc operatio facilè quidem peragitur, sæpè tamen observavimus, quod Chirurgi existimarint, fuisse costam restitutam, cùm tamen non fuerit, interim ita occalluerit, ut æger per dies vitæ nullam molestiam inde senserit, quia Creator Optimus Maximus tot costis corpori prospexit, ut una luxata, altera officium faciat, & ad motum omnes costæ requiruntur, non verò una sola. Tumores & inflammatio huic affectui obvenientes facili Marte convenientibus remediis curari possunt, restituta enim costa sæpe sponte abeunt. Ne verò è sede sua iterum excidant, varia imponi possunt emplastra modicè resolventia coagulum humorum, ut sunt emplastrum

strum nervinum, nostrum polychrestum, paregoricum, diachylum, de spermate ceti, &c. & ea quæ parum adstringunt, ut emplastr. de Terra Catechu.

Fractura. In *Fractura Costarum* omni opera eò annitendum est, ut simul pars extra locum ordinarium prominens in eundem reprimatur, & partes sejunctæ aduniantur, ad quod sæpe manus opera indiget æger, potissimum si portio quædam versus exteriora promineat, spiritus autem retentione ipse æger restitutionem istam promovere potest, si ad interiora pars costæ diffractæ vergere percipitur, spiritus verò hac retentione & conatu ægri interno costam propellendi non sufficiente, emplastrum apponimus glutinatorium ex terebinthina & gummis, quo violentiùs avulso, pars ista depressa in locum debitum reprimitur. At si fractura non fuerit simplex, sed cum magna contusione juncta, & partes osseæ acutæ fibras partium membranosarum pungant, vellicent & partes carneas vulnerent, tubulos eorum destruant, & motum succorum pervertant, sicque inflammationem accersant; ne major obveniat succorum stagnatio, & ob repletionem tubulorum partes læsæ premantur, & hac ratione dolor reddatur vehementior, venæsectionem existimamus non modò minùs inutilem, sed planè necessariam, quia hæc non morbi causam amovebit, sed tantum symptoma; nempe dolorem mitigabit: & post hanc remediorum diaphoreticorum usum, simul etiam prævia incisione partes osseæ separatæ acutæ sunt eximendæ, aut rasorio quodam cultello prominentiæ angulares hebetandæ & lævigandæ, ne fibras partium mollium ulterius pungant & tubulos destruant. Ad plenariam denique partium Costæ redunitarum consolidationem apozemata vulneraria frequentiùs mediocri dosi assumpta, & emplastrum aliquod ad fracturas alias consuetum externè impositum non contemnendam ægris hisce præstabunt utilitatem.

Cartilaginis Ensiformis Depressionis. Ossis Sterni, sive *Cartilaginis* Ensiformis *Prolapsum* aut *Depressionem* hoc modo optime tractari censemus, ut post fotum ex herbis nervinis & inunctionem linimentorum emollientium, nec non exhibitionem internam remediorum sanguinem coagulatum resolventium, & succorum stagnationem prohibentium, aliunde jam cognitorum, æger supinus corpori cuidam duriori imponatur, hinc humeri inferiora versus deprimantur & costæ huc illuc moveantur, donec pars depressa pristinum locum repetiisse observetur, quo obtento emplastrum aliquod obfirmans adhibeatur, quare sequens *Barbettes* admodum proficuum hoc in casu existit.

℞. *Rad. bistort.*
Nuc. cupress. aa. ℥ j.
Mastich.
Thur. aa. ℥ ß.
Balaust. ℈ j.
Ol. Nuc. ℥ j ß.
Picis naval.
Terebinth. aa. q. s. ut
Fiat Emplastrum.

Non sufficiente verò compressione ista humerorum, & costarum utrimque agitatione, cucurbitæ cum flamma applicationem non modò approbamus, sed si una vice voto non satisfecerit, ejusdem repetitionem seriò suademus, atque ut tamdiu in loco isto detineatur, donec & æger & Chirurgus operatione ista scopum suum salutariter attigerint.

CAPUT IX.

De Mamillarum Tumore, Inflammatione, Oedemate, Scirrho, Emphysemate, Cancro, Magnitudine indecora, Fovea & Ulceribus.

§. I. Cum varia morborum genera variis certè dirisque insultibus sequiorem sexum omni ætate, omnique tempore multigenæ reverà Fatorum expositum sorti & violentiæ invadant, permultas satis atroces & ferè horribiles adinveniemus aggressiones, quæ ipsi tùm cœlibi tum conjugato & gravido circa sua gestationis incerta dubiave eventu tempora, præprimis partum ipsum obtingunt. Heu quot variis tum internis tum externis casibus, quot discriminibus vitæ objectus! Sed confisus omnem charybdin evasisse & planè evitasse, ecce in scyllam haud rarò unam alteramque deplorabilem incidit, quarum non minimæ nobis videntur *Mamillarum Tumores, Inflammatio, Oedema, Scirrbus, Emphysema Cancer, Magnitudo indecora, Fovea, & Ulcera*, quos affectus externos ordine, & quidem methodum nostram inceptam paululum intimius spectemus, ut eos non tantùm clare & distinctè dignoscamus, causasque sciamus, sed & illos curare noverimus. Antequam autem ulterius procedamus, necessum erit in tyronum gratiam, ut ab ipsa affectuum voce & descriptione exordiamur. *Tumor* itaque Mamillarum est ipsarum magnitudo aucta & inæqualis, à stagnatione humorum in glandulis propriis & ipsorum motu per partium meatus & tubulos impedito, lympha nempe acida stagnante; aut lacte ab acido concreto utplurimum productus. *Mammarũ Tumor.*

Inflammatio Mamillarum dicitur, si in externa facie mamillarum conspicitur renitens tumor cum pulsatione dolorifica, quæ si mitior, *Oedematos* communiter cognominatur, cùm tamen sit verum *Oedema*, non enim datur Inflammatio Oedematodes. Alii differentiam faciunt inter Inflammationem & Erysipelas; quùm verò nos neque Inflammationem à sanguine, neque Erysipelas à bile derivemus, sed à succis acribus, salsis & acidis stagnantibus hinc affectus hi tantum nostro judicio secundùm magis & minus inter se differunt. *Inflammatio.*

Scirrbus Mammarum est Tumor earundem durus renitensque tactui, ex coagulatione lactis diuturniore, sæpe & sanguinis aut chyli crudioris ab acido viscoso inducta obortus. *Scirrhus.*

Emphysema Mamillarum, nostro judicio, nunquam datur, sed ad Oedema referri debet, vulgus tamen inflationem ex flatuosi spiritus copia in mammis collecta obortam dicit. *Emphysema.*

Cancer Mamillarum, est tumor earum ab acido corrosivo instar aquæ fortis se habente, primùm latente, circa mammas sibi imperium rapiente, & tandem glandulosa hæc loca devastante, corrodente & corrumpente obortus. *Cancer.*

Fovea est, ubi plures fissuræ in Mammis unam foveam faciunt, à particulis asperioribus succum humectantem absumentibus & cutem rigidam reddentibus dependens. *Fovea.*

Ulcus Mammarum est solutio ipsarum unitatis à lactis, vel proprii alimenti, vel lymphæ, aliorumque succorum acido acri producta. *Ulcus.*

Magnitudo indecens Mammarum est tumor earundem à nimii succi alibilis congestione natus. *Magnitudo indecora.*

§. 2. Recto tramite descendimus ad subjectum. Mammæ itaque numero geminæ sunt, communi tegumento munitæ, quas fontem sanctissimum corporis, generis humani educatorem *Favorinus* apud *Gellium lib. 12. cap. 1.* vocat, situm in utroque medii pectoris latere, quasi electo loco non venustatis dumtaxat, sed potius infanti lac commodiùs suppeditandi gratia. Constant ex sufficienter requisitis omnium generum vasis, propaginibus scilicet arteriarum, venarumque à sub- *Pars affecta.*

subclaviis axillaribus & mammariis in iisdem per interiora multiplicis ramulorum serie dispersis, & nervis thoracicis, cùm à quinto, aliis quarto pari, tùm à plexu circa claviculas & aliunde undequaque planè innumeris ad papillam usque disseminatis, & sic tubulis sive venulis lactiferis membranaceis flexuosis, instar aut labyrinthi, aut mæandri, per totam illam substantiam distortis dissipatisque, ac ad ordinatos papillæ siphunculos, ex illis lac conservatum promentes, copiosa ramificatione excurrentibus constantes, figuræ foris hæmisphæricæ, ad pectus verò planæ quam substantiæ mollis, cæteris omnibus tamen glandulis durioris, compactæ, continuæ, albissimæ, spongiosæ, perviæ à parte ad partem, ac uniformiter versus papillam quasi duplicatæ, & in rugas deductæ cuticulæ, unà cum membrana glandulosi corporis productionem acuminati compages glandulosa conglobata sui generis cum modò dictis vasis formosè efformat.

Diagnosis. §. 3. Operæ pretium videtur, ut aliquantum brevissimis saltem, nostrorum affectuum signa pathognomonica generaliter præmittamus, quo hisce cognitis affectus hi accuratiùs cognosci, ulterius indagari, feliciusque curari possint. Itaque primò *Tumoris Oedematosi* signa universalia jam dicemus. Tumores Oedematosi sunt molles, laxi, digito prementi cedentes. Vestigia diutiùs detinent, & successivè denuò protuberant, indolentes sunt & albicantes.

Inflammationis verò Mamillarum signa præcipua sunt calor nimius in ipsis mamillis & in toto corpore, dolor, pulsatio, tumor, rubedo partis inflammatæ, ejusdem tensio & renitentia, sicuti *IbnTsina* alicubi hisce testatur: Quanto inquiens, membrum, in quo phlegmone, magis est nervosum, tanto dolor est major; & quanto magis carnosum, tanto minor pulsatio, & calor, & dolor. Verius autem pro diversa affectæ partis sede & humorum dominio, observetur & subsequitur dolor, alius enim est internus, profundus, puriginosus, ulcerosus, gravativus, punctorius, lancinans, urens, &c. Dolor & calor increscens indicium est suppurationis, remittens & aliqua in parte mamillæ mollities notat, pus subesse, nigredo, lividitas ac interdum graveolentia præsagiunt corruptionem, durities tumoris remanens, diminuta tamen, arguit indurationem ab acido ortam.

Mammæ in quibus lac facilè coagulatur, & coagulatum hæret, *Scirrhum* durum tandem stagnatione, facta contrahunt. Indolentes sunt hi tumores scirrhosi, hinc differentia apud Auctores Practicos sequens inutiliter annotatur, qua Scirrhus dicitur vel indolens & legitimus, vel dolens & nothus, quia aut Scirrhus est aut non est. Scirrhi facilè iis superveniunt, quibus sanguis in poris viscerum per acidum nimium vel fixius dictam materiam coagulans cumulatur. Id scirrho enim acidum coagulando materiam in duritiem redigit.

Emphysema cognoscitur ex flatuosa distentione. Stupenda illa fuit inflatio mammarum *Elisabethæ Trevers*, 24. annorum natæ, cujus mentio fit in actis Anglicis Anno 1669 mens. Octob. cujus sinistra mamma 35. librarum pondere fuit. Rectæ mammæ circumferentes pedum 2. digitor. 7. sinistræ ped 3. & digitor. 1. ß. fuit.

Cancer Mamillarum sæpe ab initio vix ciceris aut pisi, aut castaneæ magnitudinem ostendit, ceu haud ita pridem in virgine hujus civitatis observavi, & successivè incrementum capit. Sub isto parvo initio tuberculum est durum nigricans, interdum lividum, punctionibus molestum, ubi verò increscit, est durum, coloris plumbei, dolet in principio moderatè, in augmento vehementius, tandem exulceratur, ubi dolores sunt atrocissimi, adest devoratio partium glandulosarum ac carnosarum vicinarum, scilicet musculorum pectoralium cum insigni ulceris fœtore. In progressu adest ardor pulsatorius & quasi urens dolor, circa tumorem venæ nigro sanguine turgidæ sunt, quæ pedes cancri referunt, sanguinem sæpe stillat mamma cancro obsessa, respiratio maximè patitur, virgines senes & vitam sedentariam agentes, multum acidi in sanguine foventes hoc affectu facile infestari solent.

Fovea se facile præbet conspectui, est enim fissura sive cavitas major, latior & profundior, cui dolor sæpe jungitur.

Ulcus itidem facilè in usum nostrum incurrit, acidum enim illud corrodens simul fibras & glandulosas partes mamillarum sensim sensimque absumit & depascit, in his enim partibus ut glandulosis, aliquid acidi subtilis secernitur, quod si lympham inficiat, contumaciora ac magis dolorosa, imò corrosiva oriuntur ulcera, quæ facilè degenerant vel in fistulas vel in cancrum.

Magnitudo indolens ex ipso quoque patet visu.

Ætiologia secundum Galenicos Mammarii Tumoris. §. 4. Ad *Causas* morborum Mamillarum investigandas accessuri, ab expositione *Galenica* exordiemur, juxta quam *Tumor* partium harum natales suos obtinet à diversorum humorum ad easdem influxu nimio & diuturniore in iisdem retentione, propter quam fungosa hæc substantia in tantum distendatur, & intumescat, nonnunquam etiam à congrumatione lactis. Pro diversa verò humorum constitutione, diversas oriri dicunt Tumorum species, ex quibus *Inflammatio* *Inflammationis.* causam agnoscat sanguinem aut attractum, aut transmissum, atque vel suppressum & in mammarum venis capillaribus adhuc hærentem, vel expressum & extra venulas illas elapsum incalescentem & putrescentem; & has internas causas aliquando promoveri asserunt ab aliis quibusdam externis, lapsu nempe in mammas, percussione, frictione fortiori, scalptione aut vestium nimia constrictione, quibus omnibus sanguis tum alliciatur, tum ejus per venas influxus inhibeatur.

Oedemat. Scirrhi. *Oedema* Mammarum originem habere credunt ab humore pituitoso molli & viscido, uti *Scirrhum* ab humore melancholico crasso vel per congestionem in mammis collecto, vel ex præpostera resolutione absumptis partibus tenuioribus ibidem relicto, & *Emphysema* ab halitu quodam crasso; vel ex mensibus *Emphysematis.* suppressis, vel semine diutiùs retento, vel excrementis ad partes hasce elato, & easdem in molem majorem extendente.

Cancri. *Cancrum* Mammarum ab atra & adusta bile oriri putant, dum vel à sanguine menstruo, vel aliis humoribus ab utero regurgitantibus & corruptis eadem quantitate sua augetur & in mammis colligitur.

Fovea Ulcerum. *Foveam* Mammarum aliquando à tumoribus disruptis, vel fissuris pluribus à serosis acribus humoribus inductis in unam majorem unitis extortam fuisse observarunt; *Ulcera* verò ab humoribus acribus & erodentibus pronasci, ut in aliis partibus, fatentur.

Magnitudinis indecoræ. *Magnitudinem indecoram* Mammas adipisci rentur vel à mensium diturniore retentione, abundante sanguine in partes hasce fluente, vel à frequentiore earundem contrectatione, qua sanguis nutrientis copiosior alliciatur affluxus, vel à tumoribus variis, maximè à causis flatulentis ortum trahentibus.

Paracelsi de causis morborum Mammarum opinio. §. 5. *Paracelsi* opinio de causis morborum horum talis percipitur, qua *Tumor* Mammarum à collectione lactis fieri censetur diversimodè ab aliis quibusdam humoribus eidem intermistis, adeò ut sale quodam accedente arsenicali, *Inflammatio* subsequitur; sole verò plumoso fluxiones menstruales coagulante, *Oedema*: sale nitroso vel vitrioli in conos vel lapillos concrescente *Scirrhi*; & tandem ex sale quodam mercuriali magno exsurgente flatu *Emphysemata* producantur.

Cancer Mammarum juxta Auctorem hunc provenit ex sale corrosivo fluxionum menstrualium, sive plumoso, sive arsenicali, ad ubera deposito, à quo rubeus primò attollatur tumor cum propria maturatione, qui postmodum in ulcerationem transeat rubicundis latè radiis expansis, & fœtorem cum interveniensibus uredine, frigore, calore, doloreque diutiùs persistente concipiat.

Foveam & *Ulcus* à salibus deducit corrosivis substantiam carneam depascentibus.

Magnitudinem Mammarum *indecoram* à nimio nutrimen-

trimento ab Archeo in mammas transmisso excrescere autumat, collecta ita copiosiori carnis materia.

§. 6. *Helmontio* Affectus hi Mammarum maximam partem à latice oriundi videntur, à cujus abundantia ad mammas deposita & à pelle non allecta *Tumores* producuntur indolentes & *Oedemata*; si verò Archeus ob diuturniorem ejus moram ad excandescentiam provocetur, *Inflammatio* in signum furoris accenditur. *Scirrhi* generantur, dum pars quedam cruoris ad Mammarum superficiem allecti inepta existit, ut in corpus volatile & transvolabile disponatur. *Emphysema* emergit, dum fermentum aliquod peregrinum latici vel cruoris in mammis immiscetur, à quo gas productum flatulentum partes hasce in tumorem hujusmodi attollit.

Helmontii opinio de causis horũ morborum.

Cancer fit, dum Archeus ob occasionem aliquam externam, sæpius contusionem in furorem se transplantat, quo carnem Mammarum topicè infestat.

Foveam & *Ulcus* in Mammis fieri vult ut in reliquis partibus, à sale nempe acri, quod latex in via adsumpsit; vel à vento quodam intus genito, & malignitatem suam in externa parte plantante, vel à contusione aut vulnere malè curato.

Magnitudo indecora Mammis contingit à copiosiore cruore nutriente, sæpius à frequentiore contractione in mammas allecto.

§. 7. *Vvillisius* Mammarum *Tumores* varios à diversorum humorum in eas influxu produci cum *Galenicis* docet, & quidem à sanguine valde in mammis effervescente, & simul in transitu suo impedito, obstructionem in vasis earum atque ex ea *Inflammationem* excitari credit. *Oedematis* originem ab humoribus esse dicit crassis & viscidis in mammas effusis, atque in iis diutiùs hærentibus.

Juxta Vvillisium causa horum morborum.

Scirrhi partium harum causam existere vult particulas salinas succi nervei spirituosis partibus depauperati, & alicubi in mammis stagnantis, quæ in fluorem degeneres, & consortia aliena ineuntes multa corpuscula terrestria sibi adsciscant, sicque in tumores istos duros coagulentur.

Emphysema Mammarum exoriri credit à diversis succis sanguini intermistis, quorum exacta fieri nequeat mistura, hinc ad mammas depositi varias ineant effervescentias flatulentas, à quibus pars earum cutanea in tumorem attollatur, hosque flatus sæpe ex ipsis intestinis assumi, & ad partes hasce devehi posse, aliis facillimè concedit.

Cancrum Mammarum à levi occasione excitari posse profitetur, atque parvæ earum læsioni succedere, quoniam tumores atque ulcera maligni moris in partibus nerveis earumque emunctoriis præcipuè contingant, liquorem enim, ait, nerveum adeò depravatum, ut spiritu depresso particulæ ejus salinæ in fluorem degeneres, sibimet corpuscula sulphurea adsciscant, planè corrosivum evadere & stygium, eaque propter humore nerveo in transitu impedito alicubi in mammis stagnante, spiritu statim depresso aut avolante, particulas salinas à volatilitate in acorem degeneres consortia mox inire aliena, atque corpuscula sulphurea aut alia alius generis sibimet arripientes in tumores congelari cancrosos, sicque hoc ritu à liquore nerveo stagnante, & concretionem heterogeneam moliente tumoris velut mineram in mammis conflari, ejusdemque liquoris jugiter effluentis supplementa in parem vitiositatis indolem perverti, quibus etiam asserit accedere varias impuritates atrabilares à sanguine aliisque humoribus suffusas, quæ junctis viribus, veluti cum diversi sales ac sulphura conjunctim destillantur, efferationem augeant, atque in mammis affectis materiam septicam, ac instar aquæ stygiæ escharoticam constituant.

Foveam Mammarum oriri statuit, vel à consumptione nimia humoris benigni, poros cutaneos partim harum aliàs implentis, vel ab intermistis eidem humoribus vitiosis, multis præditis particulis asperioribus lixiviosis, à quibus profundiores succi effodiantur, & cutis cum cuticula ampliùs dehiscat.

Ulcera Mammarum ab iisdem causis induci ait, à quibus ulcera aliarum partium emergunt, sanguine nimirum impuro, & multis particulis salinis corrodentibus referto, à quibus continuitas partium cutanearum in mammis dissolvitur.

Magnitudo Mammarum *indecora* derivatur à sanguine bono & multum nutriente, liquoreque nervoso copiosiore, sanguinem bene nutrientem magna copia apponente, qui liquor frequentiori contrectatione sæpe ad partes hasce alliciatur.

§. 8. *Sylvio* præeunte *Tumor* Mammarum à coagulatione lactis ab acido facta oriri solet, *Inflammatio* à sanguine evasato & ab acido itidem corrupto, *Oedema* ab humore pituitoso in Mammis collecto, *Scirrhus* à pituita & lympha arctius inspissatis, *Emphysema* à flatibus ex bile & pituita vitiose in se invicem effervescentibus oriundis, *Cancer* ab acido valde acri glandulas mammarias lædente *Fovea* & *Ulcus* ab eodem acido continuum solvente, & *Magnitudo indecora* à sanguine multum nutriente & Mammarum substantiam adaugente.

Sylvii de causis morborum horũ opinio.

§. 9. *Cartesianorum* de causis morborum mammas invadentium ratiocinium eò vergit, ut à coagulatione lactis copiosiori in mammis stagnantis à liquore glandularum mammariarum, seu lympha, multis particulis angularibus austeris imbuto facta, *Tumores* earum frequentiùs exoriri profiteantur, maximè verò hoc contingere sibi persuadent, chylo, ceu immediata lactis materia, ex receptaculo suo multas particulas terrestres, salinas fixas & austeras, tum in ventriculo à cibo & potu crudiore, tum à succo pancreatico in tenui intestino acceptas, per arterias mammarias ad tubulos mammarum devehente, à quibus globuli lactei in motu suo impediantur, itaque compingantur, ut tandem in totum quiescant, & stagnatione sua transfluxum alterius liquoris impediant. Nec excludunt ipsum sanguinem & lympham, sed utriusque laxitiem & ad motum pigritiem mammis tumorem inferre posse dicunt, & hinc sæpe contingere, ut ex mensium obstructione mammæ intumescant, dum vaginæ extremæ & labiorum vulvæ arteriolis obstructis sanguis ad mammas copiosius influat, ibidemque diutius detineatur, donec tandem ob acquisitam acescentiam coaguletur, & ad motum reddatur ineptus. Acescentiam istam promoveri norunt à cibo & potu acidis copiosiùs & frequentiùs assumptus, mœrore & tristitia diuturniore, aliisque mentis anxietatibus, quibus succorum in corpore motus impeditur.

Cartesianorum sententia de causis Mammarũ Tumoris.

Dum verò à succis antedictis pori in tantum obstruuntur, ut soli rapidissimæ primi elementi materiæ concedatur transitus, *Inflammationem* & *Erysipelas* produci statuunt, quoniam particulæ istæ æthereæ igneæ sint dispositionis, fibrillas tubulorum mammarum valde agitantes, & propterea dolorem pulsantem & ruborem parti tumenti inferentes.

Inflammationis & Erisipelatis.

A lympha sale volatili & particulis porosioribus depauperata Tumorem *Oedematosum* pronasci volunt, quatenus ob particulas ramosiores pinguiores & terrestres sibi invicem per quietem arctiùs junctas, diuturniore stagnatione in tubulis glandularum coaguletur & inspissetur, ad cujus copiosiorem productionem vitam sedentariam non parum facere cum aliis fatentur.

Oedematis.

Scirrhum ob copiosiores particulas terrestres, angulares & acidas austeras, atque salis volatilis absumptionem in sacculis ovalibus contentas, lac arctius adhuc inspissantes oriri dicunt, quo fiat, ut mammæ in lapideam nonnunquam mutari videantur duritiem.

Scirrhi.

Emphysema Mammarum secundùm horum opinionem, emergit ex lymphæ particulis attenuatis, & in vaporem versis, quæ cum per insensibilem transpirationem assiduò tenues evadere consueverint in auras, ob poros tamen à crassioribus & spissioribus quibusdam particulis occlusos intra tubulos mammarum demanere coguntur, unde pro subtilitate, & ad motum promptitudine majus spatium quærentes, cutem premunt, attollunt, sicque mammas protuberare faciunt.

Emphysematis.

Cancri Mammarum causam statuunt lac in sacculo uno vel altero mammarum proprio ovali corruptum, sæpe ex levi aliqua occasione externa, contusione,

Cancri.

sione, lapsu &c. quibus fibræ tubulorum rumpuntur, aut contorquentur, ut transitum debitum invenire nequeat, sed in sacculis moram adeò diuturnam nectere cogatur, ut per eam globuli lactei destruantur, compingantur aut dissolvantur, atque in multas particulas acutangulas subtiles abeant, tandem tubulos sacculorum destruentes & mammas exulcerantes. Sanguinem quoque menstruum ob arteriolas vaginales uteri obstructas, aut propriam crassitiem retentum, in mammis auctum & corruptum, varias particulas acres ad glandulas in segregatione lymphæ, & lactis ad tubulos, & sacculos lacteos mittere posse concedunt, à quibus variæ fiant coagulationes & fibrarum destructiones, cancrosos affectus immediatè producentes.

Fovea. *Fovea* Mammarum illis oritur à defectu lymphæ pinguioris, glandulas cutaneas humectantis, & inungentis, quare glandulæ illæ miliares cum fibris rigidiores, & ficciores evadant, quæ deinde à fortiori globulorum æthereorum illisu facilè queant diffringi.

Ulceris. *Ulcera* Mammarum eandem fovent causam, quam in aliarum partium ulceribus sępius jam manifestarunt, fibrarum nempe à fortiori liquorum evasatorum multis particulis angularibus præditorum allisu disruptionem, & destructionem.

Magnitudinis indecoræ. *Magnitudo* Mammarum *indecora* causam agnoscere iis videtur chylum benè nutrientem magna copia tum ad alias corporis partes, tum ad mammas delatum, ideoque pingues, & corpulentas etiam, grandibus præditas uberibus existere dicunt; præterea contrectationem spiritus excitare referunt, ut copiosè per nervos in tubulos mammarum influant, eosque distendant, & chyli nutrientis promoveant influxum, qui propter salinas, & acidas particulas temperatas juxta partes solidas quiescere incipit, sicque appositione sui mammarum substantiam augere.

Nostrum judicium de causa Mammarū Tumoris. §. 10. *Nostro* judicio causa *Tumoris* Mamillarum cujuscumque est stagnatio utplurimum lactis, ejusdemque acescentia; si enim tubuli in mammas fuerunt vel à causa interna vel externa obstructi, necessariò lac vel chylus stagnare debet, hinc fit ejusdem coacervatio, & congestio, & partes distenduntur & in tumorem elevantur. Cùm jam in ergastulo hostes peregrini quasi conclusi, nec tam exiguo, & coarctato hospitio sint contenti, sibi ampliorem efformant locum, eundem ratione effusionis, vi ferociæ, & effrænationis quoad omnem dimensionem dilatando, distendendo, inque tumorem attollendo, aliquando enim mamma evadit dura instar saxi, & sæpe ad magnam excrescit molem, adeò ut nonnunquam exæquaverit pondus 6. aut 8. librar. prout notavit Celeberr. *Craan*, Fautor quondam noster colendus, nunc verò magno cum Medicinæ cultioris studiosorum desiderio ad cœlestes sedes delatus. Huc faciunt causæ externæ, imprimis aer frigidus, qui maximus coagulator lactis est; malè ergo faciunt mulieres lactantes, quæ mammas aeri exponunt frigido, facilè enim sibi accersunt ejusmodi tumores, ob acidum nitrosum, quod in aere observatur. Sic & de reliquis rebus vulgo non naturalibus dictis sentiendum, de quibus tamen generali capite de Tumoribus plura dicemus.

Inflammationis. Causa *Inflammationis* Mammarum est acidum delitescens in glandulis Mamillarum. Particulæ acidæ illæ ibi hærentes, ac fibrillas satis acriter scindentes dolorem non tantum producunt, sed & à sanguine in vasis capillaribus stagnante ob incipientem coagulationem ab acido provenientem rubor oboritur. Sic quoque fit inflammatio materiæ cribrandæ culpa in propriis tubulis ac canaliculis, quæ cum impetu & pedetentim à viscida materia, tumoribus, vinculis, aliisque causis externis subsistit, unde fit, ut aliquo in loco procurrente æthere, fermentatione quadam suborta partes subtiliores & magis spirituosæ, compedibus solutæ, corpus derelinquant & avolent, superstites verò copia & viribus inferiores jam debilitatæ, fractæ, imò victæ, tandem etiam paulatim eliminentur, quare pinguiores subsequi nitentes, & à salinis quibus oleosa facile junguntur, acidisque detentæ ferocius agunt, &, si intensius hisce acido-salinis particulis associatæ, in se invicem agunt, subjectum aggrediuntur, torquent, destruunt & inflammant, ita tandem intestino hoc motu sedato, omniumque viribus fractis, harum particularum corruptio, & putrefactio est generatio alterius, scilicet puris, pro sanguinis aut chyli corrupti varietate varii, in abscessum vel apostema degenerantis. Eo vero ipso, dum mammas has immanes hi hospites invadunt, unitatem dilacerant, propagines nervosas, tendinosas, membranaceas, cutem, aliasque partes sensiles, ratione acrimoniæ, ex oleositate, sale acidoque animata prognatæ, pruritum producunt, pungunt, lancinant, arrodunt, divellunt, quæ sensatio perquàm tristis & summè molesta in mammis, præsertim in incremento & statu, in aliis mitior ac benignior, ut in carnosioribus, profundioribus, sensumque difficiliorem habentibus, & declinatione particulæ hæ heterogeneæ sanguini commixtæ ejus mixtionem turbant, sicque febrem excitant, tanquam hujus affectus fidelem comitem. Oriuntur autem utplurimum Inflammationes Mammarum post partum, quem sequitur magna sanguinis effusio lochiorum nomine insignita, quæ producitur à secundinis, unde maxima copia sanguinis, & chyli effluit. Primiparæ & macilentæ magis huic fluxui obnoxiæ sunt, quam quæ sæpius parturierunt; sæpe quoque frustulum ex secundinis in utero remanet, & ex ejus corruptione oriuntur febres periculosissimæ, uti & ipse fœtus moritur in utero, & exinde oritur febris utplurimum lethalis, quod non ita pridem in tribus fœminis observavi. Hisce consideratis, facile quilibet percipere potest, quomodo lac in mammis à defectu novi chyli concrescat & stagnet, à qua stagnatione canaliculi mammarum obstruuntur, & ab hac obstructione nervuli comprimuntur, hinc spirituum impeditur motus, & per consequens effervescentia suboritur. Lac quoque stagnat, si non bene à suctrice vel instrumento exsugatur. Huc quoque pertinet aer frigidus, si lactantes ei improvidè se exponant, ab aere enim frigido succi circulantes tardiùs moventur, hinc & lac fit crassius, & ad obstruendum tubulos aptius. Sic & non maritatæ hisce affectibus obnoxiæ sunt; tempore enim menstruali observamus mammas vel in vel detumescere.

Erysipela[tis]. Puerperæ & lactantes interdum *Erysipelate* Mammarum corripiuntur, quod contingit ab aere frigido acido, acidum in corpore augente, insensibilis enim transpiratio impedita infert Erysipelas, & quia affectus hi, ceu multoties dictum, inter se non differunt, plura non addemus.

Scirrhi. *Scirrhus* Mammarum nascitur nostro judicio ex coagulatione aut lactis aut sanguinis, aut chyli crudioris, vel utrisque in tubulis Mammarum ab acido intensiore fixo materiam lacteam coagulante facta. Huc quoque faciunt viscera, si in ipsorum tubulis lateat acidum quoddam fixum, quod delatum ad mammas facilè ipsarum tubulos obstruere, & affectum hunc excitare potest. Sic Scirrhi Mammarum facile fiunt ab Epithematibus nimis frigidis aliisque repellentibus incautè applicatis, per hæc enim pori magis obstruuntur, & materia magis coagulatur, quod omnibus Chirurgis apprimè notandum est, ne ex Tumore Scirrhum efficiant. Apparent autem Scirrhi isti potissimum in mammis annosarum virginum vel viduarum, imprimis quibus vel nimis maturè, vel nimis serò in senectute menses fluere solent. Cùm enim succi per ordinarium mensium cursum non sufficienter attenuantur & emittuntur, acidum in iis augetur, hinc facile fieri potest, ut ejusmodi particulæ vitiosæ in sanguinem revertantur, quæ dein ad mammas tendunt, ibidem ordinarium lactis cursum impediunt, &, si accedat meror diuturnus, qui est causa, quod particulæ chylosæ sint crassæ & acidæ, quæ dein facile stagnant, nec à sanguinis aliorumque succorum motu propelli possunt. Et cum interim sanguis nullas contineat particulas spirituosas & volatiles, hinc & nulla effervescentia, & per consequens nulla commotio succorum fieri potest, unde succi crassi, non aliter ac caseus per compressionem, coagu-

coagulantur, propter acidum austerum, quod in sexu hoc cum crassis succis utplurimum offenditur. Volatiles enim particulæ avolant relictis crassis, adeò ut non aliter fiat scirrhus, quàm prout terra ope ignis vertitur in lapidem. Nullum verò scirrhus habet sensum, quoniam in scirrho canaliculi nervulorum compressi sunt, hinc & nullus dolor, & affectus hic diu durat absque periculo, aut damno reliqui corporis, quia nihil de Scirrho in massam sanguineam transfertur.

Emphysematis. *Emphysematis* causa sunt flatus, qui tamen nunquam soli concipi possunt, sed semper lympha permixta est, suntque tubulis, meatibus & mæandris mamillarum inclusi. Dum verò flatus isti locum ampliorem quærunt, tubulos distendunt, sicque tumorem hunc flatuosum excitant.

Cancri. *Cancri* Mamillarum causa est acidum corrosivum aquæ forti simile, circa glandulas ipsarum sibi imperium rapiens easque depascens, unde spiritus animales ibidem quasi excubias agentes, omnes intendunt vires ad hostem depellendum, sed sæpe frustra in aperto cancro, ubi jam salia corrosiva viam suam exserunt, carnem vicinam depascendo adurendoque, ac si ulceri esset impositum causticum arsenicale, aut vitrolaceum potentissimum, quod ex dolore, quem sentiunt ægræ, manifestum est. Facile verò fieri potest, quod mensibus obstructis glandulæ quædam mammariæ functionem suam perdiderint, hoc est, quòd nonnulli canaliculi ita sint ab externa causa obstructi, ut minor succorum affluxus fit, hinc si acres acidæ vitriolaceæ particulæ cum subtili Sale alcali sociatæ per hos tubulos transire debent, & nullæ adsunt oleosæ vel spirituosæ, necessario ibidem hærent, & cancrum producunt in iis partibus, ubi figuntur & stagnant, crassæ enim transire nequeunt, & sic stagnare coguntur, ex qua stagnatione obstructio simul oboritur. *Bartholin. Hist. Anat. Cent.* 1. *Obs.* 7. Mercurium ex mamma cancrosa stillare observavit. Fit & Cancer sæpe è causa violenta, lapsu, ictu, ceu exemplum legere est apud *Tulpium lib.* 1. *Observ.* 53. ex mœrore, ceu ego plures novi, ex obstructione mensium, aliisque.

Foveæ & Ulceris. Causa Mammarum *Foveæ*, & *Ulceris* est eadem, quæ aliarum glandularum; nempe acre peregrinum salinum, vel in ipso lacte, vel in alimento partis hujus corrupto acescente hærens, vel ab aciditate salina in sanguine vel lympha quacumque occasione oborta, & circa has partes se accumulantes ortum, prout palam est, si ejusmodi ulceribus apponantur emplastra, hæc redduntur nigra, quod indicium certum est acidi corrosivi, hinc & ob causam communem facile hic affectus transit in cancrum. Sic & ulcera fiunt sæpe ab abscessu per congestionem, vel acris humoris affluxu, lactis coagulatione, vel à vulnere, contusione, &c. de quibus plura in capite de ulceribus.

Magnitudinis indecoræ. *Magnitudo indecora* Mammarum oritur à copia succi chylosi nutrientis, omnesque tubulos in mammis dilatatis, unde hæ adeò opplentur & intumescunt, ut fœminas aliquando reddant deformes. Contingit autem incrementum hoc nimium modò illis, quibus totum corpus benè nutritur, & propterea fiunt corpulentæ, modò iis, quæ partes hasce sibi frequentius permittunt contrectari, quo fit, ut fibrarum tubulorum & nervorum ista blanda agitatione, spiritus, sive liquor nervosus majori copia atque impetu ad partes hasce influat, chylumque disponat, & per tubulos propellat. Quoniam verò tubuli ita dilatati plures reposcunt spiritus ad sui elevationem, & hi celeriùs eosdem transfluunt, nec semper tam copiosi adesse queunt, hinc fit, ut mammæ per contrectationem frequentiorem grandiores factæ mollescant, & pendulæ fiant, certum sæpe in sexu hoc præbentes indicium, virgines frequentiorem passas fuisse attactum.

Trichiasis. Obvenit etiam mulieribus aliquando Mammarum *Trichiasis*, dum pilus per papillas exit, qui nobis in locis hisce crevisse nullatenus videtur, sed in cibo assumptus, cum chylo celeriori fluxu agitato ad Mammarum tubulos, & ipsum tandem receptaculum lactis delatus, ex quo cum lacte per papillarum canaliculum quendam ejicitur, vel ex odem prominet aliqua parte, ut digitis vel forcipula se facilè præbeat extrahendum.

Prognosis. §. 11. Signa *prognostica* desumuntur à partis hujus affectæ nobilitate, acrimonia nimia, causarum, & symptomatum vehementia; Mammarum enim substantia maximè adenosa, facilè ad concipiendam corruptionem apta, quia ex glandulis hisce lympha acris exsudat, quæ illas & carnem cum membranis absumit, & in gangrænam aut sphacelum facillimè degenerat, quia à corrosivo vasa devorantur, quare propter subsequentia pejora mala pars hæc corrupta, nisi ægræ mortem plus, quàm vitam ament, est præscindenda. Quid autem hac abscissa puerperis illis postea accidat, legimus in *Hipp. lib. de Gland. Sect.* XII. *p.* 422. *edit. Lind.* dicente: Vox ipsarum aspera redditur, & humores ad gulam feruntur, & multo sputo vexantur, & caput dolet, & ab his ægrotant.

Inflammatio quoque dijudicatur secundum tempora, in principio enim potest discuti & resolvi, in statu non item; si tendat ad syderationem, hoc pessimum est, aut enim minatur abscissionem, aut mortem subitaneam. Adjuncta febris lactis dicta morbos hos graviores reddit, nisi nono die sponte sudore solvatur. Ratione situs & magnitudinis etiam prognosis varianda, quatenus inflammatio, vel profunda est, vel non, vel circa papillæ radicem, in qua intolerabilis sensus, vel in tota mamma, vel ejus una pluribusque partibus.

Scirrhus Mammarum est affectus contumax & periculosus, facili marte in cancrum degenerans, maximè quando suppurantibus imprudentius tractatur.

Emphysema utplurimum magnus comitatur & acutus dolor, ad brachium & totum latus, costas & scapulas se extendens, qui tamen haud adeo difficulter mitigatur, nec de totali ejus curatione est desperandum.

Cancer Mammarum non exulceratus est curatu difficillimus, eo quod loca adenosa seu glandulas occupat, in his enim affectus difficiliores sunt curatu, quam in partibus musculosis. Tuberculum illud cancrosum parvulum per plures, imò 30. annos delitescere potest, absque dolore & ullo alio incommodo, sed inopinatò in apricum cum miserandis symptomatibus prodit. Mammæ licet exteriorem corporis partem teneant, his tamen ægrotantibus, in prædicendo memoria tenendum est, quòd affectæ mamillæ raro ad sanitatem reducantur propter glandulas, earumque succum stillantem, in quibus facile lac, serum chylusque crudior stagnare, acescere, ac corrumpi potest, ea propter cancri, quinibi altas fixerunt radices, sectionem respuunt, imò facilè repullulant. Cancer exulceratus pejor est non exulcerato, & quoniam mammæ cordi sunt vicinæ, & ideò periculosior est earum status morbosus, aliquando tamen feliciter ab initio exscinduntur cancri earum parvum adhuc tuberculum repræsentantes.

Foveæ; & *Ulcera* etiam difficillimè curantur, ob raram, sensibilem, glandulosam, & spongiosam partis substantiam, & si irritantur hæc ulcera, facile fiunt cancrosa.

Quod concernit *Magnitudinem indecoram* Mammarum, hæc nihil præ se fert mali, nisi quod in virginibus, aut innuptis pulchritudini quid detrahat, easque de frequentiore admissa contrectatione reddat suspectas; utplurimum quoque reliqui corporis incremento adjungitur.

Diæta. §. 12. *Diæta* in hisce mammarum affectibus externis ritè observanda est. Aer proinde sit temperatus, acidus verò & acris angue pejus fugiendus est; puerpera enim mammas calentes subitò denudante, aer ejusmodi poros cutis penetrans tubulos constringit, quare lac in glandulis quibusdam stagnare coactum coacervatur, ac acescit, unde sæpe tumor, inflammatio, scirrhus, & id genus alii effectus promanant. Cibus porrigatur in his affectibus mediocris & conveniens, non acidus, non nimium salitus aut infumatus, potus sit tenuis. Somnus legitimo tempore concilietur, sicut nec vigiliæ protrahantur. Alvus officii

sui oblita admoneatur, animique affectus immoderati exulent; quatenus enim impregnatæ quædam ferè continuò sibi imaginantur, quanto in naufragio fluctuent, & vitæ discrimine hæreant, quantus sit periculosus ille futurus exitus, tragœdiæ similis, facile ex assidua hujus periculi volutatione, animi dejectione, tristitia, mœrore, sollicitudine, acidum augetur, & magis sæpe corrosivum redditur, hinc partes hasce exulcerat, corrodit ac devorat.

Curatio secundum Galenicos Mammarũ Tumoris.

§. 3. *Curationem* Morborum Mammas occupantium *Galenici* ita instituunt, ut in *Tumore* earum humores retentos commodè & per vias debitas ex iisdem evacuent, qua de causa eosdem inspissatos & incrassatos priùs attenuant & resolvunt, quo citiùs postmodum evacuari possint. A lactis itaque concretione & coagulatione quando mammæ intumuerunt, ad ejusdem incisionem & attenuationem internè commendant decoctum rubiæ tinctorum, pulegij, origani, calamenthi, oxymel simplex & compositum, mumiam in vino datam, vel coagulum leporis. Mammas etiam fovent decocto fœnigræci, petroselini, apii, altheæ, aut inungunt oleo chamomælino, anethino, amygd. dulc. linimento ex melle, butyro & sesamo, vel cataplasma imponunt ex farina fabar. cic. rub. succo apii, & oxymelle, aut ex farina sem. lin. & fœnigr. cum oleo chamomælino & aceto paratum, uti ad grumos lactis citius dissolvendos linimentum ex coagulo leporis, aceto, butyro, oleo chamomælino & anethino paratum valdopere extollunt. A calore nimio consumptis partibus tenuioribus si obtigerit lactis coagulatio, præmisso victu refrigerante, ex lactuca, endivia, cichorio, ptisana, medicamenta continuant incidendo simul refrigerantia, tum internè tum externè adhibenda, unde mammas etiam inungunt succo alsines cum oleo rosaceo, vel fovent decocto lentium cum posca, & duritiem remanentem emolliunt unguento dialtheæ, cum oleo chamomælino & pauco croci commisto. Quod resolutum est, ne diuturniore mora dolorem foveat, vel vitro, vel suctrice, vel catulo jubent exsugendum, ut ita noxa omnis præcaveatur.

Inflammationis.

Ab influxu autem sanguinis quando ortus est Tumor sive *Inflammatio*, sanguinem avertunt per venæsectionem in cubito lateris affecti celebrandam, aut si menses simul sint obstructi, in poplite aut talo, tum alvum aperiunt electuario diaprunis vel diacatholico, vel cassia fistulari, aut syrupo rosarum per multiplicem infusionem parato, vel enema quoddam ex decocto emolliente, additis uno vel altero ex prædictis electuariis, oleo & pauco salis ano injiciunt, atque post peractam hanc evacuationem universalem pro majori aversione, frictiones instituunt dorsi, costarum, narium, crurum ac tibiarum, quibus locis & cucurbitulas imponunt cum scarificatione, ipsis verò mammis medicamenta admovent repellentia, actu tepida, ne pectori noceant, atque materiam cum impetu ad interiora compellant; quare spongias adhibent ex posca expressas, aut lintea oleo rosaceo omphaceo, aceto & aqua rosaceis imbuta, nec non alia epithemata ex aqua aut succis nymphææ, solani, portulacæ aut umbilici Veneris, vel linimentum ex ovis crudis, oleo rosaceo, & pauco aceti invicem probè subactis paratum, quæ tamen repellentia non usque adeò tutò in usum trahuntur. Postmodum si inflammationis æstus visus fuerit remissior, ad digerentia unà cum repellentibus accedunt, qualia sunt fotus ex decocto rosar. chamæmell. apii, in oleo rosar. & chamæmell. nec non aceto & aqua communi parato, atque cataplasmata ex iisdem simplicibus, additis farina hordei, fabar. & succo solani composita. Pro majori verò obtinenda emollitione & discussione cataplasma apponunt paratum ex medulla panis subalbi, in decocto fol. alth. parietar. appii, flor. Chamæmell. melilot. & sem. lini macerata, additis ei contusæ, vitell. ov. croco & myrrha. Ad suppurationem si materia potiùs, quam discussionem vergere appareat, eandem promovent cataplasmatibus ex pulvere rad. lil. alb. alth. farina tritic. ficubus &c. in aqua coctis, contusis & commistis cum butyro recenti, axungia non salita & pauco croci compositis, quibus si pus sit confectum, huic exitum parant vel ruptorio ex stercore columborum sylvestrium cum melle mixto parato, & debita in parte mammæ imposito, vel scalpello, aut si pus profundius lateat, ferramento candente, subjunctis linimentis suppurantibus foramini illitis per tempus aliquod, & hinc detergentibus, donec tandem ulcusculum hoc per sarcotica adhibita nova carne repleri, & cicatrice debitè possit occludi.

Oedematis.

Oedema Mammarum per decocta calefacientia & attenuantia cum syrupis iisdem qualitatibus præditis intus assumenda, tamdiu tractare solent, donec humore pituitoso convenienter correcto & attenuato, ejus copiam nimiam phlegmagogis evacuare queant, hinc externè digerentia apponunt & discutientia, quibus si succus crassior non obediat, suppurationem promovent emplastris calidioribus, Apostolico nempe, cerato Oesypi Philagrii, & id genus aliis, usq; dum aperto abscessu pureque evacuato, non alia, quam in præcedente Inflammatione jã indicata ratione curatio possit absolvi.

Scirrhi.

In *Scirrho* Mammarum curando toti in hoc sunt negotio, ut partes crassiores & magis terrestres fortius emolliantur, & tandem discutiantur, propterea fotus frequentius repetunt, qui instituunt ex lixivio dulci, in quo radices lilior. albor. althææ, flor. chamæmell. melilot. sem. lini, fœnigr. bullierunt, quibus subjungunt cataplasmata ex radicibus althææ in aceto mulso coctis & contusis, additis sem. lini, fœnigr. parata, vel stercus caninum album pulverisatum terebinthina excipiunt, & instar cataplasmatis imponunt, aut linimento inungunt ex gumm. Ammon. & galban. in aceto solutis cum butyro vaccino recenti, axũgia gallinar. & anser nec non pauco terebinth. composito inungunt, & postmodum emplastro ceroneo aut de mucilaginibus quod restat duritiei penitus emollire conantur.

Emphysematis.

Ad tollendum *Emphysema* ea in usum ducunt medicamenta, quæ & flatus discutiunt, & menses suppressos reserant, & fluxum eorum promovent, qualia sunt, decoctum ex rad. imperat. fœnicul. levistic. herb. origan. puleg. agrimon. calamenth. salv. sem. anisi, carvi, coriandr. pp. cort. aurant. addito syrupo menthæ vel de chamomilla, & subjunctis speciebus diacymini & diagalangæ. Nec inutiliter theriaca in vino Hippocratico exhiberi potest. Fotus posthæc applicant mammæ ex decocto baccar. Junip. sem. cumin. levistic. fœnigr. herb. aneth. agrimon. rutæ, salv. scord. flor chamæmill. sambuc. in aqua & vino parato, vel cataplasma ex iisdem seminibus & farina lupinor. aut emplastrum de meliloto cum emplastro de baccis lauri mistum, & oleo de castoreo malaxatum imponunt, aut oleo chamæmellino, nardino, & rutaceo invicem mistis tumorem inungunt.

Cancri.

Cancri incrementum prohibere student instituta venæsectione in poplite, aut malleolo, vel etiam in cubito lateris affecti, & adhibitis medicamentis humores melancholicos, & adustos evacuantibus ex infuso fol. sen. cum fumar. & epithymo, vel syrupis de fumar. cõposito, & de polypodio, aut confectione Hamech majore, tum mensium fluxum promovent, & ipsi mammæ affectæ applicant vel epithema ex succo solani, sempervivi, aut plantag. vel linimentum ex tutia in succo uno vel altero ex prædictis dissoluta, vel ex pompholige, cerusa, & chalcitide aliisque metallicis ustis, & ablutis, cum oleo rosaceo & succo solani in mortario plumbeo diu agitatis paratum. Ad excisionem cancri hujus cum radicibus, tum ob interdictum *Hippocratis lib. 6. Aph. 36.* tum quia operatio hæc periculo est plenissima, non libenter accedunt, sed quum medicamentis in totum abigi nequeat, ea tantùm adhibent, quæ malum aliquantum mitigant & impediunt, ne reddatur asperius.

Fovearum.

Ad *Foveas* Mammarum explendas unguentum rosaceum, & de tutia commendant, nec non emplastrum album coctum, aut ceratum diapalmæ.

Ulcerum.

In *Ulceribus* Mammarum ritè curandis, humorum etiam vitiosorum sufficientem evacuationem apprimè ducunt necessariam, cum sanguinis missione & mensium provocatione, quibus præmissis eadem ratione, qua in aliarum partium ulceribus, procedere solent

lent, humores acres mitigant, ulcus mundant, abstergunt, & tandem consolidant, ad quas intentiones obtinendas emplastrum triapharmacum singulare judicant præstiturum esse juvamen.

Magnitudinis indecorae.

Mammarum *Magnitudinem indecoram* imminuunt vel provocatione menstruorum, vel ablatione & curatione tumorum, vel externis topicis adstringentibus, quæ vel forma fotus ex decocto equiseti, fol. myrti, nuc. cupress. gallar. immatur. alum. balaustior. vel unguenti, aut emplastri ex bolo, gallis viridibus, alumine, &c. cum melle mixtis, mammis sunt admovenda.

Paracelsi cura in Morbis Mammarii.

§. 14. Ad *Paracelsi* normam *Tumores* Mammarum curantur pro diversitate salium ipsum lac in partibus hisce collectum corrumpentium, & quidem *Inflammationem* earum auferri posse sperat salis arsenicalis attemperatione per vernicem mammis inflammatis exteriùs inunctum; *Oedemati* valde proficuum fore existimat emplastrum suum oppodeldoch ex aromatibus per tempus aliquod tumori huic impositum. In *Scirrho* magnam adhibendam vult cautelam, neque per digerentia, neque per corrodentia ante durationem ipsam curam tentandam, sed postquam à natura in ulcus concoctum sit, hujusce mundificationem & consolidationem commodè præstandam esse injungit. In *Emphysemate* Oleum Philosophorum approbat, ut tumor ille hoc studiosiùs illinatur.

Pro sublatione *Cancri* fluxiones menstruales præcipit amovendas, tum eundem anodyno ter vel quater mortificandum, donec consolidante cura absolvatur. Anodynum sequenti parat ratione.

♃. *Sperniol.*
Succi solatr. aa. ℥j.
Liquor. vernicis ℥ß.
Reduc in formam unguenti.

Remedium etiam de glutine aquatico valde commendat, quod lib. 5. cap. de Cancro in genere cum reliqua curatione communicabit.

Ad *Fissuras* Mammarum fotum ex decocto farinæ fabar. & siliginis, cum pyrola & agrimonia in aqua facto proficuum fore promittit, post quem axungia taxi, aut cati sylvestris inungi possunt.

In *Ulceribus* Mammarum unguentum ex Talco prædicat, quod sequenti modo est parandum.

♃. *Talci debitè pp.* ℥j.
Liquor. Mum.
Terebinth. aa. q. s. pro unguento.

Talci vero ad ulcera hæc præparatio ità peragitur.
♃. Talci ℔j. Cineris fabar. & avenæ aa. ad pondus par, reduc in quartum ignem per diem & noctem, ablue & exsicca.

Magnitudinem Mammarum *indecoram* coercet & imminuit destillato aluminis cum aqua communi facto, quo lintea imbuta iisdem mole, aut flacciditate laborantibus imponuntur.

Helmontii in morbis Mammarum curandis opinio.

§. 15. *Helmontius* ad curationem *Tumorum* Mammas occupantium laticis aversionem necessariam ducit, quem sæpe per sola topica depelli posse opinatur, adeò ut lapis Butleri ad omnes hosce morbos tollendos ei summè habeatur proficuus; nec non in *Scirrho* oleum Strumarum, quo durities quæcumque resolvitur, in *Cancro* internè magnis extollit encomiis mercurium suum diaphoreticum fixum, externè verò gluten de aquatico Paracelsi valdè approbat, uti in *Foveis* pinguedines animalium, in *Ulceribus* Colchotar Vitrioli, & in *Magnitudine indecora* succum plantaginis cum alumine mistum.

Willisii cura in Mammarum Inflammatione.

§. 16. *Vuillisius* ad diversitates humorum, à quibus *Tumores* fuerunt oborti, in curatione solet respicere, & cùm in ipsa Mammarum *Inflammatione* sanguinis obstructionem faciat, ejus discussionem & pristinæ circulationi restitutionem promovet tum venæsectione, tum resolutione ejusdem viscositatis per spiritum C. C. & alia sudorifera, si verò fluiditas pristina ei reparari nequeat, materiam concoquit, & suppurat per cataplasmata, & emplastra aliis inflammationibus dicata, ut aperto abscessu materia purulēta debitè elimin etur, qua in parte ab antiquorū placitis latum vix unguē secedit.

Oedemate.

In *Oedemate* etiam Mammarum humores crassos, & viscidiores fortiùs in fluorem redigendos esse admonet, eosdem tum internis, tum externis attenuando, & resolvendo per decocta ex rad. apii, bryon. eryngii, fœniculi, herb. salviæ, calamenth. fol. rorismarin. flor. sambuc. lign. sassafras, additis colaturæ ℈j. vel ʒß. spiritus sal Armoniaci. Frictiones, & fotus externe commendat ex decocto beton. menth. flor. hyperic. bacc. lauri, Junip. cum calce in aqua communi parato, post quos aut emplastrum diachylon ireatum imponit, aut si discussio fieri nequit, suppurationem promovet, ut in tumore antecedente:

Scirrho.

Scirrhi Mammarum curationem institui debere censet particularum terrestrium resolutione, earundem ad fluorem dispositione, & partium spirituosarum restitutione, & adauctione, quas tamen intentiones ob partium terrestrium coagulum spissius, & spirituosarum in succo nerveo defectum majorem non semper impetrari posse concedit, frequentiores tamen fotus ex herbis spirituosis in vino decoctis, & spiritu vini, & sale Tartari acuatos aliquod allaturos esse sperat juvamen, uti & gummi Ammoniacum aut Opopanax in spiritu vini solutum, ad emplastri consistentiam redinspissatum, & tumori impositum, quæ remedia externa ut eo feliciùs suas agant vires, interna quædam resolventia & sudorifera exhibet, inter quę Tincturam salis Tartari magno habet in pretio.

Emphysemate.

In *Emphysemate* Mammarum internè suadet remedia carminantia, exteriùs verò emplastrum de baccis lauri, aut cataplasmata ex farina fabar. cum semine carvi, fœnic. & pulvere folior. menthæ commendat.

Cancro.

Ad *Cancrum* nondum exulceratum pauca adhibet medicamenta, & præter interna sanguinem depurantia ex ligno Guajaco, rad. lapath. polypod. herb. fumar. scabios. pithym. tum etiam diaphoretica ex Tartaro, & Antimonio, reliquis cum *Hartmanno* præfert emplastrum ex gummi Ammoniaco in aceto soluto, & debitè redinspissato tumoribus cancrosis impositum, si verò jam est exulceratus, linimenta ex tutia, olibano, lithargyro, &c. cum succo sempervivi & cancrorum in mortario plūbeo parata juvamē allatura esse promittit.

Foveis.

Foveis Mammarum illinit oleum ovorum, vel axungiam caponis, aut sevum cervinum liquefactum, quibus dolores mitigantur, & sulci debitè tandem explentur.

Ulcero.

In *Ulceribus* Mammarum sanguinis quoque depurationes per decocta & infusa convenientia instituit, quibus etiam purgantia ex senna, elleboro & carthamo immiscet, tum sudorem promovet, & forinsecus unguenta & emplastra imponit suppurantia, abstergentia, mundantia & consolidantia, prout in aliis exulcerationibus eadem requiruntur.

Magnitudine indecora.

Magnitudinem Mammarum *indecoram* imminui posse credit per frequentiora jejunia, abstinentiam à cibis, & potibus multùm nutrientibus, & externa remedia adstringentia, qualia ab Antecessoribus jam fuerunt indicata.

Sylvii cura in Mammarum Tumoribus & Inflammatione.

§. 17. *Sylvius* in *Tumoribus* Mammarum à lacte ab acido coagulato oriundis, coagulationem denuò dissolvendam, & acidum corrigendum vult per Antimonium diaphoreticum, aliaque remedia sudorem moventia, externè per leves frictiones & impositionem emplastri de spermate ceti, dandamque esse ait operam, ut vel omninò nullus, aut minimus in Mammis oriatur abscessus, si verò hoc præcaveri nequiverit, sed ex subsecuta *Inflammatione* jam factum sit apostema, sequentes observandas præcipit cautelas: 1. ut multiplices noxæ apostemata subsequentes aut comitantes tollantur, 2. ex minore spatio apostemate occupato pauciores partes noxam patiantur, 3. à pure diutiùs in partibus quibusvis hærente, ac sensim magis, magisque corrupto, & acriore facto, plures non lædantur partes, & imprimis vasa: utpote quorum noxa hominis sanitati noceat magis, quàm carnium quarumvis corruptio. Præthereà suppurationem, quantum possibile, ad externas partes & Mammarum superficiem trahendam esse monet, quoniam apostemata in locis profundioribus nec sponte, nec arte

absque plurium partium læsione queant aperiri: Si pus cum lacte ad papillas vergat, illud à suctrice exsugendum vult, & apostema superficiei jam proximum in loco maximè declivi, ac præsertim molli aperiendum, quo citiùs, tutiusque medicamentis convenientibus valeat curari. Approbat autem cataplasmata ex rad. lil. alth. farin. sem. lini, tritici, flor. meliloti, cum cepa assata, & butyro insulso parata, ad emolliendum, & ad suppurationem disponendum apostema, nec non unguentum dialth. & emplastrum diachylum. Post apertionem curam adhibent reliquis ulceribus accommodatam, per medicamenta interna, & externa, fomenta nempe, & decocta vulneraria satis penetrantia, cum addito vini spiritu parata, & balsamum sulphuris, quibus & mundatio, & consolidatio perquàm promovetur.

In Oedemate & Emphysemate. In *Oedemate & Emphysemate* Mammarum salia laudat volatilia interiùs assumenda, quibus & pituita resolvatur, flatus inde emergentes discutiantur, foris etiam unguenta dialth. compositum & Martiatum, cum oleo chamemill. aut laurino iungit, & emplastrum suum carminans imponit, qùod in tumoribus hujusmodi apprimè censet proficuum.

Scirrho. Ad *Scirrhum* dissolvendum non minus sua laudat salia volatilia, tum intùs, tum foris adhibita, & emplastrum suum carminans, vel de spermate ceti, aut ex gummatibus paratum per tempus aliquod impositum.

Cancro. *Cancro* Mammarum ea convenire putat remedia, quę acidum domant, & austeritatem ejus corrigunt, ne acquisita acrimonia exulceret, qualia sunt salia volatilia mitiora, internè adhibita, spiritus vini aromaticus, cum Spir. sal. Armoniaci, vel fixantia & absorbentia, quæ exulcerato magis conveniunt, ut tutia, pompholyx, cerussa, saccharum Saturni, succus solani, opium in vino solutum, & alia, quibus austeritas mitigatur.

Foveis & Vlceribus. In *Foveis & Vlceribus* benè mundandis, & consolidandis nullum æquè prædicat remedium, quam balsamum suum sulphuris anisatum, quod ulceribus quibuscumque tutò sanandis satis credit idoneum.

Magnitudine indecora. Ad *Magnitudinem indecoram* Mammarum imminuendam cum aliis fotus & cataplasmata adhibent adstringentia, ex foliis pyrorum, myrthi balaustris, gallis, vel epithema ex aqua albuminum ovorum, quæ conquassata, & cum alumine, & creta in pastam rediguntur, ex qua aqua elicitur.

Cartesianorum ratio curandi Mammarũ Tumores. §. 18. *Cartesianis* potissima cura eò dirigitur, ut in *Tumore* Mammarum succi coagulati, & stagnantes resolvãtur, & in motum pristinum restituantur, quo particulæ vitiosæ terrestres cum reliquis reuniri nesciæ, per convenientes vias eliminentur, sive eliminatio hæc fiat per alvum, sive per urinam, & menses, sive per poros mammarum sufficienter dilatatos, quapropter ea eligunt remedia, quæ in poris suis benignum continent ætherem, & particulis tenuioribus gaudent & volatilibus, ut citò tubulos transire, & succis, & liquoribus in iis contentis se insinuare possint, qualia sunt infusa in vino, aut decocta in aqua, & vino, vel aqua sola ex rad. Imperator. fœnicul. levistic. enul. scabios. valerian. rubię, herb. ment. puleg. salviæ, chærefol fol. rorismarin. chamædr. sem. dauci, fœnic. ligni sassafr. sale Tartari, &c. quibus præmissis pro sudore largius movendo exhibent Antimonium diaphoret. cum myrrha, C.C Philosoph. pp. floribus salis Armoniaci & pauco camphoræ. Externè ad succorum, & lactis stagnationem resolvendam fotus admovent ex decocto calaminth. parthen. apii, fol. bryon. quas herbas etiam in Spir. vini macerant, & hoc lintea imbuunt pro epithemate calidiusculè adhibenda. Eadem etiam de causa ex farinis fabarum, lini, fœnigr. orbi, fabar. cum lacte parant cataplasma, cui in fine camphoram addunt in spir. sal. Armoniaci dissolutam, vel Spir. lumbricor. & Spiritu vini camphor. mammas tumentes illinunt, aut emplastrum de galbano crocatum *Mynsichti* imponunt. Materia verò in mammas adeo existente spissa, ut omnino dissolvi, & per poros apertos discuti nequeat, sed in abscessum, & suppurationem vergat, ob chylum nutritium à particulis acutis acidis corruptum, suppurationem istam promovent, seu facilitant, hoc est, medicamentis emollientibus, & tubulos laxantibus, & dilatantibus chylum corruptum in profundo herentem ad superficiem alliciunt, ut per aperturam vel lancetta, vel raptorio, vel sponte, sive à particulis internis erodentibus factam effluat, quod fieri posse asserunt absque insigni apparatu, dum exhibitis prius diaphoreticis internis, mammæ, vel spirituosis illinantur, vel linteis calidis leviter fricentur, & foveantur, ut hoc modo tubuli aperiantur, & chylus stagnans corruptus, nec nutritioni, nec reductioni in massam sanguineam aptus, per eos ad cutem affluat, quam particulis acutis rodat, pertundat, atque ita prorumpat, quod sæpius præstatur emplastro diachylo simplici, & de meliloto invicem mixtis, & tumori impositis. Nuper fœmina quædam scorbutica dextrę mammæ tumore laborans Chirurgum accessit, qui repellentibus forsan, aut aliis inconvenientibus topicis adhibitis tumorem istum immanè quantum auxit, & in abscessum mutavit, atque ubi circa papillam emplastrum imposuisset, locus ille quasi tenui pellicula obductus, & fusco colore tinctus apparuit, eo quòd succi acidi intus contenti glandulas destruxerint, & sub cute jam attenuata hæserint, quum verò Chirurgus iste abscessum emmollire nequiverit, sed secunda vice tumorem frustra aperuerit, subsecuto ex apertis venulis solo sanguine, mulier moræ diuturnioris impatiens, & doloribus excruciata D. D. *Vogelsangium* consuluit, qui sequentibus auxiliis eandem & à cachexia scorbutica, in qua femora, & tibiæ crustis & squamis subatris erant deturpatæ, liberavit, ita ut ab usu infusi jam jam describendi crustæ, & squamę citò satis deciderint, & cutis apprimè fuerit mundata, insimul etiam mammæ tumenti tam salutariter prospexit, ut non modo per duas istas aperturas à Chirurgo jam factas, sed etiam per tertiam sponte subortam pus laudabile profluxerit, durities diutiùs antea permanens discussa, & exoptata sanatio pro voto ægræ fuerit subsecuta, promoto nempe fluxu menstruo, & alvo redita laxiori, tum per muliebria sub specie fluxus uterini albi magna copia humorum vitiosorum evacuata.

℞. *Rad. Scabios.*
Enul. aa. ℥ß.
Polypod. qu. ʒ v.
Sarsaparill. ʒ iij.
Herb. scord.
Fumar.
Nummular.
Veronic.
Scolopendr.
Herb. ceterach. aa. M. ß.
Flor. sambuc. P. ij.
Hyperic. P. j.
Rasur. santal. citrin. ʒ vj.
Sassafr. ℥ß.
Guajac. ʒ ij.
Cort. ejusd.
Vitrioli Martis aa. ʒ iij.
Sem. dauci ℥ß.

Parentur pro Nodulo Iß. *mensuræ vini imponendo*, de quo vino singulis diebus manè & vesperi ante cubitum cyathus præter propter ℥ iiij. capiens exhauriatur. Absumpto hoc de Tinctura Antimonii Tartarisata singulis diebus horis matutinis 20. guttæ in cerevisia tenui assumptæ fuerint, quæ sudorem primò paucum, deinde largiorem excitarunt, quo languis, & reliqui succi egregiè fuerunt depurati. Cumque ægra hęc insigne commodum à vino hoc percepisset, secunda vice speciebus isti s cerevisiam tenuem superfudit, de qua & ipsa, & liberi ejus scorbutici cum fructu per tempus aliquod biberunt, & tandem species de novo fuerunt para æ, & cerevisiæ impositæ, cujus usum ad curationis finem continuavit. Sequenti intereà spiritu tumor durior post abscessum remanens discussus, & inflammatio circa ulcuscula fuit abacta.

℞. *Spir. lumbricor.* ℥ j.
Vin. camphorat. ʒ v.
Flor. sambuc. ʒ iij.
M. & calidiusculè tumor illinatur.

Solent

Inflammationem. Solent autem Cartesiani *Inflammationis* Mammarum curationem hac ratione instituere, ut quidquid pororum obstructionem producens exterminetur, & pori non modo materiæ æthereæ subtilissimæ, sed globulis quoque secundi elementi, & recrementis per transpirationem insensibilem eliminandis sufficienter pateant, & liquores omnes facile fluant refluantque, qua de causa magnifaciunt sudorifera ex ocul. cancror. Antimonio diaphoret. sale card. bened. Myrr. camphor. &c. spiculas quascumque absorbentia & secum extra poros in aerem deferentia. Non aliam ob rationem externè spiritum vini crocatum aut camphoratum unà cum Spir. sal. armoniaci cum calce viva paratum externè illinunt, aut lintea hac mixtura imbuta tepidè imponunt, domantur enim particulæ angulares, & pori aperiuntur, ut illæ agitatæ exhalare possint. Ut dolor mitigetur & fibrillæ ab impetu particularum acutarum non adeò fortiter commoveantur & tendantur, oleum momordicæ illinendum interdum admittunt, hujus enim particulis ramosis fibrillæ obductæ angulorum istorum vim faciliùs eludunt, eosdemque hebetant. Sed absumptis particulis subtilioribus, & succorum fæculentiis crassioribus, cum salibus acutis acidis in Mammarum tubulis & glandulis restitantibus, ad easdem resolvendas, & salia mitiganda emplastrum imponunt diachylum cum gummi, sub quo si non æque resolutio, quàm ipsa subsequatur suppuratio, cataplasmatibus convenientibus eandem promovent, ut lac vel chylus corruptus per dilatatos hujusmodi fotu tubulos ad externam cutem promanet, & hanc vi salium acutarum perterebret, sicque foras effluat, unde tumor & inflammatio imminuuntur.

Erysipelatis. Ab inflammationis curatione nihil aut parum abludit ea, quam instituunt in Mammarum *Erysipelate*; internis enim diaphoreticis, inter quæ Spir. florum sambuci cum Tinctura Antimonii aliis præferunt, poros aperiunt & particulas acutas in lympha fibras cutaneas distendente contentas mitigant, corrigunt aut planè eiiciunt, facilè enim per poros apertos exspirant. Si verò post sudorem aliquam adhuc trahere videantur moram, externis convenientibus & pororum apertionem, & salium acutorum acidorum hebetationem promovent, imposito nempe vel linteo Spir. vini crocato bis vel ter imbuto, & denuò spiritu vini calidè humectato, vel in decocto florum sambuci, olibani, myrrhæ & croci in vino facto, addito Spir. Urinæ linteis humectatis & tepidè admotis, vel spiritu lumbricor. & camphoræ mammis illitis.

Oedema. Si tumor Mammas occupans ad *Oedema* vergere videatur, lympham spissiorem attenuant, resolvunt & fluxilem reddunt, ut partim ad ductus suos revertatur, & vel correctus massæ succorum communi denuò immisceatur, vel vitiosus adhuc existens per ureteres effluat, partim per apertos tubulos & poros evaporet; ideoque salia volatilia tum internè, tum externè commendant, qualia sunt Essentiæ chamædr. rorismar. salv. lignor. liq. C.C. succinat. sal. volat. tartari, decocta herb. menth. puleg. rorismar. rad. Imperator. caryophyllat. Ireos Flor. costi dulc. bacc. Junip. &c. calidiusculè bibita. Fomenta foris adhibent ex decocto absinth. origan. calaminth. rut. bacc. lauri, macis, caryophyllor. vel oleis de castor. destill. rorismar. succini, guajac. Tartari volat. &c. inungunt, & emplastrum de baccis lauri imponunt.

Scirrhum. Ut durities in *Scirrho* magis adhuc resolvatur, nec tamen particulæ volatiliores residuæ absumantur, ea seligunt remedia, quæ absque irritatione, aut pororum occlusione à particulis suis volatilibus benignis poros transire, & coagulatum spissius dissolvere possunt, ad quorum classem referunt oleum Philosophorum, quo tumorem istum durum aliquoties in die illinunt, vel etiam Spir. gummi ammoniaci cum Sale armoniaco per retortam paratum, aut ipsum gummiammoniacum in aceto solutum per linteum trajectum & debitè redinspissatum, emplastri forma imponunt, quod si parum adhuc præstare conspiciatur, emplastrum de ranis cum Mercurio Vigonis imponunt, aut sequens *Barbettes*, per tempus aliquod continuandum.

℞. *Gumm. Galban.*
Ammon.
Opopanac. aa. ℥j.
Flor. Sulphuris,
Myrrh. rub. aa. ℥ß.
Camphor. ʒj.
Ol. lil. alb.
Axung. anat. aa. ʒvj.
Ceræ q. s.
M. F. Emplastrum.

Emphysema. In *Emphysemate* Mammarum internè flatus discutientia exhibent, ut essentiam Chamomill. Roman. cort. aurant. menth. in aqua & syrupo fœnic externè laudant sacculum chamomilla & semine anisi impletum, & in vino coctum & tepidè impositum.

Cancrum. *Cancrum* Mammarum occultum & nondum exulceratum nec medicamentis emollientibus irritari volunt, nec ubi partibus subjectis firmiter adhærescit, exsecari, sed humorum malignitatem corrigendam esse injungũt per sudorifera ex oculis cancrorum, C.C. Philos. pp. & cerussa Antimonii, in aqua fumar. scrophular. & syrupo scord. simpl exhibita, & foris vel folia uvæ inversæ recentia in mortario plumbeo contusa, vel cepam sub cineribus coctam imponunt. In Cancro exulcerato medicamenta acria proscribunt, adhibitis solum mitioribus, decocto nempe veronicæ, scabiosæ, geranii, scrophulariæ, cui admiscent Tutiam pp. CC. pp. plumbum ustum, cerussam, & mel, qua mixtura ulcus probe abluunt & lintea eadem imbuta tepidè imponunt, qua ratione & liquorem mellis ab antimonio abstractum *Ang. Sal.* adhiberi posse concedunt. His non sufficientibus ad particulas corrodentes fortiùs destruendas & domandas cineres cancrorum fluviatil. ranar. ster coris humani cum myrrha pulverisata imponunt, & emplastro manus Dei dicto D. le Mort. ad sanationem perducunt.

Foveas. Ad *Foveas* Mammarum replendas, pinguiora admittunt admistis alcalicis, quæ foveis istis illinunt, potissimum verò sequens linimentum.

℞. *Sevi ovill.* ʒij.
Tut. pp. ℈j.
Sacchar. Saturni ℈ß.
Ol. hyperic. express. ʒj.
M. F. Linimentum.

Ulcera. In *Ulceribus* Mammarum subdorifera & decocta aut infusa lignorum cum herbis uulnerariis interiùs commendant, & foris ulcus abluunt aut tangunt linteo aqua calcis vivæ, in qua saccharum Saturni & camphora fuerunt dissoluta, imbuto, posteà emplastrum Oppodeldoch, aut ex calce viva lota, parum exsiccata & cum oleo lini mista paratum imponunt, aut pulverem mandibularum lucii parum tostarum inspergunt, ut crusta inducatur, sub qua ulcus facilè sanatum iri pollicentur.

Magnitudinem indecoram. Mammarum *Magnitudinem indecoram* imminui posse credunt per frequentiorem inediam, abstinentiam à tactu & contrectatione, & compressionem fibrarum, ut tubuli angustentur, & chylus nutritius tanta copia influere nequeat, per medicamenta quædam externa, seu topica, qualia sunt cicuta contrita imposita, decoctum alchimillæ, fol. ligustri, balaustior. equiset. hypocistidis & aluminis, vel emplastrum *Plateri* sequens.

℞. *Mastich.*
Thur. aa. ℥ß.
Gallar.
Nuc. cupress. aa. ʒij.
Boli, vel
Argillæ, aut
Terr. cimol. vel
Rubric. fabril. ʒiij.
Pulverisata excipiantur albumine ovi & aceto.

Nostra Methodus curandi Mammarũ Tumorem. §. 19. Nostra ex sententia in *Tumore* Mamillarum quocumque eò annitendum est, ut acor lactis vel alius humoris stagnantis temperetur, & quidquid in glandulis coagulatum est dissolvatur, acidi enim humores maximè hic corrigendi veniunt, internè ergo

ergo omnia sudorifera conveniunt. Esto formula una & altera in tyronum gratiam.

℞. *Aq. Chærefol.*
Puleg.
Card. bened. aa. ℥. ß.
Mixtur. simpl. ʒß.
Syr. Papav. errat. ʒiij.
M. d. ad vit.

Succus chærefolii per octiduum assumptus egregiè quoque juvat,

℞. *Aq. Card. bened.* ℥ij.
Regin. Vngar. ʒj.
Ocul. cancror. ℈ß.
Diascord. Syly. ℈j.
Sperm. ceti gr. xv.
Tinctur. corrallor. ʒß.
Spir. Cephal. n. oleos. gt. xv.
F. Mixtura.

Cochleatim exhibenda, donec sudor sequatur, qui acidum temperabit, & obstructiones resolvet. Interea assumatur Decoctum calidum ex cerevisia, pane secaliceo tosto, cum nuce Moschata fricato, & add. cort. citr. exter. qui potus succos fluidiores reddit, hinc calo in succis percipitur, & obstructio resolvitur, quod etiam contingit, si lac congrumatum, & à frigore quasi coagulatum est, similiter enim ut alii succi incrassati mediante calore resolvi potest.

Ad acidum, summum istum coagulatorem, corrigendum, conducunt etiam salia volatilia & fixa, alcalia quæcumque, oculi nempe cancrorum, Antimonium diaphoret. sperma ceti, &c. quæ omnia ob vim alcalinam acidum enervant, spissos humores attenuant, & ad circulationem invitant.

Externè etiam prosunt omnia medicamenta, quæ attenuant & resolvunt, hinc commendamus sequens.

℞. *Herb. fœnicul.*
Absinth. aa. M. j.
Menth.
Scord. aa. M. ß.
Leuistic. M. j.
Sem. ejusd. ℥iß.
Salis Armoniaci,
Tartari aa. ʒij,
Coq. in vino, & cum linteis calidè aplica, & add. pro re nata.
Aq. Regin. Hungar. ʒj.
Spir. Matrical. ʒß.
Sal. Armoniaci,
Camphor. aa. ℈ij.
M.

Cum panno fricentur calidè Mammæ, exsuganturque sæpius; & cùm lac per remedia hæc externa fuerit attenuatum & fluidius redditum, facilè per papillam & alia vasa eliminari potest, quia præscripta remedia in se continent multum salis volatilis oleosi & spirituosi, experientia enim constat, quod solo sale Armoniaco stagnatio & congrumescentia lactis curari possit, hinc si aromatica salia admisceantur, facilius illud resolvitur. Post ablactionem quia Mammæ solent intumescere, imponatur emplastrum rubrum.

Mulierculæ nostræ cortices sambuci cum farina imponere solent tumoribus & inflammationibus, aliæ imponunt, & quidem melius, flores chamomillæ & sambuci cum furfuribus sacculis inclusos mammis tumefactis & inflammatis. Sed optimè hic notandum, ut ægræ lac sibi sæpius exsugi curent. Ad acorem lactis stagnantis temperandum, & quidquid in glandulis coagulatum est, dissolvendum, commendamus cretam cum butyro insulso instar linimenti ter de die inungendi, vel solam cretam cum pulvere liquiritiæ, vel farina secalicea repleti sacculi calidè sæpius imponatur. Ubi verò tumores sint nimis duri, sequens imponendum est.

℞. *Emplastr. diaphoret.* Myns.
de Ammon, Forest. aa. ℥j.
Ol. Tartari per deliq. ʒj.
M.

℞. *Ol. lini* q. v.
Camphor. ʒj.
Cum lana applicetur.

Emplastra etiam de cicuta, diachyl. simpl. de sperm. ceti egregia sunt in dissolvendis tumoribus à lacte coagulato obortis.

In Tumore Mammarum, quod apprimè notent Chirurgi, emollientia plus nocent quàm prosunt, melius autem conducunt Spir. vini camphor. emplastr. de spermate ceti, diachyl. cum gumm. quæ visciditates attenuant, & acidum coagulans infringunt, quo facto quilibet humor ordinarium suum recipit fluxum & circuitum. Nocent & suppurantia, quia inde fistulæ facile oriri possunt, nisi iis studiosè occurratur remediis acidum corrosivum in pure hospitans domantibus. Alii optimo cum successu, ut Cl. *Muys*, imponunt emplastrum stypticum *Paracelsi*, à quo tumores brevi suppurantur ac sponte aperiuntur, aperturæ dein imponi debet balsamus Arcæi, qui sequens est,

℞. *Axung. ovis,*
Gumm. elemi,
Terebinth. Ven. aa. ℥ij.
Ol. hyperic. ℥iß
Ceræ ʒij.
Santal. rub. ʒj.
M. liquefiant omnia, percolentur ac fiat Balsamus.

Applicetur porrò emplastrum stypticum *Paracelsi*, ac superimponatur sacculus calidus farina secalicea impletus, ad duritiem reliquam emolliendam Celeb. *Hildanus* sequenti linimento maximo cum fructu in tumoribus Mamillarum usus est,

℞. *Gumm. Ammon.* ℥j.
Ol. Amygd. dulc.
Lil. alb.
Pingued. gallin. aa. ℥ij.
Succ. cicut. ℥iiij.
Acet. scyllit. ℥ij.
M. postea coq. colatura cum forti expressione servetur ad usum.

Linimento hoc calidè inunxit Mammam, & sequens applicuit emplastrum.

℞. *Emplast. de mucilag.*
Melilot. aa. ℥iij.
Gumm. Ammon. dissolut. in aceto scyllit. ℥ iß.
M. F. s. a. Emplastrum, addendo parum ceræ, si opus est.

Inflammationem & Erysipelas. *Inflammatio* si primum attigerit tantùm gradum, Pharmacia varia suppeditat remedia, sed antequam ad ea accedamus, antè omnia Chirurgos admonemus, ut abstineant à repellentibus ac frigidis, quæ ceu pestis fugienda sunt, imò optandum esset, ut ejusmodi remedia tanquam venena, Chirurgis auferrentur, etsi enim affluxum humorum & suppurationem suspendere videantur, & iisdem prævenire, succos tamen coagulatos magis adhuc incrassant, atque resolutioni & dissipationi ineptos reddunt, meatus, poros ac tubulos undique compingendo & obserando, prætereà spiritus halituosos condensant, ipsorumque motum retardant, quæ mala mammarum corpus minimè ferre potest, maximè enim glandulosum est, ideoque facilè corruptibile. Eapropter hic æquè internè ac externè varia diaphoretica adhibeantur, quæ obstructiones factas tollunt, acidumque tanquam coagulatorem emendant, si enim in Erysipelate, aliisque Inflammationibus aqua frigida, vel repellentia, vel adstringentia adhibeantur, metus est, ne in gangrænam abeat, si verò alcalia & spirituosa acidum frangentia usurpentur, brevi sanari poterit, uti sunt omnia sudorifera, unde hoc in casu sequens nostra experientia in *Erysipelate* Mammarum confirmatum est.

℞. *Rob. sambuc.* ʒij.
Aq. flor. sambuc. ℥iij.
M. F. Potiuncula sudorifera.

Vel

℞. *Teriac.* vel

Diascord. ℥j.
Cum aq. flor: sambuc. ℥vj.
Theriacal. camphorat. ℥ij.
M.

℞. *C. C. igne* ℥ß.
Antimonii diaphoret. ℈ß.
Aquæ flor. sambuc. ℥ß.
Syrup. de Scord. simpl. ℥ij.
M. Sumatur una vice.

Externè in Eryſipelate Mammarum conducit pulvis ex farina hordei, liquirit. aa. ℥ß. cum cannabe imponendus & ſingulis horis repetendus, vel pulvis contra Eryſipelas *Mynſ.* imponi poteſt. Si humida applicentur, ſemper camphora addenda. Si tendit ad ſuppurationem, hæc eſt juuanda variis modice reſolventibus, impoſito emplaſtro ſtyptico *Parac.* & ſi abſceſſus fuerit ruptus, immittatur balſamus *Arcæi* ſupra deſcriptus ſuperimpoſito emplaſtro diachylo ſimplici.

In Mammarum Inflammatione ſumma, cum doloribus atrociſſimis, ſequens cataplaſma rarò te fallet.

℞. *Herb. ſcord.*
Salv.
Roriſmar. aa. M ß.
Bacc. Junip.
Laurii aa. ℥ß.
Myrrh. ℥ iij.
Sem. fœnic.
Cumin.
Bardan. aa. ℥ ij.
Croc. opt.
Styrac. calam. aa. ℥ß.
Salis Armoniaci,
Tartari aa. ℥ ij.
Adde hiſce medull. pan. albiſſ. farin. fabar. & cum lacte vel vino dulci
F. Cataplaſma, cui pro re nata add.
Aquæ Regin. Hung.
Elix. vitæ aa. ℥j.
Camph. ℥iij.
Sperm. cet. ℥ ij.
M.

Si Inflammatio ceſſare incipit, & ſuppuratio inſtat, tunc ceratum ſequens imponatur.

℞. *Gumm. Ammon.*
Ladan.
Unguent. baſil. aa. ℥ i ß.
Reſin. pini ℥ vj.
Ol. Guajac.
Ceræ aa. ℥ ij.
Pulv. myrrh.
Croc. aa. ℥ß.
M.

In Eryſipelate Mammarum maligno & ad gangrænam vergente ſequentem curationem imitari poteris Cl. D. *Vogelſangii*, Med. D. expertiſſimi, hic enim mulieri ruſticæ eryſipelate ulceroſo in ſiniſtra mamma affectæ, ita ut cutis inſtar membranæ aciculis hinc inde pertuſæ conſpicerentur, ex quibus foraminulis non modò humor acris manabat, ſed quaſi mucore obducta apparebant, uti in vaſculis quibuſdam intueri licet, in quibus humor aliquis fuit, vel in ligno humido & in loco occluſo jacente, in cuius ſuperficie, aut ſub cortice mucor ſubcæruleo-albus accreſcit, ſequentia præſcripſit remedia.

℞. *Aq. flor. ſambuc.* ℥ß.
Scabioſ. ℥ ij.
Spiritus flor. ſambuc. ℥ß.
Eſſent. lignor. ℈j.
Liq. C. C. ſuccinat. ℈ß.
Syr. Card. bened. ℥ iij.
M.

Una vice hac aſſumpta mixtura benè ſudavit, & hinc non modò dolores, quos antea in thorace, latere ſiniſtro, humero & dorſo ſenſerat pungentes & tenſivos, ut ſe incurvare nequiverit, fuerunt ſedati, ſed nocte etiam ſequente placidè quievit, cùm per quinque noctes anteà vigiliis fuerit macerata, & eryſipelas ipſum iſtud fœdum ſequenti ſpiritu externo bidui ſpatio fuit abactum.

℞. *Spir. vin. camphorat.* ℥ß.
Flor. ſambuc. ℥ iiß.
Spirit. ſal. Armon. c. calce viua parat. ℥ iß.
M.

Linteis ſpiritu hoc imbutis locus affectus ter in die leviter fuit attactus unde prima vice dolor quidam emerſit, ſed poſtmodum ægra remedium hoc facilè ferre potuit, libenterque eodem fuit uſa, cùm citò ſatis auxilium inde perſenſerit.

Cùm *Scirrhi* cauſa conſiſtat in contumaciſſima obſtructione glandularum, omnia ea conveniunt, quæ vim volatiliſandi habent, ut Sal volat. viperar. Tinctura Antimonii, Sp. Salis Armoniaci volat. oleoſ. *Sylv.* Mixtura ſimplex. *Scirrhum.*

Externè omnia conveniunt, quæ vim diſſolvendi & diſſipandi habent, ut Empl. Diaſulphur *Rulandi*, malax. ol. tartari, emplaſtrum Saturninum *Mynſ.* Vigonis cum Mercurio, de cicuta, de ſpermate ceti, &c. Catap'aſma noſtrum de cancris, & alia. Emollientia verò ſæpe multum nocent & malum ſubito augent, videndum ergò ſemper, an tumor durus in his glanduloſis partibus diſcuti poſſit, proinde ſunt, qui in hunc finem etiam externè Sal volatile addunt. Si enim tumores hi imprudenter tractentur, in ulcera cancroſa facile abeunt, hinc omnia ea, quæ in cancro occulto proſunt, & hic juvant. Sequens ceratum multis experimentis comprobatum eſt in Scirrho aliiſque tumoribus rebellibus.

℞. *Ceræ cum cinab. Antimon.*
Rubr. fact. ℥ ij.
Gumm. Galban. ℥ß.
Tinctur. eiuſd. ℥ iij.
Gumm. Ladan. ℥ j.
Sperm. ceti ℥ iij.
Croci opt. ℥ß.
Pulv. ſem. cumin.
Salv. aa. ℥ vj.
M. F. Ceratum.

Poteſt etiam addi Elixir vitæ. Omnia hæc, quæ in affectu hoc topicè uſurpantur, calidè ſunt applicanda calor enim multum juvat ad diſſolutionem, quoniam, particulæ facilè tum commoventur. Sæpe ſcirrhus hic cancroſus non niſi ferro curatur.

In cura *Emphyſematis* ad flatus reſpiciendum eſt, quapropter omnia ea hic conveniunt, quæ in Colica flatulenta recenſuimus, omnia videlicet carminativa, Eſſent. flor. Chamomill. carminat. *Vuedel* Spir. carminat. de tribus, & curatur tumor hic variis reſolventibus, eodem modo, ac Tumor œdematodes, imprimis autem conducunt alcalica diſſolventia. Externè imponatur emplaſtrum carminans. *Sylv.* vel unguentum carminans *Mynſ.* aut oleo carminativo deſtillato ejuſdem tumor hic inungatur. *Emphyſema.*

Cum *Cancer* Mammarum difficile, exulceratus verò vix curetur, ideò cura aliquando tantùm palliativa ei adhibenda, Tuberculo tali vel nulla vel cautiſſima applicanda ſunt remedia, nec crabro ille irritandus emplaſtris à pinguibus & acrioribus, in ſpecie vitanda ſummè emollientia, humectantia, ſupurantia, ne Hannibali illi ad portas via monſtretur, imò plerumque ſufficit curam ne quidem tentare metu ſubiti incrementi, aut exulcerationis mox ſubſecuturæ, valido enim medicamento exaſperatur, lenibus non ſolvitur; exulceratum ergò hoc malum eſt Noli me tangere, ſi quid tamen tentandum, conveniunt ab initio Mercurius dulcis, qui optimus acidi corroſivi domitor eſt, & alia diaphoretica ſanguinem purificantia, ut ſunt Tinctura Antimonii, Eſſentia viperar. *Zuvelf.* Tinctura bezoardica *Mynſ.* Sal. volat. C. C. viperar. fuliginis, quod optimè arſenicalem deſtruit acrimoniam, omnia theriacalia, camphorata, aliaq; ſalia volatilia & fixa oleoſa, ſpir. ſangu. cervi proprio ſale exalatus, conueniunt & martialia, ſaturnina, tartarea, nitrata, decoctum lignorum, eorumque eſſentia. Incipientem cancrum cæpam ſub cineribus coctam aliquando ſanaſſe referunt, ſed mea experientia non confirmare hactenus potui. Ubi Cancer *Cancerum*

occultus fuerit parvus, instar pisi, & mobile tuberculum, id ferro, h. e. novacula Chirurgis nostris usitata exscindendum est, unicum nempe remedium est tempestiua sectio, nisi enim præcidatur, præcidit vitę filum: tuberculum verò hoc feliciter exscissum lege apud *Tulp. lib. 1. Obs. 53.* item apud *Th. Bartholinum in Act. Haffniens. Ann. 1. Obs. 27* confer & *Obs. ejus 72*. Si verò cancer magnis arteriis ac nervis adhærens, & partibus subjectis firmiter adhærescat, minimè scindendus est, ne arterię, nervi, periostium, &c. vulnerentur. Post Cancri excisionem non statim fluxus sanguinis sistendus, ne recidivam patiatur ægra; meliùs ac tutiùs exscinditur, si Cancer sit in papilla vel mammę extremo. Potest etiam in cancro occulto emplastrum ex farina milii imponi, vel unguentum de ranis cum Mercurio, vel *Vigierii* unguento ex ranis & cancris, vel, quod optimum et nobis usitatum, Empl. è sperm. Ranar. cum sacch. Saturni. Si ad suppurationem tendit, solis internis è Sale fuligin. paratis remediis aggrediendus est. Nonnulli imponunt cancroso tumori cancros fluviatiles cum allio contusos, vel unguentum de ranis uiridibus. In Cancro quoque Mammarum non exulcerato optimum remedium est colchotar edulcoratum & cum Aqua albuminis ovorum in cataplasma redactum.

In Cancro exulcerato sal fuliginis dicunt esse egsegium remedium destruens arsenicalem acrimoniam, cui tamen domando ipsum arsenicum per oleum Tartari correctum & oleo myrrhæ imbutum præ aliis à D. D. *Ettmullero* æstimatur proficuum. Dn. Muys commendant crystallum montanam tam externè quàm internè. *Tulpius* commendat sequens: ♃. plumbi liquefacti q. v. add. Mercurii viv. & tantillum Mercurii vitæ, sic omnia redigere poteris in pulverem, qui ulceribus hisce inspergatur. Oleum Saturni reliquis palmam prępipit, acrimoniam enim corrosivam optimè sedat, doloresque lenit, & sæpe cancros exulceratos cicatrice obducit. Externè aliis palmam eripit decoctum Calcis viuæ, aqua fumariæ, summitatum pini et hyoscyami factum, addito alcali aliquo fixo, vel cinere Cancrorum, alumine vsto, vel mixtura ex aqua florum hyperici è ranis integris & sperm. ranar. addito puluere è ranis & bufonibus calcinatis; mirabilem quibusdam opem præstitit aqua *Bartholetti*, quam describit in sua *Encyclopædia*, & latrabilem curiose vocat, dum canes juvenes lacte adhuc utentes materno vel destillat, vel saltem s. a. coquit, liquoremque. linteis applicat. Pro cura palliativa Cancro Mammillarum admovetur lamina plumbea Mercurio illita, & quotidiè abluatur aqua aluminosa: ferrū & cauteria optima sunt remedia.

Foveas. Ad *Foveas* commodè explendas mirę efficacię sępius experti fuimus emplastrum de spermate ceti; nec non unguentum *Sebast. Closſæi* ad perniones, cuius descriptio addiscetur ex *Schrodero*, cui tamen substitui poterit unguentum de Tutia, aut diapompholygis.

Vlcera. In cura *Vlceris* nec V. S. neci institutas & sæpius repetitas purgationes existimamus convenientes, sed totius curæ cardo in eo vertitur, ut acrimonia humorum corrigatur, quod nec obtinere possumus per purgantia, multo minùs per venæsectionem, hinc alia quęrenda sunt remedia, salia ergò volatilia illam corrigunt, aliaque sudorifera temperantia, quæ acres has particulas vel insensibiliter, vel sensibiliter per cutem eliminant, nec negligenda sunt blandiora diuretica. Fidelem spondent operam sudorifera longo tempore in usum vocata, nempe decoctum lignorum, cujus cuilibet dosi addi possunt Tincturæ eorundem, vel Antimonii, gutt. 12. aut 15. Convenit & succus chærefolii internè exhibitus. Hic asterisco notandum, quòd ulcus Mammarum vix curari potest, nisi lacte priùs exsucto & exsiccato. Si subsit durities, resolvatur emplastro diachyl: albo, ol amygd. d. vitanda emplastra solida, quod hanc partem inflamment, & transpirationem impediant, sed eorum loco cerata applicentur: ex. gr.

♃. *Mass. empl. de mucilag.*
Diachyl alb. aa. ℥ j.
Ol. lil. alb. q. s.
M.

Si ulcus dolorificum sit, circumcirca linetus oleo rosato in mortario plumbeo agitato, vel oleo ovorum. Inter externa varia quoque prosunt decocta, imprimis sequens.

♃. *Bacc. Iunip.* P. j.
Rad. aristol. rotund.
Lign. sassafr.
Guajac. aa. ℥ ß.
Summ. hyperic.
Flor. Chamomil. aa. P. ij.
Myrrh. elect. ℥ ß.
Mercurij Sublimati ʒ j.
M. F. Decoctio in s. q. Aquæ & Vin.

Oleum Momordicę primatum ducit in ulceribus & sinubus Mammarum. Si magna acrimonia adest, interponi potest unguentum Ægyptiacum correctum & solutum in spiritu vini, vel decoctum scoriarum reguli Antimonii, vel Martis, superimposito emplastro Saturnino cum croco Martis, vel emplastro *Timæi à Guldenklee*, quod extat lib. 6. c. 26. Turundæ sint nullæ, vel valde breves & tenues, ex linteis carptis, & pulvinuli leves, teneri ac sine sutura. In Mammarum abscessibus balſ. Sulphuris cum ol. papav. expreſſ. parat. maximè laudatur. Ad ulceris exsiccationem proderit emplastrum Dias Saturni *Mynſ*. In Ulcere cancroso proficuus est pulvis ex ranis aquatilibus, cancris & C. C. usto. Cl. *Ettmullerus* novit pauperculam, quæ in ulceribus Mamillarum solis foliis tussilaginis cum fructu usa est. Suffitus ex mastiche, thure, aliisque per infundibulum in ulcus immissus, non contemnendi usus est. Acria omnia vitanda sunt tanquam venena. In Ulceribus cancrosis mitiora ex vegetabilibus præstant aliis, qualia sunt à Cartesianis jam denominata Decocta Veronicæ, heder. terestr. scabios. scrophular. fumar. mista cum C. C. pp. plumb. ust. camphor. cerusa, melle, & aliis. Fonticuli nonnunquam in ulceribus hisce Mamillarum insignem navant operam. Reliqua ex capite generali de Ulceribus peti possunt.

Magnitudinem indecoram. Mammarum *Magnitudinem indecoram* pręter diætam tenuem, & parciorem ciborum valde nutrientium usum, imminuere quoque possunt frequentiores sudationes, & auctus mensium fluxus, tum externa adstringentia imposita ex gallis, balaustiis, malicorio, foliis prunor. sylvestr. alumine, &c. Quid folia hederæ arboreæ valeant in constringendis mammis, & ipsarum forma decora concilianda, de eo vide Observationem in Epistola nostra secunda ad Virum Celeberr. D. D. *Vvaldschmidium*, Collegam & Amicum nostrum exoptatissimum. Confici quoque possunt formæ plumbeæ mammis imponendæ, ut ab iisdem comprimantur, & majus earundem prohibeant augmentum, quæ si apta formentur magnitudine, & puellis adhibentur, priusquam hisce mamillæ in majorem excreverint molem, easdem coercere possunt, ut parvulæ permaneant, & duriores reddantur, quod sæpe exoptant corporis sui culti & decori nimiùm studentes fœmellæ, qua de causa formæ istæ illinuntur oleis hyoscyami, nymphææ, cydonior. myrtillorum, quibus tamen linimentum ex album. ov. & alumine præferri posse censemus. Ad mammas graciliores reddendas proficuum est oleum Nuc. Myristicæ externè illitum. Item ad mammarum nimiam intumescentiam laudatur lixivium calcis vivę cum spongia impositum.

In *Trichiasi* Mammarum ad pilorum faciliorem expulsionem sudorifera conferre possunt, ut lac vel alii liquores spissiores, in quibus pili isti conglutinantur, dissolvantur, & effluendo pilum unà evehant, vel minus impediant, quo digitis aut forcipula extrahantur.

CAPUT X.

De Papillarum Fissuris, Fovea, Defectu & Imperforatione.

Papillarum Fissura, Fovea, Defe- §. I. Papillæ mulierum gravidarum aut puerperarum, præcipuè lactantium, *Fissuris*, sive *Rimis*, quas Græci Rhagades nuncupant, aliquando

Fis. & imperforatio. quando vexantur, quæ & *Scissuræ* dicuntur, & sunt cutis quædam sejunctiones profundiores, quales & labiis, ano, utero, aliisque corporis partibus superveniunt: aliæ *Fovea* molestarum, hoc est, rima maxima in Papilla, aliis Papillæ planè *deficiunt*, nonnullis eædem sunt *imperforatæ*.

Pars affec. §. 2. *Pars affecta*, de qua agimus, vocantur Papillę, quo nomine fungosum illud corpusculum vocatur, in Mammis protuberans, puerique ore excipiendum, multis foraminulis perforatum, in quæ foramina tubuli lactei desinunt, lactique ex iis sucto, pressoque exitum præbent.

Diagnosis. §. 3. Affectus hi in ipsum visum incurrunt, & lactantes summo afficiuntur cruciatu in Fissuris, & Foveis Papillarum, valde enim ipsis molestæ sunt, ex quibus & aliquando sanguis stillat, ceu observavit Cl. D. *Muys Prax. Chirurg. rational. Obs. 7. Decad. 4.* sæpe tamen Fissuræ hæ ichorem stillant, seu lympham corruptam acrem. Sunt enim valde dolorificæ mulieribus, maximè ubi lac sugit infans, ubi aliàs eædem Papillæ sanè existentes potiùs à suctione infantis titillationem, ac voluptatem sentiunt.

Defectus Papillarum præter inspectionem nullo indiget alio indicio; *Imperforatio* verò cognoscitur, quando lac in Mammis existens exitum nullum invenit, etiam si manibus mammæ, aut papillæ ab infantibus sugendo gingivis, & labiis comprimantur.

Ætiologia morborum horum secundum Galenicos. §. 4. *Causa* Papillarum *Fissurarum* & *Foveæ* statuitur à *Galenicis* ipsius cutis papillas obducentis tenuitas, dein suctio fortior infantis, aut lactis, & humorum serosorum, & biliosorum acrimonia, à quibus cutis disrumpatur aut erodatur.

Papillarum *Defectum* vel à primo ortu esse annuunt, ex errore, aut debilitate formatricis, aut ab ulceribus, acribus, à quibus Papillæ erosæ fuerunt & absumptæ, nonnunquam eas solùm intra mammas delitescere dicunt, donec fortiori suctione proliciantur.

Imperforationem itidem ab ipsa nativitate ità existere dicunt, dum nulla foramina utero sunt elaborata, vel oriri posse asserunt à callo post ulcus relicto, & papillas obstruente.

Paracelsū. §. 5. *Paracelsus* Papillarum *Fissuram* & *Fovearum* causam adscribit sali carnis, vel sanguinis, sine corruptione cum sudore prorumpenti, & absque sanie papillas dirumpenti. *Defectum* & *Imperforationem* è virtutis formatricis & crescitivæ imbecillitate dependere existimat, unde partes hæ non satis extra mammas propellantur, aut perfectè non sint elaboratæ.

Helmontiū. §. 6. *Helmontio* oriri videntur Papillarum *Fissura* & *Fovea* à latice degenerante, partes hasce non benignè irrigante, sed acore suo erodente. *Defectum* earum interdum à contractura fieri posse credit, qua intro retinentur, aliquando verò eas revera deficere concedit, quod ob debilitatem aut aberrationem Archei in semine & utero partes hæ non satis sint elaboratæ, aut nulla relicta principia, ex quibus augeri & procrescere possint, cui debilitati Archei ipsam quoque Papillarum *Imperforationem* adscribit, vel muco cuidam viscido meatus obstruenti.

Vuillisium. §. 7. *Vuillisius* Papillarum *Fissuras* & *Foveas* tanquam causas deducit ab inclementia aeris, caloris & frigoris excessu, suctione infantis fortiori, succi benignioris cutanei defectu; econtra vitiosi salini in poris papillarum existentis dominio, à quibus omnibus Papillarum tunica in fissuras & foveas diffindatur. In *Defectu* & *Imperforatione* easdem admittit causas, quas superiores iam recensuerunt.

Sylvium. §. 8. *Sylvium* de causis affectuum Papillarum consulentes, percipimus ab eo, findi partes hasce, quando levi inflammatione, vel etiam sanie turgentes, arctius constringuntur à sugentium gingivis, aut à dentibus eorum mordentur. Inflammari verò partes hasce à sanguine extra vasa effuso, ac partes circumjacentes angente atque angustante. Sæpe etiam excoriari & exulcerari dicit Auctor hic easdem Papillas, ob infantum sugentium os (hoc est, labia, gingivas, palatum & linguam,) aphthis, aliisque ulceribus male affectum; vel ab erysipelatis quadam specie, ipsas papillas propter causas diversas, febres puta, vel alios affectus fœminarum, corripiente; vel ab ipso etiam lacte sponte ac continuò affluente, ipsasque adeò papillas, dum acrimoniam nanciscitur, excoriante non minus, quam ipsas etiam mammas & partes vicinas, ad quas pertingit.

Defectus Papillarum inde derivat, quòd in quibusdam fœminis vel ante imprægationem, atque partum aut deesse videantur, quoniam retractæ sunt, & latent in mammis, aut revera desint; vel post partum, & lactationem per fissuras transversas profundiores à mammarum corpore secedant, & ab infantibus mordicus amputentur.

Imperforatione interdum Papillas à prima natiuitate ad vitæ exitum laborare profitetur, interdum verò tubulos, per quos lac debet efflui, vel in suo exortu, vel in progressu angustatos esse, sæpius per compressionem factã à tumore aliquo, aut in papillis ipsis, aut circa ipsas in mammis existente, ac præsertim ab inflammatione: rarius verò per obstructionem, productam à lacte in ipsis tubulis à frigore inopinato papillas afficiẽte coagulato.

Cartesianos §. 9. *Cartesiani* ex præcedentium relatis approbant inter causas Papillarum *Fissurarum*, & *Fovearum* statuendas ea quæ ad fibrarum tunicæ papillas investientis & tenerrimæ rigiditatem & diruptionem faciunt, defectum nempe liquoris benigni, ex mistura lymphæ & succi nervosi oriundi, unde fibræ non satis inunctæ & molliores redditæ, à vi externa facile rumpuntur, aere nempe asperiore in fibras irruente, suctione fortiore infantis, affectibus ejusdem os occupantibus, particulis lactis effusi aut emulcti acutioribus, salsis aut acidis, non abstersis, sed diutiùs circa papillas herentibus, & exulcerantibus, à quibus etiam Fovea per longum quandoque tempus in iisdem relinquatur.

Defectum Papillarum adesse dicunt, tum ex nimia tubulorum brevitate, unde per influxum lactis tunica non satis queat distendi, & in figuram papillæ diduci, tum quod per ulcera, morsus infantis, profundiores fissuras, aut alia quædam infortunia mammæ iisdem fuerint privatæ; tùm quod in virginibus & mulierculis quibusdam tenerioribus ante partum, ob defectum lactis & liquoris nervei motu suo, & influxu eas propellentium, intra mammas adhuc delitescant.

Imperforationem, sive effluxum lactis è Papillis prohibitum, dependere volunt vel à crassitie & continuitate ipsius tunicę, partes hasce fungosas investientis, propter quam oscula tubulorum in vertice papillarum nulla existere possint, vel ab ipsorum tubulorum obstructione à lacte crassiore, aut à liquore acido coagulato, vel, quod *Sylvius* jam innuit, à compressione eorundem tubulorum à diversis quibusdam tumoribus, mammas circa regionem papillarum affligentibus.

Nostrum judicium de causa Papillarum Fissurarum §. 10. *Nostro judicio* causa harum *Fissurarum* est vel à lactis acrimonia nimia, quia sæpe infantes eodem tempore, & aphthis laborant, quod tanquam commune malum est à communi causâ oriundum, vel à seri acrimonia salsa. Sic quoque Fissuræ hæ ex lacte acido post infantum fortiorem suctionem adhærente oriuntur; quò & referri possunt causæ externæ, aer nimis frigidus acris, qualis in Martio, & à constitutione Aquilonia dominatur, & tunc itidem in his, quæ tenerioris sunt constitutionis, & tenera cuticula præditæ, fissuras in labiis & manibus excitare solet, quia aer tum temporis in se continet multum acidi nitrosi; suctio infantis validior, abs qua excoriatio oritur, & hinc accedente lympha vel lacte acri cujusvis conditionis exulceratio levis subsequitur.

Fovea. Causa *Foveæ* est diruptio fibrularum inter fissuras existentium, à fortiori adhuc acrimonia acidi in fissuras collecti producta, quod facilè fit, dum lympha deficit benignior oleosa, tum glandulas, tum fibras cutaneas aliàs humectans & illinens, ne tam facilè ab externa quadam molestia dirumpantur.

Defectus. *Defectus* Papillarum vel est à nativitate & vitio organi, vel à vulnere, aut ulcere, à quibus absumuntur & nonnunquam corroduntur papillę, sepissime enim cum à suctu infantis sanguis exit, & rima in ulcus (quod aliquando absumit & corrodit totam papillam) degenerat, ceu aliquoties vidimus.

Imperforationis. Imperforatio est à soliditate aut obstructione tubulorum Papillarum, quæ vel est à mala conformatione, vel à materia viscida, vel lacte grumoso, alioque humore acido tenaci eos obstruente.

Prognosis. §. 11. *Fissuræ* Papillarum & *Foveæ* nisi citò tollantur, facile in ulcus transeunt, ob acre ibidem hærens, unde sæpe tota Papilla corroditur & absumitur. Ulcera hæc dein difficulter sanantur, quia ob infantum suctionem nulla aut exigua quies Papillis conceditur.

Defectus Papillarum à nativitate, & mala conformatione incurabilis habetur, cùm pars semel amissa restitui nequeat, si verò intra Mammas saltem lateant in virginibus quibusdam, tempore necessitatis suctione aut lactis & spirituum fortiori influxu feliciter aliquando propelluntur.

Sic & cum *Imperfectione* Papillarum comparatum est, quæ enim à primo ortu est, nullam admittit curationem, ea verò, quæ à lacte, aut alio quodam succo spissiore tubulos obstruente natales sumpsit, remediis convenientibus poterit aperiri.

Diæta. §. 12. In minutissimis his affectibus etiam *Diæta* ritè observanda est, aliàs incassum laboras medicamentis eos curare. Aer ergo Aquilonius frigidus, acidus scilicet nitrosus, ac acris fugiatur, nec tali aeri exponantur papillæ. A cibis acribus salsis & fumo induratis abstineant ægræ. Sic etiam potus sit optimæ conditionis. Reliqua ad Diætam spectantia ita moderentur, ne quicquam eorum auream excedat mediocritatem.

Curatio secundùm Galenicos Papillarum Fissurarum & Foveæ. §. 13. Curatio Papillarum *Fissurarum* & Foveæ instituitur à *Galenicis* remediis externis adstringentibus, glutinantibus, & consolidantibus, epithemate nempe ex decocto aut infuso geranii, archimillæ, cort. tiliæ, &c. tepidè imposito, vel linimentis ex semine psyll. & cydon. aqua plantag. extract. additis tutia, ceruss. & ol. rosac. aut oleis lilior. alb. amygdalar. rosar. vel butyro recenti & axungia anatis. Infantis mammas petituro, papillas abluere jubent aqua rosarum, atque ob curam diuturniorem, & vehementem lactantis à compressione mamillarum dolorem, quidem instrumentum suadent per quod lac exsugatur. Præservationis gratia ne papillæ findantur, nonnulli utiles repererunt cupulas, aut pileolos è cera paratos, & resina abjetina repletos, thoraci lineo alligatos, ne decidant, & papillis superimpositos.

Defectum Papillarum totalem, sive à primo ortu sit, sive à consumptione per ulcera, nullis remediis sciunt resarcire, si verò intra mammas papillæ solùm delitescant, earum propulsionem facilitare solent vel instrumentis suctoriis, vel cupulis glandium, aut testis avellanarum resina laricea repletis, & suctione catellorum.

Imperforationi ab ipsa nativitate ita existenti, aut à callo subortæ, nullam norunt medelam, angustiam verò meatuum dilatari promittunt suctione frequentiore, vel catulis, vel instrumentis instituenda.

Curatio morborum secundùm Paracelsum. §. 14. *Paracelsus* in Papillarum *Fissuris* & *Foveis* usum vernicis commendat, qua papillæ hoc morbo afflictæ sunt illinendæ, vel axungia Taxi, aut linimento de lithargyrio. In *Defectu* & *Imperforatione* aliorum votis facilè subscribit.

Helmontiũ. §. 15. Ex *Helmontii* sententia *Fissuris* Papillarum convenit inunctio ex sevo cervino cum oleo rosarum in linimentum redacto; *Defectus* verò aliquando obedit remediis adversus contracturas probatis, totalis autem non curatur; ut *Imperforatio* ab obstructione meatuum diaphoreticis corrigitur, altera verò in utero facta nullis remediis emendari.

Vuillisium. §. 16. *Vuillisius* curationem instituit Papillarum *Fissurarum* & *Fovearum* sanando cutem seu tunicam læsam diffissam linimentis externis sal vitiosum corrigentibus, domantibus, & partes divisas denuò conglutinantibus, quæ fiunt ex butyro insulso, medulla vituli, ol. rosar. hyperici, pinguedine omenti agnini, terra sigillata, tutia, camphora, vel axungia hirci cum oleo ovorum mista, & aliquando solo unguento pomato aut rosaceo. Ad *Defectum* & *Imperforationem* nulla proponit remedia, sed Antecessorum prolatis consiliis acquiescit.

Sylvium. §. 17. *Sylvius* curationem *Fissurarum* & *Fovearum* in Papillis existentium optimè absolvi posse docet, si 1. quævis mala ipsas papillas occupantia, inflammationes & similia sine mora curentur, ac tollantur; 2. ipsæ Fissuræ in tempore consolidentur. Inflammationes curat medicamentis lac coagulatum dissolventibus, cepis nempe sub cineribus assatis, & emollientibus ex bulbis lil. alb. rad. & fol. alth. fol. malv. farin. sem. lin. fœnigr. cataplasmatis forma usurpatis, additis salibus volatilibus blandioribus. Excoriationis curam consistere ait 1. in sublatione affectus infantem urgentis, 2. in ipsa restitutione Papillarum excoriatarum, per æstum temperantia, & blandè exsiccantia, aut consolidatione exulceratarum. Inter æstum Papillarum temperantia recenset aquam rosarum, plantaginis, mucaginem sem. cydonior. & gumm. tragacanth. cum aquis jam dictis paratum, cremorem lactis cum admista creta alba in pollinem redacta, quod remedium in Erysipelate quoque papillarum prædicat, nec non aquam calcis vivæ cum Mercurio dulci decoctam, & aquam sambuci, non neglectis medicamentis internis, imprimis si febricula aliqua simul concurrat, in quo casu præ multis aliis medicamentis blanda sudorifera utilia existimat. In Excoriatione excitata à lacte sponte continuò ferè effluente, atque acrimonia sua tum ipsas Mammas, tum papillas rodentes, medicamenta reposcit blandè, atque potenter exsiccantia, quale lixivium calcis vivæ existit, & ne novo lacte continuò effluente malum hoc renovetur, dandam vult operam, ut vase aliquo conveniente vitreo, vel ex laminis ferri stanno tecti ita efformato, ut Mammis absq; notabili earum pressione applicari possit, lac illud excipiatur, & subinde effundendum colligatur. In Papillarum exulceratione laudat balsamum Sulphuris quoduvi, imprimis autem gratissimum, ne noceat infanti sugenti, qualies est anisatum, tum quoque balsamum Peruvianum, quod & ad ipsarum Fissurarum consolidationem summè æstimat proficuum, ut ipsum quoque oleum ceræ ritè paratum.

Defectum Papillarum verum & totalem, nec remediis blandis, nec vi foras extracta & in ambitum circumligata Papillam repræsentante, aut mentiente parte resarciri posse fatetur, retractas verò atque in Mamillis latentes, vel sponte post partum emergere solere, vel blando saltem affrictu, pileorumve cereorum, eburneorum, argenteorum, plumbeorum, aliorumve impositione sensim prodituras esse promittit.

Imperforationis veræ curationem novit nullam, angustatos autem tubulos à compressione relaxari docet, sublatis tumoribus compressionem istam excitantibus, & imprimis inflammatione; obstructionem earundem reserari fomento aromatico & sale volatili eidem juncto.

Cartesium. §. 18. *Cartesiani* ad curationem Papillarum *Fissurarum* & *Fovearum* pro voto obtinendam, necessariam ducunt, ut fibræ rigidiores siccæ emolliantur, & humectentur, atque quod salis acidi acuti in succis istis collectum est, hebetetur & corrigatur, quo consolidatio partium sejunctarum facilè subsequatur. Omnium ergò primò particulas acutas acido-salsas reliquis intentionibus adversas domant remediis porosis & volatilibus, spiritu vini camphorato, aqua calcis vivæ dulci, linimento ex oleo, sem. lini & cremore calcis vivæ, terra Vitrioli dulci, mucilaginibus, & id genus pluribus. Fibras rigidiores tum emolliunt pinguioribus, axungiis animalium, oleo ovor. lumbricor. momordicæ, unguento aureo cum guttulis quibusdam olei destillati, ligni Rhodii. Mitigatis particulis acutioribus, & fibris emollitis, consolidationem facilè subsequuturam esse confidunt, aut ulceribus profundioribus adhuc partes has occupantibus oleum myrrhæ, vel balsamum de Capaiva, vel aliud conveniens instillant, & cavitatis oppletionem, sicque ipsam consolidationem vel unguento diapompholygos, vel emplastro gryseo, stiptico aut diapalmæ penitus perficiunt.

Defectum Papillarum illum tantùm curandum aggrediuntur, qui salvis tubulis & illæsa regione harum protu-

protuberantiarum à sola occultatione earum intra mammas dependet, ad quem supplendum annulos ex linteo cera obducto, vel alia conveniente materia paratos imponunt, simulque mammas fricant, & annulos versùs premunt, ut ratione hac papillæ extra annulum propellantur, ubi & cupulas, aut pileolos, instrumenta ab aliis suctoria dicta approbant, ut hujusmodi impressione, dum aer circa instrumenta ista majori copia collectus vi in mammarum regione circa papillas, fibras cum tubulis & succos in his contentos premit & pellit, papillarum egressus promoveatur.

Imperforationem repræsentantem obstructionem & occlusionem foraminulorum Papillarum à lacte inspissato & coagulato, reserare solent diaphoreticis alcalicis & volatilibus, tum spirituosis, incidentibus & resolventibus, qualia sunt sperma ceti, cum Antimonio diaphoretico, ocul. cancrorum Sal. Nitre volat. C.C. Spiritus lumbricor. elæosacchar. fœnic. anis. &c. externis linimentis dissolventibus & lac fluidius reddentibus, ex ol. amygd. lumbricor. Camomell. cum oleis destill. anis. fœnic. vel. rorismar. herb. menth. semen fœnic. in Spiritu vini maceratis, & vel in sacculo, vel intra lintea tepide impositis. A compressione tumorum mammas occupantium ortam lactis retentionem & effluxum prohibitum, morbis istis sublatis, sponte mutatum & correctum iri sibi aliisque persuadent. Veram verò imperforationem & tunicæ Papillarum crassitiem in meliorem statum redigere velle, opus existimant plane difficile, & plerumque omni carens optato successu, ad quod perficiendum vera adhuc deficiunt remedia.

[No]stra cura [in] Papilla[ru]m Fissuris [&] Foveis.

§. 19. *Nostra* cura in *Fissuris* Papillarum eò dirigitur, ut acrimonia omnis corrigatur, interne quidem per diaphoretica acidum simul absorbentia, ut Antimonium diaphoret. ocul. cancrorum. Antihect. *Poter.* cum cinabarinis mixta & sæpius exhibita. Externè hæ Fissuræ curantur ut Aphthæ, & conducit mucilago sem. cydon. psyll. cum terra plantag. rosar. sperm. ranar. extract. addito momento tutiæ pp. & sacchari Saturni vel papillæ exulceratæ & fissæ inungantur axungia canis, vel medulla cruris vituli, vel pingued. hirci, adjecto grano uno & altero camphoræ; imponatur quoque pileolus plumbeus in apice foraminibus pluribus pervius. Nostra experientia oleum ovorum aliis palmam præripit externè illitum. Ad Fissuras Papillarum dolentes, quæ vel à suctu fortiore infantum, vel intemperie lactis, vel lactentium aphthis oriuntur, oleum hyperici admoveatur, papilla prius saliua madefacta. Convenit etiam oleum rosar. in quo radices pimpinell. fuerint infusæ. Sic quoque oleum ceræ, unguentum diapompholyg. nutrit alb. Rhas. &c. sunt utilia. Sequentia à *Vigierio* experimenta sæpe sunt comprobata.

℞. Ung. alb. Rhas. &
Rosat. lot. Aquæ
Plantag. aa. ℥ ß.
Tut. pp.
Lithargyr.
Ceruss. pp. lot. aq. rosar. aa. ℥ iij.
Succi solan. ℥ iij.
Ol. Myrtillor. q. s.
F. Unguentum.

Vel

℞. Ung. ros.
Ol. ros. rompbac. aa. ℥ i ß.
Succi plantag. ℥ ß.
Sev. vituli recent. ʒ x.
Lithargyr. pp. & lot. aq.
Plantag. aut *rosar.* ʒ vj.
Pulv. plumb. ust.
Ceruss.
Tut. pp. aa. ʒ iij.
Terr. sigillat.
Bol. Armen. aa. ʒ i ß.

M. in mortario plumbeo, ducantur per duas horas pistillo plumbeo,
F. Linimentum.

Sequens etiam nostra experientia comprobatum est.

℞. Succ. herb. beton.
Veron.
Origan. aa. q. v.
Butyr. insulf. q. s.
Coq. ad consumpt. succorum, deinde per linteum colatur.

Papillarum morbi curantur certiùs mucilagine seminis cydoniorum cum Tutia ppt. & sacch. Saturni.

Brevi etiam sanantur hæ *Fissuræ* & *Foveæ*, si papilla singulis diebus aliquoties leviter tangatur pennę pluma oleo ceræ, vel melius myrrhæ imbuta, ceu observavit D. *Muys.* Descriptio verò olei myrrhæ ad usus hosce convenientis est sequens.

℞. Myrrh. elect. pulv. q. v.
Indatur albuminibus ovor. ad duritiem coctis, & in loco humido solvatur in liquorem oleaginosum, recens semper parandum.

Si papilla sanguinem stillet, apponatur tantum liquor stypticus, vel fiat linimentum ex pulv. gumm. Arab. amylo, & propria saliva, quo papillæ sæpe tangantur.

Defectus Papillarum si est à nativitate, vix datur remedium, in quibusdam verò virginibus ita delitescunt, ac si iis destitutæ sint, omni ope ergò annitendum est, num ope instrumenti alicujus suctorii dicti eliciantur, ut munere suo satis bene fungantur. In hisce instrumentis inveniendis sexus muliebris maximè variat: sunt, quæ nucem moschatam excavatam papillis delitescentibus applicant, aliæ pileolos ex cera & stanno imponunt, alię vitra parva instar cucurbitularum applicant, nonnullę annulos ex cera & panno conficiunt & circumcirca ponunt.

Imperforatio ipsam tubulorum à materia viscida vel lacte coagulato obstructionem pro causa agnoscens curabitur omnibus illis medicamentis, quæ materiam viscidam incidere, attenuare, lac coagulatum aut congrumatum resolvere, acidum destruere, & omnia in fluorem deducere queunt, salia nempe volatilia & diaphoretica alcalica, quibus pori simul convenienter aperientur, & repagula quæ vis auferentur, quorum sequens esse potest formula.

℞. Ocul. cancrorum gr. xv.
Antimonii diaphoret. ℈ ß.
Myrrh. gr. iiij.
Sperm. cet. gr. vj.
Ol. destill. rorismar. gt. 1.
M. F. Pulvis, d. una vice.

℞. Aq. fenic. ℥ ß.
Card. bened. ʒ ij.
Regin. Hung. ʒ j.
Spir. Armoniaci anisat. vel
Feniculat. ʒ j.
Syr. menth. ʒ ij.
Scord. simpl. ʒ j.
M.

Externè prȩter spiritum vini Camph. & aquam calcis viuȩ, leves frictiones & illinitiones salium volatilium liquidorum curationem promovebunt. Conformationem malam in meliorem non facilè est reformare, prȩprimis, quando in utero fœtus eam jam contraxit, nulla enim remedia ad opus hoc satis sunt idonea; perforationem verò acu quadam per papillas instituere velle, absque dolore non perageretur, quem sexus hic tenerior vix sustinebit, nec certò Medicus potest promittere, operatione ista lactis effluxum fore promovendum aut provocandum, sed infantes veriùs alentur, aliis lactandi si tradantur nutricibus.

FINIS LIBRI SECUNDI.

JOH. DOLÆI ENCYCLOPÆDIÆ CHIRURGICÆ RATIONALIS.

LIBER TERTIUS.

De Morbis Externis Abdominis.

CAPUT I.

De Ventriculi Tumore, Ulcere, & Vulnere.

§. I.

DEscendimus ad inferiorem Microcosmi regionē, Gasteranaci, insigni illi Toparchę, à morbis variis ab externa violentia, aut interna quadam tempestate turbida illatis lacessito aut oppresso suppetias laturi. Meritò verò ipsi ejusdem approximamus metropoli, Ventriculo nempe, ut eundem vel pręmuniamus, ne ab hoste externo tam facilè occupetur, vel ex eadem hostem jam admissum, cum majori ipsius dedecore ejiciamus. Etenim primam sibi reposcere curam in Ventris hac regione ipsum Ventriculum, facilè nobis concedent, qui norunt, quantam utilitatem ab ejus integritate tota capiat œconomia animalis, & è contrario quanta ab ejusdem debilitate, aut destructione afficiatur noxa, & quòd vix ulla in abdomine laboret pars, cui hic non compatiatur, hinc primas illi deberi partes, ipsum ejus nomen est indicio, quo tamquam parvus indigitatur Venter, & jamdudum ab *Hippocrate* animadversum, quòd ventriculo corpus retribuat, ubi vacuus fuerit, & de ipso fruatur, dum plenus existit: *Helmontius* autem operationes partis hujus mirabiles majori considerans stupore, ipsius Animæ sedem eidem, & potissimùm Pyloro, quem Rectorem constituit, audaciùs attribuit, quibus tamen operationibus miraculosis absque Gasteranacis, sive liquoris nervosi subtilissimi, & diutiùs intra tubulos fibrarum membranosarum jam commorantis, cujus imperio & ipse liquor dissolvens à sanguine per arteriolas secretus, & per glandulas, & interiorem tunicam in cavitatem stillans quodammodo subjicitur, potenti moderamine & ad motum pronitate minimè fungerentur, cui ut citò obediat ipsa organica ejus dispositio eum valdè reddit capacem. Rejectis verò morbis rariùs occurrentibus, & vel situm, vel magnitudinem, aut figuram ejus totaliter immutantibus, cujus primordia ab ipsa in utero formatione dependent, & in vita nec facilè cognoscit, nec corripi queunt, uti quòd aliquando cum omento in Thorace fuerit repertus, penes *Strauss. Resolut. fętus Mussipont. p.m.* 15. aut in dextra thoracis parte variis humoribus repletus, cum pulmonis in eadem parte carentia, apud *Riverium Cent.* 4. *Observ.* 67. *p. m.* 646. per medium sectus ulnam Parisiensem superaverit, apud *eund. p.* 664. communiores saltem pervestigandos aggredimur, quale sunt *Tumor*, *Ulcus*, & *Vulnus*. præterquam verò quod venter noster diverso modo intumescere solet, præcipuè in Hydrope Tympanitide, Hydrope Uteri, Mola, & quandoque in diuturna obstructione Mensium & Lochiorum, Ventriculus etiam ipse intumescere potest ex ipsius inflatione, ex stagnatione succorum in capacitate ejus facta, sed de his hic loci sermo noster non erit, cùm in Encyclopædia Medica jam plenè sint pertractata; sed Tumoris ventriculi nomine hic venit vulgo *Abscessus* particularis ventriculi, cujus cùm Auctores Chirurgici inter affectus medii ventris quoque faciant mentionem, pariter & nos, hic tamen potiùs, quàm alibi, de ipso utilia quædā tyronibus sum̄us communicaturi.

Ventriculi Tumor.

Ventriculus itaque non minùs ac aliæ partes molles Apostemationi, sit venia verbo, obnoxius est, quod cum contingit, vocatur *Tumor* seu *Abscessus* Ventriculi, qui nonnunquam in aliqua ejus parte, tum externa, seu gibba, tum intimis penetralibus exoritur, & aliquando indurescit, interdum autem suppuratur, ac in convexa parte ventriculi existens, ruptione sua pus in abdomen, extra ipsum ventriculum. in parte verò ejus intrinseca, & concava diruptus, materiam purulentam in capacitatem ipsius dimittit.

Ulcera & Vulnera.

Ex tumoribus hisce aliisque causis nonnunquam & *Ulcera* generatur Ventriculi, quæ raròquidem, sed tamen aliquando occurrunt, sæpiùs autem *Vulnera* ipsi accidunt Ventriculo, cùm pars hæc ęquè ac aliæ externis illis injuriis violentis sit exposita.

Affectus hi cùm solo nomine eorum audito omnibus pateant, eos hic pluribus verbis describere vel definire operæ haud ducimus pretium.

Pars affecta.

§. 2. *Pars affecta* est Ventriculus utriculum fermè exhibens, constatque pluribus diversę naturę membranis, & quadam villosa glandulis consita, ac in talem aptatur formam, talibusque instruitur contentis, ut digestionis officina commoda fiat, cibum scil. & potum facilè admittit, continet, & mediante succo quodam ex glandulis suis prodeunte, salviæ haud absimili, à sanguine separato, ita dissolvit, ut succulentæ partes à fœculentis secedant, totum denique solutum convenienter expellatur. Ex tribus enim membranis componitur Ventriculus, quarum interior & exterior ex fibris tendinosis sunt contextæ, & media ex fibris carneis. Medium spatium, quod inter interiorem tunicam & mediam interjacet, multis minutissimis glandulis vesicularibus est conspersum. Ductus illarum excretorij interiorem tunicam pervadunt, & in ejusdem cavitate plumulæ instar quid efformant, hinc aliis vocatur *Tunica Tomentosa*. Cùm Tunicæ mediæ textura ritè considerantur, tres vulgo visuntur in ipsa fibrarum ordines in brutis, duo verò in hominibus; prior nil aliud est, quàm continuatio fibrarum longitudinalium œsophagi, quæ à superiori ventriculi orificio ad pylorum pertingunt: Alter verò est continuatio fibrarum circularium œsophagi, quæ in angulos rectos à longitudinalibus secantur. Diversi isti omnes fibrarum ordines nullam aliam ob causam instituti fuere, nisi ut motum peristalticum in stomacho perficiant. Hujusce motus & vibrationis quasi ministerio alimenta, quæ in stomachum per superius ejus orificium delapsa sunt, ab illo per pylorum exturbatur. Cæterùm ventriculus arteriis à cœliaca gaudet, venas verò ad splenicam & portam mittit, par vagum suppeditat illi duos nervorum ramos satis magnos, & innumeræ fibrillæ nerveæ à plexu

plexu mesenterico in illum exporriguntur, & tandem ab eo egrediuntur vasa nonnulla lymphatica, quæ ad chyli receptaculum contingunt. In luporum ventriculis inter tunicam carneam, & nerveam, apparent sæpe glandulæ satis ingentes, & soliditate ferè cartilagineæ, in quibus hærent lumbriculi exiliores, quos stimulatores hujus generis animalis summariter appellant. Sic & Celeberrimus D. Bohnius P. P. amicus singularis, in canibus mecum simile paradoxum observavit.

Diagnosis.

§. 3. *Tumor* Ventriculi innotescit ex ipsius distentione externa, & ipso visu, & tactu cognoscitur, simul enim regio sinistra infra papillam comprimitur, & intumescit, adest etiam appetitus prostratus, aliquando vomitus, aliquando diarrhœa.

Vulcera Ventriculi cognoscuntur ex eo quando è regione ista effluit materia purulenta, & si adsit vomitus, dolores torminosi maximi, aliaque ventriculi vitia; sæpe observavi halitus graveolentiam, fœces alvinæ sunt interdum nigræ, copiosæ fœtideque, adest sępissimè his in affectibus ardor ventriculi ob acidum corrosivum ibidem latens.

Vulnus ipso etiam visu innotescit, & simul adsunt vomitus pituitosi & biliosi, adsunt tormina, singultus, sudores sæpe erumpunt frigidi, & externa frigescunt, appetitus prostratus, injecta alimenta, & potulenta ex vulnere effluunt, quæ vulnera facilè in ulcera transeunt, exinde enim ventriculum vulneratum esse prædicamus. Quòd autem alimenta ejiciuntur per vulnus, mirum non est, quia ventriculus adeò læsus est, ut sit foramen factum, simul etiam convulsionibus vexatur, hinc vomitus & tormina. Reliqua symptomata oriuntur ab impedita sanguinis circulatione, unde extrema necessariò frigescere debent.

[G]alenicorum opinio [d]e causis ventriculi [t]umoris & [a]bscessus.

§. 4. *Ætiologiam* instituturi, præmittemus aliorum judicia nostro, & quidem agmen ducent Veteres, *Galeni* effata tenaciùs persequentes, quorum de causis Ventriculi *Tumoris* hæc est opinio, quòd originem hic sumat à variis humoribus in ventriculo vel per affluxū, vel per congestionem collectis & in eo corruptis, in specie verò *Abscessum* frequentiùs sequi volunt inflammationem hujus partis sanguine in materiam purulentā converso.

[U]lcerum.

Vlcerum Ventriculi causam statuunt humores acres, vel in Ventriculo ex pravis alimentis contractos, vel aliunde transmissos, à quibus tunica ventriculi interna abradatur, & exulceretur, quod, & contingere posse affirmant à causis externis intrò assumptis, medicamentis scilicet adurentibus, deleteriis, & exulcerantibus imprudentiùs exhibitis.

[V]ulnerum.

Inter *Vulnerum* Ventriculi causas externa recensent instrumenta scindentia, vel pungentia, cultros, enses, tela, aliaque manu violenta per abdomen in Ventriculum detrusa, ut continuitas ejus inde dissolvatur.

[P]aracelsi [op]inio de [c]ausis mor[bo]rum hor[u]m.

§. 5. Recta à Galenicis ad Chymicorum illum Monarcham *Paracelsum* progredimur, qui his in Ventriculi morbis nullam peculiarem excogitavit causam, sed ut in aliis partibus ita & hic *Tumorem* à collectione humorum oriri fatetur, Abscessumque fieri, quòd materia collacta nondum adeò fortis sit, ut aperturam efficiat; si verò salia immista sint corrosiva, ipsum *Vlcus* subsequi docet cum apertura, & *Vulnus* Ventriculo à causis infligi concedit externis, alias quasdam abdominis partes simul disjungentibus.

[S]ecundùm [H]elmon[ti]um causa [v]entriculi [t]umoris [ul]cerum [&] vulne[r]um.

§. 6. Adstat nunc per ignem ille Philosophus *Helmontius*, ut de causis morborum præsentium suam subscribat sententiam, quæ eò vergit, ut Ventriculi *Tumor* sæpius dependeat à Pylori regiminis obliti clausura diuturniore, ob quam alimenta digesta ad intestina nequeant transire, sed æquo diutiùs retenta corrumpantur, & ventriculum ipsum distendant, interdum verò cum latice acriori commista partem hanc exedant atque exulcerent. In *Vulneribus* communem admittit causam à prioribus jam indigitatum.

[W]illisii [op]inio de [c]ausa ho[ru]m Ven[tr]iculi [m]orborum.

§. 7. *Vvillisium*, decus illud Anglorum percipimus, à sanguine per arterias intra tunicas effuso, ibidemque per diuturniorem commorationem corrupto, *Tumoris* Ventriculi causam deducere, non aliter, ac in aliis partibus Abscessus soleant contingere.

Vlcerum causam Ventriculum infestantium ipsum ait sanguinem esse corruptum purulentum, acrimonia sua membranas ventriculi exedentem.

Vulnerum Ventriculi causam admittit res externas scindentes vel pungentes, per violentiam quandam ipsi ventriculo intrusas.

Secundum Sylvium causa horum morborum.

§. 8. Lugdunensium illum Æsculapium, D. *Sylvium* de causis morborum Ventriculi jam nominatorum si interrogamus, id deportamus responsi, *Tumorem* vel Abscessum eius pronasci à sanguine in ventriculum, vel intra tunicas eiusdem effuso, & cum humoribus variis commisto, & corrupto, quæ miscela aliquando in ipsam abeat suppurationem.

Vlcus Ventriculo obvenire docet, quando humores isti valdè acres sint & erodentes, & *Vulnus* ab externa quadam re scindente aut pungente per pectus aut abdomen ad ipsum ventriculum violentiùs adacta.

Cartesianorum judicium de causa morborum horum.

§. 9. Qui Philosophi illius accuratissimi D. *Des Cartes* principiis fundamenta Medica superstruunt, in *Tumore*, & Abscessu ventriculi succi chylosi in extremitatibus arteriolarum incrassationem, & stagnationem accusant, abs qua dum ramuli obstruuntur, vicini tubuli simul comprimuntur, & transfluxum succorum impediunt, donec diversæ particulæ, porosiores, & angulares, materia subtili fortiùs commotæ, fibras dirumpant, & succus chylosus ob particularum acidarum copiam in materiam abeat purulentam, quæ tamdiu intra tunicas augetur, donec fibras perterebret, & vel per vomitum aut secessum ejiciatur vel diutiùs retenta graviora mala producat.

Vlceris Ventriculi causam ipsam illam erosionem aut diruptionem indigitant fibrarum membranacearum stomachi, factam à particulis angularibus acutis ipsius chyli corrupti. *Vulneri* Ventriculi communes adsignant causas, ab aliis iam manifestatas.

Nostra sententia de causa Ventriculi Tumoris & Abscessus.

§. 10. *Nostrum* ut adiiciamus calculum, affirmamus, *Tumorem* Ventriculi ut plurimùm oriri à stagnatione sanguinis & succorum circa ipsius regionem, vel externè à frigore contracta, vel internè à sanguinis constitutione depravata, vel à contusione, ulceratione, vel combustione, & tunc dicitur symptomaticus. Obstructio enim minimorum vasorum ventriculi adest, vel succi nimis crassi ac viscidi sunt, vel sanguinis, & succi reliqui eò nimia copia impelluntur.

Vlceris.

Vlcus Ventriculi est ut plurimum ab acidis corrosivis seu acribus succis partes has perfluentibus, & ibidem stagnantibus, & imperium sibi rapientibas, cùm enim acidum in arteriis gastricis sanguinem stagnare faciat, vicinas ventriculi partes corrodit, & devorat, hinc ulcus, particulę enim illę acidę pertinaciter hęrentes in poris tunicarum ventriculi humores alios perfluentes inficiunt, & convertunt in acidos, qui dein ob tubulos ab ulceribus interruptos circulationem perennare non valentes, à succis à tergo continuò insequentibus propelluntur foràs in cavitatem vlcerum, hinc ulcera hæc ut plurimum sordida sunt, & cùm pars hęc ventriculi glandulosa existat, eò magis semper alius humor ex his glandulis emanat, & in eūdem vertitur succum acrem, & corrosivum, & cùm simul fibrillæ stomachi discindantur, hinc ulcera ista sunt valdè dolorifica, imprimis si fuerint in superiore ventriculi parte, putà orificio, quod ob concursum nervorum valdè est sensibile. Observavimus etiam à pustula acri ventriculi parti exteriori adhærente, abscessum, & ulcus excitatum fuisse ventriculi: confer Eph. Germ. Ann. 9. & 10. Obs.

Vulnera oriuntur à continui solutione vi facta, à causa scil. externa. Sic vidimus aliquoties ventriculum vulneratum ab ense, ut quicquid ferè cibi immitreretur, ilicò ventriculi ima parte iterum effluxerit Vulnera hęc vel à parte posteriori inferri solent, nonnulla sunt tantùm superficialia, alia per ipsam tunicam ventriculi transeunt, alia sunt cum contusione.

Prognosis Ventriculi Tumoris.

§. 11. *Prognosin* quod concernit, *Tumores* Ventriculi non sunt spernendi aut negligentiùs tractandi, cùm liquorem digerentem vel corrumpere, vel impedire possint, ne per internam tunicam in ventriculi cavitatem stillare valeat, hinc dyspepsiæ, anorexiæ, quin vomitus quandoque, & alia symptomata graviora subsequuntur. Materia etiam purulenta post abscessum ruptum

tum existente copiosiore, & acriore, diarrhœæ, uomitus enormes, & aliquando suffocationes, interdum etiam mors ipsa tragœdiam hancce claudere solent. Forinsecus per exteriorem tunicam si abscessus fiat diruptio, materia purulenta non facilè evacuabitur, unde spuria nonnunquam suboritur pleuritis, & verendum, ne musculi adjacentes aut reliqua viscera exedantur, & nova quædam vomica in abdominis cavitate colligatur.

Vlcerum. *Vlcera* ventriculi difficillima curatu esse, extra omnē dubitationis aleam ponimus, ea verò aliquando curata fuisse, plures testantur authores Medici fide digni; sic, & nos exemplum communicavimus curiosis, ceu superiùs dictum est; hinc Cl. *Merclinus Eph. Germ. Decur.* 1. *An.* 2. *Obs.* 229. exemplum foraminis cujusdam dat in ipsa sede ventriculi elatiore, sub sterno fœtidissima scatentis amurca, de qua patiens ante annos aliquot cōquestus, brevi post aperturam moriebatur; confer *Stalpart. Obs.* 26. *Obs. rarior. cent. post part.* 1. item *Salmuth C.* 1. *Obs.* 43. *Holler. c.* 43. *Forest. l.* 18. *Obs.* 33. *Scultet. Armament. Chir. Obs.* 50. *Hildan. cent.* 3. *Obs.* 20. &c. Ulcera enim hæc plerisque ęgros ad mortē, ni hanc accelerent, comitari solēt.

Vulnerum. *Vulnera* Ventriculi lethalia statuit *Hippocrates Aph.* 18. *S.* 6. non verò quòd simpliciter talia sint, sed quæ magnam violentiam & discissionem involvunt, *Celsus* verò, *Avicenna*, alii plerumque lethalia illa putant, plura tamen novimus exempla eorum, quorum saucii curati sint ventriculi. Confer *Fallop. Dimerbroc. p.* 33 *c.* 6. Sed ut verum fatear, inter rarò contingentia illa referenda esse existimo. Meretur hic legi Obs. 4. Cent. 2. Cl. *Blannard. Anat. pract. rat.* Semper ergò his in vulneribus notandum est, sintne vulnera magna, penetrantia, an minus; sintne in orificiis ventriculi, an in fundo eius. Superficialia ergò vulnera faciliùs curantur, quàm penetrantia. Sic & periculosissima sunt ista, quæ sinistro ventriculi orificio infliguntur, ob discissionem multorum nervorum ac fibrarum ibidem prostantium, inde affectus spasmodici aliaque terribilia oriuntur symptomata. Non tam periculosa sunt ea vulnera, quæ in ima parte ventriculi inferuntur, quia substantia ista ventriculi carnosior, crassior atque non tam membranacea est, hinc faciliùs sanari possunt. Si arteriæ magnæ aut alia vasa fuerint rupta ac discissa, eò periculosius malum est.

Rara & miratione digna sunt duorum cultellivororum exempla, quorum alterius *Osvvaldus Crollius Præfat. Basil. Chym.* meminit, cùm inquit, Bohemum rusticum Anno 1832. Pragæ cultellum novem pollices longum deglutiisse, cuius acumen paulò supra ventriculi fundum ad sinistam partem extuberabat, verso ad dorsi spinam manubrio. Hic autem culter post duos menses per Chirurgum Florianum Matthis feliciter per scissionem extractus, locusque dein sanatus est. Huncce verò cultellum Ipse Romanorum Imperator inter pretiosiores rarioresque thesauros asservari jussit. Alterius meminit *Joh. Cluverus Epit. Histor. l.* 2. *Append.* per idem, ajens, tempus, [videlicet 27. Maj. An. 1635.] adolescens quidam rusticus 22. annorum, in Borussia novum vitæ periculum novo atque audaci remedio evitavit. Andreas Grunheide nominabatur, ex Grunuvalda, is diu stomachi languore laborabat, atque ideò vomitionibus assuetus, cùm semel pro more suo arrepto cultello manubrium ejus in fauces immitteret, gulæ ad vomitum stimulandæ ergò, cultellus forte è manibus elapsus gulam profundiùs ingreditur, ac demum, etsi ægrè, in stomachum ipsum descendit. Igitur ancipiti malo, & haud dubium in exitium hominis vergenti, anceps quoque & strenuum remedium consilio Medicorum Regiomontanorum adhibetur, quod ejusmodi fuit: Ægro firmis asseribus fortissimè alligato, constrictoque, ne versando se, curam magistri turbaret. Chirurgus paulò infra costas sinistri lateris apta ad id novacula aperire corpus ad ipsum usque ventriculum cœpit, tum pertentato eo apertoque levi è vulnere cultellum extrahit. Æger dein adhibitis fomentis & debita curatione brevi planè convaluit. Cultellum testem miraculi Rex Poloniæ per idem fortè tempus Regiomontem intrans ad se recepit; quam historiam & fideliter Heurnio Professori Lugdunensi in Batavis communicavit Daniel Beckerus, Academiæ Regiomontanę tum temporis Professor, juvenis quoque & cultelli picturam transmisit, quę à me in Lugdunensi theatro Anatomico conspecta est, & hodie dum conspici potest. Interim ipsa hęc historia à pluribus, pręsertim vero ab ingeniosissimo Thod. *Craanen*, Consiliario & Archiatro quondam Brandeburgico, & Amico meo singulari, nunc etiam post cineres colendo, in dubium vocatur, quam tamen confirmat cultrivorus juuenis 16. annorum Nallentis 1692. Nos etiam vulnera superficialia, quin etiam penetrantia ventriculi Limburgi & Decię curata novimus, & hac de causa de vulneratis coram judice non semper hęc vulnera pro lethalibus exclamentur ab imperitis, ne sanguis innocentis effundatur, qui dein coram tribunali judicis vindictam poscit, quare in his Medicus requisitus cum circumspectione sententiam suam pronunciet. Celeberr. D. *Mentelius* observ. communicavit curiosis de vulnere ventriculi ultra 11. annos aperto, superstite viro, vid. *Eph. G. Decur.* 2. *A.* 5. *Obs.* 1.

Diæta. §. 12. In Ventriculi Tumoribus, Vulneribus & Ulceribus *Diæta*, si unquam, certè hic optima instituenda est, & quidem eò potissimùm respiciendum est, vt stagnatio humorum in Tumoribus impediatur & resolvatur, in Ulceribus vero & Vulneribus, ut acidum corrosivum temperetur, &, si possibile, planè tollatur. Aer ergo sit temperatus, cibi sint boni succi & facilis digestionis, potus sit ventriculo gratus, & hic non nimiùm eo repleatur, imprimis ab acidis abstinendum, ne iis cibos corrumpas, hinc enim chylus corruptus & crassus sanguisque inspissatus maximè nocuus generatur. Nec potus frigidus hauriatur, quantum enim frigidus potus bibentibus noceat, omnibus notum. Sanguis enim æstuans statim à frigore coagulatur, coagulum illud in hac aut illa parte imperium sibi rapiens & sedem figens varios affectus excitat, dum primò oritur febris, postea sanguine corrupto emaciantur homines, atque sæpe perditum eunt, unde maximè culpandi sunt ii, qui tempore æstivo palati gratia potum ordinarium glacie refrigerant, in plures enim inde incidere possunt gravissimos morbos, qui tamen mos perquam perversus in aulis etiam hodierno adhuc tempore adeò solet esse solemnis. Motus & quies non excedant limites, magis tamen prodest quies. Somnus & vigiliæ ad mediocritatis regulas coerceantur. Alvus sit lubrica, animæ passiones sint pacatæ ac tranquillæ, si ullibi certè hisce in ventriculi affectibus observandæ.

Galenicorum cura in Ventriculi Tumore & Abscessu. §. 13. *Curationem* dirigunt *Galenici* in Ventriculi *Tumore* ad diversitates humorum, in *Abscessu* ab inflammatione, adeoque sanguine copiosiùs in ventriculum deposito ibidemque corrupto oriunda studium locantes maximum, ut sanguinis copia minuatur, & à ventriculo fiat aversio per venæsectionem in utroque cubito per vices institutam, apertionem hæmorrhoidum, cucurbitularum in natibus applicationem, ipsam verò purgationem non instituunt adeò fortem, sed solùm lenientia approbant post digestionem externis linimentis ex oleo chamomel. melilot. amygdal. butyro recenti & axungia anserina, vel cataplasmatis ex sem. lin. fœnigr. fol. alth. flor. chamomel. melilot. compositis instituendam, quem in finem laudant decoctum tamarindorum, syrupum rosar. ex multiplici infusione paratum, mel rosaceum saccharinum laxativum, mel aereum, electuarium diaprunis, cassiam fistul. in aqua endiviæ solutam, vel clysteres emollientes & lenientes frequentiùs injiciunt ex decocto malvæ & violariæ, vel pulli, cum cassia, ol. rosac. vel violac. sacchar. & vitell. ov. paratos. Apparentibus deinde coctionis & declinationis indiciis, septimo die confidentiùs exhibent remedia fortiùs aliquantùm purgantia, ex infuso rhabarb. cum santal. addito succo rosaceo ad validiorem sordium parti affectæ adhærentium eductionem. His peractis tum alterantia, tum roborantia ex aq. plantag. rosar. syr. nymph. Spec. diarrhod. Abbat. diamarg. frigid. per tempus aliquod continuant, donec apostemati resolutio facilè obtineatur, quam promovent terebinthina aq. absinth. lota, vel julapiis ex aq. lactuc acetos. fœnic. syr. de pom. & absinth. paratis, addito pulvere ex specieb. diamarg. frig. Fotus externè quoque ven-

ventriculi admovent regioni, paratos ex decocto rad. Ir. Flor. fol. menth. absinth. Pont. puleg. majoran. sem. anis. fœnigr. flor. chamomill. anthos in aqua & vino. Suppurationem promovent cataplasmatis ex rad. alth. fol. branc. ursin. flor. rof. farin hord. sem. lini, fœnigr. flor. chamomill. in aq. coctis, additis ol. rof. chamomill. & pingued. gallinæ, quæ sæpiùs repetunt ad abscessus ruptionem, qua obtenta & pure per secessum educto, ulcus abstergunt vel decocto hordei cum saccharo rosaceo, vel hydromelite in potu exhibito, addita nonnunquam manna thuris. Accedente verò Tumore Ventriculi ad speciem *Oedematis* vel *Scirrhi*, curam ad pituitam & humorem crassiorem dirigunt, uti in morbis hisce alias partes occupantibus facere sueverunt, habita sollicitudine, ne vomitum excitent, quo majorem ad ventriculum laborantem humorum affluxum futurum esse metuunt, potiùs clysteribus per inferiora materiam molestam evacuant. Inter topica aliis præferunt, quæ ventriculum simul roborant & modicè relaxant, qualia sunt oleum nardinum, anethinum, chamæmelinum, absynth. cum myrrha & schœnantho, emplastrum diachyl. vel de meliloto, oleo nardino & mastichino malaxatum, vel emplastrum de Hyssopo Philagrii. Magnis autem encomiis deprædicant ipsum schenanthum in vino coctum, & tum intus exhibitum, tum foris cataplasmatis forma ventriculo sæpiùs appositum.

Ulcere.

Ulcus Ventriculi præmissa venæsectione ad humorum peccantium aversionem, ne in partem jam debilitatam copiosiùs influant, abstergunt remediis mitioribus, ne fortioribus exhibitis vomitus excitetur, & motu hoc violentiori foramen ulceris dilatetur, quare mineralia quævis rejiciunt, exceptis acidulis seu aquis mineralibus nonnullis ferratis & aluminosis, ex quibus Galli acidulas Meinenses, Itali verò aquam Tetuccianam laudibus haud vulgaribus deprædicant, ob singulares, quibus præditas esse dicunt, virtutes Ventriculi & intestinorum sordes detergendi, putredinem arcendi, partes affectas consolidandi & cicatricem inducendi. Decocta quoque approbant absinthii, menthæ, aut calamenthæ, thymi, prassii, stœchadis, &c. nec non aquam hordei cum melle rosaceo, vel lac asininum, quibus si speratus non obtineatur successus, ad hieram, vel electuar. diacatholicum confugiunt, quorum usum tamdiu continuant, donec locum affectum optimè, ut putant, habeant repurgatum. Facta sic detersione, ad siccantia pergunt, adstringentia & carnem generantia, quorum numero inserunt syrupum myrtinum, cydoniorum, symphyti, de rosis siccis, rob de cornis, mespila condita, baccas myrti, pulveres ex bolo Armeno, lap. hæmatit. ebore ust. trochiscos de spodio, de terra sigillata, de carabe, vel electuarium ex thure, sarcocolla, acacia, coral. & bolo Armeno, melle exceptis paratum, vel additis conservis quibusdam, ut sequens monstrat formula:

℞. *Conserv. Symphyt.* ℥j.
Absynth. ʒij.
Carn. cydon. condit. ʒvj.
Corall. rub.
Bol. Armen.
Lap. hæmatit. aq. rosar. diligenter lot. aa. ʒiß.
Ebor. ust. ʒj.
Hypocist.
Thuris,
Sarcocoll. aa. ℈j.
Sacchar. rosat. tabellat. ad pondus omnium
M. & cum syrupo myrtino F. s. a. Electuarium, manè & serò ad castaneæ quantitatem exhibendum.

Topica externa ad ulceris occlusionem & consolidationem conficiunt fotuum forma ex decocto absinth. malicor. rosar. balaustior. myrtillor gallar. thur. mastich. uel emplastrum aliquod imponunt adstringens, qualia sunt triapharmacum *Mesues*, uel diachalciteos appellatum.

Vulnere.

Vulnus Ventriculi magnum, si fieri potest, consuere solent, paruum uerò omissa sutura solis pulueribus adstringentibus & sarcoticis inspersis ad unitatem reducere tentant, cute tamen abdominis & omento exciso sutura denuo conjunctis, in parte verò inferiore relicto quodam ad puris exitum foramine, cui turundam ipsum ventriculi vulnus aliqualiter saltem tangentem, & medicamentis sarcoticis ex syrupo de rosis siccis, pulvere sangu. dracon. bol Arm. & mastich. paratis illitam immittunt, tum fomenta & emplastra adhibent sarcotico-stomachica, & internis convenientibus remediis curationem promovent, propinato vel decocto vulnerario ex rad. tormentill. consolid. caryophyllat. herb. centaur. min. sanicul. equiset. vel exhibito electuario ex consolidantibus, quale in Ulceribus modò fuit descriptum, vel conservam rosarum antiquam, aut trochiscos diatragacanth præbent deglutiendos. Cibo ventriculum non nimiùm volunt onerandum, ne ventriculus ab iisdem validiùs distendatur, & consolidatio impediatur, ut tamen æger sustentari possit, clysteres in usum ducunt nutrientes, quibus hoc in casu vires haud parvas largiuntur.

Paracelsi cura in morbis hisce.

§. 14. *Paracelso* curatio *Tumoris* & *Abscessus* Ventriculi peragitur sublatione putrefactionis & grossitiei humorum in Ventriculo collectorum, quam intentionem se omnium optimè consequuturum esse confidit per alcali suum, atque magisterium & essentiam Tartari, quæ remedia hoc in morbo tanquam arcana singulari habet in pretio.

Ulcera & *Vulnera* hæc eodem tractat modo, quo reliqua alias partes occupantia; nec discrimen illud admittit, quòd quædam vulnera ratione partium sint lethalia, cum quodvis vulnus neglectum aut minùs convenienter tractatum, mortem queat inferre, interim vulnera hæc aliis periculosiora dicenda concedit, è remediis autem eligit in Ulceribus balsamum Tartari, in Vulneribus essentiam hyperici & centaurii minoris intus adhibita, & foris emplastrum Oppodeldoch ad consolidationem usque, tum in Vulnere, tum in Ulcere partis hujus apponit.

Helmontiana affectuum horum Ventriculi curatio.

§. 15. *Helmontius* in ipso etiam Ventriculi *Abscessu* emollitionem & maturationem promovet, per medicamenta aliarum partium apostematibus accommodata, sanguinem nempe hirci & olea nonnulla, maximè in Scrophulis sibi usitatum illud polychrestum, tum axungia leporis promovet rupturam, & curationem consolidantibus absolvit.

Ulcerum Ventriculi internorum curationem arcanis peragendam esse vult, & potissimùm ex Antimon. paratis; si verò partes vicinæ & continentes abdominis simul sint apertæ, remedia externa etiam approbat, quæ aliis Ulceribus in genere conveniunt, ex quibus singularem adscribit virtutem ipsi terræ vitrioli, utpote in qua peculiaris lateat ulcerum domitor.

Vulneribus Ventriculi adhibet alcalia, & maximè oculos cancrorum, tum potiones vulnerarias, quas hoc in casu vires non adeò contemnendas possidere facilè credit, & cùm ventriculus aliarum partium vulneratarum fœlici curationi prospicere debeat, eum sibi ipsi pro meliori successu medicamina præparaturum & dispositurum esse sibi persuadet, modò os stomachi adhuc existat illæsum, secus enim si contingat, mortem ipsam omnem curationis spem ademisse experientia multiplici jam annotavit.

Willisius cura in Ventriculi Tumore.

§. 16. *Willisius* ad curationem Ventriculi *Tumoris* commodè obtinendam eò incumbit, ut sanguinis ulterior ad partem hanc prohibeatur affluxus, & materia intra tunicas ventriculi stagnans, à venis quantum possibile, resorbeatur, quam intentionem venæsectione se consequi posse profitetur, quibus subjungit clysteres diutiùs continuandos, & fermè quotidie exhibendos, ut ita subducta alvo sanguinis recrementa proliciantur, tum julapiis & apozematis sanguinem attemperantibus ex endiv. lactuc. acetos. decocto hordei cum glycyrrhiz. sem. fœnic. utitur, & sanguinis lentorem resolventia iisdem subjungit, quæ salibus constare debent volatilibus, ex quibus spiritum laudat Sal. Armoniaci interiùs exhibitum, & foris pro dolore simul leniendo linimentum ex unguento dialth. vel fotus & cataplasmata ex chamomill. menth. fœnic. sem. lini, & simi-

& similibus in usum ducit. Materia verò ad resolutionem existente inepta, eandem per medicamenta maturantia concoquit, ut ita interiùs, si fieri possint, abscessu dirupto, materia purulenta vel per vomitum leviorem, vel, quod melius est, per secessum evacuetur, quare cataplasmata ex farina hordei, sem. lin. fœnigr. flor. chamomill. meli lot. rad. alth. additis oleo lilior. vel chamomill. & axungia quadam, vel butyro confecta imponit, & internè oleum sem lini cum aqua menth. & agrimon. nec non syrup. Hyssopi mixtum aliquoties in die ægro præbet absorbendum, donec pure evacuato abstersio fieri possit decocto hordei cum melle, & tandem balsamo Peruviano perfecta instituatur sanatio.

Vlcere. Ad *Vlcus* Ventriculi sanandum remedia adhibet mundificantia, abstergentia, exsiccantia & consolidantia balsamica, decocta vulneraria ex agrimon. scabios. pimpinell. veron. Electuaria ex conserva rosar. menth. absinth. cum ocul. cancr. corall. margarit. bolo Armen. oleo terebinth. syrup. symphyt. & similibus in ulceribus aliis convenientibus.

Vulnere. Eadem etiam vulneraria usurpat in Ventriculi *Vulneribus*, potissimùm verò apozemata ex millefol. veron. agrimon. tormentill. rasur. C. C. rad. consolid. sem. myrtill. mastich. nec non balsamum de Capaiba, Spiritum mastichis, myvam cydonior. pulveres ocul. cancrorum, oliban. lap. hæmatit. pp. Corall. pp. Inter emplastra foris applicanda mastichinum approbat, & commune illud stypticum Crollii, omnibus vulneribus accommodatum.

Sylviana morborum horum ventriculi curatio. §. 17. *Sylvius* Ventriculi *Tumori* inungit varia unguenta & linimenta, ex unguento nempe dialth. martiat. ol. Chamomill. lil. anethi, non omissis salibus volatilibus, ad sanguinis coagulationem resolvendam, quòd si verò hoc videatur impossibile, & abscessus tendat ad suppurationem, ad cataplasmata pergit emollientia & maturantia, ex farinis, herb. nasturt. chærefol. malv. & cæpa sub cineribus cocta, cum oleo lilior. parata, quibus si abscessus sit ruptus & *Vlcus* existat, vulneraria propinat vel apozematis, vel pulveris, vel electuarii forma, quorum potissima ingredientia sunt acidum domantia, rad. consolid. Saracenic. aristol. tormentill. Herb. sanicul. pyrol. alchimill. veron. beton. summitat. hyperic. aq. plantag. diascord. ras. C. C. ocul. cancrorum, C. C. ust. Antimonium diaphoret. quibus præmissis ulcus post modum balsamo suo terebinthinato mundificat & consolidat. In *Vulneribus* hujus partis eadem ratione procedit, & pro faciliore consolidatione emplastrum stypticum foris vult imponendum.

Cartesianorum modus curandi ventriculi Tumorem. §. 18. *Cartesiani* curationem Ventriculi *Tumoris* aggrediuntur remediis attenuantibus & succorum crassitiem & stagnationem resolventibus, ut fluorem pristinum recipiant, & tubuli ab obstructione liberentur, quod præstant salibus volatilibus, & nonnunquam etiam fixis diaphoreticis quodvis angulare domantibus, & factam inde coagulationem destruentibus, adeoque tali vel simili mixtura curationem inchoant.

℞. *Aq. Chærefol.* ℥ i ß.
Menth. ℥ j.
Essent. agrimon. ʒ ii ß.
Centaur. min. ʒ j.
Spiritus sal. Armoniaci anisat. ʒ ß.
Syrup. Scabios. ℥ j.
M. d. cochleatim.

Potum ordinarium convenientem reddunt vegetabilibus quibusdam radicibus nempe enulæ, pimpinell. Zedoar. fœnic. herb. agrimon. menth. absinth. Pont. heder. terrest. marrub. piperitid. nasturt. rut. flor Chamomill. Rom. anth. summit. centaur. min. sale Tartari fixo & volatili, eundem calidiusculum potiùs, quam frigidum propinant, & hac de re decoctum Thee miris in huiusmodi casibus deprædicant encomiis, quæ tamen vires aliis Decoctis ex debitis simplicibus paratis, & calidiusculè assumptis non sunt detrahendæ, calor enim in attenuatione & resolutione succorum incrassatorum singulare præbet juvamen, quodcumque vitiosè quiescens ad motum salutarem excitando, & hanc ob causam externos etiam fotus ventriculo applicandos seriò commendant, quales sunt, qui parantur ex maceratione herbar. chærefol. taraxac. scord. absinth. flor. chamomill. sambuc. sem. lini, cumin. in spiritu vini, in mortario parum conquassatis, & addita camphora sacculo lineo inditis, ut ventriculi regioni calidiusculè applicentur. Quando verò ob nimiam collectæ materiæ copiam attenuatio & resolutio obtineri nequit, & abscessus ad suppurationem pergit, hanc promovent admotis cataplasmatis paratis ex rad. cucum. asinin. alth. bryon. allii, cepæ, fol. chærefol. brassicæ, betæ, branc. ursin. parietar. farin. lini. fœnigr. fabar. ficubus, flor. chamomill. melilot. sambuc. croci, axungia porci, vitulina, humana, butyro, oleis lilior. chamomill. verbasc. terebinth. gum. ammon. galban. melle, aliisque emollientibus, ut succi motu hujusmodi arctiùs compressi, in angustiori spatio agitati tunicam ventriculi distendant, attenuent, & fibras quasdam tandem dirumpant, sicque materia purulenta in ventriculi cavitatem dilapsa per intestina evacuetur, quapropter pro citiori & faciliori cataplasmatum penetratione & abscessus diruptione iisdem pauculum quidpiam calcis vivæ, aut Salis Tartari immiscent, vel regionem ventriculi tali linimento inungunt, super imposito postmodum subsequenti emplastro.

℞. *Unguent. Agripp.* ℥ ß.
Basil. ʒ ij.
Ol. dest. menth.
Chamomill. ana ℈ ß.
Ol. lil. alb. ʒ i ß.
M. F. Linimentum.
℞. *Emplastr. de melilot.* ℥ ij.
Diachyl. cum gum. ℥ j.
M. malax. ol. chamomill. & menth. & imponatur loco tumenti.

Pulveres internè exhibent rupturam facilitantes, & materiæ purulentæ evacuationem promoventes, qualis sequens existit non contemnendi usus.

℞. *Ocul. cancrorum* ℈ ij.
Sperm. cet. ʒ ß.
Rad. ari ℈ j.
Salis absinth. gr. xij.
C. C. volat gr. vj.
M. F. Pulvis, de quo vna vice quantum mucro cultelli capit, exhibeatur. Rebus ita gestis Decocta vulneraria in usum ducunt, vel mixturas alias convenientes ex aq. veron alchimill. Tinctur. myrrh. Syr. botryos, donec balsamo Peruviano, de Capaiba, essent. chelidon. cum Spiritu Sal. Armoniaci anisat. consolidationem & sic integram sanationem pro voto perficiant.

Vlcus. Existentibus verò succis adeò acidis, & tot particulis angularibus acutis permistis, ut *Vlcus* per longiorem permaneat temporis tractum, fortiora addunt alcalia & porosa ex tinctura Tartari, aq. calcis vivæ Spir. uin. camphorat. aliisque acidum destruentibus, ut accedente laudabili succo nutritio foramen oppleri, & solutio continui debitè queat reduniri, cui scopo sequens subserviet mixtura.

℞. *Aq. Veron.* ℥ i ß.
Numular. ℥ j.
Alchimill. ℥ ß.
Calc. viv. ʒ iij.
Spiritus mastich. ʒ i ß.
Camphor. ʒ ß.
Syr. Consol. maj. ℥ j.
M. d. cochleatim.

Pulveres etiam exhibent ex oculis cancrorum, olib. myrrh. corall. pp sang. dracon, & foris Emplastrum oppodeldoch *F. Vvurtzii* apponunt, non omissis fotibus calidiusculis, ex herbis stomachicis & vulnerariis, cum spiritu vini & camphora paratis.

Vulnus. Non minorem curam adhibent in Ventriculi *Vulnere*, cui salibus volatilibus tum internè, tum externè usurpatis prospiciunt, ne in labiis succorum stagnatio, & hinc inflammatio excitetur, quapropter exhibitis internis sudoriferis, regioni vulneris fotus ex herb. menth. hyssop. beton. flor. chamomill. hyperici, sale armon. & camphora in Sp. Vini maceratis appo-

apponunt, tum turundas foramini abdominis insinuant unguento traumatico illitas, & propinatis per tempus aliquod potionibus vulnerariis ex herb. centaur. min. card. bened. alchimill. pyrol. hyperic. rad. pimpinell sanguisorb. zedoar. consolid. glycyrrh. in aq. paratis, addito pulv. ocul. Cancrorum; vel ordinario potui, cerevisiæ aut vino dulci instillant Tincturam hyperici, cum tinctura myrrhæ mixtam, aut balsamum Peruvianum, aut de Capaiba ad guttulas sex in jusculo exhibent, & emplastro styptico vel gryseo foris apposito carnis & cutis restitutionem, sicque vulneris clausuram & consolidationem promovent, arcendo nimirum particulas acutas & succos acidos, ut succo chyloso benigno fibræ disjunctæ sibi invicem rursus agglutinentur.

Nostra cura in Ventriculi Tumore.

§. 19. *Nostro* judicio in cura *Tumoris* Ventriculi semper eò incumbendum est, ut stagnato succorum subsistentium removeatur, & ipsis concedatur liberior motus, quod obtinemus acidum viscidum corrigendo, in quem finem conducunt omnia salia volatilia aromatica, aliaque, quæ vim incidendi habent. Si nuper curavimus quendam solo sale volatili C.C. Præ omnibus commendamus simul aromatica, quæ serum in glandulis gastricis emendant: liquor quoque C.C. succinat. balsam. nervin. essent. mac. vel bals. capaib. vel Peruv. destillatione correctus, vel oleum ejus rite & sine empyreumate destillatum ad guttas 3. vel sequens conveniunt.

℞. *Essent. flor. Chamomill.* ℥ ij.
Zedoar.
Macis, aa. ℥ j.
Spiritus Salis Armoniaci volat. ℥ ß.
Ol. succin. gutt. vj.
M. d. guttatim.

Vel detur sequens spiritus confortativus n.d.

℞. *Gran. cardamom.* ℥ iij.
Coccionell. ℥ ß.
Spiritus confortativ. h. e.
Spiritus Salis ℥ iiij. *cum spiritu Tartari* ℥ viij. *destill.* ℥ iij.
Stent in infusione per aliquot dies postea filtrentur.
Dosis 20. *vel* 30. *guttulæ*.

Sal volatile oleosum nostrum succinatum admirandas habet vires, item Elixir stomachicum *Thomson.* Omnia quoque carminativa, quæ simul obstructiones reserant, prosunt, ut sunt carminativa quæcunque, Essentia carminativa variis modis parata, pulveres peptici dicti, quibus & pulvis *Salis Armoniaci* aliaque salia, ut magis penetrent, permisceri possunt; nec absorbentia contemnenda sunt, ut antihect. Poter. cum ocul. Cancrorum mixtum sæpiùs exhibendum. Diuretica quoque in usum trahenda veniunt, per quæ sæpiùs obstructio reseratur & materia viscida obstruens per urinam ad vesicam amandatur. Diaphoretica verò hic omnem implent paginam, quæ in omnibus Tumoribus egregia sunt, quæ partim dicta & ubivis dicenda erunt, acidum enim humorum temperant, succos spissos attenuant, vias obstructas reserant, & quidem vel sensibiliter, vel insensibiliter. Externè imponi debent varia resolventia vel dissolventia, omnia enim repellentia hic maximè nocent, prosunt verò Spiritus vini camphorat. Aquæ Lang. Regin. Hungar. cum ol. succin. vel emplastrum de sperm cet. diachyl. cum gumm. diaphoret. crocat. quæ visciditates attenuant, coagulans acidum debilitant & enervant, stagnantesque humores ad ordinarium cursum promovent. Sacculi & imponi possunt ex flor. chamomill. Sambuc. bacc. Junip. herb. absinth. menth. roremarin majoran. salv. Sale commun. &c. quæ ob vim alcalicam acidum enervant, spissos humores attenuant, & ad circulationem redigunt. Si ex incauta applicatione medicamentorum repellentium in maturationem abeat tumor, conducunt omnia ea, quæ acidum corrosivum emendant, quæ in Ulcere jam enarrabimus.

Ulcere.

Curantur autem *Ulcera* Ventriculi eodem ferè modo, ac aliarum partium ulcera, nempe acidum corrosivum corrigatur, ulcus enim sæpiùs originem suam debet tumori, qui suppuratus & sponte apertus, multum puris emittit, quandoque tumor talis à Chirurgo aperitur, quæ apertura sæpiùs per longum tempus durat, & sic producitur ulcus. Ulceri ergo tali commune digestivum ex terebinthina, vitello ovi, aloe & myrrha paratum imponatur, quia hæc omnia resistunt acido, & temperant corrosivum istud sale suo balsamico, quo abundant, quod & facit saliva sani & jejuni hominis. Optima & egregia sunt decocta variæ ex herb. & rad. aromat. parata, additis Aqua calc. viv. Spir. vin. Camph. Sal. Armoniaci cum calce viva parat. Ad duritiem verò ulceris tollendam applicetur emplastrum stypticum *Paracelsi*, vel nostrum polychrestum, vel suffumigium instituatur. Conducent & omnia ea, quæ communicaturi sumus cap. de Ulceribus in genere. Reiicimus hic Chirurgis aliàs usitata acria, pinguia & repellentia, quia tantum obstructiones pariunt, acidum augent, & sic partibus stuporem inducunt. Internè conveniunt varia acidum corrigentia, imprimis elixir propriet. sine acido, decoctum lignor. oculi cancrorum, Vitriolum Martis.

Vulnere.

In cura *Vulnerum* Ventriculi omnia ea, quæ in aliarum partium nobilium vulneribus observanda sunt, bene sunt perpendenda, pars enim hæc ob partes suas membranosas, glandulosas & nervosas nobilis est, unde & periculosa sunt ejus vulnera; eò ergo semper respiciendum est, ut aer propediem arceatur, dein omnia calidè applicanda sunt, quia fibræ in solutione hujus continui abscinduntur & franguntur. Si vulnera sunt ampliora, læsa ventriculi pars ad ventris vulneratos musculos attrahi debet, ut una eademque sutura ventriculi laceratæ partes cum cute simul musculisque læsis contrahantur ligenturque. Hoc facto ad digestiva seu acidum corrigentia accedendum est, acidum enim in omni vulnere nocere jam notum est, conducit ergò aqua vitæ, ol Junip. vel Aqua theriacal. cum Spiritu Sal. Armoniaci, vel spir. vin. Camph. cum Sale Armoniaco mistus, vel ad aliorum mẽtem paretur communi methodo ex terebinth. balf. Peruvian. vini spir. vitell. ov. vel ol. ov. digestivum, additis aloe & myrrha; nobis tamen placent in his vulneribus fibrosis & glandulosis liquida spirituosa. Febris si adest, cueretur per diaphoretica, & vulneri imponantur vulgò ita dicta defensiva, quæ tamen acidum absorbent, præ aliis tamen conducit emplastrum nostrum polychrestum, quod componitur ex minio, camphora, Sale Armoniaco, vitro Antimonii, & cera, vel emplastrum gum. elem. Tacamah. nervin. diapalm. ana. ℥ ß. malaxetur ol. lumbric. &c. vel imponatur vulneri emplastrum stypticum ex terr. Vitrioli dulc. ol. hyper. & cera. Meritò hic carpendi sunt, qui frigida & repellentia applicant hisce vulneribus, quæ certè meo judicio ex foro Chirurgico eliminanda sunt, & pessime faciunt ii, qui in hisce vulneribus V. S. instituunt, cùm tantùm balsamum & nutrimentum vitæ exhauriant, & sic sæpe ægrum neci dent. In hisce Ventriculi affectibus externis mihi quoque suspecta sunt omnia purgantia, quia per hæc non tantùm optimi & nutrientes succi exhauriuntur, sed & fibrillæ simul nerveæ undecumque convelluntur, irritantur ac torquentur, unde sæpe dolor, inflammatio, spasmus, convulsiones, & id genus plura excitantur symptomata.

CAPUT II.

De Abdominis, & Intestinorum Vulneribus, item Hernia Intestinorum.

§. I. EXaminatis Ventriculi morbis, ad vicina pergimus viscera, & quidem omnium primò ad ipsa Intestina, Ventriculo adeò firmiter annexa, ut ab Anatomicis Ventriculus continuatus indigitentur, quæ cùm in Abdomine abdentur, nec ab externis violentiis lædi queant, quin munimentum hoc externum de læsione ista participet, amborum affectus simul unaque opera jam pertractabimus. Equidem Vulnera Abdomini æque facilè ac aliis intestinis accidunt, cùm ex iisdem ferè constet partibus Abdomen; estque *Vulnus* Abdominis & Inte-

Abdominis & Intestinorum vulnus. Hernia. Intestinorum eorum à causa externa facta solutio continui: *Hernia* verò est nimia dilatatio, (rarissimè ruptura,) peritonæi, ab obstructione tubulorum, & à causa violenta quacumque oborta, per quam Intestina in inguen descendendo, Herniam intestinalem producunt. Haud raro contingit, ut vel omentum, vel intestina, vel utrumque decidant, & affectus hic *Ramex*, *Ruptura*, Græcisque κήλη, ἀπὸ τοῦ κηλέω. noceo, dicitur. Plures veterum Herniam fœminis supervenire non posse putarunt, quòd illæ peritonæi productionibus careant; verùm omnibus recentioribus notum & nostra experientia confirmare possumus, illam æquè fœminis ac viris contingere, adeoque rectè inquit D. *Stalpart vander Vviel.Obs.rar.p.m.*243. licet enim membrana peritonæi exterior fœminarum vasa spermatica eodem modo, quo in maribus, extra ventris cavitatem non deducat, colligere tamen est, eandem membranam in tegumentum ligamentis rotundis præbere; idque satis ad inferiora productum, ut epiploo & intestinis ad vulvæ usque labia procidendi occasio ideò concedatur, ut Herniæ completæ species inde emergere possit, quatenus scilic. peritonæum eo in loco, ubi ligamenta exeunt, præter modum dilatatur. Affert exemplum *R. de Graaff*, qui in cadavere filiæ cujusdam hernia laborantis eo in loco, ubi rotunda uteri ligamenta abdomen deserunt, peritonæum adeò relaxatum se invenisse refert, ut integram foveam sive bursam efformaret, per quam intestina in inguen descendebant, & sic Herniam producebant. Similem recenset historiam **Fabric. Hildan.** *Cent.6. de Blegny de Herniis.* Confer *Thom Bartholin. Histor. Anatom.c.*1.*hist.*3. *G.Blasius Obs. Med.*8. casum recenset de muliere 40 annos nata, quæ ante sex jam annos gravi hernia fuit afflicta, ita ut validissimo vinculo sese semper cingere necesse haberet. Sed quid multis opus est? Hac in civitate novi duas matronas honestas ob ruptum ex casu peritonæum Hernia laborantes.

Pars affecta. §. 2. In hisce Abdominis & Intestinorum Vulneribus patiuntur omnes ejus partes, h. e. musculosæ, glandulosæ, imprimis verò membranaceæ, quibus intestina constant, & hæc intestina ab Anatomicis in sex partes dividi solent; prima dicitur Intestinum Duodenum à pyloro enatum, ubi liquor quidam flavus & oleosus in intestina excernitur; plerumque chylo adhuc immutato repletum conspicitur. Secunda dicitur Anatomicis intestinum Jejunum, quod in Duodeni fine incipit, ubi reperiuntur excrementa, duodecim æquat palmas, & quidem in longitudine. Tertia dicitur Ileum; & hæc dicuntur tenuia, gracilia, & angusta; reliqua dicuntur crassa, aut Cæcum, Colon & Rectum. Colon juxta Cæcum ortum suum habet, & gyro magno circa cætera convolvitur intestina. In ejus principio membranosa apparet duplicatura, ita contexta, ut facilem aditum permittat ab Ileo in Colon, sed difficillimè regressum. Tota Coli cavitas in parvas distribuitur cellulas, & eo in loco, ubi ultima intestinorum pars recta ad anum tendit. Crassa hæc intestina dicuntur Anatomicis, ob crassas, seu robustiores tunicas, quas habent. Cuncta hæc intestina triplici constant tunica: Interior fibris tendinosis diversimodè implicatis est constructa, media ex bino fibrarum ordine, quarum aliæ sunt circulares, aliæ longitudinales, est composita, & exterior est fibrarum tendinosarum contextus. Tunicæ hæ omnes inserviunt motui peristaltico. Præter has tunicas, in substantia intestinorum tenuium advertuntur minutissimarum glandularum congeries, quæ tubulos suos excretorios in cavitatem intestinorum explicant, & in illam liquorem quendam tenuem & pellucidum effundunt, quem possumus appellare liquorem intestinalem, qui necessarius est ad chylum è stomacho emanantem magis dissolvendum & separandum.

Ne quid sicco à nobis pede prætereatur, partium infimi ventris structuram & usum, peritonæum, vasa semen præparantia, Testes cum tunicis & Scroto, quæ omnia Hernias considerantibus explicanda præcipuè veniunt, paucis hic ex Anatomicis repetenda. Peritonæum membrana visceribus circumtensa firmo eadem nexu continet, & est duplicata membrana diaphana, succum refert, in quo omnia infimi ventris viscera reconducuntur. Peritonæum hoc variis fibris scroto connectitur, atque intra ejus duplicaturam non duntaxat testiculorum vasa recondit, sed ea quoque ab una parte contegit, ita ut vasa hæc intra duplicaturam ex abdomine provenientia ad testes eorumque vicinas partes excurrant; subinde pervium est peritonæum, ut vasa transmittat circa uterum, imprimis ligamenta rotunda vermiformia. In viris processus spermaticis vasis exitum præbentes in utroque inguine non minùs, ac mulieribus obturati sunt, verùm in canibus aliisque brutis aperti sunt, si enim in hominibus, qui recti incedunt, aperti essent, vix quisquam inveniretur absque Hernia, quod in brutis ita fieri haud potest, quia horizontaliter & non perpendiculariter incedunt. Semel hunc processum in viro, idque in latere sinistro aperto vidit D. *BlanKard. c.* 33 num juvenili tempore hernia laborasset, nescit. Testes ceu corpora glandulosa optimè dices minutissimorum vasculorum congeriem semen continentium, quæ si absque ruptione dissoluta sibi invicem annecterentur, facilè viginti ulnarum longitudinem excederent. Si plura cupis, adeas Anatomicos, *Bartholinos*, *BlanKardos*, *Francos*, & *NucKios*.

§. 3. In Vulneribus Abdominis semper eò respiciendum, quænam partes internè fuerint læsæ; si vulnera hæc penetrant in cavitatem, non potest semper cognosci, quæ partes læsæ sint, nec admittunt stylum, malè enim inquiritur in hisce partibus specillo ferreo aut plumbeo, aut argenteo, sed potiùs nullo vel candela cerea, quia meliùs flecti potest & accommodari ad qualiacumque occurrentia obstacula, hinc optimè annotavit Cl. *Muys*, quòd specillum aliquando valde profundè intret, per interstitia musculorum transiens, & quòd vulnus tamen non penetret usque in ventris cavitatem, & è contra, quòd vulnus penetret aliquando usque in abdominis cavum, licet specillum ubi intruditur, mox inveniat resistentiam, scilicet quia partes in corpore læso aliter figuratæ erant, dum æger vulnerabatur, quàm postea, ubi vulneris status explorabatur; non ergo hæc vulnera admittunt stylum, sed per conjecturam cognosci debent partes læsæ, ex situ scil. vulnerati, ex instrumento, ex symptomatibus, ex sanguine aliisque excretis. Si punctim vulnus inflictum sit, quando cognosci potest? Ensis vix potest ingredi, quin non lædat intestina; (2.) Corripiuntur animi deliquio, superveniunt anxietates, inquietudines, convulsiones, febris &c. Chirurgi solent turundam explorare naribus, an fetoris quid spargat, ex quo intestina punctim læsa esse judicant, quod tamen sæpe fallit. Vulnus potest infligi in abdomen absque intestinorum læsione, si scilicet non sint nimis repleta. Cognosci etiam potest ex situ vulnerati, num sedens vel stans fuerit vulneratus, utrum per lineam rectam, an per obliquam transierit, nam si obliquè, non tam facile læduntur; si sanguis excernatur vel per anum, vel per vomitum, indicium est, intestina esse læsa; si clyster injiciatur, videndum, an quid cruoris ejiciatur. *Diagnosis Vulnerum Abdominis & Intestinorum.*

Herniæ visu & tactu facilè cognoscuntur, apparet enim in inguine tumor, æque in maribus ac fœminis, qui ab initio parvus est, mox altior & amplior redditur, nunc pressus cedit abitque, rursumque remeat, nunc mollis est, nunc duritiem inæqualem præ se fert, conamine facto, ex halitus retentione propellitur. Epiplocele dicitur, cùm ab omento fit, Enterocele cùm ab intestinis prodit, in qua specie sæpiùs tumor iste in inguine minimè subsistit, sed indè in scrotum in masculis descendit, & saccum ex parte, vel totum implet, tumorem majorem minoremve producit, cute colore non mutata, sed cùm rugosa aliàs sit, tunc tensa existente. Hic si prematur tumor, aut resupinetur corpus, perit, rursumque his cessantibus redit. In sexu sequiori etiam ejusmodi tumor Enterocele in inguine interdum producitur, qui & sæpe ex inguine, quemadmodum in maribus in scrotum, sic hic deorsum sub cutem exporrectus, eam in *Diagnosis Herniæ.*

immen-

immensum nonnunquam tumorem elevat, & ut in viris, iterum abit, reditque. De Omphalocele inferiùs agemus. In omnibus hisce herniis dolor aliàs nullus, aliàs verò maximè circa initia in inguine, tempestate scil. frigida, dolor lancinãs ac punctorius percipitur. Alvus in majori Hernia semper est constipata; perseverante malo, nonnunquam oritur convolvulus, cùm ęgri fęces alvi evomunt, hinc plura alia oboriuntur symptomata atrociora & nonnunquam ipsa mors.

Differentia Herniarum.

§. 4. *Differentias* Herniarum Authores præter necessitatem excogitarunt plurimas, nos admittimus tantùm 3. species, Enterocelen, Epiplocelen, & Exomphalum, reliquas verò species, ut Hydrocelen, Circocelen, Physocelen seu Pneumatocelen & Sarcocelen numeramus inter tumores, quia veri sunt tumores, & non rupturæ.

Causa morborum horum secundùm Galenicos.

§. 5. *Ætiologiam* quod attinet, *Galenici* Abdominis & Intestinorum *Vulnerum* causam adscribunt externis instrumentis secantibus aut pungentibus, violenta manu per Abdomen ad ipsa intestina, vel crassa, vel tenuia adactis, ut continuitas partium harum dissolvatur.

Herniæ causam vel laxationem seu dilatationem meatum in peritonæo propè inguina constitutorum, vel diruptionem statuunt ipsius peritonæi, per qnam vel omentum, vel intestinum aliquod, maximè præ ceteris intestinis magis solutum illud cœcum descendat, interdum ad scrotum usque, & huic dilatationi & diruptioni ansam præbere dicunt externas quasdam violentias, casum ab alto, cursum nimium, femorum ab invicem distortionem majorem, gestationem ponderis, dimotionem molis alicujus gravioris, conatum magnum ad explodendas fęces siccas, vel excludendum partum, tussim asperrimam, clamorem maximum, tibiarum tubarumve usum diuturnum, anhelitus contentionem violentam, coitum immoderatum, potissimùm à cibo copiosiùs ingesto, flatus copiosos intestinis inhærentes, aliasque violentias ob quas meatus illi multum patefiant, quod quidem faciliùs contingat, quo vel per se, vel ab usu balneorum aliarumque rerum relaxantium fuerint lubricati.

Paracelsum.

§. 6. *Paracelsus* de causis Abdominis & Intestinorum *Vulnerum* communem fovet sententiam, nec de *Hernia* inguinali peculiarem profert opinionem, unde rupturam vel dilatationem peritonęi eundem hunc admittere nobis colligere licet, reliquas verò Herniarum quod attinet species, de iis aliena quadam ab aliis philosophatur ratione, uti enim menstuum solis mulieribus, sic herniam soli virili sexui convenire fingit, nec locum mutare, sed partes genitales in tumorem attollere, ejusque tres excogitavit species, quarum causas lib. 4. de morbis scroti sumus exhibituri.

Helmontium.

§. 7. *Helmontius* easdem, quas reliqui admittit morborum horum causas, externam videlicet violentiam, dum instrumentis acutis abdomen & intestina in *Vulneribus* discinduntur, in *Hernia* verò intestina lapsu, saltu, aliove impetu per meatum inguinalem, & interdum ad scrotum usque propelluntur, ubi ab adjunctis flatibus intumescant, & propter tumorem istum repulsionem in abdominis cavitatem redant difficilem.

Vvillisium.

§. 8. *Vvillisium* quoad causas morborum horum Abdominis & Intestinorum Veterum sententiis in omnibus habemus consentientem, *Vulnera* enim à dissectione vel punctura instrumentis facta, & *Herniam* à violenta quavis actione produci asserit, qua peritonæum vel rumpi potest, vel meatus ejus dilatari.

Sylvium.

§. 9. *Sylvius* Abdominis & Intestinorum *Vulnera* ab iisdem causis contingere posse cum aliis fatetur, à quibus aliarum corporis humani partium vulnera suscitantur; *Herniam* verò à vehementi ventris compressione excitari asserit, qualem difficilis fæcum alvinarum expulsio nonnunquam expostulat, nec non qualemcumque conatum laboriosum aut lapsum fortiorem, à quibus vehemens corporis concussio & intestinorum excitatur propulsio.

Cartesianos.

§. 10. *Cartesiani* similiter Abdominis & Intestinorum *Vulnerum* causas accusant res externas scindentes, pungentes, vel perterebrantes, violenta manu in abdomen & intra hoc contenta intestina, tum crassa, tum tenuia, abactas, à quibus continuitas eorum dissolvatur, quales sunt enses, gladii, secures, falces, cultri, styli acuti, acus majores, globuli plumbei, sagittæ, & hujusmodi aliæ, quæ aliarum corporis partium continuitatem dissolvere possunt, siquidem & partes præsentes omnibus istis, quibus & aliæ, expositæ sint periculis.

Herniæ causis inserunt quamcunque peritonæi processus in ipsis inguinibus dilatandi occasionem, conatum nempe magnum in efflanda voce expellendis fæcibus alvinis induratis, excludendo partu, lapsum ab alto, vel in ipsis infantibus super ulnas gestandis, saltum, distentionem crurum & femorum, sublationem molis gravioris, cubitum infantum super ventrem, à copiosiore mox ciborum infartu, & quicquid peritonæum vel dilatare, vel dirumpere potest, ut omentum aut intestinum vel in inguen, vel in scrotum ipsum per foramen amplius descendat, sicque aut bubonocelen, aut oseocelen constituat.

Nos.

§. 11. Etiam *Nobis* causa *Vulnerum* Abdominis ac Intestinorum eadem est, quæ & aliarum partium, solutio scil. continui à causa quacumque violenta producta, ceu jam dictum est à Cartesianis, cum quibus nunc & nostra vela expandimus; quo verò vulnus est amplus & penetrantius, eò periculosius est, & mox elabitur vel omentum, vel intestinum.

Causa *Herniæ* meo judicio non semper est ruptura peritonæi, uti fere omnes hactenus Authores putarunt, quia peritonæum est membrana crassa, tenax & humida, quæ non tam facilè in abdomine rumpitur aut dilaceratur, prout videmus in vesica humida, quæ vix manibus fortissimis dilacerari potest, sed nostro judicio membrana hæc potiùs dilatatur & extenditur, hinc non differt ani & uteri procidentia ab Entrocele & exomphalo, nisi loco; certissimum enim est, in Entrocele seu Hernia intestinorum peritonæum circa processum suum ut plurimum dilatari & relaxari, in Exomphalo circa umbilicum, ubi in procidentia ani duntaxat intestinum rectum, & in uteri procidentia vagina uteri dilatatur. In Exomphalo abdominis viscera quandoque à casu aut lapsu concussa sunt, ut hepar mole sua versus umbilici regionem descendat, & ob gravitatem non tantùm intestina comprimuntur, sed & peritonæum dilatatur, ut contenta forinsecus facilè conspici possint. Non negamus tamen prorsus rupturam peritonæi in herniis, quia hoc rupto & in aliis partibus dantur hærniæ, quæ ab imperitis incautè pro abscessibus tractantur; *Bartholin. Cent. 2. hist. 45.* observat, herniam mox infra cartilaginem ensiformem ex ruptura peritonæi; sic propè spinam dorsi peritonæo rupto ibidem hernia excitatur, confer *Ettmuller. p. 135.* sed tantum dicimus, hanc non tam sæpe causam esse, quàm hujus peritonæi dilatationem. Relaxatio peritonæi exoritur ex eo, quòd multi ejusdem tubuli obstruantur, inque illis stagnent ac coacerventur humores, qui progressu temporis se insinuant inter fibrillas peritonæi, illudque hoc pacto relaxant, prout optime ratiocinatur Cl. *Muys Chirurg. rational. Observ. 3.* & hoc notandum, quòd intestina crassa tam firmiter lumbis annexa, rarissimè vel nunquam in Herniam prolabantur, sed tantùm intestina tenuia, jejunum & ileum, unà cum omento. Causæ ergo Herniarum sunt omnia ea, quæ peritonæum aut laxare, aut dilatare, aut id rumpere possunt in loco quodam; sunt itaque utplurimum causæ externę, v. gr. motus nimius quicumque, clamor nimius, equitatio, saltatio fortior, sternutatio, vomitus & tussis violentior; rarum exemplum suggerit *Plater.* in *Obs.* Herniam scil. intestinalem ex nimia & violenta purgatione: sic ob clamores nimios facilè infantes herniam sibi adsciscunt.

Prognosis Vulnerum Abdominis & Intestinorum.

§. 12. *Vulnera* Abdominis omnia sunt periculosa, quia ejusmodi difficulter curantur, ob motum respirationis: vulnera enim consolidanda postulant requiem. Sic & vulnera abdominis, quamvis non penetrant, & in linea alba tantũ sunt, difficillimè sanantur, ob partes ramosas membranosasque idem existentes. Vulnera abdominis penetrantia sunt omnia valdè periculosa, sed longè magis

magis ea, quæ ampla ſunt, quia tunc vel omentum, vel inteſtinum facilè foras prolabitur, ubi enim omentum fuerit prolapſum, niſi id ſtatim reponatur, brevi coagulatur, emoritur, & colorem ſuum mutat, ob aerem acidum ambientem, quo enim aer frigidior, eò periculoſius malum, quia materia in vaſculis exilibus adipoſis, quibus præditum eſt omentum, contenta facilè coagulatur. Quòd ſi inteſtina ſimul fuerint læſa, æger in magno vitæ periculo verſatur, & quidem magis, ſi vulnus fuerit inflictum inteſtino tenui, minus verò ſi craſſo, quia in hoc vulnus poſtquam conſutum fuit, faciliùs conglutinatur, & craſſa inteſtina tantum fæces, tenuia verò chylum continent. Sunt tamen exempla quod inteſtina læſa & fiſtulata feliciter fuerint ſanata. Sic quoque ſi ſimul fuerint læſa & diſciſſa vaſa ſanguifera maxima, vel in hepate, vel in liene, tunc malum ut plurimum lethale eſt, quia ſemel effuſo ſanguine, is vaſis ſuis reſtitui nequit. Similiter ſi vulnera per anteriorem abdominis partem intrent, ac per tergum & per ſpinalem medullam egrederentur, utplurimum lethalia exiſtunt. Si verò Vulnera Abdominis has partes non læſerint, utplurimùm curantur ægri brevi temporis ſpatio, & quidem intra tres, quatuor aut plures ſeptimanas. Vulnus enim infligi poteſt in abdomen ſine inteſtinorum læſione, ſi ſcil. non fuerint nimis repleta, quod cognoſci poteſt ex ſitu vulnerati, num ſedens vel ſtans fuerit vulneratus, utrum per lineam rectam, an per obliquam tranſierit inſtrumentum, nam ſi obliquè, non tam facilè læduntur inteſtina, ſin ſanguis excernatur vel per anum, vel per vomitum, indicium eſt, inteſtina eſſe leſa; ſi clyſter injiciatur, videndum, an quid cruoris evehat.

Prognoſis Herniæ. *Herniam* quod concernit, ſi inteſtina diu extra abdomen & ſitum ordinarium ſuum exulant, malum eſt, peſſimum verò, ſi eadem reponi nequeunt. Quò tumor major & durior & multum dolens, eò periculoſior eſt; ſi adſunt vomitus enormes, cum conſtipatione alvi, & ſuperveniunt convulſiones, inteſtina nequeunt reſtitui, tunc actum eſt de ægro, ceu plura novimus exempla, inteſtina enim tam diu extra abdomen detenta ob aerem ambientem magnā contrahunt noxam, pori enim inteſtini aliquatenus obturantur, hinc flatus aliique vapores condenſantur, & ſic inteſtinis necem portendunt, unde & illa ſæpe ſphacelantur & gangrena afficiuntur, ceu Hanoviæ in defunctis ex hernia ſepiùs fuimus contemplati. In ſenibus difficillimè, in pueris verò circa octavum annum facillimè & quidem faſciis curantur.

Diæta. §. 13. Cura *Diætetica* conſiſtit in ſchola Medica recepta rerum non-naturalium, quamvis minùs prudenter ita dictarum, legitima adminiſtratione. *Aer* ergo in his affectibus ſit calidus, & temperatus, frigidior aura tanquam infenſiſſimus hoſtis in his affectibus fugiatur angue pejus, quia maxime impedit humorum circulationem, Herniæ enim à frigore præſertim ſubitaneo, ſolent fieri lethales, coagulata enim materia in fibrillis inteſtinorum, dolorem, hinc ſpaſmum & duritiem inteſtina acquirunt, quæ inſequitur ileos; confer *M.C. Ann.8.p.*154. Exercitia nulla ſint, niſi moderata, quietem enim deſiderant Herniæ. Vitetur ergo quicumque motus vehementior, quies verò optimum Uerniæ remedium; ſic *Fabric. Hild.* refert, ſexagenarium per 20 annos herniâ maxima laboraſſe inteſtinali, qui à nemine Medicorum ac Chirurgorum potuit curari, eumque ſenem poſtea abſque remediis in totum eſſe reſtitutum priſtinæ ſanitati, poſtquam morbo quodam periculoſo decubuerat in dorſo per ſemeſtre ſpatium, quapropter optimum dicit contra Herniam remedium eſſe quietem & decubitum in dorſo. Somnus & vigiliæ ſint moderata. Victus ratio inſtituatur ex illis, quæ dant optimum chylum, fugiantur flatulenta, legumina quæcumque, imprimis fabæ & lentes, acida omnia, braſſica; è contra condiantur cibi aromaticis & ſeminibus carminativis aliis. Potus ſit vinum dulce, vel cereviſia optimè defæcata & fermentata, aromaticiſque imbuta. Caveatur à crapula & quocumque exceſſu. Animus ſit pacatus & tranquillus, vitentur ira, mœror, & ejuſmodi animi motus vehementiores.

Galenicorum cura Pharmaceutico-Chirurgica in Abdominis & Inteſtinorum Vulneribus. §. 14. *Curationem* morborum præſentium *Pharmaceutico-Chirurgicam* aggreſſuri, en! præcurſoribus noſtris prima efferenda concedimus vota; & quidem ordinem inter eos ducentes *Galenici* eò ſummam in curandis Abdominis & Inteſtinorum *Vulneribus* locandam eſſe præcipiunt diligentiam, quo ipſa ex vulnerato ventre prolabentia & nonniſi ſuperficietenus vulnerata inteſtina ſuperinſperſo pulvere adſtringente, ſanguinem ſupprimente & ſarcotico, quantocyus, ne ab aere offendantur, in ventrem repellantur; ſin à flatibus ut jam ſint repleta, ut per anguſtius vulnerati abdominis foramen commodè reponi nequeant, orificium hoc ſollicitè volunt dilatari, flatuſque diſcuti, ſpongia vino, cui ſemina aniſi, carvi, fœniculi, cumini, flores chamomillæ, & ſummitates anethi fuerint incocta, & adhuc calido imbuta ſuperimpoſita: hinc inteſtinis repoſitis, peritonæi & abdominis cutis carnoſæ labia ſutura convenienti volunt conjungi, ne calor ille nativus viſcerum, qui tamen imaginarius eſt, & tranſpiret, aut, quod veritati conformius, frigus intret externum, & læſa jam inteſtina magis adhuc infeſtet; quo facto agglutinationem & conſolidationem operoſæ illi morborum depultrici Naturæ relinquunt perficiendas, cùm ignota illa Dea, more quodam Ethnicis potiùs, quàm Chriſtianis concedendò, mira in curandis corporis malis illis prædita videatur potentia, quamvis & hanc ſatis infirmam eſſe abbreviatamque fateri cogantur, ſi inteſtina adeò ſint diſciſſa & dilacerata, ut ipſum ſtercus vulnere egrediatur, hoc enim in caſu ob morbi magnitudinem ſummum adeſſe periculum monent, eaque propter inteſtinorum, maximè craſſorum, labia vino ſtyptico priùs abluta concinna ſutura jubent conjungenda, & ut ante pulverem adſtringentem & ſanguinem ſiſtentem inſpergendum, poſtremò verò ipſum abdomen conſuunt, voluntque nonnulli, ut pro exitu materiæ purulentæ foramen quoddam relinquatur, alii verò de eo minùs ſunt ſolliciti, perſuadentes ſibi, unà cum cæteris excrementis è vulnere exſudantibus pus illud à Natura ſua ad inguina depulſum, atque in his excitatum iri abſceſſum, quo dirupto excrementa quæcumque faciliùs effluerent & repurgarentur. Ut tamen Deaſtræ illi Naturæ copiæ quædam obviam mittantur ſubſidiariæ, quibus agglutinatio illa vulnerum horum promptiùs perficiatur, decocta quædam propinant ægrotis, quæ parare ſolent ex centaurio, rubia, ſanicula, caryophyllata, conſolida, tormentilla, cauda equina, maſtiche, mumia, thure, in aqua communi maceratis, & deinde ad tabem decoctis, vel ſimplicia illa in pulverem redigunt, & in juſculo quodam ad drachmam uſque exhibent, aut reliquis admiſcent alimentis. Pro ſordibus repurgandis, ipſiſque inteſtinis magis adhuc detergendis & adſtringendis, remedia prædicta vino incoquunt adſtringenti, quod cum terebinthina, gummi, ſarcocolla, thure, myrrha, aloe, terra Armena, ſanguine draconis &c. permiſtum clyſteris inſtar in alvum infundunt, impoſito goſſypio, vel linteis duplicatis, quadruplicatiſve, ut in ipſis inteſtinis ad tempus aliquod detineatur.

In Herniâ. *Herniæ* inteſtinalis curationem hoc modo inſtituunt, ut imperata inedia, exinanita alvo, & flatibus per clyſteres diſcuſſis, nec non præmiſſis fotibus, inſeſſionibus, balneis, cataplaſmatibus emollientibus & flatus diſcutientibus, inteſtinum vel omentum prolapſum per meatum remediis prædictis aliquantum relaxatum in locum priſtinum & ordinarium reprimatur, poſthæc medicamentis adſtringentibus & laqueis meatus peritonæi relaxatus aut diſruptus conſtringatur, ſicque inteſtinum vel omentum in loco debito conſervetur, ne denuò per meatum in ſcrotum delabatur, quamvis utrumque ſæpiùs obtentu difficillimum eſſe fateantur, nihilominus & interna & externa adhibenda eſſe volunt remedia adſtringentia, potiſſimùm verò externa cum laqueis, ut ita faciliùs meatus comprimatur, hinc pubis & inguinis regionem fovent ſpongiis vel panniculis imbutis decocto rad. conſolid. maj. biſtort. narciſſ. pentaphyll. chelidon. mai. herb. equiſet. polygonii, herniar. fol. pyri, berberis, plantag. flor. roſar. balauſtior. ſtœchad. anth. pilar. cupreſſi, gallar. virid. immatur. cort. granat. ſem.

sem nasturt. torrefact. cumin. alumin. in vino rubro adstringente & aqua per diem & noctem puriùs maceratis, & postmodum decoctis, fotu verò hoc, quàm calidè ferre potest æger, aliquoties adhibito, loco deinde priùs abraso imponunt emplastrum aliquod meatum peritonęi fortiùs constringens & occludens, qua virtute præditum esse affirmant emplastrum de pelle arietina Arnoldi de Villa nova, ramici puerorum maximè dicatum, vel quod ex sequentibus componitur speciebus.

℞. *Gallar. immatur.*
Nuc. cupress.
Malicor.
Balaustior. ana ℥ß.
Gumm. Arab.
Tragacanth.
Sarcocoll.
Thur.
Myrrh.
Aloes, aa, ℥ß.
Rad. aristol. rotund.
Sang. dracon.
Mum.
Bol. Armen.
Lap. hæmatit.
Spodii,
Gyps.
Alum. aa. ℥ iij.
Terantur omnia, & cum aceto & cera alba q. s. suscepta redigantur in formam emplastri rupturæ imponendi.

Commendant nonnulli folia cicutæ simplicis torrefacta & trita, vel folia hyperici viridis recens contusa instar emplastri rupturæ imposita. Remediis etiam internis curationem hanc promovere tentant, exhibitis vel pulvere ex rad. symphyt. maj. vel folior. balsaminæ, vel radicis Uvulariæ, vel pilulis ex pilis leporinis & melle inspissato confectis, aut aliis decoctis, syrupis, electuariis, vel pastillis convenientibus, quorum ingredientia ex sequentibus seliguntur, quæ sunt, radices bistortæ, symphyti, pentaphylli, acori, rubiæ majoris, valerianæ, herbæ plantago, caryophyllata, herniaria, polygonium, equisetum, centaurium majus, balsamina, salvia, pimpinella, pilosella, semen myrtillor. coriand. pp. nasturtii torrefactum, flores rosar. balaust. anthos, pilæ cupressi, costus amarus, mumia, blatta Bizantina usta & aqua consolidæ elota, chalybs pp. bdellium, sangu. dracon. terr. sigillat. bol. Armen. tragacanth. trochisci de spod. de carabe, &c. Quando verò nec remediis hisce interiùs usurpatis, nec vinculis & ligamentis externis, ex quibus reliquis proferunt illud, quod Lupum vocant, quo meatus peritonæi relaxatus constringitur & comprimitur, intestini vel omenti prolapsus ulterior prohiberi potest, consulunt aliqui, ut testis ejus lateris, in quo intestinum in scrotum prolabitur, exsecetur, ut ita peritonæi processus arctiùs comprimi, constringi & occludi possit: hanc tamen operationem non approbant omnes, quoniam in ætate provectioribus non sine periculo instituatur, & in diruptione peritonæi parùm prodesse possit, & hac de causa candens ei substituunt ferramentum, quo pluries supra rupturam admoto, & cutis & peritonęum contrahantur, sicque angustato meatu tum omenti, tum intestini prolapsus aptè prohibeatur.

Paracelsica cura in Abdominis & intestinorum vulneribus

§. 15. *Paracelsus* in Abdominis & Intestinorum *Vulneribus* curandis magnam à Chirurgo postulat diligentiam, maximè in vulneratis intestinis, hæc enim, si fieri possit, cannulis argenteis artificiosè vult connectenda, bonumque judicat omen, si unà cum excrementis exeat intestinum, quod tamen, qua ratione sit intelligendum, singulari indiget Oedipo, cùm qualis sit hic in curatione successus, non facilè sit intellectu, ipseque hic Author industriam hanc non in omnibus subeundam esse non sine causa admonet: remedia verò eadem hic admittit, quæ reliquis vulneribus sunt dicata, & à stomacho facilè poterunt digeri, potissimùm potiones approbat vulnerales, quæ componuntur ex herbis consolid. maj. agrimon. serpentaria, beta rubra, phioglosso, sed singulari ratione, dum cantharo induntur simplicia cum vino, ejusq; orificium operculo obtectum benè obturatur pulte ex farina facta, sicque aquæ foventi imponitur, ut ad horam unam vel sesqui vinũ cum simplicibus in cantharo bene ebulliat. Externa balsama, unguenta & emplastra eadem adhibet, quę in aliarũ partium vulneribus commendat.

Hernia.

In *Hernia* curanda ad horrenda arma, adeoque ad difficillimum curandi modum non vult transeundum, sed citra manum facillima & præsentissima ratione curationem hanc absolvi posse promittit, dummodò sequentia studiosè adhibeantur remedia.

℞. *Liquoris de Xylohebeno* ℥ ij.
Ussur. ℥ j.
M. simul & imponatur.
℞. *Thur.*
Macis, aa. ℥ß.
Terpentinæ ℥ ij.
Axung. de cervis, quæ est in modum unguenti, q. s.
Terantur.

Hoc linimento locum rupturæ ad tres aut quatuor hebdomadas in dies bis inungi jubet, ægrotumque supinum decumbere, sic enim quicquid est rupturæ sanari sperat, dummodo didymi locus non putrescat.

Helmontii opinio de curatione Vulnerum Abdominis & intestinorum.

§. 16. *Helmontius* Abdominis & Intestinorum *Vulnera* curatu admodum æstimat difficilia, nec diversa ab iis proponit remedia, quæ Vulneribus in genere existimat convenientia.

Hernia.

Herniam intestinalem magnetica curatione depelli posse, per multiplicem experientiam corroboratus affirmat, herniosus enim per juvenculam quercum cultro diffissam ut dehiscat, si traducitur levi veste amictus, & postmodum quercus aliquot nexibus denuò ligetur, & rima consolidetur, etiam herniam auferri & ægrum convalescere observavit; quando verò quercus diffissa non consolidatur, sed arescit, indicium fuit, Herniam non curari, & ægrum aliquando ab alio morbo herniæ superveniente fore extinguendum. Hanc autem curationem à superstitione vindicaturus, quam accusare quis possit ideo, quòd in transitu seminudi herniarii per fissam querculum tota hæc virtus sit consita, sufficere asserit pro responso, non subesse hic verba, incantationes, impietatesque, finemque esse honorem Dei in suis magnalibus, à quo dos ista emanare creditur in naturam propter magnam virtutem herbarum. Transitum verò istum realiter & sympatheticè consolidationem vulnerati abdominis operari, præcipuè si ipsa quercus non exarescat, sed consolidetur, manifestum vult esse imprimis, quòd pulvis sympatheticus præservans cruorem vel pus in linteo, ne putrescat, deferat ejusmodi balsamicam vim ad vulnus absens, & sanetur, proinde nihil impedire, quominùs aporrhœa à recenti quercus lethali & medullari vulnere transeuntem afficiens, & halitutenus inspirata sit adinstar pulveris sympathetici balsamique, potissimùm quòd quercus glandes, folia, cortex, &c. sint inter potissimi potus vulnerarii simplicia, è quercetis verò fumus exspiret magnæ virtutis. Ulterius autem inferenti & quærenti, si halitus ille quercùs sit alicujus virtutis, cur non sufficiat adstare? non aliter respondebit, nisi quòd non sit humanum, scrutari magnalia consilia, sive judicia Dei, transitum verò requiri, nec proinde involvere superstitionem sibi persuadet, non quidem per rationem à priori, in dotibus beneplaciti divini, sed prorsus à pari, & ut dici solet, argumento, quia est; uti enim prægnans appetens cerasum, si manum fronti suæ admoverit, fœtum in fronte perpetuo ceraso signaverit, sin manum quietam servaverit, non signabitur fœtus; sic absque superstitione requiri transitum ait per fissam quercum, ut vis vitalis consolidandæ quercus abeat in consolidandam membranam Abdominis, non verò esse animam, quæ imaginetur, aut velit signare frontem fœtus, sed manum per incuriam tangentem frontem suam id efficere, quoniam Archei sit operatio naturalis, non animæ; eadem hac ratione incuriam esse exhalationem Archealem è quercu fissa, eamque tantùm oppositionem, quæ sit transitus, requi-

requirere, fissuram quercus, rupturam herniæ, colligationem & reasserationem arboris solidaturam herniæ, transgressum per arboris rimam applicaturam intimam atque medullarem denotare, quercum verò peculiarem significationem gerere consolidationis, eò quòd potum vulnerarium membranis dicatum suppeditet, & colligantiam tandem causarum & similitudinem connexum in Archeo ostendere. Similem curationem per magnetem proponit, cujus dorsum eodem modo intestinum quo ferrum propellere, & herniam curare docet. Præter sympateticas hasce etiam aliam novit Herniæ curationem per semina contusa anisi, carvi, fœniculi, coriandri, in vino cocta & potui exhibita, quæ conveniens est, si magna durities, quæ pyloro subest, intestinum retropelli impediat, his enim remediis durities emollitur, ut hernia facilè retropellatur.

Vvillisii cura in Abdominis & Intestinorum Vulneribus.

§. 17. *Vvillisii* cura in Abdominis *Vulneribus* non est aliena ab aliorum Auctorum procedendi modo, si enim absque peritonæi & intestinorum læsione sint, ut aliarum partium vulnera vult tractanda, si verò ad intestina penetraverint, hæc ipsa priùs consuenda, pulvere adstringente ex mastiche, myrrha, aloe, sang. dracon. confecto adspergenda, & sensim in locum ordinarium sunt intrudenda & reponenda, ægro semper in latere opposito decumbente, quod idem ita fieri debet cum omento, & quando flatus repositioni obstant, ii aut carminativis internè & externè adhibitis sunt discutiendi, aut intestinum magno flatu distentum sine periculo debito in loco acu pungendum, ut ventus ipse exitum reperiat. Omentum si per vulnus elapsum corruptum sit, funiculo infra partem corruptam ligandum est, & hæc abscindenda, reliqua verò reponenda, relicta aliqua fili portione, qua foràs revocari possit, si ulteriùs conputrescere incipiat. Vulnus externum majusculum sutura, minusculum verò emplastris glutinatoriis jungendum est, instillato simul balsamo de Capaiba, & ad tempus aliquod intrò assumptis potionibus aliisque tincturis misturisque vulnerariis, ut sucus nutritius balsamicis istis particulis sufficienter imbuatur.

Hernia.

Herniæ curam ita instituit, ut omentum vel intestinum prolapsum repellatur, in situ debito retineatur, & cingulis, pulvinaribus, emplastris & quiete prohibeatur, ne denuò possit prolabi, exhibitis simul internis remediis adstringentibus & herniæ convenientibus paratis, ex rad. consolid. osmund. regal. valerian. herb. herniar. pinpinell. vnica pervinc. jacea, sem. perfoliat nasturt. aliisque, non multum enim ab aliorum herniam curandi modo secedit.

Sylvii sententia de curandis Abdominis & intestinorum Vulneribus.

§. 18. *Sylvius* solutæ unitatis in Abdominis & Intestinorum *Vulneribus* postulat redunionem sutura faciendam tum in intestinis, quæ post illam aqua calida abluta debitum in locum sunt reponenda, tum in ipsius abdominis partibus separatim; peritonæo nempe & musculis, inspersis pulveribus adstringentibus, & emplastro styptico vel alio consolidante vulneri extrinsecus imposito, non omissis apozematis vel aliis medicamentorum vulnerariorum formulis interiùs assumendis.

De curanda Hernia.

In *Hernia* patiens ita locandus, ut resupinato pedibus in altum elevatis intestina vel omentum aut sponte redeant in sedem pristinam, aut si hoc fieri nequit, remotis obstaculis & potissimum flatibus per emplastrum suum carminans discussis, manibus retrudantur, tum fasciis aut subligaculis tandiu retineantur, donec meatus per adnascentiam musculorum ita sit angustatus, ne ulterius prolapsus ille contingat, quem in finem etiam unguenta vel emplastra in usum ducit, agglutinationem istam promoventia, & herniæ potissimùm dicata, fotibus verò calidioribus intestina non vult irritanda, sed solùm temperatis, ne iliaca passio aut vomitus sequantur enormes; quandoquidem etiam in ætate provectioribus conjunctio & concrescentia hujusmodi vix sit speranda, fasciis intestinum suadet in loco convenienti detineri, ne mala graviora à prolapsu in scrotum iis inde sint expectanda.

Cartesianorum modus curandi Abdominis & Intestinorum Vulnera.

§. 19. *Cartesiani* in simplici Abdominis *Vulnere* absque læsione intestinorum curando eadem plane procedunt ratione, qua vulnus in genere tractare solent, sistendo sanguinis effluxum nimium, removendo obstacula, adjungendo invicem vulneris labia & eadem consolidando, non omissis interiùs sanguinis coagulationem promoventibus ut oculis cancrorum, spermate ceti, C. C. aliisque sudorem promoventibus, quem hoc in casu maximè judicant proficuum. Ipsi Vulneri etiam foris adhibent fotus calidiusculos ex herbis vulnerariis, salvia, alchimilla, mentha, hyperico, in vino coctis, vel linteum duplicatum spiritu lumbricorum, in quo camphora sit dissoluta, imbutum tepidè imponunt, donec emplastro vel unguento ex mastich. gumm. carann. terebinth. ol. Philosoph. hyperici, aliisque paratis perfectè possit consolidari. Intestina extra vulnus protuberantia & flatu distenta, vel decocto ex carminativis in vino dulci parato, vel lacte calido fovent, & vulnus angustius in tantum dilatant, ut intestina per illud commodè in abdominis cavitatem, situmque pristinum possint repelli, qua ratione etiam omentum prominens fovere solent, & portionem ejusdem corruptam, ut præcedentes, filo ligare & abscindere, relicto filo, ut denuò extrahi & portio ulteriùs corrupta resecari queat. Vulneratis verò simul ipsis intestinis, sive tenuibus, sive crassis, ut vel chylus, vel excrementa per vulnus effluant, quamvis res periculo sit plenissima, & prava de salute spes, nihilominus intestina vel lacte calido, vel spiritu vini camphorato & Essentia hyperici abluunt, sutura uniunt, sicque in situm ordinarium reponunt, instillato balsamo de Capaiba, vel balsamo mort. ex aloe, myrrha, benzoe, styrace calam. Spirtu vin. & pauco Spiritus Salis parando, & internè potiunculam exhibent spirituosas particulas in tubulis intestinorum augentem & corroborantem, cujus sequens esse potest formula.

℞. *Aq. salv.* ℥ i ß.
Menth. ℥ j.
Regin. Hung. ℥ ß.
Tinctur. hyperic. ʒ iij.
Spir. lumbricor. ʒ ij.
Mastich. ℈ iiij.
Camphor. ℈ ij.
Syrup. Veron. ℥ j.
Botryos,
De tormentill. aa. ℥ ß.
M. d. cochleatim.

Reliquum vulnus ut conglutinetur, & peritonæi & musculorum partes in vulnere majori sutura per filum crassius cera obductum aduniunt, & vel unguentum traumaticum *Blancardi* inungunt, vel emplastrum aliud consolidans ex acidum absorbentibus parandum, qualia sunt, bolus Armena, plumbum ustum, lithargyrum, minium, olibanum, mastix, galbanum, terebinthina, oleum loti odorati, ouorum, Philosophorum, & cera. Potionibus uulnerariis semper admiscent puluerem ex ocul. cancrorum, ut acido fortiùs resistant.

Herniam.

In *Hernia* curanda primam quoque impendunt operam, ut intestina vel omentum eò repellantur, unde prolapsa sunt, removendo obstacula eodem planè modo, quo in Abdominis uulneribus, ad restituenda intestina flatus & intumescentias eorum fotibus aut cataplasmatis discutiunt, & durum quoduis emolliunt, qua de causa rad. alth. fol. malu. flor. chamomill. sem. anis. carvi, fœnigr. lacte coquūt, & lintea eodem imbuta calidiusculè adhibent, insimul regionem protuberantiæ sequenti inungunt linimento.

℞. *Sevi Hircini* ℥ ß.
Axung. castor. ʒ ij.
Ol. Hyperic. ʒ iij.
Lumbricor. ʒ j.
Ol. Petr. alb. ℈ j.
Dest. macis gutt. vj.
M. F. Linimentum.

Loco hujus usurpant butyrum, cui flores uerbasci & hyperici fuerunt incocti, & postmodum ægro aut in tabula, lecto, aut, si infans fuerit, gremio matris, vel alterius aptè disposito, capite aliquantum ad inferiora,

feriora, inguine verò ad superiora respiciente, & pedibus divaricatis, intestinum vel omentum per processum peritonæi dilatatum in ipsam abdominis cavitatem detrudunt, quo facto vel unguentum ad Hernias *Mynsichti* illinũt, & quietem decubitumque supinum ad longum imperant tempus, vel emplastrum imponunt fibras comprimens, & ita meatum istum angustans, aut mediante accrescentia quadam carnosa occludens, quorum varias habent formulas, ex quibus sequentes aliqua præbere possunt exempla.

℞. *Resin.* ℔ i ß.
Ceræ ℔ ß.
Terebinth.
Farin. fabar. ℥ j ß.
Fœnigr.
Consolid. maj. aa. ℥ j.
Rad. Alth. ℥ j.
Herb. barb. caprin. ℥ ij ß.
Bol. rub. ℥ i ß.
Spir. vin. s. vin. adust. ℥ iij.
Acet. vin. ℥ i ß.
M. s. a. F. Emplastrum.

℞. *Rad. Aristol. rotund.*
long. aa. ℥ ß.
Filicis,
Osmund. regal. aa. ℥ j.
Consolid. maj.
min. aa. ℥ vj.
Ceterach,
Glasti,
Caud. equin. aa. ℥ j.
Sem. plantag.
Nasturt.
Psyll. aa. ℥ ß.
Nuc. cupress.
Gallar.
Cupular. gland.
Fabar. torrefact.
Myrtillor.
Malicorii,
Balaustior.
Acaciæ aa. ℥ ß.

Ex hisce in subtilem pulverem redactis fiat cataplasma cum vino rubro ad consistentiam emplastri reducendum, cui adde
Thuris,
Myrrh.
Aloes,
Mastich.
Boli Armen.
Mumiæ,
Lap. calamin. pp.
Lithargyr. aur.
Sang. dracon.
Picis navalis ℔ ij.
Terebinth. q. s.
F. s. a. Emplastrum.

℞. *Pic. naval.* ℥ ij.
Aloes,
Olibani,
Mastich. aa. ℥ ß.
Colcoth. Vitrioli,
Boli Armen. aa. ℥ iij.
M. F. Pulvis, qui excipiatur vel mucilagine rad. consolidæ maj. vel albumine ovi, & instar emplastri imponatur.

Sed circa emplastrorum horum impositionem rectè monent, non omnes eadem ferre posse, siquidem occlusis poris particulæ transudantes sub emplastro retentæ fibras cutaneas vellicant, poros occludunt, & hac ratione pruritum, inflammationem & pustulas excitant cum dolore urente, quod si in quibusdam contingat subjectis, dempto emplastro locum lacte calido abluunt, & linimento ex sevo ovillo cum oleo ovorum parato inungunt, ut pori ita dilatentur, fibræ crispatæ relaxentur, & spiculæ acutæ fibris earumque tubulis inhærentes inviscentur, sicque dolor minuatur & pustulæ decidant. Subligaculorum usum cum pulvinaribus & scuto ex cera confecto, arctéque regioni herniæ alligatis summopere ducunt proficuum ad prohibendum ulteriorem intestinorum prolapsum. A quibusdam interna quoque exhibentur remedia aperturæ occlusionem promotura, inter quæ laudantur semen nasturtii tostum, perfoliatæ, Tinctura Hyperici, Essentia symphyti, potio seu decoctum contra herniam intestinalem *Mynsichti*, vel Pulvis sequens:

℞. *Rad. Cichor. alb.* ℥ ß.
Pulsatil. ℥ j.
Sem. Perfoliat. ℥ ij.
M. F. Pulvis, in jusculo ad ℥ j. *adsumendus.*

Sunt tamen, qui hisce parum tribuunt, vix percipientes eorum vim esse tantum, ut peritonæi processum comprimere, sicque meatum satis queant angustare, quod ipsa quoque sæpiùs monstrat experientia, quare & spiritui salis, à quibusdam ad herniam curandam valdoperè deprædicato non adeò fidunt, sed si quis felix subsequutus est curationis exitus post ejus usum, non tam spiritui huic, quàm subligaculis, quieti, & reliquo diætæ regimini eundem ferunt in acceptis. Quando verò malum hoc ita accrevit, ut ob intumescentiam & variam contorsionem intestinorum, per meatum inguinalem in locum ordinarium repelli & pristinæ sedi restitui nequeant, ad extrema confugiunt remedia, & herniotomiam approbant, resectionem tamen testiculi, & adustionem non adeò frequenter instituentes, sed potiùs sectionem & puncturam auream, de quibus, Herniæ curationem ulteriùs explanantes, pluribus modò sumus acturi.

Nostra sententia de instituenda curatione Vulnerum & Abdominis & Intestinorum.

§. 20. *Nostram* ergo de morbis hisce Abdominis & Intestinorum ritè curandis sententiam sequenti nunc percipito ratione. *Vulnera* Abdominis à Chirurgo statim examinanda sunt, quænam partes fuerint læsæ, si verò satis manifestè constat, quòd vulnus in abdomen penetraverit, non opus est ut exploretur vulneris profunditas, ideoque Chirurgos nostros hìc carpo, qui specillo ferreo statim inquirunt vulneris profunditatem, & ita partes illæsas hoc instrumento lædunt, fibrillasque discindunt, præstat ergo vel candela cerea uti, vel specillo plumbeo flexili, quæ ita flecti possunt, ut catheter flexilis, & sic ejusmodi instrumenta accommodantur ad qualescumque occurrentes mæandros; sed inquisitioni huic non semper fidendum est, quoniam in corpore læso partes aliter figuratæ erant, dum æger vulnerabatur, quàm postea ubi vulneris status explorabatur. Pessimè etiam faciunt Chirurgi illi, qui vulnera hæc ampliora reddunt, quia omentum & intestinum faciliùs tunc excidere possunt; in casu verò, ubi jam illa fuerint prolapsa, & ob distensionem nimiam hæc non reperiri possint, tunc aliquando concedi potest, ut vulnus magis amplum reddatur. Reprehendendi non minùs veniunt, qui in hisce vulneribus statim ad venæsectionem, tanquam ad anchoram sacram, confugiunt, quia tanquam bestiæ rapaces, & tanquam hirudines ægris sanguinem, vitæ hujus nostræ unicum pabulum, exhauriunt, & ægros ad plura disponunt mala. Maximè & Chirurgos nostros hodiernos carpo, qui statim utuntur frigidis & adstringentibus, humorum enim circulationem Chirurgi per frigida ac adstringentia perperam imposita retardant, in quorum verò circuitu non tantùm sanitas, sed & vita nostra consistit, & hoc retardato sanitas, penitus verò ablato vita perit.

Uulneratis ergo hisce meo judicio statim exhibeantur acidum absorbentia, & circulationem quorumvis humorum promoventia, inter quæ palmam aliis præripiunt oculi Cancrorum, Antimonium diaphoret. Antihect. Poter, Mumia, sperma ceti, lapis Irlandicus, & scissilis noster. Nec omittenda sunt diaphoretica, quæ sanguinis grumos evasatos dissolvunt, & circulationem humorum promovent, sequenti ergo utatur mixtura cochleatim.

℞. *Aq. Chærefol.*
Card. bened.
Mariæ,

Fœ-

Fœniculi,
Veronicæ aa. ℥ j.
Lap. cancror. pp. ℥ j.
Antimonii diaphoret. ℥ ß.
Syrup. heder. terrestr. ℥ j.
M.

Detur quoque sæpiùs dosis sequentis pulveris, à quo sudor expectandus.

℞. *Ocul. cancror. pp.* ℈ j.
Lap. Irlandici ℈ ß.
M. F. Pulvis.

Vel

℞. *Sperm. ceti* ℥ ß.
D.

Elapsis aliquot diebus, iterùm diaphoreticum exibendum;

℞. *Corall. rub. pp.* gr. xv.
Unicorn. ver. gr. vj.
Antimonii diaphoret. gr. xij.
M. F. Pulvis, qui detur cum aqua veronicæ.

Diuretica blandiora singulare quoque hic præstabunt juvamen. Si verò in amplo abdominis vulnere intestinum fuerit prolapsum, hoc propediem est reponendum, aliàs enim flatibus ita distenditur, ut in pristinum locum reponi minimè possit, hinc pori intestinorum à frigore occlusi, iterùm aperiendi sunt, & liquoribus intus contentis major conciliandus est motus & circulatio promovenda, imò ipsa intestina lacte calido, in quo flores chamomill. cocti, fovenda sunt; calidè ergo imponatur linum nendo recenter contortum, nondum verò coctum, vel ipsum linum exsiccatum, & in lacte dulci coctum. Intestina dein flatibus jam consumptis reponi debent, si id fieri non potest, vulnus magis amplum reddatur, si verò fuerint reposita, vulnus aliqua ex parte consuatur, si opus sit, turundæ ergo alibi sæpiùs jam dicto digestivo inunctæ vulneri imponantur, ac superimponatur emplastrum idoneum stypticum, vel nostrum polychrestum, superimpositis sacculis calidis.

Si vulnus Abdominis non penetrans sit in linea recta alba sic dicta, tunc & varia balsamica dicta imponantur turundæ, & tractetur hoc vulnus, uti partis membranosæ.

Cùm verò omentum prolapsum, & ob moram aliquam jam fuerit corruptum, quoniam, ceu superiùs diximus, facilè sphacelatur, tunc inter partem sanam & corruptam filum interiiciendum est, & portio corrupta abscindenda, ne pars sincera trahatur, & consuto aliquatenus vulnere, filum tamen extra abdomen pendulum relinquendum, donec decidat.

Si intestina fuerint læsa, & quidem tenuja, tunc res est in angusto, sed omnia tentanda sunt, vulnus intestini consuatur, si fieri potest, & apponantur balsamica vulneraria, vel talis pulvis inspergatur, qui paratur ex myrrh. aloe, bol. Armen. camphor. sacchar Saturni p. æq. vel foveatur sequenti vel simili spiritu cum spongia.

℞. *Spir. vin. comm.* ℥ ij.
Aqu. Traumat. ℥ i ß.
Aloes,
Camph.
Myrrh. aa. ʒ j.
Aqu. Regin. Hung. ℥ j.
Sacch. Saturni ʒ i ß.
M.

Hic & conducunt omnia ea, quæ superiùs de Uulneribus Abdominis agentes exhibuimus.

Si patiens in sinistro latere fuerit læsus, ipse in dextrum se conferat, &, si intestina à flatibus fuerint nimis distenta, ut vix intrudi possint, & poruli nimis sint obstructi, sequens conducet ad resolvendum.

℞. *Flor. chamomill.*
Melilot. aa. M. j.
Sem. anis.
Fœnic.
Cumin. aa. ℥ i ß.
Caryophyll.
Macis aa. ℥ ß.
Coq. in lact. add.
Spiritus vin. camphorat.
Aq. theriac. aa. ℥ ij.
Sacch. Saturni ʒ ij.
Ol. anis. ℈ ij.
M. F. Epithema, loco vulnerato & intestinis protrusis tepidè applicandum.

Si vulnus abdominis fuerit nimis amplum, consui possunt labia vulneris cum peritonei vasis. Si omentum fuerit prolapsum, id statim pristino loco reponendum, &, si jam fuerit frigidum, sequens adhibeatur remedium cum spongia applicandum.

℞. *Spiritus matrical.* ℥ iij.
Aq. menth.
Regin. Hung.
Physagon. aa. ℥ j.
Camphor. ʒ iij.
M.

Si omentum verò jam nigrum fuerit & putridum, filo illud ligandum est, & abscindendum, at filum non abscindatur, sed ex corpore dependeat, usque fiat separatio. Omento intruso, vulnus consui potest, relicto parvo foramine, ad materiæ effluxum, & filum repetendum. Si æger non habeat alvum laxam, enema dandum non est; quia intestinum facilè ob consutionem factam rumpi potest, sed sufficit suppositorium, vel decoctum passulatum.

Interim circa vulnera hæc semper respiciendum est ad symptomata, facilè enim fieri potest, ut partes internæ contusæ fuerint, hinc facili marte febris oboriri potest, cui si haud congruis remediis occurratur, gangræna & certa mors sequeretur, quare statim ad sudoriferas mixturas, & decocta tanquam ad sacram anchoram confugiendum est. Ad crassitiem succorum incidendam, & partem corroborandam, conducet cataplasma ex ruta, summit. absinth. salv. bacc. laur. Junip. sem. cumin. fœnic. flor. chamomill. melilot. myrrh. pulv. rad. bryon. &c. in vino coctis, addita farin. fabar. q. s. ad consistentiam cataplasmatis, & dein imponatur emplastrum de cumino cum camphora, vulnera enim harum partium tractanda sunt cum cautione, & semper ad internam inflammationem & febrem respiciendum, hinc singulis quatuor horis, uti in peste solet, dentur duo cochlearia mixturæ sequentis vel similis sudoriferæ.

℞. *Aq. Scord.*
Menth. aa. ℥ i ß.
Regin. Hung. ℥ ß.
Diascord. Sylv. s. op. ʒ ß.
Ocul. cancror. pp. ℈ j.
Bezoart. min. ℈ ß.
Camphoræ gr. iij.
Sacch. Saturni gr. v.
Ol. Sassafr. ℈ ß.
Syr. cinamom. ʒ vj.
M. d. ad vitrum.

Pro potu ordinario F. Decoctum ex rad. Scorzoneræ, Chin. herb. veron. card. bened. & fœnic. in aqua commun. & vino coctis, adjecta lap. prunell. ʒ ß. quod semper calidè bibatur, vel instilletur vino, vel potui ordinario sequens.

℞. *Elix. vit.* ʒ ij.
Propr. Parac. absque acido,
Spir. nostr. cephal. oleos. aa. ʒ j.
Ol. Sassafr.
Menth. aa. ℈ ß.
M.

Ad consolidandum, & ulcerationem impediendam sequens vel simile convenit decoctum.

℞. *Rad. Gentian.*
Bardan. aa. ℥ i ß.
Chinæ,

Sal-

Salsaparill. aa. ℥ j.
Cort. Guajac. ℥ vj.
Herb. Scord. M. iij.
Salis Tartari ℥ ß.
F. Decoctio in vino.

Hujusmodi potus continuandus est usque ad plenam restitutionem ægri.

Intestina verò prolapsa si gangrenosa fiant, & fæces exeant, consuere haud licet, sed adhibitis decenter medicamentis motum humorum promoventibus, calidioribus nempe, aut aqua calcis vivæ, cum spiritu vin. camphorat. consolidatio illorum sponte subsequetur. Sic in quodam viro Francothalensi tempore pestis anno 1666. hernia intestinali laborante, tumoreque hoc indies majorem ruborem concipiente, tandem gangræna correpto, remediis applicatis aperto, cùm fæces intolerabili cum fœtore emanarent, remedia superiùs dicta adhibita fuere, post mundificationem sic dictam caro succrevit rubra, & consolidatio facta fuit: Æger adhuc sanus vivit, sed cibis copiosiùs ingestis, eo loci tenuis transudare videtur lympha. Simile quid, sinistro tamen cum eventu, contingit in virgine 20. annorum, quæ diu in inguine tumorem sensit, qui major factus & apertus pus non laudabile exhibuit, unde humor effluens acrimonia sua intestinum ileon, quod in dissectione cadaveris apparebat, corrodendo, partibus illis gangrænam inducere cœpit, successit febris lenta, & tandem hectica, quæ etiam paucorum dierum spatio fuit extincta.

[...]ratio [...]erniæ.

In cura *Herniæ* intestinalis eò incumbendum, ut reponantur intestina prolapsa in situm debitum, dein repositis intestinis peritonæum firmetur & consolidetur, ne ulterior intestinis concedatur prolapsus. Ut ergo reponatur intestina prolapsa, conveniente situ ægro resupinato, cruribus, & natibus ejus nonnihil elevatis adjuvanda sunt, & impedimenta, flatus, stercora, & alii humores stagnantes removenda sunt, & cum intestina tenuia tantum prolabantur, hinc stagnatio humorum illa circulantium, & ab hac tensio membranarum & spasmodes intestinorum affectus duritiem repræsentantes oriuntur, quæ blandis ac aromaticis fomentis externis resolvenda, & si flatus simul urgent, uti semper fit in hernia intestinali, mixtura quædam carminativa propinanda; exempli gratia:

℞. *Aq. flor. Chamomill.* ℥ ij.
Carminat. ℥ j.
Essent. carmin. Wed ℨ ß.
Flor. Chamomill. ℈ j.
Spir. Salis Armoniaci anisat. ℈ ß.
Syr. Cort. aurant. ℨ iij.
M. D. ad Vitrum.

Alvus servetur laxa, vel suppositoriis, vel clysteribus, qui tamen ab initio non semper adhibendi sunt, sed si confirmatus fuerit prolapsus, & symptomata gravia ægrum torqueant. Fotus quoque varii humidi siccique imponantur parti affectæ, & præ aliis convenit linum nendo recenter contortum in lacte dulci coctum, & calidè applicatum, stercus ovillum dulci lacti incoctum, & applicatum, non contemnendi usus erit remedium. Omnia ergo emollientia, blandè discutientia & anodyna, vulgò ita dicta, conveniunt; contra frigida repellentia, & adstringentia in prolapsu intestinorum, atro notamus carbone, utpotè, quibus remediis ægri ad cymbam sæpe Charontis deducuntur.

Homines provectæ ætatis à tali morbo nunquam, nisi sectione curantur, quæ etiam ipsius sæpe est fatalis. Varia tamen emplastra regioni lumbari, & inguini applicatur, inter quæ emplastrum Magneticum *Hoffmanni* à nonnullis celebratur, ipseque Author opere de methodo medendi *p.* 426. talia profert: In delapsu intestinorum in inguina, vel scrotum, artificiosa & perita Chirurgi manus primùm requiritur, quæ intestina in pristinum reducat locum, id quod fit, dum eger diductis cruribus supinus collocatur, & capiti declivior coxæ verò superior datur locus. Dein fæces induratæ emolliendæ, &, si summo cum dolore magna quoque vel inguinis, vel scroti, vel utriusque durities conjuncta fuerit, scrotum & inguen decocto rad. alth. semlini, flor. melilot. ante erit fovendum, ut ita facilius intestina tractentur. Hæc omnia compendiosè supplet emplastrum meum magneticum, licèt & ipsa iliaca passio unà adsit, propria experientia à me deprehensum, inque pluribus diversæ ætatis, constitutionis & sexus subjectis, eodem etiam malo plures per vices ad desperationem usque aliorum recurrente, multoties non sine fructu probatum, quod satis dilaudare nequeo, lumbis applicatum tormina juxtà sopiendo ventris atrocissima, intorta, dislocata & incarcerata in scroto intestina, quamprimùm incaluerit, in pristinam transfert abdominis sedem, ipsis etiam ægrotis, non quidem sine molestia, vim ejus attractivam animadvertentibus. Emplastrum est sequens:

℞. *Gumm. de sagapen.*
Ammoniac.
Galban. aa. ℨ iij.
Terebinth.
Ceræ Virgin. aa. ℨ v.
Magnet. arsen. ℨ j. gr. xv.
Rad. ari ℨ j.
Gummata dissolvantur in acet. q. s. & cocta in formam emplastri, additis reliquis speciebus, extendantur super alutam.

Sed ut fatear quod verum est, sæpiùs id applicari jussi herniosis meis, qui nullum exinde habuerunt levamen, nec scio, qua vi attractoria suum edere possit effectum. Alii absque commodo & effectu ob vim attractoriam pinguedinem leporinam, vel ursinam dorso illitam commendant.

Ne verò Herniæ aperiantur, uti imperiti Chirurgi hernias sæpe pro bubonibus habent, & illas aperiunt, quarum herniarum incautè apertarum exempla videantur apud *Rhod. Obs. M. cent.* 2. *c.* 7. *Hoechstetter. Dec.* 10. & imprimis apud Cl. *van der Wiel Obs. rarior. cent.* 1. *Obs.* 54. sicuti & hic Cassellis hujusmodi casus infelix non ita pridem contingit, dum Chirurgus quidam falso deceptus prejudicio de abscessu inguinali, lancetta tumorem tam profundè aperuit, ut ipsum intestinum pertuderit, quo facto cibus potusque, & alia ingesta per foramen effluxerunt, ægerque obitu suo postridie curam absolvit. In his ergo cautè mercari discat Chirurgus.

Ut verò repositis intestinis peritonæum iterùm conglutinentur, & laceratum consolidetur, tum externa, tum interna plura ab Auctoribus narrantur remedia, inter quæ ferè non unicum veræ fidei respondet, quamvis *Hartmannus* nimis deprædicet laudibus balsamum suum salis gemmæ, & plura ejusmodi remedia possunt peti ex jam dictis, reliqua verò videri apud Cl. *Ettmullerum p. m.* 155. quorum præcipua sunt sequentia.

℞. *Gumm. Carann.*
Sem. nasturt. aa. q. s.
Præparentur, cum album. ov. q. s. & imponantur.

Emplastrum ex pice navali, resina & lateribus coctis pulverisati inter se mixtis paratum, item Emplastrum diasulphuris *Rulandi*, oleum lacertarum, &c. Hernias quidem sanari posse, & imprimis in juvenili ætate, non dubitamus, sed in adultioribus non nisi sectione ad experto Herniotomo instituta. In juvenibus ergo bonam fasciam, cujus optimam vidimus formulam, cingulum nempe, sive subligaculum abdomini circumligandum, & ex linteo confectum, cui adjunctum est pulvinar ex gossypio, aliquantum durum, & trochlea scroto affigendum, ne intestinum repositum ulterius prolabatur, emplastro carminante *Sylvii* abique aceto parato, & super corium extenso hærniæ priùs imposito; & quies hisce juvenibus maximopere imperanda est, quæ herniarum panacæa est. Remedia interna in hunc finem data peritonæum conglutinare posse mihi minimè videtur, sed ejusmodi remedia ex falsa præconcepta opinione per fallacem experientiam sunt excogitata, proinde credulos inani spe lactant, & sperato successu sæpiùs destituunt.

Sectio

Sectio ergo adultioribus suadenda, si velint sanari, quæ sequenti modo instituatur: Ægro tabulæ imposito in superiori scroti parte fiat incisio, studiosè tamen hæc instituenda, ne lædantur intestina, tum canalis argenteus pennæ anserinæ crassitiem habens, & una parte concavus, altera verò convexus, aperturæ insinuetur, secundùm ductum peritonæi dilatati, ut juxta cavitatem canalis absque ulla intestinorum læsione apertura illa ampliari possit, donec intestina per illam commodè repellantur, quibus restitutis peritonæum profundè satis prehensum connectitur, ne intestina denuò prolabantur, & apertura filo consuitur. Quando verò ob excrementorum indurationem & intestinorum intumescentiam, aliudve quoddam obstaculum intestina per meatum angustiorem repelli, & sic debito loco restitui nequeant, canali antedicto peritonæum dilatatum in altum tollantur, & juxta cavitatem canalis abdomen versus cultelo in tantum dilatetur, ut intestina aptè restituantur, quo facto vulnus consuatur, & processu ad viam angustandam adempto conuenienter consolidetur.

Absque sectione, sola punctura nonnulli morbum hunc tollere, & intestinorum prolapsum prohibere tentant, dum superiorem scroti regionem acu longa perforantes, acum hanc per processum adigunt peritonæi, filioque acui inserto per scrotum ligato processum illum ita claudere allaborant, ut nihilominus vasa seminaria cum teste ipso salvo libera premaneant, & æger feliciter sanetur.

Alia verò ab hac est Punctura aurea ita dicta, quòd filo aureo processus peritonæi, aut potiùs meatus iste nimiùm dilatatus connectatur, & vna cum sectione sequenti ratione peragitur. Facta apertura super osse pubis, stylo ferreo infra processum istum adacto ipse processus attollitur, atque ab aliis partibus separatur, deinde vasa spermatica, & musculi cremasteres inquirenda sunt & separanda, hinc processus peculiariter & partes etiam omnes separatæ foràs protrahuntur, processus forcipe foraminato prehenditur, & per foramina ista forcipis acu quinque aut sex fila ducente, proximè vasa spermatica & musculum cremasterem, unà cum vulneris labiis secunda vice trajicitur, tum fila ab utraque parte contrahuntur, & nodo firmissimo connectuntur, & nodus hic tamdiu propendere permittitur, donec sponte decidat. Sub peritonæo detecto filum aureum bis, vel plumaceum semel artificiosè trajicitur, & mediocriter contrahitur, ut vasis à contusione præservatis & illæsis, processus saltem angustetur, tum filum istud forcipula bis terve contorquetur, & residuum studiosè abscinditur, ne partibus ulla exinde læsio obveniat, tandem ęgro lecto imposito, capite declivіore, & pube elevata, ne intestina delabantur, vulnus communi more sanatur.

Loco sectionis interdum usurpatur cauterium indolens, dum repulsis intestinis, & testiculo, quantum fieri potest, ad os pubis diducto, hic atramento notatur, postmodum testiculo situi pristino & debito restituto, loco notato imponitur corrosivum, quod ad os ipsum penetrare permititur, hinc eschara abacta quantum sufficit de processu peritonæi abscinditur, & foramen arte sanatur. Si verò testiculus ipse veniat abscindendus, scrotum secundùm longitudinem inciditur, per quam incisionem testiculi vnà cum parte peritonæi dilatata eximuntur, & à scroto debitè separantur, vasa sanguifera scroti, quàm artè fieri potest, colligatur, & infra ligaturam abscinduntur, funiculo usque sponte decidat extra scrotum prominente, quo facto ad consolidationem vulnus sedulò perducitur, ut foramen ita ritè claudatur.

CAPUT III.

De Ani Procidentia, Fistula, Fissura, Mariscis, Condylomatis, & Atritis.

§. I. Extremitas Intestinorum commodum præbet ostium eliminandis excrementis, quæ egestio cum maximè sit necessaria, ne diutiùs retenta graviora inferant mala, meritò nunc morbos examinamus, qui partem hanc intestinorum ultimam infestando magnas quandoque ægrè decumbentibus procreant molestias. *Ani ergo Procidentia* nil aliud est, quàm intestini recti prolapsus seu dilatatio, quæ fit, quando sub excretione fæcum intestinum rectum multùm prominet, & aliquando extrorsum hæret, ut non facilè possit retrahi, & in locum pristinum restitui. *Ani Procidentia.*

Fistula Ani est ulcus sinuosum in intestino recto, ejusdemque vicinis musculis. *Fistula.*

Fissuris seu *Rhagadibus* etiam Anus divexatur, dum cutis ejus aridior existens, à particulis rigidioribus, & salsis acidis diffinditur, & fibrarum ejus connexus molestè sejungitur, ut majores quandoque & profundiores in eo sulci suboriantur. *Fissura, seu Rhagades.*

Marisca dicitur tumor natus in ano, ex stagnatione humorum ibidem circulantium. Dicitur etiam *Ficatio*, *Ficosus Tumor*, vel *Ficosa eminentia*. *Marisca. Ficatio.*

Huc refertur & *Thymus*, qui affectus tamen omnes sub nomine Condylomatum possint comprehendi. *Condyloma* autem est tumor, aliis carnis excrescentia callosa circa anum. Condylomata sunt aliquando citra inflammationem & mollia, quandoque verò cum inflammatione & dura dolorificaque. *Hæmorrhoides* quoque *cæcæ*, vel Protuberantia venæ hæmorrhoidalis vocantur, hinc condolendum est, quòd antiquitas adeò fuerit curiosa in fingendis nominibus, quibus medicinam tantùm obscuravit, magis enim fuit de vanorum verborum apparatu, quàm de rebus ipsis sollicita. *Thymus. Condyloma. Hæmorrhoides cæcæ.*

Atriti seu *Atretæ* dicuntur imperforati in utroque sexu, quibus anus aut genitalia perforata non sunt, sive id ex constitutione à primo ortu, sive ex morbo acciderit, carne vel membrana supercrescente, & meatum obstruente. *Atriti.*

§. 2. *Pars affecta* horum affectuum est Anus, Culus, seu Podex. Intestinum enim rectum, ob rectum incessum ita dictum, in anum terminatur, qui est veluti mensura quædam, qua illud, quod exterminari debuit, determinata mensura foràs truditur. Hujus exterior pars musculo sphinctere donata, est pars valdè rugosa. Habet autem Anus præter sphincterem adhuc duos musculos levatores, quibus excrementa excernuntur, & podex seu anus iterùm clauditur. Triplici gaudet tunica, abs qua dependet motus iste vermicularis ad podicem usque, & ab hoc ejectio peragitur excrementorum, quæ in intestinis remorantur, ut foràs eliminentur. Glandulis quoque suis intestinum hoc gaudet minutissimis. *Pars affecta.*

§. 3. *Ani Procidentia* ex relatione ægri facilè patet, quando enim ægri hi alvum deponunt, facilè hanc observant procidentiam, & sæpe coguntur manu, vel linteis calidis ipsam reponere & intrudere, magnumque sæpe percipiunt dolorem, imprimis, si intestinum fuerit inflammatum, & stercora ejicienda existant duriora. *Diagnosis.*

Si *Fistula* sit oriunda, ab initio maximi adsunt dolores, & propter urentem materiam, antequam ipsi exitus concedatur, homines insanientes quasi reddit, aperto abscessu materia ichorosa sæpe putrida, & cum sanguine mixta effluit, quę cuniculos agit, & sic in fistulam abit sępe dolorificam, unde ęgri aliquando neq; sedere, neq; ambulare, egreque cubare possunt. Ex fistula tali calculi exscissi sunt, uti annotavit Cl. *Gottfrid. Schultzius* in *Eph. Germ. Ann. IX. & X. Obs.* 185.

Fissuræ sive *Rhagades* ani cognoscuntur ex visu & relatione ęgri, qui tactu easdem dignovit, sunt enim

rimę

rimæ quædam profundiores, interdum ſiccæ, interdum verò inſtar Ulcuſculorum humiditatem quandam exſudanteſque ſaniem, modò ſuperficiariè, modò profundæ, vel condylomatis junctæ, vel ab iiſdem liberè, interdum ſucci acres in iis collecti, vel liquor inteſtinalis in eaſdem depluens & ſtagnatione corruptus dolorem magnum & pruritum excitant, quo ægri valdè moleſtantur. *Mariſcæ* ſeu *Condylomata* ſæpiſſimè, & quaſi ſemper hypochondriacis ſuperveniunt, cùm habeant humores ſpiſſos ad ſtagnationem faciles, qui cognoſcuntur ex ani ardore, in exoneranda alvo dolore maximo & parturientibus non diſſimili, excrementa ſunt dura & inſtar ſcybalorum, tumores ſunt plures, unus altero major, adſunt inſomnia, cum virium proſtratione, ægri ſunt mœſti, intercludit ſæpe tumor talis mole ſua exitum excretis illac erupturis, impediendo rigidè, ne deſcendat alvus, vel lotium deponat veſica, ſtatim & depoſitionem dolor vehemens inſequitur.

Atriti ſeu *Imperforati* ex ano clauſo & imperforato facilè cognoſcuntur; Tres occluſorum dari ſpecies Practici contendunt, videlicet Anguſtiam ſeu Conniventiam inteſtini recti, ani Clauſuram per membranam, & Coalitum, ob quem patientes propriè Atretæ ſive Imperforati dicuntur. Sed quid quæſo prodeſt hæc diviſio, annon ſecundùm magis & minùs, & pro cauſarum varietate ſunt iidem affectus.

Ætiologia morborum horum ſecundum Galenicos.

§. 4. *Ætiologiam* morborum inteſtini hujus recti ſive Ani *Galenici* hoc modo peragunt, ut in *Ani Procidentia* accuſent tum muſculorum & nervorum hujus partis imbecillitatem, reſolutionem vel paralyſin, refrigerationem, abſceſſus, tum quamcumque cauſam violentam, irritationem inteſtinorum vehementem in dyſenteria aut teneſmo, conatum magnum in fæcibus egerendis inſtitutum, lapſum ab alto indorſum, unde vel nervorum, vel muſculorum oriri ſolet reſolutio, ut inteſtinum hoc ab iiſdem ulteriùs haud detineatur.

Fiſtularum Ani cauſam ſive originem referunt ad morbos alios, quos prægreſſos & neglectos aut malè curatos fiſtulæ ipſæ, inſequantur, aut morbi iſti in fiſtulas terminentur, uti ſunt inflammatio, phymata, ficus, rhagades, aliique partem hanc inteſtini recti exulcerantes.

Fiſſurarum ſive *Rhagadum* cauſis adſcribunt quicquid unitatem partis hujus diſſolvere poteſt, confluxum nempe humorum acrium, diſtenſionem cutis nimiam à condylomatis, conatum magnum in detrudendis & excernendis fæcibus duris aridiſque in alvo diutiùs retentis, coitum præpoſterum & nefandum, ob quem pariter anus diffindatur.

Mariſcarum ſive *Condylomatum* cauſas tribuunt ſanguini craſſo & limoſo, in rugoſa ani ſubſtantia diutiùs detento & coacervato, maximè fiſſuris præcedentibus, quibus caro fungoſa & rugoſa criſtarum inſtar excreſcat.

Atritos vel in ipſo utero ab errore facultatis plaſticæ ita progenerari dicunt, vel ab ulceribus ita reddi malè curatis, dum meatus iſte in tantum concreſcat, ut excernendis nullus, vel difficillimus concedatur tranſitus.

Paracelſum

§. 5. *Paracelſus* nullam novam in *Ani Procidentia*, ab aliiſque jam relatis differentem addere novit cauſam; in *Fiſtula* verò accuſat ſal excrementorum in ano emortuum, quod abſque cutis perforatione extremum hoc inteſtinum profundiùs pervadat.

Fiſſuras ſeu *Rhagades* ex hæmorrhoidibus oriri dicit, dum ſal menſtruoſum ſe recipit ad locuſtas, & ſeparationem quamvis ſalis ſciſſi tranſire tantùm in fiſſuras, ubi cum alio non fuerit commixtum.

Condylomata ſeu *Ficus*, quos & Verrucas hæmorrhoidarum nominat, originem habere vult ex hæmorrhagiali ſanguine; cùm nutritivus humor ſeparatus à ſubſtantia ſanguinis per porum ſuum emunctorialem penetret extra materiam propriam, ſicque in talem tranſeat excreſcentiam, quicquid enim à ſucco nutritivo ſeparetur, in ſuæ ſubſtantiæ ſimilitudinem tranſire refert, ac pro loci vitriolique ſalis ratione dividi in cancrum.

Imperforatos in matrice ita generari aſſerit, ab inæqualitate ſeminis, & quòd natura in liquore vitæ non ſit perfecta & integra, maximè verò quòd ſemen, ex quo exitus hic inteſtini elaborari debet, aut deficiat, aut abundet, unde ſuperfluum in hujuſmodi abeat additamentum, quod meatum iſtum occludat. Alia etiam ratione anum occludi aliquando obſervavit, dum nempe nonnullis joco per ſtyptica fuit compreſſa adeo, ut propter neceſſitatem excretionis opus fuerit ipſum aperiri terebris.

Helmontium.

§. 6. *Helmontio* ipſe Pylorus non parum ad *Ani Procidentiam* contribuere videtur, utpote cujus regimini cuncta inteſtina cum podice ſubjaceant, qui vel à felle, vel ab alia quadam cauſa irritatus in ſubjecta iſta ſuriat, & è ſede ſua conſueta dejiciat.

Fiſtulas Ani à latice inteſtinali corrupto & aceſcente produci retur, nec non *Fiſſuras*, & differentiam ſolùm in diverſitate ſalis conſiſtere, qui in Fiſſuris nondum illum malignitatis gradum obtinet, juxta quem in Fiſtulis inteſtinum rectum profundiùs erodit, ſinumque calloſum ob cruorem infectum producit.

Condylomata à nutritio ſucco ab acido corrupto, & propter contritam cutem excreſcere putat; *Atritoſque* vel in utero ab errore formatricis, & defectu, vel indiſpoſitione ſeminis generari, vel meatum ob ulcus aut fiſtulam callo obductam, aliamve excreſcentiam ita anguſtari, ut excretorum tranſitus reddatur difficilis.

Vvilliſium.

§. 7. *Vvilliſius* in Recti inteſtini *Procidentia* accuſat relaxationem fibrarum muſculoſarum, interdum à purgantium violenta ſtimulatione & ſcybalorum duriorum propulſione inductam, nonnunquam verò ab ipſo illo conatu in excernendis fæcibus majori inteſtinum hoc propelli, ob nimiam fibrarum diſtenſionem, qua ſimul ſpiritus alligantur, ut fibræ nimiùm relaxatæ ulteriùs non contrahantur, nec inteſtinum hoc in ſitum debitum reducant.

Fiſtularum originem adſcribit latici inteſtinali multis particulis ſalſis erodentibus imbuto, & ob peculiarem quandam diatheſin pravam extremum hoc inteſtinum profundiùs aliquando exulcerante.

Fiſſuras Ani fieri aſſerit, dum vel cutis ani exiſtit ſiccior, & ſcybala majora, duriora & aſperiora ſunt, ut ſic in tranſitu ſuo cutaneum illum contextum rigidiorem nimiùm extendendo divellant & findant, vel etiam particulæ ſalinæ ſejunctionem fibrarum inducunt.

Condylomata ex particulis acido-ſalinis ex maſſa ſanguinea ad cutem ani delatis concreſcere autumat, & *Atritos* veros in utero ita generari à defectu vel abundantia materiæ ſpermaticæ, & fermenti ſpirituoſi plaſtici in parte hac elaboranda debilitate, aut aberratione.

Sylvium.

§. 8. *Sylvius* inter cauſas *Ani Prolapſum* inducentes frequentiſſimam admittit vehementem ventris compreſſionem, ad fæces alvi duriores, exſiccatas & compactas propellendas frequentiùs inſtitutam, per quam anus ſimul ita propellitur.

Fiſtulas & *Fiſſuras* Ani ab acido acri in parte hac collecto originem ſumere contendit, acriori quidem in Fiſtulis, mitiori in Fiſſuris, quas tamen à nimia extenſione & ſiccitate cutis etiam produci poſſe concedit.

Condylomata oriri dicit à præpoſtero Veneris uſu, & partis hujus arcto confrictu, ſive id contingat à perſonis lue Venerea correptis, ſive ab aliis ſanis, cùm non tam luem ipſam Veneream ſequantur, quàm nimium & præpoſterum Veneris uſum & abuſum, quo cutis hæc rugoſa nimiùm confricatur.

Imperforationem Ani in utroque ſexu vitium ait eſſe connatum, uti imperforationem vaginæ uteri in ſexu fœmineo.

Carteſianos

§. 9. *Carteſiani* inter cauſas *Ani Procidentiæ* recenſent frequentiorem alvi evacuationem, in qua per ſæpiùs repetitam preſſionem inteſtinum propellatur, excrementa duriora, hæmorrhoides cæcas intumeſcentia ſua meatum inteſtini hujus recti anguſtantes, ſicque vehementiorem excrementorum expulſionem inducentes, calculum in veſica inteſtinum comprimentem, conatum validum in partu difficili, vel etiam in ipſo

cal-

calculo excludendo, fibrarum intestini relaxationem, ob quam facilè elabitur, nec in situ debitè retinetur.

Fistulæ Ani causam statuunt particulas angulares succorum è vasculis ab ulceribus, tumoribus nimiùm tendentibus aut violenta commotione & agitatione partis hujus diffractis, intra musculos ani effusorum, & temporis tractu acescentium, quocumque pertingentes obstructionem tubulorum lateralium & duritiem circa eosdem callosam inducentes, intra quam vel cuniculorum, vel speluncarum instar cavitas quædam remaneat.

Fissuras Ani ab angularibus particulis liquoris intestinalis, vel hæmorrhoidalis acescentis produci existimant, à quibus cutis intestini recti diffringitur, nec non à stercoribus majoribus, durioribus & siccioribus, cutem in eorum exclusione nimiùm distendentibus, ut inde facilè rumpatur & diffindatur.

Condylomata, Ficus, sive *Mariscas* enasci dicunt, dum à particulis acutis erosa cutis foraminatur, ex quâ carnosa quædam exsurgens substantia pro diversitate suæ figuræ hasce repræsentat excrescentias.

Ani Clausuram fieri docent, dum vel membrana accrevit foramen obducens & exitum prohibens excernendis, vel cavitas intestini recti nimiùm angusta est & connivet, vel in totum nulla in utero est elaborata.

Nostrum judium de causis Ani Procidentiæ.

§. 10. *Nostro judicio* causa *Prolapsus Ani* utplurimum est violenta & nimia dilatatio & extrusio intestini recti, dein & musculi plus minùs relaxati deficiens retractio, à spirituum animalium circulationis defectu; sic & ubi vasa omnia & nervi sint nimis à serosis humoribus relaxati, sic in pueris serosis humoribus refertis ejusmodi procidentias pluries observamus. Sic quoque à magno nisu & conatu affectus hic oritur, ceu videmus in pueris vociferantibus, in calculo vesicæ, in parturientibus, in alvo sicca, nec non à crebriori excretionis conatu in tenesmo extenduntur ac relaxantur musculorum levatorum fibræ, omnes etiam humores ibidem stagnantes & fibras irritantes facilè hunc affectum producere possunt, idemque præstant omnia acria, tum venena, tum purgantia, quæ fibras continuò lacessendo & irritando, continuum ferè elapsum procurant, sæpe enim à suppositorio acri & enemate nimiùm frequenter applicato procidentiam notavi. Sic & hæmorrhoides dolentes & nimis fluentes ad hunc disponunt morbum. Procidentia Ani hæc & accidit aliquando vitio fibrillarum, musculorum & nervorum, & in ipsis contentorum succorum; nonnunquam à percussione & casu ab alto supra os sacrum, hunc affectum productum fuisse, notarunt Authores. Diarrhœa longiùs protracta intestini recti, ac musculorum fibras relaxando similem procidentiam inferre valet; quicquid verò herniam, procidentiam uteri, oculi &c. producere solet, & hanc ani procidentiam procurare potest.

Causa Ani Fistulæ.

Causa *Fistulæ Ani* est acre quoddam corrosivum, à stagnatione humorum & impedita eorum circulatione productum, imprimis circa venas sedales collectum, unde humorum circulantium particulæ multæ acidiores in carnem vicinam transudant per partes magis distentas, & sic simul fibrillis ibi irritatis & post discissis dolor oboritur, & posteà ulcera, quæ dein pluribus fibrillis diruptis redduntur profunda, particulæ enim illæ acidæ pertinaciter hærentes in poris ac fibris intestini recti, humores alluentes assiduò convertunt in acidos, qui ob tubulos ab ulceribus interruptos circulationem continuare non valentes, ab humoribus à tergo continuò insequentibus propelluntur foràs in cavitatem ulcerum, quam ad summum usque adimplent humore acri, acido ac tenui, cui simul admixtæ sunt particulæ viscosiores ac magis ramosæ, quæ ramulis suis sibi mutuò implexæ ac hærentes in superficie ulcerum, illa sordida reddunt. Omnia proinde, quæ particulis scindentibus acidis ac ramosis prædita sunt, circa anum imperium sibi rapientia & fibras discindentia, affectum hunc excitare possunt, fractis enim fibris istis circulatio humorum necessariò impeditur, succus ipse redditur acrior, & ita evasatur.

Fissurarum.

Fissuræ Intestino recto obveniunt vel à particulis illis acidioribus, fibras cutaneas ampliùs, quàm par est, dissociantibus & sejungentibus, ut sulci inde oriantur, magis aliquando, vel minùs interdum profundi. Nascuntur autem acidæ illæ particulæ ex sanguine partibus spirituosis depauperato, vel à peregrino quodam acido infecto, quod non modò cum cibo & potu corpori infertur, sed tale quid etiam in præpostero & impuro coitu contingit, ubi cum spermate corrupto particulæ hujusmodi ad partem hanc ipsam defluunt, & humorem in intestino recto contentum inficiunt. Nefando etiam hoc flagitio fieri solet, ut cutis nimiùm distendatur & violenter dirumpatur, uti eandem hanc fibrarum rupturam inducunt scybala crassiora, sicciora, duriora & asperiora cutem discindentia, quod & facilè fieri potest, dum ob defectum humoris irrigantis cutis est aridior, & fibræ ejus rigidiores, quo fit, ut conatu majori ad scybalorum sicciorum expulsionem fibræ ad relaxationem minùs dispositæ nimium tensæ rumpantur: In aere tempore brumali interdum acidum tale latitat nitrosum, quod in excernendis fæcibus intestino huic diutiùs denudato & aperto insinuatum, malo huic inferendo satis est accommodatum.

Condylomatum.

Causa *Condylomatum* sunt particulæ multæ acidæ & viscosæ simulque ramosæ, quæ cum humoribus circulantibus ex poris vasorum sedalium magis dilatatis ad intestinum rectum delatæ fuerunt, vel glandulæ intestini recti ab iis viscidis humoribus obstruuntur, in quibus & hærent, & dum laterum suorum acie fibrillas solito vehementiùs commovent, dolorem excitant, atque hoc pacto tubuli vicini aliquatenus distorquentur, unde humores stagnantes brevi mora in glandulis simul acescunt, hinc circulatione impedita alluentes humores cumulantur, & sic necessariò tumor oboritur; etenim omnium fermè tumorum causa est obstructio tubulorum & circulatio humorum impedita, hinc melancholici, hypochondriaci, cachectici & omnes ii, qui habent plures succos viscidos & acidos ad stagnationem, & circulationem humorum tardiorem reddendam pronos, in affectum hunc utplurimum incidunt. Sanguis quoque est sæpe inspissatus, & per arterias hæmorrhoidales in venas ejusdem nominis transire impotens, partes ani distendit & aneurismata producit quibus ruptis sanguis emanans fluxus hæmorrhoidalis, vocatur. Sæpe tamen varices eodemque in loco concitantur, sed hoc plerumque fit à prægressa alvi constipatione, qua sanguinis regressus impeditur, ita ut venæ magnoperè distendantur, tandemque rumpantur.

Atritorum.

Atriti veri ita nascuntur in ipso matris utero, dum intestinum hoc in formatione fœtus non satis elaboratur, & ad extremum usque excavatur, sed pars quædam spermatica crassior, tenacius cohærens massam præbet spissiorem, quæ instar operculi cujusdam meatum hunc obturat, & quod fistulosum esse deberet, solidum reddit & impervium; vel carne aut membrana quadam cuteve meatus iste obducitur, nonnunquam etiam sphincter connascitur aut carne oppletur, quod *Beniven. cap.* 30. *de abd.* observavit.

Prognosis Ani Procidentiæ.

§. 11. Quid de eventu horum affectuum sperandum sit, paucis nunc perspiciemus. *Ani* itaque *Procidentia* pro causarum varietate vel faciliùs vel difficiliùs curatu est, si enim altiores egerit radices, facilè in tumorem abit & aliquando inflammatur, imo interdum gangrænam contrahit, ceu bigam exemplorum novimus. Si à resolutione & relaxatione nervorum acciderit, difficillimè sanatur; è contra si accidit pueris & robustioribus, haud adeò difficilis est curatu.

Fistulæ.

Fistulæ Ani magnam tum ægris, tum Chirurgis creant molestiam, facilè enim multiplicantur & duæ vel tres ex una emergunt, insimul tubercula quædam suboriuntur dura, meatum istum intestini occludendo exitum fæcum prohibentia. Quæ intestinum per-

perforant & fecibus alvinis transitum permittunt, aut in vesicam penetrant, ut urina per fistulam exeat, pessimi sunt ominis, & rarò aut nunquam optatam admittunt curationem. Nondum verò penetrantes Fistulæ & simplices aliquando sanantur, quamvis cura non sine difficultate institui possit; interdum perfectam sanationem non admittens majus corpori non inferunt damnum, sed hæmorrhoidum instar sanguinem & saniem emittunt cum commodo ægri, tractu tamen temporis, si copiosior sequatur effluxus, adeò ut lympha ex aliis vasis ad emūctorium hoc succedat & magna emanet quantitate, atrophiam producunt, totalem corporis emaciationem, ipsamque mortem sensim inferentē.

[F]issurarum.

Fissuræ non sunt negligendæ, ex parvo enim principio magnum exsurgere potest malum, & levem hunc ab initio morborum putatum graviora excipere ulcera erodentia, & ipsæ etiam fistulæ. Si verò non negligantur, sed in tempore idoneis iisdem occurratur remediis, corrigi & in totum auferri possunt. Dolor gravis, qui easdem concomitatur, ob maximas fibrarum irritationes & spirituum dispersionem graviora provocare potest symptomata, succorum in corpore distributioni maximè incommoda, unde & apta nutritio inhibetur, & ægri contabescunt.

[C]ondylo[m]atum.

Condylomata quod attinet, & hi tumores sæpe Medicis negotium facessunt, imprimis cùm materia nimis viscida tenaxque fit, & simul ægri hypocondriaci & morosi; & semel iis abactis facile revertuntur; imo humores diu commorantes acriores redduntur, qui dein fibrillas discindunt & facile ulcera & fistulas producunt, imò ob majorem tumorem & inflammationē interdum gangrena, sphacelus & mors oboriuntur, ceu patet ex *Obs.* 122. *Eph. Germ. Ann.* perveniunt enim hi tumores ad eam magnitudinem, ut supprimant ægrotis juxtà alvum ac vesicam, quarum tamen partium diu non possumus carere usu, quin carendum sæpe sit simul dulcissimæ lucis usura. Ejusmodi lethalem Ani tumorem observavit *Tulpius lib. 3. Obser. rar. cap.* 10 *p. m.* 197. Condylomata Ani similiter lethalia observavit *Lossius lib. 3. Observ. Medicinal. Obs.* 28. Facilè & hęc in bubonem transeunt & redduntur cancrosa, hinc ejusmodi rumores lue Venerea infectis frequentiùs accidunt, aliisque hypocondriacis & scorbuticis.

[Im]perfora[to]rum.

Imperforatis strictè sic dictis puerulis hoc vitium semper ferè lethale est, quod pluribus exemplis, præcipuè tamen apud *Tulpium, Platerum, Eph. Ger.* confimatur; aliquando & curantur, ceu liquet ex observatione *Ludovici* curiosis communicata in *Eph. Germ. An.* 3. *Obs.* 25. Fœmellis verò non tam subitò aut frequenter funesta est ani occlusio, quod à *Minadoo* exemplo puellæ comprobatur, cui cùm anus imperforatus esset, & intestinum rectum in pudendum desineret, per id fæces nunquam non excernebat, vitam ad annos sex & fortè ulteriùs protrahens. Ani clausura per membranam, & ubi rima adhuc conspicitur, facilè incisione curatur, hinc *Scultetus Observ.* 77. refert, se novisse obstetricem Patavinam, quæ anum totaliter occlusum acicula communi perforare, & foramen turundis ex gentiana ampliare solita fuerit. Infantes sub tormento tam atrocis morbi durare possunt ad septimum, decimum, undecimum, & decimum tertium diem, ceu *Hildanus* testatur.

[D]iæta.

§. 12. His præmissis proximum est, ut paucis quoque vivendi regimen ordinemus. In *Procidentia* igitur *Ani* eligatur aer purus ac calidus, frigidus verò maximè existit noxius, illis enim, qui diutiùs saxo frigido insident, facillimè anum prolabi, omnes Authores Medici unanimiter testantur, nec verò sola hæc sessio, sed frigus externum quoque alio modo has partes nimiùm affligens ob acidum suum nitrosum, hoc malum producere potest. Victus quoque eligatur acidum temperans, in genere euchymus & eupeptus, vitentur salita, infumata, acria, aromatica, piperata, & omnia ea, quæ salinam in se continent acrimoniam, aut nimis sunt acida. Potus sit cerevisia defæcata, vel vinum generosum dulce, at moderatè haustum. Quieti & somno indulgendum. Animi pathemata sint moderata, animus ipse tranquillus, exulet ira aliæque commotiones majores. In *Fistulis & Fissuris* eadem convenit ferè diæta. In *Condylomatis* eò incumbendum, ut alvus sit libera.

Veterum methodus curandi Ani Prolapsum.

§. 13. *Veteres* in *Procidentiæ Ani* curationem ita procedunt, ut restitutio ejus quàm celerrimè peragatur, ne inflammatio eum prehendat, qua præsente restitutio ista esset difficilis, abstersis quapropter sordibus lixivio quodam ex cinere querno confecto, vel urina pueri calida, intestinum mundatum digito indice aut medio in sedem debitam retrudunt, quò firmiùs in ea retineatur, nec ab humoribus viscidis depellatur, qua de causa ad firmiorem retentionem idem intestinum vino austero, in quo gallæ immaturæ, nuces cupressi, balaustia & myrrha incocta sunt, abluere solent, quo illud confirmari & corrugari promittunt. Ad majorem deinde adstrictionem & constipationem remedia adhibent laxitatem, ad prolapsum multùm facientem, prohibentia, pulveremque inspergunt ex gallis immaturis, nucibus cupressi, corticibus pini, succo acaciæ. hypocistidis, rhoe, fructu ericæ, flor rosar. balaustiis, thure, myrrha, cerussa, alumine & similibus, ex quibus sequens eligi potest formula.

♃. *Gallar. immatur.*
Malicor.
Rhois,
Balaustior. aa. ℨiß.
Thur.
Myrrh. aa. ℨii.
Spum. argent. ℨiii.
M. F. Pulvis.

Restituto sic intestino hoc, vitanda jubent omnia alvum sollicitantia tum alimenta, tum medicamenta, & ligaturam tamdiu admovent, donec omnia sedata & intestinum omnimodo sit confirmatum. Quando verò inflammatio jam præsens tam facilem non permittit curationem, aut intestini repulsionem, majori incedunt remediorum apparatu, atque ad tollendam intemperiem illam cum materia, non modò necessariam imperant inediam, sed sanguinem etiam subtrahunt, secta vena in cubito vel talo, & tùm statim leviter adstrigentia & repellentia adhibent intestino prolapso, oleum nempe rosaceum omphacinum vel unguentum sandalinum, & post illa ad relaxantia pergunt, digerentia & dolorem lenientis, fotum instituentes vel balneum ex decocto folior. malvę, altheæ, sertulæ campanæ. flor chamomillæ, meliloti, sem. lini, fœnigr. anumque oleo chamomelino & anethino, intermisto oleo rosaceo vetusto, illinunt, donec abacta per remedia hæc inflammatione, ad constipantia, adstringentia & siccantia superiùs indigitata transire liceat. A paralysi tandem, & nervorum ex osse sacro derivatorum resolutione, à frigore contracta originem habenti Procidentiæ Ani hoc modo obviam ire student, ut præmisso victu calido & sicco, cruditatibusque in corpore abundantibus per debita remedia priùs præparatis, post vomitu evacuatis, intestinum prolapsum foveant remediis calefacientibus & siccantibus, potissimùm lixivio ex cineribus rorismarini, lauri, vel cupressi parato, vel vino generoso. quibus incocta fuerint herbæ calaminth. marrubii, beton. puleg. paralys. verbasc. fol. myrth. cupress. malicor. balaustia, flores anthos, stechad. tiliæ, post quem fotum vel insessum intestinum in sedem debitam digitis reponunt, & ne denuò prolabatur, fumo suffiunt ex remediis calidis & siccantibus prunis inspersis, pulvere scilicet, vel trochiscis paratis ex radicibus Cyperi, galangæ, floribus anthos, stœchadis, nuce Moschata, mace, caryophyllis, corticibus thuris, mastiche, ladano, hypocistide, quæ si in trochiscos formari debeant, pulverisata resina terebinthinæ igne liquata sunt suscipienda. Pro majori robore nervulorum ipsi ano & ossi quoque sacro applicant emplastrum aliquod conveniens ex supradictis, vel sequenti formula paratum.

♃. *Thur.*
Myrrh.
Caryophyll.
Stercor. caprin.
Columbin. aa. ℨß.

Euphorb.

Euphorb.
Castor.
Mixta terantur, & terebinthina guttulis aliquot aquæ ardentis irrigata excepta redigantur in formam Emplastri.

Mastichinum dictum emplastrum eundem in finem à quibusdam solet applicari.

Fistulam. In *Fistula* Ani humores pravos in corpore redundantes evacuant remediis cuique aliis prædominanti congruis, & vel Phlegmagogis, vel Cholagogis, vel Melanagogis, hinc scarificationes frequentiùs instituunt in natibus & pedibus, vel hirudines iisdem applicant, aliaque remedia ad tempus aliquod continuant exsiccantia, donec locum invenire perspiciant sordes putridas abstergentia, & carnem corruptam & putridam adimentia, ut sic carne bona restituta, perfecta subsequatur consolidatio. Malo verò hoc tam alias agente radices, ut remediis hujusmodi minimè cedat, specillo fistulæ immisso altitudinem ejus explorant, qua cognita vel ferramentum aliquod leve & flexile, vel linum crudum, tenuissimum quintuplex ad palmi latitudinem ita contortum, ut unitas facta sit, seta equina obvolutum, & specillo stanneo perforato insertum per fistulam impellunt, inditoque digito indice manus sinistræ in anum, vel ferrum istud flexile, vel specillum cum filo occurrens per intestinum rectum educunt, sicque vel podice extracto carnem, quæ inter fistulam & internam recti intestini superficiem intercedit, scalpello aliquantùm falcato una vice incidunt, ut unus eorum, quæ descendunt, pateat exitus, vel cum specillo extrema parte inclinato simul inserti eidem lini caput prehendunt, & cum altero ejus capite bis aut ter vinciunt, reliquum verò ex lino dependens intortum ad nodum alligant, jubentque ægrum, ut seipsum secet per vices, quotidie scilicet nodum fortiùs alligando, donec id, quod inter duo ora interjacet, eodem modo secetur, ac scalpello factum est, linumque integrum reddatur. Si tamen multa caro inter fistulam & intestinum rectum interponi, aut cùm fistula pertentatur, perquàm altè speculum penetrare videatur, sectionem minimè volunt instituendam, ne dum sectio incautiùs obeatur, simul musculi intestinum constringentes imprudentiùs præscindantur, ægerque fæces delabentes imposterum continere nequeat, sed invitus egerere cogatur. Facta verò sectione, vulneri isti linamenta indunt, ne sua sponte coeat, eademque fistulam efficiat, donec caustico medicamento, auripigmento nimirum pp. aut alumine usto, quicquid putridum existit & callosum, absumatur, & caro sana per sarcotica, unguentum de minio, de lithargyro, &c. reficiatur. Non penetrantium Ani fistularum orificium & ductum dilatant vel radice gentianæ, vel spongia exsiccata, &, si nihil obediat, sinum excidunt, carnemque putridam & callosam cauterio quodam itidem absumunt, cujus loco interdum linum byssinum succo tithymali magni intinctum, & flore æris usto & contrito inspersum, vel linamenta unguento Ægyptiaco aut psorico *Mesues* illita & implicata ad fistulæ longitudinem demittunt, vel pastillos ex minio in aqua plantag aut melle rosato dissolutos linimenti formâ adhibent, aut fistulas aliaque ejusmodi ulcera lixivio ex cineribus sarmentorum vitis parato, in quo pariter mel rosatum dissolutum fuit, abluunt, & emplastrum de salice externo eorum orificio imponunt.

Fissuras. *Fissuras* sive *Rhagades* hac ratione tractant, ut humores peccantes & superfluos debitis syrupis priùs correctos medicamentis catharticis evacuent, vel si inflammatio adsit, vena cubiti dextri interna vel malleoli dissecta moderatam sanguinis copiam eliciant, postea ipsis Rhagadibus callo nondum obduratis topica adhibentes citra morsum & asperitatem siccantia & adstringentia, fotus nempe ex decocto fol. plantag. olivæ, rubi, flor. rosar. aluminis, vel vaporem ex vino rubro, cui scoriæ ferri candentis inspersæ sunt, aut linimentum ex radice dipsaci in vino coctis, ad mellis crassitiem contusis, & in vase æreo spatula ærea diutiùs agitatis, aut adipi anguillæ, dum ea assatur collectæ, immiscent pulverem pinearum in furno siccatarum abjectis nucleis, & linimenti forma inungunt. Præsente verò jam callo, eundem absumunt unguento Apostolorum, vel Ægyptiaco, eoque abacto Fissuras sequenti obducunt unguento.

♃. *Lithargyr.*
Ceruſ.
Plumb. uſt. aa. ℥ iß.
Camphor. ʒ ß.
Album. ovi ℥ j.
Ol. lini ℥ iß.
M. agitentur omnia in mortario plumbeo, pistillo plumbeo, ad justam spissitudinem.

Vel

♃. *Lithargyr.*
Ceruſ.
Plumb. uſt.
Alum. uſt.
Thur. aa. ʒ j.
Adip. ſuill.
Gallinac.
Anſer.
Ol. Papav. aa. ℥ j.
M. omnia super igne lento, & F. Linimentum.

Conducet quoque sequens eodem modo adhibitum.

♃. *Succi Lycii* ʒ iij.
Aloes ʒ j.
Sang. dracon. ʒ ß.
Camphor. ℈ ij.
Ceruſ. ʒ ij.
Adip. anſer. ℥ ij.
Ol. lini parum.
Subigantur omnia in formam Linimenti.

Emplastrum tetrapharmacum in oleo rosar. solutum & linimenti forma adhibitum, ad consolidationem promovendam à quibusdam singularis existimatur efficaciæ.

Condylomata. Ad *Condylomata* abigenda corporis instituunt purgationem ab humoribus crassis & fæculentis per pilulas de fumaria, electuarium Indum, confectionem Hamech, & sanguinem fæculentiis ejusmodi jam infectum emittunt ad mediocrem quantitatem, ex vena itidem cubiti dextri interna, tum ipsam condylomatum carnem spongiosam absumere tentant remediis primùm levioribus, ne locus nimium exasperetur, ex quibus sequens valdè collaudant.

♃. *Ungu. diapompholyg.* ℥ j.
Alum. uſt. ℥ j.
Stibii, seu *Antimonii uſt.* ʒ iij.
Ol. lini,
Myrrh. aa. q. s. ut
Fiat Linimentum debitæ consistentiæ.

Hoc linimentum excipiunt linamentis & loco affecto applicant, ut eidem diutiùs adhæreat. Eodem modo etiam emplastrum diachalciteos duplicata chalcitidis quantitate paratum, & in oleo lini vel nucum solutum, admovere solent. Imbecillioribus verò hisce existentibus remediis ad fortiora properant, unguentum nempe Ægyptiacum, vel Apostolorum, aut pulverem sequentem.

♃. *Chalcitid.*
Alum. aa. ʒ j.
Auripigment. ʒ ß.
Pulv. sabin. ℥ j.
Hermodactill. uſt.
Myrtillor. uſt. aa. ʒ i ß.
Pompholyg. ʒ iij.
Terantur omnia diligentissimè,
F. Pulvis subtilissimus,

Quo fungosa excrescentia adspergatur, & ne partis acrior sensus nimis irritetur, aliquid opii, aut rad. mandragoræ, aut seminis hyoscyami admiscent. Condylo-

dylomata altiora filo ligant, ut alimentum iis subtrahatur, aut novacula vel alio instrumento commodiori exscindunt, & sanguinem aliquantisper effluere permittunt, ut sic de impuritatibus ejusdem fæculentis aliquid simul evacuetur, quo facto sanguinem supprimunt & cicatricem inducunt vel ferramento candente, vel pulvere ex malicorio, thure, sangu. dracon. bolo, farina volatili, & pauco alumine; qua ratione procedunt, si anus condylomatis undiquaque sit obsitus, exscindendo nempe altiora ferramento, & humiliora remediis antedictis absumendo.

Atritos. *Atritis* membranam istam orificium obducentem dissecant novacula, & speculo inserto meatum dilatant, donec fistula plumbea unguento de cerussa, vel diapompholygos obducta ad tempus aliquod indita foramen in debita servent latitudine & citatricem obducant; qua ratione & illam angustiam corrigere student, quæ post ulcera vel vulnera sanata ob conglutinationem arctiorem fuit illata.

Paracelsi cura in Ani procidentia. §. 14. *Paracelsi* curatio *Ani prolapsi* eadem ratione perficitur, ut portio illa prolapsa oleo ovorum priùs illita pristino loco digito premente restituatur, & adsperso pulvere ex scarabæis pilularibus in furno siccatis, aut fumo ex scoriis ferri coerceatur, ne denuò decidat.

Fistulis. *Fistularum Ani* curationem peragit ut in aliis locis, cùm omnium unam eandemque curationem esse affirmet, mundificativis & incarnativis citra omnem corrosionem, sive internæ sint potiones vulnerariæ, sive externa localia, inter quæ aliis præfert remedium istud de quatuor gummis alibi descriptum à lue Venerea originem ducentibus ea adhibet, quæ carcinomatis dicata sunt, potissimùm verò Realgar alcalizatum & emplastrum de cinnabari, quo curationem absolvit.

Fissuris. *Fissuras* sive *Rhagadia* tollere satagit vel pessario ex aloe succotrina & radice aristolochiæ pulverisatis & terebinthina exceptis, vel sequenti pulvere iisdem insperso.

℞. *Mumiæ* ℥j.
Laccæ rubeæ ℥ß.
Pulv. aranciar.
Antimonii aa. ʒij.
Chimoleæ ʒiß.
Cachimiæ ʒv.
F. Pulvis.

Asserit etiam eadem curatione hæmorrhoides auferri posse, in qua spodium omnem partem adimpleat, adeò ut sine hoc nullus exspectari possit successus.

Condylomat- *Condylomatum* curationem modò duplicem proponit, alteram dulcibus corrosivis peragendam, alteram medicamentis stercoralibus, modò eadem unà cum hæmorrhoidibus eadem curatione auferri posse statuit. Quæ corrosivis peragitur, fit vel corrosivo dulci simplici, vel eodem mixto cum aceto. Corrosivum dulce ita paratur.

℞. *Ol. laterini* ℥j.
de Iuniperis ℥ß.
Ol. ex myrrha ʒij.
M.

Corrosivum dulce mixtum cum aceto sequens est.

℞. *Ol. laterin.* ℥j.
Aq. aluminos. ℥ß.
Viriditatis salis ad pondus omnium,
M.

Curam de stercoribus sequenti modo vult instituendam. ℞. Patientis dejectum stercus, misce cum oleo de vitellis ovorum, premat patiens, ut exeant verrucæ ficusque, quibus tunc medicina superponatur.

Imperforatio. *Imperforationem* & *Occlusionem Ani* instrumentis perfodi aut perterebrari permittit, cùm alia ratione eundem reserari posse nunquam cognoverit.

Helmontiana cura in Ani Procidentia. §. 15. *Helmontius* cum asseclis suis *Procidentiam Ani* restaurari promittunt radice acaciæ, vel pulveris forma aspersa, vel fotu adhibita, qua via regredientem podicem in vetus consortium recipiat pylorus, & furoris sui immaturi conscius factus debito suo regimine pacatius fungi occipiat.

Fistulis. *Fistulis Ani* conveniens esse remedium asserit ipsum arcanum corallinum *Paracelsi* interiùs assumptum, sicut aliis ulceribus desperatis optatum afferat auxilium; inter topica verò auripigmentum fixatum dulce aliis præfert, ad ulcera hæc fistulosa maximè conveniens.

Fissuris. In *Fissuris Ani* singulare quoddam exstiturum esse remedium confidit ipsum oleum saturni, quo illito laticis corruptio corrigatur & productæ ab eo foveæ sanentur.

Condylomatis. Ad *Condylomata* tollenda sudorem morientium deprædicat, quo illitæ excrescentiæ illæ corrugentur, & flaccidæ redditæ tandem penitus soleant decidere.

Clausura. *Ani Clausuram* aliis instrumentis aperire permittit, quamvis operationem hanc non semper felicem nancisci successum perspexi, & eandem propterea sæpiùs frustraneam esse fatetur.

Vvillisiana cura in Ani Procidentia §. 16. *Vvillisius* restitutionem postulat *Ani Prolapsi*, & jam restituti confirmationem, ne ulteriùs extra sedem convenientem decidat. Restitutio fit remotione impedimentorum, tumoris nempe anum regredi vetantis, refrigerationis, flatuum intestinis inhærentium, aliorumque, per fotus emollientes & discutientes ex decocto radicis althææ, brancæ ursinæ, lilior. herb. malv. agrimon. marrub. menth. flor. chamomill. verbasc. sem. fœnig. carvi, bacc. lauri, & retrusione digito perficienda, postquam oleo quodam portio intestini recti prominens lubricata fuit, ut faciliùs retropellatur, chamomeli nempe, lilior. vel hyperici. Anus repositus in situ confirmandus est, ne denuò prolabatur, quod fit epithematis adstringentibus tepidis ex decocto rad. bistort. pentaphyll. symphyt herb. salv. consolid. Saracen. millefol. fol. quer. lauri, flor balaustior sem. sumach. gallar. bacc. myrt. cort. mespilor. inunctione unguenti nervini, & Comitissæ, & inspersione pulverum ex ladano, mastiche, succino, sang. dracon. & croco Martis adstringente, quæ remedia ut citiùs speratum edant effectum, decubitum supra ventrem aut latus aliquod, & quietem ad tempus quoddam protractam ægro summopere commendat.

Fistulis. *Fistulas Ani* inveteratas & penetrantes vix ullam admittere curationem existimat, & propterea easdem quietas relinquere melius esse, quàm remediis irritare, quæ verò non adeò diu radices egerunt, earum callum absumi posse censet vel Unguento Ægyptiaco turunda cavitati immisso, vel ferro candente, per cannulam ferream foraminatam fistulæ intrusam, deinde dilatatam fistulam vel cultello falcato discindi vult, vel, si non sit adeo profunda, sed brevis & simplex, eam abstergere præcipit decocto agrimon. apii, cent. min. in quo mel rosatum sit dissolutum, addito pauculo æruginis æris & Mercurii præcipitat sublimat. tum turundam ex unguento diapompholygos aspersam pulvere mumiæ & sacchari saturni insinuat, superimposito emplastro convenienti, vel styptico *Crollii*, & decocta lignorum cum herbis agrimon scabios. nummular centaur. aliisque vulnerariis ad tempus aliquod propinat, ut latex acrior corrigatur, & nimia ejus quantitas sudore eliminetur.

Fissuris. *Fissuram Ani* curationem aggreditur vel cutem sicciorem & rigidiorem emolliendo & humectando, fotu instituto ex decocto malv. alth. branc. ursin. sem. lin. flor. lilior. deinde unguento vel emplastro parato ex terebinth cera, bolo Armen. & ol. oliv. scybala etiam majora & duriora emollienda sunt clysteribus ex lacte vel decocto lenitivo, additis mucilag. sem. psyll. & oleo liliorum. Particulas autem salinas acres temperat, & ulcuscula inde producta lenit & consolidat mucilagine tragacanth. sem. cydon. unguento de lithargyro, de Thutia, pomato, non omissis fortioribus absorbentibus pulveris forma inspersis ex cerussa, lap. calam. C. C.

usto, sarcocoll. ubi laticis acrioris major adfuerit copia.

Condylomatis. Ad *Condylomata Ani* absumenda etiam interna non negligit remedia ex lignis aliisque diaphoreticis Antimoniatis, & simul externa absumentia, pulveres videlicet inspersos ex radice scrophular. myrrha, thure, albo græco, cancris & coriis calceorum combustis, vel linimentum ex albo Græco in spiritu vini dissoluto; extentiora verò filo vult liganda, vel forcipe, aut scalpello abscindenda, adsperso mox post incisionem pulvere adstringente ex mastiche, lap. hæmatite pp. litharg. & cerussa.

Atritis. *Atritorum* curationem difficilem esse pronunciat, nec semper imitabilem, si verò locum invenire videatur, eodem modo operationem instituendam annuit, quo superiores eam peragendam esse declararunt.

Sylvii modus curandi Ani Prolapsum. §. 17. *Sylvius* in curatione *Prolapsus Ani* eò intentus est, ut fæces duræ, propter quas vehementiori ventris compressione in difficiliori earum expulsione Anus simul fuit delapsus, reddantur fluidiores, vel potulentis copiosis & jusculis pinguibus assumptis, vel salibus volatilibus, & interdum acidis blandioribus fæces compactas dissolventibus, tum injectis enematis ex jusculis, urina, lacte dulci, aut decoctis emollientibus, addito oleo, butyro, melle, & similibus; ventrem etiam inferiorem unguentis emollientibus illinere proficuum censet, altheæ scilicet, aut martiato, ut & hac ratione fæcum alvinarum promoveatur expulsio, qua obtenta, sicque remotis obstaculis, ipsius podicis vel spontaneum subsecuturum esse sperat regressum, vel facili saltem opera digito aut linteo duplicato eundem repelli posse, & adsperso pulvere leviter adstringente ex thure, mastiche, gallis, cupulis glandium, fol. verbasci, aut sessione super lasserem quercinum recenter detruncatum, & aliquantùm calefactum, in situ decenti tamdiu detineri, donec corroboratus ulteriùs non delabatur.

Fistulam; In *Fistula Ani* callum adimendum esse jubet cauterio convenienti, sive sit ferrum candens, sive aliud remedium consumens, ex sale potissimùm lixivioso constans, quo faciliùs stylo profunditas ejus indagari possit, & tum cuniculos discindendos, & acidum acre temperandum internè sudoriferis, Antimonio diaphoretico, oculis cancrorum, decocto ligni sassafras guajaci, juniperi, herbarum fumar, scabios. aliarumque salibus volatilibus oleosis constantium, externè balsamo de Capaiba, oleo terebinthinæ, ejusque balsamo vel balsamo sulphuris terebinthinato, quo & ipsa hæc ulcera fistula omnium optimè mundari & consolidari posse promittit.

Fissuras. In *Fissuris Ani* ipsum etiam acidum temperandum esse judicat, vel clysteribus ex mucilaginosis paratis, vel oleis aliisque linimentis pinguibus ex sevo hircino potissimùm confectis; si verò cutis simul existat siccior, ut in quacumque fæcum expulsione dissiliat, emollientia adhibet in alvi procidentia jam indigitata.

Condylomata: *Condylomata* etiam *Ani*, præter luis Venereæ adhibitam curationem auferri posse docet medicamentis mercurialibus acrioribus ipsa consumentibus, aliisque spiritibus acidis, vitrioli, sulphuris, si una eorum gutta toties, sed semel tantùm in die, tangantur, donec corrosa sint & siccata decidant, quod etiam præstari posse censet remedio, quod paratur ex aquæ plantaginis, & rosarum aa. ℔. j. cum aluminis crudi & Mercurii sublimati aa. ʒij. mistis, in vitro decoctis, & post subsidentiam effusis, quod linteo parti affectæ est applicandum.

Imperforationem. *Imperforationis* curationem instituendam esse innuit, vel remotione membranæ aut carunculæ meatum obducentis, instrumento acuto pungente & scindente, per Chirurgum, si fieri possit, ut contentis excrementis reddatur exitus, prohibendo simul insertis bacillis oleis aut unguentis obductis, ne denuò concrescat.

Cartesianorum ratio curandi Ani Prolapsum. §. 18. *Cartesiani* suadent, ut *Ani Prolapsus* quantocyus in situm pristinum reponatur, & ut repositio hæc faciliùs obtineatur, portionem prominentem sequenti inungunt linimento.

℞. *Ol. commun.* ℥ij.
Pulv. gallar.
Cort. granat. aa. ℥ij.
M.

Post inunctionem digitis linimento adhuc madidis anum intrudunt, & linteo aut candela, quantum satis est, repellunt. Refrigeratum priùs fovent linteis lacte calido imbutis, & retrusum in situ confirmare student fotu ex nervinis & adstringentibus parato, foliis salv. beton. absinth. matrisylv. flor. chamomill. Rom. & commun. balaust. hyperic. melilot. in vino rubro & aqua chalybeata aut extinctionis ferri fabror. coctis, addita colaturæ paucula quantitate sacchari Saturni. A quibusdam laudatur albumen ovorum cum alumine pulverisato agitatum. Interiùs restitutum jam anum illinunt melle rosaceo, & ad præcavendum ulteriorem prolapsum, vinculum imponunt, cui subjiciunt lintea vel spongias comprimentes vel vino rubro, vel decocto alicui convenienti intinctas, ægroque fortiorem in excludendis fæcibus interdicunt compressionem, è contra eidem mandant, ut in exoneranda alvo digitis podicem retineat, & ab adstringentibus simul & nimiùm relaxantibus in totum abstineat.

Fistulas. *Fistulas Ani* curaturi interna sanguinem depurantia, & succos corrodentes edulcorantia & corrigentia præmittunt, ut liquores quicumque ad partem hanc affectam depluentes non nisi particulis constent blandis, porosis & angularium motui destructivo resistentibus, & ad quietem nimis proclives ad motum excitantibus, simulque vitiosas per sudorem eliminantibus, quibus prædita celebrant decocta ligni Guajaci, Sassafras, rad. Chin. Sarsparigl. scabios. herb. scord. absinth. Card. bened. centaur, heder. terrestr, chelidon. maj. veron aliarumque vulnerariarum, non modò humores superfluos absumentium & siccantium, sed tumorem etiam auferentium & partem corroborantium, qualia etiam remedia externè parti huic fistulosæ admovere solent, & vel decocto abluunt per syringam ex radicibus gentianæ, valerianæ, chelidonii majoris, aut convenienti lixivio Callum fortiùs adhærentem dissolvunt & erodunt mercurio præcipitato, phlegmate Vitrioli, Alumine usto, Vitriolo cœruleo, aqua forti, mercuriali, unguento fusco *Vvurtzii*, vel Ægyptiaco, humidis fistulam eluendo, & linteis aut carbasis iisdem imbutis fistulæ intrusis, unguenta & mel Chelidoniæ coquendo, inspissata sub forma turundæ pulveribus corrodentibus adspersæ eidem insinuant. Cuniculos multiplices scalpello discindunt, ut fundus earum manifestetur, & callum remediis antedictis non superabilem ferro candente absumunt, fovendo postmodum anum cataplasmatis ex scordio, Phellandryo, seu cicutaria palustri angustifolia, sabina, ruta, solidagine Sarracenica, & ulcus ipsum mundant sequenti mistura.

℞. *Succ. Chelidon. maj.*
Scrophular.
Apii aa. ℥iij.
Vini ℥iß.
Aloes ʒij.
M.

Fistulam benè mundatam carne laudabili opplere student, instillatis, aut turundis ex carbaso intrudendis priùs inunctis balsamo de Capaiba, Peruviano, oleo trifolii odorati, unguento aureo, basilico, & superimposito emplastro diachylon, vel diapalmæ, vel de gratia Dei, quibus ipsam etiam consolidationem, & novæ cutis inductionem perficiunt, vel si non sufficiant, adsperso pulvere ex calce lota, thutia, & terra Vitrioli dulcis, emplastrum Oppodeldoch *F. Vvurtzii* ad perfectam usque sanationem imponunt.

Fissuras. *Fissuras Ani* ut ritè curent, ipsas causas advertunt, & vel particulas acutas corrodentes & scindentes hebetant spiritu vini camphorato, aqua Calcis vivæ, oleo myrrhæ, quibus fissuras istas abluunt, & unguento albo camphorato illinunt; vel stercora duriora emolliunt lenientibus, pinguibus & mucilaginosis, tum

per

per os assumptis, tum clysteris aliorumque topicorum forma adhibitis, laudaturque jusculum tepidum, vel butyro vel oleo olivarum aut amygdalarum dulcium pinguefactum, addita ℥ j. vel altera cremoris & granis aliquot Salis volat. Tartari, hinc fistulas illinunt vel mucilaginibus ex sem. cydon. psyllii, gum. Arab. tragacanth. admista pauca quantitate Salis Saturni, vel oleo ceræ recenti, qua feliciter sæpe persanantur.

Condylomata. *Condylomata Ani* eradicare student remediis acutis erodentibus & destruentibus, butyro Antimonii, oleo Vitrioli, spiritu sulphuris per campanam parato, quibus excrescentias istas quotidiè attingunt, donec exsiccatæ decidant. Extentiores autem filo vel pilo equino ligare solent, quotidiè fortiùs constricto, ut hac ratione succo nutrienti denegetur transitus, & tubercula alimento privata similiter decidant, quo impetrato succos emanantes acescere prohibent pulveribus inspersis ex Thutia, cerussa, lithargyro, bolo, ærugine usta, calce lota & similibus, à quibus & cicatrix pro voto simul emergit.

Clausuram. In *Clausura Ani* membranam meatum operientem vel unguibus digitorum discerpunt, vel promptiùs cultello discindunt & meatum aperiunt, inserto postmodum canali plumbeo unguento diapompholygos, aut de lithargyro obducto, ut cicatrix eò citiùs accrescat, & meatus iste conservetur. In Conniventia frequentiùs canales aliosque bacillos oleo obductos, vel pessos ex sevo hircino & cera confectos, & oleo raparum obductos podici intrudunt, ut frequentiori ista intrusione & eductione meatus dilatetur. Quando verò podex omnimodò in utero concrevit, curationem impossiblem esse admonent.

Nostra cura in Ani Procidentia. §. 19. *Nostro* judicio ad ipsam *Ani Procidentiam* ritè curandam totius rei cardo in eo vertitur, ut Anus reponatur & repositus firmetur. Reponitur autem optime manus ope, quando indice digito, vel meliùs linteo in lacte cocto restituitur, quo facto æger diu supra ventrem quietus jaceat, ut ita meliùs firmetur anus, ad quem scopum faciliùs obtinendum ille illini potest oleo scarabæorum vel hyperici, superinsperso pulvere gallarum, vel nostro adstringente usuali; plures sequenti modo feliciter curavimus: si dolores scilicet multùm urgeant vel fæces induratę sint, fotus instituendus sequens vel similis.

℞. *Flor. Verbasci,*
Chamomill. aa. M. ij.
Coq. in lacte, & applica, tum sequentem insperge pulverem.

℞. *Fol. Verbasc. q. s. indantur crucibulo cooperto alio, & sic concrementur, deinde in pulverem vertantur subtilissimum.*

Postmodum æger insideat asseri ex ligno quercus parato, cui inspergatur pulvis subtilissimus ex mastiche, olibano & asphalto paratus, &, si simul alvus est obstructa & stercora sunt dura, præter enementa quotidiè detur internè ol. amygd. dulc. ℥ j. cum cremor. tartari ʒ j. à quo remedio alvus semper servatur aperta. Vel suffumigium instituatur ex gumm. asphal. oliban. mastich. vel pulvis alb. græc. & scarabæorum asseri quercino inspergatur & ano excipiatur Decoct. agrim. verbasc. cum lact. coct. & appl.

Nostra quoque experientia impedit crebriorem ani prolapsum oleum apum externè illitum, postquam anus extrusus sevo cervino calido fuit illitus & blandè intrusus. Oleum momordicæ externè applicatum cum linteo est summum & raro fallax remedium.

Ubi malum ab affectu convulsivo aut paralytico fuerit productum, varii fotus externi instituuntur ex floribus anthos, Chamomill. stœchad. Arab. foliis salv. balaustiis in vino chalybeato coctis, in quem finem quoque varii suffitus institui possunt ex succino, mastiche, thure, myrrha, asphalto, fol. rorismarini, flor. rosar. rub. stœchadis Arabicæ.

Ex Hæmorrhoidibus affectu hoc prognato, inungatur anus oleo scarabæorum, quod paratur, dum scarabæi in oleo mastiches bullierunt; si verò productus fuerit ex tenesmo, conducet oleum mastiches, in quo flores verbasci fuerint cocti.

Alii quidem dorso & lumbis applicant emplastra, at non video, quomodo hæc opem ferre, & intestinum rectum in sede debita firmare possint. Sequenti linimento euporisto plures curatos novimus.

℞. *Unguent. de linar.* ʒ ij.
Camphor. gr. iij.
Lap. calaminar.
Lithargyr. aa. ℈ j.
Sacchar. Saturni ℈ ß.
Cum ol. rosar. q. s. f. Unguentum non sæpiùs illinendum.

Fistula. In cura *Fistulæ* eò incumbendum, ut acre corrosivum circa anum imperium sibi rapiens corrigatur & emendetur. In levi exulceratione ani conducunt inunctiones ex oleo rosar. & lumbricorum probè in mortario plumbeo agitatis, & in linimenti consistentiam redactis, item suppositoria ex sevo cervino vel hircino, cum pulvere alcolisato thuris, thutia, &c. parari possunt, vel illinantur exulcerationes unguento de cerussa, camphora, vel diapompholygos, una cum pauca quantitate terræ Vitrioli dulcis ritè paratæ, quocumque modo vel per se, vel linteis applicatis ano intrusis. Quo meliùs verò ad fundum ulceris perveniatur, cultello instituenda est incisio, & sic felicissimè & facillimè curantur hæc ulcera applicata sola mixtura externa inferiùs dicenda. Si verò malum altas agat radices, & fistula sit profunda, internis diaphoreticis juvandum est, ut sic acres particulæ eliminentur, & sanguis cum succis reddatur fluidior. Conducunt ergo Antimonium diaphoret. cum chalybe & oculis cancror. cinnabaris, ut & decoctum lignorum, ex ligno sancto, radicib. salsaparill. enul. camp. calam. aromat. herb. scord. Nasturt. Sale tartari paratum; sic & salia volatilia, Elixir vitæ cum sale volat. oleos. maximè conveniunt, possum enim testari, solis sudoriferis aliquoties repetitis affectum hunc certò curari posse, è contra purgantia angue pejus fugienda sunt, ut & Venæ sectio. Externè varia per injectionem, traumatica seu decocta vulneraria ex superioribus capitibus jam cognita infundenda sunt: si quis verò linimentum potiùs exoptat, is utatur sequenti.

℞. *Cinab. nat.* ℈ j.
Camphor. gr. iiij.
Sperm. ceti ℈ ß.
Pulv. mumiæ ʒ ij.
Rad. consolid. maj.
Terebinth. in vitello ovi solut. aa. ℥ ß.
Cum ol. lumbricor. & balsam. Capaib.
F. Linimentum.

Conveniunt etiam thermæ. Multi magnum quendam Regem ejusmodi affectu diutiùs vexatum & tandem curatum fuisse referunt.

Aliàs fistulæ hæ tractandæ sunt ac aliarum partium fistulæ, hinc lectorem ad caput mittimus generale de Fistulis Fotus etiam institui potest, vel sequens applicari epithema.

℞. *Spir. vin. c.* ℥ i ß.
Aquæ Regin. Hungar. ʒ v.
Calc. viv. ʒ iij.
Sacch. Saturni ʒ j.
Salis volat. oleos. ℈ ß.
M. d.

Fistulam Ani cum duritie labiorum feliciter in rustico curavit celeberrimus D. Obercamp, sequenti modo: Primò instituit incisionem per musculum sphincterem & per labia illa dura fistulæ, dein applicuit externè cum spongia tepidè sequentem liquorem.

℞. *Elix. vit.* ʒ ij.
Mercurii sublimat. gr. vj.
Tinctur. galban. ℥ ß.
Camphor. ʒ j.
M.

Intra sex dies callus & durities vanescebant, & exhibito decocto lignorum planè cōvaluit rusticus à fistula libera-

liberatus. Balsamus vitae D. *le Mort* hoc in morbo aliis omnibus est præferendus, sequenti ratione præparatus.

℞. *Ol. lini* ℥ xvj.
Aloes ℥ j.
Myrrh.
Sandarach.
Mastich. aa. ℥ ß.
Terebinth. ℥ iiij.
M. simul, & ponantur in balneo Mariæ, coq. per hor. ij. materiam sæpius agitando bacillo ligneo, donec plane soluta sint gummata. Deinde adde
Camphor. ʒ ij.
Lithargyr. aurei pulverisat. optime ℥ ij.
M. simul, & macerentur per dies 3. vel 4. ad minimum. Dein clarum à fæcibus per decantationem separa, & adde isti
Ol. Petr.
Terr. aa. ℥ ß.
Ceræ citrin. recent. ℥ ij. *vel* iij.
M.

Hoc balsamo Fistulæ Ani tum externe, tum interne probe illinantur, qin in turundæ eodem probe imbutæ fistulis intrudantur.

Fissuris. *Fissurarum Ani* curatio revera omnium optime instituitur mitigatione humoris acidi acris ex tubulis intestinorum manantis, & fibras erodentis, vel spiritu vini camphorato, vel aqua calcis vivę in qua sal Saturni fuit dissolutum, quibus fistulæ hæ diligenter eluendæ & adstergendæ sunt, & correcto isto humore fibræ mitigandæ mucilaginosis & potissimum enemate in Rhagadiis probato *Mynsichti*, ex ol. viol. ℥ v. butyri nō saliti ℥ iij. mucilag. tragacanth. sem. Psyll. cydon. aa. ℥iß. sacchar. rub. ℥ j. quo non tantum dolor mitigatur, fibræ emolliuntur & sulci sanantur, sed alvus etiam strictior moderate solvitur, & stercora duriora, fluidiora reddūtur; si vero plura exposcant remedia, unguento de sevo hircino ejusdem plures poterunt hoc in casu oppleri parietes, & emplastro ejus de carne bubula etiam atrocissimæ & ulcerosæ persanari. Tenesmus quoque sæpe oritur, qui curatur optime interne exhibita mixtura ex

Aq. Menth.
Mastich.
Puleg.
Plantag.
Ol. mastich. d. gt. v.

Sumpta mane & vesperi, non neglectis externis pro re nata topicis.

Condylomatibus. In Tumorum seu *Condylomatum* cura primaria opera eò imponenda est, ut circulatio impedita restituatur, & sic materia incrassans glandulas & tubulos resolvatur, in quem finem varii institui possunt fotus ex floribus chamomill. verbasc. fol. linariæ in lacte coctis, sacculo inclusis & ano sic applicatis, omnia enim emolliētia sic dicta resolvunt discutiuntque, & sæpe totam implent paginam, hinc & linimenta emollientia sic dicta optimum in condylomatibus curandis habent successum, & sequens multa experientia comprobatum est linimentū.

℞. *Unguent. de linar.*
Dialth.
Sacchar. Saturni aa. ℈ j.
Croci optimi gr. v.
M. F. Linimentum.

Vel

℞. *Aq. plantag.*
Pomor. redol.
Linar. aa. ℥ j.
Sacchar. Saturni,
Lap. Calaminar. aa. ʒ ß.
Mercurii dulc. ℈ ß.
Camphor. gr. v.
M. d.

Si adest inflammatio & dolor urgens tunc conducit, sequens.

℞. *Tut. ppt.* ʒ j.
Sacch. Saturni ℈ ß.
Ungu. de linar. ℥ ß.
Cerus. ℈ j.
M. F. Linimentum.

Interne detur Theriaca Cœlestis vel aliud anodynum. Injectiones etiam institui possunt ex oleo lini, nucum juglandium, addita gutta una ac altera bals. Sulph. vel decoctum adhibeatur tapsi barbati, scrophular. chelidō. minor. & beton. aquat. A repellentibus & acribus iniiciendis maximopere abstinendum. Fotus autem & suffitus instituti optima & egregia existūt in his casibus remedia. Succi chelidonii minoris vires in hæmorrhoidibus tumentibus maxime ab Authoribus deprædicantur.

Sed nec interna sudorifera, ac diuretica blandiora negligēda sunt, cum obstructiones tubulorum reserent, & circulationem humorum restituant, quò & pertinent Martialia & Jovialia, quæ hisce in affectibus magni sæpe sunt usus. Scarificationes, venæsectiones, fonticulos, purgantia temnimus & exulare volumus, uti præter nostram experientiam etiam testatur *Eph. Germ. An.* 4. & 5. *Obs.* 122. *Tulpius* in sanguisugis præcipuum auxilium ano appositis ponit, quas exsugendo sanguinem venas distendentem, simul malignum virus absorbere dicit, sed hoc non semper imitandum esse author sum. Celeberr. D. *Wedelius*, Fautor ac Collega noster colendus, fabariæ radicem dorso inter scapulas appensam pro amuleto olim *Bartholino* communicavit; vid. *Act. Hafn. Obs.* 51.

In Pruritu Ani fotus ex aqua plantaginis, in qua parum aluminis decoctum fuerit, laudatur. Sequens quoque linimentum proderit.

℞. *Tragacanth.*
Lithargyr.
Sacch. Saturni,
Sulphuris citr. aa. ʒ ß.
Cum vin adjecto ol. rosar.
F. Linimentum.

Sic & dolor ani, qui oritur, si charta piperata, vel alia venenosa acri materia contaminata podex fuerit detersus, sedatur fotu lactis, addita pauca quantitate aquæ rosarum. Unguentum sequens tanquam mirabile ad hæmorrhoides extollitur in *Zod. Gall. Ann.* 2 *Obs.* 11.

℞. *Aceti stillat.* ℥ ij.
Dissolv. in eo
Salis Saturni ʒ j.
add. ol. ros. omphacin. ℥ iij.
Subigantur omnia in formam Nutriti, add. ʒiß. *præcipitat. rubri subtiliter triti.*

Sed meo judicio tutius ab hoc & aliis hujus farinæ remediis acidis & fibras irritantibus abstinebimus, ne crabrones irritentur, & malum reddatur deterius.

Imperforatione & Atritis. In omnimoda Intestini recti *Imperforatione* & veris *Atritis* cura plane nulla cum successu optato instituitur, sepe enim tam profunde substantia quadam carnosa cavitas intestini oppleta est, & ita consolidata, ut cultellus penetrare nequeat, & infantes ipsa in operatione præ doloris vehementia moriantur, adeoque ubi nullum extat Podicis indicium, suaderem, ut sectio aut punctura plane omittatur, ne proposito male cedente culpa imputetur operatori, sed tota hæc res divinæ committatur misericordiæ. Ubi vero sola membrana quædam meatum debite formatum obtegit, & hic sub ea lateat, membrana ista quantocyus & audacter est dissecanda, ut fæcibus paretur exitus, foramini postmodum canalis plumbeus unguento de Thutia obductus tamdiu est inserendus, donec cicatrix inducta membranæ concrescentiam prohibeat. Similem curam etiam reposcit illa podicis occlusio, quæ à concrescentia intestini recti post ulcerum, fistularum aut vulnerum consolidationem enascitur, quamprimum enim angustia talis in ægris hujusmodi persentitur, cutis intestini conglutinata denuò dirumpenda stylo ligneo, vel plumbeo, oleo liliorum obducto, & post convenientem istam separationem canalis plumbeus ratione jam indigitata inferendus, & tamdiu in meatu intestinali servandus, donec cicatrice enata amplius nequeat concrescere. Conferantur etiam hisce *Ephem. An.* 1. *Obs.* 1. *Ann.* 2. *Obs.* 22. *An.* 3. *Obs.* 287. *Act. Hafn. Obs.* 84.

CAPUT IV.

De Hepatis, Lienis ac Renum Scirrhis, Ulceribus & Vulneribus.

§. I. Viscera hęc glandulosa & membranis multis referta, multum faciunt ad circulationem humorum, dum per hæc semper segregantur particulæ crassiores à subtilibus, & sic redduntur succi quicumque circulantes fluidiores, hinc si hæc viscera lædantur, sanitas, quæ consistit in regulari succorum omnium circuitu, periclitatur. Ipsis autem visceribus hisce, hepati nempe, Lieni ac Renibus ob impeditam succorum in hisce visceribus circulationem accidunt Scirrhi, Ulcera, & ob continui solutionem ab extra inductam etiam Vulnera.

Hepatis, Lienis & Renum.

Scirrhus dicitur horum viscerum pororum obstructio, & notabilis inde induratio, ab acido & stagnatione humorum producta.

Scirrhus.

Ulcera sunt Viscerum horum continuitatis dissolutiones ab erosione succorum acrium productæ.

Ulcera.

Vulnera horum viscerum sunt ipsorum continui solutiones, à re violenta externa obortæ.

Vulnera.

§. 2. *Pars affecta* est 1. *Hepar*, seu *Jecur*, quod est viscus illud magnum situm proximè diaphragma in elatiore præcipuoque abdominis loco, & quidem in dextro hypochondrio, & est conglomerata quædam glandula, quæ in diversa frustula & acinos dividitur. Viscus hoc unico excretorio pollet vase, & determinatum separat succum in cavitatem intestinorum eructandum. Cum Pancreate & Thymo similitudinem aliqualem habet quoad externa signa. Singuli lobuli, quorum sunt tres, vel quatuor, & glandulosi acini gibbam & cavam hepatis regionem constituunt, & pollent pluribus vasis & propaginibus. Plura prodeunt vasa lymphatica tum ex parte concava hepatis, tum ex vesicula fellis, quæ in Receptaculum in lumborum vertebris collatum deferuntur. Sed & Jecur tribus ligamentis est præditum, quæ id in proprio continent situ. Primum arctè ipsum cum diaphragmate alligat. Secundum ad umbilicum pertingit. Tertium latum, robustum & laxum est, & ad cartilaginem xyphoidem progreditur. Pars ejus exterior convexa, & interior concava est, & parte sua inferiori ventriculi portionem amplexatur, quando ergo stomachus alimentis tumet, compressa vesicula fellea bilis ea ejicitur per canalem cysticum, & in duodenum defertur ad chylum dissolvendum & fluidiorem reddendum, prout à ventriculo descendit, adeò ut usus Hepatis sit, bilem à sanguine separare ad chylum in intestinis dissolvendum, Sulphura illius calicis suis particulis subigendo, & ipsum phlegmate suo diluendo.

Pars affecta.

2. *Lien* quod attinet, is in sinistro latere sub diaphragmate latet è regione Hepatis, & infinitam penè congeriem rotundorum rubrorumque corporum exhibet, cum glandulis infinitis, quæ locum & situm sibi nanciscuntur in finibus & cellulis membranosis, quibus Lienis substantia integratur. Arteria nervoque unà ingredientibus, & vena per eundem locum exeunte fruitur. Arteriæ istæ disseminantur in cellulas quasdam membranaceas, quarum figura haud malè repræsentat filicis folium. Cellulis istis interspersæ sunt minutissimæ glandulæ sibi invicem incumbentes, ut uvarum acini. Glandulæ illæ arterias à trunco arteriæ splenicæ, & surculos nerveos à nervo, qui splenem ingreditur, cum arteria mutuantur. Usus hujus visceris valde obscurus est, plurimi fermentum aliquod stabiliunt, alii aliud inesse huic visceri dicunt; sed nostro judicio corpori huic glanduloso idem, quod aliis glandulis, est officium, quæ procul dubio ab arteriali sanguine lympham accipiunt per vasa lymphatica, quæ & hic à sima lienis parte satis sunt conspicua. Separatus iste humor lymphicus acidiusculus vehitur in cellulas nominatas, ex cellulis fermento acido imbutis in ramum splenicum, & sic ad hepar, ubi in sanguine præcipitat aliquatenus bilem, ut illa in acinis hepatis glandulosis tanto faciliùs separetur; vel suspicamur etiam, fermentum è glandularum vesiculis effluere, illudque immisceri sanguini, qui lienem pervadit. Fermentum verò istud ita constitutum est, ut à reliquis ejus partibus eas liberet, quæ sunt componendæ bili idoneæ. In Lienis etiam superficie multa conspiciuntur vasa lymphatica, quæ lympham suam in Receptaculum Pecquetianum apportant.

3. *Renes* quod spectat, nonnullis Anatomicis eorum substantia absolutè fibrosa esse videtur, sed nostro judicio ipsa mera habetur congeries glandularum minimarum; ablata enim membrana, illicò occurrunt bifurcatis hinc inde arteriis appensæ nigro & ipsæ colore infectæ glandulæ, & secto per longum rene, inter vasorum urinæ fasciculos & innata etiam interstitia innumeras ferè easdem observabis, quæ sanguineis vasis atro liquore turgidis, in speciosæ arboris formam producti, veluti poma appenduntur; quadragesimum excedunt numerum glandulæ renales, & plures earum sunt rotundæ, ceu piscium ova, de quibus vide instar omnium Anatomicum Celeberrimum *Steph. Blanc Kardum* in sua *Anatom. reformata cap. 26. de Renibus*. Renes obvolvuntur tunicâ, quæ toti abdomini communis est, altera tunica Renes immediatè obtegit, & separatis his tunicis palam fit Renum superficies, in qua jucundissimè remificantur vasa sanguifera, quæ Renes subeunt ab eorum scrobiculo ad portam & venam concavam vergente. Innumeri nervuli à plexu renali oriuntur, illisque perpetui sunt comites. Ea omnia membranacea vagina includuntur & nervi in ejus substantiam dispensantur. Dein vasa illa externam Renum substantiæ partem excurrunt & minimas glandulas percurrunt, ex quibus integra illa interior substantia est contexta. Glandulæ istæ vasis adnascuntur, ut acini racemi trunco. Hoc modo tubulos fabricant peculiari tunica comprehensos. Tunica ista partim ad capsulam, partim ad Renum cavitatem *Pelvis* nomine exporriguntur. Cuncti hi lobuli exilibus filis tendinosis sibi invicem cohærent. Ex minutissimis his glandulis, & quidem singulis prodeunt vasa excretoria. Recta linea ad Pelvis usque viciniam descendunt sibi invicem incumbentia. Cùm sub tunicam, quæ Pelvim interiùs circumducit, pervenerint, in plurima vasa coeunt, & majorem tubulum efformant. Tubulus iste in pelvim aperitur, & circa istius orificium advertitur tuberculum, quod *Papillam* nuncupant Anatomici. Pelvis quoque cavitas membrana obvallatur crassissima, quæ ab expansione oritur tubulorum, qui ipsam pervadunt. Adeò angusta deinde reperitur versus Renis scrobiculum, ut vas effingat pennæ anserinæ crassitiei. Constant ergo Renes glandulis, in quas desinunt anteriolæ, venæ, nec non ramuli ureterum, per arteriolas nempe liquor defertur in glandulas Renum, in quibus separatur urina, ac ramulis ureterum excepsa propellitur ad vesicam, instar sequentis experimenti. Si scilicet lac tepidum per syringam in arteriam injicias emulgentem, pars crassior redibit per venam emulgentem, & serosa portio sequestrabitur in Rene, ac per pelvim in ureterem deferetur. Unde patet, quod Renes facti sint ad segregandam à sanguine serositatem quandam salsam, quæ à glandulis in illorum pelves depluit, & inde per ureteres à peritonæo & tunica propria productos in vesicam delabitur, qui liquor vulgo *Urina* appellatur.

§. 3. Hactenus partem affectam recensuimus, nunc *Signa Diagnostica* paucis investigare & subjicere incumbit; ubi præmonendum ducimus, non omnia in omnibus concurrere signa, sed nonnulla in his, alia in aliis, prout sępe causę secundùm magis & minùs, & corporum dispositio variant. *Tumor scirrhosus Hepatis* sępe cognoscitur à situ partis, ubi è regione Hepatis in hypochondrio dextro dolor occurrit gravans ac obtusus, & simul adest faciei pallor, & ægri cachexia laborant, imo sæpe emarcescunt & tussicula per intervalla infestantur, sępe adest ventriculi tumor, interdum & ascite conjuncta est malo altiores radices habenti, lympha enim visceris hujus vasa exsiccatione nimia occlusa, ingredi prohibita, in suis vasis exundante

Diagnesis Epatis Scirrhi.

dante copia distensis ruptisve hinc inde fibris in lacinias laceras desciscere solet, hinc & in cavum abdominis effluere hanc lympham posse, nemo est, qui dubitat. Tumor externe in abdomine haud longe ab umbilico dextram versus tactu aliquando percipitur, respiratio est impedita ob tumorem istum hepatis, ita ut viscera abdominis magis resistant motui diaphragmatis. In obstructione Hepatis decubitus in sinistrum latus gravis est, quia tum Hepar ad latus istud vergens & ventriculum comprimendo ciborum digestionem impedit, & ipsum simul dolorem patitur, quòd ventriculus ei fortiùs resistat.

Lienis Scirrhi.

Sic quoque *Lienis* Tumor *Scirrhosus* eadem fere habet signa, nisi quòd in sinistro latere percipiatur tumor, ægri sunt tristes & melancholici, respiratio est difficilis, semper de frigore conqueruntur, & fere eadem symptomata patiuntur quæ hypochondriacos prehendunt. In varias & vehementissimas animi perturbationes incidunt, circuitus enim sanguinis in liene impeditur, ex qua stagnatione varia insequuntur symptomata. In Scirrho Lienis dolor nō est acutus, quamvis Lien multos habeat nervos, & hoc inde evenit, quòd nervi nō recta ad cerebrū ferantur, sed huc atque illuc transcurrāt.

Renum Scirrhi.

Scirrhus Renum ex aliis cognoscitur signis, ęgri enim urinam nullam vel paucam excernunt, dolor lumborum adest fere continuus, & in diuturniori affectu aut hydrops sequitur, aut atrophia. Sed cùm signa hæc omnia sint plerumque fallacia, & non dentur pathognomonica, sed utplurimùm post mortem ægrotantium sectione ex viscerum induratione, obstructione & colore conspiciantur, plura addere non libet, sed prudentis & circumspecti Medici omnia ritè pensitantis judicio committimus.

Diagnosis Ulceris Hepatis.

Ulcus Hepatis cognoscitur ex dolore ardente, pulsante & mordicante in hypochondrio aut præcordio dextro, tussi molesta & difficili respiratione ob diaphragma compressum; quæ symptomata cùm in phthisi etiam occurrant, morbus uterque dignosci potest ratione loci, quem dolor potissimùm invadit. Faciei color citrinus apparet aut icteritius, & interdum pustulæ in eadem efflorescunt parvæ, à particulis salinis acidis cutem erodentibus, ex ulcere sanguini & succo nutrienti communicatis productæ. Ulcere cavum Hepatis occupante dejectiones alvinæ sunt purulentæ, quibus interdum aliquid cruentum intermistum est, cum dolore intestinorum, eo quòd materia corrodens in transitu suo ipsa vellicet intestina, & hinc affectus hic dysenteriam mentitur, abs qua tamen distingui debet ex eo, quòd sensus pugnativus & gravativus hæreat circa ipsum hepar, aliquando etiam portiunculæ quædam hepatis excernuntur. In convexa sua gibba hepatis parte Ulcus si lateat, urina observatur purulenta, absque ullo renum aut vesicæ affectorum indicio. In progressu morbi febris exoritur lenta, tandem in hecticam degenerans, unde æger atrophia consumitur, & omnium ciborum, maximè verò carnis fastidio laborat, halitu fœtet, & tandem frequentibus corripitur animi deliquiis.

Lienis.

Ulcus Lienis ab Ulcere Hepatis distinguitur ob situm partis, purulenta enim materia interdum per alvum, vomitum vel urinam evacuatur, dolor tamen pungitivus est in sinistro hypochondrio, nonnunquam se ad diaphragma & sinistrum usque humerum extendens, decubitus in latere dextro difficilis est, quòd Lien versus intestina procumbat, in sinistro verò adhuc difficilior, quoniam ventriculus & hepar cum intestinis eundem comprimunt & hinc dolorem augent. Præcessit Ulcus abscessus inflammationem excipiens, ex tumore doloroso in sinistro hypochondrio conspicuus. Sitis urget, cibi fastidiuntur, & linguæ lentor quidam nigricans adhærescit, cum oris amaritie, cutis & potissimùm faciei colore fusco. Aliquando febris invadit ægrum intensior, modò tertianam, modò quartanam præ se ferens, & vigiliæ ægrotos macerant, donec ipsum succedat delirium.

Renum.

Ulcus Renum cognoscitur ex purulenta materia cum urina perseveranter excreta, cui aliquando particulæ quædam carnosæ seu ramenta carnea sunt intermista. Dignoscitur verò ulcus hoc ab aliarum partium, & potissimùm vesicæ exulceratione per situm doloris, qui hoc in affectu circa regionem lumborum cum gravitate quadam percipitur, & in ima spinæ parte & coxendice. Quantitas materiæ purulentæ in hoc ulcere major est, quàm in ulcere vesicæ, & urinæ magis permixta, unde hæc lacti similis profunditur, donec longè post mixtionem pus segregatum in fundo matulæ subsideat. Non adeò etiam urina hic fœtet, quàm in ulcere vesicæ, nisi exulceratio diuturnior destructis pluribus tubulis liquores corruperit, & diversorum salium inconveniens facta sit mistura, & tum urina non modò graviter fœtet, sed mucosam quandam materiam & lividam intermixtam secum fert. Erosis vasis sanguiferis effluit succus contentus, qui urinæ commixtus, eam reddit sanguineam, & dum erosæ particulæ carneæ nonnunquam crassiores existunt, quàm ut per ureteres facilem inveniant transitum, inter mejendum dolorem excitant nephritico per omnia similem, & valdè mordicantem, potissimùm quando ureteres à materia purulenta acriori jam læsi existunt & aliquantùm excoriati.

Vulnerum Hepatis.

Vulnerum horum viscerum signa diagnostica petuntur ex profunditate vulneris, si enim est in dextro latere tribus unciis ab umbelico distans, eoque superius, & versus spurias costas obliquè procedens, estque profundum, si specillum Chirurgi ultra digiti cum dimidio longitudinem intruditur, *Hepar* esse læsum, facilè cognosci potest, si quoque multum sanguinis ex vulnere manat, si dolor intensus est, evomunt bilem, & in ventrem meliùs decumbunt sauciati.

Lienis.

Si in sinistro latere vulnus profundum fuit illatum infra ventriculum circa lienis situm, & sanguis ater affluit, de *Liene vulnerato judicium* aliquod haberi potest.

& Renum.

In *Renibus vulneratis* urina vel supprimitur, vel difficulter redditur, & quæ excernitur, est cruenta, dolor ad inguina extenditur; quæ omnia per conjecturam deprehenduntur, ex situ potissimùm vulnerati, ex symptomatum differentia, ex sanguine aliisque excretis.

Ætiologia secundùm Galenicos Hepatis, Lienis & Renum Scirrhi.

§. 4. *Causa* horum affectuum magis quàm diagnosis patet; ut tamen pro more nostro ætiologiam ordine constituamus, aliorum sententias ante nostram collocatas priùs dabimus expositas, quorum ordinem ducet ipsi *Galenici* accusantes in *Hepatis Scirrbo*, uti & in *Lienis & Renum*, humores crassos, viscidos & glutinosos, sive pituitosos & melāc holicos, vel per fluxionem, vel per congestionem in visceribus hisce copulatos, & meatus eorundem obstruentes, quales humores sæpiùs relinqui putant ab inflammatione, vel aliis obstructionibus à bile vel pituita productis, in quibus post resolutionem partium tenuiorum crassiores remanent. Humorum verò crassorum, pituitosorum aut melancholicorum productionem facilitari putant à prava victus ratione, cibis nempe crassis, frigidis & viscosis, ab ipso temperamento pituitoso aut melancholico, & nativa quadam viscerum horum constitutione, juxta quam ex Galeni effato, Hepar à scirrho facilè occupetur, quòd viæ ejus strictæ sint, & sanguine crasso nutriatur, Lien, quòd sanguinem crassum recipiat, & Renes, quòd itidem sanguine crasso nutriantur. Ex inflammatione aliisque tumoribus quòd Scirrhi facilè oriantur, causam adscribunt immodico medicamentorum discutiētium, vel repellentium usui, quorum priora partes subtiliores dissipent, posteriora verò refrigerando & constringendo materiam incrassent, & resolutionem omnimodò impediant, quibus omnibus adjungunt materiæ morbificæ propriam frigiditatem & crassitiem resolutioni non cedentem, ac partium debilitatem, ob quam humorum attenuationem & transudationem sufficienter nequeant promovere.

Ulcerum.

Ulcerum viscera hæc eadem occupantium originem imputant humorum acrimoniæ substantiam eorum corrodenti, vel materiæ purulentæ acri post ruptum abscessum vel inflammationem in iisdem stabulanti, & in Renibus speciatim calculo extremitatibus suis acutis renes lædenti, & vulneranti vasa, ex quibus sanguis effluens abeat in suppurationem.

Vulne-

Vulnerari hæc viscera norunt à causis externis vi⟨ol⟩entis, scindentibus, secantibus, pungentibus vel con⟨t⟩undentibus, ut sunt diversimoda armorum & telorum ⟨g⟩enera iisdem hostili manu, aut infortunio quodam ⟨i⟩mpulsa.

§. 5. *Paracelsus* adeò necessariam ad vitæ pro⟨d⟩uctionem & nobile viscus existimat esse *Hepar*, ut ⟨n⟩on modò Jovem ipsum in corpore constituat, & ⟨s⟩anguinis originem eidem tribuat, sed tam quoque ⟨s⟩alutiferum, ut aliquando in istas abreptus fuerit cogi⟨ta⟩tiones, ipsum hoc viscus non laborare, aut fovere ⟨m⟩orbos, sed in regione saltem ejus hosce dominari, ⟨d⟩istantia nempe à stomacho ad hepar, ab hepate ad ⟨r⟩enes, & ab intestinis ad latus, sive à costis ad inte⟨st⟩ina, qua in regione producti morbi hepati attribuan⟨t⟩ur, quod per se non habeat qualitatem, nec infrigi⟨d⟩et, nec calefaciat, sive elargiatur complexiones & ⟨m⟩orbos; oppilationes autem hepati attributas, sive ⟨q⟩uæ in regione hepatis colliguntur, exoriri à tartaro, ⟨ve⟩l per substantiam tartari & ab aere, vias scilicet ⟨ob⟩struente tartaro, ut aer elementalis per totum corpus ⟨tra⟩nsiturus retineatur, & in crassitudinem & secundam ⟨ge⟩nerationem transeat, cùmque simul intermistum sit ⟨a⟩liquod vitriolatum fortiùs indurans, *Scirrhosam* ⟨in⟩de emergere statuit duritiem.

Spleni non exiguam tribuit malitiam in hoc potissi⟨m⟩ùm constantem, quòd duritiem generet, febres conci⟨te⟩t, putrefactiones, oppillationes, & similia plura, ea⟨de⟩m tamen ratione per tartarum, aerem & sal vitriola⟨tu⟩m, qua in hepate jam fuit explicatum.

Similiter ipsis *Renibus* morbum hunc obvenire ⟨do⟩natur, accedente sale vitriolato in lapillos concre⟨sc⟩ente.

Ulcera partibus hisce contingere pronunciat ex eo⟨de⟩m sale vitriolato, ob propriam earum debilita⟨te⟩m copiosiùs suscepto & in iis corrupto, adeò ut ⟨c⟩orrodentem vim ex seipso nanciscatur, & non modò ⟨pa⟩rtes primùm in tumorem attollat cum dolore in ⟨e⟩as agens, sed tumores etiam illos dein erodens ulce⟨ra⟩ faciat cava, instar vitrioli circumjacentes partes ⟨de⟩pascentia.

Vulnerari viscera hæc fatetur ab externis telis in ⟨re⟩gionem eorum tam profundè ictu, pungendo, ⟨ve⟩l explosione edactis, ut viscera ipsa non modò at⟨ti⟩ngant, sed penetrent, & substantiam eorum divel⟨lan⟩t.

§. 6. *Helmontius* Hepatis sanguinis elaborationi ⟨pr⟩æpositi, Splenis in regendis coctionibus principis, ⟨&⟩ Renum lotium pro vesica separantium *Scirrhos* ⟨or⟩iginem habere dicit à mucilagine quadam crassa, ⟨po⟩st digestionem in visceribus hisce residua, canalibus ⟨eo⟩rum adhærente, & hospitii jus tandem violante, ⟨ide⟩que partibus insidiante, quem hospitem viscera hæc ⟨ej⟩igere non valentia, majore nisu flagrent cum ex⟨pe⟩llendi, & cùm appetitus hic non sit ampliùs ens ra⟨tio⟩nis sive imaginatum, sed in ens quoddam surrexerit ⟨se⟩minale, propter conceptam ab Archeo ideam sibi ⟨im⟩pressam, & materiam induerit exoticam in omnem ⟨m⟩orbosi seminis perfectionem, potestate sic agendi do⟨ta⟩m materiam juxta imaginem indutæ passionis age⟨re⟩ incipere in membrum hospitale, eo quòd ipsi jam in⟨sit⟩ morbus semine efficiente potitus, qui tandem perti⟨na⟩ciùs connexus, sæpe victor, vitalem facultatem vi⟨sce⟩rum horum in sui subigat clientelam, morbificando ⟨ni⟩mirum, & contagio suo partes has, quibus insidet, ⟨de⟩formes reddendo. Cùm verò partes hæ lassationi ⟨h⟩ujus termino sint obnoxiæ, è contra character, sive ⟨ide⟩a seminalis jam concepta sit indefessa, necesse esse, ⟨u⟩t convocatis viribus Archei morbus ille proscriba⟨tur⟩ per crisin, vel robore morbi sponte exantlato orbe⟨ ⟩vi agendi, fiantque applicationes & Scirrhi, nisi lo⟨co⟩ ejecta pellatur, & fiat abscessus, vel præpollenti me⟨dic⟩aminis vi pellatur.

Ulcera invadere hæc viscera annuit, ut alias partes, ⟨a⟩b eadem origine dependere, frequentiùs autem ex ⟨ap⟩ostemate pronasci, vel *Vulnere* malè curato, quod ab ⟨ex⟩terna causa lædente violenter per corpus ad viscera ⟨ea⟩ protrusa inducitur.

§. 7. *Vuillisium* si consulimus de causis morborum præsentium, facilè percipimus *Scirrhos* Hepatis, Lienis & Renum à diuturniore eorum obstructione pronasci, dum consumptis partibus spirituosioribus partes sanguinis terrestres remaneant, quas salinæ à volatilitate in acorem degeneres arripientes in tumores scirrhosos coagulentur. Ad obstructionem verò hujusmodi humorem nerveum imprimis aptum esse, qui adeò depravari possit, ut spiritus deprimatur & partes salinæ in fluorem degenerent, corpuscula terrestria sibi adsciscentes, & mineram quandam tumoris conflantes, absque liquoris jugiter affluentis supplementa in parem vitiositatis indolem pervertantur. Liquoris autem nervei portionem ad viscera hæc cum sanguine pervenire asserit, in quem, tanquam communem massam varii refluant liquores, quos in circuitu secum ferat, maximè cùm succus nerveus quoad particulas suas spirituosas summè necessarius existat ad secretiones in visceribus peragendas, & sic nulla cum difficultate lymphæ immisceri posse, in qua varias excitet mutationes ab ordinario statu quandoque degenerans.

Juxta Vuillisium causa, Hepatis, Lienis & Renum Scirrhi.

Salinas illas particulas fluorem nactas & acescentes, corrodendo viscera hæc in iisdẽ *Ulcera* excitare statuit; *Vulnera* verò eorundem produci eadem ratione, ut in aliis partibus, dum instrumenta lædentia tam profundè ad viscera hæc intrudantur, & sic cum externis præmunimentis etiam ista lædi eorumque unitatem dissolvi.

Ulcerum & Vulnerum.

§. 8. *Sylvii* juxta fundamenta *Scirrhosi* Hepatis, Lienis & Renum tumores originem sumunt ex diuturniore eorum obructione ob sanguinis nimiam viscositatem, coagulationem, inspissationem, aut pituitosi humoris intermisti nimiam copiam, quarum causa nec bilis secreto in Hepate, nec sanguinis plusquam perfectio in Liene, nec urinæ aut seri separato in Renibus peragi queat, sed in arteriolis aut venis hærens sanguis arctiùs inspissetur, donec diuturniori mora omnem impediat transitum, potissimùm si coagulatio inducta sit ab acido nimis austero, unde sanguis & pituita firmiorem & magis renitentem acquirant duritiem.

Juxta Sylvium causa Hepatis, Lienis & Renum Scirrhi.

Ab acido illo acriori vasa & putatum ab eo viscerũ horum parenchyma erodi, & *Ulcera* in iisdem excitari statuit, de *Vulnerum* ortu cum ceteris planè consentiens.

Ulcerum & Vulnerum.

§. 9. *Cartesiani* visceribus hisce, Jecori nempe, Lieni & Renibus *Scirrhos* accedere docent, dum ex sanguine per arteriolarum ductus particulæ crassiores, lanceolatæ, paxillares, scabræ, solidiores & inæquales non modò ductibus, sed acinis etiam glandularibus & cellulis viscerum horum inferuntur, quæ non modò ipsæ ad motum ineptæ sunt, sed volatiliores, ramosas, & porosiores in motu impediunt, lymphæque subtiliori à succo nerveo refluente segregatæ se immiscent, eandem coagulant, & spissam reddunt, unde tubulis obstructis, & vel absumptis, vel coagulatis particulis salinis & spirituosis volatilioribus fixiores & crassiores juxta succos stagnantes in dies accumulantur, & ab impetu lymphæ de novo affluentis, nec coagulatum resolvere valentis, arctiùs compingantur, donec in caseosam istiusmodi omne fluidum abeat duritiem, distributioni succorum & segregationi bilis in Hepate, liberationi sanguinis à graviori lymphæ sarcina in Liene, & urinæ secretioni in Renibus maximè incommodam.

Cartesianorum judicium de causis Hepatis, Lienis & Renum Scirrhi.

Exulcerari eadem hæc viscera docent, quando particulæ quædam lymphæ adeò sunt acutæ, ut fibras glandularum & tubulorum divellant, ut si succos reddant contentos, qui multis gladiolis postmodum & ipsi ditati, idem, quod priores, agere pergunt, destruendo nimirũ & divellendo tubulos vicinos, quam cladem æthereæ particulæ furiosiùs concitatæ per angustatos poros solæ introitum reperientes immane quantùm promoveant.

Ulceribus.

Vulnera Visceribus hisce inferri concedunt ab instrumentis externis, violenta manu, aut alio quodam infortunio per exteriora corporis integumenta in ipsamet hæc viscera adactis, ut continuitas eorum inde dissolvatur.

Vulneribus.

§. 10. *Nostram* nunc ut aperiamus mentem, asserimus utique causam *Hepatis*, Lienis ac Renum *Scirrhi* ejusdem esse generis, glandulosorum nempe corporum horum tubulorum obstructio diuturnior, quandoquidem in

Nostra sententia de causa Scirrhi Hepatis.

in visceribus hisce æquè ac in aliis corporis partibus circuitus humorum circulantium impeditur, quo facto necessariò fit tumor. Scirrhi enim utplurimùm oriuntur in partibus glandulosis, ab acido coagulatore summo, humores non tantùm spissiores & ad circulationem ineptos reddente, sed ipsam circulationem impediente, in poris enim horum viscerum per acidum nimium & fixius humores coagulans, non duntaxat congeruntur liquores, sed aliquando in gypseam planè abeunt duritiem. Scirrhus enim accidit, cùm humores partem aliquam obstruentes indurantur, partim condensatione simpliciter, partim coagulatione, ob humorum quippe acredinem sanguis corruptus & inspissatus Hepatis machinam permeare impotens, eam obstructionibus reddit imperviam, & scirrhositatibus obsidet, quo enim acidum fixius & simul humores aggreditur spissiores, eo scirrhosus tumor vel durities major est. In Hepatis obstructione pleraque vasa capillaria, & tubuli minimi sunt obstructi, tumque quia sanguis & lympha satis copiosè non influunt in Hepatis substantiam, pori subsidunt, & ita Hepar obstruitur; si verò capillaria vasa obstruantur omnia, necessariò sequetur inde magna conturbatio totius œconomiæ animalis, ob magnam portionem circulationis humorum ablatam aut impeditam.

Lienis. In Obstructione *Lienis* ipsa cavitas occupatur Lienis, qui concipiendus est tanquam arteria dilatata. Certum enim est, & lympham in viscere hoc transcolari; verùm si lympha crassior, viscosior & tenacior evadat, aut particulis terrestribus sit inquinata, vel sale crasso & rigido fœta, non rarò pori glandularum obstruuntur, cùmque particulæ fluidiores serosæ præ terrestribus & salinis se faciliùs accommodent angustiis glandularum poris, hinc iis secedentibus successu temporis glandulæ obstruuntur à terrestribus particulis & salinis rigidioribus, quæ se angustiis pororum accommodare nequeunt. Hæ glandulæ si à materia tantum viscosa & tenaci cum terrestribus mixta in visceribus hisce obstruantur, tumores oriuntur; si prædominentur sales, degenerant in abscessus cancrosos, particulæ verò terrestres si prædominium tenuerint, degenerant in *Scirrhos*.

Renum. Eadem ratio est de *Scirrho Rhenum*; cùm enim lympha in renibus collecta crassior sit, & copiosioribus abundet particulis spissis terrestribus, quàm ut post urinæ secretiorem & per ureteres amandationem in vesicam, tubulos renales transfluere possit, & simul ab acido coaguletur, obstructio primùm, & dein ipsa scirrhosa oritur durities.

Causa Ulcerum Hepatis. Ipsi *Hepati* & fiunt *Ulcera*, quæ oriuntur ut plurimùm ab inflammatione, chylum enim acidum sanguineam massam ita inspissare posse quis dubitat? unde ad circulandum inepta evadit. Exinde obstructiones priùs in Hepate fiunt, particulæ enim caseosæ chyli in tenerioribus Jecoris canaliculis sedem figunt, imprimis si sint nimis viscidæ, ut eos tubulos permeare non possint, hinc tubuli obstruuntur, liquores postmodum, qui continua circuitione circa obstructionem commorari coguntur, incalescere incipiunt, imprimis percurrente æthere, atque hæc incalescentia inflammatio dicitur. Succi interim ibi tardiùs circulantes, vel planè evasati acorem contrahunt, & pus conficiunt, quod nihil aliud est, quàm succus chylosus leviter coagulatus, hoc autem si diu in parte stagnet, fœtet, hinc pus non unius formæ est, sed cruentum & aquosum, nam vascula erosa sanguinem & lympham aliquatenus adhuc adferre solent; non mirum ergo videri oportet, ægros in morbo hoc extremè esse emaciatos, cùm omnis succus nutritius continuò corrumpatur.

Lienis. *Lienis Ulcus* pariter ab obstructione tubulorum & vasorum ejus oboriri potest, quàm inflammatio, & hanc fibrarum vascularium & glandularium diruptio excipiat, quoniam violenter rapidioris ætheris transitus, cui soli via quædam patet, sine noxa fibrarum fieri nequit, sed hæ facilè franguntur, ut liquores, quos continent, effundant, qui ab acido illo obstructiones fovente coagulantur, corrumpuntur & in materiam transmutantur corrodentem, vicinas partes assiduò destruentem. Absque obstructione previa viscus etiam hoc exulcerari potest à liquoribus quibusdam valdè corrodentibus ex sanguine per arteriolas in glandulas lienis effusis, quæ ob teneritatem faciliùs, quàm arteriæ, earumque rami, quos sanguis iste corruptus transfluit, læduntur & corroduntur.

Renum. *Renum Ulcera* frequentiùs itidem ab eorum obstructione aut inflammatione, & exinde tubulorum dilaceratione oriuntur, quod & fieri potest à laceratione vasorum, vel à causa violenta, vel à calculo, vel à pure acri, aliisque succis corrosivis per eos circulantibus, vel stagnantibus.

Vulnerum viscerum horum. *Vulnerum* horum viscerum causa, ut quorumvis aliorum, est continui solutio & divisio facta à vi & instrumentis externis, sunt ergo res externæ vel pungentes, vel scindentes, & continui solutionem in hisce visceribus facientes.

Prognosis. §. 11. *Prognosin* quod spectat, *Scirrhi* viscerum sunt curatu difficiles, imprimis Hepatis, qui sæpe transeunt in hydropem, ascitem, cachexiam, icterum; ut Lienis in melancholiam, icterum nigrum; Renum in ischuriam, dysuriam, aliosque morbos chronicos & difficiles curatu; ob hepar enim scirrhosum & induratum sanguis ejus texturam pervadere nequit, unde sanguinis stagnatio, quare sæpe versus mesenterium & Lienem turgens non tantùm vascula splenica in immensum usque dilatat, sed ob compressionem advenientis sanguinis, in ipsa intestina effunditur, unde sæpe dejectio cruenta & nigra.

Ulcera Hepatis sæpe sunt lethalia, corrupto enim chylo latex serosus intestina nonnunquam erodit, adeò ut sanguinea vasa sanguinem effundant, qui coagulatus per annum excernitur, atque sic extrema sua fata claudere debet, vel à defectu succi nutritii planè emaciatur.

Ulcera Lienis per se quidem vitæ tam citò non inferunt periculum, quatenus autem vicina viscera, ventriculum, intestina & hepar inficiunt, & succos corruptos ad eadem transmittunt, magnum excitare possunt malum, & corporis consumptioni facilem præbent ansam. Curatio quidem est difficilis, sed si abscessum sequatur ulcus hoc, non omnimodò de ea est desperandum, quamvis diuturniorem interdum reposcat temporis moram. Pluribus vasis & glandulis corrosis, post sanationem ulceris hoc remanet œconomiæ animali detrimentum, quòd segregatio lymphæ sanguinem onerantis non tam commodè peragatur, & sanguis copiosiores retineat particulas crassas, & hinc non adeò reddatur purus. Rarum quidem est ulcus hoc, sed non impossibile, &, si in tempore ejus cognitio habeatur, melior ejus obtineretur curatio, quæ si quando nulla existit, causa est, quod citiùs non fuerit animadversum.

Renum Ulcera curatu sunt admodum difficilia, imprimis quæ à calculo & erosione sunt excitata, quæ valdè sunt periculosa, adeò ut exempla existent Renum omnimodò inde absumptorum, & *Vvillisius tract. de Urinis cap. 5. p.m. 246.* in illustri Domina loco renis sinistri substantiam membranosam lumbis adnatam observavit vasorum & ureteris extremitatem complecti, ut absque ulla in ductus cavitatem apertura serositas quædam arteriæ emulgentis osculis exsudans in ulcus sinuosum exteriùs ferretur. Facilè itaque Ulcera hæc in fistulas degenerant, nullam curam ulteriùs admittentes. Gravem aliquando emittunt fœtorem & purulenta materia cum urina ejecta stranguriam excitat valdè excruciantem. Post diuturniorem materiæ ejusmodi purulentæ effluxum, qua cum multa quoque succi chylosi corrupti copia excernitur, corpus emaciatur, & tum mors sæpe adest in propinquo. Ab inflammatione tamen suppurata quæ producta sunt ulcera, non tam sunt periculosa, quàm priora, sed mitioribus comitantur symptomatis, & faciliorem admittunt curationem. Quò recentiora sunt, eò citiùs quoque curantur, inveterata verò curatu admodum existunt difficilia, quod etiam contingit ratione ætatis ægrorum, senes enim vix, aut admodum difficulter, juniores verò citiùs & faciliùs à Renum hac exulceratione liberabuntur.

Vulnera Hepatis, *Lienis* ac *Renum* maximè periculosa sunt, Hepar enim constat ex acinis glandulosis, in quos desinunt vascula sanguinea apportantia suum humorem, & ramuli pori bilarii, qui bilem in glandulosis istis acinis separatam accipiunt, quibus læsis magnus & sæpe immedicabilis producitur affectus. Vulnera tamen Hepatis non omnia esse fatalia, comprobat etiam *Celsus*. Hepatis vulnus feliciter curatum vidit Cl. *D. Schelhammer. Eph. Ger. Decur. Ann. 5. Obs. 9.* test. Ita verò cum Ulceribus Hepatis Lienis ac Renum comparatum esse puto, ut ea, quæ vasa majora pertingunt, periculosissima sint & lethalia, rarò enim sanantur, idque ob vasorum sanguiferorum copiam, præsertim si vasa maxima fuerint læsa, tum enim omnis sanguis in ventrem fluit, & mors insequitur, cui enim perfecta fuerit vesica, aut cerebrum, aut cor, aut septum transversum, aut tenue quoddam intestinum, aut ventriculus, aut jecur, ex *Hippocratis* edicto, lethale est, si verò aliter contingit, inter rarò contingentia recensendum est, quia non potest facilè hemorrhagia sisti, ob loci difficilem aditum, si enim hæc magna vasa aperiantur, sequitur hæmorrhagia nullis remediis cedens & quamvis magna illa vasa non lędantur, attamen vulnus Hepatis quantumvis exiguum, turbabit interim bilis separandæ negotium, quod tamen maximè necessarium est in œconomia animali. Ubi verò textura membranosa & acinosa solummodò superficietenus, aut ut vulgò dicunt, parenchyma & vasa non adeò magna fuerint læsa, minus periculum est, cùm substantiam etiam pulmonum vulneratam iterum coire notum sit, qui tamen in perpetuo motu magnisque arteriis referti longè plus habent difficultatis, Hepar enim, prætérquam quod quietum est, paucas etiam arterias habet (ut & Renes) easque exiguas, venas autem plurimas. Quòd si in bile sit balsamus quidam, multò facilior quoque ex hoc erit sanatio vulneris Hepatis.

Sic quoque comparatum est cum vulneribus *Lienis*, & eadem prognosis de hisce ferenda. Cùm enim Lien cum suis vasis multum conferant ad sanitatem, quia in ipsis cuditur humor acidiusculus, qui in sanguine præcipitat bilem, ut illa in acinis hepatis glandulosis tanto faciliùs separetur, hinc facilè patet quid mali vulnus Lienis accersat ægrotis. Et cùm plures arteriolæ, venæ & ramuli ureterum deferantur in Renes, & in illis sequestretur serosa portio à crassiore, quæ urina dicitur, hinc liquet, quàm periculosa sint *Vulnera Renum*, & quàm difficulter possint consolidari, unde etiam facilè intelligitur unde proveniat sanguis cum urina excretus in Rene vulnerato.

§. 12. In *Scirrhis* & Tumoribus istis rebelibus *Diæta* volatilis & spirituosa instituenda. Aer vitetur frigidus, ob acidum enim succum malum auget, & majorem visceribus infert duritiem, magisque coagulat humores, hinc aer sit temperatus. Victus sit tenuis & volatilis spirituosus, ut obstructio viscerum reseretur, fugiantur acidi & viscidi, item salsi. Potus sit laudabilis, & concedi potest vinum Tartarisatum: tempore æstatis concedi possunt acidulæ artificiales, vel nativæ martiales, ut sunt Vuildungenses hac in vicina, Suvalbacenses & Pyrmonteses, sed modicè hauriantur, & non pro more hactenus recepto mensuratim, quia fibræ magis inde distenduntur, & rumpuntur. Præ aliis commendo potum Theæ vel Coffeę vel Veronicæ more usitato assumendum. Motus sit moderatus, non nimius, quia per exercitia vehementiora sanguinis magis movetur & calidior redditur, atque ita magis distendit vasa, & omnes partes tumidiores reddit, & sic quoque tumorem scirrhosum auget obstructi Hepatis, Lienis, & Renum, qui sic auctus motum diaphragmatis magis inhibet, & sępe respirationem planè abolet. Somnus & vigiliæ modum non excedant, alvus sit libera. Animi motus non sint vehementes, maximè verò hic mœror tanquā acidi patronus & comes nocet, maximas enim cordis anxietates inferre potest.

In *Ulceribus* & *Vulneribus* horum viscerum Diæta eadem conveniet, quæ in ulceribus & vulneribus in genere observanda est, vitentur omnia nimium acida & salsa, ægri in loco detineatur temperato, potus sint decocta vulneraria, vel Theæ vel Coffeæ: cibus sit juscula hordeacea, avenacea, quibus interdum aliquid mellis est intermiscendum, vigiliæ arceantur, motus mediocritatem non excedat, anxietates & excandescentiæ animum nullatenus occupent, intestinorum adstrictio reseretur, quæ maximè nocet, cùm purulenta materia ultra debitum retineatur, nec tamen alvi fluxus nimius diutiùs est permittendus, ne Intestinorum fibræ nimis resolvantur, & sphincter intestini recti ad stricturam reddatur ineptus.

§. 13. Restat affectuum præsertim curatio *Pharmaceutico Chirurgica*, quam veteres & *Galenistæ* ita instituerunt, ut in *Hepatis* obstructionibus & tumoribus *Scirrhosis* succos crassos debitè præparatos à Jecore averterint, & tandem è corpore penitus eliminarint. Ad humores istos debitè præparandos in usu habuerunt, syrupos de fumaria, buglossa, calamentho, eupatorio, scolopendrio, thymo, pomis, bizantium, oxymel simplex & compositum, quę miscuerunt decoctis radicum apii, petroselini, asparag. bugloss. herb scolopendr. eupator. fumar. calamenth. cichor. alkeKeng. hyssop. marrub. flor. borag. violar. anthos, sambuci, sem. anis. fenic. bismalv. additis interdum foliis senæ, epithymo, & polypodio, cujus mixturæ formulam si cupias, sequens sit pro exemplo.

Galenicorum cura in Hepatis Scirrho.

℞. *Rad. apii,*
Asparag.
Petroselin.
Cort. rad. ebul. aa. ℥ j.
Fol. borrag.
Cichor.
Scolopendr. aa. M j.
Eupator.
Marrub.
Hyssop.
Calaminth. aa. M ß.
Flor. violar. Malv.
Sambuc.
Anthos aa. P j.
Sem. anis.
Fœnic.
Bismalv.
AlKeKeng.
Urtic. aa. ʒ ß.
Passular. ℥ ij.
Fol. sen. ℥ ß.
Polypod.
Epithym. aa. ʒ iij.
Schœnanth.
Cinamom. aa. ʒ i ß.
Coq. in s. q. aq. simpl. vel pluvial. ad ℔ j. *In Colatura dissolv.*
Syrup. de pomis,
Duab. radicib.
Bizantin.
Oxymell. compos. aa. ℥ ij.

M. F. Apozema, de quo singulis diebus horâ matutina exhibeantur ℥ iiij vel vj. Humorem crassum & fæculentum sanguini permistum postmodum ab Hepate averterunt secta scilicet primùm vena interna dextri aut sinistri cubiti, prout hæc vel illa magis apparuit, & quidem si sanguis crassus aut ater effluxit, eundem majori copia audacter emiserunt, sin floridus fuit & tenuis, eum citiùs suppresserunt, & ad alvum sollicitantia progressi sunt, exhibitis primum lenioribus, ut manna, quam mel aliqui vocant aereum, electuar diacatolico, diasebesten, diasenæ; posthæc validiora in usum duxerunt, qualia sunt electuarium Indum, de epithymo, confectio Hamech, vel pilulas seu catapotia de Ammoniaco, sagapeno, opopanace, fœtidas, de fumaria de lapide Laxuli, in quorum usu per tempus aliquod perduraverunt, & purgationem sæpiùs repetiverunt, interjectis apparantibus, cùm succos crassos melancolicos vna uice non satis evacuari posse perspexerint. Materiam crassam & induratam *Scirrhi* postmodum magis adhuc emollire & discutere studuerunt internis simul & externis remediis trochiscis nempe de absinthio, rhabarb. cappari-

bus,

bus, eupatorio, lacca, electuario diacurcuma, adjunctis gummi Ammoniaco, bdellio & sagapeno, vel pulverum, vel Rotularum, vel electuariorum forma intus exhibitis, externè verò Hepati indurato aut hypochondrio dextro vel fotus, linimenta, vel cataplasmata, vel emplastra admoverunt ex malacticis sive emollientibus composita, intermistis simul leviter adstringentibus ad robur visceris hujus conservandum, prout formulæ quædam sequentes eorum componendi & applicandi modum indigitabunt.

℞. *Rad. aristol. rotund.*
Irid.
Oryon.
Lil. alb. aa. ℥vj.
Ulmi,
Mandrag. aa. ℥ij.
Fol. malv.
Alth.
Absinth.
Hyoscyam. aa. Mj.
Flor. Chamomill.
Melilot.
Sambuc.
Rosar. aa. Pj.
Sem. lin.
Alth.
Anis. aa. ℥ß.
Coq. in aqua & vino, & spongia in decocto hoc calido humectata foveatur hypochondrium dextrum.

Post fotum, uel eo etiam non adhibito, si cataplasma imponendum utile uisum fuerit, sequenti formula compositum maximè putarunt esse conueniens.

℞. *Rad. lil. alb.*
Alth.
Irid. nostr. aa. ℥j.
Fol. malv.
Alth.
Origan. aa. Mj.
Flor. Chamomill.
Melilot.
Summit. absinth. aa. P. j.
Sem. cumin. ℥ß.
Bacc. lauri ℥ij.
Spic. nard ℥iß.
Croc. ℈j.
Butyr. recent.
Axung. anat.
Anser.
Medull. vitul.
Ol. irin.
Lil. alb. aa. ℥j.
Gumm. Ammon. in vino alb. generoso solut. ℥j.
M. F. Cataplasma, regioni hepatis aut tuomri scirrhoso imponendum.

Quibus uerò pro cataplasmate linimentum aliquod placuit, iis sequenti modo suaserunt parandum.

℞. *Gumm. Ammon. in acet. solut.* ℥j.
Galban. eodem modo solut. ℥vj.
Medull. cerv. ℥ß.
Axung. gall. ℥ß.
Butyr. recent. ℥iij.
Ol. amygd. dulc.
Absinth. aa. ℥iß.
M. & F. Linimentum.

Nimis etiam operose, sed absque ullo commodo, & minùs proinde prudenter abs quibusdam hujusmodi remediis intermista fuerunt hepata animalium, & præ aliis lupi, quasi propter analogiam quandam hepati in corpore humano laboranti illa uigorem quendam sint impertitura, quem tamen post mortem animalis amittunt, & succis potiùs salibus uolatilibus prægnantibus, & ipsi bili in acceptis ferendum, quod Antiqui ipsi hepatis corpori & facultatibus ejusdem attribuerunt: sed ignoscamus simplicitati isti, quam defectus experimentorum, & exinde ratio non satis illuminata foverunt, & videamus, quomodo per emplastrum curationi huic colophonem tandem imponere studuerint: Etenim quando uel prædicta medicamenta voto eorum respondere noluerunt, aut materia scirrhosa ab iisdem emollita ulteriùs discussioni fuerit præparanda aut dissipanda, emplastrum imposuerunt de meliloto, aut de œsypo humida, aut de eupatorio, aut ad scopum magis collimans ex tempore aliquod paraverunt, quale sequens monstrat formula.

℞. *Gumm. Ammon.*
Ladan.
Mastich.
Styrac.
Propol. aa. ℔ß.
Galban.
Thur. aa. ℥iij.
Terebinth. ℥iß.
Ol. nard. ℥
Vin. aa. q. s. *ut F. s. a. Emplastrum.*

Hoc modo Scirrhum tractarunt hepatis, & parum ab hac cura differt ea, quam in *Lienis Scirrho* instituerunt, nisi quod fortiora quædam prioribus addiderint medicamentis, quæ Lienis constitutionem faciliùs, quàm reliqua viscera ferre existimarunt. Fecerunt autem similiter in morbo hoc exordium ab emollientibus & digerentibus materiā crassam & limosam per Lienis substantiam dispersam, quibus statim evacuantia substituerunt. Inter digestiva & emollientia celebrarunt decocta ex rad. gentian. peucedan. rumic. sylvestr. anchus. cynogloss. cort. rad. cappar. tamarisc. salic. herb. chamædr. scolopendr. cuscut. calamenth. trifol. aspalathum redolent. polii, absinth. sem. periclym. portulac. agni cast. in aqua & aceto, vel aceto solo aut oxymelle parata, in quibus etiam dissolverunt syrupos de scolopend. de thymo, aut epithymo, vel oxymel squilliticum ægris ad tempus aliquod propinarunt, aut aquam chalybeatam cum portione quadam aceti aut oxymellis, ob quam facultatem quoque chalybis non parvo in pretio habuerunt aquam depuratam ex cote, dum enses aut gladii chalybei acuuntur, defluentem, aut lutum ipsum ex cote naxia dum ferrum acuitur collectum, exsiccatum & pulverisatum in aceto exhibuerunt, & ut citiùs juvamen aliquod ægris impertiantur, ipsius chalybis scobem, vel scorias ferri pulverisatas in aceto, vino tenui, aut decocto scolopendrii aut tamarisci in usum duxerunt. Folia hederæ cum semine periclymeni in aceto decocta, nec non gummi Ammoniacum & bdellium in vino soluta, aut trochiscos de bdellio, scolopendrio, lacca, agnocasto, capparibus in decocto exhibitos valde laudarunt; usurpatis ad tempus aliquod incidentibus, aperientibus & digerentibus hisce, ad majorem humorum vitiosorum & crassorum abundantium evacuationem catharticum aliquod præbuerunt, quo tutiùs & feliciùs, ut putarunt, postmodum ad priora incidentia iis liceret revertere, cujus gratia ipsis in usu fuerunt infusa ex polypodio & epithymo, cum syrupo acetoso aut melle rosarum laxativo, electuar. diacathol. diasen. diamann. Indum, Confectio Hamech, Hier. diacolocynth. Pilulæ Indæ, ex lapide Armeno, Lazuli, de fumo terræ, quorum uno vel altero si vitiosa materia educta fuerit & imminuta, pro meliori emollitione & digestione tumoris externa etiam præsidia adhibuerunt hypochondrio sinistro, uti sunt fotus cum spongia ex decocto rad. Irid. alth. lil. bryon. fol. scolopedr. malv. summit. aneth absinth. flor. genist. melilot. chamomill. stœchad. sem. lign. fœnigr. tamarisc. in vino albo parum diluto: linimenta splenetica ex oleo lilior. cappar. Irin. amygd. dulc. axung. anser. accipitr. ursi, taxi, emplastrum de meliloto, diachyl. ceroneum, vel quod sequenti modo paratur.

Eorum cu[ra] in Scirrh[o] Lienis.

℞. *Ol. Cappar.* ℥ij.
Pingued. anser.
Medull. vitul.
Cer. aa. ℥j.
Gumm. Ammon.
Bdell. aa. *in acet. dissolut.* ℥ij.
Acet. acerr. ℥ß.
Ceræ q. s. ut F. mollioris consistentiæ emplastrum.

Ad

Ad digestionem etiam majorem ipse *Galenus* adhibuit fotum ex sale floris in vesica incluso, vel aceto, in quo lapis pyrites fuit extinctus, unde etiam alij ipsum fumum commendarunt, qui ex aceto exhalat, dum lapidibus istis candentibus inspergitur, ut æger ad præcordium sinistrum eundem assumeret. *Archigenes* autem eo usque progressus est, ut ad fortiùs digerendum, & lienem absumendum fæcem aceti acerrimi adhibuerit, aut cataplasma ex seminibus nasturt. fœnigr. calce viv. & nitro melle exceptis, & perseverante malo post cutem in sinistro hypochondrio multis locis scarificatam eidem cucurbitulas imposuerit; *Andromachus* malagma applicavit compositum ex cera, resina pini, pice brutia arid. arsenic. alum. sciss. calce viua & aceto: tandemque amuleti instar ad lienem induratum *Aetius* commendat sanguinem ex vena magis apparente post auriculam sinistram ipsius ægrotantis extractum, ut lien isto aliquoties illinatur & confricetur.

In Scirrho Renum. Non absimili ratione ad *Renum* indurationem & tumorem *Scirrhosum* abigendum emollientia & leviter digerentia remedia necessaria duxerunt, & hinc jura pinguia exhibuerunt & decocta rad. alth. polypod. glycyrrhiz. herb. adianth. flor. malv. chamomill. melilot. sem. lini, fœnigr. melon. apii, petroselin. tribulor. ut simul urina provocaretur: in quibus etiam pulverem exhibuerunt gummi galbani & Ammoniaci, simulque externa adjunxerunt linimenta & cataplasmata ex ol. lil. alb. amygd. dulc. chamomill. lini, radicibus altheæ in hydrelæo coctis & diligenter subactis, sem. fœnigr. flor. melilot. medull. suill. vitulin. cervin. pingued. gallin. ariet. emplastrum ceroneum, ex œsypo simplex & Philagrii, vel alia ex gummatis & axungiis cum cera & oleo lilior. modo superiùs indigitato composita.

Cura Vlcerum Hepatis. In *Vlcere Hepatis* post abscessum facto diruptum solliciti fuerunt, ut abstersionem peragerent decocto hordei cum melle rosaceo, vel sero lactis, postquam pus per alvum aut vrinam fuerit evacuatum, tum decocta vulneraria usurparunt ex agrimonia, scabiosa, eupatorio, absinthio, rad. Chinæ, caryophyllatæ, &c. Abscessu verò nondum rupto, & suppuratione ad partem magis externam vergente, emollientia & suppurationem promoventia tum intus, tum foris adhibuerunt, propinando internè decoctum radicis altheæ, fœniculi, fol. malvæ, agrimon. sem. anisi, caricarum pinguium in jure pulli potissimùm factum; externè regionem hepatis foverunt decocto florum chamomillæ, meliloti, seminis fœnigræci, & cataplasma imposuerunt paratum ex radicibus liliorum alborum, altheæ, foliis maluæ, farina seminis lini, fœnigræci, hordei, floribus chamomillæ, meliloti, liliorum, butyro recenti & axungia gallinæ, vel emplastrum de meliloto cum diachylo mixtum, & tumorem suppuratùm externè cultello ignito aperuerunt, ex quo si pus album & bene coctum effluere conspexerunt, spem hausere sanationis, sin rubrum, fæculentum & fœtidum, ad interitum ægri vergere pronunciarunt. Quibus ergo de sanatione spes fuit, post abstersionem corroborantia exhibuerunt vulnerariis mixta, decocto nempe radicis caryophyllatæ, tormentillæ, valerianæ, pimpinellæ, herbarum agrimoniæ, capillorum Veneris, ceterach, veronicæ, summitat. centaur. min. seminis myrtillor. cum speciebus diatrion santal. diarrhod. Abbatis, & Syrupo de hedera terrestri & myrtillorum, quibus interdum ad materiæ purulentæ evacuationem radicem rhabarbari immiscuerunt, & consolidationem ulceris emplastro de gratia Dei absolvere studuerunt.

Lienis. *Vlcerum Lienis* curationem non multum à priore instituerunt diversam, rejecta enim materia purulenta aliquando subalbida & cinerea, aliquando fæculenta & livida, interdum etiam nigra & humida, vel rubescente, vix unquam verò pura & concocta, vel per vomitum vel per secessum, abstergentia & hic adhibuerunt, quibus visceri huic in specie dicata admiscuerunt, ex radicibus filicis, polypodii, rubiæ, fraxini, capparum, apii, gentianæ, rhapontici, viticis, herbis anagallidis, rutæ murariæ, ceterach, cuscutæ, cynoglossæ, scolopendrii, fumariæ, agrimoniæ, hyssopi, polytrichi, teucrii, verbenæ, urticæ mortuę, floribus caprifolii, lupuli, schœnanthi, genistæ, buglossæ, seminibus fraxini, chærefolij, periclymeni, viticis, quæ decocti forma propinarunt, insimul species diacapparum & de terra Armena superdederunt, atque topica sinistro hypochondrio applicarunt, in quibus tamen adstringentia nõ adeò habuerunt curę, nec diu continuarunt, quòd lienem partem æstimarint minùs principalem, cujus robori tamdiu non sit studendũ, emplastrum verò de Ammoniaco, & ut in Hepatis ulcere, ad consolidationem emplastrum de gratia Dei vocatum per tempus aliquod imposuerunt.

Renum. *Renum Vlcerum* curationem ita fuerunt aggressi, ut habita priùs partis mittentis, accipientis, & materiæ transmissæ ratione, humores acres redundaturos uictu tenui prohibuerint, jam contractos lenierint & correxerint lacte asinino vel caprino, ptisana hordeacea, emulsione semin. melonum, cucurb. decocto glycyrrhizæ, malvæ, seminis alkekengi, passularum Corinthiacarum, amylo, tragacantho, syrupo violarum, endiviæ, nymphææ, quibus per tempus aliquod usurpatis humores istos acres evacuarunt manna, cassia fistula, electuario diacatholico, diaprunis sine scammonio, syrupo rosarum aut violarum ex multiplici infusione paratis, infuso rhabarbari, & balnea aquæ dulcis instituerunt, non tamen adeò frequenter, ne virium exinde sequeretur solutio. Fortiora detergentia adhibuerunt in ulcere Renum sordido, decoctum nempe hordei, cicerum nigrorum, glycyrrhizæ, adianthi, parietariæ, equiseti, asplenii, graminis, mulsam aut ptisanam cum melle rosaceo, vel lac asininum cum conserva rosarum, quibus si ulcus satis mundatum fuerit & detersum, exsiccantia præbuerunt & adstringentia, ex radice tormentillæ, acetosæ, symphyti, herba caudæ equinæ, spodio, C.C. pp. terra Lemnia, lapide hæmatit. sanguine draconis, coralliis, cineribus corticum cucurbitæ, trochiscis de spodio, de alkekengi, de carabe, de terra sigillata, de balaustiis, vel pulverum in cremore ptisanæ assumptorum, vel tragematis, vel electuarii, vel tabularum forma, nec decoctum radicis Chinæ & ligni Guajaci à quibusdam neglectum, & cataplasmata ex gallis, malicorio, balaustiis, rosis, plantagine, consolida, polenta, &c in vino austero coctis, aut emplastrum diachalciteos Renibus externè fuerunt imposita.

Cura Vulnerum Hepatis. *Vulnera Hepatis* profundiora ut lethalia solis reliquerunt prognosticis, nec tela iisdem adhuc infixa tam citò permiserunt extrahenda, ne subsequuta hæmorrhagia copiosa simul effunderetur anima, superficiaria verò cõsuerunt, & ad præcavendam inflammationem secta vena aliisque topicis adhibitis, epithemate ex succo plantaginis, solani, portulacæ, cydoniorum, & similibus, tum ut Deastra illa Natura in consolidando vulnere feliciùs progrederetur, eam adjuvarunt medicamentis adstringentibus & glutinantibus, qualia fuerunt, decocta saniculæ, equiseti, caryophyllatæ, consolidę, verbenæ, mastichis, thuris, sarcocollæ, trochisci de spodio, de terra sigilata, de carabe; foris vulneri consuto & abs quavis injuria externa custodito imposuerunt enema barbarum, vel ceratum de Malchitide, aut diaphœnicum, & ad inguina transmisso sanguine post abscessus maturitatem tumorem aperuerunt, mundarunt, & sinum sarcoticis impleverunt, donec cicatrizantibus cõsolidationem absolverint.

Lienis. Eandem planè curam etiam instituerunt in *Vulnere Lienis*, adstringentia enim & glutinantia post necessariam vulneris consutionem intus & extus adhibuerunt, additis in superiore vulnere nominatis medicamentis myrrha, opopanace, aloe, balsamina, pulveres adstringentes albumine ovi susceptos vulneri imposuerunt, & consolidationem emplastro diachalciteos promoverunt.

Renum. Pari ratione in *Vulnere Renum* se exhibuerunt occupatos, etenim tum indigitata jam præbuerunt adstringentia & consolidantia, tum eadem in usum duxerunt remedia, quæ in Ulcere Renum aliàs soliti fuerunt usurpare.

Paracelsi opinio de curandis morbis Hepatis. §. 14. *Paracelsus* in morbis *Hepatis* quibuscumque materialem requirit medicinam, quandoquidem opus sit, si Hepati bellum gerendum, ut corpus quoddam

quod

quod suas manus, & suos pedes habeat, pro eo depugnet, & hoc pacto materia adversus materiam procedat, & simile in suum simile agat, ea propter in Hepatis etiam *Scirrbo*, uti in reliquis morbis, eidem visceri ab aliis adscriptis, Essentiam Spodii commendat tanquam vim & virtutem ejus singularem.

Ad *Vlcera Hepatis* magnis laudibus evehit suum Cheiri, quo nihil præstantius aut conducibilius esse asserit ad sanitatem Hepati conciliandam, hac tamen ratione præparatum, ut à nigredine sua in albedinem sublimetur, & albedinem hanc cum vino vitæ bibendam esse præcipit, hac cum promissione, quòd potu isto Hepatis apostematica natura ac putrefactio tollatur, omnisque ejus corruptio emendetur adeò, ut deinceps probè digerat & sanguinem rectè dispenset, nec illum saltem multum producat, verùm etiam bonum & laudatum, nullis morbis suscipiendis idoneum, quin veterem & exoletum sanguinem renovet & ita emundet, ut etiam lepra evanescat. Ulteriùs etiam præstans in morbis hisce remedium æstimat anthos luteum per spiritum aquæ vitæ resolutum & ita potum, quo universas Hepatis noxas & morbos sanatum iri confidit.

In *Vulneribus Hepatis* magnum commodum præstare credit liquorem Alcahest à coagulatione resolutum, & iterum in formam transmutatam coagulatum, tunc enim, si suum simile superaverit, medicinam eum hepatis fieri asserit medicinis omnibus superiorem, qui licèt hepar ipsum ruptum & dissolutum esset, loco tamen totius hepatis esset, non secus, ac si nunquam ruptum & solutum fuisset, & propterea Medicinę operam navantibus unicè expetendum.

Splenis. *Splenis* malitia ut eradicetur, industriam locandam esse consulit, ut splen corporis eximatur, & splen externus immittatur, seu inferatur, vitam enim sine splene diuturniorem esse contendit, quàm cum splene, adeò ut homines eo commodè carere possint, hinc practicam omnem huc cōferendam esse præcipit, ut beneficio splenis externi, non interni vivant, atque internus exstirpetur & radicitùs consumatur, quod beneficio *Sutratar* fieri posse docet, abs quo liquorem ipsius separandum vult sine corrosivo per retortam ad validum ignē, postea quinquies abstrahendum, hinc *Cobob* omne cum vino vitæ ratificandum & propinandum. In fæce quoque abs qua vinum vitæ separatum est, eandem virtutem & operationem quærendam esse docet, uti etiam in *Casa* rectè parata, dum videlicet ea in oleo olivæ maceratur, posteà cum ℔j. & quadrante opopanacis miscetur, & per alembicum destillatur, quod oleum regioni Lienis illitum splenem omnem auferre, & sic morbos ejus & noxas universas adimere, certò promittit.

Renum. *Renum* obstructionibus etiam *Scirrhosis* liquorem Tartari proficuum venditat, quin etiam ipsos Renes sine omni noxa tolli posse per *Aroph* confidit, si hic per destillationem in pane in liquorem reducatur & ita bibatur, sic omne malum, quod Renes gignunt, auferri. *Vlcerum & Vulnerum* curam optimè fieri censet interna mumia, quæ juvari potest hyperico, centaurea, & brassatella potionis forma adhibitis.

Helmontii opinio de curandi Scirrho, Vlcer & vulnere Hepatis. §. 15. *Helmontius* ad oppilationes viscerum præsentium singulariter fontes Spadanos commendat, quibus tartarum coagulatum omnium optimè resolvi posse, & spiritui vitę liberam per omnia irradiationem conciliari promittit, quo facto omne nutrimentum *Scirrho* tum *Hepatis*, tum reliquorum viscerum adimi, per transplantationem verò argentum quoque vivum Scirrhum Hepatis non semel abstulisse apertè pronunciat.

In *Vlceribus Hepatis* & dispositione ejus apostematica oculos cancrorum diligenter usurpatos magnum præstare juvamen, & reliquis remediis propterea præferendos esse, confidenter satis eloquitur.

Eosdem etiam cancrorum oculos in *Vulneribus* hujus & aliorum viscerum proficuos esse recenset, uti potiones quoque vulnerarias de alcali participantes volatili, utpote cujus virtute omnes herbæ vulnerariæ operentur.

Lienis. *Lieni* quæ commoda præstari, & ad eum extra stomachi septa traduci possint, admodum rara existere censet, attamen in *Scirrhoso* ejus affectu oculos cancrorum vel in aceto solutos, vel in vino bullitos utiliter exhiberi statuit, nec non in ejusdem *Vlceribus* & *Vulneribus* potionibus vulnerariis admixtos, propter alcali volatile, quod possident, eos accommodatos esse confidit.

Renu[m]. *Renibus* eosdem oculos prodesse novit, & in *Scirrho* & *Vulneribus* eorum laudabiles edere effectus. In *Vlcere* partium harum Spiritum Mercurii præ aliis commendat remediis, tanquam ulteriorem destructionem prohibentem, & loca læsa sanantem.

Vuillisi[i] curatio [He]patis. Li[enis] & Ren[um] Scirrhi. §. 16. *Vuillisiana* curatio tumorum *Scirrhosorum* tum *Hepatis*, tum *Lienis* & *Renum* in eo consistit, ut coagulatum corpus humorum inspissatorum resolvatur & omnis ab hoc facta viscerum istorum reseretur obstructio, hinc succorum vitiosorum saburra eliminetur, quo restantes spiritus exaltentur, & novus eorum acquiratur proventus. Resolutio coagulati perficitur emollientibus, & partes terrestres diluentibus internis non solùm, sed etiam externis remediis, quorum priora forma decocti, vel destillati, vel potionis, essentiæ, tincturæ, pulveris, electuarii, aliusque compositi parari poterunt. Apozemata, infusa & destillata in *Hepatis Scirrho* componuntur ex radicibus apii, scrofular. cichorii, Spic. Celt. rhapont. aristoloch. ebuli, cort. fraxin. frangul. herbis marrub. origani, absinthii Pont. centaurii, eupator. floribus malvæ, sambuci, lignis Guajaci, santal. citrino, quibus adsociatur vinum chalybeatum. In *Scirrho Lienis* materiam præbent hisce medicamentis radices capparum, filicis, lapathi, fraxinellæ, polypod. querc. herbę scolopendriis, capillor. Veneris, chamædr. cochlear. epithymi, rutæ, flores genistæ, buglossi, lignum salicis, cortices tamarisci, semina nasturtii, apii, urticæ, in aqua chalybeata. In *Scirrho Renum* parantur ex radicibus althææ, eryngii, lappæ majoris, fili pendulæ, liquiritiæ, malvæ, ononidis, levistici, pimpinellæ, rubiæ, raphani rusticani, rusci, salsæ parigl. herbis scordii, parietariæ, umbilici Veneris, tragorigani, chærefolii, hyperici, anagallid. aquat. polytrichi, potentillæ, veronicæ, floribus fabarum, malvæ arboreæ, summitatibus lycopodii, seminibus altheæ, alkekengi, anethi, seseli, ocymi. Potiones aliæ misceri possunt ex aquis simplicium destillatis, & syrupis, ex quibus Hepati conveniunt aquæ marrubii, serpilli, cuscutæ, agrimoniæ, chamæmeli, sambuci, Syrupi de eupatorio, de calamentha, & alii aperitivi: Lieni Aqua fumar. flor. genist. rutæ, centaur. min. Syrup. de fumar. byzant de scolopendria: Renibus Aqua chærefol. Alkekengi, abrotani, hyperici, ononidis, verbenæ, urticæ, malvæ, syrupus capillorum Veneris, altheæ, liquiritiæ, quibus adsociari, aut etiam absque illis per se usurpari possunt in Scirrho Hepatis & Lienis, Tinctura Martis aperitiva, Antimonii, essentia agrimoniæ, fumar. Spiritus gummi & salis Ammoniaci, saturni, tartari, Tartarus Tartarisatus, Tartarus Vitriolatus, terra foliata Tartari, limatura chalybis cum Sulphure pp. crocus Martis aperitivus, sal fraxini, tamarisci, absinthii, genistæ, electuarium de chalybe *Saxon.* In Scirrho Renum Spiritus Vitrioli Veneris, Spiritus calc. viv. salis dulc. Junip. Tinctura Tartari, ligni sassafras, elixir proprietat. crystalli Tartari, pulvis crystalli montani, lapis prunellæ, aselli pp. electuaria ex conservis pimpinellæ, betonicæ, malvæ, conditis radicibus eryngii, enulæ. Inter externa fotus approbat ex decocto radicum Ireos, ebuli, cucumer. agrest. bryoniæ, herbarum chamędryos, mercurialis, florum chamomillæ, sambuci, vel etiam ex aqua calcis vivæ, cum spongia regioni Hepatis, Lienis vel Renum adhibitos, nec non unguenta ex oleo Irino, sambuci, lilior. capparum, Philosophorum, axungia leonum, struthionum, anatis, gruis, medullæ vituli, succis bryoniæ, cicutæ, cucumeris agrestis, allii sylvestris, cyclaminis & gummi Ammoniaco, Unguentvm de cicuta, de althæa, resumtivum, spleneticum, & emplastrum diachylon, ceroheum, de cicuta & Ammoniaco, de mucilaginibus. Resolutis per medicamenta hæc succis terrestribus aliisque inspissatis, materiam superfluam evacuat per vices infusis aperientibus & laxantibus, fol. sen. sem. cartham. rhabarbaro, turpetho vel pilulis de Ammoniaco, Tartareis, chalybeatis, & tandem sanguine depurato remedia salibus

bus volatilibus prædita subjungit, ut spiritus convenienter exaltentur.

[V]icerum. *Vlcera* viscerum præsentium curare solet particulas istas corrodentes mitigantibus, hic ulcera abstergentibus, & mundificantibus decoctis vel infusis ex radice enulæ caryophyllatæ, aristoloc. rotund. chinæ, salsæparillæ, serpentariæ virginianæ, filicis, graminis, herbarum agrimoniæ, hepaticæ, betonicæ, cardui benedicti, eupatorii, scolopendriæ, scordii, saniculæ, marrubii, consolidæ Saracenicæ, veronicæ, ligno Guajaco, sassafras, & alvo existente adstrictiore enemata injici, aut ne pravi humores ad Renes exulceratos copiosiùs profluant eosdem aliquando vomitorio evacuari præcipit, tum balsamo de Capaiba, Saturni, spiritu terebinthinæ, aliisque balsamicis & traumaticis integram, si obtineri possit, curationem absolvit.

[V]lnerum. *Vulnera Hepatis & Lienis* ita tractat, ut venæsectionem in dextro vel sinistro brachio admittat, ad sanguinis revulsionem, & congrumationem ejus impediendam enemata frequentiùs immittat intestinis, & consuto vulnere potiones vulnerarias, balsamicas conglutinantes & consolidantes propinet, aliasque tincturas vel essentias traumaticas; externè verò vel epithemata vel emplastra applicet adstringentia, exsiccantia & consolidantia in aliis vulneribus usitata. *Renibus* vulneratis internè decocta exhibet, ex millefolio, sanicula, ophioglosso pyrola, pilosella, cum radicibus plantaginis, liquiritiæ, quibus pulveres admiscet ex trochiscis de alkekengi, carabe, terra sigillata, ut sanguinis effluxus simul sistatur, & conglutinatio promoveatur, iisque absumptis balsami sulphuris aliquot guttas in jusculo præbet absorbendas, & foris cataplasmata, unguenta aut emplastra stictica seu consolidantia vulneri imponit ex cera, terebinthina, pice navali, oleo ovorum, laurino, hyperici, gummi elemi, mastiche, thure, succino, aliisque parata, ut iisdem penitus sanentur.

[Sy]lvii modus curandi Hepatis, [Lie]nis & [Re]num [Sci]rrhum. §. 17. *Sylvius* in affectibus istis *Scirrhosis Hepatis, Lienis & Renum* ad viscositatem humorum corrigendam, incidendam & attenuandam, & sic obstructionem ab iisdem productam fortiorem resolvendam aut reserandam salia commendat volatilia frequentiùs, adeoque etiam in prandio & cœna, vino vel liquoribus aliis convenientibus indita sumenda, siue sint ex animalibus deprompta, sive in vegetabilibus contineantur, & hinc omnia approbat scorbutica, tumorique externè olea & unguenta inungit emollientia & dissolventia ex oleo laurino, Philosophorum, unguento Martiato, vel cataplasmata ex plantis aromaticis parata, nec non emplastrum carminans resolvendis humoribus inspissatis perquàm idoneum. Ad magis verò attenuandos & leviter etiam evacuandos humores illos viscidos pilulas suas laudat magistrales ex gummi galbano, cum resinis, castoreo, croca, aloe rosata, & trochiscis alhandali compositas, alternis diebus deglutiendas.

[Ulce]ra. Ex inflammatione aut abscessu pronata *Vlcera Hepatis & Lienis* decoctis vulnerariis aliisque mixturis oculos cancrorum, antimonium diaphoreticum, quibus acidum satis domatur & absorbetur, recipientibus abstergit, & tum balsamo sulphuris terebinthinato mundificat & consolidat De *Renum Vlceribus* quamvis valde dubitet, num spes aliqua sit curationis, attamen ad malum leniendum & impediendum, ne reddatur grauissimum, aliquid usurpari posse concedit eumque in finem nil præstantius se reperisse asserit balsamo sulphuris tum anisato, tum succinato, tum juniperino, tum terebinthinato, oleo tamen terebinthinæ Venetæ, aliusue optimæ, non vulgaris, parato, à quibus, licet viribus non parùm fractis, ad Renes pervenientibus ulcus mundari, puris proventum minui, adeoque ulceris augmentum plus minùs impediri docet, cæteris autem omnibus hoc in casu balsamum sulphuris succinatum reperit optimum.

[Vul]nera. Hæc etiam balsama adhibent in *Vulneribus* viscerum horum, unà cum decoctis aliisve potionibus & mixturis vulnerariis alcalicis saturatis, quin balsama quoque foris instillat, & imposito emplastro consolidante vulnus studiosè deligari præcipit.

Cartesianorum ratio curandi Hepatis, Lienis & Renum Scirrhos. §. 18. *Cartesianis* curatio affectuum horum tali instituitur ratione, ut succi indurati Scirrhum in visceribus hisce producentes emolliantur, coagulum spissius resolvatur, & quicquid magis, quàm decet quiescit, ad motum excitetur, ita enim non modò omnia reddi fluidiora sperant, sed poros simul fore apertos, & exhalationem debitam recrementorum iri promotum, eaque propter digerentia exhibent & canales obstructos reserantia, cujus formulæ in *Hepatis Scirrho* existunt sequentes.

℞. *Ocul. cancrorum* ʒ j.
Croc. Martis aperitiv. ℈ ij.
Arcan. duplicat. ℈ j.
Salis absinth. ℈ ß.
M. F. Pulvis, qui per vices in sequenti exhiberi potest mixtura.

℞. *Aq. Cichor.*
Fumar. aa. ℥ j.
Essent. centaur. min. ʒ iij.
Spiritus Salis dulc. ℈ ß.
Syrup. Byzant. simpl. ℥ j.
M.

Ut indurata meliùs emolliantur, & obstructiones aperiantur, infusum aut vinum medicatum parant sequenti modo.

℞. *Rad. Cichor.* ʒ vj.
Pimpinell. ℥ ß.
Levistic. ʒ iij.
Herb. abrotan.
Agerat.
Calamenth.
Summit. absinth. aa. M ß.
Flor. stœchad. citrin. P. j.
Sem. pastinac. sylvestr. ʒ iij.
Raphan. ʒ ij.
Limatur. Chalyb. ℥ ß.
Cass. lign. ʒ iiß.
Salis centaur. min. ʒ i ß.
M.F. Species pro Nodulo uni mensuræ vini impendendo.

Eadem quoque aut non valde absimilia in usum ducunt ad dissolvendum *Scirrhum Lienis*, uti sequentes ostendunt formulæ.

℞. *Cryst all. Tartari* ʒ i ß.
Croci Martis aperitiv. ʒ i.
Auri fulminant. parum edulcorat. ℈ ß.
Corall. pp. gr. xvj.
M. F. Pulvis, cujus dosis est quantitas in mucrone cultri contenta, in sequenti vehiculo assumenda.

℞. *Aq. Cuscut.* ℥ ij.
Cinamom. bugloss at.
Myns. ℥ j
Tintur. Junip. ʒ iij.
Spiritus Vitrioli Martis ʒ ß.
Syr. aperitiu. Splenet.
Zuvelf. ℥ j.
M.

Vina medicata parant ex radicibus filicis, cappar. bugloss. valerian. gentian. rubiæ, herbis scordii, rutæ murar. galeopsis. puleg. sem. fraxini, nasturt. Tartaro Vitriolato Sal. Armoniaco, iisque alia remedia interdum subiungunt, qualia sunt Sal spleneticum *Mynsichti*, terra foliat. Tartari, Tartarus chalybeatus. Tinctura Martis aperitiva, Tinctura Tartari, Tingneæ, Spiritus Vitrioli volatilis.

Renibus à coagulo hujusmodi infarctis, oculos cancrorum laudant cum Sale Tartari in aqua urticæ cum syrupo dialtheæ edulcorata assumptos, nec non spiritum lumbricorum, Sale volatili succini impregnatum, decoctum Teè pluribus affectibus à diuturniore obstructione oriundis accommodatum. Nonnunquam Antimonium diaphoreticum & alia exhibent sudorifera, materia priùs ad fluorem disposita, ut magis adhuc attenuetur & resolvatur, & hac de causa etiam externa in usum ducunt remedia, uti sunt unguentum de althea, unguentum Agrippæ cum camphora & sulphure

trito,

trito, Unguentum Spleneticum *Mynsichti*, emplastrum mitigativum & emollens ejusdem, emplastrum griseum Antimoniale *Ang. Salæ*, empl. mucilaginum *le Mort*, Spiritus gum. Ammon. Spir. Salis Armoniaci, matricalis *Blancardi* oleum galbani, Philosophor. Terræ, camphoræ, aliaque penetrantia, multas particulas volatiles per poros continuò in sanguinem mittentia, & motum succorum promoventia.

Vlcera. *Exulcerationes* viscerum horum omni tractant studio, cùm morbi sint curatu admodum difficiles, hinc si post inflammationem suppuratio subveniat, & discutientia nullum ulteriùs habeant locum, ipsam suppurationem promovent emolliendo fibras acinorum & glandularum, ut succis corruptis faciliùs cedere eorumque fermentationi locum dare valeant, simulque fortiores spiculæ hebetentur, adeoque vel decoctum propinant ex radicibus chinæ & liquiritiæ, cum herbis agrimon. malu. summitat. absinth. & caricis paratum, vel misturam sequentem:

℞. *Aq. Chamomill.* ℥ i ß.
Malv. ℥ j.
Essent. agrimon. ʒ ij.
Spir. terebinth. ℈ ß.
Tinctur. Croci ℈ j.
Syr. de Alth. ʒ v.
Absinth. ʒ iij.
M. d. cochleatim.

Exhibent etiam aliquando oleum amygd. dulc. cum oculis Cancrorum, Spermate ceti, & Sale absinthii in jusculo calido. Topica foris adhibent forma linimentorum, emplastrorum aut cataplasmatum emollientium aliunde jam cognitorum, & post abscessum vel sponte diruptum, vel instrumento apertum, materia purulenta vel per vomitum, secessum, urinam, aut etiam effluxum per vulnus artificiale evacuata, abstergentia exhibens ex decocto rad. apii, acetos. petroselin. herb. agrimon. fragar. centaur. min. parietar. in hydromelite parato, aut pulveres absorbentes ex ebore usto aut Philos. pp. ocul. cancrorum, Antimonio diaphore. Sacchar. Saturni, Sale succini, vel trochiscos de carabe, presertim in ulcere Renum, in quo etiam trochiscos de Alkekengi cum reliquis approbare solent, & pro meliori mundificatione Tincturam succini cum spiritu terebinthinæ commendant, aut sequentem essentiam in potu ordinario ad guttulas xx. vel xxx. suadent exhaurire;

℞. *Essent. Hyperic.* ʒ ii ß.
Ocul. cancrorum ʒ i ß.
M.

Ad consolidationem utilem dicunt essentiam Plantag. *Ang. Sal.* Tincturam myrrhæ cum Tinctura Alkekengi usurpatam, nec non species diaplantag. *Mynsichti*, aut sequentem mixturam cochleatim propinant.

℞. *Aq. Veron.* ℥ j.
Alchimill. ʒ vj.
Calcis vivæ ʒ ij.
Tinctur. Antimonii ʒ j.
Myrrh. ʒ ß.
Syr. de Symphyt. Fern. ℥ j.
M.

Emplastrum diapalmæ, de gratia Dei, aut aliud quoddam consolidans regioni visceris exulcerati foris imponunt, ut curatio eo faciliùs impetretur.

Vulnera. *Vulnera* ipsis hisce visceribus inflicta, modò non sint nimis penetrantia, nec cum contusione aut vasorum majorum dissectione conjuncta, tractare incipiunt imponendo externæ plagæ epithemata tepida ex maceratione herbarum vulnerariarum sale volatili prægnantium in spiritu vini, vel solo linteo in spiritu theriacali camphorato immerso, & postmodum balsamum *Locatelli* instillant, aut cum turundis insinuant, & emplastrum stypticum imponunt, internis tamen curationem ipsorum viscerum diligentiùs peragunt, exhibendo pulveres particulas acutas absorbentes, & hac ratione acescentiam aut congrumationem succorum evasatorum prohibentes, ex mumia, oculis cancrorum, myrrha, spermate ceti, coralliis ppebore Philosophicè præparato, tum balsama consolidationem promoventia commendant, Balsamum Peruvianum, de Capaiba, Jacomo de Pinto, sulphuris terebinthinatum, nec non Tincturas vel essentias traumaticas, hyperici, plantaginis, Symphyti, vel mixturam sequentem.

℞. *Aq. Veron.* ℥ i ß.
Millefol. ℥ j.
Tormentill. ʒ vj.
Equiset. ℥ ß.
Tinctur. Hyperic. ʒ iij.
Mum. ʒ i ß.
Balsam. Sulphuris terebinthinat. ℈ j.
Syrup. de Hispidula ʒ vj.
Veron. ℥ ß.
M.

Pilulas de terebinthina, succino, mastiche, saccharo Saturni, & trochiscos de AlKeKengi in Renum vulnere singulariter æstimant proficua.

Nostra cura in Hepatis, Lienis & Renum Scirrho. §. 19. Ut ex tot Authorū labyrintho nos extricemus nostram crisin addere libet. Rejicimus ergo cum aliis prudentioribus Venæsectionem, quia hac celebrata non video, quomodo obstructio ista scirrhosa tollatur, potiùs emissis adhuc volatilioribus particulis sanguinis reliqua massa spissior remanebit. Similiter rejicimus purgantia ista sæpius exhibita, quia particulæ purgantis rarò eò pertingunt, sed potiùs in sanguine poros magis invertunt & malum augent; si quid verò obtinendum in cura, hoc per medicamenta incidentia, attenuantia, & hinc diaphoretica & diuretica fieri debet, & propterea optimè ab Authoribus in affectibus hisce *Scirrhosis Hepatis, Lienis* ac *Renum* commendantur decocta ex ligno Guajaceo, corticibus radicum capparum, fraxini & Tamarisci, radicibus salsæparill. chinæ, herb. scolopend. ceterach, &c. quæ pro partis affectæ variatione eligenda sunt, iisque aliquando interponi possunt sudorifera ex salibus & mineralibus, quæ sub inde repetenda sunt, quia non una vice sed lenta digestione obstructiones hæ & scirrhi resolvi possunt, nec nimis sicca sint remedia & calida, sed simul acidum temperantia & viscidum incidentia, quia in scirrhosis hisce tumoribus omnes ferè humores sunt spissi & tenaces. tutò tamen in hunc finem usurpari potest Tinctura Antimoni volatilis sequenti modo parata.

Sulphuris aurati, vel
Antimonii crudi q. pl.
Liq. Sal. Nitri fixi q. s.
F. l. a. Tinctura.

Hanc rursum extrahe Sale volatili Tartari, vel C. C. vel alio soluto in Spiritu dicto, sed forti, & hæc Tinctura etiam Sal volatile exhibet oleosum minerale.

Salia volatilia blandiora, ut viperarum, C. C. magni usus sunt, hinc in aulis jam usu receptum, ejusmodi sale volatili in mensa uti, & certè cum maximo commodo sanitatis. Interponi etiam possunt fixiora quædam, ut Antihecticum *Poterii*, Antimonium diaphoret. bezoart. minerale, cum Sale card. bened. ar cano duplicato, sale centaur. min. tamarisci.

Per diuretica sepe materia obstruens viscida evacuari potest, in quem finem pro varia ægrotorum dispositione diversæ speciei commendantur remedia, ut sunt acidulæ Martiales, vel alia Martialia Chymica, ut Crocus Martis aperitivus, vel sequenti modo parata Tinctura Martis, cum Sale essent. Tartari.

℞. *Salis essent. vini* ℥ vj.
Liquetur super cineres, adde
Vitrioli Martis ℥ iij.

Mixta vertantur in pulverem, quem in patina sine, donec ab aere ruber fiat, hinc Tinctura fiat cum Spiritu vini, vel aqua cinamomi spirituosa.

Salina quoque spirituosa non sunt contemnendi usus, ut Spiritus Salis Nitri subdulcis, arcanum duplicatum, Spiritus sal. Armoniaci, Junip. Spiritus confortativus n. d. omnia quoque Tartarea conveniunt, ut sunt Spiritus & Oleum Tartari, cremor Tartari, Sal Tartari, arcanum

num Tartari nostrum, sic & vinum Tartarisatum prodest, nec non silices albi venis flavis aut rubris respersi, candefacti in vino exstinguuntur, & vinum hoc potum opem sæpiùs attulit. A quibusdam commendatur decoctum ex urtica mortua cum vino factum, in Lienis Scirrho ab antiquioribus etiam adeò æstimatum.

Sed externè etiam hostis ille sæpe simul aggrediendus est, ut citiùs superetur; conveniunt ergo linimenta, in quibus cera abesse debet, quia alias pori obstruuntur, unde magis commendantur liquores volatiles ex Tinctura croci, Spiritu Salis Armoniaci volatili parati, interdum aqua calcis vivæ pro fomento potest adhiberi, quam æger tepidè cum spongia admovere debet. Alii commendant emplastrum è succo cicutæ aut mandragore cum gummi Ammoniaco, sed sequens nostrum emolliens egregii erit usus.

♃. *Ceræ flav.* ℔ iß.
Ol. Olivar. ℔ ß.
Gumm. Galban.
Ammon. aa. ℥ ij.
Flor. chamomill. ℥ j.
Sem. cumin. ℥ iiij.
Rad. Irid. Flor.
Bacc. lauri aa. ℥ iß.
Ol. menth.
Sabin. aa. ℥ ij.
Camphor. ʒ iij.
M. F. Emplastrum, quod valde resolvit & discutit.

His nihil juvantibus ægri domi diutiùs defixi ad thermas nitro-sulphureas ablegari possunt, quæ vi sua volatili, & à quibusdam balsamica vocata, sæpe has reserant obstructiones rebelles, ceu aliquot novimus exempla: præ aliis autem commendamus Embsenses & Carolinas, in quibus non modò duriores corporis partes emollientur, sed ex conversatione aliorum & loci mutatione animus exhilarabitur, & spiritus torpidiores excitabuntur; pro pauperibus tamen, quibus hujusmodi non licet adire Corinthum, artificiales parari poterunt ex herbis, mineralibus, aliisque convenientibus, quæ minori pretio adhibebuntur, & de virtutibus earum & ipsi ægri, & Medicus esse possunt certiores, facileque ad præsentem scopum dirigentur, & operatio earum intendetur aut minuetur, prout ægrotis commodum erit, quod in aliis ab igne centrali è terra propulsis non æquè permittitur, nisi aliis herbarum decoctis permisceantur, nec Medicus semper investigare valet, quibus particulis, & quo pondere singulis diebus eæ sint imbutæ, certum enim est nobis, sæpiùs eas mutari, & particulas minerales per varios motus, sicque mutuum in se invicem occursum, varias aliquando nancisci figuras, & nonnullas in motu esse præcipiti, quo tempore venenosam potiùs, quàm balsamicam exercere poterunt operationem.

In Vlcere.

Si quando contigerit, ut post suppuratam inflammationem & ruptum abscessum in *Hepate*, *Liene* vel *Renibus*, ob particularum acidarum acrium corrodentium in iisdem dominium, exortum fuerit *Vlcus*, curatio ejus admodum existit difficilis, etenim materia purulenta nec commodè potest evacuari, nec ulcus debitè detergi & mundari; qua propter *Severinus* & alii quidam Authores è regione ulceris abdominis instituerunt incisionem, ut per vulnus hoc effluat pus & sanies; at incisio hæc vix locum solummodò habet, si abscessus in parte gibba Hepatis aut superficie viscerum externa fuerit ruptus, & in ea ulcus sit patulum, & tunc injectiones etiam fieri solent per syphones in ipsa ulcera ex decoctis aliisque liquoribus abstergentibus, mundantibus & vulnerariis; sed ulcere existente aut ostium habente in concava & interiore parte, incisio ista absque commodo instituitur, vix enim audebit Chirurgus ipsa hæc viscera in parte saniore & integra pertundere, ut puri alius exitus paretur, cùm metu excitandæ fistulæ non careret. Eapropter in Ulceribus viscerum horum interioribus remedia internè potiùs exhibenda, & materiæ purulentæ per portam spontè inventam exitus est facilitandus, imminuta simul ejus acrimonia, quod pulveribus ex oculis cancrorum, Spermate ceti, & Sale Tartari vel absinthii, decoctis abstergentibus ex rad. fœnic. apii, cichor. filicis, herb. chærefol. heder. terrestr. centaur. min. malv. &c. in hydromelite paratis, & enematis blandioribus præstatur, si per vasa choledocha pus in ipsa ruat intestina, & per alvum quærat effluxum; vomitu verò si rejiciatur, juscula pinguiora cum oleo amygdalarum dulcium crebriùs sunt exhibenda, ut vomitus ille promoveatur, nec æger nimiùm fatigetur aut debilitetur, aliàs enim vomitu existente difficili, conatu vehementiore viscera erosa latiùs adhuc rumpuntur, & vasa iis adhærentia majora dilacerantur, unde effuso liquore vitali, ægroti de vita ipsa maximè periclitantur. Per ureteres non modò è Renibus, sed aliis etiam visceribus sanguini refluo priùs communicata si effluat cum urina, aut loco urinæ materia ista purulenta, diuretica dentur excretionem hanc promoventia, qualia sunt decoctum radic. personart petroselin liquirit. herb. parietar. chamædr. fragar. veron. bacc. Junip. serum lactis, emulsiones sem. melon. cucurb. nucleor. persicor. cum aquis fragar. chærefol. agrimon. & parietariæ paratæ, succus hederæ terrestr. liquor terræ foliat. Tartari, Tinctura succini, Spiritus terebinth. lumbricorum. Si stranguriam pus efficiat fibrasque irritet, conducet emuls. ex sem. 4. frig. maj. violar. c. Aqu. fœnic. cherefol. adject. ocul. cancrorum, sacchar. Saturni, syr. dialth. Post evacuationem hujusmodi puris aliqualem ad abstergentia fortiora pergendum, nec non mundificantia, & tandem vulneraria & consolidantia, ex quibus sequens decoctum singulari cum commodo adhibebitur.

♃. *Rad. aristol. rotund.*
Caryophyllat. aa. ℥ iij.
Chin. ℥ ij.
Salsæparill. ℥ iß.
Herb. agrimon.
Veron.
Heder. terrestr.
Ophiagloss.
Centaur. min.
Chamædr.
Flor. seu summitat. bugul.
Hyperic.
Rosar. aa. Pß.
Rasur. lign. sassafr. ℥ j.
Glycyrrhiz. ℥ iij.
Sem. hyper.
Plantag. aa. ℥ iß.
Coq. in aq. simpl.
Colatur. ℔ iß. *add.*
Essent. ocul. cancrorum ℥ ij.
Syr. capill. Veneris,
Veron. aa. ℥ ß.
M. Sumatur pro lubitu.

Ut ægri absumpto hoc decocto magis corroborentur, electuaria exhiberi possunt, quæ simul ulcus mundant & sanant, quale sequens monstrat formula.

♃. *Conserv. Heder. terrestr.*
Rosar. aa. ℥ ß.
Veron. ℥ iij.
Tormentill.
Rad. enul. condit. aa. ℥ ij.
Oc. cancrorum pp. ℈ ij.
Ebor. Philos. pp. ʒ ß.
Antibect. Poter. ℈ j.
Succin. alb. pp.
Salis Tartari aa. ℈ ß.
Ol. d. meliss. gt vj.
Syr. Scabios q. s. *ut F. s. a.*
Electuarium.

Renum Vlceribus conuenit conserva florum ononidis & confectio terebinthinata *Mynsicht*; trochisci de Alkekengi, *Gordonii*, Pilulæ *Barbette*. Nec adeo temnenda est cura lactis pro ulceris jam mundati repletione & glutinatione, sed ab hac sola sæpiùs ulcerum horum sanatio felicissimè clauditur, si singulis diebus manè & vesperi lac caprinum cum melle rosaceo & guttulis aliquot essentiæ mille folii cum tertia parte spiritus terebinthinæ

binthinæ mistæ exhibeatur. Potui ordinario sequens Tinctura instillari potest,

℞. *Tinctur. rosar.* ℥iij
Hyperic. ℥ij.
Sulphuris Vitrioli ʒß.
Essent. agrimon. ʒiß.
M. Dos. gutt. XXX. vel XL.

Externa quamvis lento gradu procedant, & internis hoc in casu æquiparari nequeant, eorum tamen auxilium non omninò habendum est frustraneum, præsertim in ulcere Renum, in quo balnea & insessus approbantur ex decoctis vulnerariis & lenientibus parata, herbis nempe malvæ, agrimoniæ, plantaginis, millefolii, marrubii, foliis salicis, floribus Chamomillæ, Lysimachiæ, hyperici, semine fœnigræci, &c. quibus subjungantur linimenta ex unguento Apostolorum, vel oleo hyper. mastich. cum sang. dracon. myrrh. sevo hircino & oleo terebinthinæ, vel imponatur emplastrum ex terebinthina, gummi elemi, mastiche, sanguine draconis & myrrha cum oleo hyperici paratum.

In Vulneribus. *Vulnera Epatis, Lienis* ac *Renum*, quatenus viscera sunt nobiliora, curam exposcunt accuratiorem, quàm aliarum externarum partium carnosarum, hinc sæpe internis medicamentis vulnerariis res meliùs peragitur, quàm solis externis. In *Vulneribus Hepatis* semper ad hæmorrhagiam sistendam respiciendum est, quia, ut antè dictum est, magna vasa sanguifera in Jecinore conspiciuntur, quibus apertis hæmorrhagia oritur vix ullis cedens remediis, etiam si maxima illa non lædantur; statim ergo in his vulneribus exhibeantur sanguinem congrumatum dissolventia & simul vasa aperta consolidantia, quapropter conducent oculi cancrorum, Antimonium diaphoret. mumia, lapis Irlandicus, hæmatites, bolus Armen. terra sigillata, Essentia vulneraria, quæ internis in viscerum vulneribus mira præstitit, in vulneribus pectis jam descripta. In hæmorrhagia maxima detur sequens Tinctura adstringens.

℞. *Olei Martis* q. v.
Spiritus vini non rectificat. p. vj.
Digere, decanta, & in B. inspissa; adde ad part. IV. part. I. *Tinctur. Catechu & partem* VI. *Tincturæ anodynæ cum solo spir. vini rectificat. paratæ ex crudo opio, & ol. cinamomi guttulis aliquot*. Dosis est à guttulis vj. ad xv.

Succus bellidis intrò assumptus non parum etiam proderit. Injectiones ex decoctis vulnerariis instituantur, & uulnus externè commodè deligetur, imposito prius emplastro styptico *Crollii*, aut oppodeldoch *F. Vuurtzii*, quibus curatio ista dextre absolvetur,

Eodem ferè modo *Vulnera Lienis* solent curari.

Sauciatis quoque *Renibus* occurrendum est vulnerariis hæmorrhagiam sistentibus, urinæ suppressionem præcaventibus, & tandem abstergentibus, mundantibus & consolidantibus, magnique æstimamus oculos cancrorum cum mumia & mastiche mixtos, & pulveris forma exhibitos, eorumque essentiam cum Tinctura Hyperici guttatim assumptam. Probantur etiam decocta vel infusa vulneraria ex agrimonia, hedera terrestri, veronica, millefolio, pyrola plantagine, summitatibus & semine hyperici, ligno lentiscino, xylobalsamo, radic. aristolochiæ, tormentillæ, consolidæ. Sanguinem congrumatum ureteres obstruentem & urinæ transitum denegantem sequens resolvet pulvis.

℞. *Ocul. cancrorum* ℈ij.
Sem. hyperic. ʒß.
Sperm. cet. ℈ij.
Succin. pp. ℈ß.
M. F. Pulvis.

Balsamus de Capaiba ad gutt. iiij. in jusculo exhibitus mundationi & glutinationi vulneris optimè prospicit, cui subjungi possunt tinctura mumiæ, hyperici, traumatica, alkekengi, & sequens mistura cochleatim præbenda.

℞. *Aq. Millefol.* ℥j.
Veron. ℥vj.
Tinctur. AlKeKeng. ʒß.
Hyperic. ʒiij.
Essent. agrimon. ʒij.
Spir. mastich. ʒj.
Syr. de Symphyt. ℥v.
Corall. ʒiij.
M.

Vulnus externum topicis quoque studiosè tractandum est, injectionibus primò abstergentibus, mundantibus & consolidationem faciliorem parantibus, ex decocto saniculæ, millefolii, equiseti, polygoni, radicum liquiritiæ, tormentillæ, symphyti, mastichis, olibani, in vino, cui additur succus plantaginis, mel rosarum, & bolus Armenus. Injectionibus hisce subjunguntur linimenta aut balsama ex oleo terebinth. abietino, vulpino, seminis hyperici expresso, momordicæ, unguentum nobile *Mynsichti*, vel sequens à *Barbette* compositum linimentum.

℞. *Ren. pini* ℥iij.
Ol. laurin.
Terebinth. aa. ʒß.
Gumm. Elem. ℥ij. ʒij.
M. F. linimentum.

Ad perfectam usque sanationem & vulneris occlusionem emplastrum stypticum *Crollii* aut *Mynsichti* imponitur & cura vulneris hujus in totum absolvitur.

CAPUT V.

De Vesicæ Inflammatione, Fistula & Vulnere, item Meatus urinarii Angustia, & Imperforatione.

§. I. AB affectibus Hepatis, Lienis ac Renum transitum ad *Vesicæ urinariæ* morbos faciemus, qui sunt *Inflammatio; Fistula & Vulnera*, iisque ob proximitatem simul addemus *Meatus Urinarii Angustiam & Imperforationem*, quos affectus ordine nobis semel proposito examinabimus.

Vesicæ Inflammatio. *Vesicæ* ergo *Inflammatio* describi potest, quòd sit tumor partium ejus maximè carnosarum, tum etiam membranosarum dolorosus, igneus, à succo arterioso in easdem evasato, poros obstruente, & partes vicinas simul distendente.

Fistula. *Fistula Vesicæ* est ulcus angustum & profundius in collo Vesicæ à succis evasatis acescentibus productum, dum tubuli non modò partium carnosarum eroduntur, sed succi corrupti & particulæ carneæ derasæ commixti circa ulcus in scirrhosam & callosam duritiem coagulantur.

Cancer. Aliquando Vesicam etiam Cancer occupat, prout tale exemplum in mercatore quodam Brabando & in muliere habet *Stalpart. Obs. rar. Cent.* I. *Obs.* 88. qui nihil aliud est, quàm glandularum Vesicæ sphacelus, post fistulas majorem corruptionem inducentes subortus, cujus sævitia vicinas quoque partes sæpe depopulatur.

Vulnera. *Vulnus Vesicæ* describitur, quòd sit partium vesicam constituentium dissolutio à re violenta producta.

Meatus urinarii Angustia. *Meatus urinarii Angustia* est ejusdem à rebus duris vel tumoribus, vel scirrhis, obseratio, urinæ suppressionem inducens.

Imperforatio. *Imperforatio* ejusdem meatus est, quando vel in totum nullus adest canalis, per quem urina effluere possit, sed corpus penis & ostium vesicæ colli in penem solidum est, aut introitus vel exitus meatus illius membranula quadam obductus est, transitum liquori modò nominato & semini prohibente.

Partes affectæ. §. 2. *Partes affectæ sunt: a. Vesica Urinaria*, infima abdominis parte, intra peritonæi duplicaturam collocata intra cavitatem, quam os sacrum coxæ & pubis consti-

constituunt, quæ veluti marsupium quoddam est, in quod defertur urina hominis à sanguine in renibus utplurimùm separata, estque illa rotunda & oblonga instar pyri & tunicis tribus combinata, cujus inferior cavitas quibusdam videtur glandulosis acinis incrustata, ex quibus glandulis an urina secernatur, nondum satis liquet. Interea rei hujus recensio ad ipsam urinæ viam, de cujus ortu & constitutione hodiedum inter Medicos lis est, me deducit. Dn. *Bruen* putat in vesica adesse poros foris intrò spectantes: & revera per glandulas minusculas, vel per poros foris intrò spectantes urinam in vesicam stillare, plurimis experimentis inductus hucusque credo, & nisi omnis, potior tamen pars à sanguine in renibus separatur. Collum seu cervix Vesicæ cingitur musculo ex fibris circularibus validisque constituto, sphinctere dicto, quo ne urina semper exstillet, vesicam constringat, & hoc collum viris magis oblongum est, quàm sexui sequiori. Omnis generis vasa recipit, & tribus constat tunicis, quarum prima nil aliud est, quàm peritonæi productio, quæ totam ejus externam superficiem ambit. Ex fibris tendinosis diversimodè intertextis est constituta. Media ex fibris carneis est composita, quarum triplex numeratur ordo. Primus est crassarum quarundam fibrarum vesicę anteriorem partem accurrentium, & quæ recta linea à fundo ejus ad collum usque deferuntur. Secundus est fibrarum, quæ vesicam circulariter cingunt; & tertius circularibus suppositus constat ex fibris, quæ priores obliquè secant, à dextra ad sinistram tendentibus, à vesicæ fundo ad collum usque, & transversales dicuntur. Tunica interior conflata est ex fibris tendinosis, ita constructa, ut illius textura nunquam detegi potuerit. Cùm vesica non tumet, in totum est rugosa, & interior ejus superficies mucilagine semper oblinita. Constat ergo ex hisce, vesicam esse musculum concavum, cujus tunica interior & exterior sunt tendines, & media venter.

§. *Meatus* Urinarius, *Celso* Fistula urinæ, & communiter urethra vocatus, carnalis est per universam inferiorem penis partem secundùm longitudinem in medio corporum nervosorum productus, eadem cum illis dotatus substantia, nervosa nempe, laxa, densa, rara & molli, à cervice vesicæ tanquam longior aliqua cervix, & principio excepto, ad quod paulo capacior & crassior animadvertitur, ejusdem ad glandem usque amplitudinis. A reliquo penis corpore in eo maximè differt, quòd corpus nervosum in pene seu cole crassius sit & fungosius, in canali verò tenuioris substantiæ. Distinguitur quoque canalis hic in partem spongiosam & membranaceam. Pars spongiosa inferiori ejus parti copiosa adjacens, & propter fibras tenuiores & copiosiores minores habens poros, membrana tegitur, quàm corpora nervosa tenuiora & fibris transversis pluribus aspera, quæ inflata digiti obtinet crassitiem, glandem verò approperans magis magisque attenuatur, donec tandem in glande obliteretur. Hæc quoque pars spongiosa inflatis corporibus nervosis statim intumescit, flaccescentibus verò illis delabitur, hocque singulare corporum horum indicat commercium, multumque ad penis erectionem promptiorem contribuit. Pars membranacea interna teres est & cava, quæ propriè à cervice, cui conjungitur, at non ab ea nascitur, incipiens, & ad glandem usque porrecta, eamdem tegere videtur, ad sensus vigorem augendum. Ubi glans cum nervosis corporibus jungitur, ibi superficialem quandam habet cavernulam, ad principium verò tria patent foramina, unum in medio, aliorum duorum respectu majus ex vesicæ cervice prodiens, prope quod alia duo, utrimque unum, sunt angustiora, à ductu, qui à vesiculis seminariis exit, semenque in canalem defert, prodeuntia. Dum urethram hanc contingunt & amplectuntur corpora penis, sub quibus ponitur & unà cum iis reflectitur, atque ad glandem inde exporrigitur, figuram litteræ S præsentare solet. Canalis hic & urinæ & semini communi quodam officio efferendis inservit.

§. 3. *Inflammationem Vesicæ* comitari solent tensio partium vicinarum, item durities, ardor & dolor in regione vesicæ & pubis, urinæ impeditus fluxus, tenesmus, febris, vigiliæ, deliriū, quæ omnia majora vel minora, prout nempe inflammatio vel major vel minor, nec non partes vel membranosas, vel carnosas affecerit. *Diagnosis.*

A Vesicæ cervicis in utroque sexu *Exulceratione* non duntaxat purulenta mictio provenit, sed etiam aliquando puris aliqua citra mictionem excretio, maximè si in cervicis vesicæ anteriore parte ulcus resideat, è quo si sordidum fiat, magna sæpe puris copia proficiscitur, mucosa ergo illa materia utplurimùm urinæ permista excernitur; aliquando apparent squammæ & ramenta, &, si gravis & consummata est exulceratio, gravis fœtor adest in urina. Dolor sæpe adest gravis in pectine & pede: quoties ægri mingunt, dysuria adest, sæpe & tenesmus & membri virilis erectio. Si pus præcedat urinam, & aliquando absque urina effluit, vitium in pene est, si verò talia cum urina permisceantur, in vesica vel renibus malum est.

Si Sphincter vesicæ, qui urinæ effluxum cohibet, uulneretur, adest involuntaria mictio, prout in sectione ad calculum è vesica extrahendum, vel dilaceratione colli vesicæ in mulieribus sæpe accidit, ut licet vulnus sanetur, mictionem tamen, ob læsionem & dilacerationem musculi fibrillarum, differre, & urinam diutiùs retinere nequeant.

Sic quoque à vulnere vesicæ, urinæ effluxus per viam non destinatam sæpe fit, prout non duntaxat in lithotomia, uti jam dictum, sed & si illi alio modo vulnus maximè per abdomen infligatur, accidit. Sicuti circa inguina è vulnere in sectione sarcoceles causa suscepta, læsa hoc quoque casu vesica, cuidam urinam prosiliisse, & jam per multos annos ex eodem loco promanasse, nec per virgam ampliùs reddi observavit *Platerus*, qui & juxta pubis ac lumborum regionem è vulnere cornu bovis homini inflicto, corpusque illic penetrante & per vesicam adacto, urinam similiter utrimque profluxisse notavit.

Angustia meatus urinarii & *Imperforatio* facilè ipso visu, styli exploratione & urinæ omnimoda retentione cognosci possunt.

§. 4. *Causam* Vesicæ *Inflammationis* statuunt *Galenici* sanguinis ad eam affluxum nimium, ob intemperiem ejus calidam, aut immoderatum ejus dolorem vel calorem attractum, & vel in membranosa, vel in musculosa ejus parte tumorem illum tendentem pulsantem & dolorosum producentem; sin alii humores pro facultatis coctricis & expultricis habilitate alliciantur, diversas intemperierum cum materia, & tumorum species in vesica volunt excitari. *Æthiologia morborum secundùm Galenicos.*

Ulcera & Fistulas Vesicæ inducere dicunt humores acres erodentes & putridos aliunde ad vesicam confluentes; calculos asperiores homine se agitante circa orificium vesicæ confricatos, unde carnosa ista pars facilè excorietur; cantharides, aliaque medicamenta aut venena acria assumpta vesicam erodentia, aut instrumenta quædam minùs dextrè adhibita, quibus collum vesicę comprimatur, claudatur, & urinę transitus impediatur, quæ postea acrior reddita, partem ista exulceret.

Vulnera Vesicæ cum aliis partibus adjacentibus ab externis inferri fatentur, uti sunt tela, gladii, ictus, aut alia instrumenta Chirurgica, vel studio pro exscindendo calculo, vel ex imperitia ineptiùs in vesicam intrusa.

Meatus urinarii *Angustiam*, tum in collo vesicæ, tum ipsius urethræ produci statuunt, vel à tumoribus temporis tractu ex humoribus eò confluentibus pronatis, intemperie partis frigida & sicca, remediis adstringentibus vel interiùs, vel exteriùs adhibitis, sanguine concreto, humore crasso & viscido, materia purulenta crassa, calculo vel arenula, caruncula post gonorrhœam vel ulcus circa cervicem vesicæ aut in ipsa urethra progerminante, abs quibus omnibus meatus hic obstruatur & angustetur.

Imperforationem Meatus urinarii ipsis adscribunt naturæ exordiis, dum ob errorem aut debilitatem facultatis plasticæ carnalis hic non satis fuerit elaboratus.

§. 5. *Paracelsus* tres quidem communes *Vesicæ* mor- *Paracelsi.*

morbos proponit, Calculum nempe, Exulcerationem & Putrefactionem, possunt tamen ex ejusdem principiis etiam reliquorum ab aliis Auctoribus animadversorum causæ facilè explicari, *Inflammationis* scilicet partis hujus causam deducendo à sale sanguinis, vel sanguine è vasis suis in vesicæ substantiam effuso & corrupto, sicque apostemationem ibidem producente. *Exulcerationis* Vesicæ causam ipse adscribit urinæ perędenti quinque vel sex loca, & per ea perfluenti. *Putrefactionem* ejus oriri dicit, quando materia lapidis ex coagulo oritur, & tamen lapidem generare non potest, unde statim putrefactio inducitur. *Vulnera* Vesicæ infligi posse concedit à quovis instrumento scindente aut pungente. *Meatum* urinarium angustari credit à qualibet re obstruente, calculo, excrescentiis carnosis post gonorrhœam; ex ucco nutriente per exesam membranam stillante propullulantibus, pure, sanguine coagulato, aliisque; tum vitio seminis & aberratione Naturæ, quam potentem Deam cum aliis admittit, præsertim in totali hujus canalis *Obturatione* in matrice fœtui oborta, in qua Naturæ isti aberranti totum hoc vitium putat adscribendum.

Helmontius. §. 6. *Helmontius* Vesicæ *Inflammationem* excitari credit, dum cuspis calculi eidem infigitur, vel sal quoddam fixius Archeum irritat, ut cruor regioni læsæ proximus accurrat primus, aliique sanguini affluenti transitum præripiat, unde hic subsistens ratione spiritus sui vitalis incalescat, & tumorem in parte hac pulsantem & dolorosum producat.

Ulcera & Fistulas Vesicæ frequentiùs contingere putat ab urina salsiore vesicam assiduò perlabente, vel propter calculum meatum occludentem diutiùs ibidem morante, aut ab acido quodam in urina occulto vesicā similiter erodente; quin è calculo nimis acuto vesicam etiam vulnerari posse internè concedit, uti ab externis telis & instrumentis variis, sive læsio hæc fiat studio & animo juvandi, quanquam minùs sæpe feliciter, ut in lithotomia, sive animo nocendi, aut ex improviso, sicut varia infligi etiam huic parti possint telorum genera.

Meatum urinarium aliquando obstrui docet à muco, quem vesica à calculo obsessa ploret, aliquando à carunculis post gonorrheam productis angustari, nonnunquam à membranacula quadam ex errore Archei plastici in utero pronata obduci, vel canalem ex eodem errore totaliter interdum abesse.

Vuillisium. §. 7. *Vuillisius* Vesicæ *Inflammationem* oriri vult à particulis sanguinis sulphureis, in vesicam ob alias quasdam causas antecedentes & proritantes copiosiùs illatis & in ea accensis, quales causas antecedentes esse dicit ictus, contusiones, calculum, vulnera, à quibus & partes vesicæ membraneæ valde irritari, & liquores ad vesicam confluentes corrumpi possunt, præsertim verò particulis salinis asperioribus urinæ se se particulis istis sulphureis immiscentibus, & vi sua penetrativa iisdem poros aperientibus, ut ita faciliùs in partes vesicæ introducantur, & hanc inflammationem eo citiùs ob causas istas induci statuit, quando sanguinis dispositio præexistat biliosa, & copiosis constet particulis heterogeneis, cum cibo & potu interdum illatis, si cibus nimis sit salsus aut aromatibus conditus, potus verò valde generosus aut acris, & latici urinali citò communicetur.

Ab ejusmodi particulis salinis asperioribus substantiam Vesicæ inflammatam erodentibus *Ulcus & Fistulam* tandem excitari existimat, quæ particulæ aliquando emergunt ex ipsa Vesicæ inflammatione in abscessum versa & suppurante, materia enim purulenta acris membrana vesicæ corrodendo continuitatem ejus dissolvit, & si apto tempore non evacuetur & ulcus mundetur, moram nimiam trahendo acrior reddita cuniculos effodit & Fistulam inducit.

Vulneribus Vesicę communes adscribit causas, instrumenta videlicet externa scindentia, pungentia aut fortiter contundentia, tam altè penetrantia, ut partium non modò vicinarum & circumjacentium, sed ipsius etiam vesicæ unitatem sejungant.

Meatus Urinarii *Angustiam*, & quidem ipsius colli Vesicæ, aliquando oriri statuit, dum sphincter vesicæ spasmodice constringatur, & urinæ transitum impediat, vel collum vesicæ & peritonæum est inflammatum, ita enim ex tumore meatum comprimi, aut canalis iste in processu obstruitur à pituita crassa, calculo aut carunculis seu vesicis post ureterem in gonorrhœa erosum prænascentibus.

Imperforationem Urethræ nec semini nec urinę transitum concedentem itidem, ut alii, vel membranulæ adscribit orificio interno supra collum vesicæ, aut externo super glandem penis annatæ, vel totali cavitatis aut canalis in vesica aut pene defectui, in formatione fętui in utero obtingenti.

Sylvium. §. 8. *Sylvii* ex opinione *Inflammatio* Vesicæ oboritur à sanguine in vasis ipsius, vel ex iisdem intra membranas aut substantiam carnosam effuso stagnante, ut partibus ejus spirituosis absumptis, acidæ & salinæ acres oleosis mistæ calorem accendant, vel etiam ab ipsis partibus salinis & acidis acribus in urina existentibus & vesicam erodentibus, & propterea post ulcera, vulnera aut læsionem vesicæ à calculo inflammationem facilè subsequi docet, siquidem sanguis erosis vasculis citò effundi, & partes salinæ urinæ oleosis illius partibus misceri possint, quæ statim ita in parte hac accendantur.

Ulcera & Fistulas ab utroque hoc, tum salino, tum acido acri erodente originem sumere vult, uti facilè cōtingere possit, dum urina ob calculum viam obstruentē moram diutiùs trahens acescat & acrimoniam acquirat, vel ex inflammatione materia purulenta corrosivitate sua partes vesicæ exedat, vel etiam post vulnus sāguis corruptus aciditate sua vesicam hinc inde erodat.

Vulneris Vesicæ causas admittit res varias acie sua vesicæ continuitatem dissolventibus, calculos in vesica acutos aut asperos, extra eandem verò foris instrumenta scindentia, secantia, pungentia, &c. cum vesica etiam alias partes eandem præmunientes simul lædentia, tum etiam casum & contusionem, ob quas vesica itidem rumpatur, & lotium in abdominis cavitatem effundatur.

Meatum urinarium angustari docet à calculo collo vesicæ impacto, aut carnea ex vesicæ membrana prodeunte excrescentia orificium ejus obturante, aut caruncula circa vesicæ cervicem existente, & in ipsum ejus orificium ob violentam urinæ expressionem eversa, illudque occludente, vel in ipsa etiam urethra nimium excrescente, aut denique ob vesicæ excoriatæ vel exulceratæ coalitum, à quibus omnibus urinæ effluxus impediatur.

Imperforationem Urethræ, sive orificium colli vesicæ aut urethræ exterius in glande per membranulam quandam crassiorem coaluerit, sive nullus efformatus sit in pene canalis, per quem semen & urina effluere possint, vitium esse dicit à primo ortu & homini connatum.

Cartesianos. §. 9. *Cartesianorum* sententia est, oriri *Inflammationem* Vesicæ à succo chyloso per arteriolas ad partis hujus nutrimentum eò defluente, & in extremitatibus arteriolarum aliisque ductibus incrassato, ut diutiùs ibidem stagnare cogatur, & ob stagnationem talem particulas acutas in eo contentas à materia æthereа fortiùs agitari, & partem in tumorem extolli, canaliculos verò à contusione aut compressione quandoque ita angustari, vel ab ulcere aut vulnere discindi, & extremitates eorum corrugari, ut succis transitus denegetur, sed circa crispationes illas fibrarum subsistere cogantur, & tum particulas acutas sive acidas augeri, quæ cum porosioribus sive alcalicis sanguinis commixtæ, & utræque à globulis æthereis pressæ motum intestinum, calorem, & fibras fortiùs ferientes dolorem suscitent. Ejusmodi quoque particulas acutas salsas nonnunquam in urina ob calculum meatum urinarium obstruentem, diutiùs circa collum vesicæ detenta existere, quæ corrodendo, aut à materia æthereа suscitatæ in fibrulas fortiùs agendo canales dirumpant, & stagnationes varias succorum promoveant.

A fortiori & majori ista canalium à particulis acutis, quales interdum cantharides quoq; intrò sumptæ inferre solent, validè agitatis diruptione, & succorum

corum contentorum effusione ipsa etiam *Ulcera* in Vesica produci credunt, in quibus chylus corruptus & multis angularibus particulis præditus, sicque in materiam abiens purulentam, fibras, præsertim in collo & parte musculosa profundiùs destruat, atque circa latera depositus in callosam coaguletur duritiem, unde Ulcus istud redditur fistulosum.

Vulnerari posse Vesicam concedunt à re quavis externa acuta scindente, pungente, perterebrante aut contundente, per partes exteriores abdominis in vesicam usque penetrante; interdum etiam vesicam urina nimis distentam in sublatione oneris gravioris aut casu ab alto diffringi,

Meatus Urinarii *Angustiam* dependere dicunt vel à calculo, vel materia quadam viscida purulenta & glutinosa, vel à caruncu lis aliisque excrescentiis in collo Vesicæ aut urethra pronatis canalem hunc obstruentibus, quarum origo libro proximè sequenti copiosius explicabitur. A tumoribus etiam vesicæ, glandularum prostatarum, aliarumque partium vicinarum, aut spasmodicis sphincteris vesicæ affectibus urethram comprimi, & meatum ejus ita angustari posse, aliis facilè largiuntur.

Totalem Urethræ *Imperforationem*, aut à membranula quadam obductionem in formatione fœtus in utero ideo fieri censent, quòd succus quidam adeò crassus extiterit, ut à succis spirituosis in fistulam elaborari nequiverit, aut in extremitatem carnalis jam elaborati particula quædam crassa depulsa fuerit, quæ per quietem ibidem indurata meatum hunc ita occluserit.

[Iu]xta no[st]ram sen[te]ntiam.

§. 10. *Nostra* ex sententia causa *Inflammationis* Vesicæ est eadem, quæ aliarum partium, quam à sanguine aliisque humoribus arteriosis è vasis suis in poros partium effusis exoriri statuimus, à quibus pori Vesicæ ita obstruuntur, & adeo exigua relinquuntur spatiola, ut non nisi spiritibus subtilissimis per ea concedatur transitus, qui ignita sua dispositione & fulminis instar celerrimè commoti, non modò parti inflammatæ imprimunt ruborem, sed cum impetu in porulos obstructos irruentes, fibrillas lancinando, maximum etiam excitant dolorem. Inflammatur verò rarius Vesica ex causa interna, sed ut plurimum ab externa, v.gr. contusione, aut violento ictu in regione pubis vel lapsu, vel supervenit sectionem calculi, aut quando ex quacumque causa corpus vesicæ laceratur, aut aliquando læditur, fit sæpe quarto die ejus inflammatio, dein gangræna, & intra biduum mors, aut si malum est minus, fistulam perpetuam relinquit. Cantharides denique acrimonia sua rodendo vesicam ad inflammationem disponunt, quia particulæ hæ igneæ facilè accenduntur, quod observationes testantur *Eph. Cur. Ann. 2. p. 186.* ubi ex vesicatorio ex cantharidibus extra apposito Inflammatio Vesicæ fuit oborta.

Ab eodem illo vehementiori impetu in fibrulas partium Vesicam constituentium, & inflammatione jam occupatarum *Ulcus*, & ex hoc tandem *Fistulam* efformari certum est, quatenus ex continua ista pulsatione fibrulæ rumpuntur, à reliquis separantur, & cum humoribus ibidem subsistentibus commiscentur, ut omnis generis particulæ ibidem cumulentur, quæ pus constituunt, cujus particulis subtilioribus absumptis, crassiores ad circumferentiam propulsæ & omni motu destitutæ in callosam duritiem coagulantur, sub qua sinus ille fistulosus fovetur. Huc etiam referenda est tanquam causa, continui illa solutio, dum scilicet ex fibrillis in sectione calculi vesicæ dissectis continuò stillat humor, stillando sibi cavitatem efformans, unde Fistula oritur continuè stillans, quod sæpe fit in lithotomia; quibus subjungenda est urina acris continuò partes hasce vesicæ perlabens.

Vulneris Vesicæ, ut membrorum quorumvis aliorum, est causa & continui partis hujus cum aliis eandē præmunientibus solutio, & divisio facta à vi externa, & cùm pars hæc maximè sit membranosa, hinc fit solutio partium nervosarum, quæ maximè est dolorosa.

Angustia Meatus urinarii oritur à quacumque re obstruente & coarctante, & quidem inter varia illa mala, quæ scortatoribus adulterisque justo Dei judicio obveniunt, jure meritò recensentur carnosæ excrescentiæ, calli & verrucæ, quæ intus in urethra se manifestant, primò qui originem nanciscuntur ex pustulis ulcerosis, unde sensim spongiosa quædam excrescit caro, quæ indurescit, tandem callescit, nec dolorem tantùm maximum ardoremque producit, sed & urinæ impedit exitum. Oritur etiam obstructio Urethræ à calculo vel grumo sanguinis, quod cognoscitur ex eo, quando vulnus vel ruptura præcesserit, vel si jam sanguis cum urina effluxerit. Obstruitur aliquando à pure, vel materia crassa. Fit quoque hæc angustatio à compressione partis adjacentis, ut intestini, parastatarum vel partium aliarum vicinarum prolapsu & inflammatione, vel à scirrho colli vesicæ, unde sæpe detentio urinæ, quæ vesicæ paralysin, & dein gangrænam, sphacelum & sæpe mortem ægris adfert.

Imperforationis Urethræ causa est materiæ spermaticæ in formatione in utero quoad canalem hunc à spiritibus elaborandum, ob crassitiem suam inconsueta distributio, & vel penis soliditas totalis, vel membranæ glandem obducentis continuitas, vel orificii ductus hujus post collum cervicis incipientis connascentia, ob quæ vitia urinæ omnis denegatur transitus.

Prognosis.

§. 11. *Inflammatio*, *Ulcera* & *Vulnera* fundo Vesicæ illata valde periculosa sunt, ast ea, quæ collum carnosum Vesicæ occupant, faciliùs curantur, ob copiam vasorum sanguiferorum & multitudinem tubulorum humores vehentium nutritos. Aliquando quarta & septima die Inflammatio Vesicæ lethalis est, si circa collum inflammatur, nonnunquam suppuratur, & sic accidit Ulcus vesicæ curatu difficillimum. Facta suppuratione ulcus nunc rumpitur intra vesicam, & tunc pus cum urina effluit, nunc rumpitur externè in cavum abdominis, atque tunc aliquando abscessus fit in inguine. Inflammatio Vesicæ quamvis curatu quandoque sit difficilis, faciliùs tamen quàm ejusdem *Fistula* curatur, hæc enim non facilè consolidatur, quoniam urina eam semper alluit & impedit ob acrimoniam suam salinam, quo minùs curetur, urina quoque in Fistulis solet involuntariè effluere.

Ulcera Vesicæ maximè periculosa sunt, & utplurimùm mortem inferunt, facilè enim in gangrænam & sphacelum terminantur. Vesicæ quoque ulcus facilè in anum penetrat in viris, ob partium viciniam, & cohærentiam, sicut & uteri in mulieribus.

Vulnera Vesicæ pro læsæ partis diversitate magis minusve sunt periculosa; nam quando infima pars ejus, quæve prope collum sunt vulnerantur partes, dubitandum non est, dicente *Roonhusio lib. 2. p. 180.* quin sanari possint; nec minùs certum est, circa sphincterem vulnus curari posse, cujus exemplum habet N. Tulpius Obs. lib. 4. c. 29. hinc vulnera cervici vesicæ illata communiter pro non lethalibus habentur, testante *Salmuth. Cent. 2. Obs. 22.* ob hanc rationem, quòd calculi extractio hoc in loco cum euphoria sæpissimè administretur: quamvis non improbabile sit, etiam hæc vulnera, si vasa vesicæ sanguifera majora lacerent, hæmorrhagiam lethalem interdum inducere posse, quale exemplum non ita pridem in milite observavi. Sed fundus membraneus dum vulneratus, à pluribus hactenus hoc lethiferum creditum fuit, authoritate antiquissima inductis ipsius *Hippocratis Sect. 6. Aph. 18.* asserentis, κύσιν διακυπεντ θανατῶδος, i. e. vesicam dissectam habenti lethale esse; & *Morb. lib. 1. §. 3.* idem inquit: Si quis vesica sauciatus fuerit, moritur; & §. 7. Vesica dissecta non coalescit; quale etiam exemplum *Glandorp. Specul. Chirurg. cap. 38.* allegat, & quidem 1. ratione inflammationis, febris & convulsionum mox supervenientium, 2. quod minus commodè applicare liceat remedia, & 3. urina abdominis castitatem repleat: testaturque *Roonhusius p. 177.* fundi læsionem, quàm cervicis, multò esse periculosiorem. Notetur tamen asterisco, vesicæ fundi vulnera aliquando fuisse sanata, aut duntaxat exinde mortem non subsecutam fuisse, qualia exempla *Platerus Obs. p. 849. & 850. Simon Pauli Flor. Danic. part. 2. p. 53. Bauhinus* in *Append. ad Rousset. p. 192. & Vvurtz. Chirurg. part. 2. p. 205.* narrant, quò

quò referenda est observatio 18. Cl. D. *Stalpart*, qui de lethalitate vulnerum horum accuratè disserit. Imo ratio potissima, quam à substantia ejus nervea & membranea communiter adferunt, haud sufficiens est, cùm & fundus vesicæ tunicam exteriorem satis carneam habeat, cujus intuitu etiam hujus vulnus coalescere potest. Cui accedit, quòd fundi etiam maxima pars peritonæo & musculis abdominis contigua cum his coalescentibus facilè coeat, seu communem callum induat. Attamen si symptomata graviora & plura, v.gr. convulsio, deliria, vomitus, &c. oboriuntur, pessimum & lethale est, contrà, si minora aut nulla superveniunt. Vulneribus colli Vesicæ involuntaria mictio accidit, quod quotidiè experimur post lithotomiam, licet enim sanatis vulneribus illis, attamen ægrotantibus sæpe per penem involuntariè effluit urina, quoniam in sectione & extractione calculorum plures fibræ musculi sphincteris vesicæ dissecantur ac rumpuntur. Vulnera verò ipsi substantiæ membranosæ inflicta utplurimum periculosa observata sunt, non modò quia hæc magis dolorifica sunt, & inflammationes atque convulsiones plerumque post se trahunt, sed etiam quia uberiore sanguinis & succi nutritii affluxu destituuntur, & propterea difficillimè consolidantur.

Meatus Urinarii *Angustiæ* curatio est difficilis, & *Imperforationis* fere nulla, si nempe in nativitate fuerit oborta, & totus penis solidus & absque meatu urinario existat, ubi verò vel in glande, vel in vesicæ orificio membranula sit obducta, & recto tempore operatio peragatur, in puerulis illa instrumentis discindi aut perforari poterit. Ubi adsunt verrucæ vel excrescentiæ carnosæ meatum urinarium obstruentes vel angustiantes, curatio aliquando apparet, prout videmus in lue Venerea infectis, qui sępe ab his idoneis liberantur remediis.

Diæta. §. 12. In omnibus his affectibus Aer, quantum possibile, arceatur, præsertim frigidus. Ab acidis & acribus salinis cibis abstinendum est, nam Inflammationes Vesicæ à vini acrimonia productas observavi sæpius, sic & frigidus potus vitetur & crassus, quo nuper Pastor Gallicus sibi maximum accersivit tumorem parastatarum, & subsequentem urinæ detentionem, quam excepit mors. Motus nimius nocet, ob partium harum agitationem, unde & ambulationes diuturniores & equitationes vitandæ. Vigiliæ modum non excedant, aliàs succos in corpore reddunt acriores, & morbos hosce deteriores. Alvi adstrictio tempestivè solvenda, ne intestinis ab excrementis distentis vesica læsa comprimatur & dolores augeantur. Mœror nocet, nocet & ira & excandescentia, abs quibus humores aut ad stagnationem coguntur, aut agitantur, & spiritus aut torpescunt aut irritantur & inordinatè commoventur; sed animus spe potiùs laxandus, & quantum possibile, ad salutarem disponendus est hilaritatem.

Curatio Morborum Vesicæ juxta Galenicos. §. 13. *Curationem* Pharmaceutico-Chirurgicam morborum præsentium ita aggrediuntur *Galenici*, ut in Vesicæ *Inflammatione*, præmisso victu conveniente, ad prohibendum tumoris incrementum humores calidos copiosos & in corpore redundantes evacuent cum aversiones ab ipsa vesica, larga nimirum venæsectione in vena interna utriusque cubiti instituta, pro plenitudine tamen & tolerantia virium patientis; tum uno vel altero die delapso ad aversionem non modò sanguinis à partibus inferioribus aliàs affluxuri, sed in partem quoque jam allapsi derivationem venam in poplite pedis dextri aut talo utroque aperiunt. Hoc facto axiomatis sui memores ac nimiùm tenaces, contraria scilicet contrariis curari, ad calorem febrilem domandum & æstum ab Inflammatione Vesicæ illatum tollendum syrupos exhibent refrigerantes, de endivia, violarum, nymphææ, cichorii, vel per se solos, vel cum decoctis refrigerantibus dissolutos, qua præmissa præparatione ipsos humores calidiores sanguini se immiscentes, adque vesicam ita affectam confluentes laxantibus evacuant, rejectis calidis acrioribus & violenter purgantibus sola adhibentes temperata, quorum numero inserunt syrupum rosarum ex multiplici infusione paratum, cassiam fistularem recenter extractam, electuarium diaprunis sine scammonio, diasebesten, diacatholicon *Nicolai*, & enemata ex herbis emollientibus & refrigerantibus, nymphæa, violaria, lactuca, endivia, malva, additis electuariis modò nominatis parata. Ad eam verò magnitudinem & statum morbo jam profecto, ut nullus præservationi locus ulteriùs existat, ad materiæ inflammationem vesicæ proximè foventis eductionem, digestionem ac dissipationem recta digrediuntur, leviter repellentia ab initio adhibentes, quorum tamen in usu adeò diu nolunt pergendum, ne in parte hac nervosa & exsangui inflammatio vertatur in scirrhum, & proinde locum affectum, sive totum ventrem inferiorem aut inungunt oleo rosaceo omphacino, myrthino, melino, vel per se, vel parato exinde cum lacte & vitello ovi linimento, vel etiam linimento ex cassia recenter extracta, & cum lacte muliebri modò emulso subacta composito, aut vesicæ ipsi infundunt mucilaginem seminis psylli cum aqua hordei aut lacte asinino probe dilutum, vel lac muliebre cum oleo rosarum mixtum, aut calore non admodum excedente oleum amygdalarum dulcium, quandoquidem emollientia & relaxantia totiùs adhiberi posse tandem didicerunt, ut dolor simul leniatur, & urinæ excretio promoveatur, qua ut fotus instituunt cum spongia ex aqua tepida; cui tertia pars olei communis, aut seminis lini, aut chamomeli, aut scorpionum addita sit, vel decocto radicum & foliorum althææ, florum chamomeli, meliloti, seminis lini, dauci, fœnigræci, in hydreiæo facto expressa, ex quo decocto etiam insessum parant, sive encalhismum, ita ut liquor ad umbilicum ægri usque pertingat, in quo sedentem ad urinæ excretionem sollicitant, eamque, vesiam manibus comprimendo aut instrumentum aptum in eam demittendo, facilitant, & post insessum cataplasmata mollia & calida imponunt, parata ex farina fabrarum, hordei, seminis lini, sesami, pulveribus radicum & foliorum althææ, foliorum sionis, florum chamomeli, addita quarta parte olei chamomeli, vel scorpionum, vel sesamini; quin ad dolorem leniendum & somnum conciliandum vel papaverina exteriùs apponunt, aut cataplasma ex farina fabarum, foliis hyoscyami & succo mandragoræ compositum adhibent, vel portionem convenientem Philonii Romani, at Requiei *Nicolai* sacchara rosaceo permistam offerunt deglutiendam. Vergente verò Inflammatione ad suppurationem, etiam hanc promovere solent internis & externis emollientibus & suppurantibus, decocto caricarum & passularum enucleatarum ore exhauriendo propinato, pectini verò & perinæo superimposito cataplasmate ex farina althææ, fœnigræci, hordei, caricarum cum melle & albumine ovi parato, tum abscessu inde aperto ulcus abstergunt, carne replent & consolidatione curationem totam absolvunt.

Ulcera & Fistulas Vesicæ ita tractant, ut humores acres ad partem læsam affluxuros temperent, tum victu conveniente, tum syrupis de cichorio, endivia, violarum, glycyrrhizæ, papaverino, in decocto hordei, malvæ, jujubarum, &c. dissolutis, vel emulsionibus ex semine citrulorum aut melonum, deinde eosdem expurgent medicamentis mitioribus, ut manna, cassia fistulari, syrupo rosarum ex multiplici infusione parato, syrupo violarum, electuario diaprunis sine scammonio, diacatholico, enematis ex decoctis lenientibus, in quibus jam dicta electuaria dissolvuntur; & pro majori humorum ab ulcere aversione venæsectionem in cubito dextro interiore instituunt, tantumque sanguis effluere sinunt, quantum morbus & plethora reposcunt, & vires tolerant. Hinc recta ad ulceris detersionem progrediuntur, quam peragunt decocto hordei, in quo mel rosatum fuerit dissolutum, decocto asplenii, foliorum alKeKengi, sive vesicariæ, cicerum nigrorum, lacte asinino vel caprillo cum melle rosaceo, emulsione seminis melonum cum saccharo canthio, exhibitis remediis hisce per os, simulque cum syringa per pudendum in vesicam & sic in ulcus ipsum infusis, hac adhibita diligentia, ne syringa aliisve instrumentis usurpatis aut vesicæ cervix,

cervix, aut penis meatus de novo lædatur: tum ulcere absterso leviter exsiccantia usurpant & adstringentia, inter quæ thermas laudant, Spadanas, Embsenses, Tetucianas, aliasque, nec non decoctum radicis chinæ & ligni guajaci, vel pulveres ex C. C. bolo Armeno, terra Lemnia, spodio, trochiscos de alkekengi, Andronii, in decocto hordei cum glycyrrhiza assumptos, & simul in lacte dissolutos per syringam in vesicam injectos. In *Fistula* unguentum Ægyptiacum in decocto hordei vel alio conveniente solutum, per penem mediante syringa instillant, ut callus absumatur, quod difficulter admodum hoc in casu obtineri posse verentur: si verò ulcus foris sit patulum, & Fistula instrumento attingi possit, vel ferro candente callum exurunt, vel unguento Ægyptiaco & pauco arsenici absumunt. Hoc facto, & reliquo ulcere commodè siccato, consolidationem promovent decoctis vulneribus equiseti, saniculæ, symphyti, rhois, malicorii, balaustiorum, tum assumptis per os, tum injectis in vesicam, vel pilulas ex mastiche, C. C. spodio, lapide Judaico, sanguine draconis, bolo Armeno, Coralliis, gummi Arabico, tragacantho, succo symphyti exceptas porrigunt deglutiendas, & foris pectini imponunt cataplasma ex farina lentium tostarum, malicorio, balaustiis, gallis immaturis, acacia, hypocistide, alumine, posca parum dilutis, aut succo plantaginis & consolidæ exceptis, aut per syringam iniiciunt liquores ex lacte chalybeato, aut succis adstringentibus, in quibus pulvis sit dissolutus ex plumbo usto, cerussa, thure, amylo, spodio, &c. quibus cicatrix inducitur, & ulcus debitè occluditur.

Non absimilem ineunt curationem in *Vulnere* Vesicæ, decocta enim vulneraria jam indigitata simul propinant haurienda, & per syringam instillant, locumque vulneratum pro faciliori impetranda consolidatione inungunt oleo myrtino, hyperici, mastichino, unguento santalino, & tandem emplastrum triapharmacum, Apostolorum, aut ad herniam consuetum imponunt, sique vulnus sit majus, labia artificiosè consuunt, ne ab invicem nimis dilatentur aut distorqueantur, sed convenienter conjungantur, & arcte ita conjuncta fortiùs detineantur.

Meatus Urinari *Angustiam* ut curent, obstacula quævis removent, adstrictionem relaxando lacte tepido, oleo amygd. dulc. decocto malvæ, althææ, flor. Chamomill. glycyrrhizæ, passularum, tum per os assumptis, tum per syringam in vesicam infusis, vel spógia in decocto seminis lini, foliorum malvæ, altheæ, parietariæ, florum chamomillæ, meliloti, &c. expressa, & pubi, pectini & perinæo tepidè imposita, illito postmodum oleo liliorum & scorpionum, quibus intemperies frigida & sicca simul aufertur, tumores verò & inflammationem abigendo ratione superius dicta, calculos & pus eximendo, pituitam viscidam incidendo, attenuando, concoquendo, & detergendo decocto capillorum Veneris, hyssopi, calamenthæ, betonicæ, salviæ, stœchadis, glycyrrhizæ, additis oxymelle squillitico & syrupo hyssopi, vel electuario Justino, diaspolitico & similibus, quibus præparatos humores abundantes phlegmagogis & clysteribus idoneis evacuant, post quæ medicamenta ad ulteriorem desiccationem & materiæ peccantis expulsionem, aquas thermales commendant, vel in harum defectu diuretica, decoctum radicum raphani, oxymel compositum, syrupum de 5. radicibus, de limonibus, terebinthinam, qualia etiam approbant, si ex nimia vesicæ distensione à potu copiosiùs ingesto meatur comprimatur. Excrescentias carnosas post ulcus vel gonorrhœam pronatas absumunt remediis leviter corrodentibus ac detergentibus, alumine, chalcantho, vitro, antimonio, studiosè adustis, melle rosaceo exceptis, & candelæ cereæ extremitati illitis, sicque ad carunculam blandè demissis, repetitis vicibus, donec penitus absumantur, quod antequam fiat, ne urinæ diuturnior retentio gravius apportet symptoma, excrescentias istas deprimunt, & canalem dilatant stylo plumbeo, ut liberiùs urinam stillando emittat. Grumos sanguinis meatum obstruentes dissolvunt rubia, mumia, pulvere ad casum, ut soluti cum urina faciliùs expelli possint, & meatus iste ab iisdem liberetur.

Imperforationem Meatus Urinarii, sive in Vesicæ collo, sive in pene, ut vitium originale & aberrationem Deastræ suæ Naturæ, curatu admodum judicant difficilem, imo in totum incurabilem, si omninò nulla in partibus hisce existat cavitas, aut nullum ejus rudimentum; sin cavitas perfecta membranula quadam obducatur, arrepto pene sinistra manu, dextra cultello aut alio quodam instrumento armata eandem discindunt aut perforant, quam operationem difficulter admodum in ipsius Vesicæ meatu institui posse largiuntur, & nonnisi præmissa in urethram cannula, per quam instrumentum leniter trudatur, perficiendam volunt, & foramini jam facto turundam plumbeam unguento de thutia obductam ad cicatrisationem usque inserendam, & antea, nisi dum urina sit reddenda, non eximendam.

Curatio Morborum Vesicæ secundum Paracelsum

§. 14. *Paracelsus* Vesicæ *Inflammationis* curationem nullam instituit diversam à curatione partium aliarum inflammatarum, potissimùm verò mumiam laudat, & & omnia ex ea parata remedia intrò sumenda, externa verò emplastrum suum oppodeltoch valdè deprædicat.

Ulcera & *Vulnera* Vesicæ curationem minùs admittere docet, quàm pulmonis, sed si fiat excisio, carnem supernè annatam conglutinari & coalescere credit, & non Vesicam; *Putrefactionem* verò præcaveri, aut si jam adsistat, depelli vult trochiscis de Alkekengi, & de thure, factis sequentibus additionibus, & quidem ad trochiscos de AlKeKengi:

℞. *Sem. lactuc.* ℥ j.
Terpenthinæ destillatæ ℥ ß.

Ad trochiscos de thure addit sequentia:

℞. *Mumiæ,*
Laccæ rubeæ aa. ℥ ij.
Sperm. ceti ℈ ij.
M.

Et his præter putrefactionem istam, aliquando etiam Exulcerationes, sed difficulter curari pronunciat, monetque in Exulceratione hoc solùm agendum esse, ut mundificetur, non ut consolidetur.

Meatus Urinarii *Angustiam* ab oppilatione inductam cantharidum usu reserari posse promittit, quamvis non sunt laudabile medicamen, ideòque unam solummodò guttam, addito croco, vel exhiberi, sic enim valde penetrare, & urinæ effluxum conciliare dicit: Carunculas oleo laterino absumi, sanguinem congrumatum mumia dissolvi, omnimodam occlusionem in matrice tempore formationis fœtus factam nulla arte corrigit, membranulam verò canalem obducentem interdum adimi & discindi posse statuit.

Helmontiũ.

§. 15. *Helmontio* curatio *Inflammationis* Vesicæ peragitur tollendo vel calculum, vel sal illud corrigendo, cujus occasione sanguinis transitus fuit impeditus & Archeus irritatus, per alcalica quædam convenientia rariora, in quorum communicatione nimis vixit avarus.

Ulcera, *Fistulas* & *Vulnera* Vesicæ admodum difficulter sanari posse pronunciat, siquidem neque lapis cancrorum, neque aliæ herbæ vulnerariæ integris viribus ad vesicam pertingere possint, sed circa primam stomachi digestionem viam suam amittant, morbos verò hosce non esse ex acore stomachi, verùm ex proprio Archei vesicæ vitio & contagio susceptos, & proinde in morbis hisce arcanis opus esse inferre pergit, quoquò penetrantibus, quæ tamen revelare cessat. Si quis verò objicere velit, lapidem cancrorum esse diureticum; ei respondet, non propterea adventum ejus in vesicam usque sperandum esse, aut vim ejus intactam & infractam manere, verùm sat esse, si lapis ille totum potum spoliet vi acescente, cùm cantil-

cantillum aliàs acoris in lotio partibusque illi subservientibus hostile esse possit, quo ab alcalicis istiusmodi correcto, morbis hisce ulterius præscindi possit incrementum.

Meatus Urinarii *Obstructionem* tolli posse existimat educendo mucum illum iisdem remediis, quibus calculus dissolvitur & eiicitur, caruncolas mercurialibus absumere suadet, membranulam discindi aut perpungi permittit, defectum verò ipsius carnalis nulla arte resarciri posse autumat.

Vuillisium. §. 16. *Vuillisiana* curatio in vesicæ *Inflammatione* eò vergit, ut accensio ista quantocyus compescatur, detrahendo ei ulteriorem fomitem & prohibendo ne de novo sulphureum quidpiam ad vesicam deferatur, quod fieri putat sanguinis depuratione, tum per venæsectionem, tum alia remedia billiosam ejus diathesin corrigentia, aquis scilicet nymphææ, malvæ, violariæ, alkekengi, syrupo limonum, ex quibus julapia parantur, vel emulsiones seminum 4. frigidorum majorum, addito sale prunellæ, vel Tartara vitriolato, simulque pro dolore leniendo & vesica distenta emolliendo unguentum illinit ex butyro insulso, axungia anserina, oleo amygd. dulc. lil. violar. vel unguentum resumptivum cum rosaceo mixtum, & ne alvi obstructio vesicæ compressioni & urinæ detentioni ansam præbeat, clysteres emollientes & intestina lubrica reddentes aliquoties iniici præcipit, tum cataplasmata externè regioni vesicæ imponi curat ex foliis malvæ, parietariæ, radicibus altheæ, dactilis mundatis in aqua decoctis & per setaceum transmissis, additis farina hordei, lini, oleo rос. violar. liliorum, nec interna omittit materiam peccantem per urinam expellentia, & hanc promoventia, cui scopo sequens utile ducit apozema.

℞. *Rad. gramin.*
Acetos.
Chærefol.
Fœnic. aa. ℥ j.
Fol. parietar.
Fragar.
Violar.
Malv. aa. P. j.
Passul. probè mundat. ℥ i ß.
Limonium dimidium in taleolos contusum.
Contundantur passulæ cum Limonio, & coq. in aq. font. ℔ iiij. *ad quartæ partis consumptionem, in Colatur. dissolv.*
Sacch. canth. alb. ℥ i ß.

De quo bibat æger aliquoties in die ℥ iij. pro Dosi. Dolore urgente, sequentem exhibet potiunculam hypnoticam.

℞. *Aq. Nymph.* ℨ v.
Portulac. ℨ iij.
Corall. pp. ℈ j.
Syr. de papav. simpl. ℨ ß.
M. d. una vice.

Properante Inflammatione hac in suppurationem, cataplasmata externè continuat emollientia, & unguentum dialthææ cum oleo scorpionum sæpius illinit, hinc rupto abscessu abstergentia propinat, decoctum hordei cum passulis & radice graminis, diureticisque materiam purulentam expellit, ex quibus sequentem laudat pulverem extra suppurationem etiam locum habentem, si urina diutiùs detineatur, ejusque suppressio gravius portendat periculum.

℞. *Tol. ovor.* ℨ i ß.
Ocul. cancrorum ℈ ij.
Sal. prunell. ℨ ß.
Sacch. cant. alb.
M. F. Pulvis, de quo ℨ ß. exhibeatur una vice in aqua malvæ & fragariæ.

In *Ulcere* Vesicæ ex Inflammatione vel aliunde suborto mundantia & abstergentia approbat, quibus particulæ salsæ corrodentes simul per urinam evacuentur, quare pilulas laudat sequentes.

℞. *Pulv. ocul. cancrorum* ℨ i ß.
Myrrh. ℨ j.
Salis prunell. ℨ ß.
Sem. apii ℈ j.
Cum s. q. terebinth. Venet. lot. formentur Pilulæ gr. j. magnitudine.

De quibus XII. una vice deglutiantur. Ut ulcus postmodum sanetur & materia acris corrigatur, ulteriorque illius proventus præcaveatur, vulneraria commendat, cum leviter purgantibus, decoctum folior. alkekengi, sanicul. agrimon. ligni sassafr. rad. liquirit. graminis, additis interdum rhabarb. & foliis senæ. Ulcere existente fistuloso injectiones per syringam usurpat ex aqua calcis vivæ & plantaginis, cum unguento Ægyptiaco, aut alia quædam lixiviosa, cum paucula quantitate Mercurii præcipitati, quibus callo absumpto & ulcere satis deterso, balsamica exhibet, maximè balsamum de Capaiba, vel pulveres consolidantes ex trochiscis de Alkekengi, Gordonii, vel ebore usto, coralliis pp. succino albo pp. & sanguine draconis, & continuatis simul decoctis vulnerariis, quibus soluta unitas denuò conjungatur, foramina substantia carnosa de novo repleantur, & cicatrice claudantur.

Hæc quoque remedia vulneraria & balsamica adhibet in ipsis Vesicæ *Vulneribus*, quibus subjungit Tincturas vulnerarias ex hyperico, Sulphure Vitrioli, cancris; externè itidem balsamum Peruvianum vel myrrhæ instillat, & emplastrum stypticum imponit.

Meatum Urinarium *angustatum* ob spasmodicam sphincteris Vesicæ affectionem curare solet spirituosis, & nervinis affectibus convulsivis maximè dicatis, aqua salviæ, cum Spiritu C. C. & syrupo paralyseos: regionem Vesicæ inungit unguento nervino, vel oleo scorpionum cum guttulis aliquot olei succini mistum. Ab aliis vesicæ affectibus oriundum iis demptis reserari promittit, pituitam crassam canalem obstruentem dissolvit aquis chærefolii, rutæ, centaurii minoris, cum Spiritu Salis dulci, & carrunculis absumit oleo Mercurii, saccharo Saturni, linimento, vel emplastro ex viridi æris, auripigmento, Mercurio dulci, cum lithargyrio & oleo rosarum parato, & candelæ cereæ in summitate illitum aut impositum, quæ meatui inferenda, simulque decocta ex lignis interiùs propinat.

Imperforationem à totali colli Vesicæ, aut penis soliditate dependentem ut incurabilem relinquit, membranulam verò orificium occludentem discindi permittit modo à superioribus jam proposito.

Sylvium. §. 17. *Sylvius* Vesicæ *Inflammationem* curaturus maximè in hoc allaborat, ut sanguini in vesicæ partibus aut vasis subsistenti consuetus reconcilietur motus & fluxus, vasaque infarcta reserentur, ut ipse sanguis liberum per ea inveniat transitum, adeoque præmissis enematibus emollientibus & aliquando flatus discutientibus, prospicit, ne alvi excrementis diutiùs subsistentibus vesica nimiùm comprimatur, & hinc non modò urinæ effluxus impediatur, sed dolor etiam & ipsa inflammatio augeatur: simulque acrimonia acida temperetur, & partes ab inflammatione distentæ demulceantur; post hæc Inflammationi occurrit sudoriferis ex Antimonio diaphoretico, & oculis cancrorum, additis opiatis pro sedandis simul doloribus, qua de causa etiam externè fotus instituit ex plantis emollientibus & aromaticis cum spongia vel panno laneo regioni vesicæ calidè adhibendos, & venæsectionem in brachio aversionis, & in pede derivationis gratia celebrat, & hæc quidem ad inflammationem impediendam, quod si obtineri nequeat, operam locat sedulam, qua ad suppurationem promoveatur, non modò fotibus jam indigitatis diutius continuatis, sed cataplasmatibus etiam ex similibus emollientibus, unà cum radicibus seu bulbis liliorum alborum, cepis priùs assis & contusis, farinisque hordei, seminis lini, fœnigr. fabarum, &c. in lacte dulci paratis, additis oleis vel unguentis quibusdam emollientibus, liliorum nempe chamomillæ, meliloti, unguento dialthææ composito, martiato, quibus etiam regionem vesicæ antea inungit,

&in-

& injectiones per penem in vesicam parat ex eodem decocto emollientium, quibus simul viæ lubricantur & patefiunt, ut materia purulenta faciliùs effluat, at rupto abscessu in parte vesicæ exteriore, tumorem à materia purulenta effusa in abdomine exteriore suscitatum non minùs emollit, ut vel per se rumpatur, vel lancetta aperiri & pus evacuari queat, quo impetrato abstergit & consolidat, ut ulcus reposcit.

Nulla autem meliora in *Ulcere* etiam Vesicę reperit remedia, quàm terebinthinata, & balsamum sulphuris, potissimùm terebinthinatum, internè in jusculo assumpta, mitigatis & correctis priùs humoribus acrioribus per emulsiones aut decocta emollientia, hordei maximè cum glycyrrhiza, tum etiam iisdem diureticis per vias urinarias expulsis, oculis nempe cancrorum, & aliis quibusdam remediis aromaticis convenientibus, quibus impetratis, balsamicis antedictis ulceris mundationem & consolidationem pro voto obtineri posse confidit, & ut faciliùs ulcus occludatur, adstringentia etiam adhibet ex myrrha, mastiche, lapide hæmatite, succino, coralliis, aliisque aromaticis acidum consolidationem impediens domantibus.

Quæ verò ulteriùs in ulceribus usurpari possint, eadem esse judicat, quæ *Vulneribus* Vesicæ conveniunt, decocta nempe vulneraria ex radicibus tormentillæ, caryophyllatæ, consolidæ, pimpinellæ, herbis saniculæ, equiseti, consolidæ Saracenicæ, Sanguisorbæ, virgæ aureæ, hyperici, ophioglossæ, perfoliatæ, floribus rosar. rub. balaustiorum &c. in vino rubro parata, & vel per os sumenda exhibita, additis syrupo myrtino, de symphyto, & similibus, vel cum syringa externè injecta, ut vulnus mundetur, & mundatum consolidetur, qua de causa etiam alias mixturas propinat ex aquis plantaginis, equiseti, hyperici, veronicæ, cum pulveribus hæmatitis, coralliorum, sanguinis draconis, & syrupis antedictis, & vulneri emplastrum stictičum ad perfectam unionem usque superimponit, simulque fascias aut ligaturas convenientes adhiberi vult, quò ulterior per vulnus urinæ impediatur effluxus, ipsaque cogatur viam suam ordinariam repetere. Absque externo verò vulnere, aut eodem existente exiguo, si vesica sola interiùs in abdomine fuerit rupta, & lotium in Abdominis cavitatem fuerit infusum, ut à casu aut contusione interdum fieri potest, simpliciter malum pronunciat lethale, quoniam non modò ascites & gangræna vesicam facile invadat, sed vulneri etiam consolidando convenientia non possint usurpari remedia.

Angustiam Meatus Urinarii à calculo in collo vesicæ hærente inductam auferri & curari posse docet remoto calculo isto candela cerea per penem immissa, qua simul carunculas aliasque excrescentias carnosas deprimi, & urethræ coalitum post ulcus sejungi posse retur, ut urinæ fluxus reconcilietur, donec excrescentiæ istæ sensim consumantur, de refectione verò carunculæ instituenda valde dubitat, ne forsan totum carni frustum cum interna vesicæ superficie cohærens vi quadam ita avelleretur.

Imperforationem totalem & connatam tum colli vesicæ, tum ipsius penis, in quo nulla existit urethra, vitium credit inemendabile; ubi verò sola membranula quædam orificium penis vel vesicæ obturat, hanc commodo quodam instrumento chirurgico perforari, & sic urinæ exitum parari posse sibi maximè habet persuasum.

Curatio Vesicæ Morborum secundum Cartesianos.

§. 18. *Cartesianorum* Vesicæ *Inflammationem* curandi ratio sequentibus innititur indicationibus. 1. Ut particulæ acutæ, sive acidæ mitigentur & abigantur. 2. Succorum stagnatio resolvatur, iisque motus progressivus deperditus restituatur. 3. Si hic restitui nequeat, suppuratio eorum promoveatur, & tum abstersio fiat, mundatio & consolidatio. Particularum acutarum angularium succos condensantium, & motum eorum inhibentium mitigationem & ejectionem instituunt porosis, quibus anguli eorum invisceantur, & cum iis simul per urinam expellantur, & propterea sequentem proponunt pulverem intentionem hanc optimè promoturum.

℞. *Ocul. cancrorum* ℈ij.
Antimonii diaphoret. ʒß.
Sperm. cet. ℈j.
Salis succin. gr. vj.
Camphor. gr. ij.
M. F. Pulvis, in jusculo, potu, vel sequenti mixtura ternis vicibus exhibendus.

℞. *Aq. fœnic.*
Chærefol.
Petroselin. aa. ℥j.
Tinctur. hyperic.
Croci ʒj.
Syr. heder. terrestr. ℥j.
M.

Ubi ex maxima fibrarum vesicæ distensione dolor vehemens suboriatur, unum vel alterum granum pulveribus istis addunt laudani opiati, attenuationi succorum simul utilis. Ut enim stagnatio resolvatur, & succis debitus concilietur motus & fluxus, studiosè allaborant, & hac de causa salia volatilia frequenti habent in usu, qualia sunt Spiritus Armoniaci, C. C. in vino dulci guttatim assumpti, succus nasturtii aquatici, beccabungæ, raphani sylvestris & hortensis, cochleariæ, aqua alkekengi, parietariæ, quibus simul calculus ad exitum promovetur, ne meatum obstruendo urinam diutiùs subsistere & corrumpi cogat. Pro meliori etiam attenuatione succorum incrassatorum externa adhibent regioni vesicæ, sed penetrantia, & calida, ut epithema ex spiritu vini camphorato, cataplasma ex radice cucumeris asinini, raphani, sio aquatico, beccabunga, petroselino, phellandrio, floribus sambuci, meliloti, semine dauci, camphora in spiritu vini coctis & calidè impositis, quorum penetrationem si cutis abdominis densior prohibeat, eandem emolliunt & rarefaciunt unguento anodyno, martiato, oleo anethi, lilior. petræ, &c. Sed si pro fluore & attenuatione impetrandis incassum laboretur, quòd nimia succorum incrassatorum copia & stagnatio eadem prohibeat, & reliqui liquores affluentes eandem compellant, & ad suppurationem cogant, etiam hunc facilitant emollientibus, ut succus purulentus eò citiùs prorumpat, impositis cataplasmatis ex foliis parietariæ, althææ, cepis sub cineribus assis, ficubus, fermento, floribus chamomillæ, meliloti in cerevisia coctis, additis semine lini & unguento althææ vel basilici, vel emplastro diachylo & de meliloto, oleo liliorum invicem malaxatis. Rupto abscessu in cavitate vesicæ, materiæ purulentæ per urinam promoven effluxum, & corruptionem ejus prohibent Spiritu terebinthinæ in jusculo sæpius exhibito, vel sequenti mixtura:

℞. *Aq. Agrimon.* ʒj.
Scord. ʒvj.
Tinctur. propriet. Mynſ. ʒij.
Spir. Sal. Armoniaci succinat. ʒß.
Syr. hyperic. ℥ß.
M. d. cochleatim.

In parte Vesicæ gibba materia purulenta exitum sibi parante, & tumorem in abdomine producente, cataplasmata emollentia continuant, additis fortioribus quibusdam penetrantibus, ut Sale Armoniaco, Sale alcali, sapone, quibus si cutis exterior attenuata quidem, sed nondum penitus rupta sit, lancetta vel cultello acuto eandem aperiunt, ut pus effluat, quo facto ulcus mundant linimento ex terebinthina, gummi elemi, myrrha, ærugine, oleo hyperici composito, & emplastro griseo, vel de gratia Dei appellato ulcus penitus sanant.

Et hac ratione in *Ulcere* quoque Vesicæ curando procedunt, quamvis difficilem hanc esse curationem prænuncient, ubi enim interiùs solùm habeat exitum, remediis externis & manu nihil vel parum potest præstari, sed remediis internis corruptio prohibenda, ut Spiritu terebinthinæ, Tinctura succini, essentia plantaginis *Angeli Salæ*, oculis cancrorum, myrrha, terra catechu, &c. per syringam verò decocta alchimillæ, plantaginis, agrimoniæ, glycyrrhizæ, in aqua ferrariorum facta, additis tinctura myrrhæ, vel essentia aloes & melle rosarum, sunt injicienda. Foramine verò in abdomine

mine existente, unguenta mundantia cum stuppis aut turundis imponunt, & uti in aliis ulceribus procedunt. Pessimum tandem illud æstimant ulcus Vesicæ, quod & foris per abdomen, & intus in cavitatem vesicæ meatum possidet, quoniam facile redditur fistulosum, & *Fistula* Vesicæ admodum difficulter veram curationem admittit, sed frequentiùs palliativa tractari debet, exhibendo interiùs decocta vulneraria cum lignis, & per catheterem aut syringam injiciendo succum apii & chelidonii majoris, cum aloe in vino soluta, non omissis cataplasmatis corroborantibus ex scordio, phellandrio, ruta, centaurio minore, hedera terrestri, radice aristolochiæ rotundæ, valerianæ, semine cumini, sinapi. Quando in fistulas ipsas via conceditur, lapidem alchimiæ in aqua hederæ terrestris & agrimoniæ solutum per syringam injiciunt.

In *Vulneribus* Vesicæ, tanquam partis membranosæ, summo studio convulsiones impediendas aut tollendas volunt, & propterea quamprimùm sequentem sauciato exhibent mixturam.

℞. *Aq. Plantag.*
Veron. aa. ℥vj.
Salv. ℥ß.
Tinctur. Pæon. ʒiß.
Spiritus C. C. succinat. gt. xij.
Camphor. gt. viij.
Syr. Symphyt.
Paralys. aa. ʒiij.
M.

Vel sequentem;

℞. *Aq. Chærefol.* ℥j.
Regin. Hungar. ℥ß.
Ocul. cancrorum ℈j.
Corall. pp. ℈ß.
Pulv. Antimonii gr. vj.
Camphor. gr. ij.
Sacchar. canth. alb. ʒiß.
M. d. cochleatim.

Externè etiam unguenta illinunt nervina, & antispasmodica, potissimùm verò sequens.

℞. *Unguent. nervin.* ℥vj.
Balsam. Peruvian. ʒj.
Ol. Petræ ʒß.
Rorismarin. ℈j.
Succin. ℈ß.
M. F. Linimentum,

Datis hoc facto induciis, & vulnerato lethi faucibus erepto, decocta vulneraria suadent, vulneri instillant balsamum Italicum, & epithemata ex herbis verbena. veronica, equiseto, vinca pervinca, semine hyperici, &c. in spiritu vini maceratis imponunt, quin fascias adplicant, vulnere ad longitudinem inflicto, & consolidationem emplastro oppodeltoch *Vvurtzii*, & diasulphuris *Rulandi* student facilitare.

Angustiam Meatus Urinarii curari dicunt removendo ipsam causam obstruentem, veluti calculum, materiam viscidam attenuantibus & diureticis, Spiritu lumbricorum, Sale Armoniaci succinato, essentia cherefolii, succo nasturtii, &c. absumendo caruncullas internis diaphoreticis, vel Mercurialibus, tum fistulam auream, argenteam, vel plumbeam optimè lævigatam canali penis insinuant, & per eandem pulveres consumentes immittunt ex alumine usto, ærugine, Mercurio rubro, Sulphure, sabina: ex gr.

℞. *Pulv. sabinæ* ʒj.
Mercurii rub. ʒß.
M. F. Pulvis.

Vel stylo mediante unguentum Apostolorum, aut aliud quoddam conveniens illinunt ex butyro, terebinthina, Precipitato rubro, ærugine, hinc excrescentiis illis absumptis ulcuscula relicta sanant, vel pulveribus ex lapide calaminari, terrà Vitrioli dulci, sigillata, lithargyro, plumbo usto, Tutia, camphora, vel emplastro diapompholygos, aut oppodeltoch *Vvurtzii*, eximendo interea, quoties opus, stylum istum, ne urina diutiùs detineatur. Tumores Parastatarum discutientibus, & succos stagnantes resolventibus auferunt ex superioribus cognitis, sicuti spasmodicos sphincteris affectus nervinis & cinabarinis itidem jam indigitatis norunt depellere.

Imperforationem, vel defectum meatus urinarii in vesica vel pene nulla arte, uti nec alii, restituere sciunt; in extremitate verò concretum canalem aperiunt cultello acuto, quæ operatio ut promptiùs peragatur, ægri supini glandem sinistra prehendunt, & dextra cultellum tenente membranam dividunt, quo facto stylum plumbeum lævigatum, & unguento de Tutia illitum tamdiu insinuant, & nisi urina sit reddenda, infixum servant, donec inducta cicatrice meatus hic planè confirmetur.

Ex nostra sententia curatio Vesicæ Inflammationis.

§. 19. *Me* suadente, *Inflammationem* Vesicæ debitè curaturus nihil intermittet operæ, qua poros partium ab heterogeneis & sylvestribus particulis ex sanguine evasato & corrupto oriundis liberet, ut sufficiens particulis convenientibus pateat transitus, quod aptis sudoriferis obtinetur, hinc commendamus Spiritum C. C. volat. succini, Urinæ cum Aqua chærefolii, Salia volatilia oleosa & alcalica quæcumque. A purgantibus & diureticis fortioribus acrioribus omninò abstinendum puto, imprimis autem notetur asterisco, ut quantum possibile urinæ aut alvi suppressio, quæ sæpe malum augent, removeantur, hinc enema ex emollientibus & anodynis, aut lacte cum nitro sæpe convenit, & interponendæ sunt ad partes acriores demulcendas emulsiones ex seminibus 4. frigidis, portulac. violar. papav. alb. quibus subjungenda externa quædam discutientia, particulas coagulatas ex sanguine corrupto resolventia, & acutas obtundentia, quod oleosis temperatis & alcalicis saturatè impræegnatis peragere possumus, quare inungatur pecten oleo rosarum cum camphora, aut applicentur sacculi ex radicibus & foliis malvæ, althææ, floribus chamomillæ, verbasci, farina lini, fabarum, &c. vel fiat insessus in lacte vel aqua decoctionis emollientium, vel instituatur fotus ex predictis herbis. In metu Gangrænæ cataplasma ex farina fabarum, & lupinorum in vino decoctis applicetur, addendo aloën, myrrham, &c. aut Spiritus vini camphoratus sepius illinatur.

Ulceris & Fistulæ.

Si discussio pro voto obtineri non potuit, sed Inflammatio transiit in *Ulcus*, & hoc in Fistulam, etiam hic interna sudorifera non negligenda sunt, ex quibus hoc casu imprimis conveniunt essentia lignorum, vel decoctum ligni sancti, cum radicibus calami aromatici, herbis scordis, nasturtii & Sale Tartari, essentia rorismarini, Tinctura Tartari antimoniata, essentia cherefolii, traumatica nostra, post quę omnia ea hic conducunt, quę humorum acrimoniam temperant, Ulcus sine morsu abstergunt, & acre aut corruptum quodvis emendant, quò referuntur lacticinia, deturque decoctum sequens vel simile per longum tempus.

℞. *Rad. Scorzoner.* ℥ß.
Liquirit. ʒiij.
Hor. mund. Mß.
Caricar. No. vj.
Herb. agrimon.
Heder. terrestr.
Flor. malv.
Violar. aa. P. j.
Flav. cort. exter. citri ʒij.
F. Decoctio in Aqua communi.

Sic ab aliis decoctum chamepytheos cum lacte magni ęstimatur, ab aliis decoctum *Thoneri* in *Obs. p.* 176. Trochisci *Gordonii* à multis specificè laudantur, nonnulli summis laudibus efferunt balsamum Sulphuris terebinthinatum & succinatum, alii trochiscos alkekengi, de carabe, alii Mercurium dulcem. Ad consolidandum Tinctura Sulphuris Vitrioli, antiphthisica, corallorum cum cera, succini, hyperici, veronicæ, aliaque vulneraria laudantur. Ad dolorem leniendum exhiberi possunt varia opiata, papaverina, lacticinia, imprimis si malum fuerit obortum à cantharidibus. Terebinthinata sæpe omnem implent paginam, ex quibus variè concinnari possunt formulę. Acidulæ si modicè assumantur, & mineralia in iis non fuerint

fuerint fortiora & acria, seu venenosa, opem aliquam afferre possunt; sic exemplo *Tulpii lib. 2. Observ. 53.* ulcere vesicæ vexatum per fontis Spadani usum curatum esse constat: nos tamen thermarum usum illis præferimus, quæ de re confer etiam *Scholz. p. 383.* & *Ettmullerum*. Infundantur etiam liquores idonei partibus ulceratis, imprimis sequens.

℞. *Elixir. vit.* ℥j.
Spir. vin. camphorat. ℥ß.
Salis volat. oleos. ʒiß.
Tinct. as. fœtid. ʒiij.
Salis Tartari ʒß.
Myrrh. ʒij.
Aloes ʒj.
M. vel potest dilui aqua hederæ terrestris.

Imponatur liquor hic calidè cum plumaceolis.

Injicienda etiam convenientia quædam remedia sunt per catheterem vel syringam, uti lac recens, succus plantaginis, aqua calcis vivæ cum sief albo, vel sequens decoctum.

℞. *Rad. symphyt.*
Bistort. aa. ℥j.
Sem. hyperic. M. ß.
Cort. granat. ʒiij.
Coq. in aqu. ferrar. & in eâ dissolv. Trochisc. alb. Rhas. s. op. ℥ß. *bol. Armen.* ℥j.

Si sanguis simul prodeat, injici potest cum aqua plantaginis aqua nostra styptica, quæ te rarò fallet.

In *Fistula* conveniunt succi centaurii minoris, chelidonii majoris, apii, nasturtii, cum aloe & Mercurio dulci, vel in præcedente decocto dissolvatur lapis medicamentosus, & per syringam itidem injiciatur.

Vulnerum. In *Vulneribus* Vesicæ ante omnia aeris accessus impediatur, extraneum quodcumque è vulnere eximatur, symptomata præcaveantur & avertantur, ex quibus hic potissimum timenda sunt ischuria, dysuria & convulsiones. Internè ergo dentur essentia hyperici, & salviæ, cum spiritu C. C. succini, & oleum terebinthinæ. Vulneri instillentur balsamus de Paru, Capaiva, oleum terebinthinæ, spiritus lumbricor. & camphoratus, vel Elixir vitæ. Consolidatio fit internè decoctis & potionibus vulnerariis, ex radice aristol. liquirit. althææ, herb. veronicæ, agrimoniæ, plantag. heder. terrestr. flor. malv. arbor. nymph. viol. essentia traumatica. Externè balsamis vulnerariis, sacculis dissolventibus & emplastris aliis sanantibus.

Meatus urinarii Angustia. Si Urethra callosis & malignis excrescentiis repleta sit, & urinæ ab his impediatur excretio, illicò specillum argenteum inauratum, & undique crenis sive incisuris constans immittendum est, ut urinæ via reddatur libera. Præmittantur etiam sudorifera, & sæpius in lecto sudet æger; candela quoque cerea oleo amygdalarum dulcium oblita quàm leviter immittatur urethræ, quæ commodiùs sæpè adhibetur, quàm specillum argenteum. Hac candela Chirurgus inquirat, ubinam obstructio hæc existat; loco sic invento, notanda est longitudo, ad quam candela fuerat immissa, postmodum nonnihil attenuata, massaque quapiam exsiccante, consumente ac corrodente obducta, candelæ extremitas denuò in urethram ad partem usque affectam erit intromittenda, & aliquoties repetenda. Sunt, qui in hunc finem massam ex viridi æris, & Mercurio sublimato adhibent, ceu videre est in *Ephem. Germ. Decur. 1. Ann. 8. Obs. 92.* inde enim eschara fit, qua dein separata urinæ conceditur transitus. Sed me judice à nimis corrosivis, arsenico, oleo Vitrioli, Sulphuris, &c. abstinendum est, quia urethra sensilis admodum est, & ex acribus istis corrosivis gangræna facilè proficiscitur, quia fibrillæ omnes corroduntur, quibus corrosis succi nervei circulatio planè tollitur, & sic necessariò mors partis hujus provenire debet, quale exemplum & nos præter *Hildanum Centur. 4. Obs. 55.* notavimus.

Carnosæ hæ excrescentiæ urethram vel in totum vel in tantum obstruentes, oleo succini cum vitello ovi mixto & in urethram intruso curari possunt, vel ad mentem *Riverii Cent. 2. Obs. 14.* candela cerea linteolo obducta & sequenti linimento intincta urethræ sæpius intrudatur.

℞. *Ol. rosar.* ℔ß.
Cerus. veræ ℥ij.
Camphoræ,
Tutiæ aq. ros. lot. aa. ʒij.
Lithargyr aurei pp. ℥iß.
Antimonii optimè pulveris. ʒvj.
Opii,
Thuris,
Mastich.
Aloes epat aa. ℈j.
M. omnia, & serventur ad usum.

Cl. D. *Stalpart* quatuor homines, quibus tota ferè occlusa erat urethra, ita ut per angustissimum tantùm efflueret urina foramen, sequenti curavit remedio.

℞. *Oss. sepiæ*,
Tut. pp. aa. ʒij.
C. C. *ust.*
Aloes lot.
Aristol. rotund. aa. ʒj.
Alum. ust. ʒß.
M. F. Pulvis subtilissimus.

Postmodum

℞. *Ol. Rosar.* ℥ij.
Lithargyr. aurei ʒj.
Fiat decoctio quousque acquirat Emplastri consistentiam, dein ab igne seposito adde illum pulverem, & ad ignem tractato & misceto, donec medicamentum evadat duriusculum.

Hoc remedium instar emplastri extremitati candelæ cereæ applicetur, & sic urethræ intrudatur *Fabric. ab Aquapendente* hoc in casu magni æstimat pulverem sabinæ, & *Vesalius* pulverem radicis petasitidis. Excrescentiis istis imminutis, ægroti possunt, ad exemplum monachi, cujus *Riveria Cent 4. p. 67.* mentionem injicit, plumbeum in urethra gestare tubulum, quem sensim ita intrudant, usque omnia ritè peragantur; alii instrumentum argenteum suadent. Si Verrucæ adfuerint, quæ obstructionem faciunt urethræ, eæ tubulo argenteo sunt exurendæ, & postmodum pars affecta alumine conspergenda, nec non aqua rosarum, cui tutiæ nonnihil admistum sit, fovenda, vel aqua Vitriolata, vel atramento tingenda.

Imperforationis. *Imperforationem* totalem Urethræ in ipsa formatione in utero productam, ubi nulla planè cavitas pro canali urinario relicta est, ut incurabilem relinquimus siquidem aut mors eandem citò excipit, & fœtus ejusmodi occlusione laborans non diu vitam trahit, aut urina alium sibi paravit exitum in inguinibus, vel parte quadam alia abdominis. Quando verò solæ quædam membranula vel in superiore glandis parte extremo urethræ, vel vesicæ colli osculo adcrevit illudque obtegit, uti candela cerea vitium posterius facilè explorari potest, membranula ista lancetta, vel alio quodam instrumento discindenda aut perforanda; in orificio verò vesicæ instrumentum satis aptum per canalem argenteum insinuandum est, ea quidem mensura, quæ candela cerea ante operationem fuit explorata, ne profundiùs justo intrudatur, itidemque membranula ibi hærens cautè pertundatur, & post urinæ juxta membranam istam morantis effluxum, vel linteo humectato vino, in quo balaustia, rosæ, folia plantaginis, myrobalani, mastix, & terra catechu incocta fuerunt, foramen in glande abluatur, vel per syringam ad collum vesicæ vinum istud inspergatur, tum ne labia vulneris hujus artificialis conniveant, & ante cicatricem circumquaque obductam denuò concrescant, turunda quædam ex unguento de tutia vel diapompholygos ad debitam consistentiam inspissata, vel candela cerea, aut stylus plumbeus linimento tali, vel alio quodam

dam

dam liquore cicatrisante ex succo plantaginis, in quo tutia dissoluta, obductus, donec callus excrescat, insinuetur, at quoties urina reddenda, extrahatur, eaque effusa restituatur.

CAPVT VI.

De Perinæi Inflammatione, Abscessu, Vlcere, & Gangræna.

§. I. VT quoscumque Microcosmi percurramus angulos, & latentes in iisdem in apricum protrahamus affectus, etiam ad Perinæi morbos nunc descendimus explanandos, cujus *Inflammatio* non differt ab ea, quæ alias invadit corporis partes, nisi quòd majori quandoque stipata sentiatur dolore, & ob vicinitatem colli Vesicæ urinæ suppressionem inducat, propterea tamen peculiari hic non indiget descriptione, sed ex antecedentibus ea jam satis facta est cognita.

Abscessus. *Abscessus* Perinæi est tumor in spatio hoc productus à materia purulenta, ex succis è tubulis ab inflammatione diuturniore destructis copiosiùs effluentibus, & tractu temporis magis compactis oriunda.

Vlcus. *Vlcus* est continuitatis in spatio hoc dissolutio, à succis acidis erodentibus inducta.

Gangræna. *Gangræna* Perinæi, est partis hujus incipiens mortificatio, in qua color consuetus, & sensus aboletur, à succorum majori coagulatione dependens.

Pars affecta §. 2. *Pars affecta* est Perinæum, seu Interfœmineum, locus scilicet, sive pars illa, quæ à Scroti radice extenditur, ex musculis cute & cuticula obductis, nervis & vasis tum sanguiferis, tum lymphaticis composita, in adultis pilis obtecta.

Diagnosis. §. 3. Peculiari non indigent affectus hi *Diagnosi*, quoniam ipsi morbi ex suis indiciis alibi prolatis cognosci possunt: num verò iidem partem hanc invadant, tum ægri relatio, tum ipse adspectus Chirurgi omnium optimè manifestabit.

Ætiologia secundùm Galenicos. §. 4. Causam *Inflammationis* Perinæi adscribunt *Galenici* tum ipsius sanguinis intemperiei calidæ, tum ipsius partis agitationi aut incalescentiæ ab equitatione diuturniore, frictione, collisione, vel aliis quibusdam causis irritantibus externis inductæ, ob quam sanguis iste calidior majori copia in regionem hanc Perinæi alliciatur, vel, uti loqui solent, attrahatur, qui partem non modò in tumorem extendat, sed calorem etiam, ruborem, pulsum & dolorem in ea suscitet propter nimiam istam distensionem, & sanguinis dispositionem calidam.

Abscessus ejus fit, dum sanguis iste in priori Inflammatione corruptus, vel humores eidem intermisti ab aliarum partium facultate expultrice irritata, & partis hujus attractrice validiore, expultrice verò debili transmittuntur, & diutiùs retenti mediante concoctrice in pus vertuntur, eò quòd in partis nutrimentum facessere nequeant.

A pure autem in Abscessu acriore reddito, vel succis quibusdam acribus ad partem hanc confluentibus *Vlcus* produci opinantur, dum cutis ab iisdem tandem erodatur, quod etiam ab externis quibusdam rebus, sudore, urina, venenis, vel medicamentis etiam salsis, acribus, & corrodentibus fieri solere affirmant.

Gangrænam parti huic inferri autumant, vel ab intemperie partis nimis calida, aut nimis frigida, aut spirituum interceptione, ne in partem hanc influere possint, vel destructione partis ex percussione violenta, aut erysipelatis aliorumve morborum perversa curatione, dum nimis frigida loco huic apponantur, aut nimis acria, à quibus omnibus pars hæc corrumpatur, & calor ejus nativus extinguatur.

Paracelsum §. 5. *Paracelsus* Perinæo *Inflammationem* induci fingit à sale quodam arsenicali in locum hunc ex interna quadam minera illato, abs quo calor & rubor excitetur. *Apostema* verò à sale sanguinis hic collecto, & humores corrumpente. *Vlcus* à sale quodam vitriolico suscitari putat, abs quo cutis erodatur, ut externa quædam fiat apertura: uti *Gangrænam* parti huic inferri existimat, si à natura narcotica stupor quidam fuerit inductus, abolito sensu, & tum calor præternaturalis supervenerit, abs quo ignis hujusmodi accenditur.

Helmontii §. 6. *Helmontii* judicio Perinæi *Inflammatio* dependet ab Archeo hujus partis ab externa quadam causa, tanquam spina, lapsu videlicet, contusione, vel frictione nimiùm irritato, ut se etiam ipse accendat, & admisso cruore in parte externa signum furoris sui cum dolore & calore appendat.

Abscessum Perinæi fieri putat, dum Archeus mucilaginem sextæ digestionis indirectè adventantem, & parti huic insidiantem expellere nititur, sed tandem fatigatus cessat; mucilago verò loco pulsa, cruori ab acido, ceu ulceris sequuturi radicali fundamento, coagulato mista partem in tumorem distendit.

Tandem verò & *Vlcus* ipsum hoc in loco sequi statuit, quando acidum istud partem hanc exedit, & solitudinem ejus dissolvit, quale acidum sæpiùs quoque hæret in lactice ab externa quadam occasione prolecto.

Gangrænam parti huic inferri sibi aliisque persuadere studet à sale quodam corrosivo, degenerante, ex lege, & à vitali republica proscripto, abs quo ingens in parte excitetur calor, eandem exurens & interdum erodens.

Vvillisium. §. 7. *Vvillisium* percipimus *Inflammationis* Perinæi causam adscribere sanguini, in partis hujus interstitiis, vasisve minoribus ob lentorem hærenti, eandemque obstruenti, aut ab externa, vel interna quadam causa extravasato, & ob turgescentiam ibidem aggesto, sicque calorem, & ratione solutionis continui dolorem acutum inducenti, qualem lentorem sanguini inferre credit frigus externum, ab aere vel aqua parti huic communicatum, sicuti extravasatio promoveri posset ab agitatione nimia, admotione rerum calidarum, urina acri, aliisque rebus imprudentius applicatis.

Ex Inflammatione ista suppurata *Abscessum* suscitari docet, dum particulæ sanguinis spirituosæ avolant, & sulphureæ, salinæ & terrestres absque ullo vinculo, & dissolutæ inter se invicem fluctuant, donec particulæ salinæ sibi dominium rapientes cutaneas partes erodant, & materiæ huic exitum parent.

Dum verò erosio ista fit, *Vlcus* produci statuit, quod pro diversitate particularum istarum salinarum modò profundiùs, cum prostatarum & vesicularum seminalium, vel etiam colli vesicæ læsione, modò superficietenus saltem excitatur, & interdum in sinum mutatur fistulosum.

Gangrænam partis hujus fieri existimat à particulis salinis non modò sanguinis, sed aliorum quoque humorum huc confluentium in fluorem degenerantibus, & sulphureas sibi adsociantibus, adeoque ita destructivis redditis, ut spiritibus deturbatis partem liquore privent vitali, & septica sua vi eandem planè exurant.

Sylvium. §. 8. *Sylvius* in Perinæo *Inflammationem* excitari posse putat, dum vel ab externo frigore partem hanc ambiente, vel à re quadam frigida admota sanguis in motu suo impeditur, vel à lapsu, contusione, aut alio quodam motu, aut agitatione violentiore vasa vel comprimantur, vel dilacerentur, ut sanguis effundi & stagnare cogatur, eoque stagnante partes spirituosæ volatiles, salinas acidasque temperantes, evanescere incipiant, unde utræque acriores factæ acriùs in se mutuò insurgant, & ob partes oleosas sanguinis simul præsentes effervescentiam calidam hoc in loco excitent, & hinc tumor ille igneus dolorosus.

Dum verò temporis tractu ipsæ illæ partes acidæ & salinæ acriores sanguinem ita corrumpant, ut in pus vertatur, *Abscessum* inde produci docet; uti si partes acidæ acres cutem hanc planè erodant, *Vlcus* emergere soleat.

Ab eodem acido acri etiam *Gangrænam* partis hujus oriri

oriri pronunciat, dum acrimonia tanta sit, ut cutis inde corrumpi incipiat, & colorem rubeum aut subpurpureum acquirat, sub quo si partis integritas non servetur, & corruptio increscat, ipsum ad eam pervenire nigredinem cum periculo partis periturae.

Cartesiano

§. 9. *Cartesianis* Perinæi *Inflammatio* producitur ex succorum incrassatione sanguini transitum per ramulos arteriarum hypogastricarum circa regionem hàc distributos denegante, simulque arteriolas comprimente. Incrassari verò succos asserunt, dum motus eorundem consuetus inhibetur à re quadam externa tubulos comprimente aut fibras compingente, quales sunt contusiones, mora diuturnior in aqua frigida, in qua cutis perinæi cum scroto, cui continua est, præ reliqua corrugatur, frictiones, vel aliæ, abs quibus pori & tubuli angustantur, ut nonnisi æther subtilis per eos transitum reperiat, abs quo particulæ porosæ sanguinis, & angulares portionis chylosę in se invicem nimis agitentur, unde non modò incalescentia oriatur magna, sed motum etiam earum impetuosum fibrarum continuitatem dissolvere, unde dolor, & à succis è tubulis suis effluentibus & stagnantibus tumor. Facilè verò & hic loci diversorum liquorum fieri posse dicunt effluxum, quoniam & ligamenta ossis pubis, & musculi directores penis acceleratoresque urinæ hac in regione sub cute latent, quæ omnia succis suis irrigantur, & eosdem in tubulis suis continent, tum pro nutrimento sui, tum ut pro membrorum motu ab iisdem debitè inflentur. A particulis salinis cum succis copiosius huc allatis, vel ab ulceribus partium vicinarum, aliave de causa allabentibus in cute hac laxiore aliquando pruritum induci asserunt, pro quo sedando dum homines ungibus locum hunc scalpant, fibris agitatis majorem adhuc cieri succorum affluxum, qui tam promptè per poros tubulosque reverti nequeant, sed stagnare & poros cutaneos in tantum angustare, ut soli ætheri subtili permeare liceat, qui adhuc magis eosdem, & imprimis diversas eorum particulas agitando tumorem istum inflammatorium suscitet.

Abscessum Perinæi Inflammationem quandoque sequi existimant, quoniam succi ita incrassati fuerunt, ut nullo modo attenuari potuerint, sed chylus coagulatus acescens, fibrulas & tubulos dirumpendo arctiùs unitur, sicque cuti approximans materiam præbet purulentam, quæ diutiùs sub cute densiore, & non aperta detenta, ob succorum novorum particulas porosas secum devehentium affluxum, quibus particulæ angulares chyli acescentis se immiscent, & cum iis effervescunt, sicque assiduò in fibras vicinas agendos, eas, ut priores, rumpunt, & majorem efformant cavitatem, unde interdum abscessus iste magnum capere solet incrementum, cum partium vicinarum destructione.

Vlcera in parte hac suscitata originem sumere dicunt vel à materia ista purulenta, siue chylo acescente in abscessu collecto, & cutem dissolvente, vel à succo quodam multis particulis erodentibus prædito per scalptionem, contusionem, lapsum, vel alia quadam de causa prolecto, uti & urinam salsiorem partem hanc diutiùs humectantem, vel materiam spermaticam corruptam in lue Venerea eadem irrigantem, hujusmodi erosionem inducere posse aliis libenter concedunt.

Gangrænam parti huic obvenire statuunt à majori tubulorum destructione, compressione, & succorum omnimoda coagulatione, ut ad fluorem planè existant inepti, sicque calor partis hujus extingui incipiat; coagulari verò succos & tubulos comprimi & destrui asserunt ab externo frigore vehementi partem hanc immediatè ambiente, remediorum frigidorum imprudenti applicatione, lapsu, aut contusione, abs quibus omnibus liquorum motus inhibetur, & particulę eorum stagnantium acutiores ab ęthere vehementiùs agitatę fibras destruunt, ut destructis tubulis, & absūpto calore pars hęc emoriatur.

Nostra sententia de causis Perinæi Inflammationis

§. 10. Ex *Nostra* sententia *Inflammatione* affligitur Perinæum, vel per consensum, quando scilicet illa ab alia parte ipsi communicatur, vel à causa quadam externa ea illi infertur, vel tandem à causa interna, sanguinis nimirum, lymphæve, ac aliorum succorum in tubulis stagnatione, quando enim ductus urethræ incumbentis à calculo obstruitur, arteriæ sanguinem in musculos deferentes, venæ illum ab ipsis referentes, & vasa lymphatica lympham devehentes comprimuntur, sanguinisque ac lymphæ cursus impeditur, eorum autem moram trahentium volatiliores particulæ continuo, quo donantur, motu evaporantur, crassiores verò restitant. Sanguine itaque volatilioribus, quæ exhalatæ sunt, & alcalicis depauperato particulis, sulphura in eo contenta acidis in massa ejus superstitibus obsistere nequeunt, sed ab iisdem coagulantur. Sulphura autem coagulata in angustiores tubulos propulsa in illis commorantur, eosque obstruunt. Crassa alcalica, quibus ob molem avolare non fuit concessum, à subtilioribus ut antea in motum non acta, patulis suis poris acida excipiunt, ex quo coalitu pruducantur salia: at materia subtilis perpetuo fluxu adveniens, nec per poros aut inversos, aut obturatos liberè permeans, & à novis istis salibus in sanguinem vel lympham reflexa in vehementiorem motum particulas adigit, ipsasque fermentat ac rarefacit, nec priùs cessat ęstus ille, quàm salia perfracta fuerint, pristinaque pororum restituta rectitudo & figura.

Causa Particularis Abscessus.

Idem exoritur affectus ab urethrę exulceratione, tenuiora siquidem salia in pure contenta per urethræ poros elabentia, & ad perinęum usque delata, musculorum ejus & vasorum fibrillas penetrant, aculeis suis illas vellicant ac lancinant, & in cincinnos contrahunt; fibrillę itaque violentioribus crebrioribusque suis vibrationibus sanguinem lymphamque validiùs exagitantes illa rarefaciunt, talis enim liquor amplius, quàm anteà, spatium occupans vasorum tunicas distendit, & adaucta rarefactione eòusque vasorum parietes extendit, ut desinente fibrarum illarum elastica vi disrumpantur tunicę, comprehensusque humor effundatur, quo extravasato, volatiliores ejus particulę exhalantur, crassiores remanent, coagulantur sulphura, abs quibus obstruuntur tubuli, & procreantur salia ab acidorum cum alcalicis connubio, unde adaugetur sanguinis lymphęque motus, cùm materiæ ęthereę liber transitus non concedatur. Semen in vesiculis moram trahens, in iisque putrescens, prout fieri solet in lue Venerea affectis, ac fermentatum Perinęi inflammationem inferre potest, quum enim semen tenuissimis volatilissimisque salibus sit ditatum, si ipsi exitus per ordinarias vias denegetur, volatilia illa salia rapidissimo continuoque motu donata phlegmata, abs quibus sunt dissoluta, exagitant & attenuant, ac ad evaporationem determinant, sulphurumque, abs quibus colligata detinentur, vincula frangunt, & ab eorum amplexibus liberantur; sui juris ergò facta, vesicularum seminalium poros pervadunt, & ad Perinęum accedunt, partium illud componentium fibrillas subeunt, illas pungunt & vellicant, ac in spasmodicos agitant motus, unde contingit superiùs jam indigitata sanguinis rarefactio, ejusdemque extravasatio, sulphurumque illius coagulatio, abs quibus tubulorum obstructio oritur, & obturatio, saliumque procreatio fermentationem istam excitantium.

Casus in Perinæum, vel vehementior longiorque crurum diductio partis hujusce Inflammationis causæ esse possunt; si quis enim apertis diductisque cruribus in corpus aliquod durum cui Perinæum fortiter applicetur, deciderit, partis quæ in corpus durum impingit, vasa quædam dirumpuntur, aut comprimuntur. A prioribus excernitur sanguis aut lympha, in posteribus verò stagnat, illorum parietibus propiùs juxta se invicem accedentibus. Eadem contingit sors musculorum fibris; pressæ siquidem & arctiùs unitę angustiora inter se relinquunt interstitia, quibus sanguinis stagnationem adaugent validioremque illam efficiunt: at quum materia ętherea, spiritus animales volatilioresque sanguinis vicinorum vasarum particulę in sanguinem aut lympham extravasatam impingunt, tenuiores ejus partes abripiunt, & per poros eliminant. Sulphura autem crassa in parte remanentia ab acidis coagulantur, quę tubulis angustioribus impacta in illis cespitant, alcalicorum crassiorum pori ab acidis opplentur, quos cùm non liceat materiæ subtili præterfluere, liquorem effusum exagitat ipsa, fermentat & rarefacit.

Vehe-

Vehementior longiorque crurum distortio Perinæi Inflammationis author etiam ideò esse potest, quòd tum temporis musculorum vasorumque fibrillæ supra modum extensæ, & tantum de amplitudine sua deperdentes, quantum de longitudine acquisiverunt, ordinariam liquorum copiam suscipere nequeat, & debilitata præ extensionis validitate earum vi elastica, ordinarium liquoribus motum non concilient, earum enim vibrationibus eam, qua par foret, frequentiam non habentibus, nec requisito robore pellentibus, tardior fit liquoris cursus, & hinc minor spirituum animalium in fibras nerveas influxus, unde sanguis & lympha hoc orbata stimulo minutiore motu donantur, & testudineo solùm gressu circulantur, liquoribus ergò particulis volatilibus non ditatis, sulphura ut decet non expanduntur, nec impetentium acidorum aculeos, abs quibus coagulantur, declinare possunt, crassioribus alcalicis fermè quiescentibus impingentia acida effugere non fas est, eaque poris suis excipiunt; inde contingit tubulorum à coagulatis sulphuribus obstructio, liquorisque ab impedito materiæ subtilis libero per alcalicorum poros transitu fermentatio & rarefactio.

Causa Perinei Abscessus. Materia ætherea partes universas perpetim pervadens, spiritus animales indesinenti fluxu corpus irradiantes, & tenuiores sanguinis particulæ per vasorum poros irrequietè avolantes, liquoris extravasati particulas perpetuo motu exagitant & huc illuc impellunt, & in tubulos apertos adigunt; si sulphura jam ab acidis coagulata ità fortiter tubulorum parietibus inhærescant, ut ab illis extrudi nequeant, & acida alcalicorum poros opplentia ab ipsis deturbari non valeant, nec salia ab acidorum cum alcalicorum coalitu progenita, præ nimia illorum duritie ac rigiditate atteri atque perfringi non possint, intentior fit liquoris effusi motus, quàm perpetuum patiatur materiæ subtilis, spirituum animalium & particularum tenuiorū sanguinis vicini impulsum, nec ulla via aufugere ipsi vacet; & quum perduret pororum alcalicorum obturatio & inversio, & ab illis materiæ subtilis in ea prorumpentis propulsio; salia crassa duris rigidisque spiculis horrida in partium adjacentium fibras compulsa, & in earum poros aculeos suos insinuantia, illas discindunt & comminuunt, scrobemque sibi excavant, cui *Abscessus* nomen vulgò tribuitur. Restant adhuc phlegmata quædam, quæ alcalia dissolventia, ac reliquis liquoris effusi elementis intermixta fluiditatem materiæ congestæ concilant, & hæc materia in Abscessu comprehensa pus cognominatur, albedinem præ se ferens, oriturque [quando inflammatio à sanguine producitur] ex eo, quòd exhalatis tenuioribus delocatioribusque sulphuribus, quæ sanguinis globulis superextensa ejus rubedinem faciebant, chylosæ particulæ sulphure hoc defraudatæ, album conservent colorem.

Vlceris. In *Vlcus* facilè transit abscessus, quod vel Chirurgi manu inducitur, vel pus proprio marte carne & cute superjacentibus erosis exitum sibi molitur; quod fit, si pus diutiùs, quàm par est, in parte stagnet ac relinquatur; salia siquidem puris huc & illuc acta ambientes partes spiculis suis impetunt, earumque fibrillas dissecant & comminuunt: sin pus diutiùs in parte relinquatur, subsistente salium actione, fovea profundior ac latior devenit, fibrillisque partium ad superficiem externam urgentium ut reliquis exesis, ad cutim cuticulamque tandem perveniunt, quæ quum non sint ejus densitatis, atque duritiei, ut salium aculeis resistere valeant, ab iis tandem discinduntur & separantur, liberque conceditur puri effluxus.

Gangræna. Persistentibus tubulorum obstructionibus, & à novis coagulatis sulphuribus semper advenientibus adauctis, crassisque salibus fibrillarum poris infixis, parcior fit spirituum animalium in partem affluxus; oppleti siquidem vasorum tubuli fibrillas, quibus incumbunt, comprimunt & coarctant, prohibentque, ne copiosos excipiant cavitate sua spiritus, & si qui eas permeent, pori fibrillarum à salibus occupati vix illos admittunt, fibrillæ ergo spirituum subsidio carentes, assueta nequaquam gaudent tensione, sed concidunt, & flaccescunt, ideòque sensu orbantur, deficiente quoque tensione fibrillæ, ea qua decet vi, salium impetus non repellunt, nec ea à poris suis excutiunt, salia verò perpetuo indesinentique motu agitata, fibrillarumque poris infixa, eas discindunt & dissecant.

Prognosis. §. 11. Perinæi *Inflammationis* idem est finis, ac aliarum partium, nam si per poros non discutiatur, suppuratur; vel si malè tractetur, in Gangrænam degenerat; nec quoque periculo vacat partium vicinarum, tum externarum, tum internarum ratione, scroti, testiculorumque nimirum, ani, intestinorum, vesicularum seminalium, & urethræ.

Abscessus Perinæi nisi brevi aperiatur, carnes subjectas exedit, & pus in vicinas partes viam sibi sternit, & in partes usque penetrat internas, suppositaque ossa carie inficit, quare maximum ab illo imminet periculum.

Vlcus Perinæi meritò semper timorem incutere debet, quum pus acrius factum partes circumjacentes facili marte corrodat, & quum omnes Perinæi vicinæ partes tum internæ, tum externæ, si semel ulcere tactæ fuerint, difficillimam aut nullam admittant curam, nec temerè pronunciare possumus, maximum enim impendet periculum ab ulcere Perinæi. Ulcus pro ea, quam inducit, indole, faciliùs aut difficiliùs curatu est, vel etiam pro majori aut minori mora, quam pus in abscessu moram fecit.

Nisi protinus *Gangrænæ* Perinæi succurratur, vix è mortis faucibus eripi potest æger, propter vicinarum partium dispositionem ac indolem. Sed nulla salutis spes superest, si Gangræna à causa interna ortum duxerit.

Diæta. §. 12. Cura *Diætetica* consistit in eo, ut succi incrassati & stagnantes attenuentur, hinc omnia alimenta & potulenta, quæ succum nutritium exhibent dulcem, angue pejus fugienda; illa enim sunt, quæ obstructiones pariunt, & succos circulantes inspissant, coagulant ac stagnare faciunt, nec non omnia acida, austera, frigida & viscida, lutosum exhibentia chylum; Aer quoque frigidus ac nebulosus nocet, uti & motus nimius, exulent animi pathemata vulgò frigida dicta, ut mœror, tristitia, terror, &c.

Curatio morborum horum iuxta Galenicos. §. 13. *Curationem* Pharmaceutico-Chirurgicam Perinæi *Inflammationis* instituturi *Galenici* ad sanguinis ulteriorem influxum inhibendum revulsionis gratia venæsectionem celebrant in brachio dextro vel sinistro, prout ad dextrum vel sinistrum latus inflammatio hæc magis inclinat, ad derivandum quoque in talo uno vel altero idem peragunt opus; hinc pro partis accipientis corroboratione, ne plus admittat sanguinis aliunde affluentis, adstringentia admovent mediocria, epithemata nempe ex succis nymphææ, plantaginis, solani, portulacæ, vel linimenta ex oleo nymphææ, rosaceo, omphacino, myrtino, unguentum santalinum, vel cataplasmata ex foliis parietariæ, nymphææ, portulacæ, violariæ, semine endiviæ, dactylis, &c. in aqua decoctis, & diligenter contusis aut conquassatis, additis postmodum farina hordei, pulveribus florum chamomillæ & meliloti, cum oleo rosaceo parata. Fortiora adstringentia hoc in loco omittunt, ne constricto nimis sphinctere vesicæ & meatu urinario dysuria sequatur vehementiora symptomata inferens, quapropter interna quoque adhibent apozemata ex radicibus liquiritiæ, cichorii, ononidis, herbis malvæ, parietarię, capillorum Veneris, nymphęę, floribus violarum, nenuphar. borraginis, baccarum alkekengi, jujubarum, passularum, seminibus cucurbitę, melonum, althęę; quin si alvus simul adsit adstrictior, ne perinęum affectum fortiùs inde prematur, & urinę effluxus impediatur, eandem solvunt, & lubricam reddunt, vel sola cassia recens extracta, & vel in jusculo, vel decocto foliorum malvę propinata, vel electuario diacassię cum manna, & tandem incendium in totum extinguere conantur sequenti electuario.

℞. *Conserv. rosar.* ℥j.
Violar.
Nymph. aa. ℥ß.

Caul.

Caul. lactuc. condit. ℥iij.
Spec. diatrag. frigid. ℥iß.
Diatr. ſantal. ℥j.
De gemm. frigid. ℥ß.
M. cum ſ. q. Syr. nymph.
F. ſ. a. Electuarium.

Vergente Inflammatione ad ſuppurationem ſive in *Abſceſſum*, humorem intus collectum reſolvere ſtudent cataplaſmatis ex radicibus altheę, liliorum, foliis malvæ, floribus chamomillæ, meliloti in aqua coctis, contuſis & colatis, additis farina fabarum, ervi, oleo chamomillæ & axungia anſeris; aliquando locum ſimul inungunt unguento althææ; quibus ſi ſuppuratio fuerit promota, locum aperiunt ferro potiùs, quàm ruptorio, ne hac in parte major fiat eroſio, & ut puri citò exitus paretur, parteſque adjacentes ab eo liberentur. Foramini ſecundùm fibrarum longitudinem excitato ad dies aliquot digeſtivum imponunt, pureque ſatis evacuato, abſterſionem parant, uti ulcus requirit.

In recenti enim Perinæi *Vlcere* poſt abſceſſum modò excitato, poſt legitimum digeſtivorum uſum abſterſionem iſtam facilè inſtituunt decocto hordei, in quo mel roſatum fuerit diſſolutum; at in ulcere vetuſto pluribus aliquando remediis opus eſſe fatentur. Etenim ſi ad fiſtulam inclinare videatur, aut magna adſit materiæ copia, pro meliori abſterſione interna quoque offerunt decocta, quorū omnium loco ſequens eſſe poterit exēplar.

♃. *Rad. liquirit. raſ.* ℥ß.
Cichor.
Ononid.
Gramin.
Pentaphyll. aa. ℥ij.
Herb. parietar.
Agrimon.
Capillor. Vener.
Plantag.
Ceterach,
Fumar. aa. M. ß.
Flor. nymph.
Borrag.
Violar. aa. P. j.
Granor. alKeKeng. ℥iij.
Sem. 4. frigid. maj. aa. ℥iß.
Coq. in ſ. q. aq. commun.
In Colatur. ℔ij. *diſſolv.*
Syrup fumar.
Cichor. aa. ℥iß.
Oxymel ſimpl. ℥j.
M.

Vel

♃. *Decoct. hord. non. excort.* ℔j.
Mell. roſat. colat.
Syr. de cichor. ſimpl. aa. ℥j.
M.

Non minùs ipſum ulcus topicè abſtergunt decocto hordei, in quo mel roſatum fuerit diſſolutum, aut ſi profundius, aut fiſtuloſum exiſtat, ſimul cum hordeo radices ariſtolochiæ, Ireos Florent. herbas agrimon. beton. & aliquid thuris coquunt, & in decocto hoc aliquid de unguento Ægyptiaco diſſolvunt, itaque injiciunt, quibus ulcus probè mundatum carne explent, & conſolidant emplaſtro de janua, gratia Dei, vel alio quodam huic rei idoneo.

Gangrænam hoc in loco valdè exiſtimant eſſe periculoſam, & nonnulli ad ſanguinem corruptum proliciendum cutem hinc inde ſcarificant, & ad putredinem prohibendam cataplaſma imponunt ex farina lupinorum, ervi, fabarum, ſale communi, cum oxymelle paratum, quibus aliqui addunt aloen & myrrham. In profundiore Gangræna alii fotum priùs inſtituunt ex lixivio forti & aceto mixtis, in quibus radices ariſtolochiæ, vincetoxici, Ireos Florentinæ, herbæ abſinthium, ſcordium, ruta, lupini, &c. fuerint incocta, & poſt fotum demum imponunt cataplaſma. Cæterum ut in aliis locis gangræna infectis, ita etiam hic ſolent procedere.

§. 14. *Paracelſus* in Perinæi *Inflammatione* curanda, & decoctum lapidis calaminaris p. p. in aceto calidè adhibitum, & Sperniolam laudat; ad dolorem verò urentem ſedandum ſolani ſuccum cum nitro utiliter applicari poſſe opinatur. *Cura Paracelſi.*

In *Apoſtemate* Perinæi & *Vlcere* inde pronato interna ſudorifera commendat, ut infectio à morbo hoc introducta mundificetur, tum ad balſamum naturæ corroborandum emplaſtrum ſuum oppodeldoch, quod ad apoſtemata recentia quævis maturanda & mundificanda utiliſſimum judicat, hinc incarnativis ulceris conſolidationem abſolvit.

Ad *Gangrænam* etiam hujus regionis Realgar ſublimatum in aceto coctum adhibere ſolet, addito oleo majoranæ, ut linimenti formam acquirat, tum curativis eodem modo procedit, ut in ulceribus corrodentibus, approbatque emplaſtrum ex reſina abietis, viſco conſolidæ, pauco ſcammoniæ, & ſucco chelidonię paratum.

§. 15. *Helmontius* in Perinæi *Inflammatione* Archeum irritatum placare ſtudet, & proinde quocumque adimit ei inviſum, quo faciliùs deſinat à furore ſuo, dempta occaſione illa, per quam in furorem iſtum fuit accenſus, quod omnium optimè nitro antimoniato impetrari poſſe confidit, ſi interiùs ſumendum exhibeatur, ut ab excandeſcentia ſua deſiſtat, & vela furoris ſui retrahat, quo facto pars hæc ab incendio iſto liberabitur. *Helmontii.*

Ad *Apoſtema* Perinæi emolliendum & maturandum, vel ſanguinem hirci exteriùs applicat, vel pinguedinem leporis, ut faciliùs & citiùs rumpatur, ſicque cruor corruptus, & in pus converſus neceſſarium reperiat exitum.

In *Vlcere* hoc realgaria quoque fixa, & colchotar ſuum vitrioli commendat, ut ſanguinis corruptor ab iiſdem dometur, quo ſuperato novæ carnis in cavitate ſuccretionem & cicatrizationem pellis ſubſequutura eſſe, natura illa omnia ſibi parante operatrice, ſanctè promittit.

In ipſa partis hujus *Gangræna* lixivialia ſuadet, loco priùs profundè ſcarificato adhibita, utpote in quibus gangrænæ cauſa, acidum ſcilicet omne, emoriatur.

§. 16. *Vvilliſius* venæ ſectionem in Pærinæi *Inflammatione* utiliter inſtitui poſſe arbitratur, ut ſanguinis moram contrahens ad motum excitetur, & fomes iſte morbi hujus à venis aliquantum inanitis reſcindatur, reſorbeatur, & aliò deferatur; poſtmodum ad leniendum dolorem, & ne alvus conſtipata malum reddat deterius, enemata injici curat, & apozemata propinat ex radicibus graminis, ſcorzoneræ, acetoſæ, liquiritiæ, hordeo, herbis fragariæ, malvæ, violariæ, in aqua fontis parata, additis ſyrupo violarum, & lapide prunellæ. Urgente alvi adſtrictione majorem ſui ſolutionem, decoctum caſſię cum tamarindis, & floribus roſarum pallidarum ad uncias aliquot bibendum exhibet. Pro ſudore movendo, qui præmiſſis hiſce aliquando neceſſarius eſt, mixturam ſimplicem laudat, & externè cataplaſmata diſcutientia & emollientia imponit ex magmate decocti malvarum, betæ, flor. chamomillæ, &c. cum farina ſeminis lini & unguento dialtheæ, quo dolorem ſimul mitigari poſſe confidit. *Vvilliſii.*

Facto verò ex inflammatione iſta Perinæi *Abſceſſus* ſuppurationem ejus promovet cataplaſmatis, vel emplaſtris magis emollientibus & laxantibus ex farinis fęnigræci, hordei, fabarū, pulveribus radicis altheę, pulpa radicis lilior. albor. cæpa contuſa cum oleo lilior. alb. ſcorpionum, & pauca quantitate ſaponis, tum cutem cultello dirumpi vult, ut purulenta materia exitum habeat, & *Vlcus* digeſtivis, aliiſque remediis mundari poſſit; quod ſi factum fuerit, decocta vulneraria propinat, & præmiſſo pulvere ex oculis cancrorum, coralliis p. p. & lapide hæmatite p. p. balſamum de Capaiba tum intus exhibet in juſculis abſorbendum, tum foris inungit, vel ſi ulcus ſit deterius, decocto hordei & lupinorum, in quo vel colchotar Vitrioli, vel unguentum Ægyptiacum fuit diſſolutum, per ſyringam inſperſo, vel pannis eodem humectatis abſtergit & mundat, ut eo citiùs poſtmodum ulcus carne repleri & cicatrice obducta conſolidari poſſit, cui rei emplaſtrum

strum diapalmæ, aut sticticum *Crollii* inservire existimat.

Gangrænæ partis hujus occurrit epithematis ex aqua calcis vivæ, in qua camphora & saccharum saturni fuerint dissoluta, vel lixivio forti, aut cataplasmate ex farinis lupinorum, fabarum, orobi, herbis absinthio, scordio, mentha, carduo benedicto in lixivio paratis; additis theriaca, myrrha & aloe; nec interna omittit sudorifera, qualia sunt theriaca, diascordium, cerussa Antimonii diaphoretica, bezoarticum minerale, Sal. C. C. quibus hoc in affectu non parvam tribuendam esse ducit utilitatem.

Sylvii. §. 17. *Sylvius* in Perinæi *Inflammatione* haud aliter, quàm in aliarum partium inflammatione procedit, injectione nempe enematum emollientium, exhibitione diaphoreticorum, instituta venæsectione & applicatione fotuum, unguentorum & cataplasmatum itidem emollientium, quibus si inflammatio inhiberi non potuerit, sed *Abscessus* ad suppurationem pergat, hanc promovere studet cataplasmatis iisdem emollientibus, additis cæpis assis & contusis, ut maturatio eo citiùs expediatur, tunc abscessum aperit, mundativis abstergit & consolidat.

Ulcera Perinæum invadentia, cùm ut reliqua ab acido acri originem sumant, eadem reposcere ait remedia, quæ aliis conveniunt, & proinde hic eadem de novo manifestare recusat.

In *Gangræna* Perinæi sudorifera suadet, & externa cataplasmata ex ruta, scordio, nasturtio, absinthio, floribus sambuci, semine urticæ in muria coctis, addito spiritu vini, quæ diligenter vult imponenda, & omnimodo sphacelum præcavendum.

Cura Cartesianorum. §. 18. *Cartesianorum* cura in Perinæi *Inflammatione* hæc est, ut succi incrassati in partium Perinæi tubulis hærentes attenuentur, & particulæ angulares hebetentur, flectantur & eliminentur, quare alvum modicè solventia hoc in casu non omninò rejiciunt, diuretica verò & diaphoretica planè ducunt necessaria, ex quibus sequens æstimatur mixtura.

℞. *Aq. petrosel.* ℥j.
Fumar.
Flor. sambuc. aa. ʒvj.
Ocul. cancror. ʒj.
Antimonii diaphoret. ʒß.
Sperm. ceti ℈j.
Laudan. opiat. gr. ij.
Sacchar. canth. alb. ʒij.
M. d. cochleatim.

Spiritum quoque cochlearię, lumbricorum, Sal. ammoniaci, & hujus generis plura volatilia magnoperè laudant, quòd valdè penetrent, coagulationem quamcunque dissolvant, & tubulos aperiant, unde & eadem externè apponunt forma cataplasmatum ex radicibus asparagi, bryoniæ, barbanæ, herbis alsine, cherefolio, cicutaria, petroselino, beccabunga, floribus chamomillæ, sambuci, camphora, sulphure, spermate ceti, fæce cerevisiæ, spiritu vini, vel linimentum parant ex sulphure, bolo Armeno, croco & camphora cum spiritu vini, quo adhibito tubulos apertum, & particulas angulares correctum & absorptum iri promittunt, ut tumor omnis discutiatur; quem scopum etiam emplastrum de minio, de spermate ceti, vel diapalmæ aliquando attigisse observarunt.

In *Abscessu* Perinæi non diu morantur, sed suppurationem promovere student cataplasmatis emollientibus ex radicibus allii, liliorum, althææ, bryoniæ herbis parietaria, chærefolio, verbasco, beta, branca ursina, floribus meliloti, chamomillæ, croco, ficubus, in cerevisia coctis, additis farina fabarum, hordei, fœnigræci, axungia porci, anseris, butyro, oleo liliorum, florum sambuci, terebinthina, opopanace, melle fermento, sapone, unguento basilico, althææ, abs quibus omnibus fibræ emolliuntur, tubuli dilatantur, & succi fortiùs compressi resolvuntur, ut à materia subtili faciliùs commoveantur; tum ut pori cutanei magis reddantur aperti, & materia intus contenta fortiùs attenuetur, penetrantiora quædam prioribus adjungunt, ut sal tartari, calcem vivam, sal armoniacum, abs quibus si materia purulenta ad effluxum satis sit disposita, ei exitum parant, cutem cultello vel lancetta aperiendo, & post ejusdem effluxum cavitatem emundant linimentis ex terebinthina cum melle, vel axungia ovis, gummi elemi, myrrha, croco, & oleo ovorum; tandem eandem cavitatem carne opplent, mediante balsamo Italico, vel Peruviano, & emplastro diasulphuris cutisque generationem promovent unguento diapompholygos, vel emplastro oppodeldoch *Vvurtzii*, ut integrè ita obtegatur.

Et hac ratione quoque procedunt in *Ulcere* Perinæi, quod ab apostemate pronatum, expositam modò reposcere dicunt curationem, non multùm quoque ab ea discrepantem, si ab externa quadam re corrodente, urina salsa, vel succo spermatico Venereo partem hanc alluente proveniat, his enim ulcusculis pulverem aliquando inspergunt ex C.C. philosophicè præparato, lapide calaminari, terra Vitrioli dulci, myrrha, cerussa, Thutia, vel aqua calcis vivæ, spiritu vini camphorato & theriacali abluunt, & emplastro de gratia Dei ad perfectam sanationem usque obtegunt.

Ab *Gangrænam* Perinæi tollendam maximè necessaria censent diaphoretica ex teriaca, diascordio, antimonio diaphoretico, Mercurio sublimato, hinc angulares particulas absorbentia & hebetantia ex oculis cancrorum, terra sigillata, spermate ceti, C.C. exhibent, quibus præmissis Perinæum abluunt spiritu vini, in quo vel aloe, myrrha, sal Saturni, succus chelidonii, vel unguentum Ægyptiacum fuerint dissoluta; ad separationem partis corruptæ à sana obtinendam, epithema ex spiritu matricali, vel cataplasma imponunt ex scordio, absinthio, ruta, cicutaria, radice aristolochiæ rotundæ, sale armoniaco in lixivio fortissimo & spiritu vini coctis, additis in fine aloe, myrrha, & aqua vitæ, vel ex calce viva, & creta in aqua coctis lixivium parant, quo Perinæum fovere solent. Impetrata sic corruptæ partis à sana separatione, unguento Basilico vel Apostolorum suppurationem instituunt, & partem bene mundatam non aliter, ac in ulceribus, carne & cute de novo investiunt.

Nostra Perinæi morbos curandi ratio. §. 19. Prima *Nostra* in depellenda *Inflammatione* hujus partis cura est, ut omni opera annitamur id, quod ob crassitiem stagnat, resolvere & attenuare, ne Inflammatio ad suppurationem tendat, & fermentatio, quæ in partibus his excitatur, inter succos stagnantes impediatur. In hunc finem conducunt interna sudorifera tum volatilia, tum fixa, item decoctum lignorum. Inter topica sequens rarò te fallet.

℞. *Summit. absinth.*
Rorismar.
Rutæ aa. M. j.
Semin. cumin.
Levistic. aa. ʒj.
Salis Tartari,
Armon. aa. ʒ i ß.
Incis. & contus. coq. in mulsa, vel vino Gallico, adde fæcum vini ℥ ij. *& panis biscoct.* q. s. pro cataplasmate, quod imponatur calidè & quater in die de novo applicando repetatur. Vel

℞. *Rad. Galang.*
Irid.
Bryon. aa. ℥ß.
Herb. aneth.
Phelland.
Abrotan.
Menth. aa. M. i ß.
Bacc. lauri,
Iunip. aa. ℥ij.
Salis Tartari,
Armon. aa. ʒ i ß.
Coq. in mulsa & aqua, & addito pane biscocto, F. Cataplasma! vel cum spiritu vini eliciatur essentia, cui addatur spiritus vini camphoratus, & cum linteo duplicato epithematis instar adhibeatur. Possunt & addi elixir vitæ, myrrha, sal armoniacum, aloe, camphora, & itidem linteis duplicatis sæpiùs applicari.

In-

Inflammatione verò jam ad suppurationem tendente, factoque *Abscessu*, sequentibus utendum est remediis.

♃. *Cæp. alb. sub cinerib. coct.* No. 2.
Herb. malv.
Bismalv. aa. M. ß.
Sumit. absinth.
Centaur. min.
Salv.
Scord. aa. M. j.
Flor. Chamomill.
Melilot. aa. P. j.
Salis Tartari,
Armoniaci aa. ℥ ß.
Cum hydromel. coq. ad consistentiam cataplasmatis, addendo medull. panis alb. q. s. ♃ *Unguent. Basil.* ℥ j.
quod suppurationem maximè promovet. Vel si emplastrum desideras:

♃. *Emplastr. de labdan.* ℥ j.
Unguent. Basil. ʒ j.
Gumm. Ammon.
Sagapen. aa. ʒ ij.
Tacamahac. ʒ j.
M.

Ad sanguinem attenuandum, acidum temperandum, & sic per consequens circulationem, quæ in partibus his imminuta est, promovendam, imprimis convenit elixir vitæ n. d. abscessui inditum, vel sequens intus exhibeantur, quod constat ex volatilibus aromaticis, salibus, spiritus, & oleis cum nonnullis alcalibus.

♃. *Ocul. cancror. pulv.* ℈ j.
Antimonii diaphoret. ℥ ß.
Salis absinth. gr. xiv.
Sperm. ceti ℈ i ß.
Elixir. vitæ ℥. j.
Spir. theriac. camph. ℥ ß.
Cephal. oleos n. gt. x.
Vin. Hispan. ℥ iiij.
F. Mixtura, cujus assumat æger cochlear unum & alterum, donec sudor emanare incipit, quod signum erit optimæ circulationis succorum, impedit & febrem, & alia symptomata, febris enim à perturbata mixtione & spissitudine succorum oritur.

In confinii hujus *Vlceribus* ante omnia succi acres & viscidi stagnantes fluidiores & spirituosiores reddendi sunt, in quem finem conducunt varia volatilia sudorifera, imprimis sequens, vel simile decoctum.

♃. *Ligni sancti* ℥ ij.
Sassafr. ℥ j.
Rad. salsaparill.
Pimpinell.
Enul. camp. aa. ℥ ß.
Herb. scord.
Nasturt. aquat. aa. M. j.
Salis Tartari ʒ j.
Incis. coq. in s. q. aq. & vin. & assumat æger in hoc potu spiritu cephal. oleos. cum elix. vitæ, vel dentur simul acidum temperantia ex oculis cancrorum, Antimonio diaphoret & myrrha. Inter topica sequens commendamus, imprimis ubi ulcus sordidum est.

♃. *Unguent. Apost.* ℥ ß.
Extract. inspissat. centaur. min. ʒ iij.
Spir. sal armoniaci gt. x.
Elixir. vitæ, vel
Essent. myrrh.
Spir. Mastic. aa. ℥ ß.
M.

♃. *Rad. Gentian.*
Angelic. aa. ℥ ß.
Herb. scord.
Centaur.
Absinth. aa. P. j.
Pulv. colocynth. ʒ ij.
Salis Tartari,
Ammoniaci aa. ʒ j.
Coq. in vino Gallico aut Hispan. add. Elix. vitæ ℥ ß.
M.

Vel

♃. *Herb. trifol. fibr.* M. j.
Scord.
Card. bened aa. M. ß.
Myrrh.
Aloes aa. ʒ iij.
Coq. in vase bene clauso in s. q. Vin. Hispan. Colatur. ad ℥ xv. *add. Elixir vitæ* ℥ ß.
Applicetur quater de die & plumaceolis tegatur.

Vel sequens.

♃. *Essent. myrrh.* ʒ iij.
Aloes ʒ ij.
Spir. vin. camphor.
Aq. Regin. Ung. ℥ j.
Salis alKali, oder Bottasch, ʒ i ß.
Ocul. cancror.
Antimonii diaphor.
Camphor. aa ʒ j.
M. & calidè applicetur sæpius de die.

In curatione *Gangrænæ* hujus partis semper respiciendum est ad causam occasionalem, & quia sæpe post inflammationem Gangræna oboriri solet, hinc omnia ea, quæ obstructiones reserant, optima sunt, & internè & externè conducunt. Internè ergò sudorifera quæcumque volatilia conveniunt sæpius exhibenda. Inter externa præ aliis hoc in casu sequens conducet.

♃. *Herb. Scord.*
Rutæ,
Absinth.
Salv.
Levistic. aa. M. i ß.
Phellandr. M. j.
Baccar. laur.
Iunip. aa. ℥ ij.
Sem. fœnic.
Cumin.
Anis. aa. ℥ j.
Myrrh.
Aloes aa. ℥ v.
Salis Tartari,
Armoniaci aa. ℥ ij.
Nuc. Mosch.
Macis,
Caryophyll. aa. ℥ i ß.
Superfund. spiritus vin. apt. & extrah. Tinctura, ex residuo verò F. Cataplasma, quod adjecta campnora sæpius de die erit applicandum.

CAPUT VII.

De Vmbilici Hernia, & Musculorum Abdominis Inflammatione.

§. I. **P**Ariter ac ossa situm suum mutant, molliorum quoque partium contiguitas aliquando dissociatione solvitur, harumque morbi in positu, prout dicunt, contingunt: vel quatenus saltem è loco suo ordinario ad aliam corporis partem transponuntur, & Hernias propriè dictas constituunt, vel quatenus planè extra corporis limites proscribuntur. Umbilicum modestè protuberantem habere decoru est, indecorum verò, imò molestum, sæp etiam periculosum, si ultra decorem & modum promineat. Qua locum duntaxat mutant, frequentiùs intestina sunt atque omentum, non semper ex laceratione Peritonæi, sed

sed ejusdem etiam extensione; rariùs verò alia viscera præter prædicta elabuntur. *Spigelius de humani corporis Fabrica lib. 8. cap. 14.* refert, Herniam à liene contigisse, quod tamen inter raro contingentia numerandum. Epar. extra hypocondrium suum ab umbilicum præcidisse, huncque in tumorem notabilem elevasse, in fœtu observarunt Auctores. Sic & vas deferens ad scrotum aliquoties delapsum fuisse *Barbette Chirurg. cap. 7.* testatur. Spectat & huc illa Hernia à ventriculo, cujus *Hildanus p. 615.* mentionem injicit, item ab utero, à renibus, aliisque partibus, de quibus videatur instar omnium. *Hildanus p. 893. Blegny de Arte Herniaria p. 1. S. 1. c. 5.* & *Zodiac. Ann. 1681. p. 52.* & Caput superius de Hernia Intestinali & Omentali; hic verò tractamus de illa Hernia, ubi viscera prolabuntur ad Umbilicum, constituuntque *Omphalocelen*, Germanis *ein Nabelburch*, dicitur & latiùs Umbilici Prominentia, Dilatatio, Excrescentia, Egressio, Procidentia, Intumescentia, Tumor, Protuberantia, Extuberantia, Hernia Umbilicalis; sed ad quem usum queso tot nomina uni rei clarè perceptibili imposuere veteres? Extraordinariè tamen illa etiam aliquando supra umbilicum prodeunt, quale exemplum Hildanus *Cent. 3. Observ. 64.* habeat, vel in latere umbilici, quale quid *Platerus lib. 3 p. 758.* consignavit, vel supra & infra umbilicum simul, item ad lumbos, uti *Barbette* l. a. testatur, vel, quod tanquam singulare *Blegny* profert in fœminis ad pudendorum labia.

Contingit etiam aliquando ipsis Musculis Abdominis *Inflammatio*, quæ cùm regioni huic magnam creet molestiam, & viscerum non modò œconomiæ incommodet, sed respirationi quoque sit obstaculo, eandem priori Umbilici Prominentiæ specialius subjungemus examinandam.

Musculorum Abdominis Inflammatio.

§. 2. *Partes affectæ* sunt 1. *Umbilicus*, qui constat ex vasis umbilicalibus, ab Anatomicis recentioribus & veteribus ità dictis, quorum numerus in diversis animalibus varius est & diversus: umbilicus verò hominis constat una vena, arteriis duabus & ligamento, quod vocatur urachus; nonnullis autem præter recensita adhuc alia à Mesenterio orta adjunguntur, de quibus omnibus sigillatim videas Cl. D. *Blankardi Anatom. cap. de secund. p. m. 175.*

Partes affectæ.

II. *Musculi Abdominis*, quorum à nonnullis, rectorum in quatuor dispescentibus, octo, à pluribus verò quinque recensentur paria, quorum primum est obliquè descendentium, secundum obliquè adscendentium, tertium transversorum, quartum rectorum, quintum pyramidalium, abs quibus omnibus pro faciliori respiratione, succorum in visceribus protrusione, & excrementorum exclusione, abdomen varie constringitur, comprimitur, dilatatur, de quibus plura desiderantibus Anatomicorum scripta sunt pervestiganda.

§. 3. *Differentias* Umbilici Prominentiæ desumunt Veteres à causis propinquioribus, hinc quæ ab aqua oritur, Hydromphalos dicitur, quæ à flatibus, Pneumatomphalos, quæ ab intestinorum prolapsu, Enteromphalos, quæ ab omenti procidentia, Epiplomphalos, quæ tandem à carne increscente, Sarcomphalos, quæ à sanguine fluido ibidem stagnante & collecto oritur, ridicule Hæmatomphalos appellatur.

Diagnosis Herniæ Umbilicalis.

§. 4. *Dignoscitur* hæc *Procidentia Umbilici*, & ab aliis ipsius tumoribus distnguitur, primò, quòd Hernia aquosa sit tumor laxior, & ad digitorum tactum non recedat, admota candela pellucidus apareat, ac commotus fluctuationis sonum edat. (2.) Flatulenta digitis cedat, mox tamen redeat, percussa sonum edat ac in quocumque corporis situ eandem formam & molem retineat. (3.) In carnosa durities major fit, quæ digitis nullo modo cedit, semperque eadem sub quovis corporis situ apparet, cùm è contra Hernia vera mollitiem aliquam, non tamen aqueam, nec duritiem carneam habeat, ac in supinis cedat.

Num verò Umbilici prolapsus ab intestinis, an ab omento exortus sit, concluditur, quòd ille mediocrem duritiem & majorem tensionem præ se ferat, circa basin angustior sit, à spiritus cohibitione magis intumescat, & ægro resupinato, maximè si manu prematur, cum murmure aliquo detumescat; hic verò, sive omentalis, una in parte mollior, ac in altera, existat; adeòque si manibus eum quis contrectare velit, hac elabatur, & pressus absque ullo strepitu subsideat. Ut hæc omnia clariùs appareant, admota candela partes hæ sunt conspiciendæ. Ad Diagnosin quoque hanc magis illustrandam facit Cl. D. *Stalparti Obs. 53. Cent. 1. Obs. rarior.* quæ ita habet; Mariæ Theodori, viduæ Gerardi de Graf, fabri liginarii, anno ætatis 30. tertio partu Hernia Umbilicalis nata; quæ triginta sequentibus annis, quo tempore præter alios illa undecim infantes peperit, ita crevit, ut anno 1681. adulti hominis caput magnitudine longè superaret, adeo ut intestina hoc tumore conclusa externa parte apte sentiri possent. Maximè illa oppressam se sentiebat, cùm nec flatus, nec fæces per alvum emittere posset, ac ante 5. vel 6. annos usque adeo obstipata alvo erat, ut occluso versus inferiora transitu, per os erumperent excrementa. Cui malo illam variorum clysterum usus denique exemit. Cùmque ea erecto sederet corpore, femoribus ejus sustinebatur hic tumor, vacuusque omninò ferè venter erat, quamvis vinculis tumorem assiduè frænaret: quò referri potest Obs. *Plateri lib. 3. p. 713* item *Benivenii p. 144. c. 5.*

Musculorum Abdominis Inflammationis.

Musculorum Abdominis *Inflammatio* facilè in sensus incurrit, & bene distinguendum, num hoc malum fuerit à lue Venerea, in qua omnes Abdominis Musculos aliquando inflammatos observavi; sic & ab externa causa contusione, lapsu, &c. facilè oboriri potest, & sæpe excoriatio sequitur cuticulæ. Symptomata adsunt prout in aliarum partium inflammationibus, v. gr. tumor, calor, dolor pulsatorius, & color in ruborem transmutatus.

Causæ Morborum horum secundum Galenicos.

§. 5. *Ætiologiam* morborum horum ita formant *Galenici*, ut in *Umbilici Hernia* accusent vagitum nimium in puerulis, contentionem, retentionem spiritus & clamorem; in mulieribus verò nixum maximum inter pariendum, quo tempore uterum, musculos abdominis, & cutem umbilici extensos esse norunt; aut saltum magnum: & has quidem causas esse ducunt efficientes, ad materiales autem referunt intestina peritoneo dilatato extra abdomen egredientia, omentum, flatus, aquam è vasis umbilicalibus pedetentim exsudantē, in cavitate umbilici collectam, & ibidem coacervatam, carnem in eadem cavitate excrescentem, aut aneurisma ex arteriis umbilicalibus recens dissectis pronatum.

Inter *Inflammationis* Musculorum *Abdominis* causas recensent tum sanguinem copiosiorem, tum calorem in eodem accensum, tum agitationem & dolorem musculorum horumce, sanguinem istum vel purum, vel aliis humoribus, maximè biliosis commixtum attrahentem, ut vel in vulneribus, vel percussionibus, vel ulceribus, aliisve malis partibus hisce contingentibus accidere soleat.

Paracelsum.

§. 6. *Paracelsus* Herniæ *Umbilicalis* causam vel liquorem salis hujus partis resoluti in aquosa statuit, in flatuosa verò prȩter salis resolutionem, inflationem siccam arsenicalem, ventumque quendam australē versus meridiem hac microcosmi fortiter flantē, & in carnosa liquorem nutritivum à vera membranȩ umbilicalis substantia separatum, & in excrescentiam hujusmodi transeuntem.

Inflammationis Musculorum *Abdominis* causam adscribit sali arsenicali ad musculos hos allapso, & eosdem non modò in tumorem elevanti, sed tanquam ignea quadam vi dolorosè accedenti.

Helmontium.

§. 7. *Helmontius* in Hernia *Umbilicali* accusat nimiam flatuum intestinalium agitationem multiplici de causa excitatam, maximè ob tormina puerorum, hinc valdè inclamantium, aut abdominis nimiam distensionem à diuturniori halitus retentione in conatibus vehementioribus suscitatam. *Abdominis* Musculorum *Inflammationem* Archeo eorum ab occasionali quadam causa irritato & excandescenti adscribere consuevit.

Vuillisium.

§. 8. *Vuillisius* in Uumbilici *Hernia* ut causas admittit flatus, aquam, excrescentiam carnosam, intestina vel omentum ob peritonæum à causa violenta vel dilatatum, vel ruptum versus umbilicum collecta aut impulsa, & pelliculam istam umbilicalem

in

in grandem aliquando tumorem distendendo propellentia.

Inflammationem Musculorum *Abdominis* originem sumere putat à sanguine crassiore in vasis musculorum horum diutiùs hærente, & iisdem tandem diruptis extravasato, & copiosiùs aggesto, uti facilè ista sanguinis dispositio acquiri possit ob nimiam incalescentiam, à potu calido, motu vehementiori, & subitaneam hanc sequentem refrigerationem diuturniorem, contusionem aut vasorum diruptionem per vulnera, aut alia quędam infortunia inductam.

ium.

§. 9. *Sylvius* Herniam *Umbilicalem* à vehementi vẽtris compressione qualicumque, sive propter clamores, sive expulsionem fæcum aut fœtus in mulieribus instituta pronasci posse profitetur, *Musculorum* verò Abdominis *Inflammationem* à sanguine extravasato, & in iisdem corrupto, & incenso oriri firmiter opinatur.

tesianos.

§. 10. *Cartesianis* videtur Umbilici *Hernia* produci à vehementi qualibet abdominis distentione, vociferatione, clamore, expulsione, intestinorum nimia à potu ciboque repletione, unde omentum ad exitum aut procidentiam hujusmodi propellatur, quam umbilici laxior religatio promovere soleat, frequentiùs autem in gravidis prominentiam hanc ideò excitari dicunt, quòd intestina repleta à fœtu compulsa umbilicum ita premant, ut hac ratione prolabatur.

Musculorum Abdominis *Inflammatio* iis provenit à succorum in arteriolis incrassatorum stagnatione diuturniore, cui ansam præbere dicunt motum corporis nimium & incalescentiam, unde salibus succorum volatilioribus evanescentibus, crassiores ad motum minus promptæ remaneant, & tubulos obstruant, qui non nisi materiam cœlestem igneam admittant, quod à frigore succos ad quietem disponente, concussione canales & tubulos comprimente & lacerante, aut vulneribus eosdem dirumpentibus similiter fieri docent, cùm extremitates corrugatæ succos detineant, & stagnare faciant, quapropter materiæ illi subtili eadem actio, ut in priori statu, concilietur.

Nostrum ...icium de ...sa Hernia Umbili-

§. 11. *Me* judice *Hernia Umbilici* rarissimè oboritur à peritonæi ruptura, frequentiùs verò ab ejusdem laxatione provenit, ad latera depressis musculis rectis, ob varias easque externas & internas causas, uti verbi gratia, ex partu difficiliore Herniam hanc, præter experientiam *Hildani Cen.3. Obs.53.* & nos sæpiùs observavimus; sic & nuper in fœmina ex casu, quam & *Bartholinus Cent.6. hist.7.* ex colica notavit, & ab imaginatione matris connatam *Scultetus Armament. Chirurg. Obs.60.* testatur, unde rectè *Barbette cap.74.* docet, rarissimè rumpi peritonæum, seque in apertis addit, cadaveribus non semel observasse ac demonstrasse, umbilicum cum insequentibus intestinis protuberasse majori tumore, quàm est viri caput, ita ut abdominis recti musculi hinc ad latera pressi, & à se invicem separati essent; extensum tamen tantùm erat peritonæum, nullibi autem ruptum. Peritonæum enim mirum in modum extendi ac dilatari posse, lippis ac tonsoribus notum est, uti illud non dumtaxat in hydropicis conspicitur, sed & eodem modo se res habet circa alias mẽbranas. Sic nimirum maxima fit extensio membranæ cerebri in hydrocephalo, nec non membranæ scroti, ortis in eadem herniis, scrotum enim ad magnitudinem capitis humani extensum sæpiùs vidi. In venis quoque, arteriisque, in aneurismatibus scilicet & varicibus, quarum mirum in modum sæpe extenduntur membranæ. Sic & per clamores, vomitus, tusses, saltationes, fortiores flatus aut curruum motitationes, equitationes, tubarum inflationes, ponderis gravioris elevationes, internasve musculorum abdominis in partu pressiones, duriorum fæcum expulsiones, externam ventris contra duriorem quandam materiam pressionem, peritonæi fieri posse dilatationem nemo dubitet, peritonæum enim circa umbilicum tenuissimum est, ita ut per ejus expansionem intestina versus efformatam inclinent cavitatem, sicque Exomphalum producant. A colluvie itidem & stagnatione humorum circa umbilicum intestinum ileon laxato peritonæo è sede sua elabi, & tumorem produci posse, nos sæpe observavimus. Umbilicalis funiculus quandoque etiam dilatatur, ceu constat experientia plurium Chirurgorum. Sic Clariss. D. *BlanKardus de morb. puer. Obs.9.* de mirando quodam & insolito pueri cujusdam anno 1682. nati exomphalo, à cujus umbilico propendebat funiculus, qui longitudinem ulnæ quadrantis cum semisse, digitique minoris æquabat crassitiem, in cujus extremitate globulus quidam rotundus, qui duplicis pugni magnitudinem excedens, tenui obductus erat membrana, per quam motus intestinorum peristalticus optimè animadverti poterat. Idem *Obs.11.* ejusdem *lib.1.* meminit infantis, qui intestinis extra abdomen propendẽtibus natus erat, quia mater quodam ante partum tempore per plateam obambulans felem viderat, cujus corpus curru quodam ita erat protritum, ut extra abdomen propenderent intestina. Simile exemplum observavit Cl. D. *Stalpart. Observ. rarior. 33. Cent. post.* Parturientibus quoque à vehementi spiritus cohibitione hernia umbilici oritur; rumpitur aut dilatatur enim violentia peritonæum, & intestina prominentia tumorem pariunt. Maximè tamen affectus hic infantibus est familiaris, si quando umbilicus iis non ritè ligatur, vel fortiter attrahitur, aut dum laxatur peritonæum in his delicatulis, & tumores ac flatus spatio se insinuant, ex ejulatu & tussi, abs quibus tenellum peritonæum aliquando etiam rumpitur.

Musculorũ Abdominis Inflammationis.

Causæ *Musculorum* Abdominis *Inflammationis* sunt vel læsiones externæ, vel spina quædam interna, & fiunt utplurimùm propter motum humorum circulantium impeditum indeque ortam stagnationem. Læsiones externæ sunt contusiones & conquassationes. Per spinam internam intelligimus singulas particulas poris partium harum non conformes, quæ impediunt humores, ne ritè circulentur; adeòque stagnatio fit circa musculos hos abdominis, in quibus autem partibus ejusmodi particularũ fit stagnatio, ibi oritur inflãmatio.

Prognosis Herniæ umbilicalis.

§. 12. *Prognosin* quod concernit, *Hernia Umbilicalis* est periculosus affectus, facilè enim inflammatio, & apostema eandem sequuntur, quæ mors ipsa excipit, quale exemplum non ita pridem observavit optimus senex Cl. D. *Michael Angelocrator*, Collega meus colendus, in fœmina 56. annorum, quæ jam hernia umbilicali laborans à motu vehementiore incidit in colicam cum vomitu enormi omnium contentorum, ad quam curandam imposuit herniæ umbilicali ferreum operculum intensè calefactum, unde non tantùm dolores reddebantur intensiores, sed & simul inflammatio circa herniam cum metu gangrænæ aderat, cui varia adhibita fuere remedia, & quidem optima, sed frustrà, circa herniam enim oritur abscessus, qui à Chirurgo aulico nostro *Muttiliet* aperiebatur, pus quod effluebat, erat maximè fœtidum cum pinguedine, abscessus etiam spontè fuit ruptus, ex quo magna quantitas puris & pinguedinis liquefactæ emanabat, tandem peritonæum una cum omento & aliis adjacentibus partibus, intestinis nempe, inventa fuere nigra & sphacelata, accessit febris cum angina, vires de die in diem minuebantur, & sic matrona illa halitum ducere desiit. Si tamen malum fuerit adhuc recens & non adeò vehemens, aliquando curari potest. Curantur verò herniæ hæ faciliùs in ipsis infantibus, difficilius in senibus, ità ut rarioribus rectè accenseat *Hildanus* l.a. herniosum seniorem sanatum, utut ejus exempla nonnulla ibidem adducat, confer *Hieronymum Fabricium ab Aquapendente*. Facile etiam circa hernias has oriuntur fungosi & scirrhosi tumores, & de quibus confer *Zodiac. Gall. M. Ann 1. p.119.* Multis hoc malo afflictis lethalis tandem ileos supervenit, vel vomitiones diuturnæ, vel tabes, ceu ego novi exemplum. Si diuturna fuerit *Umbilici Procidentia*, & sine dolore ad magnitudinem capitis infantis procreverit, frustrà repulsio tentabitur, & sine curatione per totam vitam geretur. Communiter tamen infantum hac in parte eminentiæ faciliorem admittunt medelam, quàm adultorum, præsertim si gravia in his subsequantur symptomata, qualia sunt colicæ & iliacæ passiones, vomitiones, &c.

Prognosis Inflammationis musculorum Abdominis.

Inflammatio Musculorum *Abdominis* quo recentior est, eo faciliorem admittit curationem, quamvis eandē frequentius subsequatur abscessus multa apportans mala. Quamdiu durat, tum respiratio insigne patitur impedimentum, & non sine dolore instituitur, tum succorum in visceribus propulsio, & fæcum per intestina exclusio, quæ mediante musculorum horum motu peragendæ sunt operationes, difficilius procedunt. Sæpe ex interiori quodam abscessu materia purulenta per musculos hosce sibi exitum parās, huic inflammationi ansā præbet, cujus curatio utplurimùm est desperata, quandoquidem intestina aut alia quædam viscera eo in casu sæpe sunt corrupta, quam inflammationem quoq; quàm frequenter gangræna & tandem sphacelus ipse prehendunt. Ab externa quadam causa si fuerit introducta, & peritonæum cum obtectis visceribus planè existat integrum, aut remediis idoneis pro tempore & prudenter adhibitis discuti, aut ad suppurationem promoveri potest, abscessusque non itá difficulter sanari, modò per vehementiorem contusionem plurimi musculorum tubuli & canales non fuerint destructi, & pus intus collectum, absque ulla corrosivitate existat, mite & in omni puncto laudabile.

Diæta.

§. 13. *Diæta* consistit in rerum illarum, sine quibus vita nostra commodè trahi nequit, legitimo usu, quem meritò ægri attendere debent. Primò se offert *Aer*, vitandus est frigidus & humidus, nervis enim & membranis, & simul umbilico ac intestinis inimicissimus. Eligatur purus, amœnus, temperatus, nullis inquinatus nebulis, aliisque impuritatibus, fumosus enim aliusque, qui sternutationem excitare potest, herniosis cane pejus & angue fugiendus.

Cibus cùm suggerat succis nostris pabulum lacteum, sit boni succi, pro optimi lactis generatione. Vitentur acres, difficiles, paucique succi, ut sunt frigidi, aquosi, flatulenti, crassi, leguminosi, incoctiles, salsi, panis non probè fermentatus, carnes fumo induratæ, fructus æstivi, & omne ciborum genus, quod ventrem constipare & flatus inducere aptum natum est, ne umbilicus protrudatur, errores enim sequentes committi possunt in cibo: 1. Peccatum copiæ, in voracitate & ingurgitatione: 2. Peccatū inopiæ, cùm quis inedia laboret, & abstineat cibo, aut eo vescatur, qui nō satis nutrit.

Potus, qui ut cibo magis necessarius est, itá potest plurimùm nocere, quando non confert unquam. Potus sit in herniosis cerevisia Brunsvicensis vel alia optima, ab omni heterogeneitate fæculenta acidaque libera, non nimis recens, nec acescens & inveterata, medicata etiam ex herbis traumaticis, vel oculis cancrorum maritata usum habebit egregium. Sic & vinum modicè, imprimis Gallicum ac Hispanicum concedi potest, vel rubrum Germanicum, stomacho gratissimum. Potus verò Theæ, vel Coffeæ, vel Chocoladæ, reliquis potulentis anteferendus in his malis. Caveatur frigidior, qui herniosis aliquando funestus est, ut vitam extinguat subitò, ut aliquot novimus exempla, inde enim suscitantur obstrictiones, convulsiones & stagnationes lethales.

Motus quieti oppositus, moderatus & parcus suadendus, ut enim taceamus communes noxas in nostro casu, nil magis prolapsui intestinorum ac umbilici velificatur, quàm motus violentior; *Quieti* ergò potiùs indulgendum est, qua sola herniosos curatos novimus, fugiantur verò equitatio, saltatio, cursus, elevatio & gestatio oneris gravioris, jaculatio, & quicquid musculos & ligamenta umbilicumque extendere & dirumpere valet, procul absit. A clamoribus & vociferationibus sibi maximè caveat, quæ omnia peritonæum tendunt, & gravius excitant malum.

Somnus cùm functionum animalium quies sit, vires restauret & dolores mitiget, ægro commendatus esse debet, ut sufficiens sit, & sic alterna requies etiam umbilico quietem vel ipso decubitu concedat, vigiliæ productæ exulare debent.

Excreta assumpti respondeant, & curiosè imprimis alvi munus cordi habeatur, ut non cesset, vel si id fiat, admoneatur lenientibus cremore Tartari, passulis, clystere, arcano duplicato, &c.

Animi pathemata omnia dictamen sanæ mentis sequatur, vitet æger iram, quæ varias spirituum commotiones & dispersiones, succorumque coagulationes producit. Animus sui sit compos & placidus, pellat timorem, nec dolor adsit.

Inflammationis Musculorum Abdominis Diæta cū prædicta fere convenit, & cùm sæpius Inflammationum tradiderimus diætam, hanc iterùm hic repetere non libet, sed videri potest caput generale de Inflammatione.

Galen[i] modus [cu]randi [Her]niam [Um]bilici.

§. 14. *Curationem* Pharmaceutico-Chirurgicam *Umbilicis Herniæ* itá aggrediuntur *Galenici*, ut quodcumq; prolapsum est, sive intestinum sit, sive omentum, reprimatur & in situm debitum retrudatur, præmissa emollitione per fotus & unguenta; reposita verò ita detineri jubent, ne denuò prolabantur, medicamentis nempe adstringentibus tum internè sumendis, tum foris applicandis ex tragacantho, sanguine draconis, semine myrtillorum, mastiche, consolida, plantagine, pulveris forma exhibitis, & protuberantiæ impositis epithematibus ex decocto malicorii, radicis consolidæ, rhapontici, foliorum hederæ, cupressi, thure, myrrha, aloe, in vino austero, & emplastro ex iisdem cum bolo Armeno, succo hypocystid. glutino tauri & pice navali, aut cera & oleo abjetino, aut terebinthina susceptis, non omissis pulvinaribus ex linteis cum fascia, ut fortius à prolapsu coerceantur. In flatuum copia clysterum aut suppositoriorum usum non contemnunt, & locum protuberantem unguento Agrippæ, oleo laurino, anethino, &c. inungunt, vel fotus ex chamomilla, summitat. Anethi, baccis lauri, semine cumini, anisi, aut emplastrum de baccis lauri imponunt. Ad aquam Umbilici pelliculam propellentem eiiciendam aut absumendam, fotus aut cataplasmata approbant ex petroselino, apio, sulphure, nitro, cochleis contusis, stercore caprillo, vel tumorem inungunt unguento de arthanita, aut emplastrum ex gummi Ammoniaco, bdellio, alumine, pice, terebinthina & cera compositum imponunt, quibus si aqua non consumatur, scalpello foramen efformant, per quod eandem effluere sinunt, & foramen emplastro diapalmæ aut alio quodam vulnerario iterùm occludunt. Ab excrescentia carnosa & aneurismate productam herniam umbilicalem, ut incurabilem, vix solent attingere.

In *Musculorum* Abdominis *Inflammatione* Venæsectionem necessariam ducunt ad revulsionem in brachio, ad derivationem verò in pede, hinc refrigerantia propinant remedia, inter quæ decoctum hordei cum herbis endiviæ, cichorii, violarum, cum syrupo de rosis simplici & violarum commendant, externè temperata apponunt cataplasmata, vel olea & unguenta ex rosacino omphacino, violarum, unguento santalino, aut vergente jam phlegmone ad suppurationem, emollientia apponunt, uti in reliquis apostematum generibus, & in tempore abscessum aperiunt, ut materia purulenta exitum reperiat, ne diutius retenta per assumptam acrimoniam abdomen erodat, ad interiora vergat & viscera corrumpat, post hæc non aliter, quàm in reliquarum partium abscessibus procedunt.

Cura Par[a]celsi.

§. 15. *Paracelsus* in Umbilici *Hernia* non aliam ab ea reliquit curationem, quam in osei herniis instituit, in aquosa enim sequentia laudat remedia.

℞. *Ficum* ℔ j.
Ol. granor. Junip. ℥ iiij.
Farin. fabar. ℥ vj.
F. Cataplasma super ignem,

posteà calidiusculè apponendum.

℞. *Farin. fabar.* ℔ j.
Sem. psyll.
Citon. aa. ℥ j.
Consolid. maj. ℥ iiij.
Vini & aceti q. s. ut fiat Emplastrum.

In Ventosa curationem per pinguia viscosaque maximè commendat, ex quibus sequens instar omnium esse potest.

℞. *Visci abietin.* ℥ vj.
Mumiæ ℥ v.
Folior. ebuli ℥ j.
M. F. Catapl. quod imponatur.

In

In Carnosa resolventia adhibet ex oleo anethi, lauri, benedicto, gummi, potissimum sequens emplastrum.

℞. *Olei laterin.* ℥ vj.
Opoponac.
Galban.
Bdell. aa. ʒ iij.
Reduc ad formam liquidam cum sequenti additione.

℞. *Farin. fabar.* ʒ iij.
Ficum N. iv.
Caphuræ,
Rutæ aa. ʒ j.
F. in modum Emplastri.

Ad Musculorum Abdominis Inflammationem tollendam remedia ex lapide calaminari deprompta approbat, ubi verò in apostema abierit, mundificantia adhibet, ut in reliquis Phlegmonibus facere consuevit.

[He]lmontii. §. 16. *Helmontius* in Umbilici *Hernia* magnetem laudat, maximè dorsum ejus, quo emplastrato & herniæ imposito intestina repelli & herniam decedere promittit.

In *Musculorum* Abdominis *Inflammatione* quamcumque occasionem Archeum irritantem amoveri vult, hinc sedativa remedia intus exhiberi & foris etiam idonea unguenta & emplastra applicari, quæ citò resolvi & tumorem valeant emollire.

[Wi]llisii. §. 17. *Vvillisius* in Umbilici *Hernia* à flatibus orta omnia commendat carminativa internè & externè adhibita, potiones ex aqua fœniculi, anisi, menthæ, essentia carminativa, clysteres, linimenta, cataplasmata & emplastra ex baccis lauri, chamomilla, cumino, fœnogræco, anetho, ruta, ladano, myrrha, mastiche, thure. In Aquosa humorem illum discutientibus, diureticis & diaphoreticis absumit, & cataplasmata ex farina fabarum, stercore caprillo & semine sinapi imponit, vel emplastrum ex cera, terebinthina & gummi Ammoniaco. In Carnosa ad excrescentiam istam absumendam internè spiritum salis dulcem exhibet, foris autem emplastrum diachylon cum gummi imponit. Ubi intestinum vel omentum prolapsa sunt, eadem reponere jubet, præmisso fotu emolliente & clysteribus non omissis, iis verò repositis emplastrum de pelle arietina, vel aliud contra rupturam imponit & omni modo prohibet, ne denuò prolabantur.

In *Musculorum* Abdominis *Inflammatione* Venæsectionem approbat, nec diaphoretica contemnit, & foris idonea imponit cataplasmata, uti inflammatio requirit, & aliunde cognosci possunt.

[Syl]vii. §. 18. *Sylvii* cura in *Hernia Umbilicali* hæc est, ut intestina priùs ab obstructione liberentur, & fæces eorum induratę clysteribus emollientibus ad exclusionem parentur, quo facto intestinum aut omentum in situm debitum reprimendo reponit, & ne ex eodem relabantur, emplastro ad rupturam ordinario & fasciis aptis studet præcavere.

In *Musculorum* Abdominis *Inflammatione* adhuc incipiente ulterius ejusdem incrementum prohibet clysteribus, unguentis fotibus & cataplasmatis emollientibus ut & diaphoreticis internis acidum temperantibus, quæ si irrito conatu adhibeantur & inflammatio ad suppurationem tendat, ad hanc ipsam promovendam fortiora emollientia cataplasmatum forma imponit, & eodem planè modò hic, in alias partes occupantibus inflammationibus procedit.

[Car]tesiano[rum]. §. 19. *Cartesianis* consuetum est, in Umbilici *Hernia* infantum eosdem à fletu retinere, & fasciam convenientem cum pulvinari comprimente supra umbilicum corpori circumducere, aut emplastrum ex oxycroceo aut pice super alutam extensum forma rotunda tumori, emplastro verò chartam densam similiter rotundam imponere, cum linteis quadruplicatis & fascia: In adultorum Herniis Umbilicalibus causas easdem excitantes & foventes removent, sive flatus sint per carminativa abigendi, sive aqua diureticis internè datis, & emplastro de baccis lauri cum stercore caprillo externè evacuanda, sive alia quædam materia absumenda & emollienda emplastro de spermate ranarum cum mercurio, posteà intestinum vel omentum deprimunt & in convenientem situm reponunt, emplastrumque ad rupturam, vel stícticum umbilico protuberanti admovent cum fascia. In gravidis iisdem emplastris ulteriorem prolapsum præcavent, & post partum ulteriori ejus curationi perficiendæ incumbunt.

Musculorum Abdominis *Inflammationem* curaturi attenuationi succorum in tubulis musculorum rectorum vel transversorum stagnantium, & resolutioni quam maximè student, internè exhibitis diureticis & diaphoreticis scopo huic quàm maximè dicatis, imprimis sequentem mixturam.

℞. *Aq. Chærefol.* ℥ j.
Heder. terrestr.
Petrosel. aa. ʒ vj.
Hyperic. ℥ ß.
Ocul. Cancr. ʒ j.
Sperm. cet. ʒ ß.
Antimonii diaphoret. ℈ j.
Salis succin. gr. vj.
Syr. Menth. ʒ vj.
M. d. cochleatim.

Hac absumpta ad guttas 30. vel 40. sequentem instillant Tincturam.

℞. *Tinctur. Hyperic.* ʒ ii ß.
Bellid. ʒ j.
Spir. sal. armon. ʒ ß.
M. d.

Cataplasmata quoque externè imponunt discutientia, uti sequens commonstrat formula.

℞. *Herb. Menth.*
Absinth.
Chærefol.
Eupater.
Cicutar.
Petroselin. aa. *M.* j.
Flor. Chamomill.
Sambuc. aa. *p.* j.
Rad. bryon.
Cucum. asinin. aa. ℥ i ß.
Sem. cumin. ʒ ij.
Sal. armon. ʒ ß.
Camphor. vj.
Coq. in spir. vin. in formam cataplasmatis, inflammationi tepidè imponendi.

Obstante verò succorum induratorum copia, ne fluorem redipiscantur suppurationem promovent emollientibus, cataplasmatis ex rad. lil. alb. alth. cepis, herb. beta, branca ursina, floribus meliloti, chamomillæ, ficubus, in aqua vel cerevisia coctis, additis farinis hordei, lini, fœnigræci, oleo liliorum, butyro & axungia anatis, vel unguento de althæa, aut basilico, nec non emplastro diachylon & de meliloto invicem mixtis, quorum administratione durante, interna diaphoretica repetunt, ut succi chylosi purulenti ad cutem propellantur, & abscessus externè potius, quàm internè rumpatur, apertura facta lancetta in loco protuberante, quo facto mundantia & tandem vulneraria balsama ulcusculo insinuant & emplastrum de gratia Dei ad perfectam consolidationem imponunt. Rupto verò abscessu interius, materiam purulentam per urinam expellere satagunt sequenti vel simili mixtura.

℞. *Aq. Chærefol.* ℥ j.
Petrosel. ʒ vj.
Lumbricor. ℥ ß.
Essent. agrimon. ʒ ij.
Tinctur. hyperic. ʒ i ß.
Myrrh. ʒ j.
Spir. Sal. Armoniaci succinat.
Syr. Veronic.
Heder. terrestr. aa. ʒ ß.
M. d. cochleatim.

Pure satis evacuato, & urina alium referente colorem, existenteque pellucidiore, balsama exhibent vulneraria in jusculo intus sumenda, de Capaiba scilicet, vel Peruvianum album, aut pulveres ex oculis cancrorum pp. matre perlarum, myrrha, lapide hæmatite, succino & similibus paratos absorbentibus, abstergentibus & aliquantum conglutinantibus.

Nostra cura in Hernia Umbilici.

§. 20. Sicut duæ generales syntheseos sunt indicationes, ita eædem etiam in harum *Herniarum* cura attendendæ sunt; repositio scilicet, & retentio. Curantur enim *me* judice, tam per repositionem illius, quod è sede sua motum, quàm per repositi retentionem. Illud, nisi partes prolapsæ inflammatæ, seu fæcibus repletæ fuerint, aut umbilico coaluerint, facile præstari potest, imò in supinato tantùm ægro sponte recedunt, leviter per manum Chirurgi adjutæ, quibus demum emollientia topica multum auxilii præstant. Removenda verò sunt omnia impedimenta, qualia sunt flatus & stercora intestina replentia, atque inflammatio, omnisque humorum stagnatio.

Flatus tolluntur optimè per carminativa, arcan. dupl. partim internè, partim externè usurpata, partim ano injecta; stercora resolvantur per emollientia iisdem modis applicata, v. gr. per unguentum Althææ, Martiatum, oleum liliorum alborum, Philosophorum; per haustum decocti Althææ cum liquore Terræ foliatæ Tartari. In hunc finem etiam usurpari possunt insessus seu balnea ex lacte, oleo olivarum, vel aqua, in qua herbæ & radices emollientes fuerint coctæ, nec contemnendi sunt clysteres emollientes.

Ulterior verò prolapsus ut impediri debeat, *Paræus* & *Celsus* aliique docent, & quidem mediante ligatura, cujus applicandi rationes plures ab Authoribus Chirurgicis describuntur. Unicum tamen omnes scopum habent, ut Umbilici pars dilatata, quæ super ligaturam est, emoriatur, quo verò vinculo constricta glutinetur, & cicatricem contrahat. Ast quia operandi modi non duntaxat ratione stricturæ fili admodum dolorifici, sed propter partis mortificationem periculosissimi sunt, imò ab ipso *Celso*, aliisque exercitatis Chirurgis pro difficillimis habentur, imprimis si prominentia fuerit major, minor verò cingulo appropriato ita muniri queat, ut si eodem dilatatio hæc non semper curetur, certè fascia impediet, quò minùs in pejorem statum abeat, muniisque omnibus satis commodè vacare possit æger, meritò isti suspecti haberi debent; vide *Blegny l. 1. Part. 2. Sect. 2. c. 5. & Eph. Germ. Decur. Ann. 3. Obs. 128.*

Describuntur apud Authores varia vincula ad umbilicum retinendum, nonnulli & fascias scapulares addunt: quæ tamen vix necessariæ videntur, commodius erit περίζωμα à Blegny d. l. p. 2. S. 2. c. 4. & 6. descriptum. Ejusmodi vincula optimè novit efformare Lugduni Batavorum Dn. *Muschenbroek*, qui varia ligamenta pro herniis sibi servat, quæ Francoise nuncupat, & plurimis articulis & trochleis sunt donata. *Aquapendens* emplastrum insuper adstringens commendat scuto cinguli supponendum, imò in desperatis casibus cura illa palliativa potius Hildani, quam per fasciam commodam *Cent. 3. Observ. 64.* adornat, adhibenda erit.

Intestino in locum pristinum reposito, pars affecta fovenda est decocto usneæ vino rubro facto, superimposito emplastro contra rupturam *Fernelii* oleo mastichino malaxato, non omissis interim internis quibusdam ex conserva symphyti, & similibus paratis: vel imponatur sacculus farina lupinorum, & linteo combusto vino adstringente subactis repletum, cum subligaculo conveniente, intestino impetum facienti resistente. Fasciis necessariò ligandus est Umbilicus, ab initio & parari potest sacculus è musco prunorum sylv. bursa pastoris, plantagine in vino rubro decoctus, qui umbilico imponatur, & fascia ritè firmetur, dein cingulum è linteo confici potest, quo abdomen devinciatur, ei verò circa umbilicum pulvinar exile, sed durіusculum adaptari potest, in cujus centro globulus è corio rubro emineat, ut iste se in umbilicum dilatatum altiùs insinuans caveret, ne omentum vel intestina denuò prolabantur. Ita in innumeris ferè infantibus curata Umbilici prominentia, & crassities cataplasmate ex sanicula in vino cocta umbilico imposito, cum ligatione strictiori, & radice consolidæ majoris contusa dorso è regione Umbilici admota, uti testatur *Velschius*. Internè exhibeatur infantibus pulvis radicis scrophulariæ ℈ ß. in lacte. Sequens pulvis prominenti inspergatur umbilico.

℞. *Bol. Armen.*
Terr. Catechu,
Myrrh.
Pompholyg. aa. ℨj.
M.

Joh. Langius sequens hoc in casu laudat emplastrum:

℞. *Pic. Græc.* ℥ iij.
Colophon.
Resin. aa. ℥ j.
Mumiæ ℨ iij.
Tragacanth.
Gumm. Arab.
Sangu. dracon.
Mastic.
Balaust. aa. ℨ ij.
Aloes epat. ℨ ij ß.
Oliban. ℨ ß.
Glutin. pisc. ℨ iij.
F. l. a. Emplastrum.

Ast cùm diversæ herniæ umbilicales etiam diversas agnoscant causas, pro singularum quoque indicationibus diversæ requiruntur curationes.

Hydromphalus, qui fit ab aqua inter peritonæum & abdominis cutem collecta hydropicis obveniens, à reliquis distinguitur, si mollis est tumor, & ad compressionem non cedit, neque minuitur, neque augescit. In curatione hujus commendamus dissolventia, fiatque cataplasma ex pulvere spicæ Celticæ, & terebinthina, cui parum olei amygdalarum est admixtum, aut conficiatur sacculus ex spica Celtica, & cymino, qui in vino rubro ebulliat, & expressus tumenti umbilico imponatur, vel imponatur spiritus matricalis cum quadruplicatis linteis.

Non absimili ratione curatur etiam tumor ille, qui ex sanguine evasato fit, ceu *Coiter* observavit, tales enim dari tumores, testatur quoque experientia, ortos ob venæ vel arteriæ ruptionem.

De *Pneumatomphalo*, hoc est, flatulenta procidentia, superiùs jam egimus, cognoscitur facilè, si pressus cedit, & protinus redit, resupinato quoque corpore tumorem in eadem figura tenet. Sequens emplastrum in Umbilici Procidentia à flatibus oborta conducet.

℞. *Semin. cymin.*
Lupinor.
Bacc. laur. aa. *p. æq.*
Salis Armoniaci ℨ ij.
Pulverisata coq. in vino rubro ad pultis formam.
F. Cataplasma.

Conveniunt etiam emplastra carminativa sæpiùs jam dicta, aliaque resolventia inferiùs adhuc dicenda. Umbilicus recens natorum ob incuriam obstetricum facilè inflammatur, ac quandoque sphacelatur, ceu exemplum novi, cui solùm spiritum vini cum aqua calc. viv. applicui felici cum successu. Sic pus stillanti umbilico applicari potest ungu. alb. diapomph. aa. ℨ ß. ol. ovor. ℨ i ß. M.

In *Exomphali* vel *Enteromphali*, ubi laxato vel rupto peritonæo intestina in umbilicum prolabuntur, qualis à *Schenckio* mirandus observatus fuit, curatione magna diligentia est adhibenda, nec temerè statim aperiri debet protuberantia, facta enim apertione prodeunt & effunduntur intestina, maximo sæpe cum ægri malo, nonnunquam etiam morte inde subsequente, quemadmodum & ego bis observavi. Confer Paræum. Quomodo hæc procidentia curanda sit, superius jam diximus.

Restat adhuc unica expedienda species, quam *Sarcomphalum* dicunt, sive caro sit fungosa, sive carcinomati similis. Facilè à reliquis distinguitur, nam tumor durus est, nec pressus cedit, & ad nullum decubitus modum mutatur. Ejusmodi umbilicum quatuor digitis ad penis longitudinem prolongatum vidit

Beni-

Benivenius. Fungus verò cùm extra cutim sese nudum oculis nostris objiciat, primo mox intuitu cognoscitur. Raram & admiratione dignam ejusmodi tricipitem fungosam excrescentiam litteris consignavit *Fabr. Hildanus Cent.* 5. *Obs.* 62. *Benivenius* ligatione curavit ejusmodi Sarcomphalō per anabrochismum, carnem enim vinxit, singulisque diebus arctius deligans non prius destitit, quàm ea ipsa præmortua penitus excidisset. Idem fecit *Hildanus*, in fungo illo triplici, adhibitis quoque anodynis & decocto adstringente exterius, tandemque inspersit pro pleniore cura pulverem adstringentem; quòd si non sufficit hoc præsidium, removeri potest per caustica. Cum verò tenella ætas actualia non admittat, potentialibus sic dictis in iis exstirpabitur, & sufficit hunc in finem bolus Armenus cum alumine usto. Feliciter & quandoque sectione manu periti artificis peracta removeri potest: Carcinoma verò malum incurabile est.

Eadem etiam ratione *Felix Platerus*, Felicis illius ex fratre Thoma Nepos, *Mantiss. Observ. selectior. Observ.* 44. *p. m.* 95. Verrucam in muliere è latere Umbilici dextro, jam à longo tempore gracili radice pendulam exstirpavit, jubendo Chirurgum, applicato priùs circumcirca emplastro defensivo, serico fortissimè ligare. Hac quidem ex ligatione mulier ab initio dolorem sensit vehementissimum, sed cùm posteà fuerit mitigatus, adhuc semel paulò inferius & fortius cum setis equinis, continuata semper defensivi applicatione, ligari jussit, unde valde intumuit cum rubore circa ligaturam, quod tamen ita in crastinum censuit linquendum, tumore intereà prope vincula incipiente nigrescere, sed dolore exquisito multum remittente, quare adhuc aliquamdiu relinqui jussit, cùm versus abdomen nullus appareret tumor, donec tandem dolore denuò invalescente ligaturam solvit, partique exulceratæ parum unguenti Ægyptiaci apposuit, ligatura autem soluta, excrescentia iterùm detumuit colore mutato, & quum ægra ligationem ferre non potuerit, Chirurgum jussit cauterium potentiale applicare, quo statim eschara fuit inducta & dolor mitior redditus, hinc paulò inferiùs lapidem infernalem absque omni ferè dolore operantem eundem in modum apponi curavit, quo circumcirca eschara enata fuit, qua itidem delapsa, idem opus adhuc semel repetere jussit, unde tribus post diebus excrescentia ista sponte decidit de filo adhuc pendens, quo abscisso totaliter separata fuit, substantia constans non propriè verrucosa, sed varicosa, venulis, nervis & glandulis perspersa.

Cura Inflammationis Musculorum Abdominis. In *Musculorum* Abdominis *Inflammatione* cura eò dirigenda, ut stagnatio succorum, & inde facta obstructio tollatur, quod facili marte obtinere possumus per interna æque ac externa remedia. Interna egregia sunt diaphoretica ex temperantium materia desumpta, ut sunt invertentia, quæ cùm consistant in alcali seu volatili, seu fixo, seu puro, quod dicitur sal macrum, seu mixto, & quidem oleoso, pro materia agnoscunt omnia alcalia, & ea, quæ alcali quocumque prædita sunt. Ex alcalibus volatilibus conveniet spiritus C. C. fulig. urin. &c. Ex fixioribus proficua erunt salia fixa, Antimonium diaphoreticum, ebur philosophicè præparatum, saccharum saturni, camphora, aliaque plura, sal volatile oleosum, ex sale volatili C. C. vel alio cum oleis aromaticis paratum. Exempli gratia.

℞. *Antimonii diaphoret.* ℈iß.
Ocul. Cancr. pp. ℈ß.
Salis absinth. gr. xxv.
M. F. Pulvis.

Vel

℞. *Aq. Card. bened.* ℥ viij.
El. diascord. Fracast. ʒ j.
Sperm. cet. ℈ j.
Balſ. nervin. ℈ ß.
Spir. theriacal. camphor. ℥ ß.
F. Mixtura cochleatim sumenda.

Conveniunt quoque internè salia volatilia, sal volatile oleosum cephalicum D. *Wedel.* Spiritus matricalis, balsamus nervinus & similia.

Inter Topica Spiritus matricalis cum camphora & Spiritu Salis Armoniaci maritatus ferè omnem implet paginam, tepidè cum linteis quadruplicatis applicatus, vel fiat cataplasma sequens.

℞. *Summit. absinth.*
Herb. rut.
Phellandr.
Fol. rorismarin. aa. M j.
Flor. Chamomill.
Sambuc. aa. P i ß.
Sem. cumin.
Anis.
Carv. aa. ℥ j.
Sal. Tartari ʒ ij.
Armoniaci ʒ i ß.
Coq. in vino Gallico, vel mulsa adde panis bisco.. q. s. pro consistentia cataplasmatis: quod sæpiùs de die tepidè applicandum.

Musculi enim Abdominis tractandi sunt ut aliæ partes membranosæ, copiosis enim venis & arteriis, imo nervis & fibrillis, quæ sunt fila quædam oblonga tenuissima, prædi ti sunt, hinc exposcunt nervina ac roborantia, quare calidiora applicanda sunt, quæ impediunt causam inflammationis, tollendo obstructionem in vasis musculorum factam. Spiritus vini camphoratus cum spiritu florum sambuci & aqua calcis vivæ sæpe sufficiunt.

FINIS LIBRI TERTII.

JOH. DOLÆI ENCICLOPÆDIÆ CHIRURGICÆ RATIONALIS,

LIBER QUARTUS,

De Morbis partium genitalium utriusque sexus.

CAPUT I.

DE MORBIS GENITALIUM in Viris, & quidem

De Testium Tumore, seu Inflammatione, Ulceribus, Erosione, & Contusione.

§. I.

MEdicinam exercere, esse intueri miseriam humanam, Sapiens quidam verè pronunciavit. Quot enim quæso morborum genera, quibus mortales quotidiè expetuntur, Medicis sese non sistunt in dubii quandoque eventus certamen? Audias modò virum sanum, & fœminã incolumen, intra quadrantem horæ corripi utrumque morbo, interdum iis in partibus, quas tegere honestas præcipit, & quarum ratione unius sexus persona ab altera discernitur. Sed cùm tam enormiter sæpe etiam hisce suis membris peccare soleant homines, carnis cupiditatibus nimiùm indulgentes, non mirum est, si à justissimo Deo per idem, per quod tam audacter peccant, tàm graviter puniantur. Hinc tot morborum partes hisce invadentium emergunt agmina, diversorum generum, specierum, & differentiarum. Corripiunt cum peculiares morbi masculos, peculiares etiam feminas, quos ordine nunc expedituri, initium faciemus de morbis partes genitales in viris occupantibus, & quidem hoc in capite Morbos Testium examinando.

Testium Tumor. Inter affectus autem atrocissimos, & qui luem comitari solent Veneream, *Tumor est Testium*, quandoque inflammatorius qui nihil aliud est, quàm extensio vasorũ seminalium, aliorumque tubulorum, à succis ibidem stagnantibus oborta: nonnunquam *Inflammatio* cum rubore & dolore atrocissimo adest conjuncta. *Inflammatio.* Dicitur & aliquando *Testiculus Venereus, Hernia Veneris*, Germanicè *Sand-Oder Venus-Balle*, à gravitate testiculi ita dicta. *Testiculus Venereus, Hernia Veneris.* Hujusmodi casum Celeberr. *D. Paulini*, Amicus noster singularis, in *Ephemer.* recenset. Faber enim ferrarius in Saxonia Anno 1676. rem cum puella menstruata ebrius habuit, ex quo impuro ac illicito concubitu altero die horrendo dextri testiculi tumore correptus est cum sevissima inflammatione, ventris, femorisque, sinistri præsertim, insigni dolore, cui tandem accessit febris, & jam cęperat testis nigrescere; qui tamen tumor diaphoreticis internis exhibitis, & externis topicis feliciter sanatus est. *Inflammatio* Testium verè nihil aliud est, quàm obstructio vasorum & tubulorum Testium vel sanguinea, vel lymphatica, imò quandoque spermatica; dum in his vasis sanguis, vel lympha, vel sperma, diutiùs hærent, & eandem obstruunt, hinc motus succorum horum progressivus impeditur, & intestinus augetur.

Si *Fungosa Excrescentia* vel tumor nodosus Testiculis adnatus fuerit, dicitur Sarcocele, vel Hernia carnosa, Germanicè *Fleischbruch*, item Hernia varicosa, seu Cirsocele, Germanicè *Aderbruch*, & Scrotum nilque aliud est, quàm extensio, & aliquando ruptio vasorum Testiculorum, qui tum tumorem excitant; de qua Hernia in proximè præcedente libro verba jam fecimus. Oscheocelemi mirandam monstrant *Ephem. Germ. Dec.* 2. *Ann.* 7. *Obs.* 242.

Ulcus. *Ulcus* Testiculorum est solutio unitatis vasorum spermaticorum, ab acribus succis in testiculis stagnantibus, tubulos seu canaliculos glomeris Testiculorum corrodentibus ac discindentibus.

Erosio. *Erosio* differt tantùm gradu ab ulcere, quia membranæ testiculorum duntaxat ab acribus illis, & salinis succi eroduntur.

Contusio. *Contusio* Testiculorum est vasorum ac canaliculorum compressio, & sępe dilaceratio à causa externa violenta oborta.

Pars affecta. §. 2. *Pars affecta* sunt testes, quo nomine indigitantur partes illæ genitales, extra abdomen in scroto propendentes, vel quòd virilitatis testimonium præbeant, vel quòd nullis apud Romanos testari licuerit, nisi quibus testes essent, & sexus forent masculini. Numero bini sunt Testes, rarò unus, quem tamen in filiolo Præfecti, & Studioso Misnico virilitatem satis probante notavit Cl. D. *Vvedelius Ephem. Germ. Ann.* 2. *Observ.* 236. rariùs tres, quorum tamen aliqua existant exempla, quæ allegata odiosa essent; sic in Monacho quodam tres observavit *Borellus*, & in aliis alii, ut *Reyes* & plures Authores testantur. Testiculorum substantia glandulosa est, sive minutissimorum vasculorum congeries, semen sequestrantium ex massa sanguinea, quæ si absque ruptione dissoluta sibi invicem connecterentur, facilè 20. ulnarum longitudinem excederent, ceu cum aliis Anatomicis observavit Celeberr. D. *Francus* Professor Heidelb. Amicus noster singularis: hinc optimè comparat glomeri filorum (*einem Klingel Garn,*) quia eodem modo defilari potest. Vasa habent Testes omnifaria, sanguifera, venosa ac arteriosa, item lymphatica, seminifica, nervea, &c.

Diagnosis. §. 3. *Tumoris*, seu *Inflammationis* Testium *Signa* eadẽ sunt, quæ aliarum partium inflammatarum, ut rubedo, calor, dolor, & partes vicinæ propter obstructionem adeò distenduntur, ut in immensum sæpe extendant tumorem, ceu in *Ephem. Germ.* videri potest exemplum. Ordinariò bis Testiculum socium magnitudine superat tumor, sæpe acerbissimè dolet, qui dolor aliquando est pulsatorius, interdum pungens, nonnunquam miserè contundens & distendens, atque cum acerbo cruciatu ad lumbos usque protenditur, dolor enim non potest non esse maximus, dum omnes fibrillæ extenduntur, & minu-

minutissimæ rumpuntur, quæ inter rumpendum commotionem in anima excitant, & sic ejusmodi incommodum producunt, ut judicet, quòd dolor adsit. Scrotum sæpe in isto latere & ipsum tumet & rubet, ipsa lumborum regio fervere videtur, à stagnatione istarum particularum interdum durities adest instar lapidis.

Signa *Ulcerum, Erosionis* & *Contusionis* ex ipsa inspectione nosci possunt, adest aliquando hæmorrhagia & dolor vehemens, ob membranosas has partes valde sensibiles læsas; in *Ulcere* pus effluit album, in *Erosione* magis excoriatio externarum membranarum conspicitur, in *Contusione* livor apparet, ut quotidie observatur in aliis externis partibus contusis.

Ætiologia secundùm Galenicos.

§. 4. *Causas* horum affectuum ut intimiùs pernoscamus, variorum colligemus sententias, ex quibus primi in medium procedant *Galenici*, qui de hisce mentem suam exponentes, asserunt, *Tumoris Testium* originem esse ab humoribus pravis in substantia Testium, sive tunicis eorum collectis ex superfluitatibus alimenti, & propter imbecillitatem facultatis Testium concoquentis, & expellentis, tum propter innatam illis laxitatem, aut cavitatum in iis angustiam, & aliarum partium expultricem validiorem, humores ejusmodi excrementitios majori copia ad partes has debiles transmittentem, vel à testibus etiam calidioribus humores istos aliunde attrahi fingunt. Pro diversitate humorum istorum diversas etiam Tumorum species produci referunt, si enim sanguis majori copia affluxerit, Inflammationem suscitari dicunt, si bilis, tumorem erysipelaceum, si pituita, œdematosum; à semine spermaticum, à flatibus flatulentum, à sero serosum. Abundantiam verò humorum istorum in toto corpore existentem, materiamque præbentem tumoribus præsentibus colligi statuunt ab excessu in cibo & potu multum sanguinem generante, vel pravi succi similes humores in corpore producente, dein usu Veneris immodico, unde Testes nimiùm incalescant, & calefacti humores attrahant, vel ejusdem nimia abstinentia, & semine inde contra consuetudinem diutius retento, quod paulatim congregatum testes distendat & tumorem excitet, remediis aut rebus quibusdam externè testibus admotis, & intemperiem vel calidam, vel frigidam, vel humidam illis inducentibus, aqua frigida vel excessivè calida in balneis, nimia partium harum frictione, cauterio actuali quacumque de causa adhibito humores ad testes attrahi opinantur. In hydropicis ob nimiam excrementi serosi redundantiam aliquando destillationem hujus fieri dicunt ad testes & scrotum, abs quo suscepto deinde valde distendantur & intumescant. Cùm verò sanguis reliquis humoribus longè sit calidior, & proinde magis fluidus, eum etiam frequentius ad partes hasce influere putant, & *Inflammationem* excitare, rubore, calore & dolore pulsante in partibus hisce tenellis satis perspicuam.

Ulcerum & *Erosionem Testiculorum* causas accusant humores acres erodentes, vel in testiculis ipsis malè affectis tales pronatos, vel aliunde tales ad ipsos allabentes, nec non instrumenta caustica scroto ac testibus adhibita, non modò partes hasce dissolventia, sed humorum quoque affluxum allicientia, & eosdem acriores reddentia.

Contusionem Testium à rebus externis durioribus infligi profitentur, dum ictu, vel lapsu & contusione, vel jaculatione & explosione instrumenti bellici impetuosius iisdem admoveantur, quas etiam à fortiori manuum compressione per nequitiam aut malitiam instituta contingere posse nolunt negare.

Paracelsū.

§. 5. Priores proximè sequens *Paracelsus* existimat *Tumoris* & *Inflammationis* Testium originem adscribi posse corruptæ osei constellationi, quam tota regio osei non modò persentiat, sed sydus ejus internum Testes influentia sua attingens eosdem etiam inflammare. In lue Venerea Testes ut variis morbis, ità etiam tumoribus affici posse censet, eò quòd liquor eorum nutritiuus corruptus in ulcera abeat imperfecta, & tumorem producat. Sic *Cambucam* partibus hisce obvenire statuit, sive tumorem post actum Venereum in iisdem exsurgere cum calore, & in urina saniem aliquando cerni, quam provenire vult ex bubonis materia, quæ citiùs, quàm oportuit, sedem fixit, nec eandem nisi propter locum à bubone differre.

Cambucam tandem in *Ulcerationem corrosivam* transire dicit, dum salia lixiviosa partem erodant & foramina in ea efforment, quæ ulcerato subsequens in unum exedat & putrefactionem inducat.

Contusionem Testium à re externa violenta Testes attingente, ut lapsu in rem duram, quo testes offenduntur, percussione, compressione, &c. produci posse, aliis libenter elargitur.

Helmontiū.

§. 6. Sequitur *Helmontius*, qui Testium *Tumorem* & *Inflammationem* attribuit Archeo Testium irritato à re quadam molesta in semine vel latice contenta, unde officii sui immemor laticem seminalem non rectè distribuat, sed eundem cum cruore in Testibus cumulari permittat, ex qua coacervata tumor emergit, tandem molestiæ istius impatiens, eandem expellere conetur, & in nisu isto seipsum accendat, sicque *Inflammationem* subsequi in Testibus, & tumorem cum pulsu duro, dolore & calore, qualem irritationem in lue Venerea à fermento venenoso per coitum impurum communicato sæpius excitari opinatur.

Ulcera & *Erosiones* Testium ab acido quodam in latice contento, & ab hoc interdum ipsi semini communicato produci, laticem verò aliquando à fermento isto venenoso luis Venereæ corrumpi suspicatur, qui ad Testes perveniens & in iisdem diutius hærens eos erodat & destruat.

A rebus externis variis diversimode Testes *contundi* posse reliquis facilè largitur.

Vvillisium.

§. 7. Medium in Consessu hoc locum occupans *Vvillisius* in hanc inclinat sententiam, exoriri *Tumores* & *Inflammationes Testiculorum* à materia spermatica crassiore ductus eorum obstruente, in quibus cùm diutius hæreat, particulæ salsæ & sulphureæ cum spirituosis effervescant & *Inflammationem* excitent, donec subtilioribus absumptis crassiores & terrestres relinquantur, quæ temporis tractu aggregatæ ingentem aliquando in testiculis excitent tumorem.

Exulcerari & *erodi* ipsos hosce Testiculos credit à salinis particulis in materia illa obstructionem inducente existentibus copiosioribus, fibras ductuum istorum in Testibus corrosivitate sua dissolventibus.

Contusionem Testium fieri à re quadam externa dura, & violenter testes attingente, cum cæteris profitetur.

Sylvium.

§. 8. Anglis hisce succedit Batavorum Apollo *de le Boe Sylvius*, cujus sententia est, *Tumorem* & *Inflammationem* Testibus induci à sanguine & lympha in vasis testium stagnantibus, quorum consumptis partibus volatilibus, salinæ crassiores restitent, & aggregatæ tumorem suscitent, adeòque materiam seminis non satis elaboratam huic morbo producendo aptam esse judicat, semen enim ex spiritibus animalibus cum parte sanguinis magis salsa concentratis produci putat, eaque propter à vi etiam externa fieri posse annuit, ut nervi aliaque vasa lædantur, & hinc varii succi confundantur, spiritusque dispercant, unde tumores & inflammationes facilè subsequantur.

Testium *Ulcera* ab acido acri ex lympha stillante suscitari putat, & *Erosiones* à salinis partibus itidem acribus & continuitatem testium hinc inde dissolventibus.

Contusionem Testibus obtingere fatetur ab externis rebus impetuosius in easdem irruentibus ex lapsu, ictu, jaculatione, explosione globorum ex instrumentis bellicis, aut alio modo eos fortiùs comprimentibus, & structuram eorum destruentibus.

Cartesianos

§. 9. *Cartesiani* de causis morborum horum interrogati respondent, *Testium Tumorem* induci ex stagnatione diuturniori succorum, potissimùm materiæ spermaticæ in vasculis Testium, & hinc firmiori condensatione, abs qua canales isti obstructi novæ allluenti transitum concedere nequeant, sed eandem simi-

similiter subsistere cogant, donec à magna ejus collecta copia nimium distendantur & Testes intumescant. Facile autem fieri posse credunt, ut post gonorrhæam, præsertim virulentam, citò nimis inhibitam materiæ seminali corruptæ via consueta obstruatur, quæ è prostatis per venas cum sanguine revertatur in arterias, atque ex iisdem denuò ad Testes perveniens, cum veneno Venereo ibidem commisceatur, sicque excitata effervescentia vasa intumescant, & pori eorum succorum in iis contentorum ità transmutentur, ut sola materia subtilis ignea absque globulis secundi & tertii elementi per eos intrans succos eo modo exagitet, ut particulæ eorum lanceolatæ acutæ vehementiùs commotæ fibrulas pungant, lancinent & nimium distendendo rumpant, unde non modò tumor, sed dolor ingens cum rubore & pulsu ob compressas arteriolas exsurgant, quibus notis Inflammatio se manifestet, tandem verò motu isto intestino vehementiori absumptis aut depressis particulis porosis subtilioribus, at angularibus cum ramosis ovalibus, reliquisque invicem proximè accedentibus & quiescentibus, succos ità incrassari, ut tumor scirrhosus inde emergat.

Pro diversitate particularum istarum acutarum vasculorum fibras dirumpentium, vel *Ulcus* vel *Erosionem* in Testibus produci opinantur: si enim congeries quædam particularum istarum uno in loco fibras distendere & tandem dilacerare pergat, ut succi effusi, quibus simili figura præditæ particulæ assiduò communicantur, in lacu seu sulco quodam majori commorentur, ulcus existere indigitant; quando verò particulæ tenuissimæ fortiter acuminatæ huc illuc à vehementiori quadam succorum effervescentia dispersæ in pluribus locis canaliculorum fibras extremas divellant, angustiores hujusmodi continui solutiones, quæ Erosiones communiter appellantur.

Contundi nonnunquam Testes cum aliis observarunt ex infortunio quodam, dum homines lapsu ad rem duram regionem Testium offendant, aut vehementiori & diuturniori equitatione partes illas ità succutiant, ut ex fortiori ista compressione fibræ distorqueantur, vel dissolvantur, & hac ratione aut angustati tubuli succis transitum denegent, aut dilacerati eosdem planè effundant, unde graviora interdum accersantur symptomata, & gangræna vel sphacelus sæpe sit in propinquo. Quibus causis etiam ictum aut percussionẽ, vel offensionem à globulo ex instrumento bellico explosò productam, aliasq; res violentas volunt adsociari.

Nostrum judicium de causa Testium Tumoris & Inflammationis.

§. 10. *Me* judice *Tumor Testium* seu *Inflammatio* oritur non aliter, ac aliarum partium, à stagnatione sanguinis ad succorum Testium vasa ac canaliculos perlabentium, & per eadem circulantium, abs quibus fibrulæ istæ Testium nimis distenduntur, imprimis quando succis hisce multæ particulæ angulares & lanceolatæ sunt permixtæ, quæ in convenienti situ & tandem firmiori ad invicem adhæsione in tubulis obstructiones & varias canalium pariunt obturationes seminales, sanguineas, lymphaticas & chylosas. Dum verò particulæ angulares & acutæ rigidæ reliquis potentiores fibrulas non modò valde distendunt, sed etiam pungunt, & sanguis in compressis vasis arteriosis detentus per extremitates earum transparet rubedo & Inflammatio partium harum inde perspicitur. Contingit autem aliquando, ut qui semel tumore Testium fuerit vexatus, recidivam patiatur, ceu exemplum est in *Eph. Germ. Ann. IX & X. Obs* 148. Colliserat olim Senator testem sinistrum, dum equo insidere vellet, admodum, ut ægre tum (attamen citra suppurationem) fuerit restitutus, saltem restante duplo majore post annos demum aliquot, & singulis ferè bienniis cum valida febrili invasione erysipelatodes inibi oboriebatur inflammatio, eaque intumescentia, ut justum pueri biennis caput æquaret, aut superaret, altero magnitudine ordinaria prædito, præputio autem cum glande ægrè conspicuo; & hoc fit ob vasorum semel contractam constrictionem, hinc facilius obstructiones oboriri possunt. Liquor quoque seminalis stagnans causa esse potest hujus tumoris, hinc videmus & iis, qui lue Venerea laborant, tumorem hunc contingere. Sic sæpius Tumorem Testium observavi à seminis stagnatione, id enim stagnans crassescit. Ab exulceratione quoque Parastatarum oboriri solet Tumor Testium. Cùm enim humor ex parastatis in penem non ampliùs fluit, stagnare cogitur, hinc Testes duriores, majores & crassiores redduntur, &, si succi inter fibras Testium hærentes non statim ab initio attenuantur, indurescit Testiculus instar scirrhi. Plures sæpe canaliculi Testium corroduntur à materia stagnante, ut succi intus contenti effluant & producant hypersarcosin, & Testes hinc in immensum excrescant. In obeso quodam ad dormiendum nimis propenso Testes adeò magnos & ponderosos extitisse, recenset *Platerus Obs. lib. 1. p. m. 6* ut capitis amplitudinem adæquarint, & propterea fascia involutos colloque appensos eos gestare fuerit coactus.

Exulceratio.

Exulceratio utplurimùm Inflammationem subsequi solet, quatenus fibrulæ istæ nimis tensæ vel punctæ tandem etiam à particulis acutis & cuspidatis, sive acido-salinis planè rumpuntur & discinduntur, sicque in cincinnos abeunt & majores elaborantur sulci, in quibus semper acrior colligitur succus, erosione sua pungens, & foramen reddens latius ac profundius, quod videmus toto die in lue Venerea laborantibus, aliisque morbis scorbuticis, ubi à salibus illis corrosivis in succis præexistentibus ejusmodi testes in totum corrosos observavimus Franchotalii in cive scorbutico morbo detento, ceu testis est Pater meus *Joh. Dolæus*, Consul. & Practicus Francothalensium. Certum est, succum, quem prostatæ glandulæ segregant, nonnunquam in ipsis prostatis stagnare, imprimis à coitu virulento, unde acrior factus ulcuscula producit; in iis, qui à longo tempore à morbis hujusmodi curati fuerunt, cicatrices relictæ malum illud adfuisse testantur.

Erosionis.

Erosio Testiculorum oritur ab acribus succis stagnantibus, & membranas Testiculorum cingentes lacerantibus, talemque excoriationem efficientibus, obstructio enim in tubulis hisce Testiculorum aliquando ità vehemens est, ut plures rumpantur canaliculi, ex quibus manant liquores ex stagnatione acres facti, excoriantes membranas exteriores Testiculos ambientes.

Cõtusionis.

Contusionem Testium vel ictu, vel casu à re quadam externa dura, & obtusa excitari, quis ignorat? Hinc nota est Observatio *Vvedelii in Ephem. Germ. Ann. 2. Obs. 285.* ubi vir doctissimus, cùm centum & ultra imperiales in capsula equo impetuosè vectus gestaret, marsupio inter femora reclinato, continua succussatione adeò læsit genitalia, ut per totam noctem immanem testiculorum, maximè verò dextri, senserit dolorem, ad ipsum umbilicum & renum regionem protensum, intumuit enim tum dexter testis, doloribus per leniter resolventia & paregorica discutientia sopitis, tandem tamen in suppurationem tendebat Contusionis tumor. In his enim Contusionibus ob evasatum sanguinem, vel alios succos circulantes, vasaque & tubulos compressa vel lacerata, adeòque succorum motum progressivum impeditum oritur tumor & livor partium contusarum, & utplurimùm fit Contusio cum laceratione partium nervosarum quarum maxima pars constituit substantiam Testiculorum, hinc est dolor valde sensibilis. In graviori Contusione, ubi plures contunduntur partes, necesse est, ut suppuratio subsequatur, quæ nihil aliud est, quàm harum contusarum partium destructio, his enim canalibus & tubulis læsis, necessariò liquores eos percurrentes elabi atque corrumpi debent, hinc & iis partibus facilè gangræna & sphacelus oboritur, ceu bigam novi exemplorum. Quævis ergò instrumenta obtusiora Contusionem partibus hisce inferre possunt, si impetu vehementiori in easdem ferantur.

Prognosis.

§. 11. *Prognosi* Medicum admirabilem quidem facit, &, si *Hippocratis* credimus, Deo similem, sed cum solius Dei sit, futura certò præscire, hinc Medicis in his casibus tantummodò conjecturare licet. Tumorem Testiculorum intensum in principio sequitur dolor, quòd in parte adeò vel ad levem collisionẽ sensili

non

non mirandū est, & Tumores hi interdum in abscessum degenerant, cùm multi succi acres ibidem reperiantur. In Scirrhum aliquando transit Tumor, imprimis si haud ab initio attenuentur & resolvantur succi stagnantes. Malum est, si vasa dirumpantur ac hypersarcosin inducant insanabilem *Inflammatio* Testium non est floccipendenda, maximos enim producit dolores, raro suppuratur, & gangraena eam facilè sequitur, quare ei obviam eatur idoneis remediis infrà dicendis. A dolore forti ad testes irruente tussim siccam solvi *Hippocrates* testis est *Epidem. lib. 2. Sect. 5.* & vicissin testes affectos habentes tussim siccam tussire, *Epidem.* 4. §. 31. quin ubi testis intumuit, tusses diuturnæ cessant, & testis tumor à tussi cessat & allevatur, unde communionem quoque pectorum & genituræ concludit ipse Hippocrates *Popular.* 2. *Sect.* 1. *Ulcera & Erosiones* magnam curandi difficultatem præ se ferunt. Sic quoque à *Contusione* tumor immedicabilis restare potest, prout superiùs ex observatione Celeberrimi *Vvedelii* constat. A contusione facilè oboritur sphacelus, ceu patet exemplo *Ephem. Germ. Ann.* 2. *Obs.* 235. Rara utique est illa observatio 44. à *Paschequio* D. *Riverio* communicata *p. m.* 690. ubi quidam testiculos magnos admodùm habuit, ut multo intervallo superarent magnitudinem testiculorum equi, & prolem nunquam suscepit; post casum ab equo scrotum intumuit instar sphæræ, qua trunculis luditur, tumor ad suppurationem versus est, ex quo puris insignis copia effluxit. Ulcere perfectè deterso, deciderunt testiculorum frustula omninò lapidea, silicem duritiem æmulantia, & malleolo ut cæteri lapides in multas partes dissilierunt; corporis & animi functiones tum quidem parū fuerunt mutatæ, tandem verò post aliquot dies febricula supervenit, cum anxietate & siti, quæ paulo pòst cepit incrementum, pulsu è directo testiculi valdè imminuto, & priusquam in alio latere mutaretur rubor saturatus successit in facie, & exanthemata rubra in corpore universo mortem ipsam brevi adducentia. Per abscessum testium vidi quoque febrem petechialem terminatam. Sic ex febribus modicis ab Alcibiade venienti ante judicationem testis sinister intumuit, apud *Hippocratem Epidem.* 2. *Sect.* 2. & testium tumores febrem ardentem solvunt apud eundem *de Judicationib.* §. 11.

§. 12. Restat nunc *Diæta*, quæ ut ritè instituatur, paucis hunc quoque fontem examinabimus, qui hic maximi est ponderis. Aer ergò sit ab omni inquinamento liber atque purus, temperatus, ad calorem tamen inclinans, contra verò frigidus, crassus, nebulosusque exulet. Cibos eligat æger boni succi facilisque digestionis, contra verò acidi salsi ac dulces vitentur, qui viscosos & crassos succos producere solent; exulent & hic saccharata ac dulcia, utpote quæ acidum vitiosum augent, unde postmodum variè vitiosè fermentationes. Idem de potu sentiendum, qui debet esse calidus, hinc convenit potus Theæ, vel Coffæ. Motus & quies, somnus & vigiliæ, excreta & retenta, item animi pathemata hic observētur ut in aliis hujus generis morbis cùm enim de his ubique abunde dixerimus, Lectorem eò remittimus, cùm cramben bis coctam apponere non lubeat. Hoc interim asterisco notandum est, quòd Venus exulare debeat, ne partes hasce nimium commovendo, ægri gravius incurrant periculum.

§. 13. Properamus jam ad ipsam *Pharmaceutico-Chirurgicam* affectus hosce curandi rationem, de qua priùs aliorum, quàm nostram in medium proferemus sententiam: & quidem agmen hic denuo ducent *Galenici*, cùm reliquis consessum hunc absolventibus tempore se ducant priores, qua tamen occasione simul videbimus, quale temporis successu Medicina cœperit incrementum. Innititur autem Veterum morbos hosce curandi methodus sequentibus fundamentis, ut in *Tumoribus* Testium profligandis sedulò causas observent, abs quibus fuerint producti si enim à sanguinis aliorumque humorum calidiorum copia ad testes affluente *Inflammatio* exsurgat, eaque nondum sit consumata, ulterius ejusdem prohibent incrementum, tam instituto victo tenui, quam sanguinis ex vena cubiti interna ejus lateris, in quo testis laborat, vel utriusque, si ambo afficiantur, emissione ad avertendum, ex poplitum verò venis, & subjuncta malleolorum scarificatione ad derivandum, nec non alvi irritatione per enemata & pharmaca solutiva, attamen non calida, per os sumpta; quibus præmissis humores calidiores & tenuiores in corpore reliquo abundantes corrigūt, temperant & aliquantum incrassant, ne tam facilè ad testes valeant affluere, adhibitis decoctis vel julapiis ex herbis nymphææ, portulacæ, plantaginis, lactucæ, syrupo rosarum simplici, violarum, endiviæ, quibus si affluxus ipse impediri nequeat, hoc tamen præstari promittunt, ut humores isti ad testes affluentes minus noceant. Inflammatione vero jam facta, & sic præservatione nullum ulterius inveniente locum, ejus depulsioni & curationi omnibus incumbunt viribus, atque præmissis universalibus & potissimùm ad materiæ in parte affecta redundantis eductionem instituta purgatione per cassiam recens extractam, electuarium diaprunis solutivum, aut aliud quoddam conveniens, materiam in testibus hærentem retrocedere ad partes, unde venit, cogendam esse ducunt per remedia repellentia, quale epithema est ex oleo, aqua & aceto rosaceis invicem mixtis compositum, in quo lintea intincta scroto imponuntur è regione testis laborantis, vel quod conficitur ex succis rosarum, nymphææ, sempervivi, plantaginis, quorum vice eundem etiam locum inungunt oleo rosaceo omphacino, myrtino, unguento rosaceo *Mesues*, aut ceratum album *Galeni* componunt, quibus Inflammationis fervore aliquantum imminuto ad digerentia pergunt mediocria prioribus adsociata, unde post inunctionem cataplasma superimponunt ex foliis haliacacabi, cannarum viridium, floribus rosarum, foliis hyoscyami contusis & permixtis cum farina lentium, hordei, aut fabarum, oleoque rosaceo. Sed ubi vigor Inflammationis jam fuerit transactus & digerentia videantur necessaria, missis prioribus hęc in usum ducunt, non tamen admodum calida, sed mediocria & dissipantia, uti est cataplasma paratum ex fabis fresis coctis, aut ex farina fabarum, cum decocto seminis fœnigreci subacta vel ex farina seminis lini, melle & oleo chamæmelino; tepidè scroto impositum, cui nonnunquam substituunt cataplasma ex passulis enucleatis cum cymino in vino maceratis, contusis & malaxatis, nec non unguentum Martiatum aut emplastrum diachalciteos oleo meliloti emollitum. Videntes vero tumorem ulterius non posse dissipari, sed Naturę suæ motu ad suppurationem vergere, etiam hanc promovendi gratia nulli parcunt labori, sed in tempore cataplasma adhibent ex radicibus altheæ, & floribus chamæmeli, meliloti, semine lini, farina tritici in aqua coctis, contusis, & oleo amygdalarum dulcium, seu axungia gallinarū, aut suilla subactis compositum quo facta suppuratione, materia verò exitum non inveniente, nec pure per se erumpente, locum artificiosè aperiunt, ne testium substantia à pure diutius retento corrumpatur, cavendo regionem ani & non longè ab ea distantem, ne abscessus in fistulam abeat curatu difficillimam; sin spes sit absque manifesta apertione per instrumentum materiam digeri posse & absumi, cataplasma ex farina lupinorum, orobi & melle, aut cinere brassicæ vel pulvere radicis cucumeris agrestis, cymino & vitellis ovorum paratum imponunt. Ab humore pituitoso productum Testium Tumorem Oedematosum jam perfectum, in quo præcautio, cerebri aliarumque partium mittentiū, & ipsius humoris correctionem reposcens, nullum amplius reperit locum, ita aggrediuntur curandum, ut humorem hunc frigidum & viscidum calefaciant, incidant, concoquant & extenuent per decocta & syrupos idoneos ex origana, majorana, veronica, salvia, calamenta, floribus stœchados, roremarino, &c. ut ita debitè præparatus per cathartica & vomitoria evacuari possit, qualia sunt electuaria diacarthami, elescophi, diapœnicon, succus raphani, & similia; in quo casu etiam venæsectionem approbant in dextro vel sinistro cubito, pro ratione testis affecti in hoc vel illo latere situm habentis, qua unà cum sanguine humorem pituitosum in venis redundantem evacuari, & simul præcaveri posse putant, ne reliqui ad testes tam facilè

pro-

profluant. Posthæc residuos in testibus humores digerentibus exhaurire student, oleo scilicet chamæmelino, anethino, rutaceo, irino, costino, vel castorei scroto inuncto, vel linimentis ex iisdem & terebinthina, cera, gummi galbano, serapino & semine cymini paratis, aut cataplasmatis ex emplastro de baccis lauri, stercore caprino, & semine cumini in vino vetusto coctis, vel ex menthastro, calamentha montana, & radice asphodeli coctis, contusis & cum fermento, butyro & sale permixtis, vel ex farinis fabarum, fœnigræci, pulveribus radicis iridis, floribus chamomillæ & meliloti in oxymelle & oleo anethino coctis, quibus nulla subsequente attenuatione & discussione, sed ad suppurationem vergente tumore, ex radice altheę, foliis brassicæ, floribus meliloti, farina fabarum, cicerum, cumino, in jure caricarum pinguium coctis, & cum oleo liliorum, & axungia suilla subactis paratum cataplasma adhibent, & uti in priore procedunt. Ad scirrhosum tumorem fotus usurpant emollientes, & leviter digerentes, spongiam scilicet ex decocto foliorum ac radicum malvæ, altheæ, lilii, seminis lini, fœnigræci, foliorum parietariæ, brassicæ, expressam, aut imbutam olei communis, vel liliorum, meliloti, amygdalar. dulc. vel unguenta & linimenta innungunt ex medulla corvina, vitulina, axungia suilla, hœdina, gummi Ammoniaco, sagapeno, bdellio in vino liquatis aut aceto, cum œsypo & oleis prædictis commixtis, aut emplastrum admovent ceroneum, vel filii Zachariæ, vel cataplasma ex radicibus althææ, halicacabi, mandragoræ, hyoscyami in sapa coctis, contusis & per cribrum transmissis, additis gummi modò nominatis, pauca quantitate styracis & oleo meliloti, quod calidiusculè itidem imponunt, & materiæ crassę aliquantum emollitæ exitum parant per manifestam apertionem. Ut tumorem à flatibus productum imminuant & planè etiam tollant, carminativa seu flatus discutientia in usum ducunt, non modò in testibus, sed reliquo etiam in corpore, imprimis abdomine & ventriculo contentos, qualia sunt semina anisi, fœniculi, cardamomum, macis, galanga, zinziber, electuarium diatrion pipereon, diacyminum, diacalamenthę, mithridatium, theriaca, tryphera magna interius assumpta, subjuncto haustu vini veteris & generosi, tum clysteres intestinis insinuant flatus itidem discutientes, & crudas superfluitates simul educentes, quos ex decocto parant carminativo, in quo soluta sint electuar. benedictæ laxativæ, diaphœnicon, vel diacolocynthidos cum electuario de baccis lauri, aut melle anthosato, oleo rutaceo, anethino, aut cheyrino, quibus adsociant fotus actu calidos cum spongia expressa ex decocto sem. carvi, cumini, seseli, folior. & baccar. lauri, folior. rutæ, summitatum anethi, florum chamomeli in lixivio facto, subjungendo cataplasma ex farinis orobi, fabar. lupinor. pulveribus cymini, apii, petroselini, fœniculi, cardamomi in vino generoso coctis, affuso oleo anethino, vel irino, vel quod conficitur ex stercore vaccino, sulphure vivo, semine cumini, cum melle anthosato & oleo anethino commixtis, aut emplastrum de meliloto & baccis lauri, vel oleo quodam discutiente, anethino, irino, costino scrotum illinunt. Et ab hac cura tumoris flatulenti non admodùm differentem proponunt in tumore testium producto ab humore seroso, laudant enim fotus & cataplasmata ex cumino, petroselino, apio, sulphure, baccis lauri, cochleis contusis, stercore caprino, in lixivio parata, vel unguentum de arthanita, aut emplastrum ex passulis rubris enucleatis, flore lapidis Asii, cumino, nitro & sulphure invicem contusis paratum, & testi laboranti calidè impositum. Tumori ex hypersarcosi, ubi scrotum simul patet propter ulcus, cinerem sarmentaceum nitro & aqua imbutum solent adhibere.

Ulceri & Erosioni Testium mederi student detergentibus & siccantibus, trochiscis de carabe, de spodio, de terra sigillata in decocto aliquo adstringente & abstergente intus exhibitis, & foris si, ut plerumque fieri solet, scrotum simul sit exulceratum & via patescat ad Testes, linimenta vel unguenta adhibent ex plumbo usto, aloe, lithargyrio, pompholyge, scoria ferri, oleo myrtino & succo plantaginis exceptis, postquam ulcibus probè mundatum sit & abstersum lavamento quodam, ex decocto balaustiorum, rosarum, myrtillorum & modici aluminis in vino rubro & aqua plantaginis facto, pluresque unguentum *Gordonii* sequens ad ulcera hæc tanquam singulare valdopere commendant.

℞. *Thut.*
Lithargyr.
Ceruss. lot.
Cadmiæ,
Sang. dracon.
Acaciæ,
Cort. granat. aa. ʒ ij.
Thuris,
Sarcocollæ,
Aloes,
Aluminis aa. ʒ j.
Pulverisentur, & addatur ceræ & olei rof. q. s.
F. Unguentum.

Ulcus hoc à lue Venerea si fuerit inductum, in exhibitione remediorum lui ipsi dicatorum, nec operam, nec tempus omittunt. In *Erosione* Testium unguentum citrinum, vel album singulare commodum allaturum esse promittunt.

Ad *Contusionem* Testium commendant unguentum Basilicum sæpiùs illitum, vel ubi testes contusi simul valde dolent & tument, cataplasma ex farina & lacte paratum, absque dolore verò tumentibus aliud ex farina fabarum, seminis lini & fœnigræci in lacte coctis imponunt.

Cura Morborum Testium secundum Paracelsum.

§. 14. A *Paracelso* hoc deportamus consilium, ut in hisce Testium *Tumoribus* Medicus advertat, num ad maturitatem per se vergant, an difficilem admittant curationem. In prioribus maturationem istam promovendam vult iis remediis, quæ communiter digerentia appellantur, & quidem in propria regione, ne ventriculus & intestina propter id malè afficiantur. Immoderatè auctos hosce tumores nullis digerentibus superari posse asserit, nec nisi in Ulcera prius mutentur, curari, aliàs in tumoribus mediocribus, etiam inflammatoriis, oleum Saturni tam hoc in loco, quàm in aliis corporis partibus valde extollit.

In *Cambuca*, ipsisque *Ulceribus* & *Erosionibus* Testium caphuratum approbat, & emplastrum de mumia, quæ remedia sequenti modo parantur.

℞. *Camphoræ* ʒ j.
Vitell. ovor. ℥ iij.
Fiat Mixtura, quæ posita super marmor in loco humido vertatur in oleum.

℞. *Mumiæ* ℥ ß.
Resinæ de botin ablutæ per aquam rosarum q. s. *pro incorporatione.*
F. Emplastrum.

Ad *Contusionem* etiam Testium commendat internè hirundinariam, mumiam & sal gemmæ, ipsam verò Testis regionem perungendam esse præcipit oleo laterino, vel hyperici, & ligandam oleo rosaceo, vel imponendum emplastrum fodicationum, sicuti & reliqua vulneraria hic commodè usurpari posse existimat.

Cura Helmontii.

§. 15. Quod ab *Helmontio* de curatione morborum horum *Testes* invadentium accipimus responsum, paucis admodùm comprehenditur verbis, etenim ad sedationem Archei in *Tumoribus* inflamatoriis operam potissimùm dirigendam esse præcipit, qua de causa saccharum Saturni, oculos cancrorum, & simul pro abigendo veneno Venereo Archeum irritante Mercurium diaphoreticum vel corollatum insigni cum utilitate intus exiberi posse sperat, topicè verò emollientia & maturantia approbat, quæ in aliis tumoribus & inflammationibus adhibentur, potissimùm in tumore duro oleũ illud commendat, quod à commodo in strumis abigendis sæpius probato, oleum strumarum appellat.

Ulceribus & Erosionibus Testium omnia ea accommodata credit remedia, quæ acidum domant in latice vel semine existens, ex quibus reliquis palmam præripiunt colcotarina, & ex his terra vitrioli edulcorata, tum etiam realgaria fixa topicè usurpata, quibus si interna adiungantur arcana fermentum corruptivum intimiùs abluentia, eo faciliorem curationem inde subsequuturam esse promittit.

In

In *Contusione* Testium peculiaria non adfert remedia, sed eadem ipsa, quæ aliarum partium contusionibus conferunt, etiam hic utiliter admoveri posse censet, resoluentia scilicet cruorem congelatum, quales sunt oculi cancrorum in aceto soluti, & interius assumpti, foris autem admotum cataplasma ex bryonia alba rasa, cruorem illum non modò in aquam resolvens, sed promptè etiam exigens.

uratio illisiana

§. 16. Ad vicinum prioris, & conterraneum nunc accurrimus *Vvillisium*, cujus consilium est, ut ad materiæ crassioris ductus Testium in *Tumore* obstruentis attenuationem non modò fotus admoveantur ex malva, agrimonia, althæa, ruta, abrotano, floribus chamomillæ, sambuci, rosarum, semine lini, in aqua & vino coctis, aut illinantur unguentis althææ, populi, &c. sed præter venæsectionem interna quoque adsumantur remedia strictiorem materiæ obstruentis compagem resolventia, quale sequens proponit apozema:

℞. *Ligni sassafr.* ℥ iij.
Guajac. ℥ ij.
Santal. citr. ℥ ii ß.
Rad. fœnic.
Gramin. aa. ℥ j.
Liquirit. ℥ ß.
Herb. menth.
Scabios.
Heder. terrestr.
Beton. aa. M. ß.
Sem. fœnic. ℥ ii ß.
Seseli
Rut. aa ℥ iß.
Coq. in s. q. aq. & vin. & Colatur. ℔ ij. *add.*
Spir. Tartari ℥ i ß.
Syr. adianth. Fern. ℥ j.
M. Assumantur una vice ℥ iiij.

Apozemate hoc non modò resolutionem materiæ incrassatæ, sed ejusdem etiam resolutæ excretionem præstari asserit per urinam & sudorem, interea verò alvum laxandam esse per clysteres monet, ne ejusdem obstructio malo huic noceat, & humorum motui sit obstaculo, proinde sequentem aliquoties injici præcipit.

℞. *Rad. alth.* ℥ ß.
Bryon. ℥ ij.
Fol. malv.
Mercurial.
Parietar. aa. M. j.
Sem. lini ℥ iij.
Cumin. ℥ i ß.
Coq. in aq. simpl.
Colatur. ℥ x. *add.*
Electuar. benedict. laxat. ℥ j.
Syr. ros. sol. ℥ ß.
Lap. prunell. ℥ j.
M. F. Clyster.

Vergente Inflammatione ad suppurationem, cataplasmata ex farinis fabarum, hordei, fœnigr. pulveribus rad. althææ, flor. meliloti, cum cepis assis & axungia suilla, vel oleo chamomillæ deprædicat calidiusculè admota, & clysterum usum aliquantum temporis continuatum, nec vetat Veneri gratum præstare officium, si licitè fieri possit, imprimis semine diutius retento tumoribus ejusmodi materiam præbente. Ubi adhuc discuti potest Inflammatio, valdè approbat sequens Hœferi unguentum emplastri modo impositum.

℞. *Vnguent. alb. camphorat. De Thut.* aa. ℥ iij.
Sacch. Saturni ℈ ij.
Ol. Camphor. gt. iij.
Croci ℈ ß.
Ol. rosar. parum.
M. in mortario plumbeo, donec nigrescat.

Ad *Vlcera & Erosiones* Testium sananda, commoda judicat remedia interna particulas salinas corrodentes emendantia, mitigantia, partesque læsas mundantia & restaurantia, decocta ex lignis & herbis vulnerariis, nec non diaphoretica & mitigantia, C. C. pp. oculos cancrorum, saccharum Saturni, tum etiam balsamica, maxime balsamum illum de Capaiba, trochiscos de camphora, de Charabe, & alia; ipsum verò ulcus abstergit decocto quodam ex agrimonia, equiseto, plantagine, rosis, balaustiis, &c. in quo mel rosarum & bolus Armenus sint dissoluta, cum parte aliqua terræ vitrioli, vel si sordidum sit, unguentum Ægyptiacum cum camphora & spiritu vini, mundata sanat unguento Apostolorum. In *Erosionibus* ex semine corrupto, vel alio quodam humore nimis acri pro contactu sequentem commendat mixturam.

℞. *Aceti*,
Spiritus vini aa. ℔ j.
M. & destillentur per alembicum; Liquoris destillati
℞. ℔ ß. *in qua dissolv.*
Theriac. ℥ ß.
Terr. sigillat. ℥ ij.
M.

Intingantur lintea, quæ tepidè admoveantur. Ulceribus ex erosionibus factis sequens accommodatum credit unguentum.

℞. *Mastic.*
Thur.
Alum. ust.
Salis commun. aa. ℥ j.
Ol. laurin.
Aq. vit. aa. ℥ ß.
Axung. suill. q. s.
Contundantur optimè in mortario plumbeo, & addatur cum pulveribus Mercurii saliva extinct. ℥ ß.
F. Vnguentum, quo ulcus illud studiosè est illinendum.

Contusionibus Testium magnum aliquando inducentibus tumorem convenire existimat cataplasmata ex farina fabarum, seminis fœnigræci, pulvere cumini, florum sambuci in oxymelite paratis, addito nonnunquam pulvere lithargyri pp. tum etiam sequens linimentum, quod aliquando præmitti, & nihilominus postea cataplasma poterit imponi.

℞. *Ol. flor. sambuc.* ℥ ij.
Bacc. laur. ℥ i.
Spir. lumbric. gt. iij.
Camphor. ℈ j.
M. F. Linimentum.

Nec reprobat hoc in casu cataplasma illud extemporaneum, quod fit ex parietaria cum croco in oleo chamomillæ cocta, tepidè impositum, quo dolor brevi lenietur, tumor imminuetur, & omne coagulatum resolvetur, simulque urinæ effluxus optatò promovebitur.

Sylvii cura in Testium morbis.

§. 17. *Sylvius* talem proponit. Testium *Tumoris* & potissimùm *Inflammationis* curationem, qua sanguinis & lymphæ in testium vasis stagnantium motus restituatur, adeoque iidem coagulati resolvantur per salia volatilia, sudorem & urinam moventia, ex aqua fœniculi, petroselini, flor. sambuci, Spiritu Sal. Armoniaci, laudano opiato, Syrupo capillorum Veneris, de quinque radicibus, quibus simul obstructio aperietur, & sanguis è vasis affusus ante suppurationem removebitur; si verò hæc præcaveri nequit, ipsam maturari vult, & promoveri. Ad resolutionem succorum stagnantium etiam externa approbat remedia, qualia sunt unguenta vel linimenta ex unguento Althææ, martiato, oleo chamomillæ, laurino anethino, cataplasmata dissolventia ex plantis acrioribus, nasturtio, chærefolio, mentha, foliis sambuci, farina fabarum & lupinorum, cum cæpis assis contusis, fotus ex plantis aromaticis & discutientibus, ut radicibus apii, bryoniæ, foliis menthæ, betonicæ absinthii, rutæ, majoranæ, floribus chamomillæ, sambuci in vino coctis, & spiritu vini addito dum adhiberi debent. Suppuratio si præcaveri nequeat, eandem promovet cataplasmatis maturantibus ex pulvere radicis althææ bulbis liliorum alborum, foliis malvæ, mercurialis, brancæ ursinæ, farina hordei, seminis lini, fœnigræci, caricis, in cerevisia tenui coctis, ad emollitionem, qua impetrata contusis omnibus addi vult axungiam anserinam, & butyrum recens. Loco cataplasmatis emplastrum diachylum cum gummi

imponi posse concedit, & facto exinde puri citò exitum parari, aperto simul scroto ea in parte, in qua testis suppuratio promota est, quo testis eo facilius aperiri, & materiæ purulentæ effluxus possit conciliari.

In *Ulceribus* Testium approbat decocta sudorifera guajaci, herbarumque aromaticarum, quibus simul ulcera illa ablui & mundari possint, tum etiam balsamum sulphuris terebinthinatum, & succinatum, quo non modò mundantur humores acidi acres in ulcere contenti, sed ulcus etiam ipsum optimè consolidatur.

Ad *Contusionem* Testium ea commendat remedia, quæ sanguinem è vasis dilaceratis effusum & coagulatum resolvere possunt, unguenta nimirùm dialthææ, martiatum, Agrippæ, cum oleo Philosophorum, emplastrum diapalmæ, & clysterum discutientium frequentiorem usum, nec non cataplasmata prædicta ex plantis aromaticis, cum farina fœnigræci & fabarum, statimque venesectionem celebrari jubet in pede vel brachio. Si instans inflammatio discutientibus hisce non potuit præcaveri, eaque in supurationem vergat, remediis modò enumeratis eam vult promovendam.

Cartesianorum affectus hosce Testium curandi ratio.

§. 18. *Cartesiani* suadent in Testium *Tumore* attenuantibus succorum crassitiem & stagnationem resolvere, & canales obstructos reserare, ut succi ita commoti liberiùs fluant, hinc volatilia magis extollunt laudibus, si premissis terebinthinatis exhibeantur, vel decoctorum, vel aliarum misturarum forma, approbantque à *Willisio* jam descriptum apozema, cui tamen sequentem commodè substitui posse mixturam existimant.

℞. *Aq. flor. sambuc.* ℥ iij.
Rutæ. ℥ ij.
Essent. Sassafr ℈ ij.
Liq. C. C. succinat. vel
Spiritus Sal. Armoniaci ℈ j.
Pulv. Antimonii gr. iij.
Syr. scabios. ℥ ß.
M. d. una vice, expectando sudorem.

Cui pulverum forma tubet, ei sequentem exhibere solent.

℞. *Ocul. cancrorum* gr. xij.
C. C. Philos. pp. ℈ ß.
Flor. Sal. Armoniaci gr. viij.
M. F. Pulvis.

Singulariter etiam hoc in affectu celebrant spiritum C. C. volatilem, ad guttulas aliquot in vino dulci generoso assumptas. Non longè quoque ab internis hisce præsidia differunt externa, sed ad magis præsentaneum impetrandum juvamen illis hæc adsociant, fotus instituendo ex hermis multo sale volatili præditis in vino decoctis, addito in fine, prout D. *Sylvius* jam monuit, aliquid spiritus vini, ut eo citiùs penetrent, vel spiritum Sal. Armoniaci, prout sequens monstrat formula.

℞. *Herb. rut.*
Agrimon.
Nasturt. hortens.
Beton. aa. M j.
Coq. ex vino dulci ad ℔ j.
Colatur. adde
Spiritus Sal. Armoniaci ℥ j.
Camphor. ℥ ß.
M. pro fotu.

Ex solis spirituosis etiam tepidè adhibitis hujusmodi fotus instituunt, cui scopo inserviunt spiritus juniperinus, spiritus matricalis, Spir. vini camphoratus, Tinctura Asæ foetidæ, Essentia Menthæ, rutæ & Chamomillæ. A cataplasmatis quoque non parum expectant subsidii, quorum aliquot communicabunt exempla.

℞. *Farin. fabar.* ℥ j.
Pulv. fol. rut.
Agrimon. aa. M j.
Sem. Cum. ℥ ß.
Coq. in aq. & vin. ad debitam consistentiam, & adde
Camphor. ℨ iij.
Sal. Armoniaci ℈ ij.
M.

℞. *Sterc. vaccin.* ℥ iij.
Fol. rut.
Cicutar. aa. M j.
Tabac. ℨ j.
Coq. ex aq. ad consistentiam pultis, add.
Farin. tritic.
Mellis aa. ℥ ij.
M. F. Cataplasma.

Ex fecibus quoque vini & farina, vel pane secalino cataplasmata cum spiritu vini, vel cerevisia parata maximè laudant, quibus pro faciliori penetratione admiscent aliquid salis alcali, vel Armoniaci, ut succi torpidiores eò magis commoveantur, & è sede sua deiiciantur, qua de causa mercurialia quoque foris admovent, uti emplastrum de spermate ranarum Vigonis, cum duplo vel triplo Mercurii, emplastrum da baccis lauri, & cumino cum Mercurio commista. Suppuratione Testis promota, vel antedictis, vel aliis cataplasmatis ex prioribus cognitis, purulentam materiam tum per urinam, tum aperto abscessu per scalpellum euacuant, & reliquam curam instituunt sequenti ratione.

Ulcus Testium remediis aptis emundat, ut ipsa sanatio post hæc optatiùs perficiatur, hinc pilulas terebinthinatas cum Mercurio dulci præmittunt, ut materia virulenta evacuetur, postea sudorifera ex lignis, vel pulveres ex Mercurio dulci & cinnabari Antimonii propinant, aliasque mixturas purificantes, qualis sequens existit egregia.

℞. *Aq. Lapp. major.* ℥ j.
Fumar. ℨ v.
Rorismar. ℨ iij.
Essent. lign. Sassafr. ℨ i ß.
Tinctur. resin. guajac. ℨ ß.
Syr. Scabios. ℥ j.
M. d. cochleatim.

Quæ foris adhibent, virtute sua iis, quæ interna sumenda propinant, respondere volunt, & propterea aquam Mercurialem, & calcis vivæ cum saccharo Saturni pro abstersione commendant, vel Spiritum vini camphoratum, cum aloe, ærugine, aut pauca quantitate auripigmenti, hinc ulcera mundata sanant internè & externè usurpato Balsamo Peruviano, aut de Capaiba, nec non unguentis ex Melle rosaceo, terebinthina, myrrha, olibano, sarcocolla, al iisque, si scroto simul exeso commodè admoveri queant. Eadem quoque ratione procedunt in Testium *Erosione*, in qua præ aliis pulveres laudant diaphoreticos, in quos dum particulæ corrodentes lanceolas suas infigunt, eæ facilè franguntur & hebetantur, ne ulterius adeo noceant, quales sunt pulveres oculorum cancrorum, C. C. philosophicè pp. Antimonii diaphoret. Pulver. Antimonii, Salis succini, & id genus aliorum. Aperto testi inspergunt pulveres itidem porosos, in quos partes corrodentes angulares cito incurrant & hebetentur ex thure, myrrha, saccharo Saturni, camphora, albo greco, radice aristol, chelidon. maj. gentianæ, vel linteis sequenti mixtura humectatis sæpius attingantur.

℞. *Spir. Vin.* ℔ ß.
Oliban. pulverisat. ℥ ß.
Salis Saturni ℨ ij.
Camphor. ℨ j.
M.

Superata materia corrodente, ulcera sanant emplastro divino, vel diapalmæ regioni testis laboratis etiam supra scrotum impositis, at testem ita corruptum, ut nullam planè admittat sanationem, omninò exscindunt, & emplastro styptico imposito scrotum vulneratum vel exulceratum ad consolidationem perducunt.

Ne in *Contusione* ex dilaceratis tubulis effusi liquores corrumpantur, & stagnando nimiùm incrassescant, motum eorum omni studio promovent fotibus & cataplasmatis ex farina fabarum, cumino, radice symphyti, herb. agrimon. flor. hyperic. chamomill. in vino dulci coctis, & ut fibræ dilaceratæ per convenientem suppurationem penitus abradantur, & frustula conglutinari non valentia separata cum pure eiiciantur, unguenta

guenta suppurationem istam promoventia scroto, & perinaei regioni admovent, ex ol. rosarum, vitellorum ovi, hyperici, lini, Terebinth. Philosophor. cum succino, gummi elemi & camphora. Facta suppuratione eodem pene modo, ut in ulceribus, procedunt. In leviori contusione, ubi suppuratione non opus est, epithema calidiuscule admovent ex spiritu lumbricorum, Sal. Armoniaci & camphora, vel etiam ex aqua calcis vivae, & succo nasturtii hortensis.

Nostrum consilium pro curandis Testium Tumore & Inflammatione.

§. 19. Perceptis ita Antecessorum consiliis, *nostrum* nunc paucis communicabimus. Si itaque Testes tumeant cum *Inflammatione*, conducent interne diaphoretica, quae succos incrassatos & stagnantes attenuant, subtilisant ac ad motum progressivum incitant, ex quibus sola salia volatilia saepe sufficiunt; ex.gr.

℞. *Theriac. vet.* ʒ ß.
Ocul. cancrorum pp. ℈ j.
Sal. volat. succin. gr. iv.
Camphor. gr. iij.
Ol. Junip. gt. v.
Cum Aq. Card. bened. & Sambuc. F. Potio.

Vel

℞. *Unicorn. marin.* ℈ ß.
Pulv. bezoard. Senn. ʒ ß.
Terr. sigillat. pp. gr. xiv.
C. C. philos. pp. gr. viij.
Aquae Calendul. ℥ ii ß.
Syr. ejusd. ʒ ii ß.
M.

Vel

℞. *Antimonii diaphoret.* vel
Bezoard. Martialis Ludovici ℈ j.
Salis CC. volat. gr. vj.
M. F. Pulvis una vice assumendus.

Cùm febris saepe simul urgeat, & cor à particulis acribus cum sanguine eò delatis spasmodice afficiatur, interponi potest cinnabaris nativa ad gr. viij. vel detur Antimonium diaphoreticum, vel pulvis concharum aut ostrearum. Solus saepe sufficit Spiritus C. C. vel viperar. in vino Malvatico assumptus, quò & referri possunt Spiritus Eboris, sanguinis, fuliginis, Sal. Armoniaci, Salis volatile oleosum nostrum, Spiritus, cephalicus n. quae omnia acidum venenatum, & coagulans obtundunt. Conveniunt etiam diuretica, & imprimis salina, potusque Theae calidus assiduò est interponendus.

Hisce praemissis & externa topica accersenda sunt, praeprimis autem sequens fotus mihi solennis esse solet.

℞. *Lithargyr. aur.* ℥ ij.
Flor. Sambuc.
Rosar. pallid. aa. M ij.
Chamomill. M. j.
Coq. ex aq. & vini aa. q. s.
F. Fotus calidè applicandus.

Majoris discussionis gratia, si opus fuerit, nobilitari hic fotus poterit cum spiritu vini camphorato, qui saepe solus, & si dolores simul urgeant, cum croco commixtus sufficit. Spiritus matricalis cum Elixirio vitae n. sacchаro Saturni & camphora saepiùs partibus hisce calidè applicatus rarò me fefellit. Vel

℞. *Myrrh.* ʒ ß.
Ceruss. ʒ j.
Camphor. ʒ j.
Farin. siligin. ℥ j.
M. F. Pulvis, qui vel per se inspergatur, vel cum spiritu vini F. Cataplasma tepidè imponendum & saepius repetendum.

Inflammatione aliquantùm sedata, postmodum tumori & duritiei obviam eatur, partem affectam balsamo Sulphuris succinato calidè inungendo, dein emplastrum nostrum de labdano applicando, quod egregium est, vel diasulph. *Rulandi*, vel de cumino, quod probatum reperi, vel sequens balsamus, magnarum virium in tumoribus duris emolliendis.

℞. *Scoriar. regul. Antimonii q. s.*
Terantur in pulverem, antequam humido aeris insinuantur, iisque affunde
Olei succini,
Terebinth. aa. q. s. ad eminentiam duorum digitorum transversorum, digerantur ut artis est.

Sic quoque in hisce tumoribus suffumigium ex resolventibus conducet, aut imponantur cataplasmata earundem virium, quorum sequentes existant formulae.

℞. *Faecum vini* ℥ iij.
Panis secalini ℥ ii ß.
Camphor. ʒ ß.
Salis alcali ʒ iij.
Sal. Armoniaci ʒ j.
Cum vini q. s. F. Cataplasma.

Vel

℞. *Cerevis.* ℥ vj.
Spiritus Matrical. ℥ ij.
Sal. Armoniaci gt. xij.

Vel

℞. *Nasturt. hort. M iij.*
Butyr. recent. ℥ j.
Fricentur in sartagine ad siccitatem; adde
Camphor. ʒ ij.
Applicetur tepidè.

Vel

℞. *Spir. Matrical.* ℥ iij.
Tinctur. Ass. foetid. ʒ ß.
M. F. Epithema.

Medicamenta haec testibus imposita faciunt, ut particulae tenerrimae & volatiles mediante pressione in vasa tendant, & incrassatos stagnantesque succos ad motum progressivum incitent, qua operatione obtenta succi isti facilem reperiunt exitum. Ab *Ettmullero* commendatum cataplasma sequens etiam laudabile existit.

℞. *Farin. fabar.* ℥ iij.
Pulv. sem. cumin ℥ i ß.
Coq. in s. q. Aquae ad consistentiam Cataplasmatis, adde
Lithargyr. pulverisat. ℥ j.
M.

Hoc Cataplasma calidè tumori & scroto imponatur, cujus usu dolor mitigatur, & tumor imminuitur.

Vel

℞. *Rad. Alth.* ℥ ß.
Farin. fabar.
Flor. Chamomill.
Fol. scord.
Sem. lini,
Foenigr. aa. ʒ j.
Carvi ʒ ß.
Coq. in vino Gallico, & tepidè applicetur.

Si tumor non remittat, sed quasi scirrhosus sit, vel emplastrum nostrum de labdano, vel sequens imponi potest.

℞. *Gumm. Ammon. Spiritu volat. solut.*
Emplastr. de cicut. aa. q. s.
Malexetur cum s. q. ol. dest. Tartari vel ligni Guajac. Inducatur super alutam & applicetur loco affecto.

Dan. Ludovici commendat emplastrum de hyoscyamo, utpote insigne simul mitigativum, quod paratur ex oleo ejus expresso, cum turionum expresso similiter succo, pro talium more cocto, addita huic cerae q. s. terebinthinaeque pauxillo. Totum dum adhuc fervet, per linteum colando, separato sic crassamento, fit emplastrum viride.

Epithema sequens contra tumorem testis inflammatorium cum insigni dolore ac ardore ab *Ettmullero* laudibus evehitur, & nostra experientia quoque est comprobatum.

℞. *Aquae Calc. viv.* ℔ j.
Spir. vin. camphorat. ℥ j.
Ceruss. vel
Sacch. Saturni ʒ iij.
M. F. Epithema.

Urgente maximo dolore etiam opii aliquantum addi potest.

Sup-

Suppuratio, si ad eam tendat tumor, arte promovenda est, & hinc testiculus denuò sanandus, quæ sanatio si obtineri nequeat, testiculus omnimodo exscindatur.

Si tumor transeat in Sarcocelen, admodum difficilis ejus est curatio, & sinistro remediorum usu facilè transit in carcinoma & cancrum ipsum immedicabilem, uti constat ex *Obs. Vvieri lib.* 1. *p.m.* 933. & 934. ubi refert de cancro latente, qui tandem tanto furore brevi efferbuit, ut ater teterrimo cum fœtore & frequenti sanguinis fluxu tumoris multam partem depaverit, & miserabilem in modum exederit, ægerque cruciatus incredibilis continuatione & fœtida putredinis exhalatione victus animam suam Deo libenter reddiderit.

Cura Testium Ulceris

In *Ulceribus* Fistulisque Testium acrimonia corrosiva tum succi nutritii, tum nervei, tum aliorum liquorum testes perfluentium ante omnia est corrigenda & mitiganda, tum internis absorbentibus diaphoreticis cinnabarinis, correcta enim hac acrimonia ulcera ista faciliùs curantur. Detur ergò decoctum ligni Guajaci, Sassafras, sarsaparill. vel Tinctura Antimonii n. d. diaphoretica, bezoardica, Spiritus matricalis, volatilia, quin etiam traumatica, imprimis essentia nostra traumatica cum bezoardica mixta, aliaque generali capite inferius dicenda. Si verò affectus hic suspicionem de lue Gallica nobis exhibet, præter decocta & alia spirituosa exhibenda præ aliis commendamus Spiritum matricalem cum elixirio vitæ N. & Extracto Sassafras, & inde sudor excitetur rarò te effectu exoptato fallens. Præter interna vulneraria ad topica etiam transeundum, commendamusque imprimis sequens epithema.

℞. *Aq. Regin. Hungar.*
Fol. sambuc. aa. ℥ ij.
Calc. viv. ℥ i ß.
Balsam. nervin. ℥ iij.
Spiritus Matrical. ℥ v.
M.

Cataplasma etiam sequens satis est accommodatum.

℞. *Herb. Scord.*
Rut
Card. bened. aa. *M* j.
Coq. in aq. & contusis add.
Farin. lupin. ℥ i ß.
Salis Armoniaci ℥ ß.
Camphor. ʒ j.
M. F. Cataplasma.

In sordidioribus verò æruginem æris cum melle rosato, vel aquam viridem *Hartmanni*, nec non decoctum ligni Guajaci aliaque lui Venereæ convenientia substituimus, præsertim si malum hoc morbo isti conjunctum sit. Sequens quoque unguentum mundificans erit egregium.

℞. *Ol. Hyperic.*
Terebinth. aa. ℥ j.
Vitell. ovi coct. N. ij.
Butyri Antimonii ʒ ij.
M. F. Unguentum.

Addenda quoque sunt Mercurialia, imprimis sequens.

℞. *Spiritus Matrical.* ℥ ij.
Aquæ calcis vivæ ℥ ii ß.
Lithargyr. ℥ ii ß.
Elixir. vitæ ʒ ij.
Mercurii dulc. ʒ j.
M.

Conveniet quoque unguentum rubrum nostrum super igne calefactum & ulceri immissum.

Cura Testium Erosionis.

In *Erosione* Testium præter prædicta decocta lignorum, aliaque diaphoretica, sufficit unguentum nostrum pro excoriatione ex oleo papaveris, cera alba & cerussa Antimonii paratum, vel sequens epithema.

℞. *Spir. vin. camphorat.* ℥ i ß.
Flor. sambuc. ℥ ß.
Aq. Calc. viv. ℥ j.
M.

Semper tamen in his Testium affectibus eò respiciendum est, ut omnia calidè applicentur, aer arceatur, quia corpus testium ex meris filamentis nerveis compactum, & quasi congeries est fibrillarum, sive congeries minutissimorum funiculorum, vel vasculorum semen vehentium, quæ absque ruptione dissoluta & sibi invicem annexa facillimè 20. ulnarum longitudinem excederent in homine, nam gliris testiculus, ceu Celeb. *Muys* testatur, ad 15. ulnas extenditur, & *BlanKardus* Amstelodamensis, Amicus noster, ad 20. ulnas. Frigida & adstringentia ne adhibeas, circulatio enim humorum per frigida hæc facilè retardatur & acrimonia augetur, unde facilè abscessus vel ulcus produci potest. Sacculi & pulveres sicci in Excoriatione Testium externè adhibiti non adeò contemnendi usus sunt, ut pulvis liquiritiæ, althææ, florum sambuci, camphoræ, lithargyr. Salis Armoniaci, Tartari, lapidis calaminaris, Vitrioli Martis dulcis, ocul. cancrorum, cretæ, aliaque plura absorbentia, quæ omnia acres succos imbibunt, item volatilia quæcumque, quæ succos stagnantes liquidiores, & sic ad motum progressivum idoneos reddunt.

In *Contusione* Testiculorum eò semper respiciendum est, ut succi stagnantes ac per compressa ac dilacerata vasa effluentes resolvantur ac discutiantur, hinc conducunt varia absorbentia ac diaphoretica, quæ omnem implent paginam, quia grumos sanguinis aliorumque succorum attenuare ac resolvere possunt, qualia sunt Antimonium diaphoreticum, oculi cancrorum, C. C. philosophicè pp. unicornu fossile, ebur, mandibulæ lucii, mumia & sexcenta alia. Nec hic negligenda sunt Salia volatilia egregiam opem afferentia, quæ tamen in die ad ʒ j. assumenda sunt, aliàs non multum opis ab iis expectabis. Inter externa topica sint resolventia, paregorica, discutientiaque, ex quibus eminent cataplasmata ex bryonia, herbis emollientibus, floribus sambuci, meliloti, anthos, summitatibus majoranæ, thymi, &c. Ex mastiche, succino ac thure, foliis sabinæ, aliisque fiant suffumigia. Instituantur etiam fotus, sed præ aliis commendamus Spiritum vini camphoratum, Aquam Regin. Hungar. Spiritum matricalem cum camphora, Aquam calcis vivæ calidè aut tepidè cum elixirio vitæ N. applicata.

CAPUT II.

De Scroti Hernia, Tumore seu Inflammatione, Excoriatione, Ulcere & Vulnere.

§. I. Ut extra corpus pendentes Testiculi, nulloque muro osseo, ut reliqua viscera, præmuniti, ab externis periculis tuti suo fungantur officio, Sapientissimi Creatoris providentia pluribus investiuntur & involvuntur tunicis, quarum externa crassior sacculus est satis accommodatus, & quasi bursa testiculos in se contentos custodiens, indeque à scorteo, Veteribus usitato quodam sacculo coriaceo, scrotum, & per litterarum transpositionem *Scrotum* appellatum, quod pro varia corporis commotione molle quidem & rugis dotatum esse debuit, attamen à morbis liberum, quos proinde Medico aut Chirurgo quamprimùm removere incumbit. Contingit enim haud raro, ut ingentem in molem extendatur, & non modò Testibus sit nocumento, sed incessum quoque impediat, dum à diversis Herniarum aut Tumorum speciebus deprehenditur, vel unitas ejus dissolvitur, nec Testes decenter continere valit. Communis quidam morbus ei obtingit, dum Hernia vel Cele vexatur, qui ab Oschei nomine, quo Græci bursam hanc indigitant, in genere *Oscheocele* vocatur, cujus species sunt Epiplocele, Enterocele, Hydrocele, Pneumatocele, Sarcocele, Cirsocele.

Oscheo-Epiplocele.

Oscheo-Epiplocele est Scroti nimia distensio ab omento per relaxatum peritonæi processum è sede sua in hoc prolapso inducta.

Oscheo-

Oscheo-Enterocele est similis scroti distensio, & magnitu-

gnitudinis ejus inconveniens incrementum, ab intestinis eodem modo prolapsis dependens.

Oscheo-Hydrocele est intumescentia scroti à lympha evasata & nimia copia in sacculo hoc collecta ortum habens. Germ. *ein Vvasserbruch*.

Oscheo-Pneumatocele est Scroti ab aere facta nimia distensio. Germanis dicitur *ein Vvindbruch*.

Oscheo-Sarcocele dicitur, dum Scrotum ob Testes variis nodis aliisque spongiosis excrescentiis inordinatè auctos nimium extenditur.

Orcheo-Cirsocele est distensio Scroti à venis testiculorum nimium dilatatis, ruptis aut circa testiculos convolutis inducta.

Tumor Scroti *inflammatorius* est ejusdem vitiosum incrementum ex succorum in tubulis ejus stagnantium & in motu suo progressivo impeditorum augmento pronatum, dolore pulsante & urente satis molestum, & colore in rubrum mutato conspicuum.

Excoriatio Scroti, est externarum ejus partium, cutis nempe ejusque glandularum dilaceratio à particulis acribus corrosivis in lympha utplurimùm contentis & ibidem subsistentibus, vel aliunde irruentibus exorta.

Ulcus Scroti est solutio unitatis à particulis acribus corrosivis, intimiores scroti cutis glandulas ipsasque membranas perforantibus producta.

Vulnus Scroti est ejusdem continui solutio à re violenta externa facta.

§. 2. *Pars affecta* est *Scrotum*, quod est tunica externa testiculum cingens, ideò Scrotum & Bursa dicta, quia coriaceum sacculum refert, quapropter & vulgus partem hanc marsupium & bursam virilem nuncupat, quæ nil aliud est, quàm cutis cuticula tecta & multis glandulis referta, & quidem cutis hæc tenuior est, frequentioribusque venis intertexta, nulla verò pinguedine donata, ne quandoque per illam in nimiam excrescat molem, & ad relaxationem corrugationemque fiat inepta. Scrotum hoc infima sua in sede lineam habet secundùm sui longitudinem excurrentem, qua in dextram sinistramque ab Anatomicis dividitur partem, hinc & ipsis *Sutura* audit. Huic altera adjungitur tunica, interna nempe, quæ ex musculo corrugante tenuiori consistit, & *Dartos* dicitur, cujus beneficio contingit, ut quàm promptissimè scrotum contrahatur & corrugetur, unde facilè ratio dari potest, cur in ægrotantibus infantibus corrugetur vel relaxetur hoc scrotū, quando enim mulierculæ scrotum corrugatum conspiciunt, infantem rectè valere judicant, contra verò si relaxatum propendeat, ipsum ægrotare dicunt, quod & de viris dici potest. Si *Subjectum causæ* in Herniis simul lustrare velimus, non aliud, nisi Peritonæum est, ejusque processus lateralis sinister. Subjectum adæquatum, ut dicunt, sunt intestina proximè huic loco accumbentia, & ordinariè ab his thermopylis seclusa, uti per mechanicam notum est per minores canales concedi posse transitum peculiarem, citra adapertam portam pro aliis quibuscumque. Hic verò ampliori concesso spatio & pondere suo prolabuntur mox intestina, & eadem ampliant sibi spatium, cum primis & ipsa magis expansa, nominandum hinc ileum, quod & longissimum omnium, & lubricitate magis ad exitum pronum, & quod palmarium est, accubans huic regioni. Locus illapsus est processus peritonęi, quo mediatè communicant cum reliquo corpore testes, extra mænia quasi publica locati, latis illuc vasis spermaticis & cōmuni speciei usui & proprio testium dicatis. Processus ille transitum concedit canalibus seminalibus, & per accidens quoque intestinis, facta hic locorum lęsione particulari.

§. 3. *Hernia Scroti* cognoscitur ex ipsius tumore sæpe valde magno ac dolorifico, ejusdem cum cute sana coloris, tormina in abdomine adsunt ac ægri evomunt quicquid assumunt, quando scilicet intestina restitui nequeunt, quæ in scrotum prolapsa ægros molestant, & in ipso incessu impedimento sunt, si verò in locum suum recedunt, ægri nullum sentiunt incommodum. *Oscheo-Epiplocele* ab *Oscheo-Enterocele* ità discernitur, quòd omentum in scrotum prolapsum tumorē reddat magis inæqualem, quàm intestina, & difficiliùs, at sine murmure, reponatur, intestina verò levi pressione manus, sed cum rugitu quodam ob flatus in se contentos facilè in pristinum retrudantur locum. *Oscheo-Hydrocele* nulla manus pressione minuitur, sed figura tantum mutatur, & mollis est, & nisi aqua inter testium membranas abdita sit, aut propria in scroto cystide includatur, tumor hic lumini oppositus perspicuus existit, æqualis & mollis, nullus dolor ferè adest, nisi lympha acris existat, vel nimia copia extensionem maximam inferat, aqua potest hinc inde manu moveri. Si aqua in propria cystide continetur, tumor rotundus est, sin in teste, oblongus magis & ovalis. *Oscheo-Pneumatocele* facilè cognoscitur, tumor enim levior est & mollior, & ex impulsu resonat. In *Oscheo-Sarcocele* sæpe præcessit causa externa contundens, cujus aliqua adhuc restant vestigia, adest durities & color fuscus. *Oscheo-Cirsocele* deprehenditur ex venarum flexibus duris, rotundis, & nodosis tactu facilè perceptibilibus. In Oscheocele sæpe tumor sensim increscit, adestq; imminuta movendi prōptitudo, partim ob articulationem femoris per accidens ac consensum læsam ob tumorem adauctum, qui illam impedit; partim ob tensionem majorē motu & decubitu graviore inductam, utrobiq; spiritibus magis defatigatis & impeditis, ægri sentiunt à pastu dolorem gravativum abdominis ad locum affectum protensum, desidenti vel decumbenti levamen contingit, caput quandoque dolet, extra verso tumore. Aliquando etiam in scroto calculi observati sunt, & notū mihi est exemplū in puero Francofurtensi 11 anorum, ex cujus scroto à Chirurgo aperto 60. calculi diversę figurę & coloris flavi eximebatur.

Inflammatio Scroti cognoscitur ex ipsius tumore, dolore, rubore & calore, sæpe conjuncta cum febricula, & eadem hic apparent signa, ut in aliarum partium inflammationibus.

Excoriatio Scroti innotescit ex dolore urēte & cuticulę ablatione, ipsoq; adspectu cuilibet facilè patescit, Hydropicis est solennis, per hæc enim loca effluit lympha, unde aliquot hydropes hoc modo jam vidi terminatos.

Ulcus & *Vulnus* Scroti facilè in sensus incurrunt, adeò ut non opus sit id, quod satis notum, multis verborum ambagibus obscurius reddere.

§. 4. *Ætiologiam* morborum præsentium ità formant *Galenici*. ut in *Oscheo-Epiplocele* tanquam causas accusent quascumque violentias processum peritonęi vel nimiùm dilatantes, vel plane rumpentes, ut major omenti portio per rimam illam extra inguen in ipsum Scrotum dilabatur, uti in *Oscheo-Enterocele* Intestinum aliquod, præsertim cæcum magis quàm cætera solutum, quarum violentiarum numero inserunt lapsum ex alto, cursum vehementem, gestationem ponderis aut dimotionem molis gravioris, fęcum siccarum expulsionem, conatum quemcumque magnum, tussim asperrimam, proclamationem maximam, tubarum aliorumque instrumentorum musicorum multam anhelitus contentionem expostulantium inflationem diuturniorem, flatus in intestinis copiosos eadem propellentes, & id genus alia. *Hydroceleu* Scroti oriri dicunt ab excremento seroso in Scroto paulatim collecto, & vel ex partibus superioribus, & quidē abdomine potissimùm in hydropicis destillante, vel ex vasis urinariis rarioribus, vel ab urina acriori erosis transudante, vel ex refrigeratione Scroti & sanguine per vasa spermatica eò delato frigidiore, sensim coacervato *Oscheo Pneumatoceles* causam constituunt flatus ab intestinis Scroto ipsi communicatos, quos ob caloris defectum adeoque intestinorum frigiditatem magna copia in iis progenerari volunt. *Sarcoceles* Scroti causam vel sanguinem purum aut impurum, vel semen diu collectum & retentum existere dicunt, in excrescentiam ejusmodi carnosam à natura transformatum. *Cirsocelem* Scroti oriri asserunt à sanguine crasso & flatulento, sive melancholico in vasa Scroti copiosiùs effuso, præsertim in venas, quæ proinde ab eodem ita amplientur & dilatentur, ut tumorem istum obliquum præsentent.

A variis humoribus in Scrotum effusis aut in eodem collectis etiam alios ejusdem *Tumores* pronasci statuunt inter quos *Inflammatio* ejus causam agnoscat sanguinem vel purum, vel bile aut pituita commistum, & ab externa quadam occasione, contusione scilicet, agitatio-

Marginal notes: [Oscheo-Enterocele.] [Oscheo-Hydrocele.] [Oscheo-Pneumatocele.] [Oscheo-Sarcocele.] [Oscheo-Cirsocele.] [Tumor Scroti & inflammatio.] [Scroti Excoriatio.] [Ulcus. Vulnus.] [Pars affecta.] [Ætiologia morborum horum secundùm Galenicos.]

tatione aut frictione allectum & in Scroto retentum.

Excoriationis Scroti causas recensent humores salsos vel acres, urinam in ipsis infantibus, serum in hydropicis, vapores & impuritates acres circa Scrotum collectas, vel scalptionem, abs quibus cuticula Scroti eroditur aut plane abraditur.

Ab iisdem, maximè tamen humoribus acribus interius ad scrotum irruentibus *Ulcus* ejusdem excitari dicunt, uti *Vulnus* ab externis violentis, secando, pungendo, contundendo, vel urendo continuitatem ejus dissolventibus.

Paracelsum. §. 5. *Paracelsus* quoad *Oscheo-Epiploceles & Enteroceles* causas tesseram adjicit prioribus, affirmans, eas ab intestino vel omento in Oscheum delapso produci. *Herniam* verò Scroti *Aquosam*, ex eo loco provenire statuit, in quo sita fuerit, esseq; liquorem in Oscheo resolutum, productum ab externis accidentibus & causis, cùm quisquam lęsus fuerit, vel ex abundantia spermatis putrefacti, quod in liquorem sit resolutum, sal autem quodvis resolutum in suo loco remanere statuit solum, nisi per poros deorsum transeat, quod in Oscheo fieri nequeat.

Herniam Scroti *ventosam* ex accidentalibus provenire asserit, esseque arsenicalem inflationem præter salis resolutionem, siquidem omnis inflatio sicca producatur ex arsenico puro.

Herniam Scroti *Carnosam* non aliter, quàm alcolam vel naphtham originem suam ducere statuit, solumq; forma ab eis differre, liquorem quippe nutritivum, quo sustentatur oscheus, à vera substantia separatum, & in excrescentiam transeuntem, herniam carnosam proferre docet *Herniam Varicosam* ex sale plumoso cum substantia resoluto oriri dicit, sępe ulcus cavernosum Scroti præcedente. Hujusmodi Hernias etiam facile lui Gallicæ curatæ succedere putat, quod causam habeant venenum à lue illa contractum, interdum etiam cum ipsa lue complicari, & tum aquas fluctuantes, tumores, ulcera, verrucas, &c. supervenire, nonnunquã morbo hoc non curato *Herniam pustulosam* adesse commemorat.

Inflammationem Scroti ex aluminibus putrefactis, ut in aliis membris, produci asserit, atque ad apostemata accedere, quę non tendant ad mortem, nec aliam Scroti impotentiam.

Excoriationis Scroti originem imputat sali cuidam foris ad scrotum vel cum urina, vel sudore delato, aut scalptioni Scrotum superficietenus erodentibus, uti ipsũ *Ulcus* sali adscribit acriori cum liquoribus ad Scrotum pervenienti, & illud ipsum profundiùs erodenti.

Vulnus Scroto ab externis quibusdam instrumentis unitatem ejusdem dissolventibus inferri cum aliis fatetur.

Helmontium. §. 6. *Helmontius* Scroti *Herniam Omentalem & Intestinalem* ab exorbitatione Omenti & Intestini per foramen inguinale in ipsum Scrotum non sine excandescentia Archei omentalis aut intestinalis oriri fingit, sicuti *Aquosam* à latice majori copia in Scrotum profluente, *Flatulentam* à Gas sylvestri, in quod spermaticum Scroti alimentum fuit transmutatum, *Carnosam* à proprio testium& Scroti nutrimento his in partibus ab Archeo delassato retento & copiosiùs collecto, & *Varicosam* à vasorum Scroti à sanguine multo cruore referto distentione originem sumere sibi imaginatur.

Inflammationem Scroti à majori Archei excandescentia peregrinum aliquod à se depellere nitentis, & propterea cruorem detinentis, signumq; furoris sui externè appendentis provenire judicat, *Ulcus* verò & *Excoriationem* ab acido in latice contento, *Vulnusque* ab instrumento externo unitatem Scroti dissolvente.

Vvillisium. §. 7. *Vvillisius* in Scroti *Hernia omentali & Intestinali* dilatationem itidem, vel ruptionem processus Peritonæi accusat, ut vel omentum, vel intestinum aliquod per eundem in ipsum Scrotum descendat, hocque in tumorem distendat, ad quam dilatationem, vel ruptionem citiùs inducendam multum contribuat ipsa Peritonæi humiditas & mollities, conatus violentus, lapsus & aliæ corporis commotiones vehementiores, quibus omentum vel intestina, presertim cibo & potu nimium repleta, versus Scrotum impetuosius propellantur.

Hydrocelen Scroti oriri vult à sero copiosiori, vel vaporum specie ex sanguine per venas sudante, vel propria forma effuso & in Scroto collecto, uti in hydropicis sæpe contingere soleat, in quibus etiam latex in abdominis cavitate collectus per ductum Peritonæi defluat, & Scrotum distendat.

Pneumatocelen Scroti induci credit ab halitibus ex sanguine spirituosiore per arterias delato assiduò in Scrotum decedentibus, vel à motibus convulsivis scrotum nimium distendentibus, quod distensum deinde flatus occupent copiosiores.

Sarcocelen Scroti oriri dicit à succo nutritio copiosiùs ad testes & scrotum delato, & ibidem subsistente, ex quo excrescentia hujusmodi tandem emergat, uti *Cirsocelen* à sanguine fæculento & venarum aliquo in loco compressione, unde per ea non facilè perfluere possit sed diutius hæreat, & venas distendat.

Inflammationis Scroti causam ponit sanguinem in tunicæ hujus vasis minoribus ac interstitiis ob lentorem obstructum aut extravasatum, & hinc ob turgescentiam copiosius aggestum, & effervescendo tumorem, calorem & dolorem excitantem.

Excoriationem Scroti, in pueris potissimùm ab urina salsa diutius partem hanc inundante, & cuticulam tandem erodente produci putat, nec non à latice cutaneo acriori; vel scalptione aliisve causis acribus corrosivis.

Ulcera Scroto contingere dicit vel ab inflammatione suppurata, vel ab humoribus in Scroto diutiùs retentis & tandem corruptis, ut tunicam hanc corrodendo planè dissolvant.

Vulnera Scroto inferri novit ab externis instrumentis continuitatem ejus dissolventibus.

Sylvium. §. 8. *Sylvius* ab Omenti vel Intestinorum vehementiori in Scrotum propulsione *Epiplocelen* vel *Enterocelen* progenerari dicit, uti in fortiori fæcum induratarum exclusione, vel alio quodam conatu aliquando contingere soleat. *Hydrocelen* à lympha è vasis diruptis in scrotum effusa produci vult, uti in Ascite quandoque fiat, interdum verò particulariter vasa lymphatica in scrotum distributa à diuturniori obstructione, à pituita stagnante succo proprio dirumpi, ut succus contentus ita effundatur & scrotũ distendat. *Pneumatocelen* ex flatibus in Scroto collectis illudque distendentibus *Sarcocelen* ex sanguine bene nutriente ad testes & scrotum copiosiùs allabente, & *Circocelen* à sanguine in Venis propter obstructionem aliquam diutiùs hærente emergere asserit.

Inflammationis Scroti causam statuit sanguinem in vasis scroti vel glandulis ejus diutiùs stagnantem, cujus particulæ acidæ, amissis volatilioribus spirituosis cum oleosis effervescant, & hac ratione non modò tumorẽ, sed calorem etiam, ruborem & dolorem exsuscitent.

Excoriationem Scroti Infantibus contingere docet ab urina acriore cuticulam erodente, vel ab alio quodam humore acri, aut agitatione & frictione hujus partis, ut cuticula dissolvatur.

Ulcus Scroti ab acido acriori in lympha potissimùm diutiùs in Scroti partibus stagnante contento, & *Vulnus* ab externis instrumentis inferri, profitetur.

Cartesianos. §. 9. *Cartesiani* nullam aliam constituunt causam *Oscheo-Epiploceles*, & *Oscheo-Enteroceles*, quàm ampliorem Peritonæi dilatationem à causis violentis inductam, ut omentum vel intestinum aliquod, maximè ileum, in Scrotum dilabatur, & hoc in tumorem distendat.

Hydroceles Causam proximam nominant effusionem lymphæ è vasis propriis in Scrotum, antecedentem vasorum lymphaticorum dirutionem, remotiones verò lapsum, saltum, equitationes, contusiones, & quicquid vasa diffringere potest, quibus addunt exulcerationes abdominis, ex quibus materia serosa per processum Peritonæi in Scrotum adinfluat.

Oscheo-Pneumatoceles causam allegare solent aerem in Scroto contentum, illudque spasmodicè distendentem, uti *Sarcoceles* originem imputant succorum per arteriolas ad testem affluentium incrassationi & stagnationi, ex inepta curatione Inflammationis per refrigerantia & incrassantia remedia inductæ, abs quibus

bus

bus tubuli constringantur, & de novo affluentibus succis transitus denegetur, hinc per diuturniorem stagnationem indurati, & testiculum cum Scroto distendentes excrescentiam præsentent; nec non contusioni testiculorum, ex quorum tubulis diffractis succi emanantes fibris adhæreant, & motu suo destituti coagulentur, sicque in ejusmodi abeant excrescentiam.

Cirsoceles causam esse dicunt, aut obturationem aut compressionem venarum Scroti & testiculorum, unde sanguis continuò per arteriolas affluens per venas nequeat profluere, sed in iisdem diutius hærens, & temporis successu auctus easdem distendat, & opplendo intumescere faciat; cui compressioni ansam præbere valeant contusiones, lapsus, equitationes, aliæque causæ remotiores ex superioribus jam cognitæ.

Inflammationem Scroti ab induratione seu incrassatione succorum oriri statuunt, qui in tubulis Scroti ob crassitiem diutiùs hærentes, non modò ob diversas suas particulas, porosas nempe & angulares, mediante materia ætherea variè ebulliant, sed fibras tubulorum distendant, & ita tumorem procreent, quin arteriolas comprimendo pulsum reddant auctiorem

Excoriari Scrotum dicunt ab urinæ particulis acutis acidis aut salsis, fortiori scalptione, remediorum aliarumve rerum acrium admotione, lympha corrodente in hydropicis, aut hydrocele per Scroti poros exsudante, aliisq; cuticulam à cute dissolvetibus & dilacerantibus.

Ulcera Scroti sæpe inflammationem, aliosq; tumores subsequi docent, particulis succorum stagnantium acutis in reliquas dominium exercentibus, & fibrulas tubulorum dissolventibus, tum etiam remedia corrodentia, vel Luem Veneream, in qua succi corrupti fibrulas erodant, & succorum effluxum promoveant.

Vulnerari norunt Scrotum à rebus externis, quas alii jam indigitarunt.

Nostra mens de causa Oscheo-Epiploceles, & Enteroceles.

§. 10. Præmissis hisce, ut pauca quædam addamus, *nostra* sententia Causa *Epiploceles* & *Enteroceles* Scroti non aliunde, quàm à relaxatione Peritonæi oritur. Hæc verò relaxatio producitur, vel quando multi ejusdem tubuli obstruuntur, inque illis stagnant ac coacervantur humores, qui cum tempore se insinuant in fibrillas peritonæi, illudque hoc modo relaxant, vel si vi quadam vehementi omnes fibrillæ una vice lacerantur & distrahuntur unde necessariò relaxari debet peritonæum, quod fit à causa quacumque violenta, vel ab efflatione, saltatione, lapsu ictu, &c. sic etiam à motibus quibuscumque violentis, tussi, sternutatione, vomitu. Fit etiam Hernia sæpe ab aere frigidiore & acido, tanquam causa remota poros intestinorum obstruente, quod præcipue contingit, quando intestina diutiùs, quàm par est, extra abdomen permanent, in scroto enim minor est calor, quàm in abdomine, hinc pori intestinorum eo modo aliquatenus obturati faciunt, quo minùs vapores ob minorem calorem etiam aliqua ex parte condensati ex intestinis in scroto latetibus liberè quaquaversum egrediantur, quapropter illi coacervati sunt in intestinis, illudque distendunt flatibus, videas enim sæpiùs quietè degere herniosa, quando autem aeri frigido exponunt suum corpus, accendi dolorum faces, tumorem augeri, indurari, incarcerari & minitari horrenda alia mala. Huc referri possunt cibi & alimenta, potulentaque nimis frigida, hinc nuper quidam ex tali potu in lethalem incidit herniam. Pertinent etiam huc animi pathemata, alvi constipatio nimia, quæ multum contribuere possunt ad stagnationem humorum. Disrumpi nemo negat in hernia hacce tunicam peritonei interiorem, expandi verò duntaxat & relaxari externam, adeò ut extensio fit inæqualis.

Oscheo-Hydroceles.

Causa *Herniæ* Scroti *Aquosæ* sive *Oscheo-Hydroceles* est ruptio vasorum lymphaticorum scroti à causa violenta, vel lapsu, contusione, saltu, equitatione, aliisque, quæ canales hos lymphaticos vi quasi lacerare ac disrumpere queunt, ut lympham contentam effundant, quæ in scrotum profluens illud copia sua distendit, & tumidum reddit.

Oscheo-Pneumatoceles.

Oscheo-Pneumatocele ab aere in scroto retento originem sumit, eo quòd partes quædam convulsæ ei transitum denegent, hinc ab externo frigore scrotum immediatè ambiente facilè contrahitur, cujus acidum fibras vellicat, & poros occludit, ut nulla fieri possit exhalatio, adeoque id quod evaporari debebat, intus retentum membranas distendit, & partem reddit tumidam absq; insigni duritie instar vesicæ aere sive vento repletæ & quasi inflatæ, & quidem aer seu ventus hic sæpius inter tunicas testem obvolventes continetur, quæ ita inflatæ tumorem hunc etiam in scroto præsentant.

Oscheo-Sarcoceles.

Oscheo-Sarcocele frequentiùs oritur, dum scrotum læditur per contusionem, aut fibris dilaceratis & tubulis destructis succi effusi circa fibras læsas stagnent, & stagnando cumulati tandem coagulentur & indurescant, sicque excrescentiam ejusmodi exhibeant carneam.

Cirsoceles.

Cirsocele in Scroto generatur, quando circa venarum valvulas portio quædam crassior hæret sanguinis easdē obturans, & alii sanguini de novo & assiduò ex arteriolis in venas affluenti denegat transfluxum, quare sanguinis copia in venis restitans easdem in tumorem extollit, quod etiam fieri solet, si ex lapsu, vel alia quadam causa venę comprimantur, & per compressionem istam angustentur, nec sanguinē transfluere facilè permittit.

Spermatoceles.

Prioribus Herniarum speciebus *Barbette* adhuc *Spermatocelen* addit, quamvis impropriè ita appellatam, quæ fit, quando vas ejaculatorium corrugatum in scrotum delabitur

Scroti Inflammationis.

Inflammatio Scroti oritur ab humoribus circulantibus extravasatis, & in Scrotum effusis, in ejusdemque ductibus & glandulis stagnantibus & corruptis, dum pori ita angustantur, ut sola primi elementi materia transgressum per eosdem reperiat, quæ igneis suis particulis statim colorem, ruborem, dolorem ac febriculam producit, in quibus præter tumorem ipsa inflammatio consistere ab omnibus creditur; Tumor verò oritur ab evasatis succis ibidem stagnantibus, & canaliculos Scroti distendentibus.

Ulceris & Excoriationis.

Ulcera & *Excoriationes* Scroti pronascuntur à particulis valdè acutis corrosivis in lympha aut sanguine, aut succo nutritio, aut nerveo, per scrotum circulantibus existentibus, ipsasque fibras ac glandulas Scroti cutaneas lacerantibus ac dissolventibus, quod sæpe in scorbuto, gonorrhœa, ac lue Venerea contingere solet, uti pluribus exemplis probare possim, si ea non essent odiosa. In *Excoriatione* causa est minor, ulcus enim & excoriatio tantùm secundùm magis & minùs differunt.

Vulnerum.

Vulnerum causæ ex superioribus satis sunt perspectæ, ut nulla hic indigeant repetitione, sunt enim violentæ, sive ictus à gladio, vel sclopeto, vel aliæ.

Prognosis.

§ 11. *Hernia Scroti* satis periculosus est affectus, imprimis si Omentum vel Intestinum diu extra abdomen permanserit; Omentum enim magnum interdum sumit incrementum, & pondere suo intestina & ventriculum versus inferiora trahit, unde cibi digestio impeditur. Intestinum quoque sæpe gangræna afficitur, unde necessariò mors ultima rerum linea prestò est, ceu patet ex observatione Cl. D *Muys Prax Chirurg. Rational. Obs. 3 p.m.* 195. ubi refert virum 40. annorum Ultrajectum Arenacum peditem profectum incidisse in herniam scrotum infestantem (cui herniæ antea etiam obnoxius fuerit sed tantùm in inguine,) & tamen adhuc per 4. horas incessisse pedibus, unde tumor valde excreverit, qui valde durus fuerit ac dolens ægrum interim semper vomuisse, ac frigori expositum in stramine per totam noctem jacuisse apud rusticum, postero die manè advectum fuisse Arenacum continuò vomentem, ubi variis propinatis ægrotū quarto die morbi è medio sublatum fuisse, pulsu sensim diminuto. Aperto cadavere intestinum ileum inventum fuit gangræna affectum, spithamæ longitudine, ac situm in scroto cum flatibus excrementisque duris; præterea magna pars omenti continebatur in scroto convoluta instar pilæ cum vasis sanguiferis valdè distentis. Sic si peritonæum ruptum fuerit, curatio est difficilior, quàm si tantùm relaxatum fuerit. Quò altiores egerint radices Herniæ, eò difficiliores sunt curatu. In pueris curatio est citiùs speranda, quàm in Senibus Si plures flatus fuerint conjuncti, tunc hernia est dolorosa, hinc oriuntur inflammationes, gangræna, morbus iliacus, & sæpe ipsa mors.

Ab initio *Hernia aquosa* curatu facilior est, quàm jam

jam inveterata, per moras enim diuturniores lympha acrior reddita facili marte fibras scroti corrodit, unde gangræna oboriri potest. Quò testiculo propior est hernia, quàm inter cuticulas, eò difficilior est curatu.

In junioribus herniæ sunt faciles curatu, solo enim emplastro de labdano, vel alio meo ad hernias, adjecto aliquando alimento plures curatos vidimus, contra in senibus difficiliores sunt curatu.

Pneumatocele in principio non ita difficulter curatur, nec adeo periculosa est, sed si tensiones convulsivæ diutiùs durent, majus minatur periculum.

Sarcocele & *Cirsocele* in principio interdum emolliri possunt, sed valde induratæ remediis vix obediunt, & nisi sectione auferri nequeunt.

Inflammatio, Excoriatio, Ulcera & *Vulnera* Scroti non sunt vilipendenda, quia pars hæc facilè sphacelatur, unde non mirum, quòd D. *Stalpart van der Wiel*, amicus noster exoptatissimus in suis *Observ. rar.* 363. scrotum omne sphacelo ablatum viderit, quod & ego Francothalii observavi in viro 40. annorum scorbutico. Si verò optimis & congruis in principio Inflammationi Scroti occurratur remediis, non ita difficulter abigi potest, ut & Excoriatio. Ulcera Scroti curatu quidem sunt difficiliora, adhibitis tamen medicamentis aptis infra dicendis plura vidi sanata. Sæpe cum levamine ægrotorum per scrotum observavi serum effluere, & militem novi Hanoviensem hydropicum, qui per scrotum non aliter ac per cribrum viginti sex libras aquæ emittebat, & planè convaluit. In lue Venerea ferè semper madent hæ partes, & excoriantur.

Diæta.

§. 12. Ægris his morbis laborantibus omnia acida, frigida, austera, salina ac viscida interdicenda sunt, contra volatilia, calida & liquida præscribenda, hinc enim meliùs se habebunt homines, & non facilè in hos incident Affectus. Imprimis in hernia ab exercitiis vehementioribus abstinendum, saltatione nempe, equitatione, lapsu, &c. Herniæ huic obnoxiis potus Theæ modicè & medicè assumptus optimè conducet. Animi pathemata, quæ ad stagnationem humorum circulantium multum contribuunt, vehementiora angue pejus fugienda sunt. Alvus sit semper libera, quod obtinebis, si diætam superiùs dictam bene observes, hinc enim solvuntur excrementa sponte, & non opus est purgantibus & laxativis, quæ sæpe plus obsunt, quàm prosunt.

Diæta Inflammationis, Ulcerum ac Vulnerum ferè eadem est, & cùm alibi hanc tradiderimus, eam sæpe repetere non licet.

Curatio Galenicorum in Oscheo Epiplocele & Enterocele.

§. 13. Curationem ita instituunt *Galenici*, ut in *Oscheo-Epiplocele* & *Enterocele* omentum, vel intestinum prolapsum ex scroto in abdomen, & locum pristinum restituant, quæ restitutio eo meliùs ut perficiatur, impecrata priùs inedia, alvum enemate evacuant, & fotibus, balneisque peritonæi meatum adhuc magis relaxant, tum manibus omentum vel intestinum urgent, ut in ventrem sive sedem debitam recedant, quòd si pro voto factum sit, remediis adstringentibus aptisque ligamentis eadem coercent, ne denuò prolabantur, ipsumq; peritonæi meatum relaxatum, vel diruptum adstringunt & occludunt remediis internis, & potissimùm externis, fotibus ex herbis plantaginis, polygonii, herniariæ, consolidæ majoris, foliis berberis, floribus rosarum, stœchadis, balaustiis, gallis viridibus, nucibus cupressi, corticibus granatorum, radibus consolidæ, bistortæ, aristolochiæ, asphodeli, narcissi, pentaphylli, rubiæ majoris, semine nasturtii torrefacto, alumine trito in vino rubro, & aqua maceratis, & calidè adhibitis, vel emplastris cōpositis ex iisdem simplicibus additisque gummi galbano, Ammoniaco, Serapino, tragacantho, Arabico, Sarcocolla, sāguine draconis, thure, mastiche, succino, aloe, myrrha, bolo, terra sigillata, gypso, colophonia, mumia, vermibus terrestribus exsiccatis, pilis marinis, pilis leporinis, pelle erinacei, blatta byzātina, &c. & vel cū albumine ovi, vel pice navali, cera & terebinthina exceptis, vel ichthyocolla in aceto soluta, in emplastrum redactis & inguinis regioni appositis. Horū operationem ut aliquantùm juvarent, etiam interna quædā remedia simul in usum ducunt, quæ pulverum, pilularū, Syruporum & electuariorum forma exhibent, & parantur ex herbis balsaminæ, equiseti, herniariæ, polygonii, caryophyllatæ, radicibus consolidæ, bistortæ, tormentillæ, valerianæ, plantaginis, rubiæ majoris, seminibus anisi, nasturtii tosti, myrtillorum, coriandri ex aceto pp pilulis cupressi, trochiscis de spodio, de carabe, chalybe pp. & similibus. Hisce vero remediis quando ob majorem peritonæi relaxationem, vel etiam ruptionem nihil proficitur, vel solis vinculis, & imprimis veteribus lupo nominato, intestina & omentum in abdomen repulsa coercent, ne in scrotum relabantur, aut si nihilominus cura ab ægris urgeatur, ad sectionem progrediuntur, quam tamen periculosam exituram præmonere solent, tum præmissis insessionibus emollientibus ægrum asseri alligant, itaq; locant, ut caput aliquantum sit declive, pro faciliori intestinorum in abdomen regressu, hinc cruribus & genubus diductis inguen ad processum usque peritonæi novacula dissecant, quo facto intestina ab involucro processus liberant, hoc cum teste & vase spermatico aliquando resectis, illis verò repositis, foramen filo satis crasso mediante acu incurvata trajecto meatum constringunt, & vulnus emplastro Apostolico, vel alio quodam conveniente claudunt. Aliqui verò ut tutius proponunt remedium ferramentum candens circa pubem supra rupturam sæpius admotum, quo cutis non modò, sed ipsum etiam peritonæum contrahatur, & meatus constringatur, sicque prohibeatur, ne omentum vel intestina in scrotum denuò delabantur.

In Oscheo-Hydrocele.

Oscheo-Hydroceles curationem ita aggrediuntur, ut in Scroto collectum excremētum serosum omni studio evacuent, vel discussione obscura minori quidem negotio, sed minori etiam periculo instituenda, vel effusione manifesta per operosiorem Chirurgiam celebranda. Pro discussione impetranda fotus instituunt calidos sæpius repetendos & componendos ex foliis apii, petroselini, ebuli, ceterach, baccis lauri, semine cumini, sale & sulphure in lixivio ad tertias coctis, cum spongia adhibendos; postque eos cataplasma imponunt ex cochleis contusis, baccis lauri viridibus, sulphure & stercore caprino cum lixivio mistis, aut linimenta inungunt ex oleo rutaceo, liliorum, irino, costino, Unguēto Agrippæ, de arthanita; vel denique emplastra adhibent ex Ammoniaco, bdellio, pice, cumino, baccis lauri, sulphure, nitro, alumine saccharino, chalcantho, litargyrio, flore lapidis Asii, oleis & cera, vel cum passulis rubris enucleatis tritis commistis, quorum sequens esse potest exemplar.

℞. *Lithargyr.*
Alumin. sacchārin. aa. ℥ j.
Sulphuris ℥ ß.
Chalcanth. ʒ iij.
Resin. pin. ℔ ß.
Bdellii vino liquati ʒ v.
Olei lilior. ℥ iij.
Acet. ℥ ß.

Terenda terantur diligentissimè, & cum resina, oleo & aceto calefactis excipiantur, coquanturque in justam consistentiam Emplastri.

Si materię aquosæ discussio remediis hisce impetrari nequeat, apertam ejus effusionem instituunt operatione Chirurgica, & quidem vel cauterio scroto adhibito, ut per ulcus studio factum materia aquosa superflua effundatur, vel cultello scrotum à media parte pubem versùs dissecando, quam operationem ita aggrediuntur: Æger derasa pube & scroto, si opus est, supinus in subsellio collocatur, natibus linteo multiplici, & spongia magna scroto subjecta, Chirurgus à sinistra parte sedens ministro à dextra sedenti mandat, pene in alteram partem reflexo, scroti pellem sursum versùs abdomen extendere, ipse verò hoc facto scrotum à media parte orsus in longitudinem prope pubem usque recta incisione secat, quæ à linea scrotum dividente æqualiter distet, summaque diligentia ad erythroidem usq; descendit, oras plagæ hamis aperit, & specillo herniario & scalpello tunicis partis diductis erythroidem denudatam per mediū dividit, ea potissimùm parte, qua à testiculo separatur, tum humore vel in totum, vel majori ex parte evacuato erythroidis partem quamque tenuissimam extrahit, & vulnus vel suturis, vel adstringentibus remediis & sarcoticis claudit, aut si solum scrotum divisum fuerit,

fuerit, solo emplastro barbaro superimposito illud sponte consanescere permittit. Ubi testiculus putredine, aut vitio quodam insanabili affectus fuerit, venis nervo cremasteri annexis priùs diligenter alligatis nervum ipsum cum vinculo quocumque præcidunt, & testiculum corruptum eximunt. In Biherniis scrotum in utraque parte juxta inguina incidunt, & capitulo per incisionem in imum demisso scrotum insinuant, & scalpelli acie paululum subsecant, ut sanguini concreto aut puri exitus paretur; tum specillo linamentum, vel lemniscum trajiciunt, & ulceribus spongia detersis, lanam oleo inspersam per plagam deorsum ad testiculum conjiciunt, aliamque vino, cui oleum additum, madidam scroto, abdomini, inguinibus, interfœmineis & lumbis extrinsecus imponunt, superaddito linteo triplici, & deligationibus institutis sexicruriis, aliisque accommodatis; hoc facto, & ægro reclinato, lanas scroto subjiciunt, quo requiescat, iisque alutam mollem ad fomentorum, quæ ex oleo calido ad tertium usque diem continuant, inspersionem excipiendam substernunt, tertio post die resolvunt, linamentum tetrapharmaco imbutum in vulnus injiciunt, lemniscum ex polline immutant, ob inflammationem extrinsecus madefaciunt, & medicamentum aliquod ad custodiam linamentorum superaddant, donec ulcere expurgato, & carne mediocriter superinducta, locum abluant, lemniscum extrahant, & adstringentibus, sarcoticisque integram conglutinationem absolvant.

In Oscheo-Pneumatocele.

In *Oscheo-Pneumatocele* ad flatuum discussionem omnem operam & subsidia admovent, scrotum sæpius calidè fovendo cum spongia expressa ex lixivio, in quo semina anisi, fœniculi, seseli, cumini, carvi, baccæ lauri, summitates anethi, folia rutæ, flores chamomeli priùs bullierint, post fotum cataplasma adhibent ex farinis fabarum, lupinorum, orobi, pulveribus seminis cumini, apii, petroselini, cardamomi, fœniculi, in vino generoso coctis, addito oleo anethino, irino, aut rutaceo, vel aliud ex stercore vaccino, sulphure vivo, pulvere cumini, melle anthosato, & oleo rutaceo paratum, quorum loco etiam emplastrum de meliloto, vel de baccis lauri imponunt, aut scrotum oleo rutaceo, laurino, anethino, costino, vel alio quodam conveniente inungunt.

Sarcocele

Ad *Sarcocelen* nondum adeò confirmatam curandam remedia adhibent resolventia, tum adstringentia, reppellentia & exsiccantia, ut emplastrum diachylon cum gummi, cataplasma ex farina fabarum, vel orobi in lixivio cocta, aut fomentationibus ex aceto aut decocto adstringente, internè quoque absumentia propinant, qualia sunt pulvis corticum radicis ononidis per plures menses cum vino potus, cor talpæ exsiccatum & pulverisatum quotidie in vehiculo idoneo assumptum. Confirmatam verò jam nulla alia cura auferre norunt, quam amputatione, & quidem eam solam, in qua caro non altiùs assurrexit, nec inguen occupavit, tum enim morbum hunc planè censent incurabilem, cùm portioni ejus tantillæ relictæ adnascatur fungus, & malum reddatur deterius. At in tumore exiguo, vel mediocri amputationem ita instituunt, ut comprehenso toto tumore scrotum ad ilium usque incidant, hinc totum id corpus tumidum, testiculum scilicet cum processu adhærente à scroto abducunt, tum acum filum validum trahentem per medium processum super testiculi tumefacti regionem trajiciunt, & denuò secunda vice eam per eundem processum intrudunt, nexuque facto ambo fili extrema connodant, ita ut altera media peritonæi portio eodem nexu & nodo comprehendatur; quibus peractis processum eum totum cum testiculo concluso rescindunt & exsecant, fili, quo superior processus pars revincta est, extrema è vulnere scroti longiusculè propendere permittentes, donec repellentibus, & constringentibus emplastris vulneri, fascia verò & splenio partibus vicinis impositis consolidationem & integram curationem pro voto obtinuerint.

In Cirsocele

Cirsocele recentiorem nec adeò magnum nactam incrementum, tum emollientibus & discutientibus, tum repellentibus & adstringentibus tractant remediis, ad ulteriorem affluxum & venarum incrementum impediendum, uti sunt pro emollitione & discussione fotus ex decocto rad. alth. fol. malv. mercurial. flor. chamomill. sem. fœnigræci, lini, cataplasmata ex iisdem, additis farina fabarum & axungia gallinæ, ceratum œsypi, emplastrum diachylum cum gummi, filii Zachariæ, de Ammoniaco *Foresti*; pro repulsione & adstrictione fotus & cataplasmata ex nucibus cupressi, corticibus granatorum, radicibus tormentillæ, bistortæ, floribus rosarum, balaustiis, baccis myrti, terra sigillata, bolo Armeno, hypocistide, sanguine draconis, &c. adhibent, & fasciam aut subligaculum admovent, quo pars non modò sustentetur, sed fluxio etiam & venarum inflatio inhibeatur, quod si fieri nequeat, sed tumor iam sic inveteratus, ad sectionem pergunt ita instituendam, ut scrotum ad varicem duorum digitorum magnitudinem æquante plaga cultello facta aperiatur, acusque duplex filum ducens sub venam varicosam, quàm altissimè fieri potest, transmittatur, ut radices ejus vinculo comprehendantur, & denuò ad ejusdem venæ partem imam acus eodem modo submittatur, spatio unius digiti inter vincula ista duo relicto, cujus ligaturæ inferioris filum priusquàm constringatur, varicem in medio spatio eodem modo, quo venæsectio instituitur, aperiunt, ad sanguinem illum crassum tumorem hunc in scroto excitantem evacuandum, quo facto plagam aliorum vulnerum more tractant, relictis filis, donec per se decidant, sic inducto callo cicatrix in venæ parte superiori præcavebit, ne sanguis per eam ulteriùs transcoletur, sed à tumore hujusmodi existat immunis.

In Scroti Inflammatione.

Scroti Inflammationem curaturi, ad revulsionem sanguinis & humorum peccantium, ne tanta copia ulterius ruant in partem hanc, venæsectionem instituunt in cubito dextro vel sinistro interiore, prout in hoc vel illo latere scrotum magis afficiatur, vel in utroque, si totum occupetur, ad derivationem verò venas poplitum secant, & malleolos scarificant, non omissis purgationibus ad humorum vitiosorum eductionem, quibus præmissis in principio repellentia adhibere consueverunt, epithemata nempe ex oxyrrhodino, vel succis nymphææ, sempervivi, plantaginis, quibus lintea mollissima intincta scroto imponunt, vel ipsum inungunt oleo rosaceo, omphacino, aut myrthino, aut unguento rosaceo, vel ceratum album admovent, donec inflammationis fervor remiserit, tum prioribus digerentia & dolorem sedantia admiscent, parato linimento ex vitellis ovorum & oleo rosaceo, vel cataplasmate ex farinis fabarum, sem. lini, foliis halicacabi, cannis viridibus, floribus rosarum, in succo sempervivi & endiviæ commixtis, addito oleo rosaceo, quibus etiam in dolore vehementi folia hyoscyami albi adjungunt. Ubi remisso omni Inflammationis vigore sola opus est digestione, cataplasma apponunt ex farina fabarum, & orobi cum decocto flor meliloti, seminis lini, fœnigræci & oleo chamæmelino subactis, vel ex passulis enucleatis cum cymino in vino maceratis, contritis & malaxatis, vel emplastrum diachalciteos oleo irino emollitum. In suppurationem tendente abscessu, hanc promovent cataplasmatis ex farinis tritici, sem. lini, rad. althææ, floribus meliloti, in aqua coctis, contusis & oleo amygdal. dulc. vel axungia gallinarum subactis, hinc facto puri exitum parant, si per se eum non inveniat, apertione scroti sufficienti distantia ab ano concessa, ne fistulæ ansa detur, tū ulcere mundato & abstersó vulnus cicatrice claudunt.

In Scroti Excoriatione.

Excoriationem emendare student humorum acrimoniam corrigendo, & nonnunquam copiam eorum evacuādo, posteà topica adhibendo, qualia sunt decoctum plantaginis & rosarum in lacte. Unguentum de tutia, populinum, rosatum, pulvis ex foliis myrti, & lapide calaminari adspersus, vel emplastrum album coctum impositum.

Ulceribus.

In *Ulceribus* Scroti humores peccantes acres interdum evacuant confectione Hamech, & ulceri ipsi ad mundificationem insinuant unguentum Apostolorum, cum unguento Ægyptiaco commixtum, præsertim si quid malignitatis in sinu gerat, ad carnem corruptam separandam, mundato ulceri adhibent incarnantia, ut unguentum de lithargyrio, de tutia, vel

vel quod componitur ex thure, sarcocolla, aloe, lapide hæmatite, flore æris, alumine, pulverisatis & oleo rosarum exceptis, donec tandem ungento de minio, aut eo quod in Testiculorum ulceribus descriptum fuit, cicatricem inducant & curam absolvant.

Vulneribus. *Vulnera* Scroti simplicia & parva citò ad consolidationem deducunt emplastro Apostolo um vel triapharmaco, quæ verò facta sunt cum contusione, in iis frustula membranea ad suppurationem disponunt unguento ex terebinthina, melle, vitello ovorum, thure, myrrha & croco, tum Vulnus ipsum mundant & abstergunt decocto quodam vulnerario, & tandem antedictis emplastris consolidant.

Paracelsi cura in Oscheo-Epiplocele & Hydrocele. §. 14. *Paracelsus* ipsam *Oscheo-Epiplocelen*, & *Enterocelen* absq; sectione vix curari posse concedit, *Herniam* verò *Aquosam* nullo modo vult aperiri, sed defluxiones intrinsecus per mercurium laxativum averti, posthæc externa sequenti modo adhiberi jubet.

℞. *Ficuum* ℔j.
Ol. granor. Junip. ℥iiij.
Farin. fabar. ℥vj.
F. Cataplasma super ignem, quod superponatur, quanto calidiùs pati valeat, mane, sub meridie, & serò, hoc materia ipsa separatur.

℞. *Farin. fabar.* ℔j.
Sem. psyll.
Cydonior. aa. ℥j.
Consolid. maj. ℥iiij.
Vini & aceti q. s.
F. Emplastrum.

In Oscheo Pneumatocele. In *Oscheo-Pneumatoceles*; sive Herniæ ventosæ curatione ritè ineunda ab apertione & rebus siccis abstinere jubet, & resolutioni materiæ potissimùm incumbere, qua de causa sequentia præscribit remedia.

℞. *Ficuum* ℔j.
Olei ex baccis Junip. ℥iiij.
Farin. fabar. ℥vj.
M. F. Cataplasma.

Per pinguia quoque & viscosa procedere jubet, non quidem propter duritiem, cùm ventus sit, sed quia tumor hic ab arsenico crudo & realgare causetur, quæ oleum amygdalarum dulcium, viscus abietis & emplastrum ex terebinthina mitigent, & quamvis diaciminum ad ventum in ventre clausum optimè valeat, in hac tamen cura non esse idoneum seriò admonet, sed sequentia potius remedia commendat externa.

℞. *Ol. Amygdal. dulc.* ℥ij.
Farin. fabar. ℥ß.
Fimi columbini,
Caprar. aa. ℥iij.
Aceti q. s.
Fiat Cataplasma, quod superponatur mane, sub meridiem, & serò.

℞. *Visci abietis* ℥vj.
Mumiæ ℥v.
Folior. ebuli ℥j.
Commisceantur.

℞. *Terebinth.* ℔ß.
Cumin. ℥iiij.
Sem. Lactuc. ℥vj.
Ceræ q. s.
Reduc in Emplastrum.

Sarcocele & Cirsocele. Ad *Oscheo-Sarcoceles* & *Cirsoceles* curationem ex arte administrandam, è contra à rebus pinguibus, potionibus vel curis intrinsecis & à superpositione siccorum & exsiccantium abstinendum esse præcipit, sed duplicem curam admittit, per instrumenta scilicet, & medicamenta resolventia, ex quibus sequens admodum deprædicat.

℞. *Ol. laterin.* ℥vj.
Oppopanac.
Galban.
Bdellij aa. ℥iij.
Reduc ad formam liquidam cum ista additione.

℞. *Farin. fabar.* ℥iij.
Ficuum N. iiij.
Caphuræ
Rutæ aa. ℥j.

Fiat in modum Emplastri, quod maturat, resolvit, putrefacit, crescere magis non sinit, nec etiam dolorem infert. Hisce resolventibus annumerat oleum benedictum, oleum laurinum destillatum, oleum nucum, oleum de seminibus papaveris nigri, oleum anethi, axungiam ceræ destillatam, Alcool vini destillatum cum fabis, Alcool destillatum cum seminibus psillii, aquam flammulæ, aquam hirundinariæ, aquam de persicaria rubea, aquam de iringo, succum ex lapatio, liquorem destillatum ex fimo caprino, olea enim destillata rerum pinguium numero planè eximit. Ad abscessum etiam colligendum sequentia commendat.

℞. *Opopanac.*
Serapin.
Ammoniac.
Galban. aa. ℥j.
Ol. Philosophor.
Gummi, ut moris est, dissolvantur in aceto rosaceo, & denuò incoquantur, ac cum prænominato oleo redigantur in formam Emplastri.

Quod toti Herniæ imponendum per tres vel quatuor septimanas; apostemati verò in loco idoneo collecto per se rupto, & sub emplastro hoc resolu o emplastrum tractorium ex gummis & colophonia paratum imponi vult, ut resoluta materia etiam simul expellatur.

Inflammatione. Scroti *Inflammationem* erysipelaceam hoc modo tractat, ut sal acre corrigatur per medicamenta ex lapide calaminari præparato & camphora, in ea verò, quæ cum abscessu conjuncta est, mundificativa adhibet ex gummis, aliaque in Phlegmone usitata.

Excoriatione, Vlceribus & Vulneribus. *Ad Excoriationes, Vlcera & Vulnera* Scroti arsenicum præparatum singulariter commendat, maximè verò mumiam, balsamum & liquorem ejus, quibus vitia hæc totaliter curari posse nullatenus dubitat.

Helmontii cura in Morbis Scroti. §. 15. *Helmontius* curationem *Oscheo-Epiploceles & Enteroceles* in mitigatione furoris Pylori consistere dicit, & propterea adeò deprædicat vinum illud, in quo semina anisi, carvi, fœniculi & coriandri ebullierint, quo virum herniosum quinquagenarium vinculi incuria Enterocelen passum, quæ ad capitis magnitudinem mox increvit & mirum in modum induruit, facilè restituit, quamvis anteà tota nocte lacte & stercore vaccino fomenta calida renovaverit, ac reponere frustrà tentaverit, & tuber unicum durum instar ollæ continuum evaserit, omnemque spem per foramen decuplo minus regredi posse abstulerit, haustu tamen vini prædicti durities statim emollita est, & hernia retrò impelli potuit. Hoc autem si impetrari potest, ad ulteriorem curationem Magnetem emplastri modo impositum singulari efficacia præditum esse promittit.

Herniæ Scroti *Aquosæ* auferendæ radicem bryoniæ contusam & instar cataplasmatis impositam admodùm esse credit proficuam, sicuti in aliis tumoribus aquosis sæpius salutare præstitit juvamen.

Pneumatocelen Scroti per semina flatus discutientia auferri posse perat, anethi nempe, carvi, dauci, anisi, cymini, cùm propter testis injuriam pylorus facilè in furorem concitetur, qui per remedia ista insigniter mitigetur.

In Sarcocele & Cirsocele ad duritiem emolliendam, à *Paracelso* modò proposita emplastra admodùm judicat proficua.

Inflammationis Scroti curationem per sedativa Archei furibundi absolvendam esse censet; *Excoriationis & Exulcerationis* colcotharina & *Vulneribus* Scroti Balsamum de Minio adhibet, tanquam remedia ad morbos hosce tollendos satis accommodata.

Vvillisii cura in Scroti Herniis. §. 16. *Vvillisius* nullam aliam in *Oscheo-Epiplocele & Enterocele* novit curationem, quàm quæ fit omenti aut intestinorum in locum debitum repositione, & repositorum detentione ne denuò delabantur. Ad priorem intentionem fotus, & cataplasmata emollientia nonnunquam necessaria esse annuit, quin etiam enemata scybala indurata resolventia, quibus præmissis, manu intestina per dilatatum peritonæi processum in abdomen repelli debere admittit. Pos-

teriori

teriori scopo sufficere dicit retinacula & subligacula, pulvinaria nempe, quibus emplastrum supponitur contra rupturam, sive de pelle arietina, cum cingulo conveniente pulvinaria arctius detinente, ne intestina vel omentum possint prolabi. Interdum Herniotomiam necessariam esse concedit, quam modo à prioribus descripto instituendam esse judicat.

Hydrocele. *In Oscheo-Hydrocele* ad laticem aquosum nimia copia in scrotum effusum evacuandum remedia approbat ex radicibus ebuli, ireos, Jalappæ, foliis soldanellæ, elaterio, pilulas lunares, nec non diuretica ex beccabunga, nasturtio, raphano, &c. & diaphoretica, quibus præmissis ad ulteriorem lymphæ effluxum prohibendum, emplastrum diasaponis scroto tumido jubet imponere, & remediis hisce nihil proficientibus, etiam Scroti paracentesin cautè institutam facilè solet approbare.

Pneumatocele. *Oscheo-Pneumatocelen* auferre studet enematibus discutientibus & parum evacuantibus ex decocto rad. brusci, bryoniæ, centaur. min. flor. sambuci, vel communi emollienti, in quibus extractum diacarthami fuerit dissolutum, & guttulæ aliquot spiritus Salis armoniaci additæ sint, post hæc diureticis, infusione millepedum, Spiritu Juniperino, tinctura Salis Tartari, Spiritu Salis dulci, & similibus succum nerveum tenaciorem resolvit, ut spiritus animales in libertatem remissi tumultuari & scrotum distendere desinant, qua de re etiam fotum externum ex floribus salis Armoniaci & crystallo minerali in spiritu vini tenuiori dissolutis, cui pannus laneus intingendus & scroto imponendus, valde approbat, post quem emplastrum diasaponis, sivè de minio cum sapone paratum & super alutam extensum eidem scroto suadet applicare.

Sarcocele. In *Oscheo-Sarcocele* tumorem & excrescentiam istam circa testes intra scrotum collectam absumere jubet remediis succi nutritii moram diuturniorem solventibus, & concretum illud spissius diruentibus, qualia sunt lapis prunellæ, Sal ononidis, Sal gemmæ, Spiritus Salis interius propinata in aqua Scrophulariæ, externè verò emplastrum diachylon cum gummis, aut de ranis cum Mercurio approbat. quibus si tumor hic absumi nequeat, à prioribus propositam operationem chirurgicam tentare permittit.

Cirsocele. Ad *Cirsocelen* abigendam ea commendat remedia quæ sanguinem spissiorem ad stagnationem nimis proclivem attenuare & diluere solent, ut Spiritus fuliginis, Sal Armoniaci, Sal C. C. & externa cataplasmata prius emollientia, tum constringentia, quibus frustra & sine iuvamine adhibitis, ad Chirurgiam transitū concedit.

Inflammatione. In Scroti *Inflammatione* ad venas deplendas ut sanguinem effusum resorbeant, venæsectionem laudat in pede instituendam, tum clysteres emollientes adhibet, aliaque remedia interna sanguinis coagulationem resolventia ex aqua graminis, petroselini, parietariæ, lapide prunellæ, floribus nitri, quibus phlegmonem sisti promittit, hinc ad lentorem magis dissolvendum Spiritum tartari, vel Salis Armoniaci in usum ducit, & externa Cataplasmata emollientia & discutientia ex parietaria, malva, agrimonia, floribus chamomillæ, hyperici, sem. fœnigr. vel ex medull. panis albi in lacte cocta, addito croco & vitello ovi, vel fotus ex malva, althæa, beta, ruta & floribus sambuci in aqua communi coctis tepidè adhibitos, & ad dolorem magis leniendum, vel etiam suppurationem promovendam unguenta dialthææ, populinum, & emplastrum diachylon admodùm existimat proficua.

Excoriatione. Ad Scroti *Excoriationem* sanandam omnia laticem cutaneum acriorem mitigantia, ut pulverem ex C. C. usto, lapide calaminari, lithargirio, unguentum populinum, de tutia, de calce viva in vino extincta, aqua plantaginis lota & oleo rosaceo excepta, & similia cōmēdat.

Ulceribus & Vulneribus. In Scroti *Ulceribus & Vulneribus* præcipuè laudat decocta Vulneraria, unguenta digestiva, balsamum de Capaiba internè & externè usurpatum, unguentum diapompholygos, emplastrum de lapide calaminari aliaque styptica & consolidantia.

Sylvii cura Scroti Hernia O[mentali & Intestinali.] §. 17. *Sylvius* in Curatione *Herniæ* Scroti *Omentalis & Intestinalis* id agendum esse præcipit ut ipsū omentū vel intestinum prolapsum ex Scroto in abdomen retrudatur, adhibitis clysteribus & fomentis emollientibus, si scybala indurata intrusionem permittere nolint, retrusa verò aptis subligaculis & pulvinaribus detineri vult ne denuò prolabantur, atque ut processus peritonæi dilatatus angustetur, eundem emplastro styptico coarctat. Herniotomiam tanquam actionem valde periculosam summa cautela vult instituendam.

Hydrocele. *Hydroceles* curationem instituit tum adstrictione vasorum lymphaticorum, ne majorem aquæ emittant copiam, per decocta ex radicibus bistortæ, petasitidis, tormentillæ, foliis plantag. sanguisorbæ, equiseti, floribus rosarum, &c. vel pulveres ex terra sigillata, sanguine draconis, chalybe pp. tum lymphæ in scrotum jam infusæ remotionem per decocta sudorifera ex ligno Guajaco, iuniperino, herb. card. bened. scord. foliis rorismarini, &c. vel per salia volatilia & aromatica, nec non topica externa, præsertim saculos semine milii folis, cumini, foliis nasturtii, ebuli, floribus sambuci, sale tosto, cineribus, maximè cla vellatis, aut arena repletos & tepidè adhibitos.

Pneumatocele. In *Pneumatocele* ad pituitam resolvendam & bilis actionem juvandam carminativa deprædicat, ut spiritum nitri dulcificatum, & potissimùm spiritum suum carminativum, aliqua flatus discutientia & diaphoretica, nec non externa cataplasmata ex floribus chamomillæ, bacis lauri, semine cumini, olea rutæ, nardinū anethi, vel unguentum martiatum & similia scroto adhibita.

Sarcocele & Cirsocele. In *Sarcocele* adstrigentia commodè admoveri posse existimat, ut vasa constricta sanguinem nutrientem tam copiosè non admittant, qualia sunt aluminosa, & emplastra aut cataplasmata ex lapide hæmatite, sarcocolla, bolo Armeno & similibus parata cum aqua plantaginis & pauco aceto, qualia remedia etiam in *Cirsocele* approbat ad venas laxiores constringendas, qui scopus si remediis istis non attingatur, & cura nihilominus ab ægris solicitè efflagitetur, sectionem instituendam esse concedit, quamvis non sine molestia & periculo hanc institui posse concedat.

Inflammatione. *Inflammationem* Scroti avertere conatur diaphoreticis acrimoniam sanguinis acidam corrigentibus, potissimùm antimonio diaphoretico, & externis fotibus & cataplasmatis emollientibus & demulcentibus, ut pars hæc relaxetur, & dolores ita mitigentur, qua de re & sanguinis missionem è brachii aut pedis vena institui posse concedit, ut sanguis vel avertatur, vel derivetur, quibus subsidiis frustra adhibitis, ad suppurationem properantem inflammationem promovet cataplasmatis magis emollientibus ex farinis seminum fabarum, hordei, fœnigræci, pulveribus radicis althææ, bulbis liliorum contusis & cepis parùm assis, donec ad materiam purulentam eliciendam abscessus vel per se rumpatur, vel cultello aperiatur.

Excoriatione. Ad succum acrem in *Excoriatione* mitigandum, & cuticulam destructam restaurandam fotus proponit ex herbis sale volatili præditis, ut hyperico, mentha betonica, floribus sambuci, cammomillæ, semine lini in lacte coctis, & post hos illinitionem ex oleo ovorū, vel nucū.

Ulcere & Vulnere. *Ulcus* Scroti priùs mundandum vult & tum consolidandum, quem scopum utrumque pro voto ferire promittit, etiam hoc in affectu, balsamum sulphuris terebinthinatum, abs quo spiritus acidus in pure residens obtundatur, ut sanguis purior assiduò affluens partem consumptam restituat, & solutam unitatem optimè consolidet, quare etiam in *Vulnere* ipso balsamum hunc proficuum esse sperat, cui simul emplastrum aliquod stypticum imponere minimè renuit.

Cartesianorum ratio curandi Scroti Epiplocelen & Enterocelen. §. 18. *Cartesianorum* cura in *Oscheo-Epiplocele & Oscheo-Enterocele* hæc est omnium rerum prima, ut è terminis suis elapsum omentum vel intestinum extra territorium alienum in proprium restituant, non omissis clysteribus & linimentis emollientibus, si viscera rigidiora satis flecti, aut porta durior & angustior absque præsidiis hisce dilatari nequeant, tum manibus omentū vel intestinum per foramen in abdomen retrudunt, ægro commodè in tabula disposito, capite nimirum decliviore, & ano aliquantùm elevato; quo facto emplastro quodam ad rupturas, vel styptico inguini imposito prospiciunt, ut foramen angustetur, & sedulò impe-

imperata quiete, cavere volunt, ne commotis aut ad inferiora propulsis intestinis vel omento ansa detur denuò procidendi. Præcipua verò ingredientia ejusmodi emplastrorum sunt olibanum, sarcocolla, aloe, mastix, bolus Armenus, cortices quercus, colcothar Vitrioli, pix navalis, calx lota, & similia, quæ vel mucilagine radicis consolidæ mai. vel albumine, vel terebinthina suscipiuntur, & ad justam consistentiam pulverisata prius rediguntur, emplastris adhibitis scuta & vincula per anum & ultra imponunt, singulis ferè mensibus novis cum prioribus commutatis. Quando verò intestina vel omentum ita restitui nequeunt, resectionem Peritonæi, aliasque Herniotomiæ species tentari volunt, quas alibi jam declararunt.

Hydrocelē. *Oscheo Hydrocelen* abigere tentant remediis hydragogis, salibus volatilibus, subadstringentibus & exsiccantibus, emplastro de cumino, meliloto, de ranis cum Mercurio, santalino, unguento Comitissæ, desiccativo rubro, cataplasmate aut fotu ex radicibus bryoniæ, aristolochiæ, iridis, cucumeris asinini, Spicæ Indę, foliis chelidoniæ majoris, centaurii, rutæ, calaminthæ, cherefolii, nasturtii, anethi, floribus sambuci, chamomillæ, lavendulæ, baccis lauri, semine cumini, Ammoniaco, olibano, bdellio, mastiche, myrrha, camphora, sulphure vivo, Stercore caprino, vaccino, ovillo, columbino quæ si parum prædent, acu triangulari filum sericeum ducēte scrotum transversim intactis testiculis perpungunt, extracta acu filum relinquunt, quod ad citiorem aquæ effluxum promovendum bis vel ter quotidie huc illuc trahunt, sed irruentibus aliis symptomatibus, ut dolore, inflammatione, tumore, planè extrahunt, ut hisce eo melius remediis convenientibus occurrant.

Pneumatocelen. *Oscheo-Pneumatocelæ* obviam eunt remediis carminantibus, antispasmodicis & salibus volatilibus aromaticis internis, externisque attenuantibus & facilè penetrantibus, ut tubuli & pori facilè aperiantur, & succi fluidiores reddantur, uti fotu ex baccis lauri, seminibus cumini, cavi, dauci, floribus chamomillæ, &c. in spiritu vini coctis, cataplasmate ex stercore ovillo, bolo Armeno, Sulphure vivo, aloe & myrrha cum melle mixtis, emplastro de ranis cum Mercurio Vigonis vel diapalmæ spir vini dissoluto, aliisque ad tympanitidem abigendam proficuis.

Sarcocelen. In *Oscheo-Sarcocele* nimis indurata, testiculi resectionem à prioribus jam indigitatam itidem suadent, in molliori verò suppurationem promovent cataplasmatibus ex farinis, radicibus liliorum & cepis assis cum axungia gallinæ, abscessum deinde aperiunt, mundant & consolidant.

Cirsocelen. In *Oscheo-Cirsocele* sanguinis retentionem in venis, si fieri potest, solvunt, & tumorem simul comprimentibus quibusdam imminuunt, si modò nondum adeò magnum ceperit incrementum, & tum sequens laudant emplastrum *Vigierii*, hoc in casu maximè probatum,

℞. *Pic. naval.* ℥ iij.
Colophon. ℥ i ß.
Lithargyr.
Ammoniac.
Mastich.
Terebinth. aa. ℥ ß.
Myrrh. ℥ j.
Boli Armen. ℥ ß.
Thur.
Sarcocoll.
Aloes aa. ℥ ß.
Cort. Granat. ʒ iij.
Glutin. in aq. dissolut. q. s.
F. Emplastrum.

In malo indurato remediis hujusmodi indomabili operationem Chirurgicam approbant, eo planè modo instituendam, quo veteres eam delinearunt.


Inflammationem. *Inflammationem* Scroti curant diaphoreticis & diureticis porosis, primò partes angulares fibras distendentes, & succorum motum per tubulos prohibentes frangentibus, attenuantibus & resolventibus, tum salibus volatilibus citò penetrantibus aliunde jam cognitis, quibus subjungunt decocta lignorum cum herbis sale volatili abundantibus, & externa epithemata applicant tubulorum reserationis accommodata, & quosvis mucrones iisdem inhærentes frangentia, qualia parantur ex Spiritu vini, in quo olibanum & saccharum Saturni fuere dissoluta, vel aqua calcis vivæ & Spiritu vini camphorato, nec non linimenta, unguenta, vel cataplasmata, ex bolo Armen. Cerussa, Terra Vitrioli dulci, camphora, sulphure vivo, terra sigillata in Spiritu vini solutis & tepidè adhibitis, non modò tenuissimis suis particulis tubulos reserantibus, sed succos etiam spissiores fluidos reddentibus, & acutas eorum particulas per dilatatos poros à materia subtili expulsas in poros suos absorbentibus, hebetantibus & alterantibus, aut planè auferentibus, quapropter liberati ab iisdem tubuli scroti absque fibrarum pressione succis commotis facilem post hæc largiantur transitum.

Excoriationem. In *Excoriatione* Scroti denudatæ cuti præservandæ potissimùm incumbunt, eandem ab aere custodiendo, & particulas succorum ex glandulis cutaneis scaturientium auctas corrodentes frangendo, hebetando, temperando & mitigando per pulveres terræ Vitrioli dulcis, cerussæ, cretæ, lithargyrii, lapidis calaminaris, vel unguenta diapompholygos, de tutia, album camphoratum & id genus alia.

Ulcera. Progeneratis omnimodò ab Inflammatione, Excoriatione, Lue Venerea, vel aliunde Scoti *Ulceribus* non minùs ea adhibent remedia quæ particulas succorum auctas corrodentes superant, & Ulcus ab iisdem emundant, qualia sunt ablutio ejus aqua calcis vivę, vel Mercuriali *Fallopii* per injectionem instituenda, nec nō mixtura ex viridi æris, Sublimato, camphora & vino generoso, aut olibano, aloe, myrrha, camphora, & spiritu vini; aut linimento ex melle rosarum, terebinthina, olibano, aloe, camphora, & pauco spiritu vini composito ulceri immisso, addito nonnunquam grano uno vel altero præcipitati rubri, cujus vicem aliquando supplet unguentum Apostolorum, & Basilicū hisq; ulcere satis mundato, subjungunt sarcotica & cicatrici procurandę idonea, ex quibus emplastrum diapalmæ, griseum, de gratia Dei, oppodeltoch *Vurtzii* aliis norunt præstare.

Vulnera. In *Vulneribus* Scroti internè diaphoretica & convulsiones prohibentia exhibent remedia ex Oculis cancrorum, Antimonio diaphoret. cinab. Antimonii, Spermceti, Sale succini, in vehiculo ex aq. rorismarin. veron. ment. & Syrup Hyperici parato, externè balsama instillant traumatica, Peruvianum, de Capaiba, Italicum, Sulphuris, vel ex unguento nervino, oleo de st. rutæ, rorismarini, & petræ paratum inungunt, & epithemata ex spiritu vini & lumbricorum in quibus mastix, succinum, myrrha & cāphora soluta sunt, imponunt, & tandem emplastro Oppodeltoch curam penitus absolvūt.

Nostra sententia de curatione Oscheo-Epiplocele & Enteroceles. §. 19. Nos in affectuum horum curatione ità procedimus. In relaxatione peritonæi circa inguen, ob quam omentum vel intestinum in scrotum delapsum est, & vel *Oscheo-Epiplocelen*, vel *Oscheo-Enterocelen* constituit, corrigenda, in adultis sectione ab experto Herniotomo instituenda opus esse existimamus, in parvulis verò ligamento optimo, quale sequens monstrat figura, quo Batavi hoc tempore imprimis utuntur.



A. est clausura vinculi, unculis & foraminibus priores excipientibus constans, quæ relaxari & constringi potest.

B. est pulvinar trochlea scroto applicandum, ut omenti vel intestini prolapsus impediatur.

C. Est vinculum circa corpus ligandum.

Ejusmodi ligamenta varia ab Authoribus excogitantur.

Pro-

Prolapsa verò intestina priùs restituenda sunt loco pristino, & peritonæum firmandum & consolidandum remediis in libro priore cap.2. sufficienter enumeratis, imprimis emplastro ad rupturam *Fernelii*, styptico *Crollii*, vel sequenti:

℞. *Vitrioli virid.* ℥ i ß.
Aloes,
Boli Armen. aa. ℥ ß.
Sarcocoll. ℥ j.
Calc. lot. ℥ i ß.
Terr. Japon. ℥ j.
Thur. ℥ ß.
Terebinth. q. s.
F. l. a. Emplastrum.

Nostrum tamen de Labdano aliis antecellit.

In Hernia verò pertinaci, ubi intestinum nimis diu commoratum fuerit in scroto, (commoratur enim sæpe per 9. & 18. dies.) & pori intestini extra ventrem exulantis fuerint obstructi, eò incumbendum est, ut pori recludantur, & vapores aliquousque condensati majori motus ac agitationis quantitate donentur, ut sic rursus citato gradu circa propria sua centra rotentur, in hunc finem linum nendo recenter contortum, ac nondum coctione depurgatum in lacte coctum calidè parti affectæ applicetur, intestinum blanda manus agitatione in abdomen ægri in bono situ collocati reponatur, dein æger vinculum vel ligamentum ad intestinum retinendum continuò portare potest. Si flatus urgeant, fotus humidi siccique ex carminativis parti affectæ imponantur. Ad fovendas partes etiam enemata ex emollientibus & dissolventibus iniici possunt. Rarum est, & non semper temere imitandum, quod *Riverius* annotavit, ubi post multa remedia per plures dies frustrà usurpata intestinum in scroto commoratum repositum fuit feliciter incisione facta usque ad productionem Peritonæi, quæ intestinum strangulabat; sæpe ultra hoc tempus, sine sectione, idoneis remediis restitui potest, ceu patet exemplo Cl. *Muys* in suo *Podalirio* communicato, *p. m.* 94. Non omittantur etiam interna absorbentia, & carminativa, quæ alibi dicta sunt; in tali casu externè sequens imponi potest cataplasma, quod paratur è pulveribus rad. alth. flor. melilot. chamomill. farin. sem. lin. hordei in lacte coctis. Internè proderit Tinctura Vitrioli ad rubedinem calcinati, & Spiritu salis irrigati, & hinc cum Spiritu vini extracta, quæ in flatibus & hernia magnæ est utilitatis. Pulveres ex oculis cancrorum, ebore, coralliis rubr. terra sigillat. Japonica, semine perfoliatæ, aliisque haud negligendi sunt.

Oscheo-Hydroceles.

Oscheo-Hydrocele, sive *Hernia Scroti Aquosa*, ut hydrops alius particularis curanda venit per diaphoretica & diuretica. Inter diaphoretica excellunt salia volatilia quæcumque; inter diuretica laudantur Tinctura Tartari, Spiritus lumbricor. liquor terræ foliat. Tartari, &c. Externè varia exsiccantia & resolventia imponi possunt, ex. gr.

℞. *Rad. Aristoloch. rotund.*
Bryon.
Cucum. asin. aa. ℥ ß.
Fol. aneth.
Rut.
Chelidon. maj. aa. *M* j.
Flor. sambuc.
Lavendul.
Chamomill. aa. *P* j.
Decoq. in Vino, F. Fotus, vel Cataplasma calidè imponendum.

Vel ex baccis lauri, gummi Ammoniaco, olibano, bdellio, myrrha, mastiche fiat Emplastrum, aut ex stercoribus variis paretur cataplasma, vel imponatur emplastrum nostrum de Labdano, vel Spiritus matricalis cum camphora & elixirio vitę n.d. vel Spiritus vini camphoratus cum Spiritu lumbricorum, Aqua Reginæ Hungariæ, &c. Spirituosa volatilia etiam hic, ut in hernia quacumque, optima sunt, quia poros quoscumque aperiunt. Remediis hujusmodi nihil proficientibus ad operationem ipsam Chirurgicam accedendum est, quæ hoc in casu peragitur, vel scrotum pungendo acu triangulari, vel instrumento ad hydropem usitato, quæ operationes præstant illa, quæ forcipe fit eodem modo, quo foramina ad setacea effodiuntur.

Oscheo-Pneumatoceles.

Cùm etiam, ceu in causis dictum, *Oscheo-Pneumatocele* producatur ab obstructione, dum enim succi tenuissimi, sive vapores & exhalationes in scroto per poros nimis constrictos, vel ab externo frigore, vel alia causa, exhalare nequeunt, ibidem detinentur, & flatus vel ventus generatur, indeque si pori scroti contumaciùs obstruantur, tanta subinde ejus oritur intumescentia, ut rupturæ accedat periculum, ceu nuper exemplum observavimus in viro sexagenario. Cura ergò Pneumatoceles hujus consistit in deobstructione, hinc internè propinentur varia diaphoretica, ex Antimonio diaphoret. antihectico *Poter.* Bezoardico minerali, Martiali & Joviali, salia volatilia, aromatica ac oleosa quævis, Spiritus C.C. baccar. ebuli, sambuci, cum aquis carminativis aliisque propinanda, à sudoriferis enim pori Scroti iterum aperiuntur, motus progressivus succorum augetur, & obstructiones reserantur, quòd si aliquid inde incommodi accessisse credant, culpa vel in aerem frigidum statim post sudorem admissum, vel in medicamentum nimis mobile & acre reiiciendum est. Post hæc convenient carminativa, Essentia carminativa *Vvedelii*, *Michaelis*, &c. præ aliis salutare experti sumus arcanum duplicatum sæpius exhibitum. Absorbentia etiam interponenda sunt, & mixturæ flatus discutientes exhibendæ, enemataque iniicienda carminativa. Externè verò in Pneumatocele omnis imponenda opera est, ut discutiatur tumor hic flatuosus, in quem finem instituantur suffumigia ex mastiche, olibano, foliis sabinæ, semine anethi, cumini, vel fiat fotus ex herbis aromaticis ac emollientibus, ex. gr. salvia, majorana, absinthio, floribus chamomillæ, sambuci, summitatibus anethi, flor. meliloti, verbasci, baccis lauri, juniperi, sambuci, &c. addito Sale Armoniaco, vel Sale Tartari, vel ex his parentur sacculi sicci irrorandi Spiritu flor. sambuci, & calide imponendi. Sunto formulæ quædam in juniorum gratiam.

℞. *Fol. rorismar,*
Salviæ,
Rutæ,
Cicutariæ,
Summit. absint. aa. *M.* j.
Sem. cumin.
Anis.
Fœnic. aa.
Bacc. lauri ℥ iij.
Rad. bryon. ℥ ß.
Salis Tartari,
Armoniaci aa. ℥ j.
Cum Spiritus vin. rectificat. ℥ xxxv.
F. Tinctura, quæ calidè sæpe de die scroto applicetur. Vel fiat cataplasma sequens vel simile.

℞. *Herb. Scord.*
Cicutar.
Summit. absinth. aa. *M* i ß.
Semin. carvi
Cumin.
Cort. exterior. citr.
Bacc. Junip. aa. ℥ j.
Salis Tartari,
Armoniaci aa. ℥ ij.
F. Pulvis, coq. in aqua mulsa, vel vino dulci, non acido, addatur panis biscocti, vel farinæ fabar. q. s. pro Cataplasmate.

Vel imponatur emplastrum de cumino N. vel de baccis lauri, &c. Spiritus matricalis externè cum camphora applicatus excellens erit remedium. Sunt qui inungunt has partes oleo de baccis lauri, chamomillæ, destillato anethi, & quidem cum fructu, omnia enim medicamenta, quæ gaudent copia salis volatilis, hic conducunt sæpius applicata, & quidem tepidè, quæ omnia impediunt quamcumque inflammationem, aliaque atrociora symptomata. Ab apertione hujus tumoris plane abstineas.

Oscheo-Sarcoceles. *Oscheo-Sarcocele*, seu tumor ille durus ac rotundus ab hypersarcosi seu supercrescentia carnea plerumque post Vulnera aut Ulcera ortus, sui semper similis, quo etiam differt ab Enterocele & Epiplocele, curatur ab initio emollientibus ac resolventibus, hinc varii fotus, suffumigia, cataplasmata ac liquores volatiles topicè apponenda sunt. Sequenti feliciter usi sumus:

℞. *Summit. absinth.*
Cicutar.
Centaur. min.
Flor. chamomill.
Sambuc. aa. Mj.
Rad. bryon. ℥ iij.
Salis Tartari,
Armoniaci aa. ℥ ß.
M.

Ex his vel sacculi fiant calidè applicandi, vel cataplasmata, vel coq. in aqua vel vino instar fotus, vel extrahatur spiritu vini essentia vel tinctura, quæ tepidè applicetur, vel injungantur linimenta ex aromaticis oleosis parata. Ex. gr.

℞. *Ol. laurin.* ℥ ß.
destill. chamomill. ʒ ß.
Succin. ℈ j.
M.

Quibus si non cedat Sarcocele, diviso in partes scroto, carnositas hæc totaliter eximatur, sectione à Chirurgo experto instituta. Hernia hæc carnosa etiam aliquando in scroto cum aqua intus contenta obvenit, quare benè ab Enterocele distinguenda est, potest enim aperiri, & per partes promoventia curari. Sic & tumor scroti sæpè mentitur herniam, & tamen apostema est, & maturato pure facilè sanatur. Sic legimus *Ephem. German. Ann. 6. & 7. Obs.* 47. quòd miles quidam insiliens equum testem alterutrum magna vehementia ephippio attriverit, subsequutusque fuerit dolor ingens, & apostema in scroto maximum, qui quidem per aliquot dies sensit dolorem, tandem doloris impatiens ipse sibi cultro suo scrotum aperuit, & sic postea feliciter unguento mundificante superimposito convaluit. Hic cautela tamen opus est, ne instrumento aperias hoc apostema, nisi certus sis de eo; aliàs si Hernia fuerit, intestinum lædes, & ægrum morti trades.

Oscheo Cirsoceles. In *Oscheo-Cirsocele*, seu Rumice varicoso, in quo vasa sanguine turgentia dilatantur, non adstringentia, uti in aliis herniæ speciebus, adhibenda sunt, sed potiùs emollientia, discutientia ac resolventia balsamica, quæ constant particulis oleosis & aquosis, hinc conducent interna absorbentia ac resolventia diaphoretica, quæ sæpiùs exhibenda sunt, nec externa topica negligenda, imprimis balsamum nervinum n. d. vel Spiritus matricalis tepidè applicandus, quibus pro re nata addenda Elixir vitæ, camphora, sperma ceti, vel ex vegetabilibus aromaticis parentur fotus vel suffumigia, vel cataplasmata, vel epithemata, & calidè applicentur, quæ ex herbis absinthii, cicutariæ, rutæ, anethi menthæ, centaurii min. salviæ, flor. sambuci, chamomillæ, sem. cumini, fœniculi, baccis lauri, Juniperi, Sale Tartari & Sale Armoniaco parari possunt, vel imponatur emplastrum de labdano, de minio, de cinabari, de spermate ceti, quæ cuncta blandè resolvunt, emolliunt, discutiunt, omnemque obstructionem tollunt. Sectio quoque hoc in casu pro re nata institui debet, si tumor valdè induratus nullis separari potest remediis mitioribus, sed maxima hic est difficultas, & operatio ista exercitatum postulat Chirurgum. Constat observatione 97. *Decur.* 1. *Ann. 6. Ephem. Germ.* Juvenem quendam temperamenti sanguinei passam fuisse herniam varicosam in scroti tunica interna, dilatatis vasis spermaticis, cum dolore & pondere, quoties deambularet, ex cujus vena brachii ob plenitudinem sanguinis aperta ne gutta quidem effluxit, sed ubi pedibus compressit locum affectum, mitigatus fuit dolor, & largissimo rivulo saltavit sanguis acris, valde verò levatus fuit per venæ hæmorrhoidalis mediantibus sanguisugis apertionem.

Scroti Inflãmationis. In *Inflammatione* Scroti totius rei cardo in eo vertitur, ut ab acido viscido coagulati humores dissolvantur, ad circulationem incitentur, atque obstructiones recludantur, internè ergò ad diaphoretica sæpiùs laudata accedendum est, imprimis commendamus talia volatilia, item nervina, Antimoniata; Spiritus C. C. volat. mixturis addatur, & dentur decocta ex sarsaparilla, guajaco, sassafras, china, &c. parata, vel detur sequens vel simile sudoriferum.

℞. *Aq. flor. sambuc.*
Fumar. aa. ℥ j.
Spiritus C. C. volat. ʒ ß.
Syr. fumar. ʒ ij.
M. d. ad usum.

Vel forma pulveris:

℞. *Ocul. cancrorum* ℈ j.
Antimonii diaphoret. gr. xxv.
Salis volat. gr. iij.
M. F. Pulvis.

Potus Thææ & Coffeæ hac in inflammatione modicè usurpatus non parvum præstabit commodum. Topicis etiam res hæc peragi potest, quæ omnia tepidè applicentur, maximè enim hic nocent frigida & repellentia dicta, quia humores magis incrassant, & sic ad circulationem & motum progressivum ineptos reddunt, ceu damno ægrorum suorum Chirurgi sæpe experiuntur. Ex sequenti pulvere discutiente dicto plures ejusmodi Inflammationes feliciter vidimus sanatas.

℞. *Folior. salv.*
Scord.
Absinth.
Sabin.
Rorismar.
Menth. aa. M. iv.
Bacc. lauri ℥ iv.
Junip. ℔ ij.
Sem. aneth.
Cumin. aa. ℥ iij.
Salis Armoniaci depurat. ℥ ß.

Incid. & contund. grosso modo, & fiat sacculus calidè applicandus, & sæpè repetendus; vel ex iisdem fiat fotus vel cataplasma in vino Gallico coctis, resolvunt enim tumores, & inflammationes, sopiuntque dolores. Iis quoque ex tempore adjici possunt calx viva, cineres clavellati, Sal Armoniacum, Sal Nitri, Sal volatile, gummi, olea, camphora, &c. Præ aliis convenit Spiritus matricalis cum camphora & saccharo Saturni calidè ac sæpiùs applicatus, vel Spir. vini camphoratus cum Aqua calcis vivæ, Spir. Sal. Armoniaci, Spir. flor. sambuci, quæ omnia egregia sunt in tumoribus & inflammationibus, ut emplastrum de labdano. Convenit & unguentum nostrum ad inflammationes. Sic & Essentia gummatum, si cum sale volatili & myrrha, aloe ac camphora mixta tepidè applicentur, optima sunt. Si tumor magnus conjunctus fuerit, comite febre, cataplasmata discutientia supra dicta & spirituosa ex spiritu matricali, aq. Regin. Hung. spir. flor. sambuci, spiritu vini camphorat. parata scroto & pubi applicari possunt, &, si res eò jam rediit, ut puri exitus parandus sit, ferrum, cum maxima tamen circumspectione admoveas, hoc est, lancetta tumorem aperias, & dein procedas uti in vulneris curatione solo imposito emplastro de Labdano, addito balsamo de Peru, vel unguento basilico, vel Elixire vitæ. Ad febrem removendam internè exhibe absorbentia & diaphoretica. Sequens pulvis hoc in casu excellens est.

℞. *Ocul. cancrorum pp.* ℈ ß.
Antimonii diaphoret. ℈ j.
Camphor. gr. iv.
Arcan. duplicat. gr. v.
M.

Detur in sequenti, vel simili mixtura.

℞. *Aq. Card. bened.*
Scord.
Prophylact. aa. ℥ j.
Mixtur. simpl. ʒ ß.
Salis volat. ℈ j.
Spiritus camphor. ℈ ß.
Syr. card. bened. ℥ j.
M. & cochleatim exhibeatur.

Cura-

Curationem hanc confirmat sequens observatio Cl. D. D. *Dexbachi*, Physici hujus loci ordinarii experientissimi, & Amici nostri charissimi. Vir enim nobilis annorum 43. dispositione corporis acida, vulgo melancholica dicta, Meta Cassellas profectus, virum modò laudatum, die 17. Februar. anni hujus 1688. ad se vocavit, de dolore, & quidem vesperi graviter usque ad duas horas durante, lassitudine omnium membrorum cum inflammatione insigni scroti, colore nigro jam tincta, & adstricta alvo conquestus. Causam hujus affectus rectè adscripsit obstructioni pororum vel tubulorum, quòd non solùm insensibilis transpiratio impedita esset, sed quoque circulatio in vasis lymphaticis, aliisque non rectè peragi potuerit, unde ob stagnationem succorum necessariò allegata inflammatio accedente materia subtili primi elementi fuerit exorta. Primò ordinavit enema sequens.

♃. *Decoct. emollient.* &
Carminat. aa. ℔ ß.
In quibus dissolv.
Electuar. diacathol.
Syr. è fol. sen aa. ℥ ß.
Mell. rosat. ʒ vj.
Liq. C.C. succinat. gt. xv.
Salis C.C. volat. gr. iv.
Ol. dest. menth. gt. xj.
Violar. ʒ ij.
F. Enema.

2.
♃. *Pulv. absorbent.* Vvedel. ℈ j.
Salis Tartari gr. vij.
Mercurii dulc. gr. v.
Ol. dest. cinamom. gt. j.
F. Pulvis pro una dosi manè sumendus.

3.
♃. *Pulveris solut. Tartarisat.* Zvvelff.
rec. pp. ℈ ij.
Antimonii diaphoret. ritè pp. &
recent. detonati gr. vij.
Salis Tartari gr. iij.
Ol. dest. caryophyll. gt j.
M.F. Pulvis purgans, una vice sumendus.

4. Sudoriferum præscribit sequens.
♃. *Aq. card. bened. è succo destil.* ℥ j.
Theriacal. simpl. ℥ ß.
Ocul. cancror. pp. ℈ ß.
Bezoard. min. gr. v.
Spir. Salis Armoniaci dulcificat. gt. v.
Confect. AlKerm. ℈ ß.
M. F. Potio pro una dosi.

5. Decoctum.
♃. *Rasur. lign. Guajac.* ℥ ij.
Sassafr. ℥ i ß.
Rad. salsæparill. ℥ j.
Chin. ʒ iv.
Antimonii crud. in pet. ligat. ℥ ß.
Decoq. in aqu. font. q. s.
Colatur. ℔ ij. *add.*
Aq. theriacal. simpl. ℥ j.
Essent. lumbric. terrestr. ʒ j.
Aq. cinamom. ℥ ß.
M. Sumat quovis manè ℥ iv. expectando sudorem.

2. Topica Scroto inflammatio adhibenda præscripsit alcalica & Salia oleosa volatilia, ex. gr.
♃. *Terræ sigillat.* ℥ ß.
Cerus. ʒ i ß.
Camphor. ʒ ß.
Spir. vini q. s.
M. S. Balsamus externus pro epithemate calidè applicando.

Hoc præmisso tumorem sequenti liquore frequentiùs ablui jussit.
♃. *Spir. vin. rectificat. camphorat.* ℥ j.
S. Liquor externus.

3. Cataplasma ordinavit.
♃. *Rad. Angelic.*
Contrayerv.
Calam. aromat.
Dictamn. Cretic. aa. ʒ j.
Fol. rut.
Scord.
Absinth.
Centaur. min.
Card. bened. aa. ʒ ij.
Sem. cervi ℥ ß.
Farin. fabar. ℥ ij.
Pulverisata coq. in aqu. chalybeat. q. s. add.
Elect. diascord. ʒ ij.
Camphor. ʒ ß.
Spir. vin. rectificat ℥ ß.
F. Cataplasma tepidè applicandum.

Ad Scroti tumorem duriusculum cum Inflammatione in puerulo 5. annorum variolis graviter laborante, fluente materia impura ad scrotum, atque in tubulis ejus retento, d. 12. Octobr. 1688. sequentia præscripsit idem vir experientissimus.

♃. *Spir. vin. rectificat. & camphorat.* ʒ ij.
S. Liquor externus calidè adhibendus.

Hinc:
♃. *Unguent. nutrit.* ʒ ß.
Bol. Armen. ℈ ij.
Camphor. gr xv.
Spir. vin. rectificat. ℈ j.
Elect. diascord. parum.
M. S. Balsamus Externus.

Excoriationis. In *Excoriatione* Scroti conducunt quoque interna acrimoniam humorum corrigentia, ut sunt absorbentia, inter quæ pulvis temperans superiùs dictus solus sufficit, & diaphoretica pro re nata interponi possunt, ex quibus & decoctum ligni Guajaci, sarsaparill. rad. Chinæ, aliaque lui Venereæ convenientia conducent, imprimis verò spiritus matricalis, in quo gummi sassafras ac Guajaci fuerit solutum, & hinc expectandus sudor omnibus his conducibilis: sic & purgantibus aliquando opus est, pulvere scil. laxativo cum mercurio dulci exhibendo, adjectis aliquot granis gummi guttæ ad superfluum serum ab absorbentibus correctum eliminandum. Externè sufficit unguentum nostrum ad excoriationem superiùs in fissuris labiorum jam communicatum, quod constat ex oleo olivarum, cera alba & cerussa Antimonii, quò referri potest unguentum rubrum, optimum hoc in casu aliisque, & proinde nobis solenne.

Ulceris. In *Ulceribus* verò scroti præter jam dicta interna, additis cinabarinis, & præprimis iis, quæ ad scorbutum tollendum commendantur, sequenti utere internè:

♃. *Aqu. flor. sambuc.*
Beton.
Trifol. fibrin. aa. ℥ ij.
Ocul. cancror. pp.
Corall. rub. pp. aa ℥ j.
Salis Nitri fixi alcool. ℈ j.
Camphor. gr. xv.
Spir. Salis Armoniaci volat. ℈ i ß.
Spir. trifol. fibrin. ℥ j.
M. dentur 2. *vel* 3. *cochlearia.*

Sal volatile oleosum ad 25. guttas datum egregium est remedium. Ante omnia nempe acrimonia corrosiva, tum lymphæ, tum aliorum liquorum circulantium est corrigenda & mitiganda, hac enim correcta ulcera faciliùs sanantur, eapropter præ aliis hic in usum ducenda veniunt sudorifera, ut decoctum ligni guajaci, sassafras, rad. sarsaparill. scabiosæ, veronicæ, card. bened. scrod. Tinctura antimonii tartarisata, antimonium diaphoreticum, pulvis temperans, salia volatilia quæcumque, & interponatur semper potus Theæ cum ligno Guajaco, dein his simul usurpatis, topica optima eligenda sunt, conveniuntque decocta & injectiones vulnerariæ mediante syringa insinuanda, ex decocto rad. aristol. symphyt. major. fol. heder. terrestr. consol. Saracen. Scabios. pyrol. sanicul. plantag. flor. cheiri, hyperici, saxifrag. vel sequens:

♃. Herb.

℞. *Herb. Chelidon. maj.*
Absinth.
Rutæ,
Scord.
Menth.
Rad. aristol. rot.
Caryophyll. cum toto aa. ℥ j.
Coq. in Aq. commun.
Colat. ℔ ij. *add,*
Spir. vin. ℥ ij.
Sacchar. Saturni ʒ ij.
Camphor. ʒ j.
Mercurii præcipitat. gr. xij. *vel*
sublimat. gr. vj.
M. pro plumaceolis & injectione.

Hic externè convenit unguentum mundificans superiore capite jam communicatum, vel gryseum nostrum inferiùs dicendum, sive emplastrum nostrum de labdano, vel, qui meliores sunt, liquores varii tepidè ulceri applicandi.

℞. *Aq. calc. viv.* ℥ iij.
Spir. vin. camphor. ʒ i ß.
Balſ. nervin. n. d. ʒ j.
Elixir. vitæ ʒ ß.
M.

Vel

℞. *Aq. Regin. Hungar.* ℥ j.
Elixir. vitæ ʒ i ß.
Tinctur. aſſ. fœtid. ʒ iij.
Salis Tartari ʒ j.
Myrrh. ʒ ij.
Aloes ʒ j.
M. & detur uſui,

Medicamento hoc imbuta quater de die calidè plumaceola imponantur. Spiritus matricalis cum camphora, saccharo Saturni & mercurio dulci optimus erit sæpiùs de die calidè applicatus.

Vulneris. *Vulnus* Scroti curatur ut aliarum partium vulnera, hoc tamen observato, quòd dum partes hæ non adeò carnosæ, sed potiùs glandulosæ ac membranosæ sunt, eò respiciendum sit, ut succi per eas circulantes ad motum progressivum incitentur, nec ad stagnationem diu detineantur, hinc conveniunt balsama volatilia vulneraria applicata, internis simul adhibitis cinabarinis, oculis cancrorum, & aliis temperantibus, & acrimoniam corrigentibus dictis remediis, qualia sunt omnia absorbentia, ac diaphoretica sæpiùs dicta, quare sæpiùs solis liquoribus vulnera hæc curari possunt; ex. gr.

℞. *Aq. calcis vivæ* ℥ ij.
Spir. vin. camphorat. ʒ j.
M.

℞. *Aq. Calc. viv.* ℥ ij.
Ol. Hyperic. ʒ ß.
Agitentur, donec F. Linimentum.

Vel

℞. *Terebinth. Ven.* ʒ ß.
Olei Ceræ ʒ ß.
Gumm. Elemi ℈ ij.
Myrrh.
Mastich. aa. ʒ ß.
Aq. Regin-Hung. ʒ vj.
Elix. vit. ʒ j.

M. Applicetur cum plumaceolis scroto vulnerato calidè. Imponi quoque potest Emplastrum de Labdano, Sticticum *Paracelſi*, de Gratia Dei, & Balsamus de Hyperico & de Peru etiam commodè applicantur.

In *Contusione* Scroti annitendum est, ut obstructi canaliculi reserentur, & stagnantes succi resolvantur, quem effectum egregiè præstant omnia aromatica vegetabilia, quæ ope subtilium spirituum, salium volatilium & oleorum, quæ in se continent, humores stagnantes resolvunt, quem in finem sequens præ aliis conducet remedium.

℞. *Herb.*

℞. *Elix. vit.* ℥ iij.
Spir. salis armon. caryophyllat. ʒ iij.
Matrical. ℥ ij.
Camphor. ʒ iv.

M. & applicetur parti contusæ, & quidem tepidè. Sic etiam possunt aqua Regin. Hungar. & spiritus flor. sambuc. applicari, aut cataplasmata ex aromaticis parata, nempe ex salvia, ruta, semine cumini, fœniculi, caryophyllis, macis, radic. Ireos Florent. Sigilli Salomonis, summitatibus absinthii, baccis lauri, juniperi, &c. cum vino Gallico coctis & applicatis; vel si emplastrum desideras, sequens proderit.

℞. *Picis nigr.* ℥ ij.
Gumm. elem. ʒ j.
Styrac. liquid.
Terebinth. aa. ʒ ß.
Sulphuris ʒ j.
Liquescant simul, & F. Emplastrum.

scroto contuso applicandum. Emplastrum quoque nostrum de labdano & de cumino in contusionibus hisce aliarumque partium egregia sunt, raròque te optato frustrabunt effectu. Sic quoque fotus ex resolventibus tum herbis, tum radicibus, tum fructibus, seminibusque utiliter parabuntur.

Interna diaphoretica ac resolventia haud negligenda sunt, quæ sanguinem ac succos stagnantes ad motum progressivum suum incitant, hinc salia volatilia, spirituosa, aliaque diaphoretica, etiam fixiora egregiam navant opem, imprimis spiritus matricalis ad guttas 60. internè exhibitus, item Antimonium diaphoreticum, bezoarticum minerale, potus quoque calidus Theæ vel Coffææ vel Chocoladæ hic apprimè conducet, motum enim succorum promovet, eos fluidiores reddendo, quo facto necessariò sanguis ac reliqui humores in scroto stagnantes & livorem sæpe exhibentes resolvuntur, & ad circulandum idonei fiunt, unde & spiritus animales recreantur.

CAPUT III.

De Virgæ morbis, Lipodermo, Phimosi, Paraphimosi, Priapismo, Satyriaſi, Distortione, Inflatione, Inflammatione, Excreſcentiis, Verrucis, Caruncula & Ulceribus.

§. I. Sicut reliquæ humani Corporis partes omnes variis subjectæ sunt morbis, ità nec *Virga* ab iisdem intacta relinquitur. Inter morbos hos recensendi veniunt *Lipordemus*, qui dicitur à λίπη & δερμός, hoc est, defectus cutis præputii, quia affectus hic est, quando præputium deest ex morbo vel sectione, vel ab alia causa contractum est, ut glandem ampliùs tegere nequeat: dicitur & Latinis *Apella*, Romani etiam *Recutitum* vocant, & convenit cum *Paraphimosi*, interdum à primo ortu pueruli nuda conspiciuntur glande, quale exemplum his diebus in propriis vidi ædibus, in quibus infans nobilis natus est, cujus penis instar hastæ erat, & glans nullo operimento dotata, sed penis omni præputio destituebatur. *Lipoderm.* *Apella.*

Phimosis est, quando præputio ita fortiter obtegitur glans, ut illud reduci nequeat; Dicitur φίμος, quod nexum summi orificii sacculorum, cum toto illius ambitu in angustum collecto funiculo claudùntur ac ligantur, significat *Rolfincio de part. Genit. p.* 1. *c.* 50. *Phimosis.*

Paraphymosis ei contrarium est vitium, cùm videlicet ea, quæ ordinarios meatus occludunt, opercula & tegumenta ita deducta sunt, ut reduci nequeant. Propriè tamen dicitur de præputio retrorsum adducto, ut glandem tegere nequeat, quod malum ex nervi contractione maximè contingere creditur, vel ex immodica præputii siccitate *Paraphimoſis.*

Di-

Distortio Penis. *Distortio Penis* dicitur, quando ipse diu distentus & distortus, & quasi incurvatus permanet: Huc referri potest *Priapismus*, seu Priapi sive virilis membri invita erectio, in quo affectu penis, quasi catalepsi ac tetano affectus, totus rigidus manet citra appetitum rei venereæ à convulsione productus, indè nonnullis dicitur *Priapismus.* Priapismus, Convulsio particularis, vel rigiditas cōvulsiva penis, absq; stimulo ad libidinem vel coitum, proveniens à spiritibus flatuosis ac crassis, spongiosos nervosi corporis canaliculos ac meatus occupantibus ac distendentibus. Rara est historia, & fascino adscribenda, quam mihi communicavit Cl. D. L. I. *Augustinus Hunervvolfius Phys. Arnstur.* quæ est sequens. Non adeò nuper concubuit cum milite pagani cujusdam uxor, quæ post actum turpem, oppidò totum isti suo surripuit amasio priapum, huncque non sine militis magno cordis & abdominis dolore perditum intra 14. horas umbilico impositis calidis cineribus illa restituit Venefica. Intra triplicem membranarum vesicæ complexum inclusi & distensi flatus in alio membrum hoc retraxisse refert D. *Paul. Sorbait Obs.* 50. *Ann.* 2. *Ephem. Germ.*

Satyriasis. *Satyriasis* vel *Satyrismus*, est, quando penis libidinosè distenditur & palpitat cum stimulo ad coitum frequentiori, quàm aliàs in statu sano fieri conveniebat, quod contingit ob inflammationem partis hujus, unde fibræ non modo tenduntur, sed variè quoque concutiuntur: Vocatur ità à Satyris, quibus rigida & ex pruritu ad Venerem exercendam palpantia genitalia vulgò adscribuntur.

Virgæ Inflatio. *Virgæ Inflatio*, aliis *Emphysema* seu *tumor tympanicus* dictus, est tumor flatuosus, sive à flatibus, vaporibus crassis, vel ab humoribus circulantibus, & in tubulis penis stagnantibus & partes distendentibus obortus.

Inflammatio. *Inflammatio est tumor virgæ* cum dolore ac rubore à stagnatione sanguinis ac succorum proveniens.

Virgæ Verrucæ & Excrescentia. *Verrucæ & Excrescentiæ* sunt vel in summo glandis, vel circa glandis carnem, & sæpè sub ipso preputio protuberantia tubercula, suntque mollia, fungosa, semper ferè madent, fœtent & indies augentur, iis solennes esse solent, qui morbo Gallico laborant, à succis acribus & diu stagnantibus oborta.

Caruncula. *Caruncula* in ipsa uretrhra & penis foramine existit, & canalem hunc obstruit, hinc urina impeditur, ob foraminis hujus obstructionem; itidem lue Venerea infectis solennis affectus.

Ulcera. *Ulcera penis* sunt diversa, alia sunt externa, quæ visui patent, & circa glandem & præputium apparent: alia sunt interna in meatu urinario hærentia, imprimis in pelvi glandis alia altiùs penetrant, ut æquè externæ & internæ partes exulcerentur, & ulcus usque ad meatum urinarium penetret: Alia sunt virulenta, qualia in lue venerea toto contingunt die.

Reliqui affectus peni obvenientes, ut sunt *Cancer*, *hæmorrhagiæ*, *gangræna*, *penis duplex*, *excrementorum alvi per penem ejectio*, *penis imperforatio*, &c. cùm ex raris contingentibus sint, non ex professo de his tractare placuit, sed possunt omnia ex generalibus capitibus haberi, ne toties repetendo lecturis nauseam pariamus.

Pars affecta. §. 2. *Pars affecta* est *Penis* seu *Membrum virile*, quod & aliis dicitur mentula, quod rigida hæc pars viro mentem quasi eripiat, vel à seriis ad jocosa & Venerem avertat. Quanta æstimatione ac dignitate membrum virile apud Ægyptios & alios habitum fuerit, videre est in *Riolano, Anthropographiæ lib. II. c. XXX.* & apud *Linschottum in suo Itinerario*, &c. Membrum hoc situm est in imi ventris parte inferiore, ut commodiùs fieret congressus, & aliis partibus impedimento non esset: ortum suum ducit à valido ac robustissimo fundamento, scilicet pubis ossibus. Magnitudo istius penis in etate provectis ordinariò est unius spithamiæ, sed maximè variat ista longitudo. Ineptum est illud obstetricum dictum, futurum penem majorem, si vasa umbilicalia non proximè ad umbilicum ligentur, abscindanturque in recens natis ob Urachum, qui inter vasa umbilicalia continetur, & vesicæ fundo annectitur, unde existimant retrò membrum id cum vesica trahi, quod tamen ob sua vasa & musculos impossibile est. Penis constat ex cuticula, cute & panniculo carnoso absque pinguedine, quæ partes dicuntur ab Anatomicis externæ seu continentes. Internæ verò seu contentæ partes ipsis sunt duo corpora nervosa, septum, glans, quatuor musculi & vasa. Interna corporum horum nervosorum substantia spongiosa est, ac innumeris quasi fibris & glandulis mirabili figura hinc inde excurrentibus, ac membranam aliqualiter, ne nimium dilatetur, retinentibus componitur, hinc cùm penis flaccidus, magnus, vel parvus existat, à majori vel minori sanguinis ac aliorum succorum imprimis spirituum copia in corporibus nervosis existentibus dependet. Glans ex carnosiori parte formata est, quæ tegitur præputio; sic vocato, quia præ pudendis existit. Excrescit hæc pars Ægyptiorum Arabumque puerulis, *testante Veslingio in Syntagm. Anatom. c.* 6. in tantam longitudinem, ut ob Periphimosis metum partem ejus abscindere cogantur, contrà verò interdum ità imminuitur & coarctatur, ut non nisi cum maxima difficultate urina excernatur. Adhæret quoque præputii pars glandi, mediante vinculo, quod ab Anatomicis Frænum dicitur. Glans ipsa exquisito titillationis sensu prædita est, & magis quàm ulla totius corporis pars, quia plane ferè nervosa, eum in finem, ut coitus maxima cum jucunditate ac titillatione peragi possit. Sic & penis sua vasa, nervos; arterias venas ab hypogastricis prodeuntes habet Qui plura cupit, adeat Anatomicos celeberrimos *Bartholinos* ac *BlanKardos*.

Diagnosis. §. 3 In tanta morborum unam partem invadentium pluralitate opus est *Dignotione*, ne unus pro alio suscipiatur curandus cum frustraneo quodam conatu. *Lipodermos* igitur cognoscitur ex penis incurvatione, à præputii retractione, & morbo convulsivo ægrum vexante, quem & Symptomata eadem comitari solent, quæ alios affectus spasmodicos sequuntur; quandoque est à nativitate, & oculorum juvamine ex datis modò signis facilè patescit.

Phymosis ipso quoque aspectu innotescit, cùm glans tegatur præputio, ut retrahi nequeat, urinæ effluvium paucum vel nullum erit, peritonæum distenditur, adest dolor in urethra ob urinæ acrimoniam ibidem detentæ fibrillas lacessentem, cum maximo conatu penis interioris ægri aliquando excernunt urinam.

Paraphimosis cognoscitur ex preputii retractione glandem non tegentis, unde dolorem persentiunt ægri.

Distortio penis accidit iis, qui Veneri nimis indulgent, & distentum diu sibi servant membrum genitale, tum Spiritus & sanguis influentes distendunt canaliculos, & sic sibi viam parant aptam, alibi verò in parte penis cessat hic influxus, hinc ut distorqueatur penis, necesse est: fabæ enim & glandulæ instar protuberare facit. Sic quoque D. *Fribe in Ann.* 3. *Eph. Germ.* exemplum affert puerulí quinquennalis, in quo penis incurvatus apparebat, qualem *Bartholinus in Anat. reform. p.* 149. observavit, excepto hoc unico, quòd glans penis præputio fuerit legitimo modo tecta. In inferiore penis parte interna apparebat glans, filo quasi alligata, quod filum unico ductu per corpus penis ad os pudendi usque sese extendebat, brevius indies factum penem magis magisque incurvabat, ità planè, ut postea difficulter mejeret, qualem etiam casum nuper vidi. Hinc Incurvationes istæ ipso aspectu patent, non opus est ergò pluribus signis.

Diagnosis Inflationis. *Inflatio* seu *Emphysema Penis* cognoscitur ex ipsius tumore, qui quandoque est pellucidus, indolens, vesicæ instar inflatus & vento repletus, à regione pubis ad extremum usque præputii ità inflatur, ut glans penis non amplius in conspectum veniat, sed fermè tegatur, omnia hic adsunt signa, quæ ponuntur ab Auctoribus de tumoribus flatuentis, instar omnium vide *Sennertum l.* 5. *Prax. Part.* 1. *c.* 51. qui tumor imprimis glandi accidit in Gonorrhœa virulenta, in qua effluit primò semen tenuius, postea acrius, hinc supervenit dolor super glandem, & urina cum dolore emittitur, liquamen quod effluit, graves dolores producit per universam urethram, liquor effluens fit citrinus, tandem, cærulescens, supervenit tunc tumor proputii,

nam

nam liquor hinc inde reliquias ponit intra præputium, & purulentum tandem tumorem infert.

Inflammationis signa sunt eadem, quæ sunt aliarum partium inflammationis, conspiciuntur nempe tumor, rubor, ac dolor, febris, lues venerea seu scorbutus, &c. reliqua autem signa inflammationis ex capite generali peti possunt, huc referenda.

Diagnosis Priapismi.

In *Priapismo* virile membrum invitè erigitur, etiam absque appetitu Veneris, & penis convellitur cum dolore aliquo, imò tensio penis à coitu peracto non remittit, uti in *Satyriasi* accidere solet, licet in hac mox nova erectio, eaque sæpius subsequatur. Priapismus subinde remitti t, mox iterùm revertitur, reperiuntur etiam hi affectus complicati cũ aliis morbis, & quidem *Satyriasis* cum inflammatione aut Elephantiasi, Priapismus cũ gonorrhœa, & salacitas in iis, qui multi roboris sunt.

Verrucæ & Excrescentiæ apparent vel in summitate glandis, vel circa glandem, & sub ipso præputio extuberant; hæ Excrescentiæ sunt sæpe molles, fungosæ, & utplurimùm madent, malè olent, & de die in diem excrescunt & augentur: ubi morbus Gallicus, ibi ejusmodi fungosæ Excrescentiæ apparent.

Eodem modo comparatum est cum *caruncul is & ulceribus*, externa enim ulcera visui patent, aliquando tamen sunt circa glandem & præputium, & propter mẽbri tumorem videri nequeunt; Interna verò ulcera ex dolore à transeunte urina acri excitato, & pure ante urinam egrediente, pene tumido & tenso cognoscuntur, etiam aliquando vel ab apostemate inflammationem insequente, vel à calculis asperis transitu lædentibus: Ex ipsa tandem virulenta & sorditie innotescunt ulcera antiqua.

Galenicorũ opinio de causa Lipodermi.

§. 4. *Ætiologiam* morborum præsentium *Galenici* ita efformant, ut in *Lipodermo* tanquam causas accusent, plasticæ aberrationem aut debilitatem, aut materiæ spermaticæ defectum, unde cutis penis sufficienter ad glandis contectionem non fuerit elaborata, tum quoq; abscissionem cutis, qui gentium quarundam, maximè Judaicæ, mos est, studio factam, unde cutis abbreviatur, ut ad glandis investituram non sufficiat, vel absumptionem ab humoribus erodentibus, vel spasmum, ob quam cutis contrahatur, nec supra glandem valeat diduci.

Phimosis & Paraphimosis.

Phimosin fieri dicunt tum ob cicatricem in præputio factam, unde cutis rigidior reduci nequeat, tum ob carnis accretionem præputium tam fortiter super glande detinentem, ut hæc denudari nequeat; *Paraphimosin* verò oriri volunt ab inflammatione penis, in qua cute retrò abducta glans intumuerit, nec præputium amplius admittat.

Priapismi & Satyriasis.

Priapismum & Satyriasin originem habere putant à dilatatis oris venarum & arteriarum in pudendo, vel flatu vaporoso juxta nervum antrosum oborto, sive spiritu flatulento ex crassis pituitosis humoribus orto, qui nervum fistulosum erectorem Penis inflat & distendit, ut ipse *Galenus lib.9. c.7.* statuit. Sic etiam ob effervescentiam sanguinis arteriosi, simulque copiam, arteriarumque rarefactionem, unde copiosus spiritus in penem effunditur. Causæ remotiores ipsis *Galenicis* sunt cibus euchymus multus & acris, unde sanguinis & seminis copia generatur, item supinus decubitus, abstinentia à Venere; vel etiam fit à partium genitalium inflammatione, ulcere, dolore, &c. hinc materia illa flatuenta magna copia attrahitur, incurvatur & convellitur membrum, hominesque ad mortem nonnunquam præcipitantur, dolores enim sunt, quales tetanici, & moriuntur ventre inflato, teste *Aetio Serm. 2. c. 32.*

Distorsionis Virgæ.

Distorsionem Penis vel à primo ortu existere dicunt, vel ex convulsione aut immodico Veneris usu postmodum contingere; eo quòd parte hac diutius distenta, spiritus in ligamentis conclusi in aliquam alterius ligamenti partem impetum facientes eam relaxent & protuberare faciant, quapropter quantum huic parti accedat latitudinis, tantum ei detrahatur longitudinis, adeòque impar fiat alteri parti oppositæ.

Inflationis.

Inflationis Penis causam eandem statuunt, quam Priapismi, spiritum nempe flatulentum, abs quo adeò distendatur.

Inflammationis.

Inflammationem Penis oriri volunt à sanguine puro vel impuro copiosiùs in eum fluente, promoventibus hunc influxum Venere immodica & impetuosa, casu, aut contusione, aliisque rebus sanguinem allicientibus.

Excrescentiarum, &

Excrescentiam, Verrucarum & Caruncularum originem imputant lui Venereæ, vel Ulceribus, partes Penis interiores erodentibus ut humor nutritius extillet, qui demum incrassatus in ejusmodi abeat protuberantias.

Ulcerum.

Ulcerum causam profitentur modò inflammationem suppuratam, modò urinam mordacem, semen acre ac virulentum, calculum asperum, inter transeundum urethram erodentia, modò concubitum impurum, in quo uterus muliebris impuritatibus refertus penem inficiat & erodat, modo medicamenta ad callum absumendum adhibita exulcerantia.

Paracelsi de causis morborum opinio.

§. 5. *Paracelsus* Virgæ *Lipodermum* & *Paraphimosin* à resectione studio vel necessitate facta, aut à spiritu quodam mercuriali cutis diductionem impediente fieri posse affirmat, unde glans nuda persistere cogatur.

Phimosin à vitiosa in utero formatione, in qua præputium supra glandem adeo corrugatum & arctum reddatur, ut diduci nequeat, vel ab accrescentia quadam post ulcus produci fatetur, *Priapismum* verò & *Satyriasin* ex luxu vel contractura, ut & *Distortionem, Inflationem* à flatu seu spiritu quodam mercuriali, *Inflammationem* & *Ulcus* à sale quodam vitriolico, cui si sal quoddam sanguinis intermisceatur, *Excrescentias, Carunculas* & Verrucas pronasci statuit.

Helmontii opinio de morborum præsentium productione.

§. 6. *Helmontius* priorum dicta his in morbis approbans, *Lipodermum* ex refectione aut absumptione à latice acido acri facta ortum sumere annuit, uti *Phimosin* à vitiosa conformatione in utero, vel ex præcedente ulcere, unde partes læsæ concrescant; *Paraphimosin* ex glandis intumescentia inflammatoria, ob quam præputio tegi nequeat; *Priapismum & Satyriasin* nec nõ *Distortionem & Inflationem* Penis vel ex spasmo & contractione, vel ex flatu à fermento vitioso spermatico producto & virgam variè tendente; *Inflammationem* ex peregrino quodam in pene consistente & cruoris transitum impediente, sicq; Archeum in furorem concitante; *Excrescentias, Carunculas* & *Verrucas* ex custode prodigo nutrimentum partis hujus variè dispergente, & *Ulcus* à latice acido acriori cutaneo partem hanc exedente.

Wvillisii mens de morborum Virgæ causis.

§. 7. *Wvillisius* ut causas admittit in *Lipodermo* resectionem præputii, vel religionis, vel necessitatis gratia factam, dum pars hæc fuit corrupta, ut auferri debuerit, vel absumptionem ab humoribus acribus; in *Paraphimosi* glandis intumescentiam, cui tegendæ præputium non sufficiat; in *Phimosi* accrescentiam præputii ad glandem vel in utero, vel post partis exulcerationem mediante cicatrice obortam; in *Priapismo, Satyriasi, Distortione & Inflatione* spasmodicum aliquid subesse existimat, quo membranæ partis hujus detineantur, dum tubuli ejus à vehementi spirituum explosione intumescant. In Partis hujus *Inflammatione* causam agere vult sanguinem ob vasorum obstructionem à lentore inductam diuturniorem in interstitiis membranarum extravasatum, diutius detentum, & propterea accensum. A sanguine per contagium Venereum corrupto & in glandul is impuritates suas deponente non modò *Ulcera* in Virga suscitari credit, sed dum succus nutritius aliique impuritatibus istis immiscentur & cum illis coagulantur, varias inde *Excrescentias, Carũculas & Verrucas* in penis meatu propullulare.

Sylvii opinio de causis Morborum Penis.

§. 8. *Sylvius* causam *Lipodermi* imputat vel resectioni, vel absumptioni ab acido acri, ita ut absente præputio glans obtegi nequeat; interdum verò *Paraphimosin* à convulsione oriri posse existimat, quòd cutis ità contrahatur, ne convenienter diduci, nec glandem investire valeat.

Phimosin vel ex mala in utero formatione, vel ex tumore & humoribus crassis ortum habere putat, unde frenum adeò angustetur, ut cutis glandi firmiùs annexa retrahi, & glans ipsa nequeat denudari.

Priapism'i, Satyriasis, & Inflationis Penis originem adscribit flatibus nimia copia in penem irruentibus, eum-

cumque ità rigidum reddentibus, flatus verò ex pituita viscida & bili invicem commixtis etiam hic exsurgere profitetur.

Distortionem Virgæ utplurimùm ad spasmum referendam esse contendit, spiritibus animalibus ad unius lateris corpus nervosum, quàm ad aliud, copiosiùs & impetuosiùs propulsis, & in eo diutiùs commorantibus.

Inflammationis Penis causam esse dicit sanguinem in ductibus Penis diutius subsistentem, ut subtiliores sive spirituosiores particulæ ejus evanescant, & oleosæ cum acidis & salsis incipiant effervescere.

Excrescentias, *Carunculas* & *Verrucas* post Luem Veneream in Pene emergere dicit, quando cute ab acido erosa, sanguis nutriens per foramina exstillat, & in protuberantias istiusmodi convertitur.

Ulcera in Virga excitari dicit ab acido quodam peculiari, à contagio quodam Venereo frequentiùs parti huic communicato, eamque periculosè & dolorosè erodente.

Cartesianorum de causis Morborum Virgæ sententia. §. 9. *Cartesianorum* sententia est, *Lipodermum* oriri à cutis glandem aliàs investientis absentia, vel quòd hæc in prima fœtus in utero formatione adeò curta sit elaborata, ut glandem attingere nequeat, vel postmodum abscissa sit vel religionis gratia, ut in circumcisione Judæis est solenne, vel manu Chirurgi ob partis corruptæ amollitionem; vel quòd in ulceribus Venereis à particulis acutis erodentibus fuerit absumpta, ut glans obtegumento suo ità destituatur.

Phimosin ortum sumere credunt vel ex mala fœtus in utero conformatione, dum cutis penem & glandem investiens adeò prolixa & glandi annexa fuit, ut glans nunquam, nisi præmissa medela, denudari possit, vel ex mala ulcerum curatione, dum cutis glandi exulceratæ per cicatricem adhæreat & inter consolidandum firmiter annascatur.

Paraphimosin ob tumorem glandis potissimùm fieri volunt, impedientem, ne glans ipsa cute abbreviata obtegi possit.

Priapismi, *Satyriasis*, *Inflationis* & *Distorsionis* Penis causam adscribunt copiosiori spirituum in tubulos corporum nervosorum influxu, unde & sanguis in vasis & materia spermatica in canali diutius detineatur, compressis nempe tubulis, ut succi tam facilè nequeant transfluere, sed fibræ spasmodicè detineantur; hic verò influxus si in unum corpus vehementior sit, quàm in alterum, penem variè distorqueri dicunt, qualis distorsio etiam contingere possit, si post ulcerum perversam curationem cutis corrugetur, vel alio modo in parte abbrevietur.

Inflammationem sanguini aliisque succis in tubulis Penis stagnantibus imputandam esse volunt, unde tubuli ità angustentur, ut exclusis globulis secundi elementi sola materia subtilis succos ingrediatur, absque qua igneus ejusmodi motus suscitetur.

Excrescentias, *Carunculas*, *Verrucas*, & *Ulcera* Penis plerumque ex Lue Venerea pronasci statuunt, eò quòd acidum illud venenosum ex impuro coitu communicatum, sive particulæ acutissimæ sibi transversim junctæ in tubulis primò succorum excitent stagnationem, hinc divertæ cum porosioribus succorum partibus commotæ fibrulas distendant & rumpant, unde Ulcera emergant, ex quibus stillantes succi ab acido variè coagulati fibrulas ruptas extra ulcera protendant, quibus succus chylosus nutriens sese associans varias istiusmodi producat excrescentias, eo citiùs emergentes, quod semen in gonorrhœa vel urina assiduò perfluens ulcerum impediat consolidationem.

Nostrum judicium de causa Lipodermi. §. 10. Causa *Lipodermi*, me judice, nihil aliud est, quàm motus convulsivus fibrillarum ac nervorum præputii, à volatu nimio spirituum animalium, seu eorum concitatissima agitatione & dispersione succi nervei ad hæc loca, hinc motrices fibræ præputii ita inde contrahuntur, ut glans amplius conspici nequeat. Causa mediata proximior aliquando est succus halituosus, elasticus, fixior, indeque enatus vapor spirituum auram interturbans, eosdem ad inflandum partes præputii partim irritans, partim coagulans, acidus puta, acris, austerus, & crassior, tenacior & respectivè fixior.

Phimosis. *Phimosis* causa est tumor præputii, in quo sæpe stagnãt vel evasantur humores partes præputii distendentes quæ distensæ obtegunt glandem, & impediunt urinæ effluxũ, aliaque Symptomata excitant: Quidam dicunt esse vaporem inflativum & convulsivum. Affectus quibusdam est à nativitate, ceu aliquot novimus exempla.

Paraphimosis. *Paraphimosis* causa est motus convulsivus præputii à materia acri & viscida in nervis vel succo nerveo existente, fibras præputii vellicante obortus, hinc præputium retrorsum trahitur, ut glandem tegere nequeat.

Penis distortionis. *Distortionis* penis causa est spasmodica contractio vel discissio vasorum nerveorum, vel fibrillarum, hinc succus nerveus influere nequit secundùm ordinem, & sic necessariò penis distorqueri debet, quod etiam fieri potest ab obstructione quadam, vel à tumore, vel viscido acri subsistente succo quodam. Hic & Plastica vis aberrat, & in partibus his ceu in aliis distortionem efficit. Contingit quandoque fræni vel præputii vitio: Frænulum quod concernit, si nimis breve est, & tenditur membrum, glans retrahitur, & membrum incurvatur: Præputii ratione fit, si nimia de glande fit retractio, ut nequeat denuò retrahi, quod sæpius ex violentiori coitu oriri solet.

Inflationis. *Inflatio* & Tumor Penis inducitur tum ob succorum crassitiem ac visciditatem minùs commodè per vasa penis traseuntium, qui humores ob acidum & visciditatem commorantur & stagnant, hinc penem reddunt tumentem, vel flatus succis istis immisti cutem penis distendunt, aut acre quid à coitu impuro sibi contractum fibrillas nerveas, & cutem pungit, dolorem infert, & tumorem stagnando efficit, uti & ipsum semen stagnando dolorem parit, tumoremque producit.

Inflammationis. *Inflammationis* Penis causa eadem est ac aliarum partium, quæ dependet à stagnatione succorum circulantium in penis canaliculis & tubulis, & cùm hanc causam ubivis abundè dederimus, eam hic repetere tædet.

Priapismi. In *Priapismo* convellitur ac tetano afficitur penis, unde effectus hic partim convulsio est, partim motus convulsivus, vel à Spirituum copia vel acrimonia productus Sæpe affectus hic incidit cum Hernia, Colica, cum multis flatibus calculo Epilepsia, &c. aliquando incidit Priapismus subsequente pollutione, id quod etiam in animi deliquo & iis evenit, qui laqueo suspenduntur. Huc quoque spectat pollutio nocturna, quæ etiam diuturna est, ac veriùs diceretur somnosa, id est, in somno & insomnio cotingens. Causa ergo Priapismi omne id est, quod convulsiones, spasmosque ac tetanum efficere potest, ut sunt omnia, quæ succos acres, asperosque efficere possunt, qui fibrillas convellunt corrugantque, ac talem motum convulsivum inferunt, ut alibi ad nauseam jam dictum est.

Satyriasis. *Satyriasis* Inflammationem sequitur, quoniam fibrulæ à particulis igneis non modò nimiùm tenduntur, sed variè agitantur, & hinc *palpitatio* exoritur, & simul ad coitum fibræ vellicatæ incitant.

Excrescentiarum & caruncula. Inter varia illa dolorisque immensi plena, quæ scortatoribus & adulteris justo Dei judicio obveniunt, uti diximus, sunt præcipuè *Excrescentiæ* illæ carnosæ in urethra utplurimùm obortæ, quæ causam agnoscunt succi nutritii imprimis circa has partes collecti acrimoniam, accedente simul acido coagulante, hinc perruptis vasis suis coagulatur & in talem carneam transit substantiam ex qua coagulatione *Carunculæ* oboriuntur, succus enim nutritius evasatus facilè accedente acido in circulatione impeditur, & non ampliùs circulans in carunculam excrescit, quando enim nimia extensio staminum & vasorum violenta sit, tunc fibrillis læsis, alimentum partis proximum ulterius recipitur, diutiùs retinetur, & magis quàm par est, evasatur, & generatur ejusmodi caruncula urethram obstruens. Seminalis quoque in Gonorrhœa effluens materia in tantùm sæpe accrescit, ut urethram interdum exulceret & excoriet, in quo loco tum concrescit verrucula, quæ vocatur Caruncula Penis, quæ tandem meatum obstruendo urinæ excretionem impedit, vel ischuriam, vel stranguriam producit, qualem non ita pridem in viro observavi sexagenario.

Causa Verrucarum. Videntur verò oriri *Verrucæ*, ceu jam alibi diximus, à succi nutritii acrimonia, vasa primò perfringente, affluente enim indies novo succo, successu tempo-

temporis consuetam sibi parat viam, hic itaque à glandulis assiduò affluens succus exitum moliens etiam in distortis & diductis fibrulis sibi viam servare potest, unde meatus interior pervius manet, accrescentibus exteriùs particulis crassioribus tuberculum illud verrucosum solidè efficientibus: succi acrimonia facilè oriri potest à concubitu impuro, quia in uteri cervice impura plures hærent succi acres à semine virili æquè ac liquore muliebri relicti, vel continua irritatione excussi fibrasque rumpentes, hinc effluit succus nutritius, qui tunc in hisce locis obscœnis stagnans ejusmodi verrucas producit; hinc affectus hic lue Venerea laborantibus solennis esse solet, qui toto in corpore suo habent acres succos ansam huic affectui præbentes.

Penis Vlceris causa. *Penis Vlceris* causa eadem est, ac aliorum ulcerum sæpiùs jam dicta. Causæ enim sunt succus acris corrosivus, scorbuticus, modò viscidus, & non ritè circulans, & sic in ipso ulcere demum corruptus, hinc & sæpè hic morbus ortum suum trahit vel à lue Venerea, vel à scorbuto ab iisdem particulis corrosivis, acidis in sanguine ac succis existentibus exortus. Producitur aliquando ab Apostemate inflammationem insequente, vel ab urina acri, vel à calculis asperis ac cuspidatis in transitu spiculis suis lędentibus fibras, hinc effluunt succi, qui constituunt pus, quod continuò effluit, & acrimonia sua adhuc alios canaliculos ac tubulos perfringit, aperitque. Unde oritur aliquando ulcus fistulosum, quod nuper observavi in rustico Hasso feliciter curato à remediis infra dicendis.

Prognosis Penis Affectuum. §. 11. Affectus hi quamvis rarò existant lethales, attamen ægris maximum incommodum afferunt, &, si aliis morbis convulsivis associati sunt, periculum majus inferunt: Sic scorbutici aliique, qui pleni sunt succis acribus & viscidis, indeque circulatio succorum tardior, facilè in hos incidunt affectus, ut & ii, qui laborant lue venerea, quia & hi scatent ejusmodi viscidis acribus succis.

Priapismus ut affectus convulsivus non facilè curatur, & quandoque in Epilepsiam, Apoplexiam aliosque morbos lethales transit. *Satiriasis* morbus est satis periculosus, sæpe enim convulsio in propinquo, & vasa seminalia penitus resolvuntur.

Ob *Distortionem* Penis generatio prolium sæpe impeditur, & dolor oritur aliquando maximus, estque affectus hic pertinax & ferè incurabilis, si à nativitate fuerit, semen enim non ita fortiter, nec recta linea ejici potest, quod tamen ad legitimam generationem requiritur, ut ovum muliebre attingi & fœcundari possit contagio spirituoso ac vaporoso seminali.

Inflatio Penis malum non adeò magnum existit, nisi comitem habeat alium morbum; facilè enim discutientibus ac diaphoreticis internis, emollientibusque externis calidè appositis curatur.

Inflammationem Penis facilè insequi solet sphacelus, vide *Bartholin. histor. 27. ac Centur. 6. histor. 96. Tulp. c. 33.* De putrefactione ejusdem membri è venerea quadam lue orta lege *Forest. lib. 26. hist. 6.* Sic quoque, dum hæc scribo, Novellæ referunt de quodam viro, qui Lipsiæ semetipsum castravit absque periculo vitæ, quod & factum est ab hinc aliquot annis à viro quodam mentis non planè compote.

Carunculæ ac excrescentiæ venereæ Penis ac urethræ non facilè sanantur, 1. quia sunt in parte mobili, 2. quia urina acris, seu semen tale vitiosum continuò transit, & pelliculam, quam successivè perluit, abradit acrimonia sua corrosiva, 3. quoniam ibidem Medicamenta commodè applicari nequeunt. Carunculæ hæc modò stranguriam, modò dysuriam, modò ischuriam efficiunt, hinc difficillimæ sunt curatu, quia sæpe luem Veneream comitem habent; ob membranosas quoque partes ibidem existentes corrosiva aliaque acria caustica haud applicari possunt, nec commodus locus est ad exscindendas, amputandasque has carunculas.

Verrucæ hisce in locis, Penis, presertim interiores, difficillimæ sunt sanatu, exteriores verò facilè curari possunt, modò non oriantur à lue Venerea, quę ceu dictum, difficiliores sunt curatu, lues enim simul curari debet.

Vlcera his in partibus genitalibus membranosis difficilioris sunt sanationis, quàm in aliis carnosis, facilè enim transeunt in gangrænam & sphacelum. In quibusdam ægris lue venerea infectis prostatæ glandulosæ ulceratæ, & quasi excoriatæ fuerunt observatæ, nam dum in coitu impuro incalescunt partes genitales, ut ulcera vaginæ uterinæ exhalent miasmata acria, quæ se insinuant in cavum urethræ, & penetrant in prostatas glandulosas, dein inquinant lympham dictarum prostatarum, quæ lympha inquinata accrescit, acescit, stagnat, degeneratque in virulentiam, hinc à tali specifico acore Venereo liquor corruptus sensim effluens urethram & præputium afficit, pari modo ac videmus quotidiè miasma febrile malignum communicari aliis. Sic *Cl. D. Vogelsangius, Amicus noster singularis*, nuper invisebat quendam febre maligna laborantem, & postquam manu pulsum ægri tetigerit eamque admoverit faciei, & imprimis naso, statim ibidem pustulas à miasmate nactus est, tanquam testes malignitatis: quod etiam accidit Celeb. D. *Vvizelio* Francofurtensi pustulam variolosam digito attingenti, & faciei similem pustulam, admovendo digitum miasmate conspurcatum, producenti.

Diæta. §. 12. His in affectibus genitalium externis, *Diæta* etiam sedulò observanda est, hac enim neglecta optima medicamenta frustrà sæpe applicari solent, & quemadmodum homo aere destitutus mori debet, eapropter is homini ad vitam conservandam, & sanitatem amissam restaurandam maximè necessarius est, qui tamen frigidus & humidus, ut & nimis calidus nocere potest, aer enim frigidus, ceu notum est, non tantùm sanguinem, sed & reliquos succos circulantes incrassat coagulatque; aer verò nimis calidus efficit transpirationem nimis vehementem, hinc per sudorem nimium succi subtiles absumuntur, & restantes nimiùm incrassantur. Ut etiam optimum nutrimentum partibus afferatur, necesse est, ut alimenta sint optima, eligantur ergo cibi boni succi & pleni lactis, vitentur contra acidi, salsi, acres, saccharati & tenaces, qui reddunt chylum viscidiorem, & per consequens humores reliquos tenaciores, & ad bonum nutrimentum ineptiores, hinc stagnationem producunt; sic quoque à vino, spiritu vini, aliisque acidis potulentis abstinendum, & potiùs decoctum ex sarsaparilla, china, scorzonera, ligno guajac. cinamom. sandal. citrin. commendandum est, vel cerevisia tenuis medicata, vel potus Theæ vel Copheæ, vel veronicæ, betonicæ, salviæ, rorismar vel alius herbæ aut ligni appropriati.

Motus corporis haud sit nimius, ne sanguinem ac succos reliquos nimiùm è corpore per poros cutis elicias & reliquos incrasses, certum enim est juxta commune ac notum dictum, *Quiete & abstinentia* imprimis à *Venere* & aliis pessimis cibis, multi curantur morbi.

Somnus concedendus est ad satietatem, nec his in affectibus pomeridianum atro notamus carbone, vigiliæ verò maximè sunt noxiæ, per has enim succi circulantes fiunt spissiores, acrioresque, hinc affectus hi genitales magis augentur, quàm diminuuntur.

Alvus sit libera cum reliquis excernendis.

Animi passiones, ut sunt invidia, terror, mœror, ambitio, in venerem propensio, seu continua cogitatio de Venere, amor illicitus, maximoperè his in affectibus genitalibus vitanda sunt, per hæc enim succi acriores viscidioresque redduntur, qui tunc authores ac fabri horum affectuum existere possunt; hilaritati, tranquillitati ac modestiæ, pudicitiæque studendum, sua quoque sorte quisque sit contentus, hinc à mente hilari succi & liquores circulantes, imprimis succus nerveus, agiliores & ad motum aptiores disponuntur.

Imprimis hisce in morbis genitalibus à Venere, coitu impuro ac illicito abstinendum est, inde enim sæpiùs hæ lacrimæ sunt, quoniam partes hæ genitales facillimè à vaginæ uteri exulceratione, pustulis, verrucis eodem charactere notari possunt, ceu in quotidiana praxi occurrunt ejusmodi exempla plura,

quo-

quorum etiam morborum à contagio infectorum superiùs dedimus rationes sufficientes, quas hic repetere non libet nec decet.

[Malicorũ] in Lipodermo.

§. 13. *Galenici* morborum virgæ *curationem* sequenti aggrediuntur apparatu. In *Lipodermo*, ex *Celsi* monito, glandem nudam faciliùs obtegi posse promittunt, si æger adhuc puer sit, vitium naturale glans parva & juxta eam cutis, coles verò spatiosior, quàm si patiens fuerit vir, aut ex more quorundam gentium circumcisus, & glans major, cutis procul ab ea distans, & coles angustior. Ut verò glans denuò retegatur, cutem circa eadem prehendunt & extendunt, usque dum glandem condat, ibique deligant, deinde juxta pubem in orbem tergus incidunt, donec coles nudetur, magnaque cavent cura, ne vel urinæ iter, vel venæ ibidem existentes incidantur; quo facto cutem ad vinculum inclinant, & instar circuli circa pubem nudant, tum linimenta imponunt, ut caro increscat, & vulnus impleat, sicque latitudo plagæ velamentum aliquod ipsi glandi præstet, servando membrum hoc tamdiu vinctum, donec cicatrix sit inducta, in medio exiguo solùm relicto urinæ itinere. In circumcisis sub circulo glandis cutem ab interiore cole scalpello diducunt, cùm non ita doleat, sed summo soluto citra sanguinis profluxum ad pubem usque manu deorsum deduci possit. Cutem resolutam ultra glandem rursus extendunt, multa aqua frigida fovent, & emplastrum aliquod inflammationem arcens circumdant, impetrato simul victu tenuissimo, ne partem satietas excitet. Abacta inflammatione à pube ad circulum usque deligare jubent, & super glandem adverso emplastro imposito inducere, ut ita pars inferior glutinetur, & superior ita, ne inhæreat, sanescat.

[Ph]imosi.

In *Phimosi* ad glandem contectam aperiendam *Celsus* ita procedit. Subter à summa ora cutem recta linea usque ad frænum incidit, ut tergus superius ita relaxatum retrò cedere possit. Si propter angustias aut tergoris duritiem parum sic profectum fuerit, cutem forma triangula ab inferiore protinus excidit, ut vertex ejus ad fænum basis in tergo extremo sit, tum linimenta superaddat, aliaque medicamenta ad sanitatem perducentia, & ne ambulatio ulcus sordidum reddat, ad cicatricis celeriorem inductionem necessariam imperat quietem. *Paulus* verò *Æginet. de remed. lib. 6. cap. 55.* talem prescribit processum. Postquam hominem prout convenit collocavit, attracto præputio in anteriorem partem, hamulos tres aut quatuor in summum ipsum immittit, eosque ministris tenendos dat, & quantum fieri potest extendere & aperire ipsum jubet: postea si ex cicatrice externa contractio facta fuerit, scalpello sectioni venarum apto, aut cultello aculeato, ex internis partibus præputium dividit in tribus aut quatuor locis, juxta internas partes sectiones faciens in directum extentas, & æquali spatio inter se distantes, & cùm duplex circa glandem præputium sit, osculum internæ in ipso partis dividit, ut ita contractione ex cicatrice oborta præputium abducatur, si verò caro ex internis partibus agnata, constrictionem effecerit, detracto præputio, in omnem carnem scarificationes facit, & eminentias intermedias carnis inter impacta vulnuscula deradit, postea verò plumbeum canalem papyro sicca obvolutum toti glandi circumdat, ita ut canalis undiquaque æqualiter sit expansus, sic enim propter canalis circumpositionem preputium prohiberi ait, ne rursus in ductum concrescat, ut quod præ plumbo, & obvoluta papyro distentum conservetur, cùm papyrus ex irrigatione intumescens cutem adhuc magis dissiparet, unde hoc facit, sive propter cicatricem, sive propter carnis excretionem facta fuerit constrictio.

[P]araphi[mosi].

Paraphimosin inveteratam incurabilem pronunciant, si verò nondum occalluerit, in directum factis vulnusculis tribus, aut quatuor, aut pluribus, & oleo calido multo affuso, ad externam partem præputium attrahunt.

[P]riapis[mo], Saty[riasi] & In[fla]tione.

Si ob copiam spirituum & sanguinis, vel seminis, *Inflatio* penis, *Priapismus*, *Satyriasis* contingat, venam secare jubent, imprimis in poplite, posteà Penem & partes ei vicinas aqua fovent frigida, vel succo plantaginis, nenuphar. vel aliis repellentibus. Si propter medicamenta Venerem irritantia affectus hi fuerint inducti, aqua tepida partem fovent, & posca abluunt, si verò ob medicamenta acria, auferunt, repelluntque à parte hac sanguinem attractum. Si ob ulcus Priapismus fuerit obortus, & quidem internum, abluunt id refrigerantque injecta aqua nenuph. myrti, plantag. vel solatri, & injungunt ęgris his bibere aquam, & parum comedere. Quòd si post immodicum coitum id accidat, oleo rosarum, vel oxyrrhodino penem fovent, frigidiusque abluunt pedes, & refrigerant renes; his enim partibus refrigeratis, nunquam penem distendi posse contendunt, ob id unguento albo *Galeni* renibus inuncto utuntur, perinæum quoque & plantas pedum, vel unguento populeonis, vel cerato sandalino, vel unguento albo *Rhasis* ex cerussa illinunt.

In Distorsione.

Distorsionem Penis à primo ortu existentem vix ullam admittere judicant medelam, eam verò, quæ à convulsione, adeòque aut inanitione aut repletione nimia, post frequentiorem Veneris actum, dependet, ita tractant, ut indicta Veneris abstinentia ea adhibeant remedia, quæ nervosorum corporum distensioni, aut contracturæ nimiæ conveniunt, in relpetione purgantia & Venæsectionem præmittentes, in inanitione refocillantia remedia ex speciebus dianthos, diamoschi, & similibus, tum Penem fovent aqua calida, & oleo simplici calido, vel oleo de castoreo, de croco axungia vulpina, &c. inungunt. A nodo quodam productam distorsionem curare tentant subadstringentibus, fotu ex decocto absinthii, fol. myrti, myrtillorum, balaustiorum, corticum myrobalanorum, nucum cupressi, seminis sumach in vino nigro austero facto, & instrumentum aliquod adhibent, quo Penis denuò recta extendi, & in convenientem formam disponi valeat.

In Inflammatione.

In Penis *Inflammatione* præmissa sanguinis è venis malleorum eductione ad revulsionem, in principio statim ad repellentia sua confugiunt, perfunduntque Penem decocto rosarum & meliloti, vel aqua, in aqua folia aut semen betæ efferbuerint, quibus apta simul institutitur discussio; adhibent etiam cataplasma ex pane cũ palmulis sapa maceratis, cum pauco olei rosacei, aut ex malicorio in vino cocto ac trito cum pane ac modico oleo rosaceo parato.

In Excrescentiis, Caruncculis & Verrucis.

Excrescentias, *Carunculas*, & *Verrucas* sive *Thymos* Penis auferunt sectione & ustione, post quam exstirpationem resiccantia admovent remedia, quibus etiam utuntur, quando chirurgia commodè nequit institui, qualia sunt medicamentum xeraphium dictum, sequenti modo parandum.

> ℞. *Chalcitid. crudæ* ℥ i ß.
> *Misyos crud.* ℥ i ß.
> *Squamæ æris* ℥ ij.
> *Alum. sciss.* ℥ j.
> *M. F. Pulvis.*

Hunc pulverem loco priùs vino eloto siccum inspergunt, vel gallam & alumen trita, aut origanum & radicem rutæ usta & trita eodem modo adhibent, ut excrescentiæ istæ & thymi exsiccati decidant.

In Vlcere.

Penis *Vlcus* curant præmissis universalibus, purgantibus & Venæsectione, ventrem frequentiùs leniendo, ut eò derivetur materia peccans, sequentibus vel similibus, Cassia recens extracta, tamarindis, sebesten, ellectuario catholico, cum syrupo rosarum solutivo ad ℥ j. in forma boli, vel decoctione hordei aut prunorum, deinde suadent decocta ad sudorem provocandum, ut ulcus siccetur, subjunctis trochiscis de alkekengi, posthæc ac topica transeunt, observantes, ut, si cum inflammatione aut Phymosi sit conjunctum, medicamenta diluant aquis refrigerantibus, eaque syringa immittant. Si ulcus denudari possit, medicamentis fortiter exsiccantibus curare satagunt, unguento nimirùm diapompholygos & cortice mali granati, vel cerussa usta & lota, vel atramento scriptorio, pannum etiam detritum carminatum frequenter mutatum, & ulceribus cavis impositum

ſitum laudant. Si ulcus putridum ſit, auri pigmento aquis roſar. & plantag. ſoluto uti ſolent, ne ampliùs ſerpat, vel lixivio cum pauco Ægyptiaco, vel ad unguentum Apoſtolorum, & per vices ad mitiora perveniunt. Si recens eſt, cum quadam calefactione, leviter detergunt & refrigerant, qua de cauſa aquam injiciunt plantaginis, ſolatri, nymphææ, myrtillorum, vel ſuccum eorum, aut decoctum hordei cum ſyrupo de roſis laxativo, ſero lactis, adduntque trochiſcos albos Rhaſis, vel AlKeKengi, vel decoctum lithargyrii injiciunt, vel unguentum ponpholygos cum albumine ovi & aqua hordei, vel ſero lactis. Renibus imponunt refrigerantia, ut urinæ ardor minuatur, ut unguentum album *Galeni*, ſandalinum, nutritum, album *Rhaſis*, & quæ ex oleis frigidis leviterque adſtringentibus parantur. Si parum bibant, & parum mejant, citiùs ægros hoſce curandos eſſe promittunt.

Paracelſiſtarum morbos Penis curandi ratio.

§. 14. *Paracelſus* cum aſſeclis ſuis in Penis *Lipodermo*, *Phimoſi* & *Paraphimoſi* præcedentium curæ nihil detrahunt, ſed eandem quandoque, ne nihil agere videantur, inſtitui poſſe autumant. In *Priapiſmo*, *Satyriaſi*, & *Inflatione* cataplaſmata laudant ex farina fabarum & ruta parata cum aqua nenupharis, & foris Peni impoſita. Ad *Diſtortionem* proficuum æſtimatur galbanetum *Paracelſi* frequentiùs illitum, vel oleum laurinum aut de Spica, quibus ſpiritus ille mercurialis Penem occupans diſſipatur. Penis *Inflammationi* abigendæ proficuum eſſe promittit *Crollius* decoctum cauli hieracii cum aqua communi paratum, ſi quotidiè hauſtus ejus calidus aſſumatur. Ad *Carunculas*, *Excreſcentias & Verucas* abſumendas in Pene balſamo utuntur arſenici, uti ad *Ulcera* membri hujus ſananda & incarnanda oleo Mercurii, vel ſequenti mixtura;

♃. *Terpentinæ* ℥ iij.
Succi AlKeKeng. ℨ vij.
Reduc per ablutionem;
♃. *Hujus* ℥ iiij.
Thuris ℥ ß.
Gallar. ℥ i ß.
F. Mixtura, cujus doſis eſt ℨ ß. uſque ad ℨ j.

Helmontiarum morborum Penis curatio.

§. 15. *Helmontius*, & qui eum Ducem ſibi propoſuerunt, *Lipodermum*, *Phimoſin*, & *Paraphimoſin* tanquam vitia originalia in defectu vel abundantia nullis remediis, quàm maximè etiam arcanis, corrigere norunt, nec non eadem ipſa, quæ vel reſectionem, vel alios quoſdam præcedaneos morbos cauſas agnoſcunt, quare Chirurgis tractationem eorundem permittunt, correcto ſimul latice, ſi hic morbos hoſce foveat. Ad *Priapiſmum*, *Satyriaſin*, & *Inflationem* Penis commendant oleum rutæ fræquentiùs Peni illitum, & alia quædam motus convulſivos placantia, ut oleum ſuccini, caſtorei, quæ ſimul in Penis *Diſtortione* à ſpaſmo introducta conveniunt. In Penis *Inflammatione* ad Archeum ſedandum ſaccharum Saturni internè & foris adhibitum proficuum exiſtimant. Ad *Carunculas*, *Excreſcentias* & *Verrucas* Penis abſumendas remedia ex vitriolo Romano, auripigmento, & alumine parata ſatis accommodata exiſtere credunt, laudatque *Grembſius* potiſſimùm ſequens:

♃. *Calc. viv.*
Arſenici rubri utriuſque, uno die in aceto macerati aa. ℨ ß.
Cerati de mucilaginibus ℥ ß.
M.

Ad *Ulcera* etiam Penis abigenda realgar fixum in ſpiritu vini ſolutum & ulceribus hiſce inſperſum magnoperè commendant.

Cura morborum Penis juxta Vuilliſium.

§. 16. *Vuilliſius* quoque in *Lipodermo* nullam ab ea, quam anteceſſores jam propoſuerunt, diverſam exhibet curandi rationem, uti nec in *Phimoſi*; ſolùm in *Paraphimoſi* ad tumorem glandis auferendum, quò cutis attolli & glandem contegere poſſit, cataplaſmata di cutientia approbans ex farina fabarum, lenticulæ paluſtris, floribus ſambuci, meliloti pulveriſatis, & aqua nymphææ ſubactis, vel ex mica panis albi, & pauco croci in lacte coctis.

In *Priapiſmo*, *Satyriaſi*, *Diſtortione* & *Inflatione* Penis, ubi cum flatibus aliquid ſpaſmodicum intermiſtum eſt, non modò flatus diſcutientia adhibet remedia, ſed etiam antiſpaſmodica, qua de cauſa præmiſſis aliquando clyſteribus, ſequentem propinat potiunculam cochleatim ſumendam,

♃. *Aq. Rut.* ℥ j.
Menth.
Nymph. aa. ℥ ß.
Eſſent. abſinth. ℨ ij.
Spir. ſal. Armoniaci ℨ ß.
Camphor. ℈ ß.
Syr: de Portulac. ℨ vj.
M.

Epithema Peni adhibent ex lacte in quo ruta, mentha, & ſemen agni caſti incocta fuerunt, vel cataplaſma ex foliis rutæ recentis contuſis, cum foliis nymphææ, ſemine rutæ, agni caſti, cumini, addita aqua nymphææ, vel ſolani, vel oleum camphoræ ad diſcutiendum frequentiùs illinit.

In Penis *Inflammatione* ſanguinem ad motum excitat venæſectione tum in brachio, tum in pede inſtituta, ut vaſa depleta eum, qui in vicinis ſtagnat, reſorbeant, tum lentorem corrigit diaphoreticis ex ceruſſa Antimonii, vel ſpiritu fuliginis, aliiſque, vel decocto ex lignis, & externa cataplaſmata imponit ex farina ſeminis lini, althææ, floribus chamomillæ, ſambuci &c. in lacte coctis, ut ita viæ dilatentur, & ſucci incraſſati emolliantur, qua de cauſa, & ut ſimul dolores mitigentur, etiam unguentum dialthææ aliquoties inungit.

Ad *Carunculas*, *Excreſcentias* & *Verrucas* Penis tum externas, tum internas abigendas, præmiſſo decocto aliquo ſudorifero, vel pulverem inſpergit ex lapide calaminari Præparato, ceruſſa, tutia, & pauco aluminis uſti, vel eundem cum melle toſto, ut in pulverem redigi poſſit, commiſcet, & cum terebinthina in unguenti formam redigit, & hoc carunculis iſtis illinit, quod ſi nondum ſatisfaciat, vel unguentum Ægyptiacum inſpiſſatum imponit, vel cryſtallos arſenici emplaſtro diachylo excipit, & ad verrucas uſque tangendas Peni inſinuat.

In *Ulceribus* Penis internè deprædicat decocta ſudorifera ex lignis, aliaque vulneraria, nec non balſamum de Capaiba, tincturam Sulphuris, ſpiritum Saturni, & ſimilia; inter topica aliis præfert unguentum de tutia, vel pulverem ex thure, aloe, ſarcocolla & corticibus pini, nec non oleum myrrhæ guttatim inſtillatum, vel aliis unguentis additum, & mediante cera ulceri interno adhibitum.

Cura Sylviana.

§. 17. Juxta *Sylvium* à præciſione factus *Lipodermus* corrigi nequit; ſin fuerit à convulſione, curatur antiſpaſmodici humorem acrem tollentibus & abſorbentibus, imprimis ſalibus volatilibus oleoſis, quæ ſummoperè commendat, ſicut & laudibus effert ſudorifera, nempe ſpiritum Tartari cum aqua Theriacali, aut ſpiritu vini rectificato junctum. Externa topica varia laudant, ut olea & axungiã humanam & anguillarum præputio illita, horum namque ope & ſalis lixivioſi, & ſpiritus acidi præſertim acrimonia temperatur, cauſaque doloris proinde ac convulſionis corrigitur. Commendat etiam fomentationes & balnea artificialia ex plantis ſale volatili, & oleo abundantibus, ut & thermas ſulphureas, in quibus continetur aqua, oleum, ſpiritus acidus, & ſal lixivioſum paucum, quæ vim penetrandi habent egregiam.

Paraphimoſis curam iiſdem abſolvi vult remediis antiſpaſmodicis, parum enim tum differt hic affectus à præcedenti à convulſione facto.

Phimoſis verò juxta ipſum curatur, ut alius partis tumor reſolventibus, ac internis ſudoriferis ſale volatili præditis, cùm hoc in caſu humores ſint craſſi, viſcidi, qui proinde juxta ipſum attenuatione indigent, ac abſterſione, ſive inciſione, quo fluidiores reddantur, nec in præputio ulterius hæreant & conguti-

glutinentur. Commendat ergo ad humores coagulatos discutiendos Penis frictiones calore blando institutas. Hinc & sudorifera interna levem tantùm sudorem moventia extollit. Externè etiam fotus, cataplasmata, aliaque in tumoribus usitata adhibere præcipit.

Penis *Inflatio*, *Priapismus*, & *Satyriasis* juxta ipsum flatuum discussionem, & humorum acrium correctionem aut eductionem requirunt. Flatus autem discutiuntur, ad mentem ipsius, vel flatuum materiæ, pituitę viscidę scilicet, incisione, vel illorum productricis bilis acris ejectione. Ad flatus Penem inflantes discutiendos commendat æquè interna ac externa remedia carminantia, oleum cort. aurant. macis, fœniculi, anisi, &c. cum aqua fœniculi & menthæ, additque spiritum sal. nitri dulcem, huncque in finem sequentem vel similem præscribit formulam.

♃. *Aq. Petrosel.*
Fœnic. aa. ℥ ij.
Theriacal. simpl. ℥ ij.
Spir. sal. Nitri dulc. gt. viij.
Laudan. opiat. gr. j.
Syr. Papav. errat. ℥ ß.
M. cochleatim porrigatur, donec sudor subsequatur.

Non sine magno successu topica quoque medicamenta in usum revocanda vult, ut sunt pulveres ex foliis & floribus aromaticis parati, & cum lacte cocti, & calidè Peni tumefacto impositi, item inunctiones ex oleo rutaceo, liliorum alborum, lumbricorum, chamomillæ, &c. additis oleis stillatitiis ad majorem efficaciam & penetrationem, ut ol. macis, cumini, fœniculi, &c. Emplastrum quoque carminans ipsi solenne Peni impositum laudat.

Penis *Distortionem* iisdem ferè discutientibus curat remediis, præsertim cataplasmatibus ex radice althææ, liliorum alborum, florum chamomillæ, meliloti, in lacte coctis, & calidè applicatis.

Penis *Inflammationem* curat Venæsectione instituta, dein varia interna obstructionem solventia commendat, & externis suppetias ferentia, ut omnia aromatica temperata, & inde vocatas herbas aromaticas, nec non diaphoretica, in quem finem sequentem mixturam cochleatim in Penis Inflammatione exhibet.

♃. *Aq. Serpill.*
Fœnicul.
Card. bened. aa. ℥ j.
Tinct. bellid.
Cinamom. aa. ℨ j.
Antimonii diaphoret. ℈ j.
Spir. sambuc.
Salis Armoniaci aa. gt. xv.
Syr. Scord. ℥ j.
M.

Præmissis his ad topica confugit, & hic cum aliis sanioribus repellentia ac refrigerantia rejicit, sed potiùs citò emollientia, attenuantia, incidentia, discutientia, deobstruentia sic vocata sola, aut cum prioribus, si nimis fortè agant, doloresque augeantur, temperata eligit, quibus materies penis corpori impacta incidetur, in halitus resolvetur, insensibiliter evacuabitur, & dolores mitigabuntur, ut ita maturè præveniatur suppurationi, qualia multa commendat simplicia, ex. gr. enulam campanam, absinthium, chamomillam, unguentum dialthææ, imprimis sequens laudat cataplasma.

♃. *Rad. alth.*
Petrosel. aa. ℥ j.
Fol. bismalu.
Lupul.
Aneth.
Hyssop. aa. M ß.
Flor. sambuc.
Hyperic. aa. P. ii.
Farin. hord. M. ij.
Ol. rapar. per express. ℥ j.
Coq. s. a. in lactis ebutyrati q. s. conquass. & fiat Cataplasma, Peni affecto calidè imponendum, sæpiusque iterandum. Vel imponit emplastrum diachylon simplex, aliaque cutis poros reservantia commendat, nec non sacculos siccos & fomenta ex herbis prædictis aromaticis parata.

Excrescentiarum Penis curatio ipsi huic Auctori peragitur variis exsiccantibus remediis, qualia sunt pompholyx, thutia, aloe, myrrha: consolidans quoque decoctum immittendo in Penem per syringam.

Penis *Verrucas*, *Carunculas* ac *Ulcera*, quia plerumque comites sunt luis Venereæ, hanc priùs curandam esse existimat Auctor, hinc commendat in lue Venerea tum vomitoria, tum purgantia, tum diuretica, tum sudorifera, adeo ipsi nulla via est, quæ non conducat lui huic curandæ; tutiùs verò ac jucundiùs curam, peccantiumque in Venerea lue humorum evacuationem instituit per sudorifera, diuretica, & deorsum purgantia, citius autem at difficiliùs eandem perfici ait per saliuationem moventia, & quandoque vomitoria, quippe quæ salivationi simul promovendæ sunt aptiora, in quem finem phlegmagoga eligit purgantia extrochiscis alhandal, gummi galbano, sagapeno, opopanac. bdellio; commendat etiam Mercurialia, quæ aliis addere jubet, imprimis mercurium dulcem, præcipitatum quoque, maximè fixum, tanquam optimum laudat. *Verrucas* verò decocto guajaci cæterorumque lignorum foveri jubet, imprimis vero aliis frustrà usurpatis: Sale volatili cupri tinctura imbuto pustulas fœdas ac verrucas feliciter curavit, ac supra propriam expectationem subinde sustulit. Commendat quoque mercurium præcipitatum unguento alicui immistum & forinsecus applicatum.

Quod de Verrucis, Pustulis ac Carunculis modò dictum, idem de *Ulceribus* Venereis judicat Auctor, ipsa scilicet universali luis cura, si ritè fiat, simul curari & tolli, tum ea, quæ per decocta sudorifera, tum ea, quæ per salivationem cęterasque vacuationes Mercuriales absolvitur. Posunt quoque juxta ipsum ulcera Venerea ablui ac mundari decocto guajaci & cæterorum aromaticorum potentium, quin tangi possunt sale volatili. liquido & cupri tinctura imbuto Unguentis etiam feliciter admiscet Mercurium tum præcipitatum, tum sublimatum, ac præsertim dulcem, quorum ope postquam mundata sunt satis ulcera Venerea, cæterorum more facili negotio etiam consolidantur.

Cartesianorum morbos hosce Penis curandi ratio.

§. 18. *Cartesiani* in utero jam productum *Lipodermum*, quamvis difficulter, aliquando tam correctionem aliquam admittere credunt, si præmissis fotibus aut epithematis emollientibus & relaxantibus ex farina seminis lini, althææ, fœnigræci, pulveribus foliorum malvæ, betæ, florum meliloti in lacte coctis, Penis in puerulis pugno comprehendatur, & cutis curta ab inferiori parte abdomen spectante ad glandem propellatur, &, si quid circa glandem protuberet, utrimque duobus digitis super ipsam glandem trahatur, donec hæc commodè investiatur, quando verò frænulum nimis existit laxum, forfice portiunculam quandam exscindunt, ut ità inducta cicatrice strictior reddatur. Reliquam curam ab anterioribus prolatam aliquantùm judicant esse crudelem. A circumcisione vel resectione Chirurgica inductum hûc defectum non adeò commodè restaurari posse fatentur, sed si à particulis erodentibus, in Ulceribus Venereis pars hæc absumatur, malum hoc prohibent iis remediis, quę lui & Ulceribus ipsis sunt dicata, aliisque topicis ex aqua calcis vivæ, spiritu camphoræ, Saturni, Tinctura myrrhæ, aloes, spiritu olibani & hujusmodi remediis pluribus.

Phimosin ex cutis longioris in utero formatione producta nulla alia ratione, quàm decurtatione cultello instituenda corrigere norunt, cutem secundùm circulum auferendo, & inspersis pulveribus ex malicorio, sarcocolla, thure, thutia, lapide calaminari cicatricem inducendo. A contracto pene inductam corrigunt, cutem supra glandem digitis ali-

quoties versus abdomen trahendo, donec commodam formam recuperet. Quando verò post ulcera præputium glandi accrevit, cutem istam versus inferiora trahunt, & cultello separationem instituunt, qua imperata remediis cicatricem inducentibus lamellam plumbeam ad figuram penis accommodatam obducunt, & tamdiu inter cutem & virgam inserunt, donec cicatrice firmata denudatio & obtectio glandis promptè peragatur.

In *Paraphimosi* glandis tumorem auferunt discutientibus, cataplasmate ex farina fabarum, lini, florum sambuci, saccharo Saturni, cum vino adusto aut spiritu frumenti parato, non omissis internis diaphoreticis, vel epithemata imponunt ex spiritu vini camphorato.

In *Priapismo* & *Satyriasi* spiritibus copiosiùs in tubulis corporum nervosorum commorantibus facilem parant transitum, ut vel per alios canaliculos refluant, vel per dilatatos poros exhalent, remediis exhibitis tum internis, tum externis, quorum priorum sequens esse potest formula.

℞. *Aq. menth.*
Rut. aa. ℥ j.
Sacch. Saturni ℈ ß.
Lap. prunell. gr. ij.
Camphor. gr. iij.
Syr. absinth. ℥ ß.
M. d. cochleatim.

Foris etiam epithemata ex Aqua menthæ, rutæ, nymphææ, in quibus camphora fuit dissoluta, imponunt.

In Penis *Inflatione* & *Distortione* similia in usum ducunt remedia tubulos dilatantia volatilia, omnem spirituum moram solventia, ex Sale volatili succini, spiritu camphoræ, sambuci, nitri dulcificato, Saturni, quibus internè sumendis propinatis, externè linimenta ex axungia canis castrati, cui olea destillata, rutæ, menthæ, succini, & camphoræ admista sunt, illinunt, vel Epithemata ex essentia menthæ, absinthii, rutæ, spiritu vini extracta, in qua parum camphoræ dissolutum sit, imponunt.

Inflammationem Penis curaturi tubulos aperiunt, & succos stagnantes ad motum sive fluorem sollicitant, penem lacti dulci, in quo camphora sit dissoluta, immittendo, vel aliis decoctis tepidis resolventibus, vel cataplasma imponendo ex bolo Armeno, camphora & spiritu vini, quo mediante materia ætherea in camphora contenta pori dilatentur, ut angulares particulæ faciliùs egredi, & in poros boli transire valeant.

Excitatis verò ob dilaceratas fibras & effusos liquores *Ulceribus* detergentia usurpant remedia, portiones fibrarum dilaceratarum auferentia, & particulas succorum corruptorum cuspidatas acutas fortiter hebetantia, frangentia & destruentia, ut sunt aqua mercurialis, spiritus vini camphoratus, cum sublimato & viridi æris, vel aloe, myrrha & olibano forma injectionis adhibita, vel aquam præcipitati, calcis vivæ, instillant, aut pulverem sublimati præcipitati inspergunt, & internè pilulas de terebinthina cum mercurio dulci, vel præcipitato albo & oculis cancrorum exhibent, & decocti lignorum usum pro eliciendo sudore ad tempus aliquod continuandum præcipiunt.

Excrescentiis, *Caruncülis* & *Verrucis* Penis averruncandis commoda asserunt mercurialia prædicta sanguinem purificantia & decocta sudorifera, quibus simul jungunt topica ex pulveribus æruginis, aluminis usti, sabinæ, præcipitati rubri, Antimonii crudi, terr. Vitrioli dulcis, lapidis calaminaris, camphoræ, catheteri ex spar adrappo parato inspersis, & insinuatis.

Nostra cura in Penis Lipodermo.

§. 19. Præmissis aliorum sententiis nunc & *nostram* de affectuum horum genitalium *curatione*, & quidem brevibus contractis velis dabimus: & quidem cùm *Lipodermus*, præter operationem manualem ab Antecessoribus nostris jam indigitatem, non aliter curari debeat, quàm affectus convulsivus, sitque utplurimùm acrimonia cum viscididate cōjuncta, hinc ad eam corrigendam & incidendam varia absorbentia Cinnabarina, volatilia, castorina, balsamica oleosa, tum interna tum externa adhibemus, &, si suspicio sit de lue Venerea, hæc priùs curanda est purgantibus mercurialibus aliisque decoctis, lignosis, ac gummosis, salibus volatilibus aliisque sudoriferis Antimoniatis, imprimis sequente sæpiùs exhibendo.

℞. *Antimonii diaphoret.*
Salis succin. volat. aa. gr. xj.
Pulveris Angelici ℈ ß.
M.

Fiat pulvis tenuissimus pro una vice sumendus, & interponatur sequens vel simile decoctum præmisso tamen medicamento purgante.

℞. *Lign. Guajac.*
Rad. sarsaparill. aa. ℥ j.
Chinæ ℥ ß.
Fol. senn. or. ʒ iij.
Hermodactyl. ʒ j.
C. C. rasp.
Sem. anis.
Chinamom. aa. ʒ ij.
Lap. alabastr. pulv. ʒ i ß.
Passul. min. ℥ j.

Infundantur vel coquantur cum ℔. v. vini optimi. Potest ejusmodi apozemati addi Sal guajac. ad ℥ j. & ad ℥. v. calidè assumi. Sunt, qui laudant spiritum matricalem cū oleo balsami rectificati vel oleo guajaci. Præsertim verò commendamus in lipodermo, ubi convulsio notatur, sal volatile oleosum, seu spiritum cephal. cum ol. menth. guajac. balsam. Peruv. maritatum, pulverem quoque nostrum temperantem & spasmodicum, quibus solis remediis interpositis externis hunc affectum vidimus curatum. Inter externa topica excellunt balsam. Nervin. arthritic. extern. spiritus matrical. cum spiritu sal. Armoniaci combinatus, item Elixir vitæ, vel immergatur penis spiritui vini camphorato tepido, vel decocto nervino ex radicibus & herbis paregoricis parato, vel etiam Thermis artificialibus. Thermæ enim Sulphureæ ac bituminosæ optimæ hoc in casu existunt, fotus quoque varii ut & suffumigia parari possunt, & quidem ex nervinis gummosis aliisque discutientibus, nec non cataplasmata ex resolventibus, additis sale Tartari ac Armoniaci. Si est à nativitate vix curatur.

Cura Phimosis.

Phimosis curatur ut alius partis tumor, eò enim incumbendum est, ut stagnantes in præputio succi attenuentur ad motum progressivum incitentur per diaphoretica, quæ sæpe omnem absolvunt paginam, ut sunt antimonium diaphoreticum, bezoarticum Joviale, Martiale, minerale, &c. Salia volatilia quæcumque, item succinata & Mercurialia, quæ simul viscidum incidunt, ut sunt etiam spir. sal. Armoniaci anthosat. vel lavendulat. vel succinat. vel sal volatile oleosum, nec hic excludenda veniunt decocta lignorum, viperina, aliaque absorbentia. Cura solis externis sæpe peragitur, & topica hoc præcipuè in affectu magnum afferunt solamen, opera enim danda est, ut tubuli præputii obstructi reserentur, ac acidum coagulans & nervis inimicum corrigatur, convenit ergò ol. balsam. Peruvian. vel nervin. vel arthriticus externus præputio illitus, item Spirituosa proderunt, inter quæ excellunt spiritus vini Camphorat. calc. viv. lumbricor. Matrical. sambuc. aqua calc. viv. aqua fl. sambuc. sperm. ranar. &c. quibus foveatur Penis phimosi laborans, vel lacte calido, in quo flores Chamomillæ fuerint cocti: vel Empl. Vigon. cum Mercurio vel de Labdano, vel aliud acidum absorbens, polychrestum scilicet nostrum, imponatur, vel sticticum *Crollii* vel *Paracelsi*. Oleum ranarum, sambucinum, item olea destillata, fl. chamomillæ, anethi, castorii, spicæ, succini &c. egregia sunt: vel instituatur fotus calidus ex herbis rorismarin. majoran. salv. fl. chamomill. sambuc. melilot. &c. paratus. Sequente remedio nuper cum effectu usi sumus in filio nobili.

℞. *Aq. Calc. viv.* ℥ iij.
Spir. fl. Sambuc.

Matric. aa. ℥ ß.
Camphor. ʒ j.
M. & applicetur tepidè.

Ubi suspicio est de lue Venerea, in ejus curatione cardo rei vertitur.

Curatio Paraphimosis. *Paraphimosis* curatio absolvi debet antispasmodicis medicamentis tam internis, quàm externis. Interna sunt volatilia sæpiùs dicta, nempe liq. C. C. succinat. bals. nervin. spir. Cephal. Sal volat. oleos. &c. Inter absorbentia conducent cinnabarina, præprimis pulvis noster temperans ac spasmodicus, vel pulv. cephal. *M.* vel C. C. ebur. cran. human. & sexcenta alia, quæ alibi ad nauseam diximus. Cura hujus affectus solis externis sæpè absolvitur, si nempe calidè imponatur spiritus matricalis cum aqua Reginæ Hungariæ, vel spiritus fl. tiliæ, lumbric. convulsiv. externè sæpè applicatus: nec hic negligendi sunt fotus ex herbis aromaticis Sale volatili fœcundis, roremarino, majorana, betonica, salvia, serpillo; spica, lavendula, fl. Chamomillæ, meliloti parati, ex his additis farinis etiam cataplasmata concinnari ac applicari possunt. Hic conducit etiam suffumigium ex semine nigellæ, item gummosis sæpius institutum nostra experientia comprobatum remedium: Si verò malum à nativitate fuerit, vix restabit remedium ad id tollendum.

Curatio Penis Distorsionis. *Distorsionis penis* cura iisdem ferè absolvitur remediis, discutientibus scilicet, in quem finem conducit fotus ex lacte, in quo flores Sambuci ebullierunt, vel cataplasma ex floribus melilot. Sambuc. Chamomill. herb. parietar. &c. cum lacte coct. & applicat. Si dolores maximi simul conjuncti sint, addi potest crocus & Camphora. Ex. gr.

♃. *Medull. panis similag. in lact. coct.* ℥ vj.
Vitell. ov. n. 3.
Ol. rosar. ℥ ij.
Croci ʒ ß.
Camphor. ʒ j.
M.

pro cataplasmate, & tepidè applicetur peni distorto ac convulso, vel lintea spiritu matricali vel spiritu vin. Camph. imbuta imponantur. Quòd si verò lues Venerea conjuncta sit, per terebinthinata, sudorifera, aliaque jam sæpius dicta cura peragenda est. Ubi frænum penis seu præputii nimis breve est, curatur chirurgia, frænum enim simplici incisione solvitur, sed animadvertendum est, ut aliquid potius detrahatur de membrana præputii, quàm de glande; præputii verò cura peragi debet emollientibus, in quem finem instituuntur fotus superius jam dicti.

Curatio Penis Inflationis. Quoniam *Inflatio* ferè omnis ortum habet ab obstructione porororum, & intus contentis vaporibus seu flatibus, à stagnatione enim succorum circulantium & vaporum, seu subtilium particularum in penis tubulis contentarum sæpè, ceu dictum, oritur, & distendendo dilatandoque tunicas dolorem producit hinc omnis opera impendenda est, ut stagnatio & obstructio hæc impediatur, quod obtineri potest per diaphoretica tum volatilia, tum fixa, quæ simul absorbendo juvant; præprimis hic externa conducunt, suffumigium & fotus, qui possunt parari ex rad. alth. fl. chamomill. sambuc. melilot. bacc. Juniper. lauri, sem. cumin. carv. Sal Tartari sal. Armoniac. aliisque herbis paregoricis multo gaudentibus sale volatili; vel foveatur penis inflatus spir. matric. vin. camph. Aqua Regin. Hungar. spir. sambuc. ol. Chamomill. maritat. In Juniorum gratiam sit sequens formula:

♃. *Spir. matrical.* ℥ i ß.
Aq. calc. viv. ℥ j.
Camphor. ℈ ß.
Ol. cumin. dest. gt. xij.
M.

Et applicetur linteis quadruplicatis & quidem tepidè. Vel imponatur emplastrum de Labdano, vel de cumino in Belgio jam usitatum, vel empl. de gumm. omnia enim hic conveniunt quæ reserant poros & flatulentiam abigunt.

Curatio Priapismi. *Priapismi* curatio consistit in eo, ut motus convulsivus arceatur, quod obtineri potest per antispasmodica, cinnabarina, castorina, camphorata, aliaque absorbentia, uti sal Saturni elegans est hoc in morbo remedium, emulsionibus vel pulveribus commixtum. Affectus enim hic eodem modo curatur ac Tetanus, quò & lectorem remittimus. Externè spir. vin. camphor. cum aqua plantaginis, sperm. ranar. sal. Saturni maritatus convenit tepidè sæpius applicatus, fotus, cataplasmata, suffumigia, aliaque sæpius jam dicta in usum trahi possunt, imprimis verò ea, quæ *Cartesianis* adscripsimus.

Curatio Penis Inflammationis. *Inflammationem Penis* curaturi, nihil intermittimus operæ, qua tubulos penis & præputii à crassis istis particulis ex humoribus evasatis & stagnantibus oriundis liberemus, ut sufficiens particulis volatilibus pateat transitus, quod convenientibus sudoriferis obtinetur, imprimis si huic malo sociata est lues Gallica, hinc ejusmodi inflammationem virgæ cum lue Venerea conjunctam non ita pridem observavimus, ubi ægri Nobilis viginti annorum totum abdomen fuit simul excoriatum, & penis cum scroto continuò stillabat serum acre, maximè cutem excorians, qui Juvenis absque ulla recidiua brevi sequentibus à nobis sanabatur. Primò exhibui præmisso Electuario de Hamech ad ℥ ß. Sudoriferum Antimoniatum cum sale succini volatili, dein Apozema ex lignis, addito Sale Guajaci paratum exhibui, & interposuimus Decoctum Chinæ cum passulis & liquiritia pro potu ordinario, ut sudore madeat æger, qui si copiosiùs non eruperit, nihil est, quod de successu sis sollicitus ipsa enim dejectione vrinaque copiosiore & spissa in fundo matulæ optimo sanè omine negotium totum ex voto peragetur, per tres vel 8. dies continuando, & sic feliciter curatur sæpe huic affectui associata lues Venerea, & quidem absque Mercurio, quo tamen Indi maxima in quantitate uti solent, imprimis dulci, quem ad ʒ ij. & ultra præscribunt; alii Medici ac Chirurgi excitant in his morbis salivationem, exhibito præcipitato rubro ad gr. i ß. cum conserva rosarum vel Theriaca. Alii Mercurium dulcem cum Theriaca vel Elect. Diascord. exhibent à granis x. ad xx. donec salivatio insequitur. Nonnulli unguento uti solent externo ad inungendos articulos omnium a tuum, sed hanc per Mercurialia curam esse palliativam plures nobiscum autumant, cum ægri vel non diu superstites maneant, aliisque morbis defatigentur, vel recidivam pati soleant. Nunc ad remedia externa topica transeamus. Cum itaque sæpè & quidem non sine tumore inflammetur ex impuro cuncubitu vel ex facta pollutione & inde stagnante semine, glans aut præputium, sequenti remedio externo virga inflammata tepidè ablui potest.

♃. *Vin. generos. vel Gallic.* ℥ iv.
Sal. Saturni ʒ j.
Camphor. ℈ j.
M.

Vino substituere poteris vel spiritum matrical. vel spir. vin. camphor. vel Aq. Regin. Hungar. vel mirabil. Hassiac. vel non minùs efficax est sequens remedium ac frequenti experientia comprobatum;

♃. *Lact. vaccin.* q. s.
Fl. sambuc.
Rof. rubr. aa. M. ß.
Coq. flores in lacte, colaturæ adjiciendum Sal Saturni ad grana xx. Vel

♃. *Spir. matrical.* ℥ ij.
Aq. calc. viv. ℥ iij.
Camphor. ʒ ij.
M.

Vel

♃. *Ungu. diapomph.* ℥ ß.
Ol. sambucin. ʒ iij.
Sal. Saturni ʒ ß.
Camphor. ℈ j.
M.

Cataplasmata ac fotus, ut & reliqua remedia in capite generali *Inflammationis* commendata hic prosunt.

Curatio Penis Excrescentiarum & Caruncularum.

Excrescentiarum & Caruncularum in Pene existentium curatio ferè topicis peragitur, nisi lues Venerea eas comitetur, aliàs hæc priùs curanda, dein facilè carunculæ hæ destruuntur exsiccantibus, vel alumine usto, tutia, mandib. lucii, aristoloch. ust. myrrh. vel unguento Ægyptiaco priùs super ignem inspissato, vel Elix. vitæ, vel spir. matrical. Interdum verò vel nunquam, vel sedula operatione Chirurgi cum filo attracta commodo instrumento abscindi, atque sic, non tamen citra molestiam ægri & operationis, auferri potest excrescentia; loco vulnerato adhiberi possunt varia exsiccantia jam dicta, tutia & pompholyx, item spir. matrical. ad auferendas carunculas proficua. Chirurgus habeat candelam ceream oleo amygd. dulc. oblitam, vel catheterem flexilem, quam leviter in urethram immittat, ac ubi nam hæc obstructa est, inquirat, massam ex unguento Ægyptiaco inspissato, vel ex viridi æris & Mercurio sublimato candelę vel catheteris extremitati imponas & intrudas usque ad carunculam, hanc enim post momenti, circa excrescentiam, moram, mox eschara absque maximo dolore producitur, qua postea separata, urinæ liber cōceditur transitus à nimis acribus corrosiuis. Oleo vitrioli, spiritu salis & sulphuris abstinendum est, quia ureteræ mollissimæ ac tenerrimæ fibræ facilè inde læduntur ac disciduntur. Ipse *Stalpart van der Vviel* quatuor homines, quibus tota ferè occlusa erat urethra, ità ut per angustissimum tantùm efflueret urina foramen, sequenti curavit remedio, & quidem intra paucos dies.

℞. *Ossis sepiæ,*
Tutiæ ppt. aa. ʒ ij.
C. C. *usti,*
Aloes lotæ,
Aristol. rot. aa. ʒ j.
Alumin. usti ʒ ß.
F. pulvis subtilissimus: postea

℞. *Ol. rosar.* ℥ ij.
Lithargyr. aur. ʒ j.

F. decoct. quousque acquirat. Emplastri consistentiam, dein ab igne seposito, adde illum pulverem, & ad ignem tractato ac misceto donec medicamentum evadat duriusculum; hoc remedium emplastri habet consistentiam, extremitatique candelæ cereæ, præsertim si illa tenuior facta sit, satis commodè annecti potest. *Fabric. ab Aquapend. operat. Chirurg.* commendat pulverem sabinæ, D. *Velschius* pulv. rad. petasitidis, *Hartmannus* sequentem commendat injectionem.

℞. *Seri lact. caprin.* ℥ ij.
Aqu. plantag.
Rosar. aa. ʒ vj.
Ceruss. ʒ iij.
M.

pro injectione. Alcali plumbi hic etiam valde conducit.

Curatio Penis Verrucarum.

Verrucæ Penis cùm ut plurimùm à lue Venerea ortum suum trahant, hujus præsertim morbi rationem semper Medicus habeat: Verrucæ enim, quæ extrinsecus interdum in glande penis sub præputio hærent, tanta sæpè accrescunt mole, ut quo minus glans tegatur impediant, hæ ut partium aliarum verrucæ vel per anabrochismum, h.e. filo serico vel lineo sensim comprimendæ sunt, donec decidunt; vel abscindendę, posteaque pars atramento vel alio vitriolico conspergenda, atramentum enim in se continet Vitriolum & gallas tanquam optima styptica; conducit etiam aqua rosarum cum tutiæ momento, qua mixtura fovenda est pars; vel per argenteum tubulum exurendæ sunt verrucæ, vel superficietenus scindendæ & super eas deflagretur sulphur, vel oleo Tartari per deliquium parato tangantur, vel spir. vin. Camph. vel matrical. vel Elix. vitæ, vel spir. lumbricor. &c. Rarum est, quod de his scribit *Henric. ab Heer. p. 84.* sequenti modo; In una glande cujusdam viri amputavi verrucas, quarum maxima sexaginta quinque capitella manifesta, sive verrucas minores ostentabat, eratque jnglande major, quæ illi etiam, cùm latissima, coeundi potestatem tollebat, qua verò ablata ter uxorem duxit atque ex omnibus sobolem suscepit.

Curatio nis Exulcerationis

Si in urethra *Exulceratio* percipiatur, quam ex acriore inter mejendum dolore intelliges, ob majoris exulcerationis periculum ad interna æquè, quàm externa confungiendum remedia, inter que absorbentia & sudorifera aliis palmam præripiunt, antimoniata scilicet imprimis Tinct. Antimonii Tartarisat. vel Essent. rorismar. lignorum, &c. A Mercurialibus qui non abhorret, iis uti potest, quia his ulcera valdè exsiccantur. Cinnabarina non negligenda sunt, quia & hęc acres succorum particulas absorbent, prę aliis commendamus pulverem spasmodicum vel pulverē temperantem, vel mercuriū nostrū solarem. Ad acres istas particulas in urethra stabulantes corrigendas conducit oleum balsam. Peruvian. cum alcali rectificatū ad 5. vel plures guttas, in aqua ad ardorē urinę *Myns.* cum syrupo dialth. *Fernel.* mixta propinatum; internè itidē exhibeatur spiritus matricalis à 20 usque ad 60. guttulas, salia volatilia oleosa, balsamica hisce in ulceribus sacra anchora sunt, absorbentia ex oculis cancrorum C. C. s. igu. sperm. Ceti, ol. amygd. dulc. egregia sunt remedia. Diuretica fortiora negligenda sunt. Si ulcus sit circa glandem penis, instituatur simul fotus ex decocto florum Chamomill. melilot. sem. fœnicul. fœnigræci rad. alth. sem. lini, &c. Cautè ergò his in exulcerationibus urethræ incedendum est, injectiones fiant ex lacte dulci, maximè recenti, additis si lubet sal. Saturni & Camphoræ granis aliquot. Sequens leniter detergit, acre absorbet exsiccatque:

℞. *Aq. hordei* ℥ ix.
Plantag. ℥ i ß.
Sal. Saturni gr. xxv.
Camphor. gr. x ij.
Mell. rosat. col. ℥ j.
M.

Fiat bis quovis die injectio Mixturę hujus. Omnem porrò exulcerationem præputii aut glandis aut urethrę sanant citò, tutò, & certò sequentia unguenta, ex. gr. unguentum Tutiæ, apostolorum, vel Spirituosa, ut spiritus vin. Camph. matricalis cum aqua calcis viv. fl. sambuci & Camphora paratum, ex. gr.

℞. *Decoct. calc. viv.* ℥ iij.
Balsam. nervin. ʒ j.
Sal. Saturni ʒ ß.
Camphor. ℈ ß.
M.

Sed si exulceratio quędam curatu longè difficilior contingit, interdum ex neglecta diutiùs gonorrhœa, vel lue Venerea malè ab Empiricis curata, aut ab acribus Tartareis particulis diu cum urina ejectis, & in transitu ulcus excitantibus, quale exemplum in Viro Septuagenario non ita pridem observavimus; tunc conveniunt ea, quæ in Lue ipsa commendavimus, imprimis spir. matricalis cum oleo bals. Peruv. n. d. maritatus, & ad guttas 20. assumptus. Si in ipso vesicæ collo aut tenerrimo urethræ ductu exulceratio existat, sequens unguentum à *Palmario* præscriptum laudamus, cùm experientia nostra constet, rarò nos id fefellisse.

℞. *Ungu. rosar. Galen. recent. alb. è ceruss. lot. aq. rosar. cum Camphora, pomada ex capreoli adipe* aa. ℥ j.
Misc. fiat unguentum mollissimum.

Linteolum filo argenteo obvolvatur, ac unguento prędicto illinatur in urethram intrudendum, è quo relicto linteolo filum extrahatur, linteolum autem ipsum quoties reddenda urina educatur, aliud eadem arte filo adaptatum intromittatur. Nonnunquam opus est majori mordacitate, quando scilicet caro magis suppullulat, & ulcus magis est sordidum. Fiat ergò sequens vel similis injectio.

℞. *Aq. hordei* ℥ iiß.
Alum. ust. gr. x ij.
Sub finem ebullitionis add. fl. rosar. rubr. P. j. *in Colat. dissolv.*

Ung.

Ung. Ægyptiac. ℥j.
Diapompholyg. ℥iiij.
Mel rosar. ℥iß.
M.

Si ulcus probè detersum, ad sanationem accedendum est sequenti remedio:

℞. *Herb. sanicul.*
Verronic. aa. M. j.
Fl. rosar. P. j.
Alumin. usti gr. xxv.
Salis Saturni gr. xv.
Fiat decoct. in Aq. & vin. ad ℥x.

Curatam autem hypersarcosin tùm noveris, cùm absque dolore urina iterùm redditur, liberque sine offendiculo ad vesicam usque catheter flexilis noster penetrat. Eadem ulcera cum hypersarcosi spirituosis, ut spir. matrical. vin. camph. Elix. vitæ aliisque volatilibus facilè aliquando sanantur. Si ulcera inter præputium & glandem externè quidem appareant, facili methodo illa curari possunt, præmissis scilicet internis & jam dictis externis. Sequenti linimento ejusmodi ulcera feliciter curata vidimus.

℞. *Ungv. diapompholyg.* ℥ß.
Ol. sambucin. ℥iij.
Aloes,
Myrrh.
Mercur. dulc. aa. gr. xv.
Camphor. ʒß.
Mell. rosat. q. s.
M. F. linimentum.

Balsamum quoque nostrum divinum omnibus in ulceribus, præsertim verò hisce Penis maximoperè commendamus.

CAPUT IV.

De Genitalium in Feminis morbis, & quidem de Morbis Cervicis Uteri, Tentigine nempe, Angustia Vaginæ uteri Extensione nimia & Prolapsu, Condylomatis, Hæmorrhoidibus, Ulceribus, Rhagadibus & Verrucis.

§. I. QUamvis universim verum sit Græcum ex *Democriti* dictamine *Epist. ad Damagetum* desumptum proverbium, *Totus homo morbus est*, maximè omnium tamen duplici veritatis jure id ipsum cōpetit in sequiorem sexū: utpote, qui præter communes cum masculino corporis afflictiones, propriorum insuper eorumque innumerabilium penè morborum, quibus exinde *Muliebrium* tribuitur cognomē, jugum sufferre cogitur. Accedit, quòd omnes hi morbi deprehenduntur implicati, difficiles ac periculosi, id quod omnes norunt, qui de morbis mulierum scripserunt. Procul dubio consistunt in auctiore corporis ab utero apparatu atque onere, & hinc conceptionis & gestationis, itemque pariendi & lactandi munere; quo etiam spectat Creatoris comminatio *Genes. 3. v. 16.* Facilè autem in omnibus istis malis primas tenent sequentes affectus Uteri Cervici seu Pudendo contingentes, nunc ordine à nobis considerandi, per quod enim sexus sequior sæpè peccat, per id etiam punitur. Inter hos Uteri Cervicis affectus prima acie stat *Tentigo*, quæ dicitur *Mentulæ* seu *Clitoridis* in nimiam molem excrescentia, vel intumescentia, vel erectio. Tentigo nimia si fuerit absque libidine, *Priapismi* dicitur, si verò cum libidine nimia sit, *Salacitas* vocatur, potest etiam dici Tentigo fœminarum Oestrum Veneris & amoris dulcedo, Clitoridis agitatio, qui ὀλισβος interdum ob nimiam libidinem extra sinum pudoris propendens fœminas ad Venerem nescio quam incitat. *[Te]ntigo.*

Cauda est caro indecens in uteri osculo exorta, quæ muliebria genitalia replet, & nonnunquam extrà instar caudę propendens, à succo nutritio acriori evasato & ibidem coagulato producta. *Cauda.*

Angustia Cervicis uteri est vel ejusdem, vel orificii uteri seu per compressionem, seu per coalitionem membranarum obturatio & occlusio, dum ferè hæc angustia à prima conformatione & origine est. *Angustia Cervicis Uteri.*

Vaginæ Uteri extensio nimia seu vaginæ uteri *Procidentia*, cujus à veteribus nulla facta est mentio, cùm id vitii olim ipsum uterum procidentem crediderint; est istarum vaginę membranarum à causa violenta extensio, seu dilatatio. *Vagina uteri Extensio nimia, seu Prolapsu.*

Pustulę Cervicis Uteri sunt tubercula in ea parte oborta, quæ ab acribus succis eò delatis & fibrillas pungentibus pruritum & dolorem producunt; inde & dicitur *pruritus vulvæ*. *Cervicis uteri Pustula.*

Condylomata sunt rugarum nodi seu intumescentiæ in cervice uteri existentes, cum ardore & dolore; vel sunt tubercula à similitudine ἀπὸ τῶν κονδύλων ità dicta. *Condylomata.*

Hæmorrhoides Uteri Cervicis sunt tubercula hæmorrhoidibus ani haud dissimilia, in uteri cervice ab acrimonia humorum ibidem stagnantium & vasa corrodentium oborta. *Hæmorrhides.*

Ulcera Cervicis Uteri sunt ejus vasorum continui solutio cum sanie & putredine ab humore acri vasa corrodente producta. Sunt & Ulcuscula quædam parva & longa, rugosam Cervicis Uteri partem corrodentia, quæ dicuntur *Rhagades*, quæ cruore & dolore in coitu facilè innotescunt. *Ulcera.*

Tumor quoque Pudendorum cum aliquali inflammatione in partu vel primo vel difficili interdum contingere solet puerperis, imò & *Ruptura Vulvæ* quandoque in angustiis fit, ubi fœtus est grandior, & pudendum ita rumpitur, ut vulva & anus fiant unum foramen. *Tumor. Ruptura.*

Pudendi & Cervicis Uteri *Verrucæ* dicuntur etiam tubercula, uel *Thimi*, vel *Myrmecia* à figura. *Verruca.*

§. 2. Pars affecta in *Tentigine* est *Clitoris* sive glandiforme illud corpusculum in superiore pudoris muliebris sinu situm & à nymphis custoditum, *Avicennę* virga muliebris appellatum, estque Clitoris hæc muliebris instar uvulæ non relaxatæ, hinc dicitur *Hippocrati* ob similitudinem *Collumella*, nonnullis Amoris dulcedo, œstrum Veneris, libidinis sedes ac irritamentum, propterea quod nulla pars in congressu majori delectationis sensu afficiatur, ac mulieres fricatrices in Venerem magis quàm illa exagitet. Substantia Clitoridis non ossea, quamvis *Bartholinus Hist. Anat. Lib. 3. Observ 69.* talem semel observaverit, sed ejusdē constitutionis, ac Penis virilis, ut similiter, dum necesse est, intendi atque relaxari possit, habet & glandem, septum, & corpora nervosa, de quibus vide Anatomicos, imprimis *Cl. D. BlanKardi Anatomiam Reformatam*. *Pars affecta*

Reliquorum affectuum pars affecta est *Vagina*, à quibusdam *Matrix* vocata, item *Uteri ostium*, *Uteri cervix*, sed impropriè. Optimo ego iure dicitur *Vagina uteri*, quoniam virile in se recondat membrum, ut Vagina gladium aut cultrum excipit. Vaginæ orificium cum collo uteri est rugosum, de quibus confer Anatomicos; hanc enim partem exactè describere non libet, ne forsan Juventuti libidinem illicitam excitemus.

§. 3. Antequam ad causas horum affectuum muliebrium accedamus, ratio ordinis requirit, ut phænomena sive apparentias breviter exhibeamus. Clitoris in *Tentigine* interdum in tantam excrescit molem, ut per rimam pudendi colli anserini crassitie dependeat, & virile referat membrum, & ejusdem sæpe vicem & effectum præstet, de qua re legi meretur sequens Tulpii Observatio: Henrica Schuria, mulier virilis animi, pertæsa sexus sui, induit vestes viriles, & profecta in militiam, meruit aliquamdiu in Obsidione Sylvæ Ducis, sub Friderico Henrico, Celsissimo Arausionensium Principe. Sed domum reversa accusabatur perditæ libidinis, ob Clitori- *Diagnosis.*

toridem extra sinum pudoris adeò interdum sese efferentem, ut conata fuerit non semel libidinosiùs lascivire cum aliis mulieribus, [quod κλειτορίζειν appellant Græci,] imò illas ita atterere ac fricare, [quod τρίβειν nominant iidem :] ut cuidam viduæ, cujus desiderio impensè flagrabat, usque eo placuerit detestanda ipsius impudicitia, ut nisi per leges stetisset, lubens ipsi nupsisset, ac dicam lubentiùs quàm marito suo jam defuncto, ex quo tamen sex susceperat liberos. Habuit autem hæc Τριβὰς naturalia sua saltem quoad externam faciem, haud aliter conformata, ac aliæ mulieres, sed intus percipiebatur evidenter, [uti quidem testabantur tres obstetrices,) paulò ante urinæ iter glandulosa aliqua caruncula, quam clitoridem vocant Medici, quæ licet in aliis fœminis vix unguis exprimat magnitudinem, dicebatur tamen in hac salaci fricatrice accedere ad longitudinem dimidiati digiti, & crassitudine sua haud malè referre colem puerilem. At verò licet clitoris hec foris nullum sui perpetuò faceret indicium, apparebat tamen interdum, præsertim ubi vel difficulter micturiret, vel percita Veneris œstro, raperetur intensiùs in illicitam hancce cupidinem, quo tempore dicebatur hæc glandula extra ipsius naturalia protuberare vel adinstar dimidiati digiti, vel etiam interdum longiùs, prout vel majore vel minore in mulieres exardesceret amore; quod impudicum mulierum genus, scribit Celebris Juris Consultus *Iohannes Paponius* morte puniendum *lib.* XXII, *Tit.* VII. *arrest.* II. sed hæc Τριβὰς clementiorem nacta judicem, cædebatur tantùm virgis, & relegata in exilium, separabatur longissimè à nequitiæ suæ consorte, videlicet illa vidua, qua cum libidinosiùs vixerat.

Caudæ signa eadem sunt; quæ in Tentigine, modò fœminæ hac laborantes coitum ac accessum metuant.

Angustiæ Cervicis uteri signa sunt mensium fluxus suppressio, doloris cum pondere sensus, aliquando urina supprimitur, interdum stranguria adest & dysuria, sic etiam angustia facilè ex ipsa inspectione & relatione obstetricis cognosci potest.

Cervicis Procidentiæ seu Dilatationis nimiæ signa satis sunt conspicua; si enim relaxata fuerit vagina uterina, propendere solet, quam falsò dicunt uteri procidentiam, cùm tantùm sit vaginæ, seu cervicis e us. Continuò aliquando propendet, aliis verò non semper foris conspicitur.

Uteri Pustularum & Condylomatum signa sunt pruritus, dolor, & plicæ uteri instar nodorum eminent, quibus si conjungatur inflammatio, dura sunt, sin minus, mollia sunt condylomata, & præcipuè lue Venerea laborantibus obveniunt hæc, & *Ulcera*.

In *Hæmorrhoidibus* fœminæ pallent, lassitudine tentantur, & visu, si Speculum matricis adhibeatur, deprehenduntur. Sæpe enim hæmorrhoides uteri se produnt dolore & inordinato sanguinis fluxu, & nunc dicuntur *Cæcæ*, sive non fluentes, nunc *Apertæ*, sive fluentes, nunc cum, nunc sine dolore, & non rarò fluxus albus ipsas comitari solet.

Verrucæ Cervicis uteri facilè cognosci possunt ope Speculi matricis, & si suspicio adsit luis Venereæ, visui enim ac tactui patent.

Signa *Ulcerum* Cervicis uteri sunt dolor, & continua in eo loco mordicatio, quæ sensim intenditur, saniosorum succorum & puris per intervalla, cum sanguine nonnunquam, si scilicet ulcus magnum vel menses prodeant, effluxus, mictio frequens & ardens; si vesicæ orificium simul afficitur, urinæ ardor oritur vehementior, etiam febris supervenit lenta cum crebris horroribus. Sequentem habet casum *Cl. D. BlanKardus Observ.* 16. *in Anatom. Pract. Rat.* quem ad Diagnosin hanc illustrandam addere libet. Matrona quædam cùm bimestri spatio mensium suppressione laborasset, tandem exortus est dolor & inflammatio partium genitalium. Morbo propter verecundiam neglecto, abscessus & *Ulcus* in collo matricis secutum est. Adhibito matricis speculo, ulcus callosum, fœtidum, inæquale lividumque, & ut brevi dicam, cancrosum inventum est : postea acutus dolor, aucta febris, inflammatio, vigiliæ, cibi fastidium & Syncope, & paucos post dies è vita discessit. Cadavere dissecto totum uteri collum plane cancrosum erat & exulceratum.

Fistula colli uteri cognoscitur, si malum ex ulceris figura, in formam fistulæ protenditur, habetque conjunctum callum, seu labia carnosa dura, atque simul tenuem, fœtidam pravamque fundit saniem.

Notandum hic, fistulam hanc interdum ad vesicam usque penetrare, nunnunquam ad anum, & tunc excrementa ibidem prodeunt.

§. 4. *Causas* horum Cervicis Uteri morborum ità explicant *Galenici*, ut in *Tentigine* producenda maximam culpam imputent frequentiori clitoridis, sive mentulæ muliebris agitationi aut contritioni à vestibus, vel digitis factæ, unde sanguinis calidioris & spirituosi promoveatur in partem hanc influxus, quo facto pars hæc in mirandam interdum extendatur magnitudinem.

Ætiolog. Cervicis Uteri morborum secundum Galenicos.

Eosdem plane natales adscribunt etiam *Caudæ*, influxum nempe humorum majorem in membranam cervicis uteri, abs quo cutis hec nimiùm extensa & extra cavitatem propulsa caudæ instar promineat; vel, ut quidam volunt, ipsum uteri orificium ab influxu humorum aut nutrimenti ità extenditur, ut per collum extra pudendum propendeat; vel substantia quædam carnosa ex abundantia nutrimenti ipsi utero tanta magnitudine accrescit, ut etiam foris reddatur conspicua.

Uteri *Prolapsus*, quem revera contingere omnes ferè opinantur, causas consignant ipsorum ligamentorum laxitatem, ab humorum copia & caloris excessu inductam, vel resolutionem eorundem ac musculorum uti fiat in mulieribus senescentibus, quæ plures partus jam ediderunt, vel impulsionem violentam ex lapsu sublimiori in pedes & coxas, non modò ità relaxatis, sed disruptis etiam ex parte ligamentis uterum suspendentibus & cum partibus proximis conjungentibus, nec non secundinarum, aut fœtus mortui violentam extractionem, aut expulsionem, tussim vehementem, sternutationem impetuosam, gestationem ponderis gravioris supra caput, humeros, pectus aut ventrem, omnemque animi perturbationem vehementem.

Ab hoc Uteri Prolapsu interdum Vaginæ uteri *Angustiam* sive occlusionem induci statuunt, quam itidem oriri posse dicunt à relaxatione membranæ cervicem investientis, ab humoribus quibusdam copiosiùs in eam influentibus & ad invicem comprimentibus, vel à flatibus similiter distendentibus & cavitatem hanc coarctantibus; aut sinum hunc angustiorem reddi ab inflammatione, scirrho, vel alio quodam tumore partem hanc occupante, vel à medicamentis quibusdam adstringi, aut ab humoribus tenacibus, crassis & viscidis interdum obstrui referunt.

Pustulas Vaginæ Uteri excitari credunt ab humore bilioso acri, adusto aut maligno in partem hanc fluente, & in membrana ejus ob acrimoniam suam non modò dolorem, & pruritum producente, sed etiam pustulas & furfures procreante.

Condylomata hujus Vaginæ oriri credunt, dum rugæ circa os uteri existentes inflammantur, indurantur & attolluntur, sicque tumorem & crassitudinem quandam in locis efficiunt. Rugas verò hasce præcipuè post partum, vel dum menses prodeunt, attolli pronunciant.

Hæmorrhoides in Cervice etiam uteri à sanguine crasso fæculento copioso pronasci volunt, dum propter menses inordinatos in venas hujus partis profluat, in iisdemque subsistens eas in tumorem extollat.

Ulcera Cervicis Uteri aut ex Inflammatione in abscessum versa oriri arbitrantur, dum materia purulenta acrior reddita partem affectam erodit, sicque abscessus rumpitur & pus effunditur, vel ab aliis quibusdam humoribus biliosis aut serosis acribus, aut semine corrupto, aut medicamentis, vel aliis quibusdam rebus erodentibus parti huic imprudentiùs applicatis.

Tumorum Cervicis Uteri causas diversos dicunt esse humores ad partem hanc ob propriam debilitatem transmissos, & diutiùs detentos, sanguinem scilicet, bilem, pituitam, aut humorem melancholicum, unde tumor existat vel inflammatorius, vel erysipelaceus,

ceus, vel œdematosus, vel scirrhosus, cui influxui sæpe occasionem præbeat violenta partis hujus extensio in partu difficili, vel alio quodam conatu, unde nimis relaxata humores affluentes faciliùs recipiat.

Ex violenta partis hujus extensione quandoque *Rupturam* ejus contingere dicunt, uti fiat, si fœtus grandior egredi nequeat, sed vehementiùs quandoque extrahatur, vel in ejusdem extractione hamuli membranam cervicis perfodientes eandem in extractione vulnerent, & longiùs dilacerent.

Rhagades oriri statuunt internè ab humoribus acribus, secundinis, fluxu albo, semine, sanie, aliisque membranam cervicis hujus erodentibus; externè verò à coitu violento, penis grossitudine, compressione, vel medicamentis acribus, nigella, aliisque parti huic appositis.

Verrucas emergere putant ex humore pituitoso, vel melancholico crasso rugis cervicis hujus adhærente, & in tubercula hujusmodi indurato, qualis humor citiùs erumpat, si pars hæc per repetitum coitum frequentiùs agitetur, & rugæ ejus atterantur.

Ætiologia secundùm Paracelsum

§. 5. *Paracelsus* Cervicis Uteri *Tentiginem* ad ulcera referre videtur, eandem in obscuram & pravam distinguens, quam posteriorem Noli me tangere, vocat, dicitque ex superfluitate eam oriri salis acetosi, quod in profluvio, vel in menstruis existit; si enim menstruum aut profluvium transeat in salis acuitatem, ex qua produceretur ferrugo, tandem ad matris substantiam eam se conferre dicit, & tentiginem excitare obscuram.

Caudam per excrescentiam novæ generationis pronasci vult, dum natura superfluitatem ex centro generationis producat, quæ juxta cervicem hanc, in qua collecta fuerit ex menstruis, accumulata, in excrescentiam generetur caudæ instar propendentem.

Angustiam Cervici huic quandoq; ex vitiosa conformatione adesse credit, interdum verò à vicinis partibus morbo laborantibus, præsertim tumoribus, aut excrementis refertis intestinis, vel calculo repleta vesica collum aut cervicem hanc comprimentibus, nonnunquam à propriis morbis, excrescentiis & tumoribus eam angustiorem reddi.

Uteri Procidentiam omnium frequentissimè ex partu difficili oriri opinatur, quo fit, ut fœtus, vel secundina violenter extrahatur, & ipsa simul uteri vagina cum iisdem arripiatur, & extra locum suum foràs eliciatur.

Condylomata in vulva pronasci vult ex liquore carnis aut sanguinis, dum locus hic nimio coitu frequentiùs fricetur, postquam fricationem sæpiùs repetitam apostema aliquod exsurgat, per novam quandam generationem excrescentiam talem producens.

Hæmorrhoides Cervicis Uteri Auctori huic vix differunt à *Ragadiis*, cùm hæc in vulva nihil aliud ei videantur, quàm quòd *Hæmorrhoides* sunt in ano, vultque eadem hic provenire ex sale menstruoso, cùm actus venereus & menstruum simul concurrunt, & sese mutuò complectuntur, tandemque ex separatione salis scissi eadem transire in fissuras, dum sal hoc cum alio non fuerit commixtum.

Ulcera in Cervice hac excitari credit à fluxione quadam arsenicali condylomatis conjuncta, quæ propter sal suum partem hanc destruat, & foramen excitet cum effluxu.

Verrucas vt Condylomata ex liquore sanguinis hoc in loco progenerari asserit, promovente earum excrescentiam coitu frequentiori, unde & interdum in *Tumores* abeant Gallicos, si venenosum aliquid ex lue hac iis communicetur.

[Ca]usa mor[bo]rum horũ [se]cundum [H]elmontiũ.

§. 6. *Helmontii* ex sententia *Tentigo* adscribi debet latici cruoris copiosiùs in Clitoridem delato, adeò ut pars hæc ab influente isto latice in magnitudinem aliquando ingentem intumescat, & foràs extra sinum pudoris promineat.

Ab eodem latice in uteri collum aut vaginam nimiùm effuso, ut dilatata promineat, & foras propendeat, *Caudam* oriri suspicatur, præsertim si multum cruoris latici sit immistum, unde in substantiam hic carneam abiens novam quasi excrescentiam producere videatur.

Angustiam Cervicis Uteri aut à primo ortu esse existimat, aut à variis excrescentiis, tumoribus, compressionibus, vel concretione laterum hujus cervicis post ulcera, dum partes exesæ ab Archeo irritato fortiùs compellantur, & mediante cruore glutinosiore invicem concrescant.

Cervicis, sive Vaginæ Uteri *Prolapsum* à violenta quavis commotione exoriri posse concedit, sed ita ut Archeus Uteri valde inde fuerit irritatus, ut non modò quod in domicilio suo per tempus custodivit, ejiciat, sed ipsam etiam domum destructis collumnis evertat, & tædio quodam affectus è sede & fundamentis suis propellat.

A cruore etiam *Condylomata*, *Hemorrhoides* & *Verrucas* propullulare statuit, dum menstruus diutiùs detineatur, & à latice interdum corrumpatur, vel à veneno etiam luis Venereæ, à quo in tubercula hujusmodi cruor ipse facilè coaguletur.

Ulcera hujus Cervicis ab ipso quoque latice salsiori, vel à veneno Venereo inducit, cujus fermentum ipsum cruorem inficiat, ut in saniem vertatur, & vicinas partes similiter destruat.

Rhagadum originem adscribit aut latici salsiori rugas Cervicis hujus discindenti, aut violentæ vaginæ hujus distēsioni à pene majori in coitu importuno, vel fœtui maiori vi extracto, unde rugæ nimiùm distensæ rumpantur, quod faciliùs contingat, si ob defectum laticis benignioris membrana rugosa non satis fuerit irrigata.

Causa morborum Cervicis Vteri juxta Vuillisium.

§. 7. Juxta *Vuillisium* fieri creditur *Tentigo* nimia sine libidine, ab humore lymphatico in Clitoridis glandulis miliaribus contento, & acore donato, cujus particulæ acriores ac robustiores fibris nerveis & musculosis hujusce partis infixæ eas irritant, spiribusque eas incolentibus inordinatum motum conciliant. Illi verò œstro perciti, & in fibrarum parietes prosilientes ipsas inflant & extendunt, easque in simili statu detinent, quamdiu salsior acriorque latex ex arteriis à glandulis secernitur. Si verò humor fibras irrorans easq; subiens volatilior fuerit, ipsas blandè titillat: Spiritus autem jucundo isto mulcimine allecti turmatim illuc appellunt, & in parte, quam in tumorem elevant, quasi consultant & conjubilant. Quum enim in sensorio communi hospitantibus spiritibus parem motum communicent, libidinis sensationem in eo creant.

Cauda in Utero procreatur, quando contingit, ut plures in eo laxiores fibræ copiosiorem, quàm par est, succum nutritium excipiant. Ille enim ab admixtis Spiritibus animalibus compulsus fibrarum parietes distendit, easque nullo ab anteriori opposito obice elongat. Vasa verò sanguinea in dictis fibris conspersa parem patiunrur cum iis extensionem, continuoque sanguinis appulsu, & à nullo robustiore corpore compressa ampliantur, Caudæque molem adaugent, Cauda enim eòusque excrescit, donec Vaginæ peripheriam pertingat, quæ eam undiquaque comprimendo, fibrarum ampliorem dilatationem prępedit, copiosioremque succi nutritii proventum inhibet.

Angustia Cervicis Orificiive Uteri producitur à succo nutritio viscidiori abundantiorique, qui partium illarum fibras subingressus illas inflat ac distendit. Accedentibus hoc pacto propiùs ad se invicem fibris, & ramosis, quæ per ipsarum poros exsudant, particulis coeuntibus, excrescunt fibrillæ, quæ oppositos vteri parietes conjungunt. Quandoque autem crassior, spissiorque lympha, sanguisque torpidior, tardiorique motu progrediens in dictis partibus coacervātur. Quum verò spiritus animales in iis hospitantes nec in ea sint copia, nec ea polleant virtute tanto ponderi excutiendo necessariis, obruuntur fibræ, earumque tono debilitato relaxantur, & in suppositas partes concidunt, easque comprimunt, viamque antehac liberam & apertam occludunt.

Extensio nimia, seu *Prolapsus* Vaginæ Uteri cōtingit, quando scilicet uteri fibris à violenta quadam causa nimiùm

miùm elongatis, pori illarum arctiores, canalesque angustiores fiunt. Sicut enim angustatis viis, per quas spiritus animales in partem manere consueverunt, parciori copia illam attingunt, nec suppetente ipsis spatio sufficiente ad motus suos explosivos exercendos, relaxatas fibras in pristino statu reponere non valent. Præterea sanguis per laxiores istas partes rapidum, ut antea, cursum non obtinens, paucioribusque subtilioribus particulis ditatus, sufficienter non advehit spiritibus subsidiarias copias, quibus vis eorum explosiva & redintegretur, & augeatur. Latex etiam serosus ob spirituum penuriam, tardiùsque circulantem sanguinem, abundantiùs ibi colligitur, relaxationique isti fovendæ & adaugendæ mirum confert.

Pustulæ ortum ducunt ab humore lymphico acido viscidoque facto, in glandulis miliaribus vaginæ moram trahente. Cùm enim continua fiat reparatio particularum per poros cutis evaporatarum à novis è sanguineo latice profluis, recentes istæ cum veteribus permixtæ, & ab iis maximè differentes, haud facilè coeunt, sed mutua facta inter se collisione effervescentiam excitant, cujus beneficiò crassiores invicem uniuntur, & in materiam recrementium facessunt, quæ in cutis poros cespitans eos implet, cutemque in tumores extollit; qui adaugentur à sanguine à talibus obstructionibus in curriculo suo præpedito, & ad extravasationem coacto. Quùm verò per effervescentiam intensiorem acorem contraxerit massa ista recrementitia, acredine, qua pollet, fibrillas pungit & irritat, pruritumque excitat.

Originem habent *Condylomata* à latice seroso glutinosiore atque spissiore, qui, quum per rugarum vaginæ foraminula ob visciditatem prodire nequeat, illorum ostiolo adhærescit. Aquosioribus autem particulis à calore perpetim in vaporem elevatis, quod crassius est, densiùs coalescit, & in duros tumores nodorum instar coagmentatur.

Hæmorrhoides excitantur à sanguine crasso & fæculento, qui ad laxiores vaginæ venas accedens in illis congeritur & remoratur, & pondere suo fibrarum ipsarum laxitatem adauget. Venarum itaque tono debilitato, plus in illas propellitur sanguinis ab arteriis, quàm ex iis amandari possit, novaque ista mole gravatis venis, mirum quantum distenduntur earum tunicæ, ipsarumque amplitudo supra modum dilatatur, efformanturque varices, quæ ob similitudinem Hæmorrhoides cognominantur.

Vlcerum causa est humor acris in parte quadam laxiori subsistens, eamque corrodens, & in illa continui solutionem inducens. Quum enim passim reperiantur vasa sanguifera, quędam ex iis erosa sanguinem in partem effundunt, ubi per moram putrescit, & in pus vertitur. Fiunt quoque ulcera, quum sanguis ab obstructione quadam in vasis retinetur, in quibus ob stagnationem eum acorem consequitur, qui vasi erodendo par fit. Patente ergo ostio sanguis in partem suppositam delabitur, ubi temporis tractu corrumpitur, & in pus commutatur.

Tumor vel in primo, vel in difficili accidit partu, à vehementiori illa Uteri partium divulsione, quæ fit vel ob propriam Uteri angustiam, vel ob grandiorem fœtū inverso modo prodeuntem. Tunc enim validis illis, quas patitur Uterus, conquassationibus, violentioribusque fibrarum divulsionibus exprimitur sanguis è vasis inter ipsas fibras dispersas. Sanguis verò extravasatus nullam viam, qua regrediatur, reperiens, eo loco, in quē decidit, aggeritur, cutemque in tumorem elevat. Deinceps verò in parte stagnans in ea turgescit ac effervescit, inflammationemque parit. In angustiis autem fibræ vaginæ musculorumque perinęum constituentium dęsiori ordine sunt dispositæ, atque ad extensionem minùs aptæ; quare in difficili partu, diuturniorique nixu, ac à grandiori fœtu ex sæpiùs repetitis conquassationibus continui solutionem patiuntur ac *dirumpuntur*, illarumque dilaceratio ad anum usque extenditur.

Rhagades inducuntur à seroso latice sale acri impregnato, qui in fibras vaginæ excurrēs ea, qua pollet, acrimonia illas corodit & dilacerat, fissurasq; in iis progignit.

Verrucæ oriuntur à succo nutritio abundantiori cum sanguine permixto, qui fibras aliquot vaginæ subiens, illa inflat, sursumque elevat. Et quum fibræ illæ adjunctos habeant vasorum sanguiferorum surculos, verrucæ sanguine perfunduntur, rubicundoque colore donantur.

§. 8. *Sylvius* causam *Tentiginis* deducit à copia spirituum animalium ipsam Clitoridem, virili peni quoad conformationem non absimilem nimis distendentium, sicuti non rarò ex petulanti contrectatione plurimùm excrescat, ut ea abuti possint mulieres, hinc aliquando ad colli anserini magnitudinem ipsi observata est. Nec excludit humores alios, qui ipsam Clitoridem tumefacere possunt, imprimis viscidos facilè stagnantes; quæ eædem causæ ipsi etiam *Caudam* producunt.

Juxta S[ylvium] Ca[u]sa vagi[nae] Uteri mo[r]borum.

Angustia verò Cervicis Uteri, juxta ipsum, à pluribus causis produci potest, nempe vel à nativitate, vel cùm collum uteri situm est inter uterum & pudendum, substantia præditum membranacea fungosa rugosaque, facilè obstructio his in locis oboriri solet, hinc sæpe clauditur à substantia membranosa, vel cùm rugæ nimis sint extensæ, ac sic claudunt uteri collum exterius.

Nimiæ Dilationis Colli Uteri causam deducit ab humoribus serosis, fluxu menstruorum nimio partes Uteri Cervicis rugosas & fungosas nimis relaxantibus. Refert etiam huc Uteri à nativitate constitutionem laxiorem, & congressum nimium vasa Cervicis uteri omnia nimiùm distendentem, & partum difficilem.

Pustulas colli Uteri squamosas sæpe ac scabras liquorum acrem sive serum simul effundentes, vel siccas aliquando pruritum molestum inferentes deducit ab acido plus minusve fracto ac temperato, prout namque illud plus aut minùs infringitur, graviùs item, aut leviùs sæviet in cervicem, atque pruritum graviorem aut leviorem producet. Ubi autem acidum illud acre magis est concentratum, pustulæ producentur magis acidæ. Ubi contra idem est magis solutum, minusque concentratum, pustulæ producentur madidiores ac serum aliquod stillantes, imò celeriùs serpentes. Ab acidi ergò acrimonia meritò deducit uteri cervicis pustulas Venereas, ipsamque Luem Veneream.

Condylomata Uteri ipsi etiam sunt tubercula dura & occallescentia, tædioque magis, quàm dolore partes affectas molestantia, in vagina muliebri oriri solita à præpostero Veneris usu, & partium genitalium arcto confrictu, sive id contingat in personis lue Venerea correptis, vel aliàs sanis. Condylomata igitur, juxta ipsum, non tam sequuntur luem Veneream, quàm nimium Veneris usum & abusum, qui familiaris esse solet iis, quæ lue Venerea sunt correptæ. Hinc ipsi non mirum videtur, si & frequentiùs lui illi copulentur, postquàm rariùs evenit, ut quæ Veneri nimium indulgent, commercium non habeant aliquando cum infectis. Sunt itaque Condylomata, ad mentem ipsius, non tam luis Venereæ signa propria, quàm Veneris frequentioris documenta, unde nil certi quoad causam ipsorum veram determinari posse arguit, communissimè tamen à causa luis Venereæ, sive ab acido acriori deducit.

Hæmorrhoidum Uteri fluxum & quidem symptomaticum derivare solet ab apertione vasorum hæmorrhoidalium, à copioso sero sanguini admisto, & vasa simul relaxante. Cœcas verò hæmorrhoides à viscida colligi putat pituita vasa illa hæmorrhoidalia obstipante.

Vlcera verò Cervicis Uteri inter symptomata luis Venereæ refert, quæ nullis partibus parcunt, glandulosis autem præ aliis omnibus infesta, & ipsa sensim plus minùs celeriùs tardiusve depascentia, hinc ulcera ista ab acrimonia acida oboriri contendit, & pluribus comprobat experimentis, imprimis quòd lues Venerea solo mercurio crudo cum unguentis misto & illito felicissimè curetur una cum omnibus suis symptomatibus, & ipsis adeò ulceribus, quod ipsum confirmat, luem hanc ab acido produci, postquam illud in se allicit, vel admittit mercurium, moxque per salivationem educit, sicque luem istam cum ulceribus curat.

Rhaga-

Rhagadum Cervicis Uteri causam esse dicit humores acido acres uteri rugas corrodentes, atque fissuras has Rhagades dictas efficientes.

Verrucas Cervicis Uteri oriri statuit à materia pituitosa, sed valde tenaci, viscida ac coagulata, accedente acido in uteri cervice, & ibi non tantum inæqualitatem, sed & ipsa hæc tubercula producente.

Causa morborum Cervicis Uteri secundum Cartesianos

§. 9. *Cartesianorum* hæc de morborum Cervicis Uteri origine stat sententia, produci ipsam *Tentiginem* ab influxu copiosioris sanguinis, & succi nervosi in Clitoridem, inde quidem producto, quòd fibræ corporis hujus glandulosi ab acri quodam salso liquore irritatæ spiritus alliciant, qui per nervos ingredientes partem hanc inflando extendant, & tubulos exampliẽt, qua de causa etiam ad Venerem nimis proclives vitio hoc præ aliis infestari putant, quandoquidem partem hanc impudicè contrectando fibras relaxent, & sanguinis spirituumque influxum promoveant, vel de rebus istis, quæ partes hasce demulceant vel titillent, assiduò cogitando, spiritus ad partem hanc determinent, ut hi impetuosiùs irruendo per tubulos musculorum mentulam hanc muliebrem in immanem quandoque distendant magnitudinem. Nec abnuunt, ipsam hanc partem interdum ob inflammationem ex stagnatione succorum productam tumidam reddi, ut magno cum incremento, non sine dolore, promineat.

Caudam excrescere suspicantur, quando lympha succusque chylosus nutrimento partium destinatus, in tubulos membranæ uteri osculum investientis abundantiùs fluentes, eandem adeò distendunt, ut succedente per vices novo succo nutriente, fibræ relaxatæ eodem obductæ magnum capiant incrementum, & in vaginam usque propendeat textura ista relaxata. Quòd verò fibræ ita tensæ non rumpantur, inde fieri existimant, quia à particulis lymphæ lubricis emolliuntur, ut succo chyloso, qui idem & ipse hoc in casu mitior est, affluenti cedant, cujus particulæ oleosę, sive ramosę fibris istis adhęrentes incrementum hoc valdè solent promovere.

Angustari Cervicem Uteri referunt, tùm à partium vicinarum & adjacẽtiũ tumoribus, à quibus vagina uteri valdè comprimatur, sicque cavitas ejusdem imminuatur tum ab excrescentiis & tumoribus propriis in ipsa vaginæ hujus cavitate, rugarum intumescentia, condylomatis & verrucis, quę quo magis increscant, eo magis etiam cavitatem hanc occupent, sicque angustiorem reddant. Nonnunquam à prima conformatione in utero cavitatem hanc valde existere norunt angustam, aut post exulcerationem parietes concrescere, vel fibris spasmodicè affectis, partem hanc nullam pati distensionem.

Uteri Prolapsus, vel potiùs Vaginæ Uteri *Extensionis nimiæ* causas varias solent enumerare, quarum frequentissimam putant partum difficilem, dum caput fœtus majus existat, quàm ut facilè per vaginam propelli aut protrahi queat, & hinc rugæ vaginæ invicem comprimantur, & versùs exteriores partes depellantur, quod citius contingere soleat in fœminis multis recrementis humidis repletis, abs quibus rugæ istæ relaxentur, & intumescant. Interdum etiam ipsas hasce rugas relaxatas & intumescentes ab obstetrice imprudente arripi judicant & violenter foràs protrahi. Relaxationi huic sæpissime ansam præbere dicunt tum mensium profluvium inordinatum, aut diuturnum, aut fluorem album copiosum & per tempus aliquod ferè perpetuum: Labores itidem magnos, ponderis sublationem, clamores intensiores, tussim violentam, pandiculationes frequentiores, lapsum, tenesmum, saltum, contusiones aut percussiones in vẽtrem morbo huic producendo idonea esse fatentur. Quin propter secundinas utero firmiùs adnatas, & ab obstetrice violenter attractas, uterum ipsum sequi & prolabi admittunt, nec non ob ligamenta ab humoribus aut ulceribus erosa uterum situm mutare posse, aliis placidè largiuntur.

Pustulas in Vagina seu Cervice Uteri excitari putant à succis quibusdam acidis aut salsis, quorum particulæ acutæ fibras quasdam rumpant & erodant, teneriorem verò pelliculam tantummodò distendant & tubercula producant, eo quòd liquor quidam lymphaticus in sulcis diffractarum fibrarum colligatur. Semen virile corruptum vaginæ hujus partibus membranosis communicatum, ob particulas acutas fibras compingentes, & poros angustantes, pustulis hisce ansam dare autumant, quandoquidem succus in glandulis cutaneis collectus, & in ipsam vaginæ cavitatem manare solitus ità occluditur, occlusus verò hic illic fibras erodat & pelliculam distendat. Idem hoc à fluore albo acriori provenire posse concedunt.

Condylomatum originem esse dicunt à succis acidis, quorum particulæ asperiores acutæ membranam vaginæ erodant, sicque vascula quædam aperiant, ex quibus succus profluens ab aliis quibusdam angularibus particulis coaguletur, qui coagulatus in excrescentias hujusmodi abeat. Tales verò particulas corrosivas itidem ex semine corrupto parti huic communicari referunt.

Hæmorrhoides hac quoque in parte à sanguine crasso & viscido induci rentur, qui cùm non satis sit idoneus, us singulis mensibus effluat, in venis vaginæ hujus subsistat, & easdem protuberare faciat. Partes verò angulares motui sanguinis, sive fluori ejusdem resistentes multum ad stagnationem hanc contribuere autumant. Post diuturniorem verò hujusmodi stagnationem acutissimas quasdam particulas rodendo fibras venarum dirumpere asserunt, sicque majori facto foramine sanguini isti crassiori exitum parari, & hæmorrhoides reddi fluidas.

Ulcera in Vagina hac Uteri à variis particulis induci credunt acutis, fibras membranaceas dirumpentibus, sive hæ in sanguine existant menstruo, sive in fluore albo, sive cum semine virili à lue Venerea infecto communicentur. Ex diuturniore quoque succorum in tubulis vaginæ hujus stagnatione fibras quasdam tandem dirumpi, & consumptis particulis porosioribus angulares glandulas & fibras ulteriùs destruere, sicque exulcerationes inducere posse, nullatenus dubitant.

Rhagades efformari credunt à fortiori rugarum compressione aut diductione, ut sic fibrę nimiùm tensæ penitus dirumpantur, uti in coitu violento sępius contingat, vagina hac præsertim existente-sicciore, tum enim fibrę rigidiores non facilè cedunt, sed impulsui cuivis resistũt, donec à vehemẽtiori & frequentiùs repetito diffringãtur.

Verrucas ideo propullare existimant, quod à particulis quibusdam acutis acribus erosa membrana à succo per tubulos & foramina profluente nutritio fibrę relaxatę magis distendantur, ut extra circumjacentem membranam promineant, circa quas prominentias assiduò profluens succus colligatur, & hypersarcosin quandam efficiat, data enim porta quadam liquor iste nutritivus partium liberiùs promanat, & in excrescentias ejusmodi abit carnosas.

Nostra sententia de causis morborum Vaginam Uteri invadentiũ.

§. 10. Nobis ipsa *Tentigo* utplurimum ob laxitatem vasorum ac tubulorum oriri videtur, & quod spiritus frequenti partis huius contactu alliciantur. Hinc succi omnes circa hanc partem sibi imperium rapiunt, illamque sic extendunt dilatantque; aliquando quid convulsivi interest, & illas non aliter afficit ac Priapismus viros, & fere eadem causa est, de quo affectu superius latiùs diximus. Convellitur enim hic clitoris ac tetano afficitur non aliter ac penis, quod non sine dolore aliquando fit, ita ut tensio à coitu peracto non remittat, uti in Satyriasi accidere solet, licet & in hac mox nova erectio eaque sępiùs subsequatur. Habet tamen Priapismus id quoque, quod subinde remittat, mox iterum revertatur, unde partim convulsio, partim motus convulsivus est. Reperiuntur verò hi affectus complicati cum aliis morbis, & quidem Satyriasis cum Elephantiasi, Priapismus cum Gonorrhœa, & Salacitus in iis quę multi roboris sunt. Aliquando incidit Priapismus subsequente pollutione, id quod etiam in animi deliquio viris quibusdam accidit. In Hernia, colica cum multis flatibus, calculo, Epilepsia aliisque affectibus spasmodicis affectus hic conjungitur, sic etiam in viris observatur Priapismus, qui laqueo suspenduntur.

Causa *Caudæ* ita dictę ferè cum *Tentiginis* causa eadem est, modò succus nutritius in eo loco magis evasetur, & ob visciditatem, quam conjunctam habet succus nutritius sylvestris, quasi caro spongiosa nascatur; vasa ac tubuli ad hanc partem tendentes & succum nutritium vehentes, in nonnullis fœminis ampliores sunt,

sunt, hinc & plus nutrimenti accipit hæc pars, & talem magnam efficit caudam.

Causa *Angustiæ* uteri Cervicis vel est à nativitate, sic non ita pridem hic Cassellis vidi puellam duorum annorum, quæ à nativitate tantùm foraminulum habuit, per quod vix acum intrudere potuisses, & urinæ tantùm per hoc concedebatur transitus, quod tamen Chirurgus noster Castrensis *Christianus Hoffmannus* b. m. cultro incisorio aperuit, & impositis plumaceolis liquore quodam imbutis amplius reddidit non absque successu. Sunt & aliæ causæ, quæ Cervicem hanc arctiorem reddere possunt, ut calculus magnus in vesica, tumor in intestino recto & ipsa Cervice, item fungus & carunculæ ibidem existentes & cervicem obturantes occludentesque.

Nunc causam *nimiæ Dilatationis* seu *Cervicis* vulgò Uteri *procidentiæ* videbimus. Est sæpè violenta causa in partu difficili ab obstetricibus, quæ sæpè digito loco secundinæ fœtusve hasce rugas arripiunt, adducuntque, unde vagina à subjectis avellitur partibus ac prominere incipit, confer *van der Vviel Observ. rar. p.* 295. *Obs.* 68. Sic & propendet & relaxatur vagina, quando rugæ vaginæ in quadam saltem parte laxatæ, aut exesæ, aut erosæ nonnihil sunt, tunc enim à sanguine aliisque succis in parte relaxata stagnantibus successivè extra pudendi labia sæpe propendet, ut repræsentet corpus amplum, rotundum angusto collo annexum, quod collum interius intra sinum pudoris se abscondit. Hoc corpus interdum capitis infantis molem æquat, imò interdum usque ad genua propendet, & pravum odorem spirat, pondere dolorem infert, congressumque impedit; ex continuo fluore albo sepè laxantur rugæ & fibræ Vaginæ, succi dein stagnantes facilè acorem concipiunt, ac dictas partes in ulcera vertunt.

Causa *Pustularum* vaginæ uteri sunt utplurimùm succi acres viscidi, in uteri cervice subsistentes, vel à semine virili corrupto ibidem effuso & acri facto, productæ; quia enim cervix uteri rugosa & glandulosa est, ibidem facile lympha acris tubulos suos corrodere dein subsistere, & sic corrodendo pustulas producere potest. Nec eximendi sunt alii succi salinis, muriaticis ac corrosivis particulis referti ibidem subsistentes, & sic acerrimi facti tubulos suos perfundentes, pustulasque has producentes. Facile & hę oboriri possunt, si quis à lue Venerea infectus cum muliere rem habet, omne enim eò delatum pustulas producere aptum natum est.

Eadem est causa Cervicis Vteri *Condylomatum* quam Ani, si enim in glandulis Cervicis, vel rugis existant nimis crassi ac lutosi viscidi succi, ii stagnando ejusmodi tumores excitant. Huic quoque morbo sępiùs ansam dat lues Venerea. Alia sunt cum inflammatione, in quibus dolor & ardor major est ob conjunctam succorũ acrimoniam fibrillas cervicis uteri pungentium, & condylomata sunt dura; alia sunt sine inflammatione, & sunt instar scrophularum, quę & recentia & antiqua seu inveterata dicũtur. Si enim lympha in glãdulis Cervicis uteri subsistit & crassior redditur, ejusmodi nodosi tumores inde emergunt, ceu videmus in Collo puerorũ sępè scrophulosos tumores ab eadem causa productos, existentes.

Hæmorrhoides vaginę uteri sunt vel apertę vel cęcę, uti sunt ani, & causa eadem est. Sanguis enim effluxurus nimis lutosus ac crassus viscidus ab acido factus ibidem stagnando cęcas producit uteri hęmorrhoides, ob crassitiem enim sanguis per arterias uteri Cervicis hęmorrhoidales in venas ejusdem nominis transire impotens, partes Cervicis distendit, & aneurismata concitat, quibus planè ruptis vel per acrimoniam sanguinis corrosis, sanguis effluens ęque hic ac in ano apertas hęmorrhoides constituit, hinc fluxus hęmorrhoidalis dicitur.

Causę vaginę uteri *Exulcerationum* plures sunt, tum internæ, tũ externæ, quæ scilicet acrimonia sua corrosiva continuum in parte illa rugosa cervicis uteri solvere possunt. Externæ causę possunt esse medicamenta corrodentia, partus difficilis & inde orta violenta dilaceratio harum partium tubulorum ac canalium ab obstetrice improvida, quò referri potest concubitus violentus. *Internæ causæ* etiam plures sunt, ut secundina sphacelata, vel alio modo corrupta, lochia retenta, fluor uterinus maximè acris & virulentus, lues Venerea, inflammationes in abscessum conversæ, si etiam succi circulantes omnes acres ibidem congesti & partes has corrodentes ulcera producere valent.

Menstrua quoque muliebria ex sanguine nimis crasso ac tenaci sæpè supprimuntur, sanguis tunc depluens in colli uteri vasculis stagnat subsistitque, hinc acrior redditur, præsertim vero lympha in glandulis stagnans acriorque reddita facilè invadit glandulosas partes exulcerationesque efficit, quod observamus in mammis aliisque glandulosis partibus, quæ à corrupto sanguine & stagnante lympha aliisque succis ita afficiuntur, ut Inflammationes, Cancer aut *Vlcus* inde exoriri possint; Cancer enim nihil aliud est, quàm glandularum Sphacelus, cujus sævitia vicinas partes non rarò quoque depopulatur: at ulcus est continui in partibus mollibus solutio, vel à tumoribus, inflammatione, combustione, vel punctura, vel coutusione, lapsu &c. oborta.

Causa *Rhagadum* Cervicis uteri est, vel continui solutio à partu laborioso, vel coitu violento vel alia frictione petulanti, vel à succis acribus ibidem stagnantibus & in partibus hisce rugosis fissuras excitantibus; sequuntur quoque ulcera hæc prægressas inflammationes & condylomata.

Causa *Fistularum Cervicis Vteri* eadem est ac aliarum fistularum, disruptio nempe vel corrosio vasorum Cervicis Uteri, ũde effluit pus, quod impedit partiũ coalitum, sunt ergò particulæ acres ibidem stagnantes tubulosque dilacerantes, ex quibus emanat ichor fœtidus virulentusque, qui continuò stillans fistulam producit.

Verrucæ sive *Myrmecia* à succis crassis & fæculentis in vaginæ uteri glandulis ac tubulis stagnantibus oriuntur, qui tandem in callosam istam soliditatem indurantur, ac verrucosas has producunt eminentias.

§. 11. Quod Prognosin attinet, *Tentigo* & *Cauda* affectus sunt haud periculosi, sed pudicitiam exponunt & valde molesti. *Dilatatio nimia* Cervicis uteri malum per se non est periculosum, attamen metuendum ne subinde in gravia abeat ulcera, aut inflammetur cervix uteri, aut in gangrænam desinat. Quò est recentior, eo faciliùs curatur, si inveteratus est affectus, palliativè tantum curatur. Si fit à causa interna per successivam relaxationem, faciliùs curari potest eo quod fit per violentiam externam: qui fit per impetum obstetricis, insanabilis est.

Prognosis.

Pudendi Angustia, quæ est à prima nativitate & conformatione, Medici vel Chirurgi ope nisi in ætate infantili vix tolli potest, verùm aliquando vel à coitu vel partu magis dilatatur; Sæpe lethale malum est, si simul urethra seu meatus urinarius in totum occalluerit, si verò urinæ adhuc concedatur transitus per rimulam, tunc faciliorem admittit emendationem.

Hæmorrhoides uteri si moderatè, melius est, quàm si nimium fluant; sic cæcæ fluentibus deteriores & difficiliores sunt curatu.

Nullum ulcus præsertim verò vaginæ uteri spernendum, licet exiguum, quia fibrillæ omnes ab acribus particulis discinduntur, & pars succis suis privata vigore suo necessariò destituitur. Sordida, antiqua, quæ in imo hærent, reliquis curatu difficiliora sunt, ut etiam illa ulcera quæ comitem luem Veneream vel scorbutum habent.

Fissuræ sive *Rhagades* si recentes fuerint, faciliùs tolluntur, antiquæ verò & quæ jam callosa facta sunt ulcera, curatu utplurimum difficillima sunt, ut & ea, quæ sequuntur morbum Gallicum.

Fistulæ sunt difficillimæ, sanatu, redduntque fœminas miseras ac ærumnosas, idque eò magis, quo fistulæ altiores & diuturniores egerint radices, & anfractuosæ fuerint, vel corpus scorbuticum, vel lue Gallica infectum, vel senile cachecticum offendant, tunc enim sanatio nulla speranda est.

Condylomata & *Verrucæ* quò sunt profundiores in uteri vagina, eò difficiliùs sanantur, exteriores verò è contra facilè tolli possunt: difficilius etiam ea curantur, quæ à lue Venerea ortum suum agnoscunt, item in iis mulieribus quibus menses subsistunt & cachecticæ vel scorbuticæ sunt, quæ enim in succis suis carent sale volatili, sed loco hujus possident sanguinem viscidum,

scidum, tenacem ac lutosum, non facilè curatur.

Diæta. §. 12. non satis est, *Divini Senis* effato, Medicum suum fecisse officium, nisi suum quoque & ipse faciant æger & adstantes, sintque externa omnia ritè comparata. Imprimis enim ægræ lubenter suo palato blandientes juxta medicamentorum usum: *Diæta* eò exactior est observanda, quo majus in *illa* ad morbum sivè præcavendum sive curandum positum est momentum. Diæta ergò in his jam recensitis affectibus muliebribus requirit aerem purum, serenum, temperatum, ab omnibus inquinamentis liberum, qui tamen magis ad caliditatem quàm frigiditatem vergat, vitetur marinus, crassus & particulis Salino-nitrosis refertus, item fugiantur conclavia & hypocausta, ubi ægroti imprimis lue Venerea infecti fuerint, aer ergo corruptus semper per suffitum corrigatur. Quoad cibos, eligantur cibi euchimi, boni & pleni dulcis succi lactei, ut sunt carnes gallinarum, caponum, vitulinæ, perdices, alaudæ, aliæque aves montanæ, item varia juscula avenacea, hordeata, &c. liquida ac calida solidis ac frigidis præferuntur, præstat etiam Ventriculum imprimis pessimorum ciborum mole non obruere, fœminis etiam magis indecorum est. Embammata ex cochlearia, sinapi, nasturtio cum vino Gallico & non acido parata optimè conveniunt, quoniam omnia alimenta sale volatili multo gaudentia, optima sunt. Hinc pisces tanquam nutrimentum lutosum aquosumque rejiciendi sunt; præter saxatiles qui concedi possunt. Vitentur etiam angue pejus omnia acida, nimium salita, fumo indurata, dulcia, viscida, & occultum acidum in se continentia, ut saccharata, quæ in aulis jam ita usu quotidiano recepta sunt, ut mensæ his quasi obtegantur, & mille artes excogitantur ad misellum sexum sequiorem decipiendum, facilè enim ab his saccharatis, quibus deditæ sunt mulieres, obstructiones fiunt, ex quibus affectus muliebres dicti propullulant. Fructus quoq; horarii, omnia flatulenta crassiora & digestu difficilia exulent. Potus sit ipsis delicatulis vinum Gallicum, Vin de Sesterne dictum, vel vinum Hispanicum, vel Tokaviense, vel aliud generosum quo verò acidius est vinum, eò est pejus. Conducit quoque Cerevisia clara, defæcata ex optima aqua cocta & lupulo debitè condita, dein radicibus & herbis aromaticis ac antiscorbuticis impragnata. Omnibus verò fœmellis, imò puellis & virginibus imprimis his affectibus vexatis commendamus potum Theæ vel Coffeæ, quod potus genus egregium est his in affectibus muliebribus. Corporis motio & quies sint juxta virium & affectus conditionem, nemo enim ultra posse obligatur. Somnum & Vigilias quod attinet, horum usum *Poeta* sequenti disticho inclusit:

Est dormire bonum & vigilare: sed utraque, quamvis
Optima, si fuerint immoderata, nocent.

Excreta ac Retenta justum modum ac tempus etiam in his affectibus observent necesse est.

Animi pathemata, quibus sexus hic sequior magis obnoxius est, quàm masculinus, sunt temperanda, imprimis verò hic exulet ante omnia Venus, cujus usus etiam in honestis mulieribus hisce affectibus vexatis sit nullus, vel parcissimus, omnes quoque aliæ illecebræ fugiendæ sunt, quæ sæpe ansam dant hisce affectibus Cervicis Uteri præsertim si mulieres rem habent cum variis lue Venerea jam infectis, vel gonorrhœa inveterata laborantibus, tum necessariò in hos dictos affectus incidere coguntur, quoniam per contactum harum partium infectarum in rugis Cervicis Uteri subsistentes succi facilè eodem charactere acri notantur, hinc ibidem stagnantes & eadem acrimonia tubulos corrodunt, ac succi evasantur, eundem vel similem producunt affectum, ceu experientia quotidiana testatur. In inveteratis hisce malis etiam exulent ira, mœror, tristitia, invidia, & amor vesanus præsertim vitandus, quia succus nerveus hisce animi passionibus stagnare cogitur, & sua volatilitate privatur, ut per suos tubulos ac canaliculos non ita ut antea perfluere possit, hinc mille mala emergere possunt.

[G]alenico[ru]m mo[dus cu]randi Tentiginem. §. 13. *Galenici* in *Tentigine* curanda potissimùm utuntur sectione, sive nymphotomia, quam amputandi rationem ex Ægyptiorum mente *Aetius Tr. 4. Serm. 4. cap. 103.* sequentibus communicat verbis. Virgini, vel mulieri, in sella locatæ, assideat adolescens robustus, qui brachia sua poplitibus virginis subiiciat, cruraque ejus ac totum corpus regat, & tum Chirurgus ante ipsam stans, forcipe ampliori nympham corripiat, & per sinistram manum distendat, per dextram verò prope forcipis dentes resecet. Mensuram autem resectionis eandem, quam in columellæ sectione servandam esse monet, ut ne funditùs ea resecetur, sed supervacua tantùm pars amputetur; adeòque propè dentes forcipis nympham resecandam esse ex stimat, quoniam quùm pelliculosa sit, plurimum extendatur, & nisi quis diligenter observet, facilè ultrà, quam oportet, amputationem faceret, atque hinc carunculæ decrementum, quod Rhœada Græci vocant, consequeretur. Peracta Chirurgia, suadet ut spongia ex vino adstringente, aut aqua frigida expressa vulnus detergeatur, manna thuris inspergatur, linamentum posca madefactum indatur, & spongia ex posca expressa superdeligetur. Post septimanam cadmiam minutissimè tritam per se, aut cum rosarum floribus, aut pulverem ex lapide Phrygio paratum, aut cinerem ossium palmularum inspergunt.

Caudam. Eodem modo *Caudæ* resectionem peragunt, muliere enim priori ratione collocata, carunculam prominentem forcipe extendunt, & totam ex basi resecant. Post Chirurgiam eosdem inspergunt pulveres, quos in Tentigine adhibuerunt.

Uteri Cervicis Angustiam. *Angustiam* Cervicis Uteri emendant, vel loca à nativitate connata dissecando, & sic ferro viam parando, vel locos angustiores dilatando radice gentianæ, vel spongia, pessi forma impressis, ut ità hisce paulatim auctis, vagina ipsa dilatetur, simul etiam interiora inungunt oleo amygdalar. dulcium, liliorū alborum, lini, irino, foventque decocto malvæ, altheæ, fœnigræci, & similium, ut emollita faciliùs extendantur. Si virum quidem admittant, sed cum dolore, tragacantha aqua violarum soluta interiora illinunt, qua inflammationem arceri, tensionem leniri, & cavitatem hanc lubricari promittunt, eademq; mixta pinguedine capri, vel porci nonnunquam redigunt in unguentum.

Uteri prolapsum. *Uterum prolapsum* restituere student, in principio, dum facilè dirigitur, & rectè locata permanet, vulvam contrahendo, quod in vigore ætatis faciliùs perfici, in provectioribus verò eandem quidem contrahi, sed ex levi occasione rursus prolabi monent. Nè quoque aut durum stercus in recto intestino diutiùs retentum, aut lotium in vesica collectum coarctando & comprimendo impediat, ne uterus repellatur, & in situm proprium reducatur, stercus clystere evacuant, & lotium fistula vesica adaptata similiter evocant, quibus præmissis ægram supinam collocant, coxis altioribus, poplitibus reflexis, ac cruribus disparatis; partemque uteri prolapsam oleo tepido, butyro, vel decocto malvæ, betæ, altheæ, fœnigræci, seminis lini, aut similium fovent, lanamque convolutam figura ac crassitudine muliebri pudendo correspondentem, linteoloque involutam, & acaciæ aut hypocystidis succo vino diluto imbutam sive intinctam utero apponunt, & citra violentiam totum, quod prolapsum est, reprimunt, donec tota moles intra sinum recipiatur; posteà lanam in pudendum subdunt, & alium lanæ hapsum vino abstringente imbutum superponunt, totumque spongiis ex posca expressis integunt, & mulierem reclinant crura extensa & coaptata habentem, ità ut alterum alteri incumbat, tutius tamen fore judicant, si ad genua usque constringatur. Nonnulli uterum recens prolapsum cucurbitę domesticæ ac betæ decocto cum urina graveolenti, aut re aliqua fętida proluunt. Si verò uterus prolapsus temporis progressu intumuerit, plurimoque humore refertus fuerit, ut præ tumore reduci nequeat, betarum decocto ipsum rigant, deinde acetum affundunt, & salem tenuissimum adspergunt, sedatoque tumore, eodem decocto ipsum perfusum retrudunt, cucurbitasque umbilico & utrique lateri cum plurima flamma affigunt, & odorata naribus assiduè admovent. Die tertia, lana adhuc intra sinum pudendi existente, mulierem in vino nigro austero aliquatenus tepefacto, aut in decocto

cto myrti, lentisci, rubi ac malicorii jubent insidere. Post insessionem rursus supinam coxis locant altioribus, & sublata ex pudendo priore lana, aliam eodem medicamento imbutam subdunt, forinsecus verò cataplasmata imponunt ad imum ventrem, ex palmulis, polenta, lenticula ac malicorio, cum aceto mulso, quæ tertia die repetunt, usque ad perfectam curationem. Uteros crebrò prolabentes posca abluunt, & in eadem mulierem diutiùs insidere jubent. Ob locorum quoque sensus subtilitatem rejecto aceto terram nigrã in lentibus repertam aqua diluunt, & ex ea partem affectam plurimùm fovent. Sin uterus ob humorum lentorem difficulter repellatur, vini fæcem ustam, aut nitrum lixivio permixtum obluunt, & decocto aliquo adstringente, aut terra ista nigra aqua diluta fovent, plumbique cremore oleo myrteo aut melino admixto parti prolapsæ illinunt, ac in sinum pudendi retrudunt, & locos internos, ægra undiquaque circumtecta, rebus fœtidis suffiunt, naribus autem odoratissima quæque admovent, cibosque boni succi & vina odorata tenuia offerunt. Torpedinis corium recens detractum, parti prolapsæ obvolutum, aut pastinacæ marinæ aculeum cum hyoscyami succo illitum uterum repellere nonnulli perhibuerunt. Alvum intereà nimium non esse subducendam admonent, ne partes vicinæ exsolvantur & laxentur, uterusque ipse recidat. Si quoque contigerit, ut pars prolapsa temporis progressu per negligentiam computruerit, & ex assidua urinæ irrigatione & adhærentibus sordibus fuerit exulcerata, illam citra ullius periculi formidinem auferendam esse præcipiunt, cum totum uterum putrefactum aliquando ablatum esse, & mulierem nihilominus supervixisse noverint.

Pustulas. Ad *Pustulas* Cervicis Uteri abigendas alvum lactæ asinino purgant, vomitum à cœna instituunt, in balneo exudationem & in calidam insessus fieri volunt, locosque vino calido cum nitro eluunt, post vinum aquam calidam infundunt, & lycium Indicum, aut amurcam, aut butyrum cum sulphure, aut ceratum myrteum cum spuma argenti, aut alumen rotundum cum melle, aut malicorium cum myrrha & melle illinunt. Ad squamas & furfures exterendos, cyclaminis radicem cum melle illitam deprædicant.

Condylomata. *Condylomatis* partis hujus fomenta adhibent adstringentia, pessusque indunt è malicorio & butyro, aut ex lycio Indico & œsypo paratos.

Hæmorrhoides. *Hæmorrhoides* Cervicis Uteri varicosas ac malignas dimittunt, duras ac modicum sanguinem fundentes, nec vasis annexas statim amputant, multum verò sanguinis emittentes circa fundum circum circa scarificãt volsella elevant, funiculo constringunt, & posteà paulatim resecant, quo facto floridum medicamentum siccum inspergunt. Ad easdem verò citra Chirurgiam exsiccandas & excœcandas, pulveres inspergunt ex spodio, rosis siccis, balaustiis, malicorio, vel terram Lemniam cum aceto illinunt, vel pastillos ex succo mandragoræ, alumine rotundo, acacia, cum vino tritis paratos & vino dilutos, vel eodem modo adhibent eos, quos sequentes monstrant formulæ.

℞. *Succi cicutæ,*
Hyoscyami,
Alum. scissi.
Rubricæ Sinopicæ aa. ℥ij.
Sandycis ℥j.
Cum vino terito & excipito, usuq; tempore vino diluito.

Vel

℞. *Diphrygis* ℥vj.
Cerussæ,
Spumæ argenti,
Plumbi & loti,
Succi hypocistidis aa. ℥iij.
Excipe succo cicutæ, & cum vino adhibe.

Insessiones etiam in decoctis adstringentibus commendant.

Vlcera. *Vlcera* Cervicis Uteri curare solent insessionibus, irrigationibus, cataplasmatis ac pessis, præsertim verò eo, qui paratur ex croco optimo cum lacte muliebri rito & cerato excepto, ceraque Tyrrhenica, & oleo rosaceo aut susino, cum adipe anserino & medulla cervina, vel ad dolorem magis leniendum sequentem adhibent pessum, qui paratur ex capitibus papaveris decem in passo diluto per triduum maceratis, deinde donec flaccida fiant, coctis & post eà expressis tritis, cum seminis aut foliorum rosarum ℥v. croci ℥iij. & inter terendum ipso decocto admixto, tum cerato ex ceræ sextante, & olei rosacei aut narcissini eadem quantitate parato ad ea affuso, & medicamento in pyxide stannea servato, donec usu expetente oleo rosaceo aut narcissino dilutum & in pessum exceptum subdatur. Ad acrium etiam humorum influxum pruriginosum inhibendum sequens laudant remedium, vel linimenti, vel pessi forma adhibitum.

℞. *Plumbaginis* ℥ij.
Glauci ℥j.
Terantur cum succo hyoscyami, & olei myrtei aut rosacei q. s. *admisceatur.*

Ad Ulcera carbunculosa privatim commendant lentes, folia oleæ sine melle, lupinos in vino austero coctos, & in eorundem decocto institutas insessiones. In ulceribus sordidis emplastro utuntur Ægyptiaco citra æruginem præparato, cùm mordacia quævis & crustas inducētia utero adversa esse cognoverint; parant etiam medicamentum ex melle, terebinthina, oleo rosaceo aut susino & butyro, quibus interdum etiam crocum admiscent, vel ad ulcera hæc fortiùs repurganda radicem irridis Illyricę cum melle imponunt, & decoctum aristolochiæ per se, vel cum melle infundunt, aut sequentem indunt pessum.

℞. *Terebinth.* ℥iiij.
Adipis anserini ℥vij.
Myrrhę ℥j.
Croci ℥iij.
Medullę bubulę,
Oesypi aa. ℥ij.
Mellis,
Olei Cyprini, aut Irini aa. ℥ij.
Thuris,
Rad. panaceę,
Iridis aa. ℥ij.
Cypert ℥iiij.
M. F. Pessus.

Ulcera depascentia & efferata lacte equino, aut asinino, vel in utriusque defectu, quocumque alio recente & cocto abluunt, addita dimidia quantitate mellis, & postea insperso pulvere ex radice iridis. Vel abluũt eadem aqua mulsa, in qua absinthium, aut calamus aromaticus, aut leucanthemum, vel chamæmelum, aut buphthalmum decoctum est, eoque, quod infusum est, excreto, locos decocto malvæ eluunt, pessumque subdunt ex farina carvi, iridis, lentium aut foliis oleæ in vino tritis, aut cineribus hederæ aureum florem habentis, aut aristolochia longa & rubrica Sinopica hepatis colorem referente, tritis & melle exceptis. Parant quoque pulverem ex semine tamaricis & nitro rubro æqualibus partibus commixtis, tritis, eumque vel aridum inspergunt, vel cum melle rosaceo in linimentum redactum adhibent. Ulceribus repurgatis cicatricem inducunt, vel cerato ex ceræ albæ quadrante, olei rosacei optimi dodrante ad prunas liquefactis, & quadantenus refrigeratis, deinde in mortarium conjectis ac lacte muliebri, aut asinino, aut caprino recens mulcto affuso, cum pistillo subactis, donec totum inalbescat, deinde lacte priore diffuso, novo denuò infuso rursus subactis, & croci drachma vna admixta. Si fortius mitigatorium desideretur, accipiunt olei rosacei septuncem, adipis anserini, & medullæ ejusdem ana unciam unam & invicem miscent, vel pro rosaceo oleum melinum aut susinum admiscent. In frequenti etiam usu ad ulcera hæc sananda illis est medicamentum ex hordeo sequenti modo paratum.

℞. *Hordei usti ac triti,*
Spumę argenti lotę,
Cerussę lotę aa. ℔j.
Adip. anserin. ℔iij.
Capręrecent. ℔iij.

Ol.

Ol. myrtei ℔ ij.
Mellis despumati bess.
Terebinthinæ ℥ iij. *vel* iv.
M.

Ex pompholyge quoque, plumbo usto, cadmia aut ladano parata remedia hìc valde existere ducunt utilia.

Rhagades.

In *Rhagadibus* Cervicis Uteri curandis Chirurgia & medicamentsi mordacibus rejectis, insessionibus simplicioribus ac pessis utuntur, aliisque remediis ex pompholyge, stibio & plumbo usto paratis. Si callosæ fuerint, chartam ustam oleo rosaceo dilutam illinunt, vel si acrimonia ejus ferri non possit, iridem Illyricam terebinthina exceptam indunt. Inducta Ulceribus cicatrice, remediis ex cadmia, spuma argenti lota, stibio, aloe, aliisque paratis utuntur, quale sequens exhibet formula.

℞. *Spumæ argenti lotæ*,
Ceruss. lot.
Plumbi usti & lot. aa. ℥ xxv.
Stibii loti ℥ ix.
Pompholygis lotæ ℥ viij.
Cadmiæ lotæ ℥ v.

Hæc omnia primùm seorsim, deinde simul terunt, & vini ac olei myrtei aa. ℔ j. paulatim adstillant, ac probè terunt, & unita in pyxide plumbea servant ad usum. *Archigenes* prioribus speciebus adhuc ceræ Tyrrhenicæ ℔ j. & adipis anserini tantundem, alii verò etjam plumbaginis ℥ xx. adjiciunt.

Verrucas.

Verrucas & Thymos partium muliebrium recentes ut alias tractare solent, inveteratis verò Chirurgiam adhibent, muliere nempe rectè locata eminentiam volsella extentam, totam funditus resecando, deinde curationem cruentis vulneribus aptam administrando. Ad thymos in abdito reconditos, & verrucas formicarias medicamenta usurpant, summèque conferre dicunt humorum ex oculis capræ recens jugulatæ compunctis profluentem, assiduè illitum, quo intra sex dierum spatium verrucas formicarias extirpatum iri promittunt. Stercus bubulum calidum illitum easdem sanare referunt. *Aetius* fumum origani festucæ ad lucernam accensæ & verrucis formicariis singulis diebus ter admotæ easdem radicitus abstulisse in uxore propria fuit expertus: Soleas etiam veteramentarias & cucurbitam siccam sigillatim exurunt, & minutissimè trita paribus portionibus permiscent, locisque vino priùs elotis inspergunt, hocque remedium experientia satis cognitum esse asserunt. Malygnorum thymorum sectionem, ob eruptionis sanguinis periculum reprobant, non malignos autem tutò secari posse censent, cùm nullus in his eruptionis sanguinis timor adsit, cavendum tamen esse monent, ne uterus à scalpri acie lædatur, quod facilè vitari posse existimant, si thymus distentus prope volsellæ dentes amputetur. Resectione facta ad desiccandos locos medicamentum aliquod sanguinem sistens adhibent, cùm humectatio & medicamentorum pinguium usus causa sint, ut thymi regenerentur; quapropter per totam curationem laxantia ac pinguia fugienda esse præcipiunt, & post Chirurgicam protinus gallas tritas, aut alumen scissum cum pari thuris pondere admovent, vel medicamento utuntur florido, ex stomomate ferri, aut flore rosarum & cytinis siccis parato, aliisque contrahentibus, quadantenus repurgantibus & ulcera ad cicatricem perducentibus.

Paracelsica cura in Tentigine & Cauda.

§. 14. *Paracelsus* parùm fovet in morbis hisce curandis operationibus Chirurgicis, in *Tentigine* enim ab aliis ità nominata, sive Clitoridis incremento & *Cauda* auferendis, omni instrumento rejecto, solummodò incrementum morborum horum imminuit remediis in Sclirosi aliàs usitatis, inungendo scilicet renes, vasa spermatica & femora mixtura ex oleo myrtillorum, Nucis Moschatæ, axungia jumentorum & petreolo. In Tentigine quoque obscura, & prava, ubi cum fluxu menstruo aqua, & cum urina sanies, cum dolore pudendorum effluit, qui affectus facilè abit in ulcus, à purgationibus, consolidationibus & mundificationibus itidem abstinendum esse præcipit, sed earum loco tripartitam proponit curam, unam per sparallium, aliam per potiones, tertiam per unguenta, quæ parum ab ea, quæ in matricis ulceribus fieri debet, differre solet. Primo verò laudat potiones, sive cardonia, quæ sequenti modo parantur.

℞. *Agrimoniæ*,
Saniculæ,
Pyrolæ,
Utriusque pervincæ, aa. ℈ j.
Aristolochiæ rotundæ ℥ j.
Herb. pastinacæ
Perdetis aa. ℥ j.
Musti non maturi ex vino rubeo, usque ad centum Kist, id est, ducentas mensuras vini,
Fiat Cardonium, hoc est, ponantur in mustum herbæ supradictæ, macerentur, & simul repurgentur, de quo vino per medium annum quotidie bibat mulier.

Vel

℞. *Consolid. regal.* ℔ ß.
Aristol. rotund. ℥ vj.
Diapens.
Alchimill. aa. ℥ x.
Serpentin. minor. ad pondus omnium,
Fiat Cardonium secundùm usum.

Componit etiam sal, cujus usum esse vult in omnibus periculis laborantis tentigine matricis, ejusque sequentem tradit formulam.

℞. *Sal. commun.* ℔ ß.
Thuris,
Mumiæ,
Hæmatitis aa. ℥ ij.
Fiat mixtura cum sale, quo condiatur omne, quod ederit.

Sparallia sequenti ratione præscribit:

℞. *Aq. plantag.*
Serpentin.
Matricar.
Hypericon. aa. ℔ ß.
Lumbricor. terrestr. ℥ vj.
Dragacant. ℥ j.
Consolid.
Fol. aristoloch. long. aa. ℥ iij.
Fiat Sparallium optimo sacchαro permistum, hoc est fiat metrenchita, vel clysterium, quod vulvæ imponatur, perque tres, quatuor, vel quinque horas in ea maneat singulis diebus.

Vel

℞. *Succi Hypericon.*
Persicar. aa. ℔
Aq. de prunis,
De cerasis aa. ℔ j.
Terebinth. lot. in aq. rosar. ℥ vij.
Fiat Sparallium pro matrice, quod indatur in vulvam, quolibet die bis, aut pluries, pro necessitatis exigentia.

Vel sequens:

℞. *Olei Hypericon.*
Persicar.
Ranar.
Aristol. rotund. aa. ℔ j.
Lumbricor. aa. ℥ xij.
Ol ex vitellis ovorum ad pondus omnium.
Formetur Sparallium, quod ut in tanta quantitate administretur ob pinguedinem suam, non opus esse admonet, cum quicquid lubricum est, matrix ad se libenter attrahat.

Unguentum insuper ad dorsum tale præscribit.

℞. *Mercurii absque substantia frigida, & omni mordicatione correcti* ℥ ß.
Boli scissi ℥ iij.
Axung. cervin. ℔ ß.
Ol. aneth.
Ex vitellis ovorum, aa. ℥ vj.
Fiat unguentum cum cera.

Medicamenta ista, unguentum scilicet, sparallium, & cardonium simul, & quidem quolibet dies bis vult administrari.

Angustia.

Cervicis Uteri *Angustiam* à nativitate ità existentem vix curationem admittere judicat, crudele enim ferrum, nec semper utile fore existimat, ubi verò ali-

rò aliquod concessum est spatium, oleosis & pinguibus remediis partem hanc temporis tractu adeò disponi posse sperat, ut vel formis convenientibus, vel membro virili in coitu legitimo facilè amplietur. A tumoribus, condylomatis, excrescentiis aut morbis aliis inductam iisdem abactis nonnunquam emendari posse aliis non ità difficulter largitur.

Procidentia. Uteri Cervicis *Procidentiam* aliquando restitui posse sibi aliisque persuadet, in principio nempe, si morbus hic non adeò diu duravit, instillato oleo succini in umbilicum, vel guttis ejus aliquot intus exhibitis, abs quo medicamento uterum optimè regi posse censet, nec instrumenta operosè quidem, sed incassum ab aliis sæpius excogitata, illud reparare posse statuit, quod illud non potuit in statum meliorem reponere.

Pustulis. *Pustulas* Cervicis Uteri à tentigine prava, vel lue Gallica inductas, tum remediis internis per emunctorium conveniens, imprimis menstruum purgantibus, Auro nempe soluto & Mercurio corporali hæmatino exhibitis, & fumo externo ex mercurio in colorem cinabarinum redacto instituto, & pudendis admoto, optimè depelli posse opinatur.

Condylomatis. *Condylomata* Cervicis uteri abigere tentat deoppilationibus, provocatis menstruis & hæmorrhoidibus, tum externa eadem adhibet, quæ destruendis verrucis sunt idonea.

Hæmorrhoidibus. *Hæmorrhoides* etiam hujus partis tumidas priùs incidit, & tum sequentem iis inspergit pulverem, quo omnium optimè eas auferri posse promittit.

℞. *Marcasit.* ℥ i ß.
Alcool vini optimè exsiccati ℔ j.
Misceantur.

℞. *Hujus marcasit.* ʒ iij.
Sal. gemm.
Mumiæ, aa. ʒ j.
Fiat Pulvis.

Ulceribus. *Ulcera* hæc eodem modo tractat, quo Tentiginem pravam superiùs curavit, cùm remediis in ea nominatis optimè mundificentur & consolidentur.

Rhagadiis. In *Rhagadiis* Cervicis Uteri ad ulcerationem intrinsecam prohibendam, & ne putrefiant in ejectionem saniei, pessaria & sparallia in frequenti habet usu, quorum sequens est compositio:

℞. *Aloes succotrin.* ʒ j.
Rad. aristol. rotund. ʒ iij.
Terebinth. lotę q. s.
F. Pessarium ad sufficientem longitudinem.

℞. *Terebinth. lot.* ℥ vj.
Albi græci ℥ j.
Cerę ℥ ß.
Pulv. agrimon.
Consolid.
Pyrolę aa. q. s. *pro incorporatione.*

Fiat Pessarium, quod Rhagadia tegat, ulteriùsque non procedat, nec sit Rhagadiorum loco brevius.

℞. *Mulcilag. psyllii* ℥ j.
Ol. Amygdalar. amar. ℥ iij.
Succi florum tapsi ʒ vj.

Fiat Sparallium hoc modo: Linteum ejusdem longitudinis, cujus Rhagadia fuerint, huic intinge liquori: postmodum indes in vulvam, in qua per tres horas maneat: his transactis iterum intingatur, indureturque.

Aliam adhuc descriptionem sequenti modo adjungit:

℞. *Succor. pyrol.*
Consolid. aa. ℥ iiij.
Flor. hypericon.
Prunell.
Centaureæ aa. ℥ j.
Betonicæ ℥ vij.
Ol. anethin. ℥ iiij.
Fiat Mixtura.

Pulverem insuper adhibet sequentem, non modò Rhagadiis, sed ipsis etiam hæmorrhoidibus hujus partis accommodatum.

℞. *Mumiæ* ℥ j.
Laccę rubeæ ℥ ß.
Pulv. arantiarum,
Antimonii aa. ℥ ij.
Chimoleæ ℥ i ß.
Cachimiæ ʒ v.
Fiat Pulvis.

Verrucis. *Verrucas* Cervicis Uteri non aliter ac Verrucas hæmorrhoidarum tractat, nempe vel dulcibus corrosivis, vel medicamentis stercoralibus. Corrosivum dulce est sequens:

℞. *Ol. laterin.* ʒ j.
De Juniper. ℥ ß.
Ex myrrha ʒ ij.
Misceantur.

Corrosivum dulce mixtum cum aceto ità paratur:

℞. *Ol. laterin.* ʒ j.
Aq. aluminos. ℥ ß.
Viriditatis salis ad pondus omnium.
Fiat Mixtura.

Cura de stercoribus sequenti modo peragitur:

℞. *Patientis dejectum stercus*,
Misce cum oleo de vitellis ovorum.

Premat patiens, ut exeant verrucæ, iisque tunc medicina hæc superponatur.

Helmontiana cura in Tentigine. §. 15. *Helmontius* curationem *Tentiginis* pro causæ varietate variandam esse innuit, quæ fit, quando spiritus ex arteriis ad cavernas Clitoridis dirigente voluntate recipiuntur, quæ suscitatur per phantasiam libidinis in splene residentem, tunc suadet omnia Antivenerea, ut sunt succinum, agnus castus, virga cervi, veronica, lepus siccatus. Quando autem à spiritus flatuosi malâ dispositione, & retentione Clitoridem ità expandente, & Archeum uteri in furorem agente producitur, curam consistere ait in tenui victu, ut ægra lactucam comedat & portulacam, dein porrigendum suadet pulverem ex trochiscis de camphora, saccharo Saturni semine viticis, radice nymphææ, & cataplasma adhibet refrigerans, vultque ut Clitoris lacte papaveris sæpius foveatur.

Cauda. Si verò *Cauda* fuerit à laticis evasatione exorta, omnia ea propinanda suadet, quæ laticis hunc effluxum sedant & corrigunt.

Uteri Cervicis Angustia. *Angustia* Cervicis Uteri si fuerit propter nativam dispositionem malam, tunc cum aliis Auctoribus præter sectionem externam nulla commendat remedia, reliquas verò species emollientibus, lubricantibus & pessis quibusdam spongiosis nonnunquam corrigi posse opinatur.

Procidentia. In Cervicis Uteri *Procidentia* Archeum omnium primò placare studet per magisteria perlarum, succini, oculorum cancri, & similia, tum partem prolapsam repellit, & subadstringentibus, fotu nempe ex decocto musci, pruni sylvestris, plantaginis, balaustiorum eandem cohibet, ne denuò prolabatur; sin Archus nimium irritatus partem retrogredi non permittat, eundem pesso ex assa fœtida eò disponit, ut à furore cessans id, quod prolapsum est, in locum debitum diducat.

Pustulis. Ad *Pustulas* Cervicis Uteri curandas commendat varia depurativa remedia, & omnia è sulphure parata, item Antimoniata, Mercurialia, aut pro re nata realgaria fixa.

Condylomatis & Hæmorrhoidibus. *Condylomata & Hæmorrhoides* Cervicis Uteri eodem modo, ac ani condylomata & hæmorrhoides curanda vult, quarum curationem omnium optimè institui censet per sui mortificationem extinctionemque totalem, attactu & impressione medici agentis & mortificantis sympathetici & magnetici, ut lumen lunare frigidum in conum collectum unitumque per vitrum eas superradians, donec à frigore penetrentur suaviter, adeòq; sic in radice mortificentur, ut deinceps sua sponte evanescant. Commendat etiam in *Hæmorrhoidibus* sudorem morientium Cervici Uteri applicandum. Secare tumores hosce strenuè prohibet. Dolorem hunc per amuleta sanari posse non dubitat.

Ulcera

Ulceribus. *Ulcera* Cervicis Uteri curari ait eodem modo, ac aliarum partium ulcera, sed hic præprimis ablutionem fermenti corruptivi Cervicis Uteri remediis tum internis arcanis, tum externis suadet instituendam. Ad Ulcerum ergò Cervicis Uteri fabarum & coruptorem enecandum præ aliis realgaria sua fixa summopere commendat, i. e. arsenicum vel auripigmentum primùm per Nitrum fixata, dein ad Sulphur adstringens edulcorata & mitigata per repetitam Spiritus vini cohobationem, nec non colcothar Vitrioli, vel terram ejus in aqua communi solutam, & Cervicis Uteri cum linteis duplicatis applicatam.

Rhagadibus. *Rhagadibus* Cervicis Uteri medullosa inungit, unde pellis rigidior emolliatur, & dissoluta reduniantur, qua de causa medullam cruris vituli in linimentum redactam, conveniens satis existima esse remedium.

Verrucis. *Verrucas* etiam Uteri Cervicis ab affrictione pulpæ pomi per medium transcissi, & ad putrescendum posteà in terram defossi, disparituras esse promittit.

Vvillisii cura in Tentigine. §. 16. *Vvillisius* ipsi *Tentigini* curandæ studet, Clitoridis sensum paululùm obtundendo, ejus poros aperiendo, salia attenuando, illorumque exitum promovendo; quæ omnia obtinentur remediis diaphoresin adjuvantibus narcoticis associatis. Lactis etiam & balneorum usum in tali affectu non improbat, quibus salium acriomonia mitigetur.

Cauda. Quod *Caudæ* curam spectat, illam pro more soluto tractat, nec ab aliis Auctoribus in ea tollenda differt.

Uteri Cervicis Angustia. Quum Uteri Cervicis *Angustia* à viscidiori tenaciorique nutritio liquore oritur, illi tenuiori fluxiliorique reddendo operam navat, quam metam assequitur diaphoreticis, & quibusdam ex eis volatilibus, Prioris ordinis sunt folia Imperatoriæ, Valerianæ, card. bened. radic. chinæ, petasitidis, contrayervæ, sarsaparillæ, C.C. Philos. Antimonium diaphoret. bezoard. minerale, Sal absinthii, C.C. volatile, Spiritus C. C. &c. Ad humoris viscidìtatem corrigendam, illiquè fluiditatem comparandam, sequentem commendat mixturam.

℞. *Aq. Card. bened.*
Flor. Sambuc. aa. ℥. j ß.
Beozard. miner. ℈ ii ß.
Salis volat. C. C. gr. vj.
Spiritus Salis Armoniaci ʒ ß.
Syrup. Scabios. ʒ vj.
M. Utatur cochleatim.

Prolapsu. Uteri Cervicis *Prolapsui* medetur, fibras ejus corroborando & constringendo, spiritus volatiliores reddendo, quo fibras relaxatas faciliùs percurant, & serositates partis relaxationem foventes exhauriendo. Hæc peragit cùm internis, tum externis medicamentis. Internè volatilia quædam exhibet, qualia sunt Sal volat. C. C. fuliginis, viperar. & Spiritus eorundem, quæ cephalicis admisceantur; v. gr. aquæ betonicæ, majoranę, melissæ, lilii convallium. Spiritui ejusdem, urin. cran. human. Externè lumbos inungit balsamo apoplectico, petroleo, &c. Si Uterus foràs prodeat, illum fovet decocto ex foliis salviæ, rorismarini, origani, pulegii, lauri, quercus, florum balaustiorum, rosar. rubr. parato. Hisce non sufficientibus, pessarium aliquod, uterum magis coercens, vaginæ ejusdem solet inserere.

Pustulis. *Pustulas* curat, statim venam secando, & dein sanguinem purificantia, visceraque corroborantia, præmissa purgatione, propinando, Tale aut simile purgans exhibet.

℞. *Sulphur. antimonii* gr. vij.
Scammon. sulphurat. gr. vj.
Cremor. Tartari ℈ ß.
M. F. Pulvis, cum vehiculo exhibendus.

Hujusce verò aquæ usum maximè suadet.

℞. *Summit. abiet.* M. vj.
Fol. fumar.
Agrimon.
Elatin.
Hepatic.
Beccabung. aa. M. iiij.
Rad. lapath. acut. ℔ ij.
Cort. sambuc. M ij.
Exterior. vj. *aurantior.*
Incisis & contusis affunde seri lactis cum cerevisia medica facti ℔ viij. *Destil. origan. commun.*

Sed incassum hæc administrarentur medicamina, si topicorum oblivisceremur, quare hoc unguento pustulæ sunt illinendæ, si ad partem usque affectam ferri poterit.

℞. *Flor. Sulphuris* ʒ ß.
Butyr. non salit. ℥. iiij.
Zinzib. pulverisat. ℈ ß.
M. F. Linimentum.

Condylomatis. *Condylomata* curat laticis serosi spissitudinem & crassitiem atterendo & corrigendo, quæ peragit attenuantibus, sanguinique majorem motum conciliantibus. Huic scopo magnopere inservit pulvis seque ns.

℞. *Rad. Contrayerv.*
Serpentar. Virgin.
Petasitid. aa. ʒ j.
Coccinell.
Croci aa. ʒ ß.
M. F. Pulvis, cujus dosis ʒ ß. in vehiculo idoneo.

Pulvis etiam viperarum, extractum card. bened. Guajaci, Spiritus baccar. sambuci, hederæ, theriacalis camphoratus, &c. talibus affectibus profligandis opitulantur. Gummi Ammoniacum, Galbanum, emplastrum de meliloto applicari debent condylomatis, si profundiùs in utero non fuerint posita.

Hæmorrohidibus. *Hæmorrhoidibus* auxiliatur, sanguinis motum augendo, ejusque particulas subtiliores reddendo, & laxiores vasorum tunicas constringendo; ad hunc finem verò pervenit ope chalybeatorum, oculorum Canc. præparatorum, corallorum pp. cum admixtis diaphoreticis adhibitorum. Si Hæmorrhoides tumidiores existant, eas ferro, hirudinibus, magna tamen adhibita cautela, vult aperiendas.

Ulceribus. Si in *Ulceribus* adsint carnes putridæ & superfluæ, ipsas unguento Ægyptiaco aufert, & deinceps illa curat mundificantibus ex apio, & centauro minore, & digestivo ex terebinthina Veneta, vitello ovi dissoluta, oleo hyperici, myrrha & aloe confecto, illudque decocto ex radice gentianę & aristolochię rotundę, foliis absinthii & summitatibus hyperici lavando, & tandem ipsum ad consolidationem perducit adstringentium beneficio, cuius classis sunt pompholyx, tutia, plumbum ustum, cerussa, lapis calaminaris.

Tumore. Sanguinem in *Tumore* collectum statim dissipare satagit, tum internis, tum externis medicamentis. Internè enim exhibet pulveres ex myrrha, mumia, oculis cancrorum pręparatis, coraliis pp. sale absinthii, antimonio diaphoretico, &c. quę etiam in appropriatis vehiculis dilui possunt. Partem deinceps fovet decocto ex herbis chamomillæ Rom. melissæ, hyssopi, pulegii, calaminthæ, cerefolii, foliis rorismarini, &c. Sed si sanguis extravasatus nec à venis resoberi, nec per poros evaporari queat, illud ad suppurationem deducit emplastro diachylon magno cum gummi; abscessum postmodum aperit, & ulcus emplastro diapalmæ & digestivo communi consolidat. Partem per totum curæ tempus contra gangrænam munit, illam inungendo spiritu vini camphorato, aquæ calcis vivæ associato Solutio continui in pudendis facta, vel in difficiliori partu, vel à grandiori fœtu, ejus suasu balsamo Arcæi, cui admiscentur guttæ aliquot balsami Peruviani aut Tolutani, resarcitur, ægrota constanter tranquilla & in legitimo situ in lecto decumbente.

Rhagadibus. *Rhagades* sanat sanguinis diathesin acido-salinam mutando, serumque acre foràs aliminando. Hoc ultimo officio funguntur acidulę chalybeatæ, serum lactis, & sequens purgatio.

℞. *Rad. Oxylapath. sicc.*
Polypod. querc. aa. ʒ ß.
Fol. senn. ʒ x.
Rhabarb.
Mechoac. aa. ʒ ß.

San-

Santal. citrin. ℥ ij.
Spic. Celtic. ℥ ß.
Salis Tartari ℈ ij.

Ponantur in vitrum cum vini albi ℔ iij. deinde in usum depromantur, effundendo quotidie q. s. liquoris clarificati. Fissuras verò hoc linimento illinit,

♃. *Ol. ovor.*
Pingued. vervec. liquef. aa. ℥ j.
M. F. Linimentum.

Verrucis. Ad *Verrucas* profligandas in auxilium advocat omnia ea, quæ succi nutritii penu imminuere, ejusque remoram in partibus impedire valent. Ab euchymis ergò alimentis abstinere imperat, & sanguinis motum augentibus uti jubet Verrucas verò hoc pulvere dissipat.

♃. *Mercurii præcipitat. rub.* ℥ ß.
Alum. usti,
Pulv. sabin. aa. gr. xv.
M. F. Pulvis verrucis inspergendus.

Sylvii modus curandi Tentiginem. §. 17. *Tentiginis* cura peragitur, juxta *Sylvium*, absumendo ac sopiendo spiritus animales nimis circa Clitoridem lævientes. Spiritus animales absumuntur vigiliis perseverantibus, doloribus, inquietudine, ac animæ vexatione; & cùm ipse Author statuat, à nihilo magis spiritus hos irrequietos reddi posse, quàm à sale volatili acriori & quasi ab igne, sale putà in glandulis Cervicis Uteri forsan hærente, ac ibidem acriori facto, & hinc per volatilem spiritum volatilisato, ac tandem accedente arteriosi sanguinis igne majorem acrimoniam na cto, & sensim ad cerebrum elevato, & animalibus spiritibus conjuncto, atque illos in continua agitatione agente, & sic deliria excitante, quapropter acrimoniam istam spirituum corrigendam esse præcipit oleosis, emulsionibus hordei, seminum 4. frigidor maj. & papaveris, & quandoque amygdalarum, vel, quod juxta ipsum præstat omnibus, Sulphure pacativo Vitrioli neutiquam narcotico Pro causæ ergò varietate seligenda esse diversa remedia sæpius præcipit.

Cervicis Uteri Angustiam. *Angustia* verò Cervicis Uteri si fuerit à nativitate, ferro eam aperiendam esse jubet, ut & illam, quæ fit propter obductam membranam validam.

D. stensionem nimiã. In *Numiæ Dilatationis* Cervicis Uteri cura sedulam dat operam, ut causæ externæ nocentes vitentur, atque noxa in utero reperta laxitasque nimia corrigatur. Cavendum ergò imprimis esse vult ab usu vel abusu potiùs omnium aqueorum nimia copia assumendorum, à balneo nempe aquæ dulcis & fotibus similibus relaxantibus, cæterisque emollientibus. Usurpanda è contra præcipit cum alimẽtis condimenta tum aromatica, tum blande austera & adstringentia, sed grata. Commendat quoque suffitus blandè adstringẽtes, quos præfert fomentis, quæ tamen cum vino rubello, & adstringente, si parentur ex plantis adstringentibus, usurpari quoque posse autumat. Talia sunt, quæ parantur ex radicibus bistortæ. tormentillæ, caryophyllatæ, plãtaginis, bellidis, equiseti, foliis quercus, myrti, sorbi, mespili, &c. floribus rosarum rubrarum, balaustiis, baccis myrti, gallis, cortice granatorum, Nuce cupressi; terræ sigillatæ omnes, alumen rupeum, &c Suffitus etiam parat ex mastiche, thure, rosis siccis. Commendat similiter internè medicamenta, leniter adstringentia, & quidem quantitate parva, & vicibus repetitis; juxta ipsum enim, si assumantur medicamenta blandè adstringentia, tota sanguinis massa reddetur paulatim crassior firmiorque, ipseque adeo uterus consistentiam acquiret firmiorem, ac densiorem.

Pustulas. *Pustularum* Cervicis Uteri cura absolvitur juxta ipsum iisdem remediis, quæ in lue Venerea conducunt, decoctis nempe tàm sudoriferis, quàm evacuationibus mercurialibus, ac imprimis salivatione ritè institutis, his enim convenienter administratis pustulas hasce spontè cessuras esse existimat, quas etiam pustulas, ut cura festinetur, decocto Guajaci aliorumque lignorum foveri vult, quibus non proficientibus, Sal volatile cupri tinctura imbutum laudat, tanquam arcanum, nec non Mercurium præcipitatum unguento diapompholygos admixtum & pustulis applicatum

Condylomata. Cura *Condylomatum* muliebri pudendo inexistentium, præter luis Venereæ curam universalem, per medicamenta illis applicata Mercurialia acriora ipsa consumentia, cæterosque spiritus acidos Vitrioli, Sulphuris, & similes commendat. Conducit præprimis juxta ipsum sequens remedium.

♃. *Aq. plantag.*
Rosar. aa. ℔ ß.
Alumin. crud.
Mercurii sublimat. aa. ℥ j.

Mista in vitro decocta & post subsidentiam effusa linteo parti affectæ applicentur.

Hæmorrhoides. In *Hæmorrhoidum* fluxu nimio summis evehit laudibus mixturam solennem sequentem cochleatim exhibendam.

♃. *Aq. Plantag.* ℥ ij.
Cinamom.
Acet istill. aa. ℥ ß.
Diascord. ℥ ij.
Ocul. cancrorum pp. ℥ ß.
Antimon. diaphoret. ℈ j.
Syr. rosf. rubr. ℥ j.
M.

Cui conditi forma est gratior, ei sequens præscribit.

♃. *Conf. rosf. rub.* ℥ ij.
Diascord. Frac. ℥ ij.
Confect. Hyacinth. ℥ j.
C. C. ust. & *pp.* ℥ ß.
Syr. myrth. q. s.

M. F. Conditum, de quo assumat ægra aliquoties in die ad nucis moschatæ quantitatem.

In Hæmorrhoidibus verò cœcis commendat aperientia, pituitam incidentia ac Martialia hinc inde ad nauseam jam præscripta.

Vlcera. *Vlcerum* Cervicis Uteri cura convenit cum curatione luis Venereæ, quia utplurimum ipsius sunt symptomata, quare universali luis curæ ipsa simul curari & tolli statuit, tum ea, quæ per decocta sudorifera, tum ea, quæ per salivationem cæterasque vacuationes Mercuriales absolvitur. Ea verò etiam decocto Guajaci aliarumque radicum & herbarum aromaticarum potentium ablui ac mundari posse scribit, tangique vult sale volatili liquido & cupri tinctura imbuto. Unguentis etiam admiscet Mercurium tum præcipitatum, tum sublimatum, ac præsertim dulcem, concludit dein consolidantibus. Ad Ulcera verò hæc tam mundanda, quàm consolidanda, præ aliis Author commendat balsamum Sulphuris vel anisatum gratiorem, vel succinatum potentiorem, ad guttas duas vel plures in mistura vel decocto aliquoties in die sumendum.

Rhagades. *Rhagadum* cura consistit in acrimonia humorũ temperanda ac corrigenda, in quem finẽ commendat oleosa plura, oleum ipsum, lac quodvis, & alia acidum concentrantia, ut cretam, Sal Saturni, corallia, thutiam, masticen, &c. rhagadibus perquàm utilia, aliaque cataplasmata hinc inde jam commendata.

Verrucas. *Verrucæ* Vaginæ Uteri curantur ab ipso, imprimis si lues conjuncta est, cura universali, dein per externa applicata Mercurialia acriora ipsas verrucas consumentia, aliaque acida opposita, ut sunt spiritus acidi Vitrioli, Sulphuris, Nitri, &c. quorum spirituum gutta una vel altera tangantur verrucæ, & quidem toties, donec corrosæ sint & siccatæ decidant.

Cartesianorum ratio curandi Tentiginem. §. 18. *Cartesiani* curationem *Tentiginis* dextrè absoluturi, morbi hujus gradus studiosa pervolvunt mente, atque ex diuturniori spirituum in tubulis mentulæ hujus muliebris detentione productam marpesiam istam cautem resolvunt emollientibus fibras, & dilatantibus poros, ut hac ratione spirituum copiæ dispergantur & vertantur in fugam per conciliatam exhalationem, quod commode peragi posse observarunt fotu aliquo mediocri ex lacte calido, quo linteum imbutum parti huic limites egressuræ admovetur, vel decocto quodam florum sambuci, nymphææ, corticum fabarum, herbæ solani, cui parum additum fit de camphora. In majori Inflammatione linimentum ex bolo, vel terra sigillata cum camphora, mediante spiritu vini unitis paratum parti huic inungunt, ut spiculæ illæ igneæ promptiùs elician-

eliciantur. In furore Venereo concitatis æstum hunc aliquando sedari & intumescentiam imminui posse asserunt, avocatis spiritibus aliorsùm per subitum quendam terrorem, & affusione aquæ frigidæ ex improviso in Cervicem & sinum, modò & hic ne quid agatur nimis, nec totalis liquoris nervosi circuitus inhibeatur. Reddita denique parte hac ex frequentiori spirituum aliorumque liquorum, imprimis chylosi nutritii, sæpe libidinosa quadam petulantia promoto, influxu tam vasta, ut pudoris in sinu ulteriùs nequeat tegi, sed ipsum etiam incessum reddat molestiorem, ab antiquioribus jam monstratam resectionem concedunt instituendam, ut abjecta sic corporis parte superflua, residuum ab onere importuno liberetur.

Caudam. Hoc quoque Porrigunt consilium in *Cauda*, ut portio uteri extra collum propendens, & non adeò magna, discutientibus ad formam redigatur decentiorem, vel si fibræ ab humorum influxu redditæ sint laxiores, decocto rosarum, balaustiorum, foliorum quercus, gallarum & aluminis eam aliquoties abluunt mediante syringa; majorem caudam pulveribus causticis ex alumine usto, vitriolo usto, vel etiam sublimato aut unguento Ægyptiaco per canalem quendam plumbeum aut stanneum adhibitis, ne cæteri tangantur parietes, absumunt, vel partem superfluam filo ligant, ut ulterius ei nutrimentum denegetur, & portio flaccescens decidat; aut partem forcipula prehensam cultro apto abscindunt, & residuo pulverem ex myrrha, mastiche, aloe, calce viva, & Vitriolo usto adspergunt.

Cervicis Uteri Angustiam. *Angustiam* Cervicis Uteri leviorem solo digito aliquando corrigi & dilatari posse promittunt, eoque faciliùs, si oleo priùs fuerit intinctus; vel etiam congressu cum viro, sed legitimo & non violento. Ubi partes sunt duriores, & dilatationem hanc non admittunt, easdem emollientibus fovent ex decocto malvæ, althææ, artemisiæ, seminis lini, & posteà pessum vel turundam insinuant ex radice gentianæ, vel spongia arctè ligata, ut ità sensim dilatetur. Orificio existente angustiore, digito intromisso illud dilacerant, & posteà vel solum ovorum oleum, vel unguentum digestivum commune illinunt, aut in hæmorrhagia majori pulverem ex thure, bolo armeno, sanguine draconis, mastiche aliisque inspergunt. *Membrana* qua orificium obducitur, decussatim incidunt, & canalem plumbeum linimento cicatrisante obductum tamdiu inducunt, donec omnia sint consolidata. Totalem vaginæ defectum, ubi nullum cavitatis adest vestigium, nulla arte sciunt emendare.

Vaginæ Procidentiam. *Vaginæ Procidentiam* curant partem prolapsam in situm convenientem reponendo, & in eodem studiosè conservando. Repositionem peragunt muliere in dorsum supina recumbente, cruribus distentis & genibus sursum attractis, candela cerea portionem dependentem reprimendo, quod ut faciliùs voto respondeat, candelam oleo hyperici illinunt, & Sale Saturni adspergunt. Intrusa parte, ipsam candelam per tempus aliquod in cavitate permittunt, ut ità relapsus prohibeantur, & ut candela commodè rursus extrahatur, alteram ejus extremitatem filo alligant, quod extra vaginam propendeat. Parte sic reposita, eam vinculis, pulvinulis comprimentibus, spongiis & emplastro de mastiche, de pelle arietina, vel sequenti, ut in situ remaneat, obfirmant.

℞. Pic. ℥ iiij.
Resin. ℥ ij.
Baccar. lauri ʒ ß.
Colcoth. Vitrioli ℥ j.
Gallar. ℥ i ß.
Ol. myrtillor. q. s.
M. F. Emplastrum.

Ægram intereà quietam degere volunt, atque à tussi, clamore, incessu frequentiori, conatu validiori in excernendis scybalis intestinorum penitus abstinere, qua de causa jubent, ut per octiduum ægra quieta degat in lecto, & ad duriorem alvum solvendum utatur clystere emolliente. Pileolum etiam eburneum debita magnitudine ad detinendam partem prolabentem suadente adhibendum, in superiore parte foraminosum, in parte verò inferiore margine dotatum, per quem uincula trajecta sint, quibus dorso alligetur, ut sic urina cum menstruis transfluere possit, & pileolus hic nihilominus firmus permaneat, quem externa etiam in parte emplastro quodam adstringente obducunt.

Pustulas. *Pustulas* Ceruicis Uteri abigere student præmissis internis purgantibus, particulas acutas absorbentibus & eliminantibus, ex Mercurio dulci, cum confectione Hamech, nec non similibus diaphoreticis, & quæ ex Antimonio & lignis comparantur, pustulas ipsas abluēdo aqua calcis uiuæ, cum spiritu florum sambuci & camphoræ, uel decocto plantag. flor. sambuci, ligni sassafras, olibani & lapidis calaminaris, cui nonnunquam aliquid colcotharis aut florum suphuris addunt. Decoctum quoque farinæ lupinorum in cereuisia secundaria factum, in pustulis hisce salutare existere asserūt, quod præstantius redditur, si myrrha in eo fuerit dissoluta.

Condylomata. In *Condylomatibus* sudorifera magno habent in usu, ut succi superflui iisdem absumantur, tum externa absumentia inspergunt, ut pulverem ex alumine usto, ærugine, sabina, Mercurio rubro, Antimonio crudo, terra Vitrioli dulci, lapide calaminari, quos cum terebinthina & butyro etiam in unguentum redigunt, illudque tuberculis hisce illinunt.

Hæmorrhoidibus. *Hæmorrhoides* Cervicis Uteri nimiùm fluentes sistunt uenæsectione in brachio instituta, & post hanc remediis internis particulas acutas absorbentibus, & sanguinis fluxum imminuentibus, qualia sunt Conserua balaustiorum, tormentillæ, rob de cornis, bolus Armenus, succinum album pp. semen sumach, sanguis draconis, corallia rub. pp. lapis hæmatites præparatus, liquor aureus, decoctum ad hæmorrhagiam uteri *Mynsichti*. Topica quoque adhibent ex C. C. usto, mastiche, olibano, aloe, cum terra sigillata, vel bolo Armeno, & aqua folior. quercus in linimentum redactis: vel loco aquæ adhibito oleo myrtino, uel cydoniorum. In Hæmorrhoidibus uiciniæ hujus cæcis, tumentibus & dolentibus purgationem approbant, & sudorifera commendant, tum topica anodyna adhibent, emollientia & discutientia, ex albumine oui, unguento populeonis, oleo rosarum, axungia anatis, anguillæ; uel radicem scrofulariæ coquunt in butyro insulso donec in mortario lapideo contundi, & in linimentum redigi possit, addito uitello oui & pauco croci, illudque inungunt. Interdum linimentis istis pulueres admiscent ex cerussa, lithargyrio, alumine, testis concharum fluuiatilium ustis, lapide scissili, thure, & ejusmodi aliis.

Vlcera. *Vlcera* Ceruicis Uteri sanare tentant Mercurialibus tum purgantibus, tum sudoriferis, aliisque ex lignis paratis remediis intus exhibitis, sæpiusque tincturam tartari Antimoniatam, & myrrhæ ordinario potui instillant. Ulcera ipsa detergent aqua mercuriali, spiritu uini camphorato, infuso thuris, aloes, camphoræ, & sublimati in spiritu uini facto, ut hisce mediantibus à particulis purulentis destructiuis emundentur, quo impetrato residuas particulas acutangulas absorbent porosis ex lithargyrio, tutia, cerussa, lapide calaminari, terra uitrioli dulci, mastiche, myrrha, terebinthina, unguento diapompholygos, linimento ex ebore usto, plumbo in aqua trito, & myrrha mediante aqua calcis uiuæ parato, quibus optimè carne explentur & consolidantur.

Rhagades. *Rhagades* complanare student tum mucilaginosis fibras rigidiores emollientibus, tum porosis particulas angulares absorbentibus, præmisso sudorifero ex lignis, quapropter linimentum adhibent ex seuo ceruino, thutia præparata, camphora, saccharo Saturni & oleo ouorum.

Verrucas. *Verrucas* Cervicis Uteri minores interdum attingunt butyro Antimonii, oleo sulphuris, vel Mercurio sublimato; longiori collo præditas constrictione fili aut resectione cultelli auferunt, & unguento de thutia particulas acutas absorbent & cicatricem conciliant.

Nostra cura in Tentigine. §. 19. *Nos* tali utimur apparatu. In Curatione *Mentulæ* seu *Tentiginis* non statim ad sectionem accedimus, ut plures incautè faciunt, sed potiùs remediis convenientibus eandem, quantum possibile, auferre tentamus. Si affectus fuerit convulsivus, conducunt omnia antispasmodica, ut sunt Cinnabarina, castoreata, succinata,

Camphorata, non quod Camphorata Venerem exstinguant, uti Veteres somniarunt, sed ad tetanum abigendum omnem enim obstructionem in nervis factam tollunt: pulv. spasmodicus n. d. item Cephal. Mich. spiritus eboris, C. C. ligni aloes, liq. C. C. succ. Saturn. succin. castor. spir. fl. Tiliæ, Spiritus Sal. Armoniaci anthosat. lavendulat. &c. Sunto formulæ in Juniorum gratiam sequentes.

♃. *Cryſtall. ppt.* ℥ j.
Dent. hippopotam ph. ppt. ℥ ß.
Cinab. Antimonii gr. xvj.
Salis ſuccin. volat. gr. vj.
Camphor. gr. iv.
M. F. Pulvis, cui ſcatulæ impoſito adhuc inſtill.
Ol. deſt. rutæ gt. iij.
Cinam. gt. j.
M. F. Pulv. cuspidatim ac per vices capiendus.

Vel

♃. *Aquæ Scabioſ.* ℥ i ß.
Card. bened. ℥ j.
Spiritus fl. til. ℥ ß.
Ebor. ph. ppt. ℥ ß.
Unicornu foſſil. gr. xvj.
Cinab. Antimonii gr. iv.
Syr. pœon. ℥ vj.
M. D. cochleatim.

Externa etiam egregiam afferunt operam, ut spir. matricalis, Spiritus vini Camphorat. Elixir vitæ, Aqua Calcis vivæ, Aqua Regin. Hungar. Spiritus Sal. Armoniaci cum Camphora & tepidè applicata vel injecta. Si malum verò fuerit à nativitate vel à laxitate vasorum, decocta injiciantur modicè astringentia.

Aliquando & aliæ carneæ excrescentiæ è pudendo muliebri enascuntur, ubi hoc morbo affectæ fœminæ, contrà quàm fit in *Tentigine* laborantibus, horrent coitum, eumque præ dolore ferre nequeunt, quæ caro luxurians tutius exscindi potest, si nempe hypersarcosis notetur & propendeat, quæ sectio fit vel filo serico vel equino, vel ferro, semper tamen medicamenta fortiter exsiccantia, ut Spiritus calcis viv. Spiritus matricalis, &c. præmittenda, si his non cedant, ad fortiora accedere debemus, ubi enim medicamenta non sanant, ferrum sæpe sanare debet.

In Cauda. *Cauda* est caro spongiosa, quæ vel corrosivis, vel fortiter exsiccantibus tolli debet, ut sunt calx viva, & ejus spiritus, pompholyx, Tutia, aloe, mastix, succinum, & ex his paratus Spiritus matricalis, crystalli. mandibulæ lucii, alumen ustum, terra Japon. in forma pulverum imposita, vel in forma epithematis, vel instar linimenti. Inter composita excellunt unguentum Ægyptiacum nostrum correctum & ad duritiem priùs coctum, Elixir vitæ. Imò sæpè etiam ad acidos corrosivos confugiendum est spiritus, ut Spiritum vitrioli, Salis, Sulphuris &c. Aqua calcis vivæ, cum Mercurio dulci maritata optimè conducet, imprimis si huic affectui conjuncta fuerit lues Venerea, Mercurialia enim quascumque visciditates acidas absorbendo attenuant.

Cervicis Uteri nimia Angustia. Quoad *nimiam Angustiam* Cervicis Uteri, hæc subinde repetito negotio conjugali solet sanari, sin minus id fiat, per speculum matricis dilatanda venit, si verò fuerit penitus occlusa, methodo Chirurgica curatur. Et, si vagina uteri forsan coalescat, post excoriationem aut exulcerationem, vel à nativitate, difficile, imò plane impossibile est eam citra sectionem curare, quæ cura & sæpè dubia est. Si membrana pudendi orificio vel collo Cervicis annata pudendi fores claudat, instituatur sectio, dein applicetur pessarium ex plumbo per triduum, vel applicetur cum linteis duplicatis liquor noster divinus, ne coalescant partes disjunctæ, seu labia: Si post exulcerationem pudendi labia coaluerint, sectio quoque tutò institui potest. Sin verò profundiores partes coaluerint, non absque periculo ejusmodi sectiones instituuntur. Si verò pudendum à tumore quodam duro claudatur, tumor ille resolventibus blandis discutiendus: si ab excrescentia, ea etiam priùs tollatur exsiccantibus ita dictis remediis, ut sunt myrrha, aloe, alumen ustum, Martialia, olibanum, aristoloch. flor. ros. sicc. balaust. &c. vel ex compositis Spiritus matricalis, Spiritus calcis vivæ, Elixir vitæ, spir. vini Camphor. &c. Si verò his tolli nequit, superfluum idoneo instrumento abscindatur, & lege artis consolidetur.

Nimia Dilatatione. Si nimis patula & relaxata sit vagina, seu cervix uteri, ope balneorum, insessuum, aut infusionum adstringentium aluminosorum aliquando curatur: hinc sequens conducet pro insessu.

♃. *Rad. conſol. maj.*
Biſtort. aa. ℥ j.
Cort. granat. ℥ ß.
Fl. balauſt.
Fol. quercus,
Plantag. aa. Mj.
Terr. Haſſiac. noſtr. ℥ j.
Coq. in Aq. ſimpl. q. ſ. pro insessu.

Vel liquor noster ex terra Hassiaca, ex alumine & vitriolo constans, quadruplicatis linteis exceptus calidè imponatur sæpiùs, hinc enim constringuntur omnia vasa ac corrugantur. Alii parant ex sindone rubro sacculos aut pessos coctos in vino rubro pudendo insinuandos. Nonnulli frustum aluminis oblongum Vulvæ intrudi jubent, plures Spongiam aceto imbutam applicandam suadent; sed in hisce cautè incedendum, ne ejusmodi acidis noxam partibus hisce membranosis valde sensibilibus inferas.

Pustulis. *Pustulæ* Cervicis Uteri, quæ sæpè à lue Venerea ortum habent, curantur diaphoreticis aliisque remediis lui huic dicatis; conveniunt ergò decocta lignorum, omnia volatilia, item Mercurialia, quæ acidum hoc morbosum valdè domant, in quem finem instituatur sæpè sudor sequenti vel simili remedio.

♃. *Aquæ fumar.* ℥ i ß.
fl. sambuc. ℥ ß.
Spiritus matrical.
Tincturæ Antimonii Tartariſat. aa. ℥ ß.
Bezoard. Ioviał. gr. iij.
Syr. fum. ℥ ij.
Miſc.

Potest etiam mixtura diaphoretica per vices & cochleatim assumi.

♃. *Aquæ Card. bened.*
Enulæ aa. ℥ ij.
Eſſent. fumar.
Enul. aa. ℥ ij.
Viperar. ℥ j.
Specif. uterin. n. d. ℈ j.
Syr. card. bened. ℥ j.
Miſc.

Sic etiam potui ordinario indi possunt herbæ scabios. fumar. Enul. Saponar. phleg. Rad. bryon. enul. caryophyllat. Antimon. crud. vel essent. lignorum, viperarum, vel Tinctura Corallor. cum Spiritu matricali parata, ad 40. guttas potui instillari possunt Pustulæ enim hæ non aliter, ac lues Gallica, curari debent. Externè mixtura ex Aqua calcis vivæ, plantagin. cum Spiritu matrical. Mercurio dulc. & Camphora erit instar omnium, vel sequens, quo plures ejusmodi curavimus pustulas virulentas.

♃. *Ol. Sambucin.* ℥ j.
Sal. Saturni ℥ i ß.
Camphor. ℈ i ß.
Miſc. f. Linimentum, quo imbuta lintea intrudantur vaginæ seu Cervici Uteri, vel decoctum calcis vivæ cum Sale Saturni, vel in forma fotus calidè pustulis imponendi.

♃. *Pulv. myrrh.*
Oliban. aa. ℥ i ß.
Aquæ fl. sambuc. ℥ iij.
Plantagin.
Sperm. ranar. aa. ℥ ij.
Sal. Saturni ℥ ß.
El. diaſcord. ℥ ß.
Miſc.

& im-

& imponatur tumoribus pudendi, vel injiciatur ipsi Cervici Uteri pustulis obsessæ.

Vel: ♃. Ol. Tartari per deliq. cum oleo amygd. dulc. permixtum, applicetur, vel decoctum aliquod ex herbis resolventibus, cui addatur Sal Saturni, & momentum Mercurii præcipitati, Camphoræque.

ondyloma.

Cura *Condylomatum* Uteri Cervicis in eo consistit, ut stagnatio succorum in Cervice Uteri coagulatorum ac collectorum impediatur, quod tum internis, tum externis remediis obtineri potest. Inter interna commendamus varia diaphoretica, stagnationem succorum præ aliis tollentia, inter quæ & varia incidentia eminent, ut sunt Spiritus matrical. Elixir vitæ, Essent. Nicotian. anthos, essent. enul. fabariæ, meliss. cort. citri, Elix. propr. sine acido spir. Vitrioli, Martis pulveres absorbentes ac incidentes Tartarei interponendi sunt, non neglectis uterinis & Sale volatili gaudentibus medicamentis, herbæ ac radices aromaticæ hic quocumque modo conveniunt. Inter externa conducunt quoque varia tumoribus aliis & quidem induratis convenientia, præ aliis proderit fotus ex emollientibus, herb. linar. fl. sambuc. chamomill. verbasci, sem. lini, fœnugræc. &c. adjectis Sal. Armoniaci, Tartari &c. institutus. Prosunt etiam varia linimenta in hæmorrhoidibus cæcis jam dicta, pluresque commendant pulv. testar. cochlear. nostra verò experientia lapis scissilis Angelicus vel Irlandicus forma pulveris vel liquore nostro volatili vel spir. matricali exceptus calidè sæpius tumoribus his imponatur. Cl. D. *Michaelis* ex pomo insan. N. j. in minutas partes conciso, addito oleo capparum cocto ad exsiccationem, & virid. ær. ℥ j. c. s. q. ceræ parat unguentum. Emplastrum quoque de Labdano cum oleo lini in forma linimenti egregium est. Sectionem hic ab Aetio aliisque antiquis commendatam non admittimus, sed potiùs dissuademus. Lintea aqua Reginæ Hungariæ addita camphora imbuta apponantur, vel aqua calcis viv. spir. vin. camph. fl. sambuc Sal Armoniaci cum calce viva paratus, quæ remedia in curandis his condylomatibus egregia sunt.

orrhoi s.

Curam *Hæmorrhoides* Uteri aliam exposcunt *cæcæ*, aliam *fluentes*, cæcæ & multo sanguine turgentes curantur fotu ex flor. chamomill. verbasci, herbis linariæ, fabar. vel cataplasmate ex herbis emollientibus malv. alth. parietar. ebul. fl. nymph. chamomill. farina hordei, cum lacte parato, vel linimento ex oleo lini, verbasci, 7. florum *Myns.* Mitigato dolore, ad exsiccantia remedia accedendum, Sal Saturni, aloen, mastich. & ex his paratum spiritum matricalem, vel spir. vini camphoratum, &c. Sæpe etiam his nihil proficientibus fricentur foliis ficus aut parietariæ. Alii tubercula hæc hæmorrhoidalia salivæ illitu tollunt. Sic quoque Celeberr. D. *Vvedelius*, Amicus noster singularis, fabariam de collo suspendere jubet, & quidem cum effectu. Onisci in oleo lini macerati vel infusi oleum constituunt anodynum, Specificum contra hunc dolorem hæmorrhoidalem, quem etiam optimè curat. Oleum Scarabæorum singularissimum habetur anodynum in doloribus hæmorrhoidalibus cæcis.

In *fluentibus* verò *hæmorrhoidibus* Cervicis Uteri, qui scilicet nimium sanguinis fluxum comitem habent, fluxus iste ante omnia sistendus est tum internis, tum externis topicis remediis.

Inter interna præ aliis hic commendamus Tinctura Sulph. Vitrioli Martis, vel Tinctura terr. nostræ Hassiac. vel corallor. cum cera paratam, vel terr. Japon. cũ spir. matricali paratam, & omnia ea, quæ in nimio Mensium fluxu laudavimus hic prosunt, imprimis sequens.

♃. *Rad. filipendul.*
Tormentill.
Rub. tinct.
Liquirit. aa. ℥ ij.
Herb. menth.
Caryophyll.
Veronic.
Heder. terr. aa. M ß.
Fl. bellid.
Hyperic. aa. P ij.
Ocul. cancrorum crud. ℥ ß.
Coq. in Aq. commun. Colat. ℔ ij.
add. Syr. veron. Heder terr. aa. ℥ j.

Dentur ℥ iij. pro una vice.

Inter Externa aliis palmam præripiunt liquor noster stypticus, vel aqua nostra styptica, vel liquor terr. Hassiac. per deliquium in cella paratus & tepidè applicatus, vel solutio terræ Vitrioli Martialis, cum linteis quadruplicatis impositus, vel ol. momord. imò sufficit aliquando spir. vini tepidè applicatus. Proderunt quoque omnia ea, quæ capite de *Hæmorrhagia* prolixius commendavimus, quæ hic repetere non libet.

Procidentia

Ad *Procidentiam* Cervicis seu potius *Prolapsum sinus pudoris*, cutis anguillæ elegans habetur remedium, ubi suffitus inde instituatur, quo D. *Michael* felicissimè usus est. Conveniunt verò omnia remedia, quæ attulimus in procidentia uteri, & ani; instituatur ergò ante omnia suffitus ex asphalto, mastiche, olibano, &c. spir. matricalis cum camphora sæpiùs validè applicatus in prolapsu vaginæ uteri maximè prodest. Sic & hic ligamenta cum globulis ex cera vel corio confectis nõ contemnenda sunt, vel pomum amoris in oleo Hyper. posit. & applic. conducit, imprimis in inveteratis procidentiis; fotus adstringentes hoc in casu haud negligendi sunt, de quibus alibi ad nauseam diximus, affectus enim hic non aliter curatur, quàm procidentia uteri vel ani, hinc supra dictum oleum momordicæ elegans erit remedium. Excrescentiæ verò nunc rugosæ, nunc carnosæ extra vaginam uterinam enatæ prolapsum uteri mentientes abscissione curatæ sunt, vide *KerKring.* de vaginæ uteri extensione nimia, & confer *Stalpart.* 296.

Vlcere.

Si *Vlcus* vaginæ uteri fuerit contractum ex reiterato coitu cum maribus lue Venerea inquinatis, & simul adsit tam prostatarum glandularum, quàm vaginæ uterinæ exulceratio, quæ saniem cum insigni dolore & molestia stillat, ob plures laceratos tubulos, succos suos, imprimis nutritium effundentes; curatur hoc ulcus eodem modo, ac gonorrhœa maligna virorum, terebinthinatis & remediis ex lignis, spir. matrical. cum resina Guajaci ac sassafras, &c. Inveterata verò non aliter sanabis, quàm ut ipsam luem Veneream tum per purgantia, Confect. Hamech, Mercurium dulc. &c. tum per sudorifera spirituosa spiritum Matricalem, Lumbricorum, sassafras, guajac. & Decoct. Antivenereum nostrum experientia probatissimum.

Inter topica præstat aliis sequens linimentum, quod turundis illitum intrudunt in vaginam uterinam, ut mortificetur ulcus jam productum; vel utere sequenti remedio topico:

♃. *Aquæ calc. viv.* ℔ j.
Elix. vitæ ℥ iij.
M.

quo eluantur partes exulceratæ:

Vel

♃. *Spiritus vin. Camph.* ℥ iv.
Oliban. pulv. ℥ j.
Salis Saturni ℥ ß.
Alumin. ust. ʒ j.
Misc. & calidè applicetur.

Vel

♃. *Ol. hyperic.*
Sambuc. aa. ℥ ij.
Aquæ calc. viv. q. s. Redigantur l. a. per agitationem in formam nutriti, quod calidè immittatur ulceri Cervicis Uteri. Spiritus matricalis & hic quoque convenit. Varia itidem decocta ex vegetabilibus parata injici possunt. Thermæ quoque in ulceribus hisce inveteratis ac fistulis, imprimis exsiccantes Sulphureæ optimæ sunt, tum etiam artificiales, ex similibus paratæ mineralibus.

Si ulcus fuerit productum à secundina putrescente, Elixir propr. sine acido paratum prodest, item Spiritus matricalis ad 6. guttas in Aqua pulegii, meliss. vel artemis. &c. sæpiùs propinatus. Conveniunt quoque suffitus ex gummi hederæ, Juniperi, Thure, mastiche, myrrha, Labdano, quibus, si scil. à morbo Gallico ulcus sit, addatur Cinnabaris nativæ vel Antimonii

timonii momentum. Huc quadrat sequens casus: Susanna de Fontfroide, uxor pharmacopolę Nemausensis 50. annis major, quæ per 25. annos ulcus uteri cum omnium ægritudinis istius Symptomatum syndrome sustinuerat, atrocibus tandem alvi & coccygis doloribus correpta est, quę per trium aut circiter hebdomadarum spatium noctesque diesque sævientes, deliria, convulsiones, ileumque excitarunt. His sedatis duodecim aut tredecim ossa parvula quidem, verùm integra & rectè conformata cum biliosis alvi dejectionibus excrevit. Horum figura peculiaris in nullis unquam bipedum quadrupedumque ossibus visa fuit, ne suspicari contigisset ab ægrotante deglutita esse. Defunctæ cadavere aperto, prædictum uteri ulcus callo obductum inventum est. Abscessus autem steatomatis indolem redolens, uterum inter & rectum intestinum adfuit, sanis interim & inculpatis visceribus donata nullam in partibus carneis osseisve læsionem præbuit.

Rhagadibus. *Rhagadarum* cura est pro causæ diversitate varia, si enim vel à coitu violento, vel partu laborioso sint pronatæ, clystere uterino utatur ægra ex decocto aristolochiæ, plantag. cum olibano & terra Japonica. Si pruritus vel dolor conjunctus sit, conducet ungu. anodynum ex mucilag. sem. psyll. cydon. malv. cum butyro majali: vel

℞. *Ungu. diapompholyg.*
Populeon.
Anodyn. aa. ℥ iij.
Sal. Saturni ℈ j.
Mercurii dulc.
Camphor. aa. ℈ ß.
Misc.

Vel

℞. *Spiritus vin. Camph.* ℥ ij.
Sacch. Saturni ʒ j.
Elix. vitæ ʒ i ß.
M.

vel: ℞. Spiritus matrica l. cum camphora, adhibeatur. Ex variis decoctis mundificantibus possunt etiam fieri injectiones in Cervicem Uteri.

Verrucis. *Verrucarum vaginæ Uteri* cura consistit in earum ablutione, inquem finem conducunt omnia remedia, quæ potenter exsiccant discutiuntque, ut sunt origanum, ruta, scordium, sabina, thus, aloe, Mastix, Thuris cortex, imprimis verò ex his compositus ac cum spir. vini destillatus, spir. matricalis, exuviæ serpentum cum caricis mixtæ, & applicatę pro specifico hujus mali habentur. His nihil juvantibus ad potentiora, erodentia nempe accedendum est, ex quibus hoc in casu commẽdantur succi bryoniæ, cucum. agrestæ, esulæ, stercus ovillum & fel hircinum cum Nitro. Alii ad acida fortissima transeundum esse jubent, sed cautè hisce incedendum esse author sum. Securum ac tutum verò remedium est ad absumendas excrescentias quascumque, liquor noster Mercurium in Lunam commutans, constans acido nitroso & vitriolico subtili. Remediis istis nihil proficientibus verrucæ hæ ferro exstirpandæ sunt, volsella scil. vel forcipe, at dein pulvis sanguinem sistens vel liquor noster stypticus imponendus, & vulnus debito modo curandum. Rarissimè vel nunquam fœminæ pudicitia instructæ hoc in casu admittunt Chirurgum, ea propter negotium hoc mulieribus obstetricibus committendum est. Verrucæ magis foràs propendentes & pensiles pilo equino vel filo sericeo deligandæ veniunt, singulis diebus constringendo, ut deficiente tandem nutrimento planè decidant. Vel sæpiùs applicetur spir. vin. Camph. spiritus sal. Armoniaci cũ calce viva destillatus, Elix. vitæ, spiritus matric. ol. Tartari per deliq. &c. quòd si propter loci profunditatem hoc obtineri nequit, rorismarini vel origani caulis accendendus & verrucis admovendus, vel caule ignito sæpiùs tangendæ sunt. Si nec hoc modo abigi possint, ad ferrum candens pergendum, quo verrucæ istæ, donec exsiccatæ decidant aut evanescant, aliquoties sunt adurendæ.

timonii

CAPUT V.

De Uteri Inflammatione, Scirrho, Sphacelo, Ulcere, Vulnere, Dilaceratione post partum difficilem, & Fętus mortui Extractione.

§ I. Quid est homo? folium caducum, ait *Homerus*. Quid est homo? Imbecillitatis exemplum, temporis spolium, lusus fortunę mutationis imago, invidiæ & calamitatis trutina. Ita sanè est,

Bulla sumus, levis umbra sumus, lususque Deorum.

Nascimur & morimur, quin imò nascentes morimur. Nobis qui viri sumus, quique nescio quibus sexus nostri prærogativis ac dotibus ingenii superbimus, nobis inquam est corpus fragile, infirmumque, ac animus & in molestiis anxius & in timore humilis, & ad labores mollis. Nec verò alia est fœminarum, imò pejor conditio, aut enim iisdem aut parùm certè diversis & molestiis & angoribus vexantur, præterea permulta hoc in sexu sequiore sunt, abs quibus viri existunt immunes.

At verò unde nam Ilias hęc malorum misellis mulieribus suboritur? Indubiè non aliunde, quàm *ex Utero*. Quasi & mors ipsamet in vitæ seminario conciperetur. Sub durissima sanè fatorum lege nasci videntur fœmellæ; Pereunt sæpè nisi pariant, sæpiùs autem pariendo pereunt, animas simul ac fœtus enitẽtes, vitamque amittentes cum dant, sive fruantur sive careant virorum consortio, in pari versantur discrimine, nec paucioribus malis objiciuntur, quæ semper steriles sunt, quàm quæ liberorum multitudine abundant. Sapienter itaque magnus Medicinæ Princeps *Hippocrates* inquit, *πάντων τῶν νοσημά των αἰτίαι εἰσίν*, *Uteri omnium morborum muliebrium* scilicet *sunt causę*, quorum quidem plures jam enarravimus in *Encyclopædia Medica*, aliquot tamen restant modò examinandi, inter quos primas tenet *Uteri Inflammatio*,

Uteri inflammatio. quæ describi potest, quod sit obstructio tubulorum ac canaliculorum, imò omnium partium membranosarum uteri, à particulis acutis rigidis ac stagnantibus, accedente materia subtili primi elementi, oborta: omnis enim inflammatio præsupponit tumorem, omnisque tumor obstructionem, hinc omni in inflammatione respicimus ad partes obstructas, obstruentesque particulas.

Scirrhus. *Scirrhus Uteri* nihil aliud est, quàm obstructio pertinacissima glandularum, tubulorum ac vasorum minutissimorum Uteri, ab acido aliisque frigidis intempestivè & sępe in inflammatione usurpatis, coagulatis, viscidis ac limosis terrestribus salinis succis producta.

Sphacelus. *Sphacelus Uteri* est obstructio plenaria, seu ruptio vasorum, unde est denegatus influxus succorum, imprimis nervei, vel circulatio impedita ad vasa uterina, hinc necessariò pars mori debet, ubi enim tubuli omnes vel obstructi vel abscissi sunt, necessariò vita partis perdi debet; namque in fluidis consistit vita cujuslibet partis, & totius hominis viventis.

Ulcus. *Ulcus Uteri* describi potest, quòd sit disruptio fibrarum uteri, & evasatio in iis contentorum humorum, à particulis acribus, salinis, corrosivis, discindentibus, vel à quacumque causa violenta orta.

Vulnus. *Vulnus Uteri* est continui solutio vasorum tubulorumque Uteri à causa violenta quacumque producta. Quò & pertinet *Dilaceratio* uteri, à manu obstetricis vel Chirurgi malè ac incautè applicata.

Fœtus mortui extractio. *Fętus mortui extractio* est operatio Chirurgica, sive prudens atque methodica manus applicatio, qua fœtus mortuus, vivente adhuc matre, ope manus vel instrumentorum, manu Chirurgi ex *Utero* matris extrahitur, vel mortua jam matre mediante dissectione eximitur fętus vivus: hinc dicitur *Partus Cæsareus*, sive Hysterotomatocia. Chirurgiam hanc triplici de causa in usum vocandam esse communiter dicunt, vel ubi mater vivit, & fętus mortem obiit; vel

matre

matre & fetu superstite; vel matre mortua & vivo existente fetu, de quibus omnibus latiùs in cura dicemus.

rs affe-

§. 2. *Subjectum* seu *Pars affecta* omnium horum dictorum affectuum est *Uterus*, quem ad concipiendum, conservandumque fetum in fœminis condidit Optimus ille Maximusque Protoplastes. Partis hujus tanta tamque conspicua est dignitas, ut licet ad Individui cōservationem non sit necessaria, ad Speciei tamen æternitatem, fœtusque γένεσιν καὶ τελεὶ τελεὶωσιν, maxima est ejus nobilitas, cujus rei probè conscii Veteres plura Utero, quàm ex cæteris animalium partibus ulli, nomina imposuere, quibus tamen explicandis & recensendis non immorabimur, cùm ipsius organica conformatio sat abundè ejus dignitatem testetur. Non mihi hic animus est generalem contexere historiam partium generationi in muliere inservientium, id jamdudum ab accuratissimis Seculi hujus Anatomicis, *Swamerdam*, *de Graaf*, &c. summa cum fide, ac immortali utriusque gloria factum. *Uterus* situs in hypogastrio, vesicam inter & intestinum rectum, tanquam inter duo pulvinaria, ne ossium duritie lædatur in Utero sæpè detentus tenellus embryo. Magnitudinem ejus non duntaxat variat ætas, corporisque moles, sed & veneris usus & fetura. In recens natis annotarunt Hysterotomi Uterum aliquando ℨj. interdum ℨiß. pependisse, in vetulis verò & virginibus jam viro maturis paris fuisse magnitudinis, & ut plurimùm ab ℥j. ad sesquiunciam ponderasse, raro tamen duas excessisse uncias. Substantia est membranacea sive nervea, plicis haud paucis prædita, quæ in gravidis explicantur ad uteri extensionem, contrahuntur verò excluso fœtu; constat enim propria uteri substantia ex carnoso quodam fibrarum contextu, qui concepto fœtu ob ubertatem succorum spongiæ in modum imbutus, & cum maceratis pariter membranis laxatus, mirandam in gravidis distentionem admittit, simulque, quod asterisco notandum est, quò magis ab augescente fœtu dilatatur, eò magis indies crassior, carnosior & robustior redditur, ut ultimis gestationis mensibus, duorum ferè digitorum crassitiem æquet, & tamen notum est, tantam uteri molem intra duas vel tres à partu hebdomadas per celebrem lochiorum expurgationem ad pristinam magnitudinem redire. Per uterum etiam discurrunt varia vasorum genera, arteriæ scilicet, venæ, nervi lymphæductus & tubuli quidam utero peculiares; innumeræ ferè arteriolæ uteri tubulos ingredi, ibidemque terminari conspiciuntur, sed usque adeò exiles, ut sine Microscopii auxilio vel alio artificio instituto, vix discerni queant. Illud etiam notatu dignum est, quòd duplo vel triplo plures & majores, magisque flexuosæ arteriæ per uterum ipsum, quàm per vaginam, serpant.

nosis.

§. 3 Quod *Diagnosin Uteri* affectuum concernit, *Inflammatio Uteri* cognoscitur ex febre comite, obstructione mensium vel lochiorum, adsunt quoque dolores circa inguen. Comitatur hanc uteri inflammationem & sitis cum lingua sicca ac inflammata, anxietates, deliria ac sæpe motus convulsivi accedunt; interdum circa uteri regionem apparet tumor, cum ardore & distentione gravitateque locorum muliebrium. Affectus enim hic ferè omnia signa febris malignæ habet.

In *Scirrho Uteri* humor adest durus & magnus, sæpè sinistro in latere è regione umbilici, tactui renitens, & pergrande in aliis abdomen tumidumque apparet, ac si gravidæ sint: Post mortem scirrho uteri defunctarum mulierum, uterum in magnam molem distentum, tamque duræ substantiæ invenimus sæpe, ut novaculæ aciem vix admiserit, licet acutissimam, quale quid simile invenit *Regnerus de Graaf*, prout testatur Observ. 128. *in Anno. I. Ephemer. German. Curios.* confer *etiam Ephem. Ann.* 9. & 10. *Observ.* 126. Sequentem communicat Celeb. D. *BlanKardus* in *Anatom. Pract. Rational. Obs.* 22. Mulier cum intra triduum parere non posset, speculum matricis adhibitum est, tumor aderat durus & magnus, in sinistro latere è regione umbilici, tactui renitens, omnibus auxiliis frustrà adhibitis, altero die circa vesperam è vita decessit. Abdomine aperto, uterus in dextra (sana nimirum parte) disruptus, & infans extra uterum locatus, Scirrhusque insignis magnitudinis à fundo uteri incipiens & ad os uteri desinens repertus erat.

In *Sphacelo Uteri* signa sæpè adsunt tristia, febris nempe inflammatoria, dolores nephriticis similes, summa debilitas, & accedunt deliria, convulsiones, &c. imprimis si sphacelus fuerit ab infantis in utero denati corruptione productus. De uteri Excrescentia gangrænosa sequentem habet observationem *Cl. D. BlanKardus Obs.* 51. *Cent.* 2. Mulier quædam ab aliquo tempore circa Uteri regionem acerbissimis tentatur doloribus, adeò ut se mille modis torqueret, postea vitæ exuvias deposuit Inspecto abdomine, Uterus ab excrescentia carnosa & gangrænosa ad magnitudinem capitis puerilis intumuit.

Matricis abscessu laboranti feminæ pus per foramen ano erosione illatum effluxit, ex quo etiam pus per intestina spargebatur, annotante *Cl. D. BlanKardo*.

Ex ulcere Uteri indesinenter purulenta ac fœtida saburra fluere solet, accedunt gravissimi pubis dolores & aliquando convulsiones, vel sæpè sphacelus inde oritur, qui nonnunquam se extendit usque ad pudenda. Confer *Observ.* 168. *Ephem. Germ. Ann.* 6. & 7.

Vulnus Uteri cognoscitur ex prægressa causa violenta, dolore & effluxu sanguinis, deliquio animi, subsequentibus aliis signis, vulneribus quibuscumque solemnibus, quæ ex capite generali inferiùs petantur.

Dilaceratio Uteri cognoscitur, si obstetrix inexperta manum admoverit ad eximendas secundinas, & quasi vi cum dolore puerperæ extraxerit, si sanguis floridus continuò stillet, instar hæmorrhagiæ uteri.

Ad *Embryulciam*, sive *Fœtus mortui* extractionem antequam accedas, certus esse debes de morte infantis in utero. Signa autem mortem ejus manifestantia sunt vel antecedanea, vel concomitantia. Inter antecedanea post causas externas & alios matris affectus potissimū est hæmorrhagia uteri nimia vel inordinata, si partus tempus instet: Concomitantia petuntur aut à fetu, aut à matre. Quoad fetum sunt ejus motus cessans, quāvis etiam fetus satis debilis, aut parùm aut nil moveatur, vivus adhuc existere queat, quare digito utero immisso explorari debet, an cerebrum vel potiùs arteriæ illius pulsent, quorum illud circa fontanellam, hoc in temporibus, carpo, flexura genuum & umbilico ritè notari potest. Porro si eodem digito fetus ori immisso nulla suctio linguæq; motus observetur. Si ventri matris calida & spirituosa cum aromaticis ac volatilibus imposita aut propinata fetum haud commoveant, nec si mater spiritum seu anhelitum cohibeat; si funiculus umbilicalis diutiùs extra uterum propendeat, & secundina fetum præcedat. In Matre autem mors fetus innotescit, si hæc à causa nulla externa rigorem subitaneum & vehementem patiatur; si circa umbilicum & inguen dolorem percipiat, si de frigore interno conqueratur, si conatu mejendi & alvum deponendi corripiatur, item meconiū in utero & cervice percipiatur. Quod si verò diu infans in utero fuerit mortuus, omnia symptomata existunt pejora, olet enim tunc mater cadaver putridū.

Galenicorū opinio de causa Uter inflammationis.

§. 4. *Galenicis* videtur Uteri *Inflammatio* oriri à sanguinis circa eundem collectione, cui occasionem præbeant fluxus menstrui suppressio, lochiorum retentio, frigus externum, plaga, abortus, dolor partus diuturnior, divulsio violenta, vel durior attrectatio, quæ cuncta partem hanc per se sanguinem colligentem morbo isti suscipiendo habilem efficiant.

Scirrhi.

Ex Inflammatione ista Uterum facilè *Scirrhum* cōtrahere innuunt, humidioribus nempe & subtilioribus sanguinis partibus absumptis, vel incrassatis, quapropter ob frigus externum tempore fluxus menstrui imprudenter admissum, morbum hunc mulieres sibi facilè acquirere dicunt, uti & ob potum frigidum, unde fluxus cohibeatur, & sanguis retentus condensetur & crassescat.

Sphaceli.

Sphacelum Uteri frequentiùs succedere dicunt inflammationibus magnis, abscessibus, ulceri, vel cancro malè curatis, quando calor partis hujus vitalis, vel suffocetur, vel destruatur, suffocari calorem volunt in ipsa inflammatione, quando plus sanguinis affluat,

quàm calor iste partis valeat digerere, aut in pus commutare; destrui verò ab intemperie frigida illum extinguente, aut à calida resolvente ac dissipante.

Ulceris. Inter *Ulcerum* Uteri causas referunt inflammationẽ suppuratam & abscessum inde diruptũ, humores acres in Uterum confluentes, medicamenta in Uterum immissa, vel alia quædam assumpta acria & erodentia.

Vulneris. *Vulnera* Utero induci fatentur ab externis instrumentis tundentibus, scindentibus, contundentibus & dilacerantibus, vel animo hostili, vel ex imprudentia adhibitis, ut præsertim in *Dilaceratione* partis hujus contingat, quando vel obstetrix unguibus, vel Chirurgus hamo in fetu mortuo extrahendo partem hanc prehendant, & sic continuitatem ejus violenter dissolvant.

Fœtus mortui. Causis *Fetum* in Utero *enecantibus* accensent lapsum gravidæ, aut percussionem ejus in ventrem inferiorem, merorem ejus diuturnum, vel morbos acutos nutrimentum fetus absumentes, medicamenta acria aut nimiùm amara, fumum extinctæ lucernæ aliumque ingratum partibus etiam inferioribus admotum, partum difficilem, in quo fetus ipse ad exclusionem sui cum matre collaborans, tandem viribus deficit & emoritur, vel in locis angustioribus diutiùs constrictus suffocatur; quod etiam contingere dicunt, si funiculus umbilicalis in partu laborioso circa collum volvitur, & in extractione fetus illud nimium ab eo constringitur. His similibusque de causis si fetus fuerit emortuus, ejus extractionem necessariam esse profitentur.

Paracelsi opinio de causa Uteri Inflammationis. §. 5, *Paracelsus* ex menstruis diutiùs suppressis Uteri *Inflammationem* originem habere judicat, sale in iisdem aluminoso resoluto aut liquefacto tumorem & apostema producente.

Scirrhi. *Scirrhum* Uteri ex sale Vitriolato oriri putat majori copia in Uteri partibus collecto, & in lapillos quosdam concreto.

Sphaceli. *Sphacelum* Utero inferri dicit, quando calor ejus à salibus penitus fit absumptus, ità ut melior Uteri pars penitùs destruatur.

Ulceris. *Ulcera* itidem à salibus sæpe in sanguine menstruo copulatis oriri vult, quatenus Uteri substantiam erodant, cùm nullum unquam ulcus existere possit absque corrosione, hæc vero semper sal aliquod pro causa agnoscat.

Vulnerum & Dilacerationis. *Vulnera* Utero ab externis inferri novit instrumentis, uti *Dilaceratio* ejus frequentiùs contingat ex partu difficili, & secundinis ei fortiùs annatis, quæ dum impetuosius manu vel instrumentis extrahuntur, uterus ipse dilaceratur, vel instrumenta, pro fetu mortuo extrahendo adhibita ipsam uteri substantiam prehendunt & lędunt.

Fœtus mortui. *Fetum* à diversis istis causis, quas Antecessores jam allegarunt, *emori* posse, ut extractio ejusdem necessaria sit, facillimè fatetur.

Helmontii sententia de causa Uteri Inflammationis. §. 6. *Helmontius* Uteri *Inflammationem* à solo spiritu causaliter, ab infixa verò spina occasionaliter duntaxat procedere ait, multùmque hic conferre Archeum Uteri irritatum propter spinam infixam, unde inflammationem cum tumore, & pulsu duro obvenire in Utero haud dubitat.

Scirrhi. *Scirrhum* verò uteri ex tartaro peregrino, pertinace coagulationum principe, in Utero sensim collecto coalescere contendit, uti facilè contingit, quando aliquid cruoris in Utero existentis ineptum fit, aut non sensim disponitur, gradusque subit, ut totum per totum fiat volatile & transvolabile, eo enim momento scirrhos in utero concipi arguit.

Sphaceli. *Sphacelum* Uteri fieri contendit à terrefacto & in rabiem succenso Uteri Archeo, pro diversitate & constitutione Uteri partium, ad quas Archeus furibundus ac terrore plenus diverterit, unde sphacelos deducit Uteri lethales.

Ulcerum. Uteri *Ulcerum* causam occasionalem ac radicem eorum dicit esse fermentum Uteri deleterium, atque virus susceptum Uteri partibus impressum & insitum, ejusque Archeo exoticum, sicque continuitatem Uteri dissolvens.

Vulnerum. *Vulnera* ac *Dilacerationem* Uteri post partum difficilem sæpe contingere asserit, unde labia sæpe tumeant doleantque acutè, & dolores quasi stabiles æstuent, quosque oriri statuit ab aqua glareali, easdemque affectuum horum causas violentas Utero illatas cum aliis Auctoribus agnoscit.

Fœtus mortui. *Fetum mortuum*, quem considerat ut ramulum arbori insertum, & quem non rarò ipsum Uterum profligasse muliere dudum mortua statuit, à terrore Archei, ejusque extinctione produci asserit.

Uvillisii ratio de causa Uteri Inflammationis. § 7. *Uvillisius* Uterum *Inflammatione* corripi docet, cùm sanguis lentescens in tenuioribus Uteri vasis remoratur, & in eorum interstitia extravasatur, aut in iisdem obstructiones parit, quandoquidem sanguis ità stagnans turgescat, vehementiùs exæstuet, cutem in tumorem elevet, partemque inflammet.

Scirrhi. *Scirrhum* Uteri ideò excitari credit, quòd mollis laxaque ejus structura glandulis conspersa, pluribus è sanguine recrementis excipiendis partem idoneam faciat. Succum siquidem ait nutritium copiosas ab impuro sãguine terrestres particulas viscidis associatas mutuare, ipsasque ad Uterum devehentem illas ibi deponere, quæ cùm ob propriam crassitiem & viscididatem partisque dispositionem exitum sibi parare non valeant, in illa hæreant, à calore exsiccentur, indurentur ac in tumores hosce calculosos excrescant.

Sphaceli. *Sphacelus* Uteri, juxta Auctorem hunc, cõtingit, post suppuratam ejus inflammationem, in qua succi extravasati vehementissimam passi sunt effervescentiam, & in acido-salsam viscidamque summa acrimonia donatam recrementitiam materiam concreverunt. Fibræ nerveæ à viscidis particulis obstructæ, spirituumque à cerebro confluentium subsidio orbatæ, ac spiritibus ipsas incolentibus narcosi affectis, concidunt & relaxantur. Materiæ ergò acrimonia à spirituum permixtione nullatenus contemperata, neque excussis tensionis ope heterogeneis istis acrioribusque particulis, vim illarum nequaquam declinare possunt, atque ab ipsis corroduntur & dissecantur, absque ulla doloris sensatione, spiritibus sensus ministris in parte deficientibus.

Ulceris. Latex serosus spissior glutinosiorque acido-salsis particulis inquinatus in laxiores uteri fibras delatus, in iis moram facit, illasque obstruit, & corrosiva, qua pollet, virtute hospitium suum destruit, partisque substantiam cum vasis sanguiferis in illa distributis exedit & dilacerat. Sanguis ergò ex apertis suis vasis effluit, & in parte aggeritur ac effervescit, purisque naturam induit. Oritur etiam *Ulcus* hoc à crassiore sanguine minora sua vasa obstruente, & in iis remanente atque exturgescente, eximiamque acrimoniam ab effervescentia assequente.

Vulneris. *Vulnera* Uteri juxta Authorem hunc nullam internam causam agnoscunt, sed ab externis tantummodò excitantur, quæ pungendi, secandi aut contundendi vi donatæ uteri continuum solvere valent.

Cùm in capite præcedenti de Ruptura satis fuerit explanatum, quo pacto dilaceretur Uterus, dicta illa hic loci non repetentur.

Fœtus mortui. Fetus, quoad Authoris hujus placitum, in utero materno conclusus sexcentis obnoxius est calamitatibus, abs quibus etiam, antequam communi aura fruatur, extinguitur. Mater itaque tristi illo ac inerti onere gravata incassum universas suas colligit vires, ut illo sese liberet; nullum enim ab ipso fetu auxilium mutuans, subsidiarias Chirurgorum manus accersere cogitur, ad quas tanquam ad sacram anchoram Author noster cum veteribus confugere suadet.

Sylvii opinio de causa Uteri Inflammationis. §. 9. *Sylvius* Uteri *Inflammationis* causam deducit à sanguine in vasis & ductibus uterinis subsistente, aut ex iisdem in glandularum substantiam effuso ac incenso. A lochiis etiam ob externum frigus suppressis vel diminutis morbum hunc fieri posse contendit, idem enim lochiorum sanguis ex parte licèt in utero hærens atque acrior idcirco factus inflammationem producit, exituque suo lacerat, mordet, roditque, & sic dolores nonnunquam producit intolerabiles.

Scirrhi. *Scirrhi* Uteri causam deducit ab acido viscido in vasis uteri existente, ibidemque sanguinem ac lympham coagulante & inviscante, sicque scirrhum inducente. Causæ autem glutinosam illam visciditatẽ acidam in sanguine cæte-

cęterisque humoribus producentes sunt cibi viscidi, imprimis pisces marini, aer frigidus, vita sedentaria ac curis expers, somnus multus, tardus vel nullus fluxus mēsium, meror ac terrores, quę omnia juxta ipsum ansam huic affectui præbent sufficientem. Propter spirituum etiam defectum sanguis minùs fluxilis, crassior minùsque temperatus existit, & cùm spiritus ubique sanguini permisceri debeat, & illud maximè in utero requiratur, ad quem multus sanguis fertur, & quo proinde Protoplastes summus multos nervos deduxit, ut copiosos spiritus advehant, non mirum, si illis parciori copia accedentibus sanguis adhuc crassior evadat & partes subsistentes acescant; & cùm quotidie acidiores evadant, sanguinem universum incrassant, qui poros glandularum uteri offerciens ac distendens, partem tantùm fluxilem magis transfluere permittit, ac stagnatione diuturniore intra uterum tumor exoritur, quòd si verò motus perseveret, sanguis terrestrior fit & acidum fortius existat, febris accedatur fortior & corpus exsiccetur, indurabitur uterus & scirrhosus evadet, consumpta tandem humiditate sanguinis, & propter obstructionem impedito novo ejus ad uterum affluxu.

Gangrena Sphaceli.

In *Gangræna* Vteri partium ejus membranosarum corruptionem esse ait incipiētem atque talem, ut ad integritatem redire possit uterus. In *Sphacelo* verò, ubi omnia nigra existunt, partes omnes uteri extremè corruptas esse docet atque emortuas, & spontè separari omnia, hincque Author conclamatum esse affectum Sphacelum uteri contendit. Omnem corruptionem uteri à causis internis obortam vel à salso lixivio, vel ab acido pendere existimat.

Vlceris.

Vlceris Vteri causam Auctor dicit esse humorem acrem & virulentum, circa vasa uterina hęrentem, sanguinem ac semen aliquando corrumpentem, atque post ipsius corrupti effluxum aliqua sui parte in solidis & continentibus uteri partibus exulceratis remanentem, atque novæ materiæ affluentis corruptione nova tum ulcus, tum fluxum virulentum perpetuantem.

[Vul]neris.

Vulneris Vteri causam eandem dicit cum aliis Auctoribus, nempe continui solutionem à re externa, vel interna violenta, lapsu, contusione ac dilaceratione, fœtus motu nimio, &c. quò & pertinet *Dilaceratio* post partum difficilem à manu incauta obstetricis facta, quando obstetrix nasutula vel temeraria festinansque ad mulieres in partus labore versantes urgeat subinde gravidam necdum in partus conatibus positam, ut ad pariendum se componat, aut intrudat sæpenumero in uteri orificium non tantùm externum, sed & internum digitos suos, quam digitorum in uteri orificium internum intrusionem valde periculosam pronunciat, quoniam digitorum unguibus facillimè lædi potest, hinc & omne instrumentum, atque adeò matricis speculum nimis festinanter in uteri orificium internum intrusum periculosum esse judicat.

[Fę]tus mor[tui] extra[cti]onis.

Fętum mortuum extrahendum esse quidem autumat, modo de ipsius morte sufficienter cōstet, quod ipse colligit 1. ex frigore molesto gravidæ corpus universū absque causa evidenti aut febrili paroxysmo occupante: 2. ex podere gravativo circa uteri regionem observato; 3. ex fętore post ruptas secundinas unà cum aquis prodeunte: 4. ex frigore & mollitie cadaverosis partium fętus vel Vteri orificio appositarum, & obstetricis manu digitisve exploratarum, vel per idem orificium prodeuntium & idcirco faciliùs contrectatarum: 5. ex motu omni deficiente in fętu adhuc calente. Quo plura ergò ex prædictis concurrunt signa, eo certiùs de fętus obitu decenter judicare potest obstetrix prudens.

[Ca]rtesiano[ru]m judici[um] de cau[sa] Vteri In[fla]mmatio[nis].

§. 9. *Cartesiani* ipsam Vteri *Inflammationem* deducunt ab obstructione extremorum arteriarū uterum pervadentium ramulorum à succo crasso, cujus particulæ angulares propter diuturniorem stagnationem cum porosioribus, mediante materia subtili variè commoveantur & effervescant, unde calor suscitetur, simulque compressis itâ vicinioribus arteriolis, succum chylosum cum sanguine in transitu suo impediri, & ob diuturniorem eorundem detentionem & stagnationem tumorem augeri statuunt, qui tumor arterias comprimēdo sanguini difficiliorem efficiat transitum, sicque pulsum in parte hac majorem reddi & frequentiorem. Huic autem succorum incrassationi & stagnationi ansam sæpius prębere dicunt potum frigidiorem imprudentiùs à fęmellis assumptum, abs quo & mēsium fluxus cum insigni sanitatis detrimento supprimatur, maximè præcedente quadam corporis & sanguinis incalescentia, particulas enim subtiliores & spirituosiores volatiles extra ambitum corporis per poros itâ eliminari statuunt, remanentibus crassioribus ad motum minùs promptis. Frigus insuper immissum, & quidem subitaneum, affectui huic producendo sufficiens esse referunt, quemadmodū potissimùm in puerperis contingat, dum hiante adhuc à partu Vtero illud copiosiùs & imprudentiùs arripiant. A violenta uteri compressione vel alia ejusdem læsione affectum hunc itidem produci dicunt, quatenus coangustatis aut diffractis canaliculis quibusdam succi in transitu suo impediuntur, vel effusi corrumpuntur, & aliis succis impedimento sunt, ut cum reliquis non adeò promptè queant transfluere.

Scirrhi.

Scirrhum Vteri nonnumquam ex ipsa oriri dicunt Inflammatione, absūptis particulis subtilioribus, crassisque & angulosioribus salsis relictis, quæ sibi invicem per diuturniorem quietem arctiùs junctæ, in spissiorem tandem abeant duritiem. Absque verò morbo illo præcedaneo, à solis istis particulis acutis angularibus acidis in succis hinc inde existentibus copiosis, & communi illo cum vehiculo sanguine per arterias in uterum delatis, tumorem hunc duriorem in eo suscitari posse annuunt, siquidem succus chylosus ab iisdem facilè coaguletur, cujus particulæ crassiores caseosæ à reliquis sejunctæ, & sibi invicem arctiùs unitę durissimum prębere soleant tumorem.

Sphacel[i].

Ab omnimoda succorum in tubulis uterinis stagnatione & coagulatione *Sphacelum* huius visceris oriri docent, cùm à particulis acutis acidis à lympha communicatis succorum motus non modò impediatur, sed ipsi quoque destruantur canaliculi, effusique liquores continuò stagnent, & arterias comprimendo sanguinis transfluxum impediant, ut cùm transitum non reperiat, itidem in arteriis quiescere & stagnare incipiat, unde viscus hoc debito privetur calore, & prætereà ab acutioribus particulis à globulis æthereis fortiùs commotis fibræ dissecentur & dirumpantur, unde totalis ejusdem partis oriatur destructio.

Vlceris.

Inflammatione in abscessum abeunte, ex particulis angularibus acutis in materia purulenta contentis continuitatem Vteri dissolventibus, *Vlcus* ipsius prodire autumant; vel absque prævia Inflammatione ab ejusmodi particulis in succis morantibus & in quadam Vteri parte copiosiùs collectis illud excitari, interdum à lue Venerea uterum infici, corrumpi, erodi, aut lapsu, percussione, contusione Vterum lædi, fibras ejus dirumpi, canaliculos destrui, ut succi transitum non reperientes, sed circa destructos canaliculos diutiùs stagnantes intestino motu agitentur, quo acutiores particulæ suscitatæ plures fibras rumpunt, & succi quoque chylosi effusionem promovent, qui corruptus materiam etiam hac in parte præbeat purulentam.

Vulneris & Dilacerationis.

Vulnerari Vterum dicunt variis de causis, instrumentis nempe scindentibus, pungentibus, contundentibus, potissimùm verò *Dilacerationem* partis hujus post partum contingere aiunt difficilem, fętu fortiori pedibus calcitrando eandem dirumpente, vel obstetrice secundinas arctius annexas violentiùs extrahente, unde non modò vasa, quibus placenta Vteri adhæret, sed ipse etiam Vterus nōnunquam dirumpantur. Ab hamulo in fætu mortuo extrahendo imprudentiùs applicato & acutiore, Vterum aliquando prehensum & dilaceratum fuisse observarunt.

Fœtus Extractionis.

Fętus extractionem triplici potissimùm de causa institui posse concedunt; vel ut ex matre mortua vivus fætus, vel hic mortuus ex illa viva, vel fætus vivus ex matre viva, ob utriusque debilitatem, eximatur; mortuum enim ex mortua extrahere velle, si de illius morte certò constet, laborem ducunt minùs necessarium. *Emori* autem fætum pluribus ajunt de causis, quas inter recensent lapsum gravidæ in ven-

in ventrem, percussionem violentam, morbos diuturnos, vel mœrorem continuum, unde debitum fœtus detrahatur nutrimentum, sinus pudoris angustiam nimiã, in qua fętus valde compressus tandem suffocetur, chorii crassitiem nimiam, ob quam fętus membranam hanc nequeat dirumpere, sed post multos labores tandem viribus deficiat & vitam derelinquat, qualem casum D. *Vogelsangius* præterita æstate observavit, ubi puerpera per triduum partus difficultate laboravit, nec fœtũ eniti potuit, quamvis duarum obstetricũ subsidio fuisset usa, accersitus tandem Chirurgus post multos fętum extrahendi conatus portionem quandam attraxit molliusculam, crassitie tamen digitum facilè æquantem, quam cùm Chirurgus dignoscere non valeret, quid sit, ipse D. *Vogelsangius* attingere necesse habuit, & cùm post fortiorem ejus compressionem puerpera nullum sentiret dolorem, eandem audacter forfice incidere jussit, quo facto primùm aqua fuit effusa, quam fętus ipse in sinistra capitis parte plaga seu ecchymomate notatus, flaccidus & valde fętens statim fuit sequutus.

Nostra sententia de causis Uteri Inflammationis.

§ 10. Erant hæc aliorum responsa, restat ut nostram subjungamus sententiam. Aperta igitur hic, ut ubivis, profiteor mente, *Inflammationem Uteri* nihil aliud esse, quàm obstructionem tubulorum Uteri membranaceorum, à particulis acutis rigidis & talibus, quæ non in totum illorum fores oppleant, sed spatiola quædam adeò exigua relinquant, quæ nulli nisi materiæ æthereæ sint pervia, succi enim, qui continua circumductione restitare coguntur, incalescere incipiunt, dum in Utero stagnantes ad motum hunc intestinum occasionem majorem nanciscuntur, quàm cùm celerrimo ictu huc illuc vehebantur. Facilè ergò à lochiis detentis vel stagnantibus succis aliis, affectus hic oriri solet, hinc puerperis solemnis est, plures enim puerperæ hocce malo moriũtur, quamvis affectus causa lynceos oculos latitet, multa enim sacro involucro tecta jacent, neque ullis mortalibus omnia scire ac prænosse fas est; inest namque sæpe in incredibili verum, & in verisimili men acium.

Scirrhi.

Scirrhus Uteri causam agnoscit sanguinem aut aliũ succum in ipsis vasis Uteri instar coaguli seu gelatinæ coactum ac induratum, omnes enim glandulæ, vel tubuli, quos Uterus continet, humoribus viscosis ac terrestribus referti sunt, obstructionem enim si patiuntur, facilè horum succorum ariditas accedit, ac dein facies apparet scirrhosa; quippe succi circulantes amplius glandulas permeare non valentes, *scirrhum* efficiunt, qui succi cùm notabilem in se contineant salis fixi copiam, magna necessariò fieri debet induratio. Remotè symbolum suum addere possunt menses, vel *lochia*, aliique fluxus præter morem restagnantes, accedente acido succos in scirrhum planè mutante.

Sphaceli.

Sphacelus Uteri est sanguinis & reliquorum succorũ imprimis nervosi, plenaria in vasis suis ac tubulis stagnatio, aut ab omnimoda obstructione, vel abscissione vel laceratione vasorum aut ab ipsorum succorũ crassitie & coagulatione oriunda. In gangræna enim humores esse crassos & tardè circulantes quis estqui dubitat? Vasa siquidem magna dissecta causam quoq; *Sphacelo* inducendo præbent; Omnes enim totius nostræ Machinæ partes continuò sanguinis & succorum affluxu & refluxu gaudent, imò & minimæ, quibus, si destituantur, pereunt. Huc pertinet & fœtus emortuus jam in Utero corruptus & sphacelatus, qui uterum facilè in consensum trahit ac charactere suo imbuit & eodem stigmate ac malo inficit. Huc etiam referri potest gangræna seu *Sphacelus Pudendorum*, prout exstant præter quotidianam Experientiam in *Ephem. Germ. Ann. 9. & 10. Obs. 163. & Thom. Bartholin. Cent. 2. Histor. Anatom. 6.* Imò sanguis intra Uterum extravasatus vicinas sæpè comprimit partes, ut tubuli succum nerveum ulteriùs ad nervos provehere nequeant, quibus hoc modo obstructis necessariò corruptio oboriri debet. Sic quoque quicunque sanguis evasatus concretus ex mora corruptus non parùm Sphacelo ansam præbet, hinc puerperæ improvidæ à potu frigidiore, vel aeri frigidiori expositione sibi sæpe sphacelum Uteri contrahunt, potus enim frigidus sanguini æstuanti affusus, eundem coagulat, cujus coagulum per Uteri tubulos transitum non inveniens, in iis non tantùm stagnat, sed etiam corrumpitur, unde tota hujus morbi tragedia, ex qua plures esequiore sexu moriuntur.

Ulceris.

Ulcus Uteri, ex nostra observatione, oritur utplurimùm ex suppressione mensium ac lochiorum ex sanguine aliisque succis nimis crassis & coagulatis acribus, præsertim in substantia ejus glandulosa, accedentibus à lympha acribus & corrosivis particulis à quibus dilacerantur vasa, ac tubuli, quibus discissis ac dilaceratis necessariò sanies effluit, imò sanguis ipse corrumpitur ac simul cum pure emanat, acrimoniamque acquirit, & perrumpendo plura vasa ulcus producere potest chronicum seu diuturnum. Succi enim tardiùs in Utero circulantes acorem contrahunt, unde pus; quippe pus nil aliud est, quàm succus Chylosus evasatus & leviter coagulatus, qui pro mixtura sanguinis ac succorum diversus est.

Dilacerationis.

Dilacerationis Uteri causa sæpe est manus obstetricis ignaræ, exemplum enim novi hæc in civitate, ubi ejusmodi incautæ mulieres non tantùm Uteri vaginam ejusq; vasa, imò ipsam urethram (inde urina continuò stillabat) laceraverint, sed & ipsam Cervicem extraxerint pro secundinis. Sic sæpe Uteri Cervicem seu vaginam elabentem pro Utero habent. Infans etiam prægrandis ansam sępè huic dilacerationi mole ac magnitudine sua præbere potest. Sic etiam quæcumq; causæ violentæ. Frequentiùs occurrit illa improvida & immanis Uteri dislocatio, quam gradiores obstetricũ, manus, secundinas violentiùs eripientes, aut loco harum Uterum arripientes præstant, non sine atrocissimo parturientis in abdomine dolore, inflammatione, convulsionibus & repentina morte, quales casus exstant apud *Bartholin. Marchett. Solingen, Mauriceau*, &c.

Fœtus extractionis.

Fętus extractionis causa est ipse fętus in Utero matris defunctus, cujus gratia ne mater malum inde contrahat, & ab eodem post diuturniorem retentionem putrescente Uterus inficiatur, operatio hæc à Chirurgis instituitur. Vivus enim contrectatione violentiore ac instrumentorum applicatione haud lædi debet. Infans facilè in Utero materno mori potest, si mater tempore ingravidationis perversa victus ratione usa fuerit, hinc infantulis liquores fiunt crassiores, qui dein efficiunt obstructiones, ex quibus mille affectus in tenellulis in Utero materno adhuc existentibus contingere possunt: ut quotidie videmus ex potu nimis frigido vel glacie frigefacto, vel terrore, vel ira, fœminas abortientes infantes mortuos parere.

Prognosis.

§. 11. Quod *Prognosin* affectuum horum muliebrium attinet, ii summam prudentiam sæpe politicam à Medico requirunt. *Inflammatio Uteri* certè est affectus periculosus, & facilè in gangrænam Uteri transit; consule *Hippocr. Aph. 40. S. 5.* hinc sæpe Sphaceleus oritur comitantibus febre, deliriis ac convulsionibus, subsequente morte. Ex hoc enim affectu innumeræ intereunt mulierculæ puerperæ.

Scirrhi.

Scirrhus Uteri est affectus curatu difficillimus, & comitatur sæpe misellas mulierculas usque ad mortem, imprimis si à frigidis ac repellẽtibus, in inflammatione perperam applicatis, fuerit productus.

Gangrænæ & Sphaceli.

Gangrænam ac Sphacelus Uteri utplurimum mulierculis lethale malum est, imprimis si ipsa substantia Uteri corrupta, & sic omnes tubuli obstructi aut discissi sunt, quamvis aliquando Vterum corruptum vel sponte excidisse, vel sectione sublatum fuisse fœmellis superviventibus scripta testentur, modò Auctoribus fides sit adhibenda, & non potius portio fuerit vaginæ Vteri, quàm ipse Vterus, quem vix absque vitæ periculo exscindi posse nobis persuademus.

Vulnerum.

Vulnera Vteri vulgò pro non lethalibus habentur, ideò præsertim, quòd partus Cæsarei non raro observati fuerint felicissimi eventus, & quòd Vterus ad vitam non simpliciter necessarius sit sed propagationi Sobolis tantùm prospiciat, non lethalia sibi persuadent, contrarium asserente *Foresto l. 6. Observ. Chir. 5. in Scol.* non tàm quòd juxta hunc exanguis, secundum alios membranacea sit ejus compages, sed si ejus vasorum sanguiferorum unum alterumque saucietur, per quod sanguis non duntaxat Vtero,

sed

ſed toti quoque ſubtrahatur, aut in abdomine, in detrimentum Uteri viſcerumque individui conſervationi deſtinatorum, cumuletur. Præprimis verò Uterus impregnatus læſus vulnus lethale infert, fœtu præſertim grandeſcente ſi vulneretur, vel ratione hæmorrhagiæ, ob vaſorum majorum diramationum dilacerationes exortæ; proli ac matri lethiferæ. Illi quidem, quod ultimis præſertim menſibus, totus Uteri cavernoſus ſeu ſpongioſus ambitus cruore multo turgeat, hinc laceratus ad deliquium animi eundem profundat, inſequente ſimul illo quoque, quem vaſa tunc temporis per Uteri fundum tumidiora, continebant: Huic verò, quod ſubſidiis maternis defraudetur. Si majus exſtiterit vulnus, fœtus extra Uterum ad cavitatem abdominis prolabitur; ſubſequente morte certiſſima. Non impregnatum quoque Uterum ſaltem ratione ſuorum vaſorum hæmorrhagiam & vulnera pati lethalia, ratio ſuadet.

Dilaceratio Uteri poſt partum difficilem eſt periculoſa & ferè ſemper lethalis, hinc exſtat caſus ſequens apud *Celeberrimum Bohnium, Amicum noſtrum ſingularem, in erudito tractatu de Renunciatione Vulnerum*. Teſtantur *Acta Facultatis*, in Juvencula Zittavienſi filii primipara, hujus enim placentam Utero arctiùs annexam, dum obſtetrix imperita violentiore manu educere moliebatur, ſimul Uteri portionem protrahit, quam pro fœtu peculiari ſeu gemello habens, puerperam ad novos conatus urget, nec labori ipſamet in illo educendo parcit, contradicente licet illa, de illata vi & evulſione interaneorum omnimoda conquerente, ac vix elapſa à feliciore aliàs partu horula expirante. Cujus Hypogaſtrii pelvis Utero hujuſque annexis vacua, hic autem ex ſinu muliebri ultra ſpithamam propendens in cadaveris diſſectione cum ſtupore adſtantium cernebatur. Qualis quidem funeſti eventus ætiologia non ſemper ſanguinis illa eſt profuſio, ejuſmodi impetuoſioris Uteri evulſionis, vaſorumque ſanguiferorum rupturæ effectus, ut in fœmina, cujus primò mentionem fecit, annotavit *Mauriceau* l.a. ſed ſola aliquando partium nervearum ac ſenſibilium maximè tenſio dolorifica, & in convulſiones graviores ac mox lethales conjiciens: ita quidem ut nihil planè cruenti penes quaſdam, nec in harum cadavere, reperiatur, obſervante *Solingen* & Medico qui Sectioni puerperæ Zittavienſis præerat.

Dilacerationem Cervicis Uteri inſequitur ipſius procidentia, quæ ſæpè incurabilis eſt. Si majora vaſa fuerint rupta, & hæmorrhagia ſit largior cum deliquio animi, malum erit lethale, quale quid nuper in matrona hujus civitatis obſervavi ab obſtetrice imprudente productum. Sæpè & fibræ membranaceæ diſrumpuntur, hinc etiam oriuntur convulſiones, anxietates circa præcordia, vomitus, deliria, quæ peſſima ſymptomata dum hæc ſcribo in puerpera triſtis obſervavi, quæ & miſerè inter lachrymas adſtantium vitam finivit, & animam Creatori placidè reddidit.

Fœtus mortui Extractionem quod concernit, ſi mater ſit fortis & fœtus non diu fuerit mortuus, Operatio hæc ſæpè feliciter ſuccedit, quando verò fœtus jam ab aliquot diebus extinctus, & vires matris vel à partu, vel ab alia quadam cauſa fuerint debilitatæ, ſimulque vomitus, convulſiones, atque pudendorum tumor adſit inſignis. his in caſibus res eſt deſperata, & Chirurgiam ſæpè reſpuit. Novi quendam Chirurgum Marburgenſem ſenem, cujus mentionem quoque injicit Celeberr. D. *Vvaldſchmid. Epiſtola quinta*, qui fœtus tùm vivos tùm mortuos manu, vel aliquando duobus tantùm digitis in Cervicem Uteri intruſis, quàm accuratè eximere ſolet, quod ſæpè cum admiratione vidit prælaudatus D. *Vvaldſchmidius*. Alium novimus in Helvetia, qui etiam ſingulari modo novit extrahere fœtus ſine violentia, qui modus nobis maximè arridet, ſed non omnibus contingit adire Corinthum.

§. 12. De *Diæta* horum muliebrium affectuum nunc agendum reſtat, quam ſi ægræ obſervare nolint, nihil ſæpè efficiemus, quod etiam *Hippocrates* innuit *Aph. I. S.* 1. Si itaque non duntaxat ſuæ ſanitati, ſed & Medici famæ ſtudeant miſellæ, id quod bonam atque probam decet puerperam, caveant ſibi oportet, ne vitam intemperanter & inordinatè tranſigant, & ne tempore gravidationis ſe farciant fructibus horariis acidis, neglectis calidis cibis ac juſculis, ſed omnem in *Diæta* fugiant exceſſum. Sit autem puerperis Aer temperatus ac calidus, frigidus verò ceu peſtis fugiendus, eſt. Quod cibum attinet in Morbis Uteri, ante omnia frigida ac acida vitentur, frigida enim ſanguinem inſtar gelatinæ concreſcere faciunt, acida autem eundem coagulant, atque hæc duo ſæpius his affectibus anſam dant, ob ſanguinis enim mixturam turbatam febris oriri ſolet, nam ſi cibis hiſce vel potulentis puerperæ abutuntur, multum aciditatis ac cruditatis in ſanguine reliquiſque ſuccis acquirunt, quare & nimis viſcida vitentur. Potus ſit decoctum Theæ, vel Caffeæ, vel juſculum calidum, vel cereviſia calida. Accuratum puerperis regimen præſcribit *Celeberr. noſter Vvaldſchmidius in Monitis ſuis Medicis*.

Somnus ac vigiliæ moderatæ ſint. Somno tamen non ſtatim indulgendum eſt. Ira, triſtitia, terror cum animi paſſionibus aliis fortioribus & incongruis angue pejus vitentur. Alvus ſit pro more. Venus exulet. Reliqua ſint mediocria, *ne quid nimis*, & omnia ſana fiant ratione, ut ſic anima ſana in corpore ſano exiſtat, præprimis motus corporis debito modo, ſi fieri poteſt, in Scirrho Uteri inſtituatur. In reliquis verò his affectibus quieti ſtudendum eſt, optimum enim præſervativum eſt, ſi puerpera corpore exiſtente quieto, & mente tranquilla ad diem II. uſque in lecto detineatur. Singulis Uteri affectibus ſpecialem præſcribere curationem Diæteticam non libet, quoniam opus eſſet infiniti laboris, & lecturo duntaxat tædium pareremus, cùm hæc generalia de diæta dicta facilè ad ſpecialem morbum applicari poſſint.

§. Cura juxta *Galenicos* ità inſtituitur in Uteri *Inflammatione*, ut *Philumeno*, ex relatione *Ætii* ſuadente, in principio ægrotam in domicilio obſcuro & moderatè tepido collocent, quietem imperantes & omni crurum motu interdicentes. Artus deinde manuum contrectatione demulcent, & pedum ac manuum juncturas fovent irrigantque, ac lana pura integunt; alvum verò eluunt & infuſo molli evacuant. Inflammatione exiſtente vehementiore, nec ætate, nec habitu, nec anni tempore obſtante, nec inflammatione poſt abortum, aut nimiam ſanguinis evacuationem ſuperveniente, cubiti venam ſecant, & ſanguinem pro virium ratione detrahunt, venamque in ſecunda die incidere, in tertia verò detractionem repetere permittunt, & ægram poſteà alica ex aqua mulſa, aut pane loto, aut ovo ſorbili, alternis alunt, omnibus moderatè exhibitis, fervente inflammatione lanam ſuccidam vino & oleo, aut aceto & roſaceo imbutam, aut palmulas vino incoctas, aut mala cydonia in poſca cocta, & cerato melino aut roſaceo admixta imo ventri ac pubi imponunt, & poſteà cataplaſma ex meliloto in paſſo cocto ac trito, additis vitellis ovorum aſſatorum, & cum roſaceo, aut melino, aut crocino mixto, vel vino diluto palmulas ferveſactas cum polentæ farina & aliquo ex prædictis unguentis terunt & imponunt. Ad inflammationes eryſipelaceas igneo ardore cognoſcibiles, cataplaſmatis utitur ex polenta & intubo, perdicio, umbilico Veneris, ſedo, polygono, pampinis vitis, portulaca, plantagine, & ſimilibus preparatis, & lanam aliquo herbarum harum ſucco imbutam in pudendum ſubdunt. Cataplaſmatum verò onus locis iſtis non tolerantibus, aquam roſaceo admixto ex modicis intervallis affundunt. Jn exacerbationis declinatione totum corpus inungunt, & ægram in aqua tepida uſque ad lumbos inſidere jubent, deinde peſſos ſubdunt ex aliquo unguento leniter adſtringente, ut roſaceo, melino, lentiſcino, aut œnanthino, adjectis ovorum vitellis crudis ſive aſſatis, & croco, aut aliquo ex ſuccis prædictis admixto paratos, & caput roſaceo cum modico aceto irrigant. Inflammatione mitigata mulierem in aqua oleo admixto inſidere, & peſſos ex narciſſino aut ſuſino unguento ſubdere, lanamque oleo calido imbutam pe-

Marginal notes: *[D]ilacerationis.* — *[Fo]etus extractionis.* — *[Di]æta.* — *Galenicorū cura in Uteri Inflammatione.*

pectini ac lumbis adhibere volunt. Interdum & cucurbitas lumbis affigunt & tumore magno existente scarificationem instituunt. Postquam Inflammatio declinare inceperit, ad ea deveniunt, quæ laxare ac discutere possunt, quapropter in fenigræci, althææ, seminis lini, & interdum quoque pulegii, marrubii, salviæ, artemisiæ decoctis ægram insidere jubent, & ad imum ventrem ac pubem farinam hordeaceam cum fenogræco & lini semine in aqua mulsa coctam imponunt, aut caricarum decoctum adhibent. Ubi curatio præcesserit, victum tenuem & parsimoniam tollunt, & manifesta jam facta declinatione balneum ac vinum concedunt, cibosque exhibent reficientes. Emplastrum etiam imponunt de meliloto, pessosque subdunt paratos ex fenigreci decocto, adipe anserino vel gallinaceo, aut decocto capitum papaveris, cum medulla cervina vel sola, vel adjectis pulveribus ex galbano, myrrha Troglodytica, thure, opio & casia, aut sequentem pessum aureum dictum hoc in morbo valde existimatum.

℞. *Ovorum assator. vitell.* N. vj.
Medullæ cervin. ℥ iiij.
Croci ℥ ij.
Oesipi ℥ ij.
Ceræ albæ,
Terebinth.
Adipis Anserin. aa. ℥ ij.

Crocum cum modico vino dulci terunt, ova trita adjiciunt, & liquabilia liquefacta admiscent & adservant. Usus autem tempore medicamentum oleo nardino dilutum pesso excipiunt ac subdunt. Pessum quoque Enneapharmacum ad Inflammationes hasce valde laudant, qui paratur ex adipe anserino & bubulo, cera alba, terebinthina, butyro, medulla cervina, melle, oleo rosaceo & cicino, omnibus recentibus æquis portionibus liquefactis. Ad Inflammationes ferventiores emplastrum ex succis cum rosaceo liquatum & succo plantaginis, senecionis, aut intubi adjecto, in pessum formatum adhibent. Ex floribus lilii in oleo rosaceo tritis, aut mucilaginibus seminis lini, fenigræci, radicis althææ, cum croco & axungiis paratos pessos etiam laudibus hic extollunt; omnia tamen recentia esse volunt, cum butyrum, medulla & adipes antiqua, dum liquantur, nidorosa fiant, & calidiora evadant, sicque inflammationes potiùs exacuent. Menses non nisi sedata jam inflammatione provocandos esse monent, cùm loci ob inflammationem conclusi sanguinis transitum impediant. Vergente verò Inflammatione in Abscessum, suppurationi student promovendæ, imposito cataplasmate ex semine lini, fenigræci, farina hordei, caricis coctis, radice althææ & terebinthina parato, imo ventri & lumbis, interdumque stercus columbinum cum oleo & melle adhibent. Pudendi sinum per spongias assiduè fovent, & vapores per arundinem operculo ollæ perforato insertam intra pudendum recipi jubent. Insessiones etiam frequentes instituunt, decoctis in aqua iis, quæ attractoriam vim habere credunt, uti sunt pulegium, marrubium, salvia, artemisia, laurus, dictamnus, centaurea. Dolore vehementiùs infestante, papaveris capita in aqua coquunt & contusa cataplasmatis admiscent, & caricas crudas in mortario cum resina pinus, terebinthina, ac modico nitro tritas imponunt, pessisque utuntur ex terebinthina, myrrha, œsypo ac butyro paratis, vel sequenti singulariter morbo huic conveniente.

℞. *Carnis caricar. pingu.*
Adipis anserin.
Olei irini aa. ℥ ij.
Terebinth. ℥ j.
Rutæ ℥ iij.
Myrrhæ,
Iridis,
Nitri aa. obulos duos.

Excipiantur lana in pessum, qui oleo irino aut Cyprino tepido tinctus subdatur. Ventrem imum ac pectinem decoctis prædictis assiduè jubent foveri. Rupto abscessu, si pus ad vesicam fuerit delatum & cum urina excernatur, lactis potum & cucumeris semen propinant, & cataplasmata prædicta, cerataque emollientia ac odorata adhibent; si verò ad intestinum rectum progreditur, & cum stercore, vel per se egeritur, lentium & malicorii decoctum per clysterem infundunt; si in pudendi sinum erumpit, & purum est pus, rosaceum aut tetrapharmacum cum butyro recenti ac rosaceo infundunt, & locos rosarum aut lentium decocto, aut ptisanæ succo eluunt. Destillante sanie tenui & fœtida, velut à noma & ulcere depascente, magis adstringens infundunt, quale est decoctum baccarum myrti, palmularum, lentium, & malicorii. Permanente post humorum excretionem inflammatione, cataplasmata quoque & insessiones superius indicatas continuant; si verò inæqualia fuerint, quæ prodeunt, fomenta & insessiones ex aqua mulsa parant, in qua absinthium, marrubium, ervum, centaurium, aut lentes sunt decoctæ, locos verò ptisanæ succo eluunt, addito melle & rosaceo; at Uteri os & ani cerato rosaceo aut butyro inungunt, cui spodii, aut stibii, aut plumbaginis, aut spumæ argenti aliquid, cum lacte muliebri sit admixtum. Humore denique profluente fœtidissimo, vino mulso sinum pudendi eluunt, & in eo usque ad exactam curationem solent perseverare.

Ad *Scyrrhum* Uteri curandum, in principio, si nihil obstiterit, nec ætas aut vires prohibuerint, sanguinis mediocrem copiam à cubiti vena secta detrahunt, aut per Hieram Archigenis purgant, posteà insessionibus utuntur ex decoctis fenigræci, seminis lini, pulegii, artemisiæ, foliorum sambuci, radicis & foliorum cucumeris sylvestris, aromatum vapore fomenta faciunt & Uterum oleo susino, narcissino, irino, glaucino, adipe anserino, gallinaceo, suillo recenti, aliquo unguento admixto, nec non lacte bubulo aut caprino cum adipe anserino colluunt, & cataplasma imo ventri apponunt è caricis, hyssopo, nitro & absinthio, & cucurbitas cum scarificatione affigunt. Emplastrum etiam imponunt polyarchium, aut de baccis lauri, pessosque subdunt mitigatorios, aperientes & emollientes, è quorum numero sequens existat pro exemplo.

Scirrho.

℞. *Ceræ albæ,*
Terebinth.
Medull. cervin.
Adipis gallinac.
Anserin.
Butyri,
Unguenti nardini,
Susini
Mirrhæ aa. portiones æquales.

Excipiantur melle, & formetur pessus. Inter epithemata immo ventri apponenda sequens singulariter deprædicant.

℞. *Resinæ pinus* ℔ iij.
Ceræ ℥ xx.
Apochymatis,
Fermenti acidi aa. ℔ j.
Galbani ℥ iij.
Ammoniaci,
Opoponac. aa. ℥ ij.
Muriæ acerrimæ q. s.

Opopanacem & Ammoniacum cum muria coquito, & fermentum adjicito, ac aliquatenus dissolvito: deinde liquabilia liquata admisceto, & spathula donec frigesiant agitato, & in mortarium translata probè subigito. Sequentem etiam pessum *Archigenis* hoc in casu valde extollunt.

℞. *Ol. irin.*
Susin.
Cyprin.
Ceræ aa. ℔ j.
Mellis Attici ℥ v.
Unguent. foliat.
Nardin. aa. ℥ iiij.

Adip.

Adip. anser. ℨ iij.
Medull. cervin.
Oesypi aa. ℥ ij.
Terebinth. ℨ i ß.

Oesypum & medullam cum melle subigito, deinde ceram cum oleis liquefacito, & posteà terebinthinam & adipem, & consequenter pretiosa unguenta, nardinum ac foliatum addito, & in mortarium translata, probè unito. Hoc non tantummodò ad exactam curationem, sed etiam post adeptam sanitatem aliquanto tempore majoris securitatis gratia utuntur, quin ipse *Soranus* etiam pro malagmate forinsecus imponit, & ad prædicta admiscet thuris, ceræ, Ammoniaci thymiamatis, myrrhæ, floris junci odorati aa. ℨ viij. picis ℨ xvj. galbani, opopanacis, aa. ℨ iij. thus, galbanum & opopanacem vino odorato astringente terit, & ad œsypum & medullam ac mel adjicit, & omnia simul rursus terit: deinde ceram cum pretiosis unguentis liquat, & Ammoniacum tritum, resinamque ac reliqua admiscet; hinc ablato ab igne medicamento ac frigefacto, myrrham & florem junci odorati inspergit, unit, & ad usum reponit.

Sphacelo. *Sphacelum* Uteri curaturi frequentes instituunt ablutiones ex decocto absinthii, abrotani, rutæ, myrrhæ, syringa injecto, addito nonnunquam unguento Ægyptiaco, & ventri imo lumbisque cataplasma imponunt ex farina orobi, fabar. hordei, lupinorum, absinthio in oxymelite coctis additis aloe & myrrha. Partem corruptam & emortuam forcipe attractam abscindunt, & residuum putrefactioni jam traditum, ad vivum usque unguento Ægyptiaco absumunt, quo facto cicatrisationi student, & enemata frequentius injiciunt emollientia, abstergentia & refrigerantia. Toto insuper curationis decursu cordis roborationi incumbunt, tum remediis internis, tum epithematis cordis regioni forinsecus impositis.

Vlcere. *Vlcus* Uteri curant prohibendo fluxum humorum, acrium per venæsectionem in brachio institutam, si ægra sit plethorica, per purgationem verò si sit cacochymica, utunturque benignoribus tantummodò catharticis, ut foliis sennæ rhabarbaro, myrobalanis, tamarindis, electuario catholico, quibus præmissis decocta propinant vulneraria & abstergentia ex radice chinæ, symphiti, aristolochiæ rotundæ, foliis agrimoniæ, Plantaginis, pimpinellæ, centinodiæ, millefolii, artemisiæ, vel terebinthinam exhibent dum saccharo rosaceo, & pro majori ulceris exsiccatione pilulas de bdellio aut pulverem ex trochiscis alkekengi. Foris verò insectiones, injectiones, cataplasmata, pessos & suffumigationes adhibent exsiccantia, adstringentia & consolidantia, quæ parantur ex radice bistortæ, consolidæ, ireos, aristolochiæ, herbis absinthii, saniculæ, apii, pilosellæ, millefolii, bursæ pastoris, vel decoctum hordei, in quo mel rosatum sit dissolutum, addita pauca quantitate myrrhæ, injiciunt. Pessum quoque adhibent paratum ex croco, oleo rosaceo, adipe anserino & medulla cervina, vel ex plumbagine, glauco cum succo hyposcyami tritis, additaque quantitate sufficiente olei myrtei aut rosacei. Ad ulcera Uteri sordida repurganda, tum emplastro Ægyptio citra ærunginem præparato, tum sequenti utuntur pesso.

℞. *Terebinth.* ℨ iiij.
Adipis anserin. ℨ vij.
Myrrh. ℨ j.
Croci ℨ iij.
Medullæ bubulæ,
Oesypi aa. ℨ ij.
Mellis,
Olei Cyprini, *antirini* aa. ℨ xvj.
Thuris,
Rad. panaceæ,
Iridis aa. ℨ ij.
Cyperi ℨ iiij.

Incorporentur, & serventur ad usum. Pro suffumigio sequentibus utuntur trochiscis.

℞. *Thuris*,
Storacis calamit.
Myrrh.
Mastich.
Gumm. junip.
Ladani aa. ℥ j.
Cum s. q. Terebinth. F. s. a. Trochisci.

Vlcera depascentia sive nomas lacte eluunt asinino recens emulcto, vel in ejus defectu, quocumque alio cocto, cui mel & pulverem radicis ireos addunt, & in Vterum infundunt, aut eodem modo utuntur aqua mulsa, in qua absinthium, aut calamus aromaticus, aut buphthalmum, aut lecanthemum fuit incoctum, qua iterùm effusa, locos decocto malvæ eluunt, & pessum ex farina lentium, vel foliis oleæ in melle tritis & melle susceptis insinuant. Vlcere satis repurgato, cicatricem inducunt unguento diapompholygos, vel cerato sequenti.

℞. *Ceræ alb.* ℥ iij.
Ol. rosac. optimi ℥ ix.

Ad prunas liquefacito, & quadantenus refrigerato: deinde in mortarium conjicito ac lacte muliebri aut asinino, aut caprino recens mulcto affuso, cum pistillo subigito, donec totum inalbescat, deinde diffuso priore lacte, novum infundito ac rursus subigito, & croci ℨ j. admisceto. Sequens etiam medicamentum ex hordeo hoc in casu valde collaudant.

℞. *Hordei usti ac triti*,
Spumæ argenti lotæ,
Ceruss. lot. aa. ℔ j
Adip. anserin. ℔ iiij.
Capr. recent. ℔ iij.
Ol. myrtei ℔ ij.
Mellis despumat. ℥ viij.
Terebinth. ℨ iij. vel iiij.
M.

In *Vulneribus & Dilacerationibus* Vteri decocta propinant vulneraria ex radice tormentillæ, bistortæ, symphyti, herbis millefolii, artemisse, centinodiæ, plantaginis, bursæ pastoris & simillibus, pessosque adhibent dolorem lenientes & consolidantes ex cera & oleo rosaceo vel narcissino, quibus subjungunt medicamenta superiùs in Ulceribus jam notata.

In *Fœtus mortui* extractione ità procedunt, ut mulier supina in lecto reclinetur, & magis ut deorsum vergat, mulieres aut ministræ quædam crura elevata utrimque teneant, vel si hæ non adsint, per vincula quædam thorax mulieris ad lectum deligetur, ne dum atrahitur fœtus, corpus ipsius sequens tractus vigorem exsolvat, tum duæ aut tres buccellæ panis vino imbutæ offerantur ad arcendum animi deliquium, & in ipso opere assiduè facies vino respergatur. Deinde pudendi alis per ministrum diductis, Chirurgus manum sinistram, cum robustis ac constrictis digitis, pinguefactam in uteri osculum dimittit, ac ipsum dilatat, & infuso in ipsum oleo laxius reddit, & ubi commodè uncus infigi possit, quærit. Locos autem ad infingendum uncum commodos in capite recensent oculos, occiput, os palati, mentum, clauiculas, & circa costas ac præcordia locos; in pedes verò fœtu delato, ossa supra pubem, & costarum spatia intermedia & claviculas, posteà uncum manu dextra detentum, & flexuram ipsius inter digitos occultatam, per sinistram manum leniter, & in quodam ex relatis locis infigit, usque ad locum inanem, alterumque huic oppositum, quò æqualis & non ad alteram partem attractio fiat: tum æqualiter trahit, non solùm in directum, sed etiam in latera, nec tensionem remittit: posteà digito indice pinguefacto, aut etiam pluribus, inter Vteri osculum &, corpus impactum, velut si excoriet, in orbem circumducit. Vnco pro ratione sequente, ipsum in partes ulteriores transfert, sicque usque ad perfectam fœtus extractionem facere pergit. Si manus fœtus præmissa sit, & impacta retrudi non possit, obvoluto panniculo, ne ob lubricitatem elabatur, aliquantulum illam attrahit, & ubi prodierit, totam de humero resecat. Idem etiam facit, si ambæ

si ambæ manus promineant, similiterque etiam pedes prominentes, reliquo corpore non subsequente, resecat, & postea reliquum corpus dirigere conatur. Facta verò à capite majore obstructione, uti fieri solet, si fœtus hydrocephalus est, spatula polypis destinata, aut acicula, aut cultello aculeato, inter digitos occultato calvariam dividit, quo aqua evacuata concidat. Capite verò ità naturaliter, ut dicunt, amplo existente, divisam similiter calvariam per forcipem dentibus aut ossibus extrahendis commodam contundunt, &, si supereminent ossa, ipsa eximunt. Si protracto capite circa thoracem obstructio fiat, eodem instrumento locos circa claviculas usque ad inanem locum dividunt, quò humore evacuato thorax concidat, quòd si non fiat, facta dissectione claviculas ipsas auferunt. Si imus venter, mortuo fœtu, aut hydrope affecto, inflatus fuerit, eadem ratione humorem unà cum ipsis intestinis evacuant. In iis, qui in pedes deferuntur, inclinationem ad Uteri osculum facilè dirigi promittunt, si verò circa thoracem aut abdomen impactus fœtus hæreat, panniculo obvoluto eum attrahunt, & eodem modo facta divisione, ea, quæ continentur, evacuant. Si reliquis ablatis caput recurrens detineatur, sinistram manum immittunt, & siquidem disparatum fuerit Uteri osculum, manum in profundum demittunt, & repertum caput digitis ad osculum devolvunt, deinde unco uno vel altero infixo attrahunt; si verò Uteri osculum ob inflammationem conclusum sit, nullam vim inferunt, sed pinguibus ac largis infusis, insessibus, irrigationibus & cataplasmatis utuntur, quò disparato asculo educatur. Fœtu in obliquum prodeunte, siquidem dirigatur, prædictis utuntur modis, sin minùs, totum fœtum intus dissecant & particulatim educunt, diligenti habita animadversione, ne qua particula intus latens relinquatur. Post Chirurgiam, curationibus ad Uteri inflammationem utuntur, omnique studio sanguinis sistunt eruptionem.

Paracelsi cura in Vteri Inflammatione.

§. 14. *Paracelsus* ad Uteri *Inflammationem* profligandam magisterium commendat perlarum, lapidem prunellæ & aurum lunificatum in aqua melissæ & florum sambuci propinatum; ad eluendum verò ipsum Uterum decoctum serpilli laudat & cataplasma ex radice & foliis hyoscyami sub cineribus assatis, & cum aceto in pulticulam redactis, quod ipsi abdomini circa regionem Uteri inflammati est aponendum. Si jam in abscessum abierit, unguentum ex oleo ovorum chamomilla & galbano pesso illitum adhibet, & pure evacuato, locum aqua salis, in qua mel rosaceum fuerit dissolutum, abstergit.

Scirrho.

In *Scirrho* Uteri curationem non temerè attentandam esse monet, cùm nec dirigentibus, nec corrodentibus aliquid præstari possit, sed solùm menstruorum provocationem facilitari posse admittit, eaque de causa essentiam Martis ægræ utiliter exhiberi putat, si verò scirrhum in ulcus transmutari contingat, hujus curationem minori cum periculo suscipi profitetur.

Sphacelo.

Sphacelum Uteri quod concernit, non tam perfectum curare aut abigere aggreditur, quam incipientem prohibere, ne perfectionem adipiscatur, quem scopum ut obtineat, frequenti in usu habet aurum lunificatum, quod internè in aqua melisæ propinat, foris verò lapidem calaminarem præparatum in decocto matricariæ, scordii & salviæ dissolutum inspergit, vel mumiam arsenicalem radici levistici in formam pessi redactę illinit, & ad locum, usque infectum insinuat.

Vlcere.

Vlceris Uteri curationem potissimùm peragit internis potionibus vulnerariis mundificantibus & abstergentibus ex decocto radicis aristolochiæ, bistortæ, herbarum melissæ, artemisiæ, perforatæ, persicariæ, millefolii &c. in quo interdum pulverem ex magisterio coralliorum & perlarum exhibet, omnique modo menstruorum sal corosivum domare intendit, posteà forinsecus etiam lapidem calaminarem præparatum in aqua plantaginis solutum inspergit, & linteum in pessum formatum mumia arsenicali imbuit, eoque ulcus attingere conatur.

Vulnere.

Vulnera Uteri si tantummodò sint interna ex *Dilaceratione* violenta inducta, potiones exhibet vulnerarias ex radice aristolochiæ, consolidæ, diapensiæ albæ, angelicæ, herbis melissæ, betonicæ, salviæ, matricariæ, pyrole, alchimillæ, summitatibus hyperici, floribus anthos, cheyri, mastiche, succino albo, myrrha, & similibus cum aqua in cantharo pulte ex farina bene lutato paratas: si verò externum simul adsit vicinarum partium vulnus, balsamum parat vulnerarium, ex herbis salviæ, melissæ, ophioglossi, betonicæ, plantaginis, radice consolidæ, aristolochiæ, lumbricis, castoreo, succino, in butiro majali tritis, & Soli expositis, donec clarum separari possit, quod vulneri illinit, & post modum emplastrum fodicationum superimponit.

Fœtu mortuo.

In *Fœtu mortuo* expellendo non statim ad instrumenta Chirurgica transeundum esse existimant, sed remedia quædam ad fœtum expellendum idonea præmittenda, qualia sunt oleum succini ad 10. guttas in aqua artemisiæ aut pulegii exhibitum, Tinctura cheiri, essentia catorei, sabinæ, borrax, decoctum dictamni Cretici in vino, pulvis myrrhæ & croci, quibus si non expellatur, extractionem per manus, & tandem per instrumenta instituendam esse concedit, modò studium adhibeatur, ne Uterus ipse lædatur, & unà cum fœtu mater quoque simul enecetur.

Helmontiana cura in Vteri Inflammatione.

§. 15. *Helmontio* Uteri *Inflammationis* curatio consistit in eo, ut furor Archei Uteri placetur, & spiritus furibundi sistantur, quod peragi dicit arcanis internis & topicis externis. Inter priora extollit Mercurium suum diaphoreticum melle dulciorem & ad ignem fixum, Tincturamque coralliorum volatilem singulari & specifica dote cum Utero symbolizantem. Inter externa, infusa commendat ex abrotano, ruta, salvia, veronica, artemisia floribus sambuci & castoreo parata.

Scirrho.

Scirrhi Uteri curationem consistere ait in tartari coagulati resolutione, quæ peragitur volatilibus gummosis ex olibano, mastichæ, gummi Arabico, resina abiegna destillatis, nimis autem calidis remediis Scirrhum Uteri magis indurescere dicit, & ubi affectus internus externum petit subsidium, ut morbus præsens, unguina deforis lapide calefacto, vel arena calida foveri jubet, potenti enim calore existimat apposita unguenta animari & spiritum Uteri & Archeum, qua de causa etiam balnea commendat ex Uterinis emollientibus & resolventibus.

Sphacelo.

Uteri *Sphaceli* curam nullam esse pronunciat, si verò *Gangræna* adfuerit, lixivium, ideò quòd acidum nocet gangrænæ, in Uterum infundendum esse præcipit.

Vlcere.

Uteri *Vlceris* curationem eò dirigendam esse vult, ut venenum & faber ejus, sanguinisque corruptor, acidum nempe, cometur & enecetur, qua propter lapides cancrorum & Mercurium diaphoreticum internè exhibere suadet, & mundificativa externe Utero immitenda.

Vulnere.

Vulneris ac *Dillacerationis* Uteri post partum curationem absolvendam esse refert, quantum possibile, per remedia mansueta & sedativa, virtute balsamica pollentia, quæ Archeo Uteri irritato pacem & quietem concilient, ideòque internas potiones vulnerarias laudat, quia spiritualis sunt qualitatis. Lapides quoque cancrorum & ossifragum in spiritu aceti dissolutos, vel in vino bullitos propinat. Externa etiam balsamica Utero infundere præcipit, ut balsama resinarum, herbarum, & florum appropriatorum, ut melissæ, abrotani, matricariæ.

Fœtu mortuo.

Fœtus mortui extractionem admittit, quem tamen muliere dudum mortua ipse Vterus sæpe profligat, eum verò mortuum in tempore cum aliis Auctoribus eximendum esse asserit.

Vuillisii cura in Vteri Inflammatione.

§. 16. *Villisius* in Uteri *Inflammatione* sanguinem lentescentem, & in parte hac stagnantem sudoriferis attenuat, & ad diaphoresin disponit, eumque aptiorem facit ad venarum oscula subintranda. Partem itaque spiritibus hisce fovet, ut humorum effusorum motum adjuvet.

℞. *Spir. vin. camphor.* ℥ ij.
Iunip.
Flor. sambuc. aa. ℥ j.
C.C. succinat. ʒ iij.
M.

Sed si sanguis effusus nequaquam à venis resorbeatur, vel per poros avolet, maturationem & suppurationem eadem plane ratione, qua in aliarum partium abscessibus utitur, strenue solet promovere.

Scirrho. *Scirrhum* Uteri curatu admodùm difficilem pronunciat, & præter balnea & insessus ex herbis emollientibus parata, emplastrumque diachylum cum gummis Uteri regioni impositum, vix ulterius quidpiam audet tentare.

Sphacelo & Ulcere. Carnes *Sphacelo* infectas quantum possibile est, cultro dissecat & tollit, illisque deinceps unguentum Ægyptiacum applicat, ulcusque digestiuo tractat & tinctura ex myrrha, & aloe in spiritu vini facta inungit. Ulcus planè purgatum & mundatum, ut alia ad perfectam consolidationem perducit.

Vulnere. In Uteri *Vulneribus & Dilaceratione* vulneraria propinat apozemata, unà cum pulveribus ex coralliis pp. oculis cancrorum, succino albo, & balsamum de Capaiba sæpiùs in jusculis exhibet, quin & pessos & iniectiones parat, & emplastrum aliquod stypticum è regione partis læsæ foris apponit.

Fœtu mortuo. *Fetum mortuum* simili prorsus methodo, ac alii Auctores, extrahere præcipit.

Sylvii cura in Vteri Inflammatione. §. 17. Juxta *Sylvium* Uteri *Inflammationis* cura in eo consistit, 1. ut compressio vel obstructio vasorum Uteri tollatur, 2. ut subsistentis stagnantisque sanguinis motus restituatur. Hinc Auctor hic commendat salia volatilia ex variis animalium partibus parata sæpius exhibenda, quippe quæ omnia singulari ac egregia vi pollent coagulata & conglutinata omnia in corpore humano dissolvendi, eademque ad pristinam fluiditatem reducendi, atque insuper sudorem movendi. Preter hęc etiam venesectionem in talo, vel prore nata in brachio instituedam esse præcipit sanguinis enim emissione sanguini stagnanti motum restitui contendit. Inter topica injectiones commendat ex decoctis emollientibus, ardorem in Utero exortum compescentibus, & unguenta, emplastra & cataplasmata externæ Uteri regioni imponenda esse jubet.

Scirrho. In *Scirrhi* Uteri curatione, ubi corpus ægræ humoribus crassis, viscidis, terrenis ac lentis adhuc scatet, incidentia, & attenuantia calidiora, uti aromatica spirituosa & salia volatilia commendat, & ubi serum maximè peccet, hydragoga laudat, sudorifera & diuretica. Humorem crassum viscidum incidunt aromatica, qualia sunt absinthium, betonica, mentha, radix enulæ, gentianæ, imperatoriæ, centaurium minus, aristolochia, cardus benedictus, crocus, cujus tincturam sive extractum cum vino paratum valde æstimat, ut & Elixir proprietatis *Crolli*, cum salibus volatilibus paratum. Externè fotus, emplastra & cataplasmata præscribit ex althea, aro, bryonia, malva, sigillo Salomonis, Nicotiana, gentiana, sarsaparilla, semine lini, floribus chamomillæ, meliloti, genistæ, semine agni casti, polypodio, corticibus caparum, fraxini, frangulæ, foliis rutæ, ceterach, semine sinapi; myrrha, aliisque pluribus. Sic fotum ex aceto scyllitico adjectis amaris, centaurio minore, absinthio, cum decocto prassii & sigilli Salomonis commendat, vel suffumigia ex galbano, sagapeno, opopanace, bdellio, &c.

Gangrena & Sphacelo. In *Gangræna* ac *Sphacelo* corruptionem Uteri inhibentia commendat, imprimis in Gangræna Uteri incipiente salia volatilia præscribit, ut & oleosa sæpius exhibenda, sic & myrrham, olibanum, mastichem, aloen, aliaque plura, imprimis ex his paratum Elixir proprietatis internè sumendum. Externè infusiones laudat in Uterum injiciendas ex aqua calcis vivæ, vel decoctis herbarum aromaticarum paratas, quò refert fotus, suffumigia, aliaque corruptionem integram prohibentia, præsertim theriacalia ac camphorata, quæ capite generali sunt petenda.

Vlcere. *Vlcus* Uteri curat humores acres corrigendo, in quem finem commendat emulsiones, decocta emollientia ac lenientia ex glycyrrhiza, hordeo, & similibus parata. Ipsa terebinthinata, ejusque oleum, balsamum Peruvianum, oleum de Capaiva dictum laudat, ut & omnia acidum temperantia, interquæ primũ locum tribuit oculis cancrorum, in hoc affectu curando utilissimis. Interdum affectum hunc curandum vult ut luem Veneream, seu gonorrhæam virulentam, quæ etiam sæpe conjuncta est huic ulceri; ejus ergò cura consistit in alteratione ac contemperatione humoris acris ulcus in Uteri vasis vel glandulis excitantis, in quem finem præscribit decocta sudorifera, quæ non tantùm per sudores, verùm per urinas quoque humores peccantes acriores expellunt ac simul quoque acres acidos simul temperant. Corroborat quoque debilitatas Uteri glandulas per blandè adstringentia & aromatica, sale saltem fixo & acidum frangente donata, castoreum nempe, succinum, myrrham, mastichem, corallia, lapidem hæmatitem, laccam, quę internè etiam assumenda suadet, & foris olea quædam, ut mastichinum, & alia convenientia circa perinæum illinit.

Vulnere vel Dilaceratione. Uteri *Vulnus* vel *Dilacerationem* à violenta fetus vel placentæ Uterinæ eductione excitatam per medicamenta curat excoriationem sanantia & consolidantia, qualia sunt omnia blandè adstringentia, bistorta, tormentilla, consolida quævis, myrtus, hypericum, corallia, terra sigillata, bolus quælibet, sanguis draconis, lapis hæmatites, &c. ex quibus varias medicamentorum formulas pro ęgrotæ placito parare solet, & præsertim lochiorum fluxu nimio simul præsente sequenti utitur mixtura.

℞. *Aq. Plantag.* ℥ i ß.
Antepilepticæ Amstelodamens. ʒ vj.
Lap. hæmatit. ℈ ß.
Corall. rub. pp. ℈ j.
Laudan. opiat. gr. ij.
Syr. Myrtin. ℥ j.
M. & de hac agitata subinde exhibeatur cochleare unum. Decoctum etiam sequens hoc in casu singularis estimat efficaciæ.

℞. *Rad. Tormentill.*
Bistort. aa. ℥ ij.
Fol. consolid. maj.
Saniculæ,
Pyrolæ,
Summit. hyperic. aa. M. j.
Coq. ex aqua ferrata,
In Colaturæ ℥ xx. *dissolv.*
Syrup. de Symphyt. Fernel ℥ iij.
Aq. Antepilept. vel
Hysteric. Amstel. ℥ vj.
M. Exhibeantur bis terve in die ℥ iij.

Foris etiam unguenta adhibet, linimenta, olea, & emplastra vim leniẽdi propter dolores ab excoriatione obortos, & consolidandi habentia, imprimis abdominis parti inferiori, aliquando lumbari quoque regioni illita vel applicata, qualia existere putat unguentum Martiatum, populeum, adstringens Fernelii, Aureum, calcis, diapompholygos, refrigerans Galeni, &c. emplastrum ad rupturas Fernel. ceratum santalinum, &c. oleum cydoniorum, hyperici, nepethæ, nymphææ, rosaceum, omphacinum, solani, mastichinum, myrtillorum, quibus, ut partes excoriatæ citiùs consolidentur, & fluxus lochiorum nimius feliciùs sistatur, etiam opiata solet admiscere.

Fœtu mortuo. Ubi proinde satis superque constat de *Fetus interitu*, jubet Auctor obstetrici quamvis fetus partem occurrentem (quantum id parturiens commodè ferre potest] manu prehendere atque allicere; at si reliquum corpus haud sequatur, aut sequi non possit, amputare; atque sic fetus molem paulatim minuere, donec tandem omnes partes habuerit cum secundis.

Cartesianorum ratio curandi. §. 18. *Cartesiani* Uteri *Inflammatio* curatur remediis porosis particulas angulares sive acidas absorbentibus, frangentibus & hebetantibus, ut iisdem ablatis

Uteri inflammationum. latis succorum fluxus prohibitus in canaliculis Uterinis restauretur, & omnis stagnatio resolvatur, quapropter sequentem pulverem exhibent, sudorem & urinam promoventem.

℞. *Ocul. Cancr.* ℈ß.
Antimonii diaphoret. gr. viij.
Sperm. cet. gr. vj.
Salis succin. gr. ij.
Camphor. gr. j.
Croci gr. iij.
M. F. *Pulvis* in sequenti vehiculo vnâ vice exhibendus.

℞. *Aq. flor. sambuc.* ℥ß.
Petrosel. ʒij.
Syr. fenic. ʒiß.
M.

Regionem Uteri etiam fovent discutientibus, ut decocto bryoniæ, bardanæ, cucumeris asinini, herbarum matricariæ, menthæ, artemisiæ, cicutariæ, petroselini, fœniculi, scordii, absinthii, chærefolii, florum chamomillæ, sambuci, meliloti, vel spiritu vini camphorato & crocato, ex quibus etiam injectiones faciunt in Uterum ipsum, nec non ex aqua calcis vivæ, spiritu vini vel matricali, cerussa, croco & camphora. Abdomen etiam circa regionem pubis & dorsum inungunt unguento martiato, dialthææ, oleo chamomillæ, anethi, terebinthinæ, succini, & pessum formant ex emplastro de spermate ceti, vel diapalmæ, eumque insinuant, vel linteum in formam pessi contortum & filo obductum linimento imbuunt ex bolo Armeno, camphora & spiritu vini, eoque locum inflammatum attingunt. Properante verò inflammatione ad suppurationem, fotus & cataplasmata adhibent ex radicibus liliorum alborum, althææ, ceparum, foliis mercurialis, betæ, malvæ, brancæ ursinæ, floribus meliloti, verbasci, semine fœnigræci, lini, althææ, farina hordei, fabarum, dactylis, ficubus, vel unguento agrippæ & basilico locum inungunt & emplastrum de meliloto & diachylum cum gummis invicem mixta imponunt. Ex spiritu matricali cum spiritu terebinthinæ fotum faciunt, cujus fumus per infundibulum ad Uterum inflammatum est dirigendus.

Scirrhum. In *Scirrho* Uteri ad succos per diuturniorem coagulationem nimiùm inspissatos incidendos, attenuandos & resolvendos tum martialia laudant, tum spirituosa & salia volatilia, non omissis porosis angulos particularum acidarum coagulantium absorbentibus, frangentibus & hebetantibus, qualia sunt magisterium Martis, oculi cancrorum, Sal Tartari, flores sal. Armoniaci, sal succini, fæculæ bryoniæ, myrrha, spiritus matricalis, assæ fœtidæ, & id genus alia, ex quibus potissimùm remedia in sequentibus formulis exhibita probati erunt vsus.

℞. *Fæcul. bryon.* ʒij.
Ocul. cancror. ʒß.
Magister. Martis ℈j.
Salis artemis. ℈ß.
Succin. gr. iij.
M. F. *Pulvis* duobus vicibus assumendus.

Vel

℞. *Crystall. Tartari* ʒj.
Salis ejusd. ʒß.
Vitrioli Martis ℈ij.
Flor. sal. Armoniaci ℈j.
M. F. *Pulvis*, cui instill. ol. d. macis gt. ij. dividatur in quatuor doses in sequenti mixtura assumendas.

℞. *Aq. matricar.* ℥ij.
Meliss. ℥j.
Essent. rorismarin. ℥ß.
Spir. matrical. ʒiij.
Syr. de Scrophular. ℥j.
M.

Uteri regionem sæpiùs fovent spiritu matricali, sal Armoniaci, aqua calcis vivæ, decocto radicis bryoniæ, scrophulariæ, cucumeris asinini, herb. Mercurialis, parietariæ, atriplicis, cicutariæ, florum chamomillæ, malvæ, meliloti, seminis lini, & similium, ex quo etiam injectiones parant uterinas, & cum butyro recenti non salito & oleo liliorum, aliisque & interdum melle mercuriali enemata, quorum partes subtiles per poros intestini in poros Uteri ingredientes, succos inspissatos reddant fluidiores, & coagulatos induratosque resolvant & emolliant. Eadem quoque de causa linimenta & emplastra circa pubem, dorsum & lumbos applicant, ex unguento dialthææ, Agrippæ, axungia anatis, gallinæ, anseris, oleo terræ, vulpino, laurino, camphoræ, emplastro diachylo cum gummis, de galbano cum croco, vel cataplasmata ex cepis coctis, semine sinapi, sulphure, camphora & spiritu vini parata, hoc in casu quàm accommodatissima.

Sphacelum. In *Sphacelo* Uteri incipiente maximè ellaborant, ut ulterior succorum coagulatio & tubulorum impediatur obstructio, cùm aliàs mors non procul absit à foribus, ideòque diaphoretica assiduo habent in usu, aliaque spirituosa, porosa & amara, quorum sequens esse potest formula.

℞. *Aq. florum sambuc.* ℥j.
Rorismarin. ʒv.
Theriacal. camphorat. ʒiij.
Diascord. Frastor. ʒj.
Ocul. cancror. ʒß.
Liq. C. C. succinat. ℈j.
Tinct. Myrrh. ℈ß.
Syrup. meliss.
Card. bened. aa. ʒiij.
M. exhibeatur cochleatim.

Menses etiam moventia & diuretica frequentiùs subjungunt, ut qua vis ratione sanguis ad motum concitetur & purificetur. In Uterum lixiviosa, spirituosa, aloetica & myrrhata injiciunt, ut aquam calcis vivæ, spiritum matricalem, theriacalem camphoratum, Decoctum radicum angelicæ, valerianæ, aristolochiæ rotundæ, gentianæ, Imperatoriæ, herbarum rutæ, scordii, alliariæ, absinthii, melissæ, salviæ, matricariæ, foliorum rorismarini, florum sambuci, Chamomillæ Romanæ, hyperici, seminum sinapi, lupinorum, nasturtii, levistici, in spiritu vini & lixivio, vel in spiritu vini & suco vno vel altero prædictarum herbarum dissolvunt aloen, saccharum saturni, myrrham, sal. Armoniacum, fimum columbinum, aut unguentum Ægyptiacum, uti sequens monstrat formula.

℞. *Spir. vin.* ℥iij.
Succ. rut.
Chelidon. maj. aa. ℥j.
Unguent. Ægyptiac. ℥iij.
Spir. sal. Armoniaci ʒj.
M. pro Injectione.

Sphacelo verò jam vires & dominium habente, curationem vix salutarem obtineri posse profitetur, cùm mulieres plerumque enecet, separationem enim partis jam emortuæ à sana difficulter peragi posse hoc in loco, probè norunt, & adjacentia viscera nimis citò infici, at totum Uterum eximere velle, rem periculosæ dicunt aleæ, & rarissimè pro voto succedentem; ne tamen ægram planè neglecturi videantur, internè cum Electuario diascordii grana quinque vel sex exhibent mercurii sublimati præcipitati, & injectiones lixiviosas in Vterum instituunt. Faciliùs interim in ipsa vagina Vteri à sphacelo occupata separationem partis corruptæ à sana institui posse asserunt, cujus rei gratia sæpiùs per syringam injiciunt decoctum herbarum anteà nominatarum, in lixivio & spiritu vini paratum, additis sal. Armoniaco, saccharo Saturni, aloe & myrrha, quibus si separatio nondum pro voto succedat, partem corruptam forcipe prehendunt, & incisorio conveniente à sana sejungunt, qua extracta unguento aureo, Apostolorum, basilico, aliisque suppurationem promovent, & tandem emplastro dia-

diapalmę vel gryseo aut de gratia Dei curam absolvunt.

Ulcus Uteri ritè ut curent sanguinem purificantia diaphoretica, & diuretica intus exhibent, præsertim ex lignis parata, quæ singulariter etiam prodesse affirmant, quando ex Lue Venerea originem habuerit, iisque adjungunt porosa & terrestria particulas acutas hebetantia, inter quæ primum locum illis merentur oculi cancrorum, tum Antimonium diaphoreticum, terra Melitensis, vel alia sigillata quævis, sal succini, saccharum Saturni, camphora, aqua calcis vivæ, Tinctura Antimonii tartarisata, quorum formulæ sequentes esse possunt.

℞. *Ocul. cancror.* ℈ j.
Antimonii diaphoret. gr. xv.
Myrrh. gr. vj.
Sperm. cet. ℈ ß.
Salis succini gr. iij.
Camphor. gr. j.
M. F. *Pulvis* duabus vicibus exhibendus.

℞. *Aq. Matricar.* ℥ j.
Salv. ʒ v.
Calc. viv. ʒ iij.
Essent. cent. min. ʒ j.
Spir. matrical. ʒ i ß.
Tinct. Tartari Antimoniat. ʒ ß.
Spir. camphor. ℈ ß.
Syrup. meliss. ʒ v.
Card. bened. ℥ iij.
F. *Mixtura*, detur cochleatim.

Per syringam injiciunt liquores & mixturas detergentes ex aqua calcis vivæ, mercuriali, spiritu vini camphorato, spiritu simplici, in quo thus & aloe sunt dissoluta. Ulcere benè deterso & mundato, quod læsum est sanant vulnerariis & balsamicis, quibus sequens constat formula.

℞. *Conserv. veron.* ℥ ß.
Meliss. ʒ ij.
Lapid. ceratit. ʒ ß.
Balsam. de Capab. ℈ j.
Salis succin. gr. ij.
Cum s. q. *Syrup. meliss.*
F. s. a. *Electuarium*, ad nucis Moschatæ quantitatem una vice exhibendum.

Vulnera Uteri curant remediis vulnerariis internis, ut balsamo Peruviano, sulphuris terebinthinato & succinato, Tinctura Mumiæ, Essentia traumatica, aliisque decoctis vulnerariis & remediis nervinis, qualia sunt decoctum tormentillæ, caryophyllatæ, levistici, salviæ, matricariæ, alchimillæ, betonicæ, verbenæ, saniculæ, quibus aliquando pulveres adsociant ex coralliis & succino pp. oculis cancrorum, cinabari Antimonii, Sale lumbricorum volatili, vel essentiam rorismarini, spiritum matricalem, tincturam hyperici, quæ remedia quoque ordinario potui instillant. Vulnus abdominis externum communi tractant more, hoc taltem observato, ut ad Uterum usque læsum nervina instillent & antispasmodica, qualia sunt oleum lumbricorum, laurinum, balsamus hyperici oleum castorei, succini, salviæ, macis, rorismarini, vel petræ, & epithema ex spiritu matricali calidiuscule imponant. Injectiones vulnerarias ex decocto saniculæ, salviæ, rorismarini, matricariæ, hyperici, cum spiritu lumbricorum succinato, vel essentia castorei singulariter etiam approbant. *Dilacerationem* Uteri à violenta secundinarium avulsione exortam iisdem curant vulnerariis, propinata internè mixtura ex aquis bursæ pastoris tormentillæ, plantaginis, cinamomi cydoniatæ, Tinctura terræ catechu, sulphuris vitrioli, spiritu mastiches, & syrupo corralliorum. Abdomen forinsecus inungunt oleo mastichino, myrtino, unguento martiato, & epithema imponunt ex spiritu matricali, vel emplastrum stypticum *Crollii*.

In *Fœtu mortuo* eliciendo non statim ad hamulum aliaque accelerant instrumenta, sed convenientibus remediis priùs eundem tentant ejicere, quorum felicem operationem, etiam in casibus difficillimis, ubi nihil quicquam instrumentis obtineri potuit, sæpius experti sunt, qualia sunt borrax Venetus, cassia lignea, sal succini, sabinæ, castoreum, crocus, semen nigellæ, myrrha, essentia artemisiæ, spiritus lavendulæ, Armoniaci succinatus, aqua pulegii, melisse, serpilli, Dominarum *Mynsicthi*. Hisce præmissis vaginam Uteri oleis satis reddunt lubricam, & obstetricem vel Chirurgum manum bene inunctam vaginæ jubent insinuare, & fœtum, si possibile est, ità convenienter locare, ut arrepto capite, digitum medium vel ori, vel oculo intrudant, sicque eundem extrahant. Hoc verò si sit impossibile, quem integrum nequeunt, frustulatim conantur eximere, adhibita hac de causa forcipe quadam acuta, qua partes arreptas statim abscindant & extrahant. E contrà matris jam emortuæ ventrem discindunt, ut per hysterotomiam hanc fœtum vivum è tumba eripiant. Fœtum verò mortuum ex matre mortua velle eximere, si de utriusque extinctione certò constet, rem ducunt esse supervacaneam & nullius planè utilitatis.

Nostra methodus curandi Uteri Inflammationem.

§. 19. *Curatio*, me auctore, his in *Uteri affectibus* maturanda, nec moram patiuntur hi affectus & symptomata gravia urgentia festinationem petunt. In *Uteri Inflammatione* ante omnia eo incumbendum est, ut obstructio in tubulis, vasis ac glandulis Uteri facta tollatur, quia in his aperiendis totius inflammationis cura vertitur, & quia acidum sæpè in causa est, hinc commendamus omnia absorbentia, sudorifera ac volatilia, imprimis si malum fuerit à mensium vel lochiorum obstructione, conveniunt ergo hoc in casu varia Emmenagoga, ut sunt Tinctura lunatica volatilis cum spiritu matricali parata, omnia succinata, cinnabarina, pulvis imprimis noster spasmodicus, myrrhata, aloetica, Camphorata, Castorina, Armoniacalia, Martialia, Antimoniata, &c. aqua melissæ, pulegii, cinamomi, artemis. aqua Epileps. Balsalm. Embryon. aqua Regin. Hungar. in pellendis lochiis egregium medicamen. In Uteri Inflammatione, ejusque tumore & instante gangræna sequentem Essentiam matricalem tanquam polychrestum commendo remedium.

℞. *Gumm. Galban.*
Ammoniac. aa ℥ iij.
Ol. Juniper. ℥ i ß.
Terebinth. ℥ j.
Tacamahac. ℥ ß.
Succini,
Tartari aa. ʒ ij.
Spiritus rectif. alcolis. ℥ xij.

Digerantur ad extractionem, dein decantetur. Internè convenit ad guttas x. aut xv. & externè quoque mediante injectione cum aliis liquoribus in Uterum immissa. Sic etiam Spiritus Uterinus sale volatili & myrrha, aloe ac Camphora saturari, ac cum spongia applicari potest, quem effectum etiam præstat spiritus matricalis cum Camphora interne ac externe usurpatus. Si patiens fuerit puerpera, res est periculosior, hinc mens reflectenda est ad lochia, num ritè fluant; quòd si non fluant detur Tinct. myrrh. Antimonii, succin. cum myrrha. Salia quoq; volatilia oleosa egregiam sæpe præstant operam; imprimis sal volat. nostrum cum myrrha paratum, item spiritus cephal. cum ol. myrrh. & puleg. maritatus, spiritus C. C. compositus, in aqua scord. meliss. puleg. propinatus. Mixturis his addi possunt aqua calc. viv. spiritus sal. Armoniaci anthos. succinat. vel Aq. Regin. Hungar. spir. fl. sambuci. Sic si febris adfuerit, itidem hoc in casu ad lochia respiciendum est, & ejusmodi remedia exhibenda sunt, quæ horum fluxum promovent vel saltem non retardant, v. g. C. C. s. ign. lapid. cancror. Antimon. diaphoret. Cinnab. Antimonii, myrrh. ex. gr.

℞. *Aq. puleg.*
Fl. cheiri,
Hysteric. aa. ℥ j.
Tinct. Antimonii Tartaris. ʒ j.
Myrrh. ℈ j.
Syr. de artemis. ℥ j.
M. Detur cochleatim & quidem per vices.

Sæ-

ius

tum
rtuum
rahendi.

Sæpius præsente etiam febri fluunt lochia, sed ob continui solutionem & intus factam stagnationem adest inflammatio, unde febris & consequenter Convulsiones & mors.

Nihil ergo intermittendum est, sed & ad topica confugiendum. Potest ergò ex herbis salv. scord. rorismar. menth. sem. aneth. cumin. Bacc. Juniper. fl. sambuc. &c. sacculus impleri & loco affecto calidè imponi, vel decoctum earum calidè per Syringam in Uterum injici. Vel

℞. *Aq. Calc. viv.*
Fl. sambuc. aa. ℥ ij.
Spiritus matric. ℥ j.
Camphor. ʒ ij.
M. pro Injectione,

Vel fumus excipiatur per infundibulum qui excitari potest ex variis gummatibus, Thure, Mastic. Myrrha succin. scor. regul. Antimonii, &c.

Scirrhum. Cura *Scirrhi Uteri* ferè eadem est, modò respiciatur hic ad glandularum Uteri obstructionem à sero viscido ac terrestri, obstructio enim in Scirrho est pertinacissima ac non ita facile resolubilis, duro ergo nodo durus applicandus est cuneus. Hoc ergò in affectu conducunt præ aliis interna, imprimis Tartarea ac Martialia; ex sequenti Tinctura aperienti egregios observavimus effectus:

℞. *Vitrioli Martis*
Tartar. albiss. aa. ℔ ß.
Aq. commun. ℔ vj.

Coq. agitando ad consistentiam mellis, affunde spiritus vini non rectif. ℔ vj. digere, decanta & ℔ j. ab eo evapora, residuo adde Cinamomi ʒ ij. & fiat *Tinctura*, dosis à guttis xv. ad xxx. Hoc in morbo instituantur sæpè sudores, imprimis exhibeantur Antimonialia, in quem finem commendamus sequentem Tincturam Antimonii Solarem.

℞. *Virg. Martis* p. j.
Antimonii vel miner. p. ij.

Candefac Martē in crucibulo, cochleatim injice Antimonium. Stent per horæ quadrantem, sensim adde, nitri ℥ ij. vel ℥ iij. ad ℔ j. ubi fluit, effund. & f. Regulus Martis, quem purifica cum ℥ j. nitri.

℞. *Reg. martis part.* IV.
Auri part. j.

Funde & affunde, fiatque pulvis, cujus Electri ℞. part. I. fulminis part. IV. quod fit ex Tartari part. I. Sulphuris part. 2. & nitri part. iij. itaque Electrum cum fulmine per vices detonetur in crucibulo, funde, effunde & scorias collige à Reg. quem cum novi fulminis part. IV. iterùm detona, funde, effunde, scorias collige, Reg. adhuc superstitem eodem modo tracta, donec nihil sit præter scorias; quod si aurum separetur, adde de novo part. ij. Reg. Martis & cum fulmine fiant scoriæ, ex his extrahe Tincturam primò in liquore nitri fixi, dein ex hoc cum spiritu vini rectific. Quò si mineram sumpseris, quæ melior est, eam tere, aquam affunde, emulge, decanta partem leviorem & albam, sic portio gravis & bona secedit, eam exsicca. Tinctura hæc aurea maximè est diaphoretica, imò ob utilitatem mirabilis, talis enim Tinctura ad Medicinæ universalis dignitatem adspirat, dosis à gr. x. ad xxx. hujus defectu substituatur Tinct. Antimoni Tartarisata, quæ facilis paratu est, sed purissima, & ab acido Sulphuris fixata, quæ etiam sua laude non caret, ut & liquor terræ foliatæ Tartari Si hæc aliaque generosa non juvant, ad fortiora accedendum est, quæ vitia in lympha existentia facilè curant, lympham incrassatam & stagnantem attenuant & ad motum progressivum suum incitant, inter quæ & Mercurialia aliis palmam facilè præripiunt: sequenti vel simili bolo uti solemus.

℞. *confect. Hamech.* ʒ j.
Mercurii dulc. ℈ j.
Sal. succin volat. gr. IV.

M. F. bolus pro una vice assumendus, & sæpe per mensem repetendus. Interponatur verò sequens vel similis mixtura.

℞. *Aq. Card. bened.*
Meliss.
Artemis.
Puleg. aa. ℥ j.
Tinct. Antimonii Tartaris ʒ iij.
Liq. C. C. succ. ʒ ß.
Syr. de artemis. ℥ j.

M. d. ad vitrum, & cochleatim exhibeatur sæpius per diem.

Injici possunt in Uterum variæ injectiones ex resolventibus paratæ, item decocta tepida, quorum capite generali de Scirrho mentionem injecimus, item fumi ex scoriis Regul. Antimonii, & ex gummatibus aliisque resinosis instituti.

Tubuli nervorum aliorumque vasorum Uteri si in *Gangræna ac Sphacelo Uteri* sint vel obstructi, vel angustati, vel abscissi, ita ut debitam Spirituum animalium quantitatem transmitere non valeant, illorum reseratio quantum possibile est, solicitetur per volatilia incidentia & succum nerveum attenuantia, qui sæpe nimis existit crassus lentusque in quem finem sales commendamus volatiles succini, C. C. sangu. human. spirit. sal. Armoniaci alcolis. & aromatic. quibus addi possunt varia Camphorata, spiritus vin. Camphor. Theriacalis Camph. & Matricalis cum Camphora qui egregiè in *Sphacelo* juvat, ab omni enim corruptione preservat. Uteri partes læsus counit, & obstructiones in nervosis tubulis factas reserat, quod & omnia præstant salia volatilia oleosa, Balsamus Nervinus vel Cephalicus cum oleo bals. Peruvian. maritat. vel Elixire vitæ, & sæpe exhibitus; sudorifera enim quæcumque necessaria sunt, El. diascord. Tinctura bezoard. &c. Tentetur etiam cura per Mineralia & Metalla fixa, utpote per folia & crocum auri, arcan. dupl. Mercurium diaphoret. Reg. Antimonii, Arcan. Cinab. aurat. pulv. spasmod. &c. quę omnia ex capite generali huc referri possunt. *Gangrænam & Sphacel.*

Inter *Topica* in affectu hoc tristissimo laudamus inter alia injectiones tepidas in Uterum, quę fiunt ex decocto herb. scord. absynth. Card. benedict. Calaminth. meliss. puleg. Sabin. Sem. lupinor. rad. Ostrut. &c. adjectis Camphor. Theriac. diascord. spiritu Matrical vel sequens.

℞. *Decoct. calc. viv.* ℔. ij.
Spir. Theriacal. C. ℥ IV.
Fl. sambuc. ℥ i ß.
El. diascord. ʒ ß. pro injectione.

M. Vel solus injiciatur spiritus matricalis cum aqua calc. viv. adjecta Camphora. Abdomini ęgri Cataplasmata varia calidè imponantur, ad Spiritus animales sopitos eliciendos, & obstructiones tubulorum nervosorum aperiendas, spiritumque Plasticum corroborandum.

Ulcus. Curatio *Ulceris Uteri* in eo consistit, ut particulæ acres corigantur ac eliminentur, ad quem finem obtinendum sola diaphoretica ac absorbentia sufficiunt; hic ergo internè conveniunt decocta lignorum, salia volatilia quęvis, oculi concrorum, C. C. ebur s. ign. parat. unicornum fossil. imprimis spiritus matricalis & quidem sequenti formula præscriptus.

℞. *Aqu. lignor.*
Cochlear.
Puleg. aa. ℥ j.
Spir. matrical. Cam. ʒ ij.
Elix. vitæ ʒ j.
Salis artemis. ℈ j.
Syr. fumar. ℥ j.

M. detur cochleatim, donec sudor prorumpat: Vel ubi purulenta per urinam transeunt.

℞. *Ocul. cancror. ppt.* ʒ j.
Ebor. s. ign. ppt. ℈ ij.
Fæcul. bryon. ʒ ß.
Salis Artemis. ℈ ß.
Succin. volat. gr. iij.

M. F.

M. F. pulvis qui exhibeatur cuspidatim in vehiculo quodam gratissimo.

℞. *Spir. matrical.* ℥ß.
Ol. balsam. Peruv. rectif. ℈j.
Camphor. gr. xij.

M. detur ad guttas 20. in aqua melissæ vel calc. vivæ vel fl. sambuci. Omnia hic conveniunt salia volatilia oleosa, aliaque alibi jam ad nauseam dicta. Inter Topica fiant injectiones ex abstergentibus, camphoratis, aloeticis, imprimis spiritus matricalis cum balsamo divino nostro maritatus, vel aq. calc. viv. &c. suffumigia etiam instituantur ex variis volatilibus ac resinosis

Vulnus & Dilacerationem. *Vulnus* ac *Dilaceratio* vasorum uterinorum post partum difficilem eodem modo curari solent: ut ergò tubuli ac vasa lacerata, iterùm couniantur, omnia obstacula removenda sunt, ab aere ergò frigido se benè muniat vulnerata, & statim detur restaurans aliquod, v. gr. unum vel alterum cochleare vini calidi, vel decocti Theæ, qui potus calidus valde refocillat vulneratos, interponantur absorbentia & paululum abstringentia atque traumatica, ut sunt Tinctura traumatica, hyperic. corallor. cũ cera par. terr. Japon. mumiæ &c. Essent. veronic. heder. terr. oculi cancrorum cum corall. & terra Japonica egregiũ hoc in casu existit remedium sæpius exhibitum. Si Uterus embryone fuerit repletus & fœcundus, tum conducent varia spirituosa reliquis vulnerariis permixta, ut aq. Regin. Hung. cinamomi, balsam. embryon. spir. matrical. ol. balsam. Peruvian. rectif. decocta vulneraria cum oculis cancrorũ, omnem ferè absolvunt paginam: Antimon. diaphor. antihecticum Poterii, &c. optima erunt remedia. Inter Topica varia cataplasmata ex vulnerariis & nervinis multo Sale volatili pollentibus parata regioni pubis seu Uteri calidè imponantur, ut & emplastra ex gummosis ac volatilibus oleosis concinnata & applicata. Fotus & suffumigia ex mastiche, olibano, gumm. galban. ass. dulc. &c. per infundibulum excipiantur. Cùm pars Uteri sit valdè membranosa, eò semper respiciendum est, ut medicamenta applicentur calidissimè, interna etiam sint simul antispasmodica, in quem finem conducent omnia Cinnabarina, Castorina, Camphorata, Antimoniata, pulv. spasmod. hinc & Salia volatilia oleosa, liq. C. C. succ. egregiam navant operam.

Si Signis in Diagnosi superiùs dictis constet *Fœtum* adesse *mortuum* (si fœtus enim per 3. vel 4. dies hæserit in partu, meritò habetur pro mortuo:) satius est, eum frustulatim uncis extrahere, quàm ad matris internecionem eum relinquere. Antequam verò ad operationem istam te accingas, permittentium ac prohibentium nonnullorum adhuc habenda erit ratio, & quidem primò considerandum est, num fœtus jamdum ab aliquot diebus mortuus fuerit; secundò, an vires Matris vel à partu, vel ab alia causa valde debiles existant; an Vomitus, vel convulsiones adsint, in quibus cunctis casibus res periculi plena est, & vix Chirurgiam admittit. His pensitatis in tempore manus applicetur, in sellam puerperis solennem collocetur Parturiens, ita ut tibias atque coxas probè retractas habeat, hinc viæ haud satis patentes laxentur ac dilatentur, vel fotu ex herbis emollientibus facto, vel linimentis emollientibus aliisq; oleis & axungiis inunctis, quo manum immittere liceat, & quidem tam pro situ fœtus explorando, quàm eodem protrahendo, quem in scopum ab omnibus Auctoribus commendatur instrumentum, *speculum Uterinum* vocatum, & in *Armament. Chirurg. Sculteti* descriptum, quod tamen hisce in casibus est ineptissimum, quia fœtus per instrumenti hujus expansi apices duriores minusque cedentes magis remoratur, quàm ut ipsi transitus paretur liberior, mole enim sua viam angustat, adeòque nihil, quàm dolorem parit, videturque instrumentum hoc dilatatorium saltem præstare ad ulcera aliaque mala profundiori Cervicis Uteri parti inhærentia dignoscenda, ac commodiùs tractanda quemadmodum hoc nomine quoque à prudentioribus Chirurgis admittitur adhibeturque. Confer *Solingen Embryulc. cap.* 13 *Ronthysen Observ.* 1. *VVier. Observ. p.* 101. & *Mauriceau l.* 2. *c.* 33. Commodiùs verò Cervix cum orificio Uteri interno dilatatur, si labiis pudendorum alterutra manu oleosis inuncta diductis, alterius extensi, simul tamen ita complicati digiti, ut pollicem reliqui absconsum teneant, Uteri vaginæ blandè immittantur, hinc digitis expansis, vagina paulatim amplietur, usque dum iidem ad ostium Uteri interni pertingant, quod pariter successivè perforent ac dilatent, ita quidem, ut si fœtus caput immineat, inter hoc & posticam Uteri partem, aut sanè à latere ejus digiti ad ipsum Uteri fundum pertingant, quod verò corruptum jam est, amputandum, ne pars sincera trahatur, idque vel sectione, vel ustione, vel ligatura, quod tamen difficillimè fieri potest, nisi propendeat pars corrupta foràs; cum fœtu verò relicto mortuo pro arte incedendum est. Quoniam tamen fœtus mortuus protrahendus, atque situs ejus quandoque diversus est, hinc quoque fœtus diversimodè movendus ac ad exitum dirigendus est. Si ergò caput ad cervicem Uteri inclinet, in vaginam Uteri immittatur manus oleo quodam inuncta, orificium Uteri internum doloribus accedentibus probè dilatet, & si hoc haud sufficiat, aut eadem manu aut utriusque manus digitis anterioribus caput fetus ponè aures comprehendat, aut eosdem ori imponat Chirurgus, novoque imminente parturiendi conatu eum adtrahat, cavendo, ne forsan funiculus umbilicalis collo aut alii ejus parti circumvolutus rumpatur. Extractio tamen hæc tali modo fiat, ut capite in latere agitato, dum hoc egreditur, humeri illius locum obtineant, idque sequatur. Si adest hydrocephalus, vel caput nimis grande, illud per incisionem vel discissionem dissolvatur, ut per angustias prodire valeat. Aliquando accidit, cum capite fetus tunicam cervicis rugosam simul deprimi, in illis maximè feminis, quæ ad hanc procidentiam inclinant, in quo casu parturiens non sedeat aut ambulet, sed supina decumbat, nec ipsi injiciantur enemata, uti fieri solent, nec vagina lubricitantibus inungatur, sed digitis lateribus Capitis fetus, uti suprà dictum, applicatis. Si dolores recurrant, rugæ vaginæ sursum cogantur, sicque fetui via paretur libera, idem tamen nunquam fortiùs extrahatur, sed sensim ac blando duntaxat conatu, ut scilicet altera manus eum parum commoveat, dum altera in reponendis rugis occupatur. Si fetus progressus ratione capitis impeditur, si nempe id ex parte ossibus pubis matris immoretur, aut si illo intorto & ad alterutrum humerum aut dorsum reclinato, ita ut facies priùs eminens ad exitum nitatur, in priore casu super lectum resupinata parturiente humeris apprehensis, fetus sursum vrgetur, ut caput cervicem Uteri plenariè & absque ullo obstaculo ingrediatur, at quoniam hæc compressio in fetu vivo facilè evasationem sanguinis aliorumque succorum, & sic per consequens Sphacelum sæpè producit, hinc genitura tandem enecatur, quòd si accidat, simili modo, reclinetur femina supina, ita tamen ut si versus alterutrum latus fetus caput torqueatur, in oppositum aliquantum decumbat, hinc Chirurgus manum ad latus capitis immittat, illudque sensim reducere conetur, quod verò non respondet, usque ad humerum manum mittat, iisque paululum retrusis ulterius manus digitos anteriores, reductionem capitis in auxilium vocando. Quãdo brachium aut manus eminet, resupinata cruribus elevatis parturiente allaborandum, ut brachium reponatur, (non tamen, ut fieri solet, in vaginam saltem, sed ipsum Uterum,) & secundùm corporis latus extendatur, quo facto sunt, qui pedibus apprehendunt & extrahunt: quia tamen caput orificio Uteri propinquius est in hoc corporis situ, commodius videtur, vel brachio reposito caput adducere, vel idem brachium forcipe excisorio resecare, quod factum sæpiùs observavimus, quo tamen non fuit præstitum, ut reliquæ partes eximi potuerint, sed decrepita adhuc hyeme duæ matronæ hujus Civitatis miserè vitam suam cum fetu deponere coactæ fuere. Abdomine

vero aut pectore fætus orificio Uteri obverso, ut funiculus umbilicalis propendeat, manibus pedibusque ad Uteri fundum reflexis, supinata, ut dictum, parturiente, tentandum, an fortasse alium hac ratione fetui situm concilare liceat. Hinc an abdomen, an thorax orificio Uteri propinquior sit, exploretur, ubi in priore casu humero comprehensus fætus reponendo ita commoveatur, donec caput compareat, sinistra manu juvandum. Sin verò inferior trunci pars promineat, pedibus potiùs fætus educatur; imò ad mentem *Mauriceau c. 25.* etiam in priori casu, ita tamen ut juxta hunc per dorsum & nates potius manum & pedes deducat Chirurgus, quàm ut per abdomen adscendat. In genua vel alterutrum si prodeat fetus, operatio facilior videtur, cùm pedes orificio Uteri magis propinqui sint. Genua itaque sursum compellantur, donec pedem alterutrum successivè educere liceat. Quod si verò genibus tam firmiter is innitatur, ut commoveri nequeat, instrumento accommodato tibia altera resecetur, quo alteri pedi plus spatii, ut & toti corpori regendo comparetur: hinc altero genu extenso fætus educatur, imò si nec hac ratione procedat negotium, altera quoque tibia amputanda. Quãdo alterutro pede intra orificium Uteri comparet fætus, imprimis certus sit Operator, an unicus fetus, an gemelli subsint, ne utriusque gemelli alterutrum pedem apprehendens, partum difficillimũ, imò impossibilem reddat. Hunc in scopum secundùm ductum prominentis pedis manum Utero immittat, usque ad pubem fætus, hinc ad extremitatem remanentis per nates declinet: sic enim poterit certus esse, unius corpusculi pedes se arripuisse, iisque fetum tutissimè & facillimè educere, postquam qui primus deprehendebatur aliquo modo retrusus fuerit. Si utroque pede idẽ orificio Uteri obvertatur, in tali quoque corporis situatione partum adjuvare debet obstetrix, fætum primò pedibus extremis, hinc tibiis, tandem circa femora & lumbos apprehendendo. Minimèque audiendus est *Dalechampius*, qui eundem invertere & capite educere jubet.

Quòd si vero manus & pedes simul exserat fætus, sunt quidam, inter quos *Ruyssius*, qui manus & pedes reponere, ac caput adducere jubent. Verùm quoniam nec pedes cum manibus adeò facile sursum impelli, nec caput sine magna difficultate adduci valet, *Mauriceau c. 22. & Solingen c. 26.* manuum saltem repositionem, & fœtus per pedes extractionem instituere jubent, imò si brachia non facilè retro agi queant, eadem aliquando resecare convenit.

Hysteromatocia necessaria quoque videtur, ubi fœtus & Mater vivunt, nec à se invicem alio modo liberari valent, seu matris, seu fœtus culpa hoc pariter contingat. Interim utut hæc omnia ita se habeant, manet tamen dubium, an Sectio Cæsarea in Matre vivente absque summo hujus periculo administrari queat, quod negant *Paræus, Guillemeau, Rolfinc.* Affirmant idem alii, & quidem per exempla talia, quibus operationem hanc feliciter successisse testantur. vid. *Cornarius Histor. admirab. 6. & 7. Rousset. de part. Cæs. S. 1 c 5 & Roonhusen part. 1. Obs. Chir. p. 56.* Quorum tamen posteriorũ argumentis & quidem primò hoc licet reponere, quòd una hirundo non faciat ver, *Roussetus* eum nunquam & vix ullus post eum vidit. Testatur siquidem *Guillemeau*, bis quidem operationem illam se celebrasse, & aliquoties ab aliis celebratam vidisse, ast omnes periisse: ac *Rolfinc.* se semel tantum cum infausto successu eam aggressum fuisse refert. Periculosissimam proin & nunquam exercendam in Matre viva hanc dicimus operationem.

Num autem operatio hæc mortua jam Matre conveniat, vel alicujus usus sit, dubitare videntur nonnulli, pro impossibili & absono habentes, Matre mortua fœtum ad momentum supervivere posse, cum hujus vita ab illius incolumitate dependeat, quales sunt *Varandæus de Morb. Mulier. Lib. 2. c. 6. & Baubinus* in Epistol. Dedicator. Rousseto præfixa. Imò *Rodericus à Castro de Morb. Mulier. lib. 4. cap. 3.* præcipit, ut operatio hæc, antequam Mater plenariè exspiret, adornetur, quæ tamen præceptis ac observationibus Anatomicis refragantur, quibus fætum propria vita vivere constat, ita ut horæ, imò diei ferè spatium intra Uterum matris mortuæ is aliquando superstes observatus fuerit. Matrona quædam gravida apoplexia illicò exstinguitur, fœtus altero die se adhuc movebat, me ipsomet observante. Ipsam ergo operationem antequam aggrediatur Chirurgus, in omnibus cautè procedat, ne fœtum lædat. Plura qui de partu aut sectione Cæsarea desiderat, *Roussetum* ejusque Interpretem fidelissimum *Baubinum* adire ne gravetur.

CAPUT VI.

De Pudendi muliebris Carunculis, Pruritu, ejus Labiorum Tumore, & Imperforatione.

§. I. De Partis hujus obscœnę affectibus tractaturi, jubemus hinc procul abesse profanos, & arcemus, qui venereis verbis lascivas titillant aures. Nec etiã moramur morosos illos,

Qui Curios simulant & Bacchanalia vivunt,

quique mores spectabunt ex verbis. Fatemur illum moribus non exprimere Catonem, qui dictione Catullum; sed Medici, ut olim Stoici, nullam in versis turpitudinem aut obscęnitatem agnoscunt. Constitutionis humanæ filii audiunt, & candidè nihil aliud ficum dicunt, quàm ficum. Casta meditantibus, castè viventibus, nos casti, hæc casta mente legenda propinamus ab omni obscænitate abstinentes.

Pudendi muliebris Carunculæ. Pronascuntur itaque ex Pudendis muliebribus aliquando *Carunculæ*, quæ sæpè funiculis adhærent, prout ejusmodi carunculam ex rima pronatam & duobus funiculis adhærentem in virgine ætatis 45. observavit Illustris D. *VolKamerus, Præses Collegii Leopoldini, Fautor ac Amicus noster summoperè colendus.*

Pruritus. Interdum partes hasce genitales sive Vulvam vexat *Pruritus*, qui affectus tum puellas, tum fæminas juniores, præcipuè verò annosas afficit, ut plerique inter Practicos statuunt, de quo *Mercatus, Aetius, Sennertus, Joel & Roder. à Castro* distinctis capitibus tractarunt, cui pruritui nonnunquam Labiorum *Tumor* solet conjungi. *Labiorum Tumor.*

Sinus Pudoris Occlusio. Quemadmodum etiam infantes sæpè orificio ani occluso nascuntur, ita nonnunquam & fæmellis sinus pudoris in Utero Matris membrana quadam obducitur, cujus mali observationes quædam exstant apud *Schenkium lib. 4. Observ. 12. 13. 14. Fabr. Hildan. Cent. 3. Obs. 60. Sennert. Institut. Med. lib. 5. part. 1. sect. 21. 7.* Pudendorum labia, & Nos hic Cassel lis vidimus ità coalita, ut minimum pisum in rimam vix intrudi potuerit, quæ urinam solùm effluere permittebat, quale quid etiam annotavit Celeb. D. *Simon Schulzius* in *Eph. Germ. An. 3. Observ. 3.* ubi Chirurgus quidam naturalia puellæ inspiciens, invenit eadem membrana valida obducta, vix conspicua rima, quasi acu leviter facta versus intestinum rectum apparente, per quam urina in vagina cumulata non stillabat, sed vix transudabat; ulteriùs instrumento illuc intruso invenit membranam admodùm crassam, circũcirca cum carnosa parte firmiter connexam, imò cum ipso meatu conjunctam, ũde puella dolorem gravissimum in urinæ emissione percipiebat Uti etiam glande non perforata puellos nõnullos genitos fuisse, à Græcis ὑποσπαδιαίους dictos, testantur Auctorum monumenta, quemadmodum in Polonia D. *Polisius* observavit in *Ephem. Germ. Ann. 9. & 10. Obs. 105.* quòd quis foramen aliquod vel potiùs vestigium foraminis in extremitate glandis conspicuum habuerit, quod tamen non pervium fuerit, tam pro urina quàm semine effluxuris. Sic dum hæc scribimus, infans unius mensis nobis offertur, cujus penis rima totaliter obstructa est, & urina ad latera penis per duas rimulas effluit, & quidem per foramina minutissima vix acum admittentia: Ita claustra etiam hæc genitalia muliebria in puellis aliquot novi, sola restitante urethra seu ductu urinario, ad urinam emittendam apto.

§. 2. Pars

Pars affecta.

§. 2. *Pars affecta* horum affectum est *Pudendum muliebre*, quod constat fissura magna, labiis, monticulis & pilis, &c. quæ omnia Pudendorum nomine indigitantur; propterea, quod importuno tempore & loco detecta, fœminis pudorem inferant. Dicitur etiam *Vulva*, à valvis, vel aliis à volendo, eò quòd insatiabiliter coitum desideret in lascivis juxta istud *Proverb. cap.* 30. Tria sunt insatiabilia, *infernus*, & *os vulvę & terra*. Partis hujus situs, ut opinor, omnibus notus est, & rarò istum sub axillis quærent; sita enim est extrinsecùs intra ossium pubis & ani regionem, similemque cum genitalibus virilibus locum occupat, nempe in imi ventris regione, ut coitus tantò faciliùs peragatur, & ut intestinorum fæces eò commodiùs sine aliarum partium defœdatione excernantur. Primaria pars pudendorum optimo jure *Rima* sive *Fissura magna* vocatur: quia ab ossium pubis inferiori parte ad anum usque pertingit, ità ut inter illam & anum spatium, quod Perinæum dicitur, vix pollicis transversi latitudinem excedat. Quod autem *Fissura* in mulieribus ita magna ordinata sit, ratio hæc est, quoniam externa cutis ad dilatationem haud tam apta existit, quàm membranacea pars, ex qua interna illius fissuræ substantia componitur; difficultati, quæ parturientibus suboriri poterat, prudenter tam amplo prospectum est aditu. Usus hujus *fissurę* est, canalis modo penem tanquam in fossam dirigere, urinæ, mensibus, lochiis aliisque corporis excrementis exitum præbere, & fœtus exclusioni inservire. Parietes sive latera hujus Pudendi, *Labia* seu *Labra* dicuntur, quorum cutis inferior ligamentosa ab Anatomicis *frænum* labiorum dicitur, quod in virginibus tensum, in puerperis laxatum plerumque conspicitur. Pubis verò partem, quam montem Veneris dicunt, quia in Veneris castris militaturi, omnium primò hunc conscendere debent. Reliquas verò partes nempe pilos, &c. nunc non examinabimus, quia ad nostros non pertinent affectus.

Diagnosis.

§. 3. *Carunculę* Pudendi muliebris cognoscuntur ex inspectione & relatione patientis. Sepius *Excrescentię* hæ seu *Carunculę* sunt fungosæ & extra pudendum prominent, quale quid legi potest in *Ephem. Germ. Ann.* 2. *Observ.* 121. observante *Celeberrimo D. Segero*. Confer quoque *Ephem. Germ. Decur.* 2. *Ann.* 2. *Obs.* 186. *fol.* 413. Hinc sæpè menses subsistunt, vel maximo cum dolore excernuntur, in Hypogastrio præsertim, quos excipit sæpè in pudendo tumor, qui quotidie crescit, ut ægræ Medicatricem in consilium vocare adigantur; urina quoque his in casibus difficulter & cum dolore sæpe excernitur.

Pruritus pudendorum cognoscitur ex eo, quòd circa vesperam & noctem exacerbetur, hinc fiunt sæpè fricatrices, imò instar scabiei illas vexat hic pruritus, & ipsis valdè molestus est, diuque durat, & inde nonnunquam inflammatio hisce partibus accidit, quare de febre, calore & aliquando de Tumore inflammatorio conqueruntur misellæ.

Tumor labiis Pudendi facilè accidit & ipso visu apparet, qualem nuper in puella quintum annum nondum egressa, à lue Venerea, & quidem ex contagio infecta, observavimus, durissimum scilicet ac intensè rubescentem, ut maximos inde dolores pati deberet misella puella, quæ jam peccata suorum parentum luere ac ferre cogebatur. Aliam novimus fœminam eadem lue infectam, cujus pudendi labrum dextrum ità intumuit, ut singulare ad id ligamentum efficere debuerit, & sic subligaculo hoc retinere cogeretur hunc tumorem, Lue enim Venerea infectis ejusmodi tumores solennes esse solent, ipsisque gressum impediunt, & justo Dei judicio per id puniuntur, per quod peccarunt lascivæ istæ adulteræ.

Imperforatio Pudendorum muliebrium à relatione egrę, vel consanguineorum, vel parentum, vel ex ipsa inspectione patescit. Quò meatus est angustior, eò & difficiliùs vrina excernitur; si verò vrethra planè fuerit obstructa, nullum excernitur lotium; quę omnia locum accuratè inspicienti innotescent; hinc non operæ pretium duximus plura hac vice de *Diagnosi* adjicere.

Pudendi muliebris Caruncular um aliorumq; morborum causa secundū Galenicos.

§. 4. *Galenici* existimant, *Carunculas* Pudendi muliebris ortum sumere à lue Venerea, vel ulceribus rugas pudendi interiores erodentibus, ut tumor nutritius extillet, qui demum incrassatus ac condensatus abeat in tales carunculas excrescentiasque, ad quod etiam faciat affluxus humorum pituitosorum.

Pruritum in cervice Uteri, mulieribus pręsertim annosis, easdem cruciatu & scalpendi necessitate ità fatigantem, ut somnum adimat, oboriri credunt à congestione aut affluxu pituitę salsę, quę cùm in rugas pudendi decumbat, importuno scalpendi desiderio illato multum exhibeat negotii, in alias verò corporis partes sese spargens, ibidem urentem & prurientem faciat scabiē.

Tumoris Pudendi muliebris causam constituunt vel influxum humoris calidi biliosi, vel sanguinei in rugas & musculos partium harum sæpe ab externis causis productum, ut coitu rudiori, vel ipsa lue Venerea, vel congestionem humoris pituitosi, vel melancholici ex debilitate facultatis coctricis non satis elaborati, & expultrici ibidem retenti, vel quoque materiæ copiam & spissitudinem in semine à facultate formatrice imbecilliore minus justè distributam, unde labia Pudendorum tumida reddantur.

Imperforationem Pudendi huius in ipsis Uteri claustris ab errore facultatis plasticę produci plenis asserūt buccis vel ab ulceribus ità reddi malè curatis, dum foramen istud in tantum concrescat, ut excernendis & immittendis nullus vel difficillimus concedatur transitus & aditus. Utplurimùm verò adscribunt naturæ exordiis, dum ob errorem aut debilitatem facultatis plasticæ foramen hoc non satis fuerit elaboratum.

Paracelsum.

§. 5. *Paracelsus* Pudendi hujus muliebris *Carunculas* per excrescentiam novæ generationis produci scribit, dum nempe natura abundantiam ex centro generationis proferat, quæ juxta cervicem hanc, in qua cumulata & coacervata fuerit ex menstruis, in carunculas hasce abeat.

Pruritum Vulvæ ex luxu & Veneris intemperantia sæpè provenire scribit, & aliquando lui Venereæ conjunctum esse asserit. Ipsius verò Pruritus vulvæ origo juxta ipsum ex cruoribus emergit in cervice resolutis, quibus accessit alumen minerale scissum.

Tumorem Pudendi produci existimat non tantùm à collectione humorum, sed etiam à liquore in pudendi rugis corrupto; aliquando post actum Venereum exurgere cum calore statuit, & in urinæ sanie eum nonnunquam cerni, quem provenire vult ex bubonis materia, quæ citiùs, quàm decuit, radices egit, nec eundem propter locum à bubone differre.

Imperforationem Pudendi muliebris fieri dicit ab inæqualitate seminis, & quòd natura in liquore vitæ haud sit perfecta; utplurimùm verò, quòd sperma, ex quo exitus hic Uteri elaborari debet, aut defectu, aut excessu peccet, unde in superfluum transeat additamentum, quod meatum hunc Uterinum adeò ad propagandum hominem necessarium occludat, in quo naturæ aberranti totum hoc vitium existimat adscribendum.

Helmontium.

§. 6. *Helmontius* Vulvæ *Carunculas* oboriri dicit ab eadem causa, abs qua lues Venerea excitatur, imprimis verò à fermento venenoso in solidis & liquidis partibus coagulato, qui morbus aliquando occultè serpit, &c, si patiens celaverit suspectum concubitum, non facilè cognoscitur lues, at per carbunculos, gummata & apostemata se quandoque explicat.

Pruritum Vulvæ dicit sal esse pruritivum in partibus hisce genitalibus imperium sibi rapiens, & ab indigestione natum. Salia ejusmodi habere posse existimat rationem salium transmissorum, fermentis viscerum malè affectis vel impeditis, quæ transmissa archeos in furorem concitant, ut ii deinde totaliter incandescant, fermentali veneno pruritivo circa partes hasce producto.

Imperforationem quod attinet, cum aliis Authoribus consentit.

Vuillisium.

§. 7. Juxta *Vuillisium* Vulvæ *Carunculæ* fiunt à commixtis succo nutritio lentescente, & sanguine abundan-

undantiùs in regionem hanc delatis, partesque, in quibus commorantur, opplentibus, atque in iis ob viscidìtatem in carunculas excrescentibus.

Pruritus excitatur à seroso humore particulis salinis acribus infecto. Ille enim ad cutaneas Pudendi glandulas deveniens, tales in ipsis deponit particulas, quæ nerveas fibrillas in iis dispersas pungentes & vellicantes pruritus sensationem creant.

Imperforatæ in lucem prodeuntes tale secum afferunt vitium in prima conformatione ipsis communicatum, in iis enim vel fibræ Pudendi densiori pressiorique ordine disposite, sibique invicem arctiùs coherentes, rimę cavitatem adeò angustam reddunt, ut vix in eam pateat aditus: vel plures nerveæ fibrillæ ab Uteri parietibus pullulantes sibi adversam partem petunt, & sibi invicem decussatim incumbentes membranulam efficiunt, quæ vulvæ aut cervicis Uteri ostium occupat.

Sylvium. §. 8. *Sylvius* Pudendi mulieribus Caruncularum causam reputat materiam pituitosam, sed valde tenacem, viscidam & coagulatam, accedente acido austero eam in carunculas commutante.

Pruritus causam dicit humores acres acidosque in partibus Pudendi hærentes, & pruritum doloremque excitantes.

Tumor Labiorum juxta ipsum itidem oritur à stagnatione humorum crassiorum ac pituitosorum partes labiorum pudendi in tumorem elevantium.

Imperforationem dicit Auctor hic esse vitium à primo ortu & connatum, quod dum haud observant in tempore matres, ipsius quoque curam in prima ætate parvo negotio absolvendam negligunt, quapropter, ubi ad pubertatem venerunt puellæ, atque menstruus excitatur fluxus, nec tamen prodit, verùm sensim incommoda parit, priùs ad partem affectam non attenditur, tum propter verecundiam, tum quia tale quid non creditur, donec tandem tumor grandis & dolor atrox in pudendis se manifestans cogit etiam maxime pudibundas, auxilii causa conspectum istarum partium concedere tum Medicis, tum Chirurgis.

Cartesianos. §. 9. *Cartesianis* videntur Pudendi muliebris *Carunculæ* ex succo chyloso per corrosos à particulis quibusdam acutis tubulos emanante, & absumptis partibus ejus volatilioribus à materia subtili easdem auferente, incrassato & coagulato pronasci. Cōmunicari verò existimat membro huic particulas istas acutas erodentes vel à semine virili veneno venereo infecto, vel à fluxu albo & liquore glandularum vaginalium acriori, vel urina iisdem referta, abs quibus liquoribus ulcuscula priùs excitentur, quæ cùm assiduò à præterlabente urina attingantur, consolidari nequeant, sed liquori chyloso nutrienti perpetuus concedatur affluxus, quo in superficie subsistente, & per quietem diuturniorem inspissato carnosa hujusmodi exsurgant incrementa.

Pruritum in Pudendo hoc suscitari putant à particulis quibusdam angularibus subtilioribus & mollioribus, cum aliis quibusdam porosioribus invicem variè, sed leviter & blandè saltem commotis, in tubulis membri hujus extremis à liquore quodam spissiore obstructis, unde fiat, ut anguli isti latera fibrularum quarundam nervearum aliquantùm quidem fortiùs, quàm agitari aliàs sueverint, commoveant, sed absque graviori vehementia & citra ullam distensionem, quapropter in mente sensus ejusmodi excitetur titillationis; quando verò anguli quidam duriores cuspidati sint intermisti, qui motu intestino ab ambiente calore lecti vel hypocausti promoto vehementius agitentur, & fibras istas majori in parte attingant, pruritum emergere dicunt dolorosum & pungentem, in vetulis propterea, quàm in junioribus frequentiorem, quòd succis abundent crassioribus, & ad celeriorem per tubulos transfluxum minùs dispositis.

Tumorem Pudendi muliebris à succis quibusdam particulis volatilioribus depauperatis, & tubulos obstruentibus oriri pronunciant, hos enim ad motum minùs promptos in tubulis istis stagnare credunt, & novos affluentes circa eosdem subsistere, cùm transitus iisdem denegetur, sed à collecta hac succorum copia fibras distendi & partem in prominentiam quandam augeri. Ansam quandoque obstructioni isti præbere referunt luem Veneream, liquores acres perfluentes, contusiones aliasque offensiones glandulas cutaneas destruentes, quarum succi corrupti incrassentur, stagnent & tubulos infarciant, res quasdam ineptas admotas, uti frigidas, aliove modo poros occludentes & liquores in fluore & motu suo impedientes.

Imperforationem Pudendi in Utero fœtui contingere credunt à succis crassioribus & copiosioribus spiritum efformantem obruentibus; quare fibræ pro rima constituenda jam jam elaborandæ satis flecti & incurvari nequeant, sed violentius protensæ utrimque fortiùs conglutinentur.

Nostra sententia de causis Pudendi muliebris Caruncularū. §. 10. Indagantibus porrò *Nobis* causam *Caruncularum Pudendi muliebris*, primariam dicimus esse, succi nutritii imò & sanguinis, aliorumque succorum circulantium circa partes has collectorum acrimoniā, accedente simul acido coagulante, hinc præruptis vasis, succi isti coagulantur & cùm stagnant, tandem in talem transeunt carneam massam. Remotiores ergò causæ omnes sunt, quæ succos in corpore acriores reddere possunt, hinc *Excrescentiæ & Carunculę* scorbuticis, imprimis verò lue Venerea laborantibus accidere solent, quæ scatent salsis acribus, serosis, acidis & corrosivis particulis ad affectum hunc producendum apprimè aptis.

Pruritus. Causa *Pruritus Pudendi muliebris est*, me judice, quando particulæ non adeò tenaces sed potiùs volatiles paululum acriores his in partibus genitalibus muliebribus collectæ, per allisionem aliarum particularum alluentium & circulantium appelluntur, & appulsio totius massæ sanguineæ aliorumque succorum non fortis, sed tantùm debilis est, hinc duntaxat cum miti & blando motu allidunt succi hi, per quem motum blandum fibræ tantùm levi modo pulsantur premunturque, exinde ergò potius titillatio, quàm dolor sequi debet. Quòd verò noctu magis hic pruritus excitetur, ratio hæc est, quia in lecto, quando fœmellæ coopertæ sunt, corpus earum continuò transpirat, hinc necessariò fermentatio in succis stagnantibus & motus intestinus oboriri debet, quo particulæ in partibus hisce affectis, imprimis in labiorum vulvę glandulis commoventur, & ejusmodi producunt pruritum, ipsis aliquando per tempus gratum, sed & dein valdè molestum.

Labiorum Tumoris. *Tumoris Labiorum Pudendi muliebris* causæ esse possunt vel *internæ* vel *externę*, quæ provenire possunt à lapsu, contusione, &c. hinc enim facile stagnatio succorum fieri potest, quam excipit *Tumor*. Causæ internæ possunt itidem esse plures, à quibus tantùm succi in corpore incrassari valent; sic si partes hæ à motu nimio vel violento nimis dilatentur, fibræ aliaque vasa rumpantur, ut succi effluant stagnentque, hinc tumor hic facilè oboritur. Sic quoque in Partu difficili, si hæ partes ab obstetrice vel Chirurgo nimis fortiter contrectentur, facili marte affectus hic producitur externus, quale quid in pluribus parturientibus observavimus. A particulis item acribus vel in massa sanguinea, vel aliis in succis hospitantibus, & his in locis obscœnis imperium sibi rapientibus, canaliculos tubulosque perforando Tumor hic inferri potest, hinc videmus lue Venerea laborantibus facilè hunc tumorem obvenire, quia in his succi facilè coagulabiles existunt.

Imperforationis. *Imperforationis Pudendi muliebris* causa est ipsa conformationis in Utero aberratio, dum particulæ quædam glutinosiores, & ad motum minus promptæ inter fibras pro foramine constituendo sejungendas intercedunt, quæ non permittunt, ut rima hæc exactius elaboretur aut fibræ latius diducantur.

Prognosis. §. 11. *Prognosis Pudendi muliebris* affectuum quod concernit, *Carunculę* hę maximum inferunt incommodum, coitum impediendo, imò aliquando sanguinis mēstrui excretionem ordinariam arcendo, & hinc plurima mala, & pessima oboriri solent symptomata, imprimis si fuerint magnæ Excrescentiæ, meatum urinarium premant, & urinæ inhibeant transitum. Quandoque Excrescentiæ hæ in gangrænam ac Sphacelum

lum abeunt, quale quid observavit Celeberr. *Segerus* in prædictis *Ephem. Germ. Ann. 2. Obs.* 121.

Pruritus Pudendi nihil quidem per se infert periculi, attamen valde est molestus, & particulæ acres subtiliores à calore sub plumis aucto suscitatæ quietem turbant, & fibrulas blandè velicando digitorum admotionem expostulant, sed dum partes hæ diutiùs & fortiùs scalpuntur, sæpè post factum pœnitet actum, & voluptatem ipse dolor subsequitur.

Tumor inflammatorius partium harum obscœnarum si fuerit à contusione vel alia externa causa, facilior est curatu, quàm si à lue Venerea fuerit productus, & quasi scirrhosus, tunc enim tumores hi curatu difficillimi sunt, & quandoque fœminas ad mortem usque comitantur, nisi iis succurratur remediis convenientibus & lui Venereæ dicatis.

Imperforatio malum est non sine magna molestia, & interdum nullo modo corrigibile, sæpè ipsam mortem procurans, præsertim quando urinæ vel mensibus exitus præcluditur, & penè ne quidquam relictum est canalis, ubi verò internus meatus satis elaboratus solummodò externa quadam obducitur membrana, hæc scalpello perpungi, urinæ exitus parari, & sic mors ipsa potest præveniri.

Diæta.

§. 12. Quantum ad *Diætam* hisce in affectibus, nihil aut perparum modò dicemus, quoniam & prolixè, sæpeque ad nauseam, & speciatim his in carunculis, *Pruritu* & Tumoribus eam prosecuti sumus. Generatim tamen fugiendus aer frigidus, impurus, è regione verò eligendus moderatè calidus, purus, tenuis, arte saltem procuratus; cibus sit boni succi, facilis digestionis. Vitentur acida, salsa ac viscida. Potus sit cerevisia medicata ac optimè defæcata, vel decoctum lignorum, vel infusum Theæ, vel Caffeæ. Motus & quies justæ sint moderationis, somnus vigiliis præstat. Alvus & vesica, ut & mensium fluxus ordinario respondeant motui. Ex animi affectibus, præter gaudium vix ullus hic ex usu est; vitetur Venus.

Cura affectuum Pudendi muliebris secùm Galenicos.

§. 13. *Galenici* in cura *Caruncularum* admovent varia hepatica, sanguinem depurantia interna & externa, auferuntque easdem sectione vel ustione, post quam ablationem varia commendant exsiccantia remedia, quibus etiam uti solent, quando operatio Chirurgica ritè institui nequit, eumque in finem laudant calcem vivam, chalcitidem crudam, Mysin crudam, squamam æris, alumen scissum pudendis immissum, eluuntque pudendum variis lavamentis ex gallis & alumine paratis, vel decocto origani, rutæ, agrimoniæ, absinthii, quibus carunculæ istæ exsiccatæ tandem decidant.

In *Pruritu* Pudendi ad prurientem genitalium uredinem, aspersa & asperiùs affricta parti favilla, restinguendam unguentum adhibent Ægyptiacum in aqua marina, aut lixivio dissolutum, syringe exprimendum injiciendumque, eodemque imbutos pessos ex stupis cannabinis in Uterum demittunt & sic sanant. Imò cùm affectus hic non rarò anum, vetularum præsertim, exerceat, iisdem uti solent remediis in forma lavamenti, quo partes hæ eluantur. Ad salsam pituitam corrigendam & educendam commendant catharsin humoris salsi, quam peragunt extracto melanagogo, aliisque atræ bili dicatis purgantibus alibi jam ad nauseam enumeratis, dein hoc etiam in affectu phlebotomiam & scarificationes suadent, imprimis verò diætam refrigerantem ac humectantem præscribunt. Inter topica laudant unguentum enulatum cum mercurio, vel sequens totius corporis pruritui curando accommodatum.

℞. *Axung. porc. rec.* ℔ i ß.
Sapon. nigr. vel *Gallic.*
Salis nitri assat.
Tartari, ℥ iß.
Sem. staphysagr. aa. ℥ ß.
Sulphuris vivi ℥ j.
Argent. viv. ℥ ij.
Acet. ros. quart. j.
Incorporentur omnia simul, & f. Linimentum secundùm artem.

℞. *Alum.*
Spir. Nitri,
Sulphuris vivi aa. ℥ vj.
Staphysagr. ℥ j.
Dissolvantur omnia in aceto rosato, addendo butyro recentis quantum sufficit, fiat Linimentum ad usum commemoratum.

In *Tumore* Pudendi ipsũ advertunt humorem peccãtem, cujus influxus vel congestio partes has obscœnas reddit tumidas, eumque pro diversitate sua priùs emendatum appropriatis, ut existimant, medicamentis eliminant, biliosum nempe cholagogis, melancholicum melanagogis, phlegmaticum verò phlegmagogis jam abundè cognitis; & ne ulterior fiat affluxus humorum, eosdem revellunt frictionibus, cucurbitulis, fonticulis, & setaceis: facultatem concoctricem roborant, &, si adfuerit lues Venerea, eam remediis antivenereis appropriatis curant, decocto scil. lignorum, aliisque in superioribus jam dictis. Externè humore influente tenuiori bilioso in causa existente, aliquando repellentia applicant, eodem verò crassiore attenuantia & resolventia, ut unguentum Apostolorum, ẽplastrum diachylõ parvum *Mes.* Scarificationem etiam in pudendi labiis aliquãdo instituũt, maximè si humores sunt pertinaciores.

In cura Pudendi *Imperforationis* eò collimant, ut claustra hæc rursus aperiantur, excernendisque transitus concedatur, & suo tempore intromittendis aditus, in quem finem membranam istam orificium sæpe pudendi obducentem dissecant, vel foramen nimis angustum speculo inserto meatum dilatant, donec fistula plumbea unguento de cerussa vel diapompholygos oblita ad temporis spatium aliquod intrusa, foramen in debita servent dilatatione & cicatrice obducant. Pari modo etiam illam angustiam emendare solent, quæ post ulcera vel vulnera sanata ob conglutinationem arctiorem fuit illata.

Paracelsum

§. 14. *Paracelsus* in Pudendi *Carunculis* præter alia absumentia balsamum commendat arsenici, unaque Vitriolum Romanum, auripigmentum & alumen rochæ magni solet æstimare.

In *Pruritu* hoc Pudendi à potionibus, digestionibus, purgationibus, à diaphoreticis, ab exsiccativis & morbillorum unguentis ægri ut caveant præcipit, & sequentem commendat mixturam.

℞. *Alum. plumosi*,
Ental. aa. ℔ j.
M. Vel
℞. *Alcali de aluminib.*
Salis fusi aa. q. v.
M.

Helmontium.

In curatione Pudendi *Tumoris* maturantia commendat medicamenta, imprimis si Medicus præsens advertat, eundem ad maturitatem per se vergere, hinc digerentia in propria regione applicari vult; immoderatè verò auctos hosce tumores nullis digerentibus curari posse contendit, nec nisi in ulcera priùs mutentur sanari, sed in tumoribus pudendi mediocribus oleum Saturni externè illitum valde extollit.

In curanda Pudendi muliebris *Imperforatione* & occlusione aliam non novit rationem, quàm ut instrumentis perfodatur & aperiatur.

§. 15. *Helmontii* Pudendorum *Carunculas* curari ut luem Veneream asserit, & mortificari eodem remedio, nempe hydrargyro. Commendat etiam in Carunculis auferendis unguentum de cerussa, cum pulvere corticum granatorum, in umbra siccatorum & alumine saccharino, quo remedio inungendas suadet carunculas, vel sequens adhibet.

℞. *Ellebor. nigr.*
Stercor. mur.
Salis parùm tosti aa. ℥ j.
Cerat. de cerussa ℥ ß.
M. Vel
℞. *Calc. viv.*
Arsenic. rub.
Colcbetar. aa. ℥ ß.
Cerat. de mucilag. ℥ ß.
M.

℞. *Alum. ust.*
Virid. ær. aa. ʒ ß.
Cerat. de mucilag. ℥ ß.
M.

Inter experimenta refert, si quis similes excrescentias collecto in conum lunæ lumine per vitrum superradiet, donec frigus intrò senserint, facilè deinde sua sponte evanescere ait, rationem addens, quia ejusmodi defectus crescenti auscultant lunæ.

In *Pruritu* vulvæ eò incumbendum esse dicit, ut sal pruritivum in partibus genitalibus collectum corrigatur, per interna depurativa ac sudorifera, inter quæ laudat Mercurium suum diaphoreticum, nec non per externa mercurialia & sulphura depurativa.

Imperforationis curam eandem commendat, quam alii in medium protulerunt, nempe apertionem sectione instituendam.

Vuillisium. §. 16. *Vuillisius* curationem *Caruncularum* iisdem planè peragit remediis, quæ suprà in Uteri Verrucis commendavit, alumine videlicet usto, Mercurio præcipitato rubro, calce viva, pulvere sabinæ, aliisque excrescentias ejusmodi destruentibus.

Pruritui Pudendi subvenit salia illum producentia blande diaphoreticis attenuando, & per habitum pellendo. Acidulis, lacte, balneisque illorum acrimoniam demulcet eorumque proventum præcavet, non neglectis purgantibus. Parti affectæ lac tepidum injicit, ad retundendos salium pungentium aculeos.

In *Imperforatis* fibrillas vaginam occupantes eamque occludentes cultro secat, meatumque illius hoc pacto facit liberum.

Sylvium. §. 17. *Sylvius* Pudendi muliebris *Caruncularum* curationem peragit variis visciditatem dissolvẽtibus, imprimis Mercurialibus, tum internis tum externis, tum per gummata aromatica, tum caustica potentialia & actualia, & per unguenta Mercurialia, ut & fotus Guajacinos & Juniperinos. Inter interna præ cæteris commendat sarsaparillam & ejus decoctum, curam enim suis universalem primariò præscribendam esse præcipit, utpote cujus ope Carunculæ sensim minuantur & tandem in totum tollantur.

Pruritum Pudendi curat per salia lixiva & imprimis blandiora, vel fixa, quale in calce viva reperitur, vel volatilia. Solis quoque externis curatum vidit hoc malum. Imprimis verò commendat aquam seu decoctum calcis vivæ cum spiritu theriacali camphorato, vel locum pruriginosum abluendum vult decoctis aromaticis, adjectis camphora, tutia, aliisque absorbentibus.

Labiorum Pudendi *Tumorem* curandum esse putat, uti alius partis tumorem, & præter interna viscidam pituitam incidentia, ac volatilia ex animalium partibus variis parata, sola externa topica commendat, interpositis pilulis suis ex gummi paratis. Præ aliis laudat sequens vel simile linimentum.

℞. *Unguent. alth. compos.*
Ol. cappar. aa. ℥ j.
Philosoph. ʒ ij.
M.

Emplastrũ suam carminans magni etiam facit tumori impositum. Si luis Venereæ suspicio adsit, emplastrũ mercuriale laudat, aliaque lui appropriata remedia.

Pudendis *Occlusionem* instrumentis perforandam esse cum aliis contendit.

Cartesianos §. 18. *Cartesianis* Pudendi muliebris *Caruncularum* curatio peragitur internis sudoriferis tubulos aperientibus & succos crassiores attenuantibus & resolventibus, quorum etiam copiam aliquando mercurialibus imminuunt, præsertim lue Venerea easdem comitante. His præmissis ipsas hasce excrescentias carnosas auferunt pulveribus, liquoribus vel linimentis externis contextum illum vitiosum destruentibus, & ulteriorem humorum affluxum impedientibus, quorum compositionem ingrediuntur ærugo, sulphur, alumen, Mercurius ruber præcipit. unguentum Apostolorum, Aliaque ejusmodi constantia particulis, quæ motu suo celerrimo omnem succorũ istorum vitiosorum solvant quietem, nec diutiùs stagnare permittant. Sublatis verò ipsis excrescentiis, nullum omittunt studium, quo ulcuscula ità excitata quàm citissimè consolidentur, ne succorum vitiosorum novus admittatur affluxus, quod peragunt pulveribus ex antimonio crudo, bolo Armeno, cornu cervi usto, lapide calaminari, plumbo usto, mastiche, olibano, tutia, terra Vitrioli dulci, camphora; vel unguentum adhibent diapompholygos, aut emplastrum opodeldoch imponunt.

Pruritum Pudendi sedare student remediis succos in tubulis latentes depurantibus, & à particulis acutis pungentibus probè liberantibus, qua virtute pollere dicũt sudorifera ex ligno Guajaco, sassafras, radice sarsæparillæ, lapathi, herbis fumariæ, scabiosæ, floribus sambuci, vel pulveribus ex ãtimonio diaphoretico, floribus sulphuris, oculis cãcror. sale volatili succini & id genus aliis. Externè linimenta adhibent ex lithargyrio, lacte sulphuris, nitro, mercurio præcip. rubro, camphora, cũ oleo nucum juglandum, vel butyro non salito paratũ.

Labiorum Pudendi *Tumorem* imminuere conantur non tantùm sudoriferis internis, sed discutientibus quoque externis, epithematibus scilicet calidis discutientibus ex aqua calcis vivæ, spiritu matricali, florum sambuci, aliisque obstructionem tubulorum resolventibus & succorum motum resuscitantibus, quorum ordinem præ aliis exornat spiritus vini camphoratus, vel theriacalis camphoratus, in quibus etiam porosiora terrestria, ut terra sigillata, bolus Armenus creta, aliaque dissolvi & in linimentum redigi possunt, quod tepide imponendum.

Imperforationem Pudendi reserare student sectione, labiisque arte divisis frustulum plumbeum unguento quodam cicatrisante obductum insinuant, ut cum tempore introducta cicatrice defectui huic prospiciatur.

Nostra cura in Pudend. muliebris Carunculis. §. 19. Postquam itaque aliorum opiniones ad vivum quasi dedimus, restat ut & in horum *Pudendorum* affectuum *curationem nostris* principiis innixam quantum breviter fieri potest, incumbamus. Totius ergò curationis *Caruncularum* Pudendi cardo in ablatione earum vertitur, & utplurimùm consumentibus ac exsiccantibus externis absolvitur, præmisso medicamento purgante Mercuriali & hydragogo, item sudoriferis, quare spiritus Matricalis, cum elixire vitæ nostro maritatus, & sæpe tepide appositus rarò nos fefellit, item unguentum Ægyptiac. inspissatum & cum melle rosarum mixtum & appositum. Vel si fortiora requirit, etiam ad mercurium sublimatum vel præcipitatum transeundum est. Alumen ustum cum variis decoctis abstergentibus non negligendum, pulveres absorbentes ex mastiche, myrrha, calce viva, olibano, ocul. cancrorum, tutia, pompholyge, mandib. luci, &c. interponendi sunt. Si lues Venerea conjuncta fuerit, ea priùs curanda est sudoriferis, aliquando mercurialibus. Si filo deligari possunt, operatio hæc aliis sæpè præstat remediis. Dein remediis sarcoticis ita dictis curentur.

Pruritu. In *Pruritu Pudendorum* instituantur balnea aquæ dulcis, & unguento rosaceo renes & dorsum illinantur, atque laventur partes hæ obscenæ aquis plantaginis, calc. viv. sacch. Saturni, Camphora aliisque impregnatis, ut sic particulæ acriores ibidem subsistentes eluantur. Ol. Tartari per deliquium cum ol. amygd. ut & liquore sal. Saturni mixtum optimum erit remedium externum. Ad particulas acriores eliciendas internè dari potest Tinctura Antimonii Tartaris. vel viperin. Externè decoctũ gallar. vel decoctũ calcis vivæ, vel sequens.

℞. *Fol. tussilag.*
Fl. sambuc. aa. M. j.
Coq. in aqua pluviatil. ℔. ij.
Colaturæ add.
Lithargyr. ʒ ß.
Sal. Saturni ℥ j.
Mastich. ʒ ij.
Aceti vini ℥ ij.

Post filtrentur per linteum, ut subtilior pars pulveris transeat, adhibeatur pro externo Epithemate. Vide *Rod. à Fonseca Tom. 2. Consult. Med. 68.* in muliere 38. annorum, & *Ambros. Parcum Oper. Lib. 23. cap. 64.* qui mulierem, quæ vehementem partium genitalium pruritum & uredinem sustinuit, unguento Ægyptiaco

eo sanavit feliciter. Applicentur etiam, me suasore, spiritus matricalis, spiritus vin. Camph. cum tutia, aqua calc. viv. cum Camphora, Sale Saturni, & myrrha, aliisque. Nec non interne continuentur varia sudorifera, decoctum lignorum, spiritus Matricalis, salia volatilia, quævis Viperina, Cervina ac Antimoniata, item Sal volatile oleosum. Omnia enim Medicamenta, quæ in Scabie conducunt, hic etiam prosunt juvantque.

umore.

Curatio *Tumoris* labiorum Pudendi muliebris in eo consistit, ut in his Labris facta obturatio tubulorum ac canaliculorum iterùm deobstruatur, quod per interna incidentia ac diaphoretica obtinere possumus; exhibeantur ergò varia decocta incidentia, Tartarea, spiritus Sal. Armoniac. aromat. spiritus matrical. salia volatilia oleosa quæcumque, Essent. rorismar. fumar. lignor. viperin. liq. C.C. succ. Essent. cent. min. meliss. Tinctura Antimonii imprimis si lues Venerea eam produxerit, tunc ad decocta lignorum aliaque fortiora transeundum est.

Inter Topica applicanda sunt varia Cataplasmata ex roremarino, meliss. bacc. lauri, Junip. rad. angel. enul. camp. herb. Sabin. oliban. mastich. abrotan. rut. cicutar: sem. cumin anis. Sal Tartari, Armoniaci &c. quæ in vino Gallico vel mulsa coquenda sunt & tumori calidè applicanda. Sic quoque ex prædictis speciebus spiritus destillari, vel mediante spiritu vini Tartarisati per infusionem Essentiæ parari, ac tepidè cum linteis duplicatis applicari possunt. Spiritus etiam Matricalis, vin. Camph. cum aqua calcis vivæ sæpius applicata egregiam navant operam. Si verò tumor hic à lue Venerea obortus fuerit, Emplastr. Mercurialia aliaque fortiter resolventia imponenda sunt. Vel sequente utere fotu vel cataplasmate calidè applicando.

℞. *Aq. fl. sambuc.*
Sperm. ranar. aa. ℥ ij.
Cicutar. ℥ i ß.
Pulv. myrrh.
Oliban. aa. ℥ j.
Croci or. ℈ j.
Sacch. Saturni ℥ ß.
El. diascord. Frac. ℥ iij.

M. Quod maximè conducet, quo etiam remedio vidi nuper curatam puellam. Fotus & suffumigia ex discutientibus resinosis ac volatilibus aliisque non sine commodo institui possunt, de quibus *Capite de Tumoribus* abundè dicemus, quò etiam Lectorem prolixiora desiderantem remittimus.

Imperforatione.

Imperforatio, tanquam vitium congenitum, nullo alio remedio preterquam sectione corrigi potest. Puella ergo, cujus pudendum membrana valida obductum fuerit & duntaxat foraminulum restat, decenter disposita, sectio ab inferiore parte versus superiorem instituatur vel scalpello, vel forcipe acuta ad id singulariter formata, partes vulneratæ medicamentis partim dolores, partim sanguinem sistentibus sanari debent, liquore nempe styptico sequenti.

℞. *Limatur. Martis q. s. affunde*
Spir. Vitrioli q. s. add.
Phlegm. Viorioli ℥ vj.
Colatur. add.
Solut. Alumin. cũ aqua pluviatil. fact. ℔ iß
Detur ad vasculum & calidè applicetur.

Tandem unguento diapompholygos imposito cicatrix inducatur. Eodem modo & processit *Chirurgus noster Castrensis Hoffmannus* & res feliciter cessit. Notandum autem in ejusmodi operationibus magnam impendendam diligentiam esse, ne vel partes versus collum lædantur, vel quæ separari debent, intactæ maneant, neve foramen nimis angustum fiat, quod posteà in Matrimonio constitutis nocere poterit, & tandem ne partes divisæ, iterùm coalescant, ceu plura exempla ejusmodi casuum apud Auctores prostant. Similia exempla & operationes vide apud *Hier. Fabar. ab Aquapend. Oper. Chirurg. p. 1. c. 82. Joh. Andr. à Cruce Offic. lib. 5. c. 47. BevervviK Chir. c. 3. de Paracent. Henric. van Ronhuysen Observ. p. 1. p. 102. Paulum Barbette p. 1. Chir. c. 13.* ut & apud *Peccot.* & *Pigræum* aliosque. Operatione ergò Chirurgica, quæ vocatur *Diæresis*, malum hoc muliebre curari debet, quæ partes corporis vitiosè junctas separat ac disiungit, illasque ut disjunctæ maneant in partibus scilicet præter morem coalitis, & ad discontinuationem ordinariam reducendis, v. gr. in ani occlusi apertione &c. adeòque *Diæresi* opus est, & ferro pudendum muliebre clausum aperiendum est, & dein omni studio & omni opera impediendum est ne disjunctæ partes, ceu dictum, iterùm coalescant, in quem finem varii pessi, item plumaceolæ liquoribus variis, imprimis spiritu matric. imbutæ imponantur: sunt qui ex plumbo pessum efformant, eumque foramini intrudunt.

LIBRI QUARTI FINIS.

JOH. DOLÆI ENCICLOPÆDIÆ CHIRURGICÆ RATIONALIS,

LIBER QUINTUS,

De Morbis Artuum, seu variarum corporis Partium, tum magnitudinem vitiosè augentibus, tum cutem deformantibus.

CAPUT I. DE CORPULENTIA NIMIA.

§. I.

NÆ nullum artificiosius fingi potest Automatum, nec ulla machina ita accuratè fabricata præ nostro corpore cujus tot partium sunt particulę omnes ut sapientissimè extructæ, ita mille affectibus obnoxiæ, ut mirum videatur, vel per horæ minutum integram illam ex toto, citra morbosum defectum subsistere posse, Nihil tamen æquè lædit easdem, ac pro conservatione illarum subministratum nutrimentum, vitiatum si fuerit, cujus primarius error est deficiens digestio, quæ ortum habet in ventriculo, reliquisque partibus digestioni dicatis, nihilominus tamen quibuslibet in assumptis, præter homogeneum nostri Corporis partibus assimilabile, & heterogenei haud parum deprehenditur, cujus sequestrationi maturè incumbendum, cùm minus noxium retentum, quàm ingestum vitiosum Oeconomiam turbet nostram. Huic negotio maximè inservit motus partium corporis organicus, cujus ope, dum vehementiùs agitantur contenta corporis fluida per totum corpus, eo ipso validiori impetu & nisu subeunt tàm intimiores recessus partium nutriendarum, quàm etiam tubuli minutissimi recrementis secernendis apti, per quos penetrant copiosius secernenda, & ita faciliùs ac ulteriùs separantur. Cùm verò assumptorum excessu, & excernendorum defectu machina nostra nimiis repleatur succis, & carne & pinguedine corpus nimis augeatur, Machinæ sæpè si non interitus, attamen maximum excitatur incommodum, mole sua extraordinaria *Corpulentiæ* nomine insignita, de quo affectu paucis mentem nostram revelabimus.

Corpulentia nimia. Affectus dicitur *Corpulentia nimia*, vel *nutritio corporis aucta*, in quo vitio corpus non quidem in longitudine, sed saltem latitudine & profunditate, seu uno verbo, crassitie excedit, & tales obesi seu corpulenti Germanis dicuntur *Dicke fette Menschen*. Ejusmodi obesorum hominum exempla exstant hinc inde in monumentis Practicorum, hinc obesis his, quibus

Pinguis aqualiculus propenso sesquipede.

annumerari potest ille Germanus, cujus Epitaphium sequens Durlachii inveniri *Crusius in Annal. Suev. Part. 3. l. 12. c. 18* mentionem facit sequentibus verbis: Anno 65 den 4. Nov. *starb Franz Erhard, der fromme, redliche und grosse Stadt schreiber, welches Corper gar nahe 6. Centner gewogen hat.* Pastor quidam Hanoviensis K. 400. libras ponderabat civiles. *Sennertus* mulierem 36. annorum 480. ℔ & Virum 600. pendentes refert. Sic nuper Hagæ Comitis vir obesus mortuus est, qui 500. libras incirca ponderabat. Qui plura desiderat exempla, conferat *Ephem. German. Ann. 2. Obser. 87.* Differentiam plures faciunt inter Corpulentiam nimiam, & obesitatem: priorem dicunt *musculosarum partium auctionem*, & posteriorem *pinguedinem nimiam*.

Pars affecta. §. 2. Machina nostra ex ovo enata ab initio existit parva, successivè verò alimenti ope sustentatur, nutritur ac augmentatur, & corpus per totum vitæ curriculum conservatur tale quale est, augmentatur verò per ætatem accrescentem, ut partes organicæ, machinam nostram componentes, debitam magnitudinem acquirant, qua aptiores fiunt ad actiones debitas, quarum sunt instrumenta, perficiendas. Machina verò nostra constat ex partibus fluidis & solidis, quæ posteriores sunt ejus fundamentalia stamina; partes autem fluidæ sunt sanguis ac succi reliqui plures. Partibus solidis nil nisi canaliculi intelliguntur, adeò ut totus homo unus quidam continuus existat tubulus, instar arboris ex uno quodam trunco inferiori in summitate ramos multos & varios proiicientis; præcipuè hic notandi veniunt peculiares tubuli membranacei oleosas & pingues particulas tantum recipientes, qui noviter detecti sunt. Stirps omnium vasorum statuitur Cor. Arteria ubi terminatur in Cerebro, abit in glandulam, ex glandula fit filamentum, ex filamentis nervi, hi verò per musculos reliquasque machinæ nostræ distribuuntur partes. Tubulorum horum longitudo & major minorve extensilitas quarumvis partium longitudinis & auctionis normam præscribit, cùm & ipsa ossa ex fibris firmiùs & arctiùs tandem junctis & proximè appositis suæ compagis rudimenta habeant. Uti ergò textura fibrarum secundùm extensilitatem in longum, partium longitudinis fundamentum existit, ita illarum major vel minor numerus ferè latitudinis ac profunditatis basin constituit, quam pro earum copia majori vel minori simul necessariò, vel amplioribus circumscribatur pars terminis, vel angustioribus coarctetur limitibus. Dein accedit ipsum partium nutrimentum, sui appositione quantitatem fibrarum ac tubulorum, adeòque & magnitudinem partium, in specie ratione latitudinis & profunditatis, vel augens sui copiosiore distributione & retentione, vel imminuens sui defectu. Nutrimentum ergò nihil aliud est, quàm chylus firmiùs & uberiùs circa fibras coagulatus. Sunt præterea, qui carneas partes nonnisi quasdam particulas rubicundas ac rotundas sanguinis grumefactas & inclusas membranæ subtili, tamquam tenui vasculo, adeòque mentiri tantùm carnosam substantiam, asserunt. Adipem quoque uberiorem & carnem copiosiorem nunc sociata *Corpulentiæ nimiæ* Subjectum proximum statuenda esse, ex jam dictis constat.

Diagnosis. §. 3. *Signa Diagnostica* hìc apponere superfluum esse existimamus, quia per se patula sunt. Facilè etiam discer-

ſcernitur hic affectus à Cachexia, Anaſarca, ac Leucophlegmatia, quæ ſigna diſtinctiva alibi, & quidem ſuis capitibus peti poſſunt. Homines corpulenti ad motum tardiores ſunt, utplurimùm de difficili conqueruntur reſpiratione, & anheloſi ſunt. Rarum eſt exemplum obeſi hominis, qui non ità pridem, Anno nempe 1688. Hagæ Comitis defunctus eſt, in cujus cadavere pinguedo unum & dimidium pedem æquavit, referente mihi Celeb. Dn. Kurſnero, Amico meo ſingulari. Plura alia hinc inde exſtant exempla obeſorum hominum, qui vix de loco ſe movere poterunt.

ausa Corulentiæ nimiæ secundum Galenicos.

§. 4. Juxta Veteres, & quidem Anteſignanum eorum *Galenum*, ipſius *Corpulentiæ* hujus *nimiæ* continens *Cauſa* eſt ſanguis propriè ſic dictus, aut pinguior & purior ejus pars. Antecedens eſt epatis muſculorumque temperatura moderata, calida ſcilicet & humida. Externa autem ſunt cibi boni ſucci quieſque nimia; quod etiam apparet ex *lib.* 14. *Galen. de morbis curandis*, ubi ità refert: Acuta exercitatio & tenuans victus, & id genus medicamenta, & animi cogitatio, temperamentum non ſolùm calidius, ſed etiam ſiccius ac proptereà corpus exilius reddunt, confirmatque cum juvene annorum quadraginta, qui oppidò obeſus ac corpulentus, per exercitationem multam, curſum velocem, victum exſiccantem ac extenuantem, ejuſque generis medicamenta fuit curatus.

aracelsum

§. 5. Ad mentem. *Paracelſi* nihil uſpiam creatum eſt, quod non indies ſuo alimento egeat, imò ipſas ſtellas ex ſuo elemento edere & nutriri, hominem verò nutriri terra, de qua eſt, aſſerit, atque ex cibo ſanguinem ſuum habere & carnem. Ciborum multitudinem nutrimentum immodicum corpori inferre refert, quod deinde in immenſum ità excreſcere poſſit, ac ſic errorem virtutis digeſtivæ accuſat, juxtaque Auctorem hunc faber ac opifex in ventriculo habitat, qui carnem ex eo fingit humanam. Is autem duabus naturis inſtructus creditur, cùm coctio tamen ſaltem unica ſit. Altera natura in eo eſt, ut ſi in viro operetur, carnem virilem gignat, ſi operetur in fœmina, fœmineam carnem generet. Quòd enim alimentum concernit, id domat ac ſubigit Archeus in ventriculo, ac ex eo fingit formatque, quod opus eſt, ſiquidem omne, quod edit homo, ipſemet eſt; hoc eſt, caro & ſanguis, nam illa ſumus nos. Corpus enim, quod morboſum eſt, non augeſcit, ſed minuitur. Ideòque in *Corpulentia nimia* ac Obeſitate corpus cibum laudabilem in majore quantitate pro alimento, quàm par eſt, ſuſcipit, & faber Archeus in ſtomacho reſidens plus partibus diſpenſat, quàm pro excrementis. Ex ſuccis propterea nutritii abundantia Corpulentiam originem ducere ait, tanquam ex boni ſuperfluo, propter exceſſum in carnem & pinguedinem poſt hujuſmodi ſucci nutritii abundantis ſeparationem ab Archeo factam tranſlato.

elmontii.

§. 6. *Helmontius* demonſtrat hinc inde, quod elementorum miſtura cõflatum creditur, fieri materialiter ex ſolo aquæ elemento, quod primordialiter in rebus conſtitutis cũctis ſe habet per modum laticis. Cibos ac potum in ſtomacho aſſumere materiam chyli aſſerit, cũ retentione qualitatum vitæ mediæ ciborum. Deſtrui quidem, pergit, priſtinam ciborum materiam & approximari ad materiam latici, ſive elemẽto aquę viciniorem; ſatagente nimirum ad hoc fermento ſpecifico ſtomachi, non ſecus atque fermentum hepatis chylum in cruorem tranſmutat, cujus comes ac ſocius, nõ item pars, eſt latex. Fermentum ſtomachi in homine faciliùs cibos in chylum, quàm illorum pinguedines tranſmutare, eò quod pinguedo remotior ſit à latice ſive prima materia, quam ſit cibus. Quæ digeſtio tranſmutationis in ſuccos aquoſos, eò huc adducta eſt, quo conſtet, laticem facilè concepto in nobis peregrino ſemine membrorumque fermenta; tranſmutari in alienam prolem, atque ab abundantia hujus laticis homines obeſos ac corpulentos fieri haud dubitat, nec arbitrari potuit unquam, renes ſuum habuiſſe munus tranſmutandi adipem ſub pelle diſtentum in aquam: quin potius credidit, id illi concedendum facultati, quæ cruorem in adipem formavit, ut ſcilicet ejuſdem ſit facultatis læſæ, convertere adipem in laticem, cujus anteà officium fuit, è cruore adipem conficere. Iſtam autem non eſſe aſſerit renum dignitatem, quòd nos pingues aut macilentos faciant, dum rarò tabidis ac calculoſis renibus pingueſcant plures. Sæpe namque (inquit) occurrit Capucinus longo jejunio gravatus, potuque pauco & parvæ cereviſiæ ſaturatus, craſſo tamen corporis habitu dotatus. Ex adverſo autem, cernuntur edaces, lautoque mangonio educati inſigniter macilenti. Ut utrumq; caſum ruminet, reperit Auctor fundamentalē ſtomachi digeſtionem gubernatricem cæterarum velut ſibi ſubalternarum. At mirum ipſi videtur ſaltem, quo pacto reſolutus adeps oleoſus in priſtinum aquoſum laticem retromigret, imò in venas, ac tandem ad renes per claſſicam retrahatur.

Vuillisium.

§. 7. *Vuillisii* ex fundamentis ſequens *Corpulentiæ nimiæ* formari poteſt ætiologia. Statim à prima fœtus in Utero formatione contingit quædam in illo jactura ob motum particulis ejus fluidis communicatum, quas reſarciri ab aliis de novo advenientibus neceſſe eſt. Sed quum partes debitam quoque magnitudinem aſſequi debeant, alias adhuc præter priores illas ipſis apponi opus eſt. Duo iſta à nutritione nominatim pendere ſtatuit Author noſter, & utrique huic fini ſanguinem ſatisfacere aſſerit. Cruor autem univerſas corporis partes pervagās ſingulis per arterioſos ſulculos materiam operi illi parem perficiendo largitur. Quum vero liquor iſte pigrior hebetiorque exiſtat, quàm ut propria virtute munia ſua peragat, alio quodam vegetiore particuliſque valde activis donato indiget, quo actuetur, ac debitè diſponatur. Talis eſt humor nervoſus ſpirituum vehiculum, qui iiſdem prægnans maxima donatur activitate. Generoſior itaque ſuccus iſte facultate quadam, qua pollet, plaſtica, cum delectu quodam materiei nutritioni & accretioni dicatæ particulas deſtinatis uſibus diſponit, fibraſque ſpirituum animalium impoſterum hoſpitia futuras efformat. A dictorum autem ſuccorum varia diatheſi diverſa exſurgit animalium conſtitutio, & ab eadem cauſa dependet eorum ſalus, iique omnes, quibus affliguntur, affectus emergunt. Ab utroque enim ritè contemperato juſta fit diſperditæ ſubſtantiæ reparatio, parteſque debita proportione protrahuntur. Sed ſi ſanguis mollioribus ſcateat particulis, uberiorque ſuccus nervoſus ſpiritibus turgidus in partes diffundatur, maxima facta ab eo liquoris alibilis in partium ſubſtantiam aſſimilatione, corpus improportionata mole accreſcit, producitúrque iſte affectus, Corpulentia nimia denominatus.

Sylvium.

§. 8. Cum clariſſimus *Sylvius* ſanguine nutriri corpus ſtatuat, hinc omne nutritionis vitium ſanguini vitioſo adſcribit. Nutritionem ergò nimiam tum in carnoſa muſculorum excreſcentia, tum in obeſitate, fieri vult à ſanguine multo ac laudabili, concurrente corporis motu, exercitioque moderato, vita curis anxiis vacua, ſomno mediocri vel protractiore, alimentorum multi ſucci ac fermentationis facilis aſſumptione largiore. Sic etiam corpus æquè in habitu & ſuperficie, ac interioribus pinguius & magis obeſum deducit à ſanguine pinguiore, ad cujus productionem juxta ipſum facit corporis conſtitutio ſana quidem, concurrente tamen ſucco acido ſatis copioſo, ſed blando, temperatoque, bile autem parciore minùſque acri, motu corporis pauco, vita itidem ſine curis rodentibus, ſomno placido & longiore, alimentorum pinguium aſſumptione continua ac multa. Exiſtimat etiam Auctor hic, corpus rariùs gravari carne multa vel nimia, frequentiùs verò pinguedine.

Cartesianos

§. 10. *Carteſiani* ab optima omnium partium nutritione *Corpulentiam nimiam* originem habere referun eamque ex redundantia chyli laudabilis emergere. Chylum verò laudabilem eum nominant, qui particulis conſtat oblongis, ramoſis, & paucis leviuſculè mucronatis, ſive aquoſis, oleoſis & parum ſalſis, optimèque, & ad minimùm per duplam fermentationem elaboratum, qui facilè ad corporis partes transfluere, & jiſdem aſſimilari poſſit. Aſſimilationem hanc chyli in ſingulis partibus non ideo promoveri volunt, quòd homines ejuſmodi variis veſcantur cibis, qui omnis gèneris conſtet particulis partibus nutriendis accommodatis, propter homogeneitatem quandam, adeò, ut particulæ oſſeæ oſſibus, muſculoſæ muſculis, pinguiores

res

res & adiposæ pinguedini associentur, eorumque augeant substantiam, sed quòd fermenta quædam in partibus existentia particulas chyli disponant, ut membris alendis adaptentur. Materiam chyli cum reliquis cibum admittunt & potum non modò copia assumptum, sed in ventriculo quoque probè digestum, & in substantiam lacteam chylosam in intestinis transversum, ut sacculus chylosus, sive receptaculum penu quodam nutritivo assiduò abundet. Ut verò particulæ chyli allabentes membris firmiùs adhæreant, multum contribuere dicunt vitam desidem, animum curis vacuum, labores intermissos, & somnum diutius protractum, ut non opus sit liquori nervoso magnam præparare, aut ex chylo tribuere materiam, cùm laboribus & mentis & corporis non absumatur. Hac enim ratione facilè oriri posse asserunt, ut particulæ chylosæ membris per quietem firmiùs adhæreant, nec tam citò abluantur, quod cùm in singulis corporis membris æqualiter contingat, habitum ejusdem in crassitie, non modò quoad pinguedinem, sed ipsam etiam carnositatem perquàm pronunciant augeri.

Nostra sententia de causa Corpulentia nimia.

§. 10. *Nos* antequam ad *causam Corpulentiæ nimiæ* explicandam accedamus, priùs opus nutritionis & succi nutritii indolem explicemus. Veterum & quorundam Recentiorum Medicorum sententia est, sanguinem corporis nostri universale esse nutrimentum Alii duplex corporis nutrimentum statuunt, sanguinem nempe pro nutritione partium carnosarum, & liquorem roscidum per nervos in partes derivatū pro partibus membranosis seu nervosis, & ita etiam pro pinguedine, ita ut causa obesitatis nimiæ futura sit abundantia talis succi per nervos influentis, cujus opinionis defensores sunt Angli plures. *Bilsius* verò rorem suum tanquam succum nutritium agnovit, sed & hujus viri opinio ab Anatomicis hujus seculi ex exercitatissimis rejecta est, quia motus huius succi rori planè contrarius est, quàm uti existimavit *Bilsius*, cum ipsius morte ergò & sententia ista sepulta est. Ut verò *Chylificationis* opus examine nostro aggrediamur, observamus eā alimentis solidis fluiditatem conciliare. Ex Physica didicimus, fluiditatem in divisione & vario motu particularum corporum fluidorum positam esse, itaque oportet ut in hoc opere chylificationis partes alimētorum à se invicem secedant, & diverso motu agantur. Separatio ista sive texturæ turbatio particularum alimentorum peragi nequit, nisi ab attritione aut fermentatione. Nihil in Ventriculo novimus, quod par sit alimentis molendis ac terendis æquè ac necesse est, ut in chylum facessant; iudicandum est ergò, eversionem istam structuræ partium alimentorum à *fermentatione* induci, sed fermentum constare debet ex principiis fermentationem creare valentibus, à quo solvantur Sulphura, alcalia, & salia. Et cùm statuerimus Sulphura ab alcalicis, alcalia ab acidis, & salia à phlegmatis dissolvi, necessariò colligere debemus, *fermentum Chylificationis, ex acido alcalico, & phlegmate* conflatū esse. Si fermentum Ventriculi tale fuerit à prima alimentorum cum ipso commixtione, eius acida in illorum alcalia uires suas exercebunt, & fermentatione, quam in illis excitabunt, totius massæ alimentorum dissolutionem exordientur. Alcalia fermenti sese deinceps insinuantia inter Sulphureas alimentorum partes, ipsas ab invicem seiungent, demum phlegmata dissolutis salibus locum obtinebunt inter cunctas alimentorum partes, quarum unio ab actione acidorum & alcalicorum periit. Quando ergo alimenta in ventriculum descendunt, pondere suo comprimunt minimas glandulas, quæ inter tunicam eius internam & mediam sunt conspersæ. Cùm enim eæ meræ sint exiguæ vesiculæ, ubi primùm comprimuntur, euacuantur, & in ventriculi cavitatem effundunt satis abundantem rorem fermenti, quod commiscetur illis, quæ iam in ventriculo continentur, ipsa fermentat & liquefacit, quod iam liquatum fuit, summum petit, & ventriculi motui peristaltico parens per pylorum elabitur. Dum perdurat fermentatio, exit aliquid indesinenter, & quando ea absoluta est, animal edere cogitur, vel fami exponitur, quæ oritur ex eo, quòd cùm fermentum purum ac impermixtum in ventriculo comprehendatur, tunicam eius interiorem vellicet. Fermentum alimentorum partes eorum integrè nunquam dissolvit, quin intemerata aliqua particula evadit, quapropter chylus sub stomachi exitum non percipitur, & quàm plurimis partibus inutilibus confunditur. Ea de causa fluit per oblongam intestinorum fistulam, in quibus miscetur variis in locis cum diversis liquoribus, qui inserviunt separandis iis, quæ bona & utilia sunt, ab illis, quę nocere possent conservationi corporis animati Chylus à stomacho prodiens in ductum pyloro continuum devehitur, qui intestinorum nomine designatur, qui verò chylus magnæ non est liquiditatis à ventriculo erumpere paulisper æmulatur gluten ex farina cocta cum aqua confectum, subgryseum exhibet etiam ut illud, colorem, & magnam obtinet visciditatem. Sed diutiùs non perseverat in tali statu. Prætertapso duodeno ipsi statim admiscetur liquor quidam croceus summè amaricans, bilis nomine cognitus, qui constat ex multo alcalico fixo, paulo volatili, pauco Sulphure, pauciori adhuc terra & copioso phlegmate: unde concludere licet, bilem cum chylo permixtam alcalicis suis tum fixis tum volatilibus, excipere partem quandam acidorum, quæ Sulphura ejus colligata detinent, & hoc pacto visciditatem illam, qua in duodeno preditus est, fovent, ità ut deinceps Sulphura Chyli majore patiantur libertate, & à se invicem longiùs sint semota; quare inter particulas suas minùs phlegmata suscipiunt, quæ integram massam diluunt, majoremque illi fluiditatem conciliant. Bilis à sanguine in Hepate separatur ad chylum in intestinis perficiendum, Sulphura illius alcalicis suis dissolvit, & ipsum phlegmatis suis diluit. Præter hanc bilem liquor adhuc alius tenuis & limpidus aquę instar in duodenū depluit, vocaturque *succus Pancreaticus*, qui ad lymphæ indolem ferè accedit, videlicet ex Sulphuribus, phlegmatis & alcalicis volatilibus est conflatus. Ubi primùm in intestina decidit, cum Chylo miscetur, si occurrat in Chylo acidis quibusdam, quæ Sulphura ejus colligata teneant, alcali illius volatile ea absorbet, & hoc pacto Sulphurum reliquorum principiorum compedes solvuntur: Sulphura hæc, quæ in succo pancreatico continentur, inter chyli particulas sese insinuant, & Alcalicorum cum acidis fermentationem attemperant, prohibentque ne violentior evadat, tum enim damna plurima inferret: phlegmata viam sternunt alcalicis ac Sulphuribus, ut eò meliùs cum omnibus chyli partibus commisceantur. Ex his luculenter satis subsequitur, succum Pancreaticum chylum perficere, illumq; liquidiorem reddere, cujus acida alcalico suo obtundit, & eadem via Sulphura dissolvit. Adeò necessarium est ad hominis conservationem, ut chylus ab acidis suis expurgetur, ut Summus rerum Opifex quàm multas minimarum glandularum congeries posuerit inter gracilium intestinorum tunicas, quæ in loca ista liquorem succo Pancreatico similem effundunt, qui permixtione sua cum chylo id cōplet, quod bilis & succus pancreaticus ita prospere susceperant. Parvi illi glandularum acervi variæ sunt crassitiei. Quidam ducentas & ampliùs glandu las complectuntur, quidam verò ne triginta quidem continent. Omnes chyli partes aptæ natæ non sunt subeundis canaliculis, qui *venæ lacteę* appellantur. Quædam sunt crassiores, & illæ crassa excrementa constituunt. Chylus abundat particulis venis lacteis subintrandis idoneis, quando à bile & succo pācreatico præparatus fuit, quapropter massa ejus tantopere in intestino iejuno imminuitur; quoniam particulæ illius subtiliores ab ipso discedunt, & in venas lacteas propellūtur. Videmus etiam copiosiores venas lacteas à iejuno proficisci, quàm à reliquis omnibus intestinis. Sub iejuni terminos excrementa quædam cum multis particulis chylosis permixta reperiūtur. Succus glandulosus illis commiscetur, & dissolvit Sulphura partium chylosarum, quæ iis insunt. Quod ita paratum fuit, venis lacteis adhuc excipitur. Deinde excrementa illa in Ileum protruduntur, ubi adhuc in plurimis locis succo glanduloso adsperguntur, qui eundem, quem anteà, edit effectum. Tandem postquam penitus partibus suis chylosis exuta fuere, in crassa intestina deturbantur. In venis lacteis reperitur lac, quod

purus

purus & putus chylus est, qui ab intestinorum cavitate in venas lacteas compulsus est, quod sequentibus probatur argumentis. 1. Lac, quod in venis lacteis comprehenditur, ab intestinis prodit. Ad oculum patet veritas illa, cum venæ lacteæ digitis præmuntur, lacte deplentur, & dein videtur illud ab intestinis venire venam vacuam repleturum. 2. Lac tātum in venis lacteis conspicitur aliquot horis post cibatū animal. 3. Jejunum ferè semper percipitur exinanitum, propter numerosas venas lacteas, quæ ab illo exoriuntur. Deniq; ex eo, quòd reperiantur excrementa pura in ileo, quæ crassiora adhuc fiunt illud intestinum percurrendo, quoniam plurimæ venæ lacteæ pluribus donatæ sunt valvulis sibi proximè adjacentibus, qua ità sunt comparatæ, ut chylo commeatum per venas lacteas in glandulas mesentericas permittant, sed illius refluxui obstent. Copiosæ ab intestinis proficiscuntur, & plurimæ in unum coeunt, prout ulteriùs progrediuntur. Hoc pacto truncos paulò crassiores componunt, qui chylum effundunt in vesiculas glandularum mesentericarum. Chylus vesiculas harum glandularum subintrat, ut in iis suscipiat spiritus animales, qui in illas confluunt per plurimos nervos à plexu mesenterico oriundos, spiritus isti chylum subtiliorem atq; fluidiorem efficiunt alcalico suo volatili, & si qua adsit in illo aciditas, eam corrigunt, alcalicis suis ipsam excipiendo & in sal illam commutando. Chylus prætergressis glandularum mesentericarum vesiculis duos tresve canales ingreditur, ex inferiori earum parte exeuntes. Deinceps pertingit ad saccum quendam membranaceum in lumborum vertebris positum, *Receptaculum chyli* nominatum, quod idem est, ac lymphæ cisterna. Chylus enim in hoc cum abundanti lympha commiscetur, qua turgescit receptaculum. Ab ipsa diluitur & liquidior fit, ut faciliùs fluat. Denique à Chyli receptaculo proficiscitur canalis quidam, *Ductus Thoracicus* vocatus, qui aliquoties in furcam diducitur, & rami ejus denuò coalescūt, & sępè etiā simplex observatur ad verticurq; Canalis hic implantatur venę subclaviæ, & supra insertione ejus adest valvula, ita ut sanguis, qui in vena subclavia fuit, super illa trāseat, nullo chyli ingressui obice posito. Cum inflatur ductus Thoracicus, copiosæ cōspiciuntur valvulæ in illius cavitate. Ex quibus concludendum, chylum ex receptaculo suo, in venam subclaviam sinistram deferri, ubi sanguini immiscetur. Cursum ejus insequitur & in venam cavam delabitur, quę ipsum in dextram cordis auriculam advehit. Auriculam illum impellit in dextrum ventriculum, & ut chylus tum temporis sanguinis partem constituit, cum ipso fluit, per totum corpus unà circulatur. Hisce præmissis facilè perspectu est, ex omnibus succis corporis nostri *solum chylum* potissimum corpulentos ac succulentos reddere. Corpus enim nostrum ex meris canaliculis constat; quoquis ergò copiam succorum habet abundantiorem, eò major existit, si enim succi multi vasa transeant, ea sensim ac sensim dilatant, ut plus succi recipere possint; sic homo qui 280. ℔. ponderat, plus quàm centum libras succorum habet; estque ponderosior, quàm alius macris homo. Chylus autem ut genuina & vera lactis est materia, ità idem sanguini in axillari seu subclavia sinistra permistus & aliquoties circulatus, non illicò in sanguinem mutatur, sed sub lactis suavissimi forma aut sanguini infusus, aut sub gelatinæ albicantis forma à sero vel nutrimēti vehiculo solutus, mediantibus vasis sanguiferis in totum corpus distribuitur, omnes ejus latebras perreptat, quia totum corpus ex innumeris & solis tubulis conflatum est, partes æq; membranosas ac nervosas nutrit, & superfluus paulò à minutissimis membranaceis tubulis receptus per eas transit, & superficie earum hærens in pinguedinem succrescit, imprimis chylus ratione olei, quo abundat, & sic pro amplitudine ac laxitate & constitutione tubulorum pars quasi superfluè nutritur, hinc & solum lac nutrit infantes tenellos, eosque impinguat, quod & sæpè videmus in emaciatis, qui sola lactis cura ad obesitatem ac corpulentiam restituuntur. Nam, ut dictum est, butyrosa, seu oleosa lactis, seu chyli substantia os humerosque similis est pinguedini corporis nostri. Massa ergò sanguinea copiosior, eaque minus salina, acris & aspera, sed suaviter oleosis temperata existens, & simul blando dulci ac fluido chylo, eoque copioso pingui ac oleoso turgida, existentibus simul tubulis amplioribus & laxatis, & præcipuè circa extremas corporis partes, homines reddit nimis corpulentos; fluidum chylum hunc esse, ut per vasa minutissima fluere possit, necessarium, & aptitudo partium solidarum respondeat opus est, nempe tubulorum & spatiolorum amplitudo inter fibras partium molliores paulò, ac speciatim circa mēbranaceas partes & cutis glandulas, imprimis verò circa membranas externas intra panniculum carnosum & cutim fibrasque musculorum Trunci & abdominis. Num verò pinguedo hæc mediantibus glandulis in solum hunc usum destinatis, à sanguinea massa secernatur, & in peculiares tubulos seu vesiculas defluat, sub cute ejusmodi tubulos maxima in quantitate reperiri quis dubitat? Et membrana carnosa ut plurimùm ex ejusmodi tubulis & glandulis constat, quæ tantum recipit & separat oleosas particulas, &, si huic oleo plures acidæ & terrestres particulæ fuerint commistæ, fit *pinguedo*. Pingues enim istæ particulæ non manent in suis cellulis, sed per alios tubulos refluunt in massam sangineam. Quorum ergò sanguis multo scatet acido & salso, isti homines haud sunt obesi, quia ab acido & salso absumitur oleum: sic & illi, qui laboribus dediti sunt, raro obesi redduntur, quia oleosæ particulę avolant, & sanguis ob cōtinuam transpirationem suas perdit particulas subtilissimas. Sunt & alii, qui multum edunt, & tamen manent macri, quia oleum & sulphur in alimentis vix sufficiens est ad acidum, quod in suis succis habent, temperandum, cujus generis hominibus conducēt pinguia & non acida. In Corpulentia nimia dum chylus massę sanguineę permistus ad partes dictas alluit, earum porulis minutissimis se insinuat, ipsæ membranę musculorum aliarumque partium lacteo nutrimento implentur, cujus abundantia externè cutim versus irrigat, quia internè fibris musculorū sanguine vestitis adeo commodè adhærere nequit, ipsa verò cutis ex extremitatibus minutissimis arteriarum, venarum & nervorum reticulatim contexta, dum per glandularum minutarum ipsi intertextarum excretoria vasa, ut &, si qui sint præterea, poros in specie sic dictos insēsibilis transpirationis materiam vaporū forma transire permittit, crassiusculum lacteum nutrimentum cum sanguine allatum externorum pororum angustias cohibet, quod ità introrsum versus coercitū successivè in corporis peristoma adiposum densatur, ceu loquitur beatus *D. Ettmullerus Disp. de Corpulentia nimia*. Malè & irrito quodam ausu alii crescendi vim ex cerebro per medullam spinalem derivare conantur. Inter causas remotas referre possumus omnia ea, quæ massam sanguineam lactescentem seu chylosam reddere possunt; huc facit multùm optima chylosis & constitutio radicalis succorum & spirituum. Ordinariò quidam ad corpulentiam hanc dispositi sunt, & familiæ reperiuntur, in quibus sunt homines obesi, hoc, me judice, evenit, quia in his à nativitate fibræ ac tubuli extremorum sunt extensiles & ampliores, ob quam causam & fœminæ præ maribus possunt esse magis corpulentæ, Stupenda est ista obesitas pueri recens nati ex imaginatione matris, cujus mentio fit in *Ephem. Germam. Decur. Ann. 6. p. m.* 380.

Inter res vulgò nonnaturales ità dictas sunt, quæ symbolum suum addunt corpulentiæ nimiæ, Aer nempe temperatus, hinc in regione temperata, imprimis nonnihil Boreali, obesiores reperiuntur homines, qualis enim aer, talis massa sanguinea, hinc Galli & Itali non sunt ità corpulenti, ut nos Germani; sic & Boeti sunt pingues, juxta notissimum illud:

Boetium in crasso jurares aere natum.

Deinde & potus copiosior & tēperatus ingestus, maximè si digestio simul ritè peragatur, necessariò homines corpulētiores reddere debet. Panis tanquam optimum nutrimētum, & *Helmontio* Theriaca alimentorum audit, multū facit ad corporis auctionē. *Joel* passulas Corinthiacas pinguefacere dicit, ut & caricas, sic & ob oleositatem, quam habent amygd. dulces, pistaciæ, pingues

guens ex eorum esu evadunt homines, quibus annumeranda sunt milium, hordeum, triticum, unde cerevisiæ triciceæ & hordeaceæ maxime nutriunt. Lac quoque uti infantes pingues reddit, sic & adultos, imprimis cum Thee paratum, nec non butyrum; quo pertinent omnia alimenta ac potulenta insipida ac crassiora, ut inter alimenta sunt pulli gallinacei, gelatinæ, ova recentia, aliæque carnes temperatæ & mucilaginosę, quę omnia potentiùs nutriunt & corpulentiam augmentant. Potulenta etiam multum huc contribuunt liquida, aqua enim ceu testatur *Celeb. Malebranche in Explicat. s. ad libr. 3. p. 103.* humores nimis crassos resolvere & circulationem sanguinis per omnes corporis partes faciliorem redere potest; huc pertinet cerevisia Brunsvuicensis, & nostrum Bryhahium. Ut vero lauta & splendida victus ratio incremento corporis multum contribuit, ita quoque otium & quies affectui huic producendo admodùm sunt idonea, tempore enim somni & quietis circulatio sanguinis, chyli aliorumque succorum optimè peragitur, hinc somnus, & quies homines impinguare possunt; uti vigiliæ & labores succum nutritium attenuant & nimis per sudorem eliminant, & acrimoniam accersunt. Quid enim somnus & quies faciant, hoc videre est in Ursis, Taxis, Muribus, qui tempore hyemali in latebris quiescentes somno sepulti pinguiores evadunt. Hinc *Martialis*:

Dormitis nimium glires, vitulique marini,
Nil mirum, si vos crassa Minerva premit.

Rationem addit *Cl. D. Ettmullerus*, partim quòd intra omentum, aliaque viscera interna collecta pinguedo, de qua supra, successivè attenuata, sub nutritionis partium nervosarum munere, indeq; & alia quoq; in loca distribuatur, & ibidem sub torpore illo agglutinata aliqualem copiosioris pinguedinis speciem repræsentet, partim quòd sanguis eorum ex voracitate prægressæ æstatis chylo crassiore abundans, hunc quantum ejus possibile sibi assimilatum, in nutrimentum partium sanginearum impendat, crudiore & quasi pituitosiore ejus parte, partes solidas obsidente, & sub habitu plus minùs leucophlematico, corporis peripheriam occupante, ac speciē corpulentioris habitus repræsentante; id quod facilè fieri potest, dum sub ista quiete & rara respiratione tardior est motus sanguinis localis, remissior intestinus, unde tardissima sanguificatio, paucissima transpiratio, parcissima nutrimenti absumptio.

Prognosis.

§. 11. *Nimia Obesitas* vel *Corpulentia* non tantùm immaturam affert senectutem, cum fuerit pinguedo cumulata copiosissimè, & enormi quantitate per universum corpus sparsa, verùm etiam repentinæ sæpius mortis occasionem dat, unde *Hippocrates* Medicinæ Pares & accuratus omnium rerum medicarum Observator optimè inquit: *Qui à nativitate valdè sunt obesi, celerius moriuntur, quàm graciles.* Ceu nos ejusmodi plura, ehu! novimus exempla, & primò in Cive Hanoviensi K. 46. annos tantum attingente, & pinguedine suffocato; dein in Aulæ Magistro Schaumburgico Naurath dicto 47. anno suæ ætatis apoplexia subitò defuncto, aliisque pluribus. Expositi enim sunt ejusmodi homines crassi catarrho suffocativo, paralysi, apoplexiæ, Hydropisi, &c. Pingues enim non ad longinquos perveniunt annos, ast ut plurimùm brevioris sunt vitæ. Nam cùm illis paucus sit sanguis, & spiritus ipsis citò vel minima de causa coagulatur & stagnat, unde mors, quæ nihil aliud est, quàm coagulatio seu stagnatio omnium succorum circulantium. Exemplo sit Reverendus iste Minister *Johannes Musinias* Polonus, cujus mentio fit *Ephem. Germ. Ann. 2. Obs. 87.* ubi post Chirurgicam apertionem, in abdomine supra musculosam carnem, satis amplam & robustam, adeps coloris ad citrinum vergentis, octo digitorum transversorum crassitiem superans conspiciebatur. Similem adipem observavi in cadavere *Kochendorferi*, Civis Hanoviensis, à me exenterato. Hinc optimè *Plinius* inquit: *Pinguia corpora citius senescere.* Et certè Pinguedo musculis adnascens inter vasa quęcumque, cùm multa est, adeo artè constringit spirituum & sanguinis vasa, ut libera circulatio plurimùm impediatur, unde necessariò angustia & spirandi difficultas, & tandem mors oritur, quod & jam diu agnovit *Galenus l. 2. aph. com. 43.* malus esse solet ad crassitudinem excessus, quod in iis angustæ sint cùm arteriæ tum venæ; atque ob id, qui crassi sunt, paucum omninò sanguinem habent, atque spiritum adeò, ut quùm ætate processerint, citò ipsis, vel parvam ob causam vita destituatur.

Diæta.

§. 12. Quantum tùm à morbis, tùm à morte præservationis virium sit in *Diætæ* regimine, quotidiana docet Experientia, & *Seneca* id inculcat sequentibus, dicens: *Non accepimus brevem vitam, sed fecimus, nec inopes ejus, sed prodigi sumus; sicut amplæ opes ubi ad malum Dominum pervenerunt, momento dissipantur, at verò licet modicæ, si bono custodi traditæ sunt, crescunt.* Quare & Nos de re in omni vita, maximè verò in cujusvis morbi curatione tam necessaria, de productione & tractatione Corpulentiæ nimiæ solliciti, non quidem agemus in genere, sed in specie designabimus, qualem diætam Corpulentiæ nimiæ conditio postulet. Aer ergò ad imminuendam Corpulentiam nimiam debet esse subtilior ac calidor & siccior, hujus enim ope succi magis attenuantur & resolvuntur, hinc plurimæ reliquiæ ex chylo in auram avolant & evacuantur, & pars reliqua non tam in copia apponi potest, quapropter obesi eligant calidiores, imprimis quæ Tropicis propinquiores sunt regiones; huc & referre licet aerem arte calefactum, ut balneum siccum, hypocaustum, &c. Ut etiam corpulenti & pingues faciliùs macrescant, cibus & potus sit parcus ac paucus, nam abstinentia plures certè curantur morbi, imprimis verò Corpulentia nimia. Nulla enim res minuit majori celeritate & securitate pinguedinem, quàm subtractio fluidi, solidi ac humidi. Quoad qualitatem, cibus non sit temperatus, sed acris, salinus & acidus, ut incidat, attenuet & resolvat; sic & ea, quæ vim diureticam habent, multùm juvant, ut & omnia asperiora & alcalica, quæ citò sanguinem percurrunt transeuntque, inter quæ sunt acida quæcumquæ, ut sunt acetum, succus citri, Julepi, Spiritus Salis, Spiritus Vitrioli, Nitri, Sulphuris &c. inter acriora aromatica excellunt zinziber in India conditum, macis, caryophylli, piper, sinapi, cinamomum, eruca, nasturtium, raphanus, imprimis rusticanus. Et quoniam potus Thée habet vim diureticam eximiam & sudoriferam, contra Corpulentiam nimiam optimum erit remedium, instar ordinarii potus assumptus. Quidam commendant aquam chalybeatam aceto temperatam. Quod si acetum à Sale Nitri cohobetur, & ita fortificetur, eò convenientibus huic usui futurum esse asserit *B. D. Ettmuller*, quod ipsum obtineret pariter, si sal Armoniaci modicum in nitro solvatur. De aceti simplicis, scyllitici absynthiaci, rutacei viribus in Corpulentia nimia allegat nonnulla exempla modò allegatus Author; Sed me judice, area hic regula observanda est, *Ne quid nimis!* ex acidis enim intempestivè ac nimiùm usurpatis in alios facilè obesos conjicies affectus periculosos, nunquam ampliùs curabiles, quare cum cautione hæc sunt inttelligenda. Si multum habuerint alcali in primis vis corpulenti, & acida beneferre possint, tunc res in vado erit. Vigiliæ nimiæ & exercitia vehementiora pro corpore attenuãdo, & machina atterenda multùm faciunt, uti exemplo rusticorum ac artificum patet, qui rarissimè corpulenti observantur, sudor enim maximè emaciat.

Quod excernenda & retinenda concernit, viæ omnes, per quas digestionum excrementa emitti debent, sint patulæ, hinc diuretica, imprimis diaphoretica conducunt, quia per has vias sæpè eliminantur ea, quæ alias carni ac pinguedini impenduntur. Mensium in fœminis obesis, hęmorrhoidum verò in viris corpulentis semper promoveantur effluxus, hinc crocus, sabina, myrrha, &c. remedia optima sunt in sexu præsertim sequiore auxilia. Rarum est, quòd beatus *Ettmullerus* viderit mulierem delicatioris texturæ, cui croci, cùm mola parva attereretur, odor diuturnior ex fonticulo cruris sanguinem copiosum effluere fecit. Veneris quoque usus hic conducit, absumptis enim spiritibus animalibus, succi nutritii copia adsumptorum locum sequi debet. Quod attinet animi passiones, ad corpulentiam nimiam imminuendam multùm faciunt mœror ac curæ,

ræ, quæ incraſſando ſuccos homines graciles reddunt, quod & faciunt gaudium magnum & incandeſcentia concitatior, per hæc enim ſpiritus attenuantur, eorum fluxus concitatior fit, & reliqui ſucci acriores vel ſalſiores reduntur.

§. 13. Curatio *Pharmaceutico-Chirurgica* hujus affectus ut commodè inſtituatur, aliorum priùs de eadem percipiemus conſilia. Suadent verò *Galenici* ut ad molem corpoream imminuendam frequentiores inſtituantur purgationes, venæſectiones, ſcarificationes, ac frictiones, nec non fatigationes per labores continuos, vigilias diutiùs protractas, balnea, victum tenuem, paucum & exſiccantem laudant, remediaque exhibent amara, calida, ſudorifera, diuretica & abſumentia, qualia ſunt abſinthium, centaurium minus, roſmarinus juli coryli, radices polypodii, gentianæ, ariſtolochiæ, myrrha, gummi ſandaracha, tartarus crudus, nitrum, ſemen fraxini, petroſelini, alumen, piper, zingiber, zedoaria, ex quibus vel decocta in vino, vel pilulas, vel pulveres parant, quibus adjungunt pulverem viperarum, & acetum aliquoties hauriri jubent, potiſſimùm verò oxymel tum ſimplex, tum ſcylliticum unà cum ſpeciebus diaſpolitici magno habent in pretio.

§. 14. *Paracelſus* curam in eo conſiſtere ait, ut cibus detrahatur, ne in tanta copia ſuccum ex eo confectum nutritium Archeus partibus carnoſis & pinguibus transferat diſpenſetque, eaque propinat remedia, quæ portionem non parvam materiæ nutrimento partium diſtinatæ citò ad oſtia excretionis deferant & humiditates abſumant, ideoque ſequentem pulverem aſſiduo habere vult in uſu,

℞. *Spec. diatr. Piper.* ℥ ij.
Salis acetoſ.
Sal Nitri pp. aa. ℥ ß.
M. F. Pulvis.

§. 15. *Helmontius* Pinguedinem ſive Obeſitatem obſervavit unico bimeſtri per potum diureticum, loco cereviſiæ ſumptum, abactum fuiſſe. Pharmaca autem peregrina chinæ, zarzæ, Guajaci, &c. quòd laticem per ſudores profunderent, ficto mentitoque titulo exſiccantium nomen acquiſiviſſe ſtatuit. Vidit enim Author ipſe corpus, cujus pinguedo tota reſoluta fuit in laticem, qui dein per lotium excretus fuit. Omnia proin diuretica in Corpulentia ac obeſitate nimia ſummoperè commendat. Laudat quoque liquorem acidum Sulphuris, quotidie ad aliquot guttas abſumptum, quòd facilè inferat gracilitatem.

§. 16. *Vvilliſius* ad *Corpulentiam nimiam* imminuendam nutrimenti partium detractionem admodùm ducit neceſſariam, quæ non tantum cibi potuſque parciori inſtituitur uſu, ſed iis etiam remediis, quæ chylum fundunt, & particulis quibuſdam ſalſis & acribus imbuunt, ne tam facilè membris aſſimiletur, nec ſubſtantiam eorum aut pinguedinem eadem ambientem augeat; pro inde præter exercitia, labores continuos, jejunia, vigilias, curas & ſolicitudines, ſudorifera & diuretica frequentiùs adhibere jubet, potiſſimùm quæ parantur ex lignis aliiſque exſiccantibus, nec non acidulas aliaque acida ex nitro, vitriolo & alumine, ſpiritum fuliginis, ſalis, tincturam tartari, ſal viperarum & aromatica quædam acriora ex pipere, zingibere, cinamomo cum ſale abſinthii, fraxini, tamariſci, fimi columbini, lapide prunellæ; Sal quoque viperarum in potu tenui ſæpius adhibitum maximè laudat abſque ullis aliis remediis. Alvi eductionem frequentiùs inſtitutam approbat per pilulas aloeticas vel tartareas, vel tincturam Jalappæ cum guttulis quibuſdam paucis ſpiritus nitri, ut diureſis ſimul promoveatur. Fonticulos etiam commendat, ut cum latice ſimul ſuccus nervoſus & nutritius imminuantur, quod quo faciliùs ſuccedat, una vice duos ſimul præcipit effodiendos, in brachio videlicet unius lateris & pede alterius, quæ remedia ſi ſtudioſè urgeantur, nutritionem ſuperfluam impediri poſſe confidit.

§. 17. *Sylvium* quod attinet, hic *Corpulentiam nimiam* ac augmentum carnis muſculoſæ curandum vult, 1. minuendo ſubinde ſanguinem ſecta vena: 2. exercendo valde ac ſolito diutiùs corpus ad defatigationem ſatis notabilem: 3. occupando vexandoque animum curis ac ſolicitudinibus gravibus: 4. augendo vigilias, detrahendoque aliquid ſomno: 5. uſurpando parciùs alimenta multi, optimique ſucci, horumque loco ſumendo, quæ minùs nutriunt aut difficiliùs fermentantur. Corporis verò Obeſitatem curat, 1. uſurpando ſæpius ſatiſque abundanter condimenta quævis acria, tum acida, tum aromatica, hoc eſt, ſalſa, vel amara, quæ tum liquores glanduloſos præſtent acidiores, quàm bilem magis amaram, & acrem, in quem finem commendat acetum, ſuccum citri, Spiritum ſalis, &c. piper, caryophyllos, ſinapi, raphanum quemvis, imprimis ruſticanum. 2. Corpus movendo multùm: 3. Animum torquendo curis: 4. Somno indies aliquid detrahendo: 5. ab alimentis oleoſis & pinguibus in totum abſtinendo; ſic enim paulatim non tantùm pinguedinem ſuperfluam conſumi, ſed ejuſdem augmentum novum impediri promittit.

Carteſianos

§. 18. *Carteſiani* ad imminuendam *Corpulentiam nimiam*, primam adhibent curam, ut ſuperfluum non modò, ſed conſuetum etiam partibus detrahatur nutrimentum. Hoc verò cùm chylus ſit optimè elaboratus, & hic ex cibo & potu facilis concoctionis & probi ſucci perficiatur, abſtinentiam & jejunia non parum facere ad nutrimenti imminutionem aſſerunt, ſiquidem in abſumpti locum paucum ſubminiſtretur. Si verò detractio hæc alimentorum nondum ſufficiat pro liberatione machinæ humanæ vivæ ab onere tam gravi, agilitati membrorum ejus magno exiſtente obſtaculo, etiam pinguiores ſuccos partibus firmiùs adhærentes & craſſitiem augentes, abſumere tentant, attenuando videlicet eoſdem, & à quiete ad motum reducendo, ut particulæ oblongulæ lubricitate ſua per tubulos & poros evadant, ramoſiores & molles indureſcant & frangantur, paxillares verò, acutæ & cuſpidatæ augeantur & in priores dominium adipiſcantur, quibus fermenta propria partium è benigno in ſtatum deducantur acriorem & acidiorem, ſicque per arteriolas advectum liquorem chyloſum magis fundant, præcipitent, & potiſſimùm in glandulis lymphæ productionem adaugeant, qua poſtmodum faciliùs per poros cutaneos evaporetur, vel ad renes & ureteres delata copioſè eliminetur. Huic ſcopo maximè accommodatas eſſe credunt anxias curas & labores, quibus liquor nervoſus ſive ſpiritus abſumantur, quibus reſtaurandis dum major ſucci chyloſi pars maſſæ ſanguineæ ſit impendendus, ut ex eadem ſufficiens hauriri poſſit eorum penu, & circulatio liquorum valde ſic reddatur concitatior, materia nutrimentorum abſumitur, & elaboratio novi chyli non ità ob ſpirituum defectum peragitur, ſed à ſucco pancreatico non parum eidem communicatur acidi, ad nutritionem augendam ſatis inepti. Itinera quoque longiora per vectiones, & potiſſimùm navigia inſtituta imminutioni huic molis corporeæ admodum credunt proficua, magis verò ſi cibo & potui conſueta ſimul detrahatur copia, ità enim per ſucceſſiones in rhedis aut curribus ſuccos corporis non modò agitari, fundi, & lymphæ fluxum ad ureteres promoveri, aut ratione vaporum ex aqua abſcendentium, & inſpiratione aſſumptorum, ſuccos acidos in corpore augeri putant & portionem non paucam ſucci nutritii abſumi, ſed in abſumpti locum parum reſtitui, ut particulæ pinguiores in partium nutrimentum facilè abire debeant. Promptius verò id peragi putant, ſi medicamenta unà aſſumantur ramoſas particulas frangentia, & unà cum teretibus magna copia ad renes & ureteres pellentia, ut per urinam excernantur, & proptereà hoc in caſu acidulas approbant, aliaque remedia particulis conſtantia acutis, aſſimilationem ſucci inhibentia, qualia ſunt nitroſa, vitriolacea, arcanum duplicatum, tartarus nitratus, vitriolum Martis, nitrum crudum, fixum, lapis prunelle, quibus omnibus diureſis augetur, cujus gratia lixivioſa etiam copioſiùs propinant, quibus ſucci chyloſi & glutinoſiores inciduntur, reſolvuntur & attenuantur, ut in lympham citò faceſſant & per veſicam evacuentur. Non ſufficiente diureſi, etiam ſalivationem excitant, qua chylus reſolvitur non minus ſub ſpecie ſalivæ aquoſioris copioſè excernitur,

eam-

eamque mercurialibus facilè excitant. Pro majori tandem resolutione & attenuatione succorum alibilium frequentiùs instituunt sudationes, quibus simul pori cutanei aperiuntur, ut succi resoluti via breuissima evaporentur, ideoque decocta & essentias lignorum, quæ simul validè exsiccant, assiduo habent in usu. Sed non priùs hujusmodi sudorifera volunt exhibenda, quàm post peractam diuresin, cùm aliàs succi glutinosiores tam facilè nequeant resolvi & attenuari, ut exhibito sudorifero statim eliminentur, & hinc corpulentiores difficulter sudare asserunt, si absque ulla resolutione tam cito ad sudorem cogantur. Resolutis autem succis & attenuatis, simulque poris cutaneis apertis, exhalationem eorum sponte etiam subsequi, per insensibilem transpirationem confidunt. Purgantia in hoc potiùs morbo, quàm in ullo alio, concedi posse annuunt, cùm glandulas intestinales fortiùs irritent, ut lympham contentam effundant, qua emissa, alia ex vicinioribus assiduò affluit, simulque succus chylosus in ipsis intestinis hærens à lympha hac glandulari acriori reddita cum scybalis durioribus eliminetur, antequam per vasa lactea ad commune devehatur receptaculum. Per amara quoque diutiùs usurpata pinguedinem simul absumi, & prohiberi credunt, ne nova tam facilè colligatur, quibus si salsa adjungantur, scopum hunc citiùs attingi referunt, quapropter, cum essentia absinthii, vel centaurii minoris, vel corticum aurantiorum, vel tinctura myrrhæ spiritum salis, vel clyssum mineralem commiscent, & quotidie fermè ad scrupulum unum vel drachmam dimidiam propinant. In morbo demum contumaciori etiam millepedes & cantharides in usum ducere cum aliis, consuescunt.

Nostra ratio curandi Corpulentiam nimiã.

§. 19. Præmissis his curationem *nostram* aggredimur, initio facto, secundum triplicem methodi medendi indicationem: à *Curatoria* malum ipsum respiciente exordientes, & cùm contrariis contraria curentur, ut impedimentum & periculum sanitatis ac vitæ, quod sæpè ex Corpulentia nimia impendet, auferatur, eò incumbendum est, ne nimium generetur nutrimentum, vel genitum & superfluum per consuetas vias eliminetur, ut & tubuli seu fibræ, tanquam solidæ partes nimis laxæ & extensæ, aliquomodo constringantur, & quasi exsiccentur, ut ità contractiores fiant, & ob poros interceptos angustosque nutrimentum excludant. Alimenti copia ut impediatur necesse est, minuendo assumendorum quantitatem, & emendando eorum qualitatem, ne adeò sint temperata, alterando sub digestione chylum, ne adeò insigniter nutritivus, sed potiùs sudoriferus ac diureticus generetur, reddendo massam sanguineam ex dulcescente acrem, asperam & salinam, sic enim citiùs eliminari potest. Genitus enim succus nutritius seu assimilatus attenuatur, resolvitur sive liquescit sive evacuatur ex corpore, sive per alvũ, sive urinam, sive sudorem, sive salivam, sive insensibilem transpirationem. Abundantia enim succorum seu copia uber, redundantia sine tumore vasorum & morte existere nequit, quare hanc expungere oportet, cùm ejusmodi tumor, & quæ inde consequeretur vasorum ruptio non appareat. Quid quod succorum indies consumptio tanta sit in transpiratione, sudore, alvi ac urinæ ejectione, ut nulla videatur fames, digestio nulla, nulla denique tam magna ingurgitatio cibi potusque incidere posse, quæ abundantiam vel minimam, taceo eam, quæ per dies aliquot aut menses totumque morbi cursum perseveraret, efficiendo induceret. Addemus ex pleniore victu aut crapula copiam humorũ gigni, quamdiu erit? Sanè vix uno vel altero die, & levis inedia eam prorsus dissipabit. Quin imò si copia succorum peccaret, una venæsectione purgationeque, vel una quæ copiosè evacuat, morbus protinus tolleretur, cujus tamen rei nullum est inter observationes exemplum, nullum ab omni memoria repertum. Verùm opponunt adversarii, supprimi evacuationes, hinc colligi in vasis humores, sed quæ nam supprimuntur? an transpiratio? Sanè ea non potest sisti absque vitæ extinctione; Jam Urina ubi sistitur? in una Ischuria sæpe lethali. Alvus fateor, sæpe constringitur, verùm quæ hinc evacuantur, nullo numero sunt. At ne quis dubio locus sit, statera dirimit omnem litem, ad pondus enim librati qui in morbum incidunt, suntne ponderosiores, quàm erant dum erant sani? Nequaquam, sed leviores reperiuntur, & hoc magis, quo diutiùs ægrotant. Itaque humores abundantes aut nullum habeant pondus, aut nulla sit abundantia, necessum sit. Certum ergò est nostra experiẽtia, de 8. libris assumptorum tandem duas in nutritionem nostram converti, reliquas verò, & quidem potissimùm per insensibilem transpirationem ac reliquas vias excerni: quia consumptio per cutem, renes & alvum non desinit, aut si alvi intermittit, rarò lotium, nunquam verò transpiratio supprimitur. Quid quod si ad ea attenderis, quæ agunt ægri, antequam conqueruntur, comperies ita plerumque eos se componere, ut plus cõsumant, quàm instaurent, etsi quotidie bibant & vorent, uti deinde clarè conficiemus. Tandem pondus ad stateram dubitare nos nequaquam sinit, quia ex victu pleniore vel crapula plurium dierum, imò mensium aut annorum nemo fit ponderosior, omnes verò plus minus leviores. Notum est lippis & tonsoribus, quòd corpulentia maximè tollatur sub febribus ardentibus, item in Scorbutica salina atrophia, ubi omnes succi corporis sũt acres ac salini, à calore exedente præsertim febrili liquescere contenta quælibet, & attenuari magis, oleosæ plus minus cum sint texturæ, nõ secus ac ipsa pinguedo, nemo facilè inficias ibit. Ad Corpulentiam abigendam ergò proficua erunt quæcumque acriora assumpta medicamentosa, ut aromatica, salina, ac acida, acredo omnis est vel acida, vel salsa. Diuretica etiam optima sunt, per urinas enim quosdam omnem suam Corpulentiam exuisse, *Helmontius Tr. jus duumvirat.* §. 59. jam dudum agnovit, & id confirmat diabetes, qua correpti emaciari solent: hinc ex pinguedinis aut roris chylosi liquefacti cum salibus urinariis misti mutua temperatura, & in dulcedinem vergente textura vrinæ diabeticorum miram dulcedinem derivandam vult *B. Ettmullerus*.

Diaphoretica positiva sic dicta corpulentos emaciant, hinc illi, qui diæta lignorum sudorifera utũtur, extenuantur, ut & illi, qui vehementibus laboribus vel exercitiis corporis sudorem exulando crassiorem exuũt habitum, ut & ægrotantes, qui valdè sudant, macres fiunt. Purgantia vehementiora & acriora maximè corpora attenuant emaciantque, ceu videre est in illis, qui vel diarrhœa & dysenteria diutius laborant. Per ptyalismum corpora etiam insigniter emaciari testatur lues Venerea, per Mercurialia crebra salivatione curata, præter summam enim Mercurii per quosvis poros meatusque penetrantiam, acerrimum eius Sulphur externum penitus destruere potest & superare Sulphur animale coagulativũ nutrimenti, seu ab ejusdem acrimonia adeò mutari concretum coagulati alimenti mollioris pinguedinis & carnis, ut coagulatore destructo concretum resolvatur in liquaminis viscosi consistentiam, hinc per convenientia cribra transcolandum & excernendum. Ad alterandam ergo Massam sanguineam, eãque attenuandam, ac resolvendam, laticem serosum, ejusque contentam gelatinam chylosam fundendam ac evacuandam, & sic Corpulentiam nimiam imminuendam, diximus convenire Purgantia, inter quæ tamen delectus instituendus, ne acriora exhibendo magis lædamus, & pro attenuatione corporis mortem acceleremus obesis; hinc rejicimus helleborina, scammoniata, colocynthiaca, elateria, ac ejusmodi venena potius quàm medicamenta, quomodo verò hęc corpori nostro nocere possint, vide *Epistolam nostram secundam ad Celeberrimum Dn. Vvaldschmidium datam*. Blandiora tamen aloetica, quæ vim exsiccandi habent, ut sunt pilul. Francofurtens. aloephang. Classian. &c. in hunc finem concedi possunt cum myrrha mista, quę uti alia amara detersiva quasi sua amaritie succos attenuare & dissolvere simul, bilem acuere & sic acriorem & amariorem chylum reddere queunt, quo major enim bilis acrimonia, eò nutritio minor est, hinc biliosi rarò sunt corpulenti, & pilulæ aloeticæ quęcumque, item ex aloeticis parata Elixiria, Extracta, nec non ex Rhabarbaro, aloe & agarico parata insigne hic præstabunt commodum, unde nemo mirari debet, quòd pilulas ex amaris

paratas

paratas ad ℈ß singulis matutinis sumendas adeò suadeat *Platerus Prax. T. 3. p. 51.* quę sequentes sunt.

℞. *Rad. aristoloch.*
Gentian. aa. ʒ j.
Rub.
Sumit. cent. min. aa. ʒ ß.
Aluminis crud. ℈ j. *c. succo*
Polypod. f. Massa.

Inter *Diuretica* aliis præferimus tartarea & nitrosa, hinc conducit Tinctura Nephritica *Moebii*, & nostra ad Calculum ex Tartaro & nitro confecta, ut & arcanum duplicatum, quod sequenti modo parari potest.

℞. *Capit. mort. ex destill. aquæ fort.* q.pl.
cum aqua extrahe sal. Vel

℞. *Sal.* Nitri part. iij. vel iv.
Vitrioli Hungar. p. j.
Funde in Crucibulo & injice fl. Sulphuris ad depurat. tunc refrigeretur, aqua solvatur, filtretur, & inspissetur. Vel

℞. *Vitrioli in aqua solut.* q. p.
Sal. Tartari, vel. sal. Nitri fix. in aqua resol. q. s. ad punctum saturationis, filtra & evapora.

Sic etiam contra Obesitatem sequens diureticum egregium est.

℞. *Sal. volat. sucini* part. ij.
Lapid. prunell. p. ij.
Sal. nttri fix. p. ß.
M. dosis à gr. x. ad xx. Vel

℞. *Sal. Nitri* ℥ ij. *fluant,*
add. Sulphuris ʒ ß. *deflagret,*
adde Sal Armoniaci ℈ j. *deflagret.*

Acetum etiam siccum *Billichio* sic dictum commendatur à pluribus, nempè Tartarum seu sal istud enixum, ex acido vini & fęcibus ejus alcalinis oleosis solutis enatum, quod potenter absumit pinguedinē. Alii commendant instar panaceæ contra Corpulentiam nimiam pulverem ex Tartari depurat. & cymarum seu julorum Coryli verno tempore excrescentium æquali portione paratum, mane & vesperi sub introitum lecti quantum cuspis cultri capit, aceto priùs irroratum assumendum. *Forestus* sequente pulvere aurifabrum se curasse narrat.

℞. *Tartari* ʒ ij.
Cinamom. ʒ iij.
Zinzib. ʒ j.
Sacch. albiss. ℥ iv. *M.*

Terra foliata Tartari elegans est remedium, post quod vel primum locum sibi vendicant Vitriolata, sic oleum Vitrioli super Sulphur Antimonii effusum, indeque per retortam destillatum egregium est, cujus destillati guttę 8. vel 9. in aqua rosarum assumptæ & sæpiùs reiteratæ cujusdam viri obesitatem, qui 4. ulnarum circumferentiam habuit, in tantùm diminuit, ut 5. ulnæ quadrantum macrior redditus fuerit, curatam notavit sæpius laudatus *Ettmullerus*. Acidulæ quoque Martiales, vitriolaceæ, nitrosæ maximè conducunt in obesis, quia per urinam & sudorem eliminant chyli portiunculas, ceu patet exemplo casus *primi lib. 6. Dn. d. GuldenKlee.* Nec Thermæ exsiccantes potæ & pro balneo adhibitæ inutiles erunt, imprimis Embsenses & Carolinæ, quæ hodie magno in usu sunt, extrinsecus enim admotæ stringunt & corrugant plus solito relaxatas fibras, arctantque & angustant partium tubulos, quo ipso copiosioris nutrimēti receptio necessariò impeditur. Ex regno vegetabili præ aliis commendamus potum Theæ, qui omnibus indicationibus satisfacit, alvum enim solicitat, urinam & sudorem movet; maximè enim est nitrosus, nostraque experientia constat, hoc potu, addito simul semine fraxini, quendam ad duas ulnas in circumferentia fuisse macilentiorem inde ad dimidiam ulnam redditum. Sic etiam succus betulæ, semen urticæ cum melle mixtum, item Terebinthina cum saccharo, gummi Juniperini, vel pilulæ ejus Mynsichti ceu insigniter diuretica & detersiva contra obesitatem maximè laudantur, Tincturam Diureticam sequentem tanquam experientia sæpius hoc in casu utilem repertam commendamus junioribus Medicis.

℞. *Milleped. ppt.*
Apum ppt.
Cicad. ppt. aa. M. ß.
Cantharid. P. ij.

M.F. Pulvis, & Tinctura cum liquore Sal vini Nitri fixi hinc cum spiritu extrahatur. Detur à guttis x. ad xv.

Inter Sudorifera commendamus varia ex lignis parata, quæ attenuando Massam sanguineam, ejus circulationem rapidiorem reddunt, unde superfluum alimentum, seu succus nutritius sensim liquefactus, lymphæque denuo imbibitus, sensim per poros corporis excernitur: hinc præter decocta delicatioribus sequentem præscribimus Essentiam lignorum ad xxx. guttas sæpius exhibendam:

℞. *Lign. sanct.* ℔ ß.
Cort. ejusd. ℥ iij.
Sassafras ℥ v.
Sarsaparill.
Lign. buxi & pini aa. ℥ i ß.
Santal. rubr. & citr. aa. ℥ i.
Lign. rhod. & nephrit. aa. ℥ ß.
Bacc. Iuniper. ʒ vj.

Affund. liq. Nitri fixi q. s. f. Tinctura longiore digestione, quæ rursus spiritu vini rectif. extrahatur.

Spiritus verò sequens Catarrhalis noster egregias possidet vires in Corpulentia nimia abigenda.

℞. *Spir. C. C. volat. opt.* ℥ vij.
Oliban.
Mastich.
Myrrh. aa. ʒ iij.
post 24. horarum infusionem destill.
Dosis est à guttis 20. ad 60.

Sequens pulvis *Ferdinandi* Imperatoris contra *Obesitatem* à pluribus magni æstimatur.

℞. *Pulv. Sarsaparilli* ℥ j.
Coriandr.
Anis.
Cinamom.
Caryophyll. aa. ʒ ij.
Calam. arom. ʒ j.
Tartari ℥ ß.
Sacchar. alb. q. s. f. Pulv.

Salia volatilia more recepto in mensa accipi possunt, imprimis Sal C. C. volat. vel succin. quod est optimum sudoriferum & potens Diureticum. Ex Antimonialibus sequentia egregia sunt, cùm per sudorem & urinam opem ferant. Tinctura Antimonii Tartarisata optima est, hæc tamen juxta præparationes variat, omnes quidem continent Sulphur. sed minùs vel minùs fixum, hinc quoque Tinctura vel cathartica vel diaphoretica, vel diuretica, & temperans paratur; sequens verò hic optime conveniet *Tinctura Antimonii alcalina* dicta.

℞. *Antimonii crud. pulv. q. s.*
Liq. Nitri fixi q. s. ad eminent. 8. digitorum transversorum, diu digere. Tincturam decanta & elice cum spiritu vini rectificato. Vel

℞. *Antimonii crud. q. v.*
Irrora spir. Vrinæ vel Sale volatili liquido, & admoto igne excrescet Sulphur, quod collige & extrahe cum spiritu vini rectificato.

Vel sequens Tinctura Antimonii Regulina.

℞. *Reg. Antimonii part. j.*
Nitri part. iv.
Redigantur in pulverem, qui detonetur, hinc cum spiritu vini rectif. f. Tinct. Sic etiam ex Antim. crud. part. j. & Nitri part. iv. pulverisat. & detonat. cum spir. vini rectif. paratur Tinct. elegans.

Pulveres viperini tam simplices quàm compositi non minùs conducent, hinc novimus Medicum quendam Empiricum illas pro universali remedio venditatem & modo in forma Electuarij, modò in formâ pulveris exhibentem, imprimis pro magno arcano æstimantem: Electuariū in omnibus morbis conducibile quod paratur ex confectione alkermes, paucis guttis spiritu Vitrioli, Specif. Cephal. & pulvere viperino, sed ut audio fama ipsius cum pulvere exspiravit, & in auram avolavit cum promissis suis magnis & audacibus.

Quod attinet reliquas Chirurgicas Operationes in Obe-

Obesitate nimia, abdominis scilicet incisionem, pro imminuenda & tollenda, seu extrahenda pinguedine, cujus mentionem facit *Plinius l.* 11. *c.* 37. dum inquit: *L. Apronii Consularis viri filio detractos adipes, levatumque nec corpus immobile onere*: eam tanquam impossibilem & periculosissimam, nec unquam institutam, rejicimus: venæsectio verò ad imminuendum chylum, & sic emaciandum hominem per vices institui potest. Sic & fonticuli & setacea hoc in affectu haud proscribenda, sed potius in usum vocanda sunt; hæc enim promiscuè quicquid inveniunt humoris alluentis colliquescere faciunt, & ita etiam successivè succum nutritium in forma liquaminis purulenti exhauriunt. Fames verò & labores cum animi passionibus frequentibus, imprimis merore, terrore, &c. egregia remedia sunt ad obesos ac corpulentos reddendos macilentiores. Tabacus etiam facit ad imminuendum corpus. Omnia amara, Salia volatilia, Sal volat. viperar. Essent. absynth. C. pilulæ de sandaracha *Myns.* aliis palmam præripiunt, ut & Zinziber in India conditum, aliaque aromatica in India solennia, quę ibidem inter potum Theę maxima in quantitate assumuntur, hinc Indi sunt ferè omnes macris texturæ.

CAPUT II.

De Inflammatione, Abscessu & Sinu.

§. I. SUccorum in corpore nostro existentium motus inordinatus, aut varia ejusdem tardatio, non tantùm visceribus gravia importat mala, sed externis etiam artubus. Quando enim contingit, ut hac vel illa in parte membrorum ob stagnationem sanguis cũ reliquis liquoribus diutiùs, quàm par est, subsistant, in tantum diversarum in iisdem commorantium particularum motus intestinus augetur, in quantum progressivus imminuitur, non sine noxa partis illius, cui stagnatio ista obvenit, insigni, quippe poris ità à particulis crassioribus obstructis, ut globulis cęlestibus transitus denegetur, igneæ particulæ subtilissimæ tanto partes contentas cum continentibus percellunt furore, ut magnum aliquando suscitetur incendium, quod consueto nomine *Inflammationis* Medici indigitant.

Inflammatio. Phlegmone. Phlogosis.

Est autem *Inflammatio* partium externarum, affectus, qui quotidie in praxi occurrit, & Græco nomine *Phlegmone* exprimitur, interdum etiam *Phlogosis* nominatur, quando scilicet immoderatus accidit calor in partibus præsertim superioribus, & speciatim in facie, sed saltem momentaneus, absque tumore, qualis scorbuticis frequens est, de quo affectu superiùs abundè egimus in capite de Morbis Faciei; strictè verò denotat tumorem in partibus utplurimùm carnosis, cum rubore & dolore, à stagnatione sanguinis & reliquorum succorum in tubulis suis vel ex iis, vel extra eos in alienis evasatorum, & sic ordinem in motu turbantium productum. Aliter etiam describi potest, quod sit partis cujusdam tumor extraordinarius, à sanguine aliisque succis in ea stagnantibus & ebullientibus obortus. Vel dici potest rubedo partis alicujus inordinata. Exacta definitione ad leges Logicæ non opus est Chirurgos ad curandum ægrum, cùm Scholasticis istis tempus inutiliter tantùm teratur. Varia nomina ulteriùs & quidem pro ratione loci, in quo hæret, aliorumque accidentium imposita fuere à veteribus. Voluere etenim Græculi posteriores & illi, qui in scholarum pulvere consenuerunt, quum rerum scientia veteres superare non possent, magna verborum strue, quibus umbraticam δεινοσοφίαν ostentabant, luxuriare, & per vocabulorum myriades sæpius rem obscurare, non enim res, sed nomina sæpissime absque necessitate multiplicarunt. Dividitur in partium internarum & externarum inflammationem, illa plerumque est erysipelacea & malignis febribus aliisque communis. Veteres quoque distinxerunt in legitimam, quæ à sanguine puro, copia tantùm peccante, oritur; & spuriam, quæ à sanguine heterogeneo, vel bilioso, vel seroso crudo provenit, qua tamen distinctione non opus est, quia constat, sanguinem non solum, sed una cum aliis humoribus, quibus permixtus est, evasari.

Abscessus.

Abactis per diuturniorem succorum stagnationem particulis eorum subtilibus, spiritibus nempe & salibus volatilibus, crassiores arctiùs junctæ miscelam exhibent, quæ partem, in qua hæret, distendendo *Abscessum* producit: & quamvis vocabulum hoc satis generale sit, omnem tumorem humoralem denotans, cujus causa in aliqua membri cavitate ab humore extraordinariè collecto parata, asservatur; specialiùs tamen & κατ' ἐξοχὴν illud Abscessus genus hoc loco indigitat, cujus materia purulenta est. Dicitur & *Apostema*. *Abscessus* enim est à verbo abscedere, unde partes anteà unitas abscedere indicat, quæ in saniem abeunt. Describi potest *Abscessus*, quod sit Tumor in quo pus vel aliud extraordinarium latet, & cum sanie permixtum, ex abscedentibus fibrillis laceratisque vasis. Sicque *Abscessus* est purulentæ materiæ ex humore stagnante Tumorem excitante, in partis alicujus cavitate collecto.

Vocabulum *Abscessus* latiùs etiam sumitur, & denotat continuitatis vel contiguitatis solutionem, quæ fieri solet in Crisi imperfecta sic dicta à materia morbifica ad aliam partem vergente, collecta. *Abscessus* verò nostro sensu denotat, ceu diximus, Tumorem, cujus materia collecta chylosa ob acidum latens & stagnatione elicitum in pus aut in saniem abit. Distinctio inter Abscessus est, quod alii sint *sine*, alii *cum folliculo*; sunt enim hujusmodi tumores in quodam folliculo & membrana inclusi, quorum materia vel speciem pultis, ut in *Atheromate*, vel mellis, ut in *Meliceride*, vel sevi, ut in *Steatomate* præsefert, de quibus particulari Capite inferiùs agemus. Nonnunquam etiam in Abscessibus reperiuntur pili, ceu exemplum Curiosis in *Ephem. German.* communicavimus, item carbones, testæ, item plus centum lapilli excreti, officula, amurcæ, lutum, lapides, chartæ, vermes, araneæ, lacertæ, ranæ, bufones, &c. de quibus omnibus videri possunt *Ephemerides nostræ Curiosæ, & quidem ipsarum Annus* 4. & 5. *Obs.* 189. Quin non tantùm superiùs dicta, sed insignis variorum humorum varietas in apertis abscessibus interdum observatur, quorum alius amurcam, alius vini fęces, alius aliud quid refert cum deterrimo sæpe fętore. *Abscessus* etiam duriores inficit partes, hinc *Abscessum* ossis observavit *Bartholinus Act. Haffn. Volum.* 5. *Obs.* 8.

Sinus.

Sinus nihil aliud est Chirurgis, quàm *Abscessus exulceratus, inveteratus*, quando nimirũ in medio carnosarum partium tumor ut plurimùm chylosus cum sanguinis effluxu stagnat, & acrimonia salina sibi exitum quęrit, & simul fibrosas partes in liquamen putridum abire facit. *Sinus* est ergò cavitas in carne, producta à pure in quadam parte diutius stagnante, cujus orificium strictius est, interior verò illius cavitas amplior & latior existit; & in quo cutis adjacens carni subjectæ non coalescit. Differt hic affectus à Fistula, partim flexuositate, partim callositate, quæ in *Sinu* haud occurrunt, hinc & aliis dicitur *Ulcus Sinuosum*; & reverà nihil aliud est quàm Ulcus, & non opus fuisset distinctionem hanc, me judice, in forum Chirurgicum introducere. Inflammationis status est talis, in quo pori partium solidarum ita occluduntur, ut materiæ subtilis sensibiliter acceleretur transfluxus, cum dolore tensivo, pungente vel scindente, rubore partium, aliquando cum, aliquando sine febri.

Pars affecta.

§. 2. Omnes ferè *Partes* hi affectus occupant, præprimis verò musculosas; Musculi verò ex arteriis, venis, fibris tendinosis & nervosis constant. Primò tunicæ illorum externam superficiem pervagantur, illumque pertundunt. Penetrata illa, statim in subtilissimos ramos distribuuntur, qui fibris tendinosis inosculantur. Nervi aliquoties tendines subintrant, & interdum musculosum ventrem. Postquam in quamcumque ingressi fuerint partem, percipiuntur semper fines ramorum ipsorum fibras tendinosas attingere. Hæ omnes fibræ tendinosæ cavitatem habent, illas siphonis instar percurrentem. Musculi omnes subtilissima obducuntur membrana, adeò ut tria partium genera compositionem Musculorum ingrediantur: 1. Copiosæ venæ

& arteriæ in iis apparent: 2. nervi,& 3. tandem fibrillæ, quæ nec sunt arteriæ, nec venæ, nec nervi, sed fila quedam oblonga, tenuissima & tamen robustissima. Modus, quo fibrillæ istæ in musculis sunt dispositæ, quidpiam continet notatu dignissimum. Statim enim in unum coactæ occurrunt,& tum temporis funiculum exhibent, deinde à se invicem desciscunt & inter se varios arteriarum & venarum ramos recipiunt: Denique in unum coalescunt, & funiculum rursus conficiunt. Prior & posterior funiculi tendines, sive caput & cauda musculorum vocatur. Pars illa, quę inter caput & caudam jacet, & in qua fibræ tendinum à se invicem disjunguntur, & ubi inter se arterias & venas admittunt, Venter Musculi dicitur. Inter fibras has membranaceas & tendinosas oriuntur utplurimùm *Inflammationes*, *Abscessus*, & *Sinus*, quæ & sæpe ipsas glandulas tum conglobatas, tum conglomeratas, imò nonnunquam interiora occupant viscera quæcumque, de quibus tamen hic non tractabimus, cum in capitibus specialioribus satis jam fuerint explicata; hìc verò de affectibus externarum partium sumus dicturi. Ubicunque his in partibus dantur interstitia, in quibus sanguini extra vasa aliquid peregrini confundi potest, & sic necessariò stagnat, ibi etiam *Inflammatio* locum habet: frequenter tamen est in partibus membranaceis. Hinc pro loci varietate Veteres peculiare nomen imposuere, & aliquot *Inflammationum* nomenclaturas recensebimus. Ubi igitur Inflammatio adnatam oculorum tunicam defœdarat, *Ophthalmiam*, si palpebræ cilium, *Epiphoram*, si solùm oculi interiorem versùs nasi radicem angulum, *Ægilopa*, & hinc exortam exesionem, Sinum & *Rhyadem* nuncuparunt: in auribus ὀταλγίαν, in glandulis ponè aures, *Parotida*, in gingivis *Parulidem*, in faucibus *Anginam*, &c. Si in externa cute apparet renitens cum pulsatione dolorifica tumor, Inflammatio & Phlegmone ἁπλῶς vocatur; quæ si mitior, *Oedematodes* dicitur; cui si ardor jungitur, & dolor & rubor latè se extendat, *Erysipelas* est, cui si ardor est intensus & per vices, *Phlogosis* seu *ignis sacer* erit. Externarum & Inflammationum nomina iterū subdividunt, & his ipsis nova conducunt nomina, sępiùs etiam barbara, quibus eas insigniunt, magna calliditate verborum strophis sibi eruditionis famam captantes; hinc in glandulis emergens Inflammatio *Phygetblon* seu *Panus*, *Phyma*, *Bubo*, *Anthrax* seu *Carbunculus* vocatur; subtus cutem Ecchymosis est; sub Unguibus *Paronychia* seu *Reduvia*, in Pede *Pernio*. Huc refer Furunculos, Epinyctides, Herpetes, Pustulas omnes, Scabiem, ejusque species, Achores, Tineam & omne Vlcerum ac Apostematum genus, Steatoma, Atheroma, Meliceridem, nec non Gangrænam & Sphacelum, quæ cuncta non tam reapse, quàm loco, gradu, nomine, colore & similibus accidentibus differunt, & nihil aliud sunt, quàm *Inflamındtio*, ejusque effecta. Si quis verò Nobis objiciat, Nos ipsos methodum hanc tam strictè non esse secutos, is sciat, juniorum Medicorum captui nos accommodasse, ut de quacumque parte morbis occupata latiùs & accuratiùs disseruerimus, & quòd medicamenta interdum pro loci varietate fuerint varianda, hac de causa placuit *Veterum* insistere ordini, ut à quolibet omnia ritè intelligantur.

[Diag]nosis [Infl]amma[tioni]s.

§. 3. Ut in cognitionem morborum præsentium ritè perveniamus, ad *Signa Diagnostica* animum sedulò advertamus. Id quod Inflammationem dicimus, est accidens partis alicujus, in qua observatur tumor, calor & rubor, cum pulsatione & dolore. Tumor oritur, si in loco aliquo in tubulis angustioribus succus quidam stagnat, & inde canaliculi obstruuntur & liber succis denegatur transitus, unde quidam tubuli tandiù distenduntur, donec rumpantur & sic succum intus contentum effundant, qui succus stagnans tumorem & tensionem efficit. Et quoniam ubivis, ceu sæpiùs dictum; arteriæ & venæ in partibus musculosis exstant, quæ tunc per evasatum succum in loco, ubi pars intumescit, copiosiùs expressum maximè comprimuntur, arteriarum inde oritur pulsatio, quæ aliàs arteriis existentibus liberis tam vehemens non percipitur: Similiter cùm sanguis quasi vi transeat & circuletur, hinc necessariò calor intensior oriri debet, qui non adesset, si sanguini ac reliquis succis liber concederetur transitus. Adhæc à pressione ista sanguinis violenta per angustiores & exteriùs coarctatas arterias & venas, non tantùm oritur pulsatio & calor, sed etiam dolor, dum scilicet membranæ & fibrillę tendinosæ violentia quasi premuntur, & tenduntur, imò sæpè planè dirumpuntur, hinc dolor diutiùs abesse nequit, particulæ enim acriores spiculis suis partes membranaceas velicant, quæ fibrillis nerveis impactæ eas vehementiùs vibrando concutiunt, quod dum ad nervorum principia usque continuatur, sensorium commune eo, utinconsueto, vehementiùs movetur, & cum aversatione tristem sensationem, ruptionis periculum tum minitantem, tum sæpiùs afferentem animam recipit, quam perceptionem ad sensum relatam dolorem vulgò nuncupamus: qui pro ratione partis affectæ, modi afficiendi, sanguinis & particularum concurrentium pungens, rodens, lacerans, lancinans, contundens, gravans, comprimens, distendens, ardens, pulsans in illa parte esse creditur, ex qua vibratio, pressio, & concussio fibrillarum nervearum ad sensorium commune resultat. Magnam Inflammationem etiam febris comitatur, quòd liquores in parte iuflammata alterati, per ductus venosos reliquæ massæ sanguineæ commixti heterogeneum quendam motum in ea sucitent, similique labe inficiant ex qua miscela inordinata febres resultant, sæpè inflammatoriæ dictę. *Inflammattionis* ergò signa sunt, ut breviter comprehendam, calor, dolor, rubor, febris, renitentia & partis pulsatio.

Diagnosis Abscessus.

Abscessus Signa Diagnostica quod spectat, alia fientem, alia factum designant. Fieri illum patet *ex S. 2. apò. 47. Hippocratis*, quòd nimirum calor, dolor atque pulsatio in parte augeatur: facti verò seu puris confecti plures circunstantiæ sunt, sc. primò, si jam dicta accidentia parùm remittant, imò tumor etiam aliquantùm subsideat: dein si duobus digitis se haud contingentibus tumor contrectetur, ita ut unus illorum leviter premat, alter suspensus magis teneatur. Si materia intus contenta sufficienter maturata, seu, ut loquuntur, cocta, ejus fluctuatio & motus quidam, per quem illa de loco in locum propellitur, sub altero & quiescente digito percipitur. Inflammatio etiam ut antè, non adeò est intensa, nec ad rubedinem inclinat, sed subalbet. Tandem in eminentiam fastigiatam & quasi mucronē tumor abit, cujus rei ratio dari potest, quòd cùm partes Apostematis laterales aliquomodo detumescant, & subsideant propter materiam illas hactenus distendentem, nunc verò ad Sinum Apostematis depositam, hęc illum tanquam sui receptaculum distendat, atque elevet ad illam quidem plagam, i. e. partem supernam atque exteriorem, ubi levius est obstaculum. Signa ergo Abscessus sunt vel ipsius fientis vel ejusdem facti. Inflammationem in Abscessum converti denotant dolor & palpitatio in parte cum febre: Ipsum verò factum designant calor imminutus, dolor sedatus, tumor in mucronem elevatus, mollescens & albescens, ac pus sub digito fluctuas, nisi pars sit crassa, vel materia profundè nimis lateat.

Abscessus sępè latent circa partes absque calore, dolore ac rubore progressis, sed cutis cum sana cute colore convenit, hinc plures Chirurgi sunt, qui vel pro Fungoso, vel Emphysematico, vel alio agnoscunt tumore, & os aperire non audent: hinc pus quod sensim ac sensim colligitur plures tubulos, imò & sæpè ligamenta absumit, quare Chirurgos hìc omnes moneo, ut ritè cognoscant priùs humorem, & si ex mollitie ejus pus suspicetur, id propediem facta incisione emittant, ne pars sincera à puris acrimonia lædatur, & tumor evadat incurabilis. Pura enim ejusmodi novimus exempla, hinc non sæpè valet regula illa Chirurgorum: *Quod nulla suppuratio fieri possit absque inflammatione, rubore ac dolore partis.*

Diagnosis Sinus.

Sinus facilè cognoscitur ex Abscessu scilicet exulcerato & inveterato, vel si nulla callositas observetur, ut in Fistula. Si verò latera fuerint callosa ac dura, tunc propriè *Fistula* appellatur, hoc enim solo differunt Fistula & Sinus. Sinus est vel rectus vel obliquus,

magnus vel parvus, cavus vel superficiarius, acclivis aut declivis. Acclivis est, cujus os vergit sursum, fundus deorsum, declivis contrà. Quoties in magnis Abscessibus pus diutiùs stagnat, sive quòd tardiùs aperti, sive negligentiùs mundati fuerunt, mora longiore corrumpitur, vicinasque carnes ac fibras tendinosas exedit, inde ulcus efficitur Sinuosum. Si ulcus uniri non potest, & caro sit spongiosa seu fungosa, si ulcus saniem reddat nigram & oleosam, si linteamina, quæ sicca imponuntur, quoties removentur, graveoleant, hinc Sinum adesse denotant.

Sinum ergò in parte quadam, Abscessu anteà afflicta residere dignoscimus, primò ex eo, quòd orificium, cujus consolidatio inducta fuit, brevi post aperiatur & materiæ ichorosæ ab illo prodeant: 2. ex eo, quòd turunda, quæ statim in angustius orificium inducta fuit, deinde in amplam cavitatem impellatur.

Galenicorum opinio de causa Inflammationis.

§. 4. *Causa* proxima *Inflammationis* existimatur *Galenicis* ipse sanguis, & quidem in exquisita bonus & purus, in spuria verò non ità bonus & purus, sed mixtus cum copia quadam humorum aliorum, unde contingat, quòd interdum lenior sit, interdum acrior, interdum tenuior, interdum crassior, nec moderatus uti in exquisita deprehendatur. Adeò quoque multus ab iis putatur sanguis hic, ut non solùm vasa magna, sed etiam parva distendat, & quæ priùs evidentia non erant, apertè in conspectum veniant, unde cùm nequeat ob copiam contineri, ex vasis roris modo effundatur, & à parvis foraminibus proximarum partium, maximè laxiorum, uti musculosarum & glandulosarum combibatur. Ad causas antecedentes referunt tum partem mittentem validiorem, tum partem recipientem inbecilliorem, quam imbecillitatem vel naturalem esse dicunt, vel adventitiam. Ad priorem referunt substantiæ laxitatem, canalium ad ipsam pertinentium amplitudinem, & situm in loco inferiori. Posteriori attribuunt, quando pars vel nimium dolet, vel nimium calet, unde debilitata ab aliis partibus sanguinem, quamvis non adeò redundantem, ad se alliciat. Dolere partem docent, quando vel vulneratur, contunditur, laxatur, frangitur, distenditur, vel vehementem sentit frigoris vel caloris appulsum; dolorem verò istum cum natura illa, quam ferè in cunctis adorant, depellere conetur, eandem ab aliis partibus ad affectam unà cum sanguine & spiritibus deferri. Tumorem & calorem inflammationem sequi, ob sanguinis statuunt copiam in partem effusam, & in eadem retentam; dolorem ob partis distensionem à sanguinis illa multitudine illatam; pulsum molestum, ob calorem auctum, sanguinis enim copiam in loco angustiore facere, ut arteria partem verberet, & ab eadem reverberetur. Febrem interdum excitari putant, quando calor in parte adeò sit intensus, ut ipsum cor appetat, isque vel solus, unde febris diaria, vel cum putredine, unde febris emergat putrida, quæ putredo vel ob magnitudinem, vel viciniam partis affectæ ipsi cordi communicetur.

Abscessus.

Abscessus in genere considerati causas accusant vel substantiam solidam, vel humorem unum vel alterum ex quatuor, aut omnes simul concretos, ob quæ partes, quæ se contingebant, ab invicem abscedant; in specie tamen hic ipsum pus accusant, quòd distendendo & rodendo majus sibi faciat spatium. Puris verò materiam constituunt sanguinē, efficientem causam ipsum calorem, uti dicunt, præternaturalem, unde frequentiùs sequatur inflammationem, quam tumores alios, quoniam sanguis non modò humidus sit, sed calorem facilè contrahat, quæ duo ad pepasmum istum, sive concoctionem sanguinis in pus, maximè sint necessaria.

Sinus.

Sinum fieri docent à pure acriore, quod nimium rodendo sinuet, & partes profundiùs à se invicē abscedere cogendo majus sibi spatium comparet, hacque ratione particulam ità excoriet, & continentia à subjectis separet, ut distantia inter se pristinum statum haud facilè queant recuperare.

Juxta Paracelsum Causa Inflammationis sive Phlegmones.

§. 5. *Paracelso* ipsa *Inflammatio*, sive *Phlegmone* est apostema quod non tendit ad mortem, nec ad impotentiam membri, minùs ad aliquod aliud accidens. Producuntur autem apostemata ista præter corporis detrimentum orientia, juxta Auctorem hunc, ex aluminibus liquefactis, & ab aliis apostematibus hoc solo differunt, quòd non sint obnoxia morti, nec etiam accidentibus.

Abscessus & Sinus.

Abscessus ac *Sinus* cùm ex sale sanguinis, tùm ex utriusque humorum abundantia oriri statuit, tanquam ex boni superfluo propter excessum in apostema translato, post hujusmodi superabundantis separationem à natura factam, quod cùm collectum est, in corruptionem transire cogitur, per locum, in quo situm habet, quia repletus est ultra suum diametrum.

Ubi jam in sanguine superfluitas orta est, ex qua generantur apostemata communia, si cutis eo loci naturale centri foret ejus emunctorium, transit in apostema, quod aliàs per nasum destillasset. Abscessus hujusmodi maximos dolores & putrefactiones præter infectionem excitat, eò quòd excessus in sua puritate minimè permanere possit: cùm superfluum quodvis putrefactionis sit exordium.

Helmontii cogitata de causa Inflammationis.

§. 6. *Helmontius* spiritum seu Archeum calefacere hominem naturaliter in sanitate existimat, eundemque in febribus æstuare ait, affertque sequens exemplum: Spina querna digito infixa actu & potentialiter frigida mox in digito excitat calorem p. n. Non quidem, quòd calidi humores affluant, quasi per spinam eò convocati, exspectassent spinæ vulnus, & qui aliàs suis sedibus temperati resedissent, siquidē cruor vulneri proximus, primus accurrit, aditumque venienti cruori præripit. Et ipse per se quoque non calet, sed ex gratia vitalis spiritus. Itaque audacter statuit Author, *Inflammationem* & tumorem cum pulsu duro, dolore & calore à solo spiritu causaliter, ab infixa verò spina occasionaliter duntaxat ortum suum habere. Quamobrem calor p. n. auctus in parte quadam indicium est Inflammationis, non verò ipsa Inflammatio, nec illi ideò inter medendū magnopore insudandum esse arguit. Hinc ideò factum esse putat, quòd *Hippocrates* seriò monuerit, calorem & frigus non esse morbos, neque horum causas, sed causas (nimirum occasionales) morborum esse amarum, acre, salsum, ponticum, &c. spiritum verò esse eum, qui impetus omnes, adeòque & Inflammationem faciat. Materialem verò causam admittit cruoris vel alimenti in partem aliquam evasationem.

Abscessus & Sinus.

Abscessus & *Sinus* causam dicit esse sextæ digestionis mucilaginem, quæ adhæret intra venas & arterias, canalesque quoslibet sua primùm qualitate insontem, sed hospitii jus, quatenus indirectè advena est, violantem, unde mox dein ab Archeo parti insito concipiatur desiderium eam expellendi, cujus conceptus idea in exosam mucilaginem imprimatur. Membrum autem non valens subigere hospitem, sibi invito connexum, majore flagrante nisu, appetituque expellendi: qui tandem pertinaciùs connexus sæpe victor vitalem facultatem illius membri in sui clientelam subigat, mortificando nimirum, suoque contagio conformem partem, cui insidet, reddendo. Pars autē cùm sit lassationi, hujusque termino obnoxia; è contra verò character, sive idea seminalis jam concepta, sit indefessa, necesse est, velut convocatis viribus Archei, morbus ille proscribatur per crisin, vel robore morbi spontè exantlato, orbetur vi agēdi, fiantque oppilationes; vel loco victa pellatur, fiatque Abscessus, *Sinusque* itidem & *Abscessus* desperatos contingere ait solius sepe naturæ ductu, quos abscessus etiam per ipsa ossa fieri notavit. Si in Phlegmone cruor vel alimentum solidorum in pus degenerat, Abscessum instare arguit, & apostemata à vitio distributivo, at stabiles eorum dolores ex indignatione Archei esse pronunciat.

Vuillisii opinio de causa Inflammationis.

§. 7. Ex opinione *Vuillisii* sanguinis motus vera est in eo accensa flamma; quæ ab iisdem prorsus causis ac in igne nostro elementari in illo producitur ac fovetur. Sulphureæ siquidem particulæ jam motu à primo principio donatæ, exquisita eventilatione foventes nitrosas ex ambiente aere perpetim & abundanter emanantes apprehendunt, atque ab iis expanduntur & accenduntur. Sanguinis autem incendium sibi semper non est consimile, nec in omnibus subjectis

jectis eandem servat normam. Ast intensior remissiorve advertitur, pro sanguinis principiorum proportione & mensura, eorumque dispositione. In iis enim vividior est flamma, in quibus spiritus & sulphur prævalent, spiracula debita libertate gaudent, nitrosumque pabulum copiosum advehitur. Secus autem accidit illis, quorum sanguis salinus, aquosus ac terrestris existit, paucumque communicatur nitrum, & tenuis fit eventilatio. Si verò sanguinis massa spiritus turgescat, sulphureoque scateat pabulo, copiosiusque nitrum ab aere mutuetur, intenditur ejus accensio & cursus, eòque concitatior & rapidior venit cruor, si quidem effervescens ad angustiora adductus vasa, eorumque tunicas plus nimio distendens, illisque in hærens ob glutinositatem à sale depresso acquisitam, ab ipsis expelli nequit, sed in eorum alveis retinetur. Vasorum etiam pori à validiore illa distensione, humorisque viscidi remora, & arctiores fiunt, & obturantur, quo fit, ut fuligines exitum sibi parare nequeant, & denuò in sanguinem concidant, qui fumo & vapore quasi obrutus vehementiùs ebullit & inflammatur, partique, in qua stagnat, labem suam communicat, & in ea *Inflammationem* inducit. Dispositio autem ista inflammatoria à quamplurimis causis cruoris massæ infertur, quæ cum à sex illis rebus non naturalibus vulgò dictis repeti debeant, ab iis enumerandis, hìc supersedemus.

Abscessus. Furibundus ille atque inflammatorius sanguinis motus sensim imminuitur, tandemque propemodùm extinguitur. Spiritus siquidem indesinenter avolant, parteique sulphureæ perpetua, quam patiuntur, collisione atteruntur, earumque subtiliores evaporantur: difficiliori etiam facta, tum ob poros obstructos, tum ob partis, in qua subsistit viscidus sanguis & coagulatus, repletionem, materię extravasate ventilatione, parcius illi commiscetur pabulum nitrosum, à quo flamma ejus conservetur. Tum temporis autem resurgunt salinę particulæ, quę à crasso viscidoque sulphure exaltato irretiuntur, & diuturna concoctione in pus commutantur, quod summa gaudet acrimonia ob salis evecti aculeos, à sulphure exaltato actuatos. Putridus itaque ille humor fibras partis, in qua cespitat & fluctuat, spiculis suis attingens, eas exedit ac corrodit, nidumque sibi parat, quem mora adauget atque ampliat, *Abscessumq;* producit, è quo aperto prorumpit fæculentus fœtidusque liquor, ingrato utplurimùm odore nares afficiens, crassioribus particulis sulphureis, spirituum consortio destitutis, turmatim impetuoseque à reliqua massa secedentibus, odoratus organum molestè ferientibus.

Sinus. Puris materia virtute mirè corrosiva prędita, si diutiùs in parte sinatur, altiores semper agit cuniculos. Intestino enim quo illa agitur motu in partes circumjacentes perpetuò compellitur. Musculi humori isti circumpositi, continuo spirituum affluxu agitati liquorem premunt, & in laxiorem quandam adjacentem partem portionem ejus aliqualem protrudunt. Pus ergò partes carnosas & membranosas subiens illas exedit & dilacerat, ipsarumque strage alveum sibi cudit Sed quùm tenuiores tantùm puris particulæ huc usque attingere potuerint, aliis ob molem visciditatemque in fovea remanentibus, paucę disperduntur fibrę. Carneę verò sole nō destruuntur; sed nervearum quoq; contingit jactura, è quibus exstillans succus nerveus portioni illi humoris alibilis partibus spermaticis enutriendis destinatę associatus, fibras nerveas efformat, ambitumque cavitatis istius, *Sinus* nomine, à pure factę, tunica quadam semicartilaginea succingit, quę partes carnosas & membranosas ipsi adpositas à liquoris corrodentis acrimonia vindicat.

Sylvii opinio de causa Inflammationis. Abscessus & Sinus. §. 8. *Sylvio* causa *Inflammationis* continens est sanguis vel in vasis suis subsistens & stagans, vel extra eamdem effusus & corruptus, cujus corruptionis exemplum allegat in aqua communi, hęc enim licet sit pura, modò stagnet, aut in vase diutiùs conservetur, putredinem subit; eodem modo illud etiam existimat fieri in corpore nostro, nam sanguis extra vasa sua effusus propter motum ipsi denegatum ibi heret, subsistit, stagnatque, hinc fit, ut spiritus subtiles ac volatiles tum acidas partes, tum salinas temperare soliti avolent, unde tunc acida ac salia in sanguine existentia evadant acriora, quę acriùs in se agunt & paulatim ità corrumpunt, ut in pus mutetur, uti videre est in prępāratione lactis sulphuris, ibi enim sulphur in lixivio forti coctum colorem rubicundum lixivio communicat, huic dum affunditur acetum destillatum, aut quicumque spiritus acidus color rubicundus mutatur in album; hinc *Abscessus* dicitur, quando scil. acidum materia defervescente incipit exsuperare, avolantibus subinde plùs minùs particulis volatilioribus, & accedentibus hinc inde heterogeneis, sanguis enim ità corrumpitur, ut in pus abeat, acidum verò in pure maximè accusat. Stagnat verò, juxta ipsum Auctorem, in vasis suis sanguis, quoties eadem sunt obstructa. Obructio autem illa fit vel ab ipso sanguine propter aerem frigidiorem, ut & ipsa medicamenta acida & austera puta, coagulato, vel à materia aliqua viscida & pituitosa: existimat enim *Sylvius* pituitam à calore solutam unà cum sanguine deferri per totum corpus, imò etiā per vasa minima & capillaria, quod si tum pars aliqua à frigore externo afficiatur, aut aer potusque liberaliori haustu assumatur, tum ab eo humor ille pituitosus ac viscidus anteà à calore motus & attenuatus, adeòque in illius partis vasa minima propulsus, ibi coagulatur, & eò faciliùs, quò vasa sunt minora, qui humor pituitosus à frigore coagulatus in vasis subsistit, & sic obstructionem facit, unde tunc à sanguine continuò accedente vasorum illorum distentio oritur, ubi autē ampliùs distendi nequeunt, tunc tandē rumpuntur, & per consequens sanguis ex vasis suis effunditur, qui tunc effusus corrumpitur & inflammationem facit, nam sanguis juxta ipsum extra vasa sua effusus, in aliqua parte diu herere nequit, quin acquirat acrimoniam propter spiritus abeuntes, iis autem abscentibus, corrumpitur sanguis. Effunditur ex vasis suis sanguis propter eorum apertiones, aperiuntur autem vel per anastomosin, vel per dieresin, vel per diabrosin. Causa ergò obstructionis & consequenter Inflammationis antecedens est ipsa pituita, & presertim viscida abundantiùs in corpore herens, quę ad vasorum sanguineorum ramusculos capillares delata, ibique viscidior reddita aut coagulata, fit ejus causa continens, hinc negata sanguinis circulatione, motuve illius impedito, necesse est, sanguinea vasa ità distendi, ut tandem rumpantur, sanguinisque contentus effundatur, nunc in vicinæ partis substantiam, nunc in musculi alicujus interstitium, qui sanguis effusus partium suarum actione mutua corrumpitur, & juxta Auctorem hunc inflammationem parit: si verò jam sanguis corruptus fuerit, & in pus mutatus, tunc *Abscessus*, & si sinuosos anfractus sibi paret, *Sinus* ipse dicitur.

Cartesianorum sententia de causa Inflammationis. §. 9. *Cartesianorum* ex sententia *Inflammatio* oritur, quando humores arteriosi extra vasa in poros & tubulos partium solidarum effusi, partium istarum poros ita obstruunt, & tam exigua spatiola relinquunt, ut non nisi materia primi elementi per ea transire possit, quæ cùm ignita sit, parti inflammatæ ruborem inducit, cumque fulminis instar celerrimè moveatur, & cum impetu irruat in istos minimos porulos, lancinando fibrillas istarum partium, dolor iste inflammationem comitari solitus inducitur. Liquor etiam chylosus in diductis arteriolarum extremitatibus stagnans, viciniores ductus comprimit, & liquorum in iis contentorum transitum impedit, qui circa extremitates istas copiosiùs collecti, tumorem producunt, abs quo cùm arteriolæ comprimantur, & sanguis per ductus constrictiores fluere cogatur, pulsus quoque augetur. Ex succis istis ob stagnationem diuturniorem motu intestino celeriùs agitatis ipsa febricula quandoquè suscitatur.

Abscessus. *Abscessus* oritur à copiosiore pure intrà partem collecto, quod inde generatur, quòd materia primi elementi tanto cum impetu irruat in fibrillas partium solidarum, in quibus herent inflammationes, ut illæ tandem ex continua expulsatione ista rumpantur, & à reliquis separentur, sicque cum reliquis humoribus ibi stagantibus misceantur, adeòque fiat ibi quasi confusum chaos

chaos omnis generis particularum, quæ ibi quandam formant cavitatem, & hæc mixtura vocatur pus, quod cruentum fit, quando vascula sanguifera etiam per istas partes dispersa ab acredine istius puris eroduntur, ut sanguinem suum in eandem cavitatem effundant varium; coloratur pus, quando ipsi admiscentur particulæ biliosæ, aut flavæ sanguinis hactenus innominatæ, quale ulcus sordidum & malignum vulgò nominatur.

Sinus. *Sinus* oritur à majori fibrillarum à pure acriori devastatione, unde liquores contenti ex tubulis dilaceratis copiosè effunduntur, quorum particulæ volatiliores facile absumuntur, crassiores verò remanentes lateribus fortiùs adhærentes, sibi invicem firmiùs sociantur ob quietem diuturniorem, inter quas spatium relinquitur magnum, & fistula quasi amplior elaboratur.

Nostra sententia de causa Inflammationis. §. 10. Ut præmissæ aliorum de causis sententiæ faciliùs intelligantur, *nostrum* nunc submittemus judicium. Optimè verò *causæ Inflammationis* constituuntur internæ & externæ. Posteriores referuntur vel ad læsiones externas, quales sunt contusiones, fracturæ, puncturæ, &c. vel ad sex illas res vulgari nomine nonnaturales indigitatas, quæ Inflammationem excitare valent, sanguinis particularum ordinis turbationi ansam præbendo, ipsiusque & aliorum succorum stagnationem inferendo. Quando enim pars aliqua contunditur, fibrillæ ipsius comprimuntur, & ad se propiùs accedere coguntur, sanguinis & reliquorum succorum particulæ aliquales è tubulis suis exprimuntur, & in fibrillarum interstitia effunduntur. In valida illa sanguinis expressione, partium ejus situs & dispositio invertitur, alkalicarum enim pori, per quos antea materia ætherea liberè perfluebat, immutantur, fiuntque vel obliqui, vel angustiores in medio, quàm in superficie, aut etiam ab aciculis acidarum, quæ compedibus suis solutæ fuerunt, occupantur. Materia ætherea, quæ partes omnes perpetim præterfluit, viam sibi præclusam reperiens, & à nova à tergo insequenti impulsa, in alcalicarum poros impetu vehementissimo impingit, sed cùm obex sibi oppositus fortior sit, quàm ut primo molimine ipsum tollere possit, ab illo reflectitur, & in sanguinem repellitur, eundem velociori agitat motu, ac in tali perdurat opere, donec sibi liceat recto incedere tramite, seu alkalicis in minutiores particulas perfractis, seu exturbatis acidis ab illorum poris, pristinaque ipsis restituta rectitudine. At cùm Sulphura alkalicis à quibus ante hac soluta, & à se invicem semota conservabantur, sint destituta, & à phlegmate, cui innatant, undique premantur, sibi invicem propiùs accedunt, eorumque rami inter se implicantur, & in grumos facessunt, qui tubulorum orificiis adhærentes illa occludunt, sanguinisque affluentis & materiæ subtilis adventantis cursui obstant. Talis autem subsistit coagulatio, donec alkalica acidis liberata Sulphuribus denuò commisceantur, ipsorumque ramos explicent, & illa ab invicem semoveant: in fracturis & puncturis adest semper vel fibrillarum pressio, quare eadem ratione qua in contusione Inflammationem contingere asserere possumus. Omnes ergo Inflammationes non nisi ab humoribus incrassatis exoriuntur, quæ pro diversa fibrarum ac ductuum angustia, ac humorum crassitie & tenuitate, etiam varia phænomena proveniunt. Hęc si paucis comprehendi debeant verbis, dicendum esset, Inflammationem à causa externa productam aut ab aere, aut contusione, aut puncturis nervorum, ustione, vulneribus, aut fracturis; ab interna verò à mala humorum sive succorum dispositione ac miscela Sic si corpora calefacta, vel à motu nimio, vel ab exercitio violento, subitò refrigerantur, Inflammationes facilè patiuntur; dum enim incalescimus, succi nostri celeriùs per corpus propelluntur, posteà verò refrigescente corpore ac sanguine, succi minus moventur & magis incrassantur, pro ut toto die videmus in aqua à frigore in glaciem mutata. Ex inde sequitur, motum in corpore vel in aliqua parte imminui ex eo, quòd influxus ætheris ei denegatur, intumescentia ergò diminuta, etiam vasa ac pori detumescunt ac præcluduntur. Hinc apparet, sanguinem priùs adeò agitatum ulterius posse fluere, quàm ante calefactionem, nam tempore calefactionis particulæ viscidę ac crassę adeò fluidę redduntur, ut vascula etiam illa minima penetrare possint, postmodum autem sanguine refrigescente, tenaces illi succi se ex canaliculis istis excutere nequeunt, adeò ut obstrui cogantur, nam denegato priori motu magis ad invicem à circumstante aere premuntur. Certum enim est Inflammationem oriri ab exhalatis particulis potissimùm salinis rigidis, porosque obstruentibus paulò inferiùs clariùs explicandis. In Inflammatione tres circumstantię advertendæ sunt, obstructio nimirum in canaliculis ac ductibus minimis, a minori ætheris motu facta, deinde mutationes, quas succi adsciscunt, qui in vasculis obstructi continentur, denique pulsionem ac pressionem sanguinis ac succorum. Omnium Phenomenon Inflammationis facilè causam reddere possumus: Calor enim oritur non duntaxat à motu particularũ nimio Inflammationem facientium, ast potissimum à materiæ subtilis influxu vehementiori: particulæ enim istæ hoc pacto disponuntur, & ad invicem premuntur, ut interstitiis minimis remanentibus ætheri tantùm cœlesti aditus patescat, & globuli ætherei excludantur, cœlesti igitur igne primas tenente, particulæ pellentes ab eodem agitantur, unde calor oritur, omnis enim calor à motu particularum minimarum vario excitatur.

Sic quoque color iste sanguineus Inflammationibus solennis fit non duntaxat à motu ætheris celeriori partes in superficie ita disponente, ut radii ab iis reflectentes nobis repræsentent rubedinem, sed & oritur à sanguine adfluente & præterfluente, obstructio enim ista & stagnatio seu incalescentia istius Inflammationis premit arterias circumcirca pertranseuntes, exinde angustantur, & per consequens sanguis allabens patentes vias non reperiens ibidem magis coacervatur, vascula & membranas extendit, hinc color sanguineus per cutim ipsam apparet; à calore quoque particulę istę sanguineę accenduntur & moventur impetuosiùs, hinc calor iste intenditur. Porrò ob angustationem arteriarum majore in copia colligitur sanguis, quàm per venas reduci potest, hinc oritur intumescentia, seu partis affectæ elevatio, stagnantem autem sanguinem Inflammationem inducere & partem in tumorem elevare quis nescit?

Ob dilatationem & nimiam partis inflammatæ expansionem fibræ nervosæ ferè disrumpuntur, hinc *dolor*, qui ab Anima percipitur, nam dolor nihil aliud est, quàm tristis sensatio, fibræ enim, ceu dictum, ab incalescente materia, vel à sanguine stagnante expanduntur & dilacerantur. Dolor enim solet in principio esse *tensivus*, quia per celeriorem ætheris fluxum partes circumjectæ fortiùs expanduntur, si autem salinæ particulæ in partium poris hærentes, iis per celerrimum ætheris fluxum vel per pressionem insequentem, vel aliam ob causam altius imprimantur, dolor ex *tensivo* abit in *scindentem* vel *pungentem*, pro ratione Salium obstruentium, si enim dolor est *fixus scindens*, potissimum oritur ab acidis scindentibus, vel acido-pungentibus particulis, fibrillasque erodentibus; si verò dolor est vagus, pungens, igneus, signum est salis potissimum pungentis alcalici.

Ob inflationem & expansionem inflammatę partis oritur *renitentia*, quę sępe non aliter digitis cedit & resultat, quàm vesica inflata propter angustationem arteriarum partem inflammatam transeuntium, sanguis non nisi majori vi permeare potest, & arteriarum latera interiora magis ab eodem afficiuntur, hinc *Pulsatio* oritur: quò & referri potest calor & agitatio particularum acidarum arterias convellens & convulsionem excitans, unde motus ac pulsus augetur, imprimis si simul coagulatio succorum aderit. In Inflammatione vehementiori cor majorem exprimit sanguinis copiam, quàm angustas arterias perfluere potest, & sanguis simul existit crassior, hinc à congrumato crassioreque sanguine cor perlabente, id quasi convellitur & *Pulsatio* multum augetur. Febris autem hęc symptomatica potest oriri, dum hę particulæ, poros obstruentes motum celerrimum ætheris peregrini in corpus introducunt, qui cum sanguine per arteriarum & venarum poros communicatus, motum ejus mul-

multum auget & perturbat, quæ tamen *febris* in omnibus Inflammationibus haud est sesibilis. Hinc haud difficulter percipere poterimus, quare in generatione puris, quam *Inflammatio* præcessit, *febris* fit intensior, doloresque acerbiores, quàm generato pure; cùm ante pus generatum particulæ obstruentes hærent in singulis tubulis, ibique ætheri transeunti viam præcludunt liberiorem, *Inflammatio* in suo vigore constat, tubulis autem per ætheris transeuntis motum saliumque celeri agitatione distruptis, liberior transitus ætheri conceditur, ac proinde febris acuta doloresque atroces & potior *Inflammationis* pars cessat, quæ apprimè conueniunt cum illis, quæ *Hippocrates* S. 2. Aph. 47. prædixit, dicens: *Dum pus fit, dolores ac febres accidunt magis, quàm confecto*.

Ex hisce apparet, nec solum *sanguinem*, nec *bilem* causam esse Inflammationis, uti veteres existimarunt, sed potiùs omnem humorem ex canaliculis suis evasatum, ibidem stagnantem, & ob acidum suum cùm alicali vel salso effervescente, ruborem, calorem, dolorem & tumorem introducentem. Certum enim est, quò plus humoris ex canaliculis suis effluit, eò tumor fit major, hinc & fibræ magis extenduntur & dolor augetur. Omnis ergò Inflammatio supponit tumorem, omnisque tumor obstructionem, in omni enim Inflammatione respicimus ad partes obstructas, obstruentesque particulas, diversa enim est obstructio, & hinc Inflammatio, pro diversitate particularum, à quibus, & partis, in qua producitur, prout enim materia vel est salina alcalica pungens, vel acida pungens, variant Inflammationum phænomena. Ratione etiam loci partisque affectæ etiam inter se differt, prout enim in diversis partibus observatur, diversis etiam nominibus insignitur; in cute enim *Inflammationis* vel *Erysipelatis* nomine venit, si autem pleuram membranam occupavit, dicitur pleuritis; si verò cerebri ejusque meningum substantiam invasit, vocatur *phrenitis*, quæ nomine solùm variant, in essentia autem conveniunt, omnium enim eadem est ratio, causæ eædem esse possunt, sive enim obstructio fiat, & hinc acceleratus ætheris fluxus in hac sive illa parte, erit tamen *Inflammatio*. Nulla igitur est differentia, quàm quæ diversitatem spectat salium, prout enim hi variant, sic *Inflammatio* differt Inflammatione ergò (ut Tyronibus omnia clarè & perspicuè proponamus, eapropter quandoque hæc repetere libet:) quacunque diversitas partium observanda est, tubuli enim in una parte sunt firmioris texturæ, quàm in alia, hinc patet, quare Inflammatio oculorum sit pertinacior, quàm si musculus inflammatus fuerit; 2 una pars plures habet nervos, hinc patet, quare Inflammatio tendinis fit valdè dolorifica. 3. Observanda diversitas humorum, quos tubuli vehunt. Alia lympha est in glandulis parotidibus, quæ videtur magis viscosa, quàm quæ est in glandulis cutis [miliaribus dictis:] illarum lympha autem crassior multis particulis ramosis, chylosis conferta est in tubulis musculorum, hisce accedit amplitudo tubulorum, quibus positis, varia jam emergere debent symptomata. Omnes succi quo crassiores sunt, minus apti sunt ad Inflammationem excitandam, hinc non credimus sanguinem solum extravasatum primariam causam Inflammationis esse, sed præter sanguinem alii etiam humores effunduntur, qui faciliùs obsequuntur motum ætheris, & *hinc Inflammatio*. Certò enim persuasi sumus, sanguinem extravasari posse sine subsequente Inflammatione. Sic videmus, quod Inflammatio tendinis sit omnium peracuta, ratio est, quia lympha est omnium tenuissima, est ipse succus nervorum, qui facillimè ab æthere agitari potest, non mirum proinde in tali Inflammatione gravissima suboriri symptomata. Et ut Tyrones Inflammationem clarè percipiant, ipsis dico, quòd Inflammatio ita fit, si sal aliquod adigitur in porum quendam, & interstitia quædam relinquantur soli ætheri pervia, sal autem illud agitur in porum, quando à motu, vel exercitio corporis humores vehementiùs agitantur, hinc partes lubricæ facilè sequi possunt, non autem rigidæ, quæ tunc hærent & à tergo venientibus premuntur. Hoc idem Sal figi potest vel sisti in suo motu à frigore constringente poros, Sal ibi hærens & agitatum tam à particulis à tergo, quàm æthere prementе pungit & disnectit tubulos, unde dolor, affluxus autē fit, quia dum sal pungit, fibræ contrahuntur ac quasi cōvelluntur. Rubor, qui ibidem conspicitur, non est ad mentem veterum à sanguine, aliàs eo aperto sanguis exstillare deberet, quod tamen non observatur, prout omnes Chirurgi testari coguntur. Eas partes, quarum tubuli sunt firmioris texturæ, minoris diametri, variè intorti multisque nervorum propaginibus colligati, si contigerit obturari à particulis cujuscumque generis ratione molis, figuræ & agitationis, angustiæ viæ ordinariò accommodatis, non crassissimis, (utpote quę cum glutinosioribus à cæteris secedentes per venas ad cor pergunt) stagnantibus à causa vel interna, humidis & spirituosis è corpore à nimio corporis motu ac exercitio expulsis, & frigidis crassioribus salsis, imprimis acutis ac acidis, in tubulos ampliatos fortiter adactis hærentibus, &c. dicuntur Inflammatione corripi, 1. Si particulæ activæ stagnãtes à copiosâ congestione compressæ, ab invicem secedentes, avolantibus lubricis & spirituosis, in motū turbulentum excitantur ab æthere, per poros constrictos, [ut in fœno non debitè congesto, floribus sambuci aliarumque herbarum recentibus compressis,] inæqualiùs ruente, quo acutæ scindentes ac pungentes acidę particulæ viscosarum ramos auferendo, caput exserunt, stagnantem materiam resolvunt, staminaque tubulorum disnectendo, eos erodunt, quod non contingit sine dolore, & hinc influxu concitatiori spirituū; ardore, & hinc rubore, [ita determinata ab æthere globulorum propensione in motum circularem & rectilineū:] nec non sensu pulsationis à compressione arteriolæ, sanguine fortiùs impingente. 2. Si pori constantiores tubulorum à rigidis inhærentibus ita partialiter obturentur, ut per intervalla relicta non nisi subtilissimus celerrimè perruat ęther, qui cùm merus sit ignis, sufficientissimus est ad ea, quæ concomitentur Inflammationem, producenda phęnomena. Si demum contigerit fibrillas partis inflammatæ propter ætheris celerrimum transfluxum, & particularum acutarum violentam adactionem rumpi, humores, qui per tubulos cursum suum ordinariò absolvunt, extravasantur, atque ita ab irregulari ætheris perruptione immutantur ut in pus degenerent, tunc præsens est *Abscessus*, si cutis vel erosa, vel ferro aperta est, pus autem pro diversæ partis Inflammatione, diversa mora, diversa sanguinis constitutione, auctione &c. particularum, est magis vel minùs corrosivum, lividum, viride, tenue vel album, tenaciusculum, &c. Porrò prædominantibus in sanguine particulis acribus, ab eo derivata materia, vel pus debitò acrius morando diutiùs viscosas oleosas dividit, seque ab earum amplexu liberans vicinos circumcirca erodit tubulos, sicque.

Abscessus.

Sinum seu concavitatem efformat, sicque non debitè cavitas illa mundetur, particulæ puris acris, per interstitia musculorum tubulos obvias ibi pauciores, ac proin minùs resistentes erodendo per varios anfractus sibi viam aperiunt, atque hic illic *Sinus* efformant, qui cùm debitè mundificari nequeant, & tubuli erosi à transientis viscosæ materiæ portione, (fugatis lubricis & tenuibus,) quasi visco obducti, [impedita hinc eorum accretione] callum contraxisse dicuntur, constituunt *Ulcus anfractuosum* vel *fistulosum*, quod vel manet in eodem statu, vel ulteriùs serpit, prout ex apertis & erosis tubulis humor stillans magis vel minùs acris, vel aliter constitutus fuerit.

Sinus.

Remotè suum symbolum addunt res nonnullæ, inter quas Aer primum occupat locum, qui juxta varias suas constitutiones Inflammationum author esse potest, æstuans siquidem particulis summè volatilibus rapidissimoque motu agitatis est refertus, quæ cutis poros subeuntes sese in fibrillas insinuant, sanguinique immiscentur, ad quem etiam inspirationis ope advehuntur; vellicantur ab illis tubulorum fibrillæ, quæ in cincinnos abeuntes à tubulis sanginem aliosque succos exprimunt, & in spasmodicos quasi motus ab irritatione, quam patiuntur comitatæ, vibrationibus suis frequentioribus illum comminuunt, ac ipsius particulas à se invicem dividunt; aeris particulæ vola-

volatiles alkalicorum poros subintrant, illa exagitant, subtilioraque per poros tunc dilatatos foràs abripiunt, unde acidit, ut paucioribus in sanguine aliisque succis evalatis restitantibus alkalicis, Sulphura (ut cum Chymicis loquar,) resistere nequeant acidis, à quibus coagulantur, nec phlegmatis, à quibus conglobantur acida reliqua, quę Sulphuribus non sunt intricata, & à materia subtili, spiritibusque animalibus in partes vicinas appellentibus sunt commota, crassiorum alkalicorum, quibus avolare non licuit, poris infiguntur, à quibus omnibus turbatur sanguinis, reliquorumque succorum circulatio, materiaque subtilis in cursu suo impeditur. Aer frigidior particulis duris, rigidis, acutis, iisque crassis donatur, quę corporis partibus exceptę, & tubulorum poris infixę, illas obturant & constringunt, sanguinis aliorumque succorum alkalica saturant, illiusque sulphura cogunt, & sic succos coagulant & incrassant, precluditurque hoc modo liber transitus & materię ętheręę & sanguini, reliquisque succis. Aer nebulosior, humidiorque particulis scatet aqueis, molis nec mediocris, quę corporis externę superficiei appositę poros ejus obstruunt, impediuntque ne subtiliores salinę particulę per insensibilem transpirationem avolare assuefactę, exhalentur: illę verò in sanguinem repulsę majorem turbationem conciliant, & in tubulos impingentes acrimonia sua salina pungunt, sanguinemque aliosque succos ab ipsis exprimunt: tenuiores aqueę particulę, sanguini commixtę acida & alcalica illius solvunt & enervant, sulphur in grumos cogunt, destructa ergò acidorum & alKalicorum dispositione, Sulphuribusque in grumos collectis, sanguini, succis, & materiæ æthereę adventantibus obsistitur. Cibus quandoq; Inflammationes inducit; illius enim acidiores particulę à ventriculo dissolutę in chylum lacteum conversę, & sanguini permixtę alKalicorum poros opplent, aciculis suis Sulphura coagulant, & sic tubulorum orificia obstruunt; Cibi verò volatiliores acrioresque particulas possidentes in chylum commutati, & sanguini confusi, eadem prorsus ratione illius stagnationem & rarefactionem inferunt, qua aer fervidior. Potus Inflammationum causa est pari modo, quo cibus; Potus acidior, seu nive glacieque refrigeratus particulis abundat acutis, duris & rigidis, quę alKalicorum poros saturant, Sulphuraque coagulant. Potus autem ex liquoribus ardentibus Inflammationes propingit, ut jam de cibo diximus, ad aeris estuantis exemplar. Motui concitatiori succedere potest Inflammatio, quia quum in eo uberior spirituum animalium copia cùm ad cor, tùm ad arterias accedat, abundantior sanguis in universum corpus compellitur. Copiosiores etiam determinantur spiritus in reliquas corporis partes, quarum fibras extendunt, & valido agitant motu. Sanguis in vasis suis contentus velociori agitur cursu, ab abundantioribus massæ suæ admixtis spiritibus, particulæque illius comminuuntur à continua vehementique fibrillarum à spiritibus extumescentium in ipsum vibratione, unde sanguis rarefit & attenuatur partium illius situs, earumque pororum dispositio immutatur; subtiliores ejus partes avolant, crassiores verò remanent. Acida, quorum exigua pars, habita alKalicorum proportione, evaporata sunt, & quæ à spiritibus, quorum ingens facta fuit dissipatio, ampliùs non continentur, alKalicorum poros subeunt, & Sulphura cogunt, à quibus occluduntur orificia tubulorum, vel canaliculorum, qui angustiores facti sunt, poris illorum ac parietibus à longa ista & fortè mutua affrictione sibi propiùs admotis. Sed si rapidior motus Inflammationem inferre valeat, desidiosa etiam quies illam procreare potest; in illa siquidem pauciores determinantur in ventriculum uti in alias partes spiritus animales, ideoque alimenta in ipso minùs comminuuntur, acidorum spicula debiliùs atteruntur, & ab alKalicorum poris exterminantur, Sulphuraque paucioribus acidis, à quibus coagulantur, liberantur, chylus è massa ista elicitus sanguini, cui commiscetur, crassiores apportat particulas ac ad motum ineptiores; quę quum in minutiores tubulos, eosque tum ob spirituum penuriam minùs dilatatos pervenerint, in iis facili negotio remorantur, eosque occludunt. Nemo nescit in *vigiliis* animam objecto cuidam considerando, vel motui cuidam exercendo semper esse attentam, hinc spiritus animales copiosiores in partes amandantur ab illo, velocioreque motu donantur, isti sanguini commixti partiumque fibrillas copia sua validiùs extendentes, sanguinis massam vehementiùs exagitant, partes illius magis comminuunt & attenuant, à frequenti inter se facta collisione, fibrarumque vibratione. Particulæ subtiliores alKalinæ, & tenuiores phlegmaticæ à reliqua massa per durabiliorem istum motum separatæ, foras per patulos poros cum spiritibus exeunt. Cùm verò acidorum vis à phlegmatis amplius ut antea, non infringatur, nec à spiritibus subtilioribusque sanguinis particulis in proprio situ contineantur, illa crassiorum alKalicorum poros subintrant, & in Sulphurum ramis implicantur, unde fit tubulorum obstructio, materiæ æthereæ sanguinis, reliquorumque succorum circulationis interruptio, à quibus Inflammatio; quæ omnia de vigiliis immoderatis sunt intelligenda. Nec mirum si a nimia evacuatione subsequatur Inflammatio in ea enim copiosi deperduntur spiritus, tenuioresque ac volatiles avolant sanguinis particulæ, crassiores verò ad motum ineptiores in eo remorantur; quare acida, quæ ob propriam configurationem omniū difficillimè in motum cientur, in sanguine remanent, dominiūque obtinent, alKalica impregnant & Sulphura coagulant. Assuetis excretionibus supressis succedunt utplurimùm Inflammationes. Inter ea enim, quæ ordinariò è corpore nostro eliminantur, Principatu gaudent salia, quę quū nihil aliud sint, quàm alKalia acidis prȩgnantia, eorūque spiculis horrida, si in tubulis, è quibus excerni debent, ob nimiā crassitiē cespitent, materię ęthereę & sanguini adventantibus sunt impedimento.

Animi perturbationes Inflammationum causæ fiunt, vel spirituum subtiliorumque sanguinis particularum dissipationem promovendo, vel cursum ejus tardiorem efficiendo, spirituumque proventum præpediendo. Primas tenent ira, gaudium profusum, &c. Secundæ verò classis sunt timor, tristitia, &c. quum enim ab hisce vel spirituum penu imminuatur, & sanguis volatilioribus alKalicis exuatur, vel spirituum restauratio inhibeatur, Sulphura, quæ ab alKalicis æquè ac antea à se invicem semota non detinentur, ab acidis coagulantur, & alKalica ob torpidiorem suum motum acida nec declinare, nec è poris suis excutere valent.

Causæ internæ respiciunt vel tubulorum obstructionem, vel sanguinis nimiam rarefactionem, ipsiusque in parte aliqua stagnationem, quæ quum supra jam explicata sint, ipsis diutiùs non immorabimur. A nonnullis causæ internæ spina interna dicuntur, quia sicuti quamdiu spina parti cuidam infixa remanet, dolor perseverat, ita etiam perdurat Inflammatio, donec tubuli referati fuerunt, sanguis ac reliqui succi pristino fruuntur cursu, liberaque gaudent circulatione.

Si sanguis, aliorumque succorum particulæ tubulos seu canaliculos infarcientes, per diaphoresin expelli nequeant, & acida alKalicorum poris sint adeò infixa, Sulphurumque acidorum ramis adeò intricata, ut ab illis exturbari haud valeant, materia ætherea, quæ aliò deflecti nequit, continuo impetu in Salia, quę ab acidorum cum alcalicis connubio emerserunt, impingit, in motum illa concitat, eaque impellit in partium ambientium fibrillas, quas aculeorum suorum cuspidibus discindunt & dilacerant, foveamque hoc pacto excavant, fibrillis minutim incisis & canaliculis ruptis, & sic *Abscessus* constituitur. Sed unde quæso pus in Abscessu? Nos asserimus, pus esse lacteam sanguinis partem, in ipso Abscessu plus minùs alteratam, cui quædam subinde portiunculæ dilaceratorum tubulorum unà cum cruore admiscentur.

Quum particulæ salinę puris majorem partem constituant, eędemque spiculis duris & acutis sint horridę, & à materia subtili adventante, ac spiritibus animalibus ad partes circumpositas appellentibus in motum agantur, tubulos & canaliculos dictarum partium scindunt scrobemque excavant, quæ quò

latior

latior & profundior sit, eò diuturniorem moram trahit pus in parte, sed non sufficit, ut fovea ampla ac lata sit & profunda, quæ *Sinus* denominatur, sed superficies ejus interior præterea obduci debet pellicula vel callo, abs quibus impediatur parietum ejus coalitus; quapropter Sulphura quæ in pure restant, & ab acidis non fuere coagulata, in tubulos & fibrillas à salibus dilaceratos impingentia, ramos suos poris & interstitiis illarum infigunt, & quum Sulphurum particulæ flexiles sint, tubulis, canaliculis seu fibrillis superextenduntur, iisque applicantur viscida phlegmata, quæ in pure continentur, materiæque fluiditatem conciliant, at salium acrimoniam attemperant, in particulas Sulphureas acidas tubulis ac fibrillis adnatas impingentia, illas validiùs in ipsarum poros & interstitia impellunt, iis fortiùs adjungunt, utrasque inter se arctiùs uniunt. Super extensis itaque Sulphureis particulis ac infixis partium circumjacentium fibrillis earumque interstitiis, ipsisque strictè inter se conjunctis efformatur pellicula lævis & æqualis, quæ parvos & angustos poros possidens, ab ipsis lædi nequit; sed è contrà eadem ipsam eò densiorem faciunt, quò frequentiori impetu in illam feruntur, particulas ex quibus constituitur, arctiùs hoc modo inter se conjungendo, & fibrillis partium applicando, inde fit, ut aliquando totus *Sinus* callo circumdetur & sic fistula producatur.

Prognosis Inflammationis.

§. 11. Quæ de morbis hisce formari possint *Præsagia*, nunc paucis percipiemus. *Inflammatio* partium tendinosarum & membranosarum longiori tantùm elapso temporis spatio solvuntur, carnosarum verò breviùs finiuntur, de quibus partium specialium Inflammationes videas, ubi earum invenies prognosin. Omnis Inflammatio, quæ per insensibilem transpirationem non discutitur, suppuratur, vel si malè tractetur in gangrænam degenerat, & sæpè in ipsam mortem. Inflammatio partium internarum est periculosissima & sæpè lethalis. Quò inflammatio est intensior & partes occupet nobiliores, eò curatu difficilior existit; faciliùs curatur Inflammatio in Juvenibus, quàm Senibus, quia partes Juvenum sunt molliores & faciliùs cedunt motui ætheris & partibus obstruentibus quàm in Senibus, ubi omnia sunt rigidiora. A malignitate quoque causarum, item Symptomatum vehementia desumuntur præsagia. Si partes adenosæ fuerint Inflammatione obsessæ, facilè ad concipiendam corruptionem aptæ natæ sunt, hinc in gangrænam ac Sphacelum facillimè degenerant. Inflammatio quoque secundùm tempora judicatur, nimirum, si in principio non respondeat voto, aut statim discutiatur, aut resolvatur, neque in fine status & inclinationis suppurari velit, sed induretur, quod maximum facessit negotium, quia resolvi vix aut ne vix quidem potest, aut planè tendat ad Syderationem, quod absolutè pessimum est, tum quia minatur abscissionem aut subitaneam mortem ob sanguinis coagulationem in corde factam. Ex his patet, quòd obstructio Inflammationem præcedens quo gravior est, eo soleat etiam esse gravior Inflammatio, quia talis partium fieri potest obstructio, ut impedita humorum ad partem affectam circulantium communicatione, insequatur gangræna. Dolores quò sunt vehementiores, eò etiam difficilior est, quò autem partes minùs rubent, eò etiam facilior est, quia tantam prognosis partium obstructionem, ac per consequens tantam ætheris agitationem non præsupponit.

Prognosis Abscessus.

Prognosis *Abscessuum* variat vel intuitu causæ, vel partis affectæ; ratione causæ à Veteribus dicitur criticus, qui in morbis acutis observatur, & per causæ aut materiæ morbificę collectionem contingit; seu cum euphoria seu secus hoc fiat; alius non criticus, qui vel à causa externa, saltem interna locali à vulgo ita dicta tantùm dependet. Ille ergò qui minùs criticus est, nihil periculi portendit, ac prolixam in Prognosi circumspectionem haud desiderat, cùm educta materia facilè curetur. Intuitu partis affectæ i. e. membri modò nobilioris, h. e. magis membranosi & sensibilis magis, modò ignobilioris atque minùs sensibilis, alius Abscessus erit periculosior, qui prius aliquod genus, alius securior, qui posterius quoddam occupat. Abscessus apertio quo diutiùs protrahatur, eo pejus est, succedunt enim febres, sinus, ossium subjectorum caries, imò & gangræna. Pus eò laudabilius erit, quò magis ad indolem chyli & succi nutritii accedet. Sin acorem nimium contraxerit, inficiet sanguinem, febres producet, corrodet atque exedet fluidorum canaliculos. Si pus aquosum & tenue minus aut viscidum fœtidum fuerit, pejoris notæ, nec puris nomine dignum erit, cùm contumacis obstructionis, præcipitationis & putredinis indubitatum perhibeat testimonium.

Prognosis Sinus.

Sanies seu pus ex *Sinu* profluens valde tenue, malè coloratum, viride, nigrum aut putridum nihil boni promittit. Pus autem album instar chyli vel succi nutritii, læve, æquale, minimeque fœtidum certò & sanitatem pollicetur; sic & si dolor & tumor dispareant, bonum est. Sed cùm pars etiam leviter compressa dolet, subjectas nervosas, fibrosas ac tendinosas ulceratas & tactas esse, non levis est conjectura. Si sanies in *Sinu* exeat valde tenuis, eaque nigra & fœtida, malum est, denotat enim, quòd ad os usque caries pervasit. Sin crassa, viscida & similis fæci materia est, signum est solam carnem ulceratam esse. Cùm spiritus volatiles particulas cæteras temperantes arctè & amicè continentes avolarunt, sal tum fluorem concipit; unde insignis ille *Acor* curiosis linguis perceptus; tum cum Sulphure exaltatus nervi odoratorii fibrillas spiculis suis concutit, quod insuetum anima sub odoris idea recipiens ut ingratum aversatur, id quod tum ad sensum respicientes fœtorem dicimus. Sal quoque & Sulphur ita combinata materiæ flavedinem conciliant, quam tum Latiniores dixere saniem, quod in ea sani quid sanguinis adhuc contineretur, de cujus à pure differentiis eleganter, ut solet, *Celsus* edisserit. Interea dum acidum incipit exsuperare, avolantibus subinde plùs minùs particulis volatilioribus, Inflammationis tragœdia catastrophen suam sortitur ex Tumore inflammato in ulcus purulentum abscedendo Abscessum & Ulcus *Sinuosum* constituens. *Sinus* curatio difficilis est exspectanda, si callum & duritiem contraxerit, at boni ominis est, si pus paucum, bonum, album, exeat, & ferè siccus existat Sinus, nullusque adsit amplius dolor.

Diæta.

§. 12. Quod concernit *Diætam*, Aer fugiatur nimis calidus & frigidus, sit verò temperatus, nimis enim calidus dissipando spiritus, & frigidus coagulando sanguinem succosque, nocere potest. Alimenta sint optima, abstineatur à nimis calidis, ut piperatis, fluorem quidem & cursum cruori restituentibus, sed majorem Inflammationi dolorem parientibus, propter angustatas & pressas vias, quia sanguis nimiùm premens dolorem Inflammationi auget, plus enim sanguinis ibi colligitur, quàm venæ absorbere possint, ex illa pressione vasa & membranæ expanduntur, & fibræ minantur rupturam, hinc difficultas illa dolorem parit, & propterea quidam ad venæ sectionem coguntur descendere, ut nimirum sanguinis cursum moderentur, temperantibus itaque uti debemus, ne in illud malum incidamus. Ab acidis quoque, salitis, saccharatis & frigidis abstinendum est, præcipuę enim morborum causæ existunt, hinc fugienda sunt. In Inflammationibus potus commendatur Theæ vel Coffeę omnem stagnationem sanguinis & succorum arcens, vitentur vina acida; in assuetis tamen concedi potest vinum, in quo baccæ sambuci fuerint infusæ, & sacchari momento ad gratam dulcedinem edulcoratum. Cerevisiæ malè coctæ & veteres, item julepi acidi, qui potiùs Inflammationem augent, quàm minuunt, fugiantur. Pessimè ergò sanitati suę consulunt ii, qui in Inflammationibus refrigerare tentant, cùm hæc in deterius omnia ruere faciant.

Motus quoque nimius, vigiliæ immoderatæ angue pejus fugiantur, cùm hęc omnia æquè motum intestinum ac progressivum augeant, & sic dolorem & ruborem partis efficiant.

Excreta & retenta sibi invicem respondeant, ne modum excedant.

Animi passiones immoderatæ, imprimis ira & moeror, atro carbone notandæ sunt, & animus potius sit tranquillus, confidens in Deum O. M. fidum illum in re quavis difficili Auxiliatorem, quæ omnia etiam accurate observanda sunt in *Abscessu & Sinu*.

Galenicorum modus curandi inflammationem.

§. 13. *Galenici* in curatione *Inflammationis* ex arte constituenda ad morbum, causam & symptoma solent respicere. Cùm verò cuncta sint auferenda, potissimùm verò morbus & causa, quibus ablatis symptoma facilè cesset, venæsectionem præsertim existimant necessariam, siquidem sanguine detracto, qui inflammationem facit, tumor, calor, obstructio, vel adstrictio & unitatis ulterior solutio desinant. Hac verò præmissa ad calorem nimium in partibus solidis restinguendum refrigerantia nonnulla adhibent, ulterioremque materiæ in partem prohibent influxum, remediis in usum ductis repellentibus & digerentibus simul junctis, ne repellentia sola adhibita materiam ad partes nobiliores remittendo, vel sola digerentia, utpote calida, ad partem affectam eandem materiam copiosiùs attrahendo, plus noceant. Habito proinde respectu ad hepatis intemperiem calidiorem, quam temperandam volunt, & victu instituto tenui omni adhibito studio ulteriorem ad partem affectam sanguinis prohibent influxum, eamque laxiorem corroborant adstringentibus, spongia nempe vino madente, vel defensivo ex bolo Armeno, terra Lemnia, oleo rosaceo & aceto parato imposito. Dolorem tamen vehementiorem leniri volunt relaxantibus non nimiùm humidis, qualia sunt perfusio olei & aquæ calidæ, vel cataplasma ex farina triticea, vel ceratum ex passo, oleo rosaceo & cera, vel linimentum ex vitellis ovorum, oleo rosarum & croco. Hæc in ipso peragunt principio, in majori verò incremento digerentia admiscent repellentibus, & in vigore hisce planè omissis, solis utuntur digerentibus. Repellentium numero adscribunt remedia frigida & humida, qualia sunt lenticula palustris, alsine, psyllium, portulaca, malva, cucurbita, lactuca, folia hyoscyami, succus mandragoræ; vel refrigerantia & adstringentia, uti sunt umbilicus Veneris, sempervivum, plantago, solanum, malicorium, balaustia, hypocisti, Thus, galla immatura, vinum austerum. Digerentia & simul repellentia illis sunt, myrtus, lentiscus, absinthium, parietaria, lens, crocus. Remedii in augmento Inflammationis adhibendi sequens esse potest formula.

♃. *Fol. Sempervív.*
Lactuc.
Parietar.
Cucurbit. aa. Mj.
Flor. rosar. rub. Mj.
Chamomill.
Melilot. aa. P. j.
Malicorii,
Rhois aa. ℥ ß.
Farin. hord. Mij.
M. Coq. ex aqua additaq; portione quadam olei rosacei, F. Cataplasma.

Emplastrum quoque diachalciteos, vel enemum barbarum ad eundem usum imponunt. Pro derivatione præter venæsectionem cucurbitulas & frictiones adhibent. Ad magis digerendum, si opus sit, cataplasmata parant ex uvis passis cum pane & melle, vel ex radicibus althææ, liliorum alborum, foliis malvæ, floribus meliloti, semine lini, fenigreci, caricis, farina triticea, oleo chamemeli & pinguedine suilla, vel anseris & gallinæ. Si digestio impetrari nequeat, & inflammatio jam sit remissa, humorem crassiorem aperto loco affecto, vel si hic aperiri nequeat, loco maximè vicino, effundunt.

Abscessum;

Vergente verò Inflammatione in *Abscessum*, propter copiosum pus intus collectum, quod distendendo & rodendo partes anteà se contingentes faciat abscedere, concoctionem istam humoris & transmutationem in pus promovent emplasticis & cutem occludentibus calidis nempe & humidis pus facilè moventibus, ut terebinthina, galbano, bdellio, pice, emplastro diachylo, cataplasmate ex farina hordei vel secalis in aqua decocta, in qua radices althææ priùs ebullierint, addita adipe gallinacea, vel anserina, aut quod paratur ex caricis in aqua coctis, & farina tritici, vel quod sequens exhibet formula.

♃. *Rad. alth.*
Lilior. aa. ℥ iiij.
Ferment. ℥ ij.
Farin. sem. lin. ℥ j.
Resin. terebinth. ℥ ß.
Croci ʒ ij.
Ol. chamomill.
Adip. gallin. aa. q. s.
Terenda terantur & cum pinguibus misceantur, ut F. Cataplasma.

Pus probè maturum vel digerentibus & in vapores convertentibus discutiunt, vel si hoc fieri nequeat, aperto loco evacuant. Inter digerentia referunt ficos, farinam hordei, panem ex furfure, terebinthinam, picem aridam, adipem vitulinam, baccas lauri, nitrum rubrum, vel cataplasma aut linimentum ex mucco cochleæ, thure, aloe ac myrrha paratum. Si verò ob altitudinem loci, puris copiam vel acrimoniam, vel crassitiem digerentia ista parùm queant proficere, loco aperto pus illud manifestè evacuant. Apertionem istam nonnunquam ab ipso pure acriori & in superficie existente fieri norunt, interdum verò medicamentis vel Chirurgia eam instituendam esse præcipiunt. Medicamenta apertionem istam perficere docent vel extrahendo pus ad partes externas, vel erodendo, vel adurendo. Extrahentia illis sunt propolis, pix, sulphur, radix cucumeris agrestis, bryoniæ, narcissi, arundinis, aristolochiæ, emplastrum ex gummi ammoniaco, terebinthina, cera, sulphure & nitro, vel theriaca & mel invicem mixta. Ex erodentibus laudant allium superimpositum, vel fermentum cum cantharide. Adurentium ordini hic accensent saponem nigrum, chalcitidem, oleum chalcanthi. Chirurgiam celebrant vel secando locum scalpello, vel adurendo ferramento candente, quo facto pus facilè evacuatur, sed non priùs operationem hanc instituunt, quàm pure toto bene confecto, nisi abscessus sit prope anum, aut circa articulos, in quibus materiam subcrudam evacuant, ne à puris acrimonia vel fistula producatur, vel nervi aut ligamenta erodantur. In minoribus autem abscessibus unicam apertionem sufficere monent, sed in majoribus plures concedunt, respiciente semper foramine inferiora, ut pus commodiùs evacuetur. Si contingat, ut venæ vel arteriolæ grandiores sanguinem nimis effundant, easdem claudunt emplasticis & crustam inducentibus, ut albumine ovi, stuppa vel linamento excepto, si dolor affligat, lintea oleo rosaceo madida imponunt; si partes vicinas inflammatio occupet, emplastrum diachalciteos oleo rosaceo dilutum illis imponunt; si durum aliquid restet, illud emplastro tetrapharmaco debitè emolliunt. In evacuatione puris monelam etiam Hippocratis advertunt, nec una vice illud totum emittunt, ne animæ sequatur defectio, cui fortè supervenienti odoribus, vini potione, & aquæ frigidæ in faciem aspersione statim volunt esse succurrendum.

Sinum.

Sinus curationem aggrediuntur detergentibus, hinc eundem implent & cicatricem inducunt, abstinentes semper à pinguibus & olei vim habentibus, cùm siccandum sit. Detersionem peragunt abluendo Sinum mulsa, vel vino cum aqua marina mixto aut cui sal adjectus fuerit, vel terebinthina & farina hordei cum melle, aut squama æris cum vino & melle. Sinum ità mundatum carne implent, auferendo impedimenta naturæ suæ opus inhibentia, & difficultatem inferentia, quod perficiunt medicamentis modicè detergentibus, & sine morsu siccantibus, ut pulvere ex radice iridis aut aristolochiæ, manna, thure, myrrha, aloe, aut remedio ex fermento & ostreis ustis & ablutis. Carne sic procreata veram cutem attingente, cicatricem inducunt, prospiciendo simul, ne caro nimis multa procreetur, quod fasciis peragunt, easdem à fundo sinus arctando, ut sublimia sedem contingant, ad os verò ejusdem laxiores ducendo, orique linamento emplastro barbaro obducto, & ad saniem effundendam in medio perforato imposito. Ipsum verò os Sinus sem-

semper deorsum spectare volunt, ne sanies retineatur, quod si forte sursum spectet, aut membrũ ita collocant, ut in partem inferiorem vergat, ait demisso specillo qua pervenit fundum scalpello aperiunt ut humor superstes evacuetur, & os supernum occludunt. Cute tandem à pure diutius retento nimis extenuata, & à carne subjecta separata, victu idoneo & totius corporis purgatione prohibent, ne sinus noxium humorem recipiat, tum medicamentis siccantibus & modicè detergentibus cutem cum subjecta carne paulatim agglutinant, compellendo in sinum per vesiccam bubulam vel suillam, cui fistula alligata sit, emplastrum ex charta combusta, aut Isis oleo rosaceo liquatum, aut aloen, thus & myrrham cum melle, aut pulverem ex centaurio, symphyto, radice iridis, farina ervi cum melle, nec locum nimis comprimunt, sed carne subcresente paulatim sinunt agglutinari.

Paracelsi cura in Inflammatione.

§. 14. *Paracelsus* in *Phlegmone* curam commendat mundificantem, quam sequentibus potissimùm peragit remediis:

℞. *Ol. ovor.* ℥ vj.
Chamomelini ℥ j.
Serapini,
Galbani aa. ℥ vj.
Visci de abiete aut pino ad pondus omnium,
Farin. hordei,
fabarum, aa. quantum sufficit pro incorporatione,
Commisce in formam Unguenti.

Mel etiam rosatum & salis aquam simul permiscet, eoque liquore serò manèque locum jubet lavare.

Abscessu & Sinu.

In cura *Apostematum* & *Sinuum* abstinendum esse ait à magno magisterio, vel artis Chirurgicæ nimia subtilitate, quæ potiùs quàm curabunt, inficient. In omnium siquidem ulcerum cura animadvertit, naturam sui ipsius esse Medicum, atque medelam innato proprioque suo balsamo peragi. Sed si forte balsamum hoc illi deficeret, vel aliqua parte minutum foret, balsamum vult introducendum per emplastrum oppodeldoch, quod quidem Apostemata recentia maturando & mundificando curat, vigesima quaque hora renovando, ligandoque; Ex. gr.

℞. *Lithargyr. cocti in cerotum* ℥ iij.
De incarnativis quatuor ℥ ß.
De gummi liquefactis ℥ ij.
M. F. Emplastrum s. artem,

In principio ait tutum fore prævenire phlebotomiis venarum, à quibus Apostema generatur, & situm habet: his enim, inquit, aufertur illis rubedo membrorum per sanguinis diminutionem, & unà cum ea tollitur superfluitas sanguinis abundantis, nedum in his tantùm, verùm etiam in omnibus aliis apostematibus Tria verò potissimùm in Apostematum curis observanda vult: Primum, ut spiritus vitæ fortificetur, ne præ dolore debilis fiat: sicuti solet in his, qui venenum hauserunt, præservantibus medicamentis noxæ præveniri. Secundum, ut infectio, quam introduxit morbus, diaphoreticis mundificetur & specificis, quæ non solùm clarificant, sed etiam dolores mitigant Tertium, ut locus affectus à toxico præmuniatur. Si carnis aliqua pars à sua natura sit alienata, quod putrefactum est ejus auferri vult, cum ex ejusmodi carnis infectione, juxta Authorem hunc, tale damnum inferatur ei, quale combusto fit ab una parte ligno, & ab altera sano.

Helmontiana cura in Inflammatione.

§. 15. *Helmontius* Inflammationis cujuscumque partis curam eò dirigit, ut causa occasionalis sive spina tollatur, qua depulsa Archeus ab ulteriori accensione redigitur ad quietem, quapropter interne arcana sua diaphoretica commendat, externe verò omnia ea, quæ ex lapide calaminari & camphora parantur.

Abscessu.

In *Abscessu* quocumque emollitionem & maturationem promovet, per medicamenta apostematibus accommodata, imprimis pinguedinem leporis, maximè vetustam commendat, quæ ea valde emollit & rumpit. Sic etiam sanguinem hircinum exteriùs applicatum ea maturare ait, oleumque strumarum hic magnificat externè illitum, cujus descriptio in capite de Strumis videri potest.

Sinu.

Sinum hoc modo tractat, ut sal acre corrigatur per medicamenta ex lapide calaminari præparato & camphora, nec mundificativa omittit ex gummi aliisque detergentibus parata.

Vuillisii modus durandi Inflammationem.

§. 16. *Vuillisius* ad *Inflammationem* quamcumque abigendam, curam eò dirigit, ut sanguini motus suus iterum reconcilietur, & à lentore suo in statum pristinum restituatur, quod peragi posse putat venæsectione, hirudinibus, & nonnunquam cucurbitulis applicatis. Alvum adstrictam relaxandam esse innuit, & reliqua sanguinem temperantia, & æstum ejus sedantia intus assumenda commendat, qua de causa tum julapia, tum apozemata præscribit. Ex. gr.

℞. *Aq. nymph.*
Violar.
Papav. erat.
Endiv. aa. ℥ iij.
Spir. Sulph. ℥ ß.
Syr. pomor. ℥ i ß.
M. d. ad vitrum.

℞. *Decoct. rad. acetos.*
Cichor.
Endiv.
Ligni santal. citrin.
Ras. C.C.
Pom. citri N. j.
D.

Omnia ea remedia, quæ sanguinis coagulationem resolvunt, interne commendat Author, imprimis sequens.

℞. *Aq. Acetos.*
Gramin.
Petrosel.
Parietar. aa. ℥ j.
Lapid. prunell. ℥ j.
Syr. de Cichor. ℥ j.
M. d. cochleatim.
Vel in forma pulveris

℞. *Lapid. prunell.* ℥ ij.
Flor. nitri ℥ ß.
Ocul. cancror. pp. ℥ i ß.
M. F. Pulvis, qui detur cuspidatim.

Ad lentorem sanguinis magis dissolvendum spiritum Tartari vel Salis Armoniaci magni æstimat. Inter externa commendat cataplasmata emollientia & discutientia ex scordio, ruta, parietaria, malva, agrimonia, floribus chamomillæ, meliloti, verbasci hyperici, semine fœnigræci, vel ex medulla panis albi in lacte cocta, sequenti modo.

℞. *Herb. parietar.*
Malv.
Agrimon. aa. M. ij.
Flor. chamomill.
Hyperic. aa. P. i ß.
Sem. fœnigr. ℥ j.
Medull. panis alb.
Coquantur in lacte ad pultis consistentiam,
Add.
Vitell. ov. N. ij.
Croci ℥ ß.
M. F. Cataplasma.

Fotum etiam instituit ex malva, althæa, beta, scordio, ruta, floribus sambuci in aqua communi coctis tepide adhibitum, & ad dolorem magis leniendum, vel etiam suppurationem promovendam unguentum dialtheæ, populinum, & emplastrum diachylon admodùm existimat proficua.

In *Abscessu* & *Sinu* internè laudat decocta vulneraria, externè unguenta digestiva, balsamum de Capaiva internè & externè usurpatum, unguentum Basilicum, maturantia scilicet seu suppurantia, ut sunt cataplasmata ex radice altheæ, herbis malvæ, parietariæ, agrimoniæ, floribus chamomillæ, verbasci, meliloti, semine

mine lini, farina fabarum, fœnigræci & sexcenta alibi jam dicta.

Sylvii cura in Inflammatione.

§. 17. *Inflammationis*, hinc & *Abscessus Sinusque* curationem ad mentem *Sylvii* quod attinet, consistit ea 1. in obstructionis vasorum solutione: 2. in sanguinis subsistentis ac stagnantis motus restitutione: 3. in sanguinis effusi & aliquo modo corrupti correctione: 4. in maturatione *Abscessus* facienda: 5. in sanguinis maturati, seu Abscessus apertione: 6. in abscessus aperti mundificatione: 7. in ejusdem consolidatione. Si ergò obstructio vasorũ seu compressio fuerit à vinculis arctiùs parti affectæ circumjectis, illa propediem auferantur. Obstructio verò vasorum à pituita viscosa vel sanguine in ipsis coagulatis solvitur medicamentis, quæ motum sanguinis egregiè accelerant, illudque impedimentum, quo sanguis stagnare cogebatur, tollunt, qualia sunt blanda aromatica & salibus præsertim volatilibus abundantia, nam quatenus ea medicamenta sunt aromatica, eatenus humor pituitosus attenuatur, ut desinat efficere obstructionem; quatenus autem ea sunt Sale volatili constantia & prædita, uti sunt de Ossibus Cornu cervi, &c. non tantum vim habent coagulata dissolvendi & fluida reddendi, sudorem movendi & sic materiam peccantem expellendi, sed & ipsum sanguinem effusum, & à spiritu suo liberatum, adeòque acidum factum corrigendi, cujus acidi vis dum est infracta, nova coagulatio impeditur, eum ergò in finem formulam sequentem præscribere solet.

℞. *Aq. Hyssop.*
Fœnicul. aa. ℥ ij.
Ther. simpl. ℥ ß.
Spir. sal. Armon. gt. xxv.
Antimonii diaphoret. ℈ j.
Laudan. opiat. gr. ij.
Syr. papav. err. ℥ j.
M.

Hujus mixturæ cochleare unum aut alterum subinde assumendum esse præscribit ægro, ut ea ratione obstructio solvatur. Ad Salem volatilem quoque refert oculos cancrorum, mandibulas lucii os de corde cervi, &c. cùm hæc Sale volatili abundant. Omnia quoque Sulphura metallica & mineralia, sed fixa, hoc in casu conducere scribit, imprimis Antimonium diaphoreticum ad fixitatem aliquam deductum. Nec tantùm hic laudat animalium salia volatilia, sed omnia ex variis plantarum scorbuticarum & acrium partibus petita, eorumdemque vim æmulantia, ut sunt succi erysimi, cochleariæ, nasturtii & hortensis & aquatici, taraxaci, aqua theriacalis, &c.

Externe in Inflammatione partium commendat fotus ex plantis aromaticis in aqua aut vino coctis parato, vel spiritũ vini rectif. tàm simplicem, quàm compositum, item olea & unguenta varia, ungu. sc. maritat. alth. ol. lil. alb. chamæmelin. anet. laurinum, Philosoph. &c. vel cataplsmata magis dissolventia, quàm emollientia, vel maturantia, quorum vis per cutis poros penetrat. & sic obstructionem solvit. Exempli loco seq. præscribit.

℞. *Cæpar. sub cinerib. aut fictili vase assatarum & contus.* ℥ ij.
Fol. erysimi,
Chærefolii,
Nasturt. hort.
Sambuc. aa. M. i ß.
Farin. fabar.
Lupinor. aa. ℥ j.
Nid. hirund. N. j.
Albi Græc. ℥ j.

F. s. a. decoctio in lacte ebutyrato ad cataplasmatis consistentiam. Ejusmodi cataplasma mediocriter calens parti externæ inflammatæ applicandum vult, cujus ope internæ quoque obstructiones solvuntur, & observandum vult, quòd renovandum sit, quam primùm exsiccari incipiat.

Dein 2. sanguinis stagnantis motum restituit sudoriferis & modò dictis salibus volatilibus, quandoque etiam venæsectione, sed in initio, & quidem pro ægrorum constitutione peculiari & viribus per iteratas vices instituta, quatenus in omni sanguinis eductione major motus sanguini concedatur.

3. Sanguinis effusi & aliquo modo corrupti correctionem consistere ait in acidi emendatione & sanguinis coagulatione impedienda, quod juxta ipsum præstant oculi cancrorum, Antimon. diaphoret. mumia, Sperma ceti, Gumm. Galbanum, Sagapenum, opium, Cerevisia Joppensis dicta; Inter Externa laudat Emplastr. de sperm. ceti, cum Gumm. Galbano, ut & fotus ex aromaticis paratos.

In Abscessu.

In *Abscessu* ubi materia profundior hæreat, promovendam esse suadet maturationem per emollientia ac maturantia dicta, qualia sunt radices altheæ, herbæ malvæ, bismalvæ, lil. alb. branc. ursin. atriplex, mercurialis, quæ coquenda sunt in lacte, & cujus lactis parva copia est usurpanda, possunt etiam illa maturantia cataplasmatis forma parti dolenti applicari, imprimis seq. cataplasma.

℞. *Farin. rad. alth.*
Hordei aa. ℥ ij.
Fol. malvæ,
Branc. ursin. aa. M. iij.
Sem. lini, ejus farin. ℥ i ß.
Caricar. concis. N. x.
Coquatur igne lento ex aqua pura, cerevisia tenui, aut urgente ardore summo ex lacte ebutyrato ad humiditatis consumptionem ac decoquendorum emollitionem, tunc contusis omnibus adde
Axungiæ porcinæ,
Butyri recent. aa. ℥ i ß.
M. F. Cataplasma.

Commendat quoque Emplast. diachyl. s. cum gumm. ut & mucilag. imprimis ubi multa pituita eaque viscosa scatet corpus & sanguis. Absoluta sic puris generatione non procrastinandam vult puris eductionẽ, cùm pus mora reddatur acrius, atque ab ipso partes vicinæ magis magisque corrumpantur, sicque *Sinus* curatu difficilior efficiatur, imprimis quando vasa vicina corroduntur à pure illo acriore facto, & natura sua existente acido, quapropter ubi ex partis affectæ mollitie tactu manifesta, ut & rubedine ac dolore diminutis puris perfecti præsentia innotuit, aut cultello acuto aut potentiali cauterio puri exitum parat, & quidem in loco tumoris maximè molli ac declivi.

In Sinu.

Quòd si nimis delicatulus aut morosus fuerit æger, ut apertionem hanc utramque permittere recuset, tunc sequens Empl. suadet imponendum tumori.

℞. *Mellis opt.*
Farin. secal. aa. ℥ j.
Vitell. ovi N. j.
Imponantur igni blando & agitentur ad Emplastri formam

Ficus quoque contundi & cataplasmatis modo applicari jubet, quo sic facilitetur & promoveatur *Abscessus* apertio. Ubi autem puris multum continetur in *Abscessu*, cavendum vult Author, ne omne una vice educatur, sed partitim, ne vires ægrorum prosternantur. Ubi verò puris parum, concedit, ut omne affluat, sed sine pressione forti ac diutina, unde plus mali, quàm boni emergat. Quoties autem in loco ab apertione remotiore pus hæret, aut *Sinuoso* duntaxat ductu ad locum apertionis fertur, toties pressione blanda ipsum foràs propellere permittit. In abscessus ac *Sinus* consolidatione tum externe, tum interne guttam unam vel alteram balsami Sulphuris terebinthinati vel anisati commendat summoperè, non solùm quatenus & ulcus mundificat, & consolidationem excitat, sed etiam quatenus oleositate sua & sale volatili acidum expellit & enervat.

Cartesianorum ratio curandi Inflammatione.

§. 18. *Cartesiani* ad curandam *Inflammationem* remediis utuntur attenuantibus, particulas acutas frangentibus, hebetantibus, & coagulationem succorum resolventibus, quibus calor imminuatur, & effervescentia sedetur. Pro sedando dolore vehementi venæsectionem admittunt, ne sanguis impetuosiùs affluens fortiore sua pressione dolorem adaugeat, nec stagnatione chylum ad suppurationem disponat. Si tamen suppuratio vetari nequeat, eandem promovent, & mundationi ac consolidationi incumbunt. Nonnunquam

ad

ad particulas acutas sive acidas evacuandas remedia exhibent purgantia ex radice potissimùm Jalappæ, ejusque resina composita, quibus glandulæ intestinales agitatæ magnam emittant lymphæ vitiosæ copiam. Hisce remedia subjungunt sale prædita fixo vel volatili materiam viscidam incidentia, & ad fluiditatem disponentia, quorum numero adscribunt diaphoretica & diuretica, qualia sunt antimonium diaphoreticum, oculi cancrorum, unicornu, bezoardicum minerale, mandibulæ lucii, spiritus Sal. Armoniaci, C. C. fuliginis, sperma ceti, crocus, laudanum opiatum, remedia ex herbis nasturtii aquatici & hortensis, cochleariæ, beccabungæ, cichorii, taraxaci. Forinsecus etiam resolventia adhibent, succos stagnantes & incrassatos ad fluorem disponentia, qualia componuntur ex radice bryoniæ, barbanæ, raphani, cucumeris asinini, iridis, foliis absinthii, scordii, cochleariæ, beccabungæ, chærefolii, cardui sylvestris, floribus chamomillæ, sambuci, croci, Armoniaco, bolo, cerussa, creta, camphora, sulphure, spermate ceti, fermento, spiritu vini, fæce cerevisiæ, & vini, stercoribus animalium, unguento albo camphorato & similibus. Approbant itaque singulariter linimenta attenuantia & absorbentia ex sulphure trito, bolo Armeno, terra Vitrioli, camphora & spiritu vini, vel fotus ex fæcibus cerevisiæ, albo Græco, sale Armoniaco, camphora, vel cataplasmata ex foliis taraxaci, cardui sylvestris, cochleariæ, alsines, lenticula palustri, sulphure invicem contusis, aut ex radice cucumeris asinini, baccis lauri, foliis eupatorii, cicutariæ, tabaci, absinthii, petroselini, chærefolii, floribus Chamomillæ Romanæ, sambuci, sem. cumini, & camphora in spiritu vini coctis parata, vel emplastra de spermate ceti, ranarum, diapalmæ cum terra vitrioli, de minio, vel in subjectis densa cute præditis & oleosa tolerantibus unguentum dialthææ, martiatum, oleum anethinum, laurinum, terræ, Philosophorum, Petræ, succini, terebinthinæ. Pro exemplo sequentem D.D. *Dexbacchii*, Physici Cassellani celeberrimi, Observationem nobis hodie communicatam adjungimus Juvenis enim mercator 39. circiter annorum per triduum inflammatione totius pedis sinistri cum dolore capitis, siti aucta, inquietudine continua, febre atque alvo obstructa, rubore & tumore cum maculis lividis afflictus, die nono Calendarum Decembris Anno 1688. laudatum modò virum accersivit, qui sequentibus remediis acidum vitiosum, succos coagulans & in tubulis restitare faciens corrigentibus, attenuantibus & absorbentibus pristinæ eum restituit sanitati. Ratione enim alvi obstructæ sequens præscripsit enema,

℞. *Rad. fœnicul.*
Petrosel. aa. ℥ ß.
Contrayerv. ℥ j.
Herb. menth.
Chærefol.
Erysin.
Card. bened. aa. P. ß.
Thee P. j.
Flor. sambuc. M. j.
Chamomill.
Hyperic. aa. P. j.
Myrrh. ℥ i ß.
Sem. fœnic. ℥ ij.
Incis. & contus. affund. Aq. hord. calefact. vel fervent. q. s.
Salis Tartari ℥ j.
Stent per 5. horas in digestione in loco calido, dein coq. & exprimantur ad ℔ j. *in aqua dissolv.*
Elect. diacathol.
Mell. anthosat aa. ℥ j.
Essent. sambuc. ℥ ß.
Elect. Diascord. Fracastor. ℥ ß.
Ol. violar. coct. q. s.
Salis sambuci ℥ ß.
M. F. Enema.

2. ℞. *Tartari solubil.* ℈ j.
Ocul. cancror. pp. ℈ ß.
Antimonii diaphoret. ritè pp. & recenter detonati gr. IX.
Campor. gr. j.
Salis sambuc. gr. iij.
Extract. croci gr. ß.
M. F. Pulvis digestivus pro una dosi.

3. ℞. *Ocul. cancror. pp.* ℈ ß.
Corall. rub. pp. gr. v.
Tartari emet. ritè pp. Mynf. gr. iij.
Salis C. C. volat.
Sambuc. aa. *gr.* j.
M. F. Pulvis vomitorius pro una dosi manè sumendus.

4. ℞. *Essent. sambuc.*
Fumar. aa. ℥ ß.
Tinctur. Antimonii tartarisat. gt. xv.
Spir. C. C. rectificat. absque fœtore parat. gt. xiij.
F. Mixtura sudorifera pro una dosi.
℞. *Aq. flor. sambuc.* ℥ i ß.
S. Aqua ad mixturam sudoriferam, etiam pro una dosi.

5. ℞. *C. C. s. ign.* ℈ j.
Ocul. cancror. pp.
Ebor. pp. aa. ℈ j.
Antimonii diaphoret. ritè pp. & recenter detonati gr. xxiv.
Myrrh. elect. gr. vij.
Camphor. gr. iij.
Salis sambuc.
Card. bened.
Scord. aa. *gr.* v.
M. & divid. in 6. doses æquales.
S. Pulvis absorbens pro 6. dosibus.
℞. *Aq. flor. sambuc.* ℥ vj.
Spir. antiscorbutic. n. ℥ j.
M. S. Aqua ad pulverem absorbentem, pro 6. dosibus.

6. ℞. *Spir. salis Armoniaci succinat.* ℥ ij.
S. Spiritus guttatim usurpandus, pro una dosi gutt. vij. in potu ordinario.

7. *Decoctum Thee* per dies 14. usurpavit.

Remedia externa adhibuit sequentia.

1. ℞. *Spiritus vin. camphorat.* ℥ ij.
S. Spiritus externus, de die bis tepidè applicandus.

2. ℞. *Rob sambuc.* ℥ vij.
Elect. diascord. Frac. ℥ ij.
Pulv. erysipelat. Mynf. ℥ vj.
Flor. sambuc.
Chamomill. comm. & Rom. ℥ j.
Scord ℥ vj.
Myrrh. ℥ ij.
Camphor. ℥ ij.
Croci or. ℈ j.
Spiritus vini q. s.
F. Cataplasma tepidè applicandum.

3. ℞. *Herbi beccabung.*
Cochlear.
Scord.
Erys.
Absinth. aa. ℥ i ß.
Flor. sambuc.
Chamomill. comm & Roman. ℥ ij.
Pulv. erysipelat. Mynf. ℥ i ß.
Sem. nigell. ℥ j.
Cretæ ℥ vj.
Camphor. ℥ i ß.
Croc. or. ℈ j.
F. Pulvis grossus.
S. Pulvis ad 2. sacculos, calidè applicandus.

4. Secunda vice spiritum vini camphoratum ordinavit, quibus æger Deo auxiliante convaluit

Abscessum. Vergente verò Inflammatione ob materiæ copiam & crassitiem nimiam, resolutionem quamcumque & attenuationem recusantem, in *Abscessum*, suppurationem promovent emollientibus, particulis suis ab æthere facilè mobilibus calorem imminuentibus, & chylum corruptum ad exitum propellentibus, qua

qua virtute præstare volunt radices allii, althææ, bryoniæ, cepæ, cucumeris asinini, filicis, liliorum alborum, folia althææ, atriplicis, betæ, brancæ ursinæ, brassicæ, chærefolii, malvæ, mercurialis, parietariæ, spinachiæ, verbasci, violariæ, farinas fabarum, hordei, seminis althææ, fœnigræci, lini, ficus, mala dulcia, passulas majores, dactylos, flores chamomillæ, croci, malvæ, meliloti, sambuci, verbasci, gummi Ammoniacum, bdellium, galbanum, Opopanac. Sagapen. resinam pini, terebinthinam, styracem, ceram, mel, fimum animalium, aloen, myrrham, nec non ex compositis unguentum Althææ, Agrippæ, Basilicum, emplastrum diachylum simplex, cum gummis, de meliloto, de mucilaginibus, de cumino, de baccis lauri. Pro exemplo sequens existat cataplasma.

℞. *Cepar. sub cineribus coct.* ℥ i ß.
Herb. betæ M ij.
Ferment. acris ℥ ß.
Fic. ping. N. x.
Flor. melilot.
Chamomill. aa. M. j.
Coq. ex cerevisia crassa in consistentiam debitam,
Contusis adde
Farinæ lini,
Unguent. basilic. aa. ℥ ij.
M. F. Cataplasma, cui interdum portionem quandam saponis immiscent.

℞. *Emplastr. diachyl. simpl.* ℥ ij.
De melilot. ℥ j.
M.

Ut cataplasmata ista magis penetrent, subtilioribus prædita particulis iisdem immiscent, qualia sunt nicotiana, semen sinapi, piper Indicum & Brasiliense, cinamomum, caryophylli, spiritus C. C. calx viva, Sal alcali, Ammoniacum, Tartari, aliaque volatilia. Factâ suppuratione, tumorem aperiunt vel ruptorio ex sapone nigro & calce, aut luna spiritu nitri calcinata, & in lapidem infernalem mutata, vel lancetta aliove cultello acuto, ut materiæ purulentæ exitus paretur, qua evacuata, cavitatem mundant remediis sale volatili oleoso, vel alcalico fixo præditis, quamcumque chyli acescentiam prohibentibus, & fibras diruptas à carne sana separantibus, qualia sunt radices gentianæ, succus chelidonii majoris, alchimillæ, rorismarini, myrrha, sagapanum, balsamus Sulphuris, vitrum Antimonii, mel rosatum, unguentum Apostolorum, Basilicum, cum Elix. vitæ mixt. resina pini, terebinthina, gummi elemi. Mundatione peracta sarcoticis & consolidantibus foramen denuò occludunt, instillato vel oleo Hyper. petræ, balsamo Capaivæ, vel illito balsamo Italico, aut imposito emplastro diasulphuris, aut oppodeldoch VVurtzii, tandemque carnem cute obducunt, cui scopo illis inserviunt lithargyrium, cerussa, plumbum ustum, tutia, lapis calaminaris, unguentum desiccativum rubrum, emplastrum griseum, diapompholygos, & oppodeldoch.

In *Sinu* potissimum eò respiciunt, ut succum acidum acrem carnem depascentem doment, remediis alcalicis & volatilibus, præsertim succo vel melle chelidonii, ex quo pessum formant, eundemque cavitati immittunt, aut abstersiones ex decocto scordii, absinthii, nicotianæ, vel succo centaurii, nasturtii, apii, rorismarini, in quibus myrrha fit dissoluta, injiciunt, vel unguentum Ægyptiacum in iisdem dissolvunt & eodem modo adhibent, vel turundis illitum insinuant. Pesso etiam vel turundæ ex melle chelidoniæ formatæ Mercurium præcipitatum adspergunt, & cavitati ad fundum usque immittunt. Expressa satis materia purulenta, & callo absumpto, ipsaque cavitate probè mundata, sarcotica superiùs enumerata in usum ducunt, ut coercitis particulis acutis depascentibus, ex chylo benigniori nova carne defectus resarciatur, & spelunca ista convenienter occludatur.

Nostra curatio Inflammationis.

§. 19. Prælibatis ità aliorum opinionibus, restat ut *nostram* quoque de morbis hisce curandis subjungamus sententiam. Quum ex suprà dictis pateat, Inflammationes tantùm prodire ex tubulorum obstructione facta ab alcalicis acidis saturatis, ac ob inæqualem superficiem ad motum ineptioribus, & à Sulphuribus ab iisdem acidis coagulatis, à quibus non tantùm sanguis, & reliqui succi in circulo suo retardantur, & materia ætherea in cursu suo sistitur, operæ pretium est, quo curam ejus absolvamus, ut medicamenta adhibeamus, quæ arida absorbeant, sanguinem & reliquos succos volatilioribus ditent particulis, tubulosque obstructos hoc modo expediant. Curatio enim pro temporis & Inflammationis, status, partis affectæ, ac proin materiæ obstruentis diversitate variat. Talia medicamenta sunt interna vel externa. Interna sunt vel absorbentia dicta, vel sudorifera quæcumque. Prioris ordinis sunt oculi cancrorum, carbo tiliæ, C. C. ust. Antimon. diaphoret. ebur. ust. Corall. rubr. crystall. mont. Tartar. lapis Irland. mum. optima; ex gr.

℞. *Sperm. Ceti* ℥ j.
Ocul. cancror. ℥ ß.
C. C. ust.
Lap. Irland. aa. ℈ j.
Sal. volat. C. C. vel succin. gr. ij.
M. F. Pulvis, divid. in 6. partes æqu. & mane & vesperi dosis exhibeatur, cum potu calido Theæ vel Capheæ. Alcalia enim tales possident poros & meatus, in quibus cuspides particularum acidarum omni occasione suscipiuntur, adeò ut vel cuspides aliquo modo frangantur, vel saltem obtundantur, atque sic materia stagnans tandem fluidior reddatur. Posterioris ordinis sunt Bezoard. minerale, Joviale, Martiale; Antihecticum Poterii, Tinct. bezoard. volatil. nostr. spiritus nitri dulc. Theriac. Diascord. mixt. s. spirit. Theriacal. viperar. &c. Ut autem ipsarum partium obstructarum fiat reseratio, materiaque obstruens incidatur, conveniunt omnia incidentia, salia volatilia & fixa oleosa, Diaphoreticis combinata, incidentibus suis particulis, & ratione etheris perfluentis, poros obstructos aperientia. Talis sudoriferi poterit esse forma sequens.

℞. *Regul. Antimonii* ℈ ß.
Sal. Card. bened. gr. xij.
Prunell. gr. vj.
Camphor. gr. iij.
M. F. Pulvis.

Vel

℞. *Theriac. v.* ℈ j.
Sal. volat. C. C. ℈ ß.
Bezoard. min. gr. xij.
Ol. Juniper. gr. iij.
M. F. bolus.

Medicamenta enim omnia quæ ex plurium alcali constant, quæ & simul acidum absorbent, & per consequens fluiditatem sanguini restituunt, non negligenda sunt, in quem finem conducunt varia decocta ex rad. chin. Salsaparill. sem. anis. rad. liquirit. vel potus Theæ vel Caffeæ, quibus acidum peccans domabitur, Rustici verò decoctum flor. sambuci cum albo græco cum lacte paratum assumant. In omnibus etiam Inflammationibus mirè juvant salia volatilia debita in dosi exhibita, quoniam tales particulas obtinent, quæ à subtili materia facilè agitantur, & vulgò calida nominantur, quæ & internè & externè symbolum suum conferunt, qualia sunt scordium, ruta, abrotanum, absynthium, salv. rosmarin. bacc. Juniper. lauri, sem. cumin. levistic. Camphora, Myrrha, Mastix, spiritus vin. Camph. spiritus sal Armon. calcis vivæ, flor. sambuc. Camphoræ, Matricalis, &c. Sic & hic maximam opem afferunt salia volatilia oleosa quæ tales poros habent, quos materia subtilis facillimè perfluit. Motus iste, quo sal ille movetur, iterum cutis poros penetrat, eundemque motum particulis obstruentibus adfert, & sic dissolutio peragitur. Ex sale enim volatili oleoso internè & externè exhibito tumorem inflammatorium detumefactum sæpiùs observavimus, &, si dolor simul maximè urgeat, tutissimè Tinct. anodyn. nostra cum spiritu C. C. volatili circa vesperam propinari potest. Anodyna enim commodè cum sudoriferis miscentur, viscositate enim sua acutos salium angulos obtundunt; itaque.

℞. The-

℞. *Theriac. rec.* ℈ ij.
Diascord. F. ʒ j.
Antimonii diaphoret. gt. xv.
Salis prunell. gr. v.
Theriac. cœl. gr. j.
N.

Febris curandę ratio consistit in reductione massę sanguinis ad pristinam mixturam, quod optimè per sudorifera fixiora, ut regul. Antimonii, bezoard. miner. &c. perficitur. In Inflammationis augmento tentetur attenuatio stagnantis incrassatæ, non debitè mixtæ & agitatæ materiæ, introducendo particulas fluidas aquosas, & effluvia oleosa subtilissima [non crassa, ramosa, quibus poris magis constrictis, malum potiùs augeretur;] spirituosa, salina, volatilia (aliquando & acida tenuissima, si viscositas sit incidenda:) quibus inhibetur effectus acutarum imprimis acidarum scindentium, particulæque inhærentes rigidæ è poris elutriuntur, præprimis à lubricis facilè se in & extricantibus, materia coagulata fluidior debitè mixta & agitata redditur, imò & tubuli laxantur, & ad hanc sufficienter admittendam convenienter disponuntur, quo ipso discutitur tumor, fitque legitima restitutio. Applicantur indicata remedia optimè sub forma fotus externi vel cataplasmatis calidè usurpandi, multum enim contribuit calor actualis. Cura ergò Inflammationis perfici debet, non, uti veteres solebant, repellentibus, astringentibus, & refrigerantibus, quæ tantùm obstructiones tubulorum augent, qui subtilioribus evanescentibus particulis acriores redditi, fibras & tubulos discindunt vel rumpunt, unde aucta obstructione major supervenit tumor, & ad gangrænam via redditur magis expedita. Meliùs proinde obstructionem hanc factam tolles alcalibus volatilibus aromaticis ac balsamicis, ex. gr. spiritu vin. Camph. item simplici rectificato ut Tartarisato vel crocato. Spiritu salis Armoniaci cum spiritu vini & calce viva parato, auxiliatur etiam vinum & cum vino factum lixivium, Decoct. calc. viv. cum spiritu vin. Camph. & Matricali mixtum, sequenti pro usu ordinario nobis servamus.

℞. *Aq. calcis vivæ vnc.* iij.
Spir. vin. Camph. crocat.
Matrical. aa. *vnc.* j.
Salis Saturni ʒ j.

M. D. ad vitrum, quod linteis duplicatis calidè sæpiùs applicetur. In Curatione Inflammationis solum aquam calidam cum sapone Veneta proficuam fuisse observavimus, ut & infusum Thee. Suffumigia ex succino, mastiche, gum. animæ, oliban. sæpiùs instituta non negligenda sunt, vel Epithemata ex scordio, card. bened. absynth. ruta cum quatuor farinis in urina vel in sero lactis vel in lixiuio, vel cum proprio decocto sæpiùs tepidè applicata, maximè juvant. Epithema sequens *Phlegmonicum* maximè conveniet.

℞. *Summit. rutæ*,
Scordii aa. M. j.
Rorismar. M. i ß.
Absynth.
Allii. aa. M. j.
Sem. cumin.
Carvi,
Fœnicul. aa. ℥ ß.
Salis Tartari,
Armoniaci aa. ʒ i ß. in vin. solut.
Spir. vin. rectif. ℔ ij.
Extrahe in M. B. l. a. Tinct.

℞. *Huius Tinct. Phlegmonicæ* ℥ xij.
Camphor. ʒ iij.
Spir. sal. Armoniaci ℥ j.
Sperm. ceti ℥ ß.

M. & applicetur calidè cum linteis, Cataplasmata enim Nobis magis arrident, imprimis sequens vel simile.

℞. *Herb. rutę*,
Scordii,
Absynth. aa. M. ß.
Pulv. rad bryon. ℥ ß. ʒ ij.
Fl. sambuc.
Chamomill. aa. M. ß.
Farin. lupinor. ℥ j.
Bacc. lauri ʒ x.
Coq. ad consistent. pultis mollis, add. *Spir. sal. Armoniaci cum calc. viv. parat.* ʒ ij.

M. calidè applicandum & bis vel ter in die repetendum. Tinctura myrrhæ, aloes, croci, macis, nec non sinapi, allium, cæpa, tabacum &c. quæ in se continent sal volatile ac aromaticum, maximè proficua erunt externè applicata. Cùm verò vulgus in Inflammationibus abhorreat à madidis tum spirituosis, tum cataplasmatibus, hinc ægri sicca expostulant, in quem finem ex supradictis herbis flor. sambuc. aliisque aromaticis, adjectis Salib. Tartari & Armoniaci Camphor. &c. sacculi repleri & calidè applicari queunt, hæc enim omnia acidum temperant, invertunt ac absorbent, alii farinam vel cretam cum floribus sambuci & cort. inter. sambuc. applicant: salia volatilia oleosa applicari possunt, ut & diascordium & Theriaca, quæ juvant novos inducendo motus. Pars quoque inflammata foveatur crebriùs decocto Sulphuris cum urina, conducitque succus cancrorum fluviatilium calidè impositus & renovatus. Excellit insuper decoctum ex blandis diaphoreticis ac aromaticis cum spir. vini Camphor. & aqua Regin. Hungar. Ad partem etiam fovendam egregium est decoctum Rad. bryoniæ in vino, vel si in eodem decoquantur plantæ aromaticæ, veluti rad. ireos nostr. rosmarin. menth. scord. &c. prodest quoque lixivium sequens vel simile.

℞. *Ciner. Sarment. vit.*
Vitrioli aa. ʒ ij.
Salis Tartari ʒ j.
Cum vino Gallic. &
aqua fl. sambuc. f. l. a.
lixivium calidè
sæpiùs applicand.

Aliquando & emplastra pro re nata applicari possunt, modò non nimis emplastica fuerint, & prę aliis confert Empl. de Labdano, vel de Cinnabari nostrum, vel diasulph. vel Empl. de sperm. ceti cum camphora & croco. Meliùs verò juvat Epithema sequens vel simile.

℞. *Fæcis cerevis.* ℥ v.
Salis Tartari ʒ i ß.
Camphor. ʒ j.
M. & calidè cum linteis applicetur.

In Inflammatione semper eò respiciendum est, ne medicamenta nimis sint calida, nam sicuti ignis nimio suo calore res corrumpit ac discindit, ita & fibras plurimas ejusmodi remedia calidiora dirumpunt, ac discindunt, imò in cincinnos abire faciunt, medio ergò tutissimus ibis, quod juniores Medicos apprimè notari velim. Ab omnibus quoque acidis in Inflammationibus abstinendum est; si motus sanguinis nimius est, venæsectionem admittimus, ut & Enemata, imprimis ubi dolor urget. Lac virginis sunt qui calidè imponunt, sed videndum ne in vulnus ponatur, quia interdum constat acidis, hinc partibus vicinis tantùm imponunt. Si autem pori tam pertinaciter sint obstructi, vt tam subtilibus nolint auscultare, nec se incidi patiantur, & sic Inflammatio discuti nequeat, suppuratio iisdem remediis procurari potest, solis enim alcalicis & volatilibus tota res perficitur; si enim obstructio partis inflammatæ talis existat, ut obstructæ fibræ penitùs rumpantur, particulæ chylosæ effundantur & puris materiam præbeant, tunc suppuratio ac maturatio promovenda est; quibus, maturantibus scilicet remediis externis, pori magis obstruuntur, qua obstructione facta interior promovetur fermentatio, ac proinde ruptis tubulis materia extravasata, quæ in illis stagnabat, in unum focum colligitur, & pus constituit, quæ suppurantia ex viscosis, pinguibus mollibus efficiuntur. Post maturationem pus emittatur,

tur, ulcus detergatur ac consolidetur, ceu inferiùs de Abscessu prolixiùs percipiemus.

Qui sanguinis circulationem norunt, à repellentibus, incrassantibus facilè abstinebunt, cùm sciant, particulas inhærentes non posse per arterias regredi, omniaque acida & austera valdè nocere, hinc & repellentia, quæ talibus constant particulis, angue pejus ceu dictum, fugiunt, cùm acida, ut notissimum, omnes nostros succos coagulent, & constipent potiùs quàm dissolvant vel repellant. Malè verò faciunt, qui ejusmodi remedia applicant supra partem affectam, frustra impedituri, ne materia ad partem ruat, cùm hæc omnia ex ignorantia circulationis sanguinis procedant. Si sanguis hic nimium premens dolorem infert & Inflammationem auget, quando scilicet plus sanguinis circa partem inflammatam colligitur, quàm venæ absorbere possunt, & simul ex illa vehementi pressione membranæ ac vasa extenduntur, & sic fibris minantur rupturam, hoc in casu V. S. institui potest, ut nimium sanguinis cursum moderemus, & interponenda sunt temperantia, aliàs V. S. plùs obest quàm prodest. V. S. enim non intendinus derivationem sanguinis à parte affecta, cùm circulatione detecta sanguinem per partem affectam circulari clarissimum sit, sed V. S. hoc in casu hoc præstabit, quòd sanguinis impetum & copiam diminuat, unde arteriarum vasorumque latera collabuntur, porisque eorum minùs patulis factis, tanta humorum trajectio & pressio fieri non potest, & præcavetur quò minùs per pressionem à tergo sequentem vel profundiores emergant obstructiones, vel ipsarum fibrarum ruptiones. Suffumigia etiam, ceu jam diximus, instituantur, quæ sola sæpè laudabilem præstiterunt effectum, ex pulv. fumal. usitato, additis sabina, tabaco, scordio, roremarino, thure mastiche, aliisque pluribus.

In Statu Inflammationis quando vasa à contenta materia modò sunt erosa, vel ubi erosio impediri nequit, & adsint ardor, rubor, tumor, pulsatio, dolor, (phænomenis hisce humoris qualitatem, partem affectam, morbique statum indicantibus, ut id in tendinis à punctura Inflammatione manifestissimum est:) agitatioque particularum modicè adaugenda, (non sistenda, ne gangræna suboriatur:) similibus aut fortioribus, quàm in discussione adhibendis, quibus dum maturatio (ut ajunt) seu erosio & fluiditas sunt promota, cutis aperitur, proditque *Exulceratio*: quæ pro sui diversitate, vel curationem vix admittit, vel diversimodè curatur, temperando pus, seu materiam, eamque educendo, & quicquid accretionem à ramoris, viscosis, &c. insinuantibus se & adherentibus (secundum cursum fluidi,) filamentis tubulorum impedit, amovendo, internè ob intemperiem acrem, vel aliam causam, non benè constitutum sanguiuem corrigentibus: externè remediis acre quodcunque temperantibus & propterea merito suo appellandis mundificantibus. Tumor quoquè inflammationi junctus est durus & nodosus, qui vel discutiendus vel maturandus est, in quem finem sequ. conducit Emplastrum.

℞. *Empl. diaph. Mynf.*
De Armoniaco For. aa. ℥ j.
Ol. Tartari dest. nigr. ʒ j.
M.

Curatio Abscessus.

Abscessum cum consideraverimus, vel ut fientem, vel ut factum, duplex etiam instituenda est ejus curatio. Ubi primùm enim videmus, Inflammationem diaphoreticis & resolventibus nequaquam obtemperare, quamvis omnes ad suppurationem materiæ stagnantis promovendam statim confugiant, meliùs tamen agemus si quamprimùm discutiamus ac Inflammationem ritè curemus, omissis repellentibus omnibus adstringentibus ac refrigerantibus, cogitationes unicè in obstructionem intendentes, cui scopo inserviunt sæpiùs dicta alcalia volatilia, aromatica, balsamica, tum interna, tum externa, verb. gr. spir. vin. Camph. Balsam. Nervin. spir. catarrhalis n.d. volatilis, cephal. volat. arthrit. balsam. Ischiad spiritus salis Armoniaci aromat. cum aqua calc. viv. Suffumigia sal. volat. oleos. &c. quorum plura superiùs in Inflammatione enumeravimus. Oleosa & pinguia angue pejus vitentur, emollientibus & resolventibus, iisque in lacte coctis utendum, quapropter aliis pulverem nostrum dissolventem, vel Empl. de Cumino in Belgio multo usu receptum imponatur. Alii Empl. de meliloto malaxat. cum oleo lil. alb. jam in acutum tendenti tumori ac ad maturationem inclinanti imponunt, plures Empl. de melilot. cum diachyl. miscent: Nos aliis Empl. de Labdano hoc in casu præferimus. Inter reliqua eminet lac, in quo coctus fuerit Sapo Venetus, cujus dosis pro Inflammationis statu augebitur, aut imminuetur. Decoctum illud parti affectę cum linteis multiplicatis appositum mirè maturat, & Abscessum aperit: in quem finem etiam ex variis emollientibus fl. chamomill. verbasc. melilot. sem. lini, farin. secal mell. vitell. ovor. &c. parari possunt varia cataplasmata, ac linimenta calidè imponenda, quo præstantius sequenti vix ullum datur.

℞. *Herb. alth.* M. ij.
Menth. M. ß.
Fl. Chamomill.
Melilot. aa. M. j.
Coq. in lact. dulc. ℔. 3. *in fine add.*
Micæ panis alb.
Farin. lini aa. ℥ iij.
Ol. diapalm. ℥ j.
Vitell. ov. N. iij.
Aliquid croci:
F. Cataplasma.

tepidè applicandum. Quando verò nobis constat pus adesse in sufficienti quantitate, nec in suos canaliculos refluere posse, ipsum eliminandum, & foràs ejiciendum est, ne tubulos vel canaliculos plures discindat ac dilaceret, atque ampliorem foveam excavet. Circa Abscessus maturationis tempus cum gummatibus, &c. plurimum ætheris transmittentibus simulque cutis poros obturantibus, quo intestina agitatio magis continuetur, applicandi. Aperitur dein *Abscessus* vel benignioribus, velut diachyl. cum sem. sinapi & sale, vel sequenti ruptorio nobis solenni.

℞. *Mell.* ℥ ß.
Ferment. ʒ ij.
Ocul. cancrorum ʒ ß.
Sal. succin. v. gr. vj.
Axung. lepor. ℥ iij.
M.

vel ferro & cauterio potentiali. Pure evacuato, ulcus ab acido acri liberandum, sive, ut vulgares loquuntur Chirurgi, mundificandum est, in quem finem plures utuntur succo apii, centaur. min. agrimon. betonic. absynth. aristoloch. chærefol. virg. auri, vel eorundem decocto in aqua & vino, non verò turundis utendum, sed tantùm plumaceolis, si pars non fuerit sensus delicatioris, associatis rad. aristoloch. rotundæ, gentian. scrophul. dictamn. Omnem verò absolvunt paginam spir. vin. Camph. aqua Regin. calc. vivæ, Balsam. Sulphuris terebinth. vel anisat. Ol. balsam. Peruv. bals. divin. spir. matrical. &c. Probè sic purgato ulcere chylus fiat balsamicus volatilis & dulcis, ut parti appositus carnem generet, cui scopo inserviunt pomphol. lithargyr. ceruss. Sal Saturni, pulv. aristol. long. Vitriolata & Aluminosa eximia etiam sunt balsamica ac absorbentia. Producta carne esse cicatricem inducendā vulgò urgere solent, quod perficiunt exsiccantibus, contrahentibus, adstringentibus & densantibus, quibus tamen me judice non opus est, quia correcto chylo ab ipso hoc ritè apposito, & ab aere defeso, omnia perfectè consolidabuntur. Si caro copiosiùs expullulat, absumenda est cathæreticis, quę tamen ita corrigenda sunt ac temperanda, ne magna nimis ab illis fiat absumptio, utimur hoc in casu aluminosis, ung. Ægyptiaco inspissato &c sed corrigendum est acidū & abundantius serum absorbendum, hinc & remedia internè in Abscessu adhibenda sunt, varia scilicet volatilia oleosa, sal volat. nostr. oleosum, Elixir vitæ, spiritus matrical. volat. imò hìc omnia viperina conducunt. Tinctur. viperin. Vigan. Antimoniata quoquè haud negligen-

genda sunt, Tinct. nostr. Antimonii Aurata, Antimonium diaphoret. Antihect. Poter. imprimis acidum absorbentia, hinc sæpe soli sufficiunt oculi cancrorum in Abscessibus egregiam navantes operam, ut & cryst all. montan. Terr. Japon. &c imò Balsamica hic omnem implent paginam. Præ aliis autem commendamus ol. balsam. Peruvian. ritè cum alkali destillatum, vel Balsam. Chili Anglorum. Potiones quoque vulnerariæ, item potus calidus Theæ vel Caffeæ apprimè conveniunt, quia sunt diuretica, quæ magni usus sunt, tum in Abscessibus internis, tum externis ex variis vulnerariis parata; ex gr.

℞. Aq. Heder. terr.
Agrimon.
Fumar. aa. ℥ i ß.
Tinct. Ocul. cancror. ℨ j.
Bellid. ℨ iij.
Syr. dialth. F. ℨ j.
M. F. Mixtura cochleatim assumend.

Curatio Sinus.

Ut curam *Sinus* paucis etiam attingamus, statim hic aperiendus est, & materia intus contenta evacuanda, dein expurganda venit cavitas spir. matricali, aqua calc. viv. vel hord. in qua solutum sit mel rosaceum, quo posteriore Galli cum fructu utuntur; & quorum pellicula vel callus cavitatem illius obducentes carnium agglutinationem inhibent, ipsis auferendis opera danda est. Si in partibus carnosis sedem habuerit *Sinus*, totam ejus cavitatem dissecare expedit, at si ferrum ad fundum usque pervenire non valeat, intingendæ sunt turundæ lapide caustico liquato & in Sinum immittendæ. Si verò Sinus angustia ferrum nequaquam admiscerit, hoc uti possumus remedio:

℞. Terebinth. Ven. in vitell. ovor. dissolut. ℥ j.
Pulv. Mastic.
Oliban.
Myrrh. aa. ℨ ij.
Ol. rosar. q. s. digest. cui miscetur Mercurii præcipit. rubr. ℨ j.
Alum. ust. ℨ iij
M. ad usum. Conducit quoque balsam. Saturni cum Camphora Sinui imponend. cum linteis carptis, item confert oleum Antimonii. Omnibus verò aliis generosis præferimus Balsamum nostrum divinum ob vires divinas ita à nobis nominatum, quo plures Sinus & fistulas, pro incurabilibus à Chirurgis habitas, feliciter curavimus, testis est Chirurgus noster Castrensis, hujus enim balsami guttulæ aliquot Sinui vel ulceri fistuloso immittantur egregio, & semper felici cum successu. Ubi callus magnus absit, qui ferro abscindi nequit, sequens adhibendum est:

℞. Mercurii sublimat. correct. ℨ j.
Opii exsicat. ℨ ß.
Excip. Tragacanth. & formentur trochisci, pisi magnitudine, qui Sinui immittantur, in eoque per 12. aut viginti quatuor horas retineantur. Si autem trochisci vehementiùs agant, opii dosis est augenda, Sinus anfractuosi ferro ad fundum usque, si locus incisioni detur, aperiendi, calosaque latera mitioribus vel fortioribus, prout res opus habet, cathæreticis auferenda, dein procedendum ut in Simplici Ulcere. Interna cura eò dirigenda est, ut intemperies acris sanguinis aliorumque Succorum corrigatur per absorbentia, sudorifera ac diuretica superiùs de Abscessu satis dicta, quæ repetere non libet.

CAPUT III.

De Bubone & Anthrace, seu Carbunculo.

§. I. PRout in Macrocosmo ardentes & flammantes observantur montes, ut sunt Ætna, Vesuvius, Ganapus, &c. Sic in Microcosmo aliquando tempestuosissimus sanguinis ac succorum conflictus & æstus exsurgit; unde sæpe ardentes oriuntur monticuli, h. e. Tumores inflammatorii, veluti montes flammivori, modò aperto igne conspicui magis, unde *Anthracum* fluxit nomen, modo oculto, quod in *Bubonibus* visendum est. Ut enim ipsi illi montes modò ceruleas fundunt & præcipitant flammas, insignissima strage accolarum & vicinorum camporum, modò fumante solùm tecto easdem sublimant, ita quoque in Tumoribus hisce utplurimum malignis se res habet. Ut alluvie sua continua, & motu maris perenni fomitem incendii præbent & sugerunt marini fluctus, commoventes Sulphur, ignis matricem; parilem in modum unda Microcosmi despumat quasi ad extimos parietes miasmata unctuosa, crassiore, salino sulphurea, calore, rubore, dolore, per cuniculos elatos incendium particulare afferentia. Terribilis est uterque effectus, casus difficilis, & non paucis lethalis.

Anthrax. Bubo.

Bubo ab inguine, tanquam utplurimùm existente loco affecto, ita dictus, Tumor est inflammatorius occupans utplurimum partes glandulosas, hinc potissimùm glandulas inguinis, nonnunquam colli, vel secus aures, unde parotides emergunt, de quibus suprà de Aurium Affectibus abundè egimus, nunc verò de Bubone in genere pauca dicturi sumus. Vocatur & Aliis Tumor inflammatorius erysipelaceus.

Bubo dividitur vulgò in benignum vel simplicem & malignum, hicque rursus in Venereum & Pestilentialem. Simplices Bubones sunt pueris & adolescentibus familiares, unde & vulgò augmenti corporis indices habentur & dicuntur Germanis, *Wachs Drüsen*, ab abundante sero ibidem stagnante quacunque de causa ob laborem, aerem frigidum &c oborti tumores Maligni vel pesti debentur, ceu fructus & effectus, simulque indicium communissimùm, vel lui Venereæ, hinc venerei dicti, luem enim hanc comitantur, cum gonorrhœa virulenta aliisque Symptomatibus, maximam acrimoniam & viscositatem seri, & inde obstructionem enatam pertinacissimam notantibus.

Quod si φιλολογεῖν animus sit, ipsa notio meliùs Tyronibus patebit. Notat verò Bubo extra corpus humanum consideratus avem feralem, de quo Poeta:

Ignavus Bubo, dirum Mortalibus omen.

Nostro verò in foro triste & ferale pestilens virus utplurimùm denotat, sic etiam ceu diximus Tumorem glandularum Inguinis benignum indicat. Sunt ergo Bubones Tumores glandularum maligni & dolorifici, in locis magis glandulosis corporis infecti erumpentes, à lympha, aliisque succis acribus corrosivis stagnantibus producti.

Carbunculus.

Carbunculus dicitur Latinis à Carbone, uti Græcis *Anthrax* indigitatur; Carbunculi hi indefinitis locis hinc inde palantes visuntur majori ardore & rubore infames, unde Anthrax Ulcus vocatur, crustam habens cum multa partium circumjacentium Inflammatione. Dicitur hic affectus aliis Ignis Persicus, quod Persis sit solennis, ab *Avicenna* nuncupatur *Pruna*, item Carbo, germanis dicitur, *eine Kohl*, oder *eine Carfunkel Blatter*, *ein Pest Kohl*: Gallis un Charbon. Describitur vulgò Carbunculus, quod sit exulceratio cum Inflammatione, aliquando cum ipsa peste conjuncta, nonnunquam sine eà, cum pustulis igneis ardentissimis febre & dolore acutissimo, variis in locis nonnunquam cum, plerumque absque suppuratione productus, latiùs in ambitum serpens, carnem exurens & ulcus veluti Escharotico inustum relinquens, à stagnantibus acribus corrosivis succis proveniens. Vel breviùs describitur, quod carbunculus sit Tumor à succis acribus roden-

rodentibus ac scindentibus tubulos lacerantibus provenies.

Num ad classem Epidemiorum, quàm Endemiorum Carbunculus referendus, an sit novus morbus, prout nonnulli somniant, judicent Critici.

Differentia Bubonis & Anthracis ut plurimùm in eo vertitur, ut Bubo occupet partes glandulosas, Anthrax verò tendinosas.

Pars affecta.

§. 2. Subjectum horum affectuum sunt partes externæ corporis non exclusis etiam internis, has enim affici posse, Experientia & ratione comprobatur; *Paulus Barbette* enim inquit *de Peste p.*413. Rarum admodum, attamen verum, oculum, nasum, ventriculum, imò & intestina ipsa Carbunculo affici posse absque ulla curationis spe. De Carbunculo in cervicæ suppressionem Urinæ, & tandem mortem inferente, confer eundem *Barbette* loco citato, & paulò inferiùs. Utplurimùm verò tendinosas corporis partes affici in Carbunculo omnibus notum est, hinc & dolor intensus semper adest. In Bubone verò partes glandulosas utplurimùm affici jam superiùs indigitavimus, glandulæ istæ corpora sunt rotunda, in quibus tria asterisco digna observantur: Primò, singulas glandulas arteriæ ramum recipere, qui ad illas sanguinem advehit, & ab ipsa proficisci venæ ramum, qui eam sanguinis portionem revehit. Secundò, ex singulis glandulis oriri Canalem, ex quo fluit liquor à sanguine diversus. Tertiò tandem glandularum compositionem duplicem esse, quædam tantùm sunt fasciculus aut glomer vasculorum, quæ mutuò conjuncta canalem efformant, per quem peculiaris liquor defluit: Illæ verò nihil aliud sunt, quàm glandularum minimarum compages. Quibusdam in locis vesiculæ istæ sunt angulares, & inter earum cavitatem mutua conspicitur communicatio, ita ut illæ universæ in duas, tresque desinant, quarum elongatio canalem, unde fluit, liquor à sanguine differens, efficit. In aliquibus aliis locis eæ vesiculæ sunt distinctæ, quarum unaquæque singularem canalem emittit. Glandulæ vesiculares sunt, quæ ex vesicularum congerie solummodò constant. Si tria hæc attenta mente consideraverimus, & ad eorum examen animum nostrum adjunxerimus, nullo negotio glandularum detegetur textura. Arteriæ sanguinem adferunt, qui in oratis vasculis vesiculisque glandularum retrograditur per venas, quæ ab ipsis exoriuntur. Deinceps glandulæ ex vasculis aut exiguis vesiculis liquore à sanguine diverso repletis sunt coagmentatæ. Sed quia hucusque nullum oculis nostris occurrit vas, quod aliquid ad glandulam afferat, præter arterias, quæ ad illam sanguinem apportant, jure merito credere possumus, liquorem istū portionem sanguinis arteriosi quandam esse, quæ ab eo separata fuit, vel à vasculis, vel à vesiculis, & quæ in ipsorum cavitate collecta est; unde fit, ut liquor ille semper è glandula effluat per canaliculum, qui ab ea proficiscitur, & quem canalem Excretorium appellamus Asserere quidem possumus, non solùm diversos poros arteriarum glandularum non esse pares, verùm etiam poros arteriarum unius glandulæ absimiles esse poris alterius glandulæ, quod liquet eo, quòd aliquoties exeat ab una glandula liquor planè discrepans à liquore qui ab altera effluit. Notandum deinceps de glandulis, quasdam apparere solitarias, & nulli alii connatas; nominantur eæ glandulæ *conglobatæ*, quia considerantur ut globuli, qui liquorem à sanguine separant, segregantque.

Sed quando adest glandularum congeries, & universæ unica in volvuntur tunica, & cuncta eorum vasa excretoria in unum coeunt, atque hoc pacto canalem componunt, per quem fluit liquor, quem unanimiter à sanguine separatum existimant, *Glandulæ conglomeratæ* nuncupantur, quam verò distinctionem *B. BonteKoe Amicus noster dum viveret singularis, & post busta colendus*, non admittit, qui statuit, omnium liquorum separationes fieri ope glandularnm, quæ nihil aliud sunt, quàm textura minutissimorum canaliculorum, ex minutissimis arteriarum ramis, in quos sanguis nimis crassus non influit, sed tantùm tenuis succus in tam exiles canales ingreditur. Separatio igitur humorum non per poros peragitur, sed per canales, qui magis apti sunt, quia succi facilè ex parvis ductibus in minores intruduntur & sic premuntur donec à crasso sanguine & succo separantur. Ab aliis pleræquæ glandulæ conglomeratæ dicuntur *Vasculares*, & pleræque conglobatæ vocantur *vesiculares*. Sed aliquantùm in gratiam Tyronūm erimus in his prolixiores, ut eò meliùs parte affecta sic explicata, causas & curationes horum affectuum intelligerent.

In glandulis ergò conglobatis principaliter inguinibus, & sub axillis prorumpere solent, quorsum etiam pertinent Tonsillæ in summitatibus faucium consitæ, lympham deponentes ad humectandum, & lubricandum oesophagum pro usu deglutitionis, & deglutitorum promotionis, in quibus tonsillis Bubonem observavimus aliquoties. Dein etiam in collo, sub mento, & prope aures potissimùm, interdum in glandulis mammarum erumpunt. Utplurimum verò, ceu jam sæpiùs diximus, in inguine Bubones apparent, hinc à pluribus Pestis Bubonibus comitata *Lues Inguinaria* vocatur. In aliis quoque corporis partibus, præsertim in artubus tales tumores oriri possunt. Sic D. *Gieselerus Observ.* 172. *de Peste Brunsv.* in Brachii sinistri medio musculo supra cubitum Bubonem seu tumorem durum non admodum elatum, sed latum, indolentem & cuti reliquæ concolorem, unaque similem sub *Mento* vidit. Sic etiam *P. Barbette Observ.* 30. mentionem injicit Bubonis pestilentialis, interiùs circa brachii sinistri articulum musculi bicipitis tendini inhærentis. Et *Zacutus Lusitanus lib.* 3. *Prax. admirand. Observ.* 39. Bubones se observasse scribit plures, etiam in capite, nucha, humeris, thorace, umbilico, femore & tibia lethales, eo nomine refutatos à *DiemerbroKio lib.* 1. *de Pest. cap.* 14. *Zacuto* enim non magna fides adhibenda est, quoniam in pluribus excedit. Sed veritati semper studendum est ne Tyrones decipiamus, & à via Regia declinemus. Carbunculi in omnibus verò corporis nostri partibus prorumpunt, non enim habent certa determinata loca, in quibus producuntur, sed indiscriminatim modò in collo, modò in abdomine, sæpiùs in dorso, frequenter in cruribus, brachiis, pedibus, digitis, qualem Francothalii tempore Pestis observavimus, imò in visceribus, interioribus forsā fuere abscessus, & nō Bubones, ipsis tamē analogi.

Diagnosis.

§. 3. Quò quis melior in cognitione, eò felicior erit in curatione, effatum est commune. Opus ergò est signis, quorum ope morbus innotescat, quapropter *Signa Diagnostica* Prognosticis præmittenda sunt, cùm qualis sit morbus, & quæ ejus conditio, doceant. *Bubo* cùm vel simplex sit, vel aliis quibusdam symptomatibus stipatur, utrisque cognitionem nobis comparabimus. Dignoscitur autem simplex à tumore cum renitentia, rubore, dolore & febri levicula. Symptomaticus cognoscitur si per se & nullo prægresso morbo oboriatur. Criticus vel ille dicitur, qui morbum alium sequitur, ægerque ad ejus eruptionem levatur. Bubo malignus, aut Pestilens percipitur tum ex eo, quod ipsius symptomata sint vehementiora, imò quę ipsam Pestem comitari solent, tum quod vel in Febribus maligis vel sæviente Peste exoriatur, frequentiùs sub axillis quàm in Inguine appareat. Bubo Venereus Inguina utplurimùm affligit, & in axillis rarissimè videtur; ipsum venereum esse certò scimus, si ægrotans cum impuro scorto se rem habuisse fateatur, reliquaque luis venereæ signa appareant. Bubones primò se in conspetum dant ex albo rubicundi apparentes, dein brevi rubicundiores redduntur ac splendidiores, imò sæpius fusci ac ex nigro rubicundi, ardore ac æstu summo prædití; plerumque altiùs sub cute latent in glandulis, & in initio hinc inde protrudi possunt, verùm statim magis magisque intumescunt, ac incrementum accipiunt, sicque immobiles redduntur cum tensione, duritie ac velut solido nervo ad partes vicinas sepe producto: notabile tamen est, aliquando oboriri Bubonem, ita ut vel occurrat ante febrim, interdum post demum; nonnunquam etiam leviùs ferri, tum quoad totum, tum quoad ipsam partem affectam, quæ singula à diversitate succorum eorumque stagnatione eveniunt, & ubivis probè discernenda.

Signa

Signa Diagnostica *Anthracis* sæpiùs infallibilia esse scribit *Barbette de Peste p.* 477 quia Anthrax seu Carbunculus diversa admodum specie se manifestat. Plerũque tamen, ubi Carbunculus fieri debet, adest pruritus, sequitur pustula major, vel plures minores milii seminis magnitudine & acerrimæ, quæ inde oriuntur, quòd non duntaxat ramus quidam magnus, ubi Anthrax prodit, sit obstructus, sed rami etiam minores, ex quibus pustulę itidem minores erumpunt & visu conspiciuntur. Nec diu pustulæ speciem servant Anthraces, quin mox tumorem duriorem in universa sui circumferentia ostentant, sicuti in sui medio & centro in ulcus exedens aperiuntur, quin imò sępenumero quaquaversum ambulant & vicinas partes mirè depascunt, unde nonnunquam oculos inde excidisse *Sylvius* notavit. Sed & post curationem subinde contingentem, fœdæ ac prægrandes cicatrices remanent propter carnis multę deperditionem. Caro omnis Anthracibus correpta mortificationem gãgrænæ similem patitur. Aliquando verò absque pustula magna oritur Carbunculus, sed ulcus crustosum producitur, quale fieri solet à candente ferro, cujus crusta modò nigricantis modò cinerei coloris est. Caro circumposita maximè ardet, & quidem circa vesperam, & colorem habet nigriorem, quàm in Erysipelate, & phlegmone. Crusta ablata, non semper pus, sed caro aliqua spongiosa occurrit, quæ à sana parte, relicto ulcere cavo, abscedit. Colorem pustulis his atro-purpureum assignat *Barbette de Peste*, qui ibidem etiam albas pustulas non excludit, hisce prolatis verbis: *At sæpiùs non nisi pustula alba atque plana se exhibet, quæ pus bonæ notæ continere videtur, compressa verò sicca omninò & dura notatur, profundè admodum subjectam carnem consumens.* Varia Carbunculum malignum comitantur Symptomata, veluti febris, nausea, vomitus, palpitatio cordis, animi deliquium, delirium, convulsiones, anxietates præcordiorum, &c. ut jam dicta breviùs connectamus: Manifestat se Carbunculus quadam minori albicante pustula, interdum numerosis iisque acerrimis, & acutissimis doloribus ęgros infestantibus, quibus propediem succedit ulcus crustosum, iis non absimile, quæ à ferro candente excitãtur. Nonnunquã erumpit ulcus absque pręcedente pustula, crusta modò nigra, modò cinerea obductum, qua sublata profundũ apparet Ulcus, putridam carnem circũcirca depascẽs & mortificãs. Caro ipsi circumposita cũ intensa phlogosi, & ardore circa vesperam ingravescente, effervescit, unde omnis Carbunculus circulo rubro eſt circumdatus, qui nihilominus aliquoties lividus est, aut cœruleus in Carbunculis malignis, quibus simul adjunguntur febris, vomitus, inappetentia, palpitatio cordis, animi deliquia & deliria.

Galenicorũ judicium de causa Bubonis.

§. 4. Tradita sic Diagnosi, restat ut causam quoque subjungamus, & quidem priusquam *nostram* aperiamus sententiam, aliorum Affectus hosce explicandi rationem præferamus, inter quos ob vetustatem *Galenicis* primus conceditur vota sua proferendi locus. Hi verò *Bubones* glandularum inflammationem esse dicunt, quos abscessorios tumores in pestiferos, simplices, & prodromos morbi Gallici dividunt. Bubonis pestiferi *causas* conjunctas duas esse contendunt. Efficiens nempe conjuncta est robur & vivacitas expultricis Facultatis ipsarum partium principalium, quæ expulsio semper ab illis ad sua emunctoria fit. Causam materialem esse dicunt sanguinem quendam corruptum & omninò propria natura privatum, & sæpè adeò alteratum & immutatum, ut à tota substantia naturæ inimicus sit. Causam hujus corruptionis esse ex aeris corruptione ajunt, qui attractus inficit spiritus & corrumpit sanguinem, atque sic Pestilentes Bubones à putredine quatuor humorum oriri contendunt. *Bubonem* autem *simplicem* nihil aliud esse, quàm glandularum inguinalium Inflammationem, atque dicunt Hepar sæpe exonerare materiam vitiosam ad inguina.

Bubones verò Gallicos in inguinibus obortos, quamvis non noverit Antiquitas, hinc à nonnullis Angi vocantur, Codosellæ, Tincones & Panochiæ. Utplurimùm verò tumores hos Gallicos deducunt à materia frigidà transmissa ab Hepate, sed accidit, ut aliquando calida portio misceatur, & tunc dolor, rubor, caliditas apparent, & de isto Bubone venereo pronunciant celerem & bonam maturationem.

Carbunculi.

Sanguine verò magis atrabilario existente, ubi sc. ebullit, & ad partem aliquam irruit, *Carbunculos* oriri asserunt, eosdemque produci ajunt *Galenici* ex quibusdam popularibus causis, imprimis malignos & pestiferos. Cùm Anthrax conspicitur splendicans veluti pix & bitumen, hoc esse ex atra bile contendunt, pestiferum Anthracem esse à materia venenata non dubitant; vesicarum & pustularum in Carbunculis exortarum causam ajunt esse vapores ibi exhalantes. Alii sunt ex antiquitate, qui Carbunculos fieri autumant ex sanguine crasso & calefacto, alii ceu dictum, ex atra bile, h. e. ex massa sanguinis crassa vergente ad naturam atræ bilis, alii à putredine quatuor humorum.

Paracelsi ratiocinium de causa Bubonis.

§. 5. *Paracelso Bubo* vel *Bufo* est infectio ex duorum similium commixtione proveniens, & ex tertio in Apostematum generationem, ac per salia luxuriosa tandem in Ulcerationem producta. Cùm enim illa duo mineralia simul in matricem veniunt, inde juxta ipsum Authorem generatur *Bubo*, tum ex accessione tertii subsequitur Bubo vitriolatus, & causam hujus esse dicit, quòd sperma luxuriosum scabie sua infectum est.

Carbunculi.

Anthrax verò *ipsi Paracelso* est apostema, quod ex Realgare Mercurii generatur, & in radice venarum earundem oritur, posteà sibi facit exitum, suo centro nihilominus in radice manente. Inde sequi ait, unamquamque venam hujusmodi minerale Realgar continere. Quare quot venas tot Anthraces contingere contendit, ut Anthrax salvatellæ, Anthrax medianæ, cephalicæ &c. Est ergo ipsi Anthrax apostema per sanguinem ex venarum ejus prima radice pulsum, uti communia cum emunctorio proprio, & est apostema radicale, quod oritur eo tempore quo mineralia venena solent apparere, similisque corruptio est ei, quæ fit in mineralium concavitatibus.

Juxta Helmontium causa Bubonum ac Anthracũ.

§. 6. Nunc etiam paucis de *Bubonibus* ac *Anthracibus* audiamus *Helmontium nostrum*, qui Bubonem ac Anthracem aut Escharam, non esse materiam Pestis primitivam comprobat, sed effectum ac productum, quod Pestis sibi paravit. Negat etiam contra Scholas, Bubones ac Anthraces pestilentes non nasci a putredine quatuor fictorum humorum, ut neque ex aeris calore aut frigore, nec ex veneno aliquo abditarum causarum alumno. Denique advertendum esse ait, quòd cùm Tartarus cruoris sive ultimæ digestionis vitiatæ scoria susceperit fermentum pestilens, non minùs quàm cætera transmutata, privilegium habent exhalandi per poros, sine ulla post se residentia, sive residuo capite mortuo, si nempe humores fuerint alimentarii, non autem si ipsa solidorum substantia in Escharam, aut Anthracem sit ambusta. Quanquam autem Tartarus cruoris præfata quoque gaudeat prærogativa, quoties extra vitæ Oeconomiam ut infamis est proscriptus: attamen dum in pus aut virus saniosum transmutatus est, pellem priùs erodit in Escharæ speciem quàm quòd vaporetenus transudet Idque scilicet ob impressam peregrini fermenti labem, qua degeneravit in transmutatum formale. At si odorem fermenti quidem hauserit tartarus cruoris, sed nondum sit transmutatus, fiunt juxta Authorem nostrum *Glandulæ*, & *Bubones*, quæ sudoris profluvio citra cutis apertionem non rarò terminantur, ubi præfata illa nequeunt. Bubones venereos facilè propagari posse à sordida Meretrice: Pestis ideam facili marte in glandulas protuberare ait: Pestiferos odores in stomacho paratos comitari sæpe Bubones in inguine scribit. Sic quoque Terroris imaginem in peste solo nutu suo, tam diversa à se invicem producta cudere existimat Author, qualia ipsi sunt Anthraces, Bubones, escharæ, vesiculæ, tumores ac vibices. Anthracum causam à sale caustico vult deducendam.

Vuillisii opinio de causa Bubonis.

§. 7. *Vuillisii* opinio de *causa Bubonum* est sequens: dum proportionata subsistit principiorum sanguinis mixtura, motus ejus æquabilis permanet, & universis corporis partibus, quas lustratione continua perluit, succos tum ad vitam, tum ad nutritionem necessarios justa mensura largitur. Sed si ab heterogeneæ cujusdam materiei adventu spiritus in motu suo perturbentur,

bentur, sanguinem exagitant, & vehementes effervescentias in illo excitant, donec extraneum istud vel domitum, vel foràs expulsum fuerit. Turgescit enim sanguis juxta mentem Authoris, quum scilicet irritantur spiritus à retentis fuliginibus, vel eorum penu à generosioribus alimentis locupletatur, vel à Sulphure copiosiori exaltato acuuntur. Tunc enim tumultuarie commovetur sanguineus latex, vehementiùsque ebullit, atque principium ejus solvitur, nec sanguis solus effervescit, eo vitio etiam contaminantur succi, tum ab eo emanantes aut discedentes, tum ad illum appellentes, variique ex eorum dyscrasia exsurgunt affectus. Nulla autem cruoris massę advenit extraordinaria effervescētia, à quacunque excitata fuerit causa, quin ipsam subsequatur crassiorum, recrementitiarumq; particularum segregatio: & quò intensior durabiliorque fuerit fervor, eò copiosior fiet materiæ impuræ separatio, majorque atque auctior ejus coagulatio. In axillarum verò inguinumque glandulis deponitur nonnunquam vitiosa ista materia, ubi ad mentem Authoris Bubones excitat, quia vasorum sanguiferorum surculis tenuissimis existentibus in illis, venæ impares sunt, sanguini illuc arteriis advecto facilè prompteque reportando. Ipse autem crassioribus coagulatisq; particulis refertus vascula ista permeare non valens, in iis commoratur ac stagnat. Succus quoque nutritius, cujus adenes receptaculum existunt, & per quas in vasa sanguifera transfunditur, in earum laxiori substantia coagulatas suas particulas deponit, quæ illarum poros adimplentes & obturantes, cum sanguineis jam aggestis glandulam distendunt, & in tumorem Bubonis nomine insignitum elevant.

Carbunculi. *Carbunculum* verò Author dicit à Miasmate quodam venenato sanguinem cum aere subingresso pedere, quia juxta *Ipsum* atomi isti perniciosi cruori permixti, spiritus ejus in motus inordinatos compellunt, partes sulphureas exaltant, febrilemque ebullitionem in eo concitant, partes verò sanguinis tali labe infestatæ ab aliis deficiunt, & in glomusculos coagulantur. Sanguis enim perperam partes universas corporis pervagans, ad superficiem delatus, & in vasa capillaria propulsus in iis sistitur, glomusculis ipsi innatantibus in tenuioribus istis vasis hærentibus, viamque liquori advenranti præcludentibus. Aggestæ verò coagulatæ istæ locum, in quo coeunt, extollunt, & tumorem in eo producunt, qui sensim accrescit, à novæ peccantis materiæ accessu. Immanis autem ardor talem tumorem concomitans oritur, juxta Authorem, ab atroci ista deflagratione in sanguine producta à spirituosis ejus particulis œstro percitis, & sulphur. summè evectis, à qua potior aquæ portio exhauritur, spiritusque & tenuiores sulphuris partes perpetim avolantes dissipantur. Sal itaque fræno ampliùs nequaquam temperatus exaltatur, spiritibusq; ac sulphuri furibundis adjungitur: sed tandem principatum obtinens, & cum terra, crassioribusque quibusdam sulphuribus associatus retorridam constituit massam, cujus particulæ congelatæ, & in tenuiora quædam vasa delatæ in iis cespitant, & locum, in quo nidulantur adurunt, exeduntque; liquor nervosus, à tali contagio intemeratus nullo modo subsistit: quum enim à sanguine tanquam à scaturigine sua ortum ducat, venenata ista miasmata, quæ ab aere in ipsum irrepserunt, in sinum suum suscipit, quibus infectus, cerebrum nervosasque partes subiens, varios irregulares motus in iis parit.

Sylvii opinio de causa Bubonis. §. 8. *Sylvius* triplicium *Bubonum* mentionem injicit, pestilentialium nempe, venereorum, & non malignorum dictorum. Bubonum omnium causam *ipse* dicit sanguinem acrem ac viscidum, ob suam acrimoniam vel visciditatem, vel aliud vitium, in conglobatis, (non verò conglomeratis) glandulis hærentem, atque illas in tumorem attollentem, accedentibus pro vitii diversitate symptomatibus diversis. Ipse Author notat etiam, difficiliùs ad sui maturationem deduci Bubones pestilentes quàm alios, & dolorem ardoremque molestiorem habere utplurimùm comitem, ex ardore autem bilem biliosumque humorem, h. e. sale volatili constantem peccare judicat. Si proinde in non maligna dicta inflammatione acidum sanguinis tandem superat ejus amarum, hinc in maligna idem desiderari, & minus potens esse tunc acidum contendit. Hoc est, in malignis pestilentibusque Bubonibus sanguinem bile abundare magis quàm decet, habere saltem ipsum acriorem, aut humorem sali volatili similem, & acri constantem, minùs verò acidi continere.

Carbunculi. *Carbunculi* autem causam *Sylvius* ab acri, vel ab acido, vel à salso lixivo deducit, & probat per id, quod à salso lixivo ardor rodens producatur, ceu id testantur cauteria potentialia cuti applicata, idem confirmat per butyrum Antimonii, quod ardorem urentem ac rodentem cuti applicatum inducat. Butyro verò antimonii inesse acidum acre sal lixivum temperans, & infringens nullus dubitat. Concludit ergò, sal lixivum acre humoribus inexistens Carbunculos producere, hinc caro omnis Anthracibus correpta corruptionem, Gangrænæ similem patitur, & ad internecionem integramque mortificationem deducitur.

Cartesianorum opinio de causa Bubonis. §. 9. *Cartesiani* adscribunt *Bubonum* originem succo chyloso in glandulis conglobatis ab acido quodam, sive particulis quibusdam angularibus acutis in lympha existentibus coagulato, & propterea in iisdem stagnante, non modo ipsas glandulas, sed partes etiam vicinas distendenti, & tumorem cum dolore, rubore & pulsu, uti in ipsa inflammatione producenti, hic verò succus chylosus cùm in glandulis hisce non adeò sit lutosus, ut in aliis partibus, propterea bubones ajunt non facilè suppurari.

Carbunculi. *Carbunculorum* causam non tantùm obstructionem esse dicunt tubulorum in partibus quibusdam corporis nostri, sed materiam etiam, abs qua obstructio illa inducitur, particulis multis salsis corrodentibus refertam esse, partes vicinas destruentibus & mortificantibus. Ejusmodi verò particulis acutangulis, sive salibus acidis corrosivis tempore pestis aerem abundare dicunt quæ cùm unà cum aere assiduò inspirentur, sanguinem non modò incrassent, sed particulis etiam chylosis tenuissimis se insinuando, easdem ad similem redigant corrosivitatem; quapropter in extremitatibus arteriolarum subsistentes particulæ istæ chylosę corruptæ, atque à materia celesti aliter, quàm antea commotæ, angulis suis acutis fibras nerveas dissecando, non modò pruritum & inflammationem inferant, sed partes etiam vicinas destruant, mortificent, & hinc inde pustulas suscitent.

Nostra de causis horum Affectuum sententia. §. 10. *Nos* ut in causarum horum affectuum recensione eò feliciùs provehamur, ponemus ulteriùs, quæ ad harum inquisitionem solidiorem faciunt. Constat nempe vitam nostram fundari super circulatione sanguinis ac reliquorum succorum. Cùm enim cor in corpore nostro sit instar antliæ in machina Hydraulica existentis, hinc cor contractione sua sanguinem ex ventriculis suis in auriculas immittit. Sed quoniam arteriæ sensim decrescunt, sanguis in eas injici nequit magno cum impetu quin eas tumefaciat. Cùm arteriæ hoc modo tument, ad pristinum redeunt statum fibrarum suarum elatere, & ea ratione partem sanguinis, quem acceperunt, cordis venis impendunt. Et cùm cor iteratis vicibus sanguinem in arterias protrudat, ita etiam illæ extolli debent & subsidere iteratis vicibus. Motus iste arteriarum Pulsus vocatur, circa quem annotandum est, arteriarum dilatationem cordis contractionem cōcomitari, & arteriarum contractionem ejus dilatationi adjunctam esse, Nos cordi tantùm tribuimus munus sanguinem in arterias compellendi, ipsumque præcipuum circulationis instrumentum existimamus. Iis, qui autumant, cor esse sanguificationis organon, permittendum est, incertiori inniti conjecturæ, ut alibi videre licet. Sic quoque lympha, quæ constat partim ex succo nerveo, partim ex lacte, circulatur ex receptaculo lumbari in cor, & de corde in cerebrum, & sic iterum de partibus externis ad suum receptaculum. Sic & succus nerveus suam habet circulationem, quando ergò unus vel plures ex his succis subsistunt, fit morbus, imprimis verò serum cùm sanguine aliquando ...... indipiscuntur in glandulis, hinc oriuntur tumores glandula-

dularum Bubones dicti, quorum causa proxima & immediata dici potest obstructio angustiorum tubulorum, seu canaliculorum glandularum conglobatarum, sive stagnatio lymphæ in suis glandulis ichorescentis acris corrosivæ, à qua extenduntur & rumpuntur tubuli & canaliculi, ex quibus major evasatur seri viscidioris quantitas, quæ dein stagnat, & hunc tumorem ob particulas acriores conjunctas igneum excitat, hinc & membranæ maxime premuntur & extenduntur, unde dolor iste vehemens. Cùmque sanguis cum lympha in Peste sæpè maximè corrosivus existat, tantum abest, ut promptè secerni & revehi amet, ut potiùs in minutissimis canaliculis glandularum coaguletur, stagnetq; & acribus scindentibus triangularibus suis particulis salinis se insinuet, unde tumor, dolor & ardor ingens seu Bubo excitatur.

Illustrari hæc possunt non solùm exemplo Bubonum simplicium benignorum, & venereorum, & pestilentium malignorum, in quibus diversis saltem & remissioribus gradibus causarum, stagnatio consimilis observatur. In morbis & febribus fiunt hi tumores per congestionem, dum particulæ hæ viscidæ acres massæ sanguineæ ex volatili acri corrupto oriundæ coagulantur circa vasa capillaria, & dum sanguini vias intercludunt, Inflammationem talem cum tumore constituunt, tubuli enim glandularum conglobatarum imprimis in Inguine existentium apprimè nati & fabricati sunt, ad ejusmodi tumorem producendum, quod si imprimis circa inguina contingat talis tumor, Bubo tum vocatur. Causa ergo Bubonis est, uti anteà jam meminimus, obstructio angustiorum tubulorum glandularum conglobatarum, in quibus is exoritur, à succis quibuscumque crassis tubulos opplentibus. Febris, quæ Bubonem comitari solet, designat sanguinis particularum dispositionem esse turbatam, ejusque motum esse inordinatum, & in illo fermentationem quandam fuisse excitatam, nulla autem quæ fieri potest in stagnatione succorum ab acidorum cum alcalicis miscela, impeditoque libero materiæ æthereę commeatu. Si enim acidorum penu à quadam ex sex vulgò dictis non naturalibus rebus adauctum sit, vel si dissipatis in diuturniori eoque acuto quodam morbo ad maximam partem volatilioribus alcalicis, acida imperio potiantur alcalicorum in sanguine subsistentium, pori ab acidis occupantur, sulphuraque ab illis coagulantur, à quibus in tubulos delatis emergit obstructio. Materia ætherea, quæ antea alcalicorum poros absque impedimento permeabat, ab illis acidis oppletis reflectitur, & in sanguinem repellitur, quem vehementiùs turbat & exagitat, donec vel acida ab alcalicorum poris abegerit, vel ipsa alcalia contriverit, partiumque atque earum pororum dispositionem immutarit, adeò ut rectà tendere possit. Sed si acida duriora fuerint altiùsq; alcalicis infixa irriti fiunt materiæ subtilis conatus, nec penes ipsam est liberam sibi sternere viam. Ex arcta illa igitur acidorum cum alcalicis unione exsurgunt salia, quæ cum sanguine in angustos, & à Sulphuribus coagulatis jam obstructos glandularum inguinum aut axillarum tubulos delata, in iis cespitant, & retinentur, particulæ ejusdem ordinis partes hasce indesinenter attingentes nec ulteriùs progredi valentes, prioribus adjunguntur, tumoremque coacervatione adaugent: qui durior fit, particulis salinis materiæ ætheræ continuo impetu in ipsas irruenti, obsistentibus, ab illa arctiùs conjunctis, & unitis, comminutisque hac ratione, & expressis phlegmatis ac foràs expulsis.

Causa maligni seu pestilentis Bubonis.

Febres malignas, Pestilentiales, & Pestem ipsam per gradus tantùm inter se differre jure statuunt Medici, illasque ab eadem causa, cujus effectus variant, juxta intensiores vel remissiores ejus vires produci fatentur. Præmissis igitur aliorum placitis, existimamus supradictos morbos produci à particulis quibusdam duris, rigidis, acutis & scindentibus, arsenicales audientibus, quę è terræ fodinis in aerem elevatæ, & cum ipso in sanguinem reliquosque succos usque penetrantibus alcalicorum poros subeunt, iisque infiguntur, sulphuraque coagulant, à coagulatis Sulphuribus obturantur canaliculi, & impeditur sanguinis ac reliquorum succorum circulatio, ab alcalicorum poris ab acidis occupatis reflectitur materia subtilis, quæ in sanguinem repulsa violentas in eo excitat turbas, vehementissimoque conamine particulas illas salinas ex acidorum arsenicalium, cum sanguinis alcalicis coalitu protrudit, validissimoque impetu in reliquas sanguinis & succorum particulas, & partium fibrillas compellit: illæ verò angulis duris & acutis donatę occurrentes sanguinis particulas atterunt, & comminuunt, fibrillasque partium violentiùs lancinant & convellunt: nec à sanguinis phlegmatis attemperari possunt propter eam, qua pollent, duritiem & rigiditatem, à quibus potiùs phlegmata viscida incidunt & attenuant, pauca quoque ex acidis istis arsenicalibus, quæ sanguini sunt permixta, in Sulphurum ramis implicantur, quia cùm Sulphura particulis mollibus sint donata, acidorum duritiei & rigiditati resistere nequeunt, atque ab iis scinduntur ac minutim secantur; unde fit ut Bubonis maligni aut pestilentis Symptomata atrociora multùm sint simplicis Symptomatibus. Certum enim est, quando coagulatus sanguis è corde hanc vel illam arteriam obstruit, Anthraces gigni, quæ nihil aliud sunt, quàm gangrænæ & sphaceli, cùm enim sanguis coagulatus ibidem in parte aliqua stagnat, acidum illud acre seu serum acre à sanguine secedit, sicut serum à lacte, h. e. motu pristino circulari denegato materiæ subtilis alio modo particulas illas disponit, adeò ut quædam magis ab aere, aliæ minùs premantur, habet se verò istud acre ac si parti escharoticum fuerit impositum.

Causa Bubonis Venerei.

Venerei verò *Bubonis* causa utplurimùm est acidum acre, à pure ulcusculorum in mulieris pudendis excavatorum elevatum, & viri urethræ ac balano exceptum; quod vasorum sanguinis tunicas penetrans illius massæ immiscetur, quædam ex illius alcalicis saturat, & quædam Sulphura coagulat, quæ in inguinum & axillarum glandulas cum sanguine circulante advecta, in illarum angustioribus tubulis commorantur, sanguinique affluenti, & materiæ æthereæ advenienti sunt impedimento.

Bubo ergò, (qui pro pestilentiali ob subjectum Carbunculum intelligendus videtur, vixque sine ipsius Pestis expositione sufficienter exponitur, est particularis inflammatio orta ex obstructione tubulorum angustiorum varieque intortorum, in glandulis parotidum vel axillarum, vel inguinalibus, à secedentibus ex cæterorum contubernio particulis quibusdam imprimis acutis irregularis figuræ &c. (ob dissolutum nexum & unionem particularum sanguinem & humores constituentium, vel terrore, & imaginatione, rejecto veneno omni contagioso pestifero speciatim sic dicto, à particulis pestiferis corrosivis & in consueto ab iis, vel cum iisdem adducto æthere,) hærentibus & viscidis, quæ hic ordinariè cum lympha secernitur, involutis, hinc veneni pestilentialis corrosiva vis hic non tam efficax, quàm ubi in glandulis & tubulis cutis variantem ob diversam diametrum &c liquorem continentibus exigua, vel pluribus exilibus pustulis (inflammatione ad suppurationem vergente,) se prodiens, non ita irretita, circumvicinorum tubulorum, & subjectorum musculorum filamenta disnectens efficit, ut iis in cincinnos resilientibus, omnemque humoris adventum, vel transitum denegantibus omnino gangræna, si non perfectus sphacelus producuntur.

Causa Carbunculi seu Anthracis.

Carbunculi & Bubones à congenere h. e. eadem ferè ac Bubonis materia excitantur, & eadem est eorum *causa*, duoque isti tumores in eo tantùm inter se differunt, quòd in Carbunculo materia acrior ardentiorque sit quàm in Bubone, & non tantùm in glandulosis, sed etiam aliis & variis corporis partibus decumbat: Materia verò Bubonem excitans utplurimùm in inguinum axillarumq; glandulis stabulatur. Novimus enim primò, Bubones in glandulis sub axillis, pone aures, aut in Bubonibus sic dictis glandulis produci: notum etiam est genuinis Medicis, non verò lippis & tonsoribus, glandulas constare ex tenuioribus arteriarum canaliculis variè inter se contortis. Oriuntur quoque Bubones hi, quando succi sanguinis nostri malè sint commixti, ut fieri solet tempore malignitatis, hinc

hinc ſucci illi per glandulas tranſire nequeunt, ſed in iis manent, ac obſtructionem inferunt, quia partem affectam continuo motu diſcindunt, palpitatio quoque ob arteriam convulſivè affectam percipitur poſtea, ſed tardè ad ſupurationem tendit. Ex hac diſtinctione clarè patet, *Carbunculi* ſeu Anthracis cauſam eſſe particulas ſanguinis ac ſuccorum corporis noſtri ſecedentes acriores, ac corroſivas circa partem quandam exteriorem ſibi cavitatem parantes, & tubulos quoſcunque corrodentes; & huc referri poſſunt omnia ea quę ſuperiùs de Bubonibus imprimis peſtilentibus ac malignis diximus.

Prognoſis Bubonis.

§. 11. Cum Signa *Prognoſtica* Medico magnam famam, ſi rectè prædixerit, ingens verò vituperium, ſi ſecus fecerit, conciliare poſſint, meritò in eo totus eſſe debet, ut hac in parte, quantum per vires licet, ſtudium ſuum collocet & cautiùs diſcat mercari ſi ea ignoret. Curatio *Bubonis* dubia eſt, ſi tardius maturetur, quùm in fiſtulas abeat periculoſas, ceu dum hæc ſcribo in Ruſtico in proximo pago Hohenkirchen habitante obſervavi, qui neglecto Bubone in inguine in fiſtulam abiit, ex qua excrementa liquida continuò effluebant, craſſioribus verò per anum, Niſi quoque Bubo Venereus citò curetur, vel ſi materia illius acrior fuerit, & ſuccedaneam habeat luem Veneream, majus impendet periculum à maligno ac peſtilenti, quàm à ſimplici, & ſi negligatur ejus cura, vel ſi materia vehementioris fuerit acrimoniæ, partis gangræna, oſſium ſubjectorum caries, imò & ipſa mors ſubſequi poteſt. Bubo ſiquidem affectus eſt periculoſiſſimus, imprimis in inguine, quod ſequens confirmat hiſtoria: hìc enim Caſſellis ancilla in inguine prope pudenda, & quidem dextro latere, maximum ſenſit dolorem, quem ſequebatur Bubo, quem autem ancilla ob pudorem neglexit, tandem ob acrimoniam ſuccorum intùs contentorum tubulos omnes corrodentium rumpebatur, ex quo prodibant itidem excrementa, (per alvum excernenda,) fœtida cùm flatibus, quare Chirurgus, & quidem non malè, ſuſpicabatur inteſtinorum exulcerationem, etenim non ſolum hæc, ſed & pritonæum, pudenda uſque ad coxendicem cum nervis & muſculis ſphacelata & putrida obſervata fuere: adhibitis tùm internis tùm externis remediis optimis, ſeptimo die morbi prunella alba à Chirurgis ſic eicta, accidit, ut & hęmorrhagia ex gangrenoſa parte exorta ſit adeò vehemens, ut undecimo die circa horam nonam matutinam, animam Creatori ſuo placidè reddiderit. Cadavere diſſecto repertum fuit inteſtinum jejunum ad magnitudinem nucis juglandis corroſum ac pertuſum, reliqua etiam penitus fuere corrupta. Non tamen ſemper adeò periculoſus affectus hic exiſtit, aliam enim novimus 20. annorum filiam Bubone in dextro coxendicis latere laborantem, ex quo maturato excrementa fœtida non duntaxat prodiere, ſed & in appoſitis Emplaſtris crudi reperiebantur cibi, quem feliciſſimè curavit Chirurgus noſter aulicus Dn. *Johannes Muttiliet*, & quidem intra 8. hebdomadrum ſpatium: idem & alium curavit militem eodem affectu laborantem. Dicit etiam Hippocrates Medicorum Princeps, qui ex offenſionibus aut aliis ulceribus aut doloribus proveniunt Bubones extra periculum ſunt: qui verò ex febribus (quæ ſanè maximè in Peſte coincidere ſolent,) peſſimi exiſtunt, ſive juxta femur, ſive ſub alis, aut ad collum enati fuerint. Periculum item ex ætate, regione & viribus deſumendum eſſe exiſtimamus, quia delicatulis, item regionibus calidiſſimis inhabitantibus ac debilibus majus periculum denotat, quàm adultis, regionem incolentibus temperatam ac robuſtis. Maximum itidem periculum exoriri ſolet, ſi ægri Bubones negligant, & nec internis nec externis utantur Topicis, ſed ſoli ſuæ deaſtræ naturæ curandos relinquant. In peſtilentibus Bubonibus non levem promittunt ſpem, quando vires conſtant, & medicamenta optima non revomunt ægrotantes, ſed per ſudorem eliminentur, & ſic ad emunctoria ſua vulgò ſic dicta, v. g. ſub axillis, prope aures, vel inguinibus, ubi laudularum adeſt copia; ſic & quo citiùs Bubones apparent, iique conſtantes, vt minùs retrocedant, ac perfectam acquirant maturitatem, eo minùs mortis incurrunt periculum ægrotantes, ſi verò maligniores ſint, citum etiam interitum inferunt. Obſervantur tamen Bubones ad chronicorum morborum naturam deflectere, quando morbo ipſo principali jam quieſcente ad plures ſępe ſeptimanas horum conſolidatio ob κακοχυμίαν ſuccorum producitur, adeoque quæ de abſceſſibus in univerſum prædicantur in Scholis Medicis, illa poſſunt intelligi de Bubonibus. Bonus nempe eſt, qui maturè erumpit, imprimis in inguine, ſi colore vivido conſpicuus eſt, hinc optimè dicit Senex noſter: Tubercula extra extuberantia & acuta, & faſtigiata, & æqualiter matureſcentia, & non obdura, & deorſum vergentia, & non bifida, meliora; contraria verò mala, & quantò plus contraria, peſſima: *lib. 6. Epid. ſect. 1. tex. 29.* conferri etiam poteſt *5. Aph. 65. & 67.* Sic vires proſtratæ, vomitus tum Medimentorum, tum aſſumptorum frequens & continuus, faciei partes ſubitò immutatæ & cadaveroſæ, lipothymiæ ſæpe recurrentes, convulſiones, delirium, exteriora frigida, interiora calida, alvi dejectiones nimis copioſæ ac diverſi coloris, atræ nempe & ad lividum tendentes, ut & urinæ fœtidæ ac nigricantes denotant, mortem in olla eſſe. Sic etiam non abſque mortis periculo apparent Bubones in collo & ad aures, cum dolore gulæ, ac ſumma deglutiendi difficultate conjuncti, de quo tumore egimus ſuperiùs, de œſophagi tumore, quò Lectorem remittimus. *Paræus lib. 21. cap. 30.* ait de Bubone: Lethale eſt, tumores repentè augeri, & furente veluti impetu ad debitam magnitudinem perveniſſe, ſummaque omnia doloris, tumoris ac ardoris accidentia ſubitò & momento habuiſſe. Si Bubones circulum quendam inſtar iridis habeant, vel ſi ſint lividi ac nigri, mortis ſunt prodromi, ſed & hæc ſigna in malignis ſæpe infida ſunt, id quod Authores plures norunt, moriuntur enim non rarò, & quibus rubicundi ſunt Bubones, & quibus œdematoſi, aut cuti concolores, tanta eſt hujus morbi fallacia. Peſſimi quoque ominis ſignum habetur, Bubonum cita evaneſcentia; Maligniora ſunt, *inquit Hippocrates lib. 2. Epid. ſ. 3. t. 136.* qui de repente diſparent: item, quando impoſitum veſicatorium intra 8. vel decem horas nullas planè veſicas excitat, vel humiditate ſcatet, ægrum in ſummo verſari periculo certiſſimum. Hinc quoque periculoſiores ſunt illi, qui ſub axillis & in collo apparent, quàm qui in inguine, ex moto ſuffocationis. Peſſimum eſt, ſi locis Bubonum ordinariis Carbunculi, vicem eorundem tenentes, occupant. Modus eventus Bubonis cum aliis tumoribus communis eſt, ſolent enim terminari vel per diſcuſſionem paulatim, neque enim ſemper in ulcus degenerant, ſed ſępe per ſe evaneſcere ſolent, ſive materia ſit pauca & tenuior, ſive per uberes ſudores aliò verſa, ut ſuo quaſi nutrimento privatus tumor excreſcere minùs poſſit, & medicamentis Bezoardicis diſcutiatur, & in aureas exſolvatur, id quod ſæpè lentè accidit, prout apparet ex *Barbette Obſerv. 4.* quatuor ſcilicet ſeptimanarum ſpatio, vel quod ordinarium eſt, nec ſuppurationem materię in pus verſæ, quod itidem genio ſucci vel humoris non adeò acris vel maligni eſt conveniens; vel per necroſin, corruptionem, vel per indurationem, qui modi peſſimi ſunt, & utplurimùm lethales.

Prognoſis Carbunculi.

Carbunculorum curatio ferè nulla exſpectanda eſt, ſi mox evaneſcant qui erubuerunt difficillima ſi poſt febrem peſtilentem erumpat anthrax, æquè ac ſi niger in emunctoriis ac prope membra nobiliora prodeat; facilior eſt ejus cura, ſi ante febrem peſtilentem apparverit, uti & eorum, qui rubicundi, parvi & ſoli exoriuntur. Tumorem hunc inflammatorium, Carbunculum dictum, eſſe valde periculoſum, ſuo etiam exemplo probavit *Conſtantinus Copronymus* Imperator, qui ex Carbunculo pedi inhærente mortuus eſt, ut refert *Zwingerus in Theatro ſuo vitæ Human. vol. 2. lib. 7. p. 526.* Atrocitatem affectus hujus optimè cognovit *Quintus Serenus Sammonicus* ſcribens *cap. 38.*

Horrendus magis eſt, perimit qui corpora Carbo,
Urit hic incluſus, vitalia rumpit acerbus.

Affe-

Affectus hic inprimis pestilens, inter acutissimos à Medicis refertur, cum brevi ægris mortem afferat. Unde *Quintus Serenus Sammonius* ait, vix ad 7. dies produci posse vitam infecti hoc affectu. Qui in membranis aut nervis fiunt, non tantùm dolorem maximum inferunt, sed & diutiùs permanet, ut etiam inflammationes Erysipelatosæ ipsis fiant: non paucis autem ad suppurationem convertuntur, plerisque etiam febres adsunt. Periculosiores sunt Carbunculi *interni* quàm *externi*. Omnes Carbunculi qui occupant partes nervosas ac membranaceas, plus periculi, ceu diximus, alunt, quàm qui occupant partes carnosas, hinc & pessimi moris habentur, qui in emunctoriis, & glandulis prope membra nobilia & principalia extuberant. Periculosus valdè est Carbunculus qui niger, quia maximam denotat partis mortificationem ac necrosin, huic succedit lividus & flavescens, minùs malus est rubicundus; quò pauciores Carbunculi, eò minus periculi est; sic majores minoribus deteriores sunt. Exitiosi etiam habentur, qui ubi eruperunt, mox iterum evanescunt Notandum quoque est, num pestilens Anthrax ante febrim oriatur, an verò pestilentiali febre præcedente, demum producatur. Prior casus majorem salutis spem promittit quàm posterior. Buboni accedens Carbunculus pro lethali signo à *Barbette* habetur, qui etiam valdè periculosum pronunciat Carbunculum cauda quadam præditum.

Diæta.

§. 12. Jam demum veniendum ad id, cujus gratia reliqua omnia præmittuntur, *Curationem* sc. & primò ad Medicinæ organum illud primum, *Diætam* nempe, quæ in omnibus affectibus legitimo ut instituatur modo opus est. Præprimis eò incumbendum, ut succi omnes corporis nostri liberiorem transcursum habeant, nullibique stagnent, quare Aer eligatur temperatus, purus ac copia subtilis materiæ refertus, vitetur è contra frigidus carens materia cœlesti multa, acidus ac nebulosus, fœtidus squalore ac contagio omni infectus. Cibus sit euchymus & eupeptus, celeri huic opus est refocillatione & succorum deficientium restitutione. Prosunt ergò juscula caponum, pullorum, Gallinarum, & omnia ea alimenta quæ multum salis volatilis in se continent; vitanda acida coagulantia, & acria corrodentia, & salina fumoque indurata: potus sit calidus Theæ vel Caffeæ, interponendus alius potus consuetus, & cerevisia herbis & radicibus aromaticis ac volatilibus maritari possunt, ex rad. helen. Scorzon. herb. card. bened. scord. rut. betonic. &c. Vigiliæ ac somnus sint ut in statu sano esse solent. Quies corporis sæpè nocet nimia, motionis verò loco corpus moderatè confricetur linteis calidis. Venus imprimis illicita, ac cum scortis, & lue Venerea infectis instituta exulet, nec conversatio tuta est & cum iis qui morbo pestilenti correpti sunt. Excernendorum sedula quoque habenda est ratio, defectusque quantum fieri potest, debitis resarciatur remediis. Animus valedicat curis & sollicitudinibus necesse est, iraque, timor & terror similiaque proscribantur. Gaudio potiùs exhilaretur mens nostra in Deum confidens.

Galenicorum cura in Bubone.

§. 13. Nunc ad *Curam Pharmaceuticam ac Chirurgicam* accedamus, in qua primus locus debetur *Galenicis*, juxta quos *Bubonum Curatio* in eo consistit, ut humorum copia minuatur per V. S. & purgantia leniora sæpiùs dicta, aliaque quæ atram bilem & frigidam hic peccantem corrigunt materiam; non semper hic ut in aliis tumoribus, ad repellentia confugiunt, ut nedum repellitur materia, ad profundum recurrat; à discutientibus verò incipiendum esse jubent, quòd si nihil prohibeat, vel ætas, aut vires, V. S. cum cautione tamen hic institutam suadent, in loco verò affecto fomentis ex decocto fl. Chamomeli aut anethi, &c. uti solent. Aster Atticus ipsis est specificum, quam herbam etiam Bubonium ob hoc ipsum vocant, quod non solum impositum, sed etiam colligatum Bubonibus auxiliari credunt.

In Bubonibus malignis incipientibus duos *Galenici* respiciunt scopos, ut non solùm impediant fluentem materiam, sed eam trahant, quoniam materia est maligna & contagiosa; secundò ut dolorem mitigent & laxent locum. Ratione doloris Ol. Chamomæli ponunt, ratione verò relaxationis ol. amygd. dulc. Alii solent accipere lanam redundantem sordibus, in qua est vis relaxandi & molliendi, & eodem inungunt oleo: sunt qui recurrunt ad motum, & jubent ægrotos ut se maximè commoveant, ut motu fiat fluxio: accedunt alii ad usum cucurbitularum, quum timent maximam luem vel infectionem. Bubones etiam maturandos esse ajunt veteres, in quem finem sequens commendant Emplastrum.

℞. *Rad. alth.* ℔. j.
Farin. commun. ℥ ij.
Caricar. coct. in qua ℥ i ß.
Sem. lini ℥ j.
Pingu. Gallin. vet.
Porcin. aa. ℥. ij.
M. & cum decoct. rad. althææ & caricar. F. Emplastr.

Alii norunt parare Emplastrum ex fermento, cæpis, lil. alb. coctis, melle crudo & alth. laudant quoque Empl. diachyl. ex Gummatibus, cui addunt tria Gummata, ammoniacum, bdellium & sagapenum. Sunt qui ad sectionem & cauterium accedunt, dein applicant dolorem mitigantia, in quem finem oleum abietinum imponunt, ad extra emplastrum maturativum per 3. vel 4. dies applicant, ut si quid relictum est materiæ congestæ, maturetur mitigato dolore, & concocta materia, omnia faciunt, ut vulnus servent apertum, & quidem ad 40. dies: vel ungu. Isidis, vel imponunt diapalm. ad moderandam fluxionem & impediendam putrefactionem Aliquando intercidunt glandulas tumefactas, & faciunt ut cadant more caruncularum.

Carbunculo

Carbunculos verò *Galenici* curari asserunt per venæsectionem, sanguinis evacuatione ad animi deliquium usque facta. Scarificare etiam post venæsectionem non incommodum fore ajunt, profundioribus vulnusculis impactis ob humoris crassitudinem. Quotidie quoque, seu ad minimum alternis diebus esse fæces educendas per alvum lenientia contendunt, ut sunt Confect. Hamech, elect. ros. Mes. elect. de succ. rosar. diacathol. Ad removendam adustionem corrigendam esse atram bilem dicunt, in quem finem exhibent Syr. de acetos. seu de ejus succo, de soncho, cichor. acetos. s. cum decocto prædictarum herbarum, ut sonchi, cichorei, acetos. endiviæ, & nunquam omittendam esse volunt scabiosam, quia inter reliquas herbas optimè hæc medetur, adeò quòd si ejus decoctio, aut aqua sola sumatur, hoc in casu apprimè conveniant.

His internis peractis ad locum transeunt affectum, & ei moderatè repellentia ac discutientia applicant, in quem finem Cataplasma parant ex plantagine, ac lenticula cocta, cui panis clibanitæ, neque valdè puri neq; sordidi, micæ teneræ sint adjectæ, super ipsum verò ulcus ex vehementibus aliquod imponunt, velut est Andronis, & Polyidæ, & Pasionis pastillus. Diluantur autem passo ad strigmentitiam compagem. Sed & Massaliolæ pulvillus siccus, aut etiam ipse similiter dilutus. Commendant quoque radicem dracunculi, aut aristolochiæ, aut succum Silphii, aut cyrenaicum, singula cum aceto illita. Postquam verò Carbunculi ardor remisit, cerata capitalia diluta, & linamentis excepta Carbunculis immittunt. Maximè autem id conducere, quod ex herbis & nitro paratur, & pulvilli sicci nominis dicati tum per se, tum cum rosaceo. Duritie verò Anthracis permanente melino Serapionis utendum esse dicunt. Ante omnia student, ut Carbunculus citissimè suppuretur, in quem finem bis in die & semel noctu Cataplasmata ac Medicamenta emollientia imponunt. Cæterùm ut plane Carbunculi eradicentur, & à conjunctione cum vicinis adjacentibus exolvantur, mala punica acida contusa in aceto cocta, & fluida trita sicque linteo infarcta imponunt, ubi verò resiccantur aceto madefaciunt. Carbunculum suppurare ac rumpere dicunt nucis regiæ veteris nucleo imposito, item laudant cupressi folia ac germina, & recentes ac teneras pilulas cum polenta uvas passas vinaceis rejectis, caricas in vino coctas, papaveris cornuti flores, succum Silphii cum ruta & modico melle, vel picem liquidam cum uvis passis & adipe suill. vel seq. summis extollunt laudibus.

℞. *Spum. argent.* ℔. j.
Olei veter. ℔ i ß.
Auripigment. ℥ j.

M. quod linamentis illinunt imponuntque, si adfuerit magna crusta in medio Carbunculi. Celsus dicit nichil melius esse, quam partem Carbunculo infectam adurere.

Paracelsi cura in Bubone.

§. 14. Si tumor in altero sulco penes pudenda surrexerit cum rubore succedente, vicisque deficiant, calor atque frigus invaserint, eadem die transierit appetitus, ut sic Bubonem adesse videat, ejus *curam Paracelsus* per apertionem fieri contendit, & quidem maturatione propria, postmodum per oppodeldoch curandum esse scribit. Descriptio Maturativi ipsius sequens est.

℞. *De quatuor resinis* ℥ ß.
De liquoribus althϾ,
Bismalvæ aa. ℥ iij.

Fiat Mixtura superponenda.

Descriptio oppodeldoch ipsius sequens est.

℞. *De quatuor seminib. incarnativis* ℥ ß.
Ceræ,
Colophoniæ aa. ℥ ij.
Picis navalis ℥. iij.

M. & reduc in Emplastrum.

Cautelam adjungit, cavendum nimirum esse à resolutivis, corrosivis & attractivis Medicamentis.

In Anthrace.

Cùm Anthracis seu apostematis invectio juxta *Paracelsum* privativa consurgit ex Mercurii mineralibus, & est minerali cuilibet innatus venæ flos, quæ omnia causantur ex venarum hujusmodi corruptis cavitatibus, hinc in cura ejus primum dicit esse virtutis diaphoreticæ Medicamentum adhibitum illius venæ radici. Postmodum ustionem circumcirca factam commendat. Deinceps in escharam ductum Consolidativis curat. Virtus diaphoretica est descriptio Lithontripon, si fuerit separata à sua substantia: quia tum accedit radices venarum, humectat sanguinem excitatum, & tum venit sudor, & ipsi est signum optimum. Species, quæ ingrediuntur Lithontripon, debent à sua substantia separari per spiritum vini. Diaphoretica Medicina talis est.

℞. *Vin. correcti* ℥ x.
Theriac. ℥ ß.
Myrrh. rubeæ,
Croci, singulorum aa. ℥ j.
Liquoris Zingiberis aa. ℥ ß.

M. de quo bibatur uncia semis in optimo vino. Realgaris aliaque fugienda esse cauteria monet.

Helmontii cura in Bubone & Carbunculo.

§. 15. *Helmontii* nunc audiamus Consilium in *Cura Bubonum* ac *Anthracum*, eo verò incumbendum esse ait, ut omnes digestionum sordes in extimas usque oras persequamur, cum vindicta. Hinc Bubones & Anthraces citra venæsectionem, purgationem, solis sudoriferis curari dicit, in quem finem commendat sua diaphoretica specifica ac arcana.

Externè verò commendat cauterium actuale, nisi deterreat doloris atrocitas, cujus verò vicem implet cauterium potentiale, vel vesicatorium, quorum numerum complet emplastrum arsenicale magneticum. Escharam mediantibus digestivis separandam, ulcusque mundificativis & defensivis tractandum vult, ne venenum latiùs serpat, unde non rarò carnis magna frusta excidere solent, in quem finem Sapphirum circa tumorem ductum commendat. Nullo ampliùs apparente pure vel veneno, consolidationi studet Author, & laudat emplastrum Saturni syderati.

Vvillisii cura in Bubone.

§. 16. Perspecta Cura *Helmontii*, nunc paucis audiamus *Vvillisium.* Bubones juxta ipsum sunt vel maligni vel benigni, illi febribus malignis & pestilentialibus succedunt, vel easdem comitantur, quare cura eorum variè institui debet à benignorum cura, suadet enim illicò Author noster veneno in illis contento edomando, & materiæ aggestæ maturandæ & educendæ: priori siquidem intentioni satisfacere satagens, bufonem, vel ex illo paratum cataplasma imponit. Secundæ ut obsecundetur, escharam vesicatorio parti inurit, remotaq; crusta emplastr. Magnet. Ang. Salæ imponit, sic apertum Bubonem ad consolidationem producit ope balsami Sulphuris, ungu. Basilic. vel digestivo communi cum Theriaca. Benignus verò ab eisdem suppuratur Medicamentis, quæ vulgò in usum vocantur ad alias inflammationes suppurandas, qualia sunt cataplasmata ex emollientibus parata, ungu. de althea &c. Quod interna attinet Medicamenta, in prioribus alexiteria Medicamenta veniunt propinanda, quæ veneno sanguinem infestanti resistant: hujus generis sunt ruta, scordium &c. Mithridatium, Diascordium, Theriaca. In posterioribus blandè diaphoretica sunt, ad mentem Authoris exhibenda, quorum beneficio materia aggesta faciliùs subigatur, citiusque foras eliminetur.

In Carbunculo.

Anthraces omnes malignam naturam obtinere inquit, quapropter in eorum curatione alexipharmaca non negligenda putat *Vvillisius*. Externè verò idonea auxilia à Chirurgia expetantur, ut promptiùs profugetur infensus ille hostis, extemplò autem secundùm Authorem, ducatur circulus circa Carbunculum butyro antimonii, & caro mortificata separetur; vel excitetur crusta vesicatorio, qua sublata imponatur empl. Magnet. A. S. vel si hæc præ manibus non fuerint, scarificetur Carbunculus. Ulcus dein mundificetur, remota eschara, & diu apertum retineatur, & denique secundùm artis leges, & accommodatis remediis consolidetur.

Sylvii cura in Bubone.

§. 17. *Consilium Sylvii* nunc restat, qui *Bubonum Venereorum curationem* in eo sitam esse contendit, ut maturetur quam propediem eorum suppuratio & apertio, in quem finem Emplastra varia aromaticis ac volatilibus Gummatibus parata commendat, inter quæ præ aliis Diachyl. Magnum laudat. Quòd si segniùs procedat suppuratio, ad cauterium potentiale; ad aperiendum scilicet tumorem confugit cum aliis Practicis, ne ad interiora pergat venenum in tumore maligno existens.

Bubones verò *pestilentiales* ut discutiantur jubet Author, & si discuti nequeant, ut maturentur & ad suppurationem deducantur, suadet, hinc eos aperiri, mundari ac tandem consolidari vult. Eadem adhibet Medicamenta, quibus alios glandularum tumores curare satagit. Hic verò imprimis ad venenum respiciendum vult, in quem finem Theriacam, Mithridatium similiaque commendat, quibus, aliisque admiscenda præcipit oleum è C. C. destillatum, aliaque sale volatili oleoso constantia. Unguentum Martiatum cum Theriaca mixtum ad discutionem Bubonis pestilentis reperit præstantissimum, ut & emplastrum Diachylum cum gummatibus compositum; nisi dolor vehemens urgeat, non admittit Bubonum scarificationem, multò minùs ipsis adhiberi vesicatoria vel cucurbitulas. Ubi autem grandes sunt Bubones ardentesque, viribus adhuc constantibus tum cucurbitulas, tum scarificationes permittit, nunquam verò vesicatoria, quia nunquam exinde redundasse observavit Author. Bubonum discutionem & suppurationem forinsecus applicatis & internis temperantibus blandis Medicamentis promoveri vult, ut hisce acrimonia humorum temperetur.

Quamprimùm verò suppurati fuerint Bubones, eos aperiendos esse præcipit vel scalpello vel ruptorio, licet scalpellum aliis instrumentis ferreis præfert. Aperto Buboni imponit Balsamum sulphuris terebinthinatum & anisatum, unà cum unguento Basiliconis & Theriaca, hujus enim ope brevi absolvi Ulceris mundationem scribit. Consolidationem verò Bubonum prædictis balsamis feliciùs ac citiùs evenire ait, superimposito ad cicatricem accelerandam Emplastro diaponpholygos. Non malignum verò Bubonem curandum esse ait simplici modo tanquam alius partis tumorem; Empl. sc. diachyl. cum gumm. apertum autem mundandum esse communi digestivo, & consolidandum Empl. de tutia, diapomph. vel alio consolidante stictico.

In Carbunculo.

Sylvius Carbunculum pestilentem curat serpentem partium vicinarum mortificationem separando, partem mortuam mundificando, & ulcus reli-

relictum consolidando. Ad separandum butyrum Antimonii commendat, si circumcirca parti illinatur affectæ, ad miraculum enim ait sisti partium omnium corruptionem serpentem ac omnia depascentem. Huic proximum existimat Magnetem Arsenicalem ex partibus æqualibus Arsenici, Antimonii & Sulphuris partium, & Emplastris convenientibus immixtum: cujus ope ad sui separationem disponi partem corruptam haud dubitat. Ad partes verò separatas mundificandas laudat Balsamum Sulphuris imprimis anisatum, vnà cum unguẽto Tetrapharmaco & Basiliconis vocato mistum, & ulceri applicatum. Ad mundificatum ulcus consolidandum itidem magni facit balsamum Sulphuris, ut & alia emplastra vulgaria.

Carbunculum non malignum ferè iisdem curat remediis, impositis etiam emplastris gummosis diachyl. s. & magn. aliis tumoribus solennibus.

[Cartesianorum ratio curandi Bubonem.] §. 18. *Cartesiani* curam *Bubonis* instituunt remediis obstructionem glandularum reserantibus, & interdum succos vitiosos evacuantibus, purgantibus nempe ex Jalappa, diaphoreticis ex antimonio, bezoardico minerali, spiritu C.C. florum sambuci, Electuario diascordii, theriaca, & diureticis ex Tinctura Tartari, spiritu lumbricorum & similibus. Externè Buboni simplici imponunt emollientia & anodyna, quibus sequens constat cataplasma.

♃. *Fol. alth.* M. j.
Flor. melilot. M. iß.
Farin. sem. lini ℥ iv.
Butyr. recent. ℥ ij.
Latis vaccin. q. s.
M. F. Cataplasma.
Vel
♃. *Emplast. de mucag.* ℥ ij.
Vitell. ovor. n. iiij.
Butyr. recent. ℥. j.
M.

Ad effervescentiam sedandam buboni etiam gallinam, columbam vel ranam applicant, & apertionem sequenti promovent emplastro.

♃. *Emplast. de mucag.*
Diachyl. cum gumm. aa. ℥ iiij.
Resin. pini ℥ vj.
Ungu. Basilic. ℥ iiij.
Sem. sinapi ℥ ij.
M. F. Emplastrum.

In Bubonibus malignis fortiora adhibent, particulas acriores ad superficiem allicientia, & potissimùm vesicatoria ex fermento, cantharidibus: sapone & aceto vini, vesiculas inde productas post 7. vel 8. horas aperiunt, & emplastrum imponunt magneticum, vel loco vesicatoriorum ruptoria adhibent, separataque eschara foramen ad tempus aliquod apertum servant, ut unguento aureo, basilico, vel Apostolorum probè queat mundari. Duriores scarificant & marginem butyro antimonii oblinunt, ne tumor increscat.

[Carbunculi.] *Carbunculi* curam peragunt internis diaphoreticis particulas acutas scindentes hebetantibus, frangentibus & eliminantibus ex bezoardico minerali, vel Antimonio diaphoretico, C. C. philosophicè præparato, sale volatili viperar. camphora, aqua Scorzon. flor. sambuc. Card. bened. Electuario diascordii, Theriaca & id genus aliis; foris verò incrementum impediunt butyro Antimonii circa tumorem illito, quo simul separationem crustæ instituunt, vel peculiariter ea de causa sequentia adhibent emplastra.

♃. *Ferment. acid.*
Unguent. Basilic.
Fulig. camin. aa. ℥ j.
Mellis citrin.
Butyr. recent. aa. ℥ j.
Ærug. ℥ j.
Sapon. vulg. ℥ iiij.
Terebinth.
Resin. pin. aa. ℥ ij.
Croc. ℥. ß.
M. F. Emplastrum.
Vel
♃. *Calc. viv.*
Canthari d.
Ærugin.
Vitrioli Rom. ust. aa. ℥ j.
Arsenici ℥ ij.
Mell.
Sapon. aa. q. s.
M. F. Emplastrum.

Crusta verò adeò existente tenaci, ut præscriptis obedire & separari nequeat, eandem ad carnem usque sanam discindunt, & lixivio, aut unguento Ægyptiaco in Spiritu vini dissoluto, abluunt, vel unguento Apostolorum aut Basilico illinunt, balsamoque Sulphuris mundant, & ad perfectam dirigunt sanationem.

[Nostra methodus curandi Bubonem.] §. 19. *Nostro* judicio Bubonis cura cum Anthracis ferè consentit, & omnia quæ in eo conducunt & hic proderunt. Hoc ergò in Inflammatorio tumore commendamus internè omnia volatilia alexipharmaca, imprimis Theriacalia, ut Aqua Theriac. camph. scordii, Spiritus Theriacal. matrical. Spiritus C. C. compos. item Tartarisat. liq. catarrhal. volat. Nost. omnia enim hic conveniunt & Bezoartica Antimoniata, viperina, imprimis pulvis Anglicus ex viperis, rad. contrajervæ aliisque absorbentibus paratus, & ad grana 20. in vehiculo appropriato exhibitus. Sudorifera enim ac absorbentia omnem implent paginam, detur ergo sequens vel similis pulvis cuspidatim.

♃. *Ocul. cancrorum ppt.*
Ebor. ppt.
Unicorn. fossil. aa. ʒ ß.
Antimonii diaphoret. ℈ j.
Camphor. gr. vj.
Sal. viper. volat. gr. IV.
M. F. Pulvis alcolisatus.
Vel in forma Essentiæ.
♃. *Spir. C. C. composit.* ℥ ij.
Theriacal. ℥ j.
Camph. ℈ ß.
M. detur ad 20. guttas per vices in vehiculo convenienti, aqua scordii vel Card. bened. &c.

Dari etiam potest Theriaca Andromachi, vel Cœlestis nostra Cassellana, vel diascord. *Frac.* vel *Sylvii*, ex quibus variæ concinnari possunt formulæ.

Externè quoque in Bubonibus simplicibus conducunt varii fotus ac Cataplasmata ex volatilibus aromaticis parata, & capite de Inflammatione commendata calidè imponenda, adjectis Theriac & diascordio, Empl. de Labdano, de Thea, item spir. matrical. aqua calc. viv. & spir. vin. Camph. succi hyperic. cicut. conducunt summoperè Bubonibus imposita.

[Bubonum Venereum.] In Bubonibus Venereis conveniunt omnia antivenerea interna, & curari solent instar ipsius luis Venereæ decoct. lignorum ac mercurialibus. Externè etiam mercurialia egregium sæpe præstant effectum, tumoribus ergò his venereis imponatur Emplastrum Vigonis cum quadruplo Mercurii, Diachyl. cum ol. tartari malax. Diaphoret. cum Mercurio Bubones hi maturati aliquando aperiri possunt, rarissimè enim succedit suppuratio, vel cultro vel cauterio potentiali, scarificationes, vesicatoria, cucurbitulas non semper admittimus. Consolidatio promoveatur balsamacis ol. balsam. Peruv dest. Guajaci, hyper. spir. matrical. aqua calc. viv. succ. hyperic, nummular. veronic. myrrh. ungu. de apio, ex his enim parari possunt mixturæ Bubonibus apertis calidè cum linteis excarptis instar plumaceolarum imponendę. Empl. potest esse divinum, stypticum Par &c. imponendum, à pinguibus abstinendum est. Sed sequenti meo liquore *dissolvente* sæpè illivi Bubones minores, qui paratur ex spir. vini alcolisato, cinamom. caryophyll. & croc. inferiùs describendis.

[Bubonem Pestilentem.] Quod *curationem* attinet *Bubonem pestilentium* Methodo medendi innixam, commodè illa dividitur in *generalem*, quæ Pesti ipsi in genere debetur, & *Specialem*, quæ Bubonibus ipsis tribuitur. *Generalem* prosequi

qui hìc nostri instituti non est, cùm in *Encyclopedia Medica* de Peste eandem sufficienter tractaverimus. Si ullibi, certè in Bubone Pestilenti alexipharmaca dicta remedia ac sudorifera volatilia & fixa, sola anchora erunt, ad quae confugiendum est, ut sunt Tinctura Nostra *Bezoartica* sequens.

℞. *Rad. Angel.*
Zedoar.
Gentian. aa. ℥ ß.
Myrrhæ ℥ iv.
Croci ʒ j.
Castor. ʒ i j.
N. M.
Macis aa. ʒ j.
Caryophyll. ʒ ß.
F. Pulv. gross. mod. add.
Camph. ʒ iij.
& affund.
Liquor. nitri fix. q. s.
Digere & f. l. a. Tinctura, quam rursum extrahe ex Sal. volat. & spir. vini rectif. Optimum & egregium est sudoriferum: dosis à ʒ ß. *ad.* ʒ j. ʒ i ß.

Inter fixa laudamus Antimonium diaphoreticum, Bezoarticum minerale ac mercuriale, Antihecticum Poterii, pulverem Anglicum, Bezoarticum Nostrum sequentem, qui insignes vires habet, quem junioribus omnibus hìc commendamus.

℞. *C. C. s. igne ppt.* ℥ j.
Terræ sigillat. ʒ vj.
Unicornu fossil.
Rasur. eboris aa. ʒ iij.
M. F. Pulvis subtilissimus, *dosis à* ℈ ß. *ad* ʒ ß.

Sic etiam spiritus eboris, ebeni (qui præstantissimus est,) C. C. viper arum, allii, cepar. Essent. alexioharmaca, vel sequens aqua cochleatim exhiberi potest.

℞. *Allii* ℥ iv.
Cepar. ℥ ij.
Cumin.
Sal. Armoniaci aa. ℥ j.
Herb. rut.
Absynth. aa. M. j.
Vin. Malvat. infund. & destillentur, add.
Spir. C. C. compos. ʒ ij.
M.

Salia enim volatilia quæcunque, ut & sal. Armoniaci, sanguinem ac succos machinæ nostræ attenuant, & simul acidum coagulans temperant. Externè in Bubonibus pestilentibus instar omnium sequens magnifacimus.

℞. *Gumm. Galbani.*
Empl. Arsenical. aa. ℥ j.
Myrrh.
Mastic. aa. ʒ vj.
Bdellii ℥ j.
Pulv. euphorb. ʒ ß.
Rad. pyretbri ℈ ij
Croci opt. ℥ ß.
Theriac. Andr. ʒ iij.
Ol. Terebinth.
Juniper. aa. ʒ ij.
Succini ʒ i j.
Pulv. sem. cumin. ℥ ß.
Sinapi,
Eruæ aa. ʒ i ß.
M. f. l. a. Ceratum.

Et simul interponantur Diaphoretica volatilia superiùs jam recensita, quæ selectu & respectu habito ætatis, sexus, virium & aliarum circumstantiarum, saluberrimam præstant opem & omnem absolvunt paginam, quatenus hæc ipsa vim veneni pestiferi coagulativam solvendo ac cohibendo aculeos hebetant, & quod inordinati massæ sanguineæ inest, uti revera est, per canaliculos cutaneos excludunt & eliminant. An venæsectio in Bubonibus pestilentialibus locum obtineat, à pluribus hodiernis disquiritur. Tota Galenicorum cohors cum pluribus Neotericis, Langio, Sydenhammio aliisque eam admittit, *Langius* enim in *lib. 1. epist.* 18. inquit, apparente Bubone, secare venam eodem latere, sub ipso affectu nil vetat; cùm per venam sectam, ut ille ait, veneni pars, quæ intra vasa continetur sanguini commixta, educi, obstructio expediri, febrisque æstus commodè remitti possit. Verùm si in hisce attendamus usum venæsectionis collatum cum veneno pestilenti, & præcipuè per cuniculos hosce se jam exerente, fatendum est venæsect. consultiùs omitti, cùm noxam potiùs inferat quàm utilitatem, ceu pluribns exemplis probare satago. Quantitate enim sanguinis ablata, reliqua massa congrumescit magis, & vias jam dum debiles satis, vel non suffecturæ magis exhauriuntur. Pestis enim acrimonia coagulativa & aculeata in sanguine, & succis reliquis corrigi hoc pacto renuit, ut potiùs parte sanguinis diluente ablata, magis sæviat. Motus ad exteriora hoc ipso non promovetur, sed potiùs inhibetur, & quidem non sine præsentaneo vitæ periculo. Sed cùm brevitati nos studeamus, si quis authoritates, rationes plures & observationes desideret, hanc in rem legi merentur *Demerbroc. Simon. Method. cur. post. l. p.* 47. & alii. Quod jam de venesectione diximus, id quoque valet de cucurbitulis, item de hirundinibus, & præsertim de purgantibus. Non enim in primis viis vel extra massam sanguineam malum residet, quin diarrhoeæ sæpè malignæ dictæ conjunguntur, nisi enim lenem alvi reserationem per cremorē Tartar ol. amygd. dulc. vel clysteres aliaque mitiora procures, præstat & ab iis abstinere. Purgantia enim ad massam sanguineam delata, in ea non aliter præcipitando secernendoque particulas, itemque corrodendo effectum præstant, ac ipsa venena, reliqua setacea atque scarificationes in torturam hominum excogitata sunt hìc non admittenda.

Curationem *Bubonis pestilentialis specialem* seu localem externam internæ succenturiandam quod attinet, præmissis suprà dictis acrimoniam corrigentibus medicamentis, dissolvendæ ac corrigendæ sunt particulæ corrosivæ stagnantes. Æquè in benignis ac malignis Bubonibus perfecta in initio dissolutio & dissipatio locum habet, in pestilentialibus verò maturatio procuranda. Cura enim variat pro peccantis succi acrimonia, sic in Bubonibus venereis, ubi acidum viscidum magis peccat, conveniunt Mercurialia, & non æquè in Pestilentibus. Si benigni sint Bubones, nisi dissolvi ac dissipari possint, maturationi opera danda est; Medicamenta hic conducunt varia maturantia, quibus uti solemus aliis in Inflammationibus ad suppurationem tendentibus, etiam hic utendum est, ut sunt cataplasmata ex emoll. rad. alth. malv. flor. chamomill. sem. lini, sic inter Composita aliis præferimus ungu. Basiliconis, quod egregiè internam promovet fermentationem, non enim, uti Chirurgi loquuntur, hæc attrahunt humores, sed maturativa potiùs blandis suis particulis volatilibus promovent, & adjuvant fermentationem succorum stagnantium; Emplast. de Melilot diachyl. s. aliæque mucilagines commendantur; à pinguibus tamen, me judice, potiùs abstinendum est & potiùs mucilaginosa & cataplasmata locum inveniunt in lacte cocta & tepidè applicata, ex farina sem. lini, fabar. fl. sambuc. verbasc. malv. vitell. ov. croco, aliisque, possunt etiam his addi Theriaca, cum cæpis vel diascord. cum Bufone mell. rutac. &c. Cùm jam maturuerit Bubo, apertus; si non sponte cultro tamen fuerit opus, omni autem conatu promovenda est, (ceu jam dictum) Bubonis suppuratio, quę si vix obtineatur cataplasmatibus vel emplastris appropriatis, sunt qui etiam ipsis vesicatoriis tentandam esse volunt, licèt alias vehementiora contra Bubones remedia, ut & altæ in Carbunculis scarificationes plus aliquando damni, quàm emolumenti adferant. qui ut & hi quo mitiùs vel circumspectiùs tractati, eò citiùs curati observati sunt. Discutiendus autem Bubo pestilēs non est uti Bubo simplex, ne sanguinis mixturam turbādo advenientibus ex parte affecta particulis incongruis, imò pestiferis sulphureis corrosivis, (hic ut & alibi verbis venia, modò de re constet,) periculosiora & sepe lethalia

lia producantur Symptomata. Etenim semper & ubiq; expendendum, num plus mali ab ipsa exulceratione immineat, an verò à particulis diverso a sanguine modo agitatis, fermenti indole fruentibus, & non rarò sanguinis, (si communicentur ut fit in omni discussione,) mixturam turbantibus. Quo ad Bubones pestilentes ac malignos, qui facilè patent, dum loca occupant glandulosa, horum eadem est indoles hoc in casu, ac Carbunculorum, nisi sint mitiores, ad quorum acrimoniam causticam venenatam delendam plures Bubonibus calidè applicant bufones in aceto maceratos, vel ex istis cataplasma parant, sicq; imponunt. Alii laudant cucurbitulas, vesicatoria, setacea alii, quorum omnium dicunt securissimum esse remedium, quod setaceum aliquando cum fructu institutum vidimus. Si dolor in Bubone imprimis pestilentiali maximè urgeat, sequens Cataplasma tepidè applicatum eximii erit usus.

℞. *Herb. scor.*
Rutæ,
Cicutar.
Fl. Chamomill. aa. M. j.
Melilot. M ß.
Summ. absynth. P. ij.
Micæ panis similag. q. s.
Myrrh.
Croci opt. aa. ℥ ß.
Aquæ Regin. Hungar.
Theriac. Andr.
El. diascord. aa. ℥ iij.
M. pro Cataplasmate.

Si Bubo simplex aliam præter ordinariam afficit partem, ex. gr. si sub mento appareat, & haud magnus est, dissolvendus est, in quem finem *liquorem* nostrum *dissolventem* commendamus applicando vel fortiter illinendo.

℞. *Spir. vin. alcalisat.* ℥ vj.
Cinamom. acutiss. ℥ ß. ʒ ij.
Caryophyll. ℥ ß.
Croc. opt. ʒ i ß.
M. & digerantur diu, aliquando & destillentur.

Vel sequens aut simile imponatur Empl.

℞. *Gumm. Ladan.* ʒ j.
Galban. ℥ ß.
Tinct. ejusdem q. s.
Camphor. ʒ j.
Myrrh.
Aloes aa. ℥ ß.
Pulv. sem. cumin.
Anis.
Herb. salv. aa. ʒ iij.
Spir. matrical. q. s. *ad. consistentiam Cerati mollioris.*

Vel si hisce non cedat Bubo, sequens conducet.

℞. *Aloes*,
Myrrh. aa. ℥ j.
Camphor. ʒ iij.
Salis Saturni ℥ ß.
Aquæ Regin. Hungar. ℥ iij.
Spir. matrical. ℥ xx.
Elix. vit. Matth. ℥ j.

Cum spongia fricetur, & imponatur sacculus ex herbis discutientibus, & sale Tartari, & Armoniaci, sem. cumin. repletus, omnia enim hæc attenuant & resolvunt, imprimis cùm accedat calor actualis, quo vires Medicamenti promoventur, & fermentatio interna succorum augetur; vel illinatur Spiritus lumbric. cum Spiritu Salis Armoniaci succin. &c. Si verò Bubonem satis magnum ad maturationem vergere appareat, maturantibus & suppurantibus adjuvandus, ita quando æger dolorem lancinantem & pulsantem remittere, & quandam titillationem succedere sentit, & cedens mollities digitis aliaque apparent signa perfectæ suppurationis, & brevi futuræ apertionis, nisi sponte rumpatur abscessus, à perito Chirurgo aperiendus est, & quidem magis lancetta: cauterium enim potentiale, propter longam escharæ moram, si optio detur, minùs locum habere videtur, idque in loco declivi, & quidem magis latè, vel per transversum, præcipuè in inguinibus, quo materiæ ichorosæ acerrimæ facilior pateat exitus. Facta apertione mundantia dicta conveniunt, ad ulcus depurandum & apertum servandum, ne citiùs consolidetur nisi succis pravis alius magis idoneus concedi potest exitus: sunt qui canalibus plumbeis servant apertum ut depleatur pus, vel injiciendi sunt varii liquores, si ulcera hæc profundiora sint, vel quod meliùs, turundæ vel plumaceolæ ex linteo carpto fiant, & imponantur cum Aqua calc. viv. Spiritus matrical. spiritus vin. Camph. vel digestiv. vel Basilic. bals. Sulpcuris terebinth. cum Theriaca vel diascordio, vel spir. vin. myrrhatus, qui instar omnium est, & cunctis ulceribus optimum remedium existit. Si ichorosa magis sit materia, addatur Balsamus de Capaiv. vel pulv. herb. scord. vel bals. nast. vulner. &c. Quando verò notantiora evanuerunt Symptomata, ac reliqua ad statum pristinum magis accedunt, tunc sarcoticis & consolidantibus vulgò sic dictis locus erit: ex Emplastris hìc conveniunt oppodeltoch, sticticum, Diapalm. item Terebintinat. imprimis verò ex olibano, aloe, myrrha, mastiche, camphora, sarcocolla, succo hyperic. veronic. numular. prunell. parata remedia.

Cura Carbunculi seu Anthracis.

Curatio *Carbunculi* seu *Anthracis* cum cura *Bubonis* ferè convenit, nam Tyrones sciant velim, quòd affectus hic curari debet ut Gangræna, & cùm jam ad sphacelum tendat gangræna, omnis propediem opera adhibenda est, ut suppuratio sequatur, & per consequens separatio Escharæ. Præcipuè ergò curæ totius cardo vertitur in partis sideratæ à sana separatione, h. e. tubulis debitò patentibus solitum fluidum convenienter transmittentibus, quæ fit à sanguine & humoribus continuò impingentibus in partem, æque ratione tubulorum erosorum ac fluidi contenti, putrescentem, quam dum penetrare nequeunt, tandem de se descisćunt, idque faciliùs, si vel ab acido vel ol. Antimonii circumliniti intus contento toti jam abscissi fuerint tubuli, vel scarificationibus aperti tubuli sani vi propulsus cordis copiosum effundunt humorem, qui insinuans se inter partis demortuæ fragmenta, jam divisa ea lubricando efficit, ut frustulatim decidant, facilitatque hæc separatio, si applicetur sub forma imprimis Cataplasmatis, talia, tum quæ agitationem, tum particularum acidarum &c. in parte demortua, quàm humorum in parte sana adauget, tum quæ spirituosis salinis volatilibus balsamicis &c. particulis, ne acidum corrosivum ulteriùs in tubulos sanos sæviat, impediunt, humorumque è tubulis stillantium acrimoniam auferunt, quod ad mundificationem & consolidationem requiritur, sicque Carbunculus in exulcerationem transit, quæ hic terminatur extremitatibus vasculorum abruptorum, ex quibus, & per quæ humores (ut alibi fluunt sic hic) exstillant, curanda ut omnis alia, habito saltem ad ipsam sanguinis constitutionem, ut & cæterorum fluidorum, ab eo ut fonte derivandorum, respectu.

Ad separationem plures utuntur butyro Antimonii, eoque circa Carbunculos saltem circulum ducunt, inde statim pars corrupta secedit à sana, & dein ulcus facili negotio mundificant, & ad perfectam deducunt curationem, vel loco butyri Antimonii Emplastro Magnetico A. Salæ uti possumus, quod propediem crustam excitat, qua separata unguento maturante separanda est materia supposita.

Si malignitatem adesse constet, præter interna Diaphoretica, Bezoardica, Theriacalia, viperina & absorbentia varia Camphorata, aliaque superiùs dicta, ad externa quoque confugiendum, & est sequens insignium virium, in Anthrace singulis bihoriis, vel etiam pro re nata citiùs repetendum & calidè applicandum.

℞. *Herb. scordii*,
Rutæ,
Cicut. aa. M ß.
Sem. Bardan. ʒ i ß.
Aloes,
Myrrh. aa. ℥ ß.

Oliban.

Oliban. ℥ iij.
Tinct. Galban. ℥ iij.
Croci ℥ ß.
Terebinth. ver.
Ungu. Basilic. aa. ℥ iij.
Resin. pini ℥ ij.
Aquæ Regin. Hungar. ℥ i ß.
Camphor. ℥ ij.
Farin. fabar. q. s.
& Theriac. Andr. ℥ j.
M. f. l. a. Cataplasma calidè imponendum, & sacculus arena calida referatur super applicandus.

Si quis à tali magno apparatu abhorreat, imponat vel Theriacam Andr. vel Diascordium Frac. vel aliud Cataplasma magis simplex. Sunt qui priùs scarificant Carbunculum & dein imponunt seq.

℞. *Succ. Symphyt.*
Scabios.
Calend. aa. ℥ i ß.
Theriac. vet. ℥ iij.
Vitell. ov. N. 1.
M. & calidè applicetur.

Sunt qui crudeliter agunt, & ferro aperiunt Anthracem, vel cauterium imponunt potentiale, facta apertione ulcus mundificant unguento de apio, &c. & tandem consolidant sequenti vel simili.

℞. *Succ. calend.*
Absynth.
Scabios.
Apii,
Myrrh.
Irid. Fl.
Aloes aa. ℥ j.
Sarcocoll. ℥ ß.
Mel. ros. ℥ iiij.
M.

Vel quod nobis magis arridet:

℞. *Aquæ calc. viv.* ℥ ij.
Spir. vin. camph. ℥ j.
Succ. hyperic. express.
Nummular.
Prunell. aa. ℥ ß.
Myrrh. ℥ i ß.
M.

CAPUT IV.

De Phygethlo, Phymate & Furunculo.

§. 1. QUamvis hi affectus cum supradictis Phlegmone, Bubonibus & carbunculis, non quidem nomine, sed & utplurimùm re conveniant, & tantùm quoad figuram, situm, & dein secundùm magis & minus differant, attamen Antecessorum nostrorum methodum semel receptam imitari, & eos in Tyronum gratiam perspicuè tractare nobiscum constituimus. Hi enim affectus non minus ac Bubones, sunt glandularum passiones, sola differentia in gradibus posita.

Phygethlon. *Phygethlon* describitur, quòd sit tuberculum inflammatorium, vel potiùs Erysipelaceum glandularum subcutanearum absque suppuratione, cum dolore urente & mordicante, à lympha stagnante acriori obortum. Dicitur etiam *Panus*, veteribus *Panis*, item *Panula* vel *Panicula*, Græcis verò *Phygethlon*.

Phyma. *Phyma* verò generaliter tuberculum denotat, hìc verò strictè sumimus pro tuberculo glandularum inflammatorio mox erumpente, & ad suppurationem tendente. Aliis tantùm est Bubo statim adauctus, & ad suppurationem festinans, qui revera nil nisi modum Bubonis, & gradum certum exprimunt, unde meritò sub ejusdem genere, notione à Practicis tractari deberent, cùm non opus fuisset ob minimam circmstantiam tumoris novũ non tantùm excogitare nomen, sed & alia.

Furunculus. *Furunculus* Græcis *Dothien*, describi potest quòd sit tumor in hac vel illa corporis parte exiguus in acutum tendens, ovum columbinum vix excedens, cum rubore, dolore, à stagnatione & acrimonia succorum obortus.

Pars affecta. §. 2. Quod *partem affectam* tumorum horum concernit, Phygethlon & Phyma Adenum seu glandulosa occupant loca, maxime verò emergunt in cervice, alis, & inguinibus ut plurimùm post febres, Phygethlon in inguine productum dicitur Bubo. Furunculi verò omnes corporis partes possident, imprimis verò in carnosis plerumque partibus circa cutem cum inflammatione & distensione fibrillarum circumvicinarum hærent, aliquando sunt profundiores, & usque ad membranas penetrant, & modò plures simul afficiunt partes, sæpè verò in musculis hærent, & motum artus obstruendo ac distendendo fibrillas impediunt.

§. 3. Perfecta parte affecta nunc paucis *Diagnosin* horum tumorum perspiciamus. Signa verò ex quibus cognoscitur Phygethlon, sunt tuberculum seu tumor instar Erysipelatis vel Inflammationis, adest enim calor, durities, dolor ac densio, febris, sitis, vigiliæ: ac initio adest pulsatio, gravitas, ardor, rubor, horrorque, rarissimè hi tumores ad suppurationem perveniunt.

Phyma cognoscitur à tumore glandularum in sensus nostros incurrente, qui facile ad suppurationem transit, minor est tumor quàm Phygethlon, minoremque habet dolorem & ruborem.

Quod Furunculorum Diagnosin attinet, apparent isti ruberrimi cum ardore & duritie, eruptionem horum comitari solet horror, rigor & febris. Dolor adest valdè intensus, imprimis, si ad suppurationem tendunt, adest enim pulsatio, calor cum maxima inflammatione totius artus. Diversæ sunt magnitudinis, utplurimùm sunt instar oui columbini, alii minores, alii majores, si unus abit alter revertitur, & hoc per menses aliquot sepè durare solet, rariùs sponte evanescunt, sed utplurimùm per suppurationem, & quasi ulcera dein constituunt, materia quæ prodit valdè tenax est & lutosa, coagulata & aliquando cum sanguine mixta, sæpè foraminula in superficie cutis exhibent, per quæ humor stagnans subtilis emanat, & reliqua durities discutitur, per frustula sæpè chylus coagulatus extrahi potest. Furunculi hi sunt aliquando Epidemici, prout hoc anno 1688 observavimus illos per totum Districtum Cassellanum grassantes.

Galenicorum opinio de causa Phygethli. §. 4. *Ætiologiam* tumorum imprimis *Phygethli* vel *Pani*, *Galenici* dicunt nihl aliud esse, quàm glandulæ alicujus erysipelas inflammatum, aut inflammationem erysipelatosam, vel phlegmone in adenum locis emergens, maxime verò in cervice, alis & inguinibus, utplurimùm post febres aut post alicujus partis dolorem, quæ fluxionem etiam adenis proritant, eveniens. Phygethlon verò in inguinibus emergens veteribus dicitur Bubo. Causas tumoris hujus calidè & celeriter orti dicunt esse alias externas, alias internas: illæ *ipsis* sunt quæcunque fluxionem promovent, hæ verò ipsis sunt plethora, & partis recipientis emunctorii scilicet mollities receptioni apta, conjuncta verò causa Galenicis est sanguis biliosus ejusmodi tumorem excitans.

Phymatis. *Phyma Galenici* dicunt tumorem glandularum, quem à sanguine pituitoso produci existimant, qui citò ad suppurationem pervenit, ob humiditatem à pituita provenientem putredinis matrem.

Furunculi. *Furunculus ipsis* est humor abscessorius ex crassis humoribus in carnosis maximè locis conflatus, mitis quidem, quum in ipsa sola cute consistit: malignus autem, quum ex ampliore profunditate emerserit.

Paracelsi opinio de causa Phygethli, Phymatis & Furunculi. §. 5. Phygethli seu Pani causam *Paracelsus* ex colore emortuo provenire ait, sic quoque juxta ipsum in Musculis affectis absconditur hoc tuberculum, quod ex sale Mercuriali oriri contendit, *Phymatis* verò *causam* ex *nutrimentorum* proprii membri liquoribus deducit: *Furunculum* esse apostema per sanguinem ait, consurgitque ex Mercurii mineralibus.

Helmontii de causis horum affectuum opinio. §. 6. *Helmontius Phygethlon, Phyma & Furunculos* à Laticis & cruoribus afluxu produci existimat, & à solo spiritu vitali causaliter eos tantùm oriri arguit. Phyma verò è latice infecto salium dissolutorum oboriri haud dubitat.

§. 7.

Vvillisii opinio de causa Phygethli. §. 7. *Vvillisius* de causa *Phygethli* sequenti modo ratiocinatur. Immanis illa sanguinis effervescentia febrilis & per se & ex ægrotorum querelis satis superque conspicua ab admixta materia quadam heterogenea, vel ab exaltatis spiritibus sulphuribusque accenditur. Si enim extraneum quid massæ sanguineæ confundatur, & ab illius particulis ita dissimile existat, ut cum iis nequaquam uniri, nec toti massæ assimilari possit, eam violenter perturbat, & motus maximè inordinatos in illa excitat, duratque intensior ista ebullitio, donec sylvestris & aliena ista materia vel subacta, vel foras eliminata fuerit. Si vero spiritus aut sulphur dominio gaudeant, & ultra præscriptos limites evehantur, alia principia obruunt, nulloque fręno coercita impetum faciunt, sanguinisque liquorem plus debito exagitant, nec malaciam illis priùs concedunt, quàm excandescentes istæ particulę deflagraverint, facta autem per humorum turgescentiam subtiliorum particularum evaporatione, sal spirituum consortio orbatus, nec ab iis exaltatus acescit, atque coagulatur; at glandulæ liquorum corpus perreptantium partibus excrementitiis heterogeneisque iis confusis excipiendis destinatę, & ob substantiæ laxitatem illas facilè admittentes, easdem ob pororum angustiam in gremio suo retinere coguntur. Adenes verò ab aggesta hac materia, à qua ipsarum interstitia opplentur, distenduntur, & in tumorem durum ob exhaustas in excandescentia particulas aqueas, elevantur.

Phymatis. *Phymatis* causam quod attinet, Præternaturalis, ut ille loquitur, sanguinis fervor cùm ab heterogenea materia ipsi confusa, tùm ab ferocientibus ejus activis principiis exorta, remissior quandoque existit, modò ab illa pauciori copia minusque fermentescibilis indolis cruoris massa admixta, modò ab his minus efferis, tum temporis enim parcior contingit extranei illius humorem sanguineum subingressi secretio, minorque partium liquorum coagulatio; tenuiorum quoque & aquearum particularum tanta nullatenus accidit deperditio, reciduæque massæ fluiditatem conciliandæ sufficientes supersunt; in adenes ergò delatæ extraneæ istę, coagulatęve succorum particulæ, tardiorique motu in illas compulsę, tenuiora ipsarum vasa, ad quę pervenerunt, obstruunt, depressiorem minusque durum in glandulis tumorem producunt, ob tranquilliorem excitatam in sanguine turgescentiam, materiæque fluiditatem, propter quam etiam tumor promptè suppuratur.

Furunculorum. Quod *Furunculorum* causam concernit, ex Vvillisii principiis sequenti modo explicari possunt *Furunculi*. Alienę atomi sanguini nequaquam congeneres, nec ipsi ritè miscibiles illum subeuntes nullam interdum sensibilem promptamque perturbationem in eo inducunt, quandoque etiam liquoris sanguinei solutum quodammodo strictum vinculum nullatenus subsequitur subitanea vehemensque ejus effervescentia. Parumper tantùm intenditur sanguinis cursus, nulla apparente in corpore alteratione, quia materia heterogenea, tenuioresque ac paucæ particulæ in reliqua massa separatæ facili negotio omnes corporis glandulas pervadunt: sed quum ad miliares perventum fuerit, nec arctiores quarundam ex iis poros permeare valeant, in iis commorantur, eosque infarciunt, glandulasque extendunt, partemque, in qua ipsæ sunt conspersæ, tumefaciunt: in illa verò utut temperata sanguinis turgescentia, indesinenter avolant spiritus, laxiorque fit totius massæ compages: principia autem à se invicem secedunt, crassæque particulę à tenuioribus seu fluidis separantur, quibuscum tamen universas corporis partes percurrunt, earumque ampliores poros penetrant, & pertranseunt, sed ad cutaneas glandulas attingentes & in angustioribus earum poris inhærentes, in illis sensim ac sine sensu aggeruntur, & quum continuo fluxu illuc advehantur, tenuiorisque sint indolis, partem validè distendunt, acuminatumque tumorem producunt, in sanguine verò vehementior ab iis excitatur ebullitio, quia quum ob abundantiores in parte aggestę fuerint, à cruore nullo modo subigi & secerni, & propter obturatos meatus foràs amandari possunt.

Sylvii ratiocinium de causa Phygetli. §. 8. *Sylvius* Phygethlon, Phyma & Furunculos ad magnitudinem auctam refert. Tumores igitur alii sunt ex partium consistentium magnitudine atque substantia aucta, alii ex partium contentarum extra locum naturalem effusione in vel inter partium consistentium substantiam. Author etiam tumores hos non multùm à Bubonibus & Carbunculis differre ait, eandemque ipsis assignat causam quamvis benigniorem, & acrimoniam non adeò esse fortem ac in Bubonibus, sed viscidam admixtam esse pituitam, & sanguinem non valdè acrem, hinc pro diversitate hujus miscelæ sanguinis vel *Phygethlon*, vel *Phyma*, vel Furunculum produci arguit.

Phymatis. *Phygethlon* ergò *Ipsi* est à sanguine magis bilioso, *Phyma* verò à sanguine magis pituitoso, qui statim ad suppurationem pervenit, hinc minor est tumor quàm Phygethlon, minoremque habet dolorem ac ruborem, & citiùs ad maturationem transit.

Furunculi. *Furunculus* verò *Ipsi* est tuberculum in acumen magis protuberans, cum inflammatione & dolore, ovum columbinum magnitudine adæquans. Furunculum *Sylvius* agnoscit alium benignum, alium malignum seu pestilentem. Furunculum benignum esse mitem ait, qui cutim ferè tantùm occupat; malignum verò qui pesti est conjunctus, hinc & causam variare dicit. Causam ergò Furunculorum humores pituitosos, atque impurum esse sanguinem contendit. Pestilentis verò causam humores esse vult acriores ac lixivos nimis corrodentes.

Cartesianorum iudicium de causa Phygethli. §. 9. *Cartesiani* causam *Phygethli* attribuunt succo crasso chyloso multis particulis acutis rigidis referto, & ductus glandularum conglobatarum obstruenti, circa quam tubulorum obstructionem hærens, nec transitum inveniens, liquor glandularis fibras distendat & tuberculum suscitet.

Phymatis. *Phymatis* causam ejusdem planè generis, ut prioris tuberculi, esse existimant, nisi quòd particulæ chyli acutæ non sint adeò rigidæ & faciliùs flecti queant, unde & citiùs suppurationem admittat.

Furunculi. *Furunculi*, sive *Dothien* à succo oriri docent chyloso crassiore multis particulis tenacibus, viscidis, caseosis & lutulentis repleto, in quo retentæ partes acutę minus, quam in prioribus, sint subtiles, sed grossiores & graviores, quas æther subtilis majori violentia movere debeat, unde & coagulatio hæc difficiliùs queat dissolvi.

Nostra sententia de causa Phygethli. §. 10. Perspectis aliorum *de causis* tumorum sententiis, nunc & nostrum deponamus judicium. Causa *Phygethli* eadem est ac aliorum tumorum inflammatoriorum, vel Erysipelatodum, nempe obstructio inflammatoria, quę secundùm magis & minus, & pro materia, ejusque visciditate ac acredine, locoque quem occupat differt, & cùm obstructionem hanc inflammatoriam superiùs capite de Inflammatione latiùs deduxerimus, ea hic rursus repetere supersedemus. Causæ etiam hic possunt esse vel *internæ* vel *externę*. Internę sunt *acidum* sanguinem ac succos nostros, imprimis verò lympham in glandulis contentam coagulans, ductusque obstruens, ut alluentibus succis nulla concedatur circulatio, hinc similis producitur tumor. *Externæ* quoque *causæ* varię symbolum suum afferre possunt, ceu in aliorum opinionibus sufficienter jam dictum.

Phymatis. *Phyma* itidem ab obstructione inflammatoria dependet, imprimis si plures tubuli in glandulis fuerint obstructi, & lymphæ motus ac perfluxus ordinarius haud concedatur, cùm simul multum succi chylosi eò perveniat, & fermentatio propediem fiat, facilè tumor hic in suppurationem abit.

Furunculi. Si ritè causa *Furunculi* pensitetur, certissimum est ipsum oriri ex sanguine polyposo acido coagulato, admixto simul crasso chylo stagnantibus. In his enim tumoribus salia alcalia minùs subtilisata sunt, quoniam salsum acidum muriaticum non ritè dispertitur prout decet. Hinc sequitur, quod ex ejusmodi sanguine muriatico tot salia volatilia, aut spiritus subtiles, vel particulę oleosę, gummosę produci nequeant, quot ad œconomiam animalem necessaria sunt, hinc attenuatio particularum reliquarum sanguinis impeditur, sed stagnant potius in musculosis ac carnosis partibus, excitantque tumorem ovi columbini magnitudinem æquantem,

&in

& in acumen vergentem. Sanguis enim lutosus diu ita per totum corpus circulari potest absque productione *Furunculi*, nisi causae aliae interveniant, quae mutationem aliam in Massa sanguinea producant: tamdiu sc. particulae chyli crassae ac lutosę cum acido in arteriis & venis circulantur, tam diu sanitas persistit, si verò mediante aere fermentatio in sanguine oboritur, tunc improportionatae particulae è sanguinea massa propelluntur in partes extremas, hinc fiunt ab *acido* in sanguine latente particulares coagulationes in carne ac cute externa. Obstructio inflammatoria ergo existit modò in hoc, modò in illo vasculo, & non duntaxat in uno ramo, sed nonnunquam in mille aliis minutissimis vasis. Hic ergò est stagnatio succorum maxima, à ruptione vasculorum oborta. Qui enim abutuntur acidis, salsis, ac muriaticis, facilè in affectum hunc incidunt, uti in pueris observamus tempore autumnali fructibus immaturis vel alimentis crassis, spirituosis & sale volatili carentibus, abutentibus.

Prognosis.

§. 12. Quod Prognosin concernit, *Phygethlon* est tumor non facilis curatu, quoniam glandulas occupat, omnes enim tumores glandulosi difficilioris sunt sanationis, quàm aliarum partium carnosarum.

In pueris, quibus *Phyma* est familiarius, citiùs curatur quàm in juvenibus, quibus rarò contingit, difficiliùs ad suppurationem vel maturationem propediem abit hic tumor phymaticus.

Prognosin *Furunculorum* quod spectat, tardiùs isti ad suppurationem tendunt, rariùs in Gangrænam ac Sphacelum transeunt. Suppuratio enim nihil aliud est, quàm attenuatio & fermentatio succorum evasatorum, & hæc operatio similis est chylificationi, quæ in stomacho contingere solet. Cùm non sint periculosi Furunculi, attamen infantes facilè ad atrophiam disponunt, diu sæpè durant, ac facilè recidivæ fiunt, si una in corporis parte aperiantur, & curentur, alia iterum repullulant, doloremque maximum ab initio cum horrore, febre, & externa inflammatione, rubore, calore inferunt, infantibus sæpè dyspnœam aliosque affectus accersunt, ceu sæpissimè id evenisse animadvertimus. Nonnunquam in ulcera transeunt diuturna. Difficillimi quoque curatu sunt hi tumores, quando aperti foramen profundum ac rotundum excavant. Tumores hi tempore ad fermentationem excitandam apto, solent grassari epidemicè. Furunculorum cura sæpius ad menses differtur, imprimis in scorbuticis ac cachecticis subjectis, quò enim acredinis humorum gradus major, eò cura difficiliùs succedit. In adultis non tam facilè, quàm in pueris curantur hi tumores.

Cura Diætetica.

§. 13. *Curam Diæteticam* quod concernit, his in tumoribus præprimis eò dirigatur *Diæta*, ut obstructio facta tollatur, & succi liberentur ab acidis aliisque causis stagnationem succis inferentibus, ut ipsis tantùm liberior concedatur transitus per omnia vasa ac tubulos, imprimis per glandulosos; Aer ergò qui ad *Diætam* pertinet, sit temperatus, purus & ab omnibus inquinamentis liber, vitetur frigidus copioso acido nitroso refertus, item nebulosus fuliginosus &c. Cibi sint optimi succi lactescentis copioso turgidi Sale volatili, fugiantur omnia acida, salsa, muriatica, terrestria facilè succos coagulantia, & ad stagnationem invitantia; potus sit ita comparatus ut succi inde fluidiores reddantur, nec ullus ad hoc præstandum aptior existet, quàm potus calidus Theæ vel Coffeę, hinc filiam nostram à furunculis pluribus, aliis remediis nihil juvantibus, non ita pridem liberavimus; vel si placebit talis calidus potus parari potest ex fumaria, epatic. nob. ex Enul. aliisque, vel Caffe. Vinum Gallicum vel Hispanicum modicè in prandio concedi potest, qui verò vino Rhenano assueti sunt, nec plane ab eo desuescendi, cùm subita mutatio periculosa sit, sanguis enim ac succi nostri debent conservari iisdem particulis, quibus à prima nativitate nutriti sunt, hinc sanguis noster ac succi reliqui, amaris, salsis, acidis, dulcibus volatilib. terrestribus, viscidis ac sexcentis aliis constare debent, sed ne vel acidæ vel salinæ, vel aliæ in illis copia prævaleant.

Vigiliæ ac somnus, motus ac quies sint pro re nata legibus sanorum accommodata, neque excedant limites ordinarios.

Excreta & retenta quod attinet, ea semper more solito excernantur, vel retineantur, si obstructiones vel alvi, vel mensium, vel lochiorum, vel hæmorrhoidum, idoneis sollicitentur remediis, hinc inde abundè, & ad nauseam revelatis.

Animi passiones firma fiducia in Deum nostrum rationis fręno regulentur, mœror, terror omnimodo exulent, ne ab his coagulentur succi corporis nostri, maximi enim hi sunt coagulatores sanguinis ac succorum nostrorum, ceu experientia quotidiè testatur.

Galenicorum cura in Phygethlo.

§. 14. *Curationem* ita instituunt *Galenici* in *Phygethlo*, attendentes ad indicationes sequentes, ut sc. magnitudo aucta tollatur, intemperies corrigatur & pars corroboretur: his indicationibus satisfaciunt, præcipuè si ab externis causis oriatur malum: secùs, si à peste, & febribus malignis: tunc enim periculosissimum dicunt affectum: quòd si non obstet febris alicujus malignitas, à principio statim injecto enemate sanguinem detrahunt, & saburram corporis leniente pharmaco eadem cautione admittunt, & si absit malignitas, Topica aliquantum repercutientia & refrigerantia applicant, oxycratum linteolis calidè apponunt, vel lanam succidam, oleo rosaceo, vel olivarum immaturarum omphacino dicto intinctam tumori obvolvunt. Si verò adsit febris vel magna humorum copia, minimè repercutiendum, sed potius discutiendum esse præcipiunt: in quem finem sequens commendant.

℞. *Fol. malv.*
Parietar.
Alsines aa. M j.
Rad. althææ ℥ j.
Flor. melilot.
Hyperic.
Camomill. aa. P. j.

Pulverisentur vel minutissimè incidantur, & cum s.q. aquæ in cataplasma coquantur, quod tepidè applicetur.

Si adsit durities, maturantia & emollientia laudant, & sequens præscribunt.

℞. *Fermenti,*
Caricar. aa. ℥ iij.
Coq. c. s. q. hydromelitis, addendo
Adipis suillæ ℥ ij.
M. f. Cataplasma, cui add.
Gumm. ammoniac. ℥ j.
Farin. hordei,
Lini aa. ℥ i ß.
Cum aq. in pult. mixt. & calidè applicetur.

Suppuratione facta tumorem aperiendum, dein mundificandum & carne implendum esse dicunt.

Quòd si rumpentibus opus sit, apponunt fermentum cum caricis contusum & melle. Vel rad. cucum. asinini, lupin. & rad. cappar. excip. s.q. terebinth. & applicant in casu ubi patientes aperturam pati renuunt.

Phymatis.

Curam *Phymatis* in plerisque convenire ajunt cum Phygethli iam dicti: Topica debent hic esse talia, inquiunt, quæ naturæ motum sequuntur, quò enim natura vergit, eò per loca conferentia esse ducenda, ajunt; Mel, in quo dissolutum sit gummi ammoniacum, apponunt, ut emolliatur tumor, deinde suppurátia applicant.

Furunculo.

Furunculi, ad mentem *Galenicorum* curantur, 1. ordinata victus ratione, 2. causę antecedentis ablatione, & 3. conjunctæ materiæ correctione. Prima intentio, juxta ipsos, perficitur debita rerum sex non-naturalium administratione: Secundo satisfaciunt scopo, si fluxionem avertant venæsectione vel scarificatione, frictione, ligatura, motu &c. ultimæ verò intentioni satisfaciunt, si materiam non repercutiant, sed corrigant imposito fermento cum mastiche, vel Empl. diachylum simplex.

Vel

℞. *Micæ panis silig.* ℥ iij.
Farin. sem. lini
Fœnigræc. aa. ℥ ij.
Caricar. pingu.
Fermenti aa. ℥ IV.

Coq. c. s. q. lact. caprini ad consistentiam Cataplasmatis si

tis: si dolor adsit, hisce addunt *rad. althææ, lil. alb. & fol. malv.* quod si tumor apertus, mundificativo de apio abstergunt, item seq.

℞. *Succi apii* ℥ iij.
Terebinth. ℥ ij.
Vitell. ov. N. ij.
Pulv. thuris ʒ iij.
Coq. ad aliqualem succi exhalationem, deinde add.
Farin. hordei ʒ ij.
Mell. rosat. q. s.
M. F. liniment.

Dein ulcus implent & cicatrizant.

§. 15. *Paracelsus* in cura Phygethli, Phymatis & Furunculorum, Sonath commendat, cui virtus expulsiva inest, hujus enim virtute ac vi singula Apostemata pelli ait, quia hoc resolvit, mitigat, denique expellit Apostemata ex corde. Unà etiam adesse dicit oportet Chirurgia Praxis, intervenientibus Maturativis quibus in emunctorium redigantur tumores hi. Maturativa quoque cum attractivis ita conjungi vult ut expulsivum attractivum sequatur. Directo igitur Sonath in virtutem suam expulsiva sequitur Tyriaca, sub qua delitescere contendit Arcanum in omni veneno propter virtutem usurpandum.

§. 16. *Helmontius* tumores hos non aliter curari ait quàm alios tumores, per interna sc. sudorifera & Arcana sua, Mercur. diaphoret. &c. Inter externa magnifacit axungiam leporis vetust. sanguinem hircinum, imprimis verò oleum strumarum.

§. 17. *Wvillisius* materiam in adenibus aggestam, & *Phygethlon* in iis producentem ex partibus terrestribus crassioribus Sulphureis, & paucis aqueis illas diluentibus constitutam, ad suppurationem redigendam incumbit, & internis sudoriferis & Martialibus, & quia materia valdè compacta existit, fortioribus etiam maturantibus externis ad suppurationem ream deducendam vult, in quem finem suadet ut foveatur statim Phygethlon decocto sequenti:

℞. *Rad. alth.*
Lil. alb.
Fol. malv.
Parietar.
Violar.
Branc. ursin.

Coq. in aq. font ad ℔ ij. & decoct. tepid. bis in die foveatur tumor: post fotum imponatur Cataplasma sequens:

℞. *Resident. decoct. supra dict. in mortar. contus. & per cribrum traject. q. s.*
Cæp. sub cinerib. coct. N. ij.
Ol. lil. alb. q. s.
M. F. Cataplasma applicandum tumori bis in die.

Si hæc autem non suffecerint, imponatur tumori emplastr. de galbano, vel de gummi ammon. vel diachyl. magn. cum gummi. Abscessus deinceps aperiatur, & solito more tractetur ulcus.

Phymatis materiam temperatiorem fluidioremque faciliùs maturari ait Author, promptiusque suppurari, Sequens commendat Cataplasma.

℞. *Micæ panis,*
Vvar. pass. sine acin. aa. ℥ j.
Butyr. recent.
Axung. suill. non salit. aa. ʒ vj.
Lact. vaccin. ℥ ij.
M. F. Catapl. l. a. quod bis in die tumori imponatur.

Vel

℞. *Farin. fænigræc.*
Sem. lini aa. P. æq.
Decoq. in lact. vaccin. s. q.
M. F. Catapl. s. ac servetur ad usum.

Furunculum verò maturari statim Author suadet, imposito sc. emplastro citrino, vel aperiri ferro vel cauterio. Evacuata autem materia absque Medicamentorum auxilio plerumque coalescere existimat, sed si sponte non consolidetur, imponi illi Emplastr. de meliloto, vel etiam tantillo balsam. Peruvian. illini jubet.

§. 10. *Sylvius* Phygethlon ceu Bubonem curat discutientibus nimirum externis, item emplastris & unguentis emollientibus ac resolventibus, ut sunt diachyl. melilot. de gumm. Varia quoque Cataplasmata ex aromaticis, ac salibus volatilibus parata imponi jubet, si maturatus fuerit tumor eum aperiendum esse præcipit maturantibus sc. ac rumpentibus, inter alia commendat fermentum cum caricis contusum, & melle mixtum sicque impositum, vel in fortioribus aperiatur scalpello vel lancetta in parte molli ac declivi. Apertum mundare jubet digestivo vel bals. Sulpuris anis. vel terebinthin. Dein ad consolidandum Empl. diapompholyg. vel stictic. Crollij applicandum esse suadet.

Curam *Phymatis* quod attinet, Sylvius noster eam cum cura Phygethli in plerisque convenire ait, & Empl. diachyl. cum gummat. aliisque volatilibus concinnatum laudat, item mel in quo dissolutum sit gummi Ammoniacum, exinde enim illicò emolliri humorem hunc scribit, quem dein imposito bals. Sulphuris terebinth. vel anis. mundificandum & iterum consolidandum esse Tyrones suos docet.

Furunculum etiam iisdem remediis curandum esse contendit, imprimis Empl. diachyl. s. commendat, vel seq.

℞. *Micæ panis silig.* ℥ iij.
Farin. sem. lini
Fænigræc. aa. ℥ ij.
Caricar. pingu.
Ferment. aa. ℥ iv.

Coq. c. s. q. lact. caprin ad consist. Catapl. si dolor adsit, hisce addi vult
Rad. lil. alb.
Alth.
Fol. malv. aa. ℥ ß.
M.

Pro mundificatione sequens laudat:

℞. *Succ. apii* ℥ iij.
Terebinth. ℥ ij.
Vitell. ov. N. ij.
Pulvis Thuris ʒ iij.
Coq. ad aliqualem succi exhalationem, dein add.
Farin. hord. ℥ j.
Mell. ros. q. s.
M. F. linimentum.

Dein impleri jubet ulcus cicatrizandum.

§. 11. *Carresiani* talem nobis suppeditant *Phygethlon* vel *Phyma* curandi rationem, qua impuritates ex intestinis eliminentur, ne succo chyloso & sanguini communicentur, hinc resinam Jalappij, scammonium rosatum, & mercurium dulcem in usum ducunt, quibus si scoriæ crassiores ejectæ sint, particulas acidiores & rigidiores obstructionem ductuum glandulosorum inducentes flectere, absorbere & per habitum corporis eliminare conantur remedis porosis, alcalicis fixis & nonnunquam volatilibus, Sale nempe fumariæ, scordii, bezoardico minerali, Sale C. C. volatili, rob sambuci, Tinctura Tartari antimoniata, vel infusis & decoctis ex lignis aliisque herbis sanguinem depurantibus. Ipsa verò hæc tubercula externis topicis attenuare, incidere, emollire & resolvere student, illito vel oleo amygd. dulcium cum oleo scorpionum additisque guttulis quibusdam olei destillati anisi vel succini, misto, vel unguento dialthææ & Basilico, vel imposito emplastro de mucilaginibus, aut diachylon & de meliloto invicem mistis. Materia satis emollita tumorem aperiunt, & exempto pure ulcusculum mundant unguento aureo, vel basilico & balsamo sulphuris, emplastroque diapalmæ, vel de gratia Dei ad optatam perducunt sanationem.

Furunculi curationem itidem emollientibus peragere tentant, qualia sunt Empl. de gummi Ammoniaco, sulphure, camphora, euphorbio & oleo petræ, vel quod sequens exhibet formula.

℞. *Pic. naval.* ʒ ij.
Pyrethr.

Marginalia: *Paracelsi cura in morbis hisce.* — *Helmontii cura.* — *Willisii modus curandi Phygethlon.* — *Phyma.* — *Sylviana curatio Phygethli.* — *Phymatis.* — *Furunculi.* — *Cartesianorum methodus curando Phygethlon & Phyma.* — *Furunculum.*

Galban. aa ℥ ß.
Terebinth.
Ceræ aa. ℥ j.
M.

Materiam suppuratam remediis corrodentibus separant, ulcus mundant, & sarcoticis explent. Recusante verò materia suppurationem, sectione cruciformi præmissa & cute sublata, materiam spatula separant, reliquias unguento Ægyptiaco, vel præcipitato, aut alumine usto absumunt, & ulcus emplastro oppodeldoch debitè occludunt.

Nostra sententia de Phygethli cura Pharmaceutica ac Chirurgica.

§. 12. Quod *Nostram* curationem Pharmaceuticam ac Chirurgicam tumorum horum attinet, *Phygethli cura* consistit in tumoris glandulosi deobstructione, quæ obtinenda est æquè per remedia interna ac externa, interna egregia sunt incidentia, & dein diaphoretica sive absorbentia, inter incidentia hoc in tumore amara & tartarea meliora sunt, ex. gr. Essent. myrrh. cent. min. card. bened. absynth. &c. inter Tartarea liq. terr. fol. Tartari, Tinctura Tartari nostr. volat. Tartar. Vitriolat. Crem. Tartari cum ocul. Cancrorum: hæc enim optimè cum absorbentibus conjungi possunt, & sic una fidelia plures dealbamus parietes. Et cùm sæpe aliquid maligni seu acrimoniæ subest, hinc Diaphoretica non contemneneda sunt, imprimis Sal C.C. volat. viperar. ex exuviis viperar. solùm confectus, Spiritus viperar. ex viventib. viperis cum toto destillatus. salia volatilia oleosa, imprimis hic conducet internè Spiritus matricalis nost. oleosus, egregium remedium in omnibus tumoribus, Externa etiam statim tumori apparenti applicanda sunt, hinc angue pejus reppellentia ac alia refrigerantia fugienda, sed statim ad resolventia ac deobstruentia transeundum est; commendamus ergo statim ab initio seqq. vel similem fotum, seu forma Cataplasmatis applicandum.

♃. *Herb. salv. Origan.*
Rutæ, *Cicutar.*
Malv. Atrip.
Alsines. aa. M ß.
Rad. alth. ℥ j.
Flor. melilot.
Hyperic.
Chamomill. aa. P i ß.
Bacc. Junip. ℥ j.
Coq. in vin. Gall. vel muls.

dein ad.

Spiritus matrical. ℥ i ß.
Fl. sambuc. ℥. j.
Camphor. ʒ iij.
Sal. Armoniaci ℥ ß.

Vel spiritus matricalis cum linteis madefactis & quadruplicatis imponatur. Theriacam cum cæpis alii cum effectu applicant. Imponantur varia emplastra, ut de Armoniaco, diachyl. s. diaphoret. de melilot. de mucilag. omnibus verò præstat Empl. de Labdano cunctis tumoribus discutiendis egregium Empl. Ut verò horum applicatione per aliquot dies continuata, si tumorem satis magnum ad maturationem vergere appareat, quamvis hoc in tumoris genere rarissimè fiat, maturantibus & suppurationem promoventibus succurratur; ita quando & æger dolorem lancinantem & pulsantem remittere, & quandam titillationem succedere sentit, & cedens mollities digitis, aliaque apparent signa perfecta maturationis & brevi futuræ appertionis, niti sponte rumpatur abscessus, à perito Chirurgo aperiendus est, & quidem lancetta, id que in loco declivi; facta dein apertione mundandum est ulcus & tantùm exsiccandum, quod more solito citò curetur aqua calc. viv. Spiritu matric. vin. Camph. succ. hyperic. nummular. plantag. Sal. Saturni, aliisque balsamicis digestivis vel ungu. nostro balsamico, bals. de Peru, de Capaiva, Tolutan. vel Chili, vel plumaceola cum supradictis liquoribus & balsam. nostro divino imbuta applicentur tepidè. Empl. divin. diachalcit. de plumbo, stictic. oppodeltoch, vel polycrestum nostrum. apponantur.

Cura Phymatis.

Cura *Phymatis* vix differt à cura prædicti Phygethli, gradu enim à se invicem differunt; internè ergò conveniunt incidentia, absorbentia ac diaphoretica, hinc inde ad nauseam dicta, imò vinum medicatum ex herbis & radicibus aliisque paratum volatilibus & absorbentibus hìc maximè conveniunt.

Cura externa eò dirigatur ut suppuratio promoveatur, quod obtineri potest si externis impositis fermentatio succorum augeatur, in quem finem conducet ungu. basilic. externè impositum, vel alia Cataplasmata ex emollientibus parata; specificum in hoc tumoris genere habetur mel in quo dissolutum fuerit gummi ammoniacum, si apponatur illicò, à quo emolliuntur & aperiuntur Phymata. Vulgus imponere solet mel cum farina subactum; apprimè conveniet farina lini melle mixta. Dein aperti facile curantur impositis mundificantibus, & dein exsiccantibus jam superius dictis ex calce viva, & succis temperantibus paratis.

Cura Furunculi.

In *Cura Furunculorum* eò respiciendum est, ut coagulum sanguinis ac succorum impediatur, & circulatio promoveatur, ne partes lutosæ alibi stagnare possint, quod obtinere possimus, si acidum in sanguine ac succis existens mortificetur vel absorbeatur, & dein sanguis crassus attenuetur; in quem finem absorbentia diaphoretica fixiora commendamus, imprimis verò sequentem pulverem ad ℈ j. vel plus vel minus pro re nata exhibendum.

♃. *Antimonii diaphoret.* ℥ ß.
Ocul. cancrorum ppt. ℈ j.
Alb. græc. ℥ j.
Ebor. ppt: ℈ j.
M. F. Pulvis.

Salia enim volatilia & alcalica hoc in pulvere contenta acidum apprimè temperant, prout hunc effectum in pluribus morbis præsertim in Soda vidimus. Hic verò effectus non tantum in primis viis percipitur, sed etiam in chylo ad cor tendente effectum hunc præstat. Prosunt etiam hìc omnia salia volatilia oleosa, hinc Furunculis affectis semper exhibendæ sunt guttulæ aliquot salis volatilis oleosi, vel Spiritus catarrhalis oleosi, vel cephalici in vino malvatico, non Rhenano vel alio acido, quoniam cum hoc effervescens volatile oleosum figuram suam, & per consequens, vires suas amittit. Si hisce, *Furunculi* non cedant, ad acidum magis temperandum, & sanguinem attenuandum ac incidendum sequens conducet decoctum ad ℥ iij. ter de die exhibendum.

♃ *Rad. Chinæ*,
Salsaparill. aa. ℥ j.
Bardan. ℥ ß.
Lign. Guajac. ℥. IV.
Bacc. lauri,
Herb. rorismar. aa. ℥ ß.
Fl. verbasc.
Cent. min. aa. M ß.
Herb. cochlear. ℥ j.
Sem. anis. ℥ ß.
Sal. Tartarii,
Sal. Armoniaci aa. ʒ j.
Antimonii crud. ʒ VI. *in nodulo ligand. vini & seri lact. q. s. coq. & servetur colat.*

Jucundiùs verò ægri curantur decoct. lignor. ac rad. chinæ cum Thee infus. & saccharo edulcorat. & more solito ex patellis absorpto. Hisce non juvantibus ad vinum chalybeatum accedendum est, & sequens commendamus.

♃. *Limat. Chalyb* ℥ j.
In vino optimo generoso vel Gallico vel Hispanico Mens. dimid. loco calido digeratur:

& patiens vitrum hauriat, & simul Tincturam corallorum cum cera paratam nostram assumat, & interponantur salia volatilia, ut C. C. Sal. Armoniaci, de quibus de die ʒi. assumat. Hæc omnia sanguinem crassum attenuant, & acidum peccans temperant, quod semper in tumoribus hisce respiciendum est. Nec negligenda sunt antimoniata, Tinct. Antimoni Tars. aliaque alibi ad nauseam dicta.

Curatio Furunculorum externa itidem consistit in sanguinis lutosi ac ab acido coagulati ac incrassati incisione & attenuatione, ut succi stagnātes ritè rursus circulari pos-

ri possint, & quoniam non multum fluidi in hoc tumoris genere reperiatur, hinc particulæ Medicamentorum fores haud derumpere possunt, ex quo tarditas motus dependet. Ratio ergò æquè ac experientia Nos docet, quòd ejusmodi tumores ope vehementiorum maturantium & fermentationem internam promoventium Medicamentorum curari ac auferri debent. Utplurimùm ergò in curatione Furunculorum animus dirigendus est ad ipsius massæ sanguineæ aliorumque succorum correctionem & emendationem, materia enim peccans, quæ adhuc cum aliis succis in sanguine commixta est, ansam dare potest novæ productioni tumorum, quod apprimè hic notandum est, si enim hoc non ritè observatur, per plures menses artus vexantur, prout experientia Nos docet abundè. Nec etiam ab initio ut in aliis tumoribus, discutientibus volatilibus discutere tentemus Furunculos, sed potius ad eos suppurandos nos accingamus, aliàs tantum detinemus materiam, quæ dein profundiùs excavat corroditque.

Ad maturationem ergò Furunculorum sequens Tyronibus communicamus remedium egregium.

℞. *Gum. ladan.*
Galban.
Ammoniac. aa. ℥ ß.
Styrac. calam.
Pulv. rad. bryon.
Herb. salv.
Sem. cumin. ℥ ß.
Resin. pini ℥ iij.
Ol. Guajac. ℥ j.
M. f. l. a. Ceratum mollius.

Gummata enim, ex quibus constat hoc Ceratum, quia in se continent sal volatile acre, oleum & spiritus, maximè prosunt, imprimis Ladanum cujus oleum multum subtilius est quàm galbani, prout ex suavi odore gummi huius percipi potest, hinc sequitur ejusmodi gummi optimè particulas coagulatas & lutosas discindere posse, quoniam materia subtilis aliter per commixtionem particularum gummi ladani fluit, quàm per gummi Galbani, reliqua quoque Medicamenta in Cerato hoc contenta in se continent Salia penetrantia & volatilia, item olea balsamica, sic & pulveres particulas suas salinas habent, quarum ope operatio Medicamenti hujus maximè promovetur, & inde necessariò particulæ stagnantes ad motum intestinum seu fermentationem incitantur, hinc sequitur inflammatio, quam dein excipit suppuratio. Si dolor maximè urgeat, Cerato præscripto *croci* ℥ ij. misceri possunt. Vel imponatur unguent. Basilicon, quod egregium est ad maturandos tumores, quoniam interdum motum particularum ac fermentationem promovet. Si inflammatio sit vehemens, conveniunt Cataplasmata ex scord. menth. fl. chamomill. &c. parata, vel Theriaca vel Diascordium forma Cataplasmatis imponantur tepidè. Si jam maturatio & brevi futura apertio imminet, nisi sponte rumpatur abscessus, ferro aperiendus est, facta dein appertione, ulcus mundandum est à quacunque sorditie, imposito vel balsamo nostro digestivo ex myrrh. thure, aloe, calce viva, vitell. ov. Terebinth. parat. pro re nata & ungu. Ægyptiac. imponend. vel balsam. de Peru, vel Chili, vel sequenti mixtura, quæ rarò te effectu frustrabit.

℞. *Aq. calc. viv.* ℥ j.
Spiritus matrical. ℥ ß.
Succ. hyperic.
Nummular.
Plantag. aa. ℥ v.
Sal. Saturni ℥ j.

M. qua mixtura plumaceola imbuta imponantur ulceri.

Empl. divin. vel stictìcum vel calam. de tutia, vel aliud exsiccans imponatur. Pinguia in his aliisque angue pejus fugiantur.

CAPUT V.

De Ecchymomate, & Plaga.

§. I. Ecchymosis, cutis affectus dicitur, hinc varia sortitur nomina, *Ecchymoma* nempe, à Græco verbo Εκχύμωμα, vel ἐκχύμωσις i. e. Effusio, Sugillatio, Suffusio, *Ecchymoma sugillatio, suffusio.* ναυσίωσις species Ecchymomatis sunt Hypopyon & Hyposphagma, sanguinis sc. evasati concursus ad ungues ex plaga, de quo vitio de unguium affectibus in specie fusiùs dicemus. Huc referri possunt vibices, stigmata, peliomata, à fustigatione vel plaga [Germani *Knippfen, Pezen* dicitur) exorta. *Ecchymosis.* *Ecchymosis* ergò est affectio circa cutem & sub cute, qua sanguis è suis vasis per fissuras & rimas effunditur, nondum in grumos coactus, tandem tamen à stagnatione acidior redditus in grumulos abit, & partem livescere facit. Hinc jure meritoque vulgo dicunt Ecchymosin solutionem continuitatis cum contusione & ruptione vasorum sanguiferorum aliorumque conjunctam: alii Ecchymosin describunt, quòd sit suffusio sanguinis in spatia vicina, unde pars affecta lividum sortitur colorem.

Plaga. Si verò hoc malum fit à contusione, fractura, lapsu vel alia causa violenta, *Plaga* dicitur, quæ verò sanguinis effusio à causa fit interna, nullo prægressa evidente causa violenta, *Ecchymosis* dicitur: quam verò veterum differentiam & distinctionem tamquam inutilem rejicimus, si enim vel ab interna vel ab externa causa producatur affectus, idem tamen affectus erit, Hinc iterum abundè patet, Veteres in nominibus excogitandis magis curiosos quàm in aliis utilioribus explicandis fuisse. Sic quoque Molops, item vibex ipsis nihil aliud est, quàm cutis sugillata ex verberibus; idem significant stigmata ac peliomata.

Pars affecta. §. 2. Pars affecta, meritò *Cutis* dici potest, quia in ea apparent stigmata illa; & cum Cutis rete mirabile variorum tubulorum & lymphaticorum, glandularum, arteriolarum, venarum, nervorum &c. sit nulli mirum videri debet, hanc eandem cutem & in ea vasa potissimùm sanguifera pati debere. Quæ vasa sanguifera in cute vel sub cute latentia facili marte eroduntur à causà interna, succis scil. acribus ac corrosivis scindentibus, vel aperiuntur à causa violenta, hinc non potest non fieri, quin evasatus ibidem jaceat stagnetque, & ob crassitiem minimos tubulos permeare, multò minus per cutis poros avolare nequit.

Diagnosis. §. 3. Affectus hic Sugillatio scilicet, nullis indiget signis, quibus dignoscatur, quàm oculis, quibus se satis manifestat, sanguis enim ex contusis, erosis vel ruptis arteriolis ac venis exsudans, ruborem, dolorem, inflammationem vel livorem excitat. Signa ergò Ecchymoseos, sunt tumor mollis, lividus, quandoque cum, interdum sine doloris sensu partes corporis nostri imprimis sub cute latentes occupans varias A relatione ægri nosci potest num à causa, violenta, vel à causa interna producta fuerit Sugillatio Livorem totius corporis periodicè recurrentem observavit Celeberr. *Carolus Raygerus*, testantibus *Ephemer. Germ. Nostr. Ann. 9. & 10. Observ. 3.*

Causa secundum Galenicos. §. 4. In eruenda *Causa* Ecchymomatis adscribunt eam *Galenici* sanguini evasato, cùm caro ab aliquo pondere incidente contusa fuerit, venæque parvæ quæ per eam dispersæ sunt, ruptæ fuerint, sanguinis profunditur, quasi transcolans isque sub cute collectus, juxta ipsos facit id quod Ecchymoma vocatur, cute adhuc integra: rupta cum Ecchymosi h. e. sanguine, qui in loco contuso collectus fit, omninò fieri ajunt. Ecchymosis ipsis est ceu aliis, effusio sanguinis subter cutem, quam ab omnibus causis fieri asserunt, quæ possunt exprimere sanguinem, è venis arteriisque extravasare, ruptis, erosis, apertis aut rarefactis eorum tunicis, & cutaneum aneurisma facere. Plagam dicunt eodem ferè modò oboriri, quam tamen à causa violenta utplurimum fieri ajunt, ut nempe ex acuto retusove telo, aliisque instrumentis.

Paracelsum. §. 5. *Paracelsus* coagulationes sanguinis in cute vario modo fieri posse contendit, ut *trusionibus*, *casibus*, percus-

percussionibus, vel in corpore vel in membris. Cùm aliquod membrum gravi nimium percussione contusum fuerit, impossibile est, ut in eo fiat iterum naturalis unio læsi cum circumstantibus, quia, ut ille ait, mortem in se recipit à percussione vel trusione; at si percussionibus, trusionibus aut casu coagulationes intra corpus contigerint, sanguinem mox in putrefactionem transire ait, nam ibidem ac in membris extrinsecis tamdiu resistere non potest, ob internũ calorem in corpore, sic in deterius pronum est, ut quicquid in eo læsum fuerit, mox in putrefactionem agi contendat.

Helmontium. §. 6. Secundùm *Helmontium nostrum* Ecchymoma ac Plaga à causis variis produci potest, sæpissimè verò à plagis & percussionibus artuum & partium carnosarum, hinc Ecchymomatis causam in coagulatum & evasatum cruorem unicè rejicit, concretionem ac contusionem cruoris adesse nullus dubitat, hinc ipsum cum aliis sub cute congelatum & nigricantem esse statuit.

Vvillisium. §. 7. *Vvillisius* in Ecchymosis causa deducenda sequenti modo ratiocinatur: Sanguis in partium substantiam effunditur, & in ea remoratur, vel ob earundem partium contusionem, vel ob vasa aperta aut disrupta à cruoris acrimonia, vel ab eodem crassiore obstructa: grave siquidem corpus aliquod parti cuidam violenter applicatum fibras ejus vasaque sanguifera in eo dispersa comprimit, ipsaque sibi invicem propiùs adjungit, & coarctat, sanguis autem curriculum suum pergens, & per arterias ad locum contusum appellens, compressa vasa penetrare nequit, nullaque patente via, qua ulteriùs progrediatur, in ea parte ad quam pervenit moram facit, & in illa stagnat, ac talis sanguinis effusio *Ipsi Plaga* dicitur. Disrupto verò apertove vase aliquo ab insita sanguinis acrimonia, cruor in vicinas partes delabitur, ipsasque inundat; & quum plus sanguinis ab arteriis deferatur, quàm à venis reportari possit, nec sanguis ab arteriis exiens, pari modo ac antea venarum oscula subeat, in parte in quam decidit, aggeritur, & cespitat. Si enim sanguinis quidam grumulus ad tenuiora partium vasa attigerit, quæ ob eam, qua pollet molem permeare nequeat, in ipsorum limine hæret, illorumque orificia obturat, cruorique indesinenter adventanti viam præcludit, ille verò in itinere suo impeditus in parte commoratur & retinetur, & hæc sanguinis extravasatio *Ecchymoma* denominatur, sanguine dictis de causis in parte quadam cespitante, spiritus pernici motu agitati à reliquis principiis descíscunt, & per poros avolant: Sulphur verò spirituum consortio orbatum deprimitur, & crassescit, terreasque ac salinas particulas venis suis complectitur. Quum autem propriè dicta tunc existat principiorum residuorum confusio, nec ea sub exacto mixtionis vinculo à spiritibus contineatur, interstitia, quę inter eorum particulas intersunt, irregularia existentia, plerosque lucis radios absorbent, coloremque subnigrum aut lividum exhibent.

Sylvium. §. 8. *Sylvius* Ecchymoseos & Plagæ *causam*, ut & omnes alios sanguinis effluxus dicit esse apertionem vasorum sanguiferorum qualemcumque, sive illa fiat à causa externa violenta, ut ictu, casu, contusione, vasa lacerante, aut ex nimia vasorum à copioso, valdè rarefacto aut retardato sanguine, flatibusque, distensione, sive ab humoris aut in vasis, aut extra ipsa subsistentis acrimonia rodente, sive à re dura & acuta vulnerante obtusave contundente, aut plaga aut quovis alio idem contingat modo.

Cartesianos §. 9. *Cartesiani* sanguinem è vasis suis inter cutem & cuticulam effusum tanquam causam materialem proximam admitunt in *Ecchymomate*, eamque effusionem, ob arteriolarum potissimùm diruptionem contingere affirmant, vel ab interiori sanguinis impetu ex fortiori particularum angularium, cum porosis effervescentia orto, vel ab externa quadam violentia per contusionem, concussionem, fustigationem, unde *Plaga*, virgis factam cæsionem, unde *Vibices* excitentur, inducta. Internam diruptionem plerumque arteriolarum & tubulorum quandam præcedere dicunt obstructionem, ob quàm sanguis in transitu impeditus arteriolas nimium distendat, novus verò assiduò affluens, & priorem in angustiorem ramum depellens, ostiolum aliquod nimis aperiat, ut portio quædam ejus cum succo chyloso nutritio in partem effundatur, ibidemque hærens sale suo volatili pedetentim destituatur, porosque obstruens globulorum æthereorum appulsum variè commutet, ut vel ad latera deflectantur, sicque livorem exhibeant, vel omnimodò suffocentur, & atrum quendam colorem præsentent.

Nostrum iudicium de causa Ecchymomatis & Plagæ. §. 10. Causæ ergò Sugillationis, *me judice*, in duplici sunt ordine, duplicemque ejus constituunt differentiam: causæ siquidem ejus sunt, ceu jam dictum est, *Externæ* vel *Internæ*. Prioris classis sunt contusio, fractura, lapsus, collisio, fustigatio, &c. & inde sanguinis effusio à causis istis producta veteribus Plaga denominari solet. Posterioris verò ordinis sunt tubulorum obstruptio & sanguinis stagnatio, hinc tandem facta diruptio vasorum, vel à corrosione humorum vel nimia horum distensione vasorum, illa sanguinis evasatio propriè Ecchymosis dicitur. Nos verò promiscuè affectus hos pertractamus. Parti cuidam infertur Sugillatio, cùm grave quoddam instrumentum vehementiùs in illam impellitur, & ab illo canaliculi sanguinem deferentes validiùs premuntur, juxta se invicem propiùs adiguntur, & ab orificiis suis sanguinem quem continent, ejicere coguntur in partem, in qua terminantur. Sanguinis particularum ordo à fortiori ista pressione destruitur, ipsæ à se invicem dispescuntur, & illarum perit unio, materia æetherea partes omnes irrequietè pervadens, ad sanguinem istum extravasatum appellens, & in particulas ejus alcalinas tenuiores, & ad motum aptiores æquè ac in viscosa phlegmaticas impingens, ipsas ad exitum determinat, vel per reliquorum interstitia viam illis molitur; quum verò acida Sulphura, & crassiora alcalica motui sint minùs idonea, in parte remorantur. Acida Sulphurum ramis intricantur, eaque coagulant, quæ motu, quo à materia æetherea adventante, & à spiritibus animalibus influentibus donantur, in tubulos angustiores, quàm ut liberum permittant illis transitum, compulsa, in illis retinentur, eosque obstruunt & impediunt, ne sanguis illos præterfluere valeat. At quum omnes partis tubuli vel canaliculi ab instrumento contundente non fuerint compressi, & strictiores tantummodo sint occlusi, adsitque anastomosis inter vasa congenera, sanguis ab obturatis canaliculis in apertos deflectit, à qua data porta ruit: quare ea non fit sanguinis stagnatio, quæ tumori elevando sufficiat. Alcalia crassiora, quæ in parte stagnarunt, amplioribus gaudent poris, quàm ut acida, quæ illos subeunt, in iis coerceantur: quum ergò acida prę tenuitate sua latos alcalicorum poros facili negotio pervadant, nullumque adsit materiæ subtili advenienti impedimentum, & ea liberè per Sulphurum coagulatorum interstitia transire queat, rectà tendit, neque vel minimam in sanguine turbam concitat. Quapropter contingere potest sanguinis extravasatio seu sugillatio sine subsequente inflammatione, attamen si contusio gravior fuerit, canaliculique ampliores & angustiores, ac profundiùs in parte jacentes, æquè ac illi, qui in superficie sunt positi, supra modum compressi fuerint, & eorum parietibus atque poris validiore ista compressione propiùs ad se invicem admotis, sanguini non liceat per canales illorum iter facere, nec subtiliora alcalica in profundiori latentia evaporari queant, necessariò utplurimùm subsequitur inflammatio, quia alcalica tenuiora in parte retenta delicatorum acidorum spicula poris suis excipiunt, quæ cum ipsis remorantur, eosque angustiores facientes materiæ æthereæ accedenti obicem ponunt, quæ in sanguinem reflexa, illum velociori agitat motu. *Ecchymoseos* propriè dictæ causas internas asservimus canaliculorum obstructionem, & sanguinis stagnationem accusauimus, at quum sanguinis stagnatio utplurimùm à canaliculorum obstructione & ruptione producatur, & canaliculorum obstructio à Sulphuribus viscidis coagulatis excitetur unde oriatur Sulphurum coagulatio, rimamari operæ pretium est: eam autem emergere à sanguinea massa acidis à causis in Capite de Inflammatione allatis, quæ acida in Sulphurum ramis implicata illa coagulant;

sed

ſed ſi delicatiora fuerint acida, ſubtiliora ſolùm quędam ſulphura cogent, quæ in minutiores grumulos à phlegmatis quibus innatant conglobata, ampliores canaliculos prætermeabunt, & in arctioribus tantummodo ceſpitabunt, quare Ecchymoſis uti & Plaga Inflammatione vacare poteſt, quod accidit pro obſtructorum canaliculorum ratione, ſi nimirùm fuerint latiores aut arctiores, in profundo aut in ſuperficie collocati. Certum ergo ex his colligere eſt, ſanguineo liquore coagulato, ac hinc & inde à motu quieſcente, Ecchymoſin conſtitui. A coagulatis ſuccis obſtruuntur & ita comprimuntur, ut circulatio ſpirituum animalium, ſeu ſucci nervei impediatur, quemadmodum enim hypotheſin de Circulari Sanguinis motu ab omnibus ſanioris mentis Philoſophis ac Medicis receptam, & infinitis Experimentis atque Ratiociniis confirmatam novimus, ſic quoque ſuccum nerveum ſeu ſpiritus animales moveri à cerebro per nervos ad partes, ab his per vaſa lymphatica ad venam Subclaviam & Cor, hinc per arterias Carotides & plexum Choroidem ad glandulam Pinealem, & ad Ventriculos cerebri anteriores tres, per poroſitatem verò hujus denuò ad nervos. Alii ſupponunt, in plexibus choroidibus cerebri produci & in glandula depurari fluidum quoddam aereum ſimulque flammeum, quod ad nervos delatum nomine ſuccci nervei aut ſpirituum animalium, ſenſuum ac motuum cunctorum in corpore noſtro exiſtat author, hoc verò fluidum ſeu ſpiritus animales neceſſariò circulari debere, i. e. ad principium ſuæ emanationis reverti, extra omnem dubitationis aleam ponimus.

[Pro]gnoſis. §. 11. Si leves ſunt Ecchymoſes, nullum habent periculum, ſed tantùm defœdationem Corpori inferunt. Sanguis ſub pelle extravaſatus vel inſenſibiliter diſcutitur, vel ſuppuratur, vel obſtruendo nervoſos tubulos Gangrænam aut Sphacelum inducit. Plaga à graviore contuſione vel lapſu orta, ut & Ecchymoſis in profundiore loco facta, ſubſequentem habent utplurimùm ſuppurationem, quam tamen Ecchymoſin in manu dextra abſque ſuppuratione vel ullo incommodo, & per 24. annos durantem vidi in generoſo viro quodam hiſce in oris commorante. Sic etiam partis affectæ ratione ſunt vel difficiliores, vel faciliores; in pedibus & Tibia difficillima curatu eſt ſuffuſio, imprimis in ſcorbuticis aut cachecticis, continuò enim madent partes, quam Ecchymoſin in Nobili Aulico à lapſu graviore ortam per annum & ultra duraſſe obſervavimus; Utplurimùm remanent ſtigmata livida tanquam cauſati ſanguinis teſtes.

[Diæ]ta. §. 12 Nec *Diæta* in Sugillatione negligenda venit, aliàs accedente ſucco nutritio acido acri ac terreſtri affectus hic potiùs augebitur, quàm diminuetur; eò enim collimandum eſt, ut ſucci omnes attenuentur & volatiliſentur, in quem finem Patiens aerem eligat calidum ac temperatum, frigidum ac pluvioſum contrà fugiat ſollicitè. Conveniunt cibi eupepti, fluidi, aromatis ac Sale volatili turgidi, partim ut ſanguis ſtagnans & evaſatus attenuetur & reſolvatur, humores incraſſati obſtructionem parientes incidantur ut meliùs fluant, è contra vitentur ſummoperè frigida, item ſalina. muriatica ac acida. Potus ſit hic imprimis calidus Theæ nempe vel Caffeæ, vel alius herbæ volatilis, cereviſia quoque variis herbis ac radicibus aromaticis maritata concedi poteſt, vel vinum Gallicum vel Rhenanum, modò fuerit oculis cancrorum maritatum, vel in quo baccæ ſambuci fuerint infuſæ; vel cum ſale volatili more ſolito in menſa aſſumi poteſt.

Somnus, vigiliæ, motus & quies, excreta ac retenta, animi paſſiones ſunt pro re nata rationis trutina perpendenda.

[Cu]ratio Ecchymomatis [&] Plaga [sec]undum [Ga]lenicos. §. 13. Cura *Galenicorum* in Ecchymomate & Plaga in eo conſiſtit, ut concretus ſanguis per halitum digeratur, idque celeriter, priuſquam nigreſcat, ab initio ergò, ſi Ecchymoſis magna eſt, V. S. inſtituunt, & Syrupos, ſeu Julapia ſanguinis coagulationem, ſeu concretionem, ſeu putredinem prohibentia propinant: uti ſunt Syrupus de ſucco limonum, de ſucco aceto ſellæ, de acredine citri &c. Inter. Topica commendant illi adſtringentia, refrigerantia digerentibus admixta, ut calor partis uniatur & putredo prohibeatur, & venulæ ſanguinem effundentes conſtringantur, miſcent itaque albumen ovi cum ol. roſato, & mediocri, adſtringente tamen ligatura parti affectæ applicant, partem quoque in circuitu eodem inungunt oleo, & addunt pulverem rad. bryon. vel roſ. rub. inſpergatur, ſunt etiam ex hoc grege, qui in principio Ecchymomata ſcarificant. Aliqui ex iis pellem arietinam recenter detractam, & adhuc calentem iiſdem pulveribus & pauco ſale pulveriſato inſpergunt, & contuſis Ecchymoſi circumligant partibus. Alii utuntur ungu. dialtheæ cum croco myrtill. rad. brioniæ vel roſar. rub. pulv. partem ſugillatam quoque foveri ajunt vino calido in quo mel & ſal ſint diſſoluta. Quòd ſi Ecchymoſis ſit inveterata & radices egerit, raphanum contuſum applicant, alii partem affectam lavant aceto calido, vel decocto raphani cum vino facto, vel ſequens Cataplaſma.

℞. *Herb. malv.*
Chærefol.
Flor. chamomill.
Melilot. aa. ℥ j.
Rad. ſymphyt.
Altheæ aa. ℥ ij.
Succi abſinth. ℥ i ß.
Vin. alb. q. ſ.
M. f. l. a. Cataplaſma.

Si malum ad maturationem tendat, hanc adjuvandam eſſe jubent, & dein ulcus detergendum & conſolidandum.

Cæterùm de numerò *Ecchymomatum* ſunt quæ ſugillata nominantur, & livores ex *Plaga* contracti; præter jam dicta conveniunt hydropiper unà cum ſuo ſemine illitum, ſugillata & humores qui obduruerunt, diſcutit. Pellem autem pecudis recens detractam, eos qui flagris cæſi ſunt, potiùs quàm cætera omnia, uno die unaque nocte perſanare ajunt. Ranunculum quoque illitum, aut capparis folia, aut ceruſſam cum aceto laudant, oleum liliaceum continuò inunctum vibices concolores abigere non dubitant.

Paracelſus. §. 14. *Paracelſus* duas conditiones remediorum pro coagulationibus ſanguinis eſſe arguit. Externarum hoc eſt percuſſionum vel contuſionum remedium, ut locum oleo laterino perungas, poſtea liges cum aceto roſaceo. Non eſt, inquit, quod cœruleum colorem auferre cures, at reſolvere, tum abeunt per ſe colores. Inter cętera quęque præſtantiſſimum oleum ad omnia externa membra contuſa fractaque, hypericonis deprædicat. Itidem & olea vulneraria, balſama, & ex fodicationum emplaſtris tracta, eſſe in uſum, qui dictus eſt, utilia.

Ad coagulatum ſanguinem intrinſecùs multa recepta poſſe adferri ſcribit, eſſe aliqua tamen corpora præſtantiſſima è quibus omnia conſtant remedia, inquit, quorum tradit ſequentia ſelecta, ut ſunt Rheubarbarum, ſperma ceti, lacca, carbones tiliarum arborum, aſtrucium, vel branca urſina, aqua pœoniæ, endiviæ, bolus Armenus, terra ſigillata, hirundinaria, rheupontica, lapatiũ majus, aqua valerianæ, Mumia, diagridium, agaricus, ſcolopendria, Hyſopus, aqua cardui Marię, ſal gemmæ. Omnes etiam purgationes aut laxationes coagulatum ſanguinem pellere dicit, cùm aliud remedium haberi nequit. Locus etiam caſus aut contuſionis innugi debet prædictis medicamentis ad exteriora membra poſitis ad mitigandum. Clyſteres quoque commendat juxta neceſſitatem. Mannam pariter eſſe excellentiſſimum hoc loco remedium ait. Animadvertendum vult, ne priuſquam ad maturitatem pervenias, acribus utaris medicamentis, at à mitioribus incipias.

Helmontium. §. 15. *Helmontius* ad contuſionem concretionemque Cruoris abſorbendam & diſſolvendã commendat æquè interna ac externa remedia, inter interna aliis præfert lapides cancrorum & oſſifrag. in ſpiritu aceti reſolutos & aſſumptos, item Diuretica ac Diaphoretica tanquam ſpecifica remedia laudat; poſt volatilia, ut Spiritus, Tartari C. C. lignorum; Camphorata, &c. Sudorifera fixa extollit, ut & Mercurium Diaphoreticum, quo remedio plus quàm centum hoc morbo affectos

fectos sese feliciter curasse gloriatur. Ejusque indolis Mercurialis habetur Rothmaleri particulare ex universali.

Inter externa Topica commendat rad. Bryon. alb. ras. & parti sugillatæ superimpositam, quæ Ecchymomati ac Plagæ in qua cruor sub cute congelatus & nigricans est, eum paucis horis in aquam resolvit, eamque pariter per cutem exigit.

Vuillisium. §. 16. *Vuillisius* sanguinis suffusionem quamcunque curat, ipsum congrumatum blandè Diaphoreticis intrò assumptis dissolvendo, & spiritibus parti applicatis per poros discutiendo; ultimi ordinis sunt spirit. vini camphoratus, spiritus lavendul. flor. sambuc. Iuniper. &c. qui juxta Authorem sanguinis stagnantis partes comminuendo, & in motum ciendo, porosque aperiendo, illum per insensilem transspirationem evaporare faciunt.

Sylvium. §. 17. *Sylvius* sanguinem è vasis suis effusum, ac per vicinarum partium substantiam dispersum, si removeri queat, in totum aut ex parte quantocyus inde removendum putat, impediendo idcircò ipsius coagulationem, atque potenter dissolvendo partes ipsius crassiores sub cute latentes & Ecchymosin efficientes, discutiendoque tenuiores, ac temperando insimul acriores, idque tam internis medicamentis, quàm externis. Ad sanguinis ergo coagulationem quamcumvis impediendam Author commendat oculos cancrorum, Antimonium diaphoreticum, Mumiam, sperma Ceti, Gum. Galban. Sagapenum, opium, cerevisiam Joppensem dictam, & sequentem præscribit formulam.

℞. *Aquæ hyssopi,*
Fœniculi aa. ℥ ij.
Aceti stillat.
Spiritus vini rectif. vel cujus vis aromatici ℥ ß.
Ocul. cancr. ʒ j.
Sperm. ceti,
Mum Alex. aa. ℈ j.
Laud. opiat. gr. iv.
Syr. 5 rad. ℥ i ß.

Hujus misturæ propinat Ægro cochleare unum & alterum, æquè in sanguinis effusi concretione interna ac externa sub cute.

Parti affectæ inungit ungu. martiat. de Althea compositum, aliudve aromaticum quodvis, additis quandoq; oleis itidem aromaticis, Laurino, Anethino, aliisve potentioribus aut stillatitiis Terræ, Terebinth. Succini, Laterino, &c. sed minori quantitate. Inter Emplastra aliis præfert Emplastrum de *spermate Ceti* dictum sequens:

℞. *Ceræ alb.* ℥ iv.
Sperm. Ceti ℥ ij.
Gum. galban. aceto dissolut. ℥ j.
M. f. Emplastrum.

Per quod liquatum trahatur tela, fiatque vulgo dictum sparadrappum utrinque alternatim applicandum, quod egregium ad sanguinem in externis corporis partibus omnibus. Fotus quoque conducere posse ait ex plantis Aromaticis & potenter discutientibus, in aqua vinove coctis paratos, addendo subinde usus tempore aliquid spiritus vini. Ex. gr.

℞. *Rad. Bryon.*
Apii aa. ℥ ij.
Filicis,
Fol. sambuc.
Eupator.
Cannab.
Chamædr.
Menth.
Absynth. aa. M j.
Flor. melilot.
Chamom. Rom. aa. M i ß.
Sem. cumini,
Bacc: lauri aa. ℥ j.
M.

Crassè contusa omnia coquantur ex aqua pluviali sed igne lento, atque vase clauso. Servetur ad usum, vel cum saculis applicetur, vel potest pannus laneus vel spongia mollis partem affectam tegere apta, Fotui calenti imponi, mox expresso liquore superfluo parti dolenti applicari, atque sicut modò dictum aliquoties renovari.

Ubi in talem, tamve profundum locum effusus est sanguis, ex quo citra suppurationem & abscessum amoveri nequat commodè, promovendam fore ac accelerandam Puris confectionem, ac generationem, in quem finem cum aliis Auctoribus Practicis commendat medicamenta emollientia & maturantia vulgò dicta, radices & fol. Altheæ, Malvæ, lil. alb. branc. ursin. Atriplic. Mercurialis, &c. horumve farinas ut & hordei, caricas pingues, Axungiam humanam, suillem, pingued. Anseris, Gallinæ, vitulinam &c. Ex his sequens parare solet Cataplasma:

℞. *Farin. rad. alth.*
Hordei aa. ℥ ij.
Fol. malv.
Branc. ursin. aa. M iij.
Sem. lini ℥ i ß.
Caricar. pingu. No. X.

Coq. in igne lento ex aqua pura, cerevisia tenui, & tepidè applicetur.

Cartesia[nos.] §. 18. *Cartesiani* ad auferendum *Ecchymoma* primariam curam eò locare solent, ut coagulatum resolvatur, attenuetur, & quantum possibile, in debitam redigatur fluiditatem, ut in venas resorberi queat, quod verò reliquis succis immisceri ineptum est, apertis poris ejiciatur, quapropter internè salibus volatilibus prædita exhibent sudorifera, subtilitate sua penetrantia, atque in membris hærentem sanguinem incrassatum non modò è quiete in motum provocantia, sed in motu comprehensum per patulos etiam meatus expellentia, quale sequens mixtura præbet remedium.

℞. *Aq. Chærefol.* ℥ ß.
Menth. ʒ ij.
Spiritus lumbricor. essentificat. ʒ j.
Salis volat. C. C. gr. iiij.
Syr. Hyperic. ʒ iiij.
F. Mixtura duabus vicibus exhibenda.

Juxta sudorifera, vel post eadem usurpata, diuretica quoq; præsidia in usum ducunt, ad reliquias crassiores egerendas, quorum numero inserunt oculos cancrorum, sanguinem hirci, ejusque sal volatile, sal succini, sperma ceti, rubiam tinctorum pulverisatam, vel decocti forma exhibitam, mumiam, camphoram, myrrham, spiritum florum sambuci, aliaque humores crassos resolventia. Externè ea quoque adhibent remedia topica, quæ poros aperiunt, sanguinemque concretum attenuant atque discutiunt, ut succum raphani, mucilaginem radicis sigilli Salomonis, & gummi tragacanthæ, aqua chærefolii vel liliorum extractam, aquam calcis vivæ, spiritum lumbricorum, Sal. Armoniaci, cataplasma ex farina fabarum, & aqua florum sambuci paratum, unguentum de cynoglossa. Abluunt etiam maculas lividas frequentiùs urina calida, vel sequenti mixtura.

℞. *Aq. Sigill. Salomon.* ℥ i ß.
Flor. fabar.
Geran. Robert. aa. ℥ j.
Spiritus vin. ℥ ß.
Myrrh. ʒ j.
Sacch. Saturni ʒ ß.
Camphor. ℈ ß.
M.

Nostra Cura in Ecchymomate. §. 19. Cura *Ecchymoseos & Plagæ, me Arbitro*, eadem est, eaque vel interna est, vel externa. Interna medicamenta, quibus hìc uti necessum est, sunt sudorifera ac attenuantia sanguinem congrumatum resolventia, sicque fluidiorem reddentia, & sic conveniunt omnia ea, quæ in pleuritide & casu conducunt, ut sunt pulvis contra casum, sperma Ceti, lapis Irland. Antimon. diaphoreticum, oculi cancrorum, Sangu. hirci, cervi, terr. Japon. mandibul. lucii, flor. papav. errat. & omnia absorbentia, Diaphoretica blandiora cum absorbentibus maritata optimè propinentur. Volatilia quoque maximè prosunt, quia sanguinem congrumatum ritè dissolvunt, inter quæ

Spiri-

ſpiritus Sal. Armoniaci aromat. aliis præferimus, omnia enim alcalia ſanguini ſtagnanti & quieſcenti motum reſtituunt, ut ſic meliùs fluidior nempe redditus à venulis reſorberi queat. Imprimis hic conducet Mixtura Sylvii contra hæmorrhagiam ſanguinis ſæpe præſcripta, ſine tamen aceto parata, cochleatim exhibenda. Vel ſequens in juniorum tyronum gratiam præſcribi poteſt formula:

℞. *Aquæ flor. ſambuc.*
Chærefol. aa. ℥ j.
Menth. ℥ ß.
Spiritus Sal. Armoniaci anthoſat. ℨ ß.
Matrical. ℨ ß.
Ocul. Cancrorum ppt. ℈ j.
Syr. papav. err. ℨ vj.
M.

Vel in forma Pulveris:

℞. *Antimonii diaphoret.* ℨ ß.
Ocul. Cancrorum ppt. ℨ j.
Lapid. ſciſſil. Irland. ℨ ij.
Sal. volat. ſuccin. gr. vj.
M. f. pulvis. cuſpidatim exhibendus.

Vel

℞. *Fæc. rad. bryon.* ℨ ß.
Ocul. cancr. ppt. ℈ j.
Terr. Japon. ℈ ß.
Sal. volat. C.C. gr. IV.
M. f. pulv.

Externè conveniunt ea omnia, quæ in Capite de Inflammatione retulimus, ſanguini grumoſo ac coagulato ſtagnanti diſſolvendo eidemque diſcutiendo appropriata, ut ſunt ſpir. vin. camph. crocat. cum ſpiritu Sal. Armoniaci, cum calc. viva parat. mixt. & parti ſugillatæ tepidè cum linteis duplicatis impoſita. Huc pertinent varia Cataplaſmata ex rad. Bryoniæ & herbis aromaticis concinnata, & calidè impoſita, nec negligantur ſuffumigia, quæ & ſæpe graviores ſugillationes citiſſimè reſolvunt. In contuſione partium nervearum, & ſimul exorta Ecchymoſi conducet Balſ. Peruvian. in vitell. ovi & ſp. vin. Camph. Matrical. diſſolutus. Leviori in ſuffuſione ſufficit ſæpe Emplaſtrum contra Livorem faciei *Mynſichti*, vel ſequens Paræi.

℞. *Styrac. calam.*
Ladan.
Banzoes aa. ℥ vj.
Maſtich.
Rad. irid. Flor.
Bacc. lauri
Cynamom.
Garyophyll.
Calam. arom. aa. ℥ i ß.
Lign. aloes,
Fl. Chamomill.
Lavendul.
N. M. aa. ℨ ß.
Moſch. ℨ j.
Ceræ novæ ℥ vj.
Reſin. ℥ ij.
Ol. roſar. q. ſ.
M. f. l. a. Emplaſtrum.

Quod valdè reſolvit, ac fluidiora omnia reddit.

Sic etiam quandoque ſola bryonia raſa parti affectæ ſeu ſugillatæ impoſita ſufficit. Sequens verò me rarò fefellit, quoniam partes acidas congrumatas maximè diſſolvit attenuatque, acidumque temperat:

℞. *Myrrh. el.*
Aloes Epat. aa. ℥ ij.
Aquæ Regin. Hungar.
Elix. vitæ Matth. aa. ℥ j.
Spiritus Matrical. ℥ xx.
Camphor. ℨ iij.
Sal. Saturni ℥ ß.

Solve Myrrh. & aloen cum ſpiritu matricali, & miſce in vaſe clauſo, & adde ultimùm Elixir vitæ & Camphoram, & cum ſpongia applicetur, ſæpiùs calidè, vel cum linteis quadruplicatis apponatur. Cùm autem hujus Spiritus Matricalis ſæpiùs mentionem injecimus, ejus deſcriptionem hic dabimus.

℞. *Maſtichis*,
Myrrhæ,
Oliban.
Succini aa. ℥ ij.
Spiritus vin. rectif. ℔ ij.
F. Infuſio,

dein deſtilletur, & dein cohobetur Spiritus, qui inſigniendus nomine *Matricalis*, qui ſolus calidè applicatus Ecchymoſin tollit.

In *Contuſione* ſemen cumini cum Caryophyllis & rad. Sigill. Mariæ applicatum egregiè conducit, vel abſynthium in vino toſtum & applicatum adhibent Noſtrates. Alii ſolo ſpiritu vini in quo Caryophyll. & N. M. fuerint infuſa, ad illinendum vel applicandum utuntur. Omnia enim hic conferunt Salia aromatica vegetabilia, quoniam eorum ſpiritus, ſalia volatilia & olea operari, & externè appoſita ſanguinem reſolvere debent, ſequens ergò erit egregium.

℞. *Elix. vitæ* ℥ iij.
Spiritus Sal Armoniaci caryophyll. ℥ ß.
Matrical. ℥ i ß.
Aquæ flor. ſambuc. ℥ ij.
Camphor. ℨ iij.
M.

Quod remedium omnibus contuſionibus & ſugillationibus applicari poteſt. Sequens nuper in oculi contuſione & inde nata Ecchymoſi oculo inſtillatum juvit.

℞. *Spiritus Sal. Armoniaci volat.* ℨ ß.
Matrical. ℨ i ß.
Sal Saturni gr. IV.
Camphor. ℈ ß.
Croci opt. gr. xv.
Aquæ fœniculi,
Euphraſ. aa. ℥ j.
M.

In quacunque ſugillatione ſequens proderit Cataplaſma.

℞. *Rad. ſigill. M.*
Ireos Flor.
Sem. cumin.
Fœnicul.
Herb. Salv. aa. ℥ ß.
Caryophyl.
Macis aa. ℨ iij.

Coq. in Vin. Gall & add. Panis biſcoct. q. ſ. ut fiat Cataplaſma, quod calidè parti imponatur ſugillatæ.

Si Sugillatio fuerit ex contuſione fortiori, ex qua fit ſanguinis è vaſis ſuis effuſio, debet diſcuti & conſumi per Sacculos diſcutientes ex abſynthio, malva, ruta, ſemperviv. fl. Chamom. ſambuc. Sal. Tartari, Armoniaci &c. paratos.

In magnis ſepè contuſionibus & plagis metuenda eſt gangræna, vel exulceratio, vel inflammatio, vel abſceſſus, in quem finem ad hæc Symptomata impedienda nullum præſtantius offendi remedium, quàm ſequens, nunquam me nec in deſperatis ferè caſibus deſerens, quod junioribus Medicis communicare libet.

℞. *Summ. Abſynth.* M j.
Scordii,
Marrub.
Abrotan. aa. M ß.
Fl. Chamom.
Melilot.
Sambuc. aa. P ij.

Conciſ. coq. ex decocto eorundem herbarum, ut conſiſtent. Cataplaſm. acquirat, add.

Farin. Hordei
Lini q. ſ.

Dein add.

Sal. Armoniaci depurat. ℥ ß.
Spiritus Vini Camphor. ℥ ij.

Cataplaſma hoc tepide applicetur, & effectus mirandos in Inflammationibus malignis, Punctura nervo-

rum, Gangræna & Sugillatione percipies.

Sunt ægri, qui sæpè Emplastra exoptant, inter quæ aliis palmam præripiunt Empl. nostrum Cinnabarinum, de Labdano, de Cumino, de Spermate Ceti, de Bryonia, Diachyl. s. & plura alia alibi dicenda. Sæpe etiam sanguinem evasatum scarificatione facta eximunt, & cutem defœdatam illinunt oleo Talci.

CAPUT VI.

De Erysipelate, & Herpete.

§. I. Sanguinis, aliorumque machinæ nostræ corporeæ succorum motum, consistentiam & stagnationem, seu è tubilis suis evasationem plurium morborum esse causam, & exinde eam derivari & illustrari posse in confesso est. Causa enim morborum utplurimum est motus sanguinis ac reliquorum succorum malè se habens, ut hic vel instar omnium sit, & facem in Pathologia præbeat radices lustrandi & symptomatum fontes. Nec minùs morbos excitat Motus Sanguinis ac Succorum Littoralis, quo alluitur ad littus Microcosmicum, Cutem nempe, ex canaliculis plurimis & variis mirè contextam, ejusque glandulas minutissimas miliares dictas. Non rarò huc sordes, quisquillas, & peregrina acida, acria, Sulphura & Phlegmata suis undis vecta exspumat; frequenter æstum particularem huic illive affricat. Exemplo sit *Erysipelas & Herpes*, motui huic vitiato debita, sive ab intrinseco ardore & pustulis ad extimam vestem efflorescat instar rosæ, sive Solis calore incalescat pars, ut canaliculis ruptis humor insideat magis, & alcali cum acido humori insitum effervescat. De hisce dum agere in præsentiarum animus est, nulli dubitamus, quin hi affectus ferè in omnibus conveniant cum Inflammatione jam superiùs tractata, etenim gradu tantùm differant, & non inconcinnè Erisipelas, ut species Inflammationis minor consideratur, eadem enim observantur phænomena, & effectus à similibus præterpropter causis derivandi; Herpesque dici potest Inflammatio leviter exulcerata: quare tantùm in eo differt, quòd humor seu succus magis acris, & non multo phlegmate refertus in minutissimis tubulis & canaliculis evasetur stagnetque. Ast cùm Auctores hanc jam triverint viam, eandem in juniorum Medicorum gratiam etiamnum sequi voluimus.

Erysipelas, Herpes.

Erysipelas quid.

Erysipelas ergò dicitur & ignis sacer, propter acriorem calorem, qualem ægri in ambustis sentiunt, hinc aliis dicitur ignis Sylvestris, quasi efferatus ob fervoris ferociam, Græcis affectus hic appellatur φλογωσις, ardor. Germanicè, *die Rose*, *das Rothlauff*, *das Heilige oder* Sancti Antonii *Feuer*, non nullis *die Schone*. Latinis etiam dicitur ignis Persicus ferus: sed ad quem finem Veteres uni rei claræ tot imposuerint nomina, rationem non video. Erysipelas ergo est vocabulum Grecum, & originem suam debet nomini ἐρευθος, rubor, à quo ἐρυθρος, ruber, & verbo πελάω, vel πελάζω, propinquo, ut ita denominationes hæ à Veteribus partim à colore, partim ab ardore desumptæ videantur. Erysipelas est tumor seu rubor cutis aliarumque partium, à succis sale acri & pungentibus saturatis, in aliqua parte utplurimùm subcutanea decumbentibus, cum macula rubra lata dispersa, & aliquando pustulis cum dolore exortus. Descriptionem hanc quod attinet, licet non planè conformis sit præceptis Logicis, hoc nobis satis erit, Erysipelas ad Medicam clarè ac verè delineasse artem, hinc à nobis brevissimè describi solet, quod Erysipelas sit Inflammatio vasorum lymphaticorum capillarium in cute cum febre.

Herpes quid?

Herpes seu *Herpeton*, Latinè quibusdam etiam Serpigo dicitur, item ulcus serpiginosum, seu pustulæ serpiginosæ. Duplex vulgò statuitur, *Miliaris*, & *Esthiomenos*, seu exedens. Herpes igitur describi potest, quòd sit Inflammatio exulcerata à sale acri & rodente, paucoque phlegmate soluto, in superficie partis alicujus sæpiùs cum pustulis & erosione cutis, producta. *Miliaris* ille dicitur, qui summam exasperat cutem, & sub epidermide consistit, exiguas illic pustulas producens, quæ minimùm exstant aut prominent, milio semini haud absimiles. Exedens seu ferus Herpes, ruptis pustulis veram exulcerat cutem & profundiùs hæret, serpitque in latum & altum sensim, multoque tempore emergit, pustulas monstrat aridas. Affectus diuturnus est, & febris utplurimùm expers. Siccus ille est, ubi nullum adest serum, humidus verò vulgò dicitur, quia sero irroratur multo. Sordidus verò Herpes dicitur, ex quo manat serositas quædam graveolens.

Pars aff.

§. 2. Subjectum principale affectuum horum sunt partes membranosæ & cutaneæ, & quoniam cutis ex innumeris canaliculis diversos vehentibus succos, componitur, facilè hisce affectibus obnoxia est, imprimis verò vascula lymphatica cutis superficiem perreptantia patiuntur, & læsa perspiciuntur, ex eo, quod Erysipelas & Herpes in cutis superficie nascuntur, quod enim in Erysipelate vascula lymphatica capillaria obstruantur, & non sanguifera, ex eo patet, quod in Erysipelate rarò pus apparet Lympha ergò quoad particulas suas rigidiores acresque peccat, quæ hic cumulatæ & sui juris factæ atque separatæ, affectum hunc producunt. Si ex phlegmate acri interdum glandulæ minutissimæ, quibus cutis maxima ex parte contexitur, obstruantur, & succus stagnans & evasatus mediante acido & alcali incalescat, nonnihil elevantur glandulæ, & tubercula minima seu pustulas cum rubore partis efficiunt, quæ etiam ob modò dictam effervescentiam inter alcali & acidum multùm pruriunt, unde Herpes oritur.

Differentiæ.

Paucis attingamus affectuum horum differentias: Differt Erysipelas ab Inflammatione, quoniam in hac calor ardens est minor, quàm in Erysipelate; differunt & dolore, inflammatione siquidem dolor est comprimens & pulsans, in Erysipelate verò dolor est instar acicularum pungens. Sic etiam colore differunt, si premitur digito cutis Inflammatione obsessa, tunc permanet rubra, in Erysipelate verò albescit, & dein iterum rubescit. Tumor in phlegmone non ita à premendo cedit, quod tamen in Erysipelate observatur. Sic etiam tensio major est in Inflammatione, quam in Erysipelate. Phlegmone in eodem quoque manet loco sine mutatione, sed Erysipelas facilè serpit de loco in locum, & est instar ignis fatui modò in hac, modò in alia parte. Humor quoque Erysipelas producens tenuior est, quàm Inflammationis.

Diagnosis.

§. 3. *Diagnosis* nunc affectuum nostrorum consideranda venit: incipit Erysipelas cum horripilatione, quæ nulla alia ratione produci potest, quàm ex nimia & continua agitatione particularum rigidarum, ex quibus acidum & alcali constituitur, hinc existimamus, rigidas particulas illabentes panniculo carnoso eum titillare ac vibrare, unde horripilatio animadvertitur. Sic & sæpè adest capitis dolor ab eadem productus causa, nervosas capitis fibras vibrante. Calor etiam intensior adest & volatilior, propter majorem istius succi obstruentis tenuitatem, particulæ enim alcalicæ & acidæ subtilis materiæ ope magis ad invicem colliduntur, hinc calor augetur. Adest quoque dolor instar acuum vel acicularum pungens, & quoniam particulæ flexiles, ut oleosæ & ramosæ, ineptæ sunt ad dolorem hunc producendum, necessum est, ut particulæ rigidæ continuò fibras nervosas vibrent, unde talis percipitur dolor, qui propter minorem tensionem tollerabilior existit.

Color rubicundior hoc in affectu apparet ex eo, quod sanguis præterfluens hic non tam diu stagnat, quàm in Inflammatione, sed cuticulæ magis appropinquat, hinc fibræ eodem liquore majori copia irrorantur, sed in Inflammatione profundiùs latet humor, adeò ut color nimis saturus sit, quàm hic; & quoniam digitorum pressione succi isti stagnantes facilè ex fibris premuntur, & hæ exsuccæ redduntur, color ruber potest meliori jure adscribi texturæ tubulorum mutatæ, unde radii luminares aliter reflectuntur: color albus sub digitis apparet, sed remotis digitis,

digitis, succis eundem locum petentibus, rubor denuò apparet, ut antè; exinde etiam constat succos stagnantes minorem obtinere fluiditatem.

Tumor in Erysipelate non tam altè elevatur, idque ob minorem humorum coacervationem & stagnationem, dein ob majorem fluiditatem faciliùs humor vasa perfluit, hinc tumor non adeò elevatur, nec tàm rubicundus & calidus, uti in phlegmone apparet, hinc & ob humores istos magis & faciliùs transeuntes sanguinique cedentes minor est tensio, quàm in Inflammatione, in qua humor obstipans solidior ac crassior est, & sanguini minùs cedit Certum ergò est, quòd in Erysipelate tumor non adeò est elatus, uti in Inflammatione, sed calor intensior, dolor item acicularum instar pungens, & multùm tolerabilior est. Color rubicundior est, & defervescente humore ad flavedinem magis vergit. Loco sæpe mutatur & vaga est, nec tensio adeò difficilis, cedit quoque prementibus digitis, & color rubeus in album mutatur, qui tamen, ceu jam diximus, illicò rubescit. Febris quoque aliquando adest, & comitatur Erysipelas, ob turbatam sanguinis mixturam & secessionem particularum.

Herpes ferè cum omnibus hisce explicatis symptomatis convenit, & in eo differt, quòd Erysipelatis tumori accedant pustulæ, & à rigidis particulis cutis glandulæ miliares corrodantur, hincque parte ægra vesiculæ ac bullæ producuntur, ex quibus liquor salsus & acris corrosivus parumque tenax emanat, quod Batavi belroos dicunt. In hoc affectu ergò adsunt tumor latus & partem exasperans, durities, dolor, sensus ustionis, progressus quasi in orbem, medio, dum extrema procedunt, sanescente. Hinc affectus hic merito jure Erysipelas exulceratum vocari potest.

[Ga]lenicorum causa Erysipelatis

§. 4. *Ætiologiam* instituturi, præmittimus aliorum judicia nostro, & quidem agmen ducunt *Galenici*, quorum de causis *Erysipelatis* hæc est opinio, quod originem sumat ex sanguine fervente ac tenui, ex sanguine sc. ac bile, quum enim sanguis superat inflammationem Erysipelatosam: quum flava bilis, Erysipelas inflammatum appellant. In communi verò, tumorem ex sanguine ac bile calidioribus factis productum Erysipelas nominant. Sunt qui causam bilem alimentalem dicunt non excrementitiam, (quæ icterum absque febre generat,) à calidis visceribus, motu, tempore æstuoso, cibo, potu calido, &c. generatum.

[He]rpetis.

Herpetis causam dicunt flavam bilem citra alterius humoris admixtionem secretam, in parte aliqua consistentem, & siquidem bilis crassior fuerit compage, magisque acris, totam cutem usque ad subjectam carnem exulcerat, & hinc ab ipsis vocatur Herpes exedēs. Si verò tenuis & minùs acris ac calida, bullas parvas in summa cute excitat milio similes & miliaris Herpes ex similitudine dicitur; verùm ex *Oribasii* sententia, pituitæ cum flava bile mixtio miliarem Herpetem facit. Causam Herpetis remotam & externam dicunt omnem, quæ bilem producere valet, ut aer calidus, cibus & potus calidus &c. interna verò sunt dispositiones viscerum calidæ, conjūcta autē est bilis sincera & ardentissima, quæ ob tenuitatem partes carnosas transit, & cuti tanquam subjecto densiori adhæret, illamque corrodit. Quamvis tàm Herpes, quam Erysipelas, à bile fiant, in hoc tamen differre ajunt, quòd hoc fiat à bile alimentitia, ille verò à bile præternaturali, quæ dum magis fera & acris est, magis depascitur & vocatur Herpes exedens, & κακοήθη ulcera faciens: in hoc etiam differunt Herpes & Erysipelas, quòd ille sensim, hoc verò de repentè invadat: quòd ille sit cum prurigine, hoc cum dolore.

[Pa]racelsi [op]inio de [ca]usa Ery[sip]elatis.

§. 5. *Paracelso* Erysipelas est consumptum sal vitriolatum, hoc primum in rubedinem & corrosionem, postmodum in ulcerationem transit; locum ejus esse ut plurimùm inter genua & calces circumcirca crus: ibidem esse morbum Mercurialem dicit, & quamvis vitriolatum sal morbum efficiat, est tamen ipsa minera Mercurialis tantùm, à qua proprium recessit balsamum, & liquor salis, ejusque species pro quantitate recessus demonstrantur.

Persicum verò ignem esse sulphureum corpus accensum, quod ex suo transformatum est iliado, cum omnibus speciebus sulphuris, & est calx viva sicca, & calx viva liquida, quæ suam accensionem à liquido sale recipit, postmodum urit, consumitque membrum penitus, uti calx cadaver aliquod.

Herpetis.

Herpetem verò Mordacem vel Esthiomenam, vulgò lupum, oriri ex sale Mercuriali tantùm contendit Author ejusque centrum figi, ubi defectus major fuerit: & quamvis adscribatur hepati, vel per ejus curam procedatur, morbus tamen eam per se recusare ait. Fixum quoque esse, & in circumferentia centrum suum coagulare intrinsecus ad os fodiens, urere callososque nodos tandem procreare usque ad mortem, arguit.

Helmontii opinio de causa Erysipelatis.

§. 6. *Erysipelas Helmontio* etiam vocatur Apostema igneum; unde Author hic de ipsius causa ratiocinans supponit fingitque, Archeum aliqua in parte ultimæ digestioni famulante conceptum dolis stigma inique ferentem, ac velut furore percitum Erysipelas suscitare. Unde in Erysipelate venenū aliquod ideale ab Archeo natum esse contendit. Frigus quoque insolitum modicum, non tamen rigorem in initio Erysipelatis obvenire ait, quia acor halituosus adhuc modicus est: qui dum ad corporis superficiem pertigerit, extra proprium sui diversorium ibidem acescit atque putrescit. Hinc saponariam & lixivialem medelam exstinguere Erysipelas arguit, eò quòd in lixivialibus omne acidum commoritur. Febres enim continuas ab intus detenta aciditate similiter primùm rigere, & in finem sive consumptionem usque postmodum æstuare comprobat. Aciditatem ergò vaporalem pervadentem in Erysipelate corporis penitissima acidum esse humorem nullus dubitat imprimis hoc demonstrat exemplo, quod saponariis aliisque lixivialibus acidum domantibus mitescit remediis. Gustu etiam comprobat, liquorem illum ex Erysipelate emanantem non esse amarum seu bilem, uti Veteres existimant, sed acido-salsum, hinc Erysipelas produci ait à spiritu vitali alcalisato Causa Erysipelatis occasionalis est sal quoddam acidum, si hoc copiosiùs abundat, Archeum in tantum lacessere potest, ut is partem aliquando gangrenet, vel etiam fieri potest salium corrosivorū incensio in particulari membro, ubi affluente latice & cruore pars intumescit, & Archeus partis rebellis existit.

Herpetis.

In *Herpete* seu *igne Persico* sal causticum de sorte alcalicum pro *causa* allegat *Helmontius*, rejicitque Galenicorum causam, quam de amaris & bile fingunt, quapropter effectus maximè ignei in corporibus existunt. Ridet frustraneum bilis commentum, cùm præsertim, qui ignis indolem imitantur, minimè sint humoris biliosi clientes.

Vuillisii ratiocina de causa Erysipelatis.

§. 7. Juxta *Vuillisium* exoritur *Erysipelas* à sulphure extra temperiem ordinariam evecto, cujus particulæ quædam cum aliis principiis congeneres non existentes, & cum ipsis sororiari non valentes, à mixtione solvuntur, efferatæque evadunt, & sanguinem exagitant, ac conturbant. Dominium itaque obtinentibus sulphureis particulis, laxataque cruoris compage, spiritus avolant, augescitque liquoris sanguinei fervor atque excandescentia, sulphure à spiritibus nullo modo ampliùs contemperato. Circulante itaque sanguine, furibundæ illæ sulphureæ particulæ sibi invicem impingentes simul coeunt, & uniuntur, majoresque hac ratione vires acquirunt, & sanguinis incendium intendunt, sed qùum ad angustiores quosdam tubulos pervenerint, quos ob crassitiem percurrere non possunt, in iis commorantur & aggeruntur, adustionisq; sensum excitant, & adaucta indesinēter earum aggerie, ad superficiem usque propelluntur, cutem que distendunt, & in tumorem elevant. At quùm eodem impetu semper agitentur, nisi citò compescatur ipsarum conflagratio, repagula, à quibus cohibentur, effringunt & disperdunt, partesque, in quibus continentur, exurunt.

Herpetis.

Herpes ex *Vuillisii* sententia producitur, quando scilicet sal in sanguine luxuriat, vel summo jure potitur; quum siquidem sal uberiùs ab alimentis massæ sanguineæ suppeditatur, vel ob pravam digestionem ritè non exaltatus, crudiorque remanet, aut dissipatis depres-

depressisque spiritibus ab aliis dissociatur, fluoremque assequitur. Salinæ itaque particulæ cæterorum principiorum jugo solutæ unà confluunt, & per totam massæ sanguineæ compagem sese explicant, atque ob eam, qua gaudent, similitudinem, una coeunt, & conjunguntur, cruorique acido-salsam diathesin communicant. Sanguis enim universas corporis partes pervagans, ad superficiem advectus, salinas illas, quibus infestatur, particulas humore lymphico dissolutas in glandulis cutaneis in quibus omnia recrementa sua deponere assolet, relinquit; Pori verò minimarum istarum glandularum arctiores existentes, quamvis lymphæ huic à salibus copiosioribus viscidiori factę exitum prębeant, eam in sinu suo retinent, illaque plus nimio saturati obstruuntur Salia autem ista ob varias, quas inter se fecerunt, concrescentias, & plurimas terrestres particulas, quas secum abripuerunt, majorem acquirunt molem, glandularumque substantiam, in quibus cæspitant, in tumorem extollunt. At salium spicula utut ab admixta terra obtusa, per poros cutis, cujus fibrillas vellicant & dilacerant, foràs prominent, & pro intensiori remissiori ve acredinis gradu dolorem aut pruritum excitant, & cutem exesam in squamulas discindunt.

Juxta Sylvium causa Erysipelatis.

§. 8. Erysipelas *Sylvius* cum *Galenicis* à bile pura deducit, ubi scilicet bilis sine sanguine in partem aliquam effunditur aut erumpit, illamque acrimonia sua vexat & malè afficit, ac ex conflictu dolorem excitat in parte sensu prędita, ubi enim sensus major non est, ut in parte carnosa, juxta *Ipsum* corrumpitur & mortificatur ea nonnunquam sine ullo sensu. Ortum quoque *Ipsi* videtur Erysipelas ab humore bilioso & lymphatico vel pancreatico acribus, & vitiosè in corde simul effervescentibus, febrimque producentibus, arctiùsque inter se, ideoque laxiùs sanguini junctis, atque cum ipso tamen quaquaversū propulsis, & facilè in corporis superficie, ut & alibi forsan hęrentibus, ibique tumorem levem, ardorem autem ac dolorē magnum *Erysipelatis* nomine notum excitantibus. Si tumor hic ampliùs ibi corruptus, ab externo frigore imprudenter admisso repellatur ad interiora, & sanguini admisceatur, vel non satis medicamentorum externorum ope via ipsi sternatur ad exitum, nec internorum opera propellatur idem foras juxta *Ipsum* gravior producitur febris cum delirio, & sæpè mors sequitur ipsa. Humorem enim hunc, & de bile maximè participantem, ad corporis superficiem propulsum, magis à temperie sua degenerantem & acriorem factum, non sine summa sanguinis noxa eidem admisceri, unde mox ardentiorem produci febrim, & effervescentiam nocentem in corde ante omnia cerebro, animalibusque functionibus adversam, quas mox ita turbat ac confundit, ut sensus externi vacillent, interni delirent, animique motus turbentur æquè ac motus corporis animalis. Bilem acriorem sanguini affusam delirium excitare in febre tam intermittente, quàm continua, asserit Author. Hinc in Erysipelate retroacto post turbatam mentem mortem in sene jam delirante, & medicamentis præposterè utente Noster se scribit observasse.

Herpetis.

In *Herpete* verò bilem acriorem ad corporis superficiem, cutem sc. delatam accusat Sylvius, quæ ibidem existens bilis cuticulam corrodit, vesiculasque producit.

Cartesianorum ratiocinium de causa Erysipelatis.

§. 9. *Cartesiani* à serosiori succi chylosi liquore in cute molliori subsistente, & coagulato, tumorem illum superficialem produci referunt, quem *Erysipelas* vocant, partesque hujus liquoris acutiores subtiles, sive salinas à materia ætherea celerrimè agitatas, fibras cutaneas & nervosas tenuiores vellicando dolorem aliquantùm urentem excitare & ruborem. Retineri verò particulas istas sub cute arguunt ob pororum ejus occlusionem & tubulorum obstructionem à liquore incrassato, quam incrassationem interdum ab externo frigore induci norunt, ob quod in ductibus lymphaticis liquor iste in motu sive fluore suo impediatur, sed quia ob subtilitatem à calore superveniente liquor hic faciliùs resolvi queat, quàm chylus crassior, eapropter etiam contingere affirmant, ut Erysipelas ad loca vicina migret, fluit enim aliquantùm lympha ista à priori coagulatione resoluta ad tubulos proximos, sed cùm volatilioribus salibus sit destituta, in pristinam coagulationem facilè relabitur, & in tubulis istis, ut in prioribus, stagnat. A vini acidioris potu largiori & ira affectum hunc suscitari norunt, quòd lympha à priori non modò in copia augeatur, sed multis etiam particulis acutis, & cuspidatis repleatur, quarum mucrones in fibris cutaneis & nervosis facilè hęreant, & poros obstruendo insensibilem transpirationem impediant, unde lympha diutiùs hęreat, & quietem acquirat, qua sola coagulatio ista producatur. Ob excandescentiam & iram succos omnes & maximè lympham turbari, particulas angulares à reliquis segregari, & majori copia ad partem aliquam unà cum lympha transmitti dicunt, quandoquidem ob vindictam liquor nervosus impetuosiùs ad membra externa, ceu executionis organa, influens, lympham in vicinis tubulis simul propellat. Arteriolæ à lympha hac in tubulis acutaneis stagnante compressæ sanguinem in exterioribus suis ramulis diutiùs detinere æstimantur, cujus rubor per cuticulam transpareat. Interdum una in parte tumorem hunc abire, & in alia etiam remotiori de novo exsurgere proptereà existimant, quòd lympha ista resoluta in massam sanguineam refluxerit, at nondum ab acutis istis particulis salsis liberata, circuitu sanguineo in aliam partem effusa, eandem obstructionem & fibrillarum excitet agitationem. Pulsum in tumore non abesse existimant, quòd minores tantummodò arteriarum ramuli, non verò majores earum trunci comprimantur. Tubulos etiam quandoque ab acutioribus particulis nimiū agitatis erodi, aut à succis impetuosiùs irruentibus dirumpi credunt unde pustulæ excitentur. Quando verò contingat, ut succi quidam lutosi viscidi ex chylo crassiore subsequantur, & tubulos quosdam sub cute obstruant, Erysipelati simul œdema quoddam adjungitur.

Herpetis

A succo quodam multis particulis angularibus imbuto, sive acido glandulas cutaneas obstruente, easdemque in tubercula quædam distendente *Herpetem* oriri volunt, quandoquidem lympha acidior & crassior in glandulis stagnans easdem in granula quædam duriuscula disponat, unde *Herpes miliaris* vocetur, sed à materia subtili interdum commota fibras vellicet, & prurituū provocet, ad quem sedandum si homines cutem scalpant, cuticulam abradi referunt, canalesque ita apertos assiduò liquorem quendam roris instar effundere, qui particulis acutis erodentibus præditus vicinas fibrulas cutaneas exedat, sicque ultra serpat, donec tubercula invicem proximè jungantur, & cutis valde destruatur, & in formam crustaceam mutetur, cùm amissis particulis lubricis angularibus volatilibus liquor remanens perquā incrassetur, & tandem ratione particularū erodentium partes subjacentes musculosas non minus destruat & exedat, ut profunda quandoq; effodiantur foramina.

Nostra sententia de causa Erysipelatis.

§. 10. Glandularum miliarium seu subcutanearum pensum est tantum à sanguine separandi ac secernendi salia à tenuiorum alcalicorum cum subtilioribus acidis coalitu genita, & in phlegmatis dissoluta, quibusdamque sulphuribus associata, quando verò in sanguine existunt abundantiora acida, eorumque spicula ęquo sunt longiora & rigidiora, copiosiora iis impregnantur alcalica, & salia quę ex mutuo eorum connubio emergunt, propter longiores, quibus gaudent, aculeos ad motum sunt ineptiora, & ob eosdem duriores & rigidiores acriora & mordaciora fiunt Quædam ex sulphuribus, quę cum salibus per poros amandari debebant, ab acidis copiosioribus coagulantur, & in glandularum angustiores tubulos impulsa, in iis remanent, eaque obturant, ac sanguinem reliquosque succos in circulo suo retardant; salia jam dicta ad easdem glandulas pervenientia, & in earum tubulos sese insinuantia ob spiculorum, quibus horrent, longitudinem, illos prætérfluere nequeunt, & in ipsis cespitare coguntur, sed quùm in continuo motu versentur, tum à materia ætherea, tum à spiritibus animalibus, tum à subtilioribus sanguinis in vicinia circulantis partibus, aliorumque succorum communicato, & seriè perpetua ab aliis à tergo subsequentibus compellantur, &

tur, & altiùs adigantur, aculeos suos parietum tubulorum poris infigunt, fibrillas illorum dividunt & discindunt, viamque sibi sternunt ad cuticulam usque, quæ cùm densioris rubustiorisq; sit texturę, illorum acutiei resistit, ipsaque sub se reprimit. At cùm indesinens fit salium istiusmodi à sanguine secretio, & in glandularum tubulos amandantur, per quos ad cuticulam accedunt, priorum ibi commorantium copiam adaugent, cuticulam distendunt, eamque in vesiculas aliquando elevant, distentæ cuticulæ pori arctiores fiunt, difficiliorque eo patet salinis particulis exitus, paucioresque hac de causa exhalantur. Sub cuticula ergò coercitę, & perpetuo motu agitatæ spiculis suis cutis ac cuticulæ fibrillas violentiùs impetunt, ac spasmodicos motus illis inferunt, unde dolor, qui in Erysipelate percipitur, & exulceratio, quæ sublata cuticula interdum apparet. Certum ergò est, quòd vascula tenuia lymphatica cutis affecta seu rupta sint in Erysipelate, in qua non adest tantus tumor, quia lympha sat tenuis est, hinc fluidior pars faciliùs per vasa lateralia delabitur, hinc non tāta congestio, neque pus generari potest, quia non plures chylosæ particulæ admixtæ sunt humori evasato; ratio est, quòd humor iste in minimis istis tubulis pauciores tenaces particulas chyli in se contineat, nec tubuli chyliferi majores rupti sint, sed tantum minutissimi. Atque hac ratione lympha hęc affecta facilè à causa quadam superveniente resolvi potest, sicque perit hac in parte Erysipelas, verùm ubi hæc materia soluta pervenit ad sanguinem, febrim, h.e. levem secessionem particularum sanguinis excitat. Et cum tubuli cutis non sint ejusdē magnitudinis, quippe in facie sunt minoris Diametri, si illic alluit, facilè pedē figit, sicque reproducitur Erysipelas, sentitur pruritus, quia in hoc lymphæ inflammans quędam superest fluiditas, hinc partes salinę à se invicem dissociatæ sunt, & quasi quælibet particula salina seorsim ab æthere agitatur, sed collectis viribus uno impetu non possunt ruere in fibrillas nerveas easque dilaniare.

In Erysipelate ergò, ceu dictum est, afficiuntur exigua cutis vascula lymphatica, continentia lympham pregnantem non minùs cujuscunque generis acutis particulis, seu non adeò ramosis viscosis chyli obvolutis, sicuti in majoribus cutis inferioris, carnis, &c. tubulis in Inflammatione contingit, prout eorum tubulorum textura magis vel minùs compacta dilatari nescit, & Diameter exigua est, facileque oboritur Erysipelas ab externa causa, ut frigore, incarcerata lympha, vel ab interna aliquatenus tantummodo turbata sanguinis mixtura, quod in quibusdam fœminis instante menstruatione, (imprimis si salsarum vel acidarum particularum ad reliquas sanguinem & humores constituentes proportio non fuerit debita,) manifestissimum. Intumescentia & resistentia in Erysipelate minores sunt, quàm in Inflammatione (ratione molis & inhærentiæ utriusq; habitæ,) cùm ibidem & tubuli minores sint, & materia stagnans non adeò copiosè congeritur, & fluidior faciliùs per vasa lateralia delabitur, nec tantam (licet promptiùs) suscipit fermentationem, hinc est, quòd acutæ, acidæ, &c. ab æthere transfluente adactæ, singulæ seorsim ob intermixtum fluidum impingant quidem in fibrillas tubulorum, non autem tanta vi disnectantur, atque ad rupturam usque distendant ut in Inflammatione, huic pruritus potiùs, quàm acutus doloris sensus percipitur, ardor autem major sentitur, tum quia morbosum cutis rete proximum est, tum quia ab æthæris celerrimo interfluxu materia hinc fluidior, promptiùs ejus agitationi obsecundans, nervulos magis afficit: adhęc color rubeus, cùm ejus causa non tàm altè lateat, vividior apparet, dependens cum priori phænomeno ab eodem ætheris celeri transitu; abit autem facileque redit, eodem vel alio color vagabundus loco, in Inflammatione permanens, quoniam obstructio à particulis aliquatenus adhuc fluidis & lubricis orta salsas rigidasque è poris educentibus, accedente majori earum ab æthere agitatione, ignisque è corde impulsi vi facilè solvitur, quod cùm fit, materia ex obstructione in sanguine turbas excitando secessionem leviorem causatur, qua particulæ extra debitam unionis sphæram ejectæ, cum sanguine per universum corpus distributæ, eodem, si illuc propellantur, vel alio in loco hærent, cùm textura vasorum cutis & epidermidis ubique ferè sit consimilis, ac proin æque alibi, quam ubi soluta est obstructio, reproducitur Erysipelas: exstillat autem, si erosi fuerint tubuli, (ut aliquando fit in Erysipelate faciei nomine bellæ rosæ insignito,) non pus, ut alibi eruptis tubulis chylosam sanguinis portionem continentibus, sed lympha acerrima subjectas partes excorians; quando verò innumeræ adsunt & exiguæ pustulę, videntur glandulæ miliares cutis vel obstructæ, vel modò erosæ, quę si imprimis infantibus à frigore (uti in aliquibus sudantibus ab impedita transpiratione mox pustulæ oriuntur,) obstruuntur & dein eroduntur tubuli, exstillat lympha vel ichor quidam tenuis instar roris, quæ species Germanis *Thau-Vurm* vocatur. Ex hisce prolixiùs deductis abundè constat, causam Erysipelatis Inflammatoriam quandam esse obstructionem. Causę remotę Erysipelatis sunt vulnera, contusiones, exulcerationes, calor ignis, vel Solis, vel abusus frigidorum ciborum ac potulentorum, ex quibus facilè causa interna oriri potest, nempe obstructio à lympha in tubulis minimis cutis incrassata & stagnante.

Causa Herpetis.

Quòd si contingat, ut vascula cutanea erodantur, humor qui effluit, ratione acrimoniæ suę salinę exedit partes circumjacentes, & si pustulæ inde excitentur, indicium est, ipsas glandulas miliares simul esse affectas & tunc hic affectus in infantibus utplurimùm vocatur Herpes; in adultis verò inde oriuntur ulcuscula. Causa ergò immediata est secessio particularum serosarum & volatilium oleosarum sanguinis, qualis enim illa intemperies est in sanguine & lympha, talis etiam est in minutissimis his tubulis. Herpes miliaris oritur, si lympha debito viscosior absumptis & fugatis ab aere aquosis & tenacibus concrescit in squamulas seu crustulas, dicitur Herpes sicca squamosa. Differunt autem à crustis squamę, cum sint tenuiores & in superficie exteriori siccatæ à cute dissiliant, quod in crustis non ita fieri solet. Sub crustis verò effusa lympha fermentescens punctione particularum acutarum in fibrillas nervorum pruritum, imò ardorem cum leviori Erysipelate, & sępè dolorem excitat, & pro majore aut minore acredine sanguinis, ac lymphę, acrior vel secus alios vicinosque cutis tubulos erodens, (contribuente ętheris vicinos humores turbantis inordinato, ut in omni Inflammatione, transitu,) ipsosque capillorum exedens, ut fit in lue Venerea, scabie, &c. dicitur meritò Herpes exedens. A glandulis subcutaneis particulas salinas è sanguine secerni vidimus, illudque ab ipsis produci comperimus, eò quòd longioribus rigidioribusque spiculis sint donatæ, ideoque ad exitum in eptiores existant, sed quùm in phlegmatę sint dissolutę, vis illarum obtunditur, & cuticula ab earum acrimonia pręservatur, à congeneribus salibus oriri Herpetem existimamus, illaque spiculis duris, rigidis & acutis esse donata quis negabit? Æquè ista ac priora, cum hac tamen differentia, quòd posteriorum spicula priorum spiculis sint breviora. Acida siquidem, quę hoc in ultimo affectu alcalica saturant, sunt delicatiora, & brevioribus pollent aculeis, qua de causa salia ex mutuo eorum coalitu emergentia sunt minutiora, faciliusque glandulas subcutaneas pervadunt, & ad cuticulam usque deferuntur. Sulphura pauciora à subtilioribus tenuioribusque istis acidis coagulantur, rarioresque exsurgunt, & in minutissimis tantùm tubulis obstructiones, unde minor contingit sanguinis stagnatio, quum liber illi sit aditus in ampliores tubulos, à quibus resorbetur. Phlegmata salia dissolventia, & unà cum ipsis à sanguine seperata, vel illi remiscentur, & cum eo denuò circulantur, vel à continuo motu à materia subtili & spiritibus animalibus communicato attenuantur, comminuuntur, ac per poros exhalantur. Salia itaque pauco sero dissoluta minùs occupant spatium, leviorem que cutis elevationem inferunt, sed cum etiam à phlegmatis vis eorum non infringatur, nec illorum acumina ab ipsis obtundantur, & in irrequieto motu persistant, cutis & cuticulę circumpositarum fibras, in quas impingunt, duriùs gravius-

viusque pungunt ac lancinant, ustionisque sensum inducunt, quum autem ab aliis perpetuò de novo advenientibus compellantur, & rectà in oppositam cuticulam protrudantur, poris suis spicula sua infigunt, à quibus foris prominentibus fit partis asperitas, ac continuata & durante impulsione cuticulæ fibrillæ aculeis, quos poris suis exceperunt, minutim secantur & in *furfura* abeunt.

Prognosis.

§. 11. Sequitur *Prognosis*, & quidem ratione salutis & mortis; ubi asterisco notandum, quòd licet rarò lethale sit Erysipelas, [quod tamen in perverso, & quidem repellentium ac refrigerantium remediorum usu aliquoties lethale observavimus,) nihilominus cùm altiores in imis viscerum medullis, imò & cutis glandulis miliaribus radices egerit, satis rebelle est, & furca fusteque licèt expulsum, tamen usque recurrere aptum natum est. Breviter sepè hic affectus terminatur, ipsam verò radicem exstirpare, ut nullum meditetur reditum, hoc opus, hic labor est. Principem enim Serenissimam novimus, quæ plus ultra 12. annorum spatium Erysipelas à quacunque tempestate vel excessu in diæta recidivans patitur nullis remediis, quamvis optimis adhibitis cedens. Facilè ergo, ceu dictum est, recidivat hoc malum, vel aliquando degenerat in ulcera. Curatio illius difficilior est, si ossium denudationi aut fracturis supervenerit, si ab exterioribus ad interiora, ut vulgò dicitur, convertitur si putrescit, aut suppuratur, quod verò rarissimè vel nunquam observatur. Malum est si Erysipelas in facie ac capite oboritur, si in Hepate, utero, aliisque partibus internis erumpit Modum eventus ad salutem dicimus utplurimùm fieri per insensilem transpirationem, rubi accedente pruritu cuticula quasi in squamas fatiscet, colorque in ordinarium & consuetum sensim mutabitur. Sin verò nullius curæ malum ægro fuerit facili negotio, inconsideratè applicatis [ceu superiùs diximus,) repellentibus & refrigerantibus non alcalinis, vnà cum aliis erroribus in cura commissis, in ulcera rebellia & ipsam sæpe gangrænam & mortem abit. Introrsum pulsum Erysipelas ipsi vitæ struit insidias, *juxta 6. aphorism. 25. Hipp.* Quod concernit Herpetis prognosin, ferè eadē est cum Erysipelatis prædictione. Simplicis & humidi Herpetis curatio faciliùs obtinetur, quàm sicci & feri. Ferus si vel sponte, vel repellentium ac refrigerantium medicamentorum ministerio promptiùs supprimatur, graves sæpe habent morbos subsequentes, Apoplexiam nempe, phthisin, febrem, &c. Herpes in subjectis scorbuticis ac cachecticis, ubi succi sunt instar aquæ fortis acerrimi, obveniés, difficillimè curatur, & transit sæpe in ulcera diuturna.

Diæta.

§. 12. Perspecta prognosi, pervenimus ordine nostro constituto ad *Curam diæteticam*; cùm verò Diæta nostrorum affectuum nempe Erysipelatis & Herpetis ferè eadem est, ac Inflammationis superiùs jam latiùs deductæ, non operæ pretium duximus plura præter generalia hic addere. Ab aeris ergò calore intensiore, succos nostros dulces ac volatiles per cutis poros avolare faciente & à frigore eos coagulante & acriores stagnando reddente sibi caveat æger Erysipelate vel Herpete infectus, facilè enim inde recrudescet malum, & sæpe non absque ægri periculo. Hinc lympha incrassatur & in tubulis minutissimis, seu glandulis cutis miliaribus facilè stagnat, unde frigore vago, & postmodum febri admodum periculosa tentantur ægri, sanitati suæ non ritè studentes. Aer ergò sit temperatus ad calidum vergens, vitatis summopere extremis utrisque. Calidior enim dilatando plus justo; & eliminando nimis, ad stagnationem disponere potest succos nostros, imprimis lympham corporis nostri. Quoad cibos, acidis non vescatur æger, nocent etiam omnia alimenta salsa, dulcia saccharata, pinguia, nimis calida & nimis aromatizata. Potus calidus Theæ vel Caffeæ, vel lign. Guajaci vel Sassafras, sarsaparill. &c optimus est. Quies & somnus conducunt, quia succi machinæ nostræ hisce recreantur ac attenuantur, ut sic fluidiores cunctos tubulos etiamque minimos perfluere valeant.

Motus intempestivus exulet, quia facilè inde coagulatio succorum oritur, prout ex motu nimio palpitationem cordis & arteriarum, à coagulatione succorum ortum habentem fieri toto die observamus.

Venus non sit immodica, Animi affectus coagulationum succorum authores sanæ rationis moderentur freno. Cane ergo & angue pejus vitetur ira vel excandescentia quæcunque, obstetricans facillimè morbo.

Alvus, ut quotidie officium faciat, admoneatur. Hæc omnia & singula occasionalem causam & ansam ut præbere queant affecti recursuro, ita providè sunt observanda, adeoque si exesse hospitem hunc velit, commendatissimum sibi habere Diætæ studium necessum erit.

Cura Galenicorum Erysipelatis.

§. 13. Curationem *Erysipelatis* aggredientes priùs *Galenicorum* videamus. Statim *isti* ab initio ubi comparuerit Erysipelas, venam in cubito secant, maximè quidem humeralem sin minùs, eam, quæ invenitur: si vero ob aliquod impedimentum venam non secent, purgatione utendum esse ajunt, & bilem educens medicamentum & seq. vel simile prescribunt.

℞: *Rhei elect.*
Cort. myrob. citrin. aa. ℥ ij.
Fol. senn. ℥ iij.
Mann. elect. ℥ j.
His superaffunde
Aquę cichorii ullientis ℥ iv.
Stent per noctem; in colat. dissolv.
Syr. de cichor. quadruplicato rhabarb. ℥ ß.
Crem. tartar. ℈ j.
Elect. de Tamarind. ℥ j.

M. f. potio; vel etiam clysteres fortiores applicant. Ipsam purgationem sæpiùs reiterant, ut verò sanguis defervescat & bilis corrigatur, Julapia refrigerantia ex aqua endiviæ, nymphææ, lactucæ, portulacæ, cum Syr. de endivia, de nymphea exhibent.

Quod externa Topica attinet, illinenda esse Erysipelati ea, quæ partim id quod influit repellant per frigefacientia, partim ut id quod jam coacervatum est, discutiant per moderatè calefacientia ac humectantia, priusquam livida ac nigra pars fiat, ita ut ea quæ illinuntur semper humida conserventur, per hoc ut frequentiùs alterentur: atq; illud fieri posse contendunt, si per molles spongias prius illita abluantur Multus enim partis fervor cito exhalare faciens hæc resiccat. Opus autem habere Erysipelata ab initio dicunt frigefacientibus cum humiditate absque adstrictione, velut est sempervivum & portulaca, & psyllium, lenticula palustris, seris, cucurbita, solanum, hyoscyamus, lactuca, glaucium, insuperque apium & rhamni folia per se aut cum pane imposita, & cerata ex aqua valdè frigida Miscent & opii quid istis, & succi papaveris, & cicutæ, & mandragorę, & efficiunt medicamenta composita. Parant quoque eum in finem ceratum ex cera alba, rosaceo quadruplo admixto, quod ex oleo crudo citra salem sit paratum, ita ut hæc in pila emmolliantur, & aquę frigidę affundatur quantum suscipere possunt, Aceti etiam tenuis ac pellucidi reliquis medicamentis parum admiscere solent, sed & polentę cum aliqua ex relatis frigefacientibus herbis, & palmulæ pingues ab ipsis applicantur. Illinunt etiam partem affectam cerussa aut cimolia, aut figulari terra cum solano, aut spuma argenti cum rosaceo, aut chalcitide cū oleo & passo, aut cerussa cum aceto lycio, aut acacia cum aceto. Remittente autem fervore utuntur simplicibus quidem sulphure vivo & mentha, cum aceto rosaceo, aut ruta cum absinthio & aceto ac oleo. aut spuma argenti cum porri & betæ succo Compositis autem privatim quidem ad caput, hoc pastillo utuntur spumę argenti, cerussæ, croci, sulphuris vivi, opii cum passo: in communi verò ad omnes partes, minii, sinopici, chalcitidis, misyos torrefacti, æruginis, atramenti sutorii, aluminis scissi singulorum æquales partes, utuntur ex aceto.

Vel

℞. *Sulphur. viv.*
Cerussæ,
Opii,
Acaciæ aa. ℥ ß.

Aceti

Aceti q. f.
M.

Vel

℞. *Fol. recent. althææ tener.* ℔ j.
In aceto coct. probè trit. & addito
Rosacei triente,
Spumæ argenti,
Cerussæ singulorum sextante & ʒ ß.
Rursus tertio cum Coriandri, aut Sempervivi, aut Solani succo, dein adjectis micis panis ut Emplastri formam accipiat, imponunt.

Sequenti quoque Emplastro utuntur.

℞. *Olei cecini,*
Myrtei aa. ℔ j.
Ceræ ℥ v.
Spum. argent. ℥ iij.
Æruginis ras. ʒ vj.

Postquam verò cessavit inflammatio aut diuturna fit, antea quàm livida pars fiat, Cataplasma ex cruda hordeacea farina imponunt. Si verò jam livida facta fuerit, scarificant, & cataplasma diutiùs imponunt, & perfundunt aqua calida dulci, aliquando etiam marina aut muria, quandoque enim cataplasmati eadam admiscent, postea verò relatis compositis utuntur cum animadversione, nam si diutiùs permaneant, in pus aut putredinem transmutationem contingere existimant.

Cura *Herpetis* ad mentem *Veterum* consistit primò in benè ordinata victus ratione; secundò in materiæ antecedentis aversione & inhibitione; tertiò in evacuatione humoris partem affectam occupantis: quartò in in ulceris sanatione. Diætam eandem nempe frigidam ac humidam, quæ in Erysipelate describitur, commendant, circa universalia ipsis quoque idem consilium est, purgandum enim, venamque secandam esse contendunt; evacuant igitur totum corpus per medicamentum bilem educens. Dein transeunt ad *Topica*, affectis autem locis frigefacientia ac siccantia adhibent medicamenta, ab initio quidem pampinos vitis & rubi ac plantaginis in cataplasmate apponentes, postea verò lenticulam, hisque aliquando etiam mel ac polentam miscent, vel seq.

℞. *Decoct. fol. rubi,*
Arnoglossæ aa. q. s.
in quo dissolve
Farin. hordei,
Lupinor. aa. ℥. iv.
Pulv. rad. enulæ ʒ vj.
M. F. Cataplasma, cui add.
Ol. Nymphææ,
Rosacei aa. ʒ vj.

M. & applicetur moderatè calidè, vel loco ejus ungu. de liquiritia, vel atramentum scriptorium saltem applicant. quod [ut illi ratiocinantur,) ratione vitrioli putredinem corrigit, ratione gallarum repercutit & refrigerat, vel sequens applicant unguentum:

℞. *Lanæ succidæ ustę* & *pulverisatæ* ʒ ij.
Corticis pini usti & *loti* ʒ iß.
Adipis caprilli ℥ j.
Ol. myrtin. ℥ iij.
Ceræ q. s.
M.F. linimentum, quo partem affectam illinunt,

Vel

℞. *Aceti,*
Aq. plantaginis aa. P. æq.

M. & applica Sunt qui terram cimoliam cum succo solani subactam & ad unguenti formam redactam apponunt. Quòd si Herpes ulceratus adsit, medicamenta moderatè exsiccantia & minimè acria esse administranda arguunt, ulcus itaque sequenti decocto abluunt:

℞. *Herb. plantag.*
Solani,
Bursæ pastoris,
Centinod. aa. M. j.
Endiviæ M. ß.
Calicum. virid. gland.
Nuccum Cupressi aa. ℥ iij.
Balaust.
Gallar. aa. ℥ j.
Thuris,
Malicorii,
Myrrhæ aa. ℥ ß.

M. F. decoct. in aqua fabrorum; quo ulcus ritè mundandum esse præcipiunt. Dein comburunt lanam succidam in olla nova, combustam terunt in pulverem, & cum s. q. aq. rosar. redigunt in liquorem instar atramenti, quod plumis illinunt, alii ipsum atramentum applicant. Nonnulli ulceratum Herpetem illinunt pastillis passo solutis aut vino tenui & austero non veteri aut posca aquosa. Adhibent etiam glaucium & huic similia ex aqua, & hoc nihil efficiente, acetum admiscent. Sed & plantaginis succum aut solani dilutum magnoperè laudant, aut lini semen tostum, ac vino oleoque coctum & tritum imponunt, aut cimoliam solani succo dilutam illinunt, & spumæ argenti trientem, succi porri cyathos septem, succi betæ tantundem, trita inungunt, ubi verò diuturna jam sunt talia ulcera, idoneum esse dicunt *Musæ* pastillum & *Andronis*. Vel

℞. *Lanæ mollis non lotæ, circum tedam obvolutæ ac ustæ* ℥ i ß. ʒ ß.
Ceræ ℥ iij.
Recrement plumbi acetabuli dimidium.
Adipis caprin. curat. & *lot. in aq.* ℥ ii ß.
Olei Myrtei ℥ v.
M.

Vel

℞. *Malicorii mali punici dulcis* ʒ vj.
Spumæ argenti ℥ vj
Lanæ non lotæ circum tedam obvolutæ ac ustæ ʒ iij.
Ceræ ʒ xij.
Cerussæ ℥ j.
Thuris,
Alumin. sciss. aa. ʒ j.
Vin. & *myrteo excipiantur.*

§. 14. *Paracelsus* curæ principium in Erysipelate esse ait, ut ligamenta stringantur cum allochol, ne concurrant alia salia, postea sperniolo mortificandum, deinceps amotis doloribus per oppodeldoch consolidandum esse contendit. Descriptio allohol est sequens:

Cura Erysipelatis ad mentem Paracelsi.

℞. *Salis anacthron* ℥ j.
Anodi ℥ ß.
Reduc ad formam cum oleo de spica.

Descriptio Sperniolo:

℞. *Spermatis Ceti*
Ranarum,
Cerefolii,
Juniperi aa. q. v.
Fiat destillatio in Sole.

Vel

℞. *Glutinis aquatici* ℥ iij.
Destillentur in aquam, cui fimus mineralium imponatur, & *bulliant simul per horam, aut donec in formam pultium reducantur,* adde
Caphuræ ℥ j. *fiat unguentum,*

quo cum ligetur crus terno quoque die semel, per tres septimanas continuado. Postea sæpius abluendo mundetur aqua foliorum quercus, vel aqua salsa. Curabitur optimè non aliàs, ac si medicamentum superpositum esset: nam ejus est indolis medicina prædicta, quod tribus hebdomadibus etiam operetur; post ejus omissionem, donec omninò curaverit. Anacthorn est genus salis quod crescit in petris, veluti muscus lapidibus supernascens, nitri similitudine: non est nitrum tamen, quod à vitrariis conficitur. Est sicut usnea quid, ac decoctum aqua sit, ut alumen, acidum. Postremò vitri formam accipit, spumamque producit, quam antiqui falsò putarunt *anacthron*. Ignis Persici curam duplicem esse dicit Author, una priusquam notus sit morbus, altera cùm jam est vigentesimus: ad priorem curam sequens proponit:

℞. Sper-

℞. *Spermatis ranarum* ℔. ß.
Caphuræ ℥ iij
Myrrhæ,
Thuris aa. ℥ j.

Reduc ad destillationem Solis, quod sic intelligas, ponatur in vitrum ad Solem, donec liquefiant. In hunc liquorem pannos intinctos superponit loco dolenti, cum siccati fuerint, rursus intingit, superponitque tam diu, donec sedetur. Ad posteriorem curam adhibet seq. v. gr.

℞. *Terebinth. induratæ* ℔ ij.
Opopanacis ℔. ß.
Colcothar is ℥ iij.
Reduc in Emplastrum.

Bulliens etiam despumat mel, cui præcedentia cùm imposuerit, inde efficit Emplastrum tenue, hoc pannis illitum imponit.

Herpetis. *Herpetis cura* in refrigerio consistere ait, demum remediis mucilaginosis, ad callos nodosque tollendos, postea curat per oppodeldoch. Mucilaginosum ipsius remedium est sequens; v. gr.

℞. *Liquor de Mumia*,
de Mastice,
de Caphura aa. ℥ ß.
Mucilag. de fœnugræco,
de Psyllio,
de Cytoniis aa. q. s.
pro incorporatione, usum hujus esse sicuti Emplastri oppodeldoch.

Refrigerium vel infrigidatio fit sperniolo, anodyno per quinq; aut sex dies, post quos mumiam addes. Aliam curam proponit Author nempe sequentem:

℞. *Realgaris crystallini* ℥ j.
Olei ardentis ℥ ij.
Cerussæ ℥ ij.
M. F. unguentum.

Circumponatur hoc lupi circumferentiæ tantùm ut in medio nihil sit. Renovetur singulis duodenis horis semel, usque ad sextum vel octavum diem: deponit postmodum & permittit. Circulis ille totus aufertur per se, quo facto, lavat mane vesperique hac aqua, superponit etiam infrascriptum Emplastrum secundùm artem Chirurgicam. Aqua, vel ejus lavamentum est sequens.

℞. *Aquæ glutinis*,
Rosarum aa. ℥ vj.
Parthenionis ℥ v.
M.

℞. *Olei lini* ℔. ß.
Æris viridis,
Ceræ aa. quartam. F. Cerotum, cui superadd.
Bdellii colati ℥ j.
Liga secundùm artem.

Helmontii cura Erysipelatis. §. 15. *Helmontius* Erysipelatis venenum ex ira Archei deducens, sanationem ejus ponit in lepore, cui timor, mansuetudo, fuga & vita innocua. Cruor itaque, in quo est productum seminale paventis mansuetudinis, & efficiens, mortificat virus ex incandescentia venenosa natum. Etenim amores, odia, terrores, horumque seminalia producta, sigilla, ideas & characteres in rebus notavit, unde plurium occultorum causas proximas adinvenisse gloriatur. Erysipelas quoque Apostematum maximè igneum apposita vitæ sanari Nobiscum statuit. In genere ergò juxta ipsum sufficiunt remedia saponaria & lixivialia, quæ illud exstinguunt, quia acidum ejus causam mortificat, in specie verò magnetem sive stercus humanum calidè applicari jubet, quod una nocte omne acidum extrahit & necat, ut vix ampliùs deinceps redeat.

Herpetis. Sic & supradictum cruorem leporis venati, & in Martio capti linteo excetum, & calidè applicatum æque in Erysipelate ac Herpete conducere ait; quasi idea & phantasia leporis tanquam animalis mansueti & pavidissimi metu suo ideam Archei sedat ac cohibet. Helmontius ridet etiam hic Scholas, quòd applicare jubeant refrigerantia quatenus fructui & non arbori vitiatæ remedium applicant. Ad acorem hunc halituosum, & inde Archeum partis excandescentem placandum commendat remedia, cui inunt ideæ timoris, hic etiam laudat carnem leporinā in furno exsiccatam. Usum adstringentium & refrigerantium contemnit, hujusmodi enim salibus acidis corrosivis volatilibus ad viscera interiora & massam sanguineam, quod facilè mediante latice fieri contendit, retrocedentibus, tùm lethalis apoplexia, vel catalepsis, imo & mors oboriri potest.

Vvillisii cura Erysipelatis. §. 16. *Vvillisius* sudoriferis materiei in Erysipelate stagnantis per poros sufflaminationem promovet, quibus opium associat: & inter Diaphoretica rob sambuci plurimùm laudat. Parti applicat medicamenta, quæ transpirationem adjuvent, liquoremque extravasatum attenuent, ejusque ardorem compescant & mitigent. Prioris generis sunt spiritus vini crocat. & camphor, in quibus infundantur flores sambuci. Secundi verò sunt Saturnina, Minium, &c.

Herpetis. In cura *Herpetis* Vvillisius laudat viperina, acidulas, lac integrum & serum illius, quæ omnia miræ efficaciæ hoc in affectu esse asserit Author. Sed quùm quæ plerumque non sufficiant, nisi ad topica confugiamus, sequentia commendat.

℞. *Ol. olivar.* ℥ iij.
Terebinth. opt.
Ceræ flav. aa. ℥ j.
Sublim. corr. ℥ j ß.
Benzoin.
Styrac.
Pulv. ireos Flor. aa. ℥ ij.
M. f. s. a. unguentum.

Vel

℞. *Vngu. pomad.* ℥ j.
Præcipit. alb. ℥ ij.
M. f. unguentum.

Vel

℞. *Alum. ust.*
Sacch. canth. aa. ℥ j.
Sperm. ceti,
Ceræ flav. aa. ℥ i ß.
Ol. amygd. dulc. ℥ ß.
M. F. unguentum.

Sylvii Erysipelatis cura. §. 17. *Sylvius* in Erysipelate multis aliis remediis præfert sudorifera blanda, imprimis quando aliqua febricula associata est, hinc laudat Antimonium Diaphoreticum, bezoarticum minerale Martiale, Joviale, Saturninum, Tinct. Antimonii Tartarisat. ocul. cancrorum, Ebur phil. pp. crocum Martis, &c. quibus admiscenda vult salia volatilia ac aromatica, in quem finem sequentem præscribere solet formulam:

℞. *Aq. flor. sambuc.* ℥ j.
Fœnicul.
Card. bened. aa. ℥ vj.
Antimonii Diaphoret. ℥ ß.
Ocul. cancror. ppt. ℈ j.
Laudan. opiat. gr. ij.
Syr. card. bened. ℥ vj.

M. detur cochleatim atq; per vices Externè laudat cremorem lact. cum creta mistum, & Erysipelati calidè impositum, ut & aquam calcis vivæ cum aqua florum sambuci calidè applicanda.

Herpetis. Ad Herpetem Sylvius commendat sempervivum, portulac. saccharum Saturni, &c. optimum & egregium dicit esse linimentum ex pulvere subtilissimo cretæ & cremor lactis, quo sæpiùs Herpes illinatur, item si calx viva in aqua exstinguatur, istoque liquore locus affectus eluatur.

Ast si multum exedens sit Herpes, in usum vocat remedia Morbi Gallici, nempe potiones ex salsaparilla, Guajaco, Sassafras, rad. Chinæ, santal. citrin. rad. enulæ, & simil. sudores præterea suadet. Externè verò convenire ait unguentum Saturninum, ex lithargyr. auri & ol. olivar. sine igne tum in mortario plumbeo diuturnis tritionibus mistum maximè laudat. Balsam. Sulphuris complementum absolvit.

§. 18.

Cartesianorum ratio curandi Erysipelas.

§. 18. *Cartesiani* in curatione *Erysipelatis* commodè instituenda eò studiosè respiciunt, ut lympha crassior stagnans resolvatur, & in debitum redigatur fluorem, quo obstructio tubulorum cutaneorum ab ea facta tollatur, eaque de causa ea interiùs sumenda exhibent remedia, quæ particularum angularium in lympha contentarum mucrones hebetent, absorbeant & frangant, ut fibrulis ulteriùs inhærere nequeant, sed poris magis accommodatæ per sudorem facilè expellantur, cui scopo sequens inservire potest mistura.

℞. *Aq. fumar. unc.* ß.
Spiritus flor. sambuc. ʒj.
Electuar. diascord. Frac. ℈ß.
Spir. Sal. Armon. gutt. vj.
Syr. card. bened. ʒiij.
M. Exhauriantur una vice.

Vel

℞. *Aq. scord. unc.* ß.
Rob Sambuc. ʒj.
Tinctur. Croc. gutt. vii.
Salis fumar. ℈ß.
Volat. succ. gr. ii.
Syr. scabios. ʒii.
M Assumatur una vice.

Forma etiam pulveris convenientia adhibent sudorifera, ut particulæ cuspidatæ pungentes eo magis inter poros eorum frangantur, & irretitæ per poros eliminentur cujusmodi remedii sequens tyroni existat exemplar,

℞. *Ocul cancror* gr. xii.
Bezoard. miner. ℈ß.
Salis succin. gr. ii.
Ebor. philos. pp. gr. vij.
M. F. Pulvis una vice in aqua florum sambuci saccharo parùm edulcorata exhibendus. Prospectis ità poris & tubulis obstructis cutaneis, ut referentur remediis internis, non cunctantur etiam topicis sive externis resolutionem istam lymphæ coagulatæ, & salium pungentium mucronatorum hebetationem, & extra poros ejaculationem promovere, quod præstant volatilioribus, porosis & blandis remediis, quorum numero inscribunt sacculos floribus hyperici, chamomillæ, sambuci, chysanthemi, herbis scordii, phellandrii, menthæ, farina volatili, creta, C. C. usto, præparato & pulverisato repletis tepidè impositis, linteo crocato & spiritu vini camphorato humectato calidiusculè applicato, quam intinctionem optimè institui putant, si crocus in aqua spermatis ranarum solvatur, & tinctura hac linteum mundum saturatè imbuatur, & lentè exsiccetur, exsiccatum de novo solutioni immergatur, & denuò siccetur, hæcque immersio & siccatio sexies repetatur, tumque linteum istud tinctum ad usum servetur. Eodem modo etiam telam sanguine leporis Martio capti imbutam, & usus tempore aqua florum sambuci humectatam tepidè imponunt, eamque valdè deprædicant. Sequenti mixtura tepidè adhibita sepiùs Erysipelas se abegisse gloriantur.

℞. *Aq. sperm. ranar. unc.*iii.
Spir. vin. camphorat. unc. iß.
Flor. sambuc. unc. i.
Tinctur. croc. unc. ß.
M. & hac mistura Erysipelas aliquoties illinatur. Dissolvunt quoque, vel in pulveris formam redigunt olibanum, succinum, myrrham, crocum & camphoram, iisque spiritum vini affundunt, & in loco tepidè per diem & noctem servant in digestione, tum liquore hoc eodem modo, ac priori mistura utuntur. Fovent etiam partem Erysipelate infectam decocto corticum sambuci, decocto, lithargyrii, myrrhæ & lactis sulphuris, vel mistura sequenti;

℞. *Spir. vin. unc.* iiii.
*Aq. flor. sambuc. unc.*ii.
Sulphuris viv. unc. ß.
Trocis. alv. Rhas. ʒii.
Camphor. ʒi.
M.

Imminuto tumore & dolore tendente, cùm æger liberiùs incedere occipiat, ad reliquias acidas auferendas non abhorrent levia quædam purgantia, quæ glandulas intestinales aliquantum stimulantia excretionem lymphæ per intestina promoveant, ne tanta in copia hæc acrior chylo admisceatur, & ad membra externa devehatur, cujus rei gratia sequentem potissimùm approbant formulam.

℞. *Aq. flor. sambuc.* ʒiii.
Cinamom. ʒi.
Tinctur. Jalapp. ʒß.
Spir. sal. Armon. gutt. vi.
Syr. de cichor. cum rhab. ʒiiß.
F. Mixtura laxativa una vice exhaurienda. Quando pustulæ sunt excitatæ, easdem aperiunt, ut lympha acrior effluat, & pustulas vel tinctura croci, vel linimento ex cerussa & spiritu vini illinunt. Ulcera facta aqua calcis vivæ abstergunt, & mundant, & unguento albo camphorato, vel ex vitellis ovorum induratis, myrrha, croco, camphora, oleo hyperici & spiritu vini parato ad sanitatem perducunt.

Herpetem.

In *Herpete* lympham glandularem corruptam corrigunt, particulas angulares pungentes & rodentes abigendo internis itidem sudoriferis ex antimonio potissimùm & lignis, aut radicibus chinæ & salsæparillæ paratis, quibus liquor iste simul attenuatur, & obstructio glandularum cutanearum, sive miliarium solvitur, tum foris locum affectum abluunt decoctis lignorum, vel aqua Mercuriali, aut lixivio ex cineribus tabaci, & oleũ tartari vel solum, vel cum oleo amygdularum amararũ mistum sæpius illinunt, vel alia quædam convenientia unguenta, qualia sequentes exhibent formulæ;

℞. *Unguent. rosat. unc.* j.
Præcipitat. rub. ℈j.
M.

℞. *Cret. alb. unc.* ß.
Butyr. vet. unc. j.
M.

℞. *Sulphuris trit. unc.* iß.
Nitri
Salis Saturni aa. ʒij.
Lapid. scissil. ʒiij.
Ol. rapar. venr. q. s.
M. F. Linimentum.

Vel

℞. *Ungu. rosat. unc.* j.
Lacc. rub.
Mercurii præcipit. alb. aa. ʒß.
Salis Saturni ℈ij.
Antimonii diaphoret. ʒij.
M. F. Unguentum.

Vel

℞. *Sevi ovill.* ʒij.
Fel. bovis unc. iij.
Coq. ad consumptionem humiditatis,
F. Unguentum.

Imponunt etiam cataplasmata ex farina secalis, myrrha & apio, in lacte ebutyrato parata, vel linimenta illinunt ex fuligine camini, thure, lithargyrio, scoriis Veneris, Sulphure, baccis lauri, radice aristolochiæ, nitro, vitriolo, aut alumine, aliisque cum butyro & spiritu vini mistis composita. Quin sequens linimentum singularis existere dicunt usus.

℞. *Tut. pp.*
Ceruss. aa. *unc.* ß.
Succi Limon q. s.
F. Linimentum.

Nostra ratio curandi Erysipelatis.

§. 19. Curationem *Erysipelatis* facilè assequimur obstructionem inflammatoriam tollendo, hinc acidum & coagulatum à quo excitatur infringendo ac in tertium mutando, & sic fluxum liberiorem per canaliculos promouendo, cui proposito satisfaciunt medicamenta tum interna tum externa, absq; internis curatio nonnunquam frustrà suscipitur, per interna enim lympha

cum

cum reliquis succis coagulata ac in tubulis stagnans ad fluiditatem facili marte redigi potest. Ex internis conveniunt potissimùm Diaphoretica & absorbentia quæcunque, quæ non tantùm poros aperiunt, sed & succos acidos in alcalicos redigunt, & sic acidum pessundant, atque hujus generis sunt alcalia, tam fixa, quàm volatilia & oleosa, conducunt ergò in Erysipelate Spiritus C. C. volat. eboris, spiritus sal. Armoniaci oleos sive aromaticus, spiritus catarrhalis volatil. spiritus fl. sambuc. Mixt. s. tinct. bezoard. sine acido parata, tinct. Antimonii Tartarisat. Essent. viperin Antimon. Diaphoret. bezoard. miner. martiale, imò omnia chalybeata hîc conducunt, ocul cancrorum C C. sine igne pp. unicorn. foss. ebor. sine igne pp. mand. lucii, Sacch. seu Sal Saturni: sed quis omnia recensebit? in juniorũ Medicorũ gratiam unam vel alteram communicemus formulam:

℞. *Aq. fl. sambuc.*
Card. bened. aa. *unc.* j.
Rob sambuc. ℥ ij.
Spir. ejusdem ℥ß.
Ebor. s. ign. pp. ℈ j.
M. detur ad vitrum, vel detur cochleatim, vel una vice propinetur. Vel in forma pulveris præscribatur sequens vel similis:

℞. *Bezoard. martial.*
Ebor. s. ign. pp. aa. ℈ j
Mandib. lucii ℥ß.
Cinab. Antimonii gr. vj.
Camphor. gr. iij.
M. detur cuspidatim hic pulvis cum aqua flor. sambuc. vel fumar. vel cum potu Theæ. Cinabarina & Camphorata egregia sunt in Erysipelate remedia. Vel sequentis Essentiæ detur dosis ad guttas 30. 40. vel 50. in vehiculo convenienti.

℞. *Spir. fl. sambuc.*
Cochlear. aa. ℥ j.
Tartari,
Vitrioli martis aa. ℥ß.
Salis Armoniaci gutt. x.
M. Vel detur Tinct. Antimonii tartarisat. ad guttas 20. bis in die. Pro rusticis & pauperibus sufficit sequens.

℞. *Alb. græc. unc.* j.
Flor. sambuc. M. j.
Coq. ex lacte dulci aa. *unc.* vj.
Colat. add.
Croci ℈ j.
M. quod caldè & imprimis vesperi ab ipsis bibatur.

Purgationes, V. S. tanquam noxia in Erysipelate rejicimus, hanc tamen plures in Erysipelate instituendam volunt, non ad causam tollendam, sed ad sanguinis pressionem fortiorem tollendam, imprimis urgentibus maximis doloribus Erysipelati conjunctis. Diuretica verò prosunt, quia & per hæc lympha coagulata resolvi ac stagnans per urinam educi potest, inter quæ aliis palmam præripiunt Tinct. nostra Diuretica, arcanum duplicatum, & omnia nitrosa, imò & salia, item succinata, ex gr.

℞. *Ocul. cancrorum pp.* ℥ j.
Salis absynth. ℈ j.
Arcan. duplic. ℥ß.
Salis volat. succin, gr. iv.
M. F. pulvis, detur cuspiditatim in aqua fl. Chamomill. sambuc. chærefol. &c. Ut verò obstructio inflammatoria meliùs tollatur & auferatur, parti affectæ adhibenda sunt varia localia ac topica remedia, quæ sibi quisque habeat commendata, quæ sint resolventia, vel acidum destruentia, & coagulatum stagnansque dissolventia, ut lymphæ coagulatæ & acri minimis in tubulis liberior concedatur transfluxus, hinc commendamus omnia alcalina, & absorbentia, camphorata, volatilia oleosa aqueis tamen temperata, sola sæpe aqua calida cum sapone Veneto calidè applicata, vel tantùm infusum Theæ cum linteis Erysipelati oppositum sufficit; item Spiritus vin. camph. vel crocat. vel in quo flores & baccæ sambuci infusi, seu cui eorum spiritus adjunctus fuerint, vel aliis præferimus sequens.

℞. *Aq. calcis viv.*
Fl. sambuc.
Spir. matrical.
Vin. camph. aa. *unc.* iß.
M. applicetur calide quadruplicatis linteis.

Vel

℞. *Myrrh.*
Oliban. aa. ℥ v.
Coq. in aqua & vin. Gall. s. q. dein add.
Camphor. ℥ ij.
Croci ℥ß. *M.*

Vel

℞. *Aq. fl. sambuc.*
Spir. vini aa. *unc.* ij.
Camphor. ℥ ij.
Salis Saturni ℥ j.

Qua mixtura linteum quadruplicatum imbutum sæpiùs parti affectæ calidè imponatur, quo non tantum acidum peccans & obstruens temperabis, sed & tubulos à lympha acri obstructos reserabis, quibus obtentis Erysipelatis symptomata certò certiùs cessabunt ac imprimis ardor inductus. Si hæc præter spem non juvant, ad validiora transeundum est.

℞. *Aq. pluviatil.*
Spir. flor. sambuc.
Vin. crocat. aa. *unc.* ij.
Mirrhæ ℥ i.
Camphor. ℥ß.
Spir. sal. Armon. succ. ℈ j.
Salis Saturni ℈ß.
M. calefiant parum, quo linteola madefacta parti affectæ imponantur, eaque toties renovanda, quoties frigefieri aut exsiccari percipiuntur. Vel pro pauperibus:

℞. *Flor. sambuc.*
Fol. levistic. aa. M. j.
Coq. ex lact. dulc. ad unc. vi.
Colat. add.
Spir. vini unc. iij.
Salis Tartari unc. ß.
M.

Vel ex herb. rutæ, scordii, absynth. nicotian. fiat decoct. cui add. spir. vin camph. vel crocat. sic etiam conducunt lintea saponis lixivio, vel aq. calcis vivæ vel urina madefacta Erysipelati imposita.

Nescio quo anili metu absterriti hactenus Medici ac Chirurgi, quod non audeant Erysipelati applicare remedia humida, sed tantummodo sicca: ast sciant hi scioli, hæc humida volatilia magis per poros penetrare, faciliùs tubulos aperire, succos stagnantes ad liberiorem transfluxum incitare, sicq; obstructionem inflammatoriam tolli posse: ego verò omnibus junioribus Medicis Epithemata varia calidè applicanda commendo, & ex experientia videbunt, quantum Praxis Rationalis Neotericorum distet à Veterum obstinatorum irrationali. Sicca verò non rejicienda volo, sed & ea magno cum fructu sæpè applicari statuo, hisce autem nihil juvantibus, ad humida spirituosa ac temperata confugiendum esse. Inter sicca topica pulv. Erysipelatodes *Mynsichti*, item ex alcalinorum classe sunt Saturnina, creta contusa, farina lupinorum, tritici, lini, cortices interiores sambuci cum farina Erysipelati imposita, mulierculis remedium est universale, meliùs verò conducet pulvis ex saccharo Saturni, cerussa, minio, thure, croco, camphora paratus, & cum lino vel cannabi applicatus: Pulvis quoq; liquiritiæ, flor. sambuc. melilot. chamomil. lac virg. &c. eodem modo impositi laudantur. Ex gr.

℞. *Farin. hord. unc.* j.
Fabar. unc. ß.
Pulv. liquir. ℥ v.

Cretæ,

Cretę,
Myrrh. aa. ℨ j ß.
Ceruss. ℨ iij.
Camphor. gr. vj.
M. Externè inspergatur hic pulvis: vel sequens magis simplex:
℞ Farin. c. ℥ j.
Myrrh.
Ceruss. aa. ℥ ß.
Camph. gr. v.
M. F. pulvis tenuissimus.

Creta enim & farina sæpè sola sufficiunt, quoniam ex alcali constant, quorum particulæ minimæ cutis poros intrant, & acidum quantum possunt absorbent, pari modo sicuti colchotar Vitrioli aeri expositum denuò acidis saturatur particulis. Huic scopo ob alcali copiosum convenit sperma ranarum, & lintea spermate hoc probè imprægnata, ut & pannus lineus crocatus *Myns.* conferunt. Alii laudant fel carpionum calidè illitum, alii commendant folia raphani rusticani, quæ in forma sicca imponenda suadent.

Hìc etiam cataplasmata non negligenda, quæ sæpè totam implent paginam, ex herb. rut. scord. absynth. abrotan. decoct. cui add. Sal Armoniaci depurat. Sal Tartari, spir. vin camph. & tepidè applicetur. Vel Theriaca Androm. vel Diascordium tepidè applicetur per vices, & hinc plus commodi, quàm ex aliis percipies: mutanda enim sunt sæpiùs medicamenta, quia sæpe unico effectum non præstante aliud præstabit. Pars etiam Erysipelate affecta quinquies vel sexies de die mastiche & thure suffumigetur, suffimenta enim ex sabina, radice levistici, fl. stœchad. & aliis, quæ jam in vulgus abierunt, & optima sunt. Uti enim pulveres temperant & moderantur ardorem, ita suffumigia particulis suis alcalinis volatilibus dissipant, & in motum cient stagnantes & subsistentes particulas, ut vel in ordinem redeant vel exhalent.

Curatio Herpetis seu Erysipelatis exulcerati ex jam dictis constat, non multùm differt à cura Erysipelatis, sal Herpetem producens acrius esse, quàm in Erysipelate, pauciorique sero esse dilutum, quare ut illius quoque curam absolvamus, necessum habemus ea adhibere remedia, quæ salium acrimoniam obtundunt, poros glandularum milliarium obturatos reserant, cuticulæ angustiores poros ampliant, lymphæque penu adaugent. Herpetis curatio variat prout ipse affectus, si adsit intemperies sanguinis salsa muriatica vel acida, ea (quantum possibile, auferenda exhibendo infanti vel nutrici appropriata alimenta & medicamenta acredinem involventia, ut decoctum radicis chinæ & leviorum Diaphoreticorum usus sit continuus, conducunt enim omnia Diaphoretica & Diuretica superiùs recensita, & externè ferè nihil tentandum, nisi in antecessum internis causis sit prospectum, quo peracto sponte sæpe curatur, quo neglecto multa sæpè graviaque symptomata subsequuntur. Diversa autem in usum vocari possunt tum lavamenta ex mundificantibus variis absynth. aloe myrrh. camph. Sal. Saturni, Spiritu Sal. Armoniaci, aqua calc. viv. & similibus conflata linimenta ex unguento rosac. cum sale Saturni, vel Mercurio præcipit. alb. sejunctim vel simul vel cum aliis camphor. therebint. ocul. cancrorum, flor. Sulphuris, Sale Armoniaci commixt. prout res exigit; tum pulveres aspergendi ex cerussa, lap. calaminar. tut. ocul. cancr. Sal. Saturni, cret. &c. Omnia quoque medicamenta, quæ in scabie præscribuntur & hic prosunt, ut ol. Tartar. Spiritus vini enulat. Saturnina, Cinabarina, & sequens conducit pulvis Herpeti inspergendus:

℞ Ocul. cancrorum ℨ ij.
Cinabar. nat. ℈ j.
Sal. Saturni ℨ ß.
Sperm. ceti ℨ j.
Camphor. ℨ ß.
M. F. Pulvis.

Vel illinatur balsamus Peruvianus, vel cum linteis carptis imponatur. Quandoque etiam ad fortiora accedendum est, ex. gr. sequens in Herpete sæpè optimum præstitit effectum, cautè tamen applicandum.

℞ Sublimat. opt. gr. xij.
Aqu. pluvial. ℥ vj.
Coq. super cineres calidè in phiala vitrea ad dimidias.
Vel in forma linimenti:
℞ Ungu. rubr. ℥ j.
Camphor. ℨ j.
Mercurii precipit. ℨ ß.
Ol. rosar. ℨ ß.
M. fiat l. a. linimentum.

quo Herpes calidè inungendus est, vel theriaca vel diascordium, vel spir. matrical. cum aq. calc. viv. vel Elix. vit. imponantur: ex salib. volatilibus impositis sæpe optimum observavi effectum, imprimis si cum aqueis fuerint temperata, sic & convenit Sal volatile oleosum illitum. Suffumigia nec hic contemnenda sunt. Celeberrimus D. a Guldenc Klee Herpetem miliarem feliciter curavit, præmissis cholagogis & fervorem particularum emendantibus remediis, solis paucis topicis, cerato sc. Hieronymi Fabricii ex succo tabaci, &c. & postmodum arcano Valesii de Taranta applicato funditùs hisce delevit.

CAPUT VII.

De Oedemate & Scirrho.

§. 1. INter Tumorum genera Medici & Chirurgi referunt *Oedema* sive *Oedos*, quod derivatur à verbo Græco οἴδημα & οἶδος, quod significat tumorem frigidum laxum, mollem, albicantem, doloris expertem, non renitentem, per quem materia subtilis seu cœlestis liberè sine remora perfluere potest; describi potest *Oedema*, quod sit tumor mollis, laxus, digito prementi cedens, indolens & albicans in cruribus præcipuè apparens, à succis, imprimis lympha effœta & viscida ac stagnante, vel planè è tubulis suis evasata, à defectu ætheris ortum habens, morbisque chronicis plerumque succedens. *Oedema quid?*

Scirrhus derivatur etiam à Græco verbo σκίῤῥος quod propriè tumorem durum, renitentem, ac indolentem denotat. Sunt, qui distinguunt inter Scirrhum legitimum, sive exquisitum, & non exquisitum, quem vocant ὄγκον σκιῤῥώδη. Nos verò hanc distinctionem reiicimus, pro causæ enim & loci, seu partis affectæ ratione saltem differunt. Distinctio ergò in Scirrhum phlegmonoden, erysipelatodem, œdematodem tanquam inutilem è foro Chirurgico exulare jubemus, cum doctrina hęc de quatuor humoribus *Galenicis* sit relinquenda. Scirrhus ergò describi potest, quòd sit tumor durus renitens & indolens absque inflammatione sensim in partibus mollioribus genitus, partes internas æquè ac externas invadens, à succis spiritibus volatilioribus fraudatis, fixioribus ac crassioribus in tubulis stagnantibus & sic partem extendentibus obortus. Scirrhus dividitur in exquisitum, & nothum dolentem. *Scirrhus. Eius Descriptio.*

§. 2. Omnes corporis nostri partes internæ ac externæ, quatenus constant ex tubulis ex uno magno tubo prodeuntibus, pro parte affecta Oedematis haberi possunt, cùm collectio humoris viscosi ac aquei in hac vel illa parte facilè fieri possit, præsertim verò in extremitatibus, & quidem pedum, hic tumor observari solet, & hoc facilè fieri potest ob loci declivitatem. Oedematis ergò sedes sunt *vasa lymphatica*, effœtam lympham vehentia cum intemperie sanguinis viscida & pauco sale referta, hinc cùm vasa sanguifera comprimantur, lymphatica autem distendantur, oritur pallor. Scirrhi verò pars affecta sunt glandulæ omnes & tubuli quicunque, vel partem internam, vel externam constituentes. *Pars affecta.*

§. 3. *Dignoscitur* Oedema, seu tumor œdematosus, ex iis, quæ jam superiùs in ejus descriptione relata fuerunt, tum ex eo, quòd vestigia digiti impressi diutiùs supersint, & successivè iterum eleventur, tum etiam ex pallore tumoris, & ex doloris, inflammationis & caloris absentia, humor quippe obstruen- *Diagnosis.*

struens dolorem ac inflammationem non efficit, ex eo apparet, quod succus iste minimè fermentativus est, unde patet, fibras haud tanta vi expandi, & per consequens minorem dolorem & calorem causari. Nullus enim in hac obstructione œdematosa adest particularũ minimarum motus intestinus. Hinc etiam Oedema rarò suppuratur, materia enim obstruens est humor viscidus ac crassus, qui non facilè, ut chylus, coagulatur, ideoq; rarissimè, vel nunquam in pus mutatur, nisi efficiatur, ut alcali & acidum in eodem tumore invicem digladientur ac fermententur, non aliter, ac fieri videmus in oleo Tartari per deliquium oleo Vitrioli affuso, sal enim Tartari & quodvis sal alcali acuta habet spicula, interim pluribus poris amplioribus est donatum, & per consequens multum ætheris secum vehit, oleum autem Vitrioli constat ex particulis acidis scindentibus, non tam porosæ substantiæ porisque non tam amplis, hinc etiam tantam etheris quantitatem non fert. Itaque si confusio duorum horum liquorum fit, magnæ oriuntur turbæ, acidæ enim scindentes particulæ se amplis salis Tartari poris insinuant, illisque obstructis, ætheri, quem copiosum secum vehit, viam præcludit, qui concitatiori motu in illos ruens manifesta nobis sui transitus exhibet signa, imò cum tanto impetu partes distendit, ut si incautiùs confusio fiat, vitrum in partes dissiliat. Ab hoc itaq; concitatiore ætheris motu, calor, strepitus & murmura deduci solent. Fumi autem oriuntur, quia per celerem illum ætheris motum particulę attenuantur, inciduntur, & resolvuntur, quæ resolutæ nobis fumos exhibent. In hoc verò Oedemate cessat hæc effervescentia, quia ęther per continuatum motum novos sibi formavit poros, quos liberè ac sine ullo impedimento transit, quamdiu enim libere transire nequit, & vi quadam ruere debet, tamdiu effervescentia liquorum & succorum corporis nostri durat, novis verò poris factis illa cessat.

Scirrhi signa Diagnostica sunt tumor durus & renitens, ab initio minimus apparens, de die verò in diem crescens, modò lividus, modò pallidus, juxta varietatem humorum stagnantium, & exinde enatam texturam partiũ, absque verò Inflammatione, calore & dolore apparet hic tumor scirrhosus, ex quo iterum patet, succos hos non esse fermentescibiles, sed potiùs in ipsis cessare motum intestinum particularum minimarum, hinc est, quod nullus calor, nullusque dolor percipiatur, de quibus jam abundè egimus.

Galenicorũ opinio de causa Oedematis.

§. 4. Quemadmodum *Galenici* ex biliosa fluxione Erysipelas, sic ex pituitosa deducunt *Oedema*, quod ipsis tumor laxus est citra dolorem. Norunt autem etiam tumores laxos fieri circa pedes in affectionbus aquæ inter cutem, & tabe, ac malo corporis habitu. Ob pituitosi ergò humoris influxum, laxum tumorem in parte aliqua oboriri statuunt. Causæ primitivæ ipsis sunt omnia ista, quę intemperiem frigidam & humidam producere, pituitæque proventum generare possunt, ut est aer frigidus & humidus, victus inordinatus, crapula, &c. Causa antecedẽs *ipsis* est temperies humida ventriculi, cerebri, Hepatis, & pituitæ in corpore proventus, quæ est causa Oedematis conjuncta, quatenus est, ut illi loqui amãt, naturalis, & quarta sanguinis pars insipida & alba.

Scirrhi.

Scirrhum autem exquisitũ à viscoso, ac crasso humore, partibus Scirrho affectis adeò impacto, ut ægrè avelli possit, fieri contendunt. Alii ex *ipsis* Scirrhi causam ab humore melancholico naturali, nonnulli à pituita crassa deducunt. Ab hepate & liene malè affectis facilè humorem vitiosum mitti posse non dubitant. Plerumque tamen a Medicis *Scirrhum* fieri ajunt, qui inflammationes & ignes sacros perfrigerant ac adstringunt.

Paracelsi placita de causa Oedematis.

§. 5. *Oedematosum* tumorem *Paracelsus* deducit à liquore in parte quadam resoluto, producto ab externis causis & accidentibus, cùm quisquam læsus fuerit, vel ex abundantia liquoris, sal autem quodvis resolutum in suo loco remanere statuit solùm, nisi per poros transeat, quod in *Oedemate* fieri nequeat.

Scirrhi.

Scirrhum verò in omnibus corporis partibus vel à sale nitroso in eas dejecto, & ibidem alienam indolem inducente tumoresque hosce producente, vel à vitriolo in duritiem abeunte excitari existimat, quorum posteriores tumores ob vitrioli corrosivitatem aliquando in ulcera transeant.

Helmontii ratiocinia de causa Oedematis.

§. 6. *Helmontius* in cruore extravenato, detento & condensato esse fermentum excitativum existimat, hinc latex quamdiu cum cruore in venis existit, vel ad glandulas fertur, communi vita potitur, nec regulis hydraulicis paret. Sursum verò atque deorsum nescit, quia non habet. Ast extra vitę consortium semel rejectus, jam excrementi naturam subit, deorsumque sæpè properat, proprio gravatus pondere. Vilis itaque pretii latex in *Oedemate* evasa us ab ipso habetur, ideoque quoties unumquodque viscus malè afficitur, statim laticem negligit, eumque à cruoris sui consortio excludit, satisque sibi negotii in sui tutelam reperit domi. Ergò latex semel alibi repudiatus, vitæque sodalitio spoliatus, & in partibus quibusvis corporis delatus, excrementi statim indolem suscipit, quin suam sibique nativam. Hæc *ipsi Helmontio* est *causa Oedematum*, & non tam causa, quàm productum laticem in Oedemate minùs vitæ consuetudine privum, quam in Ascite, etiam rursus in venas sorberi, & ad renes labi, ut ultimam lotii determinationem subeat, contendit Author. Latea enim, secundùm *Ipsum*, in cruoris malis innoxius vagatur, ad loca opportuna defertur distributivæ facultati promptè auscultans. Pariter licèt in morbis obsequiosus abundet, & œdematosa crura inflet, id fortè contingere ait. Natura enim, ut loquitur, generali nisu odiosum sibi hospitium parit, illudque excrementis sarcinat, quæ abigere optat. Oedemata fieri statuit, si attractrix laborat restagnatque latex in hepate. Eapropter *Galenicorum* opinionem, quam habent de pituita in Oedemate seu tumore laxo collecta, ridet, & pluribus comprobat rationibus & experimentis, eam falsam esse, sed potiùs laticem acidum & restagnantem accusat.

Scirrhi.

Pro *Scirrhi* indole & *causa* ritè expiscanda *Helmontius* statuit, quòd totus cruor, ut in Gas abeat, duabus alis ad volandum opus habeat, aere & fermento, quare quoties aliquid cruoris in externo corporis ineptum sit, aut non sensim disponatur gradusque subeat, ut totum per totum fiat volatile & transvolabile, eo momento jam *Scirrhos* & *Nodos* esse conceptos arguit. *Duros* etiam *Scirrhos* ex Tartaro peregrino sæpè coalescere non dubitat; Tartarumque hunc inesse materialiter in eduliis & potibus, itemque permanere per digestionum officinas, atque proinde tandem coagulari in miseriis tradit Author. Coagulata in nobis fieri per exsiccationem [excepta creta podagrica,) neque per tartarum inexistentem clam, multo minùs ex Microcosmi conditione saxola aut calcinatoria. Alioqui sui initio, prout & *Scirrhosum* quodlibet, itemque bolus, lutum, mucago, arena & duelech seminalibus initiis *Ipsum* coagulantur ac resolvuntur, atque longè aliter solvuntur ac coagulantur, quàm si pertinax & immutabilis rerum quarumlibet tartarus sua sponte in nobis peregrinum coagulum dedisset. Mucilaginem quoque in partem aliquam per Crisin delatam suscitare sæpiùs *Scirrhos* pluribus Author comprobat rationibus.

Vuillisii rationes de causa Oedematis.

§. 7. *Vuillisius* statuit, sanguificationem perfici tum fermentatione, tum accensione, cruorisque crasin integram permanere, dum earum utraque ritè exerceatur; si verò spiritibus & sulphuribus dissipatis aut depressis, & sale à copiosiori aqua diluto, latex serosus præpolleat, infirmatur pervertiturque hæmatosis. Chylus itaque in sanguinis massam confluens, eumque cadaverosum quasi reperiens, ab illo nequaquam fermentatur, nec dissolvitur, comminuiturve: chylus ergò nullam vel saltem levissimam passus alterationem, in aqueum vitiosumque commutatur liquorem, qui indies augescens sanguinem obruit, ejusque calorem imminuit. Cruor autem curriculum suum per universam corporis peripheriam tardiori tamen gressu pergens, serum istud exuberans ex arteriolarum osculis in laxiori quadam parte deponit, illud verò spiritibus destitutum & torpidum existens, venarum orificia, à quibus referatur, subingredi non valet,

let, & majori sua diuturniorique aggestione, impletis omnibus poris partis, in qua residet, eam in tumorem elevat. Morbus iste contingit etiam ex sanguinis accensionis defectu, quando scilicet inspirato crassiori aere paucioribusque nitrosis particulis dilato, sanguis in praecordiis ritè non accenditur; & tenuiore in illo excitata efflagratione rectè nullo modo perficitur; hocque pacto depravatur cruoris latex, ac vi sua fermentativa penè exutus, chylo dissolvendo atque assimilando impar reperitur, illumque in serosum humorem permutari sinit. Quum tamen sanguinis fermentatio ejusque accensio semper adeò non invertantur, ut nulla ipsi amplius supersit chylum fermentandi asmilandi ve virtus, sed earū utrique aliqualis contingat imminutio, liquoris aquosi proventus semper copiosior non accidit, parcaq; solūmodò copia aggeritur, & in peculiari quadam parte laxioris texturae aggeritur, quam in tumorem *Oedema* appelatum elevat.

Vvillisius noster de Scirrhi causa ratiocinans asserit, adeo copiosas interdum adesse in sanguine terrestres particulas, ut activorum ejus principiorum volatilisatio ab illis inhibeatur, & ipsius aequè ac succi nutritii consistentia spissior reddatur. Latex ergò sanguineus testudineo gradu corporis partes perluens terreisque particulis scatens, quum ad angustos glandularum ductus per arterias delatus fuerit, eos permeare, venarumque oscula subintrare nequit. In glandulis itaque remorari cogitur, & in illis stagnare necesse habet; sed quum serosae particulae pro ea, qua pollent tenuitate, venarum orificia subire possint, à terrestribus desciscunt, easque relinquunt in glandularum vasculis, quas continua sua aggestione adimplent atque infarciunt. Liquor verò nervosus malo fermento praeditus, pravum istum succum in glandulis effusum ipsis assimilare nequaquam valet, & eum in illarum substantiam convertere, sed durum tumorem *Sccirrhi* nomine venientem ex eo compingit & efformat.

§. 8. *Sylvius* in quibusvis corporis partibus tumores *Oedematosos* contingere posse asserit, eorumque *causam* existimat serum & pituitam nimiam, non tantùm massae sanguineae admixtam, sed & intra partes corporis externas effusam, quod subsistens serum aut pituita in parte aliqua, ibidem juxta *Ipsum* producit Oedematosos serososque tumores in partibus particulares, cruribus praesertim & pedibus, tum in singulis corporis partibus. Tumores hos saepè ortum suum habuisse existimat à nimio potu, cui indulgent non pauci ob sitim ferè inexstinguibilem, qua fuere affecti in quibusdam febribus & continuis & intermittentibus, imprimis duranre frigore, existente tunc potu pernitioso.

Scirrhosi verò tumores juxta *Sylvii* fundamenta originem sumunt ex diuturniore partium obstructione, ob sanguinis ac humorum nimiam viscositatem, coagulationem, inspissationem, aut pituitosi humoris intermisti nimiam quantitatem. Coagulationem hanc humorum induci ait ab acido nimis austero, unde sanguis ac pituita firmiorem & magis renitentem acquirunt duritiem.

§. 9. *Cartesiani* à succo quodam crasso, sive lympha lutulenta, viscida, coagulata tubulos partium obstruente tumorem *Oedematosum* progenerari docent, cujus succi viscidi originem accusant chylum crudiorem ex ingurgitatione cibi & potus ventriculum obruente pronatum, praesertim verò vinum acidius majori in copia potum tumori huic ansam praebere norunt, quandoquidem succi acidiores alias particulas porosas & volatiliores in motu suo impediant & in quietem cogant, sicque succos inspissari. Frigus etiam externum vehementius vel inspiratione assumptum, vel poris corporis adhaerens, succorum motui in corpore obsistere, & in visciditatem eosdem cogere fatentur, quapropter piscatores aliosque homines saepius aquaefrigidae insistentes pedum Oedemate tandem onerari norunt, uti & illos, qui tempore pluviali & hyemali sive gelida iter aliquod longinquius conficiunt, quod asthmaticis & difficultate spirandi affectis eo citiùs contingat, cum sanguis cum reliquis succis in machina eorum debitè ventilari nequeat, & per inspirationem frequentiorem aerem frigidum aperto ore in pulmones admittere opus habeant, qui massae sanguineae communicatus ejusdem circulationem tardiorem reddat, & multis particulis acidis angularibus ad motum intestinum minus promptis eandem inficiat, unde lympha tam clara à reliquis ejus succis sequestarari nequeat, sed turbida & lutulenta per glandulas transire inepta, extremis corporis partibus potissimùm, & nonnunquam etiam ipsi trunco communicetur.

Scirrhi. Ab ipso verò chylo ab iisdem particulis angularibus, sive acidis coagulato *Sccirrhū* in parte aliqua glandulari pronasci credunt, particulis enim volatilioribus & ramosioribus à crassioribus caseosis segregatis, posteriores firmiùs compinguntur, & interdum adeò incrassantur, vt in tophaceam & calculosam abeant duritiem. Nonnunquam in ipsis inflammationibus contingere dicunt, ut perversa topicorum minùs convenientium applicatione volatiliores istae chyli obstruentium particulae per poros nimiùm dilatatos abeant in auram, quibus absumptis residuum in fluorem redigi nequeat, sed ob terrestreitatem suam in tubulis quiescat & eosdem obstruat, circaque obstructionem istam novi succi, & praesertim chylosus, tamdiu haereant, donec per diuturniorem motum intestinum volatiliores eorum sales denuo aufugiant, & terrestres partes prioribus in tubulis jam morantibus aggregentur, & tumor ità durus augeatur. Ut verò ejusmodi terrestreitates in succis corporis humani colligantur, multum attribuere censent victum crassum, frequentiorem & diuturniorem esum casei antiquioris, carnis infumatę, piscium marinorum infumatorum, vel muria diutiùs conditorum, potū cerevisiae crassioris ex aquis lutulentis, sabulosis aut calcariis paratae, nec non vini non satis depurati, & particulis terrestribus abundantis, aerem crassiorem, sulphureum, & nebulosum aut frigidum copiosiùs & diutiùs inspiratum, qui chylum in sanguine contentum pariter inspissat. Ex diuturniore moestitia multos succos acidos, & austeros in corpore colligi putat, coagulationi chyli aliorumque liquorum quàm maximè accomodatos, unde externa quoque remedia acidiora inflammationi vel erysipelati sinistre adhibita humores ibidem loci detentos coagulare, & tumori huic spisso ansam praebere fatentur.

Nostra sententia de causa Oedematis. §. 10. Ut & nostram de causa *Oedematis* addamus sententiam, dicimus & hunc tumorem esse à stagnatione humorum in partibus tubulosis, nullus enim tumor esse potest, quando corporis nostri canaliculi aperti & integri sunt, succi liberè perfluere ac circulare possunt, in Oedemate verò succi sunt magis lutosi & effoeti, quàm in aliis tumoribus, humor enim in Oedemate est instar gelatinae seu jusculi carnis frigefacti: in principio ex dilaceratis vasis lympha & succus nerveus exstillat, & in partes vicinas effluunt, quae dein ope acidae acrimoniae in materiam lutosam commutatur, non aliter ac si decocto cornu cervi affuderis acidum, quod dein mutatur in gelatinam, vel si jusculum carnis exponas aeri acido, à quo crassius redditur. Causa ergò immediata Oedematis est lymphae in parte quadam stagnatio, à vase lymphatico obstructo & distento, vel ab effusione ejusdem in partem, in qua colligitur, à rupto vase, causa verò mediata est lymphę visciditas, crassities, & aquositas; experientia enim constat, lympham ex alcalibus sulphuribusque volatilibus, & ex sulphuribus fixis ac phlegmatis constitutam esse; dum enim principia ista ordinem suum servant, justae sunt magnitudinis, & figurae, ac motu aequabili aguntur, nulla fit lymphae in corpore remora, at quum ex plurimis causis notabilis immutatio iis omnibus accidere possit, nec mirum quoque si lympham aliquando in partibus stagnare videamus. Succus enim Oedematosus seu lympha ob crassitiem & aquositatem suam non facilè ab *aethere* agitari potest, non mirum proinde est, quod in tali tumore non graves subveniant inflammationes aliaque symptomata. Subsequitur quidem Oedema morbum chronicum, & acutum nulla causa evidente praegressa, nisi quòd in morbis chronicis & acutis maxima sit spirituum animalium deperditio, tenuis contingit illorum reparatio, volatiliores sanguinis par-

particulæ diſſipantur, & ſale volatili oleoſo ſanguinis deficiente neceſſario lympha craſſa ac effœta remanet, imò partium fermentationes ſeu motus particularum minimarum inteſtinus ceſſat. Salvia autem phlegmatis (quæ in morbis acutis aut chronicis diſſipata fuerit,) æque ac par eſt non abundans, alimentis ſufficientem non conciliat fluiditatem, acidaque illius, ut & ſalia craſſiorem adepta molem alimentorum tenuiores particulas ſubire nequeunt, eaſque intemeratas ferè dimittunt. Alimenta in ventriculum delapſa, & leviorem tantùm in ore paſſa præparationem, æquè ac par eſſet à fermento ſtomachi non dividuntur & comminuuntur, quùm per morbi decurſum vel ejuſdem violentiam notabile contingerit alcalicorum phlegmatumque detrimentum, & fermentum ventriculi nihil aliud ſit, quàm liquor ex alcalibus, acidis, & phlegmatis compoſitus, ſi liquor iſte, qui à ſanguine ſecernitur, alcalicis & phlegmatis fuerit depauperatus; alimentorum ſalia aptè non diluet, nec eorum ſulphura, uti neceſſum foret, diſſolvet, unde accidit, ut chylus, qui ex hac maſsa ita fermentata oritur, craſſus fiat ac viſcidus, talis autem chylus ad duodenum appellens, & inteſtinorum tubulum excurrens, à ſuccis in illorum cavitatem defluentibus non corrigitur. Bilis ſiquidem, quæ ex multo alcalico fixo, pauco volatili, pauco ſulphure, pauciſſima terra & copioſo phlegmate conſtat, ſatis abundantibus alcalicis phlegmatiſque ditata, chyli acida, ut conduceret, non abſorbet, nec convenientem fluiditatem illi impertitur, ſucci cùm ex Pancreate, tùm ex glandulis inteſtinorum tunicis inſertis emanantes; & ex alcalicis volatilibus, ſulphuribus, phlegmatiſque conſtituti, alcalica ſatis copioſa non poſſidentes, nec phlegmatis ea, quæ requireretur, abundantia prędita, reſidua chyli accida, ea qua par eſſet ratione, non abſorbent, ſulphura ſufficienter non diſſolvunt, chyli particulas reliquas, ut conferret non diluunt, nec juſtam mixturam illis conferunt. Is itaque chylus ſanguini permixtus, ab iſto corrigi nequit, omneſque ſucci ab hoc ſeparati ejus indolem participare debent.

Quum ergò ſanguis lymphæ fons exiſtat, hæc illius indolem redolere debet. Si autem potior particularum volatilium ſanguinis portio avolarit, craſſiores tantùm, inter quas primas obtinet *acida*, ad motum ineptiora, & ſulphura craſſa remanent. Lympha ergò, quæ ex ſanguine à glandulis ſeparatur, particulis ſuis volatilioribus fraudatur, & ex craſſioribus tantùm ſulphuribus, quibuſdam acidis & phlegmatis conſtat, ſed paucis reſtitantibus alcalicis in lympha, quæ ſulphura ejus diſſoluta detineant, acidis in illorum ramis ſeſe implicantibus, & phlegmatis illa circumducentibus reſiſtere nequeunt, quare coagulantur, & conglobantur, & in vaſorum lymphaticorum anguſtiora orificia delata, in illis ceſpitant, eaque obſtruunt, novæ lymphæ advenienti obicem ponunt, quæ quum ulteriùs progredi nequeat, hoc in loco remoratur, perpetuoque affluxu vaſis tunicas diſtendit, parteſque adjacentes in tumorem elevat œdematoſum; at verò tanta fit interdum lymphæ in vaſe collectio, vt fibris tunicarum illius ampliùs ſeſe extendere non liceat, ceſſanteque elatere, & continua facta lymphæ in tunicas impulſione, fibræ tandem diſrumpantur, vaſaque contentum liquorem effundant, vel quoque temporis tractu delicatiora acida lymphæ à ſanguine communicata, remanentium alcalicorum poros ſubeant, ſaliaque producant, quæ vaſorum tunicas impetentia fibras illorum diſcindunt & dilacerant, vaſiſque aperturam inducunt. Quando ergò adeſt intemperies viſcida, terreſtris ſanguis & ſuccus in remotiſſimis minutiſſimuſque tubulis facilè ſiſtitur, unde obſtructio totalis ſine dolore acuto, quia partes terreſtres & viſcidæ prædominium obtinent, huic partes ſalinæ acutæ incarceratæ, & quaſi ſicuti enſis in vagina reconditæ ſunt. Quando vero Oedema oritur, nulla prægreſſa cauſa evidente, ſex quoque res non-naturales vulgò dictas meritò accuſare debemus, omnia enim ea contribuunt, quæ vel volatiliora alcalica diſſipant, aut abundantiora acida ſanguini ac ſuccis inferunt, quę jam in capite de Inflammatione ſatis fusè explanata ſunt; & quum lympha à ſanguine tanquam fomite, ut ſuprà vidimus, originem ducat, illius conſtitutionem ęmulari debet, pauciſque in illo exiſtentibus alcalicis copioſiſque acidis compoſitionem ejus ingredientibus, ad viſciditatem coagulationęque prona fit, vel acrimoniam aſſequitur. Cùm proinde debita inter ſanguinis particulas non eſt proportio, ac proin inteſtina ejus agitatio ritè non procedit, pręvalentes (cùm nec chyloſarum ſeu viſcidarum fiat attenuatio,) particulę craſſę viſcoſæ, terreſtres ſibi mutuò facilè adhærent, ſibique ea de cauſa in anguſtiſſimis licet laxis, à corde remotiſſimis tubulis, h. e. in extremitatibus, manibus pedibuſque ſiſtuntur, quos tum totaliter obturant, vixque ulla inter ipſas fit fermentatio, paucis acutis omninò involutis, nullum niſi gravativum cum ſenſu frigoris excitant dolorem, cumque ſenſim & ſenſim coagmententur, pedetentim intumeſcit pars Oedematoſa tum dicta pallida ob compreſſionem vaſorum ſanguineorum, tubulis ultra tonum expanſis à materia viſcoſiore, quàm in univerſali Oedemate ſeu Leucophlegmatia, ubi viſciditati major conjuncta Aquæ & Salis copia, illic autem major viſciditas cum acido adeſſe videtur, manente aliquamdiu fovea digito impreſſa, viſcidis particulis tardè tandem locum, quo expulſæ erunt, repetentibus.

Materia obſtruens ſi magis, quàm prior, fuerit craſſa, viſcoſa, reſinoſa, prout arctiùs vel copioſiùs poris tubuliſque infarcta, vel plures ſimul circumvicinarum partium, præprimis glanduloſarum, tubulos intortos obſeſſerit, recenter, aut à longo tempore, fugatis interim lubricis aquoſis aliiſque ſubtilibus, cum magis vel minùs notabili quantitate particularum ſalſarum, terreſtrium vel acidarum conjuncta, majores durioreſque (interdum tophaceos & calculoſos,) producit *Scirrhos* exquiſitos vel nothos dolentes: Porrò Scirrhi non rarò oriri ſolent in partibus Inflammatis poſt intempeſtivum refrigerantium ac reppellentium uſum, non diſpari ratione, ac gangręna poſt applicationem albuminis ovi cum bolo, imò multi tumores à nimiùm calidis reſolventibus, fluidas potiùs expellentibus, quàm craſſas dividentibus, ſeu attenuantibus, ſcirrhoſis fiunt magis vel minùs pro materiæ & partis varietate.

Cauſa ergò Scirrhi eſt ſuccorum coagulatio, eorumque in parte aliqua, præſertim glanduloſa, ſtagnatio & induratio, acidum enim coagulando materiam in duritiem adigit. Jam ſuperiùs demonſtravimus, Inflammationem fieri à tubulorum obſtructione à ſulphuribus, à medicamentis acidis coagulatis, & ab alcalicis iiſdem ſaturatis orta. Si enim pro remediis, quæ acida abſorbeant, motum ſuccis ſtagnantibus communicent, poros ſtrictiores dilatent, ea adhibeantur medicamenta, quæ acidorum penu adaugeant, ſuccorum ceſpitantium motum inhibeant, poroſque obturent ac ſtringant, qualia ſunt repellentia, materia compactior redditur, obſtructioque validior fit. Prorumpens autem materia ſubtilis, accedentes ſpiritus animales, ſubtilioreſque ſanguinis in vaſis circumjacentibus contenti particulæ inpingentes in ſuccos illos ſtagnantes, tenuiores tantum in motum agunt eorum partes, eaſque ad exitum determinant; at quùm alcalia volatilia, ſulphura volatilia, phlegmataque, eæ ſint parriculæ, quæ ad motum magis ſunt pronæ, motu donatæ ab aliis deſciſcunt, & per poros effugiunt. Craſſiora verò ſalia ab alcalicorum cum acidis connubio genita, craſſa ſulphura & terreſtreitas in parte remanent, quum autem continuetur materiæ æthereæ, ſpirituum animalium, & volatiliorum ſanguinis vicini particularum in ſuccum ſtagnantem appulſus, nec craſſiores illius particulæ ab iis attenuari nec comminui poſſint, acida in alcalicorum poros altiùs ab ipſis adiguntur, & ſulphurum ramis fortiùs involvuntur, ſaliaque in partis fibras compulſa, illas mutuò inter ſe arctiùs adjungunt, earumque interſtitia anguſtiora faciunt. Sed quum ſulphura ſalium aculeis ſuper extendantur, & terreſtreitas maſſæ iſti permixta eorumdem ſalium ſpicula obtegat, partium fibrillæ à ſalium inſultibus vin-

vindicantur, nullusque, vel levis excitatur dolor. Durities ex eo prodit, quod evaporatis volatilioribus alcalicis, reliquæ particulæ juxta se invicem quietæ remaneant, sulphura ab alcalibus, ut antea, nequaquam dissoluta, coagulentur motuque destituantur, dissipatisque phlegmatis, aliæ particulæ à se invicem semotæ non detineantur & undique pressæ propiùs ad se invicem accedant, ac rara parvaque relinquant interstitia. Sic quoque validiora discutientia medicamenta parti alicui inflammatæ incautè & sæpè applicata, & per poros ad succum in illa parte stagnantem delata, tenuiores ejus particulas in motum concitant, irritatis partis fibrillis, ferquentiusque iteratis illorum vibrationibus, magis volatilisatur succus stagnans, eliminanturque per poros subtiliores ejus particulæ, crassioresque in parte relictæ arctiùs inter se uniuntur, fortioresque faciunt obstructiones, quæ durum producunt tumorem indolentemque, salium illas facientium aculeis sulphuribus absque te rtestreitate obtectis.

Remotæ causæ sunt res non-naturales malè à Medicorum vulgò ita dictæ, quæ & suum symbolum ad excitandum hunc affectum afferunt; aer enim calidus & exæstuans concitatiorem motum succis concilians, illosque vehementiùs rarefaciens, tubulorumque fibrillas fortiùs pungens, ex illorum vasis eruptionem infert; aer autem iste fervidior succum extravasatum volatilisando, partisque poros ampliando, succi subtiliores partes abripit, ejusque crassamentum ex salibus sulphuribusque crassis & terra compositum in parte relinquit, consumptis ergò tenuioribus particulis, à quibus reliquæ in motu conservabantur, & exhaustis phlegmatis, à quibus dissolutæ detinebantur, hæ undique à materia subtili pressæ, & à continua fibrarum partium ambientium vibratione compulsæ, arctiùs invicem connectuntur, crassioresque constituunt moleculas, quæ pertinaciores in tubulis efficiunt obstructiones, à quibus tumor excitatur durus & indolens *Scirrbi* nomine veniens.

Aer frigidus particulis duris, rigidis & acutis donatus, fibrillarum poros subiens illos occludit, earumque interstitia angustiora reddit. Salia volatilia per insensilem transpirationem exire solita, obturatis poris, angustatisque fibrarum interstitiis avolare nequeunt, sanguinique, chylo vel lymphæ remixta, rapidiorem motum illis communicant, validiusque ea exagitant, & tenuiores subtilioresque ipsorum particulas evaporare faciunt, subtilioribus ipsis exhalatis, acida alcalicorum crassiorum poros subeunt, sulphuribusque ramis intricantur, eaque coagulant. Salia ergò ab acidorum cum alcalicis unione orta & sulphura ab acidis coagulata ad constrictos tubu los delata in iis remorantur, eosque obstruunt. Materia subtilis, spiritus animales & volatiliores vicini sanguinis particulæ tenuiores, si quæ adhuc supersint, partes exagitant, & à reliqua massa separant, ac per poros amandant: crassiores ergò tantùm particulæ remanent, quæ arctiùs inter se conjunctæ durum efficiunt tumorem qui nullum adjunctum habet dolorem, salium aculeis nudis non existentibus.

Cibi acidi & acerbi copiosiora sanguini impertientes acida, salium in eo abundantiam promovent, sulphurumque majorem adducunt coagulationem. Salia ergò illa, sulphuraque ista coagulata, ad angustiores vel minùs robustis fibris pollentes tubulos deducta, in illis obstructiones faciunt, nullo ipsis concesso ob molem exitu. Stagnante igitur in parte humore, tenuiores ejus particulæ perpetuo, quo donantur, motu evaporantur, crassioraque salia & sulphura coagulata cum terrestreitate in parte subsistunt.

Cibi nimia terrestreitate, aut visciditate, sive crassioribus sulphuribus iisque copiosioribus prædíti Scirrhum procreare valent; si enim terra in ea adsit abundantia, ut à phlegmatis dissolvi nequeat, repletisque aliorum elementorum sanguinis, vel succorum ab illo segregatorum, interstitiis, copiosa adhuc supersit, ad arctiores tubulos delata, scabraque superficie donata illorum poris affigitur, ipsisque adhæret: angustioribus ita factis tubulis, succus ad illos perveniens in cursu suo impeditur, subtiliores ejus particulæ exhalantur, crassiores stagnant, alcalia ab acidis saturantur, sulphura ab iisdem coagulantur, terrestresque particulæ in consimiles impingentes, iis adnascuntur, tubulorumque obstructionem, ac partis tumorem adaugent: Potus eadem habenda est ratio, quæ cibi.

In vehementiori motu, frequentioribus iisque validioribus fibrarum partium in sanguinem vibrationibus, hic rapidiori agitur motu, nimisque attenuatur ac rarefit; eadem de causa copiosiori tenuiorique sanguine ad cerebrum appulso, abundantiores in eo progignuntur spiritus & ad partes majori vi determinantur, à quibus adaugentur sanguinis motus & rarefactio: quod chylo & lymphæ etiam evenit, durante rapidiori tali motu, minutiores sanguinis, chyli, lymphæve particulæ majori parte exhalantur, reliqua verò massa tenuioribus hisce orbata particulis, à quibus in motu conservabatur, & crassiores solummodò possidens, quietior redditur torpidiusque fluit: acida crassiorum alcalicorum poros subeunt, iisque inhærent, sulphura ab alcalicis ampliùs, ut anteà non dissoluta, ab acidis coagulantur, & ad angustiores tubulos devenientia in illis retinentur, illosque obturant. Continua per motum humori obstruenti communicatum dissipatione; subtiliorum particularum, terra tantùm cum salibus & sulphuribus coagulatis remoratur. In quiete debiliores fiunt fibrarum partium in sanguinem vibrationes, ideoque particulæ ejus, ut par esset, non comminuuntur ac atteruntur, nec à se invicem æquè ac ex re foret, separantur ad justam succis fluiditatem conciliandam; paucus sanguis isque crassior ad cerebrum apportatur, pauciores que hac de re in cerebro producuntur spiritus, & minori, quàm requireretur, copia ad partes confluunt, coctiones ob spirituum penuriam deteriùs peraguntur, nec particulæ, ut deceret, à se invicem extricantur. Motus ergò sanguinis, sufficientibus non affluentibus spiritibus animalibus, nullo modo intenditur, neque partes ejus volatilisantur aut rarefiunt; acida ex alcalicorum poris nequaquam deturbantur, nec à sulphurum amplexibus abripiuntur, sed potiùs altiùs in illa adiguntur à pressione, quam undiquaque patiuntur. Salia ergò & sulphura coagulata ad angustiores tubulos appellentia, in illis retinentur, eosque obstruunt, penitusque exhaustis tenuioribus particulis exsurgit tumor durus.

Somnus nimius & laboriosus dictus multùm conferre potest ad producendum hunc affectum, in somno enim levis fit partium corporis, motus, tubuli cerebri viscidiore lympha occlusi paucos admittunt spiritus quo fit ut sanguinis circulatio aliorumque succorum lentiùs progrediatur: loquor enim hic, de laborioso & morboso somno, in naturali enim somno omnes succi celeriùs circulantur.

Vigiliæ quoque symbolum suum afferunt, ad producendum scirrhum: in vigiliis enim spiritus animales absumuntur, & fit sæpe in partes uberior spirituum animalium influxus, majusque eorum contingit detrimentum; corporis partes frequentiori eoque validiori agitantur motu, fibrillæque magis iteratis in sanguinem vibrationibus suis illum tenuiorem rapidioremque efficiunt; particulæ sanguinis attenuatæ ad exitum sunt procliviores, & à reliqua massa copiosiores descíscunt: acida verò dominium obtinentia crassiorum alcalicorum remanentium poros impraegnant, sulphuraque ab acidis non dissoluta coagulantur, atque ab iis obstruuntur arctiores tubuli. Exhaustis itaque per continuum motum phlegmatis, residuisque particulis subtilioribus, crassa tantùm supersunt salia, sulphura coagulata & terrestreitas, à quibus Scirrhus pronascitur.

Si succi corporis ab aliquo viscere secerni soliti, vel ob majorem crassitiem, vel ob nimiam visciditatem in eo stabulentur, id est, si abundantioribus salibus crassis, aut copiosiore terrestreitate, vel uberioribus crassis sulphuribus ab acidis coagulatis præditi

diti in eos perveniant tubulos, qui angustiores fuerint, quàm ut transitum illis permittant, retinebuntur in illis vel salia ista crassiora, vel sulphura coagulata, vel terrestreitas, in iisque obstructiones efformabunt, quæ à nova & consimili adveniente materia accrescentes, perdurante verò particularum obstruentium in parte remora, quod subtilius in iis superest, ab illis separatur & exhalatur, parumque magmatis restitat, à quo nascitur Scirrhus.

Sic & animi pathemata causa procatarctica existunt Scirrhi, profundior enim durabiliorque mœror graviorque tristitia Scirrhorum plerumque causæ sunt. Anima enim tunc temporis unico tantùm eique tristi objecto attenta, paucos amandat in corporis partes spiritus, sanguis illis non ditatus testudineo fertur gressu, pauciorque ad cerebrum devehitur, quo fit, ut parciores in eo procreentur spiritus, tubulorum fibrillæ spiritibus non distentæ concidunt, illosque angustiores efficiunt, ac sanguinem difficiliùs admittunt, nec illius circulationi properandæ, ejusque attenuationi promovendæ vibrationibus suis opitulantur: sanguine ergò requisita spirituum abundantia carente, particulisque illius sufficienter non volatilisatis, succi fermentitii ab illo secreti volatilioribus particulis, à quibus ad munia sua peragenda maximè adjuvantur, satis abundè nequaquam ditati, alimentorum digestiones imperfectè operantur, crassiores alimentorum partes aptè non penetrant, nec dividunt, phlegmatisque salia terramque soluturis viam, ut par esset, non aperiunt. Cùm sufficientia non adsint alcalia volatilia, alimentorum acida, uti conveniret, non absorbent, eaque compedibus soluta in alimentis relinquunt. Sulphura coagulata ab acidis non liberantur alcalicorum, quorum adest penuria, ministerio: chylus ergò ex tali massa elicitus, & venas lacteas subingressus, nullo negotio in illorum angustioribus moram trahit, vel quædam ex illius crassioribus sulphuribus ad arctiores glandularum tubulos devenientia, in ipsis remorantur, quum ob molem eos præterfluere non valeant. Hic verò chylus sanguini commixtus, & universas corporis partes cum eo pervagans, ad angustiores earum tubulos appellens, in iis crassiora sua salia, aut coagulata sulphura deponit, illosque obstruit: nec lymphæ à sanguine separatæ felicior contingit sors; à sanguine crassiora salia, & sulphura ab acidis coagulata mutuatur, à quibus quædam illius vasa obstruuntur, humoribus itaque istis in partibus obstructis remanentibus particulæ illorum tenuiores, & ad motum aptiores evaporantur, solumque superest crassamentum, à quo progignitur Scirrhus.

Prognosis Oedematis.

§. 11. Oedematis prognosis dubia est, quod per se prodiens mali est ominis, morbi enim chronici subsequentis indicia præbet; si verò tumor pedum Oedematosus phthisin vel hæmorrhagiam, vel hypercatharsin, ceu dum hæc scribo, exemplum novi, succedit, pessimum est signum & mortis sæpè adventum denotat; ubi lympha vel sanguis omni suo sale volatili fuerit fraudatus, & subsequitur tumor œdematosus, utplurimum lethale existit signum. Ubi verò homines temperamentum roboris habent in iis rarò lethale est œdematosus hic tumor, diu tamen durat. Sic etiam particulares tumores œdematosi haud sunt periculosi. Rarò suppurantur hi tumores aquosi, propter visciditatem succorum stagnantium & defectum particularum volatilium & alcalicarum. Aliquando tamen ob nimiam compressionem vasorum nerveorum, & salis volatilis defectum in succis Odemata transeunt in gangrenam & sphacelum, prout tale quid simile videmus contingere in Hydropicis.

Scyrrhi quoque curatio difficilis est, ob materiæ crassitiem, siccitatem, & particularum ejus intimiorem unionem & obstructionem pertinacem, & nulla sæpe est expectanda, imprimis si sensu penitus careat: sed aliqua adhuc salutis superest spes, si sensu aliquali donetur, ex hoc enim apparet, quòd obstructio non sit totalis, sed quædam fibræ & tubuli adhuc suum succum nerveum & quidem volatilem oleosum recipiunt; hinc si Scirrhi sint in debilibus & emaciatis corporibus, res periculi plena est. Scirrhi cum notabilem in se contineant salis vel acidi vel corrosivi copiam, simili existente sanguinis ac succorum constitutione, cum aliqua omnium functionum depravatione in subjectis ætate vel alia de causa debilibus, facilè at pede presso in cancros degenerant, supervenien te dicti salis vel acidi vehementiore motu: (vel si tandem fermentationem suscipiant, vel quando in tubulis circumvicinis, &c. oriatur Inflammatio seu erysipelas, vel quando intempestivè emollientia & discutientia fuerint applicata, &c.) quo tempore ardor ob speciem Inflammationis introductam sentitur, hinc particulæ acutæ scindentes commotæ, hic illic nervorum propagines dilacerant, unde dolor acutus pungens, scindens, partisque fibrillas disnectunt, omnis humoris adventus præcluditur, ipsaque gangræna, si non Sphacelus, (indicante id cólore atro vel livido partis & venarum vicinarum partim, vel totaliter compressarum,) inducitur sensim vel festinantur, partes circumiectas inficiens, pro majore copia, acutie & motu corrosivorum, ipsaque subjecti dispositione, donec tandem magis proserpens mors subsequatur. Scirrhi si ad suppurationem perveniunt, facilè transeunt in Cancrum vel Fistulam pravam & ferè incurabilem.

Diæta.

§. 12. *Diæta* æquè in Oedematoso tumore ac in Scirrhoso observanda est, aliàs sæpe frustrà medicamentis ages, cùm ingurgitando cibos incongruos & aquam frigidam hauriendo affectus hos tantùm augeas. Eò enim his in tumoribus pertinacibus curatio dirigenda est, ut succi spissiores ac aquosi incidantur ac sensim dissipentur, in quem finem Aer eligatur temperatus, contra fugiatur nimis calidus ac frigidus imprimis hyemalis, hyems enim œdematosis maxime noxia est.

Cibi sint copioso sale volatili referti, & conducunt aromatici ac dulces, gelatinæ aliaque, quæ succum nutritium augent, eumque sale volatili replent. Potus sit Theæ vel Caffeæ, in aqua tepida, in qua priùs rad. chin. & lin. Sassafras fuerint cocta, vel vinum generosum, vel Gallicum, vel Hispanicum, modicè tamen haustum.

Vigiliæ & somnus non excedant mediocritatis limites. In motu seu exercitio semper sit æger, equitando, modò curru vehendo, modò ambulando se exerceat, sed *ne quid nimis*, per vehementiores enim motus corporis volatiliores avolant particulæ, remanentibus viscidioribus noxiis. Excreta & retenta sint in statu suo ordinario, exulent verò purgantia. Animi passiones omnes hic nocent, imprimis terror ac mœror.

Galenicorum curatio Oedematis.

§. 13. *Diæta* pertractata, nunc videamus curam *Oedematis* pharmaceuticam, & quidem primùm *Galenicorum*, qui Oedema curari asserunt, vel per resolutionem, vel per suppurationem, vel per indurationem: Primò requisitam ordinant *Diætam*: Secundò humorem pituitosum præparant & evacuant: Tertiò topica applicant, accidentia & symptomata corrigunt. Secundæ intentioni satisfaciunt, decocti hyssopi in Hydromelite facti ℥ iv. cum oxymelle scyllitico singulis diebus cubitum eunti propinando, dein sequens vel simile phlegmagogum exhibent.

♃. *Fol. senn. s. st.* ℥ ß.
Mechocann. alb. ʒ ij.
Zinziber. ʒ j.
Agaric. in petia ligat. ʒ ij.
Myrobal. chebul. aa. ʒ j.
Infund. omnia per noctem in
Aquæ hyssop. ℥ iv.
Manè facta levi ebullitione in colat. dissolv.
Mann. el. ℥ j.
El. Diaphænic. ʒ ij.
M. F. potio.

In hoc affectu tam frigido non convenire ajunt venæsectionem, nisi fiat à mensibus retentis, in quibus aliquando eam permittunt. Topica *Ipsis* sunt primò *aqua* & *acetum*, unde ad Oedema curandùm spongiam posca imbutam cum ligamento leniter stringente imponunt. Initium verò deligan-

gandi ab inferioribus partibus ducunt, & ad superiores partes progrediendo desinunt, spongiam verò novam esse oportet, si talis non sit ad manus, eam, quam habent, nitro extergunt & meliùs etiam lixivio, quod stillatitium vocant. Si horum usu tumor non subsidat, paululum aluminis miscent. Valere ad idem ajunt mollissimum ex lucerna linamentum hoc eodem humore imbutum & impositum, glaucium quoque utile esse narrant. Si verò inveteravit Oedema, particulam oleo priùs inungunt, deinde spongiam ex lixivio imponunt, arctiusque constringunt atque ita tumori laxo medentur. *Isatim* etiam *sativam* tumores hosce mirabiliter digerere & comprimere scribunt. Idem præstare terram omnem pinguem & magis etiam Ægyptiam volunt. In Galenicorum gratiam unam & alteram adjiciemus formulam:

℞. *Lixivii acerrimi* ℔ij.
Aceti ℔ß.
Olei ℥iij.

M. Intingunt calidè linteola & Oedemati applicant. Quòd si tumor ad declinationem venerit, sequenti vel simili utuntur cataplasmate:

℞. *Sulphuris*,
Farin. fabar. aa. ℥iß.
Stercoris columbini ℥iß.
Mellis communis ℥j.
Decoct. rad. asphodeli q. s.

Coq. ad consistent. cataplasmatis, quod bis de die renovant. Alii tantùm sulphur cum axungia suilla miscent & inungunt. Alii Diachylon cum gummi commendant.

Quando Oedema ad maturationem devenit, illud aperiunt in loco inferiori, servata fibrarum rectitudine, vel ferro, vel corrosivo, vel medicamento rumpente, dein ulcus apertum mundificant, & digerunt terebinthina vitello ovi mixta cum pauca quantitate gummi ammoniaci in aceto soluti. Facta digestione ulcus carne implent cum ungu. basilico minore linteolis inuncto & applicato, tandemque cicatrizant. Dolori occurrunt per unguenta relaxantia, ut ungu. de althæa, cum oleo anethino, chamomælino, lil. alb. Quòd si tumor in duritiem abierit, emollientia imponunt.

...Scirrhi.

Scirrhum curant *Galenici* primò Diæta calefaciente & humectante, secundo causæ antecedentis præparatione & evacuatione, in quem finem sequens, vel simile ordinant Melanagogum:

℞. *Herb. adiant. nigr.*
Epithym.
Lingu. cerv.
Cuscut.
Capill. Veneris aa. M. ß.
Myrob. Indor.
Agaric. rec. troch. aa. ℥ij.
Fol. sen. s. st. ℥ß.

His omnibus peraffundunt
Aq. fumar. bull. ℥v.

Stent por noctem, manè facta unica ebullitione, in expressione colat. dissolvunt.
Mannæ el. ℥iß.
Confect. Hamech ℥iij.
M. f. potio.

Deinde, si malum oriatur ob hæmorrhoides obstructas, illas aperiunt, &, si ob menstrua retenta, provocant illa: si sanguis in toto redundet, aperiunt basilicam sinistri lateris, foramine sat amplo, ut sanguini fæculento detur exitus: si obstructiones in hypochondriis adsint, eas reserant adhibitis primò præparantibus, deinde evacuantibus, quæ sæpius repetenda esse volunt.

Ad Topica accedentes medicamenta, digerentia adhibent unà cum emollientibus juncta. Inter digerentia recensent fœnumgræcum, fimum caprillum cum posca. Inter mollientia autem magni æstimant hoc in casu adipem & medullam cervinam, item adipem taurinum, hircinum & ursinum, item ammoniacum, bdelliumque & styracem. Horum usu duritiem dissolvunt additis digerentibus.

De volucribus commendant adipem anserinum & gallinaceum ac phasianum. Verùm in tendinibus ac ligamentis, lapidem igne candefactum acerrimo aceto exstingunt, in quem finem æstimant lapidem pyritem vel moralem. In hoc affectam partem commoveri volunt, quo exhalantem vaporem suscipiat, & posteà rursus mollitorium imponunt medicamentum. Oleo tamen tenui ab initio, non aqua, partem perfundunt perpetuò singulis diebus, aliquando etiam althææ, aut cucumeris sylvestris radicem in oleo incoquunt & applicant. A balneo verò in totum ipsis ægris abstinendum esse suadent, aut saltem à frequenti. Ubi verò Scirrhus moderatè fuerit emollitus, ammoniacum pinguissimum acerrimo aceto dilutum parti illinunt ad multos dies: post quos rursus mollitorio utuntur, quod galbanum & opopanaca pinguissima recipit. Inter talia autem maximi faciunt id, quod ex perna fit & Amythaoni inscribitur; aliaque in strumis commendata.

Paracelsi cura in Oedemate.

§. 14. *Paracelsus* Tumorem *Oedematosum* nullo modo vult aperiri, sed defluxiones intrinsecùs per Mercurium laxativum averti, posthæc externa sequenti modo applicari suadet.

℞. *Caricar.* ℔j.
Ol. granor. Junip. ℥iv.
Farin. fabar. ℥vj.
M. F. cataplasma super ignem,

Quod Tumori aquoso superponatur quanto calidiùs pati valeat æger. Commendat etiam sequens vel simile Emplastrum.

℞. *Farin. fabar.* ℔j.
Sem. pyll.
Cytonior. aa. ℥j.
Consolid. maj. ℥iv.
Vini & aceti q. s.
F. Emplast.

In *Scirrho* quocumque sanando *Paracelsus* ex terebinthina & litargyrio parata maximè æstimat, adhibito simul studio, ne in Cancrum abeat.

Helmontiana cura in Oedemate.

§. 15. *Helmontius* Laticis ignorantiam multam medendo, somnia in œdematibus suscitasse scribit; turgidis nimirùm sero cruribus, fossulam prementis digiti retinentibus & manè evanescentibus pituita *Galenicis* ridiculè putata, nocturna digestione in cruorem versa. Et cùm Author noster laticem acidum & restagnantem accuset, Oedemata sanare lapillum Butleri contendit. Externè verò radicem bryoniæ contusam & instar cataplasmatis applicatam admodùm esse credit utilem, sicuti in aliis tumoribus aquosis sæpè salutare præstitit auxilium.

In *Scirrhis* curandis gummata applicanda vult Author, quæ maximè resolvunt, in quem finem laudat etiam sequens ungu.

℞. *Ol. laurini* ℥viij.
Olibani,
Masticis,
Gumm. Arabic.
Resin. abiegnæ aa. ℥iij.

Destillentur, dein repetatur destillatio; & quidem cineribus clavellatis, & habebis balsamum egregium.

In Scirrho.

Ubi affectus internus externum petit subsidium, ut *Scirrbus* unguina, de foris lapide calefacto vel arena calida foveri jubet, idque se didicisse ait contuendo paleam, in aheno aquæ tepentis, sursum ac deorsum velut à calore subter accenso commotam deambulantem; ideoque potenti calore apposita unguenta animari, & spiritum suum cruori nostro jungere suspicabatur primùm, deinde comperit, sic malum foràs elici, sistique impulsiones symptomaticas. Et quæcumque Balnea agunt in toto, hoc idem calefacta foraque unguina absolvunt in parte sine totius jactura. Later enim fovens, juxta Autho-

rem, pellit odorem emplastri intrò attrahitque foràs quæ aliàs pigriora hærent, iterumque cum cruore spiritus impetus faciens attrahitur, dispergitur à calore aliusque succedit suo loco, vim medicaminis haurit & velut ebulliens intrò revolvitur.

Vvillisii modus curandi Oedema.

§. 16. Quum *Willisius* prædictum affectum, *Oedema* nempe ex vitiata chylosi, ut & hæmatosi provenire dicat, hinc ad affectum hunc curandum æquè interna ac externa commendat. Inter interna, stomachica aromatica, item Elixir proprietatis, & Diaphoretica aliis præfert; sed quùm serum non solùm per poros sudoriferorum beneficio expelli debeat, at ejus secretio per urinas etiam sit promovenda, supradictis remediis diuretica adjungit. Tumori autem externè applicat cataplasma ex absynth. roremarin. origan. calaminth. chamom. &c. in lixiv. comm. vel vino decocta, quo decocto Tumorem Oedematosum fovet. Cui usui inservit etiam aqua calcis vivæ, uti & lixivium ex cineribus sarmentorum.

Scirrhum.

Scirrho verò Author statim imponit resolventia fortiora, discutientibus moderatis permista, ut sunt Gummi Ammoniac. Galban. &c. Ammoniac. ad hunc affectum tollendum plurimis extollit laudibus, sive solum in usum revocetur, sive cum empl. diachylo vel aliis commistum. Si hæc debiliora fuerint, ad Empl. Vigon. dupl. cum Mercurio recurrendum esse jubet.

Sylvii methodus medendi Oedemaci.

§. 17. *Sylvius curam* Oedematis consistere ait in seri aut pituitæ nimiæ evacuatione, hinc præter purgantia phlegmagoga Author commendat varia diuretica, quæ simul impediunt novam pituitæ productionem, ac corrigunt simul acidum noxium, emendantque cætera inde orta vitia in sanguine pituitosiore ac serosiore, ipsum incidendo & attenuando, in quem finem aliis medicamentis præfert omnia salia volatilia & aromatica, quippe quæ & acidum temperant & pituitam seu serum incrassatum incidunt, hacque imprimis ratione juxta *ipsum* urinas movent. Post hæc sudorifera commendat, quæ tum serum, tum pituitam foràs propellunt, & sanguinem crassum incidunt, inter quæ cuncta volatili sale turgentia vegetabilia laudat, ut sunt radices apii, bardan. pimpinell. zedoar. chin. imperator. salsaparill. fol. capill. ven. summ. cent. min. melilot. flor. chamomill sambuc. lign. Guajac. Sassafras, quercus, Juniperi, buxi, bacc. Juniper. sambuci, ebuli, Diascord. &c. Atque ex his varia forma parat medicamenta interna sudores moventia. Præter hæc commendat etiam Antimonium Diaphoreticum, Bezoarticum minerale ex eodem Antimonio, sed cum Mercurio sublimato in butyrum priùs destillato, hinc cum Nitri spiritu fixato confectum. Laudat quoque Bezoardicum Lunare, Solare. Salia etiam volatilia atque olea stillatitia, ex partibus animalium parata summoperè æstimat. Præter hæc interna & forinsecùs quædam applicanda suadet Author, imprimis hic commendat balnea tùm aquæ dulcis, tùm variorum decoctorum, tùm Spiritus vini & laconica dicta. Sic quoque fotus ex aromaticis & sale volatili constantibus vegetabilibus parare & calidè applicare jubet, vel suffumigia varia ex iisdem & gummosis instituit, emplastra ac linimenta ex resolventibus parata magnipendet, ut sunt Carmin. Diachyl. de bacc. Lauri, de Gumm. Ammon. ungu. dialth. c. Ol. Philosoph. macis, &c. aliaque resolventia sæpè recensita.

Scirrho.

Sylvius prælaudatus in affectibus *Scirrhosis* ad viscositatem humorum corrigendam, incidendam & attenuandam, & sic obstructionem ab iisdem productam fortiorem resolvendam salia præscribit volatilia frequentiùs in vino vel liquoribus aliis convenientibus assumenda, sive sint ex animalibus deprompta, sive in vegetabilibus detineantur. Ad magis verò attenuandos & leviter etiam evacuandos humores illos viscidos & tenaces pilulas suas laudat magistrales ex gummi galbano cum resinis, castoreo, croco, aloe rosata & trochiscis alhandali compositas, alternis diebus deglutiendas.

Externè olea & unguenta inungit emollientia & dissolventia ex oleo laurino, Philosophorum, vel cataplasmata ex plantis aromaticis parata, nec non Emplastrum Carminans resolvendis humoribus inspissatis perquam aptum. Sic quoque omnia gummosa, & volatilia externè tumoribus *Scirrhosis* imposita magni æstimat.

Cartesianorum cura in Oedemate.

§. 18. *Cartesiani* maximum locant studium in *Oedemate*, ut humor sive lympha illa lutulenta & coagulata quantocyùs resolvatur, atque fluidiore facta potiore ejus parte, recrementa crassiora & reliquorum succorum miscelæ incongrua tùm per urinam, tùm per sudorem elimínentur. Hoc verò eorum propositum, quo citiùs obtineatur, attenuationi lymphæ crassioris sedulò incumbunt remediis internis, in materiam lutulentam particulis suis volatilibus, mediante æthere subtilissimo easdem excitante, facilè agentibus, quoscumque tubulos perreptantibus, & calorem ob suppressum motum inductum in succis resuscitantibus, quem scopum sequenti ferire tentant vino medicato.

℞. *Rad. Imperat.* ℥ij.
Valerian.
Enul. aa. ℥ij.
Eryng.
Aristol. aa. ℥iß.
Salsæparill.
Contrayerv.
Fraxinell. aa. ℥j.
Herb. salv.
Chamædr.
Scabios.
Verben.
Menth.
Fol. rorismar. aa. M. ß.
Summit. thym.
Centaur. min. aa. P. j.
Flor. sambuc.
Flor. schœnanth. aa. P. ß.
Sem. dauci ℥ij.
Ligni fraxin. ℥iiß.
Sassafr. ℥iß.
Salis Tartari ℥j.
Absynth.
Armoniaci aa. ʒß.
Costi amar. ℈ij.
Cinamom. ℈j.

F. Species pro Nodulo uni & dimidiæ mensuræ vini impendendo. Locum, in quo æger decumbat, calidum esse volunt, ut calor externus cum remediis intrò assumptis simul cooperetur, & tum quovis manè de prædicto vino ℥ij. ægro œdematoso propinant. Absumpto eo, & urinæ fluxu satis promoto, ad sudorem eliciendum progrediuntur, exhibentque ægroto de sequenti mixtura quotidie duo cochlearia:

℞. *Aqu. Angelic.* ℥iß.
Rorismarin.
Chamædr. aa. ℥iß.
Spir. Junip. ʒiiij.
Flor. sambuc. ʒiß.
Tartari ℈j.
Armon. cinamomisat. ℈ß.
Syrup. Scord. ℥j.
M.

Internis hisce simul jungunt externa, frequentesque instituere jubent frictiones panno lineo calefacto, & succino, mastiche & gummi sandarachæ probè infumato; fomentationes etiam suadent ex herbis salviæ, origani, foliis rorismarini, baccis lauri, juniperi, floribus sambuci, chamomillæ, semine cumini, stercore columbarum, sulphure, & sale Armoniaco, quibus peractis spirituosa penetrantia fortiter & resolventia illinunt, ut coagulatio lymphæ dissolvatur, humorque fluidior redditus vel ad ductus urinarios devehatur, vel per poros partis affectæ exstillent, ubi tamen sedulò advertere præcipiunt, ne humor salsior fibras cutis erodat, & inflammationem vel gangrænam in eadem suscitet, laudantque sequentem imprimis mixturam spirituosam.

℞. *Spir. Junip.* ℥iij.
Flor. sambuc. unc. iß.
Essent. Valerian. ʒß.
Salv. ℥iij.
Spir. Camphor. ℥ij.
Ol. d. cumini ℥ij.
M.

Cataplasmata etiam imponunt ex herbis scordii, rutæ, foliis rorismarini, floribus chamomillæ, sambuci, baccis lauri, stercore gallinarum, farina lupinorum, fabarum, semine cumini, sale Armoniaco & croco cum lixivio & spiritu vini parata, vel emplastrum de baccis lauri sequenti modo præscriptum.

℞. *Emplastr. de bacci lauri unc.* ij.
Ol. d. cumini ℥ij.
Chamomill. q. s. pro malaxat.
D. in usum.

Mutato Oedemate particulari in leucophlegmatiam universalem, sive anasarcam, cum magno scroti tumore, malum hoc utplurimùm experti sunt incurabile quod nullis remediis, etiam aliàs penetrantissimis & maximè resolventibus potuit emendari.

Scirrho. *Scirrhoso* tumori fortiora adhuc adhibent emollientia, particulis volatilibus spirituosis prædita, internaque commendant aperientia ex martialibus, aliisque tophaceam materiam destruentibus, ea de causa sequentibus speciebus medicatum vinum extollunt:

℞. *Aq. petroselin.* ℥iij.
Apii ℥iiß.
Bardanæ ℥ij.
Peucedani.
Ireos aa. ℥j.
Herb. calamenth.
Rut.
Scord.
Agrimon.
Parietar aa M. ß
Flor. anthos P. j.
Cort. fraxin. ℥iij.
Vitrioli Martis ℥j.
Ocul. cancror. ℥jß.
Sem. levistic. ℥j.

D. ad Chartam pro nodulo uni mensuræ vini impendendo. Hoc absumpto sequentem mixturam quovis die bis, manè & vesperi, ad cochleare unum exhibitam pro majori dissolutione materiæ incrassatæ maximè judicant idoneam.

℞. *Aq. genistæ unc.* j.
Puleg. ℥vj.
Rorismarin. ℥iij.
Essent. scrophular. ℥iß.
Croci Martis ℥j.
Spir. sal. Armoniaci carvat. ʒß.
Syrup. scabios.
Fumar. aa. unc. ß.
M.

Pulveres etiam laudant ex oculis cancrorum, crystallis tartari, croco Martis, sale succini, & ejusmodi aliis paratos. Inter topica deprædicant primo spirituosa ex essentia scrophulariæ, spiritu gummi Ammoniaci, Sal. Armoniaci cum calce viva parato, spiritu camphoræ, matricali, cataplasma ex fæcibus vini cum sulphure & semine carvi, ex farina fabarum cum semine sinapi, deinde oleosa, ut oleum petræ album, succini, silicum, Philosophorum; & tandem unguentum de arthanita, emplastrumque de gummi Ammoniaco, quod cum pauca quantitate butyri Antimonii mistum etiam tumores solvit quàm durissimos.

...stra ratio curandi ...dema. §. 19. Perspectis aliorum sententiis de *Cura Tumorum Oedematosorum* ac *Scirrhosorum*, nunc & nostram deponamus crisin. Curatio ergò *Oedematis* principalis est interna, & in sanguinis ac succorum intemperiei correctione, obstructionumque reseratione versatur, introducendo in sanguinem & succos tales determinatas particulas, quæ impedimenta sufficientis motus sanguinis tollunt, adminiculaque ejusdem restituendi suppeditant, & obstructiones reserando occasionem debitæ per partes circulationis sanguinis exhibent. Tumores ergò hi aggrediendi sunt remediis incidentibus & simul attenuantibus, succorum crassitiem & stagnationem resolventibus, ut fluorem pristinum recipiant, & tubuli ab obstructione liberentur, quod præstari potest fixis Diaphoreticis, salibus simul volatilibus incidentibus armoniacalibus, quodvis angulare domantibus, & factam inde coagulationem destruentibus, adeoque tali vel simili mixtura curatio inchoanda est:

℞. *Aq. absynth.*
Aperitiv. aa. unc. j.
Menth. unc. ß.
Essent. agrimon. ℥ij.
Centaur. min. ℥j.
Spir. sal. Armon. aromat. ʒß.
Syr. scord. ℥vj.
M. detur cochleatim.

Vel

℞. *Tinct. Bezoart. sine acid. parat.* ℥iij.
Spir. Juniper. ʒß.

M. detur ad 30. guttas in vino vel aqua fl. sambuc. chamæpyth. qua Essentia nuper curavi virum 50. annorum Oedemate laborantem, adhibito externo Emplastro de cumino cum ol. Tartari & succini malaxato: incidentià ex variis radic. herbis aromaticis, baccis & seminibus oleosis egregiam afferunt opem sic etiam pulveres incidentes non contemnendi sunt.

℞. *Ocul. cancror. pp.* ℈ij.
Spermat. ceti ʒß.
Rad. ari ℈j.
Sal. absynth.
Armoniaci depurat. aa. gr. xij.
Fæcul. bryon. ʒß.
Sal. C. C. volat. gr. vj.
M. f. pulvis cuspidatim exhibendus.

Decoctum radicis bryoniæ sæpe solùm sufficit internè exhibitum ad Oedematosos curandos affectus. Hìc etiam omnia ea conveniunt medicamenta, quæ in Hydrope proficua sunt, cùm verò hæc alibi ad nauseam dixerimus, ea repetere non libet, tantùm addamus pauca de Mercurialibus, que graviori in casu, circumspectè tamen usurpata, efficacissima sunt, incidunt enim & educunt viscositatem sale vel potiùs acido fœtam, per glandularum salivalium tubulos (cùm viscosis transmittendis forsan nullæ in corpore æquè sint aptæ viæ seu partes:) dilatatos à prægrandiusculis Mercurii particulis magis vel minùs, prout majori vel minori copià spicula acida acutiora, vel secus, vel magis vel minus extra ordinariam earum superficiem eminent. Salia volatilia diu usurpata omnem sæpè in Oedematosis Tumoribus implent paginam, oleosis & incidentibus juncta.

Externè etiam Topicis applicatis viscosa, stagnansque materia etiam est attenuanda, fluidiorquæ reddenda, tum actuali calore, tum particulis activis simul cum diluentibus adhibitis, ita ex. gr. fomento vel balneo ex Sulphure, Nitro, cineribus clavellatis, sale armoniaco, absynth. rut. cicut. malv. fl. chamomill. sambuc. & similibus vino vel urinæ incoctis pars affecta calidissimè foveatur, vel immergatur, fasciis longioribus debitò strictiùs deliganda, quo vasorum amplitudo debito major auferatur, h. e. quo debita vasorum Diametri proportio respectu fluoris continendi restituatur. Forum sequentem extollit Dn. à GuldenKlee.

℞. *Herb. porentill.*
Arthemis.
Pilosell.
Betonic.
Salv.
Rorism.
Origan.
Absynth, aa. M. j.

Fl. chamomill. M. iß.
Cent. min.
Summ. aneth. aa. M. j.
Bac. lauri unc. j.
Junip. unc. IV.
Salis marin. ℔. j.
Coqu. in aqua pro Fotu.

Si autem adhuc fortiora desiderentur auxilia, applicetur cataplasma magis vel minùs resolvens ex his vel similibus, ruta, absynth. scord. cicutar. aneth. cicut. rad. bryon. cort. sambuc. ebul. bacc. lauri, fl. sambuc. chamom. sem. anis. fœnicul. cumin. nitro, sale Tartari, fab. tost. gumm. Ammoniac. Labdan. Ex quibus omnibus vel Epithemata, vel Essentiæ, vel Extracta, vel Cataplasmata, vel Fomenta, vel Emplastra parari possunt, quo præstantius nullum est sequenti de Labdano.

℞. *Ol. olivar.* ℔. iß.
Lithargyr. aur. ℔. j. *unc.* IV.
Coq. s. a. ad consistent.
Add.
Ceræ citrin. unc. xj.
Colophon.
Resin. pini aa. *unc.* ij.
Gumm. Galban.
Ammoniac. aa. *unc.* iß.
Elemi unc. j.
Labdani unc. iij.
Ol. Lauri unc. IV.
Axung. porcin. unc. ij.
Cervi unc. j.
Storac. calam. ʒ ß.
Rad. irid. Flor.
Bryon. aa. *unc.* ij.
Sem. cumini unc. j.
Bacc. lauri ʒ vj.
Flor. chamomill.
Melilot. aa. *unc.* ij.
Herb. sabinæ.
Thymi aa. *unc.* ß.
M. f. l. a. Emplastrum.

Quod egregias possidet vires in tumoribus quibuscumque discutiendis, imprimis in œdematosis sequens *Ceratum* de Cumino nobis in usum esse solet.

℞. *Ceræ citrin.*
Emplast. Diapalm. aa. *unc.* viij.
Ol. lil. alb. unc. xj.
Ungu. martiat. unc. IV.
Sem. cumin. subtiliss. pulv. unc. v.
Sal Armoniaci depurat. unc. ß.
M. f. l. a. Empl.

Conducet etiam Emplastrum Diaphoreticum *Mynsichti*. Hic quoque proderunt suffumigia ex resinosis ac gummosis volatilibusque instituta, & à tumoribus excipiendi, vel sacculi imponantur ex prædictis speciebus parati, additis sale Tartari & Armoniaco. Alii commendant raphanum, alii fermentum panis, alii rutam pedibus Oedematosis imponenda. Liquores quoque spirituosi externè illinendi sæpè sufficiunt, ut sunt spiritus vin. Camph. lumbricor. flor. sambuc. sal. volat. oleos. & similia.

Scirrhum. *Scirrhi* vix nisi initio sui curationem suscipiunt, hinc eò incumbendum est, ut succi indurati emolliantur, coagulum spissius resolvatur, & quicquid magis, quàm decet, ad motum excitetur, ita enim non modò omnia reddi fluidiora speramus, sed & poros simul fore apertos, & evaporationem debitam recrementorum iri promotum, eaque propter digerentia propinamus & tubulos obturatos reserantia, in quem finem interna & externa exhibenda sunt remedia. Inter interna conveniunt, quæ vim volatilisandi habent, ut sal. volat. viperar. Essent. viperin. Zvvelf. Tinctur. Antimonii tartaris. spiritus Sal. Armoniac. aromat. chalybeata seu Martialia quoque conveniunt, ut Vitriolum Martis, Tinctura Martis aperit. Tinct. Tartari, liq. terr. fol. Tartari Vina medicata paranda sunt ex incidentibus & aromaticis, ex. gr.

℞. *Rad. aron.*
Pimpinell.
Enul. aa *unc.* ß.
Herb. abrotan.
Calaminth.
Majoran.
Salv. aa. M. ß.
Fl. stœchad. Arab. P. ij.
Bacc. Junip. ʒ iij.
Limat. Martis unci ß.
Cass. lign.
Cinamom. aa. ʒ ij.
Sal. Tartari ʒ iij.
Armoniaci ʒ ij.

M. F. species pro nodulo uni mensuræ vini imponendo: vel ex cryſtall. Tartari, croco Martis aperit. & Auro fulminante fiat pulvis, cujus dosis est quantitas in mucrone cultri contenta, in sequeti vel simili vehiculo propinanda.

℞. *Aq. aperitiv. unc.* ij.
Cinamom. bugloss. M. *unc.* j.
Tinct. Juniper. ʒ iij.
Spir. lumbric. ʒ j.
Vitrioli Martis ʒ ß.
Syr. scord. ℥ j.
M. detur ad vitrum.

Vel

℞. *Ocul. cancror. pp.* ʒ j.
Croc. Martis aperit. ℈ ij.
Arcan. dupl. ℈ j.
Camphor. gr. iij.
Salis cent. min. ℈ ß.

M. F. pulvis, qui per vices exhiberi potest. Tinctur. Vitrioli Martis in uteri Scirrho communicata etiam hìc conducet. Quoad externam curam Scirrhi attinet, itidem difficilis est, quò enim magis emollitio tentatur, eò sæpissimè malum latiùs extenditur, discutientibus fortioribus etiam ità indurantur hi tumores, ut tandem degenerent in materiam quandam calculosam. Prout autem partem internam vel externam, vel secus latentem obsesserint, recentes, vel inveterati cum pluribus adjunctis varii generis acutis, vel discussio, (iis, quæ simul resolvendi & emolliendi vim habent,) vel fortè fortuna suppuratio tentanda; sic post debitam fomentationem aliquando non frustrà cataplasma ex ruta, absynth. malu. fl sambuc. ebul. rad. bryon. bacc. lauri, sem. cumin. fœnicul. Sal. Tartari, nitro, fabis, &c. vel malagma ex gummi Ammon. bdellio, galbano cum terebinthina sæpè & Mercurio, vel Empl. de Ran. cum Merc. quadrupl. vel Empl. de cicut. cum gumm. Ammoniac. vel unguent. arthanit. cum Theriac. & succo Bryoniæ, pluraque similia applicanda esse monemus, fortiora enim hic affectus requirit remedia, quàm tumor Oedematosus, Empl. Divinum, de Labdano, de Cumino, cum aliis juncta sæpè magnum edunt effectum, modò tumor existat curabilis. Emplastrum nostrum de herba Thee paratum in dissolvendis tumoribus rebellibus egregium est, quod est sequens:

℞. *Gumm. Galban. unc.* iij.
Sagapen.
Ammoniac. aa. *unc.* ij.
Solv. in ol. terebinth.
add.
Gumm. Elem. unc. iß.
Ol. C. C. unc. vj.
Tacamach. unc. ij.
Tartari fœtid. unc. j.
Camphor. ʒ iß.
Myrrh. unc. iij.
Pulv. herb. Theæ unc. IV.
Sperm. ceti unc. ij.
Picis unc. vj.
Terebinth. unc. v.
Colophon. ʒ iij.
Sal. volat. succ. unc. j.
Tartari unc. ß.
Ceræ q. s.

M. f.

M. f. l. a. Emplastrum, quod resolvit & discutit pertinaces ac scirrhosos tumores, confert & plurimis aliis affectibus externis; vel

℞. *Spir. formicar.* ℥ij.
Camphor. ℈iv.
Sal. persicar. ℈j.

M.

Quo remedio illinantur Tumores Scirrhosi. Qui Scirrhus in perfectum transit cancrum, nullis externis remediis (nisi forsan valdè exiguus in parte quadam externa,) curatur, cùm sit perfectus Sphacelus, qui tantùm iis (ut ajunt) exacerbatur, h.e. introducta majori agitatione, facillimè ulteriùs proserpit, verùm si latuerit tali in parte, quæ exscissionem admittit, nullis circumstantiis impedientibus, totus quantus radicaliter exstirpandus est; si autem nec externis remediis debitè tolli possit, nec ferro locus sit, vix quid tentandum, imò nec internis quidem, cùm à minima agitatione virus ejus circumvicinas inficiat partes.

CAPUT VIII.

De Cancro seu Carcinomate.

§. I. ARtis nostræ Apollineæ Proceres de nominibus magis, quàm de rerum momentis soliciti, huic affectui, sumpta à Cancro in aquis dgente similitudine, *Cancri* nomen indidere; vel ob capacitatem, qua rei semel prehensæ hamulosas chelas pedesque ita infigit, ut difficilis sit extricatio, graveque effugium: vel ob venarum subnigrarum, tanquam radicum viroso fermento gravidarum dispersionem, qua pedes Cancri marini divaricatos exprimit; quam verò significandi diversitatem, ut & alia Philologis & Lexicographis potiùs relinquamus. Dicitur, & Carcinus, item tumor cancrosus, Carcinoma non exulceratum, phagedæna, item lupus (*der Wolff*) ulcerato magis tribuitur. Noli me tangere dicitur, quia malum hoc tangendo sæpiùs exasperatur, & exulceratum significat cancrum. Missa ergò Etymi indagine, qua plurimi Authores in morbis enucleandis prolixiores sunt, & quidem ad nullum usum inde resultantem, ad utiliora absque ambagibus nos conferamus. Cancer vulgo describitur, quòd sit tumor lividus, durus, ab initio parvus, renitens, dolorificus, in partibus glandulosis obveniens, ab acidis Vitriolicis sale alcalino subtili junctis particulis, & ipsas glandulas devorantibus, productus.

Cancer quid. Nos verò eum breviter describimus, quòd sit gangræna glandularum à succo sensim acidiore & acriore facto partes adjacentes corrodente, cum dolore partis affectæ molesto oborta.

Differentiæ quoque Cancri multiplices sunt, alius occultus est, seu non exulceratus, alius manifestus, sive exulceratus, alius quadantenus indolens, alius doloris plenissimus, alius lentus, alius citò prodiens, alius superficiarius, alius profundus, alius concentratus, alius dispersus; alius totum obsidet corpus, cujus Elephantiasis exemplum esse potest ex mente Arabum, alius duntaxat partem aliquam glandulosam occupat, v. gr. mammam, labia, nasum, pudenda, &c. Alius ex occasione externa prodit, ut compressione, contusione, &c. alius ab interna oritur causa.

Pars affecta. §. 2. *Locus affectus* seu sedes nativa vel Subjectum, quod vocant, Cancri sunt *partes* omnes corporis nostri *glandulosæ*, quæ maximè dominio huic subjacent, uue glandulæ ex vasculis aut exiguis vesiculis, liquore à sanguine diverso repletis sunt coagmentatæ, sed quia hactenus nullum est vas, quod aliquid ad glandulam afferat, præter arterias, quæ ad illam sanguinem advehunt, igitur credimus, liquorem istum quandam esse portionem sanguinis arteriosi, quæ ab eo separata fuit vel à vasculis, vel à vesiculis, & quæ in ipsorum cavitate cumulata est, unde accidit, ut liquor ille semper è glandula effluat per canaliculum, qui ab ea proficiscitur, & quem canalem excretorium nominamus. Differentia, quæ intercedit inter liquorem istum & sanguinem, ab illa sententia nos deterrere non debet. Quùm enim sanguis ex principiis heterogeneis constet, certa quædam portio unius vel plurium ex hisce principiis, à sanguine segregari potest, & excipi cavitate vasculorum aut vesicularum glandularum. Et quia sanguinis principia in hoc liquore sine debitò numero, sive ea, qua par est, proportione, ut sanguinem conficiant, non adsunt, liquor, qui ex hac coagmentatione exsurgit, debet esse liquor à sanguine differens. Omnes ergò glandulosæ partes si refertæ sunt liquore corrosivo, facilè corrodi possunt, ex quibus mammæ compositæ sunt, quæ reliquis sunt capaciores, ita ut juxta *Paracelsum* ad solas mammas fœminarum, & scapulas virorum sedes Cancri restringatur, uti alias etiam affectuum injurias fomitis instar in se suscipiunt mammæ: cancer etiam nec labiis, genis, oculis, axillis, inguinibus, partibusque genitalibus in lasciviæ pœnam parcit, nec ossa penitus labis hujus immunia existimamus, licet alia forsan facie & nomine, *Cariei* scilicet, veniat.

Diagnosis. §. 3. Ut Cancri *Diagnosin* paucis attingamus, notum est, quod Cancer occultus ab initio vix nisi per specialiora, irritationis indicationes, punctiones, &c. oculatissimo etiam Medico suspicionem movere potest; sunt, qui præsentiam Cancri occulti ab initio colligere satagunt, si nempe leniens & emolliens Medicamentum tumori imponatur, & post duas vel tres horas tumor non cedat, sed in spongiosam abeat substantiam, crescente dein malo; sed nec huic fidendum est, nam haud malum faciendum est, ut inde eveniat bonum. Cancer verò nobis manifestus apparet, non tantum ex tumoris inspectione, sed quoque si dolor nunquam desit, & noctu exasperari soleat. Exesa autem cute si prorumpit, fit ulcus horrendum, cavernosum, & hinc dicitur *Cancer exulceratus*, estque inæqualis cum tuberculis & caruncculis; dein dolor ferè est intolerabilis, & æger non aliter dolorem percipit, ac si mille aciculis pungatur. In attactu est durus & obstinatus, aliquando etiam mollis, maximè enim fœtet Cancer exulceratus, ex quo effluit materia fœtida ac ichorosa, interdum flava, labia ulceris sunt crassa, prætumida, foris inversa, venarum & arteriolarum extremitates à glanduloso ac corrosivo liquore exeduntur ac corroduntur, hinc larga sæpè sanguinis profusio sequitur, carnes vicinæ depascuntur, sæpe ità, ut absumptis musculosis partibus in ipsam thoracis cavitatem inspicere possimus, imprimis in Cancro mammarum, febris adest lenta ob secessionem particularum ac turbatam sanguinis mixturam, cibi quandoque est fastidium, sæpe & animi deliquium, in pluribus tandem subsequitur hydrops, quam excipit ipsa mors. Quæ omnia phænomena tristia observavimus in virgine honesta Hep dicta placidè & piè demortua. Alium puerum in vicino pago *Wolffsanger* dicto vidimus, cujus nasus, labia, oculi & tota facies ad collum usque, horrendo ac abominabili sanè spectaculo erant depasta, qui & sic miserè vitam suam finivit. Plures illius quoque contemplati sumus, inter quos plures reperimus, in quibus vermiculi vivi ac mortui prodierunt. Confer etiam *Ephem. German. nostr. Ann. 2. Observ. 148.*

Ætiologia Cancri secundum Galenicos. §. 4. Circa hujus affectus gravissimi Cancri causam magnæ occurrunt difficultates & dissidia apud Authores, imò adeò ipsis occulta fuit ejus causa, ut *Platerus* maluerit ignorantiam suam hìc fateri, quàm credulæ assentiri Antiquitati.

Tota enim *Antiquitas Galenica* Cancrum ab atra deducit bile, hinc accusant Jecur calidum & siccum, lienisque intemperiem calidam & siccam, quæ juxta ipsos congenerem profert sanguinem, ablegatque ad partes exteriores, ibique Cancros phagedænicaque ulcera producit. In omni corporis parte Cancrum nasci posse dicunt, verùm in mammis mulierum maximè abundare, eò quòd laxæ sint & materiam quàm crassissimam promptè suscipiant. Ex atra enim bile effervescente Cancros produci statuunt *Veteres*, &, si bilis acrior fuerit, cum exulceratione, quapropter colore etiam nigriores sint inflammationibus citra tantam calidita-

liditatem. Venas verò repleri, & circumcirca tendi ad similitudinem pedum Cancri animantis scribunt, unde etiam hanc appellationem morbus habet. Cancri ergò *causæ* remotæ, ad mentem *Veterum*, sunt omnes eæ, quæ sanguinem adustum generant & melancholicum, ut sunt carnes infumatæ, allium, porrum, cæpæ, legumina, vigiliæ, &c. Internæ verò sunt obstructiones, v. gr. hæmorroidum, menstruorum, calida jecoris intemperies & lienis imbecillitas: causa conjuncta est sanguis adustus melancholicus, seu melancholicus præternaturalis, qui ubi acrior est redditus, ac contumacior in venis impactus, & putrescit, Cancrum facit exulceratum, ubi verò mitior est, non exulceratum producit.

Paracelsum. §. 5. *Paracelsus* strenuus ille Reformator ponit *causam Cancri* in Colchotare vel Realgare Microcosmico, prout enim Colchotaris conditio est, circum se rodere ac abedere, quum ab eo separatum fuerit, à quo temperatur, ac tum pro situ suo corporis aliqua parte suam tyrannidem exercere; non secus Colchotarinum sal acutum est materia producens Cancrum, sub hac videlicet differentiâ, quòd viris ex hæmorrhoidalibus fluxionibus, fœminis autem ex menstrualibus obveniat. Ex his colligit, Cancri situs & loca non alibi fore posse, quam ubi fluxus ejusmodi sibi centrum faciunt. Nec alio sese loco ponere possunt, quàm ex hæmorrhoidibus inter scapulas, & ex menstrualibus ad pectus. Notat etiam, fluxus menstruales acutissima salia continere. Quare si corrosivi salis in matrice fieret hujusmodi separatio, ut à menstruo sejungeretur, Cancrum, ut suprà dictum, & pravam lentiginem ibidem oriri posse non dubitat. Esse etiam in hujusmodi sale realgaris quendam concursum scribit, qui quidem in sale Calebino minimè fit. Cancer ergò *Paracelso* est Apostema, quod ex hæmorrhoidalibus effluxionibus provenit in viris, atque mulieribus ex menstruorum corrosivo sale meatuum in locustis manifestato, cujus salis duplex est, plumosi videlicet ac arsenicalis, differentia. Idem Author in Cancro sal causticum virulentum, & necrosin partis affectæ producens accusat, innuitque his verbis Germanicis: *Dann so das Saltz sich erhobet, und besondert sich, vvas ist es als ein fressend Ding, vvo sein Hoffart liget, da nagen sie, und frisset, aus diesem fresset und nagen ad entspringen die* Ulcerationes, Cancer, Cancrena.

Helmontiū. §. 6. *Helmontius* in pluribus Paracelsi fidelis assecla, Cancrum à sale alcalico corosivo deducit, lumen enim ait, formale virulentum subnatum in vita nostra, fit ipsum vivens, adeoque prout Archeus rabidus fermentaliter contagium externum suscipit, ita & in *Cancro* aberrans, se transplantat in furores, quibus carnem topicè infestat. Nam uti ille loquitur, sive deferantur intrò, per accidens externum, sive verò intùs suscitentur, adeoque hactenus aliqualiter differant, quoad initium principiativum. Quædam subitò se propagant in totum, & necem mox inferunt, alia verò topicum venenum exercent, eo quòd horum proprietas etsi penetret ex natura veneni, se dilatat tantùm juxta præscriptum sui veneni. Cancrum quoque à contusione factum in muliere notavit Author. Verum tamen Cancrum ad mentem Paracelsi in ubere & utero mulierum duntaxat esse statuit. Cancrum etiam in carne acutissimi sensus, & continuæ exesionis esse scribit, hinc à sale caustico ejus *causam* deducit *proximam*.

Vvillisium. §. 7. Sanguis ex *Vvillisii* opinione materiam nutritioni necessariam suppeditat, succus verò nervosus formam ipsi confert, illamque partibus assimilat, ac in earum substantiam convertit: atque hoc pacto resarcitur detrimentum, quod passæ fuerunt partes, ipsarumque accretioni impenditur opera; dum siquidem nervosi humoris crasis inculpata subsistit, nulloque vitio inficitur, sanguinis particulæ nutritioni accretionique dicatæ debita congenerique donatur forma, & proportionata partibus exhibetur alimonia. Alieno verò & heterogeneo quodam fermento latici nervoso commistus humor, ab arteriis pro alimento suffusus, degenerem induit formam. Si enim ob exhaustos depressosve spiritus, copiosioremque aquosarum particularum ab intensiori sulphuris efflagratione dissipationem sal nimis evehatur, fluoremque patiatur, sanguis atrabilariam diathesin consequitur exaltatis salibus fixis, crassioribus sulphuris in massa residuis conjunctis. Cruor verò ad glandulas perveniens, crassiores atque coagulatas, quas sibi admistas habet particulas, per arctos ipsarum canales abripere non valens, eas in ipsis deponit. Liquor autem nervosus eadem, qua sanguis, labe infectus, per fibras nerveas ad partes, in quibus relicta fuit atrabilaria ista materia, & nutriendis partibus improportionata, appellens, tumorem ex ea cudit, qui ob similitudinem ipsi *Cancer* denominatur. *Vvillisius* ergò à liquore acetoso instar liquorum à buxo & aceto exstillatorum *Cancrum* produci statuit.

Sylvium. §. 8. *Sylvius* Cancrum produci existimat in glandulis, partibusque glandulosis ab acido acri. Docuit enim *Ipse* abundè, in glandulis succum subacidum à sanguine secerni, eundemque succum acidum in ipsis contemperari à spiritibus animalibus per nervos ad easdem delatis, & si acidum reddatur in corpore acrius atque in glandulis secerni solitum, quoties redundat, faciliùs partes has lædat, quàm alias. Ab acri enim acido *Cancrum* generari comprobat, quia eum comitari solent dolores lancinantes acidi acris proditores, item quoniam acidum concentrantibus ac contemperantibus eumdem lenìri contendit.

Cartesiano[s]. §. 9. *Cartesiani* glandularum obstructionem ad *Cancrum* producendum, quàm maximè existimant accommodatam, quam inferre volunt liquorem viscidum è sanguine per arteriolarum meatus in ductus glandularum delatum, absque quo cùm segregatio & transitus lymphæ per easdem impediatur, tumores primo in glandulis suscitari dicunt tenaces absque ulla corrosione, sed quùm lympha non valens transire diutiùs circa obstructiones istas detineatur, subtiliores particulas ab æthere sæpius commotas tandem à reliquis secedere & exhalare, quibus absumptis particulas acutas & mucronatas, ante à blandioribus ramosioribus & porosis iisdem intermistis sub jugo servatas, dominium adipisci, & angulis suis non modò succis & fibris firmiùs inhærere, sed eorum etiam extremitatibus acutis fibras destruere & erodere, quæ ramenta angulis quibusdam intermista, sanguini ex destructis arteriolis effuso communicentur, & miscelam ex diversis istis succis constituant, quæ per venas debitè nequeat transfluere, nisi ubi venæ istæ magis dilatantur, & proptereà sanguinem istum corruptum, & plurimis particulis angularibus acutis, sive acidis refertum, & in venulis circa tumorem istum sive glandulas obstructas constitutis hærentem, pedes illos cancrinos subatros intuentium oculis exhibere, cùm radii lucis in poros venularum istarum distensarum quidem, sed simul etiam obstructarum incidentes aliquomodo suffocentur. Ex vellicatione quoque fibrularum membranosarum, & nervosarum à particulis istis angularibus dolorem induci, &, si portio quædam succi chylosi reliquis acidis immisceatur, suppuratio nem partis cancrosæ cum salutari quodam eventu & cancri exstirpatione, dum omninò circumcirca cancrum istum cōtingat, subsequi docent. Lapsum sæpe aut percussionem affectui isti ansam præbere affirmant, quatenus violenta ista concussione textura unius vel alterius glandulæ destruatur, & lymphę percolatio inhibeatur, liquor verò hic circa tubulos destructos diutiùs hęrens corrumpatur, & acidam istam acquirat dispositionem, quod itidem contingat, si tuberculum aliquod glandulosum diutiùs & fortiùs unguibus scalpatur, ut hoc etiam modo tubuli quidam destruantur, & succorum diversorum debita impediatur segregatio, & per distinctos suos ductus ad varias corporis partes distributio, volatiliores enim prtes facilè secedunt & asperiores angulares arctiùs copulantur.

Juxta nostram sententiam. §. 10. *Nos* in *Cancro* explicando, ejusque causam perspectam reddendo supponimus, per glandulas fieri secretionem liquoris, quem glandulæ à sanguine sequestrant, eumque semper eundem esse. Attamen ideò imaginari nullo modo debemus, omnes glandulas consimilem separare liquorem. Ezperientia demonstrat nobis maximas differentias inter liquores, qui à variis glan-

glandulis excernuntur, quod satis testatur, diversas glandulas varia utplurimùm separare principia à massa sanguinea. Sed cùm hæc menti non planè satisfaciant, nullatenus fortasse inconsultum erit, modum pervestigare, quo glandulæ à sanguine segregant liquores, qui ab ipsis manant. Ut propositum in hac conquisitione successum obtineamus, animadvertimus, arterias in glandulę corpus sanguinem advehere, huncque compositum quoddam esse ex plurimis particulis heterogeneis, quasdam ex particulis istis heterogeneis ab arteriarum cavitate egredi, & in cavitate vasculorum aut vesicularum, quæ glandulam constituunt, colligi. Unde concludimus, adesse meatus, à cavitate arteriarum ad vasculorum vesicularumve cavitates pertingentes, eosque meatus ità esse dispositos, ut nullum aliud sãguinis principium illos pervadere queat præter ea, quæ sunt absolutè necessaria ad eum componendum liquorem, qui ex singulis glandulis sigillatim emanat, Tales meatus, sive talia foramina *Pori* dicuntur ac nominantur. Sed quia liquor, qui è glandula effluit, ex particulis heterogeneis constat, necessum est, ut omnes pori singularum partium non sint consimiles. Qua de causa prout liquor glandulæ cujusdam compositus fuerit ex sulphuribus, alcalicis, phlegmatis, aderunt quoque habita proportione, in arteriis hujusce glandulæ pori apti ad liberum dandum exitum alcalicis, sulphuribus, vel phlegmatis; si verò acres acidæ vitriolicæ, Sale alcalino subtili junctæ particulæ glandulas perfluant, necessariò eæ corrodendo ac stagnando tumorem Cancrosum producere aptæ natæ sunt, quia hæ particulæ non sunt oleosæ & spirituosæ, sed potiùs terrestres acres corrosivæ, tubulos corrodentes quosvis, ex quarum particularum vitiosarum miscela Cancri materia producitur, absque dubio hæ particulæ crassæ ac tardiores tubulis cuspidibus suis nimis se infigentes tardiores ad motum sunt, & numquam per tam angustos meatus & tubulos perfluere possunt, sed potius in glandulis stagnant, & sic obstructionem Cancrosam pariunt. Causa ergò Cancri potissimùm est succus glandularum corrosivus aquæ forti similis, qui tubulos cum carne & membranis corrodit absumitque. Accretio particularum harum corrosivarum est lenta, quia in magno ramo, ex quo glandulæ oriuntur, non facilè stagnant, sed pedetentim minimis in glandulis cumulantur hærentque, reliquæ verò particulæ cum reliqua rursum circulantur massa. Causæ ergò omnes Cancrum producentes sunt obstructionem hanc Cancrosam efficientes, & sunt vel Externæ, vel Internæ. Externæ sunt vel à fortiori glandularum contusione, vel pressione, inde tubuli glandularum obstruuntur, lymphaticus liquor sale corrosivo fixo refertus coacervatur stagnatque, & sic facilè Cancrum producere potest: Dein data porta succi hi corrosivi magis corrodunt, & sæpè sibi apertam faciunt viam, sicque Cancrum exulceratum constituunt. Cancros etiam sæpè oriri videmus ex pertinacibus obstructionibus, quales produci solent per repellentia Medicamenta partibus glandulosis imposita, quale quid in fœmina, dum hæc scribimus, observavimus, quæ ex tumore glandularum mammarum, per abusum repellentium Medicamentorum incidit in Cancrum, quia succi sale acido abundantes glandularum tubulis magis impinguntur, & quasi impalantur.

Causæ Internæ sunt dispositio nativa & obstructio in glandulis ipsis, quæ & oritur à sanguine viscido terrestri sale fixo & acido referto, à quo haud melior lympha à glandulis separari potest, in quibus stagnant succi, & de die in diem acriores redduntur, & continuò discindendo ac corrodendo planè aliam texturam in glandulis immedicabilem efficiunt. Hisce deductis jam paucis quoque phænomenωn Cancrum comitantium rationem reddamus, ut accuratiùs Tyrones indolem Cancri percipiant.

Si autem tantus corrosionis non adfuerit gradus, majorque fluiditas in humoribus contentis in parte affecta non ita profunda, sed cuti propiore, nec nimis firmæ, sed laxioris texturæ, non ipse sphacelus seu Cancer, sed potius exulceratio exoritur cancrosa (à malignitate sic dicta,) fistulosa proserpens cum variis Symptomatibus, prout ipsa materia corrosiva variat, cum continua vellicatione & exesione, hinc succorum copioso affluxu cum pure tenui, acri, valdè fœtente, flavo, livido pro diversis vasculis exesis diverso, & sæpè à sanguiferis vasis exesis cruento, superveniente sæpè febri, animi deliquiis, &c. à materiæ illius attenuatis, & intra sanguinem receptis particulis variè eum turbantibus. Differt hæc exulceratio non nisi gradu ab iis, quæ scorbuticis sæpè eveniunt, variantes inter se secundùm diversos dissolutionis & corrosionis gradus, per quos etiam à gangræna differunt, quæ sæpè erosionibus gingivarum scorbuticis supervenit, (hic loci nomine Cancri aquosi ob sinus salivales, insignita:) imò & maculæ lividæ in scorbuticis, non sunt nisi gangrænæ species leviores.

Dolor est in Cancro exiquisitissimus, imprimis in exulcerato, quoniam particulæ inter se fermentantes fibrillas nervosas concutiunt rumpuntque, nihil enim magis dolorem excitare potest, quàm particulæ acidæ ac salsæ hìc abundantes, pungentes, scindentesque figuras possidentes, prout videre est in fermentatione & commotione acidorum cum alcalicis. In glandulis istis obstructis idem est apparatus, hinc succi acres ac corrosivi redduntur, quibus acutis particulis instar cultellorum tubuli & fibrillę inciduntur ac discinduntur, unde necessariò *continuus dolor* oboriri debet.

Materia etiam in Cancro detenta sæpè ita fœtet, ut non tantùm adstantibus, sed & ipsi ægro nauseam pariat, ex qua apparet abundè, quòd hic affectus paucis tantùm differentiis à Gangræna differat, quia in hac idem fœtor observari solet. Fætor ergò hìc non aliunde oritur, quam à secessione oleosarum & volatilium Sulphurearum particularum.

Per plures quoque annos sæpè *delitescit Cancer*, quia ipse oritur à viscoso humore, & sale acido & corrosivo, atque hoc corrosivum interdum per plures, quàm 20. annos ita obvolutum jacere potest, ceu constat præter experientiam nostram ex Tulpiana observatione aliorumque; certum ergò, *Cancrum* sub forma exigui tuberculi per longum temporis spatium delitescere & tandem inopinatò prorumpere posse, prout plura novimus (ceu dictum est) exempla, eam verò ob causam hoc accidit, cùm scilicet illud acidum corrosivum à vinculis viscosi humoris, quibus antea obtegebatur & alligabatur, liberetur, & aculeis suis cuspidibusque incipiat pungere, scindere ac corrodere.

Materiæ diversitas, quæ effluit ex Cancro exulcerato, consistit in discissione diversorum vasorum seu tubulorum, quia in nonnullis tenuior & albidior, in quibusdam crassior conservatur succus, imò dissectis vasis sanguiferis, ipse *sanguis* in forma sanguinis rubicundi emanat, imò arteriolis ruptis *sanguis cum impetu, & in distans exsilit*, ceu id sæpius in ægris vidimus.

Febris lenta in Cancro ortum suum habet ab iisdem particulis corrosivis acidis resolutis, in massam sanguineam derivatis, ibidem ejus mixturam turbantibus.

Deliquium animi facilè hoc in casu accidere potest, quoniam per fermentationem succorum stagnantium plures acidæ particulæ ad massam sanguineam mittuntur; quæ eò delatæ ipsum coagulant incrassantque, sicque sanguinis circulationem ad tempus impediunt, & sic deliquium animi atque Syncopen inducunt.

Pars Cancrosa apparet *livida*, & nonnunquam *cineritia*, qui color oritur à nonnullis acidis subtilibus particulis per tubulos minutissimorum Capillarium vasorum sanguiferorum penetrantibus, sanguinem in suo cursu, in parte affecta impedientibus, & texturam cutis variantibus, quo incidentes radii colorem istum lividum exprimentes.

Callositas labiorum ac durities Cancri eodem modo se habet, ac superiori Capite abundè diximus de Scirrho.

Nonnunquam & *Vermiculi* tum vivi, tum mortui, in *Cancro* observati fuerunt, quod phænomenon non-

nonnullos Medicos aliosque ad hanc opinionem traxit, ut existimaverint, causam Cancri exulcerati imprimis esse farraginem, seu copiam parvulorum venenatorum vermiculorum carnem devorantium, & simul ipsi corruptionem conciliantium, hinc dicunt esse causam, quòd tam citò per ambitum devorent carnem, & hujus rei hanc esse causam addunt, quòd unicus vermiculus in charta exceptus, intra unius horæ spatium 50. similes producat: in hunc finem nuper frustulum carnis corrosæ cancrosæ exscindi curavi, & microscopio armatus vermiculos nullos observare potui, sed eorum loco, potiùs viscidum humorem gelatinæ similem perspexi.

Prognosis. §. 11. Nunc itaque detecto damnoso hospite, in ejus *Signa Prognostica* paucis inquiramus, ex quibus non magnum habebunt solamen ægrotantes, ludit enim medicantes & ipsos deludit *Cancer*, hinc Chirurgorum dicitur opprobrium, qui quo intimiùs afflictis partibus implicatur, eò & pertinaciùs hæret & mordaciùs torquet. Per annos sæpè latet plures hoc malum, quod corpori magnam inurit noxam, ratio hæc est, quod acidum & alcali per allisionem vel pressionem aliarum viscidarum ac tenacium paticularum in suo motu impediunt, quo minùs fibras partium continentium, ita citò discindere vel secare queant. Nullus verò est morbus, qui ægris majorem incutit metum, quàm *Cancer exulceratus*, nullusq; est qui Chirurgum magis fatigat, quàm hoc malum. Hinc verò omnes practici malum hoc incurabile dicunt, imò ipse *Paracelsus*, qui aliàs sat benignus in prædicendo est, & ubique jactat se omnes morbos curaturum esse, in *Libro* verò *de Apostemate c.3.* inquit: Cancer successu temporis corrodit foditque rectà cor versus, mortemque repentinam in sua molitur periodo; illum circumfusus hoc & albis fama jugalibus, illeque multo pretiosus auro foret, qui dirum potentum imprimis carnificem tollere possit carcinoma, dum veluti vultures apud inferos Titii discerpant jecur. Exemplo suo etiam comprobavit veritatem maximus Græcorum Doctor *Hippocrates*, dicens *S.6 aph 30.* Quibus occulti Cancri adsunt, non curare melius est. Curati enim citiùs intereunt, non curati verò longiore tempore vivunt: hinc an curabilis Cancer sit an secus, maximè controvertitur, possibilitatem verò docent Auctorum quamplurimorum exempla, præsertim *Helmontii lib. 30. de ideis morbos. § 38.* num verò hisce fides sit adhibenda, judicent nobiscum Practici, Distinguendum autem esse existimamus inter partem affectam, sic v. gr. in utero, intestinis, oculis, palato, &c. curationem vix admittit Cancer. *Helmont. l. alleg. n. 37.* inquit: Interim nil actum, nisi furor ille Archei ideas germinans siluerit, natumque inde perstans virus suffocetur. Neque enim occiditur per corrosiva, imò ne quidem in ulceribus, nisi & corrosivis vis necandi insit, utpote quæ furorem aliàs magis accendunt, quàm placant aut interimunt. Ex quibus Cancri curationis difficultas satis liquet. Unde etiam illud Nasonianum:

Curando fieri quædam pejora videmus
Ulcera, quæ melius non tetigisse fuit.

Hinc quoque enatum illud Proverbium: Cancer remedia mitiora contemnit, fortioribus exasperatur. Sic quoque *Platerus* inqdit: Si Cancer primùm inceperit, & adhuc exiguus sit, nec negligatur, (uti ferè fit, cùm nonnisi à peritis Medicis tunc cognoscatur:) ipsius incrementum difficulter impediri, si adauctus sit, ægerrimè, &, si ad summum pervenerit, nunquam curari posse, &, si exulceratus sit, nisi possit funditus & integer exstirpari, etsi longo tempore sæpè perdurare possit, lethalem esse. Mitiorem certè nostro judicio Cancer meretur prognosin, nempe exteriores corporis partes obsidens, facilè cultro exstirpari potest, vel aliis remediis acre corrosivum corrigentibus, interjectis ut impediatur, ne alibi pedes figat. De quibus in paragrapho de cura agente dicturi sumus. Rarissimè enim hic affectus curatur imprimis exulceratus, præsertim in loco inconveniente & operationi instituendæ inidoneo existens.

Diæta. §. 12. Expeditis iis, quæ Theoriam concernunt, ordinis ratione ad ipsam curationem, & quidem primò *Diæteticam* accedamus, sine enim ordinata vivendi ratione reliqua præsidia frustrà admoveri, quis non toto observat die? Diæta verò nobis, ceu centies dictum, sub rerum sex non-naturalium vulgò ita dictarum titulo offertur, quarum singulas paucis perstringamus.

Aer sit temperatus ac ab omni impuritate liber, copiosa materia subtili refertus, à quo succi nostri corporis imprimis lympha aliique attenuantur ac fluidiores redduntur. Omnia alimenta ac potulenta sint superfluo alcali, & sale volatili oleoso referta, vitentur angue pejus viscida ac acida, terrestria ac sale fixo corrosivo prædita, quia hæc sanguinem & succos nostros, imprimis in glandulis incrassant ac coagulant, ineptosque ad circulationem reddunt, unde facilè succi in glandulis stagnare ac Cancrum producere possunt. Sanguis enim noster constat quidem ex sexcentis particulis, utplurimùm verò ex sale alcali volatilibus, si accedat acidum sal, tum incrassatur sanguis, simili modo, prout apparet, si oleum Tartari per deliquium inspissatur per affusionem spiritus Vitrioli acidi, spicula enim Acidi in canaliculis alcali hærent, dein particulę acidę in corpore nostro possident acres figuras in omnibus lateribus secantes, quæ oleosas particulas discindunt & incidunt. Si enim sanguini evasato affundas acidum quendam liquorem, ipse apparebit statim niger & spissus, imò si infuderis acidum in venam alicujus animalis, morietur in momento, ceu nuper in cane hoc instituimus experimentum. Contrarium observatur in sanguine, si aquam ex sale Armoniaco vel nitro compositam ipsi affuderis, hinc sanguis apparet rubicundus & fluidior redditur. Sed ad rem, hoc in affectu nocent admodùm salsa, quorum particulæ sunt instar longarum durarum, circa quas aqueæ anguillares succos nostros circumvolvunt, qui tot salinis particulis aggravati succi sanguinem in motu suo tardant, hinc plures scorbutici morbi, præprimis verò Cancer ortum suum habere possunt, vitentur ergò carnes muria conditæ, fumo induratæ, haleces, brassica sale condita, &c. Omnia verò alimenta & potulenta, quæ nec nimis calida, nec nimis frigida sunt, h. e. quæ ex subtili alcali cum subtili oleo circumsepta, sunt optima, quæ sanguinem vix mutant & relinquunt in mediocri fluore. Nimis calida sanguinem nimis activum & fermentantem reddunt, quòd plures particulæ subtilissimæ avolent. Nimis pinguia nocent, ut sunt farcimina, petasones, lardum, caro suilla, anguillæ, anseres, legumina, caseus vetustus, &c. item omnia saccharata, quia viscidum acidum in se continent, hinc ad obstructiones cancrosas producendas disponunt succos nostros. Cibi ergo sint boni succi & sale volatili oleoso turgidi. Potus sit Infusum Theæ vel Coffeæ, vina acida & cerevisiæ vetustæ angue pejus vitentur. Conceduntur vina Gallica ac Hispanica, aliaque sale acido fixo haud prædita.

Somnus hic ad reparandos spiritus animales maximè proficuus erit, qui omni ope procurandus. In Cancro mammarum non super dorsum decumbendum est, ne pressione hac spiritus animales circulantes impediantur.

Motus magis conducit, quàm quies, hinc exercitiis dediti rarò Cancro afficiuntur, sanguis enim cum succis nostris redditur motu fluidior, quiete verò fit crassior, & ad motum ineptior. Post pastum motus ne sit nimius, aliàs cibi in ventriculo non sufficienter digesti vi ejiciuntur.

Alvus servetur lubrica, sique aliàs solennis & consueta evacuatio fuerit suppressa, omni opera promoveatur. Veneris usus rarus sit. Excernenda ad consuetudinis leges mensuranda.

Ira, mœstitia, terror, aliaque animi pathemata maximè certè nocent, & in praxi quotidie effectum tristem observare licet, sanguinem enim & succos nostros facilè coagulant, & ad motum tardiores reddunt. Qui ergo sanitatem amant, ii semper hilaritati, quantum possibile, studeant, omni opera & in Deum O. M. fiduciam suam ponant, certi quòd Dei voluntas bona

bona sit, suosque nunquam deserat, & quòd tandem cum carne sua resurrecturi sint, & visuri Filium Dei, in summa gloria in judicio apparentem, & fruituri æterna vita. In lætitia enim & gaudio talique fiducia longè liberiùs, & feliciùs procedit sanguinis fermentatio à copiosiori spirituum animalium influxu adjuta, unde succorum ac spirituum copiosior distributio per totum corpus, quàm quidem in mœrore ac tristitia, ubi propter minorem spirituum animalium in fibras confluxum fermentatio sanguinis, illorumque distributio per totum corpus valdè imminuuntur.

Cura Cancri secundum Galenicos.

§. 13. Cura *Galenica* ipsius *Cancri* in eo consistit, ut incipientes Cancri augeri prohibeantur, in quem finem causam peccantem, nempe atrabilarium humorem evacuant, priùsquam in parte affecta confirmetur. Evacuant autem primùm, si nihil prohibeat, per venæsectionem: deinde per purgationem, ab initio ex simplicioribus, quale est epithymum, quod quatuor drachmarum & dimidiæ pondere, ex sero lactis aut aqua mulsa dant: postea verò ex hiera, quæ nigrum veratrum recipit. Vel præscribunt priùs Apozema præparans seq. vel simile.

♃. *Scolopendr.*
Adianth. nigr.
Capill. Veneris
Fumar. aa. Mj.
F. Decoct. in ℔iij. *aq. fumar.*
vel lactis caprin. In colat.
dissolv.
Syr. de Scolopend.
De pomis Regis Sapor. aa. ℥j.
Byzant. ʒvj.
M. F. Julapium.

De quo singulis mane ℥iv. exhibent: & postea sequenti melanagogo præparatum evacuant humorem adustum:

♃. *Decoct. præcedent. unc.* ivß.
In quo infund. per noctem.
Fol. senn. s. st. ʒiij.
Myrob. Indar. ʒij.
Rad. bellebor. nigr. ppt. ʒj.
Stent per noctem, manè facta una aut altera ebullitione, in colat dissolv.
Syr. de pomis. c. fol. senn. unc. ß.
Conf. Hamech. ʒiß.
M.

Ad locum affectum etiam varia applicare jubent, vitando exasperantia aut mordentia; sequens verò commendant:

♃. *Ol. rosarum*,
Omphacin.
Succ. solan. aa. *unc.* ij.
Quod tamdiu in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo agitant, donec concrescat & plumbeum acquirat colorem: dein add.
Lithargyr.
Cerussæ aa. ℔. ß.
M. cum oleo & f. l. a. linimentum.

Vel urticam contundunt, & cum succo solani mixtam superponunt, sola etiam rutæ folia cum passulis à nucleis liberis contusa applicant.

Ad locum verò ulceratum absque offensione adhibent solani succum linteo molli duplicato in ipso tincto ac imposito. Forinsecus autem supra illud lanam teneram circumdant, quæ ipsa succo sit imbuta, & diligenter provident, ne illa resiccetur, ita ut frequentiùs succum affundant. In ulceratis Cancris diuturniùs uti solent Medicamento ex pompholyge. Semen quoque Raphani domestici contusum, & cum aceto mixtum applicant. Hisce non juvantibus, si patientes sint fortes & juvenes, ad ferrum accedunt.

Paracelsum.

§. 14. Juxta *Paracelsum* in curâ Cancri hæmorrhagiales menstrualesque fluxiones amovendæ sunt per Physicum: demum per Chirurgum anodyno mortificandum erit ter, vel quater, ut in Noli me tangere fieri dicit: postremò descriptione consolidativa eodem loco posita curandum. Gluten aquaticum in aquam ubi reduxerit, accipit semper ad unam libram Colchotaris ejus ℥iß. *florum æris*: proportionem hanc à quantitate Colchotaris observando, mixta simul ulcerique vel Cancro superposita maneant, donec putrescant: quod plerumque juxta ipsum fieri solet in quatuor diebus. Deinde amovendo superponit mundificatiuum sequens:

♃. *Picis navalis.*
Visci pini,
Abietis aa. ℔. j.
Ex locustis de latice ℔ i. ß.
Larignæ quar. j.

Mixta liquefiant cum ceræ & olei partibus æqualibus, ut ambo sufficiant ad emplastri compositionem, quod isto, non alio quovis, extrahi poterit. Dein superponit pulverem hunc:

♃. *Pulv. ex succo chelidoniæ*,
Parthenionis,
Centaureæ aa. *unc.* ß.
Mumiæ unc. j.
Mane vesperique ligat.
Anodyni ipsius descriptio est seq.

♃. *Spernioli*,
Succi solatri aa. *unc.* j.
Liquoris de firnis vel vernicis unc. ß.
Reducatur in formam Unguenti.

Helmontium.

§. 15. *Helmontius* existimat, solum attactum lapilli Buttleri, tanquam remedii potentis sat esse ad extinguendum *Cancri* virus ab indignato Archeo ortum, quia externa remedii oblinitio, quadam consecutione contiguitatis, totum domat Archeum, non secus ac dens rabidi, etiamsi optimè invento, detersus tamen rabiem quandoque adfert. Commendat etiam gluten de Aquatico Paracelsi i. e. Ranam integram vel Bufonem, per Blas lunare ipsius plenilunii, & frigus hybernum atrocissimum in albam & crystallinam conversam, supra baculum in campo aperto locatam, per unicam noctem, manè liquatum tragacanthum referentem, cum forma seu figura pristina. Laudat quoque Author in Cancro Colchotar vitrioli priùs aliquamdiu in cella ad mollescendum repositum, dein cum farina avenæ, & lacte in Cataplasma subactum, quod juxta *ipsum* Cancrum tollit necatque.

§. 16. *Vvilisius* ad crassiores ac coagulatos humores educendos commendat pilulas Tartar. Querc. vel de succino Crat. cum ammoniac. vel sequens Apozema.

♃. *Rad. polypod. q.* ʒiij.
Herb. ceterach. unc. ij.
Fol. senn. s. st. unc. ß.
Santal. citrin. ʒij.
Coq. in aquæ fontan. unc. XIV. *ad unc.* X.
addend.
Agaric. ʒij.
Rhabarb. ʒiiß.
Colat. clarificatæ add.
Syr. de pomis purgant. unc. ij.

Vvillisium

M. Hujus Apozematis IV. accipiat æger, repetendo intra 3. vel 4. dies semel.

Varia quoque hoc in morbo commendat absorbentia, ut sunt oculi cancrorum, Corall. margar. Ebur. prep. Item inter alterantia & refert prælaudatus Noster Chalybeata, imprimis acidulas ferratas seu martiales, quia maximo melancholicis hæ aquæ esse solent solatio, copiosè enim epotæ sanguinis tincturam salino-sulphuream eluunt, ejusque mala fermenta destruunt, & viscerum sordes abstergunt, obstructionesque reserant, & per consequens sanguinem purificant.

Inter Externa, Saturnina omnibus reliquis præfert.

Sylvium.

§. 17. Cura *Cancri* ad *Sylvii* mentem in eo consistit, ut acidum concentretur ac contemperetur. Concentrant autem juxta *Ipsum* potenter Acidum Acre creta, sanguis draconis, corralia, oculi Cancrorum, mandib. lucii piscis, item opium, item quodvis sulphur metallicum aut minerale fixum. Ex quibus aliisque varias concinnant formulas.

§. 18. *Car-*

§. 18. *Cartesiani* talem instituunt in *Carcinomate* curationem, qua particulæ illæ angulares acutæ, & succi acidi hebetentur, mitigentur & obstructiones glandularum, quantum possibile est, reserentur. Hac de causa sudorifera commendant, & remedia porosa & volatilia, ut anguli partium acuti, quibus humores peccantes referti sunt, intra poros remediorum frangantur & sic hebetentur, deinde viscidítas incidatur, & succi in convenientem redigantur fluorem, ut ità simul glandulæ obstructæ reserentur, & ubivis patula liquoribus reddatur via. Maximè verò in Cancro nondum exulcerato proficua judicant vina medicata, vel decocta herbarum multo sale volatili refertarum: cùm tota inde purificetur massa sanguinea, crassi & ad motum torpidiores succi in debitum suscitentur fluorem, & proinde tubuli quicumque facilè aperiantur & permeabiles reddantur. Hujusmodi verò vino sequentes imponunt species:

℞. *Rad. Scrophular. unc.* ß.
Contrayerv. ℨij.
Scabios. ℨiij.
Sarsæ parill. ℨiß.
Bardanæ ℨiiß.
Herb. geran. Rupert.
Fumar.
Chelidon. min.
Agrimon.
Centaur. min.
Card. bened.
Scord. aa. Mß.
Flor. sambuc. P iß.
Persicor. P. i.
Rasur. lign. Colubrin. unc. ß.
Sem. Phellandr.
Levistic. aa. ℨij.
Salis fulig. ℨj.
Jovis ℨß.

D. ad chartam pro speciebus uni mensuræ vini impendendis. Succis ità ad sudorem satis aptatis, & crassioribus eorumdem impuritatibus per urinam rejectis, pulveres exhibent diaphoresin largiorem promo ventes, qualem sequens proponit formula.

℞. *Antimonii diaphoret.* gr. xvj.
Chelar. cancr. ℈ß.
Mercurii solaris gr. iij.
Camphor. gr. j.

F. Pulvis in sequenti vehiculo una vice exhibendus.

℞. *Aq. fumar. unc.* ß.
Essent. enul. ℨj.
Spiritus flor. sambuc. ℨß.
Syr. scord. ℨiiß.

M.

Præmissis hisce subjungunt externa quædam penetrantia, & glandulas obstructas aperientia, quæ per poros ingredientia succos viscidos incidant, attenuent, & fundant, uti sunt emplastrum de spermate ceti, de ranis cum Mercurio Vigonis, balsamus sulphuris, oleum myrrhæ, spiritus tabaci, unguentum nobile Mynsichti, vel sequens, imprimis si incrementum assumere conspiciatur.

℞. *Rad. aristol.*
Virid. ær. aa. ℨiij.
Minii unc. ß.
Arsenic. crystall.
Aur. pigment. aa. *unc.* ß.
Opii,
Camphoræ aa. ℈ij.
Axung. porcin. unc. ij.

F. Unguentum.

Sectionem tamen accommodatissimum existere dicunt remedium Cancri adhuc incipientis, quo funditus exstirpetur, ne unquam aliquod capiat incrementum, at in majori, ubi multæ jam à sanguine impuro repletę sunt venæ, & copiosæ tumori huic subjaceunt arteriæ, operationem hanc periculo haud vacare quàm liberrimè profitentur. Destructis etiam plurimis glandularum fibris, & arteriolarum extremitatibus chylum advehentibus, ut tumor jam convertatur in ulcus; nec hoc ipsum incrementum acquirat, & partes depascatur vicinas, nullum intermitti volunt studium, sed frequentiores instituere jubent fomentationes ex spiritu matricali, vel decocto Theæ, scrophulariæ, contrayervæ, scordii, nicotianæ, ulcusque abstergere mandant liquore mellis ab Antimonio abstracto *Ang. Salæ*, vel liquore mercurii præcipitati attingunt, pulveresque inspergunt, quarum poros succi acidi in ulcere contenti copiosè ingrediantur, ex sale Jovis, vel Saturni, creta, cerussa, pompholyge, lithargyrio, thure, & ut partes fibrosæ jam corruptæ à sanis separentur, illa adjungunt, quæ motu celerrimo ab æthere agitata easdem abradant, dissecent & sejungant, quorum adscribunt numero amalgama mercurii, auripigmentum arsenicum, sublimatum, calcem vivam, vel butyrum Antimonii, quintam essentiam arsenici, oleum Antimonii saccharinum, oleum mercurii dulce, & hujusmodi alia, quæ sequentes in se comprehendunt formulæ.

℞. *Plumbi ust.* ℨiij.
Cerus. ℨiß.
Antimonii crud. ℨij.
Pomphol.
Camphor.
Salis Saturni aa. ℨj.
Ol. nicotian. unc. j.
Succi ejusdem q. s.

F. s. a. Linimentum in mortario plumbeo, quo ulcus Cancrosum studiosè illinatur,

Vel

℞. *Lithargyr. unc.* ij.
Auripigment. ℨij.
Vitrioli alb. ℨiij.
Mell. dispumat. unc. vj.

F. Unguentum.

Balsamum etiam Lithargyrii studiosè illitum egregiam navare operam asserunt, nec stercus improbant humanum, cùm succi corrodentes optimè hoc domentur. Ad sanationem, vel si hæc penitus pro voto obtineri nequeat, ad præcautionem, ne incrementum sumat, nec vitæ insidias ponat ulcus hoc aliàs satis destructivum, sequens approbant unguentum.

℞. *Litharg. aur. unc.* ij.
Minii unc. j.
Min. ℨvj.
Salis Saturni unc. ß.
Camphor. ℨij.
Ol. ros. q. s.

F. Unguentum.

Hisce subjungunt emplastrum diapompholygos, vel diasulphuris, ulceri huic maximè convenientia.

§. 19. Præmissis aliorum curationibus, & *Nostram* Pharmaceuticam ac Chirurgicam aggredi libet. Huic itaque pernitioso & glandulis utplurimùm incarcerato Sanitatis hosti, eruendo ac destruendo acuenda sunt ingenii organa, iisque reserandæ delitescendi Adversarii fores. Attemperantibus & imprimis corrosivam acidam istam acrimoniam in succis demulcentibus Medicamentis hostis iste aggrediendus est, inter quæ palmam aliis præripiunt omnia alcalia vel volatilia vel fixa, item temperantia & oleosa, diaphoretica, quæ omnia acidum acre corrigunt, & ex corpore eliminant: cinnabarina, cancrina, Tartarea, saturnina ac camphorata, item nitrosa, chalybeata, testacea ac sexcenta alia commendantur hoc in affectu atroci: In juniorum Medicorum gratiam, & Nos unam & alteram communicemus formulam, & quidem in forma decocti, imprimis ubi dolores urgent.

Cura Cancri ex nostra sententia.

℞. *Rad. chin.*
Sarsæparill.
Liquirit. aa. ℨvj.
Rasur. lign. Guaiac. unc. id.
Fol. alth.
Flor. pastav. err: aa. Mj.
Capit. papav. alb. c. seminib. N. 3.
Passul. exacinat. unc. iß.

Coqi

Coqu. secundùm artem ex s. q.
aquæ simpl. post quam per noctem.
Infusa fuerunt, Colat. ℞. ℥XL. Det. S. Apozema, de quo calidè bibatur aliquando vitrum plenum.

Vel

℞. *Rad. chin.* ℥iiß.
Gentian.
Contrayerv.
Enul. aa. ℥ß.
Angelic. ℨij.
Herb. scordii
Card. bened. aa. Mß.
Sem. ejusdem ℥ß.
Infund. & coq. in s. q. Aq. commun. & vin. in vase benè clauso ad Colat. ℔iv. *Edulcoretur syrupo scordii.*

Interponatur sequens vel simile sudoriferum, imprimis si dolores maximè urgeant.

℞. *Aquæ Hord.*
Card. bened. aa. ℥iß.
Cinnam. ℥ß.
Ocul. cancr. ppt.
Antimonii diaphoret. aa. ℨß.
Opii correct. gr. ij.
Syr. scordii ℥ß.
M. pro una vice hauriendus potus.

Vel

℞. *Rob Juniperi* ℨß.
Sal. C. C. volat. gr. xij.
Tinct. bezoart. ℨß.
Aq. scordii q. s.
M. F. diaphoreticum una vice assumendum. Omnia enim remedia, quæ in Peste & Gangræna solent præscribi, & hìc proderunt, eò enim semper respiciendum est, ut obstructio illa cancrosa tollatur, & lympha à sale acido corrosivo fixo liberetur, in quem finem sequentia sanguineam massam depurantia commendamus.

℞. *Elix. vitæ* ℨij.
Spiritus Cephal. volat. n. d. ℨj.
Tinct. corallor. ℨij.
M.

Vel sal volat. oleos. quodvis conducet: vel in forma pulveris sequens conferet.

℞. *Cinabar. nat.* gr. iv.
Ocul. cancr. ppt. ℈ß.
Sacch. Saturni. gr. ij.
Camphor. gr. j.
M. F. Pulvis singulis vespertinis horis assumendus.

Vel

℞. *Antihect. Poterii* ℈ß.
Arcan. dupl. gr. v.
Laudan. opiat. gr. j.
M. F. Pulvis.

Vel

℞. *Sem. melon.* ℨij.
Aquæ heder. terr.
Bellid. aa. ℥ij.
F. emuls. add.
Ocul. cancr. crud. ℈j.
Cristal. Tart.
Sacch. Saturni.
M. f. l. a. Emulsio cochleatim & per vices exhibenda.

Varia martialia edulcorantia interponenda sunt, aliaque acidum acre in succis existens corrigentia, & per diuresin eliminantia, quale sequens egregii erit usus.

℞. *Rad. scabios.*
Enul. aa. ℨß.
Polypod. ℨv.
Sarsaparill.
Chinæ aa. ℨiij.
Herb. fumar.
Scordii,
Veronic.
Scolopend.
Senecion. aa. Mß.
Flor. sambuc. Pij.
Hyperic. Pj.
Rasur. santal. citr. ℨvj.
Sassafras ℥ß.
Guajac. ℥ij.
Cort. ejusdem ℥ß.
Vitrioli Martis ℨiij.
Sal. Tartari ℨij.
Sem. dauci ℥ß.
M. dentur ad 6. ℔ *vini generosi.*

Tinct. Antimonii tartarisat. viperin. Zvvelferi, Vitrioli Martis, aliaque plura interponenda sunt. Acidulæ quoque martiales & nitrosæ non negligendæ sunt, cum consilio Medici potæ. Si in primis viis lateat amurca viscida, eas eluendas volumus sequenti lenitivo.

℞. *Pulp. prunor.* ℨj.
Resin. Jalapp. gr. iij.
Mercurii dulc. gr. xv.
M. F. bolus.

Mercurialia enim sæpè optimum præstant effectum, prout in omnibus tumoribus, sic præprimis in Cancrosis. Alias nocent purgantia, quia malum latet utplurimùm in partibus solidis, & si centies purgabis, Cancrum non curabis. Eodem modo V. S. nocebit, qua enim nil aliud efficies, quàm ut ægro aliquid de ipsius vita demas.

Si febris urgeat, interponi potest sequens vel similis mixtura cochleatim assumenda.

℞. *Aquæ menth.* ℥v.
Diascord. Sylv. ℈j.
Antimonii diaphoret.
Ocul. cancr. aa. ℈j.
Elix. vitæ ℨvj.
Laudan. opiat. gr. j.
F. Mixtura.

Si dolores intensi sint, opii dosis augeri, ut & Camphora addi potest, quæ sæpè plus præstat, quàm opium. Detur sæpiùs crystalli mont. ppt. ad ℨß. cum laud. opiat. gr. ij. n. 3. Curatio ergò Cancri, si quæ ob loci congruitatem fieri potest, utplurimùm duobus remediis perfici potest, unum est culter, qui tutissimus & compendiosissimus, & ægri malè sanitati suæ consulunt, qui remedium hoc metuunt protrahuntque, donec res non ampliùs integra est. Alterum remedium sunt Medicamenta caustica, quibus malum crustis absumitur. Ulcus Cancrosum, quod Cancrum apertum (quo jure non quæro,) vocitant, cùm vix curationem, si omnia jam depasta fuerint, admittat, præstat sæpe palliari, quàm curari, atque illud remediis lenioribus externis, (non posthabita interne sanguinis ac succorum correctione jam superius dicta,) ut unguento Saturnino cum Camphora superimpositis stupis, spiritu theriacali Camphorato, vel similibus madefactis, non tamen nimiùm efficacibus, qualia partim discutiendo quasdam sanguini redderent particulas ejus mixturam valdè turbantes, partim viscidis à longo tempore involutas in vicinis adhuc tubulis quiescentes corrosivas in motum suscitando efficerent, ut citiùs omnia (ne quidem nervis vel tendinibus, unde immanes dolores, vel sanguiferis majoribus exceptis,) erodendo proserperet ulcus, (si tamen de vera curatione rationari licuerit) abblandientibus favorabilibus quibusdam circumstantiis, in iis, qui nimiùm diu non tardati sunt, corporeque sano & vegeto, sive temperamento roboris sunt præditi, si commoditas loci permittat per ferrum, ut commodiorem & breviorem viam, malum integrum simul cum portione partis sanæ auferatur, quod si non admittitur, per iterata caustica quasi per multos cultellos, illud, quod una, vel altera fit incisione, illic efficiendum, ut malum corticatim eradicetur, caustica verò sine periculo applicantur carni & glandulis, non autem tendinibus, nervis, vasibus sanguiferis majoribus, à quibus proin cavendum. Præterea inter vel præter caustica (Experientia teste,) valdè ad excitandum efficaces compertæ sunt rigidissimæ, acutissimæque acidorum corrosivorum particulæ,

poris

poris vel amplexibus particularum Mercurii vel Antimonii firmiter inhærentes, quarum molem cum augent, cir cumquaque eminentes scindunt, pungunt, & ob figuram irregularem corporum interstitiis sat diu & firmiter inhærentes, ab aquosis elui ferè renuunt, quæ cùm non augeant agitationem particularum acutarum in ipsa parte, sed potiùs ob dissoluta stamina, ob secessionem introductam, &c. sistant, optimo aliquando cum successu ad malum funditus eradicandum applicantur, hoc respectu in usum vocari possunt Aqua divina, Tinct. vel lavamentum ex Aqua calcis vivæ Mercurio Sublimato, spiritu theriacal. Camph. extracto colocynth. absynth. Ol. Guajac cum balsam. Peruv. &c. Possunt etiam pulveres ex aristoloch. ocul. cancrorum, sal. Saturni & pluribus aliis appropriatis aspergi, donec ulcus malignum redditum & benignum, eodem ut simplex modo, curetur.

Hic verò omnia unguenta, cataplasmata farinacea & spissa vel unctuosa nocent, quamvis salibus volatilibus fuerint mixta. Sequentia & similia lavamenta calidè ter vel quater de die linteis quadruplicatis applicari possunt.

℞. *Aq. Regin. Hungar.* ℥ij.
Calc. viv.
Decoct. Guajac. aa. ℥v.
Elix. vitæ ʒij.
Sal. volat. oleos. ʒiß.
Camphor. ʒiij.
Bals. Peruv. ℥ß.
Ol. sassafras ʒij.
Mercurii Sublimati ℈ß.
M.

Sequens quoque Balsamus externus, à pluribus magni æstimatur Cancro illitus.

℞. *Balsam. aurei*
Sulphuris cum spiritu tereb. par. aa. ℥j.
Pulv. opii crud. ʒij.

M. & f. bals. quo illine Cancrum non exulceratum & exulceratum. Balsamus Aureus sequenti modo paratur.

℞. *Sulphuris viv.*
Sal. Saturni aa ℥ß.
Camphor.
Borrac. aa. ʒij.
Ol. amygd. amar. ℥ij.
Add.
Ol. Talci ℥ij.
M.

Omnia enim remedia externa acidum acre temperantia, obstructiones Cancrosas reserantia, & Cancrum induratum resolventia egregia sunt. Supersedeamus Practicorum Catalogum Medicamentorum digerentium, catharticorum, diaphoreticorum, uno verbo, universalium in medium proferre, utpote pharmacorum pro impetrando fine minùs idoneorum, inefficacium ac ineptorum. Sunt quoque, qui statuunt veram ac genuinam Cancri curationem consistere in Mercurio, non quidem vulgari crudo & indigesto, sed singulari quadam encheiresi parato; ex ejusmodi prosapia dicunt esse pulverem istum indolentem à viro quodam Juliacensi unumquemlibet Cancrum sanante adhibitum, & ab *Helmontio l. de Ideis morbos.* notatum: sed si verum, de quo valde dubito, dolendum est, præparationem ejus cum Artifice fuisse sepultam. Salivationem ope Mercurii peractam sæpius profuisse testantur monumenta Medicorum. In quem finem alii sequentem commendant Essentiam quotidie ad guttas 20. & plures usurpandam.

℞. *Essent. vulnerar.*
Hyperic. aa. ʒij.
Solut. myrrh.
Aloes aa. ʒj.
In spiritu vini solut. ℥ij.
Mercurii præcipitat. ʒß.
M. f. l. a. Essentia.

Mercurius enim est acidorum domitor strenuus. Saturnum quoque in laminas redactum, & Cancro nondum exulcerato impositum palliativè felici cum successu adhibitum fuisse testatur *Observ. 161. Ephemeridum German. Ann.* 4. & 5. ubi notatu dignum quid occurit, quod scilicet lamina ejusmodi plumbea intra duos menses erosa, & in medio in albicantem pulverem reducta fuerit. Alii optimo cum successu laminam plumbeam Mercurio vivo illinunt, sicque Cancro non exulcerato, ut & exulcerato imponunt. Quod de Arsenico, Antimonio aliisque mercurialibus scribunt, ex eodem fluit fonte, quia non nisi ratione particularum Mercurialium vires exercent suas, hinc sequens balsamus egregius est.

℞. *Cinabar. Antimonii* ℈j.
Ocul. cancr.
Sal. Saturni aa. ʒj.
Sperm. ceti ℈ij.
Camphor. gr. v.
Com balsam. Peruv. q. s.
M.

Vel

℞. *Plumb. ust.*
Terr. Vitrioli dulc.
Sigillat.
Ceruss. lot. aa. ʒj.
Sal. Saturni,
Mercurii dulc. aa. ℈j.
Thur.
Myrrh.
Extr. aristoloch.
Consol. maj. aa. gr. v.
Ol. vitell. ov.
Balsam. Peruv. q. s.
F. balsam.

Celeberrimus *Poterius* præscribit Balsamum suum Mercurialem indies Cancro illinendum.

Sunt, qui in Cancro curando Cancros fluviatiles, item ranas ac bufones magni æstimant, de quibus videantur *Paracels. Helmontius*, *Aquapendens*, *Fabr. Hildanus*, qui in eum finem unguentum ex ranis viridibus, quod ab his laudatur, ab illis culpatur, composuit. Alii sunt, qui extollunt stercus felis Cancris fluviatilibus antea nutritæ. Decoctum calcis vivæ, Sal è capite mortuo fuliginis ab Autoribus commendantur. Ex vegetabilibus Geranium, Polytrichon, Chærefolium, Solanum, Cicutam, Plantag. pomaque putrida laudibus evehunt.

Celeberrimus Muys in ulcere Cancroso ora aut alias corporis partes occupante proficuum dicit pulverem ex ranis aquatilibus, gammaris & C. C. usto compositum.

Sulphura mineralium anodyna fixa & opiata pro mitigando dolore, & pro cura palliativa præ aliis prosunt; sed quis quæso omnia recensebit remedia, sunt enim innumera, & ferè totum replent librum, quæ ab Auctoribus commendantur. Nullum verò mihi tutius & melius remedium videtur, quàm culter & caustica, ad quæ semper ægri, ab initio præsertim, à Medicis incitandi sunt, quæ caustica cum cautela applicari possunt, inter quæ facilè palmam aliis præripit Oleum meum Antimonii auratum externè Cancri labiis appositum, vel arsenicum correctum alii applicant, omnia autem caustica cum cautione apponenda sunt, &, si Inflammatio suboriatur, statim Medicamentis idoneis recurrendum & non timendum est, quod malum aliquando revertatur, ceu observavit *Celeberr. Wedelius l. 1. s. 2. c. 7. Amœnit. Med.* domito sic apparenter Cancro, partibus vi corrosivorum destructis, & fontibus lymphæ velut exsiccatis, malum tamen non æquè cessasse. Sic etiam sectio ipsa male instituta sæpe in Cancro incurabili recidivam minatur, ceu non ita pridem in cive hujus Civitatis tumore oculi Cancroso laborante observavi, cùm is ab Empirico non ritè exscinderetur, propediem repullulabat, & quidem cum majore tumore: ast hic Cancer non ritè exsectus fuit, plures enim mammas Cancrosas abscindi vidi, absque ulla recidiva. Sic quoque *Fabric. Hildanus* totam mentulam Cancro exulcerato laborantem feliciter se sectione sustulisse scribit; ego Cancrum labii inferioris feliciter

Lim-

Limburgi ad Lhanam exscindi curavi, forpice scilicet tollendo Cancrum cum bona labii parte simul, ac uniendo labia vulneris, ut in labio leporino, quod & conspexit Cl. D. Muys celebris ille Chirurgo-Medicus, qui etiam in Cancro crystallum montanum tam internè, quàm externè usurpatum efficax remedium dicit, quia acidum egregiè temperat. Unguentum verò Ægyptiacum jure meritoque in Cancri cura reiicit. Si à sectione vel caustico applicato remedio sanguis nimiùm stillet, applicari potest illico liquor stypticus vel noster, vel *Drelincourtii* sequens.

♃. *Alum.*
Nitri,
Vitrioli aa. ℥ij.
M. c. Album. ovor. n. ij.
ut omnia inter se fluant.

Vel inspergatur sequens *Pulvis stypticus.*

♃. *Bol. commun.* ℥ij.
Gallar. immatur. ℥j.
Vitrioli de Cypro,
Camphor. aa. ℈j.
M. F. Pulv.

Vel seq. Aq. styptica.

♃. *Limat. Martis*
Ol. Vitrioli aa. ℔ß.
M. & effervescant, postea add.
Alum. ℥ij.
Lap. hæmatit. ℥j.
Æris usti ℥ij.
Iterum effervescant, posteà add.
Aq. commun. ℔ij.
M. & percolentur.

Aq. styptica, quæ æquè guttatim internè, quàm externè usurpanda est.

CAPUT IX.

De Scabie, Lepra, Græcorum, & Arabum, Impetigine, Alpho & Leuce.

§. I. NÆ! diversæ oriuntur in corporis nostri diversis partibus obstructiones, ut & ex his dependentes diversi affectus cutanei, tam pro diversitate particularum obstruentium, quàm ipsarum partium, in quibus obstructio est suborta. Si enim à sale quodam obstruantur tubuli cutanei, & vascula excretoria in glandulis cutis miliaribus, oriuntur *Scabies, Lepra, Impetigo, Alphus & Leuce*, qui affectus valde deturpant extimam nostram vestem, simulque clam vitæ insidias struunt. Nec in proprio desæviunt corpore, sed & in alia impetunt, propagare gestientes virosum ichorem & disseminare ampliùs, adeoque & invisi sunt hi affectus. Noctu graviores sunt, interdiu fœdiores, semper ingrata sunt symptomata. De quorum affectuum ac symptomatum ratione ordine tractaturi sumus, ut tyrones eos clarè ac verè perspiciant intelligantque. Pauca ergò priùs de Nomine, antequam ad realia accedamus, in usum Tyronum addere libet, de Etymologia non soliciti, de Synonymia tantùm dicemus, quòd Scabies dicatur aliis psora & quidem à Græcis, Germanis *der Grind, die Gratze*. Scabies alia dicitur humida, seu serosa; alia sicca seu pruriginosa. Omnis verò scabies est maligna & contagiosa.

Scabies quid. *Scabies* describi potest quòd sit obstructio tubulorum cutaneorum, imprimis excretoriorum, in glandulis cutis miliaribus, cum capillarium vasorum lymphaticorum obstructione, vel etiam disruptione a sale quodam fixo acido oborta.

Lepra. *Lepra* valde congener & affinis affectus est cum Scabie, ita ut hæc nil aliud sit, quàm mitior Lepra, gradu enim tantùm differunt. Est enim Scabies ad Lepram Græcorum quasi via, ut Lepra Græcorum ad Lepram Arabum seu Elephantiasin, si nempe sal acrius & ab- *Græcorum Arabum.* undantius, pluresque & profundiores afficiat glandulas, sicque morbus diutiùs protrahatur. Sic etiam squamulæ in Lepra generantur, quæ in Scabie non conspiciuntur, ex qua furfuracea tantùm decidunt recrementa. Dicitur & Lepra ab his squamulis quasi λέπιρα, i. e. squamosa.

Lepra Græcorum quid? *Lepra* Grecorum describi potest, quòd sit obstructio scabiosa vel totius corporis, vel certæ alicujus partis, sicca, furfuracea, squamosa, vehementissimè pruriginosa, a salinis Tartareis fixis coagulativis, in sanguine & succis præexistentibus & ad glandulas cutaneas delatis, ibidem obstructionem pertinacem producentibus, oborta.

Elephantiasis seu Lepra Arabū. *Elephantiasis* seu *Lepra Arabum* non nisi gradu differt, & una alia malignior est & vehementior, alia lenitior & benignior est pro salis acrimoniæ gradu, à cujus cum humoribus miscela, & inde exorta textura cutis colorum istorum diversitas petenda est, & non à quatuor illis famosis humoribus, prout Veteres explicarunt, & juxta humorum varietatem more solito nova indiderunt nomina, quæ à sanguine fuerit producta, Alopeciam, quæ à pituita, Tyrcam, quæ à bile, Leoninam, & quę à melancholia reliquis majorem Elephantiasin nominarunt. Juxta Recentiorum magis intelligibilium Principia describi potest Elephantiasis, quòd sit obstructio scabiosa pertinax ac maligna, cum defœdatione totius corporis, crustis & tuberculis duris, maculis lividis & ulceribus, à sale quodam fixo ac corrosivo humori viscido ac terrestri implicato, & in cutis tubulis glandularum profundioribus hęrente eosque dilacerante, ortum trahens.

Impetigo. *Impetigo* aliis *Lichen* volaticum, mentagra, aliis Herpes squamosus dicitur, pro quarum squamarum diversis, colore, crassitie, consistentia, &c. & ulceris, cujus sunt recrementa; profundioris, vel superficialis varietate variè denominatus est Impetigo, vel vitiligo, cujus species esse videntur *Alphus & Leuce*. Hæc gravior cùm altius descendat, & (vel copiosiores albidioresque producit squamulas,) vel tantum cutem obstructionibus vexando (hærente in tubulis materia in squamas concretura) maculas producit albidas, ipsas pilorum radices aggrediens; illic levior, gradu tantùm minore differens. Dicitur autem adesse Impetigo, quando ex una vel pluribus erosis producta pustula succus erodens circumquaque æqualiter vel minus, (prout majorem minoremque invenit resistentiam, & hic vel illic perviæ adsint obstructiones vel secus,) circumvicinas aggreditur glandulas, & latiùs usque serpens profert acervos orbiculares, vel variiformes, ulcusculorum fundentium materiam, mox in squamas nonnihil albidas concrescentem Describi ergò potest *Impetigo*, quòd sit obstructio scabiosa cum tuberculis planioribus pustulosis ferè magis proserpentibus, à sale fixo acido ac acri glandularum cutanearum tubulos obstruente, oborta. Cùm *Alphus & Leuce* gradu tantùm differunt, facilè eorum descriptio dari potest. Duplex Impetiginis genus à Celso constituitur, unum mitius, alterum ferum. Impetigo mitior minimas cutis pustulas exasperat, & non tam citò serpit, cùm fera Impetigo celeriter ad vicina serpat, & pruritum vehementhiorem habeat comitem.

Pars affecta. §. 2. Affectus hi cutanei idem agnoscunt *Subjectum*, & cum duplex Scholæ constituant Subjectum, primarium sc. & secundarium. Subjectum ergo Primarium seu adæquatum dici potest totum corpus, & potissimum sanguis cum suis succis, qui sanguis cùm perenni suo fluxu & refluxu minima corporis alluat, & pervadat loca & pressione adjuvet, non potest non labem suam ipsis affricare, & particulas suas fæculentas in ipsis deponere glandulis cutaneis ac miliaribus dictis, & eorum vasculis excretoriis, non aliter ac in tubulis ac canalibus artificialibus, liquoris, quem vehunt, recrementa quædam lateribus adhærent, at jam prout pars quævis corporis vasis pluribus & angustioribus, aut aliàs majori aliquà, ad impuritates has sanguinis remorandas pororum dispositione prædita est, ita & iisdem suscipiendis & hospitandis aptior existit. Potissimam ergò sedem affectus hi figunt in cute ejusq; membra-

branis, præcipuè verò in glandulis miliaribus, earum tubulis, & vasculis excretoriis cum capillaribus vasis lymphaticis. Quòd verò *Scabies* in membranosis locis magis hospitari soleat, ratio hæc est, quòd scilicet membranæ poros habeant constantiores, quibus se accommodare difficiliùs possunt particulæ rigidæ, unde faciliùs in ipsis hærere quoque debent. Quare etiam *Helmontius* rectè Subjectum Scabiei solam pellem constituit, exclusis omnibus visceribus & Hepate. Cùm enim Scabiem contraxisset ex Chirotheca Scabie infecta, & per reiteratas purgationes adeò macilentus, raucus & lassus evasisset, ut vix stare potuerit & nihilominus Scabies permanserit, Scabiem non ex vitiosis biliosis & adustis humoribus, aut ex Intemperie Hepatis, sed solo contactu Chirothecæ sibi molestam fuisse optimè judicavit. Reliqui affectus etiam cutem pro subjecto agnoscunt, in istis verò glandulæ profundiores obstruuntur ac afficiuntur; cutis enim nihil aliud est, quàm contextus quidam retiformis, qui construitur ex innumeris filamentis vasorum sanguiferorum, nervorum tendinumque mira arte invicem implicatis, per quorum spatia vacua ordine parallelo emergunt ductus quidam excretorii à *Stenone* primùm observati, à glandulis subjacentibus orti, & papillæ quædam pyramidales à nervis prodeuntes, quæ à molli lympa ex ductibus illis exudante perpetim rigantur, & in cuticulam, tutelæ ergò super jacentem per tenues fibras protenduntur. Has cum Celeberrimo *Malpighio*, illarum Inventore, pro immediato tactus organo agnoscimus. Animadvertendum adhuc, quòd præter jam recensita in Cute, mirabili rete, ope microscopii detegantur pori duplicis generis, *majores* aliis, qui plerique pilos sibi insertos sustinent, & *minores*, qui spatia ab aliis relicta occupant.

Diagnosis Scabiei.

§. 3. Incipientis Scabiei signa sunt, si percipitur pruritus vehemens, qui quasi prodromus Scabiei est, item delectatio in scalpendo, dolor verò post confricationem, cutis & cuticulæ corrugatio. Præsentis jam signa visui sese offerunt, & cognoscuntur ex miserrimo ægri statu, & molestissimis cruciatibus, præsertim noctu, dum ægri in lecto incalescũt & fermentatio major excitatur. Cutis asperatur, interdum prurit, roditurque. Pustulæ aliquando majores, aliquãdo minores, modò sicciores, modò humidiores sunt, aliæ quasi confluentes. Pustulis ruptis & apertis fiunt ulcuscula, quæ sanie & ichore evacuatis obdurescunt in crustulas, quibus tegitur, squamosas, & scabendo furfuracea secedũt; deturpatio verò cutis minor est, ac in Lepræ speciebus, cùm in his crustæ squamæque lõgè sint majores, & exulceratio longè profundior, & malignior: utplurimũ infantes ac pueri Scabie inficiuntur, nec adulti atque senes ab ipsa tuti sunt.

Diagnosis Lepra.

Lepra Græcorum pruritum habet inseparabilem, & tantus hic est, ut etiam ęgri vehementissimè scalpendo nullo modo juventur, sed potiùs omnis generis ulcera & phlegmonas accersat, quod cutem exasperet, & subiectam ei carnem multò quàm in Scabie profundiùs depascatur, quia profundiores afficiuntur glandulæ, & materia est hic acrior, quàm in Scabie, unde & squamulas producit, quales in Scabie haud generantur; dicitur & Lepra ab his squamulis, quia cutis in cortices quasi squamasque resolvatur.

Nunc ad veræ Elephantiasis seu Lepræ Arabum Diagnosin pergamus, in qua eò accuratius versari nos decet, quò magis interest, accuratum judicium ferri de suspectis in hominum consortio aut tolerandis, aut inde excludendis.

Incipientis hujus affectus signa ut plurimùm sunt ab initio obscura & aliis morbis communia, cùm veluti anguis sub herba lateat, nihilominus tamen aliquatenus illam produnt lassitudo, & segnities spontanea totius corporis, mentis ignavia, stupiditas cum summa in somnum proclivitate, ejusque tamen frequente interruptione. Insomnia metus & tristitiæ plena, & sæpè incubo vexantur ægri, aliisque affectibus soporosis: sic quoque leprosum somnambulonem novimus, in venerem alii proclives sunt, ut ipsis aliquãdo priapismus ac satyriasis accidat, respiratio est difficilis ac tarda, exspiratio gravis ac fœtida, pulsus parvus, tardus & sæpè inequalis, sitis intensa, appetitus debito minor. Alvo supra modum astricta laborant infecti, urinæ aliquando jumentorum lotiis similes, cutis crassior, durior ac asperior redditur, color faciei & totius corporis lividus apparet. Flatuum ac ructuum copia, à vitiosa nempe digestione alimenta in substantiam viscidam ac tenacem mutante, quæ sæpè ope fermenti resoluta, dum amplius spatium requirunt, nec per poros obstructos exitum habent, data porta per superiorem & inferiorem gutturem erumpunt ruuntque.

Increscentis hujus affectus atrocissimi, & quasi è latebris suis prodeuntis signa diagnostica multo jam manifestiora sunt, & quasi partę victoriæ vexilla in facie primùm, ceu cute tenuissima donata, & aeri frigido poros quosvis constringenti, & fuliginum aliorumque recrementorum exclusionem impedienti maximè exposita, apparent. Quantum enim transpiratio per poros cutis impedita sanitati noceant, testantur abunde monumenta Medicorum, nisi enim a sanguine exirent varia corpuscula, quæ aerem comprimendo materiam subtilem eò determinarent, ut locum ab ipsis derelictum occuparet, foret, ut sanguis sufficienti nullatenus donaretur agitatione, ut aeris gravitati resisteret. Insensilem ergò transpirationem in singulis corporis nostri partibus perfici quis negabit? Imò si ea quæ exhalantur & evaporant, oculis percipi possent, foret, ut corpora nostra nube semper circumdata apparerent: cum Celeberrimo ergò *Sanctorio*, Medicinæ Staticæ Auctore, confirmamus, copiosiorem materiam à corpore nostro excerni per insensilem transpirationem, quàm per urinas & secessus, & ex octo alimentorum libris, quas quotidie quis usurpabit, quinque per poros avolaturas. Oritur autem secundùm nonnullos in Elephantiasi, in partibus inferioribus mollibus & spongiosis narium primò lenticula, quæ crescendo in tumorem insignem ac deformem nares attollentem exsurgit, unde pinnæ narium dilatatæ, patulæ, simæ & salebrosæ redduntur, parte verò superiori ab his ipsis tumoribus coarctatus nasus respirationi obest, & dispnœam causatur; similia deinde tubercula ex rubro sublivida, indolentia, & quæ loco moveri possunt, in facie etiam, fronte præsertim, & genis exsurgunt, partesque omnes faciei fœde intumescunt, cum maculis crebris vivido nigricantibus interspersis, quæ à sanguine ob tuberum illorum præsentiam in motu suo impedito & stagnante oriuntur. Frons crassescit & corrugatur, supercilia præ tuberositate deorsum pendent, palpebræ tumidæ & inversæ conspiciuntur, malæ crassescunt ac intumescunt, labia prætumida prominent, mentum crassescit, aurium pinnæ in ambitu rotundiores & contractiores apparent, auricula verò tumidior & parotides circumjacentes in insignem tumorem elatę conspiciuntur. Aspectus torvus est, oculi ex flavo rubent, pellicula sive unguis adnascitur oculis & sæpe visum tollit, oculi sæpe in orbem agi videntur, capilli & pilli depluunt. Tubercula quoque grandulosa flavescentia, vel sublivida in lingua depressa, & in palato ac faucibus spectantur, quales grandiores non rarò in porcis cernuntur, deglutitio impedita est, voxque rauca, venę raninę item temporum & aliarum corporis partium, præprimis inferiorum ob acclivem & difficiliorem sanguinis crassi acidi per illas motum tumentes, nigricantes & varicantes sanguine illo propria viscidităte ac aciditate admista stagnante, apparent. Tubercula per totam capitis pilosam partem, per collum, artus & totum corpus reliquum disperguntur, & in brachiis cubitum manuumque summitatem, in pedibus verò femora & genua potissimùm occupant, idque prope articulos, qui copiosis glandulis gaudent. Adest insuper fœda cutis, in artubus imprimis extremis & capite piloso, Scabrities & inæqualitas crustis quibusdam & squamis albis quandoque sublividis inde aliquando depluentibus, & cutis aliquando dehiscit in plantis & digitis pedum, succedit tandem partium corporis consumptio, unde ossa, scapulæ præsertim alarum instar prominent. In vigore morbi cõstituti ęgri exhibent tubercula jam dicta, & totam cutem nigrescentem Tumores tandem excavantur in fœda ulcera, quæ cutem

profundè

penetrant, lata sunt ac serpentina, labrisque callosis & prætumidis prædita, & sanguinem, si contrectentur, facilè profundentia; nullum tamen sensum, quod mirandum, hæc ulcera habent, non minùs ac tubercula ista, etiam si acus ad magnam profunditatem adigatur, aut aqua fervens affundatur, non tamen uratur pars, quod certum indicium est gangrænæ illa occupantis, aut fibrarum nervearum partis materia viscida adeò infarctarum, & ab acido succo ità arrosarum, ut spiritibus animalibus sensus primarii Auctoribus nullum amplius cum partibus liberum commercium, quod in tota cute quandoque obtinet. In dictis ulcusculs & vermiculi observati fuere, non secus, ac in gangræna, quia instar lupi rapacis omnia membra dilacerat, ac devorat, hinc bestia illa sævit in ipsa ossa, & decidunt sæpe manuum & pedum digiti, imò nasus & genitalia, radices quoque unguium digitorum arroduntur, funduntur ac dilacerantur, odoremque tetrum ac cadaverosum spirant: Febris quoque adest hectica.

Perspectis his, restat ut ex illis eruamus certa & pathognomonica signa, quibus nixus firmum aliquid Medicus judex infectorum pronuntiare possit: sed si rem accuratè perpendo, ex ingenti hoc numero vix aliqua pauca sunt, quibus omninò fidendum sit, nisi plurima alia signa concurrant, & sequentia esse possunt.

1. Nodosæ, granulosę, tuberosæ & sublividæ protuberantiæ in facie, lingua, artubus, & quandoque reliquis in partibus molles & indolentes.

2. Ulcera profunda, callosa ac fœtida, acum sine perceptione doloris admittentia.

3. Horrenda & terribilis ista faciei deformitas superiùs descripta.

4. Quando omnia, & quidem generosa Medicamenta frustra adhibentur.

Alii addunt, elephantiacos noctu toto corporis habitu splendere, quod tamen falsissimum esse hactenus observavimus.

Diagnosis Impetiginis. In *Impetigine* mitiora observantur signa, summa tantùm conspicitur cutis asperitas cum multa prurigine, squamis & surfuribus, &, si albæ simul appareant maculæ, simulque squamulæ albidæ decidant, & si quoque altiùs descendat & profundiores afficiat glandulas. Dicitur & *Leuce*, quæ simul pilorum radices aggreditur. Alphus verò cognominatur, quando cutis est aspera, & albo colore in superficie tingitur. Affectus enim hi, ceu jam superiùs diximus, gradu tantùm differunt.

Galenicorum opinio de causa Scabiei. §. 4. *Galenici causam* Scabiei explicantes, dividunt ipsam in *humidiorem & sicciorem*. Humidiorem enim generari volunt a sanguine cum admixtione phlegmatis salsi: Sicciorem verò fieri à sanguine bili flavæ commixto. Utplurimùm Scabiem excitari per contagium statuunt, nec non à cibis salsis, nimis calidis & aromatibus acutis & amaris. Tenuiora enim ajunt quidem excrementa in sudores absumpta, ita cutem egrediuntur: verùm crassiora, atq; idcircò difficilem exitum invenientia, dicunt ibi in cute subsistere, & ita paulatim discuti: & hinc prurigines & scabiosos deducũt affectus.

Elephantiasis, Leontiasis, Satyriasis, seu Lepra. *Elephantiasis, Leontiasis, Satyriasis* seu *Lepræ Causam* veteres deducunt à crasso, viscoso, ac atrabile redundante sanguine, & pituita multa salsa ac acida. Causæ enim externæ *ipsis* sunt omnia illa, quæ sanguinem Atrabilarem & Melancholicum gignunt, & inde vitiosam nutritionem causare possunt: ut caro porcina, communicatio saniei & spiritus elephantiaci. Apprehendi autem hac affectione viros magis, quàm fœminas dicunt, atque inter illos magis, qui crassum & viscosum ac atra bile refertum sanguinem habent, & qui abundant pituita salsa ac acida, item qui victu crasso & ægrè concoctili utuntur, & qui in otio degunt; non minùs verò iis, & qui multis exercitiis inordinatè utuntur, & per hoc sanguinem inspissant, itemque ii, qui cibos assiduè in ventre corrumpunt: quod verò regionem attinet, hujus mali inductricem, esse ajunt illam regionem quæ valdè calida, tum quæ vehementer frigida est: & altera quidem ob id, quòd sanguinem adasset: altera, quod frigore suo eundem congelet & perspirationes prohibeat, ac insitum calorem suffocet.

Lepra Græcorum. *Lepram Gręcorum* itidem *Galenici* melancholico succo, & reliqua Cacochymia enasci contendunt, ubi verò serosi, tenues & acres humores aliis crassis succis admixti, ad cutim tanquam ad commune emunctorium à partibus internis rejiciuntur, λειχῆνες i. e. *Impetigines*, generari dicunt, queque brevi in Scabiem ac Lepram transire statuunt. Remotè omnia conferre dicunt, quæ humores possunt reddere acriores, quibus accedit cutis constipatio à frigore.

Alphi. *Alphum* Veteres deducunt à pituita alba, quia color cutis in hac specie albus est, ferè subasper & non continuus, ut quædam quasi guttæ dispersæ esse videantur, interdum etiam latiùs, & cum quibusdam intermissionibus serpit. *Melan* colore ab hoc differre dicunt, quia niger est & umbrę similis. Leucen vero Alpho habere aliquid simile dicunt, sed magis albida est, & altiùs descendit, in eaque pili albi & lanugini similes sunt.

Leuces. *Leucen* sive *Vitiliginem albam* à pituita lenta ac glutinosa in summa cute impacta *Galenici* oboriri sibi persuadent, quia iis, quæ pituitam evellunt, curari solet. Hinc Leucen dicunt transmutationem cutis ad colorem albidiorem, à viscosa ac glutinosa orientem pituita. Vitiliginum generationem ejusdem cum Leuce speciei esse scribunt, verùm illas ad profundum usque corpus mutare, ut etiam pili similes enascantur. Vitiligines verò in cutis superficie consistere ajunt, præterquam quòd etiam ipsæ moram trahentes, ad profundum usque procedunt, ut etiam pilos albos producant propter subjectum humorem. Nam ex pituitoso humore albas, nigras verò vitiligines ab atrabilare fieri haud dubitant.

Paracelsi opinio de causa Scabiei. §. 5. *Paracelsus scabiem* procedere ait ex sale liquoris, quod in spumam transmutatur, aut in locustis exsiccatur, & super cutem non aliter, quam sal super urticam extrinsecùs adhæret. Non secus illud, Scabiei nempe, vel prurituum, in extremitates erumpit ex liquore varias in cuspides, prout in urtica videtur. Altera via, inquit Author, progreditur ex sanguine sal & rodit cutem, carnem ac ossa prorsum unà cum venis, ligamentis, nervis, juncturis, &c. Scabiei plures species juxta salis diversitates describit. Scabiei originem etiam provenire ex cruoribus resolutis haud dubitat, quibus accessisse ait alumen minerale scissum, à quo etiam pruritum, Sapharum & furfures deducit.

Lepra. *Lepram Græcorum* à sale arsenici simili, vel à sale vitrioli plumosi deducit.

Elephantiasis. *Elephantiasin* ex hæmorrhoidalium liquoribus menstrui produci ait, vel nutrimenti descendentibus ad locustas membrorum. Quamlibet Elephantiasin serpere ait in modum Naphtæ, solùm verò eo differre ab hac illam, quod ejus substantia liquorque simul nascantur. Si ex menstruis, vel hæmorrhoidalibus morbus iste processerit, flavam aquam: si ex liquoribus, rubicundam profluere perhibet Omnis enim Lepra juxta Ipsum frigidior existit natura atque præpinguior, neque fieri potest, ut unquam cum Medicaminibus concilietur. Plures quoque Lepræ species Author constituit, Leoninam videlicet, Elephantiam, Alopeciam, Thyram, Morpham & Undimiam, quas omnes ad eandem medendi rationem redigit.

Impetiginis, Alphi & Leuces. *Impetiginem, Alphum & Leucen Paracelsus* exoriri cõtendit ex cruoribus resolutis, quibus accessit alumen minerale scissum, & pro varietate salis peccatis vel Impetiginem, vel Alphum, vel Leucen produci existimat.

Helmontii opinio de causa Scabiei. §. 6. Juxta *Helmontium* Scabie pellis inficitur, ut cutis nequeat alimẽtum depuratum in propriam vertere alimoniã, sed in salsum ichorem traducat, qui est pruritivi & urticalis salis, hinc *Helmontius* existimat, quod omnis Scabius non intrinseca petat remedia, sed solùm topica, quæ sunt enecando pruritivo sali: adfert in se ipso experientiam, cùm enim Scabiem contraxisset ex Chirotheca Scabie infecta, & per reiteratas purgationes adeò macilentus raucus & lassus evasisset, ut vix stare potuisset, nihilominus Scabies permansit, hinc concludit, contra Galenicorum sententiam, non ex vitiosis biliosis & adustis humoribus, neque ex intemperie Hepatis, sed ex solo Chirothecæ contactu Scabiem productam fuisse. Impossibile enim Ipsi videtur, quomodo Scabies ex contactu contracta, quadrantis horæ spatio ante intemperiem Hepatis induci posset ab intemperie, ut sic es-

sic effectus esset ante causam; potius ergò ab acido latice tanquam fermento, & semine in pelle existente causam Scabiei proximam deducit. Et ut breviori circino comprehendam omnia, causa Scabiei ad mentem Helmontii est vitium & contagium pellis virulentum proprium, non verò, Jecoris Principio scilicet interno spontaneo, sive externo, fomite contagioso aliunde haustum & transplantatum in contactu scilicet corporis, lintei vel supellectilis infectæ, in pelle tangentis concepto.

Lepra. *Lepræ Causam* quòd attinet, *Helmontius* dicit, Lepræ insensibilitatem subjectivè esse in habitum carnis, effectivè in quodam veneno, quod est cruentum anodynum glaciale propemodum mortificans & Archeum inficiens, & fœtida contagione in regione sudorifera communicabile, hoc venenum, juxta Ipsum, incipit ab extra, ubi sentiunt internos dolores, & externum frigus & calorem, hinc venenum hoc foris sedem habere contendit, quoniam spiritui sensitivo confermentatum ab innato calore foris protruditur, atque aliqua ex parte frigori respondet, licet non in qualitate prima elementali; alio titulo est glaciale & mortificat per modum gangrænæ, verùm duntaxat partem, quam ulcere signat. Imò nec etiam inde se procul dilatat confestim, quia est ex veneno glaciali constringente insensibilitatis auctore. Lepra ergò juxta Ipsum, venenum habet anodynum non quidem soporativum sed glaciale propemodum, mortificans cum infectione spiritus sensitivi, ideoque potenter contagiosum, præcipuè in regione fervida ac sudorifera.

Impetiginis. In *Impetigine* pruritivum fermentum in Pelle latere statuit, hinc *Impetigines Lichenes* pellis vitia esse ait à pruritivo jam dicto fermento oborta, quæ si partem aliquam obsederint, pertinaciter eam ulceroso pruritu defœdant.

Alphi & Leuces. Cùm juxta *Helmontium* latex pluribus usibus destinetur & officiis sequitur eundem etiam exorbitantem totidem & plurium adhuc morborum causam fieri occasionalem, salsuginem nempe, acredinem ac putridi commistiones ab internarum partium sordibus infectas suscipit, multasque ideo pellis excoriationes, *Alphum* scilicet & *Leucen* excitant, prout & in pelle suas atque varias prurigines producunt. Errare itaque Scholas inscitia latiùs credit, quæ hos defectus in Jecur insons referunt ejusque intemperiem incusant; nec advertunt, quòd unica ovis totum gregem Scabie infestet, absque Jecoris labe ulla, quodque abstersisse manum linteo, quo Scabiosus est usus, Scabiem propaget citra Jecoris contagium aut defectum ullum.

Vuillisii opinio de causa Scabiei. §. 7. *Scabiem* oriri contendit *Vuillisius* ex humore lymphico acido salino facto in glandulis cutaneis constanter residente. Sanguis verò, è quo lympha depromitur, talem acido-salsam diathesin consequitur, vel ex alimentis uberiore sale refertis, & in ventriculo non ritè volatilisatis, vel à spiritibus debita copia cruorem non irradiantibus, nec salem ampliùs coercentibus. Quum enim novus iste serosus latex è sanguine elicitus salibus turgescens ad glandulas cutaneas, per quas foras erumpere debet, pervenerit, cum liquore in illis jam contento fermentat, quia cum ipso facilè nequaquam uniri potest, illi congener non existens, & post fermentationem in alienam concrescunt materiam, quæ ob crassitiem poros cutis, quos pervadere nequit, opplet atque obturat, & cutem in acuminatos tumores elevat, qui tum mole tum numero augescunt à sero perpetim adventante, & à sanguine in vasis suis à tumoribus istis compressis retento, & in cursu suo impedito. Fibræ autem nerveæ in glandulis miliaribus dispersæ à salinis particulis, quibus pori omnes sunt infarcti, vellicatæ, inordinatum spiritibus animalibus motum conciliant, molestique pruritus sensum excitant.

Causa Lepra. Ventriculi fermentum nonnunquam tantoperè depravatur, ut alimenta ingesta protervè concoquantur, & malè digerantur, ipsorumque principia inter se confusa ritè non expendantur, neque explicentur. Crassior ergò rudisque ex massa ista conficitur chylus, qui in sanguinem delatus, ab ipso nequaquam subigi assimilarique potest; sed suffocatis quasi spiritibus ipsius, ab illius adventu, tardior in motu suo redditur. Particulæ salinæ, quæ abundant & pleræque fixæ aut minùs volatiles omnibus alimentis insunt, crudæ minimeque exaltatæ sanguini commixtæ, spissiorem eum circulationique minùs habilem, & ad obstructiones in universis partibus, quas perlustrat, producendis aptiorem efficiunt. Depressis autem spiritibus, sulphureque in semetipso implicato, sal nullo ampliùs freno cohibitus sese in libertatem vendicat, & cæterorum principiorum jugo excusso, eorumque consortio privatus ad fluoris statum pervenit, fixusque penitus evadit, atque coagulatur. Sanguis itaque spissior factus fixisque salibus refertus, passim in tenuioribus partium tubulis cespitat, crassasque ac coagulatas salium particulas relinquit; quarum aggerie à novis perpetim advenientibus augescente, partium cutisque pori ab illis opplentur ac distenduntur, & in tumorem elevantur. Quum enim salium istorum superficies spiculis horrida existat, partium, in quibus continentur, texturam destruunt, earumque fibras dissecant, atque cutem in squamulas discindunt. Succus nervosus quum à vitio isto immunis non persistat, fibrarum nervearum canales, per quos circulatur, in finibus obstruit, spirituumque influxum in partes exteriores impedit, earumque sensum obtusiorem reddit.

Causa Impetiginis. *Willisius* negat *Impetiginem* produci ab humore merè cutaneo, vel contagio, vel à quavis alia causa depravato. Asserit verò in cruoris massa nonnunquam ob salis fixi fluorem passi abundantiam quasdam fieri concretiones acido-salinas, quæ quum nec edomari, nec comminui aut atteri possint, sanguinique innatantes cum ipso circulentur, ad cutim compulsæ ejus poris inhærent, quos opplent, & in tumorem elevant, atque in superficie pustulas producunt. Sanguinis enim crasi penitus vitiata existente, & sale in ipso imperium obtinente, novæ fiunt indesinenter salinę concretiones, quæ priorum vestigia prementes ad corporis habitum perveniunt, ubi ipsis aduniuntur, & pustularum in superficie prominentium aggeriem adaugent. Spiritibus sale hoc pacto in cruoris massa præpollente prorsus depressis, sulphurisque inflammatione & exaltatione præpeditis, illius coagulationes indies augescunt, & materia tartarea in sanguine uberiùs progignitur, quæ perpetua circulationis lege per arterias versus cutem delata, primarum pustularum molem adauget, novasque in superficie producit. Sed si sanguineus latex totus quasi tartareus evadat, in omnibus sanguiferis vasis in corporis habitu dispersis tartareas istas concretiones relinquet, ex quorum stupenda illa coacervatione in immensum exsurget pustularum aggeries, universaque superficies squamosa seu leprosa incrustatione obducetur: & tum humor cutaneus vitiati istius liquoris contagio corruptus, cum ipso associabitur, morboque vehementiori atque pertinaciori efficiendo auxiliares manus conferet.

Causa Alphi. Dum cutis & cuticulæ pori liberi & adaperti persistunt, humoresque excrementitii ad glandulas miliares, per quas foras prorumpant, appellentes, debita fluiditate gaudent, cutis lævis ac polita, & concolor permanet. Quum verò mitis ille humor in glandulis cutaneis hospitans, interdum nimis exhauriatur, aut vitiosus fiat, vel cutis cuticulæve textura densior evadat, earumque pori tum à prava victus ratione, tum à duriori labore, aut vehementiori frigore cōstringatur, humor serosus, qui per cutis foramina, continua evaporatione foras eliminari debet, præpedita via in cutis poris retinetur, & coacervatur, ejusque aggestio à novo indesinenter adveniente accrescit. Quum enim in poris cutis non adsit sufficiens iis omnibus serosis particulis continendis spatium, nec pateat ipsis exitus ob densiorem cuticulam, è poris cutis erumpentes sub cuticula expanduntur, & cuti suppositæ applicantur, illiusque colorem immutant: nigro siquidem eam tingunt colore, si Sulphura quædam crassiora & adusta admixta habeant, albo verò si liquor lymphicus purus & putus fuerit, humor autem serosus per poros exhalari solitus sale, sed volatiliori, naturaliter turget; sed si vitietur, fixior fit, & acorem quendam contrahit, salis-

salisque ejus spicula paulò crassiora atque duriora evadunt, qui cutis particulæque poros tum sibi angustiores reperiens, in illis hæret, & remoratur; sed quum illius aculei illis infixi remaneant, forisque promineant, cutis asperitas contingit. Si verò cuticula densior fuerit, particulæ serosæ sale utut volatili impregnatæ, eam pervadere nequeunt, & sub illa remorari coguntur, sed quum ad evaporationem continuò tendant, spicula sua cuticulæ poris inferiùs paulò apertioribus infigunt, quæ ad exteriorem superficiem pervenientia, eam asperam & inæqualem reddunt.

Causa Leuces. Liquor serosus è sanguine per glandulas cutaneas secretus, & per cutis poros forâs emanans, sale volatili turget, & indole sua mitis est & oleosus: cutis itaque benigno illo humore irrorata æquabilis tersaque permanet, & quamdiu per poros suos liberum exitum ei præbet, cuticulæque pori satis patuli illius evaporationem non impediunt, nullum contingit cuti ab ipso detrimentum. Sed quum corrumpi possit liquor ipse, pororumque cutis ac cuticulæ, uti & earum texturæ dispositio immutari possit, variis defœdationibus imprimis *Leuces*, pluribusque aliis affectibus obnoxia fit cutis; abundantiores autem in humore seroso existentes salinæ particulæ spissiorem eam faciunt, & ad evaporationem ineptiorem, ille verò crassioribus pollens particulis in cutis poris remanere cogitur, & in iis stagnare, sed quum perenni fluxu novæ prioribus adiiciantur, hæ ab illis è poris; quos occupabant, extruduntur, & versus cuticulam propelluntur, quam tum ob eam densiorem permeare non valentes, in subjectam cutem decidunt, & super externa ejus superficie expanduntur, cujus innatum colorem pervertunt. Salia enim in sero diluta aculeos suos in majoribus cutis poris, per quos exeunt pili, infigunt, eorumque radices erodunt & destruunt, ac illorum delapsum inferunt, sicque *Leucen* constituunt.

Juxta Sylvium causa Scabiei, Lepra, Impetiginis, Alphi & Leuces. §. 8. *Sylvius Scabiem feram, Lepram Impetiginem, Alphum & Leucen* gradu tantum inter se differre ait, hinc & non multum juxta ipsum horum affectuum causæ differunt. Causam enim Scabiei, Lepræ aliorumque cutaneorum affectuum esse humorem acrem dicit, simulque glutinosum, & potissimùm acrimoniam acidam esse causam reputat, humores etiam istos acres acidosque in corporis superficie hærere vult aliquando propter pituitam glutinosam ipsis admistam, aliquando propter aliquod in Diæta vitium patratum. Cutis enim rubedinem & apertionem Ipse ab acri mordaci, & ad salsedinem muriaticam tendente humore deducit, qui simul tenax existit, & hinc facilè concrescit & accrescit vestimentis, indusiis aliisque linteis parti affectæ proximis.

Existimat igitur Author, in Lepra acre maximè viscidum glutinosumque in corpore præexistens ad corporis superficiem cum circulante sanguine propulsum ibidem sisti. Et cùm duo sint acria ab Authore primùm inventa, salsum scilicet lixivum, & acidum, hinc pro diversitate hujus acris & reliqui glutinis modò *Lepram* modò *Impetiginem*, modò *Alphum*, modò *Leucen* oboriri contendit. Cæterùm hærere dicit illos humores acres acidosque in corporis superficie aliquando propter pituitam glutinosam ipsis admistam. Notat quoq; idem Author humorem ex lesa cute partes vicinas, quibus glutinositate sua adhæret, facilè inficere, ac similiter afficere, quo nomine serpere solent hi affectus; quin ratione eadem vitium hoc contagiosum reddi comprobat, dum iste humor alios attingit, ac præcipuè infantes & pueri, quorum humores pituitosiores, quàm in adultis faciliùs, juxta Ipsum, simili afficiuntur corruptione, illamque servant, hinc Scabiem, Lepram, Impetiginem aliaque utplurimùm contagiosa pronunciat, quia alios contactu suo inficiunt, adhærente scilicet humoris acris & plus vel minùs glutinosi parte alterius cuti, quam penetrat, & allabentis sanguinis sani partem corrumpit, atque in cute permanens, diuturnum sæpe malum parere posse contendit.

Cartesianorum iudicium de causa Scabiei. §. 9. *Cartesiani* etiam hic in pristina sua persistunt opinione, statuuntque *Scabiem* ab obstructione oriri tubulorum cutis, quòd iisdem succi inhæreant spissi & viscidi à particulis quibusdam cuspidatis & tal ter figuratis, ut certis quibusdam tubulis pedum, manuum, aliorumve corporis artuum inhæreant, quorum cavitati superficies eorum correspondeant, in motu impediti. Eæ enim particulæ cùm pro diversitate figurarum & tenuitatis vel crassitiei diversos constituant acidorum gradus, vario quoque modo alios succos, quibus immiscentur, in motu impediunt, & fibras tubulorum, per quos fluere solent, afficiunt. Quippe cùm plures ejusmodi particulæ viscido humori inhæreant, quæ cuspidatæ & acuatæ non tantum utrinque, sed etiam tenuiores sunt, celeriùs quidem, sed non ità vehementer ab æthere pertranseunte commoventur, quàm si pluribus gaudeant mucronibus, at majorem etiam habeant molem, etenim priores ità agitatæ à visciditate non adeò difficulter sejunguntur, & plures perforant fibras, verum subtiliores tam magna non efformant foramina, unde parvæ solummodò in cuticula excitantur pustulæ, quę facilè aperiuntur, & paucum effundunt pus; crassiores autem ex multis constantes aciebus ab æthere, cujus motui aliquantum resistunt; vehementiùs agitatæ, fibras plures in uno quodam districtu fortiùs dirumpunt ut chylus etiam ex cavitatibus suis effundatur, qui cuticulam foramen istud obtegentem distendat, & pustulas majores cum ambiente quadam inflammatione efformet. Dilaceratis etiam & destructis ab acidis illis succis glandulis, cum ductibus suis lympha effluit, & partes humectat, quæ Scabiei species vulgo humida dicitur. Apertis verò pustulis, si acutæ illæ particulæ, sive succi acidi, chylum inficientes vicinas semper fibras non modò cutaneas, sed subjacētes etiam musculares erodant & devastent, scabies redditur ulcerosa. Ex esu verò fructuum horariorum in corpore ejusmodi succos coacervari norunt, cū qui in corpore existunt ab iis facilè incrassentur. Propagari frequentiùs morbum hunc per contagium aliis etiam concedunt, quandoquidem spicula cum succis corruptis effluentia per attactum, sudorem, aut linteaminum usum, aliis facilè cōmunicentur, quæ poris cutis inhęrētia tubulorū obstructionē, & succorum cutaneorū corruptionem spe citiùs introducāt.

Lepra. Majori succorum viscidorum copiæ, & particularū angularium & rigidarū, sive acido-salsarum iisdem inhærentium adscribunt *Lepræ* causam, quatenus ad unū penè omnes totius corporis tubuli & glandulæ ab iis obstruuntur, & sales acidi glandulis cutaneis firmius inhęrent, atque aculeis suis fibras cutaneas pungendo pruritum excitant, ad quem sedandū quando cutis scalpitur ea jam arrosa facile dissolvitur, succique corrupti ex denudatis suis ductibus lentim effluentes superficiei adhęrent & in tantum augetur & indurescunt, ut levi ab attactu squamarum instar decidant, siquidem lympha, utpote causa earum materialis, adeò crassa existat, & lubricis suis particulis cum spirituosis orbata, ut neque ad fluorem prompta existat, neque superficiei corporis firmiùs agglutinetur, sed particulis rigidioribus plena facilè dissiliat. Antequam verò adeò indurescat lympha sed viscidior saltem in glandulis cutaneis & in specie ipsius faciei, brachiorum & coxæ hereat, tubercula efformari indolentia & mobilia referunt, quibus morbus hic primùm se prodat, quibus cùm cutis exterior satis est repleta, faucium, & radicis linguæ tubulos viscido ejusmodi succo repleri, uti & aliarum tandem partium, atque ab acutioribus particulis fibras cutaneas erodi, ulceraque plana & lata tum in naribus, tum in aliis membris excitari, donec tota massa sanguinea corrupta sit, & succus chylosus vitiatus ad tubulos perveniat, & nullum partibus conveniens distribuatur alimentum, unde & destrustis glandulis pili decidant, & è locis punctis nullus sanguis effluat, cùm arteriolæ succo quodam viscido repletæ sint, nervi relaxētur, ut nullus sentiatur dolor, & color vividus, ob sanguinis & succi chylosi purioris defectum, deperdatur donec arteriæ tandem & venæ coarctentur, ulcera verò nasum depascantur, & asperam arteriam occupent, vitamq; finiant. Ungues etiam ob nutrimenti corruptelam istam findi, intorqueri, & ungularum brutorū in modū excrescere dicūt. Colligi verò pravos illos succos in corpore profitetur ex mala victus ratione, cibis nō satis coctis sed crudis, multū infumatis, salitis, aliisq; fœdis, aere impuro, & simil. diætę aberrationibus suo loco latiùs enumerandis.

Impetigines. Tenuiore verò existente lympha, sed ab acido in motu impedita, & in glandulis primò paucioribus, deinde pluribus hærente, & easdem in cute obstruente, fibrasque vellicante *Impetiginem* suscitari referunt, cujus particulæ cùm ab etherea materia celeriùs moveantur tubera ista in superficie calida & rubicunda reddi dicunt, & cùm successivè lympha ista obstruens augeatur, tubera illa augeri, uno post aliud succrescente, & posterioribus priora in altum prementibus, ut botrum referant, donec lympha exsiccata, & particulis salsis rigidioribus existentibus, cuticula dehiscat, & succi indurati squammatim decidant.

Alphum sive *Vitiliginem* ortum habere censent ex corrupto chylo & sanguine, qui si partim adhuc bonus existat, & in cute ejusque glandulis earumve interstitiis tum partes corruptæ spissiores, tum bonæ fluidiores & butyrosæ dispergantur, partes spissiores & ad motum pigriores cuti adhærentes, sed eidem assimilari non valentes, guttas repræsentare albas, Alphi nomine notas, quæ nec asperæ sint, nec squamosæ, nec ulceratæ, nec dolentes, nec fricatæ rubeant; si verò succus quidam accedat acidus, fibras & glandulas cutaneas destruens, ut radii luminares suffocentur in iisdem, coloremque fuscum præsentent, *Melas* produci innuunt, vel Morpheæam nigram: uti si omnimodo destructis hinc inde glandulis pili decidant, & lympha ex diruptis suis canalibus effluens albidior coaguletur, & radii lucis incidentes immutati remittantur, *Leucen*, sive Morphæam albam pronasci, in qua fluidiores adhuc paucæ remanentes particulę pilorum progeniei insufficientes, & ad cutis superficiem delatæ ab ambiente aere comprimantur, & prout in motu fuerunt coagulentur, sicque superficiei inhærentes lanuginem ejusmodi, qualis mala cydonia, vel folia populi albi investiat, exhibeant.

Nostra sententia de causa Scabiei. §. II. Eadem ferè *Scabiei* causa, me judice, est ac Erysipelatis & Herpetis suprà jam recensita, glandulæ enim hic æquè ac tubuli lymphatici subcutanei obstruuntur & eroduntur, sed tamen profundiores, quàm Erysipelatis; variè enim & hic oriuntur pustulæ, & ulcuscula, quæ prout diversa est sanguinis humorumque intemperies, ipsius cutis diversa textura laxior vel constrictior, etiam pro eorum minimis diversitatibus ratione siccitatis, humiditatis acredinisque majoris vel minoris, figuræ, magnitudinis, vel pertinaciæ, vel quatenus cum aliis morbis conjunguntur, vel eos subsequuntur, varia sunt variisque insignita nominibus, ita ex. gr. ab usu nimio fructuum (licet ordinariò per contagium disseminetur,) æstivorum præprimis acidiusculorum, austerorum, ut uvarum, &c. obortæ in cutis tubulis intortis, angustis vel constantioribus membranosis, ut circa manus regionem, obstructiones & dein erosiones pro acredinis gradu & copia conjuncta majori vel minori visciditate, vocantur *Scabies* seu *Psora*, magis vel minùs *humida* cum materia purulenta, ichorosa & sæpe ab erosis vasis sanguiferis cruenta: vel *sicca* cum squamis vel crustis majoribus vel minoribus, pro multitudine diversorum vasculorum exesorum, materiæque visciditate, cum pruritu vel dolore ac ardore, decidentibus pustulis novæ succedunt: vel quia materia ex iis sanguini communicata aliqualem secessionem, atque hinc ob tubulorum angustiam novam obstructionem causatur: vel quatenus materia sub crustis novos eroserit tubulos: cumque hæc materia aliquatenus sit tenuis, & volatilis, per sudorem alterius corpori, & hinc sanguini comunicata, vel lymphæ in cutis extremis existenti, talem in sanguine producit mutationem, ut sal vel acidum præcipitetur, hoc est, ut hæreat angustis in cutis tubulis, ob aeris injurias foras avolare nequeat, mox exulcerationibus se prodituram, vel cum ob conjunctas viscidas particulas manibus, &c alterius hominis facillimè adhæreat, & quasdam epidermidis vel cutis fibrillas abscindendo ab iis in cincinnos resilientibus retinetur citiùs vel tardiùs, pro sui tenuitate, acutie, &c. atque subjecti dispositione; vel accedente aeris mutatione instar fermenti succum lymphaticum in mixtura, (qui dein sanguinem) turbando, tubulosque ejusdem erodendo, labe scabiosa est infectura. Hinc liquet, cur visciditati involuta & stagnans in cutis tubulis aliquando certum tempus requirat, antequam in actum deducatur; adhæc cur Scabies desiisse visa vel curata ob consolidatas exulcerationes, certo revertatur tempore. Sal ergò acidum coagulans & obstruens est in *Scabie* subtilius, quam illud, ex quo & per quod furunculi generantur, & magis in superficie hæret, affectus enim hi tantum gradibus differunt, quia eadem ferè conspiciuntur phænomena, pustulæ enim scabiosæ circa furunculos æquè apparent, ac in Scabie. Sal acidum subtilius in Scabie adesse constat ex eo, quòd hic affectus aliis facilè per sudorem communicari possit, uti quotidiana notum est experientia, hinc facilè explicari potest, quomodo Scabies aliis communicetur, non verò furunculi; supponi ergo debet, quòd sudor Scabiosi manibus vel aliis corporis nostri partibus communicetur per tubulos, cujus sudoris particulæ fermentibiles cum lympha ibidem contenta ad cor mediante sanguine revehantur, ibidem appellens sanguis particulis peregrinis refertus instar fermenti exotici, necessum est ut ejusmodi vitiosa sanguinis ac succorum mixtura in peculiari genere vasorum discernatur ac comprehendatur, & cùm nullæ ad hanc materiam vitiosam recipiendam aptiores sint, quàm ipsæ glandulæ cutaneæ, quia cum his vasculis in motu, ordine, & figura magis conveniunt, quàm cum aliis. Et ut accuratius Tyrones rem hanc intelligant, supponant, 45. libras succorum cum sanguine in toto nostro corpore subsistere, & plures quàm millia diversorum canaliculorum, in quibus succi vehuntur, reperiri, ac quodlibet vas repleri, sique aliorsum circuletur succus, propediem alio adventante succo repleri, ita ut quodlibet vas juxta suam capacitatem & magnitudinem ex communi alveo adimpleatur. Ex quibus facilè ratio peti potest, cur Scabies potiùs in tubulis cutaneis, quàm in aliis corporis partibus producatur. Certum est in Scabie non semper totam massam sanguineam esse vitiatam, uti vulgò à Medicis creditur, qui propterea statim confugiunt ad purgantia, cum tamen nil quicquam istis efficiant. Sunt enim plures homines Scabie infecti, quoad cætera sanissimi, potest ergò esse, quòd aliquod fermentum lateat in poris cutis, quod salem fixum se sanguine à particulis reliquiis præcipitet; adeoque cura tantum est instituenda ad huncce salem per poros cutis evacuandum.

Opinio hæc nostra de causa Scabiei non novitatis argui debet, nuper enim incidi in Librum *Jacobi Sadoleti Episcopi & Cardinalis de Laudibus Philosophiæ intitulatum, & Anno Christi* 1541. *impressum*, in quo de Scabie sequenti modo disserit: *Scabies est morbus vulgaris, & omnibus notus, quem Psoram Græci vocant, nos vertimus Scabiem, cùm sanguis acescens sparsim è cute conatur erumpere, & quacumque funditur, propter acumen stimulis pungit inficitque corpus, & inficiendo pruritus acres ciet, qui sunt quasi fermenta quædam, & nondum appropinquantis doloris*. Ex hisce patet, veteres Philosophos prægustum veritatis jam habuisse, Nunc pergamus ad explananda in Scabie obvenientia phænomena, & quidem paucis. Ex pruritu satis superque constat, materiam, ex qua Scabies producitur, non esse adeò crassam ac tenacem compactamque, sed quod particulæ volatiles facilè per allisionem aliarum particularum alluentium appellantur, sed quoniam appulso totius massæ sanguineæ nimis debilis est, hinc tantùm cum miti & blando poppysmate allidit, à quo fibræ tantùm leniter tanguntur ac pulsantur, exinde *titillatio* oritur. Pruritus nocturni causa est calor, dum enim cooperti sumus, corpus nostrum continuò transpirat, hinc fermentatio in succis stagnantibus oritur, & sic particulæ in glandulis affectis commoventur, & ejusmodi producunt pruritum molestum,

Si pustulæ decidunt, aliæ regenerantur, ratio hæc est, quia ab attenuata pustula nonnullæ particulæ peregrinæ sanguini iterum commiscentur, qui rursus

rursus huc delatæ eumdem edunt effectum, & producunt affectum. Reliqua phænomena facilè explicari possunt.

Ad causas Scabiei mediatas remotiores nunc festinandum est, inter quas eminet Aer: hic nocet aer nimis nitrosus, frigidus, qui ad coagulationem succorum producendam aptus est: imprimis verò morbifer Autumnus, qui corporis nostri succos ad plurimos disponit morbos, præsertim ob assumptos fructus horarios tum temporis abundantes, nihil enim magis hoc in affectu nocet, quàm abusus ejusmodi alimentorum acidorum & salinorum, de quibus & aliis paragrapho de *Diæta* inferiùs latius & fusiùs acturi sumus.

Si totum corpus Scabie fuerit infectum, & sanguis ita inquinatus, ut per universam cutim obstructiones, & hinc fœtidæ continuæ exulcerationes fuerint exortæ, vel tantæ fuerint tenuitatis & acredinis, ut continuò circumvicinos aggrediendo tubulos tum erodendo, tum speciem Erysipelatis ac Gangrænæ levioris introducendo, tandem per totum corpus fuerint diffusa, ubique continua fœtida crustacea, & squamosa ulcera, dicitur adesse Lepra, atque à similitudine, (cùm adeò sæpè fuerit crustosa cutis, ut Elephantis cutem repræsentet,) Elephantiasis, qui affectus optimo jure Cancer totius corporis, seu Gangrena omnium glandularum dici meretur, cujus causa proxima sunt particulæ terrestres & viscidæ Tartaro sive sale quodam fixo & acri de indole acidorum prægnantes. Viscidas enim ac terrestres particulas peccare, præter testimonium oculorum & manuum quod easdem in sanguine demonstrat, etiam evincit pertinacitas morbi, tuberculorum & tumorum durities & tenacitas, eorumque, ut & ulcerum & quandoque totius cutis insensibilitas. Si etiam acres & austeræ particulæ quando à crassis succis præcipitantur, nec propter rigiditatem, qua gaudent, mæandris, sive tubulis partium solidarum accommodari debitè possunt, sed illis constanter infixæ hærent, necessariò aculeis suis, prout sc. illæ magis vel minus fuerint rigidæ & acutæ, continuum pruritum & etiam dolorem, fibrillas nimis discindendo, in mente excitare possunt. Sal etiam acidum in Lepra adesse probatur à corrosione partium carnosarum & ipsorum ossium, item à colore obscuro & nigricante totius corporis leprosorum, & præcipuè illorum sanguinis, qui similis est ei, quem spiritus acidi minerales in venas canis vivi vel alius animalis per siphonem injecti producunt, spissum sc. & atrum, contrarium verò edunt effectum salia alcalia volatilia & fixa injecta, ut sunt spirit. Sal. Armoniaci, C. C. ol. Tartari per deliquium, quæ sanguini infusa colorem exaltant, quod quilibet in vino experiri potest, sal enim volatile C. C. vino infusum illud intensè rubescere facit. Sic quoque notabilis exstat observatio apud *Marcellum Donatum*; si ipsi fides adhibenda sit, quòd sanguis ex vena secta Elephantiasi laborantis emissus ipsam congelaverit aquam.

Lepra quoque aliquam habet affinitatem cum Scorbuto, Cancro & Lue Venerea, qui affectus omnes itidem oriuntur ab acido coagulativo, quare sæpè morbi in hunc vel illum commutari solent, sed in Lepra acidum hoc vitiosum ab humore terrestri ac viscido implicatur ac infringitur, unde nonnisi lente rodit & mediante illa visciditate corporibus aliis tenaciùs adhæret, & volatili suo acido per contagium se propagat.

Certum enim est, cùm humor iste tenax ac terrestris tùm sal acidum in massa sanguinea abundent, & proportione excedant, illius mixtionem non tantùm pervertunt, sed & motum ejus turbant. In Leprosorum ergò sanguine ac succis particulæ sunt ad motum ineptiores, quadratæ vel ramosæ & rigidæ viscido inhærentes, imò aliquando instar palorum inter reliquas ad motum promptiores ubique infixæ, illarum motum impediunt; imò particulæ salinæ acidæ cum reliquis concrescendo illas præcipitant, & instar lactis coagulant, hoc autem haud impedit, quo minùs motu sanguinis ac succorum ordinario ita turbato & impedito, extraordinaria ejusdem fermentatio adesse possit, cui etiam tribuendum est, quòd humor malignus, qui in profundioribus & magis abditis lateat glandulis, velut in domo Plutonis delitescat, jam internorum victor, superficiem corporis invadat, ibique trophæa sua erigat, variis ac crudelissimis Symptomatibus conspicua. Contingit quoque simili modo, quo Tartarus & fæculentiæ in musto fermentante ad latera dolii, recrementa ista crassa & salia coagulata ad latera vasorum lymphaticorum ductuum glandularum excretoriorum & Peripheriam corporis pellantur, ubi serositate adhuc excepta & diluta, minutissima etiam vasa capillaria subire possunt, qua ratione cutem & glandulas lympham filtrantes ac segregantes replent, ibi à lympha per poros, vel aliorsum evadente, derelicta, nec ob crassitiem per poros excerni nec minuta venarum oscilla cum sanguine reliquo subingredi possunt, hærent itaque in angustiis illis, & ab aliis pari modo subsequentibus pressa, & invicem aggesta, partem in fœdos attollunt tumores, ibique magis magisque exsiccata majorem acquirunt malignitatem & acrimoniam, atque erosione ulcera excitat insanabilia, insensibiliaque.

Causæ *remotiores* & ansam huic affectui præbent, ut Aer, qui calidior & siccior remotè suum symbolum conferre potest, hinc Ægypto, teste etiam *Galeno*, endemius est, & in Asia Africa & Hispania frequentior est Lepra, quàm nostra in Europa, crebriùs tamen occurrit in Gallia Narbonensi & Aquitania, Germania item superiori. Nocet quoque Aer frigidior, qui succos incrassat viscidumque auget, vel acrior, qui particulis salinis ex terra imprægnatus, vel putris ac fœtidus. Lepra & tempore Veteris Testamenti maximè communis erat, nunc verò fuerit à certa aeris constitutione, vel Dei punitione, id Theologis discutiendum relinquamus.

Mala victus ratio ipsum morbum producere valet, vel tantùm ad eum recipiendum corpus disponere potest; sub hac classe refelluntur cibi pessimi, salini ac acidi, vel singularibus particulis præditi, & omnia ea, quæ chylum viscidum acidum salsum & terrestrem suppeditant, ut sunt carnes ac pisces fumo indurati aut muria conditi, pisces butyro frixi, fungi, bulbi, caseus vetustior, panis surfuraceus aut nimis acidus, legumina nonnulla, carnes non coctæ, quibus Tartari vesci solent, hinc & Lepræ obnoxii sunt; nocent etiam cerevisiæ crassæ ac vina tartaro crasso fœcunda, usus spiritus vini & aliorum spirituum sulphureorum Somnus quoque & vigiliæ nimiæ, ut & quies suum afferunt symbolum, quò etiam referri possunt Excreta & Retenta extraordinariè se habentia. Denique animi pathemata vehementiora ansam Lepræ dare possunt, quæ ceu fulmina sanguinem & succos percutiunt, & inter ea imprimis, quæ spiritus figunt, debitam eorum ex cerebro in partes subjectas emanationem, sanguinisque in corde expansionem & rarefactionem impediunt, & per consequens succis crassis ac acidis plus isto augendis occasionem dant, cujusmodi sunt tristitia ac mœror, curæ immodicæ, &c. Contagium quoque facillimè producit hunc morbum, quod vel ab ortu, vel post nativitatem communicatur, unde Elephantiasis vel *hæreditaria* vel *ascititia* dicitur. Primò igitur hæreditate ad invitos etiam transeunte hoc malum possidetur, alterutro Parentum vel utroque etiam semina morbosa suppeditante. Patris enim semen cùm nihil aliud sit quàm chylus spiritibus alcalibus volatilisatus, illorum diatheses morbosas facilè recipere & conservare potest, nec impedit, si cum Harvæo Anglo spiritum tantum genitalem ad ovum immediatè (non verò priùs per totam sanguinis massam & dein ad ova delatum, prout quidam opinantur,) pertingere, illudque fœcundare credamus, cùm haud difficulter percipi possit, spiritum illum in universali hac totius corporis corruptione à Principiorum suorum, sanguinis, succorum ac spirituum labe planè immunem esse non posse, sed miasmatibus, seu particulis nonnullis exoticis, characterem affectus continentibus necessariò conspurcatum existere debere, quæ cum instar fermenti venenati se habeant, teneras ovuli partes facilè in indolem suam deflectere possunt, & tubulos succos-

que ita disponere, ut eadem labe infans afficiatur. Mater quoque, quæ in opere hoc generationis haud omninò se passivè habet, ut Veteres somniarunt, suum addit symbolum, dum præter ovum, ceu primam fœtus materiam, nutrimentum etiam illi in utero suppeditat, succum nempe chylosum, neutiquam autem sanguinem menstruatim aliàs excerni solitum, prout Arabes fabulantur.

Sic & post nativitatem contagium hujus morbi suscipitur, non duntaxat per leprosorum, aut rerum, quibus usi sunt, contactum, sed & per halitus tùm ex toto eorum corpore & glandularum poris, tùm imprimis ex ipsis ulceribus sordidis in aerem sparsos & cum eo per tubulos corporis subeuntes, & sanguineæ massæ communicatos, eandemque producentes mixturam sanguinis ac succorum. Lepra etiam per coitum communicatur, item per oscula, lintea, vestes, pocula, &c. per hæc enim subtilior veneni hujus pars per fermentationem abrasa, & leni alicui viscositati involuta, poris cutis se insinuat, & secundùm ductum vasculorum illius excretoriorum in glandulas, & hinc mediante lympha in sanguinem defertur, quem paulatim vi fermentativa in indolem suam convertit & degenerare facit.

Causa Impetiginis, Alphi & Leuces.

Ulcuscula verò in *Impetigine* nec ut in Lepra contagiosa sunt, nec ab externa causa contagiosa oriuntur, sed à sanguinis & succorum certa dyscrasia seu intemperie introducta, vel ab erroribus in Diæta, vel à morborum quorundam non ritè curatorum reliquiis, ut scorbuti, luis Venereæ, &c. vel à parentibus traducta, cum qualis parentum sit sanguinis & humorum mixtura, talis per semen propagetur, & per alimentum fœtui communicetur: porrò nec ita ut in Lepra, (saltem non ordinariò, si gravissimam speciem exceperis,) per universam cutem diffusa sunt, sed tantùm hanc vel illam, vel aliquas corporis partes obsidet *Impetigo*, cujus materia ichorosa ex orificiis vasorum expulsa tenuibus vel aquosis particulis, ab aere vel corporis calore, vel ætheris celeriori (ob præsens Erysipelas) transfluxu, &c. fugatis, diversimodè citiùs vel tardiùs concrescit varias in squamulas, prout unus vel plures tubuli glandulæ unius miliaris erosi transmittunt copiosiùs vel parciùs chyli portionem resinosam, viscidam magis vel minus acutioribus salsis, vel acidis, vel humidis permixtam, si autem capillaria sanguinem ad vel à singulis glandulis vehentia, pluresque glandularum plurium vasorumque tubuli fuerunt erosi, simul copiosiorem fundunt materiam in varias transformandam crustas.

Sic quoque sal istud in tubulis cutaneis hærens, cum humoribus serosis ibidem existentibus aliam efficiunt texturam, ita ut pustulæ nigro tingantur colore, quia particulæ hæ salinæ ob densiorem cuticulam stagnantes, è poris cutis erumpentes sub cuticula expanduntur, & cuti suppositæ applicantur, illiusque colorem immutant, & sic oritur *Alphus*.

Quòd si simul sal istud acre contingat ad glandulas minutissimas pilosas, easque acrimonia sua erodat, ut pili exeant & decidant, oritur affectus *Leuce* dictus. Affectus enim hi parùm inter se ratione causæ differunt.

Prognosis.

§. 11. Sequuntur ordine horum affectuum *Signa Prognostica*, & primò *Scabiei*. Scabies non tam periculosa, quàm molesta est, nec per se lethalis existit, nisi in curatione error committatur, retropulsa enim pejora sæpe producit symptomata, imò in infantibus & pueris nonnunquam ipsam mortem, sic observavi palpitationem cordis, anxietates, Epilepsiam, tussim convulsivam, convulsiones, diarrhœas, Apoplexiam, aliaque mala exinde producta: sic quoque in filia decem annorum à Scabie retropulsa saltum sancti Viti, seu saltationem convulsivam vidi. Aliquando pectoris dolores, & catarrhi suffocativi ex Scabie retropulsa in praxi nostra quotidie animadvertimus. Bona aliquando est Scabies, ut *signum*, quatenus sanguis liberatur ab impuritatibus, & segregatur in glandulis: mala vero est ut *causa*, quatenus abundare ejusmodi salinas fixas particulas in M. S. ac reliquis denotat, quæ cutim diversimodè defœdant: pessima quoque Scabies est, si caput obsideat. Quo plures occupat partes (universalis quasi,) eò pejor, quo fœdius exasperat, eò deterior. Scabies ergò quò asperior est & magis prurit, & plures partes afficit, eò difficiliùs tollitur. Scabies quæ in ulcera imprimis pedum transit, curatu difficillima est.

Scabies *sicca* difficilius quàm *humida* curatur. Neglectum hoc malum facili marte in Impetiginem, Lepram & Elephantiasin nonnunquam incurabilem transit.

Omnis verò Scabies est maligna, hinc & sæpiùs multum in cura facessit negotii, quia quamvis cætera salva sint in corpore, superficialium tamen tubulorum & vasculorum cutaneorum tanta est obstructio, ut sæpiùs quo magis sudent Scabiosi, eò magis in cute defœdedentur.

Elephanthiasin incipientem tanquam monstrum in incunabulis haud difficulter curari, sed ubi jam altas egerit radices, vestigiis violentiæ suæ cuti impressis, rem multò jam difficiliorem & periculosiorem esse notum est, quamvis spem omnem curationis necdum abiicere debeamus, sed quando ad summum malignitatis acumen adscenderit, insanabilem planè esse, prout etiam quæ hæreditaria est, quæ nunquam in totum exstirpari potest, cùm ejus principia primis jam fœtus staminibus combinata, arctè nimis partibus adhæreant: unde hos & confirmatos Elephantiacos & Leprosos spem curationis abiicere jubemus, eosque quemadmodum olim Veteres mortuos suos Diis subterraneis consecrandos judicarunt. Hinc & in nostra Germania ejusmodi leprosi propriis ædibus in via Regia extra civitatem exstructis inhabitare solent, ut melius extra consortium aliorum hominum vivere, & Eleemosynam à transeuntibus petere queant.

Prognosis *Impetiginis*, *Alphi*, & *Leuces* magis vel minus est periculosa & curatu difficilior, prout ipsa causa, videlicet acredo vel crassities fuerit major vel minor, vel prout combinati fuerint cum aliis morbis; si introrsum vergunt, periculum indicant maximum, aliàs quantum indicant materiam peccantem propter fermentationes sufficientes posse ad circumferentiam corporis expelli, bonum exhibent signum.

Diæta.

§. 12. Multum sanè ponderis ad felicem affectuum horum atrocissimorum curationem situm est in congrua ac legitima *Diæta*, quæ id quandoque præstat, quod Medicamenta nequeunt, imò pluribus morbis fomes quasi præscindi potest. Aer ergò sit ante omnia purus, saluber & lucidus, Euro perflabilis, multo æthere refertus, vitetur omnis aer fœtidus, crassus, turbidus ac nimis frigidus, ut & pravis nebulis atomisque conspurcatus. Alimenta sint boni succi, & facilis digestionis, carnes animalium juniorum, avicularum, vel vervecinæ, vitulinæ, juscusculisque incoquantur herbæ aromaticæ, fugiantur nimis salsæ, acres, fumo induratæ & carnes crudæ, &c.

Potus sit hic imprimis calidus Theæ vel Coffeæ cum decocto lignorum paratus, quo solo potu plures vidimus curatos. Cerevisia tenuis probè defæcata & aromaticis condita, ut sunt radices Enulæ, herbæ scolopendr. fumar. cort. Guajac. citri, & vina acida Rhenana, Franconica, Neccarina, Mosellana, Baccharacensia, quæ omnia in se continent acidum sal fixum, maximè noxia existunt. Concedi verò potest Gallicum, Hispanicum, Secq dictum.

Motus sit modicus & deambulationes presertim post pastum institutæ. Quies nimia & vita sedentaria sæpe nocet, hinc interdicenda est, quia inde tenax ac viscidus producitur sanguis. Alvus respondeat spontè, vel artis beneficio ad officium redigatur.

Venus nullo modo concedenda, chylus enim optimus cum spiritibus planè his absumitur, tunc in tubulis remanet duntaxat sal fixum ac acre viscido inhærens obstruensque. Sunt, qui statim post coitum in deliquium animi incidunt, ceu nos quædam novimus exempla. Excernenda omnia justo tempore reddantur,

ne

ne obstruendo sanguini ac succis nostris coagulationem afferant.

Animi passiones vitentur, ira & indignatio ad sanæ rationis trutinam mensuranda sunt, Medicus animum ægri mœrori & tristitiæ deditum certa curationis spe soletur ac demulceat.

Galenicorũ cura in Scabie.

§. 13. *Galenici* quoad *Scabiei* curam, à purgatione semper initium ducunt, & sunt ex iis qui purgantibus præmittunt præparantia humores ex herbis fumar. endiv. cichor. borrag. lupul. Epithymo aliisque parata, & in sero lactis caprini ad tertiæ partis consumptionem decocta & dein edulcorata. Pro purgatione commendant omnia melanagoga phlegmagogis mixta, ut sunt massa pilular. de fumo terræ, extr. agar. cochiar. pulv. Syrius. Priùs etiam sanguinem educunt, posteà exuberantem humorem, ubi antea eum extenuarunt & concoxerunt, exhibitis potionibus meatus obstructione liberantibus Medicamentis purgantibus expellunt, ac demum ad præsidia, quæ loco affecto accommodata, accedunt.

Inunctionibus exsiccantibus & discutientibus summæ cuti inhærentes humores digerunt ac evacuant. Balnea prodesse dicunt, ea maximè, quæ sua sponte prorumpunt & nitrum ac sulphur & ejusmodi aliam qualitatem recipiunt, quæ abundè exsiccare & dissipare credunt, post quæ convenientia innumeraque unguenta, linimentaque præscribunt, ex.gr.

℞. *Salviæ*,
Oleæ Æthyop. lacbrymæ aa. *unc.* ß.
Cort. rad. capparis,
Gummi aa. ℨ vii ß.

Benè trita coq. cum aceto & oleo q. s. confectumque inung. crebrò in Sole.

℞. *Succi rad. asphodeli unc.* iv ß.
Sulphuris ignem non experti,
Mannæ aa. *unc.* v.
Nitri unc. ß.

M. Trita madefaciunt cum aceto acerrimo, ut in succum solvantur, & crebrò illinunt.

℞. *Colophond. arid.*
Pingued. bovis & gallin.
Ol. laurin.
Sulph. ignem non experti,
Ceræ puræ,
Resin. Terebinth. aa. ℥ ß.

Subacta fervefaciunt cum oleo rosaceo, & illinunt in Sole. Sequentem illinitionem admodum mirabilem in Scabie dicunt.

℞. *Lauri amaræ folior. tenerum* ℥ ij.

Bene tusa coq. cum oleo communi ad tertias, dein colant, & species abiiciunt oleo, atque admiscent
Ceræ albæ ℥ ij.
& elixant, quoad dissolvantur, posteà insperg.
Sulphuris ignem non experti triti ℥ j.

Bene confectum illinunt in Sole.

Vel

℞. *Succi squillæ* ℥ iij.
Ceræ puræ ℥ ij.
Olei rosacei ℥ iv.
Lithargyr.
Ceruss. aa. ℥ iij.
Picis liquid. ℔ ß.
Helcysmatis, *seu scoriæ argenti Syriaci* aa. ℥ ij.

Trita irrigant cum aceto & cocta ad consistentiam illinunt in Sole frequenter.

Sequentem quoque illinitionem Scabiei admodum esse probatam scribunt.

℞. *Farinæ ervinæ*,
Lupinorum,
Fœnigræc. aa. ℥ ij.
Cicer. nigr. ℥ j.

Trita excip. cum melle & confecta illinunt in Balneo.

Ova decem in aceto acerrimo macerant, quoad omnis ipsorum testa marcescat & mollescat. Dein coquunt cum rosaceo, & aceto lævigatis adiiciunt. lithargyr. ℥ ß.

Sed quis quæso hæc omnia describat?

In sicca verò Scabie commendant seq.

℞. *Ceruss.*
Amyli,
Rad. anchusæ aa. M. j.
Ceræ,
Olei aa. ℥ ij.
M.

Si verò Scabies est humida, sequens laudant.

℞. *Ol. rosac.*
Laurin. aa. *unc.* j.
Pulv. Nitri,
Sulphuris aa. ℥ j.
Styrac. ℨ ß.
M. F. linimentum.

In Lepra, seu Elephanthiasi.

Lepram seu *Elephantiasin* confirmatam, & altas agentem radices, & quidem exulceratam tanquam Cancrum totius corporis incurabilem esse contendunt, ubi verò in principio est affectio, ut neque aliqua partium decidat, neque ulcerata sit cutis superficies, neque etiam tumidæ eminentiæ plurimùm insurgant, verùm turpis solùm sit facies, ità tamen, ut non valdè indecorum aspectum præferat, curare tentant. Non pauci per solam capitis ustionem, plerosque qui ita inceperunt, prohibere conantur, ne ab affectione superarentur. Statim igitur incipiente morbo venæsectione utuntur, cum repetita sanguinis detractione, atque hoc magis in vere, quando maximè & gignitur affectio & exacerbatur. Paucis autem interpositis diebus, novem aut decem, purgant ipsos pulte ex colocynthide, non una vice, sed sæpè, juxta rationem Medicamenti dosin adaugent. Purgationem quoque ex hiera iis commodam esse dicunt.

Rursus autem diebus circiter 10. interjectis, serum lactis scissi ipsis dant. Sequentibus verò diebus lacte non scisso, aut recens mulcto ægros alunt, purgationem ex veratro albo bis vere, autumno verò semel instituunt. Materiam peccantem ad ventrem ac intestina deducunt, & ex alto evacuantibus ac transferentibus humores utuntur, siccant ac adstringunt cutem. Leves igitur cucurbitas ad os ventriculi, & ad præcordia affigunt, & iisdem quoque partibus dropaces adhibent. Pauco autem tempore interposito rursus reflectendum esse ajunt, initio à purgatione per hieram sumpto, omissa venæsectione, ex qua majus detrimentum, quàm utilitatem ullam futuram esse perhibent. Dein ad specifica transeunt & potiones sequentes plures laudant.

℞. *Aceti cyath.* N. j.
Cedriæ,
Succ. brassic. crud. cyath. aa. N. ij.

Mixta hæc dant manè & vesperi.

Vel exhibent pulv. folior. Sideritidis herbæ ad ℨ j. in vini cyatho uno: aut C. C. ℨ j. & aceti scyllit. cyathi mensuram bibendam prebent quotidie post matutinam deambulationem, aut sequens Electuarium.

℞. *Scillæ assatæ* ℨ v.
Mell. q. s.

M. ad formam eclegmatis.

Aut exhibent succi cyrenaici ervi magnitudinem melle & butyro dilutam, aut ramenti eboris drachmæ dimidium cum vini cyathis duobus, aut cumini Æthiopici drachmas tres cum melle velut eclegma. Prę omnibus autem hoc in morbo efficacem esse dicunt Theriacam ex viperis, & potam, & forinsecus illitam. Si verò habere possunt ipsa animalcula, nihil adeò efficax esse, velut viperarum carnes coctas comestas ex albo jure, facta coctura per aquam copiosiorem, & salem & porrum & anethum usque ad spinarum separationem, abscissis priùs capitibus ac caudis ipsarum, ad digitorum quatuor mensuram, exemptis etiam intraneis ipsarum, pelleque detracta. Quo remedio utplurimùm in Gallia & Italia Medici moderni uti solent in morbis ferè omnibus desperatis, & in jusculis viperas vivas etiam decoquunt ęgrisque propinant manè & vesperi. Quin & Theriaci sales idem præstare

ipsis censentur, cum obsoniis sumpti: si enim ipsis utantur, squamas veluti corticem quendam de cute ipsorum discedere promittunt. Cæterùm post curationem intrinsecam Smegmatis in balneo utuntur ex decocto betæ aut fœnigræci cum aphronitro, aut sapone, aut myrobalano, & quandoque etiam psilothris. Detergere etiam dicunt portulacam cum aceto tritam, & tenue sempervivum, & rumicis radices aceto coctas, & alumen cum sale & sandaracha, æquis portionibus in vino & oleo lentiscino: & id quod ex alcyonio, nitro, sulphure, & myrti foliis paratur, cum aceto tritum & illitum, & quod ex sepiæ testa usta & pumice, nitro, cimolia tosta, gummi & galla omphacina, paribus partibus parant, siccum inspersum aut cum aceto affrictum. Sed etiam sequens mirificè juvare credunt.

In Lepra seu Elephantiasi.

℞. *Radic Rumicis* M. j.
Nitri ℥ LX.
Thuris ℥ XXV.
Sulphur. ℥ XXIJ.
Cum aceto Ægyptio illinunt.

Efficax esse etiam sequens perhibent.

℞. *Auripigmenti* ℥ X.
Sulphuris viv. ℥ viij.
Costi ℥ xij.
Calcis viv. ℥ IV.
Ceræ ℥ V.
Baccar. lauri aridar. ℥ xij.

Hæc omnia populi foliorum succo aut crasso decocto subigunt, & mellis spissitudinem habentia illinunt.

Cataplasma enim imponunt, si tumidæ eminentiæ aut inflammatæ, aut exulceratæ fuerint, quod parant ex alica cum succo polygoni aut plantaginis, aut helxinæ trita; sed & milesiæ herbę viridis folia cum axungia tusa ac imposita mirificè opitulari perhibent. Exulceratis autem partibus imponunt Emplastra varia, id quod ex diaphryge paratur, & Melinum ex vino, & coriacium, & quod fit ex aceto mulso. Pastillus etiam Andronius & pompholyx & cadmia illis prædicantur. Cæterum ad spirandi difficultatem in elephantiacis asellos sub vasis aquariis quinque aut sex ex aquæ mulsæ cyathis tribus bibendos præbent. Aquarum verò naturalium usum velut maximè necessarium eligunt, aluminosarum præsertim, & ferrosarum, &, si fieri potest, frigidarum. Conferre etiam Ipsis easdem in potu annuunt, eandemque vim habere etiam arenæ marinæ usum, & omnia exsudatoria ac sudorifica. Habitationes ipsorum Elephanticorum quàm longissimè removendas esse ab urbibus & in mediterraneis ac frigidis locis statuendas esse asserunt.

Lepræ Medicinam facientes *Galenici* venæsectionem primùm instituunt, si corpus humorum copia redundare vident, sin minùs omninò tamen purgationem per ea, quæ atram bilem evacuant, præscribunt. Forinsecus autem utitur in communi quidem veratro utroque & calce lota in usum sicca seposita, usu verò expetente aquam diluentem strigmenti spissitudine illinunt.

℞. *Salviæ*,
Oleæ Æthiopicæ lachr. aa. ℥ viij.
Cort. rad. capparis.
Gummi aa. ℥ xiij.

F. Linimentum, quod illinunt cum aceto in sole.

Lepras autem privatim removere ajunt anemonas appositas, radicem vitis albæ, compositam verò hanc farinæ loliaceæ chœnicem, cardamomi albi drachm. 4. spumæ nitri drachm. i. atramenti sutorii drachm. 8. asphodeli radicis mediæ drachm. 4. terunt in aceto & crati crassitudine illinunt, loco ex nitro præparato,

℞. *Radic. asphodel.* ℥ vj.
Sulphur. vivi,
Mannæ aa. ℥ X.
Nitri ℥ viij.
Aceto diluta illinunt.

Prætritis cum aceto vitellis & sulphuri ceratum addiciunt. Quin & argenti spuma cum aceto & rosaceo trita, ut emplastri formam accipiat, Lepram depurgant. Sed & ex lapatho smegmata, & pleraque ad Elephantiacos descripta in communi etiam ad lepras & Scabiem contumaciorem facere ajunt.

In Alpho

Alphi curationem sequenti medicamine peragi promittunt *Veteres*.

℞. *Aluminis scissilis* ℥ iij.
Nitri ℥ IV.
Myrrhæ aridæ contritæ ℥ vj.
M. dein in balneo super Alphum inspergunt farinam ex faba.

Incidunt etiam cutem nonnunquam, & materiam intus contentam eximere tentant.

Illos verò *Alphos*, quos Melanas vocant, sanant, quum simul contrita sunt alcyonium, thus, hordeum, & fabam sine oleo, in balneo ante sudorem inspergunt tum genus id vitiliginis defricant.

In Impetigine.

In *Impetiginibus* Medicamenta vehementer siccantia commendant, proinde post totius corporis evacuationem simplicia ipsis competere ajunt, ut sunt cicer, veratrum, erinaceus in petris degens, pix cerato ac resinæ admixta, crocodili terrestris stercus & sturnorum, ubi solam oryzam ederint. Multi verò hoc solo Impetigines in mento aut etiam alibi curare satagunt. Triticum multum incudi ferventi imponunt, & defluentem ex ipso liquorem adhuc calidum Impetigini illinunt, ac puerorum Impetigines saliva hominis assiduè confricant; ad has etiam facere dicunt pruni gummi illitum. Inveteratæ verò Impetigini Viticis folia trita cum aceto imponunt, aut eodem modo capparis folia. Composita verò hæc, ut sulphur cum thure aut cum ammoniaco aceto dilutum illinunt, sicuti etiam Pastillos plures in eum finem componunt, ut sunt sequentes,

℞. *Sulph viv.*
Spumæ nitri aa. ℥ ß.
Canchryos ℥ j.
Terunt cum aceto, & partem affectam illinunt.

Vel

℞. *Veratr. alb. unc.* j.
Farin. lupinorum,
Buccinorum ustorum,
Nitri aa. ℥ iij.
M. illinunt & affricant.

Ad fortiora sæpe confugiunt levioribus nihil juvantibus.

℞. *Picis*,
Rad. helleb. alb. trit.
Ol. rosar. aa. p. æq.
M. f. l. a. unguentum molle.

Ad Excoriantia quandoque deveniunt, ut est applicatio solius picis & violenta ejus detractio.

Vel

℞. *Æris usti*,
Fol. viticis,
Lithargyr.
Nitri aa. ℥ j.
Sulphuris viv.
Rad. Veratri alb. unc. ß.
Æruginis ℈ ij.

Terantur omnia separatim, c. s. q. olei rosacei & ceræ citrin. F. linimentum, quo remoto mundificant unguento viridi vel Apostolorum, deinde ad cicatrizandum imponunt ungu. de tutia, vel de minio, vel Empl. de lapide calaminari.

In Leuce.

Leuces Curationem Veterum quod attinet, hi non omnem Leucem dicunt curabilem, sed dignotiones ipsius tales habent. Leucem in superficie non ulrra cutem perpungunt, & si quidem sanguis fluxerit, curam recipere ajunt: si verò humor lacteus effluat, incurabilem esse pronunciat. Quidam igitur unionem per ferrum in Leuce probarunt, & alia, quæ per adustionis modum solùm adhibent: alii verò & ex ustione dolorem, & ex hac cicatricem veriti, quæ non minùs quàm ipsa *Leuce* decorem, vitiaret crustam inducentibus Medicamentis utuntur, qualia etiam concolo-

concolorem cicatricem efficere tradunt: alii etiam horum difficultatem reprobantes, Tincturas adhibent, & sequentibus compositionibus uti solent:

℞. *Adarces*,
Canchryos,
Sulphuris vivi aa. p. æq.

Singula tusa ac cribrata seorsim, dein cum aceto simul ad multos dies lævigata in Sole illinunt. Progressu verò temporis adiiciunt parum quid de veratro & de galla.

Fici nigræ virgulta aceto macerata, & lævigatis aphronitri, sulphuris vivi, myricæ fructus, singulorum æquales portiones admiscent, & nitro præfrictis illinunt, ac insolant, cavendo ne exulcerentur. Alii calce viva sufficienti ad fici folia admixta utuntur & ubi defricueris, inquiunt, Leucas veratro albo, donec exudarint, reliquo corpori concolores fient, qua de causa etiam sinopide aut meliade terra easdem illinunt, aut acubus simul innitentibus perpunctione facta, donec cruorem fundant, sinopide cum aceto illinunt, aut præfrictas fici succo recenti illinunt, & folia ipsius aliquantum confricant.

[Paracelsi cura in Scabie.] § 14. *Paracelsus* in *Scabie* abstinendum esse ait à potionibus, digestionibus, purgationibus, à diaphoreticis, ab exsiccativis & morbillorum unguentis, sequentia verò in Scabiei cura commendat.

℞. *Aluminis rupei* ℔j.
Aluminis Armeni ℔ß.
F. Mixtura pro Scabie.

℞. *Aluminis plumosi*,
Entali aa. ℔ij.
F. Mixtura pro pruritu.

℞. *Alcali de albuminibus*,
Salis fusi aa. q. v.
F. Mixtura pro furfuribus.

℞. *Vitrioli*,
Aluminis scissi aa. ℔ß.
Fiat Mixtura in Sapharis.

Hæc etiam ipsa prodesse ait in Lepra Græcorum.

[Elephantia.] *Elephantiam* verò terminari in ulcus cavernosum asserit, quò membri consumptio transit ad principale membrum, & inde sequi mortem haud dubitat. Juxta ipsum ergo triplex est Elephantiæ cura: quarum una est hæmorrhoidarum: secunda menstruorum provocatio: tertia liquorum exsiccatio.

[Lepra.] Leprosos laxativis ullis non purgari vult Author. Quod enim est oleum ad aquam, hoc idem est ad mentem Authoris, Medicina ad Lepram; quare plenam atque perfectam aggreditur curam, præparationem nempe regenerationis, & idipsum juxta præscriptum Spagyricæ Tincturæ in hunc modum: Principio mundanda esse ait metalla leprosorum interveniente Tinctura, in qua duplex Tinctura & duplex Lepra delitescit, rubea scilicet & alba, hanc Lunarem, illam Solarem appellant Spagyrici. Priorem ex Tinctura Solis, posteriorem verò ex Tinctura Lunæ accipit. Hic non existimat operæ pretium esse observari ea, quæ Veteres de origine Lepræ scripserunt, cum eadem Praxis adferat. Porrò inquit, qui velit Spagyricè consulere Lepræ, videat, ne cum his, qui Mercurium Solis, quem plerique Spagyricorum primam materiam appellant, (*aurum potabile* falsò crediderunt,) aberret. Ille asserit, Lepram rubeam à Mercurio Solis, albam à Mercurio Lunæ sanari. Hoc opus, hic labor est, ut Mercurium exactè conficias. Postremo, pergit, etsi Mercurius ad tingenda metalla non prorsus sufficeret, valeret tamen in corpore, ut illud sanitati restitueret. Sunt præterea alia quædam arcana, quorum de vita longa fecerat mentionem, quæ Lepram ex æquo tollunt.

[Alpho, Impetigine, Leuce.] *Alphum*, *Impetiginem* ac *Leucen* Author curari asserit per sua arcana, mortificativa & mundificativa, imprimis seq.

℞. *Vitrioli*,
Aluminis scissi aa. ℔ß.
F. Mixtura.

Vel

℞. *Alcali de albuminibus*,
Salis fusi aa.
F. Mixtura.

[Helmontii modus curandi Scabiem.] §. 15. *Helmontius* ad *Scabiem* curandam præ aliis interna commendat salia urticalia acidaque enecantia & eliminantia, magni enim æstimat sua sudorifera, imprimis Mercurium diaphoreticum, aliaque Ipsi solennia. Omnia enim, quæ detersivam facultatem ex copioso nitro habent, etiam laudat, unde cruorem detersivum illius salis pruritivi reddunt. Remedium unicum externum hic extollit, unguentum nimirum præcipuo è Sulphure paratum, quod contagio inimicum tollit omnem propemodum pellis Scabiem, cui addit radices Ellebori albi, & baccas lauri, quo unguento partes Scabie infectas sæpiùs illini jubet.

[Lepram.] *Lepram* Author dicit esse malum difficilis sanationis, propter contagium glaciale ac fermè mortificans, spiritusque sensitivi oppressivum, hinc testatur, quòd Lepram nemo mortalium curaverit unquam, qui non potitus sit liquore Alcahest, qui sit tædiosissimæ præparationis, nemoque, etsi artis gnarus fuerit, ad ejus consecutionem perveniet unquam, quem Altissimus speciali dono non eò duxerit, particulari enim privilegio sit oportet electus ac dotatus si, potiri illo medio debeat: per quod scilicet juxta Ipsum, tàm sensitiva, quàm insensitiva sublunaria æqualiter penetrantur, usque in radicem seminalem atque intrinsecam primi Entis. Idcircò etiam cuncta subise domat, & commutat absque reactione patientis, agentisque depauperatione. Lepra ergò ad mentem Ipsius difficulter sanatur, eò quòd venenum glaciale confermentetur, ceu dictum, spiritui sensitivo, unde remedium debet habere accessum ad prima nostri constitutiva, ubi venenum est superando, & glaciem hujus hyemis novo Vere suffundendo, id quod præstant Ipsius arcana, ut sunt Arcanum Corallinum, Tinctura Lili, &c. de quibus jam alibi dictum est.

[Impetigine.] Ad *Impetiginis* pruritivum fermentum exstirpandum ac enecandum commendant *Helmontiani* liquorem sequentem Mercurialem saccharatum:

℞. *Aq. Plantag.* ℥vij.
Rosar. ℥ij.
Merc. sublimat.
Sacchar. alb.
Spir. vini aa. ℥ß.
M. add.
Aq. fortis ℈j.
M.

Cum penicillo liquore intincto tingendum volunt locum affectum, & quidem sæpiùs de die.

[Alphum & Leucen.] Interne etiam æquè hoc in casu, ac in *Alpho* & *Leuce* ad Laticem exorbitantem reducendum, & salsedinem seu acredinem in pelle peccantem enecandam deprædicat *Helmontius* Mercurium suum diaphoreticum, & parare solet ex Elleb. alb. & bacc. lauri varia linimenta.

[Vuillisii armatura ad profligandã Scabiem.] §. 16. *Willisius* tum internis, tum externis remediis *Scabiem* curare promittit. Mox ab initio venam secat, & deinde purgans Medicamentum exhibet. Pro potu ordinario sequenti infuso uti jubet.

℞. *Summit. Tamarisc.*
Fumar. sicc. aa. M. iij.
Rad. lapath. acut. sicc. ℥vj.
Cort. solan. lignos. ℥ij.

Incis. & contus. misc. & in doliolum quatuor congiorum cerevisia tenui plenum injiciantur. Sed quùm interna auxilia sine externis nihil aut parum proficiant, sequens unguentum præscribit.

℞. *Ungu. enulat. sine Mercur.* ℥iv.
Pulv. Sulphur. ℥ß.
Ol. Tartar. per deliq. q. s.
M. F. Unguentum.

Si verò pertinacior fuerit Scabies, ad unguenta Mercurialia recurrit.

Etiam-

Lepram. Etiamsi *Willisius* Lepram utplurimùm incurabilem esse denunciet, Viperinorum usum longum tamen suadet. Acidulæ etiam, uti & serum lactis juxta ipsum prosunt. Chalybeata quoque optimi esse usus promittit; Hic etiam decocta lignorum cum Antimonio crudo in nodulo concluso, laudat, & tandem curationem ejus per salivationem Mercurialem tentandam esse ait.

Willisius ad horrendæ *Lepræ* profligationem convenire dicit post universalia, scilicet phlebotomiam, & catharsin, serum lactis, acidulas chalybeatas, herbarum expressiones succulentas, imò & salivationem; & omnibus aliis ex Viperis parata Medicamenta anteponit, aliorumque serpentum carnes elixas, & loco cibi ordinarii comestas mirum afferre auxilium asserit.

Alphum. Si *Alphus* ex pororum constrictione ortum ducat, *Willisius* tunc diaphoretica juvare promittit, quibus poros constrictos aperit. Si verò ab humore lymphico vitiato affectus hic producatur, illi corrigendo & alterando operam navat. Sed quùm Medicamenta externa talibus defœdationibus delendis sint apprimè necessaria, sequenti utitur ad cutim detergendam.

℞. *Lixivii è sale Tartari minus saturati* ℥iv.
Olei amygd. amar. per express. fact. q. s.

Oleum lixivio in tali proportione misceatur, ut totus liquor lactescat, ac ità persistat. Mixtura hac illinantur partes Alpho affectæ manè ac vesperi.

Leucen. Particulis salinis in *Leuce* cuti inhærentibus demulcendis, iisque foras eliminandis & poris cutis aperiendis Author operam navat, in quem finem sudorifera, diuretica aliaque commendat. Deinde hoc Medicamento partem inungit:

℞. *Camphor. incis.* ℥ij.
Teratur in mortario vitreo, sensim affund. *succi limon. unius*, deinde adde *vin. alb* ℔j.
M. F. colatura, & *Camphora residua* petia ligata, in vitro suspendatur, & servetur ad usum.

Sylvii processus in curatione Scabiei, Lepræ, Impetiginis, Alphi, & Leuces. §. 17. *Sylvius* in curatione *Scabiei* eò reflectit, ut acrimonia acida & pituitosum glutinosum corrigatur, in quem finem extollit salia lixiva & imprimis blandiora vel fixa, quale in calce viva reperitur, vel volatilia ex omnibus animalium partibus parabilia, utroque enim remedii genere usus est feliciter & plures facilè curavit Author. *Scabiei* curationem plerumque solis externis absolvi vult, & quidem absque internis Medicamentis ullis, nisi observentur præterea alia in humoribus vitia, imprimis si Scabies producta fuerit à sudore quovis modo impedito, in quem casum sudoriferis blandis ac sæpiùs exhibitis denuò viam parat humoribus in superficie hærentibus, ibidemque ità corruptis, ut Scabiem feram producant. Ubi verò criseos modo ad cutim propulsus fuerit humor acer, idemque ob admistam pituitam tenacem ibi hærens Scabiem produxerit, cæteris functionibus ritè se habentibus curationi ejus non ità incumbit, cùm temporis accessu sponte evanescat. In curatione æquè Scabiei ac reliquorum affectuum, nempe Lepræ, Impetiginis, Alphi ac Leuces, instituenda omnia ea laudat Medicamenta, quæ cutis poros servant apertos, quin eosdem aperiunt, quæque humorem acidum temperant, glutinosumque incidunt & abstergunt, sicque partem affectam restituunt, & consolidationem promovent. Maximè verò cavendum esse ait, ne adhibita Medicamenta ullo modo cutis poros occludant, humoremque peccantem ad interiora repellant, unde sæpè in Scabie, aliisque cutis affectibus plurima gravia mala, febres nempe, asthmata & Epilepsiam, & post eam sæpe mortem produci ait. Aliis ergò Medicamentis Author præfert sola salia volatilia sed blandiora, quorum ope plures curavit hisce morbis cutaneis obsessos & quidem feliciter, satque citò & facilè. Dandam quoque esse operam monet, ne crustæ facilè à partibus subjectis, imprimis in Scabie, separentur, cum sub ipsis feliciùs contingat cura tota. Eadem de Scabie fera, item de *Lepra*, *Impetigine*, *Alpho*, & *Leuce* dicta vult, cùm iisdem salibus volatilibus affectus hi sensim decedant.

Cartesianorum ratio curandi Scabiem. §. 8. *Cartesiani* in curatione *Scabiei* ad succos viscidos & acidos maximè advertunt animum, ut iidem attenuentur, & eliminentur, tum per sudorifera, tum levia quædam cathartica, præsertim si glandulæ intestinales ejusmodi visciditate & particulis angularibus acutis refertæ sint, ità enim easdem cùm viscido humore simul evacuari, & sanguinem cum chylo ab iisdem præservari promittunt. Diaphoreticis tamen potiorem adscribunt potentiam in subvertendis istis particulis mucronatis cuti inhærentibus, & glandulas ejusdem destruentibus, & hac de causa non diu cunctantur, sed protinus ad eorum accedunt usum, propinando vel decocta ex lignis Guajaci, sassafras, fraxini, radicibus chinæ, scabiosæ, Lapathi acuti, enulæ, herbis fumariæ, cardui benedicti, persicariæ, centaurii minoris, floribus sambuci, aquilegiæ; vel pulveres ex Antimonio diaphoretico, cerussa Antimoniali, sale fumariæ, scabiosæ, tartari, sulphure, vel alias quasdam misturas, ex quibus diversas componunt formulas, quarum sequentia quædam existant exempla.

℞. *Antimonii diaphoret.* gr. xij.
Salis fumar. ℈ß.
Volat. C. C. gr. ij.
M. F. Pulvis.

℞. *Aq. Persicar.*
Senecion. aa. ℥ij.
Essent. Enul. ℈ij.
Spir. flor. sambuc. ℥ß.
Tinct. Antimonii ℈j.
Syr. fumar. ℥iiß.
M.

Præmissis iuternis hisce, quibus glandulæ earumque ductus obturatæ optimè reserantur, & succi viscidi non modò attenuantur, sed cum particulis mucronatis iisdem inhærentibus foras ejiciuntur, etiam ab extrà remedia adhibent succos illos sævientes domantia, & devastationes cutaneas ab iis jam factas restaurantia, quorum de numero primum locum penes ipsos merentur balnea vel ablutiones ex decocto rad. bryoniæ, lapathi acuti, aristolochiæ, scrophular. ari, herbarum persicariæ, saponariæ, agrimoniæ, parietariæ, nicotianæ, foliorum betulæ, farinæ lupinorum, sem. staph. diagr. sulphur. &c. in cerevisia tenui, vel ex aqua calcis vivę, in qua aliquid mercurii dulcis fuit dissolutum, vel alio quodam decocto Mercuriali, quæ omnia calidiusculè, vel saltem tepidè sunt adhibenda, & post eorum usum cutis leviter tantummodò linteolo quodam detergenda. Fortiora si desiderantur, ad unguenta procedunt, qualia sunt enulatum cum Mercurio, Mercuriale *Ang. Salæ*, Antimoniale cum Mercurio ejusdem, Medicamentosum *Mynsichti*, de lythargyrio, de tutia cum lacte Sulphuris & sale Tartari. vel quæ sequentes exhibent formulæ.

℞. *Flor. Sulphuris* ℥iij.
Butyr. non salit. ℥iij.
Zinzib. ℥j.
Mercur. præcipit. ℥ß.
M.

℞. *Ol. Nuc. jugland. rancid.*
Sulphuris aa. ℥j.
Succ. apii q. s.
F. s. a. Unguentum.

℞. *Ung. alb. camphor.* ℥ij.
Sulph. trit. ℥ij.
Sapon. Venet. ℥iß.
Lithargyr. ℥ij.
Nitri ℥j.
Mercur. dulc. ℥ij.
Calc. viv ℥iij.
M. F. Unguentum.

Vel sequens D. D. Vogelsangii elegans, quo Scabiem manuum sæpius pro voto ægrorum abegit.

℞. *Ol. balanin. recens express.* ℥iß.
Salis Tartari ℥ß.
Lactis Sulphur. ℥ß,
Ol. d. Ligni Rhod. gt. viij.

Spatula aliquoties agitando redigantur omnia in Linimentum subalbidum, quo locus affectus bis de die inungatur.

Pustu-

Pustulas aperiunt, & chylum corruptum in iis latentem linteolo leviter exprimunt, hinc aqua mercuriali vel calcis vivæ abluunt, & unguento Medicamentoso inungunt. Ulcera non minus aqua calcis vivæ, vel spiritu camphorato emundant, & pulverem ex radice fumariæ bulbosæ, albo græco, olibano, myrrha, & cineribus ossium inspergunt, tum emplastro diasulphuris imposito debite consolidant. Indusium quoque sulphuratum nullatenus contemnunt.

[Elephantia- & Lepram.] Fortiora quædam in usum ducunt in *Elephantiasi* tum Arabum, tum Græcorum, sive *Lepra*, quales ægros à sanorum consortio separatos volunt, & sudoriferis tractari diutiùs continuatis, si forsitan in principio ulterior succorum coagulatio & omnimoda acescentia prohiberi queat, consummatos enim inanem sæpius de perfecta curatione concipere spem nullatenus ignorant. Sunt verò remedia, quæ leprosis & elephanticis convenire existimant, decocta ligni Guajaci, thermæ sulphureæ, nitrosæ & martiales, Antimonium crudum, & senecta serpentum cerevisiæ imposita, pulveres ex nitro & floribus sal. armoniaci, unicornu solare, flores Mercurii argentei, Theriaca tum Andromachi, tum Saxonica *Mynsichti*, Tinctura ex floribus reguli antimonii. Externè admodùm convenire existimant balneum illud abstergens, purgans, rarefaciens & digerens *Rondeletii*, quod componitur ex bryoniæ, cucumeris asinini, serpentariæ, enulæ aa. ℔ß. cum radicibus lapathi acuti, acetosæ, borraginis, buglossæ, saponariæ aa. M. iij. cum radicibus fumariæ, lupulorum, endiviæ, cichorii, plantaginis aa. M. iij. lupinorum, corticum fabarum, hordei integri aa. P. ij. rosar. rubr. flor. nenuphar. trium flor. cordial. tamarisci aa. M. iv. flor. chamomill. melilot. aa. M. ij. in aqua fontana & pluviali decoctis, post quod oleo bufonum inungunt.

[Impetigine.] Eadem quoque procedunt ratione in *Impetigine*, cui etiam sublimatum præcipitatum conferre credunt, vel sal Mercurii, & foris unguenta adhibent post balnea, quæ picem liquidam in se continent, præsertim illud, quod paratur ex carne vervecina radice lapathi trajecta, & pice liquida perfusa, in veru assata, liquor defluens servatur ad usum. Unguentum sequens valde approbant.

℞. *Ol. Junip.*
Nuc.
Tartari per deliq. aa. ℥ij.
Vitrioli Roman.
Salis commun.
Sulphuris trit. aa. ℥iij.
Litharg. aur. ℥iv.
Ceræ q. s.
M. F. Unguentum.

Mercurialia substituunt, si priora parùm efficiant, adhibentque ad singulas drachmas præcipitati albi unguenti rosacei unciam, & invicem probè miscent.

[Alphum & Leucen.] Pariter & in *Alpho* ejusque speciebus, adeoque in ipsa etiam *Leuce* sudorifera fortiora approbant, qualia sunt præter superiùs recensita bezoardicum Solare *Mynsichti*, Tinctura ex Mercurio Antimonii cum Auro, Tinctura ex floribus Antimonii. Externè locum affectum oleo bufonum illinunt, vel balsamo lithargyrii terebinthinato, aut liquore Mercurii vivi, nec unguentum de nicotiana hoc in casu adeò improbant, quamvis inveteratus affectus fortissima etiam reiiciat remedia.

[Nostra cura Scabie.] §. 19. Si respicias ea, quæ Nos de causa *Scabiei* diximus, facili marte Tibi etiam nostra apparebit *cura*, nostro judicio consistit in temperando acido, & diluendo sale fixo acido, in cutis glandulis miliaribus ejusque ductibus excretoriis hærente, simulque resolvendo succo ab iisdem coagulato, quæ omnia obtinere possumus per *Incidentia*, cathartica leniora, *Diluentia aquea*, *Diaphoretica mitiora*, & *Diuretica blandiora*, quò enim materia tendat, eò ducendam esse hactenus omnes judicarunt Medici. Ex classe *Incidentium* Nos præ aliis commendamus Tartarea, Armoniacalia & amara. In Juniorum gratiam sequentem vel similem apponamus formulam.

℞. *Cristall. Tart.* ℈ß.
Pulv. ari, *Enul.* aa. gr. v.
Salis Armoniaci depurat. gr. ij.
M. f. pulv. detur in triplo.

Essentia trifol. fibrin. & Elix. nostr. polychrestum, cum spiritu matrical. paratum egregia sunt.

Inter *Cathartica leniora & blandiora* commendamus, quæ scilicet non ad sanguineam perveniunt massam, fortiora enim purgantia proscribimus, hinc novimus exemplum, quod viro 40. annorum scabioso pulvis Jalappæ ℈j. cum crem. Tartari ℈ß. fuerit exhibitus, absque hypercatharsi eodem manè quo assumpserat, mors subsecuta est. Aliàs scabiosos centies vidimus purgatos, remanente in exterioribus cutis glandulis Scabie. Concedi tamen possunt mitiora, ut sunt Infusum passulatum cum foliis senn. Elect. nostr. laxans cum mercurio dulci, decoct. fol. senn. cum Rhabar. quod & per se vel cum aliis potui ordinario imponi potest. Quod attinet *Diluentia aquea*, ea sæpe omnem implent paginam, si sint simul temperantia, sal enim istud acidum in glandulis subcutaneis existens maximè diluunt temperantque, ex quibus potus Theæ tantùm omnia superat, quantum lenta solent inter viburna Cupressi, salia enim acria diluit, ac acidum viscidum temperat, circulationem sanguinis ac succorum promovet; potest etiam hic potus parari cum decocto Guajaci, sassafras, rad. chinæ, enulæ, &c. & sic præstantior erit, potus quoque Capheæ egregius est. In hunc finem & varia destillata ex herbis & succis antiscorbuticis parari possunt, vel ad præscriptum Dn. à *GuldenKlee* dentur singulis matutinis & vespertinis horis Mixturæ temperantis ac diluentis sequentis ℥iij.

℞. *Aq. fumar.* ℥iv.
Cichor.
Endiv. aa. ℥iij.
Succ. recent. ex cochlear.
Nasturt.
Fumar.
Cichor. aa. ℥ij.
Sacchar. q. s.
Digerantur & filtrentur.

Vel dentur varia cum sero lactis infusa à Medicis Practicis ad nauseam hinc inde descripta, & inter Antiscorbutica relata.

Salibus hisce dilutis & temperatis audaciùs ad Diaphoretica blandiora accedere possumus, cùm sic diluta & quasi subtiliora facta salia faciliùs per poros cutis, mediantibus sudoriferis, eliminari queant, in quem finem conducunt omnia salia volatilia, ex. gr. sal volat. C. C. eboris, viperar. quæ viperina aliis palmam præripiunt, item sal volat. urinæ, Armoniaci, item salia alcalina fixa, ut sunt Antimonium diaphoretic. bezoart. miner. Martiale, Joviale & animale, C. C. philos. calc. Eò enim in curatione Scabiei incumbendum est, ut superficialium tantùm tubulorum & vasculorum cutaneorum obstructio tollatur, quod obtinetur aliquando per Tincturam Antimonii solar. à guttis x. ad xx. cum decocto ligni Guajaci exhibitam. Cerussa antimonialis sequens in Scabie curanda egregii usus est.

℞. *Reg. Antimonii* part. j.
Nitri part. iij.

M. f. pulv. qui detonetur, edulcoretur, & exsiccetur, Dosis à ℈ß. ad ℈j. quovis manè, imò ipsum Antimonium crudum exhiberi vel potui indi potest. Viperina semper interponenda sunt, & ipsæ viperæ jusculis carnium incoqui & sic assumi possunt. Axungia viperina tum internè tum externè maximè confert, quæ cum conserva fumar. vel rosar. aliquoties exhibita Scabiem quamcumque certò curabit, modo non sit adulterata, prout in Gallia hoc remedio plures vidit curatos Frater meus *Jacobus Wilhelmus Dolæus*.

Si Scabies retropulsa est, & particulæ hæ vitiosæ & exo-

exoticæ vel massæ sanguineæ mixturam turbant, vel succos reliquos, imprimis nerveum coagulant, ac acrimonia sua salina in istis succis varia & vehementiora producunt Symptomata, eò annitendum; ut per diaphoretica iterum ad sedem priorem, cutis scilicet glandulas expellantur, in quem finem sequens vel similis præscribi potest Mixtura.

℞. *Aq. fumar.*
Fl. sambuc. aa. ℥iß.
Tinct. Antimon. Tartarif. ʒj.
Essent. myrrh. ℈j.
Lignor. ʒiß.
Salis volat. viperar. gr. iv.
Spir. camphoræ ℈j.
Syr. de fumar. ʒvj.
M. & detur cochleatim, & quidem per vices repetendo.

Vel sequens Domini à GuldenKlee.
℞. *Aqu. fumar.*
Fl. sambuc. aa. ℥iß.
Sulphur. aurat. gr. xj.
Spirit. ebuli ʒj.
Theriacal. ʒß.
M. pro una dosi.

Vel sequens Juniperinum.
℞. *Rob Juniperi* ʒß.
Salis Juniperi gr. xij.
Spir. ejusd. ʒj.
Cum aqua Junip. uel fl. sambuc.
F. potiuncula una vice assumenda.

Pauperculæ hisce in locis ad Scabiem expellendam uti solent sulphure vivo ad ʒj. aliquoties assumpto. Scabies sicca & maligna non aliter curatur, quàm Lues Venerea per decocta lignorum, rad. salsaparill. sale Guajac. spir. matrical. extracta aliaque specifica capite de Lue venerea petenda.

Quandoque mediante sero per *Diuretica blandiora* educuntur particulæ istæ salinæ & acidæ Scabiem producentes, hinc Tinctura Tartari cum essentia lignorum, item serum lactis cum herba fumaria, pro pauperibus sæpè sufficit; & cum potus Theæ tanquam optimum diureticum inclaruerit, eapropter & hoc nomine conducet. Inter reliqua blandiora Diuretica referimus sequentia.

℞. *Aq. bellid.*
Fragar. aa. ℥iß.
Spir. nitri ℈ß.
Tinct. Tartari ʒj.
Syr. de duab. rad. ʒß.
M. detur cochleatim.

Vel detur liquor noster diureticus è Tartaro & nitro paratus ad 30. guttas, vel Tinctur. Antimonii in Aq. card. bened. succus quoque Betulæ tempore veris exstillans conducet, qui salinas particulas in humoribus existentes circumvolvunt & cum urina educunt, quod etiam præstat decoctum contra Scabiem *Mynſ.* vel ejus loco decoctum sum. pini, vel dentur spiritus seq. Balsamici guttæ 30.

℞. *Spir. C. C.* ℥vij.
Gumm. pini clarissimi ʒiv.
M. & destilla juxta modum chymicum.

Vel
℞. *Terebinth. inspiss.* ʒj.
Gumm. Ammoniac. ʒß.
Asell. ppt. gr. xv.
Ocul. cancror. ppt ℈ß.
Balsam. Peruvian. gt. v.
M. F. pilulæ pisi minoris magnitudine cum pulver. rad. liquirit. inspergendæ, & 20. pro unica dosi assumendæ.

Ad Classem Diureticorum etiam pertinent Acidulæ & Thermæ ad leges Medicas assumptæ, quæ & hic opem spondent. Peractis hisce omnibus & instituta pro causæ varietate electione dictorum remediorum internorum; ad Topica seu *Localia Externa* accedendum est, quibus sæpè solis Scabies, & absque Internis à plebeiis curari solet, hinc tantùm ex sulphure vivo cum axungia porcina unguentum parare norunt, quod sæpè cum fructu, nonnunquam verò cum tristi effectu illinunt. Sulphur verò sanat Scabiem non ob adjunctum spiritum acidum, nam ille solus nequicquam hic proficit, sed ob reliquam sulphuris substantiam, quæ saturata non est tanta acidi quantitate, quin ei facilè possit longè plus adhærere humoris acidi in Scabie peccantis. Sic etiam Mercurius, magnus iste acidi domitor seu magnes, sine acido Scabiem semper tollit, plura enim commendantur linimenta contra Scabiem, quæ pro basi agnoscunt Mercurium vel ejus præcipitata, album, viride, rubrum, &c. prout malum fuerit pertinacius. Emplastrum etiam Mercuriale, & sæpè zone inclusum, nam circa corpus gestatum Hydrargyrum tollit omnes cutis defœdationes scabiosas, quæ si refractariæ, & nullis ordinariis auscultent remediis, in usum vocentur simul remedia Lui Venereæ ac Scorbuto dicata interna, Tartarea & myrrhata externè sæpè omnem implent paginam & sunt tutissima, ut & Camphorata. Sequens nobis solenne est.

℞. *Ungu. Enulat.*
Sapon. Venet. aa. ℥j.
Sulphuris viv. ʒiß.
Sal. Armon. depurat. ℈j.
Camphor. ʒß.
Mercur. dulc. ℈j.
Ol. Terebinth. q. s. f. linimentum.

Vel in forma liquida sequens, vel similis applicari potest.
℞. *Aq. calc. viu.* ℥v.
Spir. vin. Camph.
Matrical. aa. ʒj.
Tinct. myrrh. ʒiij.
Ol. Tartari per deliq. ʒß.
M.

Hartmannus linimenta varia ex Sulphure, pulvere pyrio, Camphora, pice liquida, resina pini, Terebinth. &c. parata summoperè commendat. Ab aliis laudatur sequens.

℞. *Sapon. Ven.* ℥iv.
Sal. Armon. ʒß.
Fl. cerid. N. j.
M. cum aq. rosar. f. linimentum.

Hisce nil juvantibus nonnulli ad fortiora transeundum esse indicant, seq. vel simile præscribentes.
℞. *Mercur. sublimat.* ℈j.
Ung. nutrit. s. c. ℥iv.
M. exactè.

Linimentum Cosmi Slotani à *Guilhelmo Fabricio* descriptum à pluribus magnipenditur.

Optimo verò cum successu & Balnea tum naturalia, tum artificialia institui solent, ut quasi eluantur salia ista acida coagulativa fixiora. Inter naturalia laudantur ea, quæ multo Sulphure & bitumine, vel nitro sunt imprægnata, & hinc Embsenses, Aquisgranenses, Carolinæ, & in vicinia Wisbadenses ac Geismarienses, aliæque ubivis terrarum scaturientes Thermæ. Sed cùm non cuivis contingat adire Corinthum, & utplurimùm pauperes magis, quibus curta est supellex, quàm divites, Scabies afficiat, eapropter istis balnea commendamus artificialia, qualia ex Malva, Scabiosa, Saponaria, Nepheta, Fumaria, Betonica, rad. oxylapathi, Farina Lupinorum, Furfuribus in Aq. decoctis parari solent, quibus addi potest nitrum, sulphur, & sal. Ex. gr.

℞. *Rad. Helen.* ℥ij.
Oxylapath. ℥iij.
Herb. Fumar.
Saponar.
Scabios.
Nepeth.
Fol. helen. aa. M. ij.
Tabaci M. j.
Sulphuris crud. ℔ 1/4
Bacc. lauri ʒj.
Nitri ℔ß.
M. pro Balneo.

Sic

Sic etiam insessus ex iisdem speciebus componi possunt, inter quos sequens laudatur:

℞. Herb. scabios.
Fumar.
Agrimon.
Malv.
Cent. min. aa. M. j.
Fl. chamomill. M. iv.
Rad. lapath.
Cort. rad. frang.
Sulphur. viv. aa. ℔ß.
Sal. comm. ℔j.

F. decoct. ex aq. fluviatil. pro insessu septimanatim bis repetendo.

Lavamenta quoque è lixivio Reguli Antimoni ejusque scoriarum, vel ipsius Antimonii, vel aq. divin. vel virid. *Hartmanni*. Tinct. Tabaci, aq. ferrariorum &c. sepissimè sola illinitione Aquæ Reg. Hungariæ, vel spiritus vin. Camphor. vel spiritus matricalis Scabiem curatam observavimus. In quem finem quoque pro delicatis Aulicis & virginibus varia smegmata & sapones odorati parari queunt, quibus reliquię residuę abluantur ac abstergantur. Ex. gr.

℞. Sapon. Venet. ℥j.
Styrac. calam.
Lap. medicamentos. aa. ℨij.
Rad. ireos Flor. ℨj.
N. M.
Cinam. aa. ℨß.
Pulv. Santal. alb. ℨj.
Asæ dulcis ℈ij.
Caryophyll. ℈j.
Mosch. gr. iv.
Ol. Tartari q. s.

Lepra Græcorum, quæ est intensior scabiei gradus, hinc in *Cura* planè hi affectus non differunt, eadem ergò in Lepra hac Græcorum conducent, quæ superiùs fusiùs descripsimus, modò sudorifera aliaque incidentia medicamenta sint paulò fortiora. Hic ergò præ aliis conveniunt viperina, ac Antimoniata cum Mercurialibus fixioribus, cinnabarinis, aliisque ad nauseam jam dictis, & externis Topicis recensitis. In Scabie æguè ac in Lepra Gręcorum Venę Sectionem proscribimus, quia causam morbi lege circulationis tollere nequit, sed sanguis, spirituosiore ejus parte emissa, reliquus crassior vadit. Non minùs inefficaces sunt cucurbitulæ siccæ ac scarificatæ, fonticuli, hirudines, &c. quæ omnia tanquam inutilia & in torturam ægrorum tantum excogitata protinus rejicimus.

Ad hostem *Elephantiasis* in latebris suis limosis latentem eruendum, vix arma ulla restant, & in hoc obtinendo oleum & operæ perditur: ast tentare licet eum aggredi remediis potenter incidentibus, attenuantibus, visciditatem succorum resolventibus, & sic particulas in remotissimis tubulis impactas & quasi incuneatas è sede sua divomentibus, quibus indicationibus omnibus satisfaciunt potus Theæ & possum asseverare, quod nemo hoc potus genere utens unquam Lepra affici possit, potus quoque Capheæ egregius est, item decoctum lignorum calidè assumptum & cum Spiritu sal. Armoniaci & camphoræ permixtum. Incidentia optima sunt Armoniacalia & Tartarea cum aromaticis quibuscunque permixta. *Diuretica* neç hic negligenda, sed paulò fortiora, quàm in Scabie sunto, optima sunt, quæ constant ex alcalibus volatilibus & fixis quę acidum peregrinum, quod sanguinis justo crassiorem consistentiam conciliat, ac seri & excrementorũ per Renes secessum impedit, absorbendo, tum rigiditate particularum suarum tubulos renales deobstruendo, effectum suum præstant, quibus addi possunt, quæ lubricitate partium suarum vias aperiunt, & aliis formulis præsertim mille pedes adjunguntur. Si hisce medicamentis in recenti malo, crassior succi peccantis pars subducta videbitur, tum feliciore sidere ad *Sudorifera* accedere poteris, quæ reliquas particulas salinas fixas, poros & glandulas cutis obstruentes convellunt, cum serositate, quam eò confluere faciunt, ex corpore eliminant. Cavendum autem ne hæc in usum vocentur, antequam sanguis ac succi à nimia asperitate diluta sint, ne sanguis nimis inflammetur & morbus exacerbetur. Dentur ergò hic in principio morbi mitiora ac humidiora, quæ humiditate sua salia diluant, & in sinu recondita educant, quæ parari possunt ex herbis & radicibus copioso sale volatili prædit is, quod cum acido sanguinis vitioso fermentet, & illius cum partibus terrestribus concretiones dissolvat, addendo in progressu sal. volat. C. C. eboris, succin. fuligin. viperar. serpentum nostrat. spiritus theriacal. quæ tandem armari possunt remediis majore rigiditate præditis, & acidum potentiùs domantibus, ut Antimon. diaphor. Merc. Diaphoret. Bezoart. Min. Joviale, Martiale, pulvis Poterii cum Nitro, Antimonio & Jove confectus, quem si commisceas cum resina Guajaci præstantissimum habebis sudoriferum. Antimonium Solare, cerussa Antimonii, Tinctur. Antimoni, & pulvis meus Mercurio-Antimonialis, quo nullum in Lepra datur prestantius remedium, & dum Hanovię Praxi operam dedissem, mihi & Chirurgo *Wedling*. puella 10. annorum de pago *Steinheim* dicto prope Hanoviam sito, oblata fuit, cujus totum corpus crustosis squamis obductum erat, quę puella solo hoc pulvere sudorifero Mercurio-Antimoniali ad grana x. & ultra de die in diem propinato curabatur, & singulis matutinis horis, & quidem post sudorem, manipulus & plus squamarum in lecto reperiebatur, quæ tam diu deciderunt usque ab omnibus liberata fuit, & nunc optimè vivit. Tinctura Antimoni etiam egregia est, & detur sequenti modo cochleatim:

℞. Tinct. Antimonii ℨij.
Aq. flor. Sambuc. ℥iij.
M.

Axungia viperina cum conserva fumarię sæpiùs exhibita etiam egregii in Elephantiasi erit usus, multo enim sale volatili gaudet, cujus ratione crassitiem ac tenacitatem succorum incidendo, ac resolvendo, acidum obtundendo & ex corpore educendo & hinc sanguini ac succis justam consistentiam mixtionemque restituendo effectum suum sortitur: haud dissimilem prestant opem serpentes nostrates in jure decocti & assumpti, item millepedes aliaque animalcula, sale volatili turgentia, ut bufones eorumque sal volatile. Inter panacæas referunt Balsam. Sulphur. Antimoniatum sine Marte, ol. Mercurii Diaphoret. Mercur. præcipitat. rubr. calcinat. magn. Mercuriale Paracelsi. Inter Lepræ arcana etiam refertur *Tinctura* Lunæ, seu potius Veneris Helvetii, qua dicunt ipsum fœminam Elephantiasi laborantem, & ab omnibus Medicis derelictam feliciter curasse: paratur verò Tinctura hæc ex sale Armoniaci & Vitriolo, quæ detonentur in crucibulo, & dein extrah. spiritu vini hinc fit viridis, & si ei affuderis aliquot guttas ol. Tartar. per deliq. tunc apparebit cærulea instar Tincturæ Lunæ, & hæc dicitur ista decantata Tinctura. Alii jactant precipitatum pulverem Solarem Rappii. Alii extollunt liquorem Alcaheſt, nonnulli panacæam albam. Num fidem mereatur judicent ii, qui tot egregia possidens arcana, Nos enim his destituimur.

In Elephantiasi V. S. Cucurbitulas, Hirudines, Vesicatoria, Setacea, Cauteria, castrationem & similia dolorosa nocumenta potiùs, quàm medicamenta rejicimus. Cucurbitulæ enim & Hirudines sanguinis partem tenuiorem saltem eliciunt, Vesicatoria verò & Cauteria seu Fonticuli sanguinis chyli partem tenuiorem & fluidiorem absumunt, & reliquos humores magis incrassant, & sic malum potiùs augent, quam imminuunt.

Hac in Elephantiasi etiam *Externa Topica* in usum trahenda sunt. Primò igitur duritiem & siccitatem cutis emollire ac corrigere, sal istud fixum viscidumque è glandulis cutaneis quantum possibile dissolvere, illisque exitum procurare conemur, quem scopum ob-

obtinebimus per balnea aquæ dulcis tepidæ, quæ optimum salium menstruum esse potest, imprimis si & ipsa aqua sale quodam adjecto auctior & præstantior reddita fuerit. Laudamus etiam hic Thermas bituminosas & Sulphureas. Defectu autem Thermarum Balnea artificialia parari possunt ex Scoriis Antimonii cum Nitro & Tartaro, vel sequens:

℞. *Ciner. Bufon.* q. s. ad Balneum,
Sulphur. commun. ℥ij.
M. & coq. in aqua communi,
add.
Solut. Myrrhæ ℥j.
Vugu. Mercurialis ℥ij.
M. pro Balneo.

Ægyptii Reges in hoc morbo ex sanguine humano balneum pararunt; alii balneo primogeniti, (audaci nimis consilio,) aut alio in quo cadaver putrefactum fuit, uti solent. Alii locum Lepra infectum secundina recenti fortiter fricant, Fotus verò, semicupia & cataplasmata ad emolliendos partium externarum tumores commendantur; à balneo linteolis detersus æger sequenti vel simili utatur linimento.

℞. *Axung. uiperar.* ℥ij.
Ursi ℥ß.
Ol. laurin. ℥iij.
Succ. fumar.
Veronic.
Nummular.
Scabios. aa. ℥j.
Pulu. rad aristoloch. rotund. ℥ß.
Nitri ℥j.
Lithargyr. aur. ℥ß.
Cui add. potest
Mercur. præcipitat. rubr.
Fuliginis,
Sulphuris,
M.

Si his omnibus haud obtineri potest, ut tumores leprosi evanescant, ferrum arripiendum est, vel causticis utendum, qualia sunt lapis infernal. Mercurius sublimat. ol. Antim. ritè destillatum & rectificatum.

Ulcera verò aqua Mercuriali *Rulandi* lavari, aut decocto Guajaci, aut succis plantag. nummular. &c. mundificari possunt, cicatricem inducas styptico Paracelsi. Ubi autem gangræna jam partes corripit, abstinendum est ab omnibus unguentis & emplastris, & si sphacelus accedat, cultro vel serra membra sunt abscindenda, ne pars sincera trahatur.

Sunt Leprosi qui Priapismo & Salacitate laborant, & in Venerem maximè proni sunt, ad hoc symptoma curandum varia specifica præscribi solent, ut sunt aquæ Nymphææ, Sal Saturni, aq. castitatis Myns. Succus Lactucæ, emulsio cannabina, pulv. crystall. &c imprimis verò Nitrum in aq. Nymphææ solutum à D. Guldenklee laudatum singulis matutinis ac vespertinis exhibendum est.

Cura in Impetigine. *Impetiginis* gradus intensior *ferus* dictus vix ullam admittit medelam, etsi ulli salivationi à Mercur. excitatæ cedit, quæ Mercurialia validissimè omnem ferè succorum acredinem, æquè acidam ac salsam visciditati conjunctam per ductus salivales evacuat, imò præterquam quòd multùm acidi intra suos poros vel amplexus suscipiunt, ipsos glandularum cutis erosos tubulos ampliando, & aliquorum filamentorum decussatim eos nectentium extremitates solvendo efficiunt, ut faciliùs major humidi copia eos transiens acutas acres eluat, viscidasque diluat particulas, quo consolidationi sufficiens sternitur via. Ad humorem serosum acrem mordacem cum crassioribus & terrestribus particulis maritatum eliminandum conducent serum diluentia ex cichorio, endivia, fumaria, borragine, polypodio, in sero lactis caprino decocta, ut & interpositis catharticis blandioribus Mercurio dulci junctis. Elixir Antihypochondr. nostr. maximè hoc in casu confert, ex iisdem enim paratur herbis, & radicibus.

In *Impetigine leviori* seu Lichene (*Flechten*, qui est levissimus Herpetis & Serpiginis gradus,) omnia ea conveniunt, quæ commendavimus in Scabie, imprimis illa, quæ depromuntur ex fumaria, Antimonio, imprimis hic noduli purificantes conveniunt.

Inter Topica excellunt in quacunque *Impetigine* aqua sperm. ranar. florum omnium, lac Sulphuris, ol. ovorum, decoctum calcis vivæ, liquor Mercurii saccharat. *Mynsichti*, unguentum Medicamentosum Nobile *ejusdem*, ungu. ex Saturno, ex ol. Tartar. camphor. & ceruss. & empl. cinnabarin. sal. Saturni, camphor. & bals. Sulphur. decoctum & infusum *Poterii*, omnia Mercur. hic prosunt. Partibus impetiginosis applicari potest sequens:

℞. *Succi semperviv.* ℥ij.
Cretæ pulv. q. s.
Salis Saturni ℥j.
M. F. *Linimentum*.

Quod si pruritus molestus fuerit conjunctus, imponatur *Prævotii* unguentum, quod describit in *Medicina Pauperum*, vel tentetur Experimentum *Joelis*, ex recremento ferri. Spirituosa etiam hic eximii erunt usus, aqua nempe calc. viv. cum spiritu matricali & camphora, vel cataplasmata calidè imponenda.

Cura in Alpho & Leuce. In curatione *Alphi* & *Leuces* eodem modo, ac in Scabie dictum est, incedas, affectus enim hi cutanei tantum secundùm magis & minùs differunt: hinc omnia quæ superiùs in Scabie commendavimus, & hic prodesse inculcamus, imprimis incidentia, diluentia, diuretica ac diaphoretica, imprimis etiam hic potum Theæ cum decocto lignorum laudamus, unà cum viperinis. Externè verò imprimis ad maculas albas valet unguentum rosaceum cum Mercurio præcipitato, camphora, cinnabar, ac balsamo Peruviano. Hic etiam prosunt ol. Tartar. per deliq. spiritus matrical. cum ol. amygd dul item lac Virginis, absque aceto parat. ungu. ex calc. viv. sulph. viv. item aq. sperm. ranar. item aq. Regin. Hungar. Balsam. divin.

Vel

℞. *Vngu. Pomat.* ℥vj.
Mercur. viv. ℥ß.
Aq. fortis ℥ij.
M.

Vel

℞. *Vng. Pomat.* ℥j.
Sal. volat. C. C. ℥j.
Elix. vitæ ℥ij.
Sulphur. viu.
Sal nitri aa. ℥ij.
Spir. sal. Armon. ℥j.
M. F. *Linimentum egregium*.

In *Leuce* conveniunt præter jam dicta in Scabie, interna acrimoniam absorbentia, ut Ebur sine igne parat. Epatic. rubr. spec. diarrhod. Abb. Diatrion. Santal. & sexcenta alia. Balnea fiant ex rad. lapath. Sulphure & Nitro. Curatur enim eodem modo ac Scabies & Impetigo, quæ remedia omnia si hic repeteremus, nauseam tantùm pareremus Lectori, quare cramben bis coctam apponere non libuit.

CA-

CAPUT X.

De Phlyctenis, Sudaminibus, Epinyctidibus, Terminthο, Essere, Phydracio, Ficu & Talpa Topinaria.

§. I. **T**Umorum, Tuberculorum ac Pustularum Cutem nostram defœdantium adeò multa & varia sunt genera, ut numerus eorum in ducentos viginti sex, recensente *Johanne Phylippo Ingrassia de Tumoribus, Tract. 1. cap. 1. com. 2.* excrescat. Unde dubium quandoque videtur, quo nomine hic vel ille tumor aut pustula sit indigitanda, cùm & in ipsis nominibus interpretandis non parva occurrat difficultas. In juniorum Medicorum verò gratiam sequentes explicaturi sumus pustulas, distinctionem vix admittentes.

Phlyctena. Phlyctides.

Phlyctene dicuntur & *Phlyctides*, Germanis *Hizpocken, hitzige Blattern*, aliis *das Wilde Fener, Nachtbrandi*: sunt pustulæ in summa corporis planitie & superficie enascentes, à tenui sanie in cute stagnante, eamque sua acrimonia salina erodente, pungente, & urente, unde aliis dicitur *Ignis sylvestris*: sunt enim vesiculæ quædam citò erumpentes nec adeò dolentes, humore flavo vel subalbido repletæ, pustulas ab ustione aquæ ferventis inductas referentes.

Sudamina, Hydroa, Papulæ rubræ.

Sudamina, Græcis *Hydroa*, aliis *Papulæ rubræ, mordicantes, sudorales*, aut *sudorosæ*, cùm ex sudore proveniant. Germanis dicuntur *Grubelsucht, Schuuulen*: describi possunt, quod sint pustulæ post sudorem obortæ, & à fibrillis & ductibus propter acredinem discissis & in concinnos resilientibus, indeque in cavitatem evasato succo nutritio vel lympha productæ.

Epinyctides, Pustulæ nocturnæ.

Epinyctides sive *Pustulæ nocturnæ*, à nocte ità dictæ, cùm noctu oboriri soleant, doloremque sępè producunt insignem. Germanis dicuntur *die nacht blattern*. *Plinio* dicitur pustula livens & noctu inquietans. Sunt ex pustularum genere colore sublividæ & nigricantes, quandoque subalbidæ cum vehementi Inflammatione & dolore, vix fabam magnitudine excedentes, & pro specie carbunculi habentur hę pustulę: describi possunt, quòd sint pustulę, quales ab aqua fervente excitantur, sua sponte presertim in cute erumpentes, ab acribus salinis humoribus tubulos cutaneos perrumpentibus obortę.

Terminthus.

Terminthus cutis etiam dicuntur eminentię plerumque in tibiis & cruribus productę, colore ex nigro & viridi rotundę, interdum non absimiles sunt herpeti exulcerato. Germani istas vocant eminentias *die blaune Blattern*, describuntur, quòd sint tubercula parva à salinis ac corrosivis succis cutis glandulas ac tubulos corrodentibus, & cavitatem parantibus oborta. Scorbuti ac Luis Venereę comites esse solent hęc tubercula.

Essere, Saire

Esseræ, (quod vocabulum Arabicum est, & apud Abinsinam & Serapionem legitur,) dicuntur etiam ab aliis *Saire Pemphinx, Bullæ. Ampullæ, Ephantismata*, Germ. *die Nesselsucht*, & sunt pustulę parvę Scabiei bullarum instar vel squamarum eminentes, nisi quòd carnem habeant exuberantem. *Paracelsus* vocat has pustulas, *squamulas pediculares*, easque ex vaporibus Talci vel Cachionię deducit, hinc morbum familiarissimum esse metallifossoribus scribit *Tr. de Vlc. & Apost. cap. 47.*

Psydracia

Psydracia indigitantur papulę vel vesiculę ut plurimùm in capite à tenui minusve acri lympha tubulos cutaneos ibidem corrodente obortę, unde à Phlyctenis in hoc tantùm differre docent Authores.

Ficus, Ficosis, Ficatio, Tumor Ficosus, Marisca.

Ficus, vel *Ficosis*, vel *Ficatio*, item *Tumor Ficosus*, aut *eminentia Ficosa*, aliis *Marisca*, qui tumor nasci solet in oculo ejusque palpebris, vel in mento, vel in ano, (à *Thymo* sola magnitudine differens,) vel in digitorum extremis protuberans, item in utero proveniens; nonnullis dicuntur *Condylomata*. Describi potest, quod sit tumor cum excrescentia quadam carnea à succis viscidis, imprimis nutritio stagnantibus, obortus.

Talpa topinaria.

Talpa dicitur etiam *Topinaria*, est tumor scabiosus cutis capitis ac faciei proprius, sæpè pus seu chylum album coagulatum in se continens, & ob acrimoniam serpendo cuniculos instar Talpę sub cute efficiens, sed etiam tumorem rotundum exhibens, quales Talpæ terram subfodiendo efficiunt. Vocatur etiam *Testudo*, confer *Bonetti Med. Sept. L. 1. S. 1. cap. 9. p. 13.* Quam Testudinem verò alii ob figuram differentem à *Talpa* differre scribunt. *Paracelsus* Testudinem & Gelsam dicit, hoc ipsi est id, quod huc atque illuc discurrit, Quibus omnibus tantùm ingenia Tyronum fatigantur, & Tubercula hæc optimo jure sub uno nomine, me judice, comprehendi poterunt: sed nunc Veterum vestigia semel calcata incidere cogimur.

Pars affecta.

§. 2. *Pars affecta* harum pustularum sunt utplurimùm cutis, cuticulæ seu epidermidis tubuli ac glandulæ miliares, eò enim delati succi salini acres scindentes ac corrodentes, facilè ejusmodi pustulas producere apti nati sunt. In pluribus quoque jam dictis affectibus cutaneis exigua cutis vascula lympham continentia afficiuntur, quæ sæpe acescens lympha facilè in his vasculis excretoriis stagnare, & diversi generis tubercula excitare valet.

Diagnosis:

§. 3. Quod *Diagnosin* horum Affectuum cutaneorum attinet, eos accuratè describere, hoc opus, hic labor est, meliùs enim depingi, quàm describi possunt, &, si mihi vacasset, Tyronibus Chirurgiæ in pictura quoscumque tumores & varii generis pustulas hoc in Opere descriptas, imò & ulcerum diversitates clarè antè oculos repræsentassem, ut ex figura cum suis coloribus differentias animadvertissent. Negotia verò aulica & practica non permiserunt hac vice hęc omnia ad vivum ità proponere: hinc Diagnosin more solito clarè ac perspicuè, quantum possibile, nunc tradamus.

Phlyctenarum.

Phlyctenæ ergò cognoscuntur ex suis vesiculis in cute extima citò erumpentibus, nec adeò dolentibus, in quibus succus flavus & subalbidus chilosus continetur, & ferè similes sunt pustulis illis ab ustione aquæ ferventis productis.

Sudaminũ

Sudamina sunt pustulæ, quæ in sensus incurrunt nostros, sunt enim rubræ, mordicantes & utplurimùm post sudorem & tempore æstivo, quo homines facilè sudoribus infestantur, item sæpè in iis animadvertuntur, qui statim post sudorem se aeri frigido exponunt, vel qui sudore Anglico vel sudore colliquativo laborant.

Epinyctidũ

Epinyctides sunt pustulæ, quales ab aqua fervente excitantur, sua sponte nocte præsertim in cute erumpentes Interdum sunt sublividæ & nigricantes, nonnunquam rubræ cum Inflammatione vehementiori atque dolore, vix fabæ magnitudinem excedentes.

Terminthorum.

Terminthi cognoscuntur ex eminentiis seu tuberculis colore ex nigro & viridi irotundæ plerumque in tibiis & cruribus oboriuntur, & ferè hæc tubercula herpeti exulcerato sunt similia.

Esserarum.

Esseræ cognoscuntur ex pustulis parvulis in cute erumpentibus cum squamis bullarum instar carnem simul habent exuberantem instar hypersarcoseos.

Psydratiorum.

Psydracia facilè patent ex vesiculis seu papulis Phlyctenis ferè similibus, à quibus vix differunt, hæ pustulæ in se continent lympham tenacem acremque, quam facilè dein effundunt.

Ficus.

Ficatio seu *Marisca* cognoscitur ex excresentia aliqua carnea fabæ majoris, seu ficus magitudinem non multùm excedente, quæ oritur non tantum in ano, sed etiam mento, utero, digito minore, vel oculo, imò etiam aliis corporis nostri partibus.

Talpa.

Talpa verò cognoscitur ex tuberculo seu tumore rotundo instar Talpæ acervi, sub quo etiam cutis effossa est, existentibus scilicet succis corrosivis tubulos corrodentibus, & cavitatem seu fossulam sibi comparantibus.

Ætiologia secundùm Galenicos in Phlyctenis.

§. 4. *Causas* horum morborum quod concernit, veteres *Galenici* primò *Phlyctenas*, (quæ ipsis sunt vesiculæ quædam citò erumpentes, humore flavo refertæ, bullarum instar lividæ, pustulas ab ustione aquæ ferventis

ventis inductas referentes,) à copia humoris cui conjuncta est bilis fervida sub cuticula collecta & illam distendens, produci ajunt. Sanguinem quoque menstruum, cùm diutiùs retinetur, & postquam biliosus evadit, similes sæpè tumores excitare docent. Alii ex Veteribus causam continentem ponunt in sanguinem nimis serosum ac biliosum, qui à natura ad corporis superficiem detrudatur; procatarcticæ verò juxta *Galenum* sunt omnis generis cibi multum bilis ac seri præbentes.

Sudaminū. Galenici *Sudaminum* causam à nimio seroso sanguine ad cutem delato & ibidem coercito deducunt, serum per sudorem evacuari impeditur, & hoc ut plurimùm æstate contingere asserunt.

Epinyctidū. Causa *Epinyctidum* juxta Veteres à causa Phlyctenarum non multum differt, & tantùm in eo consistit, quòd hæ exulcerationes cutaneæ nocte magis, quàm die fiant & infestent. Sunt & alii, juxta quos Epinyctis à sanguine adusto & hepate calidiore oritur.

Terminthi. *Galenus* & ejus sequaces *Terminthorum* causam rejiciunt in humorem atrabilarium à natura in partes inferiores ceu ignobiliores, tibias vel crura expulsum.

Essera. *Esseræ* causa juxta Veteres duplex est, in quibusdam sanguis nimis cholericus, in aliis pituita salsa atque nitrosa, in aliis serum salsum existit, tale enim acre juxta ipsos mordax & mobile est, ideoque facilè ejusmodi tubercula producit, citoque dissipatur & evanescit. *Forestus* in suis *Observat.* hunc affectum ad Epinyctidas retulit.

Psydraciorum. *Psydraciorum* causa ad mentem *Galeni* differt à causa *Phlyctenarum* in hoc, quòd harum pustularum seu Phlyctenarum causa sit acrior ac tenuior, illarum sc. Psydraciorum sit magis crassum ac minùs acre, hinc etiam pustulæ summam cutem exedentes subalbidæ, duræ, acutæ ac ferè indolentes, & sæpè in capite oboriri.

Ficus. *Ficus*, quatenus denotat excrescentiam aliquam carneam, & quidem vel in oculo ejusque palpebris, causa juxta Galenicos consistit in pituita crassa dulci ac insipida quatenus verò sumitur pro excrescentia tumorosa in ano, & idem cum Thymo significat, originem trahit ex sanguine feculento crasso atque melancholico, item isti ficus, qui sunt eruptiones ulcerosæ rotundæ, subduræ, rubicundæ, dolorosæ, eos ab eadem deducunt causa.

Talpa. *Talpa* metaphoricè significat Tumorem pituitosum in capite, & quidem juxta Neotericos aliquot. *Galenus* dum de Atheromate, Steatomate & Meliceride agit, meminit quidem; quòd adhuc tumorum species, in quibus res aliæ contineantur, quæ non humorum modò, sed & solidorum quorundam corporum proprietates repræsentent, verùm inquit, quòd rariùs occurrant, ideoque illos nominibus nec vocabulis propriis non donavit, ideoque diversa nomina, inter alia etiam *Talpa* seu *Testudo* ab aliis excogitata sunt, cujus causam ponunt in pituitam viscosam ac insipidam. *Guido* Talpam magis refert ad Atheroma, quàm Meliceridem, affirmatque, quòd Talpa sit ipse Tumor, qui vocaretur Testudo, & cum alba materia reperiatur, hoc in Tumore pituitam viscidam æquè pro causa agnoscit.

Paracelsi opinio de causa harum pustularum. §. 5. *Paracelsus* causam *Phlyctenarum*, *Sudaminum*, *Epinyctidum*, *Terminthi* ac *Psydraci* mineralem esse inquit, & quidem corrosivam, quæ enim corrosivæ sunt, illæ juxta Authorem in depascentes novasque formas abeunt, pustulas nempe, Phlyctenas, Escharam, Sudamina, Epinyctides ac Terminthos ulceraque his similia efficientes. Pustulæ enim, juxta ipsum, per se suaque natura nil nisi crustæ, seu Escaræ sunt: ex una enim eademque materia istas fieri contendit, quamobrem cùm Cossi, Saphaci, &c. similiter sese habeant, ipsorum naturam quandoque pustulæ hæ imitantur, nam ex natura salis, ex qua omnes crustæ fiunt, singula ista generantur. Differentias verò ac proprietates quibus singula insigniuntur, ex Spermatis ac Mineralium variis corruptionibus ortum habere Author contendit. Itaque cùm chaos ad constitutionem Microcosmi concurrat, pro diversitate ejus pustulas varie haud dubitat, nam perinde ut mannæ jam hæc, jam illa qualitas præcellit, sic pustularum symptomata diversa evadunt, quædam cum laxatione, quædam cum vi diaphoretica, quædam cum anodyna virtute, multis cùm in colore, tum primis qualitatibus differentiis concitatæ ingruentes, uti manifestiùs explicat ipse Author.

Esseras Paracelsus provenire ait ex vaporibus mineralium extrinsecorum, ubi calx inciderit aut cachimia, hinc Esseræ juxta illum sævire solent in eos, qui salia montana, vitriolum aut cuperosam excoquunt, vel cuprum effodiunt, liquefaciuntque, Fodinarum artifices morbo simili, tum pulmonis cordisque passionibus doloribusque torquentur, Cùm igitur in spiritibus mineralium hæreat hic morbus, nullum per se terminum facit, imo potiùs in uno statu permanet. Si enim nodus quispiam tumorque vermiculos pediculorum instar ederet, qui postmodum in latum extenderentur, crustasque rubeas, ut sunt squamæ piscium, producerent, Esseras fore judicat.

Ficum Paracelsus ex hemorrhoidali sanguine utplurimùm oriri contendit, cùm nutritius humor separatus est à substantia sanguinis, & per porum suum emunctorialem penetrat extra materiam propriam, transit in excrescentiam, quæ *Ficus* denominatur.

Talpam, seu Testudinem, seu Celsam, (hoc est id, quod huc atque illuc discurrit,) ex salibus accidentalibus coagulatam esse dicit, notat etiam, cùm Celsa ex corpore suo transit in coagulatum, vagationem suam retinere secundùm coagulationem.

Helmontii opinio de causa harum pustularum. §. 6. *Helmontius* Phlyctenatum, Sudaminum, Epinyctidum, Terminthi, Esserarum, Psydracii, aliarumque pustularum *Causam* adscribit Latici fermento quodam salino acri infecto, à quo in pelle coagulatur latex, & inde facilè excitari has pustulas contendit.

Vuillisii opinio de causa Phlyctenarum. §. 7. *Phlyctenarum* progeniem tribuit *Willisius* particulis salinis fixioribus in sanguine majori copia aggestis quæ per glandulas miliares à cruoris massa secretæ, ad poros cutis, ut per eos forâs evaporentur, tendunt; sed quum ea, qua donantur, crassities earum exitui obstet, sub cuticula hærent, cutisque poros adimplent atque in ea coacervantur, augescenteque illarum aggestione cutem & cuticulam in tumorem elevant. Fluorem verò assecutæ dominiumque obtinentes cutis fibras acredine sua vehementissimè vellicant, ipsasque erodunt.

Sudamina. *Sudamina* ex *Vuillisio* oriuntur ab humoris lymphici, per cutis foramina exeuntis ac sudorem producentis, particulis crassioribus sub cute remanentibus; illæ enim à novis perpetim advenientibus versus superficiem compulsæ, nullumque sibi liberum exitum adinvenientes, sub cute cespitant, illam extollunt & pustulas in ea procreant. Crassiora verò illa lymphæ salia nerveas cutis fibrillas, in quas impingunt, lancinant & convellunt, doloremque pariunt.

Epinyctidum. *Vuillisius* opinatur, insensilem transpirationem æquè non exerceri noctu atque interdiu, nec tanta copia & pari libertate humores excrementitios per cutem exhalari. Quando enim sanguis abundantioribus, iisque minùs volatilisatis turget salibus, serosus ille humor, qui ex ipso à glandulis cutaneis separatur, viscidior contingit, & ad exitum ineptior. Quum enim noctu pori superficiei minùs patuli existant, spissior illa lympha per ipsos viam sibi parare nequit, & sub cute remorari cogitur: & in ipsa aggesta eam in tumorem elevat. Sanguinis verò vasis ab humore isto excrementitio in cutis substantia stagnante compressis, cruor in suo motu retardatur, qui ideò moram faciens mox corrumpitur & excandescit, inflammationemque parit, cui adjungitur dolor à salibus nerveas cutis fibras pungentibus inductus.

Terminthi. *Vuillisius Terminthum* progigni contendit ex sanguine corrupto & coagulato in minores grumos concrescente; tales enim grumuli cum reliqua cruoris massa per universum corpus delati, & ad superficiem per arteriarum oscula protrusi, in partibus à corde longè dissitis, ubi sanguis minori motu agitatur, in cute defiguntur, atque remorantur, ejusque interstitia opplentes eam in tumorem extollunt: Liquor verò nervosus adveniens, talem depravatum sanguinem in partium

tium substantiam convertere non valens, tubercula ex eo efformat. Sal autem, quod tales in sanguine concretiones produxit, à calore partis actuarum fibras circumpositas aculeis suis impetit, easque erodit & exedit, ac foveam sibi excavat.

Esserarum. *Esseras* oboriri vult *Vvillisius* ex humore lymphico in acido-salsam indolem commutato, sub cute, quam in tumorem elevat, aggesto, & è sanguine ex vasis à tali acriore humore erosis erumpente, atque cum ipso commixto, & à succo nervoso in extuberantem carnem cum pustulis à seroso liquore exortis convertit.

Psydratiorum. *Psydracia* provenire ait *Vvillisius* ex seroso humore per cutis foramina exhalari solito, paulò quàm par est viscidiori & acriori. Liquor autem iste, quum cutis poros ob spissitudinem subire nequeat, sub ea retinetur atque colligitur, illamque in tumorem elevat, acredineq; qua prædita est, fibrillas ejus dissecat ac discindit.

Ficus. *Ficus* originem adscribit Author noster succo nutritio spissiori, ob visciditatem suam in parte quadam residenti. Liquor enim nervosus ad locum illum accedens humoremque nutritium mollioribus particulis refertum ibi aggestum reperiens carnem superfluam flaccidamque ex illo producit.

Talpa topinaria. *Talpam Topinariam* fieri asserit *Vvillisius* à sero copiosiori in sanguine aggesto, abundantique sale, eoque fluorem adepto, referto, quum enim sanguis recrementa sua in variis emunctoriis deponat, & in glandulis cutaneis portionem seri, quo gravatur, relinquat, poros cutis, per quos foràs eliminari debet, infarcit & obstruit, si salibus crassioribus fixioribusque scateat. Cutis ergò spiracula pervadere non valens, & sub ipsa remorari necesse habens, in illius interstitiis coacervatur & congeritur, eamque distendit, atque extollit. Salia autem mole gaudentia & acutis cuspidibus donata, sibi oppositas fibras exedunt & discindunt, cuniculosque continuata actione sua in partibus agunt.

Sylvii cogitata de causa horum tuberculorum. §. 8. Quamvis *Sylvius* non ex professo de hisce diversis egerit pustularum speciebus, attamen ex ipsius principiis facilè causæ earum deduci possunt, solemus enim hoc in opere omnia Authorum complere, quæ omiserunt. Phlyctenas itaque, Epinyctides, Terminthos, Esseras, Psydracia, aliasque pustulas produci credit à partibus succi pancreatici acrioris tum humoris forma ad cutem delatis. Pustulas dicit alias squamosas & scabras, alias acrem liquorem sive serum simul effundentes, alias nullum, sed siccas esse, aliquando pruritum molestum habere conjunctum, aliquando nullum aut levem duntaxat. Non deducendas proinde vult pustulas venereas à sale lixivo vel fixo vel volatili, sed ab acido plus minusve fracto ac temperato. Prout namque illud plus aut minùs infringitur, graviùs idem aut leviùs sæviet in cutim, atque pruritum graviorem aut leviorem producet. Ubi autem acidum illud acre magis est concentratum, pustulas juxta Ipsum producet magis aridas: ubi contra idem est magis solutum minusve concentratum, pustulas producet madidiores ac serum aliquod stillantes, imò celeriùs serpentes. Ab Acidi ergo acrimonia plures deducit pustulas.

Cartesianorum ratiocinium de causis Phlyctenarum. §. 9. *Cartesiani* ortum pustularum præsentium adscribunt succis cutaneis, chyloso nempe nutritio, & lymphæ vitiosè se habentibus, adeoque tum in motu impeditis, & uno vel altero loco circa glandulas inter cuticulam & cutem firmiùs hærentibus, tum particulis acutis angularibus refertis. Ità *Phlyctenas* suscitari autumant, dum chylus nutritius lympha acidiori dilutus ab externa quadam causa, frigore nempe, igne, vel medicamentis, ad superficiem corporis allicitur, & cutim perforando cuticulam distendit atque in tuberculum propellit. Cùm verò particulæ illæ acutæ subtiliores sint, & non tam copulatæ, quàm huc illuc dispersæ, pustulas etiam non adeò magnas, sed minores & plures emergere pronunciant, nisi temporis tractu cuspides istæ acutæ ab æthere frequentiùs agitatæ plures diffringant & erodant tubulos cutaneos, & hinc pustulas augeri, & in sulcis liquores corruptos colligi, qui diversis particularum in se contentarum figuris modò radios luminares dispergant, modò suffocent, modò variè reflectere cogant, & propterea diversos etiam pustularum harum conspectui dari colores. Quascumque etiam corporis partes huic morbi generi obnoxias esse asserunt, ad quas lympha pertingere solet, adeò, ut nec oculorum tunicæ ab eo degant immunes.

Sudaminum. *Sudaminum* originem imputant lymphæ resolutæ, & cum sudore quidem extra poros cutaneos ejectæ, sed ob causam quandam externam, præsertim diuturniorem obtectionem circa cutem collectam, cujus particulæ acutæ sive acres cutem erodant; vel fieri docent, dum inter sudandum corpus detegatur, & frigus externum ambiens poros cutaneos subitò occludat, ut lympha & liquores eliminationi destinati inter cutem & cuticulam restare cogantur, & coagulati pustulas & maculas producunt. Quòd verò, juxta *Hippocratis* effatum, plerumque genitalium partium summam cutem occupent, hoc ideo fieri censent, quoniam partes hæ ob partes adjacentes, femora præsertim, continuo foveantur calore, & ad glandulas inguinales major lymphæ deferatur copia, unde perpetuo quodam madeant sudore.

Epinyctidũ. *Epinyctidas* suscitari credunt à lympha glutinosiore tubulos cutaneos obstruente, cui adhæreant multæ particulæ lanceolatæ acutissimę fibras cutaneas dilacerantes, & propterea magnum dolorem & tandem etiam ulcuscula producentes, in quibus lympha ista glutinosior tanquam in sulcis colligitur. Noctu verò tum oriri, tum maximè excruciare volunt, quòd tum temporis liquor ille crassus ob caloris defectum tardiùs commoveatur, & globuli secundi elementi fibras cutaneas versùs lanceolas illa fortiùs premant, unde & major obstructio, & fortior dolor exoritur, radii etiam luminares suffocantur, & ater in illis color vel lividus conspicitur.

Terminthi. *Terminthum* ex succo chyloso crassiore & spissiore in tubulo quodam stagnante & fibras cutaneas valde distendente produci docent, unde non modò tuberculum exsurgat, sed cùm ex lympha variæ quædam ei associentur particulæ diversarum figurarum, cuspidatæ & porosæ, pro earundem motu & situ diverso interdum fibrulas quasdam cutaneas diffringi & pustulas excitari, tum radios lucis quosdam suffocari, quosdam verò leviter refrangi, & colorem inde emergere atro-viridem, quo tubercula ista superbiunt, & figura sua terebinthi fructum repræsentant.

Esserarum. *Esseras, Pemyphynges*, sive *Ampullas* excitari volũt à lympha multis particulis angularibus mucronatis referta, in plurimis glandulis cutaneis hærente, & tubulos obstruente, cui admisceatur de chylo crassiori portio quædam, quę poros angustando soli materię æthereę subtilissimę transitum permittat, hæcque celeriùs commota fibrulas verberando inflammationes producat. Cùm verò lympha nondum depauperata sit salibus suis volatilibus benignis & partibus spirituosis, ideò succum chylosum crassiorem brevi attenuari & resolvi, angulosque acutos mitigari dicunt, ut tubercula etiam brevi recedant, sed quoniam ista resolutio & mitigatio non sufficiat ad fluiditatem plenè restituendam, propterea eadem citò satis redire asserunt, & sæpe levi quadam de causa externa subitò refrigerante, aut terrorem incutiente, unde fibræ cutaneæ constringantur & pori angustentur, in scenam de novo produci.

Psydraciorum. *Psydracia* ortum trahere putant à simili quadam tubulorum obstructione à lympha crassiori, sed particulis mucronatis non adeò referta, inducta, & præsertim in glandulis cuticularibus capitis sedem figente, quapropter tubercula hæc duriuscula quidem, sed minùs dolorosa esse fatentur, quòd fibræ cutis membranosæ non adeò perpungantur.

Ficus. Quocumque in corporis loco excrescat *Ficus*, eundem à succo nutritio sive chyloso crassiore pronasci statuunt dum aliquo in loco nimiùm augetur & stagnat, ut fibræ propterea valdè extendantur, & nonnunquam nervosæ quædam dirumpantur, hinc liquor nervosus copiosiùs effluens chylosum fortiùs ad exteriorem corporis superficiem propellat, cui cùm novus assiduò succedat,

cedat, extuberantiam hanc ulteriùs ajunt capere augmentum, & succum intus contentum adeò interdum inspissari, ut ob siccitatem in granula ficuum semini non absimilia secedat.

Talpa.

Talpam oriri existimant à chyli sive succi lactei particulis crassioribus & coagulatis inter cutem & cranium potissimùm collectis, eò quòd ductus chylosi sive lactei à particulis acutis lymphæ corruptæ priùs sint erosi, & liquor ex iisdem effluens acidior chylosum coagulet, qui stagnans cutem in tumorem distendat, lympha verò acrior relictis particulis illis ad effervescentiam & motum ulterius ineptis, ad vicinas partes serpens mediante materia ætherea cum succis earum de novo conflictum ineat, fibras dirumpat, destruat, & effusum chylum, ut priorem denuò coagulet, sicque novam producat protuberantiam, instar talpæ terram perfodientis, & tumulos in eadem projicientis.

Nostra sententia de causa harū pustularū, & in specie Phlyctenarum.

§. 10. Pervenimus denique ad horum affectuum cutaneorum *causa nostro judicio* deducendam, & in genere dicimus, ubi contigerit, quòd vel propter abundantiam particularum crassarum salinarum vel acidarum magis vel minus corrosivarum in toto sanguine & humoribus, vel propter præcipitationem fortuitam ab igne aliove externo, vel interno, hic illic in poris tubulisque cutis (quæ longiùs à corde distat, injuriisque externis magis est obnoxia,) fiat obstructio, illico diversi generis oriuntur maculæ vel albicantes, vel nigricantes, lividæ, cœruleæ, rubescentes, vel etiam si major gradus corrosionis ad fuerit, oriuntur pustulæ & ulcuscula, quatenus videlicet fibrillæ propter acredinem abscissæ in cincinnos resiliunt, lymphaque nutritioni aliàs dicata in cavitatem deponitur, quæ igni exposita vel aeri facilè exsiccatur, utpote viscosa & gummosa. Pro diversitate rursus harum pustularum & ulcusculorum ratione majoris vel minoris humiditatis aut acredinis, hos vel illos lacerant corroduntque tubulos.

Porrò pro minima harum pustularum diversitate, ratione figuræ, magnitudinis, vel pertinaciæ, vel quatenus cum aliis morbis conjunguntur, varia iis imposita sunt nomina, & causæ aliqua diversitas occurrit, hinc paucis & quidem nostro judicio, ità sunt deducenda.

§. 11. *Phlyctenæ* possunt dici species Inflammationis minimæ, cum tuberculo, afficiuntur enim hic vascula lymphatica continentia lympham prægnantem diversis particulis salinis acutis, & viscosis chyli obvolutis, quæ eò delatæ tales pustulas cutem elevando excitant, prout eorum tubulorum textura magis vel minùs compacta dilatari possit, cum fiant pustulæ majores, vel minores. Sic ab externis causis vel frigore coagulante incrassanteque lympham vel etiam ab internis succis salinis ac terrestribus particulis scatentibus, in fermentationem facilè transeuntibus itidem excitantur.

Causa Sudaminum.

Cùm per cutem porosam necessariò continua peragatur transpiratio, hinc facilè fieri potest, ut cum lympha aliisque succis, salinæ acidæ terrestresque particulæ simul eliminentur; quæ verò nimis crassæ exitum haud invenientes in glandulis cutaneis stagnare coguntur, hinc obstruuntur tubuli, qui & dein eroduntur, uti & sæpius in aliquibus sudantibus ab impedita transpiratione ejusmodi pustulæ *Sudaminum* nomine insignitæ oboriuntur, cùm enim tubuli eroduntur, extillat lympha vel ichor tenuis, vel chylus remanente viscidiore in cuticula textura ista mirabili & sudamina repræsentant, frigore quoque externo accedente, imprimis si corpus nostrum priùs sudore maduerit, facile succi in tubulis glandulosis cutaneis existentes coagulantur, & sic hujus generis pustulæ producuntur.

Causa Epinyctidum.

Causa *Epinyctidum* est itidem particularis inflammatio, & cùm utplurimùm hic affectus nocturno tempore excitetur, & dolorem intensum comitem habeat, necessariò sequitur, ipsum oriri ex obstructione tubulorum angustiorum varieque intortorum, in glandulis cutaneis à secedentibus ex cæterarum contubernio particulis imprimis acutis irregularis texturæ, & quidem pungentibus, sicque dolorem inferentibus, fibrillis scilicet inde irritatis, & in cincinnos adactis à fortiori etiam acido succos figente Livior infertur.

Terminthi causa.

Terminthus oboriri solet, lympha si sit debito acrior, absumptis & fugatis ab aere aquosis & volatilibus particulis, effusa enim lympha acris fermentescens, punctione particularum acutarum in fibrillas nervorum pruritum & sæpe dolorem excitat, & pro majore vel minore acredine sanguinis ac succorum, acrior vel secus aliàs vicinosque tubulos erodens, imò si conjuncta est lues Venerea ipsosque capillorum radices exedens, vel *Scorbutum* comitans, eadem enim ferè est causa Luis Venereæ, ac Scorbuti, sal enim acre ac corrosivum in sanguine ac succis existens, & ad cutem delatum ejus tubulos cutaneos erodentibus, imprimis verò in tibiis & cruribus existentibus.

Essera causa.

Cùm *Essera* squamulas conjunctas habeat, ex hoc phænomeno pro certo concludi potest, quòd lympha in *Esseris* sit debitò viscosior, absumptis particulis aqueis & tenuibus, concrescit in squamulas seu crustulas, imprimis si adfuerit sanguis & lympha salinis particulis rigidis referta.

Psydracii causa.

Psydracia haud multùm in causa differunt à *Phlyctenis*, cum obstructio sit in hoc casu, in subtilioribus & superficialibus cutis glandulis, & *lympha* est etiam tenuior & acrior, epidermidem facilè elevans & inter eandem & cutem se effundens, sicque papulam vel vesiculam producens.

Causa Ficus.

Causa Ficus latet sæpe in sanguine & succis, cùm debita inter sanguinis particulas non est proportio, ac proin intestinus motus (seu intestina agitatio) non ritè procedit, prævalentes enim (cùm nec chylosarum seu viscidarum fiat attenuatio,) particulæ crassæ viscosæ, terrestres & salsæ vel acidæ sibi mutuò adhærentes facilè, levique de causa in angustissimis à corde remotissimis tubulis, h. e. in extremitatibus digitorum, vel alibi in cutaneis tubulis sistuntur, & ficum inducunt, hic enim major viscediditas cum acido adesse videtur.

Causa Talpa.

In *Talpa topinaria* lympha acrior aliquando viscediditatem conjunctam habet, hinc acredine sua quidem tubulos corrodit & evasatur, sed ob viscediditatem lentè gradum simul facit, & sic sub cute ceu Talpa sub terra fodiendo hunc affectum producit.

Prognosis Phlyctenarum.

§. 11. *Phlyctenæ* quamvis ex se periculo vacent, sæpè tamen si non ritè tractantur, in herpetem degenerant.

Sudaminū.

Sudamina nullum periculum inferunt, sed cùm deformitatem inferant, à sexu sequiore sæpè curatio exoptatur.

Epinyctidū.

Epinyctides quoque periculosæ sunt, sed maximam defœdationem cuti inferunt, & facilè exulcerantur, quę exulceratio haud difficilè curatur.

Terminthi.

Terminthus luem Veneream non comitem habeat, nil periculi adest, sed facilè in herpetem exulceratum transit, & difficillimè sæpè sanatur, imprimis si scabiem vel prædictam luem conjunctam habet.

Essera & Psydracii.

Esseræ & Psydracia carent omni periculo facileque curantur, at facilè etiam redeunt.

Ficus.

Ficosis est *affectus* diuturnior & difficilior curatu, quia humores viscosi ac tenaces non facilè sunt dissipabiles.

Talpa.

Talpa est etiam curatu difficilis & facilè in ulcus, seu fistulam transire potest.

Diæta.

§. 12. *Prognosi* perspecta nunc ad *Curam* Diæteticam nos conferamus: Cùm verò omnes hi affectus vel ab obstructione, vel ab erosione producantur, necessariò *Diætetica cura* eò dirigenda est, ut obstructio & erosio impediantur, hinc aer sit temperatus; cibi sint boni succi & optimè nutrientes, fluidi ac calidi, exulent frigida alimenta, exsucca, viscida ac terrestria, salina acida, muriatica, quæ simul obstructionem & erosionem inferre possunt. Potus esto calidus, imprimis Theæ vel Caffeæ, vel alius Decocti, santalini, vel lignor. vel si placet cerevisia ac vinum, variis aromaticis ac resinosis maritentur, vel

Diætetica cura.

in

in vino assumatur aliquid salis volat. C.C. vel oleos. Sylv. vel nostr. fugiantur autem potulenta frigida glacie refrigerata, cerevisiæ crassæ ac acidæ, item vina austera ac acida. Somnus, vigiliæ, motus & quies sint ad justum modum instituta, excreta & retenta sint more solito & consueto seu ordinario sanorum similia. Animi pathemata fortiora & exagitantia angue pejus fugiantur, ut ira, mœror, invidia, &c. cùm his vel exagitentur succi bene antea mixti, vel magis coagulentur.

Galenicorũ cura in Phlyctenis.

§. 13. Nunc *Curam* horum affectuum ad mentem *Galenicorum* examinabimus, & quidem curam *Phlyctenarum* prius exponentes, quam instituunt observando Diætam refrigerantem, humectantem & diureticam, dein ad Hepar respiciunt. Curationem ergò præmissis universalibus (si opus) decocto lentium, & Epithemate ex lixivio forti cum cineribus fagi parato, deinde oleo lini ac nucum aa. p. æq. mixto perficiunt. Quamprimum pruritus, dolor & rubor apparent, sequens statim applicant.

℞. *Bol. Armen.*
Coriandri. pulv. aa. ʒ ß.
C. s. q. *aq. rosar.* F.
s. a. Linimentum.

Quòd si ulcerentur, accipiunt adipem suillam, liquefaciunt & cum s. q. spumæ argenti minutiss. pulv. efficiunt linimentum pustulis his applicandum, cui & sulphuris pulv. parum addunt & sic efficacius reddunt.

Sudaminibus.

Cùm *Sudamina*, juxta Veteres ex nimio sero in sanguine contento oriantur, quod in cute coercetur, densatur, ac per sudorem evacuari prohibetur, hinc curationem Veteres instituunt primò hydragogis seu serum evacuantibus medicamentis: secundò topicis, & quidem Epithemate ex aq. foliorum quercus, cum aliquot granis camphoræ mixtis.

Epinyctidibus.

Cura *Epinyctidum* ad mentem Veterum consistit primò in ordinato victu, ut nempe omnia acria, acida, & salsa vitentur: secundò in materiæ antecedentis per venæsectionem & purgationem ablatione: tertiò in applicatione Topicorum. Veteres ergò hisce pustulis seu exulcerationibus medentur brassicæ, cicutæ, vel solani, vel hyoscyami, vel rhamni, aut plantaginis foliis cum melle impositis. Egregiè etiam ab ipsis laudatur calx cum oleo ad mellis consistentiam subacta imposita, itidem Laser cum aqua omnium florum mixta. *Oribasius* verò oleosa non admittere vult, & loco olei aceto cum vino utitur, admonetque, ne acria, acida aut salsa medicamenta adhibeantur. Vitari etiam jubet fomenta, balnea & Solem.

Terminthо.

Juxta Veteres *Terminthorum* curam similem esse dicunt medelæ pustularum nocturnarum, seu Epinyctidum jam modò relatæ.

Esseris.

Curationem *Esserarum* Veteres tribus remediorum generibus peragunt, sudore, balneo aquæ dulcis, & farina secalina; sudore enim juxta illos causa evacuatur, qua profligata affectus etiam desinit. Balneo aquæ dulcis humor salsus, mordax, nitrosus & cholericus mitigatur, porisque apertis sensibiliter & insensibiliter eliminatur. Si verò opus sit universalibus uti, tunc illa exhibenda esse, nec diuretica negligenda, monent.

Psydracia.

Curatio *Psydraciorum* juxta *Galenum* ejusque sequaces, (præmissis universalibus præsertim cephalicis aut caput purgantibus,) fit applicatione discutientium ac refrigerantium, æquali portione mixtorum, imprimis sequens commendant.

℞. *Argenti spumæ,*
Ceruss aa. ʒ iv.
Aluminis,
Rutæ folior. virid. aa. ʒ ij.
Ex aceto myrteoque oleo

inungunt. Magis autem proficere ajunt ea, quæ humiditate scatent. Ad Psydracia calidissima & fera commendant farinæ fabarum unc. ij. cum vino exceptas, & ad cerati formam redactas & illitas.

Ficus.

Ficus curationem quod attinet, quatenus excrescentiam aliquam carneam denotat, præprimis Veteres intêdunt suppuratione prohibere, ideoque per pilulas cochias causam, seu materiam peccantem evacuari volunt, deinde discutientibus; hisce verò non juvantibus, emollientibus ad suppurationem promoventibus utuntur. Exulceratis verò ficubus ceratum citrinum vel pulpam ficus melli mixtam imponunt. Quatenus sumitur pro excrescentia tumorosa applicant sequens:

℞. *Squam. æris,*
Sandarac. aa. ʒ j.
Alum. sciss. ʒ ij.
M.

Per se singula terere jubent, ac cum rosaceo miscere ac imponere imperant.

Ad *Ficosas* in capite ac mento pustulas medicamentum sequens applicant:

℞. *Misyos* ʒ i ß.
Chalcitidis ʒ ii ß.
Squamæ æris ʒ j.
Aluminis sciss. ʒ ß.

M. hoc siccum loto largè imponunt. Laudant enim his in pustulis alumen scissile, flores æris, & gluten taurinum, tum squamam æris, quæ dupla sit, teruntque ex aceto & illinunt. Probantur etiam ab ipsis capita menularum combusta biscocta, & cineres unà cum aceto commixti.

Talpa:

Curationem *Talpæ Topinariæ* Veteres juxta minus & magis à Steatomatum curatione differre statuunt.

Paracelsi cura in pustulis hisce.

§. 14. *Paracelsus* in curatione *Phlyctenarum, Sudaminum, Epinyctidum,* ac *Terminthi* aliarumque pustularum sequenti modo incedit. Hyemalibus infestantibus pustulis per Solem, i. e. per Medicinas resolventes curationem aggreditur, è converso æstiva ingruente influentia per hyemalia, i.e. coagulativa remedia malum attentat. Sin aliæ forsan intempestivæ ingruant impressiones, ut sunt grandines, ros, pruina, &c. nil admodùm juxta ipsum laborare oportet, cùm ultrò successu temporis aboleantur. Quòd si verò astra li elemento generaretur quodpiam Crystallo ac Berillo simile, tum ipsum, quod generatur, ferè fixum est, nec tàm facilè loco movetur, nisi coagulato in tantùm infringatur, ut nunquam deinceps ad coagulationem pervenire queat, namque ejusmodi Elementi ignis proprietas est, talemque naturam quandoque pustulæ referre cernuntur: corpus enim penetrant, ut sine negotio nunquam deinceps evellantur, sed omni ex parte Berillorum naturam referant. Simili planè ratione nimirum ventorum instar, dolores, punctiones, vectigationes, &c. contingunt, itaque in curandis illis observat, ne quidquam attentet nisi prius exitu qua erumpere possit præparato. Curationem ergò per suffocationem pustularum maximè improbat Author, quas pustulas catharticorum usu non curari asserit, sed potiùs commendat sua Diaphoretica arcana. Externè laudat Alumen rupeum, plumosum, sal fusum, Entali, Vitriol. alum. sciss. vel sequens:

℞. *Succi agrimon.* ʒ j.
De poris ʒ ß.
Olei anethin. ad pondus omnium.

F. mixtura, cui pannum intinges, hanc superponit non aspergendo. Vel

℞. *Aq. glutinis,*
Rosarum aa. ʒ vj.
Parthenionis ʒ v.
M.

Vel

℞. *Olei lini* ℔ ß.
Æris viridis ʒ ß.
M. quo illinantur pustulæ.

Esseras Paracelsus curare satagit sequentibus:

℞. *Olei ex Juniperis* ℔ ß.
Amygd. dulc. ℔ j.
De coste ʒ viij.

M. Fiat mixtura: postremum fit sicuti oleum de Guajaco, aut buxo. Oleum de Juniperis non fieri vult per descensum, sed oleum de coste, h. e. ex fagino ligno. Vel

℞. *Olei de Spica* ℥ ß.
Quercini ℔ iij.
Axungiæ catti ℔ j.

Commisceantur: ungantur, & his oleis præservabuntur à spiritibus, qui morbum hunc generant, quia unctuositas illa non sinit hujusmodi spiritum subintrare: Natura quidem, juxta Ipsum, aluminis est officiumque, findere. Cùm tamen his cutis peruncta fuerit axungiis, tales spiritus nullos recipit, qui sibi detrimentum inferre valeant.

Ficuum curam Paracelsus *duplicem* esse ait, unam absolvi stercoralibus medicamentis, alteram verò fieri dulcibus corrosivis, Authoris verò corrosivum dulce sequens est.

℞. *Olei laterini* ℥ j.
De juniperis ℥ ß.
Ex myrrba ℥. ij.
M.

Corrosivum dulce mixtum cum aceto sequens est:
℞. *Olei laterini* ℥ j.
Aquæ aluminosæ ℥ ß.
Viriditatis salis ad pondus omnium.

Cura de stercoribus sequenti modo peragitur. ℞. Patientis dejectum stercus, M. cum oleo de vitellis ovorum. Premat patiens (si existant in ano,) ut exeant, qui bus tum medicina superponatur.

In cura Talpæ seu Testudinis, ipsi *Paracelso* & Celsæ dictæ, cavendum esse ait Author ab unguentis, unctionibus & corrosivis. Cura ergò Ipsius talis est, ut regio circumdetur ejus alumine plumoso, & postquam eschara deciderit, superponit oppodeltoch. hac via Testudinem putrefieri ait in ejectionem, & communibus emplastris curam concludit.

Helmontii de pustulis hisce curandis opinio

§. 15. *Helmontius* in curationibus harum pustularum pauca admodum revelat remedia, omnemque operam latici corrigendo impendendam esse sibi aliisque persuadet, qua virtute in *Phlyctenis*, *Sudaminibus*, *Epinyctidibus*, *Terminthо*, *Essere*, *Psydracio*, *Ficu* & *Talpa Topinaria* præ aliis saltem nitri viribus perquam pollere existimat.

Vvillisii ratio curandi Phlyctenas.

§. 16. *Willisius Phlyctenas* curat humorem glandulosum corrigendo fermento alterationem illius producente penitus exstincto, & poros cutis reserando; vena ergò secta, corpus hoc medicamine expurgat:

℞. *Sulpbur. Antimonii* gr. vij.
Scammon. sulph. gr. viij.
Crem. Tartari ℈ ß.
M. F. pulvis.

Deinceps sequenti cerevisia medicata ubi jubet,

℞. *Rad. polypod. qu*
Lapatb. acut. aa. ℥ iij.
Senn. opt. ℥ iv.
Epithym.
Turbith.
Mechoaoann. aa. ℥ ij.
Santal. citr. ℥ j.
Sem coriandr. ʒ vj.

S. a. præparentur, fiat sacculus pro iij. congiis cerevisiæ, post 5. vel 6. dies hauriatur, & sumatur ad ℥ xij. plus minus omni mane per viij. vel x. dies Diuretica etiam exhibet ad salsius istud serum per urinas evacuandum: Diaphoretica verò imperat ad poros aperiendos, materiamque excrementitiam foras per eos eliminandam, sed quum, ut jam alicubi dictum, tales affectus vix absque topicorum auxilio evanescant, partem illinit ex unguento facto ex radicibus oxylapathi in butyro cum vino albo coctis ad vini consumptionem, & oleo Tartari per deliquium s. q. admixto.

Sudaminũ.

Sudaminum curam instituit poros cutis reserando & relaxando, crassioresque salinas particulas attenuando, & per ductus communes eiiciendo. Præmissis enim universalibus, si consultum fuerit, diaphoreticorum ope poros aperit, & deinceps balneis aquæ tepidæ cutem relaxat. Si verò his non cedat affectus, Diuretica in usum advocat; & tandem decocto ex sulphure & vegetabilibus parato partes tepidè fovet.

Epinyctides

Epinyctides tollit angustiores poros aperiendo, & crassiorem lympham attenuando, ac foràs deducendo, ad quem finem lignorum decoctum commendat, aliorũque sudoriferorum, uti & Diureticorum usum laudat.

Terminthũ

Terminthum sanat, præmisso medicamento quodam Diaphoretico, carnosis istis excrescentiis inspergendo pulverem compositum ex ossibus sepiæ, pomphol. ceruss. & pauco alum. ust. aut ær. ust. & si hisce non pareant, ungu. Ægyptiaco illas illinit.

Esseras.

Esseras delet humorum recrementitiorum excretionem per cutis foramina promovendo, unguento que ex unguento pomato, conchil. ust. pauc. ciner. tabac. & parva quantitate sabinę pulverisat. carnem superfluam auferendo.

Psydracia

Psydracia fugat lymphaticum humorem attenuando & demulcendo, ac per vias ipsi destinatas expellendo à purgatione verò auguratur, ipsique sudorifera subjungit, quæ si propositum finem non assecuta fuerint, ea subsequuntur Diuretica, ut sunt serum lactis, & acidulæ martiales.

Ficum.

Ficum dissipat succum nutritium decocto quodam sudorifero subtilisando, ipsique trochiscum sequentem applicando.

℞. *Mercur. subl. corros.* ʒ j.
Opii pulv. ℈ j.
Mucag. gum. tragacanth. q. s.
Fiant Troch. l. a. magnitud. pis. serv. ad usum:

Deinde ulcus digestivo communi sanat, illudque ad consolidationem perducit.

Ultimò *Talpam Topinariam Willisius* profligat Diureticis copiosiorem serosum liquorem excernendo, salsamque ejus diathesin sequenti vel simili electuario corrigendo.

℞. *Conserv. rad. lapath. acut. unc. vj.*
Ocul. cancror. pp.
Corall. pp. aa. ʒ ij.
Ebor ʒ j.
Lign. aloes,
Santal. citr. aa. ʒ i ß.
Sal. prunell. ʒ i ß.
Vitrioli Martis ʒ i ß.
Syr. è succ. lujul. s. q.
F. Elect. dos. ʒ ij. cui superbib. aqua sequens.

℞. Fol. tamarisc. q. pl. in massam contusa ponantur in olla fictili vitreata cum operculo, quæ clibano post panes extracto indita, stet per horas sex aut octo. Dein massa in colum effusa, liquor clarus effluat, cujus dosis ℥ iv. aut ℥ vj. eaque usurpari potest extra Electuarium.

Sylvii de curandis hisce tuberculis sententia,

§. 17. *Sylvius* in pustulis quibuscumque *Phlyctenis*, *Sudaminibus*, *Epinyctidibus*, *Terminthо Esseris*, *Psydraciis*, & *Talpa* curandis interna commendat sudorifera, imprimis laudat decocta lignorum, & salia volatilia. Externè etiam magnificat decoctum lignorum, quo foveri vult pustulas, quæ si non sufficiunt, accedit ad sal suum volatile cupri Tinctura imbutum, quo pustulas fœdas & plane malignas feliciter curat. Dein quandoque, ubi sc. suspectio est de lue Venerea, ad fortiora transit, & pustulis applicat Mercurium præcipitatum alicui unguento immistum.

Cartesianorum modus curandi Phlyctenas

§. 18. *Cartesiani* talem subministrant *Phlyctenas* curandi rationem, qua acutæ particulæ porosis medicamentis absorbeantur, & extra corporis meatus eliminantur, tum tubercula aut pustulæ emolliantur, aperiantur & materia intus collecta eximatur, posthęc ulcuscula mundentur, abstergantur & consolidentur. Lympham proinde asperioribus refertam salibus ab iisdem liberant sudoriferis ex fumaria, scabiosa, Antimonio diaphoretico, bezoardico minerali, sale cardui benedicti, spiritu florum sambuci, tinctura tartari, vel etiam

etiam decocto lignorum & ejusmodi aliis sudorem elicientibus particulas asperiores mitigantibus & cum sudore eiicientibus. Pustulas postmodum ipsas attingunt spiritu florum sambuci, terebinthinæ, camphoræ, aqua calcis vivæ, decocto ficuum, vel linimentum ex farina fabarum, seminis fœnigræci, oleo nucum & succo oxylapathi illinunt. Hisce si pustulæ non abigantur, easdem aperiunt, liquorem intus contentum acriorem linteo tenero leviter exprimunt, ulcuscula abstergunt aqua florum sambuci, hyperici & plantaginis, in quibus flores sulphuris & sal Saturni fuerint dissoluta, & unguento de tutia vel diapompholygos omnimodò tentant sanare.

Sudamina. *Sudamina* abigere tentant similibus sudoriferis, ut pori cutanei aperti incongruum emittant, & reliquiæ incrassatæ resolutæ & fluidiores redditæ convenientes repetant ductus, quapropter C.C. philosophicè præparatum cum cinabari antimonii satis conveniens hic existere dicunt remedium, ad proliciendum sudorem intus assumptum. Sudore probè promoto autem studiosè abstergunt, & ipsas efflorescentias spiritu florum sambuci & succo bryoniæ cum camphora mixtis calidiusculè abluunt, & pulverem ex farina lupinorum, myrrha, olibano & lithargyrio iisdem aspergunt, abs quibus particulæ acres facillimè absorbentur, & cutis apprimè mundatur.

Epinyctides. In *Epinydictibus* sudorifera laudant subtilia, poros cutaneos citò aperientia, lympham crassiorem resolventia & attenuantia, nec non particulas angulares acutas, sive sales acidos acres mitigantia, quorum ordini includunt spiritum theriacalem camphoratum, electuarium diascordii, rob sambuci, cinabarim Antimon. sal volatile C.C. Pustulas etiam aperiunt, & aqua theriacali abluunt, tum unguento aureo, vel linimento ex oleo hyperici, calce viva, & camphora sanant.

Terminthū. Sudorifera etiam in *Terminthο* ducunt necessaria ad lymphæ coagulatæ cum succo nutriente resolutionem post quæ forinsecus emollientia adhibent, uti sunt essentia radicis scrophulariæ, cum spiritu gummi ammoniaci calidè adhibita, emplastrum diachylum simplex, vel cum gummis, vel de ammoniaco Foresti. Si discuti nequeat, sed ad suppurationem vergat, eam promovent, post hanc apertionem instituunt, & expressa materia purulenta spiritu matricali ulcusculum aliquoties abluunt, & imposito emplastro diapalmæ vel de gratia Dei debite occludunt.

Esseras. Ad *Esseras* abigendas, & reditum earum præcavendum, sudorem admodùm etiam judicant proficuum, quem sequenti potissimùm proliciunt potiuncula.

℞ *Aq. rorismarin. unc.* ß.
Spir. flor. sambuc. ℨ ij.
Antimon. diaphoret. ℈ j.
Salis scabios. ℈ ß.
Ol. d. cort. citr. gutt. iij.
Syr. fumar. ℨ iij.
M. exhibeatur una vice.

Post sudorem balneum instituunt ex herbis agrimoniæ scabiosæ, salviæ, betonicæ, alchimillæ, furfuribus, argilla & aliis. Mixturam etiam foris adhibent ex aquis hyperici, florum fabarum, sambuci & lacte sulphuris cum camphora. Aquam calcis vivæ cum Mercurio hoc etiam in morbo non credunt ineptam esse exstituram.

Psydracia. *Psydracia* abigere student blandioribus sudoriferis, præsertim puerorum capita infestantia, quapropter sequentem mixturam apprimè convenire promittunt.

℞ *Aq. scabios. unc.* ß.
Essent. rorismar. ℨ j.
Fumar. ℨ ß.
Liq. C. C. succinat. ℈ ß.
Syr. card. bened. ℨ ij.
M. d. cochleatim.

Ipsas hasce pustulas illinunt oleo Tartari, cum oleo amygdalar. amarar. & guttulis aliquot olei spicæ misto, vel creta in spiritu vini camphorato dissoluta, aut unguento aureo.

...um. *Ficui* convenire dicunt emollientia, attenuantia & succum chylosum incrassatum fluidum reddentia, unde nec hic interna contemnunt sudorifera ex salibus præsertim volatilioribus parata, tum externa quoque adhibent emollientia, uti emplastrum de Ammoniaco cum sulphure & camphora, de galbano, aliaque suppurationem promoventia, qua obtenta tuberculum aperiunt, materiam intus contentam exprimunt, & aqua Mercuriali ulcusculum aliquoties attingunt, donec unguento diapompholygos consolidetur.

Talpam. *Talpæ Topinariæ* emollientia non minùs imponunt, & materiam aliquantùm emollitam facta incisione eximunt, tum aqua sublimata ulcus emundant, & emplastro de gratia Dei ad convenientem deducunt consolidationem.

Nostra curatio Phlyctenarum. §. 19. *Phlyctenarum* curatio *nostro* judicio variat pro causæ varietate. Si enim adsit intemperies sanguinis salsa muriatica, vel acida, ea quantum possibile, auferatur, exhibendo appropriata medicamenta acredinem involventia, qualia sunt decocta chinæ, aliorumque lignorum cum Thea, & simul fixiorum diaphoreticorum usus interponendus est, ex quibus laudantur Antimonium diaphoreticum, ebur philosoph. pp. C.C. eodem modo elaboratum, antihecticum *Poterii*, oculi cancrorum, Martialia quæcumque, &c. quorum medicamentorum usus sit per spatium aliquod temporis continuus.

Externè verò nihil tentandum, nisi priùs internis causis benè fuerit prospectum, quo peracto, spontè sæpe abeunt, sed sæpe etiam externa postulant remedia, hinc spiritus matricalis sæpe sufficit Phlyctenis illitus, vel epithematis instar impositus, vel aqua calc. viv. cum spir. salis Armoniaci, vel unguentum rosarum cum sale Saturni, creta & similibus absorbentibus, vel cum camphora, terebinth. tutia, oculis cancrorum, floribus Sulphuris, sale Tartari aliisque commixtum. Lixivium è cineribus pini tanquam specificum laudatur, omnia verò lixiviosa id præstant. Si adest simul inflammatio, tunc unguentum diapompholygos cum camphora sufficit, ut & omnia exsiccantia, imprimis emplastrum de lapide calaminari cum camphora & oleo mastiches malaxatum. Hic nec purgantibus, nec venæsectione, nec cucurbitulis, nec scarificationibus, nec hirudinibus aliquid utilitatis præstabis. In pustulis hisce Galli solent imponere emplastrum divinum à *Barbette* descriptum.

Cura Sudaminum. In *Sudaminum* curatione eò annitendum est, ut priùs massa sanguinea ac reliqui succi à suis viscidioribus salinis ac terrestribus liberentur particulis, in quem finem varia absorbentia, diaphoretica leviora, imprimis verò Diuretica interna conducent, ut sunt Antimon. diaphor. bezoart. Jovial. Martiale cum ocul. cancror. ebor. & unicornu fossil. &c. quæ omnia sanguinis mixturam debilitatam restituunt, acidumque temperant: interponantur varia Diuretica, Tinctur. bellid. fumar. Tinctur. Tartari, liq. terr. fol. Tartari, crem. Tartari cum ocul. cancror. decoctum lignor. cum herb. heder. terr. fumar & rad. aperientib. dict. eryng. enul. &c. pil. ex terebinth. cum milleped. & salibus fixis paratum. His enim remediis salsæ ac terrestres acidis conjunctæ particulæ per urinam eliminantur, quæ per poros cutis excerni nequeunt.

Externa cura consistit in Sudaminum ablatione, hinc conducunt varia lavamenta ex mundicantibus parata, nempe absynth. ruta, myrrha, sit ergò sequens formula:

℞ *Aq. fl. sambuc. unc.* ij.
Spiritus matrical. unc. j.
Ol. Tartari per deliq. ℨ ij.
M. & abluantur hæ pustulæ, & quidem tepidè, hac mixtura. Vel in forma linimenti:

℞ *Ol. sambucin.* ℥ j.
Cret. ℨ ij.
Sal. Saturni ℨ ß.
Fl. Sulphur. ℨ j.
M. f. linimentum.

Vel ungu. de lithargyr. cum camphora mixtum, quo illinantur hæ pustulæ. Vel aqua calc. viv. cum Spirit. vin. camph. & fl. sambuci sufficit. Vel

℞. *Aq. fl. til.*
Sperm. ran. aa. ℥ ij.
Spir. theriacal. camph. ℥ j.
Troch. alb. Rhaſ. ʒ ß.
M. pro fotu & illinitione.
Ex. gr.
℞. *Aq. flor. ſambuc.*
Calc. viv. aa. ℥ ij.
Spir. matrical.
Fl. ſambuc. aa. ℥ ß.
Sal. Saturni ʒ ij.
Camphoræ ʒ ß.
M. d. ad vitrum.

Applicetur hoc epithema quadruplicatis linteis & quidem tepidè. Convenit etiam unguentum Saturnin. ex lithargyr. aur. & ol. olivar. ſine igne, tum in mortario plumbeo diuturnis tritionibus miſtum, maximè conducit. Balſam. ſulphur. complementum abſolvit.

Cura Epinyctidum. Curatio *Epinyctidum* itidem conſiſtit in depuratione M. S. à ſalinis ac terreſtribus acidis maritatis particulis, quem effectum præſtant Diaphoretica temperatiora. V. S. & purgatio contra veterum omnium Auct. opinionem plus nocet, quàm juvat, hic commendamus eſſent. fumar. bellid. cum Spiritu Vitrioli Martis, quę ſimul particulas ipſas vitioſas per urinas eliminant educuntque, ut decoct. lign. ſaſſafr. ac ſantal. item varia antiſcorbutica remedia, & præſertim temperata egregia hic erunt remedia. Denique ad Topica deveniendum eſt, inter quæ excellunt Tartarea, ol. Tartari cum olei cochleariæ guttula una vel altera maritarum & illitum. Sunt, qui oleum Juniperi commendant, tanquam ſpecificum, alii braſſicam vel cicutam parum contuſam puſtulis his impoſitam, ſpiritus matrical. ſpir. vin. camph. fl. ſambuc. aqua calc. viv. coſmet. item varia decocta mundificantia hinc inde dicta hinc conducent.

Cura Terminthi. In *Terminthо* ante omnia ad mixturam ſanguinis reflectendum eſt, num iſta ſit vel acida vel ſalſa muriatica, quæ priùs corrigenda decoctis appropriatis chin. vel lign. ſantal. vel Salib. volat. ſal. volat. oleoſ. elix. vit. ol. cochlear. vel Guajac. omnia enim medicamenta, quæ acredinem involvunt, appropriata hic ſunt, leviora ergò ac temperata Diaphoretica interponenda ſunt ex antiheƈt. Antimonio Diaphoret. aliiſque abſorbentibus, imprimis detur pulv. abſorbens noſter. Nec hoc in caſu diuretica blandiora negligenda veniunt, ut variæ Eſſentiæ ex herbis & rad. diureticis paratæ, vel Tartarea quævis.

Externè exulceratis hiſce puſtulis inſpergantur varii pulveres ex mandibulis lucii, ceruſſa, lap. calaminar. tut. ocul. cancror. cœrul. fl. Sulphur. ſal. tartar. aloe, myrrh. camph. parati: vel fiant fotus & imponantur varia Epithemata.

℞. *Aq. fl. ſambuc.* ℥ ij.
Spir. matrical ℥ j.
Spir. ſal. Arm. cum calc. viv. parat. ℥ iß.
M. f. Epithema calidè applicandum.

Poſſunt & applicari varia linimenta, vel emp. imprimis noſtrum de labdano.

Cura Eſſerarum. In *Eſſeris* ſive puſtulis illis parvis eadem remedia conveniunt, tam interna, quàm externa, quæ in ſcabie commendavimus. Maſſa enim ſanguinea multis ſalinis ſcatet particulis, quæ vel per ſudorem, vel per urinam eliminandæ ſunt. Hunc ſcopum attingemus, ſi exhibeamus varia Diaphoretica fortiora & volatiliora iis, quæ in præcedentibus commendavimus: conducet ergò ſal vel ſpiritus volatilis viperarum, vel C. C. vel Tinct. Antimonii Tartariſ. vel noſtra Solaris. Ex. gr.

℞. *Aq. enul.*
Card. bened. aa. ℥ iß.
Tinct. Antimonii tartariſ. ʒ j.
Myrrh. ʒ ß.
Syr. de fumar. ℥ ß.
M. d. cochleatim per vices.

Topica hic haud negligenda ſunt, ſed fiant lavamenta ex herb. malv. ſaponar. fumar. oxylap. ſcabioſ. cum farin. lupinor. ſulphur. & nitro. Vel illinantur Eſſeræ lixivio reguli Antimonii, vel decocto tabaci, vel aqua plantag. ſacch. Saturni, Mercur. dulc. ſpir. matrical. ſpir. calc. viv. adject. vel ol. Tartari cum ol. amygd. dulc. Reliqua vide *Capit. de Scabie.*

Cura Pſydracis. In *Pſydraciis* apprimè conveniunt ſudorifera, ut obſtructio tollatur, & lympha corrigatur. Detur ergò ſæpius pulvis noſter abſorbens cum Antimonio Diaphoret. vel ſal C. C. volat. vel viperar. vel Tinct. Antimonii tartariſ. Eſſent. fumar. lignor. radic. enul. lapath. acut. ſpir. matrical. & plura alia ſępiùs commendata. Inter topica ſæpè ſufficit aqua calc. vivæ cum ſacch. ſaturni & camphora ſæpius applicata. Linimenta quoque ex ol. ſambuci, cum ſal. Saturni & camphora parari ſicque applicari poſſunt. Ol. tartar. per deliquium egregium erit remedium, imprimis ſi oleo amygdal. dulc. maritetur, ſpir. matricalis ſæpe quoque omnibus aliis palmam præripit, ut & aq. Regin. Hungariæ tepidè applicata. In eorum defectu imponatur ſpir. anthos vel flor. ſambuci, vel ſpir. vin. camphorat. In hunc finem tyronibus ſequentem aut ſimilem commendamus formulam:

℞. *Aq. fl. ſambuc.*
Plantag. aa. ℥ iß.
Spir. matrical. ℥ ß.
Sal. Saturni ʒ j.
Camphoræ ℈ iß.
Balſam. divin. n. d. ʒ iij.
M. D.

Cura Ficus. Cùm in *Ficoſo tumore* ſanguis nimis craſſus ſit, ille priùs incidendus ac volatiliſandus eſt, in quem finem conducent varia acidum temperantia, ac dein volatiliſantia remedia, ut ſunt ſal. volat. oleoſ. Elix. vit. liq. C. C. ſuccin. balſ. nervin. decoct. lignor. Præmiſſis his tumor hic diſſolvendus eſt, in quem finem varii fotus, ſuffumigia ac Epithemata parari queunt ex herb. rutæ, cicutar. Nicotian. ſalv. flor. chamom. verbaſc. melilot. ſem. lini, fœnigræc. bacc. lauri, Juniper. ſal. Tartari, ſal. armoniaco, ex quibus variæ concinnari poſſunt formulæ & tepidè applicari. Vel ſpir. matrical. cum ſpir. ſal. Armon. cum calc. viva parato imponatur, vel ſpir. calc. viv. fl. ſambuc. &c. His nihil juvantibus, ad fortiora accedendum eſt, aquam nimirum quandam corroſivam, quam *Depffuuaſſer* vocant, adiici enim poteſt momentum Mercurii ſublimat. vel præcipitat. item Mercur. dulc. qua aqua plures curavit *Sorbait. c. 8. de Excreſcentiis miris.*

Curatio Talpæ. *Talpæ* cura pro cauſæ varietate variat, & hic conveniunt omnia ea interna ſuperiùs dicta Diaphoretica ac abſorbentia, item externa recenſita reſolventia ac diſcutientia, volatilibus oleoſis ac reſinoſis mixta. Utplurimùm tamen Talpa ſine manus operatione vix curari poteſt, quæ operatio fit vel applicato corroſivo, cui inciſio per totam eſcharam ſat profunda ſubjungitur, quo tamen corroſivo non ſemper opus eſt, ſed ſtatim fiat inciſio, dein reliqua cutis ab ipſo tumore digitis paulatim ſeparetur, & ad fundum ſeu radicem deveniatur, quo facto eximatur tota maſſa inſpiſſata, hinc mundificativa cum plumaceolis imponantur, donec vulnus ſarcoticis conſolidetur.

CAPUT XI.

De Tumoribus Cyſticis, Ganglio, Atheromate, Meliceride, Steatomate, & Emphyſemate.

§. I. Tumores hi, de quibus modò tractaturi ſumus, nomen ſuum à diverſitate materiæ intus contentæ ſortiti ſunt, hinc dicuntur Tumores Cyſtici, quia propriæ includuntur Cyſtidi, ſeu tunicæ, ſeu folliculo.

Ganglion. *Ganglion* deſcribitur, quòd ſit tumor durus indolenſque cum cute ſana, à tubulorum tendinoſorum contortione & induratione, poſt laborem utplurimum in manibus pedibuſque obveniens. *Germanis* à duritie dicitur *Uberbein.* Ganglia nihil aliud ſunt, quàm nodi

nodi in nervis ac tendinibus. Nodi verò isti callosi, qui *Sliedschvvamme* Germanis vocantur, differunt ab his duritie, & quod non in nervis aut tendinibus existant, sed illis tantum adjaceant. Ganglia cognominantur à figura externa *corpora olivaria*.

Atheroma est species tumoris seu abscessus cum folliculo, in quo aliquid *pulti* simile continetur peculiari tunica inclusum. Si tumor talis, quod frequentius accidit, in capite excrescat, ob firmam capitis cutem firmiter cranio circumtensam, non tam extrorsum prominere potest, sed potius tumor talis latiùs sub cute capitis sæpè expanditur, unde tunc *Testudo*, item *Talpa nigra* appellari solet. Hoc in tumore materia proprio folliculo contenta & diutiùs retenta, subinde acrior redditur, & aliquando ipsum os cariosum reddere potest. Tales tumores si sunt immediatè suprà suturas relinquendi sunt intacti.

Meliceris describitur, quòd sit species tumoris vel abscessus cum folliculo, humorem melli similem in propria tunica continens.

Si vero materia in tunica propria contenta sevo vel adipi similis est, tunc vocatur Medicis vel Chirurgis *Steatoma*.

Sunt & alii ejusmodi tumores cystici, qui continent vel pilos, vel carbones, vel vitra, vel chartas, vel linteamina, vel vermes, aliamque materiam peregrinam, hinc nomina ista superiùs dicta essentiam horum tumorum non satis explicabunt.

Emphysema est tumor flatulentus, sub quo ventus vel flatus in tubulis, vel meatibus, vel peculiaribus tunicis continentur, tum enim flatus isti locum ampliorem quærunt, tubulos distendunt, sicque tumorem flatuosum *Emphysema* dictum excitant.

Certum est, quod omnes istæ prædictæ materiæ contineantur in peculiari tunica, & in hoc omnes ferè consentiunt, quamvis in aliis differant. De Gangliis multùm disceptatur inter Auctores, sed potiùs controversia est de nomine quam re.

§. 2. *Pars affecta* horum tumorum tunicatorum sunt partes membranosæ ac fibrosæ, quæ sæpè ita extenduntur, ut proprium sibi efforment folliculum, ad succos istos diversos continendos cùm enim membranæ violentius aut ab externa aut ab interna quadam causa distendantur, facilè tunc dilatantur ac lacerantur, hinc ejusmodi Tumores tunicati oboriuntur.

Ganglii verò pars affecta sunt nervi ac fibræ tendinosæ, & occurrunt Ganglia utplurimùm in articulis, manuum scilicet & pedum, præcipue verò circa juncturas apparent. Nervi plurimi in variis corporis partibus in concinnos abeunt, & adeò inter se invicem intricantur, ut Anatomici tales coagmentationes *Plexum* dixerint, dein à plexibus proficiscuntur & circumcirca disperguntur. Quando plures nervi in unum coeunt, observandum est, vasa, ex quibus constituuntur, nullam inter se habere anastomosin, & eam solummodò in ipsorum involucro reperiri, & cum nervus in plures ramos distribuatur, vasa ipsius privatim in plura non dispescuntur, sed divisio in ipsorum involucro occurrit, & vasa, quæ unico comprehensa fuerunt fasciculo, plurimos constituunt ramos; quæ omnia nobis magnum affundunt lumen ad explicandum Ganglion inferiùs de causa petendum.

§. 3. Parte affecta explicata ordine semel nobis proposito ad Diagnosin horum affectuum Tunicatorum accedamus. Ganglion ergò cognoscitur ex tumore duro, renitente, inæquali, indolenteque, qui vel in manibus, vel pedibus, mole sua utplurimum nucem avellanam adæquat, estque ejusdem cum cute sana coloris. Post laborem majorem homines in hunc incidunt tumorem. Tumor hic tantùm ad latera movetur, non verò prorsum aut retrorsum, & per hoc differt à Meliceride & Atheromate, item ratione duritiei quæ in Ganglio observatur, differre à reliquis tumoribus Tunicatis.

Atheroma verò cognoscitur ex tuberculo utplurimùm in capite, sæpè etiam in aliis corporis partibus membranosis existente, in Tunica propria materiam pulti similem continente. Quod Atheroma in humero sinistro in spinam vergens ovi columbini magnitudine observarunt *Curiosi Germani Ephem. Ann. 2. Observ. 93.*

Meliceris cognoscitur ex materia melli simili & proprio inclusa folico; prout *Steatoma* observatur, si materia folliculo proprio contenta sit sevo similis. Observatur etiam, quòd tumores hi tunicati Lunæ phases imitentur, & utplurimum circa partes nerveas radicentur, & proinde frequentiùs circa caput, collum, nucham & similia loca nervosa inveniantur, in carneis verò partibus *Sarcomata* oboriuntur. Facilè quidem patet, an sint proprio inclusi folliculo, quam verò contineant materiam, vix antequam aperiantur dignosci potest.

Emphysema facilè cognoscitur, facilè enim digito cedit, & non tàm durus est, quàm œdematosus tumor.

§. 4. *Ganglion* ad mentem *Veterum*, manum juncturas ac talos frequentius, cubitum & caput autem rarius occupat; juxta illos quoque ex plaga vel labore originem sumit, quatenus ex hisce scilicet plaga, percussione, nimio labore, nervosæ & tendinosæ partes in nodum quasi, ac consequenter in tumorem coguntur. Tumorem hunc à lenta ac crassa pituita oriri contendunt. Hinc Ganglium dicunt nervi contorsionem ex plaga aut lassitudine provenientem, in pluribus quidem corporis partibus, maximè verò in iis, quæ moventur, velut est summa manus & pes, obvenientem.

Juxta Veteris *Atheromatis* seu Nodi causa est spiritus vaporosus; sæpe & oritur juxta ipsos ab humidà, ac mucilaginosa, præsertim autem pituitosa materia, aut utraque mixta, quocunque enim modo hæc causa sub cute latitat, ac per tempus ibidem manet, natura Deastra illorum adjuvante, varias formas induit & repræsentat, ut modo pulti, modò luto, amurcæ fæci similis evadat ac propria investiatur Tunica.

Causam *Meliceridis* ac *Steatomatis* eandem esse dicunt, nempe pituitosum ac mucilaginosum humorem insipidum & in proprio folliculo latentem, hinc tantùm ab Absessu differre ajunt.

Emphysema, h. e. inflatio juxta *Galenicos* ex frigido crassiorique spiritu conflatur, hinc inflationes, quòd spiritus cutem intendat. Renitentur tangendo, ajunt, & hinc differre ab œdemate contendunt. Imò ipse *Hippocr.* statuit, quòd Emphysema sit copia spiritus flatuosi in cavitatibus, præsertim verò articulis.

§. 5. *Paracelsus* Tumores hos Cysticos, ut *Ganglion*, *Atheroma*, *Melicerídem* ac *Steatoma* apprimè describit sub nomine Scliroses, dicit enim, *Sclirosis* est Apostema, vel nodus, qui nascitur per excrescentiam novæ generationis, quando scilicet natura superfluitatem ex centro generationis producit, accumulato postmodum in excrescentiam juxta membrum, in quo fuerit, generatur. Regeneratio juxta Ipsum major est, quàm ubi corpus nascitur; possibile est, ut fiat secunda regeneratio & est pura superfluitas regenerationis. Tumores hi juxta Ipsum aliquoties in fronte nascuntur, ut nodus, in cervice & in manibus. Quando sub costis aut sub ventre nascitur, tunc ejus duritiem non bene percipi posse ait. Ex melifluis mineralibus hosce tumores imprimis *Melicerídem* produci posse nullus dubitat.

Emphysema esse à flatibus cum reliquis Auctoribus consentit, & sæpe ex accidentibus provenire asserit, esseque sæpè arsenicalem inflationem præter salis resolutionem; siquidem omnis inflatio sicca producatur ex arsenico puro.

§. 6. *Helmontius Ganglion* & tumores hos Tunicatos seu Cysticos induci vult à mucilagine ex latice relicta, & sub propria tunica latente, eandemque in tantam magnitudinem distendente, & materiam diversam exhibente.

Emphysema verò seu Inflationem deducit ex flatu à fermento vitioso speratico producto, & partes varias membranosas variè tendente.

Margin notes: [A]theroma. [Me]liceris. [Ste]atoma. [Em]physema. [Pa]rs affecta. [Di]agnosis. — Galenicorũ opinio de causa Ganglii. Atheromatis. Meliceridis ac Steatomatis. Emphysematis. Paracelsi cogitata de causis tumorum Cysticorum. Emphysematis. Helmontii de causis horum tumorum opinio.

Willisii ratiocinatio de causis Ganglii.

§. 7. *Willisius* innuit, *Ganglion* oriri ex fibris à duro quodam instrumento aut inassueto, aut diutiùs tractato, vel à gravi aliquo corpore premente, à proprio situ deturbatis, sibique invicem propiùs & arctiùs admotis. Fibrarum ergò poris atque interstitiis strictioribus hoc pacto redditis, fuligines per ea evaporari solitæ retinentur, ac in illis coacervantur, ipsaque opplentes fibrarum duritiem ac tensionem adaugent; aquosioribus subtilioribusque earum particulis exhalatis, crassioribus verò remanentibus.

Tumorum Cysticorum.

Tumores Cystici ex *Willisii* mente progignuntur ex succo nutritio à sale acido in illo præpollente, viscidiore facto atque coagulato, & in cujusdam arteriolæ, per quam devehitur, fine remorante. Liquor autem ille crassior ac lentescens in vasis termino cæspitans, perpetuaque aggestione accrescens, arteriæ parietes dilatat, fibras ejus ab invicem semovet, ac in longius protendit, amplioremque illius cavitatem efficit. Fibrarum autem arteriæ fines à partibus ambientibus coerciti in sese mutuo incurvantur atque concurrunt, & adunantur, vasisque osculum obturantes folliculum ex eo efformant. Quum verò sal istud coagulans in humore nutritio dominium obtinens variæ sit indolis, minorisque vel majoris aciditatis & sulphur in eo coagulatum crassius vel tenuis existat, liquor concrescens dissimilis indolis reperitur, diversæque advertitur consistentiæ colorisque differentis; & varia ideò sortitur nomina tumor ex tali humore coagulato exortus. Si enim materia in folliculo conclusa pultem referat, *Atheroma* dicitur, si verò melli consimili fuerit, *Meliceris* denominatur, at si sevo aut adipi par existat, *Steatoma* indigitatur.

Emphysematis.

Willisius autumat *Emphysema* ortum habere à flatibus in vase quodam contentis illudque distendentibus ac dilatantibus, negat verò flatus primariam esse hujusce affectus *causam*, statuitque propriam illius originem deberi spiritibus animalibus in motu suo ab incongruo quodam perturbatis, qui inordinatè & turmatim per fibras nerveas, in alicujus vasis tunicas irruentes, mirè illas inflant atque distendunt, & quaquaversus extumescere faciunt. Liquore verò in vase dilatato contento a vehementiore isto spirituum impetu validiùs agitato, portio ejus in vapores rarefit, & in flatus amplius illud spatium implentes cedit.

Sylvii opinio de causis horum morborum.

§. 8. *Sylvius Ganglii* ac *Tumorum Tunicatorum* seu *Cysticorum* causam deducit à pituita viscida ac glutinosa, proprium sibi folliculum efformante, & in parte quadam corporis coacervata.

Emphysema ex flatibus in vasis aliisque cutis partibus collectis, partemque externam distendentibus oriri censet.

Cartesianorum iudicium de causa Ganglii.

§. 9. *Cartesiani* existimant, *Ganglion* produci à nimia nervorum & tendinum extensione, unde ramuli contorqueantur, ad latus excrescant, & simul liquor nervosus ex fibrula quadam dirupta effluat, atque circa nervum coaguletur, tandem continuo quodam effluxu cumulatus tumorem excitans. Hanc verò nervorum diruptionem ab externa quadam suscitari dicunt violentia, contusione scilicet, lapsu, distorsione, luxatione, quibus sæpius tumor hic in acceptis ferendus sit.

Atheromatis, Meliceridis, & Steatomatis.

Atheromatis, Meliceridis, & Steatomatis originem adscribunt chylo in propriis suis vasis ab acido quodam liquore coagulato, cujus partes crassiores caseosæ inspissatæ, & continuo aliarum affluxu adauctæ tunicam vasis illius extendant, quæ ità extensa folliculum constituat materiæ intus contentæ. Prout verò materia hæc caseosa vel mellior sit & aquosior, vel spissior, pinguior aut aridior, & ratione valvularum, quibus vas illud chylosum constat, à se invicem dispersa, ita eandem modò pultis, ut in *Atheromate*, modò sevi, ut in *Steatomate*, modò mellis, ut in *Meliceride*, interdum etiam tophorum, carbonum, & quando plures quædam venulæ obstructæ, tandem succorum transfluxum admittere non valentes concreverunt, & invicem convolutæ fuerunt, pilorum, aliarumque rerum speciem præ se ferre affirmant.

Emphysematis.

Emphysema ortum habere dicunt à succorum quorundam tenuiorum invicem mixtorum effervescentia, veluti si lympha acidiuscula & liquor nerveus particulis porosioribus constans, in parte quadam confundantur, & mediante æthere diversæ hæ particulæ actuentur, tum spirituosæ à reliquis sejunctæ tubulos musculorum distendunt, & tumorem ejusmodi flatulentum excitant. Dum verò particulæ porosæ succi nervei superant particulas acutangulas lymphæ, hasque destruunt, nullam etiam inflammationem produci statuunt, quoniam materia æetherea facilem reperit transitum. Nonnunquam tumorem hunc excitari credunt quòd reverà in parte ista aer distendens contineatur.

Nostra sententia de causa Ganglii.

§. 11. Tumor qui *Ganglii* nomine à plerisque nuncupatur, oboritur, *Me judice*, si tubuli nervei vel fibræ tendinosæ ab insueto labore ita distorquentur, ut succi circulantes multas obstructiones pro offendiculo offendentes stagnent in tubulis tendinosis, tandemque ab humoribus tergò insequentibus propellantur usque ad membranam illam, quæ tendinem circumvestit, ubi efformata fovea colliguntur & concrescunt, abeuntque in duritiem eximiam particulæ viscosæ ac terrestres, tenuioribus interim exhalantibus. Certum enim est, tumores nervis adnasci, nam *corpora* ista *olivaria* ab implicatione tantùm vasculorum nerveorum efformantur, ea prorsus arte, qua filum, ex quo funda contexta fuit, amplius spatium terere videtur in medio fundæ corpore, ubi lapis collocatur, quàm in funiculis, qui ex utraque ejus parte exoriuntur. Sic & Ganglion sæpè eodem modo generatur ac tumores tunicati, cùm quis manum intorqueat, facilè fieri potest, quòd vas aliquod nervosum comprimatur, hinc facili marte ejusmodi tumor producitur. Sunt etiam, qui credunt, Ganglion oriri ex succo nutritio abundante, & in tumorem viscosum coacervato.

Tumores tunicati omnes oriuntur, me judice, à vase chylifero à quacunque causa ampliato. Tunica enim illa, quæ circa hunc tumorem reperitur nihil aliud est, quàm dilatatum vasculum chyliferum, vel vas, in quo succus, quo nutrimur, continetur, & uti *Aneurisma* fit ex arteria dilatata, & varix à vena dilatata, cùm arteria ubi aneurisma est, maximam habet dilatationem, quod & de vena in varice intelligas, sic hic dilatatur vas chyliferum & chylus ibidem stagnans coagulatur, & in materiam vel pulti vel melli vel sevo similem abit, prout enim chylus variat, & evasatio diu durat. Causæ verò hanc dilatationem & extensionem producentes, plures esse possunt, primò glandula obstrui potest, à qua obstructione magis illa intumescit, hinc vas adjacens compressum dilatationem & extensionem producere valet. A causa quoque violenta vas aliquod chyliferum vel lymphaticum majusculum, vix enim hæc vasa inter se differunt, ad medium aut discindi, aut rumpi potest, & tunc necessariò chylus affluens nullamque resistentiam inveniens vas suum dilatat. Sæpè enim à contusione, ictu vel lapsu affectus hi tunicati orti observantur. Huc etiam refertur ipse succus ineptus, & per has angustias circulari non valens, qui reliquas partes membranosas dilatat, & ejusmodi tumorem pro humoris varietate, vel Atheromatis vel Meliceridis vel Steatomatis nomine insigniendum, producit: & cùm extensio fit dilatatio in superficialibus vasis lymphaticis, fit, ut in his lympha reperiatur, tunc Medici nomen indidere *Hydatidum*.

Tumorum Cysticorum.

Nunc etiam paucis ad affectuum Tunicatorum phænomena explicanda animum dirigamus; ex omnibus verò apparet, quòd succi in tali corpore sint crassiores, imprimis chylus, qui tardiùs circulatur, & sic stagnare cogitur. Dilatatio vasis fit sensim atque sensim, quoniam affluxus & appulsus succorum non sufficiens est; si verò materia circa tunicas semel sibi aliquam efformavit cavitatem & dilatationem, necessariò semper plures insequuntur particulæ ejusdem indolis, quæ ibidem colliguntur, & cum tempore talem constituunt Tumorem Tunicatum.

Diversitas materiæ, quæ in Tunicis his colligitur, deduci potest primò à conformatione vasis, in quo dilatatio fit, vasa enim cuncta ob angustiam

& flexuram non quemlibet admittunt succum. Juxta hanc succorum, imprimis chyli, diversitatem, diversa reperiuntur vasa chylifera ad hanc vel illam nutriendam partem. Sic etiam à mixtura sanguinis diversitas materię dependet, cùm in quibusdam subjectis succi sunt tenuiores, quàm in aliis, ubi reperiuntur crassiores, in quibusdam succis vel est acidum, vel salsum, vel oleum, vel spiritus abundantiores; si addas & hanc causam, mutationem nempe vasis in longum & latum, quam figuram nactum est vas, dum dilatabatur, si enim dilatatur vasculum vel tunica fibrillæ coarctantur, & hinc fit expansio major, & ob majorem vel minorem extensionis gradum etiam cavitas major vel minor efficitur; in senectute ob fibrarum coarctationem vasa latiùs distendi nequeunt, in Juvenibus verò fibræ meliùs extendi possunt, ex quibus omnibus sequitur, peculiarem in his vasis separari succum.

Si materia stagnans vel acidior, vel oleosior, vel spirituosior, vel salsior existat, juxta horum varietatem succorum materia hisce in tumoribus Tunicatis vel tenuior, vel spissior, vel pinguior, vel durior apparebit.

Sic etiam diuturna stagnatio hujus evasati succi hanc vel illam faciem induere facit; si enim particulæ continuò in motu suo conserventur, & inter se ratione figurę mutentur, facili marte fieri potest, ut oleosæ particulæ à spirituosis deserantur, & mixtura turbetur. Pressio quoque externa ansam dat, ut materia in his tumoribus contenta compactior reddatur, quia particulæ invicem hamis & uncis combinatæ sunt, prout in oleis destillatis videre est, quæ amissis spiritibus incrassescere solent.

Si ergò ipsiùs materiæ stagnantis cuspides ab acido præsenti per mensium aliquot spatium planè disrumpuntur vel franguntur, materia commutatur in *materiam duriorem*, pinguedini bovinæ non dissimilem, & sic producitur *Steatoma*, quia acidum particulas figit volatiles.

Si verò in tumoribus his tunicatis plus salis fixi quàm acidi colligatur, materia pulti erit similis, quia particulæ fixæ talem mutationem, quam volatiles, non efficiunt in succis, hinc oritur *Atheroma*.

Quilibet ergò ex his facilè mente assequi potest, quòd materia per tot menses latens stagnansque in parte aliqua plures mutationes circa figuras subeat, ex quarum particularum figuris, mixtura, combinatione, motu, hoc vel illud corpus generari posse neminem latebit, qui saniorem Phylosophiam modò summis degustaverit labiis, quæ materia toties mutari potest, quoties diversę ibidem colligantur particulæ.

Non necessum est, si hæc vel illa extranea in ejusmodi tumoribus tunicatis reperiantur, statim ad Diabolicas confugere artes, quando sc. vel muscæ, vel vermes, vel pili, aliaque inveniantur peregrina, cùm & hęc ex ovulis aliisque miscelis succorum oboriri queant. Non verò omnem incantationem abesse volumus, & consistunt illa in quadam fascinatione, & Diabolus sæpè fucum facit suis pręstigiis, & sæpiùs inter puris ac materiæ effluxum quædam immiscet & supponit, quibus se mancipiis suis potentem, aliis formidabilem reddere vult: & cùm sępè hæc non fideliter referantur à circumstantibus & nimis credulis ac garrulis, plura hac vice addere non libet.

Quod verò proprii folliculi generationem seu productionem attinet, ipsum sequenti modo generari videtur. Fibræ crassæ aut laceratæ, & sic à se invicem separatæ, ut in naturalem unionem haud ampliùs redigi queant, è nutrimento distenduntur in largius ac protenduntur, hinc emittunt fibras, quæ mutuò concurrentes, talem constituunt membranam, quæ membrana nutrita & dilatata cum tumore incrementum capit, quoniam succus transudans non ordinario situ transponitur, sed coagulatus coacervantur simpliciter, materia aut sero, aut pulti aut melli similis efformatur. Juxta Lunę phases hi tumores Tunicati augeri vel minui observantur.

Emphysematis. Causa *Emphysematis* seu *Tumoris Flatulenti* est obstructio pororum à quacumque causa oborta, cum sępe crassiores & copiosiores vapores per poros obstructos transire impediti, *flatus* constituunt. Flatus enim nihil aliud est, quam vapor crassus in cavitate musculorum, vel aliarum partium conclusus, compressusque, qui distendens expandensque partem membranosam, in eam veluti ventus impellitur, sicque *Emphysema* constituit.

Prognosis. §. 12. Quod *Prognosin* dictorum affectum concernit, magis vel minùs curatu difficilis est, prout ipsa causa, videlicet crassities, fuerit major vel minor. Cum Ganglion non vitæ exitum minetur, attamen est affectus curatu difficillimus, qui nec emollientibus, nec discutientibus aliisque specificis volatilibus obedit, hinc affectus hic ægros sæpè ad vitæ finem comitari solet, quia indolens est, non magni æstimatur, nec Chirurgi opera imploratur.

Sic etiam Tumores Tunicati absque periculo per plures gestantur annos, & lento progrediuntur gradu, medicamentis etiam rarissimè cedunt. Sponte tamen nonnunquam suppurantur, & modò in ulcera sordida & fistulosa abeunt, modò accuratiore cura inferiùs explicanda radicitus tolluntur. Atheroma interdum in putrefactionem abit, & quemadmodum ulcus ad basin se extendit, quo venæ sæpè eroduntur & periculosæ hæmorrhagiæ causæ existunt, imò duas sanguinis libras effusas esse ex Atheromate aperto legimus in *Ephem. German. Ann. 2. Obs. 93.*

Omnes hi Tumores Cystici sunt ferè sine periculo, attamen, quia sæpè enormem excrescentiam nonnunquam deformitatem inferunt, curandi sunt.

Emphysema pro loci varietate variat, facilè aliàs curatur; non verò aperiendus est tumor flatulentus.

§. 13. Si eger ritè curari vult, oportet, ut & exacta utatur Diæta, si enim sanguis & succi impraegnati sunt multis viscidis, tenacibus ac terrestribus particulis obstructionem parientibus, fixoque sale poros vasorum obstruentibus, ac sensim nimis dilatantibus, viamque particulis viscidis præbentibus. Victus ergo ratio optima instituitur, quæ ferociam salis mollitie suarum partium demulcere valent. Aer hisce in affectibus sit temperatus, ad calidum vergens & sale volatili multo refertus, vitetur aer multis particulis terrestribus ac crassis aut nimis nitrosis acidis repletus, ut est aer nempe frigidus ac marinus, quæ succos ac ipsum chylum in vasis circulantem, coagulando vel inspissando adeò crassum reddunt, ut postmodum morbi præfati inde oboriantur. Indulgeant ægri cibis faciliorís digestionis, quique exhibent nutrimentum subtilius, quod facilè in forma chyli ad sanguinem delatum leges circulationis sequi potest. Exulent omnia acida & viscida salsa, &c. Potus sit cerevisia optima, cui interponatur potus Theæ vel Caffeæ ad sanguinem & succos attenuandos, sicque ad circulationem faciliorem incitandos, exulent omnia vina atque potulenta acida. Exercitia, somnus ac vigiliæ, imò & alvus sint pro consuetudine. Excretiones quoque solitæ suppressæ aut nimis auctæ, quatenus multùm ad affectuum horum productionem faciunt, ad ordinarium incitentur cursum.

Quantum animi pathemata œconomiam nostram turbare queant, vel ex eo patet, quòd ex nimio terrore, gaudio ac mœrore nonnulli vitam cum morte commutaverint, hinc & multùm ad affectus nostros producendos contribuere possunt: cùm enim anima corpori tam amico fœdere juncta sit, ut nihil ipsi eveniat, quin pro illius constitutione aut simul gaudio afficiatur aut tristetur, aut id, quod corpori molestum est amovere conetur, si fortè corpori inopinatè gratum aut perniciosum quid obveniat, illi statim in auxilium adesse omni ratione conabitur, quando spiritus magna copia ad omnes corporis partes determinabit, qui tanta celeritate, fulminis instar, ad singula corporis puncta penetrabunt, ut inde sanguis & reliqui succi non duntaxat in certo particularum suarum ordine conturbentur, quo postmodùm paucos spiritus promere queant, sed magno isto impetu sæpiùs ex latibulo quodam expellitur fermentum peregrinum, quod humoribus admixtum œconomiam animalem turbat.

Galenico- §. 14. *Galenici* in *Ganglio* calcem vivam cum adipe anse-

rum cura in ganglio.

anserino & terebinthina prodesse dicunt, medicamentum ex Achate lapide parant & imponunt, vel sequens.

℞. *Cerussæ*,
Resinæ pinus,
Olei veteris,
Ammoniaci Thymiatis,
Galban. aa. ℥j.
Ceræ trientem.
M.

Laminam plumbeam crassiorem, veluti sunt verricula, Ganglio majori imponunt ac deligant. Gravitate enim dissolvi ajunt per longum tempus.

Commendant etiam oxerum & masticherum Emplastrum. Sunt qui benè fricant Ganglion cum sale & fol. sambuci simul mixtis, dein applicant emplastrum de cicuta. Veteres in curatione *Ganglii* à Chirurgia abstinent, ac solis medicamentis utuntur, præsertim verò Gummi ammoniacum super ignem emollitum & ad Emplastri formam redactum cum lamina plumbea superponunt, ne verò hinc & inde moveri possit, arctis vinculis constringunt; si transactis aliquot diebus Ganglium emollitum fuerit, nulla rei mentione ad ægrum facta, statim (dum adhuc calet locus,) vincula tollere, pollicem dextræ manus Ganglio immittere, ac reliquos quatuor digitos parti affectæ injectos comprimere jubent, inde Ganglium citò dissolvi evanescere sperant.

Atheromatis, Meliceridis, & Steatomatis.

In *Atheromate*, *Meliceride*, & *Steatomate* Chirurgiam, uti in strumis, adhibent, quæ consistit in Sectione, excoriatione & suturis, reliquaque curatione: eam verò operationem ità instituunt, ne & pelliculam saucient, eò quòd contentus humor effusus impediat Chirurgiam, & ne partem ipsius relinquant, quæ regenerationis plerumque causa fit, circa manuum juncturas, & malleolos, & partes, quæ secundùm articulum moventur; quemadmodum etiam struma, si aut tota aut pars ipsius relinquatur. Quod si tale quid relictum fuerit, melius esse dicunt non fuere, sed erodentibus medicamentis relicta consumere.

Emphysemate.

In *Emphysemate* curationis scopum esse ajunt, corporum rarefactionem & crassi spiritûs attenuationem per calida ac tenuium partium medicamenta perficere. Præmissa evacuatione per hydragoga, quæ pituitam seu serum ceu materiam (ex qua flatus generantur,) evacuant, progrediuntur ad sacculos ex carminativis, discutientibus ac calefacientibus, eosque calidè parti affectæ imponunt. Si verò musculi ob contusionem inflati fuerint, partes valdè calida & acria ægrè ferre dicunt, quare ab initio in mitigantibus perseverare oportet, declinatione vero contingente in discutientibus. Utuntur itaque sapa cum modico oleo, lanis succidis excepto, aut etiam cerato ex œsypo admixto, & curam adhibent, quo caliditas permaneat, nam frigiditatem non conducere ajunt. Postquam verò mitigatio facta est, acetum admiscent & nitrum aut aphronitrum, & postea etiam lixivium: postremum autem emplastra discussoria adhibent usque ad perfectam mali discussionem, strigmenta fervefacta primùm, ut pura fiant, excolant ac rursus in ollam injiciunt, & tritam calcem vivam instar farinæ inspersam inferciunt, donec luti spissitudo fiat, quo tum utuntur.

Paracelsi cura in Ganglio, Atheromate, Meliceride & Steatomate.

§ 15. *Paracelsus* in Tumoribus Cysticis, *Ganglio* nempe, *Atheromate*, *Meliceride*, *Steatomate* curandis eodem modo incedit ac in Tophis & Sclirosi, commendat ergò in eum finem sequens unguentum:

℞. *Ol. myrtillor.* ℥ij.
N. Moscatæ ʒß.
Axung. jumentorum ʒij.
Petrolei, ad pondus omnium.
M. f. Mixtura.

In Emphysemate.

In *Emphysematis* curatione ritè instituenda *Paracelsus* ab apertione & rebus siccis cavere præcipit, & resolutioni materiæ potissimùm studere, varia ergò ex ficubus, oleo, ex bacc. Juniper. farin. fabarum parare jubet cataplasmata. Ad ventum in Tumoribus abigendum sequens vel simile laudat Cataplasma:

℞. *Ol. ex bacc. Juniper.*
Amygd. dulc. aa ℥j.
Farin. fabar. ℥ß.
Fim. columbin.
Caprar. aa. ℥ij.
Aceti q. s.

M. f. l. a. cataplasma, quod superponatur mane, sub meridiem & vesperi. Vel seq. Empl.

℞. *Terebinth.* ℔ß.
Cumin. ℥iv.
Sem. lactuc. ʒvj.
Ceræ q. s.
M. f. Empl.

Helmontiana cura in tumoribus hisce.

§. 16. *Helmontius* in affectibus Cysticis, ut Ganglio, Atheromate, Meliceride & Steatomate omnia ea, quæ in aliis Tumoribus reperta habet & hic prodesse ait. Interne propin at oculos cancrorum, aliaque Diaphoretica, quæ insigni cum utilitate intus exhiberi posse sperat. Topicè verò emollientia adhibet, potissimùm in tumore duro oleum illud commendat, quod in strumis depellendis sæpiùs probatum reperit, & oleum strumarum ab ipso vocatur.

Helmontius Emphysema seu Tumorem flatulentum per semina flatus discutientia auferri posse contendit, anisi, dauci, carvi, anethi, cymini, imprimis cùm propter contusionis injuriam pars quædam lacerata in furorem concitetur, qui per remedia ista insigniter mitigetur.

Vuillisiana curatio Ganglii.

§. 17. *Vuillisius Ganglion* curare studet, illud insensibiliter resolvendo laminæ plumbeæ ope, quam parti firmiter applicat, vel solam, vel Mercurio vivo illitam, vel oleo Juniperi destillato inunctam. Folia sempervivi majoris itidem adhibet, inferiorem eorum cuticulam priùs detrahendo, novaque manè & vesperi imponendo. Gummi Ammoniacum in emplastri forma parti etiam applicat. Sed si *Ganglia* hisce omnibus resistant, ad emplastrum de Ranis Vigonis cum Mercurio confugit, vel etiam parti successivè imponit plumbi laminam spiritui vini & aceto destillato infusam, cui euphorbium inspergit.

Atheromatis, Meliceridis & Steatomatis.

Atheroma, Melicerídem, & Steatoma simili tractat methodo. Statim enim sollicitè materiam aggestam tum internis tum externis medicamentis insensibiliter discutit. Sed quum illud infrequentiùs contingat, imò & in recentioribus tantùm tumoribus cysticis hoc exspectare liceat; materia parumper maturata tumorem aperit, humorem evacuat, & loculum penitùs excidit, ulcusque deinde curat balsamo vel sulphuris vel Peruviano; nulla autem superest resolutionis spes, si tumor aliquandiu duraverit, & ad Chirurgi manum, tanquam ad sacram anchoram tunc recurrere necesse est. Cystis enim, ut jam dictum, radicitùs tollenda venit, nec minima quidem ex fibrillis illam constituentibus est relinquenda, ne novus deinceps Tumor exurgat, qui deinceps in diuturnum fœtidumque ulcus, aut fistulam abit. Ad hunc autem finem assequendum utitur vel instrumento Chirurgico, vel unguentis exedentibus. A principio enim hos Tumores maturat emplastro ex gummi ammon. pyrethr. & ol. succin. destill. parato. Post apertionem autem unguentum Ægyptiacum in sinum immittit vel purum, vel cum terra vitrioli, & pauco viridi æris auctum.

Emphysematis.

In *Emphysematis curatione* abstinet à phlebotomia, uti & à catharticis atque Diaphoreticis, & Diuretica, qualia sunt sequentia, solummodo commendat:

℞. *Milleped. vivor. mund.* ℥iß.
Nuc. Mosch. incis. No. j.
Simul contusis affund. aquę diureticę infra scriptę ℔j.
F. express. dos. ℥iij. *ad* ℥iv. *bis in die.*

℞. *Baccar. Juniper. virid.*
Sambuc. aa. ℔iij.
Conor. abiet. ℔ij.
Jugland. virid. ℔j.

Cort.

Cort. Vvinter. ℥ij.
Citr. ℥iij.
Aurant. ℥ij.
Limon.
Sem. ammeos,
Erucæ,
Nasturt. aa. ʒvj.
Aneth. ℥j.
Affund. ser. lact. è vin. alb. parat. ℔iv.
destill. organ. commun. totus liquor misceatur.

Tumori autem sequentia topica applicat:

♃. *Flor. sal. armon.* ℥j.
Cryst all. min. ℥ij.
Spiritus vin. tenuioris multo phlegmate imbut. ℔ij.

Misc. & dissolve in vitro, huic liquori pannum lineum bis in die intingit, & tumori flatulento applicat.

Vel

♃. *Empl. Diasapon. h. e. de minio cum sapone Veneto* s. q.

Extendatur tenuiter super alutam tenuem, quod parti impositum in illa per aliquot dies finit, ipsumque tum renovat.

Sylviana cura in Ganglio & Tumoribus Cysticis.

§. 18. *Sylvius* in Ganglio reliquisque Tumoribus Cysticis curandis ad glutinosam pituitam peccantem corrigendam, incidendam & attenuandam, sicque tumores resolvendos, salia commendat volatilia frequentiùs in vino vel liquoribus aliis indita sumenda, sive sint ex animalibus deprompta, sive in vegetabilibus contineantur. Externè olea & unguenta illinit emollientia & dissolventia ex oleo laurino, Philosophorum, unguento martiato, vel cataplasmata ex plantis aromaticis parata, imprimis verò Emplastrum suum carminans commendat. Ad evacuandos humores viscidos pilulas suas laudat magistrales.

In Emphysemate.

In *Emphysemate* ad pituitam viscidam resolvendam & bilis actionem juvandam carminativa laudat, ut spiritum nitri dulcificatum, & potissimùm spiritum suum carminativum, aliaque flatus discutientia ac sudorifera volatilia & fixiora quæcunque.

Inter Externa magnificat *Sylvius* cataplasmata ex floribus chamomillæ, baccis lauri, semine cumini, olea rutæ, nardinum, anethi, vel unguentum martiatum & similia partibus flatibus distentis adhibita.

Cartesianorum modus curandi Ganglion.

§. 19. *Carthesiani* talem subministrant *Ganglion* curandi rationem, qua tumor ille spissus ex liquore nerveo coagulato productus resolvatur, dissipetur, & à nervorum ramis & tendinibus amoveatur, ut rami illi & tendinum extremitates à distorsione & convolutione liberari, & in situm convenientem reponi queant, qua de causa emollientia & interdum suppurationem promoventia tumori imponunt, qualia sunt emplastrum ex galbano, vel Gummi Ammoniaco in vino dissolutis, diachylon cum gummis, de ranis cum Mercurio, vel tumorem illinunt balsamo nervino, spiritu gummi Ammoniaci & Salis Armoniaci invicem mixtis. Adhibent etiam ad coagulati illius succi dissolutionem impetrandam laminam plumbeam Mercurio illitam, vel auream, quam super Ganglion firmiter alligant, vel digitis comprimunt, aut duobus prioribus digitis manus sinistræ illud prehendunt, & dextra percutiunt, ut ita dissipetur, quo facto emplastrum defensivum *Vigonis* super imponunt. Sectione quoque secundùm longitudinem instituta illud nonnunquam student auferre.

Atheroma, Meliceris & Steatoma.

Atheromatis, Meliceridis & Steatomatis curationem peragunt emollientibus, ut sectione postmodùm faciliùs materia intus contenta unà cum folliculo suo sive cystide eximatur. Sequens itaque emplastrum singulariter celebrant.

♃. *Gumm. Ammoniac.* ℥ij.
Sulphuris ℥ß.
Camphor. ʒij.
Euphorb. ʒj.
Ol. petr. s. q.
M. f. Emplastrum.

Sectionem crucis forma super tumore instituunt, ad ipsam usque materiam, tum cutem elevant, & materiam spatula è reliquis partibus separant, hinc unà cum tunica illa eximunt, & suscitatam forte hæmorrhagiam ob diruptas venulas aut arteriolas convenientibus remediis sistunt, cavitatem unguento Ægyptiaco, vel melle chelidonii mundant, reliquias aqua sublimata, Mercurio præcipitato vel alumine penitus absumunt, & curam uti in aliis ulceribus debitè absolvunt.

Emphysema.

Emphysemati conferre credunt interna remedia effervescentiam sedantia & discutientia, quæ parantur ex crystallis Tartari, ebore philosoph. pp. floribus Sal. Armoniaci, oculis cancrorum, nec non aliis sudoriferis & diureticis lympham resolutam extra corpus eliminantibus. Inter externa tumori adhibenda sequens approbant linimentum.

♃. *Ungu. martiat.* ʒiiß.
Agripp. ʒiß.
Sperm. cet. ʒß.
Ol. d. aneth. gutt. vj.
Cumin. gutt. iv.
Petr. alb. ℈j.
F. linimentum.

Forus etiam & cataplasmata deprædicant ex herbis betonicæ, menthæ, chamædryos, salviæ, phellandrio, foliis rorismarini, floribus sambuci, chamomillæ, farina fabarum, Tartaro & sale Ammoniaco parata, uti & emplastrum de baccis lauri, oleo Philosophorum malaxatum & calidè impositum.

Nostra methodus curandi Ganglion.

§. 20. In cura *Ganglii nostro* judicio eò incumbendum est, ut obstructiones tollantur, ac succi viscosi ante omnia attenuentur, hinc præter interna volatilia & incidentia solis externis peragatur remediis, ut sunt spiritus lumbricor. matricalis, vini camph. item fotus & cataplasmata ex blandè resolventibus parata. Hisce verò nil juvantibus, eò deveniendum est, ut exstirpatio hujus instituatur manu Chirurgi exercitati, quæ per sectionem fit, hinc Ganglion circa articulos vel alibi emergens tollitur vel concussione aut digiti compressione firmiore, seu manu fricetur vel validè comprimatur, usquedum incalescat, mollescat, & evanescat, & sic vi compressionis succi tumorem constituentes iterum quaquaversum protrudantur & quidem per tubulos; & ne recidivam patiantur ægri, ad succos porrò attenuandos obstructionesque reliquas tollendas, ipsi tumori superimponatur lamina plumbea aut alia simplex Mercurio incrustata, & super hanc Emplastrum tenaciter hæres (vulgò *Hefft-Pflaster,*) cum splenia compactiore & deligatione arctiore, eousque quo cystis rupta & materia intus contenta discussa fuerit, quod sæpè intra mensem & citiùs contingit: vel loco laminæ imponatur Emplastrum de ranis cum duplo Mercurii cum stricta ligatura, que impedit ne succi viscosi in cõsueta cavitate iterum ut antè cumulentur. In quem finem & Emplastrum nostrum de Thea egregium erit, item de Labdano, Divinum *Barbettes*, Diaphoret. *Mynf.* Alii aliquid de emplastris his dictis, aut gummi sale Ammoniaco dissolutum sub forma Emplastri laminæ plumbeę supponunt, & facta decente deligatione eundem exspectant effectum. Sequens linimentum Gangliis illitum à pluribus magni æstimatur.

♃. *Ol. Limac.*
Lumbric. terr. aa. ʒij.
Lil. alb.
Chamomill. aa. ʒiß.
Verbasc.
Tabac.
Sambuc. aa. ʒj.
Castor. ℈ß.

Quo linimento manè & vesperi artus Gangliis infecti & deturpati calidè illinantur, vel loco hujus fotus instituatur ex herbis Absynth. Artemis. Origan. Salv. gran. Juniper. in lixivio decoct. Item suffumigiis utendum est ex gummosis aliisque discutientibus volatilibus. Sed breviori manu negotium hoc succedere videtur, si nempe pugni ictu duplici fortiore, membro super tabulam commodè situato rumpatur capsula, quod vulgus imitari solet, tumorem versus tabulæ apicem aliudve

aliudve corpus solidius premendo, sicque pariter cystim ejus lacerando. Sed ubi Tumor altas jam egerit radices, & per annos duraverit aliquot, tunc ad præscriptum Celeberrimi Domini *Muys* ferula lignea haud differens ab illa, quâ Præceptores in castigandis pueris utuntur, nisi quod plumbi portio in illius medio infusa jaceat, juvat, & talis ferulæ uno ictu, ægroti facie à manu affecta in dorsum aversa, tumor rumpi solet. Quo remedii genere prælaudatus vir Ganglium per quadriennium patientem vexans evanescere vidit, cujus medela brevi per Emplastrum & strictam ligaturam absoluta fuit. Qui à duro hoc cuneo adhorrent, ii uti possunt sequenti vel simili linimento.

℞. *Ol. de Laterb.* ℥j.
Terebinth. ℥iij.
Ceræ ʒij.
Camphor. gutt. v.
Vitell. ov. No. j.
M. f. linimentum.

Quidam ex Chirurgis sunt, qui aperiunt Ganglia, eaque per suppurantia sanare tentant. Alii Emplastrum Arsenicale extollunt, ac dein ictum pugni. Rarum est, quod Cl. *Myns.* refert in *Podalirio* suo ex *BlanKardo*, materiam Ganglii ex cadavere exemptam instar crystalli pellucidam apparuisse & satis duram, eamque literas subjectas exhibuisse multò majores, quàm erant revera, sic ut illud Ganglion tum temporis pro microscopio inservierit, quod tamen phænomenon non tam ejus pelluciditati, quàm figuræ attribuendum existimo, quòd facilè experiri est, dum pupilla ex vitulo alioque animali exempta imponatur chartæ, literas videbis multo majores, quàm erant reverà.

In *Ganglio* ETTMULLERUS folia sempervivi majoris, cui detracta sit inferior cuticula commendat, quæ imponatur quotidiè manè & vesperi removendo, meliore jure applicatur lamina Saturni spiritu vini camph. irrorata & adspersa euphorbio, quod Ganglia successivè dissipare ajunt, ut penitus tandem evanescant.

Atheroma, Meliceridem & Steatoma.

Quod Terapejam Affectuum reliquorum Tunicatorum *Atheromatis*, *Meliceridis* & *Steatomatis* attinet, cura ferè eadem est, eorum enim sublatio fit per interna volatilia & fluiditatem succorum conciliantia remedia, ut sunt potus Theæ vel Caffeæ more jam recepto calidè absorbendus, aliaque incidentia & Diaphoretica sæpiùs recensita. Cura verò insensibiliter peragitur per attenuantia & resolventia fortiora medicamenta, imprimis si tumores hi adhuc materiam fluidam continent. Sensibiliter verò magis cura perficitur per Maturantia, Septica atque Sectionem.

Inter Resolventia medicamenta primas tenent calx viv. ejusque decoctum, spiritus vin. camph. spiritus matrical. cum aliis oleis aromaticis & gummosis mixta vel in Emplastra redacta, quæ sæpè post pugni ictum imponi possunt ad materiam meliùs resolvendam. Ex. gr.

℞. *Gum. Galban.*
Ammoniaci,
Styrac. calam. aa. ʒiij.
Resin. pini ℥ß.
Ol. Guajac. ʒj.
Ceræ ℥ß.
Philosoph. ʒiß.
Pulv. rad. bryon. ʒj.
M. f. l. a. Empl.

Emplastrum nostrum de Thea, item de Labdano, de cicuta, de Tabaco, item Divinum, de Ranis cum Mercurio, de Galbano Myns. & Magneticum, imprimis si quid Camphoræ addatur, egregia sunt in resolvendis quibuscumque Tumoribus, præsertim in his Tunicatis. Vel in forma linimenti sequens vel simile præscribatur:

℞. *Ungu. Dialth.*
Martiati,
Ol. Laurin. aa. ℥ß.
Philos. ʒij.
Ceræ ʒj.
Tinct. Galbani ʒj.
Spir. Sal. Armoniaci volat. ʒiij.
Camphoræ ʒij.

M. & illinatur, dein superius præscriptum applicetur Emplastrum.

Balsamus Peruv. item vapor à pyrite ignita exceptus, & oleum rubetarum à *Barbette* laudatur.

Quoad maturantia medicamenta asterisco notandum est, quòd hisce cautè incedendum sit, ne quemadmodum à potentioribus exsiccantibus durities redditur scirrhosa, maturantium fortioribus malignitatem cancrosam inducamus. Meliùs ergò mitioribus resolventibus, ut Empl. ex gum. Armoniac. ol. succini & pulv. rad. pyrethri mixto, tumores hi discutiuntur, mediante enim hoc remedio Tumorem Tunicatum in maxilla ruptum fuisse testatur *Sennertus*.

Caustica verò seu corrosiva medicamenta externa Tumores hos Tunicatos erodentia aliquando in usum vocantur, quæ cutem cum folliculo eorum abrodunt, sicque Tumores excavant, eapropter ea in Meliceride, Atheromate & Steatomate maximè conveniunt. Ex quorum erodentium seu causticorum classe, cuti erodendæ applicandorum sunt lapis infernalis sive causticus officinarum, oleum vel butyrum Antimonii, item Vitriolum Lunæ, vel quæ Eschara, quam illa induxerunt, remota, ipsum folliculum penitus erodunt, inter quæ sunt viride æris, colchotar dulciss. Alum. ust. Mercurius sublimatus, & præcipitatus, ungu. fuscum *Wurzii*, quibus tamen medicamentis eo allaborandum est, ut cum materia contenta omnis folliculi substantia auferatur, & ossa quoque, si his adhærescant tales humores, studiosè abradantur, aliàs Tumores hi in ulcera abeunt fistulosa, facileque repullulant.

Chirurgica ac manualis curatio horum Tumorum Tunicatorum consistit in pugni ictu, prout superiùs in curatione Ganglii diximus, posteà curari potest ut aliud ulcus. Caustico priùs adoriendi, & cultro reliquiæ exscindi possunt. Operatio ergò sequenti modo peragenda est: Incidatur cutis superposita ad formam crucis, & manu labris à Tumore separatis cystis eximi debet cum tota intùs contenta materia, quæ interdum pinguedinis, mellis, pultis interdum lapidis, vel calcis, vel etiam ceræ, vel glandulæ coctæ similitudinem habet, &, si aliquid membranæ remanserit, ad istam destruendam penicillum spiritu sal. commun. imbui, & sic applicari potest; vel

℞. *Empl. dia-Sulphuris* ʒiij.
Ol. succini,
Tartari aa. ʒij.

M. & applica Tumoribus Tunicatis, Lupię, aliisque.

Dum hæc scribo, in mentem venit sequens casus: Condiscipulus meus *Selein* dictus, Francothalensis, sub mento maximum sensim ac sensim nactus est Tumorem Cysticum quem tandem curandum suscepit Empiricus quidam Gallus nomine *Atavan* notissimus, qui materiam in Cystide contentam Sectione instituta me præsente exemit promptissimè, quæ materia erat glandulæ coctæ similis, sed post aliquot dies obveniebant Symptomata graviora, ut die à Sectione octavo, inter parentum lachrymas optimæ hic spei Juvenis animam efflaverit.

Emphysema.

Curatio *Emphysematis* consistit potissimùm in removendis tubulorum obstructionibus, per interna Diaphoretica volatilia ac carminativa specifica, ut sunt spiritus nitri dulc. Essent. carminat. chamomill. Rom. cort. aurant. menth. Zedoar. arcan. dupl. sem. carminativa quæcunque, & ex his parata spiritus & olea. Omnia enim aromatica hic egregia sunt, ut Tinctura cinnamomi, macis & sexcenta alia cum aquæ fœnicul. carmin. aliisque propinanda. In Juniorum gratiam esto sequens formulę:

℞. *Aq. fęnicul.* ℥ij.
Carminat. ℥j.
Fl. Chamom. ℥iß.
Essent. cort. aurant. ʒiij.
Spiritus nitri dulc. ℈ß.
Syr. fl. chamom. ʒvj.
M. d. cochleatim.

Vel

Vel detur per vices arcanum duplicatum à ℈ß. ad ℈j. excellens in flatibus remedium, interponantur spiritus anis. angel. matrical. catarrhal. Elix. vit. Essent. bacc. lauri, Juniper. spiritus sal. Ammoniaci anisat. Ut & omnia reliqua salia volatilia oleosa conducunt. Solis enim sudoriferis internis curatur *Emphysema*.

Externè *Emphysemati* conducunt sacculi ex fl. chamomill. sambuc. sem. anis. &c. in vino cocti & tepidè parti flatulentæ impositi, vel parentur ex herb. ruthæ, scord. malv. fl. chamom. sem. cumin. carvi, bacc. lauri, Juniper. sale Armoniaci, Tartari, &c. Ex quibus pro re nata parentur fotus vel Epithemata vino Gallico vel lixivio incoquenda & calidè applicanda. Vel sequens:

♃. *Aq. fl. sambuc.*
Calc. viv. aa. ℥ij.
Spir. vin. camph.
Matricalis,
Angel. aa. ℥j.
M. cum quadruplicatis linteis applicandum Epithema.

Ceratum de *Cumino*, Empl. de bacc. lauri, de Thea, de Labdano, carminat. Sylv. &c. optimo sæpè cum successu applicantur.

Tumores hi flatuosi haud incidi aut ferro aperiri debent, Gangræna enim ac Sphacelus facilè subsequi solent, sed potiùs medicamentis idoneis, cataplasmatibus aliisque oleis chamomill. Philosophor. succin. carvi, cumini, anis. &c. resolvendi ac discutiendi sunt. Conducunt etiam suffumigia ex carminativis ac gummosis resinosisque parata.

CAPUT XII.

De Aneurismate & Varice.

§. 1. Affectus quivis & eorum causæ internę non alibi quærendæ sunt, aut reperiri possunt, quàm in succis & canalibus, ex quibus partes solidæ & universum corpus conflatum est, nam quia sanitas, vires & vigor actionum à partium solidarum motu pendent, hæc verò à succorum agitatione, adeoque necesse est, ut succi per canales fluant refluantque qua decet via, & modo ordineque, ut sanitas in propatulo sit; unde elucescit, actiones nunquam lædi posse, nisi læsis succis vel canalibus, aut ambobus. Itaque explicatis, quæ hic occurrere possunt vitiis, reseratæ erunt fores, ut clarè læsarum actionum, adeoque morborum phænomenωn causas clarissimè perspiciendo ob oculos ponamus. Nunc verò occurrunt & canalium sanguiferorum vitia, inter quæ imprimis perspicua sunt *Aneurisma & Varix*.

[Aneurisma.] *Aneurisma* dicitur etiam Latinis *Arteriæ dilatatio*, & describitur vulgo, quòd sit tumor extraordinarius continuò pulsans, digitis facilè cedens, at propediem iterum sese extendens, ab arteriarum interioris tunicæ ruptura, & exterioris dilatatione. Brevissimè describi potest, quòd sit ruptura interioris Tunicæ arteriæ à causa quacunque violenta producta.

[Varix.] *Varix*, Græcis κιρσὸς vocatur, Germanicè generaliter dicuntur Varices *die Krampff-Adern*, specialiùs verò *die Kinds-Blattern*, quoniam gravidis plerumque accidunt. Varices ergò nihil aliud sunt, quàm venarum nodosæ, lividæ & molles intumescentię, tractum atque colorem illarum observantes, quæ compressæ quidem digito imposito cedunt, mox tamen recurrunt, à sanguine crasso & ad stagnationem apto circa valvulas alicujus venæ, cujus membranæ à majori sanguinis copia ibidem cumulata ita distenduntur, ut sacculos quasi sanguine repletos efforment. Varix vulgò describitur, quòd sit venæ dilatatio extraordinaria vel cum vel sine ulcere existens, contingensque modò in temporibus, modò circa umbilicum, frequentissimè verò in cruribus, utplurimùm à nimia dilatatione venarum oborta. Me judice describi potest, quòd sit venarum extensio nimia, à causa violeta tùm interna tùm externa oborta.

[Pars affecta.] §. 2. Aneurismatis *Pars affecta* sunt Arteriæ, vasa ex fibrillis albis conflata, sanguinem ex globulis ovalibus constantem vehentia, quas arterias vasa esse continuata sanguifera solidè probat *D. Antonius van Leeuvvenhœk, Socius Collegii Anglicani, in Tractatu Belgico, Den vvaaragtigen Omloop des Bloeds*. Cor quidem contractione sua sanguinem ex ventriculis suis in auriculas immittit, sed quoniam arteriæ sensim decrescunt, sanguis in eas iniici nequit magno cum impetu, quin eas tumefaciat. Cùm arteriæ hoc modo tument, ad pristinum redeunt statum, fibrarum suarum elatere, & ea ratione partem sanguinis, quem acceperunt, cordis venis impendunt. Et cùm cor iteratis vicibus sanguinem in arterias protrudat, ita etiam illæ extolli debent & subsidere, iteratis vicibus. Motus iste Arteriarum Pulsus vocatur, circa quem annotandum est, arteriarum dilatationem cordis contractionem concomitari, & arteriarum contractionem ejus dilatationi adjunctam esse. Ii, quibus satisfacit perspicuus rerum conceptus, cordi tantummodò tribuent munus sanguinem in arterias compellendi, ipsumque præcipuum circulationis instrumentum existimabunt. Iis, qui autumant cor esse sanguificationis organum, permittendum est, in certiori inniti conjectura. In omnibus verò corporis partibus, ubi existunt Arteriæ, Aneurisma contingere potest. Sic in Naso Virgo post variolas Aneurisma passa est, prout testantur *Bartholini Acta Haffniensia*, & quidem *Obs. 81. vol. 1.* quod Aneurisma nullis remediis cedens febris superveniens curabat. In brachio, pedibus, collo aliisque locis observavimus Aneurismata, quæ etiam internè nobis non observantibus contingere possunt.

Varicum pars affecta dicuntur venæ cum suis valvulis, itidem vasa sanguifera, & quidem vulgo revehentia dicta, sanguis enim copiosus, crassus ac acidus à venis majoribus ad minores fluens ob crassitiem & suam viscositatem ad valvulas vasorum subsistens & incrementum capiens, venæ tunicam facili marte distendere, & talem sacculum varicosum producere ac efformare potest, imò & internæ venæ à tali affectu non immunes sunt, uti Varices in venis pulmonum annotavit *Hippocrates*. Utplurimùm verò Varices in gravidarum cruribus ac Abdomine observantur, qui tamen in omnibus corporis nostri partibus contingere possunt.

[Diagnosis Aneurismatis.] §. 3. Nunc ad Diagnosin horum vasorum sanguiferorum affectuum nos accingamus. Aneurismata externis in partibus in sensus nostros facilè incurrunt, Tumor enim est arteriarum mollis & laxus, ut digitorum compressioni aliquo modo cedat, mox tamen redeat; quamvis cum tempore & in Aneurismate inveterato tumor satis durus ac magnus evadat, prout Aneurisma pugni magnitudinem excedens & 5. circiter unciarum pondere vidit *Celeberrimus Dn Schrœkius*. In Aneurismate pulsus deprehenditur pulsui Arteriarum respondens. Circa Aneurisma sugillatio vel livor utplurimùm observatur, cutis adest densitas, sanguis enim extra illius cavitatem erumpens in loca vicina fertur, & apertio ejusmodi læsorum vasorum arteriosorum causa est, quam infelix Venæsectio sæpè suppeditat.

[Diagnosis Varicum.] Varices quoque externi in conspectum veniunt & facilè cognoscuntur ex ipsorum livore & tumore molli, in cruribus enim & prope malleolos aliquoties hi Tumores varicosi, lividi & subcœrulei observantur ad mori vel uvæ magnitudinem, quales nodos in virgine rustica *Celeberrimus* observavit *Georgius Francus in Decur. Ephem. An 3. Obs. 12* qui varices etiam sponte quinquies rumpebantur, & inde effluebat ultra libram sanguinis. In gravidis utplurimùm observantur imprimis circa femur, abdomen & crura. Interni Varices vix à Medico oculatissimo cognosci possunt. *Dn. Johannes Matilliet Chirurgus noster Aulicus*, nuper vidit Aneurisma in Brachio circa cubitum Viri Juvenis alicujus, ovi struthionis magnitudinem excedens, quod per annorum aliquot spatium absque ullo incommodo gestabat, sed strepitum continuum produxit tumor, non aliter, ac ventus sibilare solet, sanguis enim sic cum impetu irruebat. *Paracelsus* ait, si crurum venæ tumeant, qualescumq, sint, nodosæque fiant globulorum instar,

cum

cum nativi coloris in cœruleum, nigrum aut subviridem transmutatione, velut inflata cutis præter carnis detrimentum, Varices fore judicabis.

Galenicorum judicium de causa Aneurismatis.

§. 4. *Galenicis Aneurisma* dicitur dilatatio arteriæ, seu tumor arteriæ, qui est ad tactum mollis & digitis cedens, quem ex *sanguine & spiritu* generari dicunt. Fieri & Aneurisma ajunt arteriata sauciata, ubi quidem incumbens ipsi cutis ad cicatricem devenerit, manserit autem vulnus arteriæ neque conglutinatæ, neque cicatrice obductæ, neque carne obturatæ. Cognoscunt affectum hunc ex pulsu arteriarum, imò ubi comprimuntur arteriæ, tumor omnis disparet. Quæ ex osculi arteriæ apertione fiunt, oblongiores apparent, & in profundo consistunt, & ad digitorum impressionem, velut strepitus quidam auditur, quum in affectionibus ex ruptione nullus sonus percipiatur, & sint quoque hæ magis rotundæ, & in summo occurrant.

Varicis.

Varix Galenicis dicitur *venæ dilatatio*, quæ occurrit aliquando in temporibus, quandoque juxta imi ventris partem sub umbilico, maximè verò circa crura. Generationem hujus affectus juxta ipsos ex materia atrabiliosiore ortum habere contendunt.

Causa ad mentem Paracelsi Aneurismatis.

§. 5. *Paracelsus Aneurisma* ex sanguinis arteriosi sale caustico oboriri contendit, & *Varices* juxta Ipsum oriuntur ex sale plumoso, quod cum substantia resolutum est; illis evenire ait, qui cavernosum ulcus exspectant, ac mulieribus gravidis: ideò quod ulcus hoc in matrice debeant exspectare per generationem in easdem venas expulsam. Notat enim asterisco, cùm sal aliquod ex operatione propria seipsum aperit, ejus est sanitas: ubi non, transit ad radices hujusmodi venarum, & ulcus cavernosum intrinsecum generat.

Helmontii de causis Aneurismatis & Varicis opinio.

§. 6. *Helmontius Aneurismata* ac *Varices* ab Arteriarum ac Venarum partium à sanguine multo cruore referto distentione originem sumere, & natales suos habere sibi imaginatur, ac de eo non ampliùs dubitat.

Juxta Vuillisium causa Aneurismatis.

§. 7. *Aneurisma* secundùm *Vuillisii* opinionem oritur à causa vel externa vel interna; causa externa est arterię sectio vel punctio, ab aliquo instrumento talem effectum producere valēte inducta: interna verò est sanguis salibus acribus & erodentibus luxurians, quorum particulæ quædam Tunicarum arteriarum poros subingressæ, fibras Tunicę interioris discindunt ac dissecant, illamque ab exteriore robustiore existente separant. Sanguis verò eodem semper impetu circulum suum agens, hiatum illum in cursu suo obvium subingreditur, & spatium istud inter exteriorem & interiorem arterię tunicam subsistens subiens, ipsas à se invicem latiùs sejungit, & aggestione sua validiùs illas distendens atque extollens, Tumorem Aneurisma dictum generat.

Varicis.

Varix, sentiente Authore nostro, inducitur à sanguine crassiore & fæculento in venis remorante, illarumq; Tunicas dilatante. Cruor enim ex arteriarum osculis elapsus, & venas subingressus, tardiori multò quàm antea motu agitur, tum ob spiritus parciori copia illum tunc inhabitantes, tum ob tunicarum venarum tenuitatem, earumque laxitatem: quo fit ut sanguis, qui arterias torrentis instar percurrit, testudineo quasi gressu in venis circuletur. Si verò cruoris massa spiritibus sit jam depauperata, aut liber ipsi non suppetat commeatus per venam aliquam vel compressam vel obstructam, in vasis alveo detentus sanguis tunicæ fibras & pondere suo & aggestione à se invicem dimovebit, illasque extendet ac elongabit & venæ parietes dilatans, illius cavitatem ampliabit, eamque in tumorem elevabit.

Sylvii opinio de causa Aneurismatis & Varicis.

§. 8. *Sylvius* de causa *Aneurismatis* ac *Varicis* disserens statuit *Arteriæ* Tunica læsa *Aneurisma*, *Venę* autem tunica itidem læsa & laxata *Varicem* excitari, quia juxta Ipsum æquè in Arteriis ac Venis requiritur conveniens firmitas & soliditas, quo sanguis per ipsas debitè moveri & propelli queat.

Cartesianorum ratiocinia de causis Aneurismatis.

§. 9. *Cartesiani* adscribunt originem *Aneurismatis* nimiæ exterioris arteriæ tunicæ extensioni, quę à sanguine per interioris tunicæ fibras resolutas, suppuratas aut contusas, ad exterioris fibras fortiùs allabente, & motu suo pulsorio in eas agente frequentiùs dependeat, abs quo etiam pulsu & continuo sanguinis allapsu ipsa ista tunica exterior nonnunquam dirumpatur, & sanguis effusus circa eandem stagnando coaguletur. Externa quædam infortunia, qualia sunt lapsus, contusiones, aliæq; offensiones, malo huic interdum ansam præbere afferunt, dū arteria sanguine turgida vehementiùs percutiatur aut confringatur, qua violentia fibræ internæ valde lędantur, & nonnunquam penitus diffringantur.

Varicis.

Haud absimili ratione etiam *Varices* progenerari credunt, dum scilicet à vi quadam compressæ venæ sanguini ab arteriis fortiùs propulso transitum permittere nequeunt, qui circa valvulas subsistens, & copia auctus ibidem loci venam distendit & tumorem producit, interdum ob segregatas partes chylosas acescentes in suppurationem prodeuntem. Compressionem verò istam venarum sępiùs contingere dicunt, dum homines grave aliquod onus in altum elevant, aut etiam humeris vel capite gestant, ita enim musculi ad laborem istum exantlandum liquore nerveo admodum referti & intumescentes, vicinas premunt venas & easdem coarctant, ut sanguis liberè satis per eas transfluere nequeat. Fœtum quoque in gravidis eandem compressionem aliquando instituere, cum aliis fatentur.

Nostra sententia de causa Aneurismatis.

§. 10. In quo autem *Aneurismatis* indoles consistat, nostram nunc inter tot Authorum discrepantias deponamus sententiam: rupturam enim interioris arteriæ tunicœ ex triplici substantia glandulosa, musculari & membranosa ad mentem *Willisii*, constantis, exterioris autem nerveæ extensionem, ceu pluribus visum est, admitti vix posse alii asserunt. Nonnulli sagaciores addunt vix possibile esse internam & crassam satis tunicam rumpi posse, externa tenuissima salva manente, nisi fortè internam duriusculam à sanguinis stagnantis acrimonia sensim atque sensim erodi, externa interdum crassiore reddita, & sanguini irruenti extensione sua utpote molliori, amplius spatium concedente, imò utramque tunicam imbibendo serosi humoris plures, quàm ordinariò aliàs solent, particulas extendi, sicque Aneurisma quasi aliquod produci posse plures asserunt. Sanguis in Aneurismate remoram ducens vel stagnans in arteria summam sæpè acquirit acrimoniam, quæ erodit internam arteriarum tunicam, & hinc excitat tumorem cum pulsu forti, quod in arteriis carotidibus in collo utplurimùm accidere solet, & nonnunquam quoque in aliis minoribus, raró vel nunquam in majoribus. In his enim ratio ejusmodi distensionem vix ac ne vix admittit, cùm tunicarum illarum fortis resistentia istam impediat, nec valvulæ adsint, motus quoque celerior sanguinis, quàm in venis exstet, quæ omnia impediunt, ne tam citò excitetur Aneurisma. Frequentissima Aneurismatis causa est sæpè pertusio arteriæ loco venæ. In variis corporis arteriis Aneurisma excitari posse testantur Monumenta Medicorum: Aneurisma in Aorta observavimus: Vualæus ex disrupta arteria Aneurisma observavit, quod quartam Thoracis occupaverat partem.

Varicum.

Varices, me judice, utplurimum à massæ sanguineæ particulis multis, acidis, terrestrioribus & viscidis stagnantibus, ac vasa venenosa ipsorumque valvulas nimis distendentibus oriuntur, ab acidi enim & viscosi nimia quantitate assumpta, sanguis crassus ac ad stagnandum aptus redditur, quare & portio illius ad venam deferri, & moram præsertim circa valvulas alicujus venæ nectere potest, unde membranæ venarum vel valvularum à majori sanguinis copia ibidem cumulata ita distenduntur, ut succi ex arteriolis inter membranas illius venæ dispersis egressi, & per membranarum tubulos fluentes liberè transire nequeant, sed stagnare cogantur, sese inter interstitia fibrillarum figant & quidem tanta copia, ut hæc non tantùm dilatentur & amplientur, sed ut præterea etiam aditus spiritibus animalibus intercludatur, ex nervulis in tubulos illos prolabentibus, ac venam aliquatenus constringentibus, indeque illo motum quendam peristalticum producentibus, ad sanguinis circulationem in vena promovendam, atq; sanguis in vena illa stagnans, membranas illius admodum distendens, *Varicis* causa esse potest.

Cui Varices frequentissimè in cruribus accidant, ratio est, quia valvulæ in ramo crurali fortissimæ, imò duplices existunt, quæ sanguini affluenti validè resistunt.

stunt. Quòd verò Varices potiùs in Tibia & inferioribus corporis partibus prodeant, causa & ratio est, quòd sanguis venosus ibidem adscendere debet per viam horizonti perpendicularem, & aliquando hæc via aliquatenus occluditur à ligaculis illis quibus crura constringere solemus ad retinendas caligas. Sanguis ergò majori, quàm par est, copia cumulatus in venis, quasdam ipsarum venarum membranas distendit magis, quàm alias crassiores, & sic recessus, seu sinus, seu sacculos sibi formant, ac præsertim circa valvulas, in quibus sanguis indole sua jam acidiusculus, majorem adhuc acorem contrahit, qui ibi diutiùs absque circuitu commoratur.

Dolor si quis oboritur, ratio est, quòd sanguinis particulæ plures acidiores in carnem vicinam transeant per sinus, & sic fibrillis ibi irritatis & posteà planè discissis, dolor in mente oboritur, &, si plures fibrillæ discinduntur à particulis istis acidioribus, aliquando ulcera dolorifica & profunda excitantur, hinc etiam sordida redduntur, & quidem ab acri acido humore ac tenui, cui admixtæ sunt particulæ quædam viscosiores ac magis ramosæ, quæ ramulis suis sibi mutuò implexæ ac hærentes in superficie ulcerum illa sordida reddunt. Reliqua phænomena ex his principiis facilè deduci & explicari possunt.

[Pr]ognosis [Ane]urisma[tis].

§. 12. *Aneurismata* minora, inque minoribus arteriis & iis nō adeò profundè delitescentibus contingentia, imprimis si à dilatatione tantùm arteriarum, faciliùs curantur, quàm quæ in majoribus arteriis, & à ruptura orta fuerint, quæ maximo cum periculo conjuncta sunt, ita ut hoc respectu *Bartholinus Cent. 3. Epist. Med. 54.* meritò scripserit: *Deum soleo precari, ut hujusmodi casus vel avertat, vel meæ curæ subtrabat.* Si aperiantur Aneurismata, sanguinis fluxus difficulter sistitur, & partes adjacentes facilè in Gangrænam abeunt: sic & *Celeberrimus Bartholinus* lethale vidit Aneurisma in Juvene Nobili ex læso femore, quia arteria magna cruralis rupta fuit, hinc sectio non tuta erat aut possibilis, propter materiæ copiam, & inter musculos delitescentis ingentem rupturam, nec ligatura sufficiens erat, quale quid Hanoviæ in fabro lignario sibi arteriam cruralem lædente observavi, cui quæcunque generosa remedia adhibebantur, ast sinistraneo effectu, mense enim uno vel altero post ictum magna effusa sanguinis copia, Hydrope defunctus est. Ex his omnibus apparet, quòd Aneurismata majora sicut difficilioris curationis sunt, ita minora interdum adhuc curam admittant. Antiqua verò, ac quæ ab arteria profundiùs latente exoriuntur, nec non quæ ex nimis adstringentibus callosa facta sunt vix sanantur, & membri exstirpationem sæpè expostulant. Externa vero Aneurismata aliquando sunt, absque periculo, & ægri diu superstites esse possunt, quoniam tamen periculum est, ut sanguis tandem corruptionem vel gangrænam concipiat, subinde necessum est, ut curentur.

Si Tumor Aneurismatis non adeò magnus, nihil periculi fovet, sed cum eodem vita satis diu protrahi potest, refertque *Sennertus L. 5. p. 186.* Mulierem quandam Aneurisma nucis juglandis magnitudine in cubiti flexura ultra triginta annos gestasse.

Si incautè Aneurisma aperiatur, non nisi mors exspectanda est; unde si Tumor minor exstiterit, meliùs est incommodum levius tolerare, quàm periculosæ curationi se submittere, nihilominus sin major, materiaque latens putrescat, gangræna & mors expectanda, quæ pariter metuenda, si sponte sua rumpantur Aneurismata.

In Cive A. Vv. Limburgensi rupturam Aneurismatis post febrem salutarem reperimus, sed hoc inter rara numerandum est contingentia.

[P]rognosis [Varic]um.

Utut *Varices* generati in cruribus femoribusque nihil periculi inferant, metuendum tamen, ne rumpantur, cùm ex earum spontanea apertione plura pejora symptomata, imò mortis periculum oboriri queant, quale subiit illa gravida, cui sinistri pedis varix rumpebatur, quæ confestim exstillante sanguine, maritum vocat, fluxum ut inhiberet, quod cùm non posset, subito extincta est, ceu testatur *Observatio 204. Decur. 1. Ann. 3. Eph. Germa.* quod etiam facili marte contigisset illi, cujus, *Observ. 54. ejusdem Anni* mentionem inicit, ni manus Chirurgi auxilium attulisset. In gravidis Varices quandoque turgescentes à fœtu excluso iterum sponte subsident & disparent, ceu in conjuge nostra Charissima Susanna, nata Suvert, aliquoties observavimus. Varices etiam in ulcera diuturna transeunt, imo & dolore & inflammatione obesse possunt.

Ganglion.

Melancholicis, quibus sanguis est crassus ac acidus, sunt Varices familiares, quibus etiam salutares esse & ab insania eos liberare, ait *Hippocrates S. 6. aph. 21.* In scroto varix existens hernia varicosa dicitur, cujus prognosis proprio petatur capite. Gravidis in femore & cruribus Varices valdè molestæ sunt, & quidem ultimis mensibus, post partum verò ritè fluentibus lochiis spontè obliterantur. In non gravidis & sanguineis Varices cum euphoria sæpè rumpuntur. In ulcus verò, ceu dictum, sæpius transeunt diuturnum.

Sectio periculosa est, quin & ruptio quandoque lethalis, quod illa fœmina 7. menses gravida experta est, cujus in *Ephem. Germ. Ann. 3. p. 380.* mentio fit. Hæmorrhagiam enim lethalem causantur Varices apertæ, quam sæpè excipit ipsa Mors, linea ultima rerum: *Paracelsus* enim inquit, cutis in turpissimum fœtentissimumq; foramen aperitur, quod si cum laterum punctionibus accidat, morti judicato morbum obnoxium esse.

Diæta.

§. 12. In affectibus canalium sanguiferorum etiam *Diæta* accurata observanda est, & eò dirigenda, ut massa sanguinea ab acidis ac viscidis particulis, quæ causæ antecedentis nomine gaudet, liberetur. In Aere ergo Ægri versentur moderatè calido. Cibus sit tenuis, mollis ac facilis, vitentur angue pejus alimenta incrassantia acidaque, quæ multùm contribuunt ad hos affectus canaliculorum inducendos. Potus sit eodem modo comparatus, conducit præ omnibus calidus potus Theæ vel Caffeæ, vel cerevisia tenuis, in assuetis vinum generosum vel Gallicum cum Sal. C. C. volatili more solito in mensa assumptum, quo acidum vini corrigi potest. Exercitia mediocria non verò nimia conducunt, à quibus abstinendum. Somnus ac Vigiliæ pro consuetudine instituantur. Hilaritati dent patientes operam; Alvus & imprimis menses in sexu sequiore respondeant ordinario cursui. Animi pathemata, ut mæror, ira, terror, aliaq; vehementiora, vitentur summopere, ne sanguinis coagulationi ac stagnationi in vasis sanguiferis ansam demus.

Galenicorum modus curandi Aneurisma.

§. 13. *Perlustrato* fonte *Diætetico* nunc ad Pharmaceuticum ac Chirurgicum Nos conferamus, & primò *Galenicorum* de hisce intimiùs perspiciamus opinionem, qui in curando Aneurismate tutò incedunt, quæ enim Aneurismata in alis & inguinibus ac collo fiunt, itemque in aliis locis, si magnitudine excedunt, ea Chirurgia non tentant, ob magnitudine vasorum; quæ verò in extremis partibus & artubus, aut in capite consistunt, ea sic aggrediuntur: Si ex apertione arteriæ tumor factus est, sectionem rectam in longitudinem cuti infligunt, deinde disparatis per hamulos labiis, velut in vasorum exsectione solent, excoriantes & per apta ad hoc instrumenta à membranis repurgantes, arteriam nudant, & acus sub ea transmissione, & per duo fila deligatione usi, ubi priùs intermediam arteriæ partem scalpello pungunt, & quod continetur in ea evacuant, superante curatione utuntur, donec deligata filorum vincula excidant. Si verò ex arteriæ ruptione dilatatio facta est, totum ipsum quantum ejus fieri potest, una cum cute digitis prehendunt, deinde acum infra apprehensam trajiciunt, quæ duplex filum trahat: & post trajectionem, ipsam duplicis fili ansam dissecant, & sic per duo fila tumorem hac illac deligant; quòd si timor seu metus sit, ne fila delabantur, etiam aliam acum transmittunt, quæ priorem per totum premat, similiterque duplex filum trahat, & ansa dissecta, sic per quatuor fila tumorem deligant. Aut aperto juxta medium tumore, post excretionem ejus, quod in ipsa continetur, cutem amputant, eo quod deligatum est relicto, & splenio vino ac oleo imbuto imposito, curationem per lineamenta perficiunt.

Varices.

Galenici *Varices* curant adipe gallinaceo cum cæpa

trità

tritâ imposito vel perducto assiduè. Ad Varices fugandos commendant Hederę radicem quum fuerit Luna in Aquario, alii hederę baccas tres, quę per parietem repit, pedi in quo sunt Varices, alligant vel radicem ejus circumdant. Ad Varices qui suffunduntur & claudi non possunt, lanuginem de papyro apponunt, & sic eos claudi dicunt.

Varices ne nascantur, lacertæ sanguine crura ægri jejuni illinunt: ad Varices siccandos seq. utuntur.

℞. *Sevi hircini* ℥ j.
Saponis ʒ vj.
M. & linteolo illitum medicamen apponunt.

Quibus Varicibus etiam mederi balnea aluminosa haud dubitant. His verò aliisq; frustra tentatis ad Sectionem Varicum accedunt, quam operationem sequenti modo describunt: Lotum enim hominem, vinculo in superna femoris parte circumdato, ambulare jubent, repletam autem venam atramento scriptorio aut collyrio, secundùm situm ipsius, ad trium aut paulò ampliùs digitorum longitudinem notant, & reclinato extensis cruribus homine, alterum vinculum supra genu circumdant, & elevata in fastigium vena, scalpello in loco, quem notant, secant, non altiùs quàm per cutem, ut ne venam dividant: & labiis sectionis per hamulos distentis & membranis per incurva scalpella ad herniam aquosam parata excoriatis, nudataque vena, & undiquaq; expassa, femoris vincula solvunt, & elevato per cæcum hamulum vase, acum duplex filum trahentem subiiciunt, sinumq; fili dissecant, & divisa in medio vena per venæ sectorium scalpellum, sanguinis quantum opus est evacuant, deinde uno filo superiorem vasis partem constringunt, & crure in directum extento, manuum expressione sanguinem, qui in crure est, evacuant: & posteà rursus infernè vas constringunt, aut partem venæ inter vincula interpositam, præsectam auferunt, aut etiam manere permittunt, donec sua spontè unà cum vinculis excidat: & linamentis siccis inditis, & splenio vino ac oleo imbuto imposito deligant, ac ductu suppuratorio medicamentorum, quæ linamentis excipiuntur, curant. Plures inter Veteres vinculis non usi sunt, sed statim nudatum vas exscindunt, quidam ex profundo extentum ipsum cum violentia extrahunt ac abrumpunt.

Paracelsi curatio Aneurismatis & Varicum.

§. 14. *Paracelsus* in curandis *Aneurismatis & Varicibus* à corrosivis aquis, balneis, purgationibus cavendum esse præcipit, item ab omnibus unctionibus morbillorum, à Merc. & Sulphure.

Ad *Varices* tollendos & *Paracelsus* ad sectionem sequenti modo confugit: Aperiantur venæ cum tempore digesto, postmodùm liquoribus gingivarum leporum ungendum erit per tres aut quatuor septimanas: unam tantùm esse aperiendam venam per vicem monet, & postmodùm alteram, non verò ambas simul. Digestum tempus esse ait, cùm per annum absuerint, ac postea redeunt. In Anno semel si venerint, & venæ semel aperiantur, si bis, & bis juxta Ipsum aperiendæ sunt ordine, deinde leporum gingivas, aut pinguedinem humanam superponit.

Helmontii de Aneurismatis & Varicum cura sententia.

§. 15. *Helmontius* in curatione *Aneurismatum* ac *Varicum* cum Paracelso ut in pluribus aliis convenit, eandemque approbat.

Vuillisiana ratio curandi Aneurisma.

§. 16. *Vuillisius* si arteria puncta aut secta fuerit, statim partem læsam strictè ligat, vel plumbi laminam illi imponit. Si hoc non suffecerit, valida applicat parti adstringentia, qualia sunt terra sigillata, terra vitrioli dulcis, bol. Armen. sperniol. Croll. &c. cum laudano opiato mixta, iisq; Emplastris superimponit laminam plumbeam, & tandem si istis medicamentis curatum non fuerit Aneurisma, cum aliis Auctoribus arteriam aperit, illiq; vitriolacea blandè corrodentia applicat, & deinceps foramen consolidat.

Varices.

Varicibus Vuillisius medetur punctura acus sanguinem crassiorem evacuando, si tumor grandior fuerit, & postea laminam plumbeam illis applicat. Laudat etiam unguentum *Hartmanni* ex Butyri Majalis part. j. & succi cancrorum fluviatil. part. ij. simul coctis paratum, quod illinatur interiùs laminæ Varicibus applicandæ. Sequens quoque à *Fernelio* propositum commendat.

℞. *Alumin. roch.* q. v.

Coq. cum aceto acerrimo, & spongia eo imbuta parti applicetur mane ac vesperi, illique strictissimè alligetur, quod per mensis curriculum continuetur.

Sylvii ratio de curandis Aneurismatib. & Varicib.

§. 17. *Sylvius* in curandis *Aneurismatibus* ac *Varicibus* varia constringentia approbat medicamenta unà cum venæsectione instituta, nec non vincula ac ligamenta varia tum Aneurismatibus tum Varicibus circumponenda æstimat.

Cartesianorum methodus curandi Aneurisma.

§. 18. *Cartesiani* ad curationem *Aneurismatis* ritè perficiendam, opus esse censent, ut sanguis arteriæ tunicam dilatans & in distentionis loco firmiter hærens inde ad aliam arteriæ depellatur regionem, ut fibræ postmodùm tunicę exterioris distentæ quantum par est in situm pristinum reducantur, & sanguis ubique liberum per arteriam reperiat transitum. Hunc ut attingant scopum, tumorem digitis comprimunt, & emplastrum imponunt exsiccans & constringens, cui laminam superdant plumbeam ad fortiorem impetrandam compressionem. Convenire verò ex emplastris hoc in casu dicunt Diapompholygos, desiccativum rubrum, ad rupturas, vel quod sequenti modo componitur.

℞. *Scor. ferri* ʒ v.
Mum.
Tragacanth.
Gumm. Arab. aa. ʒ iij.
Thur.
Acac. aa. ʒ j.
Glutin. vulg. ʒ iij.
Gypsi ʒ ij.
Resin. ℔ i ß.
Cum succ. consolid. maj. & ceræ miniat. q. s. *F. Ceratum.*

Diutiùs autem hæc emplastra continuanda esse monent, ut optatum præstent effectum, qui si obtineri non posse tandem perspicitur, sectionem seu deligationem arteriæ instituendam concedunt, modò à perito Chirurgo, & cautè peragatur. Denudari enim ipsam volunt arteriam, ut Aneurisma integrè veniat in conspectum, tum arteriam supra & infra tumorem filo quadruplicato sericeo cera abundè obducto arctè vinciunt, & Aneurisma in medio ligaturarum exscindunt, quo facto vulnus balsamo implent Capayvæ, & donec carne impleatur fortiter deligant. Vulnere ità sanato, vinculum super illo per anni spatium continuò gestari volunt, & post tempus hoc sensim relaxari, donec penitus auferatur.

Varices leviores & recentiores blandiùs tractant, adhibendo scilicet externa linimenta emollientia & resolventia, ex sevo hircino, butyro majali, verbascino, oleo hyperici, unguento martiato, & similibus, nec non fotus & balnea convenientia ex radicibus althææ, scrophulariæ, bryoniæ, herbis agrimoniæ, malvæ, foliis & floribus sambuci & similibus parata, quibus sanguis spissior ad fluorem restituatur. In gravidis enim fortiora non admittunt, cùm partu feliciter peracto, & onere hoc comprimente remoto sanguis liberiorem facilè requirat per venas transfluxum, in aliis verò nec remedia interna sanguinis motum circularem promoventia, nec externa comprimentia, & ligaturas contemnunt, ut ità sanguis è loco pellatur, & dilatata venę tunica constringatur, quapropter sequens etiam, vel simile quoddam emplastrum haud ineptum fore confidunt.

℞. *Thur.* ℥ ß.
Aloes ʒ ij.
Album. ovi q. s.
M. F. Emplastrum.

Quando verò sanguis induratus & in thrombos coagulatus nec dispergi, nec in fluorem ulteriùs redigi potest, atque in cruribus existens magnum in ipso ingressu excitat dolorem, ipsam etiam aliquando tentant varicum apertionem, ut sanguis iste crassior compressione sursum deorsumque facta evacuetur. Sectionis verò hujus modum longo jam usu receptum nō improbant, peragiturque, dum ægro resupino & cruribus

ribus modicè inflexis in scamno collocato crus ad venę intumescentiam supra & infra tumorem fascia ligatur, venaque in conspectu sic posita atramento notatur, & cute elevata sursumquæ digitis obducta, sicque juxta lineam annotatam in longum dissecta, denudatur, & à corporibus circumjacentibus explicatur, hinc acus obtusa, ne partes violet, & duplex filum trahens, ipsi subjicitur, ac suprà transmittitur, quo tanquam habena elevetur. Solutis posthęc cruris ligaturis, vena parte supernà arctiùs ligatur, ac infra ligaturam non aliter, ac si phlebotomia sit celebranda, per medium scalpello dividitur, ut sanguinis parte inferna quantitas sufficiens detrahatur, & tum eadem vena parte etiam inferna ligatur & vinculo constringitur, intermedia verò portio inter ligaturas abscinditur; extremitatibus utrimque in carnem se subducentibus, venæ ligaturæ ad spontaneam usque decidentiam permittuntur, & post triduum vulnus consolidantibus & sarcoticis, pro more in aliis vulneribus consueto ex arte atractatur.

Noster apparatus ad curandum Aneurisma.

§. 19. Aneurismatis curatio, *meo* judicio, in eo vertitur, ut fibræ ruptæ vel dilatatæ arteriæ cujusdam læsę iterum uniantur; si ergò Aneurisma est à pertusione arterię loco venæ, mox forti ligatura pars læsa ligetur, vel lamina plumbea vel placentula *Dn. Muys* imponatur, & fortiter ligata pars læsa firmetur. Sunt etiam quidam, qui in opposito latere ad sanguinem imminuendum V. S. instituunt. Sola verò admotione spleniorum & fasciarum in cura recentium Aneurismatum felix fuit *Morellus*, testante *Zodiaci Med. Gall. Ann.* 3. *Obs.* 1. Sed, me judice, cautè ligaturis hisce mercandum est, ne necrosis partis subsequatur, cùm strictioribus ligaturis commeatus sanguinis ac succorum intercipiatur. Adstringentibus tamen & arcta ligatura malo huic obviam eundum esse omnes ferè asserunt tum Medici, tum Chirurgi. Hinc parti affectæ applicare solemus varia ex farina volatili, gypso, bolo Armeno, sanguine Draconis, Thure, aloe succo plantaginis, bursa pastor. hypocistid. acac. sperniol. Croll. parata remedia, modò in forma pulveris, modò cataplasmatis imponenda: Emplastra Diachalcit. contra rupturam, de arietin. pell. applicata cum firmiore deligatione, modò membri talis sit constitutio, cui ligaturam commodam applicare licet, v. gr. in Collo, ubi digito vel manu saltem comprimendus tumor, quo ipsius augmentum inhibeatur, imo aliquando planè evanescat: aliàs deligationi subjici potest lamina metallica firmiter reprimens, imò si loci conditio fasciarum applicationem haud ferat, v. gr. prope arteriam asperam, plurimæ ejusmodi laminæ sibi invicem superimpositæ, plumaceolis instructæ, & vinculis firmatæ sufficere debent. Si verò Aneurisma à causa externa, ex. gr. à punctura oriatur, & hæmorrhagia sequatur, sanguinis effluxus ante omnia impediendus est, & puncturæ loco applicetur linteolum duplicatum cum liquore styptico nostro imbutum vel Tinctura Sulphuris Vitrioli vel imponatur Colophonium pulverisatum per se vel cum albumine ovi permixtum, egregium sanè stypticum. Manu adstantis locus fortiter comprimendus est, & in opposito latere pro re nata V. S. instituatur. sed ne quid nimis; interim pulveres adstringentes ac Emplastra applicentur; superior verò membri pars linteis aqua spermatis ranarum madidis involvatur, ac fascia duorum capitum muniatur sæpiùs circa partem affectam circumvolvenda, atque sic membrum lęsum per spatium aliquot dierum relinquatur in situ congruo.

Nec interna cura utroque in casu negligenda est; si enim Aneurisma ab acrimonia interna canaliculos sanguiferos corrodente ortum habeat, præscribenda sunt omnia absorbentia, ut sunt oculi cancrorum; corall. Ebur, C. C. s. ign. pp. terr. figill. cristall. mont. & sexcenta alia, nec negligenda sunt spirituosa oleosa, ut spiritus matricalis, oleos. sal volat. oleos. &c. Si verò jam hæmorrhagia præsens sit, conveniunt Tinctura Sulphuris Vitrioli, liquor stypticus, Diascord. Tinctura Hematit. terræ catechu, traumatica, aliaque plura capite de Hæmorrhagia petenda.

Alii volunt, ut arteria super Aneurisma digito aut conveniente ligatura comprimatur, & Lanceola aperiatur, atque sanguis collectus educatur: Vulneri verò & rupturę arterię admoveatur globulus seu frustulum Vitrioli Cyprii gossypio tenui involutum, & huic superinspergatur pulvis colophonii, vel sarcocollę, ac demum applicentur spenia albumine ovi imbuta, vel apponatur linteum duplicatum liquore styptico imbutũ, hoc modo constringitur simulque cauterisatur arteria læsa, ita ut sanguinis appulsus eam minimè resolvere valeat, adaptata simul ligatura conveniente. Alii suadent cauterium actuale. Verùm enim verò nostro judicio cautè incedendum est cum Sectione Arteriæ, imprimis majoris, nuper enim hìc in Nobili quodam triste vidi exemplum, cui in Aneurismate à punctura gladii in carpo manus producto nulla remedia, nec etiam generosa à Chirurgis nostris applicata, nec Sectio juvamen attulerunt, sanguis enim continuò effluebat, instabatque Gangræna, quare Chirurgi manus amputationem suaserunt, sed carnifex curationem absque amputatione manus, more solito promittebat nimis audacter: sed, sodes, quæ audacia est, audere viribus impaٟria? ausim dicere stultitia: tertio enim die non tantùm manus, sed & totius brachii sideratio accessit, quam excepit ipsa mors truculenta. Ego jussu *Serenissimi ac Potentissimi Principis, Domini mei Clementissimi*, cadaver unà cum manu ac brachio siderato aperui, quod verò nihil præter corruptionem, totalem brachii obstructionem putrefactionemque exhibebat, internis præter sanguinem sanis apparentibus.

Hinc sectionem nisi cum maxima cautela instituendam esse author sum; Locus quoque aptus esse debet, ut ritè pars ligari ac comprimi possit.

Arcta ligatura miraculi instar subinde patentem hiantemque constringit arteriam, sed operatio eventum in minoribus tantùm præstat, non verò in majoribus, quia tunicæ crassæ nec facilè rumpuntur, nisi à vehementi causa, nec ruptæ propter perpetuum spirituosi sanguinis affluxum facilè sanantur, & hinc quotidie crescit Aneurisma, faciliùs quoque in arteriæ tunica dilatata, quàm rupta prorsus sperata consolidatio succedat.

Cura Varicum.

Curationis *Varicum* nostro modo institutæ cardo in eo vertitur, ut acidum in sanguine delitescens temperetur, & coagulatio sanguinis impediatur, dein vena dilatata, vel rupta tunica constringatur consolideturque. Ad acidum ergò corrigendum temperandùmque quotidie æger per vices assumat pulveris sequentis vel similis dosin:

♃. *Ocul. cancr. pp.*
Corall. alb. pp.
Crystall. mont. aa. ℈ ß.
Terr. catechu gr. v.
M. f. pulv. dentur 9. doses.

Qui pulvis in aquę chęrefol. vel alia traumatica exhibeatur. Dein accedendum est ad sudorifera temperata, ut Antimon. Diaph. C. C. unicornu, Bezoar. terr. catechu, unicornu fossil. &c. Potus quoque calidus Theæ vel Caffeæ eximius existit per longum tempus continuatus, quo solo potu plures vidimus à varicibus liberatos.

Quod externa Topica attinet, in *Varicibus*, hìc præ aliis conducunt Empl. ex gumm. Ammon. & Galban. divin. de Thea, de Labdan. &c. *Hartmannus* in Praxi sua unguentum è butyro majali vel oleo rosaceo cum succo cancrorum maximè laudat, quod profuit cuidam matronæ à septimo mense cum ejusmodi malo conflictanti; Unguentum Dialth. martiat. &c. item placentula à *Cl. D. Muys* celebrata egregium sæpe præstant effectum Alii laudibus extollunt adstringentia, quæ tamen sint moderata. Balnea ac thermę hìc optimè conducunt.

Quod Sectionem *Varicum* concernit, hanc itidem esse cum cautione instituendam volumus, imprimis in gravidis & minoribus varicibus, in quibus post partum spontè abeunt, in quem finem ergò dubia instituatur cura, in majoribus verò sectio institui potest. Cl. D. *Muys* Varicem cum ulcere conjunctum singulis annis semel & feliciter aperuit, ex eoque libram unam

sanguinis eduxit, atque sic effecit, ut ulcera concomitantia posteà nunquam iterum disrupta sint.

Inter Chirurgica præsidia, etiam *Deligationes* veniunt, quæ ulteriorem venarum distensionem ac dilatationem inhibent: commodum huic scopo erit medicamen ab *Aquapendente* de Varicum excisione commendatum, & ad candelæ figuram formatum, quod tractui varicis imponitur, & super hoc arundinis cortex, qui sua cavitate medicamenti convexitati respondeat, hocque comprimat, fascia idonea firmandus. Quod si verò Varices majores sint, præter Sectionem aut ustionem nihil auxilii restitare videtur.

CAPUT XIII.

De Verrucis, Cornubus & Fungis.

§. I. CUm succi in Machina nostra hydraulica continuò moveantur, agitenturque, & sic ad destinatos impellantur fines per peculiaria & tenuitati & crassitiei succorum respondentia vasa etiam minutissima, & sæpe visum fugientia, quorum succi acres erodunt vasa, & per foramina profluentes varias excitant prominentias & hypersarcoses, quæ excrescentiæ carnosæ Medicis ac Chirurgis dicuntur *Verrucæ*, quarum species vulgò quatuor sunt pro ratione radicis, vel sunt nunc *planæ* seu *sessiles*, nunc *pensiles*, vel ex angusto collo capite ampliore prominentes. *Pensiles* vocantur *Myrmecia*, posteriores verò *Acrochordones*. Sic quoque & alia species dicitur *Porrus*, quæ exteriùs quasdam radiculas habet instar porrorum: alia vocatur *Thymus*, colorem floris Thymi referens, in summo est latior, quam *Acrochordon*, ad magnitudinem fabæ excrescens. Sed non video ad quam utilitatem & necessitatem ejusmodi distinctiones & imposita nomina inserviant, *Germanis*, dicuntur *die Wartzen*.

Verruca. *Myrmecia, Acrochordones, Porrus.* *Thymus.*

Verrucæ describi possunt, quòd sint excrescentiæ carnosæ ex profluente succo nutritio productæ.

Ad has quoq; Excrescentias carnosas referuntur aliæ, *Cornua* dictæ, in hominibus sæpiùs observata, prout præter nostram experientiam testantur *Hildan. Cent.* I. *Obs.* 25. *Ephem. German. Ann.* I. *Obs.* 30. & *Clar. Dn. Franci Exerc. de Cornutis, Bonetti Med. Septentr. l.* I. *Sect.* 3. *c.* 3. &c. Cornua hæc pro duritiei conditione possunt dividi in *mollia* & *dura*, qualia cornua dura exhibent Filius & Filia Illustris cujusdam Baronis, in pedum ac manuum digitorum apicibus, singulis mensibus erumpentia, & dein sponte iterum decidentia, magnitudinemque avellanæ in quolibet digito non excedentia.

Cornua.

Cornua describi possunt, quòd sint prominentiæ fere osseæ à sale fixiore ac acido succum nutritium fortiùs coagulante productæ, *Germanis Horner*.

Ad classem hanc excrescentiarum pertinent quoque tuberosæ eminentiæ, *Fungi* dictæ, quorum meminit *Hipp. l.* 2. *de Morb.* 48. 10 & *Hildan. Cent.* I. *Observ.* 15. &c. pluresque alii. Germanicè dicitur, *ein Schwamm-Gewachs*. Fungus describitur, quòd sit excrescentia mollis sensim ac sensim incrementum capiens ex dilatatione aut laceratione membranarum, & circa has collectis & evasatis succis, imprimis nutritio, & utplurimùm circa articulos oborta. Hinc Germ. dicitur etiam *ein Glied-Schwamm*.

Fungi.

§. 2. Subjectum adæquatum *Verrucarum* constituimus totum corpus & potissimùm sanguinem, qui cùm unà cum succo nutritio continuo suo fluxu ac refluxu minimos machinæ hydraulicæ tubulos alluat, pervadat, erodatque, non potest non labem suam affricare, & hinc ejusmodi propullulant excrescentiæ carnosæ, data enim porta quadam liquor iste nutritivus partium liberiùs promanat, & in excrescentias ejusmodi abit carnosas, non aliter ac videmus in arboribus junioribus effluentem succum, accedente extrinseco aere acido instar Verrucæ coagulari, ut jam prout pars quævis corporis vasis ac tubulis succum nutritium vehentibus, pluribus & amplioribus vel angustioribus aptior existat, accedente succo acriori & rodente, eò excrescentiæ hæ in majore vel minore exoriantur copia.

Pars affecta Verrucarum

Cornua eandem agnoscunt partem affectam, quæ tamen magis pro basi habent os & membranas. Nos novimus fœminam quandam juvenem adhuc superstitem tria cornua in capite ad cranium usque pertingentia gestantem, pollicis magnitudinem æquantia. Viri quoque sunt plures cornua gestantes, ad forum medicum neutiquam spectantia.

Cornuum.

Fungi utplurimùm circa articulos apparent, & membranis radicitùs inhærere solent. In genu sæpè apparent ejusmodi tumores fungosi, & dum hæc scribebam infans 3. annorum & Juvenis 20. annorum iisdem affecti mihi curandi offerebantur.

Fungorum.

§. 3. Quod *Verrucarum Diagnosin* spectat, præsentium Verrucarum adducere signa non necessum existimamus, siquidem omnes per se manifestæ sunt & sensus nostros incurrunt, videri & palpari possunt. Ratione radicis quædam sunt planæ, & profundè radicibus inhærent cuti; aliæ sunt pensiles & ex angusto collo, capite ampliore prominent: & cùm Verrucæ lippis tonsoribusque notæ sint, illas fusiùs describere haud operæ pretium ducimus.

Diagnosis Verrucarum.

Cornua quoque facilè ex eorum excrescentia ossea & duritie cognoscuntur, duritiem enim præ se ferunt, ac videmus in unguibus nostris, quæ cornua in aliis majora, in aliis minora conspiciuntur. Varias quoque corporis partes occupare solent. Sic *Borellus* cornu tale in facie ac pede observavit. *Fabricius Obser. Chirurg. Cent.* 2. *Obs.* 257. Cornua in calcaneo enata vidit. *Thomas Bartholinus* mulierem & virginem in capite cornutas notavit, *in Hist. Anatom. rarior. c.* I. *hist.* 78. *c.* 5. *hist.* 27. Variant itidem cornua hæc magnitudine; sic vidimus in fœmina supra mentionata cornua ad pollicis magnitudinem extensa, in aliis verò æquant tantùm nucem avellanam vel moschatam, vel juglandem, pro copia materiæ chylosæ evasatæ, & in duritiem hanc per quietem redactæ.

Cornuum.

Excrescentiæ fungosæ facilè in visum nostrum incurrunt, & ex tactu haud difficulter ab aliis dignosci possunt, cùm substantiam habeant spongiosam, mollem atque albicantem, & impresso digito nulla remanet fovea, nec ægri magnum inde percipiunt dolorem, utplurimùm verò augmentum capiunt, & circa articulos observantur, imprimis circa genu & molam, seu patellam, hinc genu loco suo sæpè adeò dimovetur, ut extensioni ac ambulationi obsit, pedemque ad ambulandum faciat ineptum. Cùm tamen & aliæ partes carnosiores non sint ab iis immunes, sed membranis quibuscumque inhærere queant, & à causa violenta vel relaxatione, vel casu inducantur; sic etiam à vulneratione membranæ cranii fungum enatum non ità pridem in Milite observavimus. Alium ex oculo luxuriantem, item alium ex auribus propullulantem novimus. Fungosi hi Tumores similes sunt strumis glandularum.

Fungorum.

§. 4. Diagnosi deducta, nunc videamus horum affectuum causam. *Verrucas* seu poros *Galenici* ab humore terrestri & melancholico oboriri dicunt, pluresque ipsarum species constituunt, & ipsis vocantur *Myrmeciæ, Acrochordones, Condylomata, Cristæ, Thymi, Mariscæ*, &c.

Ætiologia secundum Galenicos Verrucarum

Cornua ac *Fungos Galenici* deducunt à crassis ac spissis humoribus, à calore quasi in cornua adustis, & ejusmodi tumores efficientibus.

Cornuum & Fungorum.

§. 5. *Paracelsus* observat, vulneribus luxuriantibus sæpiùs carnem increscere Fungorum ac spongiarum instar, quam dum imperiti Chirurgi nunc corrodentibus Medicamentis tollere, nunc sectione aufferre conati sunt, Lerneæ hydræ capita repullularunt, ut sine dolore scribere etiam nequeat miserias, quibus ægros afflixerunt. Causam harum spongiarum paulo altiùs repetere vult, aitque, Verrucarum quoddam genus esse, quod abscissum subinde majus ac copiosius prorumpit, & quo sæpiùs vel abscissum, vel arrosum fuerit, eo luxuriat magis: ex quo genere & Fungos & spongias esse reputat. Etenim hujuscemodi Verrucarum radice vulnerata, ipsi consentaneum est Fungos, & spongias tales à luxuriante Natura protrudi Accidit & juxta ipsum illud, sed rariùs, ex cicatribus jam olim ductis

Juxta Paracelsum causa Fungorum.

ctis similem carnem enasci: utut sit, verrucarum ratione id accidere contendit.

Fungus enim Ipsi dicitur, quum post vulneris sanationem enascuntur Verrucæ quædam, & ex eis deinceps tumor in quantitatem duarum, trium aut quatuor librarum excrescens, ac adhærens, non secus ac arbori Fungus: fœtet ac foraminibus scatet.

Helmontii opinio de causa Verrucarum & Fungorum.

§. 6. *Helmontius* Verrucas suæ carnis Fungos esse asserit, & sæpe ex custode prodigo nutrimentum partis alicujus variè dispergente oboriri asserit.

Fungorum verò originem accenset nutrimenti partium abundantiæ & copiæ, ex qua Fungi partium supercrescunt, dum caro a latice uberiùs affluente nimium humectatur, & in fundum quendam ejusmodi excrescentiis proferendis apprimè habilem disponitur.

Vvillisii sententia de causa Verrucarum.

§. 7. *Verrucarum* progeniem tribuit *Willisius* copiosiori succo nutritio, quandam sanguinis portionem admixtam habenti, & in laxiori aliqua parte remoranti. Ille siquidem partis istius fibras subingressus, easque aggestione sua extollens & dilatans à liquore nerveo adveniente in fibrarum substantiam convertitur. Verrucæ verò carnis colorem sanguinisque subsidium mutuantur à vasis sanguiferis, quibus fibræ illas constituentes stipatæ erant.

Cornuum.

Cornua, opinante *Willlisio*, excrescunt ex humore alibili glutinosiore, qui ad papillas cutaneas devectus illis adhærescit, atque in ipsis remoratur, easque continua sua aggestione elevat ac producit: plures verò contiguæ papillæ cutaneæ à liquore nutritio oppletæ sibi invicem aduniuntur, & una coeunt, succique in iis cæspitantis tenuioribus atque aquosioribus particulis avolantibus, crassiores in papillis subsistentes ampliùs nec dilutæ, nec in motum actæ, in materiam compactam facescunt, & iis infarcta papilla in corneam substantiam facescunt.

Sylvii de causa Verrucarum, Cornuum, & Fungorum.

§. 7. *Sylvius Verrucas* à lympha glandulosa acido spiritu abundante produci existimat, ut & *Fungos* ac *Cornua*, ab acido enim spiritu humorem glandulosum spissiorem reddi posse, ut in poros cutaneos deductus eosdem opplens, ab alio succo affluente propellatur, sicque *Verrucas, Fungos & Cornua* producat.

Cartesianorum sententia de causa Verrucarum

§. 9. *Cartesiani* ex ramulorum nerveorum læsione, vel obstructione *Verrucarum* deducunt originem, existimantes, ramulo quodam nerveo in cute vel ab externa violentia, scalptione, erosione, punctura, & similibus, vel internis quibusdam particulis acutis in lympha evasata contentis, uti in Scabie, dilacerato, succum ejus inter cutem & cuticulam effundi, ibidem inspissari & in excrescentiam talem converti, quæ à subsequente liquore continuum capiat nutrimentum, instar surculi ex arbore efflorescentis. Pro majori verò nervi læsi concavitate, & pluribus inde fibrulis dispersis, etiam formam & magnitudinem Verrucarum differe dicunt, ut quo plures fibræ expanduntur & dispergantur, quæ instar radicularum nutriantur, eo etiam excrescentias illas copiosioribus constare videantur in superficie quasi foliis, ramulis, aut squamulis: si verò fibræ arctiùs conglutinentur, radicem & petiolum longiorem & crassiorem conspectui dari. Huic læsioni ramulorum nerveorum ansam quoque præbere opinantur attactum urticæ urentis, vel lanuginosæ non minùs quàm spinosæ illius materiæ, qua cavitas fructuum cynosbati una cum arillis referta conspicitur, cujus cuti adhærentes spiculæ ab externo calore agitatæ fortiùs insigantur cuticulæ, ut ad extremitates nervulorum cutem perreptantes pertingant, easdem vellicent & pruritum excitent, cui cùm succedat scalptio, nervulos istos jam distentos facilè disrumpi, & succum eorum profundi referunt, obstructionem ramulorum istorum nerveorum à succo crasso Verrucarum productioni ideò credunt esse idoneam, quòd liquor continuo effluens & debitum non reperiens transitum, priorem illum crassum ad extremitates magis propellat, fibras cutaneas altiùs diducat, & novo assiduoque affluxu obstructionem augens tuberculum producat, & sustentet, Verrucam exhibens magis rotundam, lævem, & interdum non adeò pendulam, sed sessilem, instar monticuli cujusdam in microcosmi superficie recti.

Cornuum.

Cornuum illorum visibilium & tangibilium, utrumque sexum interdum invadentium & dedecorantium, non modò in digitis manuum & pedum unà cum unguibus sed aliis etiam in membris, & quandoque ipsa in fronte procrescentium, ortum sumere docent à papillarum cutanearum sub cute, & contextu reticulari easdem obvelante longiore diductione, à succo crassiore eas expandente inducta, & interdum ab externa fortiori & frequentiori compressione excitata. Fieri enim sæpe dicunt, ut lympha, & succus nutritius in scabie à liquore acido coagulentur, qui inspissati à novis succis versus papillas illas propellantur, hæ verò fortiter erectæ & invicem copulatæ contextum etiam reticularem elevent, & ad novum suscipiendum succum expansæ promineant, qui cum assiduò subsequatur; & à particulis angularibus inter papillas commorantibus in motu impediatur, & ad subitaneam redigatur quietem, magna cum tempore ibidem colligi eum asserunt copia & duram proferre eminentiam. Externa offensione, compressione, vel alia quadam cutis agitatione oppositas istas papillas ad expansionem premi asserunt, ut succus nutritius versus easdem propellatur, unde in calce aliisque plantæ pedum vel volæ manuum regionibus ex continuo incessu, vel laboribus durioribus offensione in fronte cornua excrescant, quòd ductus non modò quidam dirumpantur succos suos postmodum effundentes, sed papillæ quædam fortiùs premantur, & ad succum recipiendum evasatum aptè satis disponantur. Ungues etiam non abscissi in corneam abire prominentiam dicunt, quoniam papillæ cutaneæ versus eorum principia ita sint dispositæ, ut succum ungues nutrientem majori excipiant abundantia.

Fungi.

Liquorem tendinosum & nervosum succo unctuoso articulos lubricanti majori, quam par est, copia commistum, & cutem distendentem, excrescentiam spongiosam, sive *Fungum* producere docent, qui succi propterea commiscentur, quòd ab externa violentia canaliculi eorum dirumpantur, & succi ipsi effundantur, uti sæpe in genibus contingit, quando vel percutiantur lapsu, calcitratione equi, aut similibus rebus violentis, vel frequentiori & diuturniori in genua procubitu fibræ fortiùs compressæ vel distendantur, vel dirumpantur.

Nostrum iudicium de causa Verrucarum

§. 10. Difficilem esse *causarum* doctrinam, & intricatam illarum investigationem nemo forsan negabit, si consideret, Nos ex tot Authorum Principiis non tantùm eas eruere conari, sed earum etiam supplere defectum, quas ipsi Authores ob gravitatem affectuum explicare vix ausi sunt. Existimamus autem *Verrucas* ideò propullulare extuberareque, quòd à particulis nõnullis acutis acribus scindentibus ac corrodentibus mẽbranæ erodantur, & à succo per tubulos & poros profluente, emananteq; succo nutritio fibræ relaxatę magis distendantur, & aliquando prorsus rumpantur, ut extra circumjacentem membranam promineant: circa quas protuberantias assiduò emanans succus nutritius colligitur, & hypersarcosin quandam producit. Vasa enim capillaria vel à quacunque causa magis dilatata, vel attrita corrosaque succum nutritium chylosum emittũt, data enim porta quandam liquor iste nutritius partium liberiùs profluit, qui accedente tunc acido vel interno, vel externo coagulante in excrescentias ejusmodi abit carnosas. Eodẽ modo videmus in arboribus junioribus læsis succũ quendã exstillare, qui ab accedente acido aeris coagulatus similes excrescẽtias Verrucosas exhibeat.

Causas remotas ansam Verrucis generandis dare posse, extra omnem dubitationis aleam ponimus, ad quas res non-naturales vulgo ità dictas referunt. Inter quas primas tenet Aer, qui frigidior admissus succos nostros justo nimis incrassat, & insensilem excrementorum transpirationem impedit; sic novi rusticum mille Verrucis per totum corpus dispersis infectum, qui à sola aquæ frigidiori immersione has se acquisivisse mihi fassus est. Fœcundæ dein segetis instar est mala victus ratio, omnia enim quæ chylum crassum acidum ac viscidum, mox talem sanguinem ac succum, nutritium suppeditant, Verrucas producere apta nata sunt, imprimis si accedat acria salita ac muria condita,

dita, quæ omnia facilè tubulos erodere valent. De quibus & reliquis omnibus in *Diæta* acturi sumus.

Cornuum.

Cornua verò, me judice, succo nutritio evasato oriuntur, cujus fluidis particulis sensim exhalantibus, reliquę ceu caput mortuum ossis seu cornu duritiem & formam assumunt. A quiete hunc succum ita indurari posse quis negabit? Rarum est, quod scribit *Alex. Bened. L.1.Histor.part.Corp.hum.c.14.* vidimus, ait inGeta vulnerato genu sagitta cornu nigrum rupicapræ capitis simillimum (è vulnere) prodiisse, materiamque, quæ in ossis substantiam converti debuisset, in carneam indolem aeris afflatu conversam, rami modo indurescentem.

Fungi utplurimùm circa articulos oborti ex violenta distensione, dilatatione ac laceratione membranarum, vel ex laxatione violenta fibrarum tendinosarum producuntur, hincque effluit succus nutritius & quidem in maxima copia, ex quo caro mollis, rara & luxurians squamosa generatur, quæ dicitur fungus, qui utplurimùm post vulnera membranarum emergere solent, quod si accedat acescentia & corrosio, fungi exoriuntur Cancrosi. Qui plura desiderat de Fungis his microcosmicis, conferat *Ephem. Germ. Ann. 9. & 10. Obs.63.*

Prognosis Verrucarū.

§. 12. *Prognosin* horum affectuum quod concernit, *Verrucæ* pueris solennes sunt, nihilque mali portendunt. In adultioribus nonnunquam suspicionem iniiciunt Luis Venereæ, imprimis circa partes genitales occurrentes. Verrucæ vulgares sanitati non obsunt, sed cuti defœdationem & molestiam inferunt. Sæpè inopinatò protuberant, & inanimadvertenter rursus evanescunt, præsertim Acrochordones & Thymi. Myrmecia verò quatenus profundiùs hærent & fibris sæpè nerveis implicantur, tendinosisque fibrillis profundiùs insident, difficiliùs curantur, quia periculum est, ne tendinibus læsis Inflammatio vel Gangræna inferatur. Acrochordones verò excisæ non facilè relinquunt radiculas, ideoque rarissimè repullulant. Thymo autem exciso in carne radicula remanet, ex qua renascitur sæpè Verruca. Verrucæ quæ conjunctam habent Luem Veneream aliumque morbum Chronicum difficiliores sunt curatu, quàm quæ sunt simplices. Sic etiam istæ, quæ apparent in extima cutis superficie, faciliùs sanantur, quàm quæ in internis hærent corporis partibus.

Cornuum.

Cornua seu excrescentiæ osseæ omnes difficillimæ sunt curatu, imprimis durissimæ, quæ nullum præter sectionem admittunt remedium, quæ sectio itidem pluribus involvitur difficultatibus; molliores excrescentię si ad maturitatem pervenerunt, decidunt quidem, sed post mensem iterum repullulant, ceu observavimus in cornibus digitorum.

Fungorum.

Fungi sæpe etiam per plures annos afficiunt homines sed pręter incommodum & dolorem, nisi si contingant in articulis, motum ac sensum premendo nervos aliquomodo tollunt. Ob stagnationem verò diuturnam succus acrior redditur, qui facilè tumorem Cancrosum producere potest. Corpus quoque ad Tabem disponunt omni succo nutritio in fundo deperdito. Aliquando malum hoc lethale est.

Diæta.

§. 13. Quod *Diætam* refert, ista eò dirigenda, ut succi ritè constituti absque ruptione tubulorum circulentur, in quem finem aer eligatur calidus ac temperatus. Frigidus verò admodum nocet, quoniam incrassat succos nostros, transspirationemque impedit. Alimenta sint facilis digestionis, exulent acida, acria, salina, muriatica, corrosiva, exinde enim succus nutritius pessimus partibus affertur, & sic ruptio tubulorum & evasatio succi nutritii facilè produci potest. Potus sit calidus, imprimis potus Theę, vel Caffeæ, vel Succolad. vel vin. Gallic. Hispan. aliudque non acidum, vinum enim Rhenanum, Franconicum, imò ipsum sæpe Mosellanum, quatenus acido & Tartaro abundant, coagulando succos maximè nocent; eligatur potiùs cerevisia tenuis rite defæcata & herbis volat. ac aromat. maritata.

Vigiliæ & somnus, item motus & quies sint moderata, & modum solennem haud excedant, motus enim nimius si mox à pastu fit, chylum crudum & cum impuritatibus per alvum expellendis, permistum in sanguinem pellit, quies verò immodica, ut est vita sedentaria, quam experiuntur Sartores, nocet, quibus propterea Scabies & Verrucę, fungosique tumores familiares sunt. Animus sit hilaris nullis passionibus obnoxius. Animi enim passiones vehementiores ad affectus hos excitandos ansam dare possunt, quæ fulminum instar sanguinem percutiunt, & inter ea potissimùm quæ spiritus figunt, debitam eorum ex cerebro in partes subjectas emanationem, sanguinis ac succorum circulationem impediunt, & per consequens succis crassis ac acidis imprimis nutritio plus justo corrigendis ansam prębent, cujusmodi sunt tristitia, mœror, curæ immodicæ, odium, terror, &c.

Galenicorū modus curandi Verrucas.

§. 14. Jam ad *Curam Pharmaceuticam* ac *Chirurgicam* horum affectuum accedamus, & primò Galenicorum perspiciamus, qui *Verrucas* qualcunque tollunt per elaterium cum sale impositum. Imò ad has extuberantias delendas plura excogitavit vetustas remedia, qualia sunt Thus cum aceto, grossi ficus cum aceto, farina ac nitro, fici liquor illitus, itemque Tithymali, Smaridis caput salsum ustum, ærugo cum sulphure vivo usta, ocymi folia cum atramento sutorio: itidem id, quod destillat à Sarmentis vitis viridibus adhuc dum uruntur, ovillum stercus cum aceto, hirci fel illitum, heliotropii magni semen cum vino impositum, ruta cum nitro & pipere, nitrum cum urina pueri impubis, stercus bovis ęregarii cum aceto. Galenus, & ejus sequaces, Verrucam Formicariam duræ pennæ fistula, quales sunt veterum gallorum & anserum ac aquilarum, circumscarificandam esse censent, ità, ut obtorqueatur per vim in profundum, & ex fundo Verruca formicaria tollatur: alii verò ex ipsis ænea aut ferrea fistula idem præstant. Aliis placuit eam circum scarificare, & volsella prehensam, scalpello velut clavos exscindere. Quod Acrochordonem basin angustam habentem & pendere visam attinet, extentam hanc eminentiam excidunt, sin minùs filo saltem aut pilo ipsam deligant, omnes quoque has eminentias plerasque frigido cautere consumi contendunt.

Cornua & Fungos.

Cornua verò ac Tumores *Fungosos Galenici* per resiccantia Medicamenta tollere satagunt, & commendant diaphryges inspersum, & æris squamam & testacea omnia usta, & erinaceos ustos cum toto corpore. Hisce non juvantibus ad fortiora transeunt, ut sunt Petræ Asiæ flos, sori, & chrysocolla, & chalcitis, & misy: (usta verò minùs mordere dicunt,) æris flos, ærugo. Sal ustus fungosas flaccidasque carnes juxta ipsos consumit, & linamenta evulsa ex linteo facta muria acriore macerata ac resiccata, indita & applicata duros ac fungosos tumores consumere ajunt Æruginem autem cum spuma ęris ex his vehementer operari dicunt. Inter composita laudant Rhodium siccum, & Psaron & flavum appellatum, æstimantur ab ipsis pastilli Faustiani triti ac inspersi, & siccum Sole ustum dictum, quod verò recipit calcis vivæ, squamæ æris & mannę æquales portiones, & ad excrescentias facit, & fungis similia repurgat cum melle, & replet cum aceto.

Paracelsi curatio Verrucarū.

§. 14. *Paracelsus* in Verrucis delendis & abigendis remedio singulari uti solet, nempe Ipsi Polygonaton dicto. Ad hæc Tubercula, Verrucas seq. maximè extollit, accipit enim *oleum ardens*, quo locum affectum singulis diebus quater inungit, hoc auferre dicit omnia, quæque similia nascuntur in vulneribus.

Fungi.

Ad *Fungum* absumendum accipit filum arsenicale, quo fungum excrescentem ex vulnere abscindit, postmodum sistit sanguis, & *oleo ardente* perungit. Consumentur ait hoc oleo Verrucę, fungique omnes ac rami vel radices, è quibus nascuntur. Et post consumptionem curat sanatque poros emplastro de Mumia. Verùm ubi sanguis nimiùm abundè proflueret, laxat venam retrò Fungum & refrigerat. Duros tumores, ut sunt Cornua, eodem ferè modo curat.

Helmontii modus abigendi Verrucas.

§. 15. *Helmontius* inter arcana refert pomum transscissum, cujus pulpa interna sit affricta *Verrucis*, donec intepuerit, & religatis medietatibus per filum, donec pomum putruerit: tunc enim vidit Verrucas attactas disparuisse. Simul atque enim vita pomi ultima

tima perit, cui Verrucarum impressio fuit conglutinata, perit Verrucarum vita ultima, retrocedendo per mediam.

Willisii cura in Verrucis.

§. 16. *Willisius Verrucarum* curam exorditur decocti cujusdam sudoriferi usu, iisque deinceps inspergendo pulverem ex tutia, lapid. medicament. & pauco ære usto. Commendat etiam ligaturam.

In Cornubus.

Cornua tollere satagit internis Medicamentis sanguini fluiditatem conciliando, saliaque acida succum nutritium coagulantia corrigendo, eaque foràs eliminando; quibus conferre ait Martialia, Corallia præparata, oculos Cancrorum, rasuram eboris, aliaque hujusce farinæ. Diaphoretica etiam atque Diuretica summæ esse efficaciæ hoc in casu asserit: ad juvandam siquidem diaphoresin hoc exhibet Medicamentum.

℞. *Antimon. diaphoret.* ʒ ij.
Eboris ust. ℈ iv.
Sal. volat. C. C. ℈ ij.

M. f. Pulv. dos. ʒ ß. ter aut sæpiùs in die. Diuresin verò excitat sequentibus Medicaminibus.

℞. *Tinctur. Sal. Tartari* ʒ j. ad ʒ i ß.
Aq. raphan. compos. ℥ ß.

M. detur in haustu liquoris possetici cum rad. & sem. bardan. incoctis.

Vel

℞. *Mileped. præp.* ʒ ij.
Flor. Sal. Armoniaci,
Nuc. Mosch. pulv aa. ℥ ß.
Terebinth. Venet. q. s.

F. Pilul. sumat æger bis in die iv.

Quod externa Medicamenta in *Cornubus* & *Fungis* tollendis, attinet, emollientibus illa fovet, & sequens, vel simile adhibet:

℞. *Rad. alth.* ℥ j.
Fol. malv.
Parietar.
Branc. urs.
Violar. aa. M ß.
Flor. chamomel.
Melilot. aa. P. ß.
Sem. fœnigræc. ʒ ij.

F. decoct. in aq. communi, quo foveatur pars affecta.

Vel herbas has in forma Cataplasmatis applicat. Si istis non satis relaxentur papillæ cutaneæ oppletæ, nec materia indurata illas obstruens non emolliatur, Medicamentis cathæreticis, jam superiùs de Verrucis explanatis, radices Cornuum ac *Fungos* erodit, illaque hoc pacto destruit.

Sylviana cura in Verrucis, Cornubus & Fungis.

§. 17. *Sylvius* in curandis *Verrucis*, *Cornubus* ac *Fungis* ad acidum, tanquam omnis mali hisce in affectibus causam præsertim respicit, ut illud dometur, & excrescentiæ hæ superfluæ consumantur, quod cauteriis tum actualibus, tum potentialibus ex lixiviosis concinnatis atque Medicamentis Mercurialibus optimè obtineri posse haud dubitat. Verrucas ac reliquas excrescentias exsiccari vult, quo omni succo privatæ flaccescant ac decidant, imprimis verò constrictione fili & attactu linteoli spirit. Sulphuris vel alius acidi humectati.

Cartesianorum cura in Verrucis.

§. 18. *Cartesiani* destructioni *Verrucarum* omni opera incumbunt, adhibendo tuberculis hisce ea remedia, quæ radices eorum erodant, vel poros occludant, ne per eosdem capiant incrementum, sed omni succo destituta flaccescant & decidant. Approbant itaque succum chelidonii majoris, quo Verrucæ frequenter attingendæ sunt, nec non aquam calcis vivæ, vel aquam fortem, præsertim sequentia remedia D. D. *Vogelsangio* utilissimè adhibita, quibus varii generis Verrucæ abactæ fuerunt.

℞. *Decoct. pisor.* ℥ iij.
Dissolv. in eo
Sal. Armoniaci ʒ i ß.
add.
Pulv santal. rubr. ʒ j.

M. & probè agitentur, abluanturque Verrucæ aliquoties in die tepidè. Post ablutionem hanc

℞. *Aquæ Fortis commun.* ℥ j.
Sal. Armoniaci ʒ ij.

Stent per horam unam vel alteram in vitro in digestione arenæ calidæ, donec intimè uniantur. Hoc liquore imbuatur stylus ligneus, quo postmodum Verrucæ priùs fricatæ vel digitis compressæ tangantur. Spiritum quoque nitri, vitrioli, sulphuris interdum adhibent, vel sequens linimentum.

℞. *Farin. lupinor.* ʒ j.
Stercor. caprin.
Ciner. fraxin. aa. ʒ ß.
Aceti fortis q. s. ut f.

Linimentum Verrucis imponendum, locis vicinis emplastro defensivo priùs munitis, per cujus foramen quæque Verruca promineat. Interdum emplastrum aliquod imponunt Verrucis emolliens & discutiens, ut nutrimento ita dissipato absumantur, qualia sunt de Ammoniaco & galbano, imprimis si quidpiam salis Armoniaci iisdem sit immistum. Acrochordones & Thymos, sive Verrucas pensiles filo constringunt, ut sic constrictis poris succo nutritio transitus denegetur, & Verrucæ alimento suo privatæ exsiccentur & decidant. Myrmecias sive Verrucas sessiles subtilioribus quibusdam illinunt spiritibus facilè penetrantibus, poros aperientibus & succum spissiorem attenuantibus & resolventibus, quale sequens existit.

℞. *Essent. Verrucar.* ʒ ii ß.
Sabin. ʒ j.
Spiritu Armoniaci ʒ i ß.

M. & Verrucæ calidiusculè illinantur. Post illinitionem, & quando essentia hæc debitè intra poros Verrucæ penetravit, emplastrum superimponunt emolliens, præsertim verò de Ammoniaco, aut diachylon cum gummis. Nihil verò recensitis hactenus remediis juvantibus, ad butyrum accedunt Antimonii, eoque, partibus vicinis priùs imposito defensivo, Verrucas attingunt, quas funditus tùm extirpatum iri promittunt. Corpore quoque variis in locis excrescentiis hisce referto, interna simul remedia in subsidium vocant, præsertim ea, quæ succos incrassatos resolvere, poros aperire, & per eosdem eliminare possunt, quod aliàs Verrucis cedere solet in nutrimentum, quo prædicato è reliquis florere censent sudorifera, sive in decocti, sive in alia hæc exhibeantur forma, in pulveris tamen forma aliis hìc præstare credunt bezoardicum Martiale, flores sal. Armoniaci, Sulphur Antimonii, & similia in aqua scabiosæ exhibita.

In Cornubus.

Cornua osseam basin habentia, qualia in capite & fronte quandoque emergunt, difficulter admodùm & vix absque periculo vitæ, nedum sine doloribus, auferri posse censent, cum serra sint detruncanda, & remedia alia, sive interna, sive externa, in his nihil possint præstare juvaminis, duriora enim norunt, quàm ut emolliri aut resolvi queant, & firmiùs cranio implantata, quàm ut absq; partis cui inhærent, læsione & majori damno evellantur, proinde huic nodo nullum aptare solent cuneum, ne operam & oleum perdant. Minoribus autem & cutaneis Medicam interdum adhibent manum, detrahendo iisdem alimentum, nempe succos crassiores, quibus nutritius refertus est, remediis purgantibus hoc in casu convenientibus existimatis, & in forma infusi ad tempus aliquod exhibitis, qualia parantur ex foliis sennæ, turpetho, polypodio, agarico, additis aliis quibusdam simplicibus sanguinis purificationi aliàs destinatis. His subjungunt sudorifera aliquoties repetenda, ut in papillis cutaneis hærens succus in alimoniam Cornuum cessurus attenuetur, ac resolutus per apertos poros evaporetur, & cornua nutrimento suo privata post rarefactas radices decidant, quo nomine decocta lignorum Guajaci, sassafras, colubrini, Juniperini, fraxini, radicum sarsæparillæ, chinæ, contrayervæ, peucedani, herbarum ceterach, chamædryos, scabiosæ, foliorum rorismarini, sambuci, melissæ, nec non flores mercurii argenteos, bezoardi-

zoardicum Solare, & Tincturam ex floribus reguli Antimonii valde deprædicant. Externè thermas commendant sulphureas & aluminosas, quibus non modò duriores eminentiæ circa radices emolliuntur, sed pori etiam cum papillis cutaneis constringuntur & succi superflui absumuntur, ut excrescentiæ hæ alimonia defraudatæ decidant. Ablatis verò Cornubus si papillæ istæ prolongatæ & tumentes medullæ instar extra cutem prospiciant, iis pulverem inspergunt ex alumine usto, testis ostrearum vel concharum calcinatis, calce viva cum saccharo mista, corticibus granatorum, aristolochia, vel unguentum Ægyptiacum super igne inspissatum imponunt, & circumligato vinculo per tempus aliquod relinquunt, donec pori ita sint transmutati ut liquorem tanta non admittant copia. Molliora proximè radicea filo duplicato forti & cera obducta firmiter constringunt, usque dum ob denegatum alimentum similiter exsiccata & arida delabantur. Minoribus & non ita prominentibus butyrum illinunt Antimonii, quo erosa non minùs ut Verrucæ perire aut decidere affirmant.

In Fungi.

Fungoso tumori circa articulos & imprimis genu existenti, atque ex lapsu aut contusione originem ducenti fotus convenire judicant discutientes ex salvia, betonica, agrimonia, roremarino, floribus hyperici, chamomillæ, baccis lauri, semine cumini, nec non epithemata calida ex aqua calcis vivæ, spiritu juniperi, lumbricorum, essentia rorismarini, spiritu salis armoniaci, & similibus, quibus præmissis emplastrum imponunt de ranis cum Mercurio, nervinum, vel de gummi ammoniaco. Interna sudorifera non contemnendam hìc opem afferre posse existimant, præprimis ex salibus constantia volatilibus. Aliis autem fungosis excrescentiis in vulneribus nonnunquam conspicuis inspergunt pulveres exsiccantes & absumentes ex radice ireos Florent. aristol. rotund. corticibus granatorum, alumine usto, colchotare vitrioli, Mercurio præcipitato, vel aqua abluunt mercuriali. In fungis hujusmodi capitis & cerebri vulneribus supervenientibus cautos esse volunt Chirurgos, ne fortioribus corrosivis majora mala, aut ipsam etiam mortem accersant.

Nostra methodus curandi Verrucas.

§. 19. Nostra *Verrucarum* curatio in eo consistit, ut succi nutritii effluxus ac subsequens coagulatio impediatur, quod verò obtineri potest, si particulæ acres ac corrosivæ in succo nutritio hospitantes obtundantur ac eliminentur, in quem finem omnia conducunt sanguinem purificantia dicta Medicamenta, præprimis sequens vinum medicatum commendamus.

℞. *Rad. enul.* ʒ iij.
Caryophyllat. ʒ ij.
Pentaphyll.
Petasit. aa. ʒ i ß.
Herb. fumar.
Herb. Scabios.
Capill. Vener.
Agrimon.
Heder. terr.
Salv aa. M ß.
Ras. lign. Juniper. ʒ i ß.
Colubrin. ℈ ij.
Fl. sambuc. P. j.
Anthos. P ß.
Sem. anis. ʒ ij.
Sal. Tartari ʒ i ß.
F. Species pro mensura vini.

Varia etiam absorbentia acidum infringentia & sudorifera partes has per tubulos eliminantia interponi possunt, qualia sunt Antimon. diaphoret. Bezoart. minerale Martiale, Joviale; item cinnabar. nativ. Antimonii, Decoct. lignor. potus Theæ vel Caffeæ, Essent. fumar. Tinct. Antimonii tartarisat. quæ hic egregia est, Essent. Viperarum & sexcenta alia, quorum mentio capite de *Scabie* facta est. Hic etiam Mercurialia maximè sæpè necessaria sunt. Cùm verò cura Verrucarum solis externis peragi soleat, eapropter internis recensendis diutius inhærere non placet, sed ad Externa transeamus, totius enim curæ cardo in eo vertitur, ut Verrucæ dempto succo nutritio exsiccentur & exstirpentur, seu absumantur, quod obtinemus per acidum absorbentia, & spirituosa, utsi spir. vini Camph. spiritus sal. Armoniaci cum calce viva paratus, aqua calcis vivæ, vel ipsa calx viva Verrucis applicetur, & superimponatur fomes accensus, vel solvatur Sal Armoniaci in aqua pluviatili, qua mixtura imbuantur lintea duplicata & sic apponatur Verrucis. Alcalia omnia & Tartarea conducunt, hinc Oleum Tartari per deliquium paratum non inconveniens erit remedium externè illitum, item seq.

℞. *Ungu. alb. Camphor.* ʒ j.
Ol. Tartari ʒ iij.
Calc. viv. ℈ j.
M.

Spiritus lumbricor. Matrical. spiritus olibani, Elixir vitæ non contemnendi usus sunt in Exstirpandis Verrucis. Nec negligenda sunt specifica, ut sunt succus chelidon, maj. succus Esulæ, Limaces rubri, quibus fricentur Verrucæ, & hoc remedium in vulgus abiit, nostra verò experientia sæpè fallit. Inter specifica etiam referunt sanguinem columbinum externè applicatum, item disparere dicuntur Verrucæ, si laventur liquore illo salso, qui in doliolis butyri saliti reperitur. Alii Verrucas cum frustulo lardi fricant, nonnulli cum Pisis, plures cum pomo Borsdorfiano in medium discisso, ad mentem Helmontii, quidam cum floribus Calendulæ, *Celeberrimus Wedelius* eas manu mortua tangi vult.

Emplastra etiam sæpè his in monticulis satisfaciunt, ut sunt de galban. *Mynf.* oppodeltoch, de Thea, vel Empl. ex cera cum tantillo Mercurii vel Vigonis cum quadruplo Mercurii. Sequens magnifacit *D. à Gulden-Klee*.

℞. *Gumm. Galban.* ℥ j.
Sal. Armoniaci ʒ j.
Picis naval. ℥ ß.
Empl. diachyl. magn. ℥ iij.
M. f. Empl.

Alii emplastrum ex resina, cera, de Tacamahac. auripigment. paratum commendant. Ungu. Saturni Camphor. maximè confert. Sæpè etiam excrescentiæ istæ Verrucosæ abiguntur instituta fortiori frictione cum stramine madidò. Sic etiam radice chelidonii fricentur hæc tubercula usque sanguis stillat, hinc aliquando arescunt deciduntque. Sed sæpè his non satisfacientibus ad fortiora accedendum est remedia, cui intentioni satisfaciunt ruptiora ex alcalibus parata, in quem finem imponendi sunt cineres clavellati, imprimis fraxini, item omnia ex sapone concinnata ruptoria laudant plures. Imò necessitate efflagitante ad corrosiva, transeundum est, ut sunt ærugo, alumen, præcipitatum rubrum, Antimonium crudum, spiritus vitrioli, Sulphuris, Salis, Nitri, Aceti Ad ipsam Aquam Fortem nonnulli audaciter nimis accedunt, item oleo Antimonii vel Butyro Antimonii prominentias has tangunt, & sic eas profligant, cautè tamen hisce incedendum esse suadeo, ne fibrillis nerveis ac tendinosis applicentur, aliàs præter dolorem immanem, inflammationem & gangrænam parti affectæ accersere possunt, magis mihi arridet linimentum *Timæi à Gulden-Klee* sequens.

℞. *Mell. rof.* ℥ j.
Spiritus Vitrioli ʒ i ß.
M.

Vel

℞. *Rad. Dracunc.*
Ari,
Cyclam.
Irid. aa. ʒ iij.
Fol. sabin. ʒ ß.
Sem. heliotrop. ʒ ij.
Sal. Armoniaci ʒ j.
Oxymelt. squill. q. s.

M. F. Unguentum, quo illinantur tumores hi Verrucosi, ol. Juniperi, de laterib. Sabinæ, spic. illinantur sæpiùs, dein abluantur aqua smegmatis Sunt, qui protuberantiis his ausu nimis temerario infigunt aciculam dein caput aciculæ ad flammam candelæ admovent, ut sub-

ut subcandeat, quo modo Verrucas urunt, quæ dein decidunt, remanente solùm parva excoriatione. Sunt etiam, qui crudeliier ferrum arripiunt, easque exscindunt.

Nostro judicio Verrucæ citò tutò ac jucundè curantur per Anabrochismum, dum filo sericeo vel pilo equino sensim ac sensim constringuntur ut arefiant ac decidant, locus verò atramento vel alio Vitriolico inungatur aliquoties, quo modo omnes ferè tollimus Verrucas.

Alii curam nescio quam Sympatheticam jactant, & solo contactu istas excrescentias abigi scribunt. Ex. gr. (prout testatur *Timæus à GuldenKlee*,) si internodia straminis secalini vel alterius frumenti singulis Verrucis fortiter imprimantur, postmodùm defodiantur in terram sub tecti alicujus stillicidio, putrescentibus internodiis, sensim contabescunt Verrucæ, quæ tandem emoriuntur ac disparent. Imò quot Authores, tot remedia Empirica, quæ verò vix satisfaciunt in Juniorum saltem gratiam unum & alterum apponamus.

Panarolus Myrmecias tangi vult sudore illo, qui emanat ex lignis quibuslibet, dum uruntur, semel vel bis de die tangendo.

Franciscus Peccetius serpentis exuvium tritum cum carne caricarum, rejectis granis, in formam Emplastri redactum vult, quod Verrucis imponatur.

Sebizius commendat pedes gallinæ, si sub prunis ponantur, donec excorientur, corio ab ossibus separato fricentur calidè ter aut quater de die Verrucæ.

Sennertus inquit, tolluntur Verrucæ, si cum nigella & urina fricentur sæpiùs, item si laventur cum liquore ex floribus Verbasci collecto, & cum floribus Verrucis apposito. Item decoctum ex Sinapi, Sulphure, & Sale paratum commendat: Item si folia sabinæ in vino macerata imponantur Verrucosis eminentiis. Laudat etiam aquam ex sarmentis vitium dum uruntur exudantem. Alii scyllam viridem, vel succum scyllæ impositum laudibus efferunt. Alii sanguinem leporis, item succum portulacæ commendant, sed quis omnia sæpè anilia recensebit?

Curatio Cornuum.

Quod Curam *Cornuum* attinet, hæc eò dirigenda est, ut materia ista condensata, & in duritiem adacta tophacea vel emolliatur, vel incidatur, vel planè auferatur, quem finem æquè per interna, quàm per externa obtinere debemus, varia ergò incidentia & sanguinem purificantia, & decocta sudorifera conducent, aliaque diaphoretica, quandoque etiam diuretica, cornua enim debent curari ut Lues Venerea, quia sunt instar tophorum Venereorum, hinc cornubus everrucandis commoda asserrimus Mercurialia aliaque, quæ primas eluunt vias. In ejusmodi tuberculis cornutis manuum & digitorum sequens præscripsit *Celeberrimus D. Schleiermaccher, Archiater Darmstadinus*.

℞. *Rad. enul.*
Cichor.
Cort. tamarisc. aa. ℥ i ß.
Herb. beton.
Ceterach.
Fumar.
Veronic. aa. P. j.
Fol. senn. el. & mund. ℥ iij.
Rhabarb. opt. ℨ j.
Agaric. alb. ℈ ij.
Sem. cartham. ℈ ij.
Cinnamom.
Zinzib. aa. gr. xv.
Incis. D. pro mulsa vel vino.

℞. *Tinct. Antimonii tartarisat.* ℈ ij.
Spir. C.C. essentif. ℈ j.
M. S. Mixtur.

℞. *Conser. borrag.*
Rad. enul. aa. ℥ ß.
Pulv. viperar. ℨ ß.
Corollior. rub. ppt.
Matris perl. aa. ℈ ß.
Syr. condit. cort. citr. q. s.
M. f. Elect.

℞. *Empl. de cicut.* ℥ j.
Gum. sagapen. ℨ ij.
Mercurii dulc. ℨ ß.
Ol. rutæ q. s.
M. F. Empl.
℞. *Ol. rutæ coct.* ℥ ß.

Pro inungendis cornubus. Certum est, purgantia Mercurialia & sudorifera Antimoniata egregiam sæpè præstare operam. Sequens proderit.

℞. *Confect. Hamec h* ℨ iij.
Mercurii dulc. gr. xv.
M. pro una vice.

Dein exhibeantur sudorifera & simul specifica, ut sunt Essent. lignor. spir. matrical. cum gumm. Guajac. Tinct. Antimonii Tinct. viperar. pulv. viperar. &c. Sunto formulæ.

℞. *Aq. fumar.*
Lignor. aa. ℥ ß.
Tinct. Antimonii tartaris ℈ j.
Essent. viper. ℈ ß.
Spir. matrical. ℨ j.
Sal. Guaiac. ℈ ß.
Syr. scord. s. ℥ ß.
M. detur bis vel ter in septiman.

Vel

℞. *Pulv. Anglic. nostr.* ℈ j.
D.

Vel

℞. *Pulv. viperar.* ℥ ij.
Mercurii dulc. ℈ j.
Ocul. cancr. ppt. ℨ j.
Sal. Sassafras ℨ i ß.
C. rob sambuc. q. s.
F. Condit.

Diuretica etiam hic maximi usus sunt, ut succi acres scindentes & tubulos effringentes per urinam eliminentur, in quem finem commendamus præ aliis Tincturam nostram Diureticam, aliaque alibi ad nauseam dicta.

Quibus internis simul jungenda sunt *Topica* Medicamenta, ut Cornua hæc emolliantur, & dein post emollitionem poros mutantia & paululum constringentia applicanda sunt remedia, ut succus nutritius exstillare ampliùs nequeat. Inter emollientia commendamus varia Cataplasmata, Epithemata, Emplastra, balnea & id genus alia ex chamomill. melilot. herb. & rad. emoll. sem. fœnigræc. lini, cumin. &c. parata. Empl. de Labdano, de Thea, &c. Dein poros immutantia & incidentia fortiterque resolventia applicanda sunt, inter quæ laudamus Empl. Vigon. cum quadruplo Mercurii, vel sequens:

℞. *Gum. Galban. c. spir. vin. solut. & iterum inspissat.* ℥ j.
Sal. gemmæ ℨ j.
Gumm. Ammoniaci ℥ ß.
Ceræ,
Resin. aa. q. s.
M. F. Emplastrum.

Emplastrum nostrum Mercuriale, quod paratur cum Sale Mercurii, egregium est per temporis spatium impositum. Tanquam specificum in Cornubus commendamus succum ex hederæ arboreæ trunco reciso exstillantem, & tuberculis cornutis illitum. Sunt, qui cineres ramorum vitis laudant applicatos, alii ex stercore ovino vel caprillo, cum lacte & caricis parant Cataplasma tepidè Cornubus imponendum. Alii aciculis pungunt Cornua, & sic ea disparere putant. Sequens proficuum erit sæpiùs applicatum.

℞. *Mercur. dulc.* ℨ ij.
Virid. æris ℨ i ß.
Mel. rosar. ℥ ß.
M. f. linimentum, quo ter vel quater calidè Cornua illinan-

illinantur, dein abluantur sequenti vel simili spiritu.

℞. *Spir. vin. Campb.* ℥ j.
Sal. Armoniaci c. calce viva parati ʒ j.
M.

Cum spir. matricali, Elixire vitæ, spir. lumbricor. balsamo Nervino sæpissimè fricanda sunt Cornua. Sunt qui sectionem suadent, sed cùm utplurimùm hæc Cornua ossibus insideant, & per consequens periostio aliisque membranis ac tendinibus adhæreant, maxima cautione utendum est, & perito Operatori committatur hæc operatio. Nonnulli fortissimis corrosivis Cornua aggrediuntur, eaque tangunt oleo antimonii, & sæpè usque ad os perveniunt, dein iterum more consueto vulnus sanant, sed etiam hæc periculum involvunt, ne fibrillis omnibus corrosis, vel sensus, vel motus membri pereat, vel gangræna sequatur partis.

Curatio Fungi. *Fungi* curatio difficilis est, eò enim strenuè incumbendum est, ut obstructiones reserentur, & evasatio succi nutritii ante omnia impediatur quod obtinere possumus, si particulæ acres scindentes ac corrodentes è succo nutritio eliminentur, in quem finem conducunt interna sudorifera, & pro re nata interna laxantia Mercurialia, aliaque, quæ supra in Cornubus recensuimus, chylus enim purificetur sequenti vel simili nodulo.

℞. *Rad. scabios.*
Enul. aa. ℥ ß.
Sarsaparill. ʒ iij.
Herb. scordii,
Fumar
Nummular.
Veronic.
Scolopendr.
Ceterach aa. M ß.
Flor. sambuc. P. ij.
Hyperic. P. j.
Ras. santal. citr. ʒ vj.
Sassafras ℥ ß.
Guajac. ʒ ij.
Cort. ejusd. ʒ iij.
Vitrioli Martis ʒ ij.
Sal. Tartari ʒ i ß.
Sem dauci ℥ ß.
M. pro mensura 1 ß. vini.

Dein exhibeantur Tinct. Antimonii Tartari. essent. viperar. essent. lignor. aliaque superiùs jam dicta. Chalybeata hic egregia sunt nodulo includenda, & potui ordinario indenda.

Cura Fungorum presertim externis Topicis peragitur. Thermæ hic præ aliis conducunt, in quem finem facilè Thermæ artificiales parari possunt. Sæpè etiam ad Ferrum accedendum, & exscindendus est Fungus in casu, ubi inclinat ad Cancrum, & cum hoc sit periculosum, pro partis affectæ ratione pulveribus acidum temperantibus incrementum ejus, quantum possibile, impediendum, in quem scopum conducunt omnes pulveres ex Sale Saturni, Camphora, Calce viva, Tutia, Lapide Calaminari, Mirrha, succino, Thure, C. C. ust. parati: spongiosis his tumoribus itē inspergi possunt Vitriolum Alumen ustum, vel pulv. ex aristoloch. rot. calam arom. caryoph. concinnatus: Applicentur etiam spiritus Matricalis, olibani, cum calce viva, imò instituantur varia suffumigia ex succino, herb. sabin. oliban. mastiche, &c. vel ex herbis sale volatili gaudentibus parentur fotus, Cataplasmata & calidè fungosis imponantur tumoribus. Nec negligenda sunt Emplastra optimè resolventia, ut sunt Empl. de Thea, divin. de Labdano, de ran. cum Mercurio & Vitriolo alb. parat. vel Cataplasma egregium ex cucumere asinino, Limac. rubr. coct. in vin. Gall. add. pulv. rad. Jalapp. & Bryon. s. q. Empl. de cicuta & de Cumino itidem conducunt. Frequenter tumores hi non deligandi, nec quod Chirurgis notandum, aperiendi sunt, hinc etiam à cauteriis abstinendum est, quare ab ejusmodi tumore improvidè aperto mors secuta est, uti patet ex *Obs. 63. Eph. Germ. Ann. 9. & 10.* in quibus etiam legere est quod sæpe excoriati cultro vel digito, vel ungue auferantur hi tumores & fungi Microcosmici.

CAPUT XIV.

De Cutis Nigredine, Furfuribus, Lentiginibus, Ephelidibus, Panno, Nævis maternis, Maculis Infantum Volaticis, & Maculis Hepaticis.

§. I. PUlchritudinis amans homo est, imprimis sexus sequior, qui potiùs mori amat, quàm deformis vivere. Etsi enim elogio *Isidori Pelusiotæ*, quod flos nunc splendidus, cras in nihilum redigitur, & quod hodie ignis est, cras in cinerem commutabitur, attamen nativus decor qui partium proportione, & colore homini præ reliquis obtigit sui conservatione gaudet, quis enim non se ipsum abhorreat; non dicam scabiosus, leprosus, Elephantiacus, sed vel minima deformitatis macula deturpatus? Quis Nevis defœdatam faciem publico exponere sine pudore sustinet, ubi ζωτικὸν faciei ἄνθος in nigrum plumbeum colorem mutatum, vel pluribus maculis interspersis contaminatum est. Tegere licet partes alias speculum verò corporis, faciem existimo, apertum esse debet. Nec sæpe tegere licet manus, brachium, collum, &c. quæ sæpè morborum & succorum in corpore peccantium indices & vitia, ut Cutis *Nigredo*, *Furfuratio*, *Lentigines*, *Ephelides*, *Nævi Materni*, & *Maculæ variæ* tum *Volaticæ* tum *Hepaticæ* dictæ, quæ omnia Cutis politum ebur deturpant, temporum gravitatem deiiciunt, & fastum, qui pulchræ huic parti inest, exuunt. Cutem ergo maculatam in pristinum nitorem præsentibus his paginis restituendam libido est.

Nigredo. *Nigredo cutis* est affectus, quo Cutis alba & florida, in subnigrum seu fuscum commutatur colorem, ex Cute hispida omnimodaque asperitate donata, obortus.

Furfures, Furfuratio, Porrigo. *Furfures*, seu *Furfuratio*, vel *Porrigo*, est Scabies sicca seu Furfuracea Cutis, ejus imprimis, quæ capitis est, pueris familiaris, à salinis & asperis succis producta. Nomen habent à Furfuribus tritici, *Klenen*.

Lentigo. *Lentigo*, Græcis φακὸς, aliis *Lenticula*, est affectus cutaneus, imprimis faciei; vel sunt Cutis maculæ modò ex flavo rubescentes, modò coloris fusci Lentibus colore & magnitudine similes, quibus in utroque sexu, in sequiore verò magis conspicuis facies, manus, brachia & pectus, ceu aeri & Solis radiis expositæ partes consperguntur, sine dolore & molestia productæ à particulis acido-fuliginosis in tubuls subtilissimis cutaneis ob coagulationem subsistentibus. Hinc à Solis radiis maculas has cognominant solares, Germanis *Sonnenflecken*.

Ephelis. Cum affectu prædicto ferè ad mentem quorundam coincidit *Ephelis*, quas maculas *BlanKardus* nominat *Sonnerflecken*. Sed Ephelis derivatur à Græco verbo Ἐφελὶς, h. e. aspredo & nigrities in facie. Hinc alii gravidis familiares esse has maculas existimant, quæ majores sunt, & post partum spontè evanescunt, quæ etiam sæpe virgines infestant circa os & labia, sed cessante mensium fluxu iterum evanescunt. Sunt etiam maculæ à Sole provocatæ, quas Græci ἐφήλιδας vocant ex *Critone*.

Pannus. *Pannus* notans *maculam* vel *nævum* in Cute sive ex lue Gallica, sive ex alio morbo maligno dependentem, est macula grandior palmæ interdum magnitudinis, coloris subflavi, vel rubicundi, vel fusci, vel subnigri in facie sæpius prodiens & sexum sequiorem deformans. *Germanis* dicuntur, *die Honigeflecken. Sonnenbrand.*

Nævi materni. Affines sunt his maculis etiam *Nævi materni* connati aliis Maculæ originales, vel Notæ infantum à Matre gravida tempore gestationis per imaginationem vel terrorem fortiorem impressæ & communicatæ. Germanicè dicuntur *die Muttermahler*. Maculæ hę in Infantibus

fantibus *duplices* observantur, sunt enim vel *protuberantes*, vel *planæ*, figura varia & colore diverso pro causæ varietate.

Maculæ Infantum Volaticæ. *Maculæ infantum Volaticæ* Germanis dicuntur *der Pflug*. Maculæ hæ sunt efflorescentiæ cutaneæ, seu exanthemata infantibus familiaria ex fermentatione succorum, & dein coagulatione in cutis tubulis obortæ. Affectus hic tum in causa, tum in cura cum Erysipelate planè convenit, vocatur etiam aliis *Zona*, Græcis σοϛρὸς.

Maculæ Hepaticæ. *Maculæ Hepaticæ*, Germanis *die LeberflecKen*, sunt efflorescentiæ cutaneæ, quandoque largæ, quæ sanguinis ac succorum acrimoniam, & inde evasationem cum aliqua coagulatione in tubulis cutis præsupponunt.

Pars affecta. §. 2. *Pars affecta* horum affectuum est Cutis, rete illud sanè mirabile, tot plurimis filamentis vasorum sanguiferorum, nerveorum, fibrarumque variè inter se complicatis contexta, quibus glandulæ numerosæ & lymphæ, ductus densissimè interponuntur. Tota enim Cutis cum rugis suis instar agri ab aratro sulcati, & dein cum ordinibus versis, seu potiùs obliquis occati, apparet enim ita ut plano suæ areæ supra sulcos utrique generis eminentes figuræ utplurimùm Rhomboidis existant, & juxta quod sulci isti cum rugis, sive areis, breviores ac minores, aut etiam profundiores ac majores fuerint, textura cutis delicata sive tenuis vel crassa, sive levidensis videtur. Hujus constitutio licèt plurimùm nativitati ac primogeniæ staminum ac humorùm concretioni ac coagulationi debeatur, ea tamen ob diversimoda vitæ insequentis accidentia multifariam alterari solet, quò pertinet victus crassior, labores duri, aer Boetianus, vide de his *BlanKardi Anat. Reformat.* Et cum Cutis variorum tubulorum & lymphaticorum, glandularum, arteriarum, venarum, nervorum textura sit, nulli mirum videri debet, hanc etiam variis maculis conspurcari posse.

Diagnosis. §. 3. Quod *signa* spectat *Diagnostica* Maculas has in apricum sistentia, ipsis non diutiùs inhæreamus, quia in oculos nostros incurrunt.

Cutis Nigredo ipsis patet oculis, nec signis aliis opus est, si enim cutis florida, & alba abeat in fuscam, statim deturpatur Cutis.

Furfures quoque ex furfuribus seu squamis utplurimùm in capite infantum productis cognoscuntur, cùm & decidentes in oculos incurrant.

Lentigines sunt maculę lentes colore ac magnitudine referentes, ex flavo rubescentes & fuscæ, emergunt utplurimum in facie, manibus atque nonnunquam in pectore; partes enim quę Solis radiis exponuntur, faciliùs maculis his infestantur, à calore enim Solis quasi coagulantur, & per totum sæpè perennant æstivum tempus, & magis tum temporis in conspectum veniunt, tempore verò hyberno aliquantulum disparent, facilè tamen repullulant, suntque his familiares, quibus rufi sunt pili, quibus etiam est cutis politior.

Ephelides verò majores sunt & prægnantibus, & quibus menses obstructi sunt, facilè obveniunt, & post partum, & post mensium fluxum evanescunt, circa os & labia aliasque corporis partes apparent.

Maculæ originales sive *Nævi Materni* facilè cognoscuntur, cùm à nativitate nostris apparent oculis, qui nævi pro imaginationis, vel cupidinis, vel terroris matris varietate variant, referunt enim modò cerasum rubrum, modò mora, modò murem bilosum, vel testudinem, vel sexcenta alia, quæ hic recensere nimium foret. Nevi vel plani conspiciuntur, nonnunquam verò elevati. Color etiam Nevorum maximè variat, modò cœruleus, modò flavus, modò rutilus existit. Virgo hic degit, cujus faciem ferè totam rutilus occupat color, à matre gravida incendium subitò advertente, atque ex terrore faciem suam contrectante ei impressus.

Maculæ Volaticæ Infantibus familiares sunt, quæ modò apparent, modò disparent, sunt parva stigmata in Cute nostra quæ ferè cum Erysipelate conveniunt, discrimen in eo tantùm consistere videtur, quòd Erysipelas in uno loco plerumque persistat: in volatica autem rubor priorem locum deserit, ulteriùs tamen progreditur locaque vicina invadit.

Maculæ Hepaticæ sunt majores in ambitu, & hinc inde per totum corpus in brachio, in pectore, in collo, &c. dispersæ apparent, & aliquando pruritum excitant Cutem asperam reddentes, ubivis enim vagantur.

Galenicorū opinio de causa Nigredinis. §. 4. Nunc *causas*, & primò ex veterum *Galenicorum* mente, harum macularum videamus, qui *Nigredinem* Cutis ab humore atrabilario summam cutem inficiente oboriri censet.

Furfurum. *Furfures* ex crassis lentisque corruptis humoribus gigni, aut in toto corpore, aut in solo capite, pro exuberantium humorum loco, contendunt. Alii à pituita, salsa, aut humore bilioso, aut atrabilario sanguine Furfures fieri autumant.

Lētiginum & Ephelidū. *Lentigines ac Ephelides à sole* provocari ajunt, à cujus calore humores in Cute subsistentes, quasi aduruntur.

Panni & Naui Materni. *Pannum* seu Maculam fuscam Veteres ad Nævum referunt maternum, eosque deducunt ab imaginatione matris, licet veram ejus ortus rationem sufficienter nequeant explicare.

Macularū Infantium Volaticarum & Hepaticarum. *Macularum Infantium Volaticarum*, ac *Hepaticarum* causam frequentiorem statuunt sanguinem biliosum adustum Cuticulam occupantem, & ibidem in humorem melancholicum degenerantem, *Hepaticas* verò ab Hepate produci ajunt, sanguinem reddente calidiorem.

Paracelsi judicium de causa cutis Nigredinis ac Furfurū. §. 5. *Paracelsus Cutis Nigredinem* à sale, & *Furfures*, ex cruoribus resolutis, quibus accessit alumen minerale scissum, provenire ait.

Lentigines ex cholera vel ex cælibatu nasci negat Author, verùm liquoris Mercurii esse dicit, ubi liquor Mercurii fuerit, qui vergat in sui regenerationem, tum enim oriri Lentigines contendit.

Nævorum. *Nævos* verò ab imaginatione matris provenire ait, à qua astra interiora citissimè commoveantur, ut fœtui hæc vel illa macula imprimatur, pro varietate rei externè obvenientis, & imaginationem turbantis: per matris imaginationem, conceptum, vel ad aliquam rem appetitum habentis, aut præ timore vel incusso metu, quę Macularum ejusmodi causa sunt.

Panni. *Pannum Paracelsus* ex colore emortuo produci statuit, quicquid enim ex coloribus moritur in corpore juxta ipsum fixum manet. Cùm enim infans ex utero matris suæ maculam aliquam luteam, ceruleam, aut nigram attulerit, Pannum esse judicat.

Macularū. *Maculas Infantum Volaticas & Hepaticas* à fluore menstrui oboriri contendit.

Helmontii de causis horūm affectuum opinio. §. 6. *Helmontii* secundùm Principia *causa Cutis Nigredinis*, *Furfurum*, *Lentiginum*, *Ephelidum*, *Panni*, *Nævorum Maternorum*, *Macularum Infantum Volaticarum*, atque *Macularum Hepaticarum* ab impuritatibus sextæ digestionis relictis, & transvolationi ineptis deduci potest, sæpe etiam ab imaginatione matris perturbata alimentum fœtus, ei ut ramulus arbori inserti, inficiente.

Vuillisii ratiocinium de causa Nigredinis. §. 7. *Nigredinis Cutis* causam esse opinato *Vuillisius* bilem atram & adustam in sanguine luxuriantem, vel ob impeditam ejus in Hepate secretionem, vel ob abundantiorem ejus ac velociorem in cruoris massa generationem; quæ per arteriolas ad superficiem advecta sub cute ob visciditatem suam retinetur. Bilis enim nigrum istum consequitur colorem, quando scilicet aquosioribus ejus particulis tenuioribusque sulphureis à magna ebullitione dissipatis, salinæ summa rerum potiuntur, crassioraque sulphura residua coagulant. Quum autem sulphurei isti grumuli nullum inter se ordinem servent, & ita sint dispositi, ut ampla adsint inter ipsos interstitia, radii incidentes ab istis cavernulis demerguntur nec denuò reflectuntur.

Furfurum. *Furfures* excitari putat à seroso humore à glandulis cutaneis è sanguine secreto, & per poros evaporari solito, salibus paulò acrioribus crassioribusque impregnato, liquor enim iste serosus ad cuticulæ poros perveniens eosque angustiores, quàm ut particulis ipsis scabris majoremque molem obtinentibus exitum præbeant, reperiens, salinarum particularum, quas possidet, spiculis Cutem ac Cuticulam discindit, & in laminulas Furfurum instar dissecat.

Ephelidum. *Ephelides* deducit à tenuiori humoris biliosi portione,

ne, vi Solis illam attenuantis, quæ evaporari incipiens in Cutis superficie aut Cuticulæ, quam pertransire nequit, concavo defigitur.

Lentiginum

Quum etiam *Lentigines* secundùm Authorem nostrum parùm aut nihil ab *Ephelidibus* differant, illas ab eadem causa produci statuit.

Nævorum Maternorũ.

Nævos Maternos in fœtibus imprimi dicit, quando scilicet gravida mulier objectum quoddam fortuitò percipit, ipsiusque possidendi vehementissimo de repente ardet desiderio: tum temporis autem hoc objecto in retinæ fundo depicto, illius imago statim ad sensorium commune per spiritus animales nervos opticos incolentes convehitur: ab istis verò commoti spiritus in corporibus striatis hospitantes ad apendicem nervosum confluunt, & per eum in partes deferuntur, ac per fibras nerveas vasis sanguiferis implantatas cruoris massam subeunt, & cum ipsa ad uterum pergunt; ipsi itaque cum materno sanguine commixti, & per vasa umbilicalia ad fœtum usque penetrantes, atque ad illius cerebrum tandem pervenientes, spiritibus in eo fabrefactis characterem in cerebro interno susceptum communicant. Hi autem majore motu perciti sanguinem fœtus vehementiùs exagitant ac rarefaciunt, & in laxiorem quandam eum copiosiùs, quàm par est, propellunt. Liquor verò nervosus objecti à matrè percepti, à spiritibus animalibus imaginem mutuatus, sanguinem majori abundantia, quàm ad partem nutriendam requiratur, offendens, illum commutat in substantiam ejusdem penè figuræ, cujus erat objectum matris cerebro repræsentatum.

Macularum Infantum volatilicarũ

Vvillisius censet *Maculas Infantum Volaticas* progigni à quibusdam sanguinis grumulis à sale acido coagulatis, & in arctioribus Vasculorum orificiis hærentibus. Infantum enim Ventriculi fermentum quandoque vel à phlegmatis in ejus cavitate residuis obvolutum, aut satis robustum non existens, lacti vel pulti ritè concoquendis non sufficit. Salinæ ergò illorum particulæ rectè non explicatæ, & nullatenus volatilisatæ, ac cum chylo in sanguineam massam delatæ coagulationes in ipsa efficiunt; quæ cum ejus massa per totum corpus circulantes, & ad superficiem pervenientes, & in tenuioribus ejus vasculis, quæ ob molem transcurrere nequeunt, cæspitant, eaque obturant, & rubras aut purpureas Maculas excitant, pristinum suum colorem servantes.

Macularum Hepaticarum.

Maculas Hepaticas provenire arbitratur à quibusdam biliosis particulis in hepate à sanguine nō separatis: quę cruoris massæ iterum admixtæ ad glandulas miliares par arteriolas deportantur, à quibus cum sero à sanguine segregantur. Quum verò evaporationi penitùs inhabiles sint tales fęculentiæ, serò foràs per cutis foramina prorumpente, illę sub cuticula remanent, cutemque, cui insperguntur, deleedant & conspurcant.

Sylvii opinio de causis horum affectuum.

§. 8. *Sylvius* Cutis *Nigredinis* causam dicit esse, quando sc. humores quidam crassi sanguini admisti, & ad corporis superficiem propulsi, ut excernantur, sub cuticula hærent, ipsamque colore subnigro inficiunt.

Furfures verò, *Lentigines*, & *Ephelides* oboriri ab acido humore in Cute coagulante, & quasi mortificante; sic quoque ab acrimonia salina lixiva in Cute sæpe mortificationem fieri statuit, quemadmodum in gangræna & maculis gangrænosis. Maculas ab acido productas ad ruborem inclinare ait, atras verò ab acrimonia dependere salina lixiva haud dubitat.

Nævos verò Maternos fœtui imprimi ait ab imaginatione matris, quia mater & fœtus sibi arctè sint uniti, & fœtus à matre facilè aliquid patiatur, sicque nota rei imaginationem graviter occupantis imprimatur.

Macularum Infantum Volaticarum ac Hepaticarum causam corruptioni humorum attribuit, qui corrupti è massa sanguinea ad Cutem depulsi varias producunt Maculas.

Cartesianorum sententia de causa Nigredinis.

§. 9. *Cartesiani* pororum Cutis certæ dispositioni *Nigredinis* adscribunt causam, videlicet eorundem dilatationi & fibrarum cutanearum relaxationi, unde fiat, ut radii luminares in talem incidentes Cutem non reflectantur aut refrangantur, sed profundiùs recepti suffocentur, & motus eorum intercipiatur ac sistatur, prout pila, quamvis fortissimè è manu projiciatur, in parietem tamen molliorem, uti est ille, qui linteo, reti, vel panno obducitur, incidit, nullatenus resilire soleat, sed omni sua vi privata à motu cesset, corpori illi molli eo omni communicato. Hanc verò pororum dilatationem Cuti obtingere volunt ab æstu externo Solis succos cutaneos ad externam superficiem allicientis, qui dum frequentiùs evaporantur, & particulæ quædam asperiores iisdem sunt immistæ, pori, per quos frequentior iste contingit transitus, distenduntur, ampliantur, & fibræ nonullæ eroduntur, quarum extremitates in superficie variè reflexæ, extensæ, distortæ, connexæ, vel dilatatæ majorem iis conciliant profunditatem, & numerum eorum augent. Sordities etiam Cuti diutiùs adhærentes particulis suis asperioribus acutis fibras cutaneas erodere & diffringere posse ajunt, ut hac ratione pori magis amplientur, ut iis obveniat, qui fortioribus & ejusmodi laboribus assiduò occupentur, inter quos magnus excitetur pulvis, qui Cutem externam ambiens, & cum sudore se miscens, cutem modo jam dicto afficiat, vel qui ex incuria rariùs se lavare consueverint. In Africa cùm Solis calor homines nudos continuò assare soleat, & liquores ex ductibus suis ad superficiem externam prolicere, homines ibi etiam existere norunt nigerrimos Æthiopum nomine cognitos.

Furfurum.

Furfures cutis excitari putant à particulis quibusdam acido-salsis è lympha ad Cutem rejectis, eandemque erodentibus, ut succi exstillent, qui incrassati aut coagulati in squamulas condensantur, post scalptionem facilè è Cute decidentes. In capite Furfures istos copiosiores quandoque colligi credunt, quoniam ob impeditam aliqualiter transpirationem attenuati succi circa pilorum radices subsistere coacti inspissentur, & per coagulationem incrassati floccorum instar dissoluti depluant.

Lentiginum.

Lentigines à succis oriri censent per tubulos cutaneos exstillantibus, & sub cuticula coagulatis, quam distendentes in altum elevent, & diuturniore sua stagnatione, &, quam ductibus inferunt, obstructione moleculam coloratam referant, tam citò non dissipabilem, quòd similibus particulis à tergo sequentibus assiduò substentetur. Fusum illum, quo præditæ sunt, colorem à majori etiam deducunt pororum cutaneorum prolongatione, ob quam radii luminares aliqualem patiantur suffocationem, & quum spissiores sint succi hi, quàm ut tam citò resolvi possint, propterea obstructionem hanc non referari, sed maculas hasce diu conspicuas manere asserunt.

Ephelidum.

Ephelides autem à succis quidem istiusmodi à Solis vel ætheris subtilioris fortiori in fibras cutaneas agitatione ad superficiem prolectis, & ibidem coagulatis produci existimant, sed quùm succi isti non adeò sint incrassati & spissi, hinc si cesset externa illa Solis vel ætheris actio, eosdem facilè resolvi & per ductus convenientes in lympham & massam liquorum omnium communem refluere docent, quapropter & tempore autumnali, aut dum homines diutius sub umbra degunt, maculæ hæ dispareant, Cute pristinum suum recuperante colorem.

Panni & Nævorum Maternorũ.

Panni, aliorumque *Nævorum maternorum* causam imaginationi adscribunt fortiori gravidæ, objecto cuidam desiderato cogitatione sua diutiùs, & per exstasin quandam inhærentis, vel ex terrore quodam vehementiùs commotæ, quare spiritus ejusdem validùs excitati impetu quodam totam non modò propriam percurrant machinam, sed ad ipsum etiam ei implantatum pertingant fœtum, & in ejusdem simili membro, quod in proprio corpore attingit mater, fibras ità diducat, ut tubuli dilatati sanguinem aliosque succos majori admittant in copia, qui per coagulationem ibidem stagnantes pro diversa configuratione, quam spiritus secundùm corpoream illam ideam, quam mater ex conspecto externo objecto concepit, determinarunt, varias exhibeant maculas & picturas, quin etiam prominentias & imagines certas quasdam animalium aut fructuum species distinctè satis referentes.

Macularum volaticarũ

Ex particulis quibusdam angularibus acidis lym-

phæ, in extremis tubulis hærentibus, & obstructionem quandam inflammatoriam inducentibus, *Maculas* dicunt infantum oriri *Volaticas*, quæ particulæ cùm non adeò existant rigidæ, sed à novis alluentibus succis superari, flecti & moveri possint, aut per dilatatos poros cutaneos eas dissipari & exhalari credunt, aut cum lympha refluente per consuetos poros aliò deferri, unde in prioribus partibus dispareant, & quando similes particulæ in aliam corporis regionem cum lympha ferantur, in iisdem maculæ tales denuò conspiciantur.

Macularum Hepaticarum.

Fieri etiam interdum dicunt, ut plures tubuli & glandulę in Cute à succo crassiore obstruantur, & lympha multis particulis acutangulis, sive acidis referta magna copia inter cutem & cuticulam effundatur, quæ per poros transitum non reperiens, sed ibidem stagnans *Maculas* præbeat *Hepaticas* dictas, quòd Veteres ab hepate humores biliosos in partes transfundi crediderint, unde maculæ istæ oboriantur: quam tamen opinionem veritati nullatenus congruere asserunt, sed liquori acido in lympha existenti potiùs earundem originem adscribendam esse, easque post febres sæpe conspici, quod absumptis particulis subtilioribus, crassiores & acidiores lymphæ remaneant, quæ cessante motu sanguinis vehementiore magis, quàm antè, coagulentur.

Nostrum judicium de causa Nigredinis.

§. 10. *Nigredinis* Cutis causam Nos in Cute ferè hispida omnimodaque asperitate donata, ponimus, pro diversitate enim partium commixtarum, poros Cutis vel superficiem asperiorem reddentium & distorquentium & radios suffocantium, Assensum præbere jubet pannus sericeus niger, (*Sammet*) cujus exigua filamenta sericea, è quibus constat, ferè hispida sunt, ideòque inter omnia maximè niger apparet. Corpora enim cuncta nigerrima sunt, quæ exstinguunt luminis motum, ejusque radios suffocant. Ut album nigro opponitur, ita opposita albedinis & nigredinis est ratio, etenim majorem porositatem in corporibus nigredo requirit, ut ita microscopia indefinitos in nigris corporibus poros detegunt, quorum in una serie carbo unius digiti millenarium interdum excedit. Quæ etiam ratio videtur esse, cur nigra cæteris paribus læviora albis sunt. Nigra ergò non reflectunt foras, sed suffocant potiùs radios, hinc certum est, corpora alba visum lassare, nigra autem lassitudinem solvere. Nunquam enim album in oculos incurrit, quin simul admittatur impressio multorum radiorum, à quibus visus fatigatur, cùm nigrum videatur, ubi nulli recipiuntur radii, quod fatigationem tollit. Quoad ergò poros majores, in quibus plerisque radices pilorum consitæ sunt, & per interstitia ex utroque latere cujusque rugæ cutaneæ ordine parallelo disponuntur, vel minores, quorum innumeri spatia cuncta pluribus interjecta quasi punctis creberrimis adimplent. Ut ergò Cutis magis polita alba & nitida evadat, plurimùm interest poros ejus omnes succo benigno dulci ac oleoso impleri, ita namque dum meatus omnes pleni ac tensi fiunt, totius Cutis planities lævissima apparet: attamen si humor vitiosus poris istis suppeditatur, aut qui insuit benignus, nimis exhauritur, Cutis proinde aspera, rugosa ac nigra fiet. Sic victus crassior, labores duri, aeris inclementia, ac imprimis caloris ac frigoris excessus, Cutim asperiorem nigrioremque etiam, è contrà educatio mollis & delicata, tenorem ac texturam magis subtilem læviorem ac politam reddunt.

Furfurationis.

Furfuratio eodem modo, ac suprà de Scabie dictum est oritur, glandulis scilicet & tubulis lymphaticis & subcutaneis obstructis & erosis variæ generantur Maculæ & Pustulæ, quæ prout diversa est sanguinis ac succorum intemperies, ipsius Cutis diversa textura, laxior vel constrictior etiam pro eorum minimis diversitatibus ratione, siccitatis, humiditatis acredinisque majoris, figuræ magnitudinis, vel quatenus cum aliis morbis conjunguntur. Certum enim est, *Furfurationis* causam esse plurimas particulas salinas accedente acido in Cutem delatas, & in squamas & furfures per coagulationem degenerantes.

Lentiginum

Absque erosione Cutis deturpantur sæpe artus plurimis Maculis, utpote *Lentiginibus*, quæ potissimùm æstate accidunt, cute rariori textura à nativitate donata existente, dum subtili æthere plures aliquando particulæ à crassioribus avelluntur, & cum exhalationibus reliquis ad superficiem machinæ corporeæ delatæ, non ita ritè poros permeant, sed inibi hærentes & per æstatem novis semper insequentibus sustentatæ, tales maculas producunt.

Lentiginum ergò origo, & aliarum macularum sanguinis aliorumque succorum corruptioni & stagnationi debetur, omnes enim maculæ, sive sint flavæ, sive rubræ, sive fuscæ, nil aliud sunt, quàm in tubulis Cutis coagulati & stagnantes succi. Solis quoque calor multùm ad humorum in tubulis existentium concretionem conferre potest, quatenus volatiles, mites ac oleosi avolant, & reliqui magis exsiccati ac inepti retinentur, hinc *Lentigines* foramina quoque pilosa, quæ & sudatoria dicuntur, ob transpirationis beneficium (tempore æstivo præsertim) effluvia copiosiora continuò emittunt, quare majora semper illa ac potentiora videntur; sin verò à frigidiusculo aere externo hæc subitò occludi contigerit, vapores intus coerciti Cutim circa eruptionum loca undique inflant ac in moleculas seu maculas attollunt. Certum enim est, quòd succi vitiosi quidam in subtili cuticula coagulantur, & per cuticulam transparent, & sic formam macularum talium repræsentant.

Tempore autumnali cùm Sol non admodum ardeat, hinc coagulatæ & inspissatæ sensim ac sensim influente mitiore æthere attenuantur & educuntur, hinc Cutis pristinam recuperat formam. Maculas ferè omnes ab obstructis ac erosis vasis capillaribus enascuntur, quando scilicet sanguis ac reliqui succi evalantur, particulæ volatiles volant, relictis crassioribus, quæ ob lentorem non tam ritè progredi possunt, sed in ambitu corporis (ceu littore Microcosmico, quod alluit sanguinis unda) extravasatæ & fixæ hærent, prout nunc sanguis magis magisque ab indole sua degener factus, ejusq; crasis vehementiùs vel mitiùs destructa fuerit, sic quoque diversæ macularum apparitiones variabunt. Rubræ si appareant, signum est sanguinem non usque adeò corruptum esse, unde rubore adhucdum suffusæ sunt. Sin lividæ appareant, majorem sanguinis ac succorum corruptelam innuunt, pessimæ verò omnium notæ existunt nigræ, quæ summum sanguinis statum putrilaginosum, & ad nigredinem vergentem indicant, & maculę hæ sunt superficiei Cutis mortificationes Sphacelo haud absimiles.

Ephelidum.

Ephelides itidem exoriuntur ex coagulatione sub Cute stagnantium succorum, imprimis ab obstructione mensium obortæ, hæ enim maculæ sub vel in Cute generantur, exinde, quia sanguis fit crassior & minùs mobilis, adeoque facilè in superficie corporis hærent, sunt & sæpè fermenta quædam vel acida minutissima, quæ in hisce cutaneis porulis latentes humores præcipitant coagulantque, ita ut ampliùs suum circulum continuare nequeant. Et quod Ephelides in gravidis stagnantibus mensibus aliisque oboriuntur, & dein fluentibus lochiis mensibusque iterum evanescunt, hinc facilè causa Ephelidum erui potest.

Nævorum.

Nævorum causa primaria est coagulatio varia succorum, in Cutis tubulis facta à fortiori imaginatione vel terrore matris uteri materni claustris adhuc incluso fœtui impressa, à qua perversa imaginatione, & improviso terrore ejusmodi stigmata tenellulis embryonibus imprimi solent. Experientia enim constat, quòd si gravidæ vehementi aliqua animi passione aliquid appetant, ejus signum fętui in uteri claustris adhuc contento imprimi; ità si quæ gravida tempore quodam, summo & insatiabili desiderio appetiverit fructus, vel cerasa, vel mora, vel pyra, &c, si sui compos fieri nequeat, tunc horum fructuum imaginem imprimet isti parti fœtus, quam mater in suo proprio corpore attigerit inanimadvertenter, cùm magnò percellebatur horrore. Sic si de improviso pyrum vel prunum decidat in gravidæ caput, & fuerit inde perterrefacta, & caput tetigerit, infans post nativitatem talem fructus iconem exhibebit. Difficillimi hujus problematis causam reddere hoc opus hic labor est: si verò cogitemus, quòd corpus nostrum

ſtrum ſit ubivis permeabile, & quidem ad momentum fulminis inſtar, ita ut ſpiritus animales undequaque admittat, quia fibrillæ capillares & minutiſſimæ adſunt & inſerviunt pro ipſorum canaliculis, ſi igitur jam gravida magno teneatur deſiderio alicujus fructus, vel etiam ſummo terrore percutiatur, facilè nobis perſuademus, animam hiſce unicè eſſe intentam, & haſce fructuum imagines ita conjungere cum ſpiritibus animalibus per totum corpus diffuſis, adeoque ipſum uterum permeantibus, ut illæ imagines nullo negotio imprimi poſſint tenello corpuſculo fœtus intrà contenti; obſervamus enim haſce figurarum ſignaturas non niſi geſtationis menſibus fœtui communicari à matre. Ratio autem, cur in corpore matris non ſequatur idem effectus, hæc eſt, quia illud eſt nimis ſolidum, & durum, adeoque inſtar terræ mortuę ſigillum reſpicit, cujus tamen impreſſionem facilè recipit molle fętus corpuſculum, quod inſtar ceræ mollioris flecti poteſt: cur autem iſta imago præcisè imprimatur illi fœtus parti, quam mater in proprio corpore tetigit, ratio hæc eſt, quod anima eo tempore nullius ampliùs motus eſt conſcia, quàm tantùm illius, quo mater certam ſui corporis partem contrectavit, unde etiam huic unicè inhærens, ei junxit iſtam imaginem hujus vel illius fructus ardenter deſiderati, vel animalis cujuſdam; ſed cùm hæc ſpirituum determinatio ad hanc partem matris radiavit ad ipſum uterum, factum eſt, ut etiam tenderet ad ſimile membrum fœtus, eique ſuam imaginem imprimeret, ut egregiè diſſerit *Celeberr. D. Craan*, *Amicus meus*, *dum viveret*, *ſingularis*. Facilè etiam hic effectus oboriri poteſt, ſi gravidæ obvius factus eſt de improviſo vel mus vel aranea, vel rana, vel bufo, &c. & ubi mulieres prægnantes ſe tangunt, ibi ſtigma apparet. Quomodo verò impreſſio hæc fiat, non dubitandum, ab ipſis ſpiritibus animalibus id contingere. ſi enim gravidæ ob cauſam aliquam terrore afficiuntur, hinc ſolent in loco, quem manu tangunt, fibrillæ infantum etiam ſimul commoveri, ut majorem ſanguinis quantitatem admittant, quàm aliàs ſolenne eſt, hinc illæ extenduntur, majores redduntur, & per conſequens rubicundiores, quod ſi diu durat, manet macula rubra, hinc rubor modò in facie, modò in oculo, modò in dimidia facie, modò aliis in partibus apparet.

Macularum voldticarũ.

Macularum Volaticarum cauſa ferè eadem eſt ac *Eryſipelatis*, lympha enim in volatica eſt ſubtilior acrior in extremis Cutis tubulis ſtagnans; humores enim acriores ac mordaciores vaſa minutiſſima capillaria ſubcutanea facilè corrodere poſſunt, evaſati humores quoad particulas volatiles ac ſubtiliores abeunt in auras, relictis in Cutis tubulis craſſioribus ſtagnantibus, maculaſque tales in infantum tenellorum Cute excitantibus.

Macularum Hepaticarum.

Ubi contigerit, ut vel propter abundantiam particularum craſſarum ſalinarum, vel acidarum magis vel minùs corroſivarum in toto ſanguine, vel humoribus exiſtentibus, vel propter præcipitationem fortuitam, alio quodam à fermento inductam fiat obſtructio, ab ea diverſi generis oriuntur maculæ, & ſic etiam *Maculæ Hepaticæ* dictæ, & hìc non ad hepar inſons reſpiciendum eſt, ſed obſervanda venit tàm intemperies ſanguinis, prout enim illa variat, ita & ipſæ maculæ colore variare poſſunt: quàm læſio tubulorum, prout plures vel pauciores, majores vel minores affecti ſunt, macula erit major, ſi occupat tubulos laxioris texturæ, hinc dilatationem facilè admittunt, & cùm humor etiam fuerit viſcoſior, i. e. pluribus particulis ramoſis & chyloſis conſperſus, major fit congeſtio & ſtagnatio.

Prognoſis Nigredinis & reliquarum Cutis Macularũ.

§. 11. Quod *Prognoſin* Macularum Cutis concernit, Cutis *Nigredo* à nativitate vix emendabilis erit, juxta ſacrum Codicem, *Jeremiæ c.13. v.23.* Nunquid mutabit æthiops pellem ſuam, & Pardus maculas? Aſt cùm à morbo vel ſorditie ſuccorum ad Cutem depoſita oriatur *Nigredo* iſta aliquomodo corrigi poteſt.

Reliquarum macularum, ut *Lentiginum*, *Ephelidum*, &c. curatio licet ex ſe non ſit neceſſaria, à pleriſque tamen magis, quàm vel alius graviſſimi morbi, expeti ſolet. Maculæ enim hæ ſunt curatu difficillimæ, & ſæpè, me judice, incurabiles.

Quod Nævorum *Prognoſin* attinet, Veteres Phyſiognomici, imprimis *Cardanus* aliique recentiores, *Nævos* ejuſmodi Verrucarios læva faciei parte infauſtos plenis pronunciaverunt buccis, violentoſque exitus portendere crediderunt, quod licet vaniſſimum, Romanis tamen quoq; Veteribus ad ſuperſtitionem promptiſſimis receptum fuiſſe, ex ipſo Cicerone patet, qui Piſoni morum fœditatem objiciens, non *piloſæ*, ajebat, genæ deceperunt me, nec *vultus totus*. Nævorum igitur curatio quamvis non ſit neceſſaria, à pluribus tamen ob turpitudinem deſideratur. Difficillimè in infantibus & rariùs vel nunquam in adultis curantur, niſi corroſivis & fortioribus remediis, quæ etiam non ſemper ſatisfaciunt.

In *Maculis* Infantum *Volaticis* refert *Sennertus*, ſi maculæ illæ orificium aliquod, os puta, nares, oculos, aures, nates attigerint, & eò uſque penetrarint, malum lethale eſſe, quod tamen nos nondum obſervare potuimus, ſed licèt tumor igni ſuo totam faciem, labia, nares, oculos & aures occupaverit, morbi tamen lætum eventum ſubſecutum vidimus.

Maculæ Hepaticæ ſæpe ſpontè abeunt, ſæpè etiam difficulter curantur, facilèque recurrunt, nihil præter Cutis defœdationem inferentes.

Diæta hi[c] maculis hiſce obſer[-]vanda.

§. 12. In externis minimis affectibus etiam *Diætæ* ratio habenda eſt. Aeris enim conſtitutio diverſa diverſos in Cute colores producere poſſe teſtantur variæ nationes: hinc Galli nigriores ſunt, quàm Angli, aut Dani, aut Germani, ubi enim Aer magis temperatus eſt, quàm nimis calidus vel frigidus exiſtit, colore etiam incolæ præditi gratiore & ſplendidiore. Solis enim ęſtui expoſita Cutis alba facilè in nigriorem abit, prout videmus in ruſticis qui ruri habitant, à quo etiam mulieres formoſę ſe optime munire norunt larvis *Maſque* dictis. Huc etiam pertinet victus, qui ſit tenuis, blandus, boni ſucci, vitetur craſſior, acidior ac ſalſior, qualis enim chylus, talis Cutis; educatio enim mollis, & delicata reddit Cutim, ſubtilem, læviorem ac politam; imprimis verò potus calidus conducet, cereviſia herbis ac radicibus ſanguinem purificantibus maritetur, ut ſunt rad. gram. bellid. caryophyll. lign. ſantali citr. chin. &c. præ aliis commendamus puellis & virginibus, ut & fœminis pulchritudini ſtudentibus potum Caffeæ & Theæ, qui juxta verſus Germanicos ſequentes omnis generis maculas abſtergit mundificatque.

Flecken, Finnen, Eyterbeulen,
Kupffer-Naſen und Geſicht,
Da der Vuein mit Machtauſsbricht
Vuilſtu auſs dem Grunde heilen,
Recipe
Edlen Thee,
Dervvird vom Geſicht und Naſen,
Solchen Unflat bald vvegblaſen.

Delicatulæ etiam haud nimiis vigiliis, item motibus nimiis incumbant, & imprimis eo annitantur, ut excernenda conſueto exeant tempore, atque ſummoperè animi pathemata vehementiora fugiant, & iram, mœrorem, ſollicitudines omni ſtudio vitent, &, quod aſteriſco notandum, abſtineant à Mercurialibus coſmeticis.

Galenicorum modus curandi Nigredinem.

§. 13. Hiſce deductis ad *Curam Chirurgicam ac Pharmaceuticam* nos conferamus, & priùs Veteres *Galenicos* de Cura harum Macularum audiamus, qui ad nigredinem Cutis commendant farinam fabarum, cum ſucco interiore peponis mixtam, & in trochiſcos octo reductam, & tres ex his imponunt aquæ & illinunt Cutem. Herbam quoque Rhodiam ex aceto tritam inlinunt & ſiccescere permittunt, atque ita eluunt. Vel recipiunt Iridis contritæ, farinæ ptiſanæ, farinę fabacęę, cujuſque ſextarium unum & dimidium ſalis ammoniaci, C. C. uſt. ammoniaci thymiamatis, cujuſque ſextantem, in aqua diſſolvunt & paſtillos efformant, quos in umbra exiccatos adſervant, atque uſus tempore in aqua reſolutos illinunt: vel farinæ ptiſanæ, thuris, iridis, farinæ fabarum, farinæ ervi,

ervi, spumæ nitri, costi, cujusque chænicis partem quartam, amygdalas amaras N. xx. informant cum candido ovorum & lacte asinino, exsiccant in umbra ac utuntur. Aliud multo usu exploratum dicunt, Thuris sesquiunciam, cerussæ probè lotæ, spumæ argenti in decocto cicerum alborum ad Solem frequenter ablutæ, amyli recentis, scobis marmoris albissimi, mastiches puræ, spumæ nitri albentis, testar. sepiæ sing. ℥j. saponis Gallici ℥xij. candid. ovor. n. x. M. Sequens fuisse Cleopatræ dicunt Reginæ odoratum & pretiosum: ℞. Costi, myrrhæ Trogloditicæ, iridis, spicæ nardi, amomi, folii malabathri, cassiæ, floris junci odorati aa. ℥j. Myrobolan ℔iv. spumæ nitr. ℔j. Contund. cribr. & utere. Cutis nigredinem emendant per ea, quæ modicè detergent, qualia ptisana, aphronitrum, amygdalæ amaræ, &c.

Furfures.

Furfurum curationem sic peragunt; evacuant totum corpus imprimis melanagogo. Dein cimoliam aquæ præmadefactam ad betæ succum admiscent, illinunt & donec resiccetur, sinunt: deinde abluunt, & thus cum vino ac oleo terunt ac illinunt: postridie verò staphidem sylvestrem cum oleo illinunt; sequentem etiam commendant formulam.

℞. Nitri,
Fæcis vini ustæ,
Myrobal. aa. ℔j.
Staphidis sylv. ℔ß.
Vino dissoluta parti affecta affricant.

Verùm ad humidiores porrigines muria aut lupinorum decocto ad abluendum utuntur.

Lentigines.

Lentigines ac Ephelides curant remediis externis, optimè nempe extergentibus ac discutientibus, cujusmodi est assum aphronitrum & farina ervi. Ad maculas solares & lentigines seq. commendant.

℞. *Terræ Cimoliæ torrefactæ heminæ dimidium,*
Aphronitri tosti ℥j.
Farinæ ervi ℥ß.
Ramentor. fellis taurini ℥j.
Trita affricant.

Vel

℞. *Fæcis vini,*
Farinæ ervi aa. ʒx.
Fabæ fresæ ʒix.
Veratri albi ʒv.
Aphronitri ʒx.
Alcyonii ʒix.
M. & confricant.

Vitis albæ; item nigræ radices cum oleo decoquunt, donec succulentæ reddantur; laudant quoque oleum amygdalarum cum cera, radicem lilii cum melle. Maximè autem omnium lentigines delere dicunt gummi & nitrum æquali pondere, melle permixta. Item Brassicæ semen aqua contritum illinunt. Columbæ quoque stercus cum acri aceto terunt ac utuntur. Ad diuturnas Lentigines seq. magni æstimant.

℞. *Radicis Cucum. sylvestr.* sextant.
Cimoliæ ℥j.
In pulverem redigunt ac reponunt.

Vel

℞. *Bulborum depurator.*
Thuris aa. ℥j.

Conterunt, adjecto cochlearum terrestrium magnarum cruore, oportet autem ipsas adhuc vivas stylo pungere, atque id quod effluit mucosum pharmaco iniicere, melle quoque exceptum inungunt. Eundem effectum præstat ari radix sicca cum melle, & umbilici veneris radix cerato liquido excepta atque illita. Brassicam contritam & illitam ad maculas à Sole productas, & lentigines, atque omnia illa, quæ mediocri extersione ea repurgatione indigent, utilem dicunt. Similiter & sepiæ testæ ustæ, aut testæ purpurarum ac buccinorum cum melle illitæ conducunt. Vel seq.

℞. *Ceræ Tyrrhenicæ* ʒxv.
Olei rosacei ℥viiß.
Ping. anserin. ℥j.
Spumæ argent. lotæ & dealbat.
Ceruss. aa. ℥j.
Gumm. ℥ß.
Mellis Attici ℥j.

Dissoluta illinunt, & post spatium horarum sex spongia detergunt ac lavant cum sapone.

Alii lupinos in lixivio per triduum maceratos conterunt, & cum iis vel Lentigines vel Ephelides illinunt donec avelli possint. Saponem Gallicum aqua tritum modicè adjecto melle inungunt, & per horas tres inhærere sinunt. Laudant quoque myrobalanos, bulbum crudum per se vel cum ovi luteo, aceto aut melle, radices narcissi in aceto decoctos, imò quilibet Veterum experimentum singulare jactat, & integer tractatus non sufficiet ad omnia hæc comprehendenda.

Pannum & Nævos.

Pannum seu maculam istam fuscam non aliter Veteres curandam volunt, quàm ipsum *Nævum maternum*, qui juxta ipsos curatur sequenti ratione.

℞. *Calc. viv.* ʒvj.
Fæcul. coct. ʒiij.
Nitri ust. ʒij.

Hæc terunt & lixivio de cinere caprifici facto, vel de sarmentis immiscent, adiiciuntque rubricæ aliquid aut atramenti, quo possit colorari, quæ simul mixta in patella fictili coquunt ad mellis spissitudinem, & recenter parato utuntur.

Adhibent etiam sinapi cum aqua calida in formam pultis redactum, vitellum ovi assatum tritum & Nævis impositum, item coctum cum aqua & melle applicatum commendant, nec non Alysson, fell. gallin. saponem album, sanguinem menstruum vel secundinas calidè Nævis adhibita magni æstimant, quas aliasque inunctiones vesperi ante ingressum lecti institui mandant, & matutinis horis decocto sem. lupinor iterum abluere, quæ omnia aliaque Topica vix voto respondent, hinc plura ex eorum scriniis addere non libet.

Maculas Volaticas & Hepaticas.

Ad *Maculas* Infantum *Volaticas* & *Hepaticas* exterendas utuntur variis internis, & in hepaticis semper ad Hepar respiciunt, V. S. & purgationes instituunt, dein aquas Epaticas, cichor. aliasque refrigerantes exhibent, & serum lactis propinant, variaque ad Hepar confortandum exhibent. Inter Topica Gallas immaturas, melanteriam, itemque malicorium contusa, ut succum emittant, imponunt, & ampeloprasorum succum viridem adhibent, donec teneri cerati crassitudinem habeat. Maculas nitro perfricandas & abstergendas esse scribunt: quæ maculæ etiam juxta ipsos exteruntur betæ decocto, aut nitro tosto, aut smegmate, quod ex ervo conficitur, si verò nigror ex hoc appareat, florem æris admiscent, aut per se inspergunt. Dein tollunt maculas ac cicatrices hunc in modum; Maculas illinunt resina per dies quinque, sexto die solvunt, acubus maculas densis puncturis pungunt, ut locum æquè vellicent, sanguinemque fluentem abstergunt, quumque horæ dimidium ita permiserint, spongia locum mundant, ac Medicamentum in quamcunque maculam indunt, tertio die iterum solvunt & de ligaturis expediunt.

Vel

℞. *Ceræ,*
Nitri,
Aphronitri,
Calcis vivæ,
Lixivii,
Thuris aa. ʒij.
M. & cum Melle excipiunt.

Paracelsi cura in Nigredine & Furfuribu

§. 14. *Paracelsus* curationem *Cutis Nigredinis*, & *Furfurum* ita instituit, ut primò Cutis Medicamento corrosivo evellatur, quo postmodum nova, pura & immaculata producatur, in quem finem sequens commendat;

℞. *Album. ovor.*
Test. ovor. calc.
Destill. in aquam, & add.

Mar-

Marchasit. arg.
Chimoleæ. F. digestio ad mensem & destillatio.

Sic quoque in Furfuribus maximè prodesse dicit sequens:

℞. *Alcali de albuminibus,*
Salis fusi aa. q. v.
Fiat Mixtura qro Furfuribus,

In Panno. *Curam Panni Paracelsi* peragit Tinctura sequenti

℞. *De floribus fabarum* ℥ß.
Calcis ovorum ℥ij.
Salis peregrinorum ℔j.
Aquæ consolidæ,
Alcool vini aa. ℥xv.
Destilla per alembicum & hac medicina Pannum inungit, & fiet albior quàm Cutis altera.

Sequentem etiam commendat Tincturam.

℞. *Aluminis plumosi,*
Scissi aa. ℔j.

Destilla in aquam cum ista additione:

℞. *Caphuræ* ℥ß.
Sigilli Salomonis ℥ij.

Rursu m destilla, postea linteolo hac aqua madefacto Pannum inungit lavatque.

Cura Nævorum maternorum. *Nævos Maternos Paracelsus* tantùm sanari credit, si res, quæ imaginationem matris agitavit, & qua mater perterrita est, adhibeatur, vel infans vel re appetita fruatur, vel terrore aut timore afficiatur, ut res illa exstirpetur, & tum ut extrinsecùs ad Cutem deveniat, Cutis aqua aliqua forti, ut Regis eluatur, & dein iterum exsiccetur. Commendat quoque omnia ea, quę detergunt & cutem transformant, ut sunt Caphura, flores fabar. album. ovorum, calces ac testæ ovorum, fol. argent. stann. plumb. Venus, Marchasit argent. aurea, chimolea, aqua consolidæ, sigilli Salomonis, alumen plumosum, scissum, sal Armoniac. viride æris, & plura alia, ex quibus varias concinnat formulas, imprimis verò hanc præ aliis commendat curam, & sequentibus verbis exprimit: Demus, te vermis imaginem visibilem, coloreque similem in maculæ forma quovis corporis loco habere: Perquirendum est à Matre primùm, cujus magnitudinis, coloris & formæ cum tempore, die videlicet, hora, minutoque, quibus accidit, ac adimpleta fuit imaginatio talis: perquirenda est istius occasio: tactusque. Si tamen exactè singula per matrem addisci nequeant, quod rarò cuncta recolant, ab Astronomia & Magia petendum erit: istæ siquidem artes perfectissimam instructionem dabunt. His à te cognitis, est quod ejusdem generis vermem accipias unum, omni proportione correspondentem, &, si vivus ille fuit, de quo mater imaginationem concepisset, vivum etiam sumere decet, si verò mortuus, & mortuum accipito, quem eodem etiam tempore, quo matris accidit imaginatio, super maculam servata concordantia quavis ligato, & vivum in mortem usque relinquito, mortuum autem usque ad putrefactionem immotum. Et si forte matri ex appetitu contigisset, infans eo satiandus fuit & contentandus: si tamen ex timore terroreque, simile quid infanti fuerit incutiendum interea temporis, quo superligatur vermis. Ad hunc modum eradicari dicit à fundamento *Vermem* extra carnem, non tamen extra Cutem intrinsecùs. Ad hoc autem assumendam esse ait aquam fortem vel Regis vehementissimam, tum priùs aqua recenti lotam Cutem, illam perliniendam. Ejusmodi Cutis in octo vel quatuordecim diebus ad summum aufferetur, & recens ac munda nascetur alia. Hac via, inquit, poteris nedum animalium quascunque maculas ejus detergere generis, verùm & fructuum & creaturarum omnium, per ei simile quod matrem ad imaginationem traxerit. Hanc curam occultissimam neminem ante ipsum revelasse scribit.

Macularũ Volaticarũ & Hepaticarum. Macularum Infantum Volaticarum & Hepaticarum curam consistere ait in abstersione & correctione salium, hicque omnia ea prodesse scribit, quæ superiùs in Panno communicavimus.

§. 15. *Helmontius* Maculas has nigras, item *Lentigines, Ephelides, Pannum*, & ipsos etiam *Nævos* sponte evanescere promittit, si maculis jam characteritatis manus cadaveris longa tabe exstincti, omnique vitæ proprietate exuti, admoveatur & applicetur, donec frigus partem maculatam penetraverit. *Helmontii propositum de maculis hisce curandis.*

Vuillisii consilium de curanda Nigredine. §. 16. *Willisius*, cùm affectum istum, Cutis scilicet Nigredinem, à bile in sanguine redundante deducat illam foràs ejicere statim anxiè curat, quare hoc Medicamentum ante omnia administrat:

℞. *Sulphur. Antimonii* gr. vij.
Scamm. sulph. gr. viij.
Crem. Tartar. ℈ß.
M. f. Pulv. detur è cochleari j. panatellæ.

Sequentem bolum deinceps exhibet:

℞. *Electuar. è succo rosar.* ℥iv.
Rhabarbar. ℥ß.
Salis absynth.
Crem. tartar. aa. ℈ß.
Syr. de rhabarb. q. s.
M. f. bolus.

Elixir propr. cum vehiculo idoneo propinatum commendat ad gutt. xx. manè & hora quinta pomeridiana. Martialibus magnam etiam efficaciam tribuit hisce in affectibus. Topico tandem sequenti alienum istum colorem Cutem defœdantem tollit.

℞. *Rad. agri*
Bryon.
Sigill. Salom. rec. aa. ℥j.
Sæm. fœnigræc. pulv. ʒj.
Camphor. ʒß.
Simul. contus. affund.
Ol. Tartari per deliq. ℥iij.

Fiat express. applicetur cum petia bis in die.

Furfuribus. In *Furfuribus Willisius* statim pororum apertioni studet, materiæque serolæ stagnantis per eos excretioni, blandè diaphoreticis. Salium acrimoniam verò compescit sero lactis, ac balneis aquæ dulcis tepidæ, & partem Furfuribus afflictam hoc linimento inungit.

℞. *Ol. Tartari per deliq.*
Nucum aa. p. æq.
M. f. linim. locis affectis bis in die illinendum.

Lentiginibus, Ephelidibus & Maculis Hepaticis. *Lentigines, Ephelides, & Maculas Hepaticas* nulla medendi methodo indigere ait, sed tantùm cosmetica Medicamenta requirere asserit. Primò enim partem affectam sequenti cosmetico illinit.

℞. *Sulph. viv. pulv.* ℥j.
Sapon nigr. ℥ij.

Ligata in petia suspende in aceti ℔j. per dies ix. dein in usum adhibeatur, loca affecta bis in die abluendo & confricando.

Posteà in usum adhibet lac istud Virginis:

℞. *Solutionem lithargyr. in aceto destillato factam, f. ejus præcipitatio ol. Tartari per deliq. à quo liquor instar lactis albicans devenit, eoque facies & manus bis in die laventur, ac blandè confricentur.*

Vel

℞. *Minium in acet. solut.* q. v.
aut ejus loco *ceruss.*

F. eorum præparatio cum aqua aluminis aut sal. gemmæ.

Nævos Maternos curare tentat Author Cosmeticis, quibus utitur ae reliquas Cutis defœdationes abigendas.

Maculis infantum volaticis. *Maculas Volaticas* infantum sanat illorum pulti admiscendo grana aliquot sal. absynth. & ocul. cancrorum ppt. vel Antimonii diaphor. & corall. rubr. adeò ut stomachi phlegmata dissolvantur, ejusque fermentum validius reddatur, & sanguini requisita fluiditas tribuatur, ejusque coagulationes dissipentur. Quod ad externa verò Medicamenta, hoc solummodò utitur:

℞. *Cam-*

℞. *Camphor. incis.* ʒij.
Teratur in mortario vitr.
Sensim affundendo succ. unius limonii, dein adde vin. alb. ℔j.
F. colatura, & Camphora residua in petia ligata suspendatur in vitro.

vii cura cutaneis affecti- abigen-

§. 17. *Sylvius Cutis Nigredinem, furfures, Lentigines Ephelides, Pannum* aliasque Maculas non priùs curari asserit, quàm propulso humore obstruente foras, superataque in totum causa, quod verò sudoriferis obtineri posse contendit, commendat in eum finem varia decocta lignorum, Antimonium diaphoreticum; Bezoardicum minerale, & salia volatilia ex animalibus parata, quæ omnia causam, nempe acidum, tollunt & simul materiam in Cute hærentem foras propellunt. Forinsecus autem cum commodo usurpari posse promitit fotus ex vino vel aceto, cum Theriaca & Camphora, myrrha & similibus misto, & calidè sepiùs applicato, ut & inferiùs dicendis.

Sic quoque ad *Nævos, Maculas Infantum Volaticas & Hepaticas*, pro diversitate causę varia commendat remedia; ad rubras & flavas abiendas Maculas utitur lixiviosis, ut farina orobi, sale Armoniaci, Melle, succo ceparum, & felle animalis cujusdam in linimentum redactis, vel oleo Tartari; ad nigras verò maculas tollendas laudat subacida, ut succum limonum, fimum columbinum cum aceto subactum, lac Virginis, quibus illini posse omnivarias maculas contendit.

tesiano- appara- ad cu- lam Ni- inem.

§. 18. *Cartesiani* æthiopem quidem lavare, ut albescat, aut innatam *Nigredinem* penitus auferre non aggrediuntur, eam verò, quæ delicatis antè candida satis Cute præditis post diuturniorem in Sole commorationem contingit, quòd succi corporis è ductibus consuetis ab externo calore adurente versus superficiem prolecti, & frequentiùs per poros cutaneos evaporati eosdem dilataverint, & acutiores ejus partes fibrulas quasdam eroserint, atque moleculæ quædam eorum obscuriores circa easdem hæserint, emendare interdum student remediis quibusdam internis diaphoreticis impuritates istas cutaneas removentibus potissimùm verò externis sorditiem quamvis absorbentibus, abstergentibus, fibras aliquantùm constringentibus aut relaxantibus, & poros dilatatos particulis quibusdam oleosis replentibus, ut radii luminares non ampliùs suffocentur; quapropter delicatis hujusmodi pulchritudini corporis studentibus suadent, ut Solis se subtrahant radiis, aut obtectis facie & manibus, si ambulandum sit, iisdem occurrant, frequentissimè verò umbraticam agant vitam, & membra decolorata sequentibus emundent remediis.

℞. *Unguent. rosat.* ʒiij.
Magister. marcasit. ʒj.
Ol. d. lign. Rhod. gt. vj.
Express. nucl. Persic. ʒiß.
F. Linimentum, quo partes nigredine defœdatę ante introitum lecti probè illinantur.

℞. *Mal. Medic.* N. j.
Scindatur in frusta orbicularia, quæ ad horæ unius spatium macerentur in ℔j. *vini, super igne cinerum, posteà fiat colatura cum levi expressione, liquori transcolato adde*
Aq. rosar. ℔ß.
Album. ov. N. ij.
Agitentur omnia virga betulina, ut ritè commisceantur & spumescant, post subsidentiam liquor decantatus servetur ad usum,

Quo partes unguento priùs illinitæ manè denuò abluantur. Parant etiam linimentum ex magisterio illo marcasitæ cum aqua spermatis ranarum, quo vesperi locos denigratos obducunt, & manè illud abluunt eadem aqua spermatis ranarum, vel sequenti destillato cosmetico egregio.

℞. *Mali Citrii* N. iij.
Limon. N. ij.
In taleolas scissis superfund. lact. vaccin. ℔ iiij.
Stent per noctem in digestione, posteà distillentur per alembicum, cujus rostro imponatur nodulus aliquid camphoræ, benjoini & storacis, cum granis aliquot ambræ continens.

Liquor exstillans servetur pro ablutione. Laudant etiam essentiam benzoini, tanquam remedium inter cosmetica minimè ultimum existimandum.

Furfures.

Ut Cutis à *Furfuribus* mundetur, præter interna sudorem excitando particulas acutas per poros eliminantia, hosque apertos servantia, ut evaporatio recrementorum promoveatur, externa abstergentia, posthæc fibras cuticulares lubricantia admovent, ne tam facilè obrigescant, & à particulis acutangulis lædantur. Furfures igitur furfuribus abigere norunt, abstergendo Cutem furfuribus triticeis in sartagine tantillum frixis & adhuc calidis, quibus postmodum decidentibus, simul furfures cutanei delabuntur. Similem instituunt abstersionem decocto herbarum parietariæ, saponariæ agrimoniæ, seminis lupinorum, radicis cucumeris asinini, aliorumque, post quam ablutionem partem unguento Medicamentoso *Mynsichti* inungunt, vel urina calida in qua flores Sulphuris sunt dissoluti, ejusmodi peragunt ablutiones. Præmissis hisce fibras rigidiores relaxant & emolliunt oleosis, unguento pomato, pulpa ex amygdalis dulcibus, amaris, semine melonum, papaveris albi contusis, addito spermate ceti, & oleo ligni Rhodii, cujus pulpæ portio in aquis rosarum & hyperici dissolvitur, eaque pars furfurosa inungitur. Oleum etiam laudant amygdalarum amararum, nucum, balaninum, sesaminum, & alia Cutem emollientia.

Lentigines.

Lentiginibus auferendis ea adhibent remedia, quæ cuticulam penetrantes succos in poris cutaneis coagulatos resolvere, & poros ita disponere possunt, ut alia succorum recrementa tam facilè non admittant, suadentque propterea, ut maculis hisce tincti longo tempore spiritum melissæ tum intus usurpent, tum foris adhibeant, lentigines eo tangendo & abluendo, vel balsamum florum anthos illinant, aut aqua ari, vel satyrii, maculosi, cum aquę calcis vivę tertia parte, mista, additaque portione camphoræ, aut sequenti aqua Gallicana Epiphanii Empirici studiosè abluant.

℞. *Tartari ad albedinem cremati* ℔j.
Mastich.
Tragacanth. aa. ℥ß.
Camphor. ʒ vj.
Album. ovor. N iiij.
Trita & mixta in aqua rosacea distillentur.

Commendant quoque liquorem sive aquam destillatam limacum, præsertim quæ cum sale gemmæ paratur, succum bryoniæ, in quo aliquid salis Armoniaci sit dissolutum, vel sequentem aquam.

℞. *Borrac.* ʒj.
Camphor. ℥ß.
Alum. commun. ʒiij.
Gum. Arab.
Tragacanth. aa. ℥ß.
Sarcocoll.
Ass. dulc. aa. ʒij.
Ceruss. ℥iiij.
Omnia bene trita misceantur & infundantur in
Aq. serpentar.
Flor. lilior. aa. ℔ß.
Genist.
Solan.
Nymph. aa. ℥iiij.
M. destillentur in alembico vitreo.

Quamvis autem optima adhibeantur hujusmodi remedia cosmetica, norunt tamen Lentigines eadem sæpe illudere, quapropter si earum ablatio seriò urgeatur, & adeò non existant numerosæ, per caustica cuticulam erodunt, & succum coagulatum maculam efficientem destruunt, tangendo nempe lentigines stilo ligneo acuto spiritu Sulphuris aut Vitrioli madido bis vel ter in die, donec ulcuscula sint effossa, quæ nihil nisi carnem subrubicundam exhibeant, quod signum est,

est, nihil ulterius de succis istis corruptis superesse, hoc facto ulcuscula ista aq. rosacea & plantaginis abluunt, & adhibito unguento de lapide calaminari, vel tutia carnis promovent generationem, ut foveæ denuò adimpleantur, quæ cura ad summum trium septimanarum spatio absolvetur.

Ephelides. Ad *Ephelides* abigendas utuntur aqua bryoniæ, cum succo limonum & felle gallinarum, liquore myrrhæ, lacte virginis & remediis camphoratis, quibus remediis si non cedant, ad vitrioli phlegma, aut mercurialia accedunt, dissolventes sublimati portiunculam in aqua rosarum, qua tum maculas attingunt.

Pannum. *Pannum* illinunt oleo tartari, vel abumine ovi, in quo tartarus calcinatus sit dissolutus, vel pulverem seminis erucæ & lupinorum cum succo limonum, & oleo baccarum lauri in linimenti formam redigunt, quo maculam hancce inungunt vesperi, & manè aqua rorismarini, vel sigilli Salomonis abluunt.

Nevos. Nævos maternos in fœtu statim post partum adversos lacte matris recente & calente, vel secundina etiamnum calente jubent abluere aut detergere; in adultioribus verò preter recensita in prioribus maculis ad fortiora accedunt quandoque erodentia, nævis videlicet existentibus minoribus, quos spiritu Sulphuris aut Vitrioli attingunt, & eodem modo procedunt, ut in Lentiginibus jam docuerunt, vel illinunt unguento aureo. Approbant etiam sequens remedium, quo Nævi sæpius tangantur.

℞. *Alcohol lap. cancror* ℥ij.
Salis subtiliss. trit. ℥j
Superfund. acet. ad supereminentiam duorum digitorum, stent per octiduum & sæpius agitentur, & linteo eodem liquorem imbuto nævi illinantur. Oleum myrrhæ per deliquium paratum, & tincturam benzoini etiam commendant.

Maculas Volaticas. *Maculis* Infantum *Volaticis* interna sudorifera convenire dicunt ex aquilegia, fumaria, scabiosa, cinnabari Antimonii, tinctura tartari antimoniata, maculas verò ipsas abluunt aqua omnium florum, liliorum, centaurii minoris, rosarum, in quibus crocus & camphora fuerunt dissoluta.

Maculas Hepaticas. *Maculis Hepaticis* abigendis eadem prodesse censent sudorifera interna antimoniata cum C.C. phylosophicè pp & sale cardui benedicti in aqua fumariæ exhibita, posthæc externa abstergentia, ut cuticula dempta succi vitiosi stagnantes dissolvi, absorberi, & planè auferri possint, quas vires sequens habere dicunt remedium, paucis quidem constans ingredientibus, sed utiliter semper adhibitum.

℞. *Aq flor. sambuc.*
Hyperic. an. ℥j.
Lact. Sulphur. ʒj.
Sacch. Saturni ʒß.
Camphor. ℈ß.
M.
Maculæ linteo priùs aliquantum fricentur, tum mistura hac bene agitata tepidè illinantur.

Nostra methodus curandi Nigredinem. §. 19. Præmissis aliorum de *Maculis hisce* opinionibus, nunc & Nostram apponamus. In *Cutis Nigredinis Curatione* eò incumbendum est, vt Cutis tersa, candida ac polita seu æquabilis evadat, quod obtinemus, si Cutis pori humore benigno, miti, ac velut oleoso impleantur, ita namque, dum meatus omnes pleni ac tensi fiunt, totius Cutis planities lævissima ac candida apparet. Ad sanguinis crasin imprimis reflectendum est, hinc varia interna sanguinem depurantia commendamus, inter alia verò pulverem nostrum renovativum ob egregias vires ita à nobis nominatum; Imprimis verò externa conducunt cosmetica, inter quæ ex Talco parata extolluntur, omnia verò asperiora & salina, quæ succum benignum ex Cute exhauriunt, vitanda sunt. Quare si cujuspiam Cute mollissima ac planissima seu candida præditi manus aq. saponata, lixiviali, calcaria, aut etiam sanguine calente aliquandiu madefient propterea mox humore salino per sales alios e poris extracto, sulci & rugæ illicò majores & profundiores evadent: quare fœminæ delicatiores lavacra saponata & quævis alia Cutim sulcantia acriora religiosè evitent; Blandiora potiùs balsamica Sulphurea aliaque cosmetica ex Talco parata in usum vocari possunt, hinc aqua Talci, ex Talcô sæpè calcinato, cum borrace, & aqua lil. alb. vel sigill. Salom. habetur pro præstantissimo cosmetico. Liquor quoque Talci magni æstimatur, de oleo hujus Talci plures prostant descriptiones, verùm adhuc cum industria quærunt Chymici.

In Cutis Nigredine à primò ortu sequens commendatur aqua, ex furfur. tritic. cum duodecim ovis recentibus cum vino misc. & destillentur. Sic etiam sola aqua ex albumine ovorum ad duritiem coctorum parata, & Cuti illita à pluribus magni æstimatur. Sequens à Foresto magni penditur.

℞. *Borracis,*
Sulphuris,
Ceruss. aa. ʒj.
Camphor. in aqua ros. sol. ℈ij.
Pulv. ireos
Fabar. aa. ʒiiß.
Aq. fl. fabar.
Rosar.
Fumiterræ aa. ℥ij.
F. Mixtura pro lotione.

Sunt quædam divites formositati studentes adeò, ut margaritas aliaque pretiosa solvant, & cuti illinant, Tartarea verò præstantiora sunt, præ omnibus aliis cosmeticum nostrum commendamus, experientia sæpè comprobatum, ob Empiricos verò non communicandum. Munditiei cutis studentes abstineant à V. S. sepiùs instituta, multis purgantibus, hirudinibus, scarificationibus, laboribus vehementioribus, aliàs incassum tentabunt & optima cosmetica: sed nunc ad alias pergamus Cutis Maculas curandas.

Furfuranem. *Furfuratio* curatur eodem modo ac Scabies, internis sc. depurativis, sudoriferis ac temperantibus, ut sunt Antimonium diphoreticum, Bezoardicum minerale, cinnabaris Antimonii, viperina, Tinctura Antimonii tartarisata, Essent. fumar. lignor. &c. Aliæ quoque calces seu absorbentia omnium optima sunt in cutis affectibus hisce, calces enim hæ licèt acido saturatæ, nihilominus tamen magnetes acidi esse non desinunt, temperant enim acida corporibus nostris & precipuè in externa Cute nocua, quod in dubitatis hactenus probatum est exemplis, sunt quippe temperātia potentissima, & continuate usu utplurimùm huic malo medentur.

Externè verò in Furfuribus conducit inter alia liquor ex sale Tartari & myrrha in cella liquefactis, quo pars furfuribus affecta illinatur, & dein cum decocto lupinorum cum urina parato abluatur. Prodest quoque decoctum centaur. minor. ex pisorum brodio paratum, quo lavetur pars furfuracea, inde enim decident furfures. Quidam solo lixivio cum herb. centaur. min. decoct. uti solet, alii illinunt succum scyllæ, & tanquam præstantissimum deprædicant remedium: spiritu matricali, vel aqua vitæ, vel aqua Reginæ Hungariæ laventur partes, & sic laterem non lavabis. Mulierculę nostrates in malo pertinacissimo Empl. Piceum efficere norunt, quod vocant *eine Pech Haube*, quo Cutem sæpe cum furfuratione tollunt.

Lentigi[nes]. Quod *Lentiginum* curationem attinet, quamvis illæ non tam sanitati, quàm Cutis nitori adversæ sint, attamen formositati studentes virgines earum ablationem avidè desiderant, curatu difficilimæ sunt, sed tentari possunt varia extrahentia seu resolventia, & aliquando Cutis poros constringentia, ne sedem figere commodè queant, in quem finem *Agricola* sequens ceu expertum laudat.

℞. *Sem. sinapi alb.* ℥ij.
Contund. cum pauco aceto, ut fiat instar pultis, tunc adde
Salis commun. ℥j.
Album. ovor. N. j.
M. quo illinantur maculæ in hypocausto calido, & relinque aliquamdiu, dein rursus abluatur aqua sigill. Salom.

Con-

Convenit etiam in Lentiginibus ol. Tart. per deliq. vel lixiv. sal. Tart. cum aqua flor. fabar. fact. item spir. vin. camph. spir. matrical. Sequens à *Cl. D. JunKen* magni æstimatur.

℞. *Merc. dulc.* ℈ ß.
Sacch. Saturni ℈ j.
Camphor. gr. xij.
Borrac. ʒ ß.
Magist marcasit. ℈ ij.
Aq. spermar. ranar.
Fl. fabar.
Sigill. Salom.
Rof. aa. q. f.

ut fiat instar pultis, cum hoc noctu cubitum ituri inungatur facies, manè verò abluatur aqua sigill. Salom. continuetur hoc per 8. dies. Alii commendant pulverem excorticatum amygd. cum pauco oleo Tartari madefactum, quo illinantur maculæ: sequens verò in aula nostra pro usu receptum est ad sordes quascunque eluendas.

℞. *Antimonii crud.* ℔ j.
Pom. citri N. 13.
Ovor. N. 8.
Coq. in aq. pluviatil. & benè agitent qua mixtura laventur sæpissimè Lentigines.

Vel

℞. *Ol. amygd. dulc.* ℥ ß.
Tartari per deliq. ʒ ij.
M.

Alii Lac Virginis laudant, nonnulli phlegma Vitrioli quidam lac suillum, sequens pluribus profuit.

℞. *Aq. è cochleis,*
Limacib. aa. ℥ j.
Nymph. ℥ j.
Camph. ʒ i.
Liq Tartari ʒ ij.
Tinct. benzoes ʒ ß.
M.

Sunt, qui extollunt in Lentiginibus delendis farinam lupinorum cum aceto vel oxymelle subactam & appositam.

Vel

℞. *Aq. fl. satyr.*
Fabar. aa. ℥ ij.
Ol. Tartari per deliq. ʒ ij.
M.

Vel

℞. *Aq. leucoii,*
Sigill Salom. aa. ℥ iij.
Cosmet. ℥ ij.
Camphor. ʒ ß.
Ol. Tartari ʒ v.
M.

His nihil juvantibus ad fortiora accedendum est. Virgo 15. annorum à lentiginibus curata est sequentibus.

℞. *Mell. opt.* ℥ ij.
Alum. scissil. ʒ ij.
M. & applica vesperi.

℞. *Phlegm. Vitrioli* ℥ vij.
Quo facies & artus Lentiginibus conspurcati manè & vesperi abluendi sunt.

Nec his juvantibus ad corrosiva accedendum est, & proin Mercur. sublimat. ad ʒ j. cum aq. rosar. ℔ ii ß. misceri potest, & lentigines ea abluantur, hac tamen admonitione, ut cautè his incedamus corrosivis, ne aliæ partes lædantur.

Lentigines sæpe omnia respuunt remedia, imprimis si sint sphacelatæ, cultro quidem vel corrosivo exstirpari queunt, sed cicatrices, quæ relinquuntur, sunt sæpè deteriores, quàm ipsæ maculæ.

[Eph]elides. Quod verò concernit curam *Ephelidum*, hæ curanrantur ut aliæ maculæ, internis absorbentibus & temperantibus antimoniatis aliisque superiùs dictis, & inferiùs adhuc dicendis remediis sanguinem purificantibus. Externè verò cura Ephelidum variis alcalicis Tartareis & myrrhatis cum calce viva mixtis peragitur. Pro specifico commendant Authores baccarum lauri pulverem, cum melle in linimenti formam redactum, vel alii cum aqua fungorum in formam Epithematis redigunt & illinunt Ephelidibus. Liquor Tartari & myrrhæ præ aliis nostra experientia confert. Alii Sulphur calcinatum in aqua solutum commendant, nos Essentiam Benzoes cum momento Camphoræ laudamus, spir. matrical. Camph. c. acq. sigill. Salom. & aq. sperm. ranar. calcis vivæ, rosar. &c. optimum erit cutis depurativum.

Si rugę cutis hisce maculis fuerint conjunctę, conducet albumen ovi cum Alumine in linimentum terendo redactū, & per aliquot dies mane & vesperi applicandū.

Nævos quod attinet hi curationem etiam postulant: Fœminæ enim quæ lautissima utuntur fortuna, imprimis in aulis constitutæ, turpitudinem hanc magnis sæpè redimunt sumptibus, ex sequiore enim sexu plures nobis notæ sunt fœminæ pulchritudini maximè studentes, quæ pro qualibet macula delenda ducatum obtulerunt. In his maculis ad externa confugiendum est; pro Specifico commendantur in Maculis his originalibus secundinæ recenter illitæ; sed toties hoc remedium probavimus, nunquam tamen effectum præstitit promissum, quare legi meretur *Observ. 197. Ephem. Germ. Ann. 3.* ubi invenies, quòd secundinæ sic illitæ magis noceant, quàm prosint, inde enim tumor & inflammatio fuerunt producta. Nos pro secreto commendamus albumen ovi quod detineatur super igne, donec vesiculæ instar perlarum apparent, quo liquore Nævi sæpiùs de die illinantur, vel seq. *Nævos.*

℞. *Aq. calcis viv.* ℥ j.
Ol. Tartari per deliq. ʒ j.
Tinct. myrrh. ʒ iij.
Ciner. clavell. ʒ j.
M.

Vel

℞. *Aq. Caryophyllat.* ℥ ij.
Calcis viv. ℥ j.
Spir. sal. Armon. ʒ j.
M.

Quæ Medicamenta cum penicillo Nęvo illinantur. Sequens non contemnendum Cl. Muys commendat.

℞. *Aq. plantag.*
Calcis viv. aa. ℥ j.
Ciner. clavell. ʒ j.
M. & utatur eodem modo.

Cl. D. JunKen, Medicus Mosbacensis, amicus noster vetus, laudat succum ex viridibus nucum juglandium corticibus expressum, à quo nigrescet Cutis, quæ separanda, unde Nævi minores, ut ille ait, facilè auferuntur, quòd si stigma profundiores egerit radices, cujuscumque etiam sint formæ, nunquam tangantur manu Chirurgica, ne exulceratione inducta major inducatur deformitas, vel in præsentius periculum homo præcipitetur. Idem ad Nævos empyreumaticos admodùm extollit linctum matris repetitum. Nævi etiam saliva propria illini possunt quotidie; alii scarificant priùs partem affectam, eamque posteà tangunt penicillo butyro Antimonii imbuto. Cùm Nævi originales à fœtu se manifestantes vix absque excoriatione tolli possint, applicetur ergò sæpiùs spir. sal. Armoniaci cum calc. viv. paratus, quo inuncto fit excoriatio Cutis, quę dein curatur oleo è vitellis ovorum parato. Adultiores facti turpitudine Nęvorum commoti aqua regia uti solent loco affecto subtilissimè inuncto, sed aliquando cicatrix redditur turpior, quàm ipse Nævus. Anglis Cosmeticum sequens in Nævis aliisque Cutis Maculis ac tuberculis solenne est, nostra quoque experientia comprobatum, Junioribus ideò Medicis communicandum.

℞. *Aquæ fontan.* ℔ v.
Sem. pap. alb. recent. contus. ℔ ß.
F. Emuls. tunc in vitro magno pone Mercurii sublimati sæpiùs loti ℥ j.
Album. unius ovi benè conquassatum, simul agitentur per horam, tunc add.
Emuls. papav. cochl. j.
Agita per horam, tunc add.
Cochlear. ij emulsionis, & sic deinceps; donec

aciculam non omninò tinget per diem & noctem intus dependentem, tunc add.

Sacch. canth. alb.
Borrac. albiss. subtiliss. pulv. aa. ʒ j.

Agita per duas horas, donec niveum candorem conciliat, nihil enim damni adfert, Nævis maculisque aliis & tuberculis illitum.

Cura Macularum Volaticarum Infantum.

Ut in omnibus maculis, sic & in his volaticis Infantum ad sanguinis & succorum purificationem respiciendum est, & quia infantes acido abundant, ad id corrigendum & absorbendum pulveres maximè conducunt, ex Antimonio diaphoret. cinnabar. ocul. cancrorum, ebor. unicorn, C. C. aliisque bezoarticis concinnati, præ aliis conveniunt: inter composita pulverem Anglicum viperinum commendamus ad grana aliquot exhibendum in aqua fumar. vel alio vehiculo convenientiore. Tinctura quoque Antimonii, Essent. fumar. lignor. itidem per vices exhiberi possunt. Externè præter jam dicta in maculis his Volaticis convenit illinitio cum aq. rosar. plantag. in quibus crocus maceratus fuerit, & duplicatis linteaminibus applicandus liquor. Vel spir. matricalis cum Camphora apponatur.

Cura Macularum Hepaticarum.

Cura *Macularum Hepaticarum* in eo vertitur, ut sanguis ac succi depurentur & corrigantur, ut eo melius stagnatio succorum impediatur, præprimis internè sequentem commendamus pulverem renovativum,

♃. *Antim. diaphoret.* ℈ j.
Alcool. spinar. viperar. ʒ ß.
Cinabar. Antimonii ℈ ß.
Cryståll. mont. ℈ j.
M. f. pulv. dosis à ℈ ß. *ad* ℈ j.

Imprimis hic conveniunt sudorifera blandiora, ex. gr.

♃. *Clyss. min.* ℥ ß.
Diaphoret. ex clyss. ℈ j.
C. C. phil. pp. ʒ ß.
Roob sambuci ℥ ß.
Aq. cent. min.
Hyperic. aa. ℥ ij.
M. assumatur cochleatim.

Sunt qui ad purgantia Mercurialibus admixta accedunt. Alii sanguinis corruptionem sequenti Electuario depurativo corrigere satagunt.

♃. *Conserv. rosar.*
Cichor. aa. ʒ ß.
Rad. cichor. cond. ʒ iij.
Tartari Vitriolat. ʒ ß.
Pulv. santal. rubr.
Citrin. aa. ʒ j.
Vitriol. Martis ℈ j.
M. f. l. a. Conditum, dosis ʒ j. *ad* ʒ ij. *bis in die exhibendum.*

Externè convenit sequens.

♃. *Liq. sal. Tartari cum Sulph.*
Myrrh. in cella fus. ℥ ß.
Succ. plantag. ℥ ij.
Aq. chalybeat. ℔ j.
M.

Vel

♃. *Aq. calc. viv.* ℔ j.
Flor. Sulph. ʒ vj.
Sal. Saturni ʒ i ß.
M.

In Maculis his flavis existentibus summoperè juvat sequens.

♃. *Lact. Sulph.* ʒ j.
Camphor. ʒ ß.
Aq. hyperic ℥ i ß.
Fol. quercus ℥ ß.

M. qua mixtura illinentur maculæ hepaticæ. Maculæ & foveæ à variolis relictæ optimè etiam iisdem curantur cosmeticis, quale cosmeticum sibi servat Celeb. Dn. *Willichius*, Sereniss. ac Potentissimi Electoris Brandenburgensis Consiliarius ac Archiater dignissimus, Fautor ac Amicus noster colendus, qui dum hæc scribimus, Bielefeldæ Sereniss. Marchionem Brandenburgensem, *Albertum Fidericum*, variolis laborantem non tantùm felicissimè curavit, sed etiam à maculis & foveis quàmplurimis prædicto cosmetico liberavit. Laudamus etiam in maculis aliis quibuscumque Cosmeticum Anglicum superiùs descriptum.

FINIS LIBRI QUINTI.

JOH.

JOH. DOLÆI ENCYCLOPÆDIÆ CHIRURGICÆ RATIONALIS,

LIBER SEXTUS.

De Morbis Artuum, seu Variarum Corporis Partium, tum magnitudinem vitiosè imminuentibus, tum continuitatem dissolventibus.

CAPUT I.

De Aridura.

§. I.

Nihil sanè in ortu sui perfici, sed spei rudimentum ante perfectionem cernas quotidie, sic ex embryone fit infans, puer, adultus, tandem senex, horum individuus comes est corporis quoad trinam dimensionem extensio, aliàs *Nutritionis* nomine veniens, hac verò cum non gaudeat corpus vel ejusdem Pars, *Atrophia* dicitur, quæ Poetis mors item tabida lues, tabidumque malum audit. Quum itaque hanc moriendi sortem omni ætati quàm frequentissimè contingere, variisque insuper modis tot individua tabido hocce corrumpi malo videamus, prout Febris hectica, Phtisis ex pulmonum vitio, Atrophia ex Scorbuto, Rachitis Anglorum, Macies puerorum, Tabes dorsalis Marasmus senilis, atque *Aridura partium* hic tractanda testimonium ferunt sufficientissimum; ideò ultimam hanc speciem, *Ariduram* nempe partium, hic tantùm tractare Nobiscum constituimus, quatenus pertinet ad corporis partes externas, & per cõsequẽs ad *Chirurgiam*.

Atrophia.

Aridura Partium.

Aridura aliis vocatur *Macilentia*, nonnullis *Marcor*, ac *Macies* partium dicitur, pluribus autem *Atrophia Particularis*, vel membrorum omnimoda consumptio vel consideratio cognominatur, Germanis dicitur, *das Schvvinden der Glieder*, *die Darre*.

Macilentia, Marcor, Macies, Atrophia particularis.

Describitur vulgò, quod sit extenuatio extraordinaria partium externarum, imprimis artuum ob frustratam nutritionem à pluribus causis oborta.

Pars affecta

§. 2. Ut autem in genere quidem Tabi obnoxium sit totum corpus, omnesque illius partes tam solidæ, quàm fluidæ, quia ex alimento ac inde facto chylo incrementa capiunt omnes, manifestiùs tamen & ad sensum consumuntur partes molliores carne & pinguedine investitæ, v. g. Musculi artuum, minùs verò partes solidiores, ut sunt membranæ, Tendines atque ossa, quæ potius exsiccantur. Artus utplurimùm contabescunt, observamus enim in praxi sæpissimè extenuari solum brachium vel crura, salva reliquorum substantia & mole. Sic non ita pridem observavimus ariduram in pene, item in digito uno & altero, feliciter tamen curatam. Absumpto quippe aliquibus in partibus rorido nectare chyloso, nisi citò causa tollatur, malum augeri solet, ita ut adiposæ à defectu oleosarum ac pinguium particularũ, dein tendinosæ, ligamentosæ & membranosæ partes chylo & oleo destitutæ imminuantur.

§. 3. *Diagnosi* morborum quorumvis & externorum rectæ curationis clavis est, & quilibet Medicus tantum valet in curando, quantum in cognoscendo: ideoque paucis eam nunc tradere necessitas jubet. Præsens quidem *Aridura partium* oculos non fugit, ac ex partium concidentia quilibet haud falsò *Atrophiam* partis concludit. Particularem enim Tabem seu Ariduram facili marte cognoscimus, quando partem aliquam justò flaccidiorem & minorem, imò aliquando nigriorem, quàm aliàs in statu sano esse solet, deprehendimus, pars enim una atque altera marcescit, reliquis adhuc salvis existentibus, sæpe motus simul perit, & stupor aliqualis deprehenditur. Pars enim tabida filo circumligari, & idem filum vel charta alteri sanæ parti applicari potest, unde ex ejus longitudine partis emaciatio & tenuitas explorari potest. Post Paralysin partis alicujus, item post fracturam artus, nec non ex fortiori ligatura ejusmodi Atrophiæ particulares oboriri queunt, prout toto die in praxi nostra quotidiana observamus.

Diagnosis. Aridura.

§. 4. Pergendum nunc ad id, quod vel palmarium, vel inter palmaria est, in hoc affectu, nempe ad *causam*, ex cujus accurata cognitione *Cura* procul dubio dependet. *Veteres* verò, quibus ratione temporis prioritas debetur, Marcorem membri ab humore putrefaciente irruente in membrum aliquod deducunt. Sæpe quoque culpant Hepatis intemperiem, unde sanguis non ritè paratur & ad membra distribuitur, si vel fuerit inflammatum, vel corruptum, unde musculi à defectu hujus sanguinis ac nutrimenti extenuantur macie. Sic quoque existimant extenuari artus, quando ab articulo luxato premantur arteriæ ac venæ, ut nulla alimenti portio ad membrum commeare possit. Pluresque alias causas externas ac remotiores allegant.

Causa Atrophiæ particularis ad mentem Galenicorũ.

§. 5. *Paracelsus*, cui *Aridura* membri nihil aliud est, quàm transpositio membrorum, & curæ successus pravus, eam oriri dicit, quando per mumiam naturæ membra non bene coeant, conveniant ac conjungantur, quodlibet enim membrum siquidem cum alio convenire debet, idque solùm industria Naturæ, non sapientia Chirurgi, quapropter ille Naturam vocat Medicam, ac non Chirurgum ipsum dicit Medicum fore vulnerum. Ex glareali aqua vulnerum idem deducit causam Ariduræ, inquit enim, cùm viscosus liquor ad albumen ovi profluit à vulneribus, indicat accidens periculosissimum, ut membri totius & medullarum exsiccatio, cui nemo poterit obstare, nisi liquor ille justo pondere fuerit membro prorsum aliqua medendi ratione restitutus, aliàs exsiccatur ut lignum ab arbore sua truncatũ; quod accidens Ipsi *Paracel. Aridura* vocatur.

Paracelsi.

§. 6. *Helmontius* in Aridura membri existimat aliquando liquorem nutritivum aliò furtim subduci, imò atrophiam hanc oboriri putat ex deturpato alimento alicujus membri: equidem retenta juxta ipsum,

Helmontii.

sum, sive sint transmutata, sive verò transmissa, semper tamen intrinseca insigniuntur idea, ente inquam morboso, unde sæpè degenerationis hostilitatem suscipiunt, quare & radix primarii morbi plerumque ipsis adhæret, eandemque ideò æmulantur ac repræsentant, quatenus ipsius sunt producta. Macies ergò omnis nascitur ex elemento subtracto, & utplurimùm Aridura partium, juxta ipsum, fit à vitio distributivo.

Willisii.

§. 7. *Willisius* docet, Ariduram induci à sanguine acido facto, vel in eo supra modum exaltatis particulis salino-acidis aut sulphureis summè acribus, hac enim de causa succus alibilis ex intestinis in cruoris massam appellens, ab ipsa jam depravata ritè assimilari nequit; nec idoneus reddi partium nutricatui. Liquore ergò nutritio sanguinis labem contrahente, & partibus solidis sese non solùm nequaquam applicante, verùm etiam particulas illarum delibante, ipsæ tum genio suo defraudatæ, tum ab acri illo humore propriis particulis spoliatæ emarcescunt, & exarescunt. Liquor etiam nervosus à tali scaturigine fluens, à natura sua degener existit, crassiorque ac viscidior existens, difficiliùs per fibras nerveas delabitur, pauciorique copia ad partes appellit, illorumque nutritionem parùm promovet. Talem etiam affectum excitant ea omnia, quæ liquoris nutritii magnum inferunt dispendium, vel ejus proventum, uti & spirituum animalium influxum in partem impediunt.

Sylvii.

§. 8. *Sylvius particularum Atrophiam* contingere asserit in determinatis tantùm partibus, Artubus præsertim, à vitio utplurimùm sanguinis, aliquando etiam partis affectæ. Sanguinis culpa Atrophiam evenire ait, si is deficit in parte aliqua, aut ineptus est partibus contabescentibus reparandis. Sanguinem ergò deficere dicit in parte aliqua propter impeditum ejus ad vel in ipsam fluxum, arteriarumque adeò ad ipsam tendentium dissectionem, aut compressionem qualemcunque, ob luxationem ossium, tumores duros, vincula, &c. corpori continenti, ejusdemque *Partibus* pluribus paucioribusque nutriendis ac reparandis ineptum esse sanguinem ait, propter qualitatem vitiosam, humoresque vitiosos, salsos, viscosos, purulentos, &c. ipsi admistos.

Partium quoque nutriendarum vitio Atrophiam accidere arguit, quoties ipsæ à quacumque demum causa & imprimis externa fortuitaque aliquam sunt passæ noxam, ex casu nempe, contusione, vulnere grandi, &c. unde non tantum vasa per ipsas delata rupta sunt aut dissecta, verùm carnes ipsæ, ac membranæ, &c. labefactatæ & vitiatæ; quocirca non tantùm deficit, verùm corrumpitur quoque accedens ipsis alimentum, sanguis. Ab obstructione, compressione, constipatione ac coalescentia Atrophiam hanc fieri contendit.

Spirituum animalium transitum & influxum impeditum in partes emaciatas, itidem nervorum vel dissectorum, (cuius exemplum etiam habet Charleton in sua œconomia animali, exercitat. x. §.3.) vel compressorum vitio ait contingere.

Cartesianorum.

§. 9. *Cartesiani* partem aliquam corporis humani *Aridura* prehendi & tabescere affirmant, quoniam debitum ipsi subtrahatur alimentum; Fieri autem hanc nutrimenti partis subtractionem dicunt, non modò quòd illud diversimodè consumatur per diuturniores hæmorrhagias, salivationes, diarrhœas, sudores colliquativos, aliasque succorum extra corpus effusiones, quibuscum materia succo nutrienti destinata simul elabatur; sed quòd illud etiam propter canalium occlusionem, compressionem vel destructionem ad partes pertingere nequeat, aut à reliquiis quibusdam succi alicuius vitiosi tubulis partis nutriendæ adhærentibus corrumpatur, aut antequam ad ipsas istas partes alendas perveniat, iam sit corruptum & ad nutritionem ineptum. Particulas quasdam viscidiores arteriolas obstruere posse credunt, ut aliis aptioribus transitus, & ad fibras alendas accessus prohibeatur, vincula externa strictiora canales occludere, lympham spissiorem in ductibus suis hærentem vicinos tubulos comprimere, lapsum, contusionem, fracturam, & luxationem distorquere, compingere, vulnera & ulcera destruere, divellere, discindere & erodere, ut seiunctorum canalium extremitates fibrosæ in cincinnos abeant, & meatus eorum obturentur, quibus de causis omnibus liquori nutrienti transitus impediatur. Hisce convulsiones adiungunt & paralyses, ob quas frequentiores canales distorqueantur aut comprimantur. Acutas quasdam lanceolatas, aut ab utroque latere scindentes particulas, vel nimium angulares, liquorem nutritium corrumpere existimãt, quod mucronibus & angulis suis partes teretes, anguillares & ramosas chyli divellant, & fibrulis firmiùs adhærentes posteriorum accessum & agglutinationem impediant, sicuti utplurimùm in vulneribus contingat, dum diversi generis ductibus dilaceratis & diruptis succi eorum, lymphaticus nempe, nervosus, tendinosus, sanguis tum venosus, tum arteriosus confundantur, qui in se invicem mediante æthere agentes sese ipsos destruant, & dominium tandem capiente lympha acidiore, plures ab eo corrodantur canales, ut succi in copia aliquando effundantur, etiam chylosas nutrientes secum auferendo. Succum nutrientem corruptum ad partem deferri referunt, si loco particularum chylosarum blandiorum, ramosarum, & teretium diversæ magnitudinis multæ angulares, cuspidatæ, acicularum instar, sive acidæ & salsæ ex sanguinea massa per arteriolarum extremitates ad partem emittantur, quod in scorbuticis frequentiùs obveniat.

Nostra sententia de causa Atrophiæ.

§. 10. Nostro iudicio omnem Tabem tàm universalem, quàm particularem immediatè constituit *frustrata Nutritio*. Quantum enim ad nutritionem spectat, scire oportet, primò chylum nostrum constare uniformibus particulis, sed ratione magnitudinis & figuræ valdè diversis, utpote ex diversis eduliorum generibus intra stomachum præparatum. Dein sciendum est, hasce particulas ubi per venas lacteas ac ductum thoracicum ad cordis ventriculos pervenerunt, in illis porrò fermentari, attenuari ac incidi. 3. Perpendendum est, maximam in arteriis dari occasionem illis particulis egrediendi, dum enim sanguis ex ventriculis cordis magno cum impetu erumpens ex spatio angusto & latiori semper debet transire in spatium angustum & minùs latum, necessariò urgebit & expandet arteriarum tunicas, adeoque & poros earum summoperè & ampliabit dilatabitque, per quos facili negotio particulæ chyli oleosæ & dulces sanguini innatantes, & nondum intimè cum ipso mixtæ, eapropter ingredi poterunt in singulas partes, per quas sanguis transit. Cùm autem illæ particulæ chylosę inveniunt poros in corporis nostri partibus, suis figuris & superficiebus accommodatos, illic hærebunt & agglutinabuntur istis pororum lateribus sola quiete: hoc igitur modo facilè percipimus, qui particulæ chyli nutrientes cum nutriendis cohærere queant, quare nonnullæ ex his particulis alimentorum potiùs degenerent in os, aliæ in carnem, aliæ in membranas, aliæ in glandulas, aliæ in pinguedinem, hoc verò non fieri à facultate quadam assimilatrice, notum jam est lippis tonsoribusque, quod vocabulum nihil significat, quàm chimæram; neque huic satisfacient ii, qui statuunt, in chylo latitare similem particularum varietatem, quia & nos plerumque & ossa & cartilagines & carnes assumimus, adeoque has particulas cohærere posse cum sui similibus: huic enim responsioni reponi potest experimentũ de vacca vel cervo, qui solo vescentes gramine, prædictã partiũ varietatem nihilominus exhibent. Nec isti rem, meo judicio, acu tetigere, qui statuunt in singulis corporis partibus latitare fermentum quoddam peculiare, quod aptum natum sit alluentes chyli particulas in substantiam convertere similẽ, ut in poris cartilaginum latitet aliud, quàm in poris ossium, in his iterum aliud quàm in poris membranarum, & sic porrò. Sed quibus constat Machinam nostram ex meris canaliculis conflatam esse, majoribus, maximis minoribus & minimis, facili negotio hæc explicabit. Nos enim persuasi sumus, opus hoc consistere in eo, prout canaliculi chylum recipientes sunt diversę magnitudinis vel amplitudinis liquor crassior recipitur cũ enim chylosæ particulę crassiores inveniunt canaliculos ampliores, hinc nutritur *Caro*, si verò canaliculos constrictiores & minores transeant chyli particulę subtilio-

tiliores, tunc membranæ & cartilago augmentantur: quando verò transeant chyli particulæ subtilissimæ, tunc ossa nutriuntur, hoc modo unus chylus plures potest nutrire partes; quo enim vasa majora vel minora sunt, chylus recipitur vel crassior vel subtilior. Duplex ergo statui potest Nutritio, una scilicet, & quidem præcipua, partium fluidarum, altera verò partium stabilium sive solidarum. Inter partium fluidarum, præprimis spirituum animalium restitutio necessaria est, cùm enim valde subtiles & ad motum faciles, adeoque sphæram suam debitam, intra quam moveri possunt, semper quæritent, hinc indesinenter per sudatoria cutanea, quibus scatet Cutis, innumera, ipsorum quamplurimi auras petunt, & ita præsentia sua illud defraudant, languidumque reddunt, quod post diuturniorem aliquando famem animadvertunt homines, qui exinde animo linquuntur; subtiliores enim sanguinis particulæ, quæ eundem debitè motu & mixtura conservare fideliter solebant, jam dudum avolarunt, contrà verò cum partes stabiles & solidæ juxta se invicem quiescant, per solam enim quietem sunt stabiles.

Quatenus itaq; spirituum illorum in corpore nutritio nihil aliud est, nisi continua particularum valdè subtilium suppeditatio, cujuscumque demum fuerint indolis particulæ istæ subtiles. Requiruntur itaque ad debitam partium solidarum nutritionem particulæ tales, quæ leni sua ramositate & flexibilitate poris partiũ variè possunt accommodari, & superficiebus ipsarum applicari, quales sunt blandæ oleosæ, h. e. quæ blandè saltem juxta se invicem repunt: *oleosæ* dico, nam humidæ cùm nimis sint glabræ & anguillarum instar lubricę, eadem, qua poros irruerunt, facilitate rursus etiam elabuntur, quod sanè non requiritur, si aliquid partibus apponere debeat, quietem enim aliquam huc concurrere necessarium est. Acidæ verò particulæ aqueæ, salinæ ac amaræ magis nutritionem, quatenus talem, impediunt, quàm juvant, ut aquæ quidem & salinæ, modò non nimis sint acutæ, in tantum etiam aliquid ad nutritionis opus contribuunt, quatenus aliis ramosioribus partim inserviunt pro vehiculo, partim ipsis viam præparant ad partium nutriendarum poros ingrediendum, sesëque superficieculis ipsarum applicandum.

Præmissis his, *Atrophiæ Particularis* causam facilè eruere possumus, quæ æquè ab interna, quàm externa observatur causa. Utplurimùm pręcedentem quandam occasionem externam Tabes hæc sequi solet, ob nutrimenti vitium & ejus defectus, finemque tàm sanguis propriè dictus, quàm chylus non rite affluit in partem nutriendam, ob aliquod impedimentum, propter arteriæ nempe ad eam tendentis læsionem, & à causa externa compressionem, vel ex luxatione, vel fractura, tumore duro, &c.

Fit ergò *Aridura* vitio tubulorum vel canalium, si nempè fuerint obstructi vel plane rupti ac abscissi, ut per eos liquor chylosus vel nerveus emanare ac stagnare nequeat, aliàs comprimendo & obstruendo parti Ariduram inferre potest. Sic in puella nuper hìc observavi, quæ in genu defluxionem, ut vocant, sustinuit, Chirurgus verò imperitus accersitus statim tumorem aperit, ex quo humor stillavit flavus & paucus remanente tumore, qui Chirurgus nimis audacter eum adhuc semel ferit, efficitque 6. foramina, sed frustrà, tandem resolventibus aliis puellam quidem intra aliquot mensium spatium curavit, remanente Aridura totius Tibiæ, adhuc durante. Affectus hic sæpè oritur à liquore chyloso acore imbuto tenacique, & ad circulationem inepto, canaliculos partis alicujus obstruente, & comprimente vicinos tubulos, hinc succi per eos transire nequeunt. Certum enim est, succum nerveum seu spiritus animales ex cerebro fluentes, omnesque ramulos nerveos toto in corpore replentes, non modò partium nutrimentum dispensare, ut pars nutrienda ritè suo fungi queat munere, cuilibet siquidem notum est, spiritus animales esse distributores chyli: Partis enim nutriendæ est succendiculis illis, per pulsionem & motum oblatis, fibras suas legitime dilatare, quale & quantum ad sui nutritionem sufficit, dispensare per suos canaliculos. Læduntur verò dictæ *Nutritionis* operationes in *Aridura* artuum aut ex culpa spirituum, aut eorundem canalium, spiritus enim peccant vel quantitate vel qualitate: quantitate peccant, ubi insufficiens eorum est copia, & adfertur portio: quod ipsum fit vel ob senectutem nimiam, vel ob cibos acidum vel austerum ac crassum prębentes chylum, vel ab inedia, aliisq; morbis defunctis, imprimis Paralysi, vel evacuationibus nimiis. Item quando spiritus animales, etiamsi in corpore pręsentes sint, ad alias sępiùs vocantur actiones v.g. meditationes profundas, curas, mœrores, amores, &c. adeò ut in his nimis occupati & distracti Nutritionis negotio debita adminicula subtrahant, partesque hac ratione segniùs & insufficienter nutriri faciant.

Qualitate peccant etiam spiritus animales, ubi particulæ ipsis admixtæ sunt salinæ, acidæ ac viscidæ, quæ eorundem motum & vigorem impediunt, & ipsos reddunt torpidiores, imò aliquando ipsos canaliculos nerveos lædunt, quales sunt acres scorbuticæ, narcoticæ spirituum velut exstinctoriæ, venenatæ ex fumo arsenici, auripigmenti, ut ita non pridem ex tali fumo instituto Atrophiam hanc particularem in quodam Pharmaceutices Studioso observavimus. Id quod etiam Metallurgi probant, qui sub quotidiano labore illiusmodi fumos noxios copiosissimè attrahunt, hinc artuum debilitates, tremores, contracturæ, & imprimis *Ariduræ* ipsis obveniunt. Canaliculi omnes, & præcipuè ex iis Nervi, eorumque fibrillæ inculpantur meritò, quando iidem læsi spiritibus animalibus liberum cursum vel motum denegant, atque hinc eorundem operationes sensum & motum & per consequens ipsam impediunt Nutritionem, & Ariduram partibus inferunt. Notandum porrò hic est, non qualemcunque nervorum læsionem statim inducere maciem & absumptionem, nisi ubi pars priùs omni spirituum animalium influxu prorsus destituta sit. Hinc contingit, membrum Paralyticum motu interdum destitui, superstite adhuc sensu & nutritione, quæ nutritio tamen plerumque pravitatem quandam habet junctam. Læduntur autem Nervi (1.) quando obstruuntur, vel à particulis acidis, austeris, crassis, stypticis eosdem obsidentibus & obstruentibus: vel per vertebrarum aliorumque articulorum luxationem, tumorem, cicatricem, aut ulcus vicinum eas prementibus, & sic spiritus animales transeuntes suffocantibus: vel quando continuitate solvuntur nervi, ut in vulnerib., fracturis, contusionibus, nec non luxationibus, aliisque stagnationibus succorum acrium accidit, sępe etiam ob defectum nutrimenti exsiccantur vasa, quod nutrimentum nunc subtrahitur per nimam sanguinis & seri evacuationem, v.g. immodicum synoviæ & sanguinis effluxum in sauciatis aut ulceribus, per coitum justo frequentiorem, sudores copiosos; nunc ob canaliculos quocunque modo obstructos oritur *Aridura*. Pertinet huc denique defluxus seu potiùs stagnatio catarrhalis, quando sc. sine ulla causa manifesta, saltim ob seri evasati decubitum & pressionem in quandam partem ejusque articulationem, & inde fibrarum ad tendinem, paralyticam flacciditatem, cum sensu doloris obtuso. Fit quoque Aridura membri à dislocatione articuli comprimentis ligamenta ac nervos, ceu observavit *Hildanus* à dislocatione in coxa tibiæ Atrophiam. A gibbo Atrophiam particularem observavimus. Nervorum ergò & fibrarum læsiones causam Tabis particularis aliquando esse quis negat? Si enim nutrimentum optimum, & sufficiens ejusdem copia per vias destinatas cõtinuò omnib. equè offertur partibus, & nihilominùs pars una atq; altera marcescit, reliquis adhuc salvis. Ex his dictis constat, quòd Atrophia particularis oritur vel ex defectu succorum, vel eorum lentore, aut ex eorum acrimonia. A defectu, quando sc. vasa seu canaliculi rupti vel corrosi, vel ab alia causa violenta distorti, vel compressi fuerint, hinc crispantur & absque succis in fibras exsiccantur. A lentore seu pigritie succorum oritur Atrophia hęc particularis, quoniam succi circulantes crassi sunt, & in plures parvulos canaliculos intrare nequeunt, ut inde eodẽ modo collabãtur. Ab acrimonia succorũ, quoniã ab acrib. succis canaliculi hinc inde corroduntur, qui succi effluũt, sicq; stagnant,

gnant, &, si aperta via est, penitùs ex corpore emanant, & tunc hæc vel illa pars iis fraudatur. Sic quoque hic affectus oboritur vitio canaliculorum, quando nempe sunt coaliti, vel nimis angusti, vel planè indurati, hinc succis nullus ad partes conceditur transitus, vel si fuerint compressi à variis incumbentibus, hinc ægri ob has causas & per sequentes, sc. per nimios labores, vigilias, jejunia, sitim, mœrorem, sudores, nimiam balneationem, violentas purgationes, suctiones infantum, Apostema, ulcerationes, fonticulos, V.S. Hæmophysin & emarcescunt & patiuntur modò Atrophiam generalem, modò hanc particularem. Nuper etiam Ariduram brachii observavimus in Lavatrice ex perfrigeratione aquæ frigidissimæ, ubi facta est impedita sanguinis ac succorum reliquorum circulatio. Remotè plures causę contribuere possunt ad hunc affectum producendum, quas omnes ob nimiam prolixitatem hac vice recensere supersedemus, & ad *Prognosin* nos conferimus.

Prognosis. §. 11. Quod atque Ariduræ Particularis Prognosin concernit, sequentia observanda veniunt. Aridurae Particulares ex nervorum & fibrarum lęsione subortę, plerumque suum reliquo corpori haud impertiunt vitium, nec lethales sunt, sed in principio convenientibus restitui possunt remediis: imò eidem soli parti ad mortem usque fixæ inhærent, reliquis corporis partibus semper salvis, quò major enim causa, & quò plures simul conjunctæ sunt causæ, eò contumacius & periculosius malum hocce dicendum erit. Affectus hic est Chronicus, & vel paralysin, vel fracturam sequitur: novimus enim plures, qui membrum aliquod per plures annos emarcidum habuerũt; sæpè etiam partes aridę motum ac sensum perdunt, hinc etiam hoc laborantes affectu facilè in apoplexiam labuntur, vel cadunt in motus convulsivos, ob defectum & inde acres fœtores spirituum animalium & reliquorum succorum Generosis enim remediis nil proficientibus, metus est, ne tandem gangræna vel totalis corruptio, Sphacelus nempe insequatur, ubi in tempore cadaverizata pars auferenda, ne vicinis partibus labem communicet.

Si à luxatione & vulneribus Aridura fuerit, curatu est difficillima, & ferè sæpe optima eludit remedia, sic etiam cum reliquis comparatum est. In Junioribus faciliores sunt curatu Atrophiæ hæ Particulares, quàm in adultis & senibus.

Diæta. §. 12. Perpensa *Prognosi* deducimur nunc ad *Fontem Diæteticum*, auxiliis ditissimum, utpote cujus beneficio sæpè gravissimi tolluntur morbi, & quo sine etiam utplurimùm frustrà laborare solent Medici ac Chirurgi. Consistit autem *Diæta*, ceu sæpiùs dictum est, in legitima assumendorum, gerendorum & excernendorum concinna administratione, quoniam si illa non ritè observantur, causæ morborum existunt. *Aer* ergò inter ea primas tenet, quo homo in lucem prodiens statim tanquam pabulo vitæ utitur, sine quo nec homo, nec animal vivere potest, ceu hoc probari videmus per antliam nostram Pneumaticam, in qua posita animalia exantlato aere illicò moriuntur, imò, quod mirandum, ipsis vegetabilibus vita sine aere perit. Aer ergò in Aridura debet esse temperatus, si enim nimis frigidus existit, sanguinem nostrum reliquosque succos circulantes inspissat, coagulat & ad motum ineptos reddit, quia aer frigidus in se continet multum acidi. Si nimis calidus est, ansam dat ad nimis vehementiorem transpirationem, qua subtilissimæ & volatilissimæ particulæ sanguinis & succorum avolant, & restans pari modo crassum, spissum ac lutosum redditur; præterea omnis calor reddit sanguinem acriorem, exsiccatque reliquos corporis nostri succos: nec hic cum aliis Medicis aerem commendamus humidum, aer enim humidus secum fert penetrans frigus quod catarrhos, vel potiùs obstructiones vasorum lymphaticorum producit, augetque lympham in corpore, per quam sanguis aquosior fit, ut in circulatione sua potiùs impediatur, & sic motu suo frustretur. In Atrophia hac potissimùm nocet Aer noxio corrosivoque refertus acido, vel ab arsenicalibus, sulphureis, narcoticis aliisque venenatis particulis, vaporibus aut nebulis productus, quia corrosivum acidum sanguinem circulantem pro gradu acrimoniæ magis vel minùs coagulat, & hanc ad Ariduram disponit, vel eandem incurabilem reddit, hinc eligatur rure aer temperatus, si non haberi potest, arte corrigatur salibus volatilibus, vel suffumigiis aromaticis ac resinosis, ut ex succino, bacc. Juniper. gum. animæ, mastiche, olibano, &c.

Cibi sint facilioris digestionis, optimi lacteique succi, ut corpori languido & membris emarcidis robur & nutrimentum inde accedat, per cibos enim & potum succi nostri, qui per urinam, alvum, sudorem ac insensibilem transpirationem quotidiè & momentaneò consumuntur, resarciri debent, ità ut ex 8. libris alimenti assumpti quinque per vasa sudorifera avolent, hinc continua restitutio valdè est necessaria, si enim particulas per poros corporis continuò egredientes videre poteris, semper hominem nebula circumdatum aspicies. Cibi quoque eligendi sunt, qui ab infantia consueti & sapori nostro grati sunt, gustu enim decipimur, cùm ab infantia à matribus cum lacte assumpto sæpè depravetur, ut inde multis præjudiciis occæcati simus. Esto ergò nobis generalis hæc regula, quòd omne id, quod circulantem sanguinem ac succos in motu suo impedit, crassum, pigrum, lutosum ac viscidum acremque reddit, simulque coagulat, summè noxium existat, hinc tria hæc vitanda sunt, *Acidum* nempe, *salsum*, ac *dulce*. Hæc enim viscosa, utut salsedinem massæ sanguineæ optimè inviscare valeant, vitentur, quia exilia vasa infarciunt, glutinant, chyli aliorumque succorum transitum denegant, ut inde partes corporis, ubi obstructio facta tabescant; facilè ergò quilibet eligere potest ea, quæ multum salis volatilis in se continent, uti sunt omnes carnes, imprimis leporinæ ac cervinæ juniores, vitulinæ ac bovinæ, &c. quæ multum præbent salis volatilis; sic Pharmacopœus quidam ex integro cervo 100. ℔. pendente, libras sex salis volatilis more chymico elicuit & collegit. Assumantur ergò carnes quævis recentes, non salsę vel muria confectæ, vel fumo induratæ, quæ nullum præbent nutrimentum, sed potius sanguinem ac succos inspissant. Eligantur lac & ova recentia, quæ in Atrophiis maximi sunt usus. Vitentur omnes fructus acidi, inter fructus verò concedi possunt nuces juglandes, avellanæ, amygdalæ dulces, pistaciæ, pineæ, &c. sed de his jam satis alibi egimus.

Potus quoque emaciatos reficit, succosque nostros fluidos reddit, ad quod præprimis commendamus potum Theæ cum lacte, vel calidum Capheæ vel etiam Chocoladæ; in consuetis concedi possunt cerevisiæ, pingues ac temperatæ volatilibus impraegnatæ herbis præstant: alii laudant decoctum hordei cum passulis & lign. santal. citrin. vinum Gallicum minùs acidum non austerum modicè potum conducit, quia spiritus animales incitat ad fores clausas aperiendas: ubi spiritus languent, vinum Hispanicum concedi potest. Vitanda verò sunt omnia vina acida, ut sunt omnia Rhenana, Baccharacensia, Mosellana, generosa tamen, quæ dulcedinem præ se ferunt, admitti possunt, & quidem in consuetis, quia vina hæc in se continent acidum intensum, quod omnes succos nostros, qui sunt lacti vel cremori hordei similes, in corpore nostro, uti lacti affusa coagulant, & sic obstructiones tubulorum pariunt, totamque œconomiam nostram pervertunt, meliùs ergò vina conducunt alcalica, quale in districtu Hanoviensi Sancti Uvilhelmi dicti crescit, quod vinum maximè sanitati conducit, cùm acidum non in tanta copia ac alia vina in se contineat; vitandæ verò sunt omnes potationes & ingurgitationes cujuscunque potus, hac enim ratione ventriculi tonus & fermentatio destruitur, massa sanguinea nimia cruditatum accumulatione vitiatur, spiritus debilitantur, quid igitur mirum, si corpora bibonum emarcescant?

Quoad *somnum* ac *vigilias*, somno æger indulgeat longiori, & corpus quiescat, nec motionibus, curis, mœrore, terrore, metu, ira, meditationibus, amore, nimiove Veneris usu enerventur artus. In tubulorum quorumvis nutrimentum vehentium, nec non nervorum obstructionibus tabificis reserandis multùm conducit *Motus*, moderatus tamen, non enim sit laboriosus.

Alvus

Alvus nec sit nimis adstricta, nec laxa nimis, oblita verò officii sui, quod tabidis solenne est per blanda solutiva tantùm, vel melius spirituosis alcalicis & absorbentibus admoneatur.

Uno ut comprehendamus verbo, quæcunque ad nutritionem ritè promovendam sanitatemque tuendam aliàs requiruntur, summa opera tabidis observanda sunt, contraria vitanda. Nutritio enim est vitæ conservandæ medium cum quovis subjecto, illa desinente, ipsa etiam vita desinit: raræ enim & utplurimùm fictitiæ sunt illæ abstinentiæ diuturnæ exempla, imò rarissima est historia illa, quam recenset *D. Boisot Abbas S. Vincentii de Jacobina Nicolet*, quæ intra 35. septimanas nihil comedit & potavit, qualis inediæ qui plura exempla desiderat, adeat *Paul. Lentulium de Inedia prodigiosa Apolloniæ Schreieræ*. Conferantur etiam *Licetus* de Feriis altricis animæ, & *Pechlinus* de aeris & alimenti defectu.

Atrophiam curãdi ratio secundùm Galenicos.

§. 13. Data sic Diæta, restat ut Therapeiam quoque subjungamus, & quidem priusquam nostram aperiamus sententiam, aliorum affectui huic medendi rationem præferemus, inter quos ob vetustatem *Galenicis* primus conceditur consessus ac locus, vota sua proferendi.

In *Aridurâ* ergò membri alicujus eò insudant, ut hepatis intemperies corrigatur variis hepaticis in eum finem internè propinatis, si verò Atrophia fuerit ab obstructione pituitosa, materiam hanc præparant, & dein variis exhibitis phlegmagogis eam evacuant, dein accedunt ad roborantia; quandoque & ex naturæ, deastræ ipsorum, partis vitio, & adstrictioribus linteis id accidit, ut quasi sideratum, & marcidum membrum affectum gracilescat. Quandoque etiam ex Atrophia partis. Omnia igitur hæc in melius commutanda esse ajunt, cùm toti corpori prospiciatur optimis alimentis. In affecto membro instaurandam esse vitam jubent, laxandam esse deligationem strictiorem, & attrahendum vel alio modo eò adigendum esse sanguinem. Laudant ergò in eum finem dropaces, sinapismos, moderatam aquæ temperatæ perfusionem, idoneas frictiones, prætereà commodam deligationem, sed contrà quàm in Fracturis. Marcescente enim tibia, femur superiùs alligant ab inguine ad genu deducta fascia; atque initio quidem arctiorem paulatim relaxant, ut à communibus venis, quasi rivis, deorsum sanguis exprimatur. Femore dextro contabescente, vel toto crure, sinistro femori fascias injiciunt, à genu ductis orbibus, adstrictiùs quidem, qui cùm desinant in inguine, hic etiam ita constringunt, ut pars aliqua sanguinis in gracile membrum derivetur. Ea autem ratione temperant deligationem, ut neque dolorem creet, neque universum alimentum à parte incolumi reprimat. Eandem rationem servant in superioribus membris. *Guil. Fabr. Hildan.* brachii Atrophiam insuccatione decocti capitum & intestinorum vervecum, vel vituli, & suctione per cucurbitulam corneam arteriis & venis majoribus appositam curavit. Hanc Hildani curam sua experientia Tulpius *Observ. l. 3. c. 49.* confirmat.

Paracelsum

§. 14. *Paracelsus* in *Aridura membrorum* commendat varias Vulnerarias potiones, ex. gr.

℞. *Flor. spicæ* M. j.
Hypericonis M. iv.
Taxi M. ij.
Betonicæ.
Flor. centaureæ,
Prunell. aa. M. ß.
Præpara secundum usum de spica dictum:

Commendat externè medullam ossium & pinguedines animalium, item medullam humanam ac pinguedinem item unguenta ex resinis odoratis & balsama varia, ex. gr.

℞. *Galbani* ℔. j.
Terebinth. ℔ iij.
Olei laurini,
Olivarum aa. ℥ iij.
F. oleum, quo mane vesperique utitur.

Vel
℞. *Adipis vulpis*,
Taxi aa. ℔ ß.
Mumiæ de medullis ℥ iij.
F. Unguentum.

Helmontiũ.

§. 15. *Helmontius* in *Curatione Ariduræ membri* eò tendit, ut vis distributiva non aberret, in quem finem laudat internè elementum perlarum lacteum, externè adipem & mumiam humanam cadaverum violenter mortuorum. Sunt ex sequacibus ejus, qui ad membra consumpta & contabescentia brevi tempore reficienda balneum instituunt ex foliis salicis, illudque singularibus condecorant encomiis.

Vuillisium.

§. 16. *Willisius Ariduræ membrorum* subvenit salsoacidam sanguinis dyscrasiam corrigendo, sulphurumque acrimoniam temperando, decoctum lignorum statim præscribit, & si Aridura à febri hectica oriatur, passulas lignis adjungi jubet, quippe quæ summæ sunt efficaciæ in hectica. Perlas & oculos cancrorum hoc in casu inter alia commendat, pluribusque etiam extollit lactucam, nymphæam, endiviam, cichorium, &c. Lactis usum in Aridura magnifacit, æquè ac omnia lacticinia. Topica verò Medicamenta internis associat, adeò ut eorum ope fibrarum nervearum obstructiones reserari possint, quales sunt spiritus lumbricorum terrestr. Lavendul. Juniper. Sal. Armon. cum calce viva parat. &c. miræ est quoque virtutis arcanum aluminis cum linimentis & pinguedinibus appropriatis applicatum.

Sylvium.

§. 17. *Sylvius* particularem Atrophiam fieri asserit in determinatis tantùm partibus, Artubus præsertim, eamque ex arteriarum vel nervorum soluta cõtinuitate oriundam incurabilem pronunciat: Sin ex arteriarum obstructione causam ducat, ea sublata, eam tolli asserit, in quem finem omnia ea Medicamenta commendat, quæ non tantùm humores glutinosos incidunt, sed & educunt humorum glutinositate juxta ipsum corrigunt & emendant omnia aromatica & sale volatili abundantia, qualia sunt inter radices calam. arom. levistic. galang. 5. aperient. pyrethr. raphan. gentian. zarzaparill. Cortic. Tamarisci, cinam. macis: fol. card. bened. calaminth. meliss. rorismar. origan. absynth scord. petrosel saturej majoran. pimpinell. serpill sem. anis. fœnicul. carv. cardam. cubeb. gran. paradis. nasturt. eruc. salia volatilia, C. C. urinæ, sal Armon sangu. hum. olea varia, & quæ sunt talia plura. Ex quibus variæ formulæ pro Medici intentione & ægri palato formari possunt, ex. gr.

℞. *Aq. meliss.*
Card. bened. aa ℥ i ß.
Vit. Matthiol. ℥ ß.
Spir. sal. Armon. gt. xv.
Ol. macis still. gt. iij.
Syr. 5. rad. ℥ j.
M.

Capiat æger subinde hujus mixturæ cochleare unum vel alterum. Humorem glutinosum quodammodo correctum si abundet, evacuat colocynth. hermodactyl. Mercur. dulc. gum. var. ex. gr.

℞. *Gumm. sagapen. cum aceto mund. & inspissat.* ℈ ß.
Trochisc. albandal. ℈ ß.
Merc. dulc. gr. xv.
M. F. Pil. N. xv.
Exhibeantur ægro manè.

Atrophia quæ arteriarum compressioni, ex tumoribus, luxationibus, & cæteris talibus vitiis adscribitur, iis curatis nutrimentum partibus denuò concedi.

Si ex nervorum compressione ab humore pituitoso circa medullam spinalem vel alibi hærente, præter jam dicta incidentia & attenuantia interna, etiam externa usurpat Cataplasmata, unguenta, linimenta, Emplastra, & alia plura; ex. gr.

℞. *Ungu. martiat.*
Dialth. aa. ℥j.
Ol. Philos. ℥ iij.
Succin. ℨj.
M.

Emplastra nervina & ex gummi parata magnifacit.

Cartesianorum curatio Aridura.

§. 18. *Cartesiani* restitutionem alimenti maximam partem curationis *Ariduræ* sive *Atrophiæ particularis* existere dicunt, quam pro causarum varietate diversimodè impetrare student. Defectum enim chyli nutrientis supplere aggrediuntur remediis digestionem in ventriculo & distributionem ejusdem succi per venas lacteas promoventibus, ut magna satis copia in massam influat sanguineam, atque ex eadem omnibus partibus æquè communicetur, qualia existere putant, quæ particulis abundant spirituosis salinis volatilibus & oleosis, mentham videlicet & ex ea paratam essentiam, nec non essentiam rorismarini, zedoariæ, spiritum salis armoniaci cinnamomisatum, tartarum solubilem, aliaque stomachica, præsertiam famosum illud specificum stomachicum *Poterii*. Ne verò frustra urgeatur distributio, etiam prospiciunt, ut alimentis facilis digestionis & multùm nutrientibus debita chyli suppeditetur copia, quapropter juscula carnium juniorum animalium, & ex lacte parata approbant. Sed quamvis in reliquis corporis artubus nulla sentiatur penuria, in certa tamen parte illa nutrimenti contingit defraudatio, eo quòd canales & tubuli illius non satis sint dispositi ad transitum particulis nutrientibus concedendum, operam locant, ut in specie ductus hi particulares referentur, & proinde omnia removeantur obstacula, quæ succorum influxum possunt inhibere. Crassiores itaque & viscidiores illas partes sanguini immistas, & arteriolarum extremitates obstruentes attenuant & resolvunt tum internis spirituosis & volatilibus, sudorem excitantibus, & omnes succos fluidiores reddentibus, tum externis poros facilè penetrantibus, fibras agitantibus, & contentos in canalibus liquores ad motum suscitantibus. Vincula etiam membra nimis stringentia relaxant, fracturas uniunt, sanant, & partes luxatas in situm debitum restituunt, easdemque ferulis coercent, ne denuò excidentes vicina vasa & tubulos comprimant. Ut autem liquorum motus promoveatur, & canales debitè ab iisdem expandantur, sequens vinum medicatum magno exstiturum esse dicunt auxilio.

℞. *Rad. Levistic.* ℥ iij.
Angelic. ℥ ij.
Caryophyllat.
Imperator. aa. ℥ iii ß.
Herb. menth.
Salv.
Origan
Fol. rorismar. aa. M ß.
Rasur. lign. colubr. ℥ ß.
Flor. cheiri P. i ß.
Bacc. Junip. ℥ iij.
Cardamom. min. ℥ j.
Cinnamom. acut. ℈ ij.
Sal. Armoniaci depurat. ℥ ß.

F. *Species pro Nodulo* uni mensuræ vini impendendo.

In Convulsionibus & paralysi huic morbo præcedaneis, prioribus speciebus adjungunt majoranam, rutam, betonicam flores lavendulæ, baccas lauri, & sal volatile cornu cervi frequentiùs exhibent. Promovent etiam sanguinis & liquoris nutrientis in partem influxum remediis externis, ut à debita succorum copia canales compressi sufficienter dilatentur & amplientur, vel distorti in convenientem disponantur situm, eaque propter haud contemnendas esse affirmant frictiones panno laneo calido, vel foliis & semine urticæ, quibus præmissis partem illinunt oleis penetrantibus ex castoreo, Philosophorum, erucæ, terræ, terebinthinæ, saponis, vel spirituosis, quale sequens infusum existit, magnum hoc in affectu exhibens commodum.

℞. *Herb. abrotan.*
Herb. rutæ,
Origan.
Salv.
Sabin.
Menth. Saracen.
Fol. rorismarin. aa. M ß.
Flor. chamomill. Roman.
Lavendul. vel *spic.*
Cheiri aa. P. j.
Rad. ari ℥ iij.
Pyretbr. ℥ ij.
Levistic. ℥ ß.
Bacc. laur.
Junip. aa. ℥ iij.
Piper. ℥ i ß.
Zinzib. ℥ ii ß.
Lumbricor. adhuc vivor. ℥ j.
Formicar. viv. ℥ ß.
Castor. ℥ j.
Euphorb. ℥ ß.
Sem. eruc. ℥ ij.

Debitè apparatis affund Spir. vin. s. q. in vitro ad eminentiam 6. digitorum, stent in loco calido per aliquot dies & noctes, postmodùm membrum aridum aliquoties in die calidè liquore hoc illinatur. In defectu hujus infusi aliquando simpliciores spiritus in usum ducunt, quales sunt spir. lumbricorum, formicarum, Juniperi, angelicæ, essentia castorei, aqua Anhaldina mirabilis, & similes. Nec unguenta contenunt, præsertim quando post vulnus vel ulcus magnum & diuturnum plures canales sunt destructi, ut fibris emollitis, ex vicinis tubulis & canalibus liquore majori influant copia, & membrum sufficientibus succis irroretur, qua de causa sequens unguentum in Ariduris hisce auferendis, & nutritione promovenda summopere deprædicant.

℞. *Ung. altb.* ℥ viij.
Arregon.
Martiat.
Agripp. aa. ℥ ß.
Ol. laurin.
Junip. è baccis aa. ℥ ß.
Lign. ℥ i ß.
Lumbric.
Castor.
Petræ R.
Spicæ,
Hyperic. aa. ℥ ij.
Axung. taxi
Ursi,
Canis,
Porci,
Mur. mont. aa. ℥ j.
Homin. ℥ ß.
Sev. cervin. ℥ j.
Pulv. pip. nigr. ℥ iij.
Euphorb.
Pyretbr.
Alum. plumos. aa. ℥ ij.
Ceræ citrin. ℥ iij.
M.

Salibus fixioribus referta massa sanguinea in scorbuticis volatilia interna & externa scorbuto convenientia in usum ducunt ex cochlearia, nasturtio, armoracia, semine erucæ, sinapi, raphani, non omissis anteà internis porosioribus & alcalicis, quibus sales acutiores facilè adhæreant & ab iis corrigantur, oculis scilicet cancrorum, ebore philosophicè præparato, coralliis, antihectico *Poterii*, Antimonio diaphoretico, nec non arcano duplicato, singulari in hoc affectu remedio. Foris sequens adhiberi potest mixtura spirituosa & balsamica.

℞. *Spir. Junip.* ℥ ij.
Lumbric. ℥ j.
Spir. cochlear. ℥ ß.
Sal. Armon. ℥ ij.
Essent. eruc. ℥ i ß.
Ol. d. Chamomill. Rom. ℈ ß.
Lavendul. gt. viij.
Rorismarin. gt. vj.
M.

Nec debitas suas hic detrahunt laudes balneis & thermis sulphureis & bituminosis, quibus membra arida sæpiùs immergi & foveri volunt iisdem, easque adhuc

huc judicant præstantiores, quæ ex terra proveniunt, multum aluminis plumosi in se continente, ad quarum indolem accedere videtur fons ille medicatus, ante parvum temporis spatium in Hassia nostra in agro prope Schencklengsfeldiam prosilire observatus, cujus usu aliquot jam reconvaluere. Potest tamen harum suppleri defectus aliis quibusdam artificialibus, incoquendo scilicet aquæ communi vel pluviatili herbas nervinas, huicque decocto adjungendo sulphur crudum, bitumen & alumen scissile sive plumosum, quod tum pro fotu & balneo salutariter adhibebitur. Sparadrappum nonnunquam imponunt arido membro, ut fibræ non tantùm emolliantur, sed aer quoque arceatur noxius, ne per poros ingrediatur, nec liquores resoluti tam citò exhalentur, qualem sequenti conficiunt ratione.

℞. Resin. pini,
Ceræ,
Sevi hircin. aa. ℥iiiß.
Dissolvantur super prunis, & immisceantur pulv. sem. hyper. ℥ß.
Coquantur invicem, & tela linea Mixturæ huic immergatur:

Quæ siccata parti tabescenti post fotum & inunctionem commodè imponatur.

Nostra Ariduram curandi ratio.

§. 19. Perspecta itaque aliorum Cura, operam dabimus, ut illud etiam, quod Particularem Atrophiam produxit, quantum possibile, auferamus, finemque sic artis, quæ sanitas est, assequamur. *Cura* ergò, *nostro judicio*, diminutionis hujus tabificæ restitutionem, mediante nutritione, ac quasi regeneratione in carne, pinguedine, &c. præcipit: quòd si itaque massa sanguinea orbata sit succo nutritio sive chylo à morbis exantlatis, ille reparetur cibis, qui in succum ac sanguinem facilè converti possunt, & multo alcali & sale volatili sunt referti, ceu jam superiùs de *Diæta* ad nauseam diximus. Et cùm utplurimùm obstructio tubulorum vel à luxationibus, vulneribus, fracturis, contusionibus aliisque compressionibus externis oborta, tolli debeat, quibus enim sublatis & curatis, & tollitur inde producta Aridura, de horum prædictorum affectuum curatione suo loco agemus. Si ergo ab obstructione nervorum, aliorumque tubulorum à succis crassis viscidis ac lutosis oborta, omni studio eò collimandum est, ut hæc auferatur, &, si concurrat visciditas ac aciditas, conveniunt hoc in casu præ aliis absorbentia sudorifera blandiora ac incidentia, quæ sanguinem cum reliquis succis attenuant, spiritus augent, eosque volatiliores reddunt, sicque obstructionem tubulorum tollunt: conducunt ergò sal C. C. volat. succini, sal volat. oleos. liq. C.C succin. spir. sal. Armoniaci succin. imprimis verò spiritus noster Catarrhalis, & spiritus C. C. cum sale Tartari paratus, vel spiritus matric. fuliginis, Essent. castor. Zedoar. viperar. lign. aloes, spir. Eboris, lumbric. lil. convall. cochl urin. formicarum, quæ æquè internè ac externè usurpari possunt, &, si acidum coagulans adfuerit intensum, magnetem acidi commendamus, Cinnabarin scilicet, Antimonii & nativ. pulv. spasmod. n. d. specif. ceph. D. M. Mercurium dulc. in obstructionibus reserandis egregium remedium, quod etiam aliis addi potest remediis. In juniorum gratiam unam & alteram communicabimus formulam.

℞. Spir. matricalis ʒiij.
Salis volat. oleos. ʒiß.
M. & assumuntur 30. usque ad 60. guttas.

Incidentia varia interponenda sunt Tartarea, armoniacalia, & ex herbis atque radicibus aromaticis vel forma vini medicati propinanda, vel forma Essentiæ exhibenda.

Dein *Cura* eò dirigatur, ut promoveatur spirituum animalium influxus, tollendo obstructionem, & hinc simul sanguis ac reliqui succi, ad partem quo reparetur sufficiens nutritio pellantur, in specie habenda est ratio, an cum solutione continui & effluxu nutrimenti inducta fuerit Aridura, an verò sola læsione vel obstructione sine continui solutione, sive hæc à vi externa facta fuerit, sive ab interno lymphæ acidæ decubitu, in quem finem acidum absorbentia interna conducunt, ut oculi Cancrorum, Ebur, C. C. aliaque corpora terrea, & insipida, quæ salium acutorum acrimoniam obtundunt, ut corallia, crystall. mont. testæ, conchæ, in ditioribus margaritæ, unicornu, bezoar, &c. ex mineralibus sal Saturni, Antihecticum Poterii, Antimonium diaphor. Balsamica volatilia oleosa hìc apprimè prosunt, quatenus spirituum animalium influxum promovent, tubulos obstructos quoscumque aperiunt: Balsam. noster nervinus, item volatilis noster contra Atrophiam egregius est, quo plures inveteratas sustulimus Ariduras artuum. Conveniunt etiam spiritus meliss. flor. tunicar. lil. convall. lavendul. rosar. flor. tiliæ, salv. anthos, sive ex florib. rorismarini titulo aquæ Regin. Hungariæ notissimus.

Si particulæ salinæ terrefactæ obstructionem tubulorum causantur, & sic Atrophiam inducunt particularem, in eum finem diuretica laudamus, quæ simul visciditates incidunt, ut sunt spir. sal. Armon. succ. liq. Tart. foliat. spir. Juniper. lumbric. asell. pil. terebinth. cum salib. &c.

Purgantia verò quæcunque, ut ferè ubivis, sic & hic atro notamus carbone, quæ in Aridura angue pejus fugienda sunt, quia malum potiùs augent quàm demunt, dum succum nutritium, aliosque ad nutritionem necessarios eliminant. Sic quoque hic improbamus venæsectionem, quoniam hæmoptoici in ariduram incidunt, & videmus eos, qui diarrhœa laborant diuturna, facilè tabescere.

Nec hìc Topica varia negligenda sunt, quibus solis sæpè malum tollimus, quare pro tubulis quoquo modo obstructis rursus aperiendis & ampliandis, atque sic in statum ordinarium revocandis, instituantur frictiones cum pannis asperis succino fumigatis, vel singulis septimanis bis vel ter parti affectæ apponantur 7. aut 8. cucurbitulæ cum flamma, absque tamen scarificatione, illæque relinquantur, donec rubescat cutis, tunc applicentur varii liquores illinendi & infrà dicendi. *Tulpius* Ariduræ nil melius esse scribit, quàm ut mediante Cucurbitula cornea, & per hanc institute suctu, juxta arteriarum cursum, nutrimentum, ut ille loqui amat, rursus attrahatur.

Si cum effluxu nutrimenti aut Synoviæ post vulnera insigniora accidit Aridura, huic prosunt fotus externi partis aridæ, cum decoctis emollientibus & nervinis volatilibus ex animalium partibus paratis. Sunt, qui partes emarcidas illinunt pinguedine hominis aut vulpis, lupi, canis, taxi vel ardeæ, aut castor. vel ranar. lumbricor. Juniperi, apprimè tamen hìc conveniunt ol. succini, anthos, spicæ, petræ alb. &c.

Si verò Aridura fuerit ex paralysi, vel à fortiori contusione aliaque compressione, post frictiones partium deorsum versus institutas linimentum applicari potest sequens vel simile.

℞. Ol. laurin.
Ungu. martiat. aa. ℥j.
Ol. Juniper.
Hyperic. aa. ʒiß.
Alumin. plumos. ʒj.
Ol. sabin. dest. ʒiij.
Petræ alb. ʒj.
M.

Partes emarcidæ cum pannis asperis & calidis fricentur sæpiùs, præsertim in casu, ubi Ariduræ membri sensus formicationis aut stuporis unà adsit. Spiritus lumbricorum etiam, imprimis essentificat. & cum spiritu formicarum & sale Armoniaci volat. vel succin. vel lavendulat. vel anthos. junctus hoc in casu mira præstat, quæ volatilia spirituosa omnem implent paginam.

In Aridura, imprimis in ea, quæ oritur à catarrhali lymphæ effluxu, sequens proderit.

℞. Sem. urtic. ℥ß.
Rad. aronis,
Angel. aa. ℥v.
Piper. long. ʒiij.
Affund. his spir. matrical. ℔j.
Add.
Spir. lumbric.

Urinæ

Urinæ aa. ℥j.
Sal. Armoniaci aromat. ℥ß.
Ol. caryophyll. ʒß.
M. qua mixtura illinantur partes emarcidæ.

Vel

℞. *Infus. arthrit.* ℥iij.
Spir. lumbric.
Formicar. aa. ℥ß.
Liq. C.C. succin. ʒij.
Aq. calc. viv. ℥iß.
M.

Vel

℞. *Liq. lumbric. terr. per deliq. in clibano parat.* ℥iij.
Aq. calc. viv. ℥ij.
M.

Vel

℞. *Succ. lumbric. c. Aqua Regin. Hungar. express.* ℥iij.
Ol. de ranis ℥j.
M. & agitentur optimè, quo illinatur pars arida.

Ex fotu sequenti plures restituti sunt.

℞. *Herb. majoran.*
Trifol. fibr.
Salv.
Spic. aa. M. j.
Fl. chamomill.
Melilot. aa. M iß.
Sem. cumin.
Fœnicul. aa. ℥ij.
Sal. Armoniaci ℥j.
Tartari ʒvj.
Dentur incisa ad chart.
Coq. in aq. communi pro fotu.

Dein Emplastro de Labdano artubus emaciatis imposito curavimus plures, ob partes enim volatiles gummosas maximè resolvit, sicque obstructiones pertinaces reserat, & sic spiritibus animalibus transitus rursus conceditur, in quem finem alia etiam emplastra ex volatilibus & gummosis parata conducunt, imprimis Nostrum de Thea. Sic quoque Thermæ sulphureæ & nitrosæ conducunt, vel artificiales possunt parari, quæ sæpè maguam præstant emaciatis opem, in quibus varia animalia ut canes juniores, item pedes agnorum & vervecum, adjectis formicis, lumbricis, aliisque pluribus sale volatili abundantibus Balnea enim hæc & fotus ideò juvant, quatenus scilicet particulæ quædam volatiles, & dulces ex herbis coctis redundantes communicantur succis per vasa illa partis Atrophia infectæ circulantibus, quo fit, ut obstructiones reserentur & nutrimentum cum spiritibus iterum affluere possit. Balnea ergò sint, ceu dictum, ex decocto capitis & pedum vervecis, vel cervi, vel ex herb. origan. majoran. malv. alth. betonic. flor. lil. fol. salicis, salv. rorismar. &c. parata; vel fotus ex ejusmodi herbis concinnatus; ex quo prodeuntem vaporem excipiat membrum aridum, quo solo fotu plures vidimus curatos, additis nimirum scoriis Reguli Antimonii, vel instituantur suffumigia varia ex succin. aſſ. fœtid. castor. oliban. mastich. & pluribus aliis, quæ sæpiùs plus præstant, quàm unctuosa & pinguia. His jungendæ sunt frictiones cum fumo succini, vel pannis asperis institutæ, & calidioribus, vel etiam pelle vulpina foveantur. Alii pro fotu utuntur cane, cùm scilicet ejus, vel etiam alius animalis adhuc viventis Thoracem aperiunt, eidemque retorridam immittunt partem, idque aliquoties repetunt, donec pristinum parti robur & augmentum redierint. Immittunt alii artum emarcidum maltæ coctæ, sive reliquiis post coctam cerevisiam (*Trebern*) sæpiusque reiterant. *Hartmannus* commendat spiritum mellis singulari modo paratum, aitque, mirabili etiam potestate valere in restituendis Ariduris *aquam fluviatilem*, quæ inter aquandum ex ore equorum generosorum, postquam biberint, profluere solet, si nempe diligenter colligatur, & potanda manè & vesperi detur, sed de hujus exoptato effectu valde dubitamus. Meliùs ergò, cùm imprimis malum fuerit ab obstructione nervorum aliorumque tubulorum, conveniunt spirituosa nervina, ut Balsam. Nervin. m. d. spir. salv. aq. Regin. Hungar. vel spir. fl. anth. succinat. astrum nostrum cephalicum; sal. volat. Armoniaci urinos. aliaque sæpiùs illita. *Felix Wurz* arcanum suum Aluminis aliis unguentis aut pinguedinibus mixtum commendat, quo omnem Ariduram particularem promptissimè curari asseverat. Emplastra ex gummatis, imprimis de Labdano, de Thea, & omnia, quæ salibus volatilibus prædita sunt, gummata verò non in aceto sed spir. vin. dissolvi debent, nec multum ceræ aut resinæ Emplastris addantur: vel ceratum nostrum de Cumino, vel aliud pro picatione in Atrophia membrorum, ex quacunque causa probatum est. Spiritus quoque sequens ad Ariduram egregius est.

℞. *Fl. lavendul.*
Cheiri,
Fl. hyperic
Lil. convall.
Chamomill.
Herb. menth.
Origan.
Sarracen.
Rorismar.
Spic. aa. M ij.
Infund. in spir. vin. Gall. stent per mensem in digest. dein colentur cum forti expressione, servetur ad usum, quo spiritu membra arida sæpe laventur.

Convenit etiam hic Oleum animale, quod superiùs in *Oesophagi Paralysi* communicavimus. Sic quoque *Pedemontanus de Secret. l. 1. p. 38.* modum parandi oleum ex cane ruffo laudat, quo quendam sanavit, qui per 11. annos brachium instar ligni aridum habebat.

Platerus sequens magnifacit, quod haud contemnendi usus est.

℞. *Summit. sabin.*
Summit. Juniper.
Fol. levistic. rec. aa. M. ij.
Fl. chamomill. P. ij.
Gran. Juniper. virid. P. iij.
Concis. & contus. add.
Ol. laurin.
Lil. alb. aa. q. s.
Axung. porcin. ℥j.
Aq. vitæ ℥ij.
Coq. omnia ad consumptionem humiditatis, coletur exprimaturque,
adde
Ol. spicæ ℈ij.
Pulv. sem. sinapi ʒß.
Rad. pyrethri ʒiij.
Piper. long. ʒij.
Ceræ q. s.
M. f. Unguentum.

Alii sunt, qui succum urticæ membro arido sæpiùs illitum magni æstimant. Rarum est exemplum *Tulpii Obs. Med. 49. l. 3.* quòd Atrophia membri luctu sanata sit.

CAPUT II.

De Ulceribus & Fistulis.

§. I. UT è quinaria Chirurgicorum affectuum classe ferè nullus *Ulceribus*, ita ex Ulceribus nullum *Fistulis* accuratiorem considerationem meretur, juxtaque Chirurgum non vulgarem, aut barbitonsorem, aut balneatorem, sed dextrum & benè exercitatum, imò ipsum Medicum postulat. Assertum hoc roborat frequens horum Chirurgastrorum utplurimùm imperitiæ debitus proventus, nec non difficilis, si non planè impossibilis curatio, unde à vulgaribus Ulcera & Fistulas ad Divos relata esse, quòd horum ope indigeant, *Petr. Forestus l. 7. Obs. Chir. 16.* existimat, memorabiles ad *S. Eligium Guido de Cauliaco*, cum Gentilibus remittit, *Chir. magn. tr. 4.* nec non

non balneatores & Carnifices, qui hanc artem in contemptum Chirurgorum ac Medicorum turpiter sanè exercent. Imò hisce in locis ad fascinum impiè confugiunt, dicuntque, Cacodæmonem, modò solum, modò ministrantibus ejus mancipiis sagis & veneficis, Ulcera seu Fistulas efficere, ut non ità pridem Carnifex quidam ob Fistulam talem curatam sed infeliciter, ad hoc confugit excusationis asylum. Sed quàm impiè hęc sint dicta, quilibet videt, & omnia hæc rident, quibus causa & cura *Ulcerum* ritè perspecta ac cognita sunt. Qui Carnifices, non verò Medici, uti quidam existimant, meritò Roma expulsi fuere, & adhuc hodierno tempore non in Republica benè constituta tolerandi essent, qui tantùm ad tormentum generis humani artem istam exercent. Eapropter incitat Nos communis hominum salus, ut in Ulcerum & Fistularum veras causas, signa, & curationem rationalem paulo penitiùs inquirere constituerimus, ut clarè & distinctè absque veneficiis appareant.

Ulcus. Ulcus Greci ἕλκος vocant, videturque nomen Latinum à Græco deductum esse, dicitur & Helcus, Hulcus, Helcosis. Germani dicunt *eju Jeschrrar, oder alter Schade*. Statim autem ex jam dictis abundè patet, mihi in præsens rem esse cum Ulceribus continui solutionem ab acribus succis stagnantibus, in quibuscunque corporis partibus & tubulos seu canaliculos discindentibus seu corrodentibus factam, & ejusmodi Ulcera diversa producentibus. Ulcus enim nihil aliud est, quàm solutio unitatis vasorum & sępe eorum osculorum, per quæ, & ex quibus succus, imprimis verò chylosus effluit, qui simili modo ad alias manat partes, easque partis mollis pariter ac duræ perluit, corrodit, absumitque substantiam; in quo consistit essentia Ulceris.

Uulcus differt secundùm rupturam & corrosionem vasorum vel majorum vel minorum, item si Ulcus occupat vel membranas, vel alias partes sive canaliculos, hinc etiam varii effluunt succi. Inter doctrinam Ulcerum possunt jure meritoque *Fistulæ* recenseri, quę tantùm paucis ab Ulceribus differunt; *Fistula* enim dicitur illud ulcus, quod arundinis instar fistulosum est, partē, quam occupat, penetrans, corrodensque, & fistulas cavitate sua imitans, præsertim musculorum, quæ ut in superiore parte foramen angustum habent, ab inferiore latius, ita hæ utplurimum os strictum formant, in profunditate in latum extenduntur. *Ulcera* inde Medicis *fistulosa* dicuntur, Spagyricis *Ulcera salis petræ*, & Idiotis *divi Quirini foramina* audiut, Gręci σύριγγας eodem cum Latinis jure, item Τυλώσεις à callo nominant. Germani appellant fistulas *Rohr- oder Hohl Geschrrare, Rohr löcher*. Fistulæ ergò describuntur, quòd sint Ulcera vetusta sinuosa, profunda, in orificiis utplurimum stricta, in profunditate latiora, cum duritie callosa, in partibus quibuscunque à particulis acribus acidis corrosivis, canaliculos maximos perforantibus & discindentibus, atque hinc effluentibus succis oborta.

Species Ulcerum. Dantur Ulcerum diversæ species. Differentia autem imprimis sumenda est ab excrementis Ulcerum, quandocunq; enim ulcus pus album, ęquale ac minimè fœtidum excernit, dicitur *Ulcus vulgare*, omnium facillime sanabile. Ubi verò serosus succus affatim emanat, ulcus dicitur *saniosum*, Veteribus rheumaticum, phlegmaticum, vel fistulosum dictum, Germanis *ein fliessender, rinnender Schade*. Effluxus hujus copiosæ lymphæ dicitur ichor, *das Glied-Wasser*, ulcusque hoc tamdiu insanabile redditur, donec iste effluxus cessat. Ubi autem sordes mixtæ sunt, nempe sanies, aut atrum, lividum, cinerem aut variè coloratum crassum ac sordidum, glutinosum & tenaciter ulceri inhærens in eo reperitur excrementum cum fœtore & profunditate, tale *ulcus* dicitur *sordidum*, Veterib. ulcus *melancholicum, malignum & depascens*. Sic quæcunq; depascentia & in profundum ambitumque rodentia ulcera à quibusdam vocantur *lupus*, Germanicè *ein fressender Wolff*. Alii tamen per lupum intelligunt ulcus quoddam specificum utplurimùm in carnosa femoris parte sedem figens, & acerbis cruciatibus affligens, nisi ulceri quotidie frustum carnis recentis imponant. Alii è contrario sævam illam faciei & narium exulcerationem, quæ aliàs noli me tangere appellatur, *lupum* vocant. Sic quoq; ejusmodi corrosiva ulcera nuncupantur Phagedęma & Nomodes, Germ. *ein umb sich fressender Schade*. Aliis etiam Chironia, à Chirurgo Chirone, aliis dysepulotica ac Thelephia dicuntur, h.e. quæ non duntaxat affectam carnem erodunt, & quasi dentibus devorant excavantque, sed etiam adjacentes, & vicinas partes erodendo & exedendo depopulantur. Talem autem inter utrumq; esse differentiam volunt, quòd nimirum *Phagedæna* sit paulo mitius Nomode, & saltem ambulando (hinc dicitur Foresto ambulativum ulcus,) & serpendo cutem erodat, sitque species Impetiginis & *Serpiginis*: Nome verò non tantùm cutem, sed & carnem excavat. Sed quæso? nonne nomina hæc Tyronem magis confundunt, quàm juvant, nauseamque ipsi pariunt? Hinc & nos in iisdem nolumus prolixiores esse, sed ad Lexicographos eorum amatores remittimus. Cùm autem ulcus cum tumore pręduro incipit, ac dein in malignissimum & maximè dolorificum ulcus degenerat, tunc Ulcus dicitur *Cancrosum* seu Cancer exulceratus, de quo suo loco ex professo agemus. Sic quodlibet etiam Uulcus malignum seu virulentum exedens & omnem sanationem respuens *Cacoethe* vocatur. Uulcera particularia etiam sua sortiuntur peculiaria nomina, de quibus omnibus in suis capitibus agemus.

Ulcus vulgare. Ulcus sordidum. Lupus. Noli me tangere. Ulcus phagedanum. Nome. Ulcus cancrosum. Ulcus cacoethes. Ulcera particularia.

Nascuntur aliquando adhuc alia Uulcera, *Ulcera Verminosa* & phthiriasiaca dicta, variis in locis à vermibus subcutaneis capillaribus, vulgò *der Haar-Wurm* partes devorantibus: quin & majores *vermes* in Ulceribus reperiuntur, cum putrida ac fœtente corruptaque sanie, prout eosdem vermes vidi in milite hujus loci. Ulcus quoque datur cum hypersarcosi sive excrescentia carnis seu luxuriante carne. Sic existit ulcus scorbuticum, quod scorbutum comitem habet. Aliud est, quod tumorem, aliud quod inflammationem, aliud gangrenam, aliud hydropem excipit. Sic & ulcus cum carie & corruptione ossis interdum conspicitur. Et ita quidem fistulæ sunt, sub alia tamen atque alia differentia, ratione formæ aliæ sun rectæ, flexuosæ aliæ, nonnullæ unius, aliæ multiplicis sinus, plures breves, multæ altiùs penetrantes, vivæ vel mortuæ dicuntur: ratione subjecti, quædam nobiles partes, quædam ignobiles occupant, nonnullæ intra musculos desinunt, pars ad articulos ossa ipsa excurrunt, sæpe ad interiora pertingunt, suumque inde nomen à loco mutuantur, carnosæ, nervosæ, ligamentosę, venosę, quasi variæ species dici possunt. Causæ respectu diversitatem etiam inter se alunt, ut causę ipsæ diversæ sunt, internę, externę benignæ, malignæ, virulentæ, scorbuticæ. Symptomatum intuitu vel cum dolore aliisque symptomatibus stipatæ incendunt, vel sine his, denique ratione materiæ effluentis, deindeque curatu vel faciles vel difficiles vel omninò impossibiles sunt.

Ulcus cum vermibus. Ulcus cum luxuriante carne. Ulcus scorbuticum. Ulcus quod alios affectus sequitur. Ulcus cum carie ossis.

Pars affecta. §. 2. *Subjectum* quod concernit, Ulcera cum Fistulis commune habent partes machinę nostrę imprimis moliores omnes, quarum continuum erosione solvi, & quavis à causa exedi potest, ut difficulter iterum coalescat. Ossa excipi posse, quoniam ad cariem pertinent, eò cum vulgo relinquamus. Caro ita non modò propriè dicta musculosa afficitur, sed & glandulosa, stillatque hæc materia in carnosas partes ex glandulis ceu corporis cribris, secundùm *Nicolaum Stenonium de glandulis*, ex sanguivehis Rivulis, quas inter cum sanguine extra glandularum commercia circulatur, ex ipsis etiam lymphę ductibus, quorum rami in carnosas & membranosas partes immediatè inseruntur, cum omnibus reliquis canaliculis & tubulis, membranis, venis, arteriis, vasis lymphaticis, fibris, nervis, tendinibus &c. Unam tamen harum partium prę altera magis dispositam esse nemo inficias ibit, vbi pręsertim existunt plures canaliculi & vasa lymphatica, ibi enim sunt copiosiores succi, sicque frequentiora Ulcera sunt in inguinibus, abdomine, ano, uterò, scroto, perinęo, ut hinc inde notata exempla & quotidiana experientia comprobat. Sic quoque sanguis scorbuticus, lue venerea contaminatus multis scatens particulis acribus salinis tanquam subjectum causæ accusati potest.

§. 3. Se-

Diagnosis.

§. 3. Sequuntur *Signa Diagnostica*, quorum narratio videri posset supervacanea, externa siquidem ulcera etiam plebeiis & idiotis nota sunt, quoniam vel visu vel olfactu vel tactu deprehenduntur. Nos hæc quidem ulcera etiam certis Medicis imperitis & cognita esse concedimus, sed nosse oportet eorum differentias, quæ curationem maximè variant. Ideoq; de istorum ulcerum diagnosi aliquid in medium proferendum, ubi ergo pus apparet ibi ulcus, quod pus est diversum, modò album instar lactis, & crassum instar cremoris lactis, absque odore & fœtore quod optimum habetur, gustu percipitur subacidum. Alia Ulcera pus flavum, viride, tenue, acre, ac interdum crassum seu spissum exspuunt.

Signa Vlceris sicci.

Sunt & *sicca Vlcera*, quæ multum negotii facessunt Chirurgis, quia utplurimùm reperiuntur in ejusmodi corporibus, quæ ipsamet in vita servari nequeunt. Cognoscuntur ejusmodi Ulcera ex siccitate arida, nullam digestionem de se præbente, partis squalor & siccitas & quasi quædam rugositas adest, uti & asperitas quædam & durities Ulcerati membri, à pertinacissima obstructione canaliculorum provenientia symptomata Ulcera enim Sphacelata nullum exhibent pus.

Ulcus *Phagedænum* à τῶ φαγεῖν exedere dictum, quia partes vicinas quasi dentibus comminuendo devorat: signa ex quibus cognoscitur, sunt sequentia. Ulcera Phagedænica sunt cum Telephiis & Cheironiis rebellia, magna, nullis obedientia Pharmacis, oras habentia duras tumidasque, quando enim optima applicantur remedia, in deterius ruunt hæc Ulcera, & magis discindunt sanam carnem cum suis vasis, & ęgri adeo vehementem patiuntur dolorem, ut dies noctesque insomnes traducant, Ulcus denudatum plures angulos & profunditates exhibet, fibræ, venæ ac arterię sæpe nudę in conspectum veniunt, cum metu gangrenæ. Materia quæ effluit; nihil aliud est, quàm ichor fœtidus aut flavum putridum serum. Sæpe erysipelas vel Herpes degenerat in tale ulcus. Ulceris, cui os corruptum subjacet, signa hæc sunt, primò materia; quæ effluit, est spissa instar oleosæ pinguedinis utplurimum graveolens, aliquando subflavi, interdum viridis coloris, utplurimum tenuis & fluida ac copiosa effluens, & inde probatur, num os sit corruptum, nempe Chirurgus imponat plumaceolum profunditati hujus Ulceris, & altero manè exempti plumaceoli pars inferior, magis fœtet, quàm superior quod certum signum est, os subjectum esse corruptum Alii Chirurgi Emplastrum imponunt, & si hoc altero manè nigrum conspicitur, de ossis carie non ampliùs dubitant. Adest 2. carnis Ulceri incumbentis mollities & flacciditas cum spongiosa & fungosa substantia ejusdem partis livor est modò instar lardi, modò flavi coloris prominet caro. 3. Mali diuturnitas, ad cicatricem enim perduci nequit, quamdiu os corruptum manet, & quamvis sæpe coalescant labia, postea cum majori incommodo iterum rumpuntur, ceu id quotidie observatur. 4 Est, quod tutissimum, præsentia scilicet ipsius ossis, si nudum conspicitur & nigrum excoriatum, inequale, de quibus vide inferiùs, ubi de *Carie ossium* ex professo tractabimus.

Signa Vlceris Scorbutici.

Vlcus Scorbuticum cognoscitur ex signis, quæ scorbuto sunt utplurimum solennia, primò ergo dispiciendum, an parentes hocce malo afflicti fuerint, an ęger illis in locis, ubi scorbutus endemius, ut Belgio, Anglia aliisq; locis maritimis, vitam degerit, an malo hypochondriaco vel febre quartana, vel alio diuturno laboraverit morbo, inde enim via habetur explanata ad penitiorem cognitionem, si dolor capitis vel in hoc, vel in illo percipitur loco, & quidem intensus, si ægri fuerint somnolenti, vel laborent vertigine, deliriis, apoplexia, paralysi, convulsionibus, ptyalismo, si simul adsit sanguinolentia gingivarum cum fœtore intenso halitûs, præcordiorum angustia atque difficultate spirandi, & pectoris dolore, tussi sicca, ut putent jam sese suffocari cum deliquiis animi, si in primis viis circa ventriculum percipiant sæpe dolorem cum nausea, sæpeque vomitu, si abdomen est distentum flatibus, aliquando corripiuntur dysenteria, adhæc percipiunt in artubus dolores vagos arthriticis similes, conspiciuntur maculæ rubræ, purpureæ, aliaque exanthemata in facie, pectore aliisque corporis partibus, tumor pedum adest cum subsequente sæpè hydrope. Sed quis omnia hæc recensebit? in uno hæc, in alio alia apparent phænomena: si caries ossium simul conjuncta est, caro semper in Ulcere luxuriat, ac major puris copia adest, quàm Ulceris angustia requirit. Caro enim valde luxurians & sensibilis, facilè sanguinem stillat. Color hisce in scorbuticis Ulceribus subcœruleus est, cum punctis albis instar lardi, & humor, qui effluit, non est instar albi olei, sed est ichorosus, lutosus & tenax, malè olens.

Signa Vlceris cum carne luxuriante.

Ulceris sordidi seu putridi signa ut attingam, sunt ferè eadem, tumore enim vel pustula sequitur: materia intus contenta est, & hæc instar lardi, h. e. tenax, lutosa & maximè loco hærens, in lateribus sc. Ulceris: facilè hoc ulcus cacochymicos infestat, h. e. corpus in quo succi non satis attenuantur vel subtilisantur, vel fluidiores fiunt.

Vlceris sordidi signa.

Succi ex ulceribus effluentes varia quoque à Veteribus sortiti sunt nomina. 1. Pus dicitur, quod Nobis est alba & crassiuscula materia benè olens, & nihil aliud est quàm coagulatus chylus cremori lactis similis, quæ à Veteribus concocta in Ulceribus habetur materia. 2. Ichorosus sanguis, qui communiter acidum spirat, & gustu deprehenditur salsus, & videtur esse serum sanguinis, dicitur *sanies*, & cùm permisceatur sanguini, dicitur, *pus sanguinolentum*. 3. *Ichor* vocatur tenuis ille humor chyli sulphureus & salsus, qui etiam sępe ex ulceribus effluere solet. 4 *Sordes* dicitur illa materia, quæ lardo similis est, lutosa, spissior, quæ non facilè canaliculos carneos perfluere potest, & lardum repræsentat in Ulceribus difficilioris curationis. 5. *Virus* quod appellatur, est acris, fœtidus, tenuis humor. Ulceribus maximè noxius, qui vulnera aperit rodendo & cutem pustulosam reddendo 6. *Melangium* est oleosus humor, qui ex corruptis ossibus effluit, & instar ossium comminutorum fœtet.

Signa Fistularum.

Fistulæ differunt, ceu superiùs diximus, tantùm profunditate, angustia & diuturnitate ab Ulceribus, habent enim profundum, fistulosum foramen extrinsecùs angustius, latius intrinsecùs, cum callosis subinde & duris labiis, intus plures quoque habet canales Fistula, qui se ad omnes partes explicant, & usque ad superficiem cutis, & valde profunda est Fistula, in qua cavitate, tanquam in spelunca commutatur pus, & sensim & partitim emanat, sæpeque coalescit, tunc iterum aperitur; materia quæ effluit etiam in Fistulis alba & aliquando vel flava, vel viridis, nonnunquam nigra, interdum albidior, sæpe putrida ac cadaverosa, sæpe cum copiosa materia, nonnunquam pauca cum quantitate excernitur. Omnes occupant corporis nostri partes, nec ulla pars datur ubi Ulcus vel Fistula non produci potest, & pro partis affectæ ratione minùs vel magis periculosa est Fistula, apta enim est quęcunq; materia, exedente & corrodente vi prædita, in quocunq; loco moram nectens, sive sanguis restagnans & corruptus, sive alius succus aut sanies sit à contusione, tumoribus, abscessibus, vulneribus, Ulceribus relicta, ut sinum ad Fistulę formam excavet. Fistulę spumosam, aquosam, saniosam materiam, subinde virulentam & aliquando cum sibilo ad compressionem eructant, quandoque tamen ferè siccę sunt, variaque curationis spe Chirurgum ita plerumque lactant, idque juxta malè vel benè institutam diætam, dolor vel nullus vel exiguus adest, nisi pars maximè sensilis subsit, quia plures fibræ discissæ sunt, hinc nullus sensus doloris. An simplex, an in plures diducta sinus sit Fistula, ex effluentis materiæ majore vel minore copia colligere est, plura item orificia liquoris injecti habita effluxus ratione explicare facile est. Brevem aut altiùs penetrantem, ut & flexuosam aut rectam stylus prodit intrusus, qui inflexuosis ex flexili magis materia paratus stylus convenit, aut hujus loco candela cerea substituitur. Veteres ad explorandum, ut dolorem evitarent, variis usi sunt instrumentis. *Galenus* seta uti voluit: *Hippochrates* aliique recentes caule: *Guido* cum sui temporis Chirurgis petroselini aut betæ radice Fistula altitudinem exploravit. Sed ad quem usum talis apparatus? Explorationes enim has, tanquam periculosas non admittimus Si Fistula in sola carne hæret, quod stylo tangitur molle est, pus exit album, æquale, copiosum: ad nervum quæ pertingit, in profunditatis exploratione dolorifica est, pus crassum,

crassum, oleo haud dissimile exspuit, motumque partis, in quam hic inseritur, lædit, affectis vasis sanguiferis, sanguis cum pure exit, ex venis quidem crassior, ex arteriis pellucidus magis & aliquali cum saltu & titillatione prosilit. Ubi ad os tendit Fistula, durum quid & renitens, & æquale stylo occurrit, dolor, solo periosteo, non omnis abest, sub carie asperum & inæquale est, eoque magis, quo caries major, pus nigricat, mali odoris & tenue admodùm deprehenditur. Num verò Fistula recens aut vetusta sit, continua aut periodica, tempus & res ipsa loquuntur. An callus in orificio solo hæreat, an interiora etiam durior investiat, facilè distinguitur. Ani fistularum & recti intestini specialia signa videantur superiùs suo capite.

Veterum opinio de causa Ulcerum.

§. 4. *Causam Ulcerum* constituunt *Galenici* humores acres erodentes, eosque vel pituitosos, vel biliosos, vel serosos, vel atrabilarios. Causæ *Ulcerum*, juxta ipsos, sunt plures externæ, aliæ internæ. Antecedentes sunt cacochymia, vel à toto vel à parte proveniens: externæ causæ rerum non-naturalium sinister usus. Causæ conjunctæ sunt humores acres & erodentes, seu salini, qui ulcus excitant, à mala visceris alicujus diathesi, vel à toto provenientes. Inter *causas externas & procatarcticas* numerant Medicamenta corrosiva, adurentia, corpora item fricantia, & intertriginem causantia, item contagium tum Venereum, tum scabiosum, tum pestilens, lepram, &c. Ab Ulceribus tres præcipuè humores profluere ajunt, unum subtilem, qui *sanies* dicitur, alium crassum, qui *sordes*, tertium qui medio modo se habet, & *Pus* vocatur: hinc Ulcera vel *saniosa*, vel *sordida*, vel *purulenta* indigitantur; quos humores hoc modo fieri asserunt; quod si scilicet humores aquosi ad partem confluant, dicitur saniosum Ulcus: si crassi, sordidum: si purulenti, purulentum. Bonum esse dicunt *Pus*, quod est album, læve, æquale, & minimè fœtidum. Sanies autem dicitur ipsis *Ichor*, aliis *virus*. Ulcera partium etiam fieri asserunt ob mandantis partis affluentiam & humorum copiam, aliquando à partis recipientis potentia attractiva.

Ossa corrumpi ajunt vel ab *externis* causis, ut ab aere nimis frigido vel calido: vel à corpore incidente, contundente, rumpente, Medicamentis acribus & corrosivis, vel ab apostemate præcedente: vel ab *interna causa*, ut sunt humores vitiosi corrosivi, virulenti, saniosi, viscosi, &c. ab humorum quantitate & qualitate peccantium affluxu; unde *Dysepulota*, *Cacoethica*, & *Chironia* dicuntur. Juxta ipsos Fluxiones excitant *causæ externæ*; v. g. Aer in qualitatibus excedens, cibi & potus mali succi & copiosi, vigiliæ nimiæ, somnus longus, motus nimius, cura, sollicitudines, evacuationes consuetæ impeditæ: *Causæ* aliæ sunt quatuor, utpote pars mandans, pars recipiens, humoris fluentis conditio, & via, per quam fit fluxio. Pars mandans humores à se propellit, vel quia potens & valida, vel quia irritata; huc confert via, & partium meatus. Humores autem generari dicunt, vel à prava victus ratione, vel ab alicujus visceris nobilioris, vel membri vitio. Partem autem recipientem fluxionis esse causam, vel quia debilis, rara, mollis, vel quia in loco inferiori & patente sita est; humorum fluxionem causare arguunt, quia vel copia, vel qualitate manifesta, vel maligna irritat, vel ob fluxibilitatem & pondus, ut in hydropicis: canales autem & via sunt in causa, eò, quòd nimiùm dilatantur & patent. Et hæ sunt ipsorum causæ fluxus humoralis.

Ulceris *depascentis* seu *Nomes*, *Phagedænici* seu *Ulceris ambulativi causæ* ipsis sunt humores pravi, acres, biliosi, salsi, & affectæ partis intemperies calida & sicca; vel etiam foventur ab alicujus visceris, aut præcipui membri, simili intemperie, incipiunt sæpiùs ejusmodi Ulcera post herpetes, seu exurentes pustulas. Causæ sunt illa omnia, quæ calidos, acres, & corrodentes humores gignere possunt, uti est aer præfervidus, cibi & potus calidi, ira, Medicamenta acria, vulnera malè sanata, quæque multum degenerarunt, qualia sæpe evadunt Sclopetorum.

Ulceris Sordidi causam externam dicunt alimentum pravum, aerem impurum & pestilentem, Medicamenta oleosa: *internam* verò arguunt pravum & crassum humorem, qui per incalescentiam & fervorem putredinalem non parvam nactus est malignitatem; huic adstipulant affecti membri debilitatem.

Ulceris Sinuosi, quod angustum orificium, intus verò latum habet ventrem, & interdum cuniculos agit citra duritiem aut callositatem, Causam esse demonstrant à sanie aut pure corrosivo, quod apostema aut abscessus neglectus progeneravit.

Sinuosa hæc Ulcera sæpissimè degenerari in *Fistulam* observant, quæ ipsis nihil aliud est, quàm Sinus ulcerosus, angustus, longus & callosus, Fistulæ in modum, per quem humores effluunt.

Fistula.

Fistulam ab eadem causa, ac Ulceris Sinuosi, deducunt. Fistula enim tantùm Callo à Sinuoso differt Ulcere. Callum autem in Fistulis oboriri censent à crassæ & viscidæ materiæ influxu, eum autem potiùs in sinus orificio, quàm in fundo fieri scribunt, cujus ratio ipsis hæc est, quod Natura, ipsorum Deastra, semper ad cutim protrudit excrementa, quæ etiam cutis sua duritie ad calli generationem non parum contribuit. Fistulas enim ex acribus ac mordacibus humoribus partem mollem exulcerantibus nulli dubitant.

Paracelsi opinio de causa Ulcerum.

§. 5. *Paracelsus* de Fundamento *Ulcerum* differens, Ulcus aliquod in corpore preter corrosiva nullo modo posse fieri statuit, aitque, nullum etiam corrosivum extra salium genera reperiri. Inde quorumvis Ulcerum originem ex salibus deducit, non ea via quidem, ut sal transmutetur, melius aut pejus reddatur, uti de complexionibus fictum arguit. Centuplicatam in corpore salium varietatem existere ait Author, quorum quodque genus peculiare suum Ulcus efficit: ex quorum conditionibus juxta salium existentiam Ulcus pejus fit, aut melius alio. Inde suam formam, conditionem, essentiam ut externa salia sumunt. Sal, quod limaturæ ferri permiscetur, ut ille ait, peculiarem suam ferruginem habet: item sal urinæ suam & alumina propriam, &c. quamquam ferrum unum & idem existit, nihilominus transmutationes, quæ per salia fiunt, haudquaquam similes, quod in salium conditiones transeant. Et prout unum gustu vehementius est alio, quod à differentia percipitur inter Vitriolum, sal commune, sal nitrum, & alumen, quodque peculiarem dolorem infert, uti gustum habet proprium.

Non secus, imò pejus ea efficere Ulcera dicit, quæ proveniunt ex Realgaribus, ut sunt Arsenicalia, auripigmenta, usnea, petrea &c. ut ista pro sui conditione veneni tumefaciunt, pungunt, &c. hic etiam ubi producunt Ulcera, sese palam faciunt. Horum omnium primum fundamentum esse ait, cognoscere totum corpus in hujusmodi salibus constitutum: & quantum externa mineralia comprehendunt, Microcosmum tantundem etiam concludere. Ex prædictis fieri Ulcera contendit, non aliàs, quàm super ferrum ferrugo, quod proprium sal consumit. Sic & cuprum juxta ipsum, suo sale proprio convertitur in æris florem, aut viride æris: non secus in sui consumptionem per salia sua transmutatur corpus. Aliam nonnullorum *Ulcerum* originem fieri statuit ad hunc modum. Salia quædam subtilia sunt, & liquorosa, quæ per propriam subtilitatem corrumpuntur, eò quod in aliis liquoribus existunt aut separantur postmodum in hunc modum. Vinum integrum & sanum videtur, & in eo sal ejus non percipitur, quia dulce bonumque, nec non in substantia sua potentissimum: suo tempore post ab eo sal proprium separatur, ac tartarum producit ad latera vasis, quod sal acutissimum existit; pariter ratiocinatur Author, in corpore liquorem, qui necessarius est illi, temporis etiam successu talem in separationem transire: pellis ejus est vas, cui juxta ipsum tartarus adhæret, ut in dolio, cum sua differentia tamen, & corpus corrodit. Similiter vinum acescere ait, quia substantia sua separatur ab eo. Nam aliis in corpore liquoribus accidit, qui centuplicatè variantur, ubi similem in acetositatem incidunt, saltim adesse corrosivum statuit. Nec est, quòd miretur quispiam ob salium in corpore multitudinem, cùm idipsum varietas demonstret Ulcerum corporis, in quo generationes omnes elementorum

rum existunt. Latiùs notat salia corrosiva juxta separationem tartari, nec non aceti processum à vino, similiter Ulcerum originem esse, quum in suam exaltationem ad hunc modum veniunt:& prout unum diutiùs altero vinum conservatur, & acutius existit, in corpore salia juxta ipsum haud absimilem differentiam habent. Nihil enim præter corrosivum in corpore existere posse arguit, quod ulcus forare possit, aut corrosivum esse posse, quod sal non sit. Omnia Ulcera dicit Author mineralia esse, uti scilicet terra corpus est mineralium, accidere enim ait, ut uno in loco reperiatur aluminosa, vitriolata quidem in alio, salia similiter in tertio, quarto verò nihil, &c. Sic etiam contingere in corpore asserit. Ex sale *Noster* omnia deducit Ulcera tùm interna, tùm externa, & non ab humoribus, uti Galenici facere. Sal etiam urinæ varia producere Ulcera Author arguit, per urinæ enim viam, prout in Cambuca similibusque, sal istud cum urina simul, ut acetum cum vino bibitur, effluere debere testatur. Quum tamen in separationem transit, inde mox centrum sequitur, post eruptio manifestatioque foraminis, quod ad mentem ipsius pro conditione sui salis formam habet. Simili processu cognosci posse ait salia hæc omnia, quæ ex salino vero corpore profluunt, quæque plura sunt sub fundamento comprehensa tamen omnia, prout ipse Cambuca continet. De coloribus, qui videntur Ulceribus accidere, solùm ex salibus, è quibus oriuntur omnes, procedere pariter & formas vult. Ubicunque sal non fuerit, ibidem juxta ipsum & color nullus, & in extractione proprietatum salis colores fiunt manifesti; sic etiam ex forma varia curantur, idque juxta species: Crystallum in angulos cudit aliud nihil, quàm sui salis proprietas: quod citrinus lapis aliam formam habeat, alterius est sui salis causa: sal aliud in Sapphiro, quàm in Granato latere dicit: similiter juxta eum aluminis est alia forma, quàm Vitrioli: Salis communis formas varias esse arguit, unam quidem aqueam, cotis instar aliam, granulatam quandam, &c. Sic etiam Ulcera corporis apparere vult, longum unum, latum aliud, angulare hoc, rotundum illud, quod salium suorum, ut cujusque quæque proprietas, efficit.

Fistularum *Fistularum* originem pariformiter ac Ulcerum exsurgere contendit, quum alumina simul unà cum nutrimentis aliquo loco resolvuntur: hæ, juxta eum, suum locum inclusum appetant, h.e. putrefaciant, & non corrodant: estque dulce quoddam alumen earum. In Lacertis eas primùm oriri asserit, etiam in juncturis arterias inter aut ligamenta. Postquam occultam ejusmodi putrefactionem fecerint, aut in latum extenderint, spiraculum sibi parare non alia de causa dicit, quàm ad respirationem. Ob debilitatem istius aluminis corrodi cutem non posse asseverat. Fistulas etiam ex omnibus Vulneribus & Ulceribus nasci posse haud dubitat.

Hujus generis alia multa foramina fieri in corpore statuit, quæ minora sunt extrinsecùs, quàm intrinsecùs. Istorum esse conditionem ait dolores non inferre, sed prout aluminis dulcis est natura, semper humiditatem emittere, vel in aquam resolvi, sic & Fistularum conditionem esse ait, spumam, aquam & saniem eiicere; ubi tamen glaciei non fuerit alumen, aut ejus acuitas mortificata, nam per illud dicit Fistulam cavernosum ulcus efficere. Cùm Fistula, (pergit Author,) perseverat in exaltatione sua, manet quousque morbus ad eam alius accedat; nam juxta ipsum ex Fistula mors nulla producitur. Latius in alumine considerat, id quod plumosum dicitur, sæpiùs manifestari, de quo mirabiles admodùm conditiones oriri asserit, ut sunt scrophulæ, formicæ, & id genus alia, quæ omnia produci ait ex alumine plumoso, quod quum separatur, tria, quatuor, quinque, vel plura centra facit, usque in centum vel ducenta, hunc in modum: Quoties gutta separatur, toties ea coagulatur, & hac duritie circum se corrodit in foraminis productionem: & ubi multæ guttæ resolvuntur, juxta Authorem multa pariter foramina fiunt, nodi glandesve donec incidant. Quandoque mitigari scribit per aluminis dulcis accessionem, ut sua foramina dolores non ita vehementes inferant, ac per se: nonnunquam ab arsenico malitiam suam adauctam habere notat, qua pejus efficitur, quàm aliàs existeret. Hujusmodi plumosi conditio, quum incipit oriri, duplici via manifestatur: Priore, nodis ac duris glandibus præmissis, ex quibus juxta Authorem fiunt Scrophulæ, nec non id genus Ulcera multa, quæ sub Scrophulis omnia comprehendit; posteriore, pruritibus & ustionibus primùm aggreditur, ex quibus non adeò magna vel profunda fieri Ulcera asserit, sed pejora satis & acutiora juxta mixtionis incidentiam, sese multo minusve manifestare possunt. Notat insuper fœtorem, profunditatem, vermes & similia, quæ occurrunt in similibus, occasione carnis fieri, quæ conditionis illius existit, ut istorum facilè generationem admittat. In carne vermes quandoque nasci arguit, quando putrefactio nimiam in resolutionem tendit, ut in fœtorem transeat. Pariter si cum Gangræna, quod Ulcus appareat causam esse putat, quia bonum atque malum accidentia sua recipiunt.

Helmontii ratiocinium de causa Ulcerum. §. 6. *Helmontius* Ulcerum causam occasionalem & radicem eorum esse ait fermentum quoddam seminale, deleterium atque virus proprium contagiosum susceptum, partisque fundo ac labris seu oris (non cavitati) impressum & insitum; ejusque Archeo exoticum, carnis & cruoris boni corruptivum. Pariter quoque Ulcera fieri asserit vel à vulnere malè curato, vel à contusione, vel ab apostemate erumpente, vel tandem à veneno intus genito, quod sui malignitatem plantat in externa parte, ibique fermenti sui virulenti proprietates fixit. Unde quoque juxta ipsum, quicquid cruoris alendæ parti in horas distribuitur, id totum in virus vertitur juxta fermenti sui prosapiam. Author valdè insurgit contra Galenicos, eosque ridet, & saniem ac pus non, ut illi, dicit Ulceris aut partis excrementa, ut neque digestionis naturalis, sed esse ait producta seminum sive radicum Ulceris, statuitque in Ulcere habitare proprium corruptorem, qui cruorem alimentarium viciat, antequam digeri sit aptus. Degenerari arguit ille & transmutari cruorem in radice partis, qua corruptor locatur residetque, non autem in ipsa Ulceris cavitate, sive alveo, alioqui namque necesse esset, merum atque innocuum cruorem decidere semper in ipsam Ulceris cavitatem, atque ibidem corrumpendo degenerare, quod oculos & quotidiana ipsius experientia falsum asserunt. Radicem cujusvis Ulceris esse in fundo & labris, sive margine, nullus dubitat, i. e. partibus cavitati finitimis habitat, quibus nempe sua est coquina, qua cruor alteratur in corrosivam saniem, pus, &c. sanies verò ipsa est illi productum, sive effectus positivus Ulcerum, ipsa autem cavitas ejus, quæ Vulgo medentum ulcus æstimatur, est productum privativum, atque deficiens. In oris Ulceris enim circumhabitare statuit hostilem corruptorem & hospitem fermentum virulentum, ad quod cernit oras atque fundum diversimodè alterata. Enim verò majora Ulcera pure carere asserit, saniem duntaxat plorare ait continuam, & subinde decuplo plus, quàm juxta alioqui cruoris distributio requirit, atque in aquas acres, atque depascentes transmutatum ichorem diffluere putat. Etenim ut acor, ad mentem ipsius, in stomacho est gratus & ordinarius sapor, sic extra stomachum omnis aciditas est præter naturam & hostilis, hinc quoque corrosionem in Ulceribus ab *acido* deducit. Author cum Paracelso tot species Ulcerum statuit, quot salia, quia fundunt synoviam continuam salsam. In Ulceribus rodentibus ac putrescentibus dolores prodire ex acido primum concepit. Dolet enim, inquit, anima sensitiva primùm, quæ tandem assueta, minùs excandescit, perinde ut insuetus equus calcaria recusat. Dolorem quandoque in Ulcere ex sola meraque indignatione æstuare memorat. Imò Ulcera sanguinem mutare sæpe in aquam pungentem contendit.

Fistularum *Fistulas* quoque Author à latice corrupto ac acescente partes corrodente, ac exedente, produci asserit, & easdem ac Ulcerum causas accusat, differentiamque solum in diversitate salis consistere dicit, qui in Ulceribus nondum illum malignitatis gradum obtinet, juxta quem corporis partes à Fistulis profundiùs eroduntur,

tur; sinusque callosus ob cruorem infectum producitur.

Vvillisii opinio de causa Vlcerum.

§. 7. Juxta *Vvillisii* effatum Ulcus generatur ex humore seroso acido salso & glutinosiori, qui in parte quadam laxioris texturæ moram faciens, acrimonia sua fibras ejus dissecat & discindit, vasorumque sanguineorum, è quibus exstillat sanguis, erodens. Cruor in foveam jam excavatam delapsus, in ea stagnat ac remoratur, atque effervescit, tunc verò volatiliores illius particulæ majorem assecutæ motum ab aliis descíscunt, & exhalantur, salis autem terræque particulæ elevantur, summoque jure potientes, & cum crassioribus sulphuribus superstitibus mixtæ, atque ab aquosis particulis residuis dilutæ, materiam exima acrimonia prædìtam constituunt, quæ partis, in qua nidulatur, substantiam perpetuò exedens, ampliorem semper sibi foveam excavat. Generatur etiam ad mentem Authoris à sanguine in parte quadam remorante ac putrescente, & acrimonia, quam in ebullitione assequitur, partis substantiam erodente.

Fistularum.

Vvillisius asserit *Fistulam* fieri ab Abscessu vel Ulcere diuturnioribus, in quibus particulę ob moram singularem assecutæ acredinem, & acutiores atque robustiores factæ, nec à spiritibus, sulphureis subtilioribus particulis jam evaporatis, ampliùs cohibitæ, & continuo motu donatę, in partem, in qua continentur, altiùs sese insinuant, fibrasque sibi circumpositas herpetim erodentes ac dissecantes, profundiores indesinenter agunt cuniculos. Quum verò fibrę quędam firmioris sint texturæ, quàm alię, materięque purulentę vim declinare valent pus recto semper non incedit tramite, sed flexus agere cogitur: paries verò Fistulam obducens fit ex eo, quòd viscida illa portio puris salsas & corrodentes particulas comprehendens fibris tum carneis tum nerveis exesis applicata, illis adhærescit, earumque orificia obturat, succus nutritius per illas fluens in ipsarum termino remoratur, & à succo nerveo adveniente in earum substantiam convertitur, atque in substantiam semicartilagineam commutatur, ab admixtione succi nervei fibras nervosas nutriente, cum liquore sanguinis alibili commixto.

Sylvii opinio de causa Vlcerum.

§ 8. *Sylvius* Ulcera pleraque aut consequi vulnera ait, aut excoriationem circa tertium diem, quando sanguis in pus incipit mutari, aut per se habere ortum dicit ab humoribus acribus partes molles rodentibus, atque in Ulcus vertentibus. Humores esse ait ferè salsos, muriaticos vel acidos, à quibus partium superficies, sive cuticula primùm corrodi, ac consumi solet, mox & pars subjecta similiter exedi, quã partis exesę apertionẽ *Vlcus* vocat, in quo sanguis eò ad nutritionem delatus in pus corrumpitur semper ad albedinem vergens, nisi mali moris reddatur Ulcus, vel ab errore aliquo in rebus non-naturalibus vel Medicamentis commisso illud alteretur ac mutetur. Sic exemplum allegat, quod pus priùs albicans à sulphureis Medicamentis immixto nigricabit. Pleraque Ulcera post cuticulæ corruptionem ac secessum, novę ortum impedire ait, quia continuè in latum vel profundum serpunt, subjectasque partes consumunt. Ulcera ergò pleraque & ferè omnia deducit Author ab *acido-acri*, non obstante quod plures sint, qui id negant propter Ulcera tùm à cauteriis potentialibus producta, tùm Gangrænam sequentia. Sed regerit Author, Ulcera per se à dictis Cauteriis salinis lixivis haud produci, sed ab acido in corpore existente, atque ad partes cauterio ustas, vel Gangræna corruptas accedente, atque salsum lixivum superante: nam si hoc non fiat, nulla fiet partis sanæ ab emortua separatio, nulla puris generatio, quin nullum Ulcus. Postquam juxta eum non priùs ibi apparet Ulcus, quàm & quousque contingit partis utriusque vivæ ac mortuæ separatio: succedente illi separationi Ulcere in parte viva, dum mortua vel in pus corrumpitur vel resecatur.

Fistularum.

Fistulas in corpore humano obvenientes pariter ut Ulcera ab acido-acri in parte quadam collecto, eamq; excavante originem sumere contendit.

Cartesianorum judicium de causa Vlcerum.

§. 9. *Cartesiani* oriri dicunt *Vlcera* ex erosione fibrarum, tubulos & canaliculos constituentium, facta à particulis succorum quorundam acutissimis, ab ęthere fortiùs commotis, & transitum non reperientibus, quapropter in vicinas illas fibras vehementiùs agentibus, easque dirumpentibus, discindentibus, dissecantibus & perterebrantibus. Prohiberi verò succis transitum asserunt, quoniam tubuli ab aliis quibusdam incrassatis jam sint obstructi, quorum particulæ cùm varii existant generis, volatiliores & tenuiores, utpote ad motum proniores, per poros avolent, acutiores verò iis viciniores impetuosiùs in fibras pellantur, quibus diruptis, contenti in ductibus diversi liquores effundantur, & inter se inordinatè mixti, purulentam exhibeant materiam, quam chylum dicunt ab aliis ei junctis succis corruptum & impurum redditum, unde varios quandoque exhibeat colores, odores, sapores, pro diversitate succorum illorum chylo se immiscentium. Dare etiam sępiùs destructioni & obturationi isti canaliculorum occasionem vulnera, contusiones, ambustiones, inflammationes & inde natos abscessus unanimiter affirmant, à quibus cùm liquoribus consuetus inhibeatur transfluxus, hi diutiùs in fossis aut ductibus commorantes à priori suo desciscant genio, & ob separatas à reliquis particulas acutiores, & sibi invicem copiosiùs conjunctas, erodentes & dilacerantes reddantur. Chylum quoque istum corruptum nonnunquam absumptis omnibus particulis volatilioribus ita inspissari norunt, ut materiam lardi, aut sebi similem exhibeat. Eam verò succorum congeriem, quæ particulis abundat acutioribus, tam profundè aliquando musculos penetrare recenset, ut in ipsa agat ossa, eaque perterebrando cariem producat, in Ulceribus quibusdam profundioribus observabilem. Adhæc si contingat, ut unus vel alter pediculus, vel alius quidam vermiculus à capite, vel aliunde, etiam ab alio quodam homine ex improviso ulcus ingrediatur, & in eo, tanquam nido, ovula ponat, ex quibus alii excludantur vermiculi, ulcus produci dicunt verminosum, vel cum Phthiasi conjunctũ, quo ægri quidam miserè aliquando fuerint excruciati.

Fistularum.

Juxta musculorum longitudinem, latitudinem aut profunditatem, si à liquoribus istis, particulis gladiolatis acutis discindẽtibus refertis, altior fiat erosio & excavatio, & ex destructis canalibus aut tubulis effluentes succi à liquorum istorum particulis parietes Ulceris fortiùs verberantibus undique versus eosdem compingantur, & in quiete diutiùs detineantur, *Fistulas* emergere docent, quæ modò speluncam referant, si una cavitas effodiatur amplior, modò antra quædam cunicularia, dum plures hinc inde elaborentur. Fieri enim sibi persuadent, ut plurimis tubulis & canalibus ita destructis succi magna in copia effusi nullum reperiant effluxum, sed intra cavitatem istam detineantur, quorum activæ particulę sese cum aliis dominium gerentibus commisceant, crassiores verò ab iisdem à consortio suo detineantur, quæ circa latera Ulceris hærentes tubulos obturent, & intercedente quiete scirrhosam occallescant duritiem.

Causa ex nostra sententia ipsorum Vlcerum.

§. 10. Uti æterna veritas est, quòd nulla exulceratio fit absque aliquali tumore, ita quoque firma est regula, quod nullus tumor absque obstructione esse possit. *Vlceratio* ergò oritur, nostro judicio, à tumore, tumor ab obstructione obstructio fit ab hoc vel illo stagnante, & ab acido inspissato succo, quæ spissitudo & visciditas succorum est quoque varia, & pro quorum varietate varii oboriuntur tumores, & juxta horum varietatem & diversa producuntur Ulcera. Sic & Inflammatio est diversa, est enim major vel minor, hanc vel illam occupans partem, producitur vel à causa externa vel interna, juxta horum diversitatem tot diversa generantur Ulcera. Sic quoque gangræna ex diversis producitur causis, & juxta harum diversitatem major vel minor est gangræna, & per consequens inde producta Ulcera diversa oriũtur. Sic & à vulneribus male curatis, Vlcera generari solent. Etenim differentia tumoris & Vlceris in eo consistit, quòd tumor id est, quod tantum in tubulis suis conclusum lateat, h. e. tunc dicitur tumor partis, quando materia adhuc in subtilissimis vasculis conclusa maneat stagnetq; & cùm ea non effluat, nondum dici potest Vlcus, hinc Vlcus præsens dicitur, quando vasa à contenta materia discissa ac rupta

pta seu corrosa fuerint, quod illla pro diversitate materiæ & modo oderandi, diversa sunt Ulcerum causa ergò primaria certè est acrimonia salium quorumvis, & tota sæpe massa sanguinea, & exinde prosilientes reliqui succi, hisce salibus sylvestribus, acribus, corrosivis, arsenicalibus, mercurialibus, & quo nomine illa insignire velis perinde est, referti sunt, qui perfringendo, corrodendo, discindendo canaliculos viam sibi ad exitum parantes, qua facta via ulcus producunt. Manentibus enim vasis seu canaliculis integris, nullus succus effluit, hinc etiam nullum Ulcus, sed potius tumor produci potest: in catarrhis quidem rumpuntur aliquando tubuli, sed liquor emanãs non valde acris stagnat tantùm inter musculos vel cutem, sed materia ulcus excitans acrior & lixiviosior est, eosq; instar lapidis infernalis aliusque cauterii perforat, corroditque omnes, quos alluit, tubulos, unde flavus vel albus, vel dulcis, vel salsus, aut tenuis, vel crassus succus, qui vulgò pus dicitur, provenit. Unde verò color ille oriatur, facilæ concipere possumus, cùm necessariò is succus ex certis canalibus fluere debet, notum enim est totum hominem constare ex meris tubulis & canaliculis, & quòd alia vasa sint arteriosa, alia venosa, alia lymphatica, alia adiposa, alia nervosa, & quæ adhuc plura alia sunt. Ex his vasis mirè & varie, ordine tamen inter se intertextis, componuntur omnes corporis nostri partes. Ex hisce luce meridiana clarius apparet, quòd pus in Ulceribus ex certis canaliculis effluat, ex quibus effluere nequit, nisi sint rupti, aut corrosi, aut discissi sanguis enim effluere non potest ex suis vasis arteriosis vel venosis, nisi vasa illa fuerint vel discissa vel corrosa, vel alio modo rupta, & asterisco notandum est, quòd omnia vasa inter se contexta sint, quibus ruptis succi inter se imiscentur, ex quibus diversitas puris producitur, quod non semper ex puro sanguine, uti Veteres, nec ex puro semper chylo, uti Recentiorum quidam putant, provenit, sed ex succis diversis, quorum canaliculi discissi sunt vel rupti, sæpe verò si fuerint rupti soli chyliferi ductus, hinc effluens alba & spissa materia nihil aliud est, quàm coagulatus chylus, sanies verò seu aquosus sanguis, qui acidum olet & salsum saporem habet, est serum sanguinis, quia cum eo commiscetur & sanguineum pus vocatur. Ichor est tenuis succus chylo sulphureus & salsus. Sordes est materia lardo similis, quæ lutosa, spissa & non facilè per canaliculos musculorum fluit. Virus est tenuis ac fœtida materia, quæ carnem & cutem exedit. Melagium dicitur oleosa materia, quę cõmuniter à carie ossium oritur & valde fętet. Generatur ergò Ulcus quando particulæ acidę salsæ & alię ejusdem farinæ confusè & inordinate mixtę latent, & nullam occasionem nanciscuntur evasandi propter pręsentem obstructionem, hinc vasa simili modo, ac si quis id præstet cum mille cultellis, discindunt, & non apud Chirurgum tot varia inveniuntur instrumentorum genera, quæ hic non reperiuntur in materia ista purulenta quod probari potest, si vel sanguis, vel materia purulenta destilletur & rectificetur, quæ detineatur ante nares, vel imponantur guttæ unæ vel alterę linguæ, percipiet destillator, imò ipse incredulus Thomas, quòd cultelli admodum sint acuti, fateri debet Medicus ille Viennensis tempore pestis bubonem pestilentialem alembico immiserat, exinde destillatum liquorem aliis gustandum porrexit, ex cujus cultellis omnes canaliculi erosi ac discissi, omnesque succi coagulati fuerunt, & hinc degustatores mortui sunt. In Ulceribus tria bene consideranda veniunt, multitudo nempe vasorum ruptorum, dein materia que ex his emanat, & postmodum *affectus* quem effluens & effluxa materia producit. Si enim plura vasa rupta sunt, plus effluit materię, & multitudo ruptorum vasorum dependet à majore circumferentia tumoris, quo enim major est circumferentia, eò plures rumpuntur canaliculi: nihil tamen magis vasa corrodit, quàm per fermentationem acrior redditus evasatusque succus, qui acido-albus est, ex chylo nempe producto, modò flavus & tenuis modò acris ac viridis, modò crassus: flavus & viridis iste succus non ab hepate vel liene aut aliis visceribus, uti Veteres somniarunt ac hodie plures reperiuntur, qui falsæ huic opinioni adstipulantur, sed potiùs oritur à fermentatione ibidem facta inter succos effluentes, flavus ergo humor non à Bile, uti veteres putarunt, sed flavedo hæc oritur ex liberis particulis volatilibus, acidis & dulcibus inter se mixtis Fętor verò puris oritur ab eadem causa, accedente enim fermentatione & diu durante salia volatilia avolant fœtoremque inducunt.

Cavitas Ulcerum oritur, quando scindentes & mordentes aciculæ salsæ & acidæ ex proximis vasis effusæ adjacentia minutissima vasa simul dilacerant, discinduntque ac planè sæpe erodunt, & sic sibi cavitatem parant tanquam foveam, unde Ulcus ortum suum habet.

Prout ulcus Phlegmonem seu inflammationem ac tumorem sequitur, sic & gangrenam excipere solet, vel ab incongruis remediis gangrænę applicatis, vel si gangręna jam radices egerit. Ulcera verò non semper producuntur eodem modo, ac supra diximus de eo, quod phlegmonem seu tumorem excipit, nam in hoc pus ejicitur, in illo verò quod gangrænam sequitur, nullum pus reperitur, & in gangrena cùm omnia vasa corrupta & rupta sunt, ut planè nullum commercium restet cum aliis vasis, hinc nullus succus nutritius effluere potest, contrarium verò observatur in tumore.

Quod illa Ulcera, quæ comitem habent scorbutum, aliamque intemperiem sanguinis, difficiliora sunt curatu, ratio est, quòd succi in M. S. non bene constituti sunt, vel particulæ sunt nimis salsæ vel acidæ, hinc ulcera fiunt manantia, & ab aere externo adhuc acriores redditi perforant roduntque alios canaliculos proximos & impediunt accretionem carnis. Pro regula enim firma stabilienda est sequẽs veritas, quòd omnes succi corporis nostri tam diu in vasis suis circulantur, meliusque in statu suo conservantur, quàm illi, qui extra vasa stagnant, quia circulantes succi in vasis suis contenti ab aere impediuntur, aer enim ipsos succos ita facilè coagulare potest, dein per circulationem etiam per cor meliùs miscentur, à quo succi ab irregulari commixtione & motu servantur, sicque quoque novo fermento imbuuntur circulando, hinc non facilè corrumpi possunt.

Si ergò succi sunt acidi, vel nimis salsi, aut acidi & pauco sale volatili & spiritibus & oleo prædìti, facilè vasa perrumpunt & foras emanant, aliamque nanciscuntur indolem extra circulationem suam constituti. Salia enim volatilia, olea & spiritus corpora nostra quęcunque à corruptione præservare debent, dantur enim varia acida & salsa & maximè inter se differunt.

Nunc paucis rationem reddamus, quomodo sphacelus in hydropicis sępe Ulcus producit Hìc ergò considerandum est, quòd si adsit obstructio vasorum lymphaticorum, v. gr. in Tibia, &c. per quæ succi aliàs circulare debent, quòd tamen nequeunt ob obstructionem vasorum à muco tenaci facta & minori vi sucorum, hęc vasa præter modum à succis istis extenduntur, & extra ordinarium suum situm dimoventur, hinc in parte illa oritur occasio ad discussionem & corrosionem vasorum & cum plura discindũtur, & à reliqua carne quasi separantur, tunc fit Vlcus, distenta enim sunt vasa, & non amplius à debili influxu spirituum ad pristinum statum deduci possunt, nec separatio succorũ fieri potest.

Vlcera ex Scorbuto sæpissimè producuntur à particulis istis salinis acutis sanguini ac reliquis succis inexistentibus, tubulosque tandem erodentibus.

Vlceris sordidi. Si particulæ acidę pertinaciter poris labiorum Vlcerum inhærentes succos dulces de novo allentes convertunt itidem in acidos, qui ob tubulos ab Vlceribus ruptos circulationem continuare nequeunt, à succis ergò à tergo continuò insequentibus propelluntur foras in cavitatem Vlcerum, quam ad summum usque fere semper adimplent succo quidem acri, acido ac tenui, cum quædam viscosiores ac magis ramosæ particulæ intermisceantur inhærentes in superficie Vlcerum, illa sordida reddunt.

Vlceris cum carie ossis. Vlcus cum carie ossis, & fungosa inde nata carne oritur ab acido corrosivo, ossium tubulos corrodente, & sic ossa cariosa reddente, vasaque sanguifera magis quàm par est aperiente, ex quibus prolongatis effluens succus transit in carnem fungosam.

Vlcus mirandum est, quod notavit *Celeberrimus Muyș Obs. 4. prax. Chir. rational.* ex qua una vice prodierunt 30. ova humore limpido plena, deinde per aliquot

aliquot subsequentes dies plura alia egrediebantur, quae omnia simul sumpta numerum centenarium superabant, eorumque quaedam ovi gallinacei, quaedam columbini, quaedam etiam ovi passeris magnitudinem habebant, singulaque eorum propria ac à cæteris separata, candidaque cingebantur membrana, quæ chartæ lusoriæ crassitiem habebat: ovis subventaneis hæc ova valde similia apparebant, omniaque simul in communi crassaque membrana inclusa jacebant. Nos & ulcera inveterata vidimus, ex quibus chartæ lusoriæ, vitra, araneæ, lacertæ, musci, pili, ranæ & ejusmodi res prodibant, vide de his *Commerc. nostr. lit. Epist.* 2. Num hæc à naturalibus causis prodeant *Cl. Muys* curiosè explicat, vel num diabolus ejusmodi res non animadvertentibus Chirurgis & adstantibus substituat, quæ non in ulcere antea fuere. De animatis tandem ratio reddi potest, sed de inanimatis, uti vitris, ubi adhuc insignia cujusdam nobilis fuerunt impressa, vix credo ejusmodi res naturaliter a succis variè dispositis produci posse, sed à dæmone mille artium fabro fuisse potiùs substituta nemo erit, qui inficiabitur. Sic & frustulum fistulæ adæquantis longitudinem dimidii digiti, qua tabaci amatores utuntur, in Abscessu vidit prælaudatus *Cl. Muys*, sed ab ægro fuit in fauces adactum per lapsum, quem ex improviso sustinuit, de quo Abscessu mirando confer. sæpiùs nominat. *Cl. Muys Obs.* VI. *Chir. ration.*

Causa Fistularum. Causæ *Fistularum* ad quatuor capita reduci possunt: 1. à vulneribus & puncturis oriri possunt Fistulæ: 2. à tumoribus vel abscessibus: 3. ab ulceribus inveteratis, & 4. à carie & corruptione ossis. A vulneribus enim sive puncturis exoritur Fistula sequenti modo; Si enim quis profundè læsus fuerit, & æger in peculiari situ ita constitutus, ut nemo ad profunditatem vulneris pervenire possit, certum dein ut materia stagnet & peculiarem succum sibi efformet, facili marte proin accidere potest, ut superius vulnus consolidetur, remanente materia, quæ de die in diem acrior redditur, vicina vasa corrodit, unde effluxus materiæ major fit, ut cutis iterum corrodatur, sicque Fistula generatur. Si jam materia ex sua cavitate effluxerit, non tam repente illa replet, hinc restat semper mucus viscidus, avolantibus scilicet particulis subtilibus, hinc crassus succus hæret in orificio Fistulæ, impeditq; effluxum tenuis de novo affluentis materiæ. Callositas Fistularum producitur utplurimùm à pressione materiæ, prout videmus in callis manuum provenientibus à labore. Fistula nihil aliud est, quam particularis exulceratio. h e. apertio extraordinaria vasorum; in Fistula enim semper remanet fermentum acidum, prout in stomacho liquor quidam gastricus, quod succos effluentes alterat, & hinc pus variè alteratur, modò sanguineum, modò album, modò flavũ, aliquando salsum vel acidum vel crassum, &c. Quòd in Fistulis nullus doloris sensus sæpe percipitur, ratio est, quod partes Fistulę sint compressę & constrictę, vel planè abscissę & induratę, & labia interna ferè callosa, hinc videmus, quòd callositates manuũ vel pedum absq; dolore scindi possint. Causa ergo primaria Fistularum utplurimum est acris & corrosivus succus in cavitate delitescens, plures tubulos & canaliculos discindens. Ansã huic præbet sæpe sanguis crassus & stagnationi aptus, si multis nimirũ acidis & viscosis fuerit refertus particulis, hinc portio quædã harum particularum defertur ad partem aliquã nostri corporis, & ibidem subsistens moramq; trahens in carnem vicinam transit, fibrillas, disrumpit, redditq; sibi cavitatem ampliorem, sicq; Fistulam producit. Si verò crassiores ramosæ particulæ circa Ulceris latera seu labia sibi imperium rapiunt, premũtque fortiter vasa, hinc callosam efformãt Fistulam; Nõ tamen necessum est, succos acredinem suam aliasq; vires ubique, & manifestè semper prodere, sed qui occultè subinde sale, ut *Helmontius* ait, gaudent, quod sub sanguinis tegunt involucro, nec nisi cùm secreti fuerint, & per se exstiterint seorsim, conspicui fiunt, hominemq; lædũt ac molestia afficiunt, & cujus genii aut generis sint manifesti fiunt ex *Hippoc.* Res nos ambientes multum faciunt ad Ulcera & Fistulas producendum; & quomodo contribuant suumque symbolum addant, ex diæta infra dicenda apparebit: aer enim acidus & multo sale refertus, sanguinem facilè hisce particulis impręgnat, hinc & ii, qui per mare vehuntur, ob salsas & acres exhalationes, & diætam viscidam ac salinam, sicque incongruam hisce Fistulis & Ulceribus obnoxii sunt: succedunt alimenta & potulenta succo saleque mordaci & acido abũdantia, & in fermentationem, corruptionem facilè tendentia. Vinum acidum quodvis nobis suspectum est, & omnes potus acidi, ut cerevisia acida, vinum pomaceum &c. Ex lacte vitiosi succi infans cum nutrice sua totum corpus multisrefertum Ulceribus circumtulit, teste etiã ipso *Galeno de aliment. facult.* Motus nimius, ut & vigiliæ, cacochymiæ non difficiles causæ operosæ quoq; hìc sunt. Ordinariè excernenda, si præter modum retineantur, v. gr. in viris hæmorrhoides suppressæ ob stagnationem sanguinis acrioris & viscidi, Fistulosa circa anum Ulcera dederunt, prout apud *Hildan. cent.* 2. *Obs.* 75. aliosque legere est, quod & ipsa testatur experientia. Item ob menses in fœminis stagnantes & acriores collum cervicis Uteri planè cancrosum exulceratũq; notavit prædictus *Hildan. cent.* 2. *Obs.* 61. Mulierem lochiorum fluxu non satis purgatam post partum, nuper observavi copiosissimis crurum Ulceribus refertã, quæ adhibitis remediis congruis feliciter, Deo benedicente, à me curata fuit. Męror quoq; scorbuticorum Ulceribus fovendis aptissimus est, sic tumores, inflammationes gangrænæ, hydrops, cacochymia quæcunque, difficiles partus, dilaceratis nempe circa Uterum vasis, causam Ulceri Fistuloso dare possunt: frequentissimè verò accidit Vulnera in Ulcera, Abscessus & Fistulas degenerare, malè præsertim curata. Sic & catarrhi, contusiones sępè in Ulcera & fistulas degenerant. Excoriatio intestini recti à succis acribus virulentis in lue Venerea & gonorrhœa occasionem Fistulosis Ulceribus dant, & non ità pridem adhuc virum quendam balsamo nostro divino feliciter curavimus, qui per tricennium & ultra hac affligebatur Fistula, & inde sæpe febrem passus est; post variolas & morbillos malè curatos sæpiùs vidimus Ulcera & Fistulas, sic & post fracturas cariemque ossium, item ab ictu, à bubonibus; ex mala dentis extractione aliisque prægressis morbis observantur Fistulæ, ceu quotidiana constat experientia.

Prognosis Ulcerum. §. 12. Quod *Prognosin* concernit Ulcerum; si pus dulce est, & bene olet, optimum signum denotat, facilis curationis ulcus, non esse malignum, & quòd fermentatio non ad summum pervenerit fastigium. Si verò pus sit flavum, vel viride, maximeque fœtet, malum est.

Difficultas curationis Ulcerum in eo consistit, quòd simul acre redditum pus, reliquum affluens ad partem affectam eodem induit charactere. Illa Ulcera, quę propter gangręnam ex scorbuto, hydrope & frigore oriuntur, sunt pessimi moris, illa verò, quæ post phlegmonẽ & tumorem seu abscessum oriuntur, melioris sunt notę facilioraq; curatu. Per calorem enim seu motũ succi nostri circulantur, à frigore verò non tantùm succi inspissantur, & ad motum inepti redduntur, sed & ipsi canaliculi, per quos circulantur constringuntur, hinc faciliùs obstruuntur. Ulcera saniosa sunt curatu difficillima & diuturna, membranæ enim non tã citò sanantur, quàm caro. Sic & illa, quæ chylum inspissatum instar lardi in se continent, pejoris sunt notæ. Fistulę etiam, quę occupant jũcturas aut partes, ubi majores sunt canaliculi, itidem difficulter curantur, quoniã succi facilè effluũt, & in eandẽ abeũt amurcã, quo ulcus profũdius est eo difficilius curatur. Atrophiã ulcus quandoq; excipere solet.

Ulcera in hydropicis oborta rarò sanantur & exsiccantur, quia continuò emanant, omnes enim canaliculi obstructi sunt, vel rupti, vel corrosi sunt, hinc nulla alia via restat, quàm extra cutem, ideòq; nulla consolidatio fieri potest ob continuum effluxum aquosę materię seu ichoris, propter acres pungentesq; particulas, quibus vasa discindũtur, hinc etiam melioris sanationis spes elucet, si materia albidior & spissior redditur. Nõ enim copia aquæ hydropicis mortẽ accersit, sed obstructio, hinc plures novimus, quibus aqua per aliquot septimanas ãte mortem effluebat, & abdomen instar sanorum redditum fuit macilentum, attamen paulo post mortui sunt.

Cùm in glandulosis partibus aliquid acidi subtilis secernatur & lympham constituat, contumaciora sunt Ulcera,

Ulcera, magis quoque dolorosa & corrosiva, quæ facillimè degenerant in Fistulas, imò hæc ulcera cancrosam induunt sæpe indolem.

Ulcera & vulnera articulorum sunt curatu difficiliora, propter facilem lymphæ aut sanguinis stagnationem, corruptionem ac acescentiam, sic quoque Ulcera facilè producunt cariem ossis, quoniam acor lymphę aut sanguinis ad os subjectum delatus, aut ex alteratione ipsius ossis ab aeris contactu ortus, aut etiam ex aciditate intensa ad os cum chylo delatus, os ipsum corrodit cariosumque reddit.

Prognosis Fistularum. Quod *Prognostica* Fistularum Signa attinet, quę omnes generaliter curatu difficiles sunt, plus tamen difficultatis aliæ, aliæ minus habent, imò nonnullæ planè incurabiles censentur; sic filia Prætoris cujusdam per annum & ultra in manu cujusdam Empirici versabatur, quæ laborabat Fistula circa os femoris, sed frustra operam navavit Empiricus ob profunditatem & multa disrupta vasa majora, cariem ossis subjectam, & atrophiam conjunctam. Simpliciter verò recentes intra carnem non adeò profundæ, sub cute transversim existentes, in corpore juvenili robusto, cætera sano, labiis quodammodo mollibus & mucosis præditę, faciliorem cæteris curationem spondent, difficiliorem autem minantur inveteratæ, valde profundæ, & recta ad interiora tendentes, scorbuticæ, lardo similes, tortuosæ, variis sinubus constantes, sensus planè expertes, luem Venereã aut gangrenam redolentes, in hydropicis, senilibus, emaciatis corporibus, pueris & junioribus obvię, raroq; ita exemplo, quatuor rectum intestinũ perforantes Fistulas in infantulo unius mensis perfectè sanavit *Petrus de Marchett. de Fistula ani p.* 180. Fistulosę exulcerationes nostro judicio curationem admittunt, si singularis Medici aut Chirurgi dexteritas, & ægri obedientia accedant. Periculosæ verò sunt quàm maximè illæ, quæ visceribus vicinæ ad musculorum capita, vasa, articulos, dorsi vertebras, ossa, ventrumq; cavitates extensę, quoque gravia post se symptomata relinqunt, ut febrem, cachexiam, tabem, syncopen; degenerent quoq, non rarò in phagedænica Ulcera in intestinis, sæpe & claudicationem in femore inferunt; Fistulam ventriculi feliciter curatam fuisse ex *Eph. N.C. Ann.* 7. & 10. *Obs.* 131. à Nobis communicata constat, quæ circa juncturas manus aut pedis nascuntur, cùm nec manum Chirurgi, nec Medicamenta decenter admittant, difficillimæ sunt curatu; Ut & cancrosæ perdifficilis sunt sanationis, quas etiam plures non semel attingendas esse volunt: curatam tamen talem memorat *Georg. Velschius exoticar. curat.* Fistulæ non bene curatæ facilè iterum recluduntur, coarcevata materia imprimis ubi subest caries ossium, acris autem perforat. Sunt & nonnullę, quibus occluduntur Fistulæ, hinc conqueruntur de anxietate & angustia pectoris, respirandi difficultate, &c. ratio est, quòd fiant coagulationes in succis nostris. Ex materia effluente majus vel minus periculum concludere potest Chirurgus, si enim materia valde fœtet & circa os latet, signum est cariei ossis, si circa juncturas prodeat & fœteat, signum est corruptionis tendinum Fistulã pedis gangrenosam lethalem observavit Celeb. *Georg. Francus*, PP. Heid. Decur. *Eph. Germ. A.* 6. *Obs.* 81

Cura diætetica. §. 12 Non duntaxat Medicamenta commoda in Ulceribus ac Fistulis inserviunt, sed & *Diæta* in his non negligenda est, ne Medicus & Chirurgus semper suppeditata nova causa peccante, inanem ludat operam. Aer ergò eligatur purus, nitidus, nullis inquinamentis & nebulosis salsis ac acribus exhalationibus inquinatus, sed temperatus, nimis enim frigidus sanguinem & cęteros circulãtes succos incrassat, & nimis calidus acrioribus suis particulis sanguinẽ reliquosq; succos replet, & sic ansã Vlcerib. ac Fistulis prębet, & quę vis aeris in sanandis Fistulis sit, legi meretur *Obs.* 43. *vol.* 3 *act. Haffn.*

Post aerem cibi potusque ratio habenda est, usurpentur ergò omnes cibi volatili gaudentes sale, & vitentur angue pejus omnia acida, salsa acria, saccharata, sive dulcia viscida, de quibus alibi ad nauseam diximus. Hoc asterisco etiam notandum est, quòd acida valdè noceant sæpiùs in mensa assumpta, ex ejusmodi enim acidorum abusu, imprimis succi citri singulis cibis in mensa aspersi, Seren. Elector. Palatinus Carolus Princeps certè feriore Libitina dignus, non tantùm planè emaciatus est, sed etiam post mortem ipsius in intestinis innumera inventa fuere *Ulcera*. Fugiatur ante omnia vinum Rhenanum æquè ac Mosellanum & Baccharacense, si sint sc. acida, quæ ob aciditatem maximè nocent Vlceribus ac Fistulis, concedatur verò vinum Gallicum, aqua pro re nata dilutum, vel Malvaticum, vel Tokayense, potus Theę in omnibus Vlceribus, item & Capheę maximè conducit, & nunquam in his negligendus est, quoniam ope hujus potus particulę acres salinę viscidę peccantes vel per urinam, vel per sudorẽ eliminantur sive aqua calida, qua utitur Czar ordinariè in Moscovia cũ pauco fermenti panis, & ad stomachum roborandum interponit aliquando vitrum vino Hispanico repletum & fit longævus. Vel sumatur istius in Gallia usitatæ aquę vite nomine *l'eau de Siam* insignitę parvum vitrũ. Somnus sit largior, etsi etiam sit meridianus, quem cõcedimus, quia is nihil aliud est, quàm mortis frater à debiliori influxu spirituum obortus; quo enim quis volatiliorem & subtiliorem sanguinem & succos habet, eo minùs ad somnum proclivis est, quo verò sanguis & succi crassiores, tenaciores & viscidiores, eo ad somnũ propẽsiores sunt. Vigilię verò, ut & lucubrationes modum ne excedant. Vigiliæ enim portiones spirituosas in M. S. nimis absumunt, sicque sanguinem vappescentem quasi lentumque ac viscidum relinquunt, succos etiam exsiccant, eosque acres ac corrosivos reddunt.

Motus & quies ita alternis vicibus instituenda sunt, quo minus spiritus deprimi aut motus eorum impediri queant, nã per motũ sanguis & succi nostri attenuantur & ad circulationem promptiores redduntur, quies verò nimia succum nostrũ nerveum seu spiritus animales in musculis nostris (qui sunt interni motores nostræ machinæ aquæ rotam molarem circumgyrantis,) nimis exhaurit, producitque vappescentem, lutosum ac viscidum sanguinem succosque, sicque ansam dat Vlceribus Fistulisq; nostris. Per motum etiam nimium avolãt particulæ subtiliores, remanẽtibus in M. S. lutosis ac viscidis ramosisq; particul. sanguinẽ ac succo incrassantib.

Excreta ac retenta denique ad ordinarias leges debito modo revocandas esse author ero, præprimis mensium in fœminis fluxus solitus promoveatur, nec insensibilis transpiratio impediatur, sic & urina, fluxus seminis, lac ac saliva, ut & alvus sit lubrica, ita ut æger ex usu tam Medicamentorum quàm Diætę optimę regimine cum sanitate pristina in gratia redire possit.

Animi pathemata, ut mœror, ira, &c. Venerisque ludibria nimia maximè hic nocitura rectæ rationis fręno coerceantur, ne breve illud gaudium diuturna Vlcera & Fistulas excipiat.

Galenicorum cura in Vlceribus. §. 15. Tradita nunc cura Diætetica, *Pharmacia* vel *Chirurgia* manum auxiliatricem alteram porrigit, cùm Vlcera neglectis internis remediis non tantum in deterius ruant, sed & plurium aliorumque vehementiorum ac lethalium morborum auctores esse possint, quod præter experientiam monumenta Medicorum abundè testantur. Priùs ergò de Vlcerum curatione audiamus *Galenicos*, qui *Indicationes* desumunt ab ipso morbo, à causis ipsius, & à symptomatibus. Vlcus itaque cùm sit solutio unitatis, reuniens expetunt, & cum deperdita sit substantiæ portio, repletionem instituunt; causæ indicant sui remotionem, symptomata verò sui delinitionem. Vt primo satisfaciant scopo siccantibus & parùm adstringentibus utuntur ad præscriptum *Hipp.* inquientis, quod *siccum est, sanum; quod madet, ad vitiatum propiùs accedit.* Siccandum esse ajunt ob excrementum tenue, abstergendùm verò ob excrementum crassum, quod utrumque in Vlceribus reperitur: eadem tamen & in eodem statu Medicamenta non esse adhibenda docent, nam juxta ipsos Vlcera quatuor habent tempora, *principium sc. augmentum, statum, & declinationem*. In principio autem, ubi sanies est valdè cruda, & in ipsa parte generatur, præsente inflammatione, dolore, &c. adhibent maturantia & dolorem parùm sopientia, & tamdiu in suppurantibus persistunt, usque dum pus album, leve & æquale appareat: *in augmento* crassiori sc. excremento per coctionem sese accumulan-

cumulante abstergunt: in *statu*, & *declinatione*, in hac tamen magis, sarcotica administrant: in fine tandem cicatrisantia applicant. Si verò aliquod grave Symptoma Ulceri sit complicatum, quod rationem causæ induat, & Ulceris curationem impediat, isti auferendo priùs incumbunt.

Primò itaque omnium *Galenici* in *Ulcerum Curatione* convenientem instituunt *Diætam*, tenuiorem sc. & aliquantum siccantem, partis tamen temperiem maximè respicientem: secundò evacuantia, repellentia, aut intercipientia præsidia adhibent, itaque venesectionem, si adsit plethora, & purgationem si cacochymia urgeat, præscribunt, humorum verò qualitatem alterantibus tum alimentis, tum Medicamentis corrigunt, etiam per cucurbitulas, frictiones, ligaturas, vincula, &c. quę contrariis partibus adhibent, revulsiones & interceptiones instituunt, per Medicamenta frigida humores fluentes intercipiunt, incrassando sc. humores cogendo, & abstergendo: tertiò soliciti sunt de symptomatibus corrigendis: & quartò de omnimoda Ulceris curatione. Ut itaque Ulceri simplici auxilientur, ad *maturantia* confugiunt, ætati & temperamento congrua, in corporibus enim mollioribus mitiora sufficient, ut v. gr. illud quod fit ex vitello ovi & ol. rosaceo, in corpore verò non ità molli illud, quod fit ex terebinthina & vitello ovi, in corpore sicco ac adulto addunt oleum mastichinum, & farinam hordei, pulv. thuris, succum apii, sem. lini, pingu. anatis, &c. nec toto Ulceris tempore continuant suppurantia, ex metu, ne Ulcus fiat sordidum, sed tantùm donec sit optimum fundamentum carnis rubicundæ & vivacis positum: nam deinde sufficere ajunt plumaceolas sive linea filamenta; regenerationem solius naturæ esse opus arguunt, modò sanies & quæ hoc opus impediunt à Chirurgo arceantur. Cùm duo hic esse excrementa statuant, crassum & tenue, crassum abstergunt, & tenue exsiccant, v. gr. farina hordei, fœnigræci, thure, aloe, ungu. Basilico majore ac minore: si sicciora sunt corpora, adhibent aristolochiam utramque, farinam orobi, lupinorum, fabarum, ungu. de matrisylva, si verò corpora sint valde sicca, ad magis adhuc siccantia deveniunt: ut sunt Chalcitis, lapis calaminaris, cadmia usta ac lota, tutia, absinth. ungu. Apostolor. Ipsorum abstergentia Medicamenta sunt hydromel, de apio, mel rosaceum, pulv. sem. erucæ, &c.

Si cavitas repleta est hisce, & remanet tandem simplex seu superficiale Ulcus, præscribunt *Cicatrizantia* seu epulotica, uti sunt empl. de lap. calam. diapalm. myrrh. olibanum, aloe, cinis corii antiqui, pomphol. plumbum ustum, ungu. de minio, balaust., bolus Armena, terra sigillata, sem. sumach. ungu. desiccativum rubrum, alumen scissile, pulv. rosar. rubr. santal. rubr.

Si calida Ulceris fuerit intemperies, ad refrigerantia illicò confugiunt, ex gr. ungu. album Rhasis, album Camph. de cerussa de tutia, populeum, refrig. Galeni, Santalin. aqu. plantag. rosar. portulac. succ. semperviv. solani, cicutæ, bursæ pastoris vinum nigrum stypticum, ex quibus plurima parant remedia, intus quoq; ea quæ refrigerant, administrant, ut sunt emulsiones, Julapia, Juscula, &c.

Si intemperies Ulceris fuerit frigida, ad calida topica confungiunt, ut sunt oleum Terebinth. hypericonis, de spica, anethin. chamomill. vinum calidum spongiis applicatum, ungu. Apostol. ceratum de betonic. quod si magis calefacere oporteat, aquam vitæ vel vinum Hispanicum calidè spongiis applicant, in quibus coquunt salv. hyssop. absinth. pulegium, rosmarin. folia lauri, lavendul. &c. imò adhibent oleum euphorbii, aut de piperibus instillant.

Si intemperies *humida* fuerit, siccantibus, utuntur; *siccam* verò intemperiem prę reliquis maximè considerant, & eò respiciunt, an intemperies hæc sit ex alimenti defectu, vel ex impressa sicca intemperie, vel ex utroque. Si ex alimenti defectu, quòd pars non ritè attrahat, cibo euchymo & facilis distributionis utuntur, dein adhibent fomenta, aquam tepidam, cucurbitulas, picationes, frictiones, &c. donec ipsa pars rubedinem contraxerit; si verò intemperies sicca sit impressa, humectantia adhibent, ut sunt aquæ temperatæ fotus vel seq. unguentum humectans:

℞. *Fol. malv. contus.* ℔ß.
Butyri recent. ℥viij.
M. conquantur usque ad mollitiem, trajiciantur, dein adde
Ol. lil. alb. ℥iß.
M. F. linimentum.

In *Ulcere Phlegmonoso* vinum tepidum, in quo mala Punica fuerint cocta, vel poscham, vel mulsam aquosã applicant: in *Erysipelatoso* Ulcere convenire ajunt cataplasma ex cidoniis & pyris acerbis, cum vino & aceto factum: si Oedema adsit, Medicamenta paulò magis calefacientia; si scirrhus, simul emollientia: si durities in Ulceris labiis cum decoloratione adsit, eam quam primùm tollunt. Imprimis hoc in casu emollientia commendant, tale parant Cataplasma.

℞. *Mucilag. sem. altheæ aq. malv. extr.* ℔ß.
Pingued. anatis,
Anseris,
Gallinæ aa. ℥iij.
Farinæ sem. lini ℥iiiß.
Micæ panis triticei ℥iv.

C. s. q. lactis coq. ad consistentiam catapl. ita tamen, ut pinguedines ultimò demum injiciant; vel instituunt embrocationes ex decocto carnis arietinæ, quæ & insigniter emolliunt & temperant. Si durities fuerit à repletione, evacuantia & resolventia suadent: si humores grumosi duritiem efficiant, eos dissolvunt emollientibus simul incidendi vi pollentibus, & Medicamentis in hunc finem acetum admiscent. Si partis duræ color niger sit, eam novacula à parte sanâ separant, vel scarificant, vel cauterio ad decidentiam sollicitant, vel corrosivis fortioribus tollunt. Quòd si vermes in Ulceribus à putredine & pituitoso, ut illi dicunt, excremento generati fuerint, eos auferunt vel necando & putredinalem illam humiditatem tollendo; Vermes auferunt vel specilli cuspide, vel alio quovis instrumento; quòd si hoc efficere nequeant, applicant amara ex absynthio, aloe, centaurio minore, tanaceto scordio, helleb. nigr. parata remedia, vel etiam ferro candente eos interficiunt. Ulcera cum osse corrupto curant purgatione ac pro renata venesectione institutis, dein os denudant, nisi obstent nervi, venæ aut arteriæ majores. Item si ossa capitis, femoris, vertebrarum fuerint corrosa, ab incisione & ustione abstinent, & potentialibus tantùm utuntur, in aliis autem corruptis partem ossis incidunt, urunt, & auferunt; si caries tantùm fuerit superficialis, eam tollunt siccantibus remediis, ut sunt aloe, aristolochia, sem. sumach, pumex calcinatus, cinis ficulneus, calx, fæx usta, rad. ireos, &c. quæ tamen ità applicant, ne circumjectæ partes tangantur, hinc filamentis has benè muniunt. Prædictos pulveres vel cum melle, vel cum ungu. Ægyptiaco, vel cum terebinthina, pice, cera, &c. miscent & applicant, os autem per Chirurgiam vel abrasione, vel ustione tollunt, quæ omnia videri possunt *capite de Carie Ossium*.

Ulcus virulentum depascens, Phagedænicum seu Ulcus ambulativum curant *Galenici* humorum peccantium evacuatione, virulentæ materiæ exsiccatione & intemperiei correctione, Ulceris repletione, consolidatione & cicatrisatione. Primæ indicationi satisfaciunt corpus bene expurgando; sanguinem, si exuperet, extrahendo; humorem intercipiunt per defensiva. Dein ad localia perveniunt, inter quæ frigida, sicca & styptica commendant, uti est aqua aluminosa, dein ungu. diapompholygos, vel sequens aut simile.

℞. *Herb. plantag. Prunell.*
Burs. pastor. aa. Mj.
Fl. rosar. rubr.
Balaustiorum
Nucum cupressi, aa. ℥iij.

Decoq. in aq. fabrorum & aceti partibus æqualibus, quo decocto ulcus corrodens sæpiùs abluunt, defensivis inter partem mandantem & recipientem semper diligenter applicatis. Quòd si verò hisce non juvantibus malum ulteriùs serpat, Guidonis curam cum lamina plum-

plumbea perforantia superligata approbant. Dein si nec ista prosint, ad escharotica vel ignem actualem confugiunt, hoc enim melius & præstantius nullum reperiri, ajunt, & in Ulcere Phagædenico, venerea plerumque malignitate pertinaci 10. vel 13. instrumenta ferrea candentia Itali exstinguunt. Post hanc operationem, ne Inflammatio parti sit inducta, refrigerantibus agunt, ut ungu. albo Camph. album. ovor. ol. rosar. benè conquassatis, vel succo solani cum ungu. albo Rhasis conjuncto. Quòd si omnis malignitas ablata fuerit, tandem Ulcus more aliorum implent, consolidant, & cicatrisant.

Vlceris sordidi curam peragunt (1.) *Diæta* ritè instituta, (2.) humoris peccantis evacuatione per revulsoria, ac derivatoria, (3) topicis seu localibus. Quod ad localia pertinet, corpore bene mundato, orificii dilatationem quamprimùm moliuntur, semper à nervis, venis & arteriis officiosè cavendo: vel loco sectionis, eadem facta cautione, cauteria potentialia applicant, dilatationem sinumque aperiunt. Si Patiens eam admittere nolit, injiciunt detersoria, & exsiccantia, talia sunt mulsum cui aliquid, ad putredinem magis arcendam, oxymelitis addunt, ad primam injectionem muriam lixivium, aqu. aluminosam, &c. adhibent, vel etiam, si adest maligna putredo, injiciunt Ægyptiacum in spiritu vini cum pauca theriaca dissolutum, quando Inflammatio abest: hæc enim si adsit, cremor. hordei cum melle rosaceo mixt. vel aq. mulsi. in qua absinth. symphytum majus &c. coquunt. Facta abstersione vinum calidum rubrum pro corroboratione injiciunt, cui vino incoquunt myrrham, thus, aloen, sarcocollam & similia sarcotica, extrà verò spongiam vino calido madidam ità applicant.

Galenicorũ Cura in Fistulis.

Fistularum Curationem perficiunt instituta *Diæta*, dein *humorum evacuatione*, internorum membrorum correctione, & topicis Medicamentis; jecur, lienem, stomachum, caput, &c. confortant tum per appropriata, tum per decocta ex lignis & herbis aliquoties repetita. Optima ergò *Diæta* instituta, expurgato corpore, partibus internis roboratis, fluxione à parte affecta in contrariam retracta, vel saltem prohibita, aut intercepta, cùm hìc sese plura offerant, utpote sinus callositas & orificii angustia, hinc vident à quonam horum incipiendum sit. Fistulas enim curari non posse ajunt, nisi callo ablato, & orificio taliter dilatato, ut Medicamenta ad cavitatis fundum pervenire possint. Itaque ab orificii dilatatione curam omninò auspicantur, quod fieri ajunt turundis ex valdè compressa & colligata spongia, vel etiam ex medulla ligni sambucini cum extractorio filo, ut, si in sinum ipsum inciderint, tutò possint extrahi. Talia, postquam humores imbiberunt, sese dilatant, adeoque orificium ampliant, hinc per 12 horas esse relinquenda monent, dein extrahunt; & sic turundas majores semper esse introducendas dicunt, donec foramen sat amplum fuerit redditum; imò usque ad sinuosæ cavitatis fundum, si fieri possit, pertingant. Hoc facto callum auferunt, quòd si Patiens neque ustionem, neque incisionem ferre velit, callusque non sit admodùm crassus, cum *Corrosivis*, præmissa priùs scarificatione, consumunt, talia sunt ex ipsorum scriniis, uti ungu. Ægyptiac. succus tabaci, rasur. rad. aristoloch. rotund. asphodeli, melle illitæ, ad id maximè laudant rad. hellebor. nigr. per triduum in cavitate detentam. Præcipuè si is sit ab humore melancholico, conducere ajunt elaterium, therebinthina exceptum & applicatum. Valentiora ipsorum corrosiva sunt Chalcanthum ustum, pulvis Cantharidum, Sapo niger, lac esulæ, lixivium ex cinere & calce viva, &c. Ex his componunt turundas & imponunt, ex. gr.

♃. *Æruginis* ℥ iß.
Ammoniaci ℥ ij.
Aceti q. s.
M. F. Massa.

Unde formant turundas Fistulis indendas.

Alii ex corrosivis illis pulverem conficiunt, quem deinde in foramen per cannulam insufflant, alii eosdem pulveres cum mulsa dissolvunt, & siphone injiciunt in Fistulæ foramen, id quod maximè observant, ubi Fistulæ sunt valdè profundæ, cuniculosæ & anfractuosę: illuc enim sola liquida penetrare possunt. Dum acria hæc administrant, defensiva semper ad vitandam majorem à dolore concitatam fluxionem & consequenter inflammationem, applicant; faciliorem verò & breviorem viam esse arguunt, vel per incisionem, vel per ustionem, imprimis ubi Fistulæ sunt profundæ, eò enim tendunt, ut ad ipsum fundum perveniant. Si ergò secare velint primo specillum ligneum immittunt, supra quod instituunt incisionem cum novacula aut scalpello atque ita omnes sinus, vitatis vitandis, detegunt & aperiunt, donec eorum finem adinveniant. Sequenti dein die callum vel caustico, vel corrosivo consumunt, adurunt & omnimodò tollunt. Deinde post operationem oleo rosaceo cum vitello ovi benè agitato dolorem demulcent, quo facto butyro recenti vel aliis unctuosis escharam paulatim emolliunt, & ad decidentiam præparant, quo peracto, si pus album, leve & ęquale succedat, & Ulceri color laudabilis redeat, boni successus spem esse optimam memorant, si præcipuè dolor, tumor & alia symptomata recesserint, & optima caro, loco calli per Sarcotica incipiat regenerari, quod antequam fiat, Ulcus probe esse detergendum monent, ne ullum Fistulæ seminarium remaneat. Quòd si, vel ob debilitatem ægroti, vel ob loci, in quo est Fistula periculum talis cura institui non posset, *Palliativam* sufficere *Curam* ajunt, hinc tenuem imperant Diætam, corpus autem superfluis scatens humoribus optimè expurgant & quantum fieri potest, fluxum ad partem minùs nobilem derivant, quin &, juxta ipsos, non leve adest periculum, ne antequam percurent Fistulosam, sine fluxionis derivatione, materia ad partem mandantem regurgitet; hinc Fistulas in pedibus & manibus ad magis constantem sanitatem sæpe relinquunt, quin & in mutatione ætatum, uti sæpiùs observarunt, desinunt.

Paracel. processus in cura Vlcerum.

§. 14. *Paracelsus* curam sanationemque patentium *Vlcerum*, in Balsamo solùm consistere censet, quod eo corporis loco simile Balsamum deficiat. Addit sequens exemplum: corpus in se Balsamum continet, quod à putrefactione conservat quicquid in illo continetur, ubi tamen eorum aliquid à corpore separatum fuerit, huic balsamo non subest amplius Balsamum, quo sanari debent Ulcera, consistere ait in exterioribus elementis, & esse id, quod alia genera defendit à putrefactione, nuncupat ergo Mumiam corporis exterioris elementhorum, h. e. fructum eorundem, quamvis enim Mumia sit, cùm tamen ab uno in aliud applicatur, Balsamum esse dicit. Nam quod ex uno corpore transfertur in aliud, vel permutatur, est *ipsi* Mumia transmutata sub nomine Balsami comprehēsa. Hujus extractionem Balsami fieri autumat in separatione, sic, ut hoc ipsum, quod sustentatur à Balsamo, sumatur. Jam ad hæc animadvertitur, Balsamum existere, præter liquorem Mercurialem, unde existimat, in Mercurio sanationem omnem contineri. Similem & potentissimum in Thereniabin, & Nostoch, item in aquę mineralibus terræque fructibus Mercurium haberi memorat. Ex eo colligit, Antimonium excellentissimum Ulcerum exhibere Medicamentum, cùm hujusmodi liquoris Mercurii plus in se continet, quam aliæ quævis Margazitæ, Kakimiæ & cætera similia. Solum ex eo curam & sanationem suam recipere aurium statuit, quod supremum arcanum ac remedium habeat. Subtiliorem enim liquorem Mercurialem inter ea, quæ per elementum aquę producuntur, minimè reperiri posse existimat. Similiter eorum, quæ terra profert, nullum excellentius arcanum sanationis existere ait, quàm liquorem Mercurialem ex Realgare Cheiri. Liquorem Mercurialem esse scribit pro parte crocum Marte, pro parte fluorem Veneris, & pro sua parte spiritum Iovis, non tamen eò prorsum adductum: quùm separatio vera facta fuerit, juxta sui recepti vel processus potiùs tenorem, unumquemque liquorem Mercurialem hujusmodi potentissimè curare Ulcera promittit.

Primò, quòd ad Balsamum attinet ex auro productũ, in vlceribus adeò proficuũ, in hunc modũ elici censet, ut aurum hoc absque spiritu salis omni, tum realgare vel

vel similibus, in pulverem, oleum, aquam aut hujus generis tale quid adducatur: quod nedum in auro, verùm etiam in quovis ei simili corpore per transmutationem fieri debet. Nam absque simili transmutatione mineram nullam suas operationes adimplere posse ait, ut in se continet ac habet à natura, licèt aliquam similitudinem exhibeat, ex fundamento verò non procedit. Ejus extractionis processus est, ut aurum per Thereniabin crudum in succum reducatur absque destillatione quavis. Nam per destillationem sal exaltatur, quod juxta eum in hoc auro nullo modo prædominari debet, nec alia via quacunque reducendum esse ait in pulverem. Receptum ejus est sequens:

♃. *Auri laminati* ℨ i.
Olei de pino ℥ ß.

Pone simul in digestionem septimanis quatuor, postmodum oleum ablue, manebit in fundo pulvis. Hunc unà cum Thereniabin crudo administrat. Vel alio modo sic procedit.

♃. *Folior. auri* ℨ j.
Olei masticis ℨ vi.

Digerantur per mensem. Posteà separat ab oleo, sicut prius, & affundit alcohol vini, digerit per octo dies, postmodum abstrahi vult è balneo Mariæ. Hoc oleo in Ulceribus utitur.

Ex ferro similiter balsamum ad hunc modum parat, scilicet, ut cum aceto destillato reverberetur in crocum, à quo postmodum octies aut novies elevari jubet sal armoniacum, & inde post in oleum redigit optimè dulcificatum. Usum horum, auri videlicet ac ferri designat, ut illud qualibet septimana ter Ulceribus patentibus imponatur, ferrum verò singulis duodenis horis semel.

Pariter in Cupro simile balsamum existere contendit, quum in Vitriolum rursus convertitur, & hoc in aquam, ejusque posteà Colchotar in rubeum oleum, quæ quidem ambo valere ait ad omnia *Vulneraria Ulcera*, sicut Cancer, Lupus, Fistula, vel similia corrodentia quæque foramina fuerint.

Ex plumbo etiam spiritum istum parari posse, nullus dubitat, si per acetum destillatum ex cineribus ejus extrahatur, quæ dulcedo postquam in oleum venerit, nedum Ulcerum patentium, verùm etiam apostematum, & Vulnerum admirandum esse remedium narrat.

Similiter ex Argento Vivo, quum in oleum convertitur, auri balsamo comparandum esse statuit, & ubi congelatum postmodùm fuerit à Colchotare, posteà cum aqua Parthenionis administratum, omnia quotquot sunt excellit Balsama, & in crocum versum aut præparatum in florem, Ulceribus ejusmodi summam curam exhibere dicit.

Præstantissimum etiam ad Ulcera patentia approbat remedium ipsa realgaria, prædictis non immeritò comparanda. Arsenicum enim quodcunque patens Ulcus, cujusvis etiam conditionis fuerit, validissimè sanandi sufficientes vires habere inquit, hoc suo processu tamen, ut sibi venenum, quod habet, auferatur ad hunc modum, fiat per sal urinæ, demum in oleum per se ipsum convertitur, quodvis Ulcus patens persanandi potentissimum. Hac via cum Antimonio incedit, ubi hoc in pultes aqua vitrioli decoquit, & postmodum ab eo sal armoniacum elevat, colat, & rubeum obscurum colorem depromit & spissum liquorem, earundem, ut antè dictum, virium.

Salium etiam vires ad Ulcera patentia maximæ virtutis esse scribit, quum alumina suis privantur corrosivis, absque stypticæ suæ conditionis corruptione, sicut ab alumine liquor sumatur, non tamen à calcinatione; contra capi vult à vitriolo suum oleum, & liquorem nullum, à sale colorem deducit puniceum, alio semoto. Ex salibus præparat in hunc finem balnea, quæ mineralia, ut ipsæ thermæ continent, quandoquidem, juxta ipsum, ex salibus omnia balnea procedunt. Horum etiam virtutibus aquam frigidam calescere arguit in balnea, quæ patentia quævis Ulcera curare, sanareque posse testatur.

Balsama etiam terræ ad sanationem *Ulcerum adhibet Author*. Notat ergò, Mumiam terræ balsamum exhibere, quum ad eundem salis urinæ modum in alcali reducitur. Postmodum omne, quod ex terra nascitur, Mumiam latiùs præbere ait.

Balsama arborum, qualia Botin & Juniperus exhibet, partim in Ulceribus aliquid posse contendit, in uno quàm in alio magis tamen: aliquando frondes, aliàs fructus excellere dicit alia. Generale tamen magis eligit Balsamum. Inter arbores aut herbas aliquod Parthenioni simile laudat, quum liquores ejus in modum extrahuntur, ut sua virtus Mercurialis maneat, cum administratione sui vera: hac via potentem evadere ait Chirurgum in Fistulas, Ulcera corrodentia, cancrum, ferruginem, &c. quocunque modo vel forma fuerint. Et non aliàs ac moscus aromatum odores excellit omnes, Parthenion virtutes omnium vegetabilium, arborum, herbarum, &c. quæ terra producit. His ille Balsamis terræ Mumiæ, compositionis ejusdem, & Parthenionis omnium terrenorum balsamorum vires conclusisse vult. Pari modo, quod, juxta ipsum, elementum aeris in suo Thereniabin exhibet, liquosa Thereniabin existit, supremi balsami. Sed pro tenore suæ contentionis & elementi proprietate, separari debet à sua humiditate, per additionem Parthenionis, non aliàs & Nostoch; cùm tamen ista non sint in usu, repertu satis difficilia.

Mortificationem ac Mundificationem in Ulceribus instituit. Mundificatio ipsius est sequens:

♃. *Picis navalis* ℔ j.
Visci pini,
Abietis aa. ℔ ß.
Visci locustarum è larice ℔ ß.
Pic. larignæ ℨ iii.

Liquefiant omnia simul cum sui omnium ceræ medietate, ac olei quantum satis fore videbitur, ut formam acquirat emplastri. His peractis curam aggreditur sequentibus:

♃. *Ceræ*,
Picis communis aa. ℔. ß.
Aristoloch. rotund. ℥ iii.
Mumiæ ℥ ii.
Antimonii triti ℥ iv ß.
M. f. Emplastrum & eo mane vesperique ligat, juxta consuetudinem.

Vel

♃. *Resin. abietis* ℔ ß.
Visci consolidæ ℥ iii.
Succi chelidoniæ q. s.
Inde fiat Emplastrum.

Ad Ulcera mundificanda tali utitur remedio:

♃. *Aluminis usti* ℥ ß.
in aceti exstincti,
Mellis ℥ ß.
Aloes hepatici ℥ j.

Pulverisanda pulverisentur, & super ignem coquendo modicè commisceantur, & in emplastri non duri formam reducantur, hoc manè vesperique ligari vult Ulcera. Si vetera sint & prava, calcinati parum addit, & sic mundificabuntur ad fundum usque, moxque suadet sequentem consolidationem:

♃. *Fodicationem emplastri* ℔ j.
Secundùm artem Chirurgiæ compositi, cui croci Martis addatur ℥ ß.
& calcinati ℥ ß.

& inter manus commisceantur, hoc Medicamento liganda vult Ulcera manè vesperique in finem conclusionis.

Pro tertia cura eò respicit, ut quod consolidatum est hac ratione stabiliatur, ut singulis annis aliquot vicibus venæ magnæ vel varices aperiantur, & venæ sævientes in suris aut nodis extrinsecùs aut intrinsecùs pro damni respectu.

Curam *Ulcerum emortuorum* peragi vult per mundificationem & postea consolidationem, mundificationem perficit calcinatis: curam fodicationum emplastris: & conclusionem croco Martis. Calcinata miscet cum unguento de melle, hoc ligat tamdiu, donec bonum funda-

fundamentum appareat, absque putrefactione carnis & fœtore, aut similibus, quod quinto ad summum die fieri dicit. Fodicationum emplastrum ex lithargyrio vel colophonia superponit & ligat, quinto quoque die renovat emplastrum ab initio semper continuando. Concludit curam croco Martis, quem in igne per se combustum aut reverberatione paratum, non per acetum, Vlceribus istis inspergit quoquo die bis. Secundò etiam inspergit, lavatque priùs Vlcus hac aqua:

℞. *Communis aquæ Mens. part. 5.*
Aluminis ʒ j.
Salis communis ʒ ß.

Et ubi mundè laverit, exsiccat, postmodum inspergit crocum Martis & concludit. Patienti post diætam aut ordinem in cibo & potu præscribit, nec non phlebotomias convenientes supra damni locum. Etiam in Thermis balneare reperit proficuum.

Sic quoque curanda vult Vlcera simul accumulantia & crurum per se aperientia, admiscet tantum aliis ungu. de vitell.ovor.cum calcinatis, add.oleo Mercurii. Imprimis si duri adfuerint nodi. Sequens magni æstimat:

℞. *Corticum ovorum calcinati* ℥ ß.
Aluminis usti & exstincti ʒ j.
Croci Martis ℥ i ß.
Thuris.
Masticis
Myrrh. aa. ʒ ß.

His omnibus tritis utitur ut moris est.

Curam *fœtentium* Vlcerum peragit Author itidem mundificatione & consolidatione.

℞. *Resinæ puræ abietis* ℥ j.
Cum vitellis F. ungu. add.
calcinata pro libitu.

Consolidationem instituit per sequentia;

℞. *Ceræ* ℔. i.
Colophon. ℔. ß.
Resin. quam coxisti ℥ iii.
Liquefac. omnia simul, postmodum iniicit pulverem *hunc Masticis* ʒ ii.
Myrrh. ʒ vj.
Carabis flavi ℥ i ß.
Addit postremo
Consolidæ maioris,
Aristolochiæ rotundæ aa. ʒ ß.

Redigit simul in emplastri formam, quo manè vesperique ligat.

In Cura Vlcerum, quorum unum in aliud genus transmutatur, eadem fere remedia approbat, imprimis Mercurium & lithargyrium: item Vlceris agnati curam & eorum, quæ fracturas, adustiones, vulnera insequuntur, iisdem peragi vult.

Ad Vlcera ex propria constellatione oborta curanda sequens commendat:

℞. *Chelidoniæ* M iii.
Folior. quercus M ii.

In fino putrefiant, & postmodùm in oleum destillentur, quo lavat hæc Vlcera, & dein pulverem ex iisdem ad incarnationem inspergit. Plura atque infinita ex ipsius Authoris scriniis depromi possent, nos verò hac vice selectis contenti sumus, non enim animus est omnia describere, sed tantùm meliora.

Paracelsi cura in Fistulis. *Paracelsus* noster de *Fistulis* disserens inquit, nunquam hactenus auditum esse, genus hoc Vlcerum sanatum per se fuisse, verùm per Medicamenta solùm & optimè conditionata, aliàs verò minimè curari testatur. Duplicem Fistularum agnoscit curam, videlicet internam per potiones, & externam per aquas & emplastra, vel alias illinitiones. Cùm verò semel consolidata fuerint, nunquam amplius erumpunt, nec indigent conservationibus, & minùs diæta; in quem finem potionem talem commendat:

℞. *Cyclaminis* M. ii.
Saniculæ albæ M i.
Herbæ Sophiæ M ß.

Coq. in vino prout vulnerarias potiones. Postmodum addit
Caryophyllor. olei per alembicum tracti ℥ i ß.
M.

Ter quovis die Patientibus dat in potum, ut in quovis haustu justa sit olei portio mixta & æqualis. Hac potione sola recentes Fistulas sanat. Ablutionem sequentem commendat;

Destilla simul ℥ iii. *olei laterini*, ℥ vi. *olei Terebinth.* ℥ i ß. *olei caryophyllorum per alembicum*,

& postmodum cum additione hac rursum destillat:

℞. *Masticis,*
Myrrhæ,
Thuris aa. ℥ ii.
Mumiæ ℥ iii.

Destillato hoc abluit Fistulam immissione per Syringam usque ad fundum quovis die bis: vel intermissis vicibus abluit eodem instrumento sæpiùs vino vel aqua salsa, ut in eis nulla putredo maneat.

Extrinsecùs applicat fodicationum emplastrum cum calcinato mixtum, & eo manè vesperique ligat, secundùm usum. Alia multa quæ Fistulas curant commendat, ut oleum Saturni, oleum Mercurii, aqua Mercurialis. Hęc certissima esse & minimè fallentia Medicamenta renunciat. Sequens quoque commendat ad Fistulas:

℞. *Aq. de cornibus cervi* ℔ i.
Centaureæ,
Consolidæ aureæ aa. ℥ iii.
Parthenionis ℥ IV. ß.
His imponit
Rhabarbari,
Mannæ elect.
Spermatis ceti aa. ℥ i.

Huius optimè commoti singulis vicibus mane vesperique exhibet cochlear unum, & mox inde vini cochlearia tria. His potiunculis mundificari ait internè Fistulam, per seque sanari, absque Medicamento latius externèque posito. Et si quid superponere velis, sequens suadet Emplastrum:

℞. *De gummi quatuor* ℥ ii.
Ceræ ℔ i.
Coquantur simul & iniice
Visci botini ℥ iii.
Fiat Emplastrum.

Ad eiusmodi Vlcera putrida cavernosa seu Fistulas, *croci, hermodactylorum* accipit grana VI. *olei Nucis* grana IV. permiscet ac in quinque partes dividit, quarum unam singulis noctibus administrat. Postmodum sequens Emplastrum imponit:

℞. *Ceræ abietis alb.* ℔ i.
Visci de botin. ℔ ii.
Resinæ communis ℔ ß.
Liquetiant omnia simul & eis addit *nucum olei* ℔ iii. *Minii,*
Lithargyr.
Lap. calaminar. aa. ℔ ß.
Tutiæ ʒ j.
Carabis ℥ iii.

Terenda conterantur, & ex omnibus fiat cerotum, & postquam satis coctum fuerit, addit:

Calcis Corticum ovorum ℥ vii ß.

& in magdaleones agitat.

Ad Fistulas sequens empl. magnipendit:

℞. *Empl. de Mumia* ℥ ii.
Visci de botin. ℥ i ß.
Consolidæ rubeæ liquorum ℥ i.
Fiat Emplastrum, quod superpositum immotum ad sex dies maneat.

Postea innovat & æquè diu relinquit.

Vel

℞. *Aquæ Galotheni* ℥ IV.
Olei vitell. ovorum ℥ i.
Mumiæ liquorum ℥ VI.
Fiat oleum, quo madidi panni superponantur.

Ad pustulosam Fistulam sequens præscribit:

℞. *Li-*

℞. Liquorum carabis,
Asphalti,
Armoniaci aa. ℥ß.
Ceroti de Mumia ℥ iii.
M. simul in empl. formam & applicat.

Helmontii cura in Ulceribus & Fistulis.

§. 15. *Helmontius* in Cura *Ulcerum* instituit ablutionem fermenti corruptivi remediis vel internis, ut arcanis, quantum à principio interno dependent, vel externis, quæ sunt vel magnetica, vel ordinaria, suntque venena inversa & fixa, jamque mitia & mansueta, quæ ipsum Ulcerum fabrum & corruptorem enecant, non ut corrodentia, & abstersiva, ita ut Ulcera pro sua malignitate corrosionis gradus suique augmenta optent. Talia autem sunt 1. Realgaria fixa, unde Balsamus Fuliginis Paracelsi, i. e. Arsenicum vel auripigmentum, primò per Nitrum fixata, dein ad Sulphur adstringens dulcorata & mitigata per repetitam spiritus vini cohobationem: quæ ad mentem Authoris Ulcera sanant, non quod rodunt & exedunt, sed quòd jam venenum mite inantumq; nactum per sui dulcorationem, quo ipsum Ulcerum Venenum & Fabrum, sanguinisq; corruptorē domant & enecant foràs applicata.

Colchotar Vitrioli omnem Ulcerum corruptionem necare asserit, idque pro Ulcerum differentia diversimodè applicatum, sc. vel integrè maceratum in vino, quod tum sola lotione sufficit.

Laudat quoque tertam ejus saltem elatam & edulcoratam exactè inspersam, ac nonnunquam in oleo lini coctam usque ad nigredinem, quæ pro basi est unguenti vulnerum Felicis Vvurzii.

Restitutionem cavitatis per succretionem carnis & cicatrisationem pellis, quæ natura quidem per se præstat, quo semel enecato corruptore caro deinceps spontè è fundo succrescit.

Persicariam sive piper aquaticum, Consolidam, Sophiam, serpentinam, brassatellam, &c. istud habere peculiare scribit, ut si frigidæ demergantur in aquam, & super Ulcus aliquantisper intepescant, mox defodiantur cœnoso solo: ubi putrere incipiunt, etiam attrahere satagunt ex ægro, quicquid nocuum est. Ulcera tantùm odoribus per inuncta applicatis mitescere vel exasperari inquit. Ubi interim Ulcera externa longè pejora, per pharmaca oretenus sumpta sanantur, tametsi ab ore longiùs distent quàm interna: eò quòd viscera atque membranæ internæ juxta Authorem alantur sanguine plùs quàm cruore. Ulcera mitigata irritari ait abstergentibus. In curatione enim semper eò incumbendum esse inculcat, ut hostilis fabricator partique insidens corruptor deleatur, quippe qui nil exsiccando abstergendoque remittit mitescitque. Seminalis videlicet deleterii qualitas, venenosaque impressis Archeo partis exotica, bonum cruorem sibi dispensatum pervertens, sui dumtaxat ablationem naturaliter indicat. Est ergo virus, fermentum quoddam atque contagium fundo insitum, cruoris atque carnis corruptivum. Sunt enim totidem Ulcerum fermenta, quot Ulcerum diversæ corruptiones, corruptorumque distantiæ. Est ergò juxta eum plena atque exacta Ulcerum sanatio, fermenti sui ablatio, non autem hepatis refrigeratio, non bilis somniatæ vel saniei abstersio. Non enim realgar fixum per salem petræ, atque in adstringens sulphur dulcoratum sive mitigatum, sexaginta fortè Ulcerum diversitates exstinguit: quia rodit, exeditque (etenim sic non sui dulcorationem cum repetito spiritu vini exposceret,) sed quia venenum mite jam habet, quod ipsum Ulceris fabrum, cruorisque corruptorem est enecando, quo videlicet semel in totum demortuo, non cessat deinceps caro sponte è fundo succrescere. Itaque juxta illum cavitas Ulceris, carnis succretionem pellisque cicatrizationem indicat, ut ablata sc. fiat restitutio. Author hìc maximè carpit *Paracelsum*, quòd causas Ulcerum in microcosmi fodinas minerales atque salinas transtulerit. Voluit nempe cuncta salia, lapides, mineralia, herbas &c. in homine velut seminariis suis delitere, non attendens, quòd absonum sit, cùm Microcosmus non minùs Astris & plantis constare velit, quàm mineralibus, quòd potius in salia quàm in plantas & quadrupedia sese resolveret.

Postremò totum esse Paracelsum ridiculum scribit, docentem, ulcus & Vulnus ali herbis, balsamo, unguentis. *Helmontius* noster Colchotar dicit enecare omnem Vulnerum ac Ulcerum corruptorem. Sal Tartari per spiritum vini rectificati, donec astringentem nanciscatur gustum, magni æstimat, estque balsamus Samech Paracelsi, prout ex Arsenico pro ulceribus est ejus balsamus fuliginis: eo quòd apud peritos Realgar habeatur fumus Metallorum. Sexaginta enim Ulcera sanat Arsenicum fixum, quia Ulcerum venena necat, quod etiam præstat auripigmentum.

Vvillisii ratio curandi Ulcus.

§. 16. *Willisius Ulcus* sub cura habens primò istud acido-salsum mitigare & exstinguere, ac deinceps è corpore eiicere conatur priorem autem finem attendit internis Medicamentis ex ocul. cancror. corall rubr. ebor. ust. Martial. &c. paratis: secundum verò diaphoreticis & diureticis. Externis etiam utitur ad materię Ulcus foventis acrimoniam contemperandam, qualia sunt absynthium, mentha, agrimonia, nicotiana, myrrha, aloe, spir. vini, caput mortuum vitrioli, Saturnina, &c. quæ in Curæ principio atque in Ulceribus minùs malignis conveniunt. Si verò Ulcus putridū ac mali moris fuerit, fortiora adhibet Medicamēta acriùs fortiùsq; detergentia, cujus generis sunt ea, quæ cum Mercurialibus, vel oleis volatilibus commiscentur mūdato enim Ulcere ad glutinantia devenire jubet, qualia sunt balsama, vel digestiva Vulneraria passim ubique descripta.

Fistulas.

Chirurgicis tantùm auxiliis munitus Author *Fistulæ* curam suscipit, callosamq; ipsius circumferentiam præcipitato rubro, vel albo digestivo admixto, vel cauterio potentiali liquato, cui intinguntur turundæ in Fistulam immittendæ, destruit, & si hęc debiliorum virium fuerit, trochiscis ex sublimato corrosivo, opio, & gummi tragacanth. paratis ad hunc finem utitur. Si verò Fistula profundiùs altiùsq; serpserit, & in corporis superficie posita sit, cultro aut forficibus eā ad ipsius usq; finem aperiendo, illiusque callosam tunicam supradictis Medicamētis exedendo: deinceps remediis appropriatis carnium generationi, Ulcerisque consolidationi studet.

Sylviana cura in Ulceribus.

§. 17. *Sylvius* in *Curatione Ulcerum* eò reflectit, ut obtundatur acrimonia illa in causa notata, dein mundentur ipsa à puris sordibus, postea consolidentur eadem ac cicatrisentur. Ad acrimoniam acido-acrem corrigendā laudat internè decocta vulneraria, aliasq; mixturas ex oculis cancror. Antim. diaphoret. paratas, quibus acidum-acre satis domatur & absorbetur. Mundationem verò ac consolidationem Ulcerum consistere ait in correctione puris acidi rodentisque, ulceratæ parti adhærentis, atque sanguinem ipsi nutriendæ dicatum ex parte s. Item corrumpentis ac in novum pus vertentis Corrigi verò illud pus parti affectæ adhærens à Sulphuris Balsamo laudato, imprimis ratione olei Aromatici, adeoque sale volatili oleoso abundantis; à quo spiritus acidus in pure luxurians, quin sanguinem in pus indies corrumpens, non tantùm obtundatur, sed insuper mitigetur, emendeturq; ita, ut affluens sanguis partes priùs consumptas brevi reparet, consolidationemq; ultimam expediat. Quamvis autem existimet convenire quoque Ulceribus spiritus acidos externè applicandos, & quantitate parva syrupis & mellitis junctos, prę aliis tamen laudat Salia tum volatilia, tùm aliàs blanda per oleosa ampliùs obtusa, temperataque, qualia sunt Balsama sulphuris pleraque, & imprimis, gratiora ut anisatum, succinatum, Juniperinum, Terebinthinatū, &c. quæ vel per se, vel cum syrupis mellitisq; juncta extollit, in quibus quoque inesse ait vim mundantem.

In Fistulis.

In Ulceribus Venereis approbat decocta sudorifera guaiaci, herbarumque aromaticarum, item salivationem, cæterasque vacuationes Mercuriales laudat, Quę Ulcera venerea etiam ablui ac mundari jubet decocto guaiaci, & cæterorum aromaticorum potentium, quin tangi posse ait sale volatili liquido & cupri tinctura imbuto. Vnguentis etiam pro re nata admiscet Mercurium tum præcipitatum, tum sublimatum, ac præsertim dulcem.

Fistularum curam peragit Sylvius sequenti modo: callum adimendum esse jubet cauterio appropriato, sive sit ferrum ignitum, sive aliud Medicamentum consu-

consumens ex sale potissimùm lixivioso paratum, quo faciliùs stylo profunditas ejus explorari possit, dein cuniculos discindendos esse monet, ac *acidum* acre peccans temperat internis sudoriferis, ex oculis cancrorum. Antimonio diaphor. bezoart. miner. decoct. ligni juniperi, guajaci, sassafras, herbarum fumariæ, scabiosæ aliarumque salibus volatilibus oleosis pollentium. Externè in Fistulis magnifacit Author Balsam. de Capaiba, oleum terebinthinę, ejusque balsamum, vel balsamum sulphuris terebinthinatum, quo & ipsas has Fistulas omnium optimè mundari ac consolidari posse non dubitat.

Cartesianorum curatio Ulcerum.

§. 18. *Cartesianis* ad veram *Ulcerum* curationem impetrandam propositum est emundationem eorum omnium primò peragere, qua obtenta cavitatem carne student explere, & cute illam investire, ut parti læsæ debita sua sic restituatur integritas. Consistit autem illis emundatio ista Ulceris in separationem fibrarum destructarum, & succorum ex tubulis & canalibus suis diffractis & erosis effusorum & corruptorum separatione à partibus sanis, harumque præservatione, ne à prioribus similiter corrumpantur, & succi vicini inficiantur, ubi prudenter simul advertunt, si ulterior corruptio inhiberi debet, ut particulæ illæ gladiolatæ acutæ & scindentes, quibus succi referti sunt, hebetentur, attenuentur, frangantur, mitigentur & auferantur, ne ulterius ab iis sit timendum periculum, sed ex arteriolarum extremitatibus parti læsæ succi communicentur, destruentibus istis particulis valenter obsistentes, & impetum earum frangentes, ineptique ad partis nutrimentum & corroborationem liquores eliminentur. Depurationem itaque totius massæ illius, ex qua diversi ad diversos diversarum partium usus distribuuntur succi, remediis instituunt internis tum per secessum, tum diuresin aut diaphoresin recrementa quæcumque è sanguine abolentibus, præsertim ex lignis, antimonio, & mercurio compositis, quibus subjungunt porosa alias reliquias mucronatas recipientia, & impetum earum sistentia, quorum è numero illis existunt Balsamus Antimonii, Mercurius Solaris, magisterium Saturni, nec non oculi cancrorum, myrrha, album Græcum, decoctaque magni habent in pretio, quorum sequens esse potest formula.

℞. *Rad. Vincetoxic.* ℥ ß.
Aristol. rotund. ʒ iij.
Peucedan. ʒ i ß.
Caryophyllat. ʒ ii ß.
Herb. scabios.
Scord.
Agrimon.
Veron.
Card. bened. aa. M ß.
Summitat. cent. min. P j.
Flor. sambuc. P ß.
Rasur. lign. sassafras ʒ iij.
Sem. fraxin. ʒ ij.
F. Decoctio in s. q. aq. simpl.
Colatur ℔ ij. *add.*
Essent. Guajac. ʒ iii ß.
Tinct. Antimon. ʒ i ß.
Syr. scabios. ℥ iij.

M. Propinentur ægro singulis diebus manè ℥ ij. Ulcus ipsum abluunt spiritu vini crocato vel myrrhato, aut si magna adsit impuritas decocto scordii, calcis vivæ, vel aqua Mercuriali, unguentaque illinunt, vel stupam aut turundam iis obductam imponunt, qualia ex terebinthina parantur, vitellis ovi, gummi elemi, & melle rosarum, &, quæ fortiora sunt, ex resina pini, pice, fuligine, ærugine, alumine, sapone, præcipitato; ex compositis adhibent unguentum Apostolorum, aureum, basilicum, fuscum F. Vurtzii, emplastrum diachylon cum gummi, de gratia Dei, simulque inflammationi ulcus ambienti occurrunt unguento albo camphorato eidem illito, vel emplastro diapalmæ, cui colchotar Vitrioli immistum est, aut cataplasma apponunt, quale sequens exhibet formula,

℞. *Herb. apii,*
Absinth.
Scord.
Rut.
Phellandr. aa. M. j.
Flor. sambuc.
Melilot. aa. P i ß.
Fiat decoctio ex vino, & adde
Farinæ orobi ℥ ij.
M. ut F. Cataplasma.

Chylo ità in Ulceribus corrupto & inspissato, ut materiam pinguem lardo similem præsentet, etiam ab ea Ulcera emundant resolventibus & destruentibus materiam illam inspissatam, præsertim sequenti lavamento.

℞. *Herb. scord.*
Absinth.
Centaur. min.
Sabin.
Flor. rosar. aa. M j.
Coq. ex vino ad ℥ xx.
Colatur. add.
Aloes
Myrrh. aa. ʒ j.
Ungu. Ægyptiac. ℥ j.

M. F. Injectio.

Vermiculos in Ulceribus nidulantes atque pediculos enecant amaris & Mercurialibus, aloe, myrrha, colocynthide, radice gentianæ, hellebori, diptamno, felle tauri, melle chelidoniæ, ex quibus tum decocta pro injectione, tum linimenta componunt. Facta hac ratione Ulceris commoda emundatione, cavitatem carne implere student, removendo aut demendo reliquias chylum corrumpentes, instillantque idpropter balsamum Sulphuris, Peruvianum, de Capaiva; vel remedia adhibent ex radicibus consolidæ majoris, aristolochiæ, ireos, herbis alchimilla, pyrola, veronica, nummularia, solidagine Saracenica, mastiche, myrrha, gummi animæ, styrace liquida: vel ex compositis, emplastro diapalmæ, de gratia Dei, stictico Martiali *Ang. Salæ*, de minio camphorato, qui bus adjuvantibus si cavitas satis carne conspiciatur repleta, operam locant ut cutis eandem debitè investiat, coercendo subtiliores chyli particulas, ne tam facilè exhalentur, sed cum oleosis aliisque fixioribus mixtæ in superficie quiescant, & in substantiam cutaneam indurescant, qua de causa remedia deprędicant ex lapide calaminari, bolo, calce lota, minio, antimonio, tutia, lithargyrio auri & argenti, plumbo usto, cerussa, pompholyge, mastiche, thure, terra vitrioli dulci, ex quibus etiam composita exstant unguentum diapompholygos, nutritum, emplastrum de lapide calaminari, dias Saturni *Mynsichti*, griseum, de Stercore canis *Vigonis*, oppodeltoch *Fel Vurtzii*, & præsertim sequens magni æstimant, quo plura Ulcera, etiam satis antiqua norunt feliciter fuisse curata.

℞. *Lap. calamin.* ℥ i ß.
Min.
Ceruss. aa. ʒ vj.
Oliban. nigr.
Alb. aa. ℥ ij.
Mastic. ℥ ß.
Camphor. ʒ vj.
Vitrioli alb. ℥ ij.
Ceræ,
Colophon.
Resin. aa. ℥ iij.
Gumm. Galban.
Terebinth.
Ol. ovor. aa. ℥ ij.
Junip. ʒ vj.
M. F. Emplastrum.

Non tantùm emplastro hoc ulcus bene mundatur, carne repletur, cute obducitur, & sic in totum consolidatur, sed hypersarcosis prohibetur, & caro superflua absumitur, quam ob causam aliàs adhibenda sunt alumen ustum, præcipitatus, colcothar aut oleum vitrioli, ærugo, cortices granatorum, lapis alchymię, aqua Mercurialis, unguentum fuscum, Ægyptiacum, quibus omnibus caro illa laxior & spongiosior absumitur, & melioris durabilioris que paratur proventus.

Fistula.

In *Fistuloso* Ulcere fortiorem humorum vitiosorum exsic-

exſiccationem neceſſariam eſſe præcipiunt, & calli abſumptionem, ut impedimentis hiſce ablatis cavitas carne expleri poſſit, & cura uti in aliis Ulceribus peragatur. Remedia, quibus ſcopum hunc obtinere ſperant, parare ſolent ex radice chelidonii majoris, gentianæ, ari, hellebori albi, herbis apii, centaurii min. foliis ſabinæ, nicotianæ, ſemine ſinapi, raphani, naſturtii, ſucco ari, chelidoniæ, apii, tithymali, lixivio, ærugine, auripigmento, vitriolo, calce, alumine, Mercurio ſublimato, præcipitato rubro, aqua Mercuriali, viridi *Hartmanni*, unguento fuſco aut Ægyptiaco, qualia dum adhibentur, partem ſimul corroborant cataplaſmatis ex ruta, ſcordio, abſinthio, Phellandrio, ſalvia in vino coctis, vel emplaſtro de cumino, aut cerato ſantalino. Ex unguento fuſco vel Ægyptiaco inſpiſſato turundam parant, eamque Fiſtulæ inſinuant, vel inſtillant liquorem mellis ab Antimonio abſtractum *Ang. Sal.* balſamum ex ſcoriis Reguli Antimonii, liquorem Mercurii vivi, Mercurii præcipitati, oleum ſeu liquorem arſenici, quibus ſi calloſitas abſumpta ſit, ulcus non aliter quàm uti ſuperiùs jam dictum eſt, tractare pergunt, donec omnimodò conſolidetur, nec parvi ad felicem hujuſmodi obtinendam curationem ſequens ducunt unguentum D. *Borrhy*, quo plures Fiſtulas norunt ſanatas.

℞. *Plumb. Author. philoſ. calcin.* ℥ß.
Mercurii viv. cum vitell. ovi agit. ʒvj.
Vitrioli ter rubificat. & ter loti ab omni acrimonia ℥ix.
Lap. magnet. pp. ʒj.
Ungu. roſat.
Infrig. Galen. aa. ℥iij.
M. F. ſ. a. Unguentum.

Ad cauterium ſive ipſum ferrum candens confugiunt, ſi prædictis remediis calloſitas abſumi nequeat, & plures cuniculos diſcindunt, ut una exiſtat cavitas, cui remedia commodiùs queant applicari, tum Ulcus benè mundatum & abſterſum perfectè ſanant, & ſequens propterea laudant emplaſtrum.

℞. *Ol. roſar.* ℥ß.
Myrtillor. ʒij.
Ceruſſ.
Lithargyr.
Lap. calaminar. aa. ʒiij.
Tut. pp. ʒj.
Bol. Armen. ʒiß.
Camphor. ℈j.
Ceræ ʒij.
M.

Noſtra methodus curandi Ulcera.

§. 19. Perſpecta nunc Cura Aliorum *Pharmaceutica*, ordine incedamus, & cuilibet Ulcerum ſpeciei peculiarem, & quidem ad mentem *noſtram* aſſignabimus Curam, quam etiam poſtulat. Ante omnia duo in Curatione Ulcerum accuratè attendenda ſunt, nimirum reſtitutio, ſive redintegratio vaſorum ruptorum, & materiæ ſtagnantis & intus contentę acrimonię emendatio, quæ corrigenda & edulcoranda eſt, & hoc aliter fieri nequit, niſi materia temperetur, h. e. in priſtinum ſuum, quantum poſſibile, reſtituatur ſtatum.

In Ulcerum ergò Curatione primariò ad acrimoniam ſalium reſpiciendum eſt. Toti itaque maſſæ ſanguineæ priùs per univerſalia proſpiciendum, deinde tutiùs ad externa detergentia, acidum temperantia & obſtructos labiorum poros reſerantia deveniendum, inter quæ laudem merentur ſpirituoſa, & pulveres abſorbentes, volatilia oleoſa internè reliquis palmam præripientia, imprimis oleum balſam. Peruv. cum cineribus clavellatis rectificatum, ſpir. matric. cum Elix. vitæ, &c. Imprimis enim eò annitendum eſt, ut ſucci peccantes corrigantur acreſque temperentur, quod ad curationem multùm facit, hinc præprimis decoctum commendamus ſequens vel ſimile.

℞. *Rad. liquirit.* ℥ß.
Chinæ,
Salſaparill. aa. ℥ij.
Herb. ſcord.
Agrimon. aa. M. j.
Limat. chalib. ℥ß. vel
Pulv. Antimonii crud. ℔ß.

Coq. in aqua communi & vino. De quo decocto æger bis vel ter de die ℥iv. bibat & quidem tepidè.

Ubi ſimul Scorbutus conjunctus eſt, antiſcorbutica non negligenda ſunt, ut ſpir. trifol. fibr. beccabung. cochlear. &c. In omnibus ſpeciebus Ulcerum æquè conducunt diaphoretica, quæ omnem abſolvunt paginam, ſive ſint Antimoniata, ſive volatilia alcalica oleoſa, &c. ſunto formulæ.

℞. *Aq. ſcabioſ.*
Fl. ſambuc. aa. ℥iß.
Tinct. Antimonii tartariſ. ʒj.
Eſſ. lignor. ʒij.
Syr. fumar. ʒvj.
M. F. Mixtura, d. cochleatim aſſumendo.

℞. *Sal. vol. oleoſ. n. d.* ʒij.
Ol. balſ. Peruvian. ʒj.
M. d. gutt. xv.

Laudamus inter diuretica ſequens ſudoriferum catholicum.

℞. *Nitri part.* 3.
Antimonii p j. Fundantur per horam, ſic primò flamma exhalat, quod nihil aliud eſt, quàm ſpirit. nitri; ut verò hic acquiratur, detonatio per retortam tubulatam fiat, ità in recipiente acquiritur ſpiritus Nitri. Diaphoreticus, abluatur aq. fontan. qui deſtruit acidum & ſudorem movet: conſtat ſpir. ex alcali & nitro. Quibus Chirurgus Hanovienſis Wedling plura inveterata aliis incurabilia Ulcera brevi feliciter curavit. Sic & Bremæ eſt Empiricus quidam, qui quæcunque Ulcera feliciter ſanat, ceu Nobis retulit D. *Gebema*. Extollunt plures viperina, quibus ſolis ſæpiùs Ulcera auſcultant. Antimon. diaphor. bezoard. miner. optima ſunt remedia, quæ conſtant ex alcali & Nitro: omnia quoque ſalia volatilia C. C. ſuccini, &c. in uſum vocanda ſunt, quæ attenuant ſanguinem & ſuccos, eoſque ſimul temperant. Mercurialia tum internè tum externè maximè conducunt, quòd ſint in Ulceribus ſæpius altera Chirurgi manus, malè verò uſurpata Ulcera & Gangrænam excitare ſolent, ceu nuper in Nobili obſervavi, cui Empiricus artus illinivit unguento Mercuriali, à qua illinitione Sphacelus totam faciem cum faucibus devoravit, ut miſere vitam cum morte commutaverit. Confer *Ephem. Germ. Decur. Ann.* 4. Quare priùs ſucci temperentur, aliàs à Mercurio omnes acidi ac acres internè in unam partem coagulantur. Mercur. dulc. Nobis in Ulceribus magnum præſtitit commodum cum theriac. vel diaſcord. vel conſerv. roſ. ſingulis diebus à ℈ß. ad ʒj. exhibitus, donec ſalivatio ſequitur. Sal Mercur. noſtrum, egregium exiſtit remedium, tum internè, tum externè tutò uſurpandum, quod citò, tutò ac jucundè curat ulcera. Mercur. dulc. & Indi magna quantitate ſuis ægris cum commodo præſcribere ſolent. Sunt, qui ordinant præcipit. rubr. ad gr. iß. cum conſerv. roſar. & theriac. in Ulceribus, poſt uſum enim Mercurialium Ulcera & Fiſtulæ multum exſiccantur: ſed multi ab his abhorrent, & fateor, conſtatque noſtra experientia, quòd ſæpe Mercurialibus tantùm peragatur cura palliativa, & ægri facilè recidivam patiuntur, & majorem fidem adhibeo ſpiritui matricali cum gumm. guajac. vel ſaſſafras, vel ol. balſ. Indic. &c.

Diuretica egregia in Ulceribus inveteratis remedia ſunt, hinc acidulæ, potus Theæ & Capheæ, cum decocto lignorum, vel veronicæ ſæpe maximum afferunt commodum, & hiſce partibus, obſervata ſimul diæta exacta, plures vidimus curatos & liberatos ab Ulceribus diuturnis & quidem mali moris. Hinc in Ulceribus inveteratis magnam vim habent aſelli, ſicut præter *Riverium* mirabilia recenſet *Celeb. Boyle*, item ſpir. eſſentif. cancror. vel viperar. vel Tartari, Balſ. Sulphuris cum ol. lign. ſaſſafr. ſpir. cancror. Sal. vol. ſuccin. eſſent. chærefol. decoct. conſol. med. adject. rad. chinæ. Tinct. Tartari, Tinct. Antimonii tartariſat. liquor terr. fol. Tartari, Tinct. aſellor. ſpir. fragor. cynoſbat. &c. Calidiora ac volatiliora remedia in Ulceribus quibuſcunque optima ſunt, quia ſuccos acidos & quaſi frigidos

ſtagna-

stagnatione ità factos, calefaciunt, ad motum incitant ac volatilisant, sicque resolvunt: frigidiora omnia nocent summopere, quia magis inspissant succos, eosque acriores reddunt.

Purgantia angue pejus in quibuscunque Ulceribus me judice fugienda sunt, quæ tantum ægros debilitant succosque acriores reddunt, quia succi acidi non expurgari possunt, & cum centies purgaveris, nullum tamen Ulcus sanabis, quod experientia quotidiana constat abundè.

Eodem carbone notamus V. S. & quamvis juxta veteres & aliquot recentiores bilis in causa sit, impossibile tamen est eam V. S. eliminare, totum enim sanguinem emittas necesse est, bilis enim omni sanguini permixta manet, vel quis statuere debet bilem tantum solum per V. S. evacuari posse, quod certè absurdum est statuere. Sic & fonticuli non multum utilitatis asserunt in Ulceribus sanandis, cùm dulcem chylum tantum emittant & non corruptum, corrumpitur enim chylus in ipso Ulcere ab acri corrupto ichore. Fonticulum pedi Ulcere laborantis adaptatum, parùm verò proficientem observavit mecum *Celeb. Francus P. P. Heid. Decur. Ann. 6. Obs. 81.* Usum tabaci plures commendant, exinde enim plures Ulceribus diuturnis laborantes restitutos fuisse, legi meretur *Obs. Cl. Frommanni Decur. Ann. 3. Obs. 167.* Sudorifera verò egregia sunt absorbentibus mixta, in quem finem in juniorum Medicorum gratiam aliquot communicamus formulas.

℞. *Antimonii Martial. cachect.* ʒß.
Cinnab. nat. aurat. ppt.
Pulv. vip. vel Angelic. aa. ℈j.
Elæosacch. cinam. ℈ß.
M. F. pulv. in 3. dos. divid.

Vel

℞. *Diaphoret. Helm.*
Auri vitæ Burrhi aa. ℈ß.
Sulphur. Antimon. fixat. Sylv. gr. vj.
Elæosacch. citr. ʒß.
M. F. pulv. divid. in 3. part. æq.

Vel pro pauperibus:

℞. *Flor. Sulphur.* ʒß.
Pulv. enul. ʒiij.
Viperar. ʒj.
Myrrh. ℈j.
Sacch. albiss. ʒß.
M. F. Pulvis.

℞. *Extract. cent. min.*
Diaphoret. Helmont.
Bezoard. Solaris, aa. ℈j.
Ol. still. sassafr. gutt. ij.
M. f. pil. 60. & dentur pro dosi 20. cum aqua card. bened. Omnia etiam Antimoniata & volatilia conveniunt.

Cura externa. In *Cura externa* ad succum seu materiam effluentem intus latentem respiciendum est, num quoque materia crassa, alba & absque fœtore sit, quod Ulcus facilè curatur, & non opus est multo apparatu, sed solo unguento basilico calidè infuso, & emplastro ex eodem confecto imposito: si sanies verò circa latera Ulceris reperitur, flava vel viridis fluidaque, ad fortiora transeundum est, quo enim Ulcera sordidiora sunt, eo fortiora requirunt remedia. Sequentia ergò conducent, quibus sæpissimè feliciter inveterata curavimus Ulcera, & aliquando cum Gangræna conjuncta.

℞. *Aq. calc. viv.* ℔j.
Vitæ ℥iv.
M. qua mixtura eluantur Ulcera.

Dein ℞. *Spir. vin. C.* ℥iv.
Oliban. pulv. ℥j.
Sal. Saturni ʒß.
Alum. usti ʒvj.
M.

Ipsi Ulceri imponenda.

℞. *Ol. hyper.* ℥ij.
Tinct. galban. ʒß.
Aqu. calc. viv. q. s. f. l. a. per agitat. instar nutriti. Tinct. Auri à Celeberrimo Dn. *Crugio*, Cons. & Archiatr. Brandemburgico, Amico meo Veteri, communicata egregias in Vulneribus & Ulceribus navat vires. Omnia verò Medicamenta, quod asterisco notandum, calidè applicanda sunt, quia calor maximè attenuat succos, hinc & sacculi reliquis emplastris arena calida repleti imponi solent. Si Ulcus nimis cavum sit, injectiones variæ fiant, ex decocto scilicet herbar. absynth. scord. hyperic. veronic. agrimon. rutæ, cui add. Elix. vitæ, aqua Regin. Hungar. calc. viv. Camphor. ex. gr.

℞. *Herb. chelidon. major.*
Absynth.
Rutæ,
Scordii,
Menthæ aa. M. j.
Rad. aristol. rotund.
Caryophyllat. cum toto aa. ℥j.
Coq. in *aq. commun. colat.* ℔ij. *add. spir. vin.* ℥ij.
Sacch. Saturni ʒij.
Camphor. ʒj.

M. f. Mix. pro injectione Ulcerum, & pro re nata addi possunt Mercurio præcipitat. & sublimat. Imponi possunt spiritus matrical. cum Elixir vitæ, sacch. Saturni & Camph. vel sequens cum plumaceolis impositum, rarò fallens, & ex succ. hyperic. plantag. sanicul. aloe, myrrh. calc. viv. spiritu vini paratum. Emplast. nostrum aromaticum sequens egregii est usus:

℞. *Gummi galban.* ℔ß.
Sagapen.
Opopanac. aa. ℥ij.
Ammoniac. ℥iv.
Solv. in ol. tereb colent. add.
Gumm. Elem. ℥iij.
Ol. Tartari per deliq. ʒj.
Camphor. ʒij.
Myrrhæ ℥v.
Caryophyll. ʒiij.
Picis ℔j.
Colophon. ʒß.
Terebinth. ℥xij.
Sal. volat. C. C. ʒij.
Ceræ q. s. M.

Si hisce non cedat, sequente utere:

℞. *Ungu. basil.* ʒß.
Pulv. castor.
Asæ fœtid. Myrrh. aa. ʒj.
Elixir vitæ ʒij.
Camphor ℈j. *M.*

Utere calidè in Ulcere.

Hæc enim omnia crassum ac viscidum succum in Ulceribus attenuant, & simul acidum fermentum ibidem latens corrigunt, emendantque; Medicamenta enim hæc ex volatilibus constant salibus, & gummosis pergratis oleosis particulis tubulos consolidantibus, quibus certè acida & salsa optimè ligantur; sic & Elix. vitæ, aliaque spirituosa impediunt ulteriorem corruptionem succorum, qui aliàs de novo affluentes à fermento acido latente corrumperentur. Curatio Ulcerum nihil aliud est, quàm consolidatio seu occlusio apertorum & ruptorum vasorum, non enim semper vasa in totum sunt destructa, sed tantum in uno vel alio loco rupta.

Notandum hìc, quòd turundæ nec Ulceribus, nec Fistulis, quicquid etiam obgarriant Chirurgi, sint imponendæ, sed potius plumaceolæ unguento aureo vel basilico inunctæ, vel spirituosis balsamicis oleosis madefactæ imponantur, dein totum membrum Ulcere infectum linteis circumvolvatur, per eam enim ligationem pori invertuntur, ne succi corrupti ita ad partem affectam tendant. Sic in Ulcere Tibiæ debet totus pes ligari, quia succi influentes, quasi sibi certos poros formant, quo mediante tali ligamento immutantur, quod & confirmat experientia edoctus *Celeberrimus Muys Obs. de usu fonticulorum* Sic quoq; in exulcerationibus cum Gangræna, in obstructionibus glandularũ, maximo cum fructu utimur cataplasmatibus ex herbis roborantibus, scordio nempe, absynth. marrubio, ruta, fl. sambuc. rorismar. &c. addi potest farin. fabar.

sem.

sem. anis. carvi, &c. in sero lactis vel in lixiv. vel cum decocto herbarum in cataplasm. redactum, quod antequam imponatur, aspergatur spirit. vini Canphor. & Theriaca.

Sic quoque istud Ulcus, quod insequitur Gangrænam, non multum differt à curatione prædicti, quod sequitur phlegmonen, huic unguentum basilicum prædictum cum gummi elemi, oleo Guajaci, Elix. vitæ & camphor. paratum optimum erit cum plumaceolis calidè Ulceri gangrænoso impositum, & simul ordinarium emplastrum applicatum vel stypticum, vel de labdano, &c. Si verò Ulcus ad meliorem reducitur statum, commisceri possunt prædicto unguento & absorbentia, vitriol. martis, vel ocul. cancror. vel Antimonium diaphor. vel antihect. Poter. Cinnab. Antimonii, Ebur ppt. & mandib. lucii piscis, &c. Et, si Ulcus profundum & maxima adest corruptio succorum, quod ex fœtore materiæ effluentis apparet, tunc conveniunt infusiones ex rad. Angel. Imperator. Gentian. herb. absynth. rutæ, scordii, card. bened. & adject. Elix. vitæ, aloe, myrrh. camphor. Tinct. ass. fœtid. Aer ante omnia ab ejusmodi Ulceribus arcendus est, incredibile enim dictu, quàm propediem materia in his Ulceribus gangrænosis corrumpi solet. Si à frigore fuerit gangrænosum Ulcus, tunc magis calidiora, ut ol. Philosoph. Tinct. castor. bals. Peruv. vel bals. Chili Anglorum, aliis prædictis unguentis & mixturis addi, calidiùsque applicari debent, ut & varia cataplasmata ex prædictis concinnata & calidissimè applicata. Si Ulcera fuerint mundata, ad mitiora accedendum est, & solus sæpius sufficit bals. Peruv. vel de Capaiva, vasa verò disrupta facilè consolidari vel couniri possunt, modò consideremus, quòd canaliculi per succi nutritii appositionem elongentur, usque offendant alium, quo se simul uniant.

[Curatio Ulceris, quod sequitur Gangrænam.]

Sic & Ulcera, quæ Anthracem excipiunt, eodem modo curantur ac prædicta, præ aliis sequens conducet in hoc Ulcere:

℞. *Elixir. propr. s. acido,*
Vitæ aa. ℥ß
Spir. ammoniac. ʒj.
Ol. guajac. ʒß. vel ʒj.
Camphor. ʒij.

In Ulceribus Phagedænis dictis conveniunt præter interna sudorifera, fortiora superiùs dicta, quæ sanguinem & succos simul temperant, decoct. liquor vel ocul. cancror. Antimon. diaphor. antihect. Poter. quia temperata alcalia & non acria sunt diaphoretica, quæ hìc præ aliis conducunt, & ægri in hisce affectibus semper ad sudorem disponendi sunt, in quem finem seq. vel simile cochleatim propinari potest:

[Cura Ulceris phagedenici dicti.]

℞. *Aq. fumar.*
Fœnicul. aa. ℥ij.
Ocul. cancror. ℈j.
Sal. card. bened. ℈ß.
Elix. vitæ Matthiol. ℥ß.
Laud. opiat. gr. j.
Syr. scord. ℥j.
M. D.

Vel

℞. *Aq. card. bened.*
Fumar. aa. ℥j.
Essent. enul. ʒj.
Spir. C. C volat. ʒß.
Syr. scord. ℥ß.
M.

Ad corruptionem impediendam, & obstructionem reserandam, acidumque temperandum seq. fotus appilcatus apprimè conducet:

℞. *Rad. angel.*
Bryon.
Gratian. aa. ℥ß.
Herb cochlear.
Trifol. fibr.
Scordii,
Menth. aa. M. j.
Myrrh.
Aloes aa. ʒß.
Coq. in s. q. vini in vase bene clauso, colat. add.
Elix. vitæ ℥ß.
Spir. sal. Armon. ʒß.
M.

Varia quoque Emplastra imponantur ejusmodi Ulceribus; imprimis laudatur quod Cartesianis adscriptum ex ceruss. min. camph. lap. calamin. colophon. ol. ovor. &c. parat. quod egregium est, vel pulvis seq. inspergatur.

℞. *Croci martis ex Vitriol. præcip.* ʒiij.
Lact. lunæ ℥iß.
Myrrh.
Aloes,
Macis aa. ℈j.
Caryophyll.
Camphor. aa. ℥iß.
M.

Vel

℞. *Aq. calc. viv.* ℔j.
Mercur. dulc. ʒiiß.
M.

Vel

℞. *Aq. calc. viv.* ℔iß.
Spir. theriacal. camph. ℥iv.
Sacchar. Saturni ℥j.
Merc. dulcis ℥ß.
M. probe.

Sic post variolas epidemicas phagedænica in tibiis cuidam exorta sunt Ulcera, quæ sat diu illusere Chirurgorum manus, & tandem insperso pulvere stercoris ovilli feliciter à Parentibus fuere sanata, prout videre est ex *Observ. 94. Decur. Ephem. Ann. 6.*

Nunc ad curam Ulceris cum carie ossis conjuncti transeamus; sed cùm de carie ossis hac inferiùs ex professo tractabimus, paucis hic tantùm nostrum expleamus officium. In his verò Ulceribus semper ad os respiciendum est, nisi enim priùs cariem ossis sanaveris, Ulcus nunquam curabis, nam semper caro luxurians excrescit, quæ nullis remediis absumi potest, &, si absumatur, statim repullulat, hinc cultro incisorio ad os usque penetrandum est, & animo cordato id faciendum. Cùmque ab aere talis caries sæpe producatur, ad eum prohibendum applicetur Balsam. meus nervinus ex Spiritu vini, sale volat. spir. sal. armon. & ol. macis ac caryophyll. paratus, vel divinus, quo, præmissis callum absumentibus remediis, nullum præstantius in Ulceribus ac Fistulis invenies remedium: & quidem calidè balsami hi sunt admittendi, in quorum tamen defectu imponatur Ulceri Elixir vitæ, vel aq. Regin. Hung. vel spir. matrical. & per dies aliquot relinquatur, tantùm de novo imposito plumaceolo, hoc Elixire imbuto; cave verò ne sæpius aeri exponas hujus generis Ulcus, quod dilatandum, immittendumque carioso ossi Euphorbium vel myrrh. oliban. aloe, & spongiæ combustæ lotæque tantillum in forma pulveris, subinde unguentum digestivum immittendum, & spir. vini adjungendus, Sal. spirit. & Mercur. & os corruptum eximi debet: vel sequens:

[Cura Ulcerum cum carie ossis.]

℞. *Aq. Regin. Hungar.* ℥iij.
Euphorb. pulv. ʒij.
Chalcant. ʒß.
Myrrh. ʒj.
Aristol. rotund. & long. aa. ʒj.
Calc. viv. ʒß.

Singulis diebus bis de hac mixtura cum plumaceolis madefactis Osse corrupto & cavo impositum, adjunctis spongiolis eodem liquore imbutis. Sunt, qui singulis quoque septimanis cauteria actualia per cannulam cariei apponunt, ut & chalcant. pulverem siccum ipsumque euphorbium: Ulceris verò duris labiis digestivum applicant, vel ferrum candens admovent, sine quo vix cariem ossis curari posse plures fatentur.

Si corruptio magna adsit, eiusmodi Ulcera elaventur cum aq. Regin. Hung. vel Elix. vitæ, addita camphor. & muria humana, vel succ. absynth. Vel

[Cura Ulceris scorbutici.]

℞. *Spir.*

℞. *Spir. anthos* ℥iij.
Balsam. nervin. m. d. ℥ß.
Camphor. ʒiß.
Ol. cochlear. ℈j.
M.

Vel

℞. *Elixir. vitæ* ʒij.
Aq. Reg. Hung. ℥ß.
Spir. sal. armoniaci ʒß.
Tinct. Euphorb. ℈j.
Tinct. Tartar. ʒß.
M.

Hisce remediis instructus Chirurgus mira præstat, Salia volatilia enim infringunt acidum Ulcerum æque ac ossibus inimicum.

Si unquam certè hac in Ulceris specie diaphoretica antiscorbuticis nupta optima & egregia sunt, imprimis decoct. lignor. cum antiscorb. ex. gr.

℞. *Lign. sassafr. Sancti* aa. ℥iij.
Rad. chinæ ʒij.
Pimpinell.
Trifol. fibr. aa. ℥iß.
Bacc. Juniper. ʒiij.
Herb. trifol. fibr.
Scord.
Nasturt. aq.
Cochlear. aa. M. ß.
Sal. Tartari,
Absynth. aa. ʒß.
Infund. & coq. vel in sero lactis, vel aq. s. colat. ℥xxx. *edulc. syr. trifol. fibr.* q. s.

Interponenda sunt varia acidum absorbentia, & digestiva sæpius dicta, ex Antimonio diaph. Bez. mineral. ocul. cancrorum, Tartaro Vitriol. parat. vel bis de die æger assumat seq. spirit. in vin. Malvat. vel Gallic. à vino enim acido abstinendum est.

℞. *Spir. cochlear.*
Bals. nervin. n. d. aa. ʒij.

Vel

℞. *Tinct. corall. c. spir. Guajac. parat.* quæ est specifica.

Vel *Elixir. vitæ*: vel *sal. vol. oleos.*

Ceerevisiæ ordinariæ indatur Antimon. crud. ℔ß. vel limat. Chalybis, quod maximè mortificat acidum in Scorbuticis, quod acidum & salsum maximè prædominatur. Purgantia hìc & ubivis maximè nocent, acidum enim expurgari nequit, sed volatilia & temperantia dicta adhibeantur, hæc quippe interna remedia non tantum acidum temperant, sed & attenuant succos eosque fluidiores reddunt, & ita Ulcera à corrupto nutrimento præservant. Sic quoque acidum per externa remedia temperatur, cùm volatilia alcalia acidum destruant, & spirituosa id temperent. Spirituosa enim acida infringunt, quod videre est inter alcalia & acida commista, ubi fit effervescentia, & in effervescendo alcalia acidum obtundunt, certum enim est, quod in succis nostris certa & proportionata quantitas acidi & alcali seu salis volatilis continetur, & acidum sæpe prævalet, ut solet in Scorbuticis; hinc spirituosa assumpta succis admissa acidum oppugnant vel impediunt, ne corpori majora mala accersat, quem effectum etiam præstant ocul. cancror. sacch. Saturni. Sic & nostro judicio acidum volatile in Scorbuticis debet restitui, hinc & pluribus Scorbuticis acida blandiora maximè conveniunt, & sine iis vix vivere possunt, fermenta enim nostra à primodio corpori nostro infusa debent maximè conservari: atque hic sæpe maximo cum commodo utuntur externè spir. sal. Tartari vitriolat.

Externè conducunt & hæc topica ex rad. bryon. trifol. fibr. herb. scord. & trifol. fibr. cochl. & sal. Tartari in vin. Gall. coct. & hoc eluantur Ulcera Scorbutica, si lardo similis est caro, hinc addi potest bals. nervin. spir. cochl. trifol. fibr. & Ammoniac. & imponatur Empl. superiùs dictum, vel liniment. seq. vel simile.

℞. *Ung. diapomph.*
Basil. aa. ℥j.
Pulv. myrrh.
Aloes aa. ʒj.
Sal. Saturni, Spir. trifol. fibr.
Ocul. cancror. aa. ʒiß.

Quod ungu. calidissimè Ulceribus Scarbuticis imponi debet, aliàs laterem lavabis.

Si dolores pertinaces adsunt & quidem nocturni, tunc reliquis remediis camphor. cum suffic. quant. admisceatur, ut & pro re nata ipsum opium, dolorum domitor. Ulcera probè mundata curari debent ordinariis remediis, ut Empl. divino. Si Ulcera verò forsan in pede vel tibia existant, conducit quoque balneum, vel fotus, ex supra dictis herbis & radicibus parata, sed simul convenienti ligatura instituta. Ex. gr.

℞. *Lign. sanct.*
Cort. Guajac. aa. ℥ij.
Rad. gentian. ℥j.
Herb. veron.
Absynth.
Trifol. fibr. aa. M. j.
Nasturt. aquat. M ß.
Tartari Vitriolat. ʒiij.
M. Coq. in aq. communi,

Et cùm Ulcera maligna comitem habeant utplurimùm Cachexiam scorbuticam, ad acres ergo particulas obtundendas collimandum est, ad consolidanda & exsiccanda ejusmodi Ulcera, qua de causa sequens linimentum ob vires egregias nobis *sacrum* dictum commendamus.

℞. *Terr. sigill. Strig.*
Vitrioli Hass.
Plumb. ust.
Croc. Martis aa. ℥ß.
Camph.
Myrrh.
Mastich.
Ceruss. lot.
Mercur dulc. aa. ℈iv.
Bals. Peruvian. ℥j.
Ol. vitell. ovor. q. s.
M. F. linimentum.

Cura Ulceris cum luxuriante carne.

In *Ulcere hypersarcotico*, seu cum carne luxuriante, eadem interna remedia ac in aliis Ulcerum speciebus conducunt, variat enim parum in cura, & quidem externa. Si enim corruptio maxima est, possunt & absumentia sortiora applicari, & quidem seq. modo.

℞. *Aq. Regin. Hungar.* ℥j.
Bals. nervin. ʒij. vel *Elix. vitæ,*
Camphor. ʒß.
Mercur. sublim. gr. iij.
M.

Communiter Chirurgi utuntur in hypersarcosi alum. ust. seu capite mortuo Vitrioli, vel præcipit. alb vel rubr. nobis verò magis placent aloetica, myrrhata, ut spir. matric. vel etiam ung. Ægyptiac. inspissat. Si verò hypersarcosis contumax & magna sit, nil impedit, quominùs cultro exscindatur, hoc enim plus efficimus, quàm mille aliis invisibilibus cultellis, puta corrosivis remediis. Si verò æger ferrum abhorreat, ad caustica transeundum est, ad hoc ergò conducet lapis infernalis, vel nostrum causticum aliquoties laudatum ex cineribus fraxini paratum, hinc escharæ digestivis impositis facilè semper separari possunt. Si dolores maxime urgeant, digestivis camphora in majore copia addi potest. Si inflammatio urgeat, antiflammatoria conveniunt, ex. gr.

℞. *Aq. fl. sambuc.* ℥ij.
Card. bened. ℥j.
Bals. nervin. n. d. ʒij.
Spir. fl. sambuc. ʒiij.
Camphor. ʒiß.
M. D.

Si hypersarcosis jam fuerit ablata, facilè Ulcus convenientibus aromaticis remediis sanabitur, & raró ad ignem accedendum est, nisi summa necessitas urgeat,

ac

ac prædicta remedia diu frustrà adhibita fuerint, solo enim balsamo divino nostro ea curare potes. Ubi lardo simile quid apparet, calx viva vel mortua imponatur Ulceri, polychrestum enim est externum in Ulceribus aliisque absorbet in se quæcunque acida corrosiva, & Ulceribus antiquis inspersa, absorbet sordes & fermentum Ulcerum acidum, in simul tubulos laceratos consolidat, & inter cicatrisantia optima est; sic quoque aqua calcis vivæ. Chirurgis aqua benedicta dicta, Ulcera sanat, & nuper fœmina quædam Ulcus habuit in genu, quæ sola hac aqua curata fuit felicissimè. Si aqua hac Ulcera abluantur linteaque imbuantur, verminosa licèt ac putrida sint, tamen curantur. Supernatat huic calci crusta albicans subpinguis, si illinatur Ulceribus malignis cancrosis, singulare quid obtinet, destruit enim fermentum Ulceris corrosivum temperando, istud est enim alcali temperatum à Sulphure.

[S]anatio Ulceris sordidi. Sanatio Ulceris sordidi consistit in eo, ut sanguis & succi nostri attenuentur, fluidiores ac spirituosiores, sive magis fermentescibiles reddantur, hinc conducit sæpius dictum decoctum ex lign. sant. rad. sarsaparil. enul. c. rad. chin. pimpinel. herb. scord. ped. leon. Sal. Tartari, & ad eundem finem obtinendum conducet internè sequens.

℞. *Aq. Regin Hung.* ℥ß.
Balſ. nerv. n. d. ʒ i ß.
M. assumantur gutt. 20. vel 30. in cerevis. aut vin. Hispan. & cùm acidum in succis imperium exerceat, interponi potest pulv. ex Antimon. diaph. chalyb. & ocul. cancrorum, quod satis potens est in absorbendis acidi aculeis, nec negligendus est spir. matric. tum internè ad gutt. 60. assumendus, tum externè adhibendus, cui associari potest momentum gummi guajac. vel sassafr. vel alius: sudorifera ac diuretica hìc nunquam negligenda sunt, quæ diximus superiùs in speciebus Ulcerum.

Inter Topica eadem, quæ jam in reliquis Ulcerum speciebus diximus, usurpari possunt, commendamus præprimis sequens vel simile linimentum calidè usurpandum.

℞. *Ungu. Apost.* ℥ j.
Balſ. nervin. n. d. ʒ ß.
Aq. Regin. Hung. ℥ ij.
Extr. absynt.
Vel
Cent. min. aa. ʒ ß.
M. F. Unguentum.

Ungu. nicotian. Vigani in Ulceribus sordidis proficuum est. Sequenti mixtura sive decocto eluantur Ulcera sordida.

℞. *Rad. calam. arom.*
Gentian aa. ℥ j.
Herb. absynth.
Ruthæ,
Scordi. aa. M. j.
Sal Tartari,
Ammon. aa. ʒ j.
Pulv. colocynt. ʒ iij.
M. Coq. in vin Gall. add.
colat ad ℥ vij. *Elix. vitæ* ℥ ß.
Aq Regin. Hung. ℥ i.

Omnia enim hæc salia volatilia conducunt, quare & sequenti plures curavimus feliciter.

℞. *Aq Regin. Hungar.* ℥ ij.
Balſ. nervin. n. d. ʒ ß.
Tinct. galban. ʒ iij.
Myrrh. ʒ ij.
Aloes ʒ j.
Ol. Tartari ʒ i ß.
M.
Vel
℞. *Herb. trifol. fibr.*
Scord. aa. M. j.
Absynt. M. ß.
Myrrh. Aloes aa. ℥ ß.
In vin. Gall. vel aq. calc. viv.
coq. ad ℔ i ß. *cui adde*
Aq. Regin. Hung.
Balſ. nervin. n. d. aa. ʒ ij.
M.

Quo calidè abluantur Ulcera, dein unguentum sequens calidè imponatur.

℞. *Aq. Regin. Hung.*
Myrrh.
Aloes aa. ʒ ij.
Sal. alcali,
Ocul. cancror.
Antimon. diaph.
Camphor. aa. ʒ j.
M.

Quo Medicamento quater de die imbuantur plumaceolæ & imponantur calidè Ulceri. Extr. absynt. scord. card. bened. egregia sunt aliis addenda. Saccharum & myrrha in Ulceribus putridis reliquis Medicamentis addi possunt. Myrrha enim Ulcera putrida verminosa & Gangrænam minantia curat. Sal fixum fuliginis, quod reperitur in capite mortuo, resolvi potest in oleum, quod in omnibus Ulceribus mira præstat, cùm alcalica sua vi destruat acidum: lixivium scoriarum reguli antimonii, egregium est mundans in Ulceribus sordidis: ol. Tartari per deliqu. non contemnendum est remedium.

Cura Ulceris cum duris labiis. Dura labia scirrhosum tumorem referentia, ceu dictum, oriuntur ab obstructione & inde facta stagnatione succorum, è quibus omne sal volat. evolavit in auras, quæ labia tum debent emolliri variis emollientibus seu resolventibus volatilibus maritatis ex Elix. vitæ, aqua Reg. Hung. balſ. nervin. n. d. spir. sal. armoniaci asthmat. compos. Sunt, qui causticis nituntur hunc scirrhosum tumorem tollere, interquæ lapis infernalis notissimus est, vel sæpe Ulceri imponantur absumentia, imprimis sequens.

℞. *Lap. calamin.* ʒ j.
Virid. æris,
Alum. ust.
Vitriol. alb.
Sal. comm. tost. aa. ℈ j.
Ceræ,
Resin. q. s. vel aa. ʒ vj.
M. & f. l. a. emplastrum.

Hic & interna decocta sudorifera, in quibus totius curationis cardo vertitur, non negligenda, & diæta stricta, & etiam sudorifera observanda est; ab acido & salsis prorsus abstinendum est, imprimis verò cavendum est ad album. ov. bol. Armen. aliisque repellentibus remediis, quæ omnia succos magis coagulant inspissantque, & sic ad motum & circulationem ineptos reddunt: interponenda ergò sunt liquida varia & spirituosa ac oleosa, ut aq. Regin. Hung. balſ. nervin. & Mercurius sublim. aliaque Mercurialia, imprimis sal nostrum Mercuriale hic quoque prosunt alii seq. vel similem commendant pulverem.

℞. *Ocul. Cancror.* ℥ ß.
Antibect. Poter. ʒ j.
Sang. dracon. ʒ ß.
Præcipitat. alb. gr. vj.
Myrrh. ʒ i ß.

M. F. Pulv. inspergendus bis de die Ulceri Fistuloso. Rad. gentian. hujusmodi Ulceribus angustis sæpe immittitur, ut callum Ulceris Fistulosis exedat. Circa turundarum applicationem, ceu dictum, meliùs plumaceolę imponuntur quàm turundæ: si verò quis præjudiciis occupatus eas potiùs amet, monendus est, ut filo alliget turundas, ut tutius, si altiùs descenderint, & promptiùs, si tenaciùs adhæserint, revocari possint. Nostrates hoc cavent superiori turundæ parte incisa & explicata, ut reducta turunda materia priùs effluat, quàm altera & nova substituatur, suppressa enim illa, sinus major dilatatio, dolor, inflammatio metuenda, quæ contigisse memorat *Scultet. armament. Chir. p. 2. Obs. 86.*

Cura Ulceris verminosi. Hoc in Ulcere verminoso & sanguis ac reliqui succi corrigendi sunt decocto lignor. & interponantur simul antihelminthica seu amara quæcunque spirituosis juncta, ex. gr.

℞. *Elix.*

℞. *Elix. vitæ*,
Aq. Regin. Hungar. aa. ℥ij.
Ess. centh. minor.
Tinct. tanacet. aa. ℥ß.
Myrr. ʒiij.
Ol. sassafr. gutt. x.
Arant. gutt. vij.
M. D.

Assumantur 60. & plures guttulæ in vino. Interponatur pulvis tal is digestivus & resolutivus.

℞. *Tartar. Vitriol.*
Antimon. diaphor. aa. ℈ß.
Myrrh. gr. j.
Ocul. cancror. gr. vij.
M. D. bis in septimana.

Sic & Mercur. dulc. cum resin. guajac. & gumm. ammoniac. qui hebdomadę semel assumi posset. Pueris vel infantibus conducet decoct. chinæ, vel rad. contrayervæ calidè bibendum & propinandum, & seq. mixtur.

℞. *Elix. vit.* ʒj.
Balss. nervin. ℈j.
Ol. sassafr. ℈ß.

Gutt. vij. usque ad 10. pro ætatis ratione exhibeantur in vino Malvat. & potui ordinario addi potest Tartarus Vitriolatus.

Externè imponatur panis mellitus Norimb. cum pipere, vel mel cum pipere.

Si vulnus ob negligentiam in *Ulcus Verminosum* transierit, ut vermes viventes in corpore vivo conspiciantur, quale quid, dum hæc scribo, in milite observavi, qui curatus fuit spirituosis, adjectis myrrh. & aloe, imprimis verò Extr. absynth. cent. card. bened. scord. quę egregia sunt in hisce Ulceribus Verminosis: ubi Ulcus cum maxima inflammatione & pustulis reperiatur, omnia conveniunt, quæ de *Inflammatione* diximus, inprimis sequens vel simile.

℞. *Spir. vini aromat. n. d.* vel
Aq. Regin. Hungar. ℥ iv.
Camphor. ʒß.
M.

Maximè enim his acidum inflammatorium Ulcus excitans temperatur & obstructio reseratur. In Ulceribus cum maximo frigore calidiora usurpanda sunt, & cùm hæc superiùs dicta sint, nolumus cramben bis coactam apponere, & toties repetendo lectori nauseam parere.

Cura Fistularum.

Audiatis de *Curatione Fistularum* etiam *Nostram Crisin*, juxta methodum verò nostram instituitur curatio hæc per remedia interna sanguinem & succos nostros corrigentia, dein per remedia topica, 3. per ferrum sive cultrum.

Ea, quæ sanguinem ac succos corrigunt, sunt acidum temperantia, ac sudorifera superiùs jam dicta, v. gr decoct. lignor. item Antimon. diaphor. bezoart. miner. ocul. cancror. crystall. ppt. sive volat. spir. C. C. sal. viperar. imprimis pulv. noster ex Antimonio & Mercurio paratus: unde in specie *Felix Platerus* in Ulceribus ex lue venerea aliisque diuturnis Diaphoretica potissimam curationis partem absolvere scribit, Diætamque sudoriferam eundem in finem *Marsinus ap. Riverium commun.* 4. præscripsit. Hæc enim acres ichores & serosas superfluitates in continuum ad locum affectum fluentes eliminant, exque glandulis exprimunt. Sic quoque diuretica in Fistulis suam spondent opem, hinc potiones vulnerariæ ceu diureticę maximo in usu sunt Germanis seq. modo præscriptæ.

℞. *Herb. heder. terr.*
Fl. hyperic. aa. M. ij.
Rad. chinæ,
Gentian. aa. ℥j.
Ireos Florent.
Aristol. rotund. aa. ʒß.
Galang. ʒiij.
Alb. græc. ℥ij.
Sem. anis.

Minutim concis. coq. in vin. Gall. vel Rhenan. & aqua.

In hunc etiam finem & commendantur acidulæ de Vitriolo Martis, sale & alcali volatili participantes modicè, tutius & securiùs conducunt thermæ seu acidulæ calidæ Embsenses aliæque, à quibus plures Fistulas observavi exsiccatas sanatasque. Loco harum & artificiales parari possunt thermæ & acidulæ. Salia volat. oleosa & quæcunque antiscorbutica egregii hic usus sunt, spir. matric. cum gumm. sassafras & ol. Balsam. Peruvian. destill. & ad gutt. v. vel plures in aqua convenienti assumptus, & præsertim in sequenti vel simili mixtura propinetur.

℞. *Aq. flor. sambuc.*
Veron.
Beton. aa. ℥ij.
Ocul. cancror. pp.
Corall. rubr. pp. aa. ʒj.
Sal. nitri fixat.
Alcali aa. ℈j.
Camphor. ʒß.
Spir. sal. Armoniaci volat. ℈j.
Syr. trifol. fibr. ℥j.
M.

℞. *Sal. volat. oleos. n. d.* vel *Sylv.* vel alius, dentur gutt. 15. ad 20. & plures. Mercur. dulcis etiam aliis remediis admisceri potest, vel sal viperar. &c.

Inter Topica & Chirurgica præprimis commendamus ferrum seu cultrum, quo incisio instituatur, sine qua *P. de Marchettis* Fistulam ani nullam curatam vidit, sub 50. annorum praxeos suæ cursu, in omnibus enim Fistulis sinus dedunandus venit, ut meliùs Chirurgus operari possit, totus ergò ductus, modò partis conditio ferat, præeunte & quasi viam monstrante specillo aut liquore quodam infuso, syringotomo instrumento hinc inde apud Auctores obvio & depicto, ab orificio ad extremum usque fundum inciditur. Aliquando verò sine specillo prævio, cera munitum in cuspide scalpellum, ne lædat innocuas in transitu partes, vel culter obtusis cuspidibus, ex arte ita paratis, ad fundum Fistulæ immittitur. Tota caverna ergò aperitur, quæ incisio, ut omnium citissima & momentanea, quasi, ita ferè optima censetur, feliciterque in Curatione abscessus in tibia sinuosi *à Fabr. Hildan.* adhibita fuit *cap* 4. *Obs.* 48. Curatio Chirurgica per filum olim quidem crudum & lineum, nunc sericum & infectum, ab *Hippocr. de Fistul.* memorata, & à *C. Celso* plenissimè explicata *lib.* 7. *cap.* 8. conferatur. Tertiam ex filo & syringotomo compositam operationem monstrat *Scultetus tab.* 45. *f.* 3. His autem omnibus irritis, pro partis conditione, ad aquam fortem itur, successu sępe felici, quem nuper in desperata partis inferioris Fistula post vulnus plumbea sclopeti manuarii glande illatum, relicta laborante observavi, ubi cùm ob venarum & nervorum majorum ramos sectio tutò institui non posset, aliis etiam Medicamentis nequicquam proficientibus, post extractam priùs ex inferiori & externa femoris parte glandem, *Frater meus Joh. Frid. Dolæus, Chirurgus*, & à servitiis Sereniss. Marchion. Brandemburgensis, penicillis ex lana carpta exstructis, ex aqua forti sub connubio Mercur. dulc. imbutis brevi & feliciter sinus callosus curavit, nec non balsamo quodam vino Nobis dicto mira in Fistulis curandis præstat. Sunt tamen, qui malè hanc aquam, nec non oleum Vitrioli suspectũ reddunt, pręsertim in lachrymali Fistula, ob metum excursus in vicinas partes, plusque solidis & crassioribus confidunt, metus hujus expertibus. Fistula aperta Ulceri imponantur specilla & plumaceola, quæ labia solutæ unitatis distendant & coitionem impediant, post calli studendum ablationi est, sive Medicamentis, sive ferro, sive igne munita in ambitu parte. Caustica remedia jam sunt nota. Ferro præciditur callositas, si æger consentit, levi doloris sensu: ex sanguine effluente feliciter peracta operatio censetur. Novacula ità callum à Fistula incurabili removit Chirurgus apud *Borellum cap.* 4. *Obs.* 53. Post mundandum Ulcus aquis vulnerariis, decocto apii, & suprà dictis incarnandum, & ad cicatricem ducendum est. *Borellus* ubi ęger sectionem admittere recusaverit

verit, labia Fistulæ alumine usto corrosa, post ungu. ex alum. ol. nuc. cer. & cineribus formato, & ungu. ex sacchar. ol. olivar. argent. viv. ad partes æqual. confecto obtentum vidit *cap.* 2. *Obser.* 67. Solus quoque succus plantag. & urtic. vel decoct. persicariæ, admotis simul parti affectæ foliis contusis curam absolvit. Antequam verò ad ferrum sive ignem actualem accedamus, ad quem verò meo judicio rarò confugere aptum erit, facilè enim nervosæ partes & venæ sive arteriæ læduntur, tentanda ergò sunt generosa remedia, quæ sæpe callositates sanaverunt, ex. gr.

℞. *Aq. Regin.* ℥j.
Mercur. sublimat. ℈j.
Tinæ. galb. ℥ß.
Camphor. ʒj.
Vitriol. alb. ℥ß.
Spir. sal. armoniaci volat. ℈ij.
M.

Si ignem amas, applica priùs oleum terebinthinæ cum plumaceolo, & dein admove ferrum candens, quantum ferre potest æger. Ubi plures & anfractuosi sinus, ibi convenit sequens:

℞. *Unguent. Ægyptiac.* ℥ß.
Aloes ʒß.
Mercur. dulc. ʒj.

Coq. ad consistent. pro turundis conficiendis. Inflari etiam possunt pulveres sicci cum calamo scriptorio. *Sachsius* maximè commendat succum cancrorum, qui & nostra experientia comprobatus est in Ulceribus ad cancrum tendentibus. Seq. ergò per siphonem injectum conducet:

℞. *Ligni sanct.* ℥j.
Sassafras,
Rad. chin. aa. ℥ß.
Gentian.
Aristol. rotund.
Ireos Florent. aa. ʒiij.
Herb. nicot. M. j.
Fl. hyperic. M. ß.
Alum. crud.
Aloes,
Alb. Græci aa. ʒiij.
Aq. fontan. ℔ij. Vini Rhen. ℔j.

Coq. ad consumpt. med. Colat.
℞. ℥iv.
Succi cancr. ℥ß.
Mercur. dulc. ʒj.
M.

Alii *quint. essent. Antimonii,* alii *liquor. fl. Sulphur.* immittunt. Alii Empl. stictic. de gratia Dei, Oppodeldoch, Saturninaque commendant.

Si ossis caries conjuncta sit, priùs illa curanda suprà dictis & infra adhuc dicendis remediis, pars enim cariosa abradenda, hocque legitime peracto, caro laudabilis brevi iterum accrescit. Potest & tantùm ossi corrupto euphorbium inspergi per se, vel cum melle rosato permixtum, quod in squamis & ossis carie auferendis, felicissimum semper invenit etiam *Hildanus*, hinc mundificato satis Ulcere & reducta carne, pulv. præcipit. balsam. Tolutanum, vel ol. Peruvian. filamentis applicuit, ut cicatrix plana & pulchrior fiat. In Fistulis diuturnis crystalli stanni cum melle rosato applicati commendantur à pluribus Chirurgis.

Cæterum Saturnus tanquam quarta Chirurgiæ columna, est, absorbendo acida, destruit causam proximam omnium Ulcerum. Nuper in puella 7. annor. Fistulam in coxendice habente, felici cnm successu sequentem injici curavi mixturam.

℞. *Decoct. calc. viv.* ℔j.
Mercurii sublimat. ʒj.
Succi absynth.
Veronic.
Scordii aa. ℥iß.
M.

Spir. essentif. cancror. vel viperar. vel Tartari, Balf. Sulphuris cum oleo lign. sassafr. parata. Balf. flor. vel Sulphuris Antimonii fixati egregium est sanguinis purificans. Inter sudorifera sequens laudamus:

℞. *Antimonii martis cachectic.* ʒß.
Cinnabar. nativ. ppt.
Pulv. viperar. aa. ℈j.
Olæosacch. cinam. ℈ß.
M. F. pulv. in 3. dos. divid.

℞. *Diaphoret. Helmont.*
Aur. vitæ Burrhi ℈ß.
Sulphuris Antimonii fixat. Sylv. gr. vj.
Elæosacch. citri ℈ß.
M. F. pulv. divid. in 3. part. æq.

Vel pro pauperibus:

℞. *Flor. Sulphur.* ℥ß.
Pulv. enul. ʒiij.
Viperar. ʒj.
Myrrh. ℈j.
Sacchar. ℥ß.
M. F. pulvis.

℞. *Extract. centaur. min.*
Diaphor. Helmont.
Bezoart. solaris ℈j.
Ol. still. sassafr. gutt. ij.
M. F. pil. 60. & pro dosi 20.

Externa exsiccanta sunt cineres cancrorum, tabaci, fulig. omnes calces metallor. edulcoratæ, Antimon. diaphor.

℞. *Lapid. calam.* ℥iij.
Litharg. pulv.
Ol. olivar. aa. ℥ij.
Mastich.
Oliban. aa. ʒij.
M. f. l. a. Empl. Confert etiam Empl. Saturni, vel sequens.

℞. *Minii* ℥ß.
Ol. olivar. ℥j.
Juniper.
Petr.
Sulphuris aa. ℥ß.
Antimon. rubr. ʒj.
M. f. l. a. Emplastrum:

Fontanellæ conceduntur à *Michaele*, item *JungKen* Chym. Exper. de Ulceribus.

Acidulæ & thermæ à pluribus commendantur, thermas atrificiales ex Alumin. sal. & pauco Sulphure laudat Celeb. *D. Joh. Mich. Febr. Præses Colleg. Curios. Amicus noster singularis.* Succus betulæ & pini assumi potest.

Diuretica in Fistulis, spir. Tartar. spir cancror. sale suo volat. essent. sal vol. succin. & ejus liquor, essent. chærefol. cancror. D. M. liquor. diuret. ex test. ovor. & lap. cancror. Balsam. Sulphur. cuminat. juniperin. succin. pineat. & terebinth. Ex antimon. & calc. viva & Tartaro cum aqua lixivial. & applica calidè: item confert lixivium ex scoriis Antimonii, ol. Saturni, item liq. Antimonii balf. ℥j. ol. Sulphur. rubri, Saturni aa. ʒj. M. oppodeldoch *Paracelf.* balf. Sulphur. saturnisat. confert etiam in cancro. In foraminulis verminosis applica seq. *Agricolæ.*

℞. *Ol. Tartari per deliq.* q. s.
Vitrioli calcinat.
Ol. olivar. q. s.
M. ad consist. linimenti.

Balsam. vulnerarius cachecticus D. *Hagendornii* egregius est, nec non Balsamus vulnerarius contra sphacelum, ne accidat hic Fistulæ.

℞. *Ol. Saturni & caryophyllor.* aa. ℥ß.
Camphor. ʒij
M.

Dein consolida cum *Ungu. Aloepatico Birlingii.* Sequens etiam conducit liquor balsamicus ad Ulcera in Fistulis:

℞. *Terebinth. Venet.* ℔j.
Vernic. pictor. ℔ß.

Mastich.

Mastich.
Myrrh.
Thur. aa. ℥j.
Spir. vini ℥iv.
M.F. Bals.
Digerendo & destillando.

In Ulceribus verminosis commendatur à *Poterio* decoct. calc. viv. cum Mercur. dulci paratum.

In Fistulis optimè instituuntur suffumigia ex mastiche, thur. ass. fœtid. gumm. galban. succino, &c.

Sequens magnifacit *Cl. BlanKardus*, Amicus noster, in sua *Chirurg.* & tribuit compositionem fœminæ cuidam Anglæ, quo remedio, ut ille ait, plures mille hominum curati fuere.

♃. *Camphor.* ℥j.
Vitrioli alb. ℥iv.

Contund. minut. & imponantur vasi lapideo, torrefiant parum ut misceantur, uti in confectione lapidis Alchymiæ fieri solet, donec rubescant, & add. bol. rubr. ℥iv. sedulò deinde custodiantur. Hujus pulveris 3. cochlear. plena M. cum aqua pluviali ℔ij. paulisper ebulliant, tum parùm agitentur, ut aq. clarescat, qua mixtura eluantur sæpe Fistulæ imbuanturque plumaceola. Prælaudatus Dominus *BlanKardus* commendat etiam sequens:

♃. *Sal. Armoniaci* ℥iv.
Vitrioli Roman. ℥iij.
Litharg. aur. ℥ß.
Camphor. ℥ij.
♃. *Hujus pulv.* ℥ß.
Coq. in aqua pluvial. dein add.
N. M. ℥ß.
Præcipitat. rubr. ℨß.
M. *& instar fotus impone Vlceri Fistuloso.*

Sic & Ulcera cacoethica plura, frustra adhibitis aliis generosis remediis, cinere tabaci sanata vidit *Celeberr. Wedelius*, item inspersis pulver. terreis, mandibulis lucii piscis, imprimis Saturninis & Mercurialibus, quibus remediis Ulcera Venerea antiqua & rebellia curantur quotidie.

In Ulceribus & Fistulis egregium est remedium Balsamum de Chili naturale, in Anglia apud Dn. Vvilliam Salmon, Professorem Medicinæ, usitatum & guttatim applicatum. Vide de balsami hujus viribus *Encyclopediam Nostram* Medicam in linguam Anglicam à *prædicto Celeberrimo viro Vvilliam Salmone*, translatam, & Londini impressam.

CAPUT III.

De Gangræna & Sphacelo.

§. I. Cum nullus ferè in Chirurgiam cadat ex innumeris calamitatum myriadibus atrocior affectus, imò tota in Medicina vix ullus offeratur morbus, lamentabilior crudeliorque ipsa *Gangræna* & *Sphacelo*, nullus certè infensior Tyrannus est quàm Sphacelus; hic enim tanta atrocitate atque sævitia in humanum corpus sævit, ut nulla propè pars sit, quæ ipsius tyrannidi & sævitiæ se subtrahere, aut ab ejus invasione secura esse possit, imò nobis viventibus integræ partes corporis nostri immanes inter cruciatus & æstum igneum, tandem omni sensu motuque destitutæ moriuntur atque putrescunt, & ne animantis necrosis subsequatur, congruisque remediis occurratur, ab initio, à vivente reliquo corpore, crudeli manu Chirurgi, ferro & igne separantur & abscinduntur. Neque enim is ad instar aliorum morborum perfunctoriè infestat, aut ad salutem quandoque terminatur, sed ubi semel nidum suum elegit, pertinacissimè inhæret, & haud duntaxat partem illam, quam aggreditur, corrumpit mortificatque, sed cito pede progreditur, ac sæpe, nisi, ceu dictum, citissimè occurratur, totam microcosmi machinam destruit, ægrumque sine ulla salutis spe è medio tollit. Qui ergò hujus pessimi mali sævitia auxiliis generosis repelli ac coerceri possit, Tyronibus hisce pagellis breviter declaraturi sumus. Primo itaque ut benè intelligant, de quo affectu scripturi simus, ejus nomen ante alia explicabimus.

Gangræna Gangræna igitur dicitur à γραίνειν comedere, quia maximè devorat instar cancri vel lupi, hinc etiam omnes fere Interpretes N. T. gangrænam in *Epist. D. Pauli ad Timoth.* 2. *c.* 2. *vers.* 17. *gangrænam per cancram verterunt*, καὶ οἱ λόγοι αὐτῶν ὡς γάγγραινα ὥρπει & sermo eorum ut cancer serpit. Omni enim Gangrænæ proprium est, quamprimùm labem communicare partibus sibi vicinis, & hoc quidem brevi. Dicitur & aliis ignis S. Antonii, ignis Persicus, Esthiomenus. Germanis vocatur *der heisse Brand*, meliori jure dici potest, *die ansangende Ersterbung*. Describi potest, quòd sit alicujus partis incipiens, & imperfecta mortificatio, à pluribus causis obstruentibus oborta, hinc à nobis Gangræna incipiens mortificatio succorum nominari solet, sive principium ad perfectam corruptionem sanguinis & succorum.

Sphacelus. *Sphacelus* à Græco nomine σφάκελος, ἀπὸ τοῦ σφάζειν, à jugulando, enecando, dicitur, quia affectus hic partes corporis humani viventes, modò semel in iis radices egerit, enecat: ab aliis dicitur σφακελισμός, item Esthiomenos, Necrosis, Latinis autem sideratio, i. e. sideris perculsio, mortificatio, corruptio, putrefactio, plerumque tamen retento Græcorum nomine appellatur Sphacelus, Veteribus Ignis S. Antonii vel Marcelli vocatus fuit. Germanis nostris audit & impropriè *der Kalte Brand*, meliori verò jure *die vollzogene Ersterbung*, sive perfecta mortificatio. Sphacelus describi potest, quòd sit succorum & solidarum partium humani corporis corruptio ac mortificatio plenaria, ab obstructione tubulorum omnium orta. Sphacelus enim est mortificatio & corruptio ipsa, quæ nil aliud est, quàm secessio succorum, quòd succi ita confusè inter se commoveantur, ut nunquam iterum ad pristinam suam mixturam redigi possint; sic & textura vasorum simul est dissoluta & rupta.

Pars affecta. §. 2. De *Subjecto* Gangrænæ ac Sphaceli disceptatur inter Medicos ac Chirurgos; sunt, qui cum Galeno suo Angelo (anagramm.) Gangrænam in carnosis, Sphacelum autem in spermaticis partibus residere statuunt: alii mortificationem & corruptionem in carnosis partibus Gangrænam vel Sphacelum, in ossibus verò exesionem seu erosionem vel *cariem* vocari existimant. Sphacelum verò nostro judicio esse tam carnosarum, quàm ossearum partium corruptionem, mortificationemque, quis inficias ibit? Omnes partes corporis humani, tum internas, tum externas, Gangræna ac Sphacelo affici posse, præter experientiam quotidianam compluribus & innumeris Practicorum observationibus patet: sic uterum, pudendum muliebre, scrotum, brachium, à pulvere pyrio exploso, pollicem, faciem, pedem, tibiam, perinæum, anum sphacelata egomet observavi. Sic nec ab eo insontia sunt viscera, imprimis intestina, uti in dysenteria, sæpius sphacelata reperi, quo intestinorum Sphacelo Princeps quidam Hassiæ, eheu! defunctus est. In gingivis & labiis vidi nuper in infante 3. annor. varioloso Sphacelum. *Dodonæus* vidit puerum 6. annorum, cui Sphacelus brachia, pedes, nares & aures occupavit, ita ut puer mutilatis ac amissis membris perierit. Cerebrum quoque Sphacelo affectum nuper in milite observavi. Nec cor immune, sed sideratum & escharoticum in peste interempto inventum tradit *Helmont. & Th. Barthol.* Aliorum viscerum *Sphacelos* notarunt Auctores.

Et Nos hinc concludimus, omnes partes corporis, imprimis verò solidas subjectum Sphaceli esse. In Gangræna verò sæpè sanguis cum succis tantùm absque solidarum partium læsione afficitur, ceu experientia constat, quòd unico applicato remedio omnia iterum restituantur.

Sic in Gangræna ac Sphacelo non tantùm quæcunque vasa corporis nostri, sed etiam tendines & ligamenta mortificantur. Hìc asterisco notandum, prout Gangræna ac Sphacelus utplurimùm membranosas carnosasque occupant partes, ita si glandulosæ attingantur, Cancer; si ossa, vocatur affectus *Caries*. Observa-

servamus autem toto die, partes illas, quæ paucis gaudent nervis, aut etiam à corde sunt remotiores, h. e. quæ sufficientem accipere nequeunt sanguinis ac succorum influxum, potissimùm dicto affici malo, unde quoque inferiorem corporis humani præ superiore vulgò invadi Gangræna conspicimus, quia scilicet in illa reliquis paribus crassior adeoque minùs mobilis continetur sanguis ac succus, quàm quidem in superiori, uti evidentissimè ex legibus motus sequitur mechanicis.

Diagnosis.

§. 3. Nunc paucis attingamus Diagnosin. Gangrænæ ex inflammatione indicium est, cùm color ab initio flavus apparet, mox ingravescente malo cum diris & immanissimis cruciatibus abit in fuscum & livescentem colorem, & simul exoriuntur pustulæ grandiores ichore loturæ carnium simili refertæ, multò autem remissior calor, dolor ac pulsus insequitur, quàm qui cum inflammatione præcessit, & quæ pars ad mortificationem tendit.

Tumor quoque, qui antea extensus est, nunc collabascere incipit, & relinquit eum attingendo foveam instar œdematis. Si à frigore oritur Gangræna, tunc adest, (qui tamen brevi mitescit,) dolor pungens, pars fit livida, & locus evadit instar glaciei frigidissimæ, reliquaque jam dicta signa quoque partim apparent; ab hydrope, ab initio dolores sunt mediocres, si verò pars ad mortificationem tendat, dolores ingravescunt, pulsus cessat, vel fit minor, parsque livescere incipit & insensibilis redditur.

Si à defectu succi nutritii affectus noster producatur, ab initio nec dolor, nec tumor, ne inflammatio adsunt, pars verò redditur frigida ac torpida, & affectus hic observatur utplurimum in externis artubus, manibus scilicet, pedibus, naribus vel auribus, & sæpe affectus hic absque dolore ad perfectam mortificationem transit.

Si à constrictione, ligatura fortiori affectus hic exortus fuerit, ex duritie partis, tumore, doloribus intensis & inflammatione, vesiculis aqua repletis, & nigrore seu livore partis, cognoscitur, membrum fit grave & immobile, pars cum vaporibus intumescit, & ipsa cutis à carne discedit: si incidatur, nihil præter vaporem cum pauca lymphæ quantitate effluit.

Si à morsu venenatorum cum ulcere, vel ab ictu, statim insequuntur febres malignæ, cum deliquiis animi, vomitibus & deliriis aliisque pestiferis morbis solennibus signis.

...ca Sphaceli.

Signa verò Sphaceli Diagnostica quod concernit, cognoscitur ratione temporis incipiens Sphacelus, si caloris, ruboris, doloris, pulsionis & tensionis accidentia sunt intensiora, quàm in suppurationibus esse solent: perfecti Sphaceli signa sunt, cum pars liveat aut nigrescat, tumida, mollis & cadaverosa appareat, idque sine ullo arteriarum pulsu, nec dolor adsit, nec sensus ullus, ut etiam sine sensu doloris altè scalpellum adigi possit; si enim pars ità laborans secetur, pungatur vel aduratur, ut non prorsus sentiat æger, ac simul exsucca omnia existant, Sphacelus dici potest, si verò adhuc sentit, dicitur Gangręna. Observamus etiam in Sphacelo, quòd si digitus imprimatur, non facilè decedat in profundum, nec posteà resiliat & relevetur, nec foveam relinquit. Abscendit quoque à subjacente carne cutis, & fœtidum tamque acrem emittit halitum atque ichorem, quem adstantes vix ferrè valent. Febris adest maligna in summo gradu, ac in ipsa peste.

...iologia Gangrænæ ac Sphaceli ...undùm ...enicos

§. 4. Æthiologiam *Gangrænæ* ac *Sphaceli Galenici* hoc modo peragunt. Appellant Gangrænam alicujus partis ob inflammationis, qua conflictatur, magnitudinem, mortificationem, non quæ jam confirmata sit, sed quæ etiamnum fiat: nam quum jam pars emortua est, ipsis Sideratio, & Sphacelus Græcis, affectus nominatur, quem Gangrænæ terminum dicunt, hanc esse partis corruptionem in fieri dicunt, illam verò in facto esse. Corrumpi autem partem statuunt, quando calor ejus nativus exstinguitur à valida quadam intemperie, aut à nimio frigore, sive ab hyemali tempestate, sive à medicamentis nimiùm refrigerantibus; ut in summis inflammationibus. Fieri etiam dicunt à nimio calore externo, qui nativa consumpta humiditate, nativum calorem, subjecto carentem, dissipat & exstinguit; id facere ajunt summam inflammationem, & medicamenta frigida in Erysipelate, Sclopetorum, vel maximè venenatorum ictus, vulnera item ob intemperiem calidam, qua partes eliquantur & nativo suo calore destituuntur. Fieri quoque Gangrænam censent à morsu venenati animalis, à crisi, facta nempe humorum pravorum in partem aliquam translatione, ab arteriotomia & aneurismate, à marasmo, à luxationibus, vehementibus ligaturis, compressionibus, contusionibus, & pororum constipationibus, quibus secundùm eos naturalis calor suffocatur.

Sphacelum tàm mollium, quàm durarum partium, mortificationem statuunt perfectam, & cùm pars sensum amiserit, non ampliùs Gangrænam, sed σφάκελον appellant. Hunc Affectum etiam ossibus accidere putant, quum circumsita caro vitiatos humores saniosos generans his perrigaverit illa ac putrefecerit.

Causa Gangrænæ ac Sphaceli secundum Paracelsum.

§. 5. *Paracelsus* partibus *Gangrænam* inferri arguit, si à natura Narcotica stupor quidam fuerit inductus abolito sensu, & tum calor præternaturalis supervenerit, abs quo ignis hujusmodi accenditur, hinc Author Gangrænam Anodynam quandam vocat ustionem inde ortam. Itaque plures ignis Persici species constituit, nam alium comparat lignario igni, alium montano seu Æthnæo, tertium salis Nitri, alium Resinæ, &c.

Alibi Author etiam Persicum ignem dicit Sulphureum corpus accensum, quod ex suo transformatum est Iliado, cum omnibus speciebus sulphuris, & est calx sicca & calx viva liquida, quæ suam accensionem à liquido sale recipit. Postmodum urit, consumitque membrum penitus, uti calx cadaver aliquod. Trium priorum transformationem mortalem efficere consumptionem ait, cùm proprium & innatum in ipso calidum sit elementum occultum.

Sphacelum partibus inferri ait, quando calor ejus à salibus penitus sit absumptus, ita ut melior pars membri penitus destruatur.

Helmontium.

§. 6. *Helmontius Gangrænam* parti alicui inferri dicit à sale quodam corrosivo, degenerante, ex lege, & à vitali Republica proscripto, abs quo ingens in parte producatur calor, eandem adurens, gangrænans, & instar gliris subinde carnes erodens, Gangræna quoque secundùm Authorem totaliter mortificat. Hinc & sæpè ejus causam deducit à spiritu vitali alcalisato; nam ad transmutationis tam peregrinæ & exoticæ (à peregrina sc. & exotica imagine productæ,) rabiem, quicquid est vitale in ipsamet solida partium substantia, id totum excandescente principio vitali irato, ac succenso, accenditur, variosque morbos (qui in Gangræna ac igne Persico,) partit.

Ab eodem terrefacti & in rabiem succensi Archei initio contingere ait, nunc in stomacho, nunc in pelle, tum etiam subinde in ipsamet solida Similarium, unde lethales deducit Sphacelos, atque Escharas contingere vult pro diversitate partium, ad aquas Archeus furibundus ac terrore plenus divertit.

Causa Gangrænæ & Sphaceli secundùm Uvillisium.

§. 7. *Uvillisius* opinatur, Gangrænam exoriri à cruore ob nimiam vel visciditatem vel crassitiem tardiùs circulante, & in laxiore quadam parte stagnante, atque à succo nerveo similibus vitiis affecto in fibris, per quos fluit, restitante, sanguis enim in aliqua parte cæspitans citò exardescit, ac ebullit, volatilioresque illius particulæ mox evehuntur, ipsumque vehementiùs commovent. Sed quum prę tenuitate sua per poros viam sibi parent, brevi evaporantur, dominiumque cedunt salinis particulis, quæ nec à spiritibus, nec à tenuioribus sulphuribus contemperatę fluoris statum assequuntur, & acrimonia sua partis substantiam destruunt, spiritus verò animales glutinosiori crassiorive vehiculo fibras nerveas obstruenti involuti, partes, ad quas tendebant, attingere nequeunt, vel pauci tantùm ad illam perveniunt, quo fit ut nulla vel exigua solummodo contingat solutionis contigui in parte facta perceptio.

Sphacelo partem quandam affligi autumat Celeberrimus Author noster, quando scilicet succi extravasati visci-

viſciditate aut craſſitie donati tantam adepti ſunt acrimoniam, prorſus diſſipatis vel oppreſſis, aut narcoſi affectis ſpiritibus animalibus, ut partis, in qua reſident, ſubſtantiam penitus deſtruant ac diſperdant abſque ulla doloris ſenſatione, tum enim liquor ille ſtagnans ſpiſſior exiſtens, & fibras nerveas comprimens, ſpirituum animalium ſenſus uti & motus miniſtrorum ad partem acceſſum impedit. Liquor etiam nerveus ſumma tum temporis pollens craſſitie aut viſciditate, ſurculorum nerveorum tubulis inhærens, viam ſpiritibus ex cerebro defluentibus omninò præcludit, partique omnimodum cum cerebro commercium impedit. Livor autem accidit ex ampliatis ab humore corrodente fibrarum interſtitiis, à quibus lucis radii abſorbentur.

Sylvii opinio de cauſa Gangrænæ & Sphaceli.

§. 8. *Sylvius* ab acido acri cutem ac carnem corrumpente *Gangrænam* oboriri docet, & quidem ſæpe corruptionem hanc tantam eſſe dicit, ut pars colorem rubeum aut ſubpurpureum nanciſcatur, talem tamen, ut ad integritatem redire poſſit pars affecta; quam primùm autem cutis vel caro ad nigredinem pervenit, conclamatum eſſe ait, atque tanquam extremè corruptam emortuamque cutem aut carnem conſiderat, unde *Sphacelus* ortum ſuum habet.

Carteſianorum judiciũ de cauſa Gangrænæ.

§. 9. *Carteſiani* ad ſuccorum cum ſanguine per tubulos partis alicujus prohibitum transfluxum, & omnimodam illorum in ea coagulationem in *Gangrænæ* cauſa proxima conſtituenda confugiunt. Obſtructionem enim adeſſe dicunt vehementiorem & contumaciorem tubulorum & canaliculorum per partem diſtributorum, ut ipſa illa pars nullum nanciſcatur nutrimentum, vel non ſufficiens, cùm per obturatos canales occluſaſque arterias ſucci & ſanguis perfluere nequeat, ſed hic in fluore ſuo impeditus ſubſiſtat, coaguletur & mora ſua reliquo ſanguini transfluxum impediat, ut hic ſimiliter ob tranſitum denegatum ſubſiſtere & coagulari, cogatur, unde interdum non una duntaxat pars, ſed totum corpus ſubitaneè emoriatur. Hanc autem ſuccorum coagulationem & vaſorum obſtructionem originem quandoque ſumere docent à frigore externo validiſſimo, abs quo motui ſuccorum obſiſtente lympha primùm, tum ſanguis ipſe à circulatione ad quietem cogatur & coagulationem, particulæ verò ſuccorum ſtagnantium poroſæ & angulares mucronatæ à materia ſubtili ſuſcitatæ, in ſe invicem impetuoſiùs agentes, fibras vicinas membranoſas & muſculoſas dirumpant, diſcindant & partes ita deſtruant. A remediis nimiùm adſtringentibus & frigidis, tumoribus calidis ſive inflammationibus importunè appoſitis, ſuccorum tranſitu impediri & ſtagnationem promoveri recenſent, uti à combuſtione, rebus erodentibus, morſu animalium venenatorum, contuſione & abſciſſione vaſa & partes diffrigantur, erodantur, & deſtruantur, ut tubulis ita vaſiſque deſtructis vel compreſſis nulli ulteriùs ſucci ad partem devehantur, inſuper ſucci à venenis aut ſalibus ſcorbuticis coagulati ad fluorem reddantur inepti. Defectu neceſſarii alimenti ſanguinem etiam & ſuccos interdum inſpiſſari & corrumpi norunt, ut partibus conveniens detrahatur nutrimentum, ſuaque priventur vitalitate.

Sphaceli.

Quamdiu coagulatio iſta ſuccorum in vaſis adhuc incipiat, & motus inteſtinus particularum etiamnum in ſuccis adſit poroſiorum & angularium vehementior, ut pars cum tumore valde incaleſcat & rubeat, ſubtiliores verò & volatiliores eorum particulæ avolare pergant, relictis ſolummodò craſſioribus obſtructioni inducendæ aptis, Gangræna partem laborare fatentur, ſed conſumptis tandem particulis iſtis lymphæ, ſanguinis & liquoris nervoſi volatilioribus, & ſuccis iſtis totaliter coagulatis, ut circulatio in parte omnimodò prohibeatur, pars ipſa colore plumbeo aut atro obducatur, & fœtore inficiatur, ipſum *Sphacelum* adeſſe dicunt, necroſin ſive lethalem partis extinctionem; cujus corruptio partes vicinas facilè inficiat, quandoquidem lympha in proximis vaſis, & ſanguis in vicinis arteriis in fluore & tranſitu ſuo impediti ſubſiſtere cogantur, qui dein ſucci ſtagnantes aliis affluentibus obicem ponant, uſquè dum omnes in univerſo corpore ſucci coagulentur, & mors totalis ſubſequatur, niſi pars emortua in tempore amputetur, & totali iſti ſuccorum coagulationi prohibendæ ſtudioſè proſpiciatur.

Noſtra ſententia de cauſa Gangrænæ.

§. 10. Enimverò *Nos* exiſtimamus, *Grangænam* incipientem in totali ferè omnium tubulorum & pororum conſiſtere obſtructione uſque adeò pertinaci, ut non ampliùs ſanguis ac ſucci, ſed ſubtilis ſaltem horum ſuccorum vapor ad partem Gangrænoſam perveniat, qui paucos illos ſuccos ibi adhuc exiſtentes commovet, turbat, acriores magiſque corroſivos reddit, hinc fibræ nerveæ penitus abſcinduntur, quo ipſo pars magis obſtruitur, & omni motu ac cenſu deſtituitur, atque ob denegatam nutritionem livorem induit. Sic Gangræna ſepè ab inflammatione in corpore cacochymico vel ſcorbutico oborta natales ſuos habet, vel ab applicatis incongruis remediis aſtringentibus, repellentibus nempe, aut refrigerantibus & emplaſticis, vel poros obſtruentibus, quæ omninò circularem ſanguinis curſum ac ſuccorum impediunt, ipſos ſuccos inſpiſſant ac coagulant, poroſque obſtruunt. Si enim inflammationibus imponuntur adſtringentia, ſucci ab his quaſi incarcerantur, ut coagulari & inſpiſſari debeant, & cùm inde fixatæ particulæ in tenellulis vaſis hæreant eoſque obturent, neceſſariò impediunt circulationem reliquorum ſuccorum, ut ſanguinis, lymphæ & ſucci nervoſi, è quibus dein partes emori quaſi coguntur, ſi ipſis congruis remediis haud propediem auxilium afferatur, & exulent remedia repellentia dicta, per iſta enim medicamenta impoſita, v. g. bolum cum album. ovor. pori cutis obſtruuntur, ac ſic particulæ heterogeneæ eliminari nequeunt, atque impeditur, ne materia cæleſtis influere & obſtructionem queat reſerare. A frigore intenſo oritur ſæpe Gangræna, quoniam frigus ſuccos facili marte coagulat, imprimis lympham & ſanguinem, qui ſucci ſtagnantes ſæpe totum membrum in putrefactionem ac fætidam corruptionem præcipitant, hinc à pernionibus ex frigore obortis Gangrænam obſervavimus ſæpiſſimè. Notandum hìc, quòd Gangrænam utplurimùm extrema artuum, ut digitos pedum vel manuum occupare ſolet, ceu plura novimus exempla, quia his in partibus adſunt pauca vaſa ſanguifera, & conſequenter paucus ſanguis ad calefaciendum, & preſſio ſanguinis hìc mitior eſt, quàm in aliis partibus; ſic & impetus ſanguinis in has partes ceſſare incipit, & irradiatio ſpirituum minor eſt, & in partibus hiſce maximæ tunc ſunt obſtructiones. Ab hydrope ſæpiſſimè oritur *Gangræna* ac *Sphacelus*, à quibus præ aliis inferiores partes hydropicorum affici ſolent, quoniam hæ per longum temporis ſpatium ab abundantia aquæ fuerint diſtentæ, ſicque compreſſæ, à qua compreſſione tubulorum, imò ab eorum ex ſione & corroſione facilè affectus hic oboriri ſolet, lympha enim in hydropicis corroſiva acriſque exiſtit, & hoc in caſu adſunt magnæ obſtructiones in tubulis, pauci enim adſunt ſpiritus, inſtar fulminis aliàs influere ſoliti, & calor minor, quia nulla ampliùs circulatio ſuccorum in his partibus fit: à defectu ſucci nutritii ſeu chyloſi, excitatur ſæpè hic noſter affectus, cùm enim omnes canaliculi obturati, vel abſciſſi, vel nimis compreſſi fuerint, ut pars nullum amplius nutrimentum accipiat, non poteſt non fieri, quin pars iſta emarceſcat ac emoriatur, hinc affetus hic obſervatur in debilibus macris & emaciatis ſæpe ſubjectis.

Quandoquidem affectus hic noſter producitur à nimis forti ligatura in fractura oſſis, vel ob aliam cauſam inſtituta, imprimis ſi ſimul parti affectæ à Balneatore alioque Empirico aſtringentia & repellentia, ſeu refrigerantia ac poros obſtruentia medicamenta malè applicata fuerint, quæ ſæpe in hunc finem apponere ſolent (ut peſſimè ratiocinantur,) ne affluxus fiat humorum ad partem affectam, & hinc uti ſolent bolo Armeno, alb. ov. & aliis frigidè applicatis obſtruentibus. Rara eſt ſequens obſervatio, quam Celeberrimus *Vvaldſchimidius* noſter notavit: Chirurgus quidam ſeptuagenario major veſicatorium in tarſo pedis applicuit, ſubſecuta eſt ſtatim Gangræna quę in Sphace-

lum

lum degeneravit, tandem turbato à pestilenti hoc acore sanguine totius, profundior accessit somnus, quem elapsis aliquot diebus ipsa mors excepit. Causa funesti hujus experimenti fuit lymphæ defectus, quæ spicula cantharidum aliàs demulcere solet, hæc autem magis sic sui juris facta fibras nervosas amputarunt, quæ in cincinnos retroactæ angustationem pororum, partium vicinarum compressionem, & succorum in tali senectute, jamdum vi corrosiva contaminatorum restagnationem crearunt. A Fractura Tibiæ in senibus facilè observatur Gangræna, quod fit à nimia ecchymosi sive compressione sive à defectu spirituum, quale quid hodie observavimus in Aulæmagistra nostra.

Affectus hic à morsu venenatorum animalium, imò canum rabidorum oboritur, ceu non ità pridem exemplum hac in civitate contigit, ubi fœmina rustica à cane rabido fuit morsa, à quo morsu Gangræna & Sphacelus illicò oboriebantur in tibia, quam licet Chirurgus serra amputaverat, attamen altero die ad plures abiit: & à fermento venenatorum animalium acido, salivæ inexistenti, dentibus sanguini communicato oritur, à quo massa sanguinea corrumpitur, hinc oriuntur febres, deliquia, deliria, quæ maximam perturbationem sanguinis denotant. A dentibus quoque franguntur vasa lymphatica ac sanguinea, ex quibus succi effluunt, hinc comprimuntur reliqua vasa nervea, à qua compressione spiritibus influxus denegatur, hinc affectus hi oboriri solent. A combustione Gangræna sæpe produci solet, ceu ætate decrepita in milite observavimus, cujus brachium à tormento bellico Uveisensteinii solo pulvere pyrio fuit combustum, quamvis propediem congrua adhibita fuerint remedia, nihil potuit effici, quoniam à pulveris pyrii igne, nervi, vasa sanguifera ac lymphatica omnesque tubuli fuerint corrosa, abscissa ac rupta, ut per ea planè nulli succi ampliùs ad partem, brachium nempe, fluere potuerint, hinc brachium cadaverisatum fuit, quod tandem serra amputatum fuit, secundò verò ab operatione die placidè defunctus est æger. Tempus enim amputationis ritè observandum est, aliàs si jam sanguis fuerit infectus, frustra institues crudelem hanc operationem.

Affectus hic etiam producitur à maxima confusione succorum in hac vel illa parte existentium, & item à contusionibus, abscissionibus vasorum, anthracibus seu carbunculis, præsertim à scorbuto contumaci & maligno, circa gingivas aliasque oris partes præcipuè in infantibus, ceu nuper observavi in variolis puero defuncto, qui etiam affectus Batavorum infantibus solemnis esse solet, & ipsius dicitur *deer Uvaater Kreeft*. Tandem ut ritè intelligatur, quo modo in Gangræna calor imminuatur, sequentia perpendenda sunt. 1. Tubuli obstructi à tergo venientibus succis ita premuntur ut rumpantur, quibus ruptis, succi evasantur & fermentatio nulla ampliùs in iis observatur, stagnantes enim aquæ efficiunt paludes fœtidas, hinc pars necessariò corrumpi debet, similique modo, ac videmus in plantis, quæ reservandi gratia prelo premuntur, dein chartæ agglutinantur ad illas exsiccandas pro herbario vivo, primo eas prelo subjungimus, quòd si parum premantur, colorem viridem retinent, si verò à prelo vel pondere nimis magno fortiùs premantur, & quasi lacerentur, tunc statim nigrescere solent herbæ sive frutices quia sic succi una vice, & cum impetu exprimuntur.

Affectus hic quoque facilè à scorbuto producitur, item in infantibus in ore sæpe oritur Sphacelus, quia in his textura vasorum est flaccidior, & eorum sanguis nimis fermentans est, sed & crassior, imprimis quando à scorbuticis parentibus nati sunt. Sic & ore saliva separatur, quæ si existat ex sale & acido aliisque corrosivis particulis, facilè causam huic affectui dare possunt. Quòd verò in Gangræna pars inflammata & rubore prædita in lividum transeat, ratio hæc est, quòd ob obstructionem nimiam succi in partem affectam influere nequeant, hinc reliquæ particulæ confusio & inordinata commixtio inspissatorum & coagulatorum succorum itidem oritur ab obstructione.

Dein ab heterogenea mixtura succorum oritur sæpe corruptio, quia facilè à corruptione reliqui succi corrumpuntur, pari modo, ac videmus, quòd pomum putridum aliud pomum sibi vicinum eodem imbuat charactere. Sanguis evasatus stagnansque colorem vel rubicundum, vel cœruleum, vel sublividum refert, prout videmus in contusione aliisque coagulationibus sanguinis, pustulæ verò, in quibus sæpe aqua subrubicunda, vel aliquando flava continetur, oriuntur ex eo, quoniam succi acres & cutis tubulos, & per consequens vasa lymphatica & minutissima vasa sanguifera perfregerint, ex quibus vasis distentis & necessariò ipsis ruptis liquor intus contentus effluere debet. Quod verò pars flaccescere incipiat, ratio est, quia spirit. animales aliique succi, imprimis ob obstructionem factam, influere, & ità partes distendere nequeunt, hinc privatæ partes his liquoribus talem colorem exhibent, dolor verò & sensus pereunt, quia nervi comprimuntur non tantum, sed & rumpuntur, & per consequens spiritibus animalibus influxus denegatur, quo denegato fibræ non irritantur, sicque neque dolor, neque sensus percipi solent.

In incipiente *Sphacelo* pars redditur sublivida & frigidissima: ratio est hæc, quòd ab obstructione nervorum & denegato spirituum influxu, acidum & alcali in succis non amplius commoventur, hinc nullus motus intestinus seu fermentatio oritur, omnia enim hoc in casu comprimuntur & effringuntur. Ex hisce ergò omnibus abunde patet, partes tunc Gangræna affici, cùm ipsarum tubuli ita sunt obstructi, ut paucissimus sit sanguinis & succorum in illos influxus, aut per illos transcursus, seu circulatio. Dicimus, paucissimum in Gangræna esse influxum, ad differentiam scilicet indicandam, quæ circiter illam & Sphacelum, in quo nullus planè adest sanguinis & succorum reliquorum influxus: nam in Gangræna relicti adhuc sunt tubuli quidam aperti, in quos spiritus & succi aliquatenus possunt influere, hinc quoque vita illius partis ad breve aliquod conservatur tempus, nec tàm difficilis hæc est curatu, quàm Sphacelus.

Causa sphaceli. Sic Gangræna ac *Sphacelus* tantùm gradibus differunt, eandem enim ferè, ceu dictum, agnoscunt causam, in Sphacelo verò omnia deteriora sunt. Nostro judicio tubuli ferè omnes, in quibus circulatio succorum fit, disrupti, corrosi & fracti sunt, imò sanguis reliquique succi adeò corrupti existunt, ut nullus motus intestinus, nullaque fermentatio ampliùs inter ipsas fieri possit, imò sæpe induunt indolem Mercurii sublimati corrosivi, omnia erodentis, nil ergo nisi corruptio & mortificatio inde speranda, omnia redduntur cadaverosa, & vitæ expertia, in Gangræna verò adhuc paucissimi tubuli aperti sunt, per quos succi aliquantulum influere possunt. Cùm verò tubuli omnes sunt disrupti, nullus succus in istis circulari potest, his enim salvis facilè fermentatio in succis his excitari potest, novi enim liquorem, qui si in membrum, brachium sc. vel demortui alicujus arteriam infundatur, partem illam reviviscere dices, prout sæpius in demortuis hunc effectum observavi. Sphacelum ergò gigni dicimus, quando in parte quadam adest totalis tubulorum obstructio. Videamus nunc paucis obstructionis hujus causam, crassi enim & acidi corrosivi succi, dum motum suum per partium tubulos persolvere nequeunt, ibidem hærendo obstructiones multas efficiunt, & interea ibidem continuò cum spiculis istis scindentibus partium fibras solvunt, adeoque efficiunt, ut in cincinnos veluti chordæ tensæ resiliant, unde tubuli totaliter præcludantur, majorque evadat obstructio, ex qua quoque fibrarum solutione resultat ille in Sphacelo tam hebetus sensus, ut profunda fieri possit in parte affecta incisio sive scarificatio ullo sine sensu, motus enim fibrillis partium communicatus ad sensorium commune perferri ob ipsarum fluiditatem nequit.

Remotiores causæ possunt esse res extraordinariæ plures, & inter quas referunt temperamentum, quod magni est roboris, hinc pueri, senes, mulieres faciliùs huic affectui obnoxii sunt, quia in his spirituum reliquorumque succorum circulatio est tardior: Sic novi mulierem lactantem Sphacelo in fascie labo-

laborantem infantem eodem contagio infecisse. Inter alias nos ambientes res tanquam causas primò se offert aer, qui docente *Hippocrate*, ut mortalibus est causa vitæ, ità & morborum & sæpè mortis: imprimis aer frigidissimus multum ad hunc affectum excitandum contribuere potest, in istis enim regionibus, ubi frigus semper prædominatur intensissimum, ut Islandia, Lappia, Gronlandia, Norvegia, &c. plures auribus, naribus & digitis orbari asseritur: sic & nocet aer nimis calidus, novimus enim, quòd decrepita æstate, diebus sc. canicularibus, tres vel quatuor fuerint Sphacelo afflicti & omnes mortui, quamvis membra fuerint amputata. Sic & alimenta frigida, crassa, acida, corrosiva suum symbolum addere possunt, & potus corruptus, aquæ paludosæ; huc referri possunt medicamenta incautiùs usurpata, vel nimis refrigerantia vulgo ita dicta seu repellentia, sic & *Tagault. Instit. Chirurg. lib. 1. c. 7.* jam dixit, Sphacelum aliquando contingere ab immoderata & inconsultè ac temerè molita inflammationum refrigeratione: à narcoticis & venenis citissimè Sphacelus oboritur. Motus nimius ob dissipationem spirituum animalium ansam dare potest, imprimis verò animi perturbationes fomites quoque Sphaceli esse possunt, ceu constat *Obs. Rolfincii in Ord. & Method. Med. Spec. l. 2. c. 105.* Nobilis vir. 50. annorum territus in solitudine umbra corporis sui, lunaribus radiis expositi existimans se videre spectrum, sentit levem rigorem, calorem circa scrotum, inflammatio sequitur, quam illico excipit Gangræna.

Evacuationibus & retentis etiam quandoque adscribenda culpa, ut sunt hæmorrhagiæ magnæ; hæmorrhoidum ac lochiorum mensiumque fluxus immodicus ac retentus, sanguis enim ita retentus & stagnans ulcera ac necrosin inducere apta sunt, ut docent monumenta Medicorum: ex urinæ suppressione Sphacelum procreatum in suo filio observavit *Hildanus*. Referri ad excreta potest spurcities illa, quam Chirurgi in ulceribus putridis relinquunt, vel etiam immunditíes corrosiva, quam ægroti sæpe in corporibus suis minimè curant.

Ex causarum reliquarum censu sunt, ceu superius jam dictum, scorbuticum miasma, quod sæpius fomitem subministrat; item inflammatio, quam sæpius Sphacelus excipit. Ex anthrace & carbunculo Sphacelum provenisse, *Paræus lib. 11. cap. 2. Observ.* dicit. In phthisi, hydrope, febribus, variolis & morbillis, passione Iliaca, à partu laborioso, à vena incautius secta, in fracturis quoque & luxationibus, ulceribus, vulneribus, item nervorum læsionibus, & aliis plurimis morbis huic affectu, fores aperiri quotidie observamus. *Hildanus* in Podagrico septuagenario Gangrænam vidit. *Borellus Observ. 82. Cent. 1.* meminit Sphaceli & mortis subsecutæ clavum pedis resectum. Præterea *Observ. 7. c. 3.* narrat, in nobili quadam matrona digitum fuisse amputatum ob Gangrænam ab aciculæ punctura productam. Ex fortiori constrictione fasciarum in fractis membris quotidie observatur Gangræna ac Sphacelus. *Hildanus* rectè in immoderatum usum adstringentium, quæ Practicis defensiva malè dicuntur, Sphaceli causam sæpe rejiciendam esse censet. In contusionibus non infrequenter Sphacelo partes affici, observationes abundè testantur, rationem puto hanc esse, quòd cùm sanguis vel extravasatur, & copiosius ad partes transmissus ob lacerationem venularum circulari sive egredi non possit, mora sua alteretur, corrumpatur, inflammationem putredinemque producat, imò ipsum Sphacelum.

In febribus materia obstruente ad exteriores & plerumque inferiores partes depulsa ibidemque stagnante, Sphacelum produci lippis & tonsoribus notum est. Exemplum hujus sistit *Tulpius Obs. Med. L. 3. c. 48.* nam mulieri cuidam à febre ardente impensè extorrefactæ, effudit se tanto impetu pestifer morbi humor in brachium sinistrum, ut facto initio in commissura humeri, præcipitaretur una nocte in immedicabilem Sphacelum usque ad extremos digitorum apices. Sic prope Limburgum in pago Pastorem quendam 50. annor. post febrem malignam & petechialem Sphacelo sinistræ tibiæ usque ad genu correptum fuisse observavi, qui sphacelatus pes etiam in præsentia mea ab experto Chirurgo Limburgensi *Dn. Bir Keenbutel* amputatus, ægerque sanitati restitutus ligneum sibi adaptavit pedem, & sic cathedram adscendit & concionatur. Plura alia restant Sphacelum facili negotio inferre valentia, quæ ex *Ephem. Germ.* allisque Auctoribus peti possunt.

Prognosis.

§. 11. Commemoratis causis Gangrænæ ac Sphaceli, methodus jubet subnectere *Prognosin*, & cùm tanta sit atrocitas hujus mali & malignitas, ut nisi ocyssimè suppetiæ ferantur, pars interitura, imò mortificationis suæ contagio vicinas partes comprehensura sit, insuper Chirurgus nonnunquam desperato jam penitus malo demum vocatur, instituta exquisita Prognosi merito sibi prospiciat, ne incautè se suamque artem prostituat, est enim juxta *Celsum*, prudentis Medici, ubi gravis metus est in morbis, indicare necessariis periclitantis in difficili rem esse, ut si victa ars malo fuerit, vel ignorasse vel fefellisse non videatur, vel si mori contingat laborantem, Medicus occidisse credatur, quem sors dira peremit. Tria autem Medicus vel Chirurgus benè prædicturus considerabit, tempus morbi, vires patientis, & sedem affectam. Gangrænam ex quacunque causa profectam gravissimum morbum esse, nemo est, qui ignorat. Sunt tamen distincti gradus, quibus aliæ mitiores & curatu faciles aliæ perniciosiores & incurabiles existunt; ait enim *Celsus*, Gangrænam, si nondum planè obsideat & teneat partem, sed adhuc incipiat, curatu non difficillimam esse, præcipuè in corpore juvenili. Dicimus ergò recentem Gangrænam, & corruptionem superficiariam in cute & carne, haud tamen insigniter nervos, venas, tendines & solidiores partes occupantem, medelam suscipere atque curari posse, minime verò contrario modo se habentem, & in confirmatum Sphacelum degeneratam.

Partim laborantium, eorundemque dignitatis & situs respectu, Gangræna sanabilis vel immedicabilis prædicenda, sic partium internarum Gangrænæ, præsertim cerebri, hepatis, lienis, massæ sanguineæ, mesenterii, intestinorum, renum, &c. lethales semper sunt, externarum verò curationem admittunt; partes molles, laxæ, ut gingivæ, palatum, nares, aures, pudenda, osculum matricis, vix curationem admittunt; sic & hydropicorum tibiis & scroto quæ supervenit Gangræna, difficilis curatu est, quæ tamen ab initio congruentibus applicatis remediis arceri potest, prout sæpius id præstiti, & non ita pridem in viro sexagenario sartore hujus civitatis, *Prang.* dicto, hydropico, quamvis Gangræna aderat, attamen remediis idoneis ab ipso Sphacelo liberabatur, qui morti jam destinatus erat.

A causis externis quæ provenit, contusione, motu, ustione, fractura, vulnere, &c. sanabilior & minùs periculosa habetur ea, quæ ab internis proficiscitur causis sanguinem coagulantibus: sicuti & illa, quæ ex senili ætate, defectu alimenti & succi nutritii oboritur, raro sanabilis est. Summatim, ut paucis multa dicam, Gangrænæ omnes summo cum discrimine conjunctæ sunt, maximè verò, quæ cum humorum, uti dicunt, affluxu accidunt: & hìc asterisco notandum est, si pus album apparet, signum esse, quod Gangræna separanda sit, & inferiores partes affluxum succorum habeant, quia chylus inter emortuas & sanas partes effluit, & pus exhibet. Si Gangrænæ non statim occurratur, transit in Sphacelum, succi enim continuò magis magisque coagulantur, & sic mortificatio fit; in junioribus major affulget sanitatis spes, quia in his succi fluidiores sunt, in senibus frigidis verò ii facilè coagulantur.

Prognosis Sphaceli.

Sphacelus terminum suum absolutus difficulter curatur, unde Paulus tantæ, inquit, est ferocitatis, ut nisi quis rupta omni mora præsentissimas tulerit suppetias, laborans particula facilè emoriatur, vicinas sedes invadat, & hominem ipsum jugulet, itaque secundum *Ovidii* dictum,

Ense rescindendum, ne pars sincera trahatur.

Spha-

Sphacelus enim seu emortuum membrum nisi à sanis partibus tempestivè præcidatur, & amputetur, primùm proximas partes, dein totum corpus corrumpit putrescereque cogit, quæ sanguis perfluere nequit, sed stagnare cogitur, & hominem sub frigido sudore exstinguit, illud enim, quod in Sphacelo computruerit, veneni in modum suo contactu, quod adhuc sanum & integrum est, inficit corrumpitque, partes etiam molles, ut pudenda, os, uterum & anum, pejorem statum prænunciat. De duratione hujus morbi nil determinare licet, modò enim brevioris termini est, & intra paucas horas vitæ finem imponit, modò longius durat & ad unum alterumque diem protenditur: imò in Beato Dn. Brey Hanov. Præceptore ad 4. duravit septimanas Sphacelus pedis, antequam senem enecavit, tandem febre accedente extinctus est. Inter Chirurgos maxima lis adhuc hodie exsurgit, an membrum sc. sit amputandum? cùm sæpe plures sint, qui statuunt, membrum potuisse conservari idoneis remediis, & non statim ad amputationem transeundum esse: alii dicunt, si nimis tardè amputatur, ut sanguis jam fuerit corruptus, tunc amputatio non proderit, sed omnes ferè post eam moriuntur; ut ergò tempus bene attendas necesse est.

Ad salutem terminatur Sphacelus incipiens, si suppetiis à medicamentis generosis allatis omnia tolerabilia apparent, gravioraque symptomata evanescunt. Ad mortem verò tendit, si neque generosissimis medicamentis & auxiliis quid efficitur, sed symptomata ingravescunt, pars nigrescit, & cadaverosum spargit fœtorem, sudor frigidus à toto promanat corpore, & jactationibus, deliriis atque insomniis ac singultu æger defatigatur, vel syncope subsequitur, tunc enim cum horrore & tremore mors horrida cito pede insequitur.

§. 12. *Diæta* in his affectibus ità instituenda, ne illius sinister usus morbi causam gignat, medicamentorum vim impediat. Aer itaque sit purus, temperatus, serenus, non autem fuliginosus, nebulosus, frigidus ac nimis calidus, aut aliis inquinamentis infectus: si autem talis, corrigendus erit suffumigiis ex santal. citrin. lign. Juniper. aliisque aromaticis institutis. Eligantur cibi boni succi facilisque digestionis, facilè in succum & sanguinem abeuntes, commendantur aviculæ, ova, juscula caponum, gallinarum, vitentur contra omnia acida austera, salsa ac saccharata, sanguinem & succos nostros facilè coagulantia; corrumpentia & stagnationem obstructionemque producentia, quæ hic ceu pestis fugienda sunt. Potus sit potus Theæ vel Capheæ, vel alius calidus aromaticus, & succolata, vel cerevisia bene cocta ac herbis appropriatis correcta, vel vinum dulce Gallicum vel Hispanicum, vel aliud minus acidum. Potus exulet omnis frigidus. Hic potiùs Gallorum proverbium attendendum est: *li est sain boir, aussi chaud, que le Sang. est.*

Motus & quies, somnus & vigiliæ ut respondeant sibi invicem, summo studio annitendum, alterna enim requie quod caret durabile non est. Quantum noceant animi pathemata in his affectibus, superiùs notavimus, ideò rationis fræno sunt coercenda. Excretorum & retentorum, ut in omnibus, ità & in his affectibus maxima habenda est ratio. Alvus sit aperta, &, si officium suum denegat, suppositorio, clysterib. Tartareis cum oleo amygd. dulci solicitanda. Menses quoque, hæmorrhoides & urina ut legitimè evacuentur, omni studio prospiciendum.

Galenicorum curatio in Gangrana.

§. 13. *Veteres* in *Gangrænæ* curatione ità procedunt. Perfectè mortificatam partem celerrimè resecant, quo loco sanæ parti appropinquat: Gangrænam verò curant sanguinem quamplurimum ex parte affecta evacuando, quæ si fiat à magna inflammatione, poris scilicet constipatis, materiam, quæ non potest discuti, illicò evacuant, factis in membro profundis scarificationibus vel sectionibus, ut etiam ipsæ venæ sanguine plenæ exonerentur, animadvertunt tamen, ne nimia fiat sanguinis evacuatio. Alii scarificationum loco hirudines parti gangrænatæ applicant. Post sectionem, seu scarificationem factam, partem muria calida, vel etiam aceto, vel sale, vel lixivio in quo lupini sint cocti, abluunt. Farinam ervi, aut lolii aut fabarum cum aceto mulso: si verò vehementius adhibere velint, salem adjiciunt, aut pastillum Andronis, aut aliquem similem: ex. g.

℞. *Farinæ orobi, vel fabarum, vel sem. lolii* ℔ß.
Cum s. q. oxymelitis, F. cataplasma quod apponatur.

Vel

℞. *Mellis rosat. colat. unc.* IV.
Ungu. Ægyptiac. unc. ß.
Calc. viv. ℥iij.
M. & applica.

Commendant etiam *Galenici* Veteres nuces, urticam, & tithymali succum tempestivè & moderatè adhibitum; vel decoctum lupinorum amarorum affusum: quidem verò post sectionem, securitatis sectionis gratia, etiam cauterem adhibent, in quibus sale cum porri succo utuntur, postea autem ad crustam removendam, cataplasma ex pane, aut hordeacea aut triticea farina in aqua & oleo coctum imponunt, item capitalem siccum pulvillum cum melle applicant; tetrapharmaco etiam ac Macedonico appellato utendum esse ajunt. Probè verò separare dicunt crustas panem cum apio tritum, aut cum ocymo, aut iridem, aut panacem, aut aristolochiam, aut acorum cum melle, aut thus. Aufert etiam secundum eos crustas, Machærionis medicamentum, & Iris, melle excepta in linamentis, verùm in mollibus corporibus farina ervi sufficit cum melle.

Alii æruginis rasæ, minii, aluminis scissi singulorum æquales partes aqua tritas illinunt. Gangrænas circum scarificant imposita farina loliacea cum raphano & sale, quandoque etiam aceto, uva passa exemptis vinaceis cum cortice, addito sale & aceto mulso: nucum regiarum nucleum commendant, alii myrtifolia in vino cocta cum melle.

In Sphacelo partem mortificatam celerrimè resecandam volunt, quatenus attingit vicinam sanam, ita ut nihil prorsus putridi ac cariosi relinquatur; deinde locum inurunt, & postea sesamum cum melle, vel sicteriùs, vel farinam hordeaceam aqua & oleo subactam imponunt, sed & iris & panacis radices & aristolochiam ac ervum applicant, iisque crustas tollunt. singula cum melle miscenda esse contendunt. Item Machærionis emplastrum, & Iridem cum rosaceo & melle diluta adhibent. Ubi verò crustæ exciderint, curationem reliquis ulceribus communem adhibent.

Paracelsi curatio in Gangrana.

§. 14. *Paracelsus* ad Gangrænam curandam commendat Realgar sublimatum in aceto coctum, addito oleo majoranæ ut linimenti formam acquirat, item reletaria commendat medicamenta, ut sunt urtica, flammula; tum curativis eodem modo procedit, ut in ulceribus corrodentibus, approbatque emplastra ex resina abietis, visco consolidæ, pauco scammoniæ & succo chelidoniæ paratum. Gangrænam autem salnitrosam per solum Vitriolum resolutum curat. In curando igne hoc Persico imprimis rationem hanc tenet, quæ in exterioribus ignibus observari solet. Itaque ignem ex lignis suscitatum quàm facilè affusione simplicis aquæ exstinguant homines, at ea ipsa aqua non ita in igne Persico operari vult, itaque penitus Medico introspiciendum fore, ait, in aquæ essentiam, & dicit, eam nihil aliud esse, quàm alumen dulce, ex quo eruitur alumen ad restinctionem ignis Persici adhibendum: itaque quia *Sulphuris lacte* Æthnæ ignis juxta eum restinguitur, *illud ipsum* quoque ad ignem Persicum accomodari vult. Et cum Author plures specie ignis Persici constituat, hac ergò ratione in exstinguendo Sulphure Microcosmi progreditur, nec ulla alia compendia ex Medicinæ fontibus excogitari vult illis ipsis exceptis, quæ de Mineralibus annotavit. Præcisionem membrorum Author maximè improbat, atque omninò cum Medicina pugnare dicit ipse non ferra vel instrumento, sed subscripti emplastri usu emortuas partes ab integris separare solet.

℞. *Colofoniæ* ℔ iij.
Liquor. Myrrhæ ℥ vj.
Ex quatuor Gummis ℔ ß.
Fiat Emplastrum, quod ea parte applicetur, qua sanum emortuo contiguum est.

Verùm ubi os ex ustione nimiùm intumuisse constaret non præter rationem putat ipsum serra discindi, sed à sanis partibus sedulo cavendum & abstinendum ait. Hac ratione emortuas partes aufert, integris quandoque manentibus ossibus. Consolidationem denique per aquam salis & oppodeldoch auspicandam esse censet. Sequentem aquam sanantem sanam partem ægra jam remota, apponit.

℞. *Aq. salis ex raphano* ℥ j.
Ex cuticula ℥ iij.
Succi plantaginis digesti ℥ viii.
Mixta mane & vesperi adhibenda esse jubet.
Vel
℞. *Succi chelidoniæ,*
Aquæ Aluminis Rochi,
Jameni aa. ℥ i ß.
Nitri resoluti ℈ ij.
M. & utere ut prius.
℞. *Olei de Frumento,*
de ovis aa. ℥ ii ß.
de Glandulis ℥ v.
Ceræ,
Picis communis aa. ad pondus omnium.
Fiat cerotum secundùm artem, adhibet pro more vulgato.

Æthneas deinceps per bituminis navalis & Camphorę resolutæ æqua pondera curare solet.

Gangrænæ autem igni lignario respondentes ab eo Thure & Myrrha curantur. Sulphureæ verò ac Resinosæ per Lac Virginis ex sulphure paratum ab ipso sanantur plerumque; in usum autem omnium horum eò intendit, ut subinde nova imponantur, nec unquam pars sicca relinquatur, sed perpetuò humectetur.

Abstinendum esse ait à Medicamentis secundùm elementa compositis, à repercussivis, à morbillorum unguentis, unctionibus, suffumigiis & Guajacano ligno Ignis Persici curam duplicem dicit, unam priusquam natus sit morbus, alteram cùm jam est vigentesimus. Ad priorem curam seq. laudat.

℞. *Sperm. ranar.* ℔ ß.
Caphuræ ℥ iii.
Myrrhæ,
Thuris aa. ℥ j.

Reduc ad destillationem in Sole, donec liquefiant. In hunc liquorem pannos intinctos superponit loco affecto, cum siccati fuerint, rursus intingit, superponitque tamdiu, donec sedetur. Ad posteriorem curam sequens adhibet:

℞. *Terebinthinæ induratæ* ℔ ii.
Opopanacis ℔ ß.
Colchotaris ℥ iii.
Reduc in emplastrum.

Mel despumatum cum superioribus ingredientibus mixtum parti sectæ imponi vult.

Helmontii medela in Gangræna & Sphacelo.

§. 15. *Helmontius* in cujuscunque partis Gangræna Lixivialia magnificat, quæ etiam loco priùs profundè scarificato adhibenda esse suadet, utpote in quibus Gangrænæ causa, acidum scil. omne, emoriatur. Lixivium enim forte Gangrænas profundè scarificatas potenter sistere contendit, quia in lixivialibus, ceu dictum, omne acidum commoriatur necesse est. Sanguinem Talpæ in Gangræna applicatum magnipendit Author.

Sphaceli curam nullam ipse agnoscit.

Vuillisiana curatio Gangrænæ.

§. 16. *Willisius* sanguinis crassitiem & visciditatem corrigendo, succoque nerveo subtilisando statim omnem operam impendit, volatilioribusque Diaphoreticis hunc scopum attingere conatur, iisque associat ea quæ spirituum motum intendere, illorumque penu adaugere valent. Quod ad externa verò medicamenta pertinet, scalpello partis superficiem extemplò dissecat, & si *Gangræna* altas egerit radices, profundiùs ferrum insinuat. Deinde incisas carnes lavat Tinctura ex aloe & myrrha in spiritu vini facta, vel ungu. Ægyptiac. in spiritu vini camphorato dissoluto: partemque curat digestivo cui aloe & myrrha admiscetur. Purgatoque ulcere corruptis istis carnibus, ejus consolidationem idoneis medicamentis accelerat.

Sphaceli.

In *Sphacelo* eadem quæ in Gangręna propinat medicamenta, sed cùm in eo integra adsit mortificatio, partem sanam ab ægra separat, vel cultri ope, vel butyri Antimonii beneficio: interim topica non negligit, & inter alia laudat aquam phagædenicam, decoctum scoriarum Antimonii in aceto factum, spirit. theriac. camphorat. quæ applicantur, ut progressus ulterior impediatur. Postmodum ulcus curat suppurantibus & mundificantibus, illudque tandem justa methodo ad perfectam consolidationem perducit.

Sylvii cura Gangrænæ ac Sphaceli.

§. 17. *Sylvius* in *Gangræna* curanda tanquam optima remedia Diaphoretica laudat quæcunque, suadet quoque cataplasmata ex ruta, scordio, absynthio, floribus sambuci, semine urticæ in muria coctis, addito spiritu fl. sambuci, vel spiritu vini camphor. quæ omnia diligenter jubet imponere & omni modo Sphacelum præcavere. Inter Diaphoretica laudat salia volatilia, ut & oleosa sæpiùs exhibenda, sic & myrrham, olibanum, mastichem, aloen, aliaque plura, imprimis ex his confectum Elixir proprietatis internè sumendum commendat. Externè verò laudat præter prædicta, aquam calcis vivæ, vel decocta herbarum aromaticarum, quò refert fotus, suffumigia, aliaque totalem corruptionem prohibentia, ut theriacalia, camphorata, aloetica, myrrhata, &c.

Cartesianorum modus curandi Gangrænam & Sphacelum.

§. 18. *Cartesiani* toti in eo sunt, ut succorum & sanguinis in *Gangræna* incipiente prohibeatur ulterior coagulatio, obstructiones vasorum reserentur, & necessaria restituatur circulatio, quapropter ad ipsa statim properant sudorifera, aliaque remedia satis porosa particulas acutas & angulares frangentia, ne vasa ulterius lædant & succorum motui obsistant, quorum remediorum sequentia communicant paradigmata.

℞. *Aq. card. bened.* ℥ j.
Spir. Angelic. ℥ ij.
Ocul. cancror. ℥ ß.
Sperm. cet. ℈ ß.
Myrrh. gr. vj.
Salis C.C. volat. gr. iij.
Camphor. gr. ij.
Syr. Diascord. simpl. ℥ ß.
F. Mixtura una vice exhibenda
Vel
℞. *Aq. Hyperic.* ℥ ß.
Scabiosf. ℥ iii.
Theriac. ℥ j.
Spir. C. C. ℈ j.
Camphor. ℈ ß.
Syrup. de scord. ℥ ß.
M. d. una vice.

Interdum etiam ad ipsum accedunt sublimatum præcipitatum, quem cum electuario diascordii & theriaca in forma boli præbent assumendum. Partem Gangræna affectam abluunt spirituosis & lixiviis, quæ remedia ut faciliùs penetrent; scarificationem ad partem usque sanam admittunt, & vel myrrham, aloen & sal Saturni, vel unguentum Ægyptiacum in spiritu vini dissolvunt, eoque partem lavant, addito interdum pro separatione partis corruptæ à sana spiritu vitrioli, sulphuris, vel nitri. Laudant etiam aquam calcis vivæ & spiritum sal. Armoniaci nec non decocta & cataplasmata ex radicibus gentianę, valerianæ, angelicæ, aristolochiæ, nasturtii, cardui benedicti, salviæ, nicotianæ, meliloti, croci, semine sinapi, dauci, cumini, nasturtii, lupini, lini, baccis lauri, nucibus juglandis, cupressi, fructu colocynthidos, sale Ammoniaco, Tartari, sulphure, nitro, alumine, ærugine, sapone, fimo columbino, caballino, fermento cerevisiæ. Impetrata convenienti separatione partis corruptæ à sana,

sana, suppurationem promovent unguento Apostolorum aureo, vel basilico, & ulcus consueto more tractant, ut carne de novo expleatur, & cute obducatur.

A *Sphacelo* partem totaliter corruptam penitus solent amputare, vel carnem corruptam cultro exscindere, ferroque candente ustionem instituunt, ne partes vicinæ corrumpantur.

Cura Pharmaceutica ac Chirurgica nostra in Gangræna.

§. 19. Ut jam me audiatis, paulum vestras mihi præbeatis aures & oculos rogo, qui in curatione *Gangrænæ* eò collimo, ut ante omnia obstructio tubulorum tollatur, & stagnantibus succis liberior concedatur transitus & motus progressivus, in quem finem exhibere soleo varia Diaphoretica, absorbentia, spirituosa, balsamica, oleosa, salia volatilia quæcunque & simul aromatica facta, hinc prosunt Tinct. bezoard. Vel

℞. *Elixir. propr.*
Tinct. myrrh. aa. ʒj.
M. D. bis de die assumantur 20. gutt.

Vel

℞. *Elect. diascord.* ʒi.
Confect. alKerm. ʒj.
Pulv. cord. pret. ℈j.
Cum Syr. scord. F. Elect.

Singulis horis exhibeatur quantum cuspide cultri capi potest. Theriaca sæpe sufficit, si nil aliud ad manus sit. In Gangræna ab inflammatione, & in ipsa applicatis remediis contrariis frigidis ac repellentibus eò respiciendum est, ut ista medicamenta priùs abjiciantur. Dein rationis oculo examinandus status partis gangrænosæ, in qua sępe succi coagulati & stagnantes sale suo volatili, spiritibus destituti sunt, qui qua data porta avolant, sanguis cum reliquis succis non amplius circulantibus stagnat, perverseque mixtus est, salia acida ac corrosiva, cùm ad partem læsam sibi imperium rapiunt canaliculos ferè omnes disrumpunt, & sic fores effringunt reliquis obstructis relictis: ad quas aperiendas, vitam iis cum reliquis partibus reparandam, & succos corruptos stagnantesque fluidiores volatilioresque reddendos, sudorifera ex superiùs dictis, diascord. theriac. C. C. vol. ocul. cancrorum parata, aliaque acidum imprimis temperantia remedia conducunt. Sequens mixtura cochleatim assumatur:

℞. *Aq. Card. bened.*
Meliss. aa. ℥j.
Ther. C. ʒß.
Spir. rosar. ʒß.
C. C. ℈j.
Syr. cinam. ʒß.
M. D.

Exhibeas patienti per vices Elixir. vitæ ʒj. cum portione salis volatilis C. C. quam dosin singulis diebus assumat necesse est, aliàs laudabilis effectus non sequi solet. Spiritus matrical. cum Elixir. vitæ maritatus, & ad gutt. 20. sæpius de die assumptus excellens erit remedium. Statim verò externè applicetur linteis duplicatis calidè spiritus matricalis *Dn. Blancard.* qui seq. est.

℞. *Mastich.*
Myrrh.
Oliban.
Succin. aa. ℥ij.
Spirit. vini rectif. ℔ij.
F. l. a. destillatio.

Nos verò statim accedimus ad sequens excellens remedium, quod raro me fefellit: vel instituenda statim ablutio sequenti:

℞. *Spir. vin. cam.*
Aq. cal. viv. p. æq.
Camphor. ʒiij.
M. & calidè applic.

℞. *Rad. vincetox.*
Ireos,
Aristoloch. rotund. &c.

Superimposito cataplasmate ex mic. panis albi inveterati ℔ij. herb. scordii, absynth. aa. M ij. Vini Gallic. q. s. coq. ad formam cataplasmatis. Vel imponatur seq. cataplasma ad Gangrænam nobis solenne:

℞. *Rad. Aristol.* utriusque,
Hirundin.
Scorzoner.
Angelic. aa. ℥ß.
Herb. scord.
Rutæ recent.
Absynth. aa. M.iß.
Prunell.
Beton.
Majoran.
Origan. aa. M. j.
Summ. rub. vulgar.
Fl. sambuc.
Chamom. aa. M. ß.
Sem. lupinor.
Cumin.
Anis. aa. ℥j.
Bacc. lauri,
Juniper. aa. ℥iij.
Myrrh.
Aloes aa. ℥v.
Sal. Tartari,
Sal. Armon. aa. ℥ij.
N. M.
Caryophyll. aa. ℥iß.

Quæ species vel cum linteo duplic. in formam catapl. redact. applicentur, vel quod melius, extrahatur cum Spiritu vini tartaris. essentia, vel destilletur spir. in quo dein myrrh. & aloes ad consistent. cataplasm. solvatur, addatur & spirit. matrical. q. pl. spiritus hic ad usum reservari debet: ingredientia supra dicta stent infusa per horam unam vel alteram, dein coqu. addita portione panis biscocti & partis Capheæ, vel farinæ fabarum tostar. Aromaticæ species in fine priùs addi debent, ne spirituosæ & efficaces particulæ inter coquendum in auram abeant. Prima vice huic cataplasmati addere poteris Elix. vitæ ʒj. in quo camphor. ʒj. soluta fuit. Secunda vice addas adhuc Tinct. castorei ʒß. alia vice. Tinct. assæ fœtidæ, quarta vice spir. sal. armoniaci ʒß. & pro re nata species mutare poteris, & singulis 6. horis rursus applicari debent. Vel

℞. *Lixiv. fortiss. Spir. vini* aa. ℔iß.
Herb. rutæ, Salviæ,
Scordii, Absynth. aa. M. ß.
Rad. aristoloch. utriusq. aa. ℥j.
Sal. Armoniaci ℥ii. *Coq. ad tertias,*
dein add. Myrr. Aloes aa. ʒß.
Aq. vitæ ℥iß.
M. f. l. a. catapl.

Omnia hæc remedia juvant, quatenus constat salibus volatilibus oleosis & spirituosis, quæ omnia reviviscere faciunt spiritus ac liquores nostros, & non duntaxat particulæ stagnantes ac ad corruptionem tendentes hisce fluidiores redduntur, sed & ipsi succi ad regularem mixturam disponuntur; hinc immediatè sequitur, quod obstructiones reserentur, & sanguis in vicinas partes ejusque succi recipiantur circulationem, spiritusque etiam animales iterum influere incipiunt, & vasa iterum coarctantur, & propellunt inclusos succos mediante pulsu ad partes quascunque, & sic partem salvam sospitemque reddunt: vita ergo hujus partis gangrænosę iterum cum aliis partibus communis redditur, h.e. canaliculi iterum restituuntur, & succi iterum per hos circulantur, uti in statu sano, & in hoc consistit quod vivere dicimus. Si verò jam pars gangrænosa fuerit sphacelata, ad separationem sanæ partis à mortua species prædictæ iterum accipiantur, & ex iis paretur cataplasma adjectis gummatibus vel Tinct. ex iis paratis.

De scarificatione partis gangrænosæ ac sphacelatæ hodie inter Medicos etiam Neotericos controvertitur, ob sanguinem attrahendum. Veteres dicunt ad resolutas partes, in quibus hac ratione sanguinis motus

& vigor restituitur, vel lancetta vel novacula in parte inflammata & tumefacta per ipsius longitudinem & latitudinem, *Botallus de Vulnerib. Sclopet. cap.* 23. hoc remdio plures se liberasse fatetur, & nullum aliud præstantius neque tutius, si tempore usurpetur, inveniri addit; sed *Celeberr. Overcamp.* aliique rem attentiùs examinarunt inveneruntque, quòd pars jam sufficienter sit scarificata per minutissimos cultellos intus latentes, per quos textura partium laceratur, dein viæ per quas medicamenta penetrare debent satis apertæ sunt, & non opus esset majores efficere: magis ergo juxta ipsos noxiæ sunt scarificationes, quia vasa lacerant, includunt discinduntque, ex quibus sanguis & succi evasantur & coagulantur, sicque magis ad putredinem ansam dant: addunt quod aer externus sanguinem magis corrumpit ac coagulat, quia ipsum jam apertè aggrediatur, quod non potuerit efficere cùm sanguis vasis suis inclusus fuerit. Experientia quoque constat, si frustum carnis recentis incidatur sæpiùs, illud citiùs putrescere, quàm si non fuerit facta incisio. Contra *Celeberrimus Broen de duplici bile Veterum pag.* 173. ait Verum me hercle alia planè ratio est inter scissionem illam internam ab acidis particulis, & externam per cultellum incisorium; illa enim malum auget, hæc verò mitigat non quidem per se, sed per conseq. Primò enim sanguis sanus & floridus in partem affectam effluens, quatenus per poros suos transmittit materiam ętheream valde peregrinam ab illa quę poros partis gangręnosæ vel sphacelosæ perfluit, fermentum illud acidum ibidem hærens commodè valet infringere. Secundò mediante illa incisione aditus conceditur liberior medicamentis applicandis, & sic curatio evadit brevior, quemadmodum hoc felicissimè nõ ita pridem est expertus Amstelodami, ubi vocatus fuit ad curandum puellum quędam biennalem, cujus scroptum sphacelo planè erat occupatum. Instituta circa vesperam scarificatione ad levem usque sanguinis eruptionem, adhibito uno lavamento ex spiritu vini theriac. & cataplasm. idoneo parato ex philandr. scordio, absynth aloe & mirrh. animadvertit ipse matutino tempore insequentis diei jam factam fuisse separationem carnis putridę à viva ortum fuisse boni & laudabilis puris proventũ sive ut loquuntur digestionem, & sic porro adhibitis adhibendis brevi tempore spatio integrè ab eodem est restitutus. Multum ergo inquit prælaudatus Author, ad brevem curationem gangrænæ ac instantis sphaceli contribuit debitè instituta scarificatio, aliàs enim facilimè proserpit ulteriùs malum, & tandem pervenit, uti vulgus loquitur, ad cor, h. e. fermentum illud gangrænosum reliquas inficit & corrodit partes fluidas & solidiores circumjacentes, hæ iterum aliàs, & sic porro pergitur donec tota M S. hoc fermento est imbuta, unde tandem prorsus coagulatur, in motu suo sistitur, & sic homo mori cogitur. Nec est ait, quod quispiam aeris accessionem metuat in scarificatione, eo forsan ductus exemplo, quòd carnes concisæ facilius in aere corrumpantur quàm solidæ; tempus enim non requiritur tam diuturnum, ut noxii aliquid ab aere possit adferri, imprimis cùm egregium interea ad usum revocetur lavamentum sale & oleo volat. turgidum Sed ut has lites non nostras faciamus, dicamus, quid de scarificatione sentiamus, nempe eam non modò noxiam, sed aliquando etiam utilem esse, cùm remedia topica eo meliùs in vasa & tubulos penetrent, & succos in iisdem coagulatos resolvant, potestque Medicus inde colligere, num sensus aliquis supersit, aliàs non valde juvat.

In malo contumaciori spirituosa, ut sunt Elixir vitæ, Tinct. castor. assæ fœtid. cum camphor. majori quantitate usurpanda sunt, imprimis spirit. sal. Armoniaci bene clauso vitro calefactus calidissimè applicetur, & cataplasma interdum imponatur calidè, & omni bihorio repetatur. Aqua calcis vivæ, aqua benedicta Chirurgor. dicta, per se vel cum spirit. vini camphorato mixta, in gangræna & incipiente sphacelo egregium est remedium: paratur item ex aq. calc. viv. aqua phagedænica Gallis Chirurgis solennis, ex hac enim cum Mercurio dulc. & spiritu vini paratur lixivium scoriar. Antimonii, in locis gangræna affectis egregium est, aqua pomor. destillata contra gangrænam magni momenti est. Urina humana & stercus vaccinum ob sal volatile, quod possident, in rusticis aliisque plebeis summum remedium est.

Si Gangræna producitur, ceu diximus, ab externo frigore, à quo succi nostri quasi congelati, & in coagulum abeunt, & quidem à defectu subtilis materiæ illos superfluentis, cùm nempe in aere non sufficiens materia subtilis adfuerit, ad succos fluidiores servandos, hinc stagnant, obstructionesque pariunt. Ex hoc fundamento omnia phænomena explicari possunt, ad curam ergo hìc transeundum. Non ergo membrum refrigeratum illico igni admovendum, est ad congelationem tollendam & membrum calefaciendum, ratio hæc est, quod repentim irradiatio ignis particulas volatiles restantes penitus expellat, unde maxima confusio, & textura partium planè tolleretur, quod experientia constat, cùm id videamus in pomis congelatis, quæ si igni admoveantur, statim putrescunt: sic quoque observamus quotidie in nobismet quando digiti nostri à frigore immobiles facti, si statim igni admoventur, inde est ac si mille aciculis pungantur, sensum præbent. Congelata ergò membra priùs aqua frigida nivea fricentur, vel cum ipsa nive: hoc aliis Paradoxum erit, sed si rite rem perpendamus, ratio id nobis persuadebit, cum cura tantum hoc modo inchoetur, sed non perficiatur, sensim enim ac sensim coagulati succi debent resolvi, & ad pristinam mixtionem redigi, & hoc optimè perficitur ope aquæ frigidę vel nivis frictione, ratio est, quia per partem congelatam aquæ impositam plus materiæ subtilis perfluit, quàm per congelatas, & nimis strictè compressas particulas, per quam materiam subtilem particulæ iterum fluidiores redduntur, quæ in parte affecta fixæ fuerant; frictio quoq; cum nive eapropter juvat, quoniam ipsis in manibus nostris liquescit, & hinc amicabilis fit resolutio particularum congelatarum; adde & quod commotione ista reliquos quoque succos stagnantes ad motum incitat, postmodum succi inspissati calore fortiori dissolvendi sunt, in quem finem conducet seq. vel simile balneum, aut ex iisdem paratus fotus.

♃. *Rad. angelic. Galang.* aa. ℥ß.
Rapar. Bryon. aa. ℥ii.
Herb. rutæ Scord. Rorismar.
Absynth. Nicot. aa. M. ij.
Semin. cumin. Urtic.
Erucæ aa. ℥j.
Piper. long. ℥vj.
Sal. armoniaci, *Sal. Tartari* aa. ℥iß.

Coq. in part. 1. vin. Gallic. & 2. part. urinæ, & bene coct. adde Spiritus vini optim. vnc. vj. & membrum congelatum calide immittatur, & dein fricetur seq. vel simili linimento.

♃. *Spir. vini camphor.* ℥ij.
Balsf. nervin. n. d. ℥ß.
Ol. Guajac. Juniper.
Terebinth.
Philosophor.
Tinct. ass. fœtid. aa. ℥j.
Spirit. chochlear. ℥iß.
M.

Vel oleo Spiritus vini Lulliano simili fricentur partes gelu induratæ. Si verò pars tendat ad sphacelum, imponatur cataplasma nostrum superiùs dictum, & procedatur eodem modo ac superiùs recensuimus: in hoc præter externa & interna interponenda sunt, præsertim sudorifera, quæ omnem implent paginam: detur etiam cum vino ʒß. spir. C. C. volat. vel sal ejusdem, vel

♃. *Vin. Gallic. vel Rhenan. dulc.* ℥ij.
Elix. vitæ ʒij.
M.

Animis calidis remediis aliquando ægri Gangræna affecti malè se habent, hinc author sum, ut semper calidissima remedia aqueis temperentur, ut sunt aq. calc.

calc. viv. aq. fl. sambuci &c. his enim succi a frigore quasi congelati, à spirituosis & volatilibus oleosis salibus pedetentim resolvuntur, & iterum fluidiores redduntur. Imo internis remediis semper adjungendus spirit. matrical. qui hisce in affectib. egregium remedium, quod nostra experientia constat, detur enim per se, v. gr.

℞. *Spir. matrical. unc.* ß.
Balʃ. nervin. n. d. ℨiß.
M. d. 30. usque ad 60. gutt.

Si malum hoc fuerit productum ab hydrope, cum partes diu à succis evasatis & stagnantibus fuerint distentæ, hinc omnis textura partium perdita ac disrupta à corrosivis istis & fermentantibus succis, qui instar lupi esurientis omnia corrodunt devorantque, succi quoque in hydropicorum toto corpore existentes corrupti sunt, & privati omnibus spiritibus, hinc circulatio debilis est, & febris lethalis simul coincidit: ad curam ergo properandum, quæ non multum differt à priori jam dicta, & sæpe magno cum effectu seq. remedio usi sumus.

℞. *Aq. calc. viv.* ℔j.
Spir. vin. camph. ℔ß.
Balʃ. nervin. n. d. *unc. j.*
Elix. vitæ unc. iv.
M.

Applicetur calidè cum linteis. Seq. non contemnendi usus erit in Gangrena ab hydrope producta.

℞. *Rad. angel. Bryon.*
Allior. aa. unc. iii.
Muriæ limon. unc. viij.
Sal. Tartari unc. ß.
Extr. absynth. Spir. matr. BlancK.
Aloes Myrrh. Camph.
M. l. a. & applica calidè cum cannabi vel lino, postmodum applicari potest seq. vel simile cataplasma ex herb. menth. absynth. pulv. scord. bacc. juniper. sambuc. sem. sinap. fœnic. bardan. sal. Tartari, nitri, Armoniaci, quarum species in urina & fæcibus vini coqui possunt. Cui decocto dein addatur farin. lupin. vel fabar. ad consistent. cataplasm. quod calidè quantum ferri potest applicetur, & simul supra hoc cataplasma sacculum arena calidissima repletum impone, quo enim pars calidior servatur eo melius, & si his malum non cedit, addi possunt penetrantia remedia & in majori quantitate, Elix. scilicet vitæ, vel spirit. sal. Armoniaci, vel balsm. nervin. ad unc. ij. &c.

Cura Gangræna à defect. succi nutritii.

Gangræna ista quæ à defectu succi nutritii oritur, cùm quasi ipsa pars vita privetur à nutrimenti plenario defectu, vix curatio superest, sed ne ægros planè deseras, sequens vel similis fotus præscribi potest.

℞. *Herb. scord. Rutæ, Salviæ,*
Majoran. aa. M. IV.
Coclear. M. v.
Rad. consol. major. unc. vj.
Sem. card. bened. Erucæ aa. unc. vj.
Baccar. Juniper. Lauri aa. unc. v.
Aq. calc. ℔ß.

Coq. in ℔ß. urinæ fœtidæ & lixivio, & quater de die foveatur pars, simulque fricetur cum ol. terebinth. Guajac. succin. Tinct. ass. fœtid. spirit. lumbric. balʃ. nervin. spirit. cochlear. oleo ejusd. quæ omnia succos inspissatos congrumatosque attenuant: in rusticis aliisque, quibus inopia est, stercus bubul. calidissimè sæpè applicetur, cui cataplasmati & add. herb. aromatic. salv. malv. sabin. sem. bardan. eruc. bacc. Juniper. & cum urina fœtida parari potest cataplasma calidissimè sæpiùs de die imponendum, & ditioribus addi possunt myrrh. aloes in Elix. vit. vel spir. matrical. solut. Vel

℞. *Spir. vin.*
Ol. terebinth. aa. unc. v.
Spir. ʃal. Armon. unc. iß.
M.

In hoc casu nec interna remedia negligenda sunt ad succos crassos fluidiores reddendos, in quem finem Patiens decoctum ex rad. chin. salsaparil. galang. zedoar. macis, croc. herb. cochlear. nastart. sem. anis. Sal. Tartari, Sal. Armoniaci in vin. Gallic. decoct. & pro libitu bis vel ter de diè æger tres assumat uncias & interponat spir. cephal. nostr. vel aliud sal volatil. oleos. ad 30. & plures gutt. assumend. vel Elix. vit. ℨij. sic & oleum cochl. ad gutt. 3. in vino Hispanico assumptum egregiam navabit operam, medicamenta enim hæc resolvunt sanguinem, & succos temperant acidos, circulationem promovent, sanguinem volatilisant, & quasi resuscitant, in succis enim alicujus hominis sani ℔j. salis volat. reperitur, 1 ß. ℔. olei, & 6. ℔. spiritus.

Cura Gangræna à scorbuto producta.

Malum hoc utplurimùm infantes infestat, quorum dentes sæpe omnes excidunt, gingivæ fœtent, os maxillæ corruptum corrosivumque conspicitur, febris adest continua, facies pallida, œdematosa ac humida, lingua sæpe multis foraminibus pertusa, qui infantes auxilium petunt, tristi ergo affectui ut ocyssimè occurratur necesse est, hinc eluantur partes infectæ cum sp. vini camphor. ℥vj. balʃ. nervin. ℨj. M. vel quod fortius est seq.

℞. *Muriæ limon. un. ij.*
Spir. vin. aromatic. unc. iß.
Spir. ʃal. dulc. ℈j.
Balʃ. nervin. unc. ß.
Elixir. vitæ unc. iiß.
Tart. Vitriolat. ℨj.
Camphor ℈ij.
Extract. centaur. min. unc. iß.
Sal. volat. oleoʃ. ℨß.
Myrrh. unc. j.
Ol. cochear. ℨß.
M.

Qua mixtura sæpius abluantur partes infectæ & corruptæ: est remedium, quod Te rarò fallet, & experientia nostra sæpissime comprobatum est. Hæc omnia remedia ad principia magni Cartesii, Philosophi, correspondent, quæ ratio ergò est, quòd multi Philosophiam docentes relegantur. In promptu causa est, quia veritatis ac pacis amatores sunt, juxta enim Tacitum: *Non minus periculum ex fama magna, quàm ex mala.* Deo veraci & æternę Veritati nostram commendemus rem, qui Veritatem tandem in appricum ducet, per lapsum enim Adami hanc amisimus, & nemini nisi cui ipse Deus revelavit cognita est. In Te speravi, Domine, & non confund. in æternum, Veritas premitur, non verò opprimitur. Futuro seculo omnes principiis his Neotericorum imbutos videbis, & post finem Veritas de die in diem ex surget. Sed sufficiant hæc. Nos ad *Curam* mali nostri porro Nos accingamus. Si ergo hoc in malo observatur macula cœrulea & nigra, statim superiùs mixtura descripta calidissimè & sæpissimè applicetur & reiteretur, postmodum imponi potest cataplasma jam sæpius descriptum ex ruta rec. absynth. salv. caryophyll. N. M. myrrh. aloe, spir. vin. aromat. farin. fabar. q. s. pro cataplasm. si durities partium fuerit, addi potest cataplasmati Tinct. gumm. ammon. castor. ass. fœtid. & spirit. cochlear. ol. caryophyllor. vel macis parum addi. Hoc enim in malo semper antiscorbutica admiscenda sunt, ut ex. gr. spir. cochl. trifol. fibr. nasturt. beccabung. &c. Internè conducunt varia antiscorbutica in Encyclop. Med. nostra Cap. de scorbut. præscripta, imprimis sequens ad 20. & plures gutt. in vino Hispanico assumendum.

℞. *Elixir. vitæ* ℨij.
Spirit. trifol. fibr.
Cochlear. aa. ℨj.
Balsam. nervin. n. d. ℈ij.
M. D. usui.

Hujus remedii ope mucus acidus in primis viis latens attenuatur temperaturque, ac ipse sanguis reliquique succi edulcorantur: interponatur decoct. lignor. supra descripit. adjectis herbis aromaticis coclear. beccabung. trifol. fibr. rorismar. bacc. juniper. sal. Tart. sal. Armon. in vin. Gall. decoct.

Si

Si malum fuerit à combustione vehementiori, tunc cura non multum differt à priori & sequ. simile conducet cataplasma hoc in casu:

℞. *Herb. scord. Salv. Origan.* aa. Mj.
Baccar. lauri Juniperi aa. *unc.* j.
Cepar. Allij, Macis, Caryophyll. aa. *unc.* ß.
Myrrh. Aloes, Balsam. nerv. Spir. matric.
Spir. cæpar. Gumm. galban. Ung. Basilic. Sal. Tart. Sal. Armoniaci, c. lixivio.
F. l. a catapl.

Vel

℞. *Decoct. c alc. viv. unc.* iß.
Spirit. vin. camph. unc. ß.
Balsam. nervin. ℥iij.
Mell. rof. ℥ij.
M.

Quòd si Gangræna fuerit à morsu vel ictu venenatorum animalium, tunc imprimis conveniunt sudorifera, quia stagnantes succi attenuant & fluidiores reddunt, acidumque corrumpens simul temperant [emendantque: in eum finem præscribi potest seq. vel similis mixtura à cochl. uno ad duo singulis horis propinanda, donec sudor sequatur.

℞. *Aq. fumar. unc.* IV.
Theriacal. ℨj.
Balsam. nervin. ℨiß.
Spirit. sal. C. C. volat. ℨß.
Camphor. gr. vj.
Diascord. sylv. ℨiß.
M. S. Mixtura.

Et assumat æger decoct. lignor. superiùs descriptum, vel dentur Theriacalia, Diascord. bezoartica aliaque quæ in febribus malignis ac peste usualia sunt, omnia enim ea & hìc juvamen præstant. Calidissimè externè applicetur parti affectæ cataplasma superiùs descriptum ex herb. rutæ, scord. cum aloe, myrrh. camph. theriac. ol. n. m. &c. cum urin. & vin. Gall. f. catapl. Hic etiam proderit ipsa theriaca vel Diascord. in spiritu matricali dissolutum & tepidè applicatum: Spiritus vini camph. theriac. aq. calc. viv. &c. & hìc in usum vocanda sunt.

Si Gangræna natales suas accepit à contusione quadam vehementiori, hinc cura non differt ab alia, uti & illa quæ fit à forti ligatura, quæ statim solvenda, sed tamen cum hac cautela, ut tantum fiat laxior, ne uno impetu ruant sanguis & succi in partem affectam, & ipsam nimis extendant, sed relaxetur ligatura sensim ac sensim, dein cataplasmata aromatica & reliqua spirituosa sæpius jam dicta imponantur: pulvis quoque ex cortic. quercus (gorbulos) coquatur cum vino & imponatur calidè. Emplastra hìc ut in aliis speciebus Gangrænæ haud conveniunt, quia poros magis obstruunt, & medicamenta calidè apponi semper debent; si nimia adsuevit putredo, tunc pulveres exsiccantes ex aloe, myrrha, C. C. inspergi possunt. Si verò Gangræna fuerit oborta in fractura tibiæ aut brachii, tunc priùs Gangrænæ obviam eundum est, quàm fracturæ, hinc conducent cataplasm. ex spiritu vin. camph. & aqua calc. viv.

Cura Sphaceli.

De cura Sphaceli jam solliciti sumus, sed quorsum hæc, dicat aliquis? Sphacelus siquidem est morbus incurabilis, & pars quam occupavit, jam reddita est mortua & ad primum suum elementum redacta, neque unquam in vitam restitui poterit, Deus T. O. M. solus hæc efficere potest, hinc ergo tantum eò annitendum est, ut pars corrupta eschara & emortua benè à sana separetur, ne pars sincera trahatur: si ergo Gangræna à neglectis optimis & generosis remediis migraverit in Sphacelum, isque planè perfectus fuerit, fortiori vi tractandus est, & quia, quamcunque etiam partem invaserit, brevi hominem trucidat, ultimum remedium ad manus sumendum est, parsque emortua citò, tutò tamen resecanda: optandum esset, quòd nunquam in usum esset trahenda operatio hæc, sed persuasus sum, quòd mille ac mille homines ob defectum generosorum mediorum superiùs recensitorum neglecti talem torturam pati coguntur, superiùs enim recensitis remediis certo certiùs avertes hoc malum; in casu verò ubi nimis sero vocaris ad patientem, vel si à causa nimis violenta fere omnes dilacerati fuerint canales, ut succis omnis transitus denegatus sit, ad estirpationem transeundum est. Consultius enim esse cum Celso existimamus anceps auxilium experiri in re gravi, quàm nullum: Unicum enim servandi corporis remedium restat, membrum videlicet emortuum & corruptum à sano rescindere ac exstirpare. Crudelem siquidem Medicum necessitas facit, nam crudele malum crudeli remedo expugnandum. Nihil interest, an tutum præsidium sit quod est unicum: satius est anceps remedium experiri, quàm nullum: melior est dubia spes, quàm desperata salus: satius est motum alicujus partis perire, quam totum hominem nec illa dura videtur curatio, cujus est salutaris effectus. Quamvis verò Auctores circa modos amputationis inter se valde discrepent, atque in iis enarrandis prolixi esse possemus malumus tamen ut in omnibus sic & hìc brevitati studere, & rem paucis tradere. Commodior modus nobis videtur esse sequens, quem feliciter cessisse sæpe vidimus, sc. antequam incisio fiat, implorato ante omnia Divino auxilio, patiens volatilibus & spirituosis corroborandus est, quæ vulgò cordialia vocantur, quæ Me judice cordialia omnia ea sunt medicamenta, quæ morbi causam attingunt; & omnia quæ ad hoc opus requiruntur instrumenta & alia necessaria in promptu sint, ut citò absque votis suis respondeat institutum. Dein detineatur Patiens vel imponatur in scamnum conveniens, vel & sellę imponi potest æger. Chirurgus si ex. gr. pedem sphacelatum altiori scamno firmiter fasciis alligaverit, trahat cutem, musculos & carnem sursum versus sanas partes, ut sc. operatione peracta ossi denudato iterum obduci possint, sicque arctissimè vinculo valido hęc constringat partim ad doloris imminutionem, partim ad hęmorrhagiam inhibendam. Peracta hac ligatura in sana parte tres digitos latum, quem modum ego cum Hildano, & aliis longè præfero, qui in parte demortua, fit ob rationes ab *Hildano* aliisque sufficientissimè adductas carnem usque a d os scalpello aliquantulum falcato circum circa inscindat, ita ut periostium quoque benè perscissum sit, quod postmodum in illo loco cui serra imponi debet, abradendum, caroque musculorum in parte non amovenda, ne obstaculo sit, hinc serram huic rei aptatam, qualem *Hildanus* describit, ossi imponat, sicque illud citò, tutò, agilique cum dexteritate tribus vel quinque tractibus detruncet. Quod tamen nunquam factum vidi, sed ad minimum decem tractibus hoc factum fuisse notavi, nihil enim interest quot tractibus id fiat, modò æger leniter tractetur, nam per nimium motum plura mala obvenire possunt, ut citiùs ægri moriantur. Facta sectione & post solutionem vinculi sunt, qui cauterium actuale, aliquando crudele, sed non contemnendum remedium admovent, alii hanc adustionem damnant, & tantùm imponunt stuppam cannabinam albo ovor. madefactam, & pulvere styptico seu sola calce viva inspersam, vel solo liquore styptico imbutum linteum imponunt, & vesica bubula obtegunt, & dein deligetur, sicque deligatum per duos tresve dies detineatur, his ablatis ligaturis, sicque in durata & adglutinata sunt prius emollitis, eschara ut decidat opera detur, ea delapsa, vel filo vulneris os latis suturis constrigendum, vel per emplastr. cutis attrahenda, fasciis ulcus involvendum diligenter, ne aer conglutinationem impediat & corruptionem ac nigredinem ossi inducat: atque sic pergendū est usque ad plenariam ægri recuperatam sanitatem.

Quamvis autem melius esset, si, quod *Thom. Fienus lib. Chirurg.* 11. c. 4. monet, partem non semper in fine sanæ proxime apud ægram, sed quandoque remotè ab ea amputare liceret, ex. gr. si Sphacelus sit in pede, etiam si totum crus sit sanum & posset salvari, tamen prope genu amputaretur, quia præterquam quod non tantus metus sit relicti miasmatis gangrænosi, cum sæpe clam ipsam medullam ossium inficit, nihil quoque juvat ægrum ipsum crus longum habere, nulli quippe usui ipsi est, sed magno impedimento: obtemperandum tamen in hisce ægris & adstantibus esse censemus. In brachio quidem res longè aliter se habet, & ipsius semper tantum reliquendum est quantum possibile, ut im-

ut immediatę ferrea manus ei applicari possit. Plura de hujusmodi amputationis operatione vide apud *Hildanum*, aliosque *Chirurgos celebres*.

Sed hìc Asterisco notandum, quòd ubi in parte aliqua fuerit Sphacelus, priùs caro mortua exscindatur, & eò respiciendum, num membrum servari possit, & hoc in casu cauteriis, utendum est, ad ambulationem, uti Chirurgi loquuntur, impediendam. Si verò pes vel manus resecanda est, operatio fit cum (*Meissel*) digitus resecatur cum forcipe, *mit einer Kneip*, *Zangen*.

CAPUT IV.

De Combustione seu Ambustione.

§. I. VErum equidem est, infinitas ignem nobis præbere utilitates de tota ferè nostra vita. Imò hoc universum consistit in calore, illoque conservantur, totque insuper utilibus succurrit remediis, ut vix dentur meliora. Ast cùm omnia sano perpenduntur sensu, nescimus, an Prometheo debeamus gratias, aut illi culpam attribuamus, cùm velut è pyxide *Pandoræ* (sit venia fabulæ) infinita inde etiam prodierint mala, tot tormenta, tot cruciatus, ac sæpè remedia ipso morbo, ipsaque morte crudeliora, id quod de *Combustione* videre est, ut taceam, tot in Macrocosmo effectus satis funestos. Valeant igitur phantastici Persarum ritus. Valeant Empedocles, aliique Pythagorei Vivicomburio immortalitatem acquirentes. Valeat Agesilaus Themistoclis Frater ejusque constantia, Mardonium Regis Persarum Satrapen pro Rege interimens atque errantem dextram comburens. Nos neque minimam corporis nostri partem comburendam trademus, sed potiùs curabimus, quomodo ignis crudelitatem effugere, aut mitigare queamus. Nobis enim hìc est sermo de ignis particulis corpori nostro inflictis, quomodo damnum infligat, quomodo istud curandum sit, quem affectum Medici ac Chirurgi Combustionem, vel Ambustionem, vel Ustionem dicunt, Germanis *eine Berbrennung*.

[C]ombustio.

Affectus hic est adeò simplex, ut nulla indigeat descriptione, sed cùm mala consuetudine receptum sit, dare & in minimis descriptionem & definitionem, in gratiam vulgi hanc apponere lubet. Combustio est solutio continui in solidis partibus quibuscunque, cum inflammatione, vesiculis excitatis, doloreque à particulis igneis pungentibus pyramidalibus, vel extra applicatis, vel introrsum sumptis, facta.

[E]jus De[s]criptio.

§. 2. *Subjectum* Combustionis sunt vel partes externæ variis injuriis expositæ, quod toto observamus die; sic non ità pridem totum corpus (quoad externam superficiem) infantis 3 annorum incidentis in ahenum aqua calidissima refertum ità combustum fuit, ut iterum feliciter curatus fuerit. Omnes ergò nervi, tendines, membranæ, fibræ, arteriæ, venæ, ligamenta, caro, ossa, omnesque canaliculi comburi possunt. Sic quoq; internę partes ab hac combustione haud immunes sunt, quando scil particulæ igneæ altiùs & profundiùs in viscera tendant, facilè ea comburere ac crispare possunt, quod etiam fieri potest ab aqua forti, spir. vini rectificatissimo, aliisque causticis acidis stygiisque aquis ignem seu igneas acerrimasque particulas contingentibus. Totum ergò corpus potest, ceu dictum, hic affici, ut & omnes Tubili; quo enim partes subtiliores, èo faciliores, comburuntur. Nullam partem in corpore nostro offendere potui, quæ minùs Combustioni obnoxia est, quàm lingua, quia cera sigillata liquefacta & cum flamma ipsi imposita ei nullum affert damnum.

Pars affe[ct]a.

Differentiam Ambustionis quod attinet, differt Ambustio ratione partium internarum vel externarum, & ratione causarum, est enim vel ab igne, fulmine, ferro candente, titione, aqua fervente, vel spirit. vini, aqua forti, oleo fervente, vel pulvere pyrio. Ratione symptomatum, alia graviora, alia leviora inducit: ratione magnitudinis, alia enim penetrat cutim, alia musculos, alia nervos, arteriàs, venas & ipsa ossa: alia Ambustio pustulas excitat, alia non, alia cutim exsiccat, elevatque, alia non idem præstat.

[D]ifferentia.

§. 3. Variant *Signa Combustionis* pro ratione causarum, symptomatum, ac graduum Combustionis. Primi gradus signa sunt cutis rubedo, dolor acerbus pungitivus, locus quoque combustus aliquomodo intumescit: imò à relatione ægri nobis facilè innotescit, & non opus est plurimis signis, sed iis utimur, si nobis de profunditate Combustionis non constet; notitia ergò causæ nobis hìc plura manifestabit. Si ignita corpora fortasse non satis propè admota, aut non satis fervida, aut consistentiæ levioris fuerint, tunc non profunda potest produci Combustio, quam excitant utplurimum aqua fervens, pulvis pyrius accensus, scintilla ignis, linum, stuppa, stramenque accensa.

Diagnosis.

Secundi gradus signa sunt atrociora, si nempe materia corpus tangat diutiùs, satisque crassa ac tenax sit, ut oleum, vernix, sevum, aliaque resinosa, unde etiam statim pars inflatur rubescit, dolet, & in momento pustulæ elevantur, ægerque conqueritur de nimia cutis tensione, quia hæc corpora ob particulas ramosiores ignem diutiùs includunt, atque servant, pluresque abscindunt tubulos, unde etiam gravior oboritur Combustio.

Tertii gradùs signa dicuntur, si cuti res ignita adhereat, statimque pustulæ producantur subiecta cutis nigricet, sensusque nullus ampliùs adsit, cuncta existunt exsiccata ac dura, quæ si decidant, ulcus profundum aut putridum constituunt, imò hanc fortem Combustionem utplurimum Gangræna ac Sphacelus sequi solent, ceu sæpiùs id vidimus, ubi scilicet maxima adfuerit contusio: hæc intensa Combustio fit à metallis fusis, chalybe, auro, stagno, aliisque vehementioribus igneas particulas diutiùs servantibus, & facilè omnes tubulos usque ad os concremantibus, quia in his corporibus non duntaxat ignis, sed & particulæ metalli angulares & cuspidatæ continentur, quæ valde tubulos dirumpere ac discindere apta nata sunt.

Tumor in Combustione utplurimum accidens, non, ut Authores communiter statuunt, à majore humorum affluxu propter attractionem facto oboritur, attractionem enim hanc falsam esse, lippis ac tonsoribus notum est; sed hoc in casu fibræ potiùs ac viæ obstructæ sunt, hinc succi non ritè per eas circulari possunt, sed semel allati, ibi stagnant, & nisi per canales subterraneos refluant flumina, facilè ageretur mare; pari modo etiam in Microcosmo accidit, ubi succi affluentes refluere nequeunt, necessariò stagnare ac tumorem excitare debent.

§. 4. Ad *Causarum* investigationem & enodationem ut me accingam, ordinis ratio postulat, eapropter ut profundiùs in Causarum *Combustionis* cognitionem perveniamus, aliorum priùs de iisdem percipiamus opiniones, & quidem omnium primò *Galenicorum*, qui in Ambustione accusant ignem, & quæcunque ignita, inprimis globos Sclopetorum, unde contusio & laceratio musculorum, venarum, arteriarum, &c. oritur, vel etiam à fulmine hanc Ambustionem fieri posse non dubitant, vel ab aqua fervente, vel oleo aliaque materia urente.

Ambustionis causa secundùm Galenicos.

§. 5. *Paracelsus* notat, qua ratione suas in corpus imprimat proprietates *Adustio*, quocunque modo fiat: utpote casum *Adustionis*, vel accidens calorem non existere, sed subtilium spirituum asperitas vel acuitas potiùs secundùm eum corpus destruit. Sal iterum accensum ignescit prorsum, & omne, quod ab igne hoc damnatum fit, nitrum efficit, & non essentiæ complexio. Sulphur etiam accensum, aliam substantiam ad se recipit, est nihilominus Sulphur hoc ipsum, quod autem absumit, istud est in eo, per accensionem tamen, excitatum. Non aliter de *Adustionibus* sentit Author. Quum ignis corpus aliquod arripit aduritque, non ad mentem *ipsius* externus ignis hoc efficit, quod damnum existit: Verùm accenditur corpus, & quicquid inde sequitur damni, solùm ex eo procedere ait, quod accensum est, ac in accensionem incidit, ut lignum carbo per seipsum fit. Nam sulphur corporis, quamvis ipsum exhibeat flammam, ob fixam ejus conditionem, accenditur

Paracelsum

tur uriturque tamen, estque juxta ipsum, fixus ignis, & eò per externum adducitur, cui tantisper tantumque resistit, quantisper & quantum adfuerit ignis.

Adustionis differentiam duplicem statuit Author, unam per flammam, quæ molitur consumptionem, alteram, quæ fit bullientibus. Flamma fit ad mentem ipsius sive lignorum pulverum, resinarum aut pinguedinum: Bullitionibus, ut calidorum oleorum aquarum bullientium, &c. Præterea reperiri aliam naturam habentem dicit, ut ea, quæ fit liquefactis metallis, & similibus.

Adhæc animadvertendum vult, utrum ex substantia quicquam adhæreat, an non; ut ex pulvere, quod sulphur, & sal nitrum post se vel sui consumptionē accensione factam, reliquam adhuc pinguedinem reliquant. Similiter oleum peculiare suum residuum, aliud metallum, aliud resina, aliud aqua, quodque proprium habet, cognitu necessarium; non propter sanationem, sed extremos dolores, quos inferunt hujusmodi reliquiæ. Salis nitri, sulphuris & resinarum spirituum acuitatem peculiares dolores edere ait, nam ibidem esse spiritum salis arguit. Ex metallis etiam alios ac singulares deducit dolores, quod eo loco sit Mercurius. Ex aliis adurentibus adhuc alios, quia sulphur secundùm ipsum, ibidem est resolutum. Hujusmodi sulphuris separationes in membro variare dolores statuit. Adustionum dolores accidentia esse dicit, originem ex igne ducentia, postmodum ex aere quidem exteriore mineralem conditionem acquirentia. Notat insuper, post veneni conceptionem istud per meatus & venas in primum suum cētrum permeare, quo mortē inducere ait.

Helmontiū. §. 6. *Helmontius* Ambustionis actum in vivis fieri ait efficienter ab ipsa vita, occasionaliter ab igne. Quod est dicere, vitam esse agens proprium sensationis in sensitivis: & vitam esse ejusmodi causam, quæ insuper vim habeat Ambustiones faciendi in vivis, & in materia Medica, imò etiam resistendi, vel non. Quamobrem reperit vitam primarium efficiens, ac immediatum sensus, ac doloris. Siquidem vis ignis recepta ac introducta in cadaver, secundùm ipsum, non est sensibilis; imò nec propriè ambustiva, qualis in vivis, sed potiùs assativa vel tostiva. In vivis namque liquor carnis, per indignationem animæ sensitivæ, celerrimè in acre liquamen convertitur, ac substantialiter transmutatur; qui in mortuis non est vitali transmutationi obnoxius. Adeoque inter fibras bulliendo & frixando, carnes torret & assat. Caro enim mortua, ad mentem ipsius, patitur per gradus, quos alia corpora non sensitiva, univocò modo patiuntur ab igne. Verùm in vivis etiam aqua bulliens statim vesicas parat: pars solida dein velociter contrahitur & crematur. Idcircò istam Ambustionis actionem in vivis ac sensitivis fieri ait efficienter ab ipsa vita: ab igne autem effectivè per modum medii activi, occasionalis & externi. Vita nimirum ipsa sentiens ignis rigorem, acuit suum liquorem, transmutatque in vesicas ac dein in escaroticum liquamen. Et quantum scilicet ab igne corripitur, tantundem postmodum per dispositionem relictam corumpitur, quia mortuum est.

Vvillisium. §. 7. Si à *Vvillisio* rescire voluerimus, quomodo fiat *Combustio*, ipsum *Causam* illius statuentem audiemus in particulis igneis summa subtilitate donatis, & rigidis atque acutis existentibus & introitu suo in quandam corporis partem continuum illius solventibus. Tales enim particulæ turmatim, ac vehementi isto, quo aguntur impetu, cutim subeuntes, glandulasque miliares impetentes & fibrillas nerveas illas ambientes, aut in earum substantia distributas pungentes ac violentiùs vellicantes, humorem lymphicum à glandulis fibrarum convulsarum beneficio exprimunt, & versus superficiem compellunt, qui ibidem aggestus cuticulam in tumorem elevat, vesiculasque in ea excitat. Si verò dictæ particulæ majori vi polleant, copiosioresque partem aliquam subingrediantur, abundantius serum ex glandulis cutaneis eliciunt, cutisque fibris infixæ hærentes, illam in rugas extollunt, & liquoris transitum ad cuticulam usque inhibent, eumque in cutis poris remorari cogunt. At si particulæ tum mole, tum copia & motu adhuc potentiores partem quandam subintrent, fibras ejus ipsarum impetui substinendo nequaquam partes dissecant & comminuunt, & crustam in illa excitant, lympha in glandulis cutaneis residente spissiore facta, post evaporatas ipsius aquosiores tenuioresque particulas fibrarum ab igneis atomis dissectarum fragmenta obvoluente.

Sylvium. §. 8. *Sylvius* calore ignem se nostris manifestare ait sensibus, adeò ut illo in sensu observato judicet Anima ignem adesse: ut autem ab eodem igne rarefiat oleum, Aqua, & quodvis aliud, præter calorem aliud quidpiam requiri in igne statuit, cujus vi absolvere possit rarefactionem. Cùm enim secundùm eum rarefactio sit partium densarum, densatarumque distractio ab invicem, ac diductio quasi à Centro versus circumferentiam, utique, ut fiat illa distractio, diductio, expansioque partium ab invicem, opus esse inquit, ut rarefaciens se insinuet inter rarefaciendi partes proximè ac densè applicatas, quo se ipsis interponendo illas queat diducere ac quasi admovere ab invicem, unde concludit Author, partes ignis esse *Tetraedras*, hoc est Pyramides sed æquilateras ex triangulis constantes, aut assurgentes. Docet ergò ille, ignem, ut rarefaciat, non posse considerari tanquam calidum, h. e. Calorem producendo in sensu, sed tanquam Tetraedris constantem. Ex his facilè Authoris opinionem de Ambustis hariolari possumus, quòd ignis cutem attingens suis particulis Tetraedris, in quibus solis est acumen, non item in Cubis, illam laceret aduratque, hinc vesicæ ac aliquando eschara inducuntur.

Cartesiano. §. 9. *Cartesiani* à re quavis adurente, *Combustionem* fieri posse statuunt, si partibus corporis nostri propiùs admoveantur, qualia sunt ferrum, plumbum, stannum, titio, carbo, oleum, adeps, pulvis pyrius, calx viva, aqua modò dissoluta; aqua fervens & ejusmodi plura. Læsionem verò istam hac ratione peragi credunt, quatenus particulæ primi elementi subtilissimæ, explosis globulis æthereis in rebus istis magna copia collectę celerrimo agitantur motu, & corpora vicina crassiora & ramosa dissolvunt, destruunt & in pabulum suum convertunt, attingentes porrò per approximationē corporis istius particulis hisce pleni locum quendam corporis nostri impetu quodam poros epidermidis & aliquando cutaneos ingrediuntur, & fibras abrumpunt, unde dolor maximus oritur, fibræ verò ità diruptæ & in cincinnos resilientes, vicinos musculorum tubulos obstruunt, quapropter humores, per tubulos illos ordinariò ferri soliti, propter obstructiones illas circulationem suam illac perficere nequeunt, sed stagnantes & à sequentibus humoribus pressi tumorem in parte illa vel vesiculam producunt. Propiùs verò adhuc ad cutem ipsam accedentes contextum ejus gladiolis suis acutè scindentibus, quorū myriades in igne existere dicūt, & motu vehementissimo in se agitatis diffringere, dissecare & contundere asserunt, quæ textura undique contusa & dissecta Escharam exhibeat. Ad musculos penetrantes gladiolos istos vehementer agitatos filamenta carnium transversim sita nervosa dirumpere addunt, ardoremque in parte ambusta remanere, quamvis res adurens jamdiu fuerit sublata, quoniam materia primi elementi cum impetu per poros ruens, eosdem sibi paraverit figuræ suæ convenientes, & quidem iis in partibus, in quibus tales pori ordinariò non erant, hinc cùm per illos poros nil nisi materia primi elementi possit fluere, ardor in parte illa maneat, quamdiu pori in tali figura maneant. Nonnulli ignem fluidissimam dicunt esse congeriem tubulorum sphæricorum, è ramosis, maximè per materiam subtilem dilatatis & in gyros infinitos redactis, conflatam, è quibus sphærulis tenuissimis circumgyratibus salium puncta prominentia ferrulas & rotulas acuminatas efficiant, superficie undiquaque instar limæ rotundæ acuta & scindente instructa. Sphærula itaque una de loco pulsa & extricata eminentiis suis asperis acutis alias etiā de loco pellat necesse esse pronunciant, unde omnes sensim per mutuum contactum & levem intricationem ut rotulę serratæ in horologiis moveri debeant, qua de causa & ignis corporum divortia acceleret, & sese interstitiis & meatibus à se jam excavatis in trāsitu suo celerrimo insinuet & coacervet, sic-

vet, sicque partium ejus situm commutet. Fibrę igitur partium corporis celerrimo huic ignis motui obsistentes dirumpuntur, quę verò tenuiores sunt, ut illi cedant, seque flecti patiantur, adeò non læduntur, nec distringuntur, & quo magis varius particularum subtilissimarum ignitarum in se invicem motus ab occurrente quodam corpore rigidiore impeditur, eo impetuosiùs in fibras ruunt, easque dirumpunt. Ex diversa quoque corporum ramosorum figura, in quorum poris materia primi elementi coacervata detinetur, diversa illa emergere credunt rerum ignitarum effecta, & quòd aliæ aliis fortiùs adurant.

[Nostra sententia de causis Ambustione.]

§. 10. Præmissis aliorum de *Ambustione* sententiis, nunc & *nostram* apponamus *crisin*. Nulli dubitamus, istam solutionem continui fieri à particulis igneis pyramidalibus pungentibus, scindentibus duris vehementer motis, sine igne enim seu igneis his particulis non potest fieri combustio, & si consideramus flammam ignis, quæ est corpus densissimùm ac simplicissimum omnium aliorum corporum, h. e. in omnibus suis partibus est ignis, quod de nullo alio corpore dici potest; Aer enim non est purus sed multis aliis conspurcatus particulis, item aqua, terra, aere aliisque crassioribus particulis sunt referta, ex quo patet, ignem consistere in certo particularum densissimarum ac simplicissimarum motu, uti ejus probat effectus; videmus enim scintillas in flamma volantes sine intermissione moveri. Omnis enim ignis effectus dependet primariò è motu, ejusque figura. A motu est, dum flamma collecta solidas partes à re combustibili continuò absumit, adversùs externas aeris injurias, ut conservetur, necessariò aliæ debent succedere in earum locum, atque inde est, quòd ignis indigeat pabulo, materia nimirum ad urendum apta, hoc si fieri nequit, talisq; materia deest, ab aere exteriore corrumpitur, excutitur, evanescit atque transit in auras. Ità videmus ex parva scintilla oriri possæ maximum incendium, si nempe ignis congregatus in exigua quantitate conveniens invenit pabulum, illud consumit crescendo, dum partem in suam transmutat substantiam, partim etiam materiam tertii & secundi elementi propellit, atque à se invicem disjungit, ut globuli ætherei eò meliùs congregentur atque in ignem convertantur, teste *Magno Cartesio p. 4. Princip. Phil. p. n.* 177. A figura verò est, dum pro vario motu variè pellitur, figura sua pyramidali partes occurrentes diversas incidit, attenuat, liquefacit, condensat, dissipat, urit ebullitionem efficit: quòd autem ipsius figura sit pyramidalis atque acuta, probant ejus effectus in dissolutione corporum, quippe si molestus motus in nervis excitatur & à mente perceptus fuerit. Sic ignis urit, cùm partes corporis unitate disjungit figura sua pyramidali, atque celerrimo particularum motu nonnullas secum aufert, atque ita corpus reddit siccius, in qua discissione tubulorum & succorum intus contentorum ablatione consistit *Ustio*. Imò si intimùs ignis materiam & quidem ad leges chymicas consideremus, certum est, illum constare ex spiritu, oleo, sale & acido, ignis verò motum fortiorem quod particulas suas ope subtilis cœlestis ætheris impellit. Ex hisce pręmissis facili marte Symptomatum in Ambustione obvenientium rationem reddere possumus; *Dolor* enim in Combustione oritur, cùm particulæ ignis pũgentes scindentesq; fibras quas tangunt, non tantùm contundant, sed & discindãt incidantque, unde molestus hic motus menti repræsentatus excitatur. Si verò omnes fibræ simul discissæ fuerint, nullus apparebit dolor, sed is vehementior erit, quando fibræ duntaxat inciduntur & premuntur. Sic ab initio Combustionis dolor statim percipitur, si sc. fibrillæ ab igneis particulis nimis commoveantur, & succis nimis effervescentibus nimis premantur.

Vesiculæ in Combustione productæ oboriri solent, quando minutissimi vasorum lymphaticorum ramuli per ignis pressionem rumpuntur, vel per salsas acresque particulas ab igne commotas vascula cutanea eroduntur. Omnia enim vasa ab igne aliquo modo constringuntur, hinc lympha à tergo accedens stagnare cogitur, quæ tandem nimia sua extensione vasa perrumpit sicque has vesiculas producit. Vel etiam oriri possunt ab impedita transpiratione, quæ facilè in Combustione oritur, ob cuticulam enim constrictam succi, qui ope glandularum cutanearum discerni debent, necessariò stagnare coguntur, qui tandem acriores facti succi vasa cutanea perrumpunt, vesiculasque attollunt. Materia, quæ his in vesiculis continetur, dolorem producit, quia ex salsis, acidis, corrosivis aliis innumeris malè figuratis constat particulis, hinc ab ordinaria sua circulatione impeditæ facilè fibrillas concutere valent, à qua concussione dolor iste oboriri solet, hinc succi ad fermentationem tendunt, quæ particulę fermentantes cum tempore *exulcerationem* in parte combusta efficiunt, prout id toto observamus die.

Considerato ignis actualis effectu, pergimus ad potentialem hoc nomine insignitum, ubi invenimus aquam fortem, cujus salia particulis suis aculeatis atque valdè angularibus feriunt corporis nostri partes molliores, subtiliores, easque incidunt, findunt, scinduntque pari ferè modo, ac ipse ignis, qui ex ipsissimis constat particulis, dum que sanguis alijque succi ad has partes læsas cum spiritibus perveniunt, legitimo modo circulari nequeunt, sed potius turbantur, ex qua varia commotione ac turbatione inflammantur partes, unde sæpè gangrænam inferunt, usque tandem propter nimiam exaltationem spiritus resolvuntur, emoriuntur atque abeunt in vappam, unde Sphacelus ac tandem mors sequitur, nisi in tempore ei occurramus remediis congruis. Non mirum igitur existimamus, quòd has partes molliores spiritus acidi ità afficiant, cum Chymicorum ac Aurifabrorum Laboratoria ac operationes abundè demonstrent, istos variè pręparatos spiritus acidos & alcalicos solidissima dissolvere metalla, aurum, argentum, plumbum, &c. quæ solutiones probant, harum aquarum stygiarum vim unicè dependere ab ipsorum salium particulis rigidis.

Pertinet huc Calx viva, quę satis fortiter etiam comburit, uti observavit *Borellus C.* 10. *Obs.* 30. si ei aqua adspergatur, quia ità ejus pori adaptati sunt, ut partes aquæ soli primo elemento septas recipiant, adeò ut globulis æthæreis expulsis, sola remaneat materia subtilis, illaque dominetur, unde effervescentia atque adustio: confer *des Cartes. Princip. Phil. P.* 4 *p.* 174. quam effervescentiam fieri videmus, & quidem haud dissimilem in spir. vitrioli atque oleo tartari inter se mixtis.

Inter Causas Combustionis referimus etiam fulmen, quod sæpè conbustionem infert, imprimis si est cum lapide tonitruali, cum vulnere, interdum verò sine Vulnere fit Combustio, imò nos vidimus aureos annulos in digito fuisse à fulmine fusos absque læsione cutis alios verò fuisse combustos. Si igitur particulæ nitrosæ prævaleant, non fit accensio sed duntaxat Combustio, quia nitrum impedit, quo minùs possit concipere flammam, & plerumque fit cum sonitu atque fragore, secus verò ubi sulphur prædominium habet. Huc & pertinet Combustio à Sclopetis facta, hinc plures Medici ac Chirurgi nescio qualem vim & efficaciam vel pulveri pyrio vel glandibus adscribunt, dicuntque, quòd Combustio priùs debeat extingui, aliàs malum esset incurabile, ajunt enim, quòd incendat partes adjacentes, carnem nigrefaciat & ad corruptionem disponat; sed huic sententiæ jam contrarius fuit *Paræus l. X. Chir. apol.* 1. & 2. ubi ait, glandes tantum calorem non posse concipere, ut causticorum obeant munus; si enim incandescerent, colliquescerent, formamque amitterent, quod falsum, quia si glandem ceream intrudamus in Sclopetum, non liquescet in explosione, quod tamen deberet fieri; ut taceam exiguam illam moram in pulvere pyrio accenso, imò neque charta, neque cera si transit, neque vestimenta, quę priùs occurrunt, liquefiunt, aut comburuntur, sic etiam plumbum liquefactum aut titivillitio superfusum teste experientia non comburit. Combustio ergò hæc neque à globulo, qui frigidus est, atque me judice id, quod non habet, dare nequit, nec à pulvere pyrio quia uti citò fit ita citò perit, neque etiam à motu, qui continuus esse deberet, dum urere possit. Sunt quoque, qui pulverem pyrium dicũt venenatũ esse, quod cum *Paræo* citato loco negamus, cùm nihil eorum: quæ ipsius compositionem ingre-

grediuntur, venenatum existat, ac sulphur, ac nitrum, ac carbones ęgris nostris exhibeamus. Syptomata enim maligna his Vulneribus supervenientia potius dependent à conquassatione globulorum atque tubulorum discissione, & neutiquam à pulveris pyrii venenata qualitate, dum ipsæ fibræ à violento hoc motu globuli, imò omnes ferè tubuli & canaliculi ad nutritionem partis destinati infringuntur, discinduntur ac in cicinnationes abeunt nervuli, ut aliter efformentur, ità ut illa necessariò deficiat, unde si sanguis, lympha & spiritus ad partes illas perveniant, viam non invenientes inter se effervescunt, abeuntque in Vappam ac putrefactionem, unde Gangræna, Sphacelus ac nigredo labiorum Vulneris, de quibus *Capite sequenti de Vulneribus* fusiùs dicemus.

Inter causas remotiores & ferrum candens, aliaque metalla ignita referimus, quæ vehementissimè urunt, superat tamen hæc omnia Aurum, quia partes ejus arctè inter se complicantur, ignemque ob hoc diu servant foventque, porisque adeò sunt exigui, uti soli materiæ primi elementi dent ingressum. Excandescit autem ferrum, dum partes ignis poros ferri subeunt, atque ita ejus substantiam augent, quod manifestè videmus ex vulnere illato, quòd semper majus est, ac ipsum ferrum. Præterea id percipimus, si baculum ligneum ejusdem magnitudinis efformemus, atque adaptemus ipsi ferro jam ignito, videmus esse dissimilem, idque quia particulæ ignis sunt in perpetuo motu, quæ latera ferri extendunt. Urit autem vehementissimè ferrum, quia ejus partes satis sunt rigidæ, angulosæ, ac proinde si accedant ipsius ignis pyramidales, fortiter impingunt in subjectam partem, atque sic continuum solvunt, comite dolore gravissimo pungitivo, inflammatione, aliisque Symptomatibus gravioribus.

Similiter fit combustio ab aqua fervente, alio tamen modo urit, effervescit ac commovetur dum partes igneę subeunt poros aquæ, ejusque partes commovendo à se invicem divellunt, ut majus acquirant spatium, quia ab ingressa materia subtili augentur, quod videmus in cacabo aqua ebulliente semipleno. Omnis autem urendi vis hujus aquæ dependet, ceu dictum, ab igne, cùm ob particularum flexibilitatem aqua fere nil contribuat, secus ac in ferro, ubi ejus particularum rigiditas auget solutionem. Oleum eodem modo incalescit, sed cùm habeat particulas ramosas variis hamis uncisque inter se repentes, materiam subtilem intropulsam tenaciter retinet, atque ita vehementiùs urit, quàm aqua, imò ob hoc ipsum difficulter etiam empyreuma potest evocari; id quod vel quotidie videmus in cibis mensis appositis, ubi alii citiùs, alii diutiùs calorem perdunt.

Huc etiam tanquam ignis referri potest novum Anglorum inventum, Phosphorus dictus, quia leni frictione in apertam quasi ruit flammam, saponi Veneto duro est similis, aqua fontana frigida debet conservari, ne in auras abeat, calori expositus statim lliquescit, in frigore verò iterum coagulatur. Sunt, qui hoc Inventum vel adscribunt *Helmontio*; vel celeberimo *Roberto Boylæo*, nonnulli verò attribuunt hoc arcanum Medico cuidam Hamburgensi: sunt ex Anglis, qui id tribuunt celeberrimo Dn. *Slare* Anglo, amico nostro singulari: alii qui clarissimum Dominum *Vueidenfelsium* pro authore agnoscunt. Omnes ferè fateri debent, Phosphorum hunc ex urina fieri; modi plures describuntur, uti apparet ex tractatu Germanico Noctilucæ nomine insignito. Sequentem verò Nobilissimus Helmontius Junior Amico nostro Dn Kursnero communicavit:

℞. *Vrin. fœtid. Coq. ad consist. mell.*
Add. aren part. iij.
Destill. per retortam, recipiens sit magnum & aqua repletum, da ignem fortem. Alii addunt bolum.

Phosphorum in forma liquida in Laboratorio nostro Seren. Principis ex urina laboravimus, in Anglorum sicco Phosphoro jam sumus occupati, ex hoc Phosphoro facilè ignis indolem explicare licet, sed hæc ad alias nobis reservamus; nunc verò ad *Combustionis* Prognosin pergendum est.

Prognosis. §. 11. Cum *Signa Prognostica* Medico magnam famam, si rectè prædixerit, (quod tamen non semper, quamvis expertissimo, fieri potest,) ingens verò vituperium, si secus fecerit, sibi conciliare potest, meritò ergò Medicus ac Chirurgus in eo totus esse debet, ut hac in parte quantum per artem licet, studium suum collocet. Affectus nostri *Prognosis* desumitur à magnitudine causæ, corpore læso, ac symptomatibus concomitantibus. Sic levis combustio facilè sanatur & sępe nulla remanente cicatrice; contrà verò magna, & quæ nimis profundè membranas ac tendines combusserit, est periculosissima, quæ aliquando lethalis à nobis aliisque observata est. Vix sanantur combustiones absque relictis cicatricibus, quia cutis & carnis fibrillæ planè aliter efformantur, ac erant ante solutam unitatem. Periculosa est combustio partium nobilium, ut oculorum, intestinorum, aliarumque partium maximè sensibilium, partim ob earum constrictionem, ubi vasa per se satis exilia planè comprimuntur vel abscinduntur, vel comburuntur, ita ut nutritio in parte fieri nequeat, inde sequitur atrophia, sępe, si majora attingat vasa, Gangræna ac Sphacelus oboriri solent. Corpori cacochymico si accidat combustio, facilè in ulcus fœdum ac malignum abit, ceu id non ita pridem in virgine scorbutica observavimus, & hoc accidit sæpe ob lymphæ celerrimè circulantis (lympha enim intra unius horę spatium vigesies per vasa sua circulatur,) acrimoniam ac corruptionem, sæpe etiam lympha stagnat & continuo affluxu partes vellicat, nutrionemque planè tollit vel inutilem reddit. Si combustio nervos vellicet, supervenit facilè convulsio quæ lethalis, imprimis si fuerit universalis, teste *Hippocr. S. V. aph.* 2.

Periculosissima omnium habetur illa combustio, quę à fulmine oborta est, quia secundum *Paracelsum libr.* 1. *Chirurg. Magn. tr.* 5. *cap. IX.* non extingui potest, ita ut omnia animalia solo contactu occidere, ac hominem vix evadere posse, testetur *Plinius lib.* 2. *cap.* 540 *Histor. Natur.* Hinc cæci Veteres fulmina adorarunt. Sed hęc aliter se habere docent quotidiana experientia, sic novimus plures ex sexu sequiore in arce Schaumburgensi ad Lhanam fulmine tactas, quæ omnes à me, DEO benedicente, felicissimè curatæ fuere. Si verò fulmen fuerit intensum, & quasi omnes combusserit tubulos, & sanguinem cum succis in acidam vappam una vice redegerit, ut videre est in cerevisia tempore fulminis, tunc malum existit lethale, & omnem nobis adimit ἐπιβιώσεως spem, uti vult *Barbette Chirurg. pag.* 2. *l.* 3. *cap.* 41. & hoc non provenit à vi pestifera, quæ vulgo dicitur inesse fulmini, nec à facultate supranaturali, uti dicunt, sed potiùs, quia sulphur tenaciter ob particulas ramosas partibus inhæret, sic que si causa difficulter tolli potest, multo magis causatum. Multum quoque hoc in passu efficit metus atque consternatio, ubi spiritus animales satis turbati obruuntur, ac pessundantur. Eventus ergo curationis combustionis ambiguus est, ob diversitatem materiæ urentis vel igneæ, diutius quoque tempus requiritur ad hanc vel illam curādam. Periculosa quoque est ista combustio, quæ est ab aqua salsa, sapone, alumine, aut vitriolo maritata, quæ facilè possunt inducere pessima symptomata.

In varietatibus Combustionum id solum est observandum, inquit *Peracelsus prælect. de Vulneribus pag.* 568. ut si combustio spiritum habeat penetrativum & vel cephalicam, vel cordis venam tetigerit, & combusserit, tunc illa penetratio tendit ad mortem. *Pergit*, olea, aquæ, ligna &c. quando calida sunt nihil habent penetrativi, sed calor ex sale nitri proveniens affert mortem, nam habet, ut ille ait, vim penetrativam. Sed ad magis utilia. Certum est, quòd combustio sæpe diu duret, nullum sequatur pus, quod etiam celeberrimus Dn. *Muys* notavit, qui vidit mulierculam 60. circiter annorum, quæ semiebria in ignem prolapsa fuerat, ac dimidiam capitis partem ita combusserat, ut quidquid etiam ageretur, nullum pus sequeretur, nec ullæ etiam vesiculæ excitatæ fuerant. Sed temporis progressu cutis cum pāniculo carnoso & pericranio in unam escharam coacta, separabatur, nec hoc solum, sed dimidia fermè cranii portio ingentem ac valdè crassam laminam de se mittebat, qua ablata ulcus tandem, licet

licet tardissimè, coaluit, subinde tamen parvis ulcusculis hic atque illic redeuntibus.

In Milite Cassellano idem observavimus, qui brachium à pulvere pyrio ita combusserat, ut nullum sequeretur pus sed siccum manserat, tandem accessit Sphacelus & mortuus est.

§. 12. Aggrediemur jam ad ipsam *Curam Diæteticam* in Ambustione vehementiori observandam. In Combustione ergò omnis vitetur aer, imprimis frigidior, quem incautè admissum mala varia posse inducere demonstrat *Fabrit. c.4. Obs.* 93. quare etiam vulnera ob hunc intempestivè admissum cacoethica facta fuisse, testantur monumenta Medicorum. Aer ergò omnimodò arceatur à combustione & æger in conclavi sit temperato. Victus sit laudabilis, qui optimum nutrimentum lacteum præbet, ut eò facilior possit succedere sarcosis, seu appositio succi nutritii. Somnus ac vigiliæ sint ad ordinarias leges institutæ, vigiliæ si adsint nimiæ à spiritibus maximè mobilibus, somnus provocandus. Corpus quiescat, motus nimius exulet, donec partes fibrosæ fuerint consolidatæ. Moderata sint animi pathemata, exulent ira, mœror &c. Reliqua vide *in Diæta Vulnerum*.

§. 13. Cura juxta *Galenicos* ita instituitur in *Combustione*. Ambusta moderatè detergentibus medicamentis curare satagunt, citra hoc ut manifestè calefaciant aut frigefaciant. Proinde terram Chiam, & Cimoliam & Creticam & omnem levem terram cum aceto non valde acri, aut aqua admixta, illitam magnifaciunt, quia bullas excitari prohibent hęc medicamenta; item ovum totum crudum è vestigio impositum laudant, quia moderatè perfrigerat, & circa mordacitatem resiccat, sed & atramento obliniunt, aut thure aqua diluto, aut lenticula cocta trita, aut ervo obtegunt. Cæterum ad Ambustiones ex aqua calida, priusquam bullæ excitentur, olivarum muria conditarum aquam affundunt, & ipsas olivas cum polenta tritas imponunt, aut alumen scissum tritum cum aceto illinunt, aut fel taurinum cum aqua larga liquatum inungunt, aut lixivium affundunt, aut garo, aut muria perfundunt, aut bulbos liliorum, aut hyacinthi, aut narcissi cum rosaceo tritos, & ad strigmenti crassitudinem redactos illinunt: panniculum melle imbutum & in hordeo obvolutum exurgunt. Hinc:

> ℞. *Cineris ejus* ℥j.
> *Cerussæ* ℥ß.
> *Butyri* ℥j.
> *Ceræ* ℥ij.
> *Adipis caprin.* ℥iß.
> *Rosacei* ℥ij.
> *M.*

Quòd si jam bullæ excitatæ fuerint, rhoem & polentam tritam cum aceto imponunt, aut calcem vivam cerato admixtam, & linteo infarctam applicant, quin & sphærion appellatum medicamentum conducere ajunt. Quæ verò ulcerata sunt, porro trito integunt, aut portulacam tritam cum polenta imponunt, aut columbinum stercus linteo involutum exurgunt, & cinere ejus oleo diluto uti solent: admirandum esse dicunt remedium in ambustis pinum aut piceę corticem, aut adianthum siccum tritum, aut myrti folia trita ambustis inspersa.

Ut pili ex ambustis nascantur, commendant fici folia in olla torrefacta, cum cerato Emplastri vice imposita, aut sequenti ntuutur:

> ℞. *Caricar.* ℥j.
> *Sampsuchi* ʒj.

Trit. cum oleo excipiantur.

Vel

> ℞. *Lapidum præsegminis* ʒ C.
> *Squamæ æris* ʒx.

Cum aqua pastilli efformentur. Usu verò expetente, partem unam ad octo cerati partes admiscent ac diluunt.

Ceratum ad ambusta sequens commendant Veteres:

> ℞. *Ceræ alb.* ℥iij.
> *Rosac.* ℥iv.
> *Ovor.* num. 6.
> *Perdiciadis* ℥iij.
> *M.*

Facta enim ambustione prodesse ajunt medicamenta frigida potestate pollentia, ut sunt album Rhasis, atramentum, cerussa, creta, calx cum oleo rosaceo applicata. Item utuntur unguento refrigerante *Galeni*, magnifaciunt betæ folia, coriandrum, item populeum, item oleum olivarum cum sale mixtum, vel sequens:

> ℞. *Aquæ fontis* ℔j.
> *Vitell-ovor.* Num. ij.
> *Optimè agitentur, dein adde olei olivarum liquidi* ℥j.
> *M.*

Huic mixturæ intingunt lintea duplicata & ambustæ parti applicant, siccata sine linteorum ablatione, iterum madefaciunt. Vesicas ante tertium vel quartum diem non esse aperiendas aiunt, nam dum citius aperiuntur, eas difficilioris esse curationis dicunt, & multùm dolorificas.

Si magna adsit inflammatio, lenticulam cum melle mixtam applicant: si abstergere velint, miscent terebinthinam cum melle & apponunt: si ulcus remaneat, præ aliis sequens æstimant:

> ℞. *Ungu. popul.*
> *Ol. rosac.* aa. ℥ij.
> *Mucilag. sem. rosar. aq. solan. extr.* ℥ß.
> *Vitell. ov.* Num. 2.
> *M. F.* Unguentum. Oleo ovorum finiunt curam.

§. 14. *Paracelsus* in cura *Adustionis* eò respicit, ut solum Sulphur corporis superetur, cùm in eo sanatio consistat. Flores tiliæ, verbasci que liquores, oleum lini, butyrum & lardum calida liquefactaque, necnon alia plura tanquam vulgaria non multum æstimat: commendant verò sequentia.

> ℞. *Olei ex laganis avium* ℥v.
> *Adipis cervi* ℥iiß.
> *Ceræ,*
> *Liquorum ex ovis* aa. ℥iv.
> *M.*

Hujusmodi medicamentum ab initio curæ sufficiens esse in finem usque, nec opus esse alio, quòd in eo mumia constituta sit, qua caloris adustio curatur. Vel

> ℞. *Olei costi* ℔j.
> *Sevi hircin.* ℔ß.
> *Ceræ* ℥ix.

Fiat Unguentum, quod singulis quaternis horis applicandum vult, aut sæpiùs; quo locus meliùs humiditatem suam retinere valeat.

Cùm Metallica ac Mineralia juxta ipsum, singularem quandam veneni communicandi rationem obtinent, ipsis à propria Natura implantatam, atque hinc propriam quoque curandi methodum, quæ etsi ad omnia metalla generalis *ipsi* est, in particularibus tamen quandam diversitatem observat: nam restitutio caloris diversa est in Mercurio, sale, Vitriolo, ac Alumine tùm in rubigine. Ad extraendum autem, ac restinguendum calorem seu ustionem Metallorum sequens commendat: ℞. adipis suillæ, id est lardi, quantum sufficit, liquefiat ac incalescat, post calidissimè infundatur in aquam solani, agitetur dum consistentiam unguenti nactum fuerit, hoc unguento perungit malum, ac sine aliorum remediorum accessione percurat. Ubi à Mercurio quis ustus est, locum affectum in lacte calidissimo intinctis pannis vices vel ultra fovere vult, sic ut ubi refrixerit, semper immutetur, post unguento ex butyro parato calorem extrahit, Emplastro de Colophonia cicatricem efficit. Hunc ustionis modum rarum esse ait, contingere tamen, si amalgamata, quæ vocant, parentur. Singularia quoque hunc affectum habere scribit Symptomata, odontalgiam ac tremorem, quæ abstinentia à contactu Mercurii, usu aquæ vitæ in lotione manuum, tum gargarisatione, seu oris collutione cum aqua lavendulæ sine negotio curari promittit. Frequentia hæc esse iis addit, qui Cinnabarim parant,

Marginalia: ...diata. — ...lenicorũ ...ta in ...mbustio. — Paracelsi curatio Ambustionis.

parant, Mercurium per descensum præparant, Metalla separant, aliisque Metallorum artificibus, &c. Ustiones porrò ab aquis salinarum fontium, aluminis & vitrioli, quocunque tandem modo eæ fiant, periculosissimas dicit, nisi enim accuratè empyreuma, id est calor extrahatur, gravissima subsequi mala sæpiùs observavit. Hoc in casu Author certissimum remedium sub unguenti forma promittit;

℞. *Olei Nucum* ℔ß.
Sevi cervini ℔j.
Butyri præparati ℔ß.
M. F. Unguentum.

Utatur quotidie bis, manè & vesperi, donec nihil doloris, phlegmones ac caloris supersit. Denique si istis non planè cedat, Balsamo, unguento, vel pulvere traumatico cicatricem facit.

Adustionis differentias cùm varias constituat Author, hinc etiam ejus curandi rationes diversas proponit. Nam quemadmodum medicamenta ad Solem cocta alias vires adipiscuntur, quàm ad ignem parata, alias ad flammam, alias in prunis cocta, utique alia est sulphuris, alia aquæ vitæ, alia lactis, alia mellis flamma in præparandis remediis: sic adustiones à flamma simplici, lacte, aqua, pulvere tormentario, sulphure, fulmine, fulgure, &c. aliæ sunt ab iis, quæ à vapore, metalli fusionibus, aqua salis, Vitrioli, Aluminis, &c. fiunt, hinc etiam in his distinctam proponit curam. Et flammę simplicis lignariæ curatio ad mentem ipsius talis est. Primùm omnium calorem ad exteriora attrahendum vult, & quidem hoc modo: Recipe Butyri recentis, quantum sufficit, calefiat; calidissimum aquę frigidæ infundatur, ac agitentur, donec nivis instar albescat, post abjecta aqua servetur ad usum in forma unguenti, quod valere dicit ad omnem Adustionem simplicem à ligno, lacte, oleo, butyro, resina, &c. factam. Utendum esse ait bis, ter quaterve, aut pluries locum affectum eo perungendo, & studet semper pinguem ex butyro servare partem affectam, nec unquam exsiccari patitur, donec planè percurata sit, hoc unguento quemvis maximum calorem extrahit. Quin ubi adustio tanta fuerit, ut Ulcera fiant, ipsum sufficere ait, si emplastro stictico inungatur, nec opus esse aliis insudare remediis inquirendis, hoc unico tanquam certissimo contentus est. Observat tamen in Adustione per pingues res, ut oleum, butyrum, &c facta, majorem paulo Emplastri stictici usum requiri.

Adustionem pulveris pyrii, salis nitri, sulphuris prȩter Cœlestem periculosissimam dicit, quemadmodum & eam, quæ à vehementibus Chemicorum aquis, ut Mercuriali, Gradatoria, Regali, &c. excitatur: hanc tamen magis ob Corrosionem, quę à venenorum acrimonia excitatur, quàm alia de causa gravem esse pronunciat. Itaque ut primùm quis à pulvere tormentario ustus fuerit, utile fore ait hoc unguento locum passum perungere.

℞. *Butyri* ℔j.
Ol. Nucum,
Sevi cervini aa. ℔ß.
Medull. Tauri quartar.

Liquefacta ac fervida infundantur in aquam Nymphęę ter quaterve, agitentur probè & fiat unguentum, quo ungatur æger: ubi incaluerit, renovare convenit, donec dolor quieverit, ac denique ut vulnus simplex curat.

Sin à Chemicis aquis ustio facta sit, præter hoc oleis traumaticis, vel stictico Emplastro corrodentem vim frangere nititur, tandemque curat.

In Ambustis à fulmine & fulgure curam ferè nullam superesse ait, Medicinam verò quæ in hoc malo sit, eam dicit, ut antequam empyreuma extrahatur, vehementissimè refrigeret: nam nisi ea adhibeatur, urendi nullus finis est, quemadmodum hoc ipsum in pulvere tormentario sæpissimè expertus est. Restinctorii illius medicamenti formulam talem proponit:

℞. *Spermat. ranar.*
Succi sedi,
Astacorum fluviatil. aa. p. æq.
Myrrhæ, ʒj.
Vitrioli modicum.

Mixta omnia imponantur membro affecto donec calor remittat, quo restincto, unguentis præscriptis ad ustiones, curationem perficit.

Sin eousque malum sæviit, ut jam omnia instar Carbonum usta sint, sequenti emplastro utitur, tum pars emortua à sana abscedet ac decidet.

℞. *Colophon.* ℔j.
Picis commun. ℔ß.
Ceræ quartar.
Olei & *terebinth.* modicum.

Malaxetur & Fiat Emplastrum, quod impositum, vivum à mortuo separat, dein Emplastro Stictico curam absolvit.

Empyreuma à glandibus tormentariis factum sive ustionem hanc periculosam esse censet, quia ejus calor diuturnus est, & metallicam quandam venenositatem comitem habet, tum ex violento ictu, ad mentem ipsius difficultatis quid contrahit. His curandis malis primùm omnium ad refrigerandum glandem restinguente Medicamento utitur, ut sunt Acetum rosaceum, succi Solani, Nymphęæ, Sempervivi, &c. Succus Astacorum, tum sperniolæ, si per Syringam injiciantur sæpiùs, donec calor resederit, quo facto, unguentis, balsamis, &c. vulneratis tanquam puncturam simplicem curat. Refrigerantium magnam ubique adesse copiam dicit, ut Limacum, Ranarum, Astacorum, intestinorum terræ, succus Sperneolarum & similia. Succi tamen herbarum Nymphęæ, sempervivi potiores ab ipso habentur, neque contemnit etiam atramentum sutorium. Omnium verò præstantissimum parat medicamentum ex aceto rosaceo & succo Astacorum invicem mixtis: his verò non hic saltem, sed & in pulveris tormentarii ustionibus utitur. Accidere non rarò ait vulneratos perterrefactos aquæ se immerge e totos, vel frigida vulnus fovere, quod ubi factum fuerit, unguento ad Ambusta superiùs dicto curationem perficere jubet. Notat denique hanc Ustionis speciem interim letalem fieri, si calor interiora, ac principalia membra, ut cerebrum, &c. petat, quo in casu salutem nullam sperandam ampliùs esse prædicit. Sin lethale adhuc malum non est, intrinsecùs per potiones datas calorem restinguere annititur. Potiones autem ipsius in totum refrigeratoriæ sunt aqua, lac, zythum, succus pomorum, præcipuè verò commendat aquam prunorum Cypricorum minorum potam, à vino autem omninò arcendos esse ægros monet.

Helmontii curatio Ambustionis.

§. 15. *Helmontius* in Ambustis præter interna diaphoretica, pauca vel nulla habet Medicamenta externa, sed reliqua cum Paracelso approbat jam dicta.

Vvillisii curatio Combustionis.

§. 16. *Vvillisius*, si quædam in hoc affectu interna adhibenda sunt auxilia, ex diaphoreticorum classe illa depromit: quod ad topica verò spectat, si cuticula integra adhuc subsistat, partem combustam fovet spiritu vini simplici aut camphorato, vel essentia rorismarini, aut, juxta Paræi præceptum, cæpas crudas contusas cum pauco sale admixto illi applicat, vel succo allii eam illinit; dùm autem adsunt rugæ, ipsæ statim aperiendæ veniunt, & linimento ex partibus æqualibus ungu. rosarum & populeon. sunt inungendæ: tum verò linimento cum oleo communi & vino facto utitur, & deinceps nutritum calcis ex aqua calcis & oleo rosat. & pauca cerusa admixta paratum adhibet. Nec sequens unguentum contemnit:

℞. *Ol. commun. cum aqua font. ad integram aqu. evaporat. coct.* ℔j.
Cort. median. sambuc. ℥ij.
Umbilic. Veneris M. ij.
M. F. Ungu. s. a. servandum.

Idem præstare ait decoctum hederæ murariæ, & cortic. median. Ulmi; quando crusta inusta fuit, illius casus citò est promovendus linimento ex butyro recenti in mortario plumbeo agitato, cum decocto mal-

væ

væ parato & foliis brassicæ tepidis applicato. Si tale medicamentum non sufficiat, vel ejus effectus exspectari nequeat, ferro separanda est eschara. Ulcus autem ut recens aliud Ulcus deinceps est curandum, & solitis in iis casibus remediis ad integram consolidationem est deducendum.

Sylvii modus curandi Ambustionem.

§. 17. *Sylvius* cum *Willisii* jam dicta Combustionis cura fere consentit, interna Diaphoretica & Salia Volatilia maximè extollit, linimenta quoque varia præscribit laudatque aquam calcis vivæ, spiritum Vini Camphoratum, æstimat quoque in hoc casu nutritum ex lithargyrio, oleo rosarum & aqua vitæ factum.

Cartesianorum ratio curandi Ambustionem.

§. 18. *Cartesiani* in principio statim ipsius factæ *Combustionis* non modò approbant, sed etiam tanquam salutare remedium commendant partis ambustæ ad rem illam ignitam, qua combustio peracta est, propiorem admotionem, hac enim ratione non modò poros partis læsæ à particulis materiæ subtilis è re ignita egredientibus apertos reservari dicunt, ut intus in parte læsa contentæ particulæ gladiolatæ & serratæ promptiorem reperiant exitum, sed easdem ipsas in motu quodam ulteriùs teneri vario, abs quo jam assueto fibrulæ non lædantur, sed motu illo pedetentim cessante, & materia subtili majori in re ignita externa contentarum particularum homogenearum se sociante acervo remaneant integræ; contra enim si contingat, & pars ambusta aut in aere contineatur frigido, aut rei frigidæ admoveatur, idem ei accidere profitentur, quod vitro calefacto subitò aeri frigido exposito, aut aqua vel manu aut digito frigidis attacto, cùm occlusis poris & fibrulis à frigore rigefactis materia subtilis in easdem pertinaciùs ei obsistentes vehementiùs commoveatur, easque inflexiles dirumpat: Haud absimili ratione spiritum vini loco materiæ istius ignitæ proficuum existere pronunciat, siquidem subtilissimæ primi elementi particulæ in eo contentæ priorem præstent effectum, & partem combustam spiritui huic immersam placidissimo affici sensu, non aliter, ac si frigido quodam rore inundetur. Hac etiam de causa felici cum successu nonnulli cretam in spiritu vini dissolvunt, & linimenti instar adhibent, & Dominus D. *Vogelsangius* ipsam calcem vivam in spiritu vini dissolvit ad tenuis linimenti formam, & parti ambustæ, etiamsi ipsa cutis læsa fuerit, illinit, cujus ope dolor citò cessat, empyreuma separatur, & excitatum ulcus unguento albo camphorato brevi sanatur. Laudant quoque eandem ob causam linimentum ex calce viva in spiritu vini soluta, & oleo hyperici invicem agitatis compositum, & spiritum vini camphoratum in ipso principio adhibitum singulari habent in pretio. Ad escharam separandam remedia imponunt particulis constantia à subtili materia facilè moveri & agitari valentibus, ut motu in carne emortua suscitato, fibræ ejus à sanis placidè abrumpantur, uti sunt cepæ costæ, & saponi Veneto commixtæ, Mercurius præcipitatus ruber axungiæ porcinæ commixtus, succus ceparum, oleum raparum cum creta & camphora, lardum accensum & in folia lauri stillatum, donec folia ista vertantur in cineres, quæ pinguedo postmodum illinitur. In profundiore combustione escharam scarificari permittunt, posthæc Unguentum ei admovent ex fuligine, terebinthina, butyro recenti & oleo de vitellis ovorum, vel quod sequens exhibet formula.

℞. *Cort. sambuc.* M ii.
Fol. plantag.
Salv. aa. M j.
Coq. ex aqua ad ℥ xx.
Colaturæ adde
Fulig. ℥ ii.
Butyr. non salit ℥ vj.
Sterc. Gallin. rec. alb. ℥ iii.
Unguent. basilic.
Sapon. vulg. aa. ℥ ii.
M. F. Unguentum.

Illud etiam non contemnunt linimentum, quod ex stercore gallinarum albo, foliis plantaginis & salviæ in butyro non salito assatis & per linteum trajectis componitur, cum felix curatio eo sæpius sit impetrata. Eschara separata curam ut in aliis ulceribus continuant, adhibito unguento aureo, vel basilico, vel emplastro de gratia Dei. Vulgare quidem, sed non contemnendum remedium existere promittunt, si farina avenacea in butyro aliquantum assetur, & linimenti instar illinatur, nihilque ulteriùs superimponatur, & illinitio hęc tamdiu continuetur, semper relictis prioribus linimenti reliquiis, donec crusta collecta sponte decidat, & pars ipsa conspiciatur sana. Eodem modo linimentum adhibent *Mynsichti* ex oleo olivarum & albumine ovi invicem ad spumantem albedinem agitatis compositum, cui si sacchari Saturni quidpiam addatur, adhuc magis illud ęstimant proficuum. Interna diaphoretica ex tinctura bezoardica, spiritu vini camphorato, theriaca & diascordio, aqua florum tilię & sambuci summopere deprędicant, & consolidationi sequens sufficere dicunt unguentum.

℞. *Ceruss.* ℥ iii.
Lap. calaminar.
Thuris aa. ℥ ii.
Ceræ albæ ℥ ii.
Olei olivar. ℥ i ß.
Camphor. ʒ ii.
Aq. rosar. ℥ i ß.
Album. ovi Num. 1.
M. F. Unguentum.

Nostra methodus sanandi Ambustionem.

§. 19. Jam pergendum est ad *ipsam Curationem* ex fonte *nostro* Chirurgico ac Pharmaceutico depromptam Methodus verò medendi nostra aliquomodo pro causę ambustionis varietate variat.

Pręservatoria indicatio est, *Procul ab igne*: apud Veteres ratione fulminis se muniverunt vel lauro quam in capite gestarunt, qualem coronam ex lauro concinnatam turpissimus Imperatorum, Tiberius Nero ob id gestasse dicitur, teste *Suetonio in eius vita c.69.* Sed fabulosum puto. Alii pavidi vituli marini pellem super caput ponunt, alii aquilam ob Jovis armigerum servant, ejusque lapidem, sed omnia fabulosa, superstitiosa, imò irrita esse adversus altitonantis Dei iram credimus, juxta Psalmistam *Psalm. 139. v. 7.* quo ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, ibi es, & si stratum fecero in inferno, ecce tu ades, si assumam alas aurorę, & habitem in novissimo maris, etiam illuc manus tua deducet, & apprehendet me dextera tua.

Missa quoque facimus istorum Impostorum ignem devorantium arcana atque experimenta, quibus se muniunt, ut sine damno possint tractare ac devorare ignem utut modum nobis tradat *Plin. lib. 29. cap. 3. & Swender. in seinen Erquickstunden.*

Majoris verò momenti est indicatio curatoria, quę consistit in hoc, ut fibrę alięque partes combustę ac dilaceratæ non in tantas cincinnationes transeant, & statim applica sequens Epithema, cum subtili & duplicato linteo loco ambusto, sicque vesiculę impedientur.

℞. *Aq. calc. viv.* ℥ v.
Spir. vini camph. ℥ ii.
M.

Vel

℞. *Spir. vini vel aq. Reg. Hungar.* ℥ iv.
Camphor. ʒ ii.
Aq. ad ambust. Qu. ℥ i ß.
Balsam. nervin. m. d. ℈ j.
vel Elixir vitæ ʒ ß.
M.

Sunt alii, qui ad vesiculas impediendas apponunt liquorem salsum in doliolis butyri saliti reperibilem, ut & aquam marinam vel salsam, alii saponem nigrum, mel, butyrum, decoctum raparum, muriam Harengorum, aut muriam brassicæ, præprimis si conquassentur cum oleo lini vel raparum, vulgus applicat atramentum, rustici hisce in locis loco combusto stercus vaccinum parum tostum cum oleo lini vel raparum applicant. Alii albumen ovi tanquam volatile, constans ex animalibus partibus volatilibus, ambustis appli-

applicatum pro arcano venditant. A Clarissimo Dn. Muys laudatur creta cum spiritu vini camph. imposita cum arcta ligatura.

Linimentum sequens ad Ambusta optimum effectum nobis præstitit, imprimis si combustio à pulvere pyrio fuerit producta.

℞. *Cerussæ,*
Pulp. rad. consol. maj. aa. ℔ ß.
Lithargyr.
Lap. calaminar.
Minii aa. ℥ iiß.
Camphor. ℥ ß.
Ol. rapar.
M. f. l. a. Unguentum.

Hoc tamen fateri debemus, liquida, ut decoct. calc. vel ejus aqua cum Spiritu vini Camph. vel Matrical. plus nobis præstitisse, quàm unguenta ac linimenta: Mixturis enim his continuò calidè partes combustæ laventur, & iis madefacta lintea imponantur.

Si tantum cutis externa fuerit ambusta, mulieres nostrates propriam inungunt salivam sale volatili constantem, aliæ cæpas cum sapone in forma cataplasmatis parant imponuntque. Plures pro experto exclamant remedio calcem vivam cum oleo raparum commixtam & calidè ambustis partibus impositam. Alii utuntur oleo raparum cum creta. Rustici stercus gallinæ cum butyro & fuligine, additis herbis salv. cort. sambuc. misc. & ad formam unguenti coquunt applicantque non absque levamine.

Aliquando ad generosiora transeundum est, ubi enim desinit anicula, ibi sæpè incipit Medicus in curandis scilicet morbis, in ambustis ergo profundioribus sequentia eligere solemus.

℞. *Ungu. Basil.* ℥ j.
Ol. Juniperi ʒ iii.
Terebinth. Ven. ℥ j.
Ol. anisi ʒ vj.
Macis ʒ ß.
Ceræ ℥ iii.
Croci ʒ j.
Styrac. liquid. ℥ j.
Gumm. galban. ℥ ß.
M. f. l. a. unguentum.

Quò etiam referri potest unguentum ad Ambusta seq.

℞. *Cort. med. sambuc.* ℥ ii.
Infund. & coq. in olei rapar. ℔ j.
Colato oleo add.
Axung. ovillæ,
Ceræ flavæ aa. ℥ iii.
Liquefactis insperge continuo agitando
Pulv. ceruss.
Minii aa. ℥ ii ß.
&, si parum refrixerint, immisc.
Camphoræ tritæ ℥ ii.
M. f. l. a. unguentum.

In gradu secundo; ubi cutis nimis fuerit contracta, ad fortiora transeundum est, & sequens calidè apponi potest.

℞. *Spir. Matrical.* ℥ ii.
Tinct. galban. ℥ ß.
Aq. ad ambust. vel calc. ℥ iß.
Camphor. ʒ j.
Aq. Regin. Hung. ℥ iß.
Balsam. nervin.
Tinct. castor. aa. ʒ ß.
M.

Urgente etiam necessitate superponi potest ad calorem partis conservandum sequens cataplasma.

℞. *Herb. scord.*
Rutæ aa. Mß.
Fl. rapistr. M j.
Melilot. P. j.
Malv. P. ii.
N. M.

Caryophyll. aa. ℥ ß.
Sal. Tartari,
Armoniaci aa. ℥ j.
Cum mulf. & urin. foetid. q. s. f. *adjecta farina fabarum* Cataplasma.

Si vero Gangræna ac Sphacelus parti combustæ immineat, confugiendum est ad sequens Cataplasma calidè applicandum, quamvis hoc in casu etiam conducat aq. calc. cum Spiritu vini camph.

℞. *Herb. salv.*
Rutæ
Scordii aa. M j.
Cæp. crud. rec. ℥ iii.
Sapon liq. nigr. ℥ ß.
Myrrh.
Aloes aa. ʒ iii.
Croc. opt. ʒ ii.
Sal. Tartari
Armoniaci aa. ʒ iß.
l. a. c. vin. & mulf. f. Cataplasma.

Et, si malum fuerit intensius, ut cutis planè fuerit contracta, Cataplasmati prædicto addi potest.

Unguenti Basilic.
Styrac. liquid. aa. ʒ v.
Gummi elemi ʒ vj.
Galban. ʒ ii.
Olei ceræ ʒ iii.
M.

Oleum Philosophorum etiam externè illitum egregiam sæpè navat operam, ut & omnia salia volatilia, quæ liberum ac convenientem succis motum restituere, meatus obstructos reserare, & acredinem illiorum obtundere valent, hic adhibenda sunt. Omnia enim hactenus recensita remedia ex particulis volatilibus constant, quæ à materia subtili facili marte commoventur ac agitantur, hinc similem motum communicant carni combustæ ac emortuæ. In graviori Ambustione fæces cerevisiæ cum pane applicatæ optimum præstiterunt effectum, ut & allium, lentes palustres, Empl. diasaturni *Mynf.* Mucilag. sem. cydon. cum aqua sperm. ranar. extract. additis camphora & saccharo Saturni, quod elegans est remedium tepidè applicatum. Momordica in oleo lini infusa & ei addit. ol. Saturni citra inflammationem Ambustiones sanat, oleum apum cum pauco olei ovorum vel scorpionum sæpè juvat.

Vel

℞. *Calc. viv. lotæ* ℥ j.
Sulphur. viv. ʒ j.
Ol. lini,
Rapar. aa. q. s.
M. pro linimento.

Sunt quoque, qui in Ambustione commendant oleum Nucum cum ovorum luteis mixtum.

Si Combustio per prædicta remedia sublata fuerit ad cutem deliniendam & dolores sedandos sequenti utere:

℞. *Ol. lini* ℥ ß.
N. M. dest. ℈ ß.
Ungu. Basil. ℥ j.
Gumm. Elemi,
Galban. aa. ʒ ii.
Camphor. ʒ ß.
Aq. Regin. Hungar. ʒ ii.
Croci ʒ j.
M. f. l. a. unguentum.

Omni enim ope à combustione Gangræna arcenda est, hinc varia Cataplasmata ceu jam dicta, ex volatilibus & spirituosis paranda & calidè applicanda sunt, spirituosa enim obstructiones tollunt, tenacem mucum resolvunt, imprimis si Camphorata fuerint simul mixta, hinc sæpe sufficit Spir. vini Campb. c. aq. calc. Tinct. castor. Spir. cæpar. matrical. Balsam. Nervin. Tinct. Galban. quæ omnia compactas particulas valde resolvunt & fluidiores reddunt: sic etiam salia volatilia oleosa adhuc sunt fortiora, quia eorum particulæ melius penetrant, & solidiores ad

firmiores

firmiores sunt, & omnia optimè resolvunt. Hìc Chirurgos moneo, ut omnia medicamenta in combustione calidè applicent, quia actualis calor ipsam sæpè sanat combustionem, succi enim coagulati per externum frigus à calore iterum resolvuntur ac attenuantur. Cæpæ etiam locis ambustis applicatæ magnum afferunt solamen, quoniam in se continent sal volatile, cujus ope visciditates resolvuntur, hinc, ceu diximus, omnia salia volatilia, tum internè tùm externè in combustionibus conveniunt.

Sapo Venetus est in combustione egregium remedium, quia constat ex penetranti sale volatili, & acri, cujus ope visciditates facilè resolvuntur, item ex oleosis particulis, per quas cutis fibræ demulcentur, & acidæ saliæque particulæ temperantur.

Aqua forti si quis combustus, sit, non inconveniens erit imponi externum Epithema ex aqua sperm. ranar. cum butyro Saturni. *Mindererus in Med. Militar.* curavit Chymistam ab aqua forti combustum solo oleo lini atque cremore lactis. Sic etiam empyreuma vulgò dictum evocatur. Si in levi combustione membrum admoveamus ignis, particulæ antea impulsæ & continuum solventes ab aliis ingredientibus retropelluntur, atque simul empyreuma. Malè faciunt qui admovent combustis partibus caustica, quia magis discindunt fibras. Cavendum quoque, ne applicentur frigida, quæ malum potiùs augent, quàm imminuunt, omnia etiam tepidè applicentur.

Crusta vel eschara si adsit, illa incidenda ac leniter separanda est, si non potest fieri in tota parte, fiat diversis in locis, ut ita ichor, devorans fibrillas, subtus contentus queat effluere. Si verò ad nervos usque pertingat, summa cautione opus est in removenda eschara, & priùs applicanda sunt nervina & demulcentia.

Si in oculo est ambustio, ratio præsertim habenda est doloris, in quem finem conducet lac muliebre, sæpiùs tamen mutatum, quoniam facilè acescit, reliqua etiam ophthalmica, aqua nempe rosar. mucilag. sem. cydon. fœnigræc. croc. aqu. euphras. hìc verò apprimè convenit arcanum *Timæi à Gundelklee seq.*

℞. *Pomor. d.* Num. 2.
Coq in aqu. Euphras.
rosar. aa. q. s. ad
mollitiem, traiiciantur per
setaceum: add.
Sacchar. alb. ℥ ij.
Camphor. gr. xv.
Croci gr. v.

M. & applicetur calidè.

Si combustio in juncturis circa tendines & ligamenta observetur, statim ad laudata Epithemata & cataplasmata confugiendum est. Conducet etiam in hac combustione ol. septem florum *Myns.* cum album. ovi & mucilag. sem. cydon.

Quando ossa simul sunt ambusta eximantur frustula forcipe, si verò tota pars fuerit adusta, ense recidenda est.

Cùm à pulvere pyrio pars quædam corporis fuerit combusta, & grana remaneant cuti infixa, non statim ea acu vel alio instrumento eximenda sunt, sed potius suppurationi relinquenda, quæ dein in conspectum veniunt, si enim grana pulveris pyrii in frustula fregeris, tantum se magis cuti implicant, & difficiliùs aut nunquam eximuntur.

Quando verò prælaudata applicaveris medicamenta, grana illa pulveris è cute ab effervescente lympha facili marte propelluntur, quod etiam confirmat *Clariss. Muys* dicens in *Podalirio suo rediviv. pag. m. 39.* Grana pulveris tormentarii relicta in facie quidam ope acus chalybeæ eruere conantur, sed supervacaneum est, quandoquidem fibrillas per emollientia in tantùm flexiles reddere possumus ut grana spontè prolabantur. Ut etiam paucis interna remedia in combustione proficua attingamus, sciendum est, si cacochymia conjuncta est, & succus nutritius nimis acris sit, ut consolidari nequeat Ambustio, conveniunt omnia ea interna, quæ sequenti capite de Vulneribus præscribimus, imprimis hìc commendamus diaphoretica ex Antimonio & Mercurio dulci parata, Antihect. Poterii, oculos cancri, sacch. Saturni, item sulphurata, camphorata, myrrhata, & semper interponenda sunt volatilia, quæ visciditates resolvunt, in quem finem etiam Chirurgi cum commodo uti solent decocto lignorum cum Thea cum sarcosis & agglutinatio partium dependeat à chylo, & neutiquam à vulgo dictis sarcoticis emplastris, aliisque Chirurgorum medicamentis; hoc Chirurgis porro notandum est, ut fugiant in combustione adstringentia & poros obstruentia medicamenta, tùm interna tùm externa, quia his combustio magis exasperatur, visciditates cumulantur, & particulæ inclusæ & infixæ marcent partibus combustis.

Si Combustio abeat in fistulam, & Medicus nimis serò advocatus fuerit, sunt, qui in hunc finem commendant butyrum Antimonii rubr. vel lini destillat. ex capit. Mort. vitrioli, sed nos commendamus potius Balsamum nostrum divinum, raro in Fistulis fallens remedium.

In quibuscunque Ambustionibus Agricola extollit sequens:

℞. *Sacch. Saturni q. s. add.*
Ol. rosar.

M. F. Linimentum, quo locus ambustus calidè inungendus est. Oleum Hyperici n. d. etiam egregium est sæpius applicatum: imò sexcenta alia possunt proferri, sed si hæc non satisfaciunt, alia certè etiam vix præstabunt: meliora enim & approbata Junioribus communicamus Medicis ac Chirurgis, quibus in praxi consummati non opus habent.

CAPUT V.
DE VULNERIBUS.

§. I. Machina nostra ex solidis & fluidis constans, quàm fragilis existat, ex eo patet, quòd Medicina excogitari debuerit ei suppetias ferendo, imò eapropter Medicina ac Chirurgia apud Ethnicos de die in diem excrevit, experiendi enim occasionem dedit Necessitas. Nam quum homines læderentur à bestiis mordacibus, artem hanc excudere cœpere, quæ eo magis necessaria fuit, quo sæpius homo homini lupus fiebat, & bestia quavis pejor, juxta illud *Juvenalis Satyr. 15. vers.* 164.

Serpentum major concordia. parcit
Cognatis maculis similis fera: quando Leoni
Fortior eripuit vitam Leo? quo nemore unquam
Exspiravit aper majoris dentibus apri:
Indica Tigris agit rabida cum Tigride pacem
Perpetuam: sævus inter se convenit ursus.
Ast homini ferrum lethale incude nefanda:
Produxisse parum est, cum rastra & sarcula tantùm
Assueti coquere & matris ac vomere lassi,
Nescierint primi gladios excudere fabri.

Nunc ergo ad ipsa transeamus *Vulnera*, vel ab hominibus vel bestiis *violenter inflicta*, quæ sunt ita simplicia, ut definitione seu descriptione non opus habeant. Vulgo verò in foro Medico *describitur Vulnus*, quòd sit continui solutio in parte quadam molli & carnosa (cur non æquè in dura ac fibrosa, caro enim discindi nequit absque læsione cutis & fibrarum?) ab instrumento aliquo secante vel pungente violenter facta.

Animum ergo Veteres intendunt duntaxat ad partes solidas, atque ad magis sensibiles: sex quis nescit corpus nostrum ex solidis & fluidis componi partibus? Neque illas dividi aut rumpi posse, ut non fluidarum ordo & mixtio turbetur, quo divortio semel admisso novæ statim fiunt combinationes, concreta, variæ oriuntur excrescentiæ, coagulationes, stagnationes, quæque fabri existunt omnium illorum graviorum symptomatum, quæ vulnera comitari solent. Cor-

Corpus enim nostrum nihil aliud est, quàm congeries indefinitorum canaliculorum, tubulorum & vasculorum fluida varii generis corpuscula transmittens. Hinc Chirurgi æquè fluidarum, quàm solidarum partium habeant rationem necesse est.

Differentia Vulnerum.

Vulnerum Differentias quod attinet, nunc vulnera sunt majora, nunc minora, atque cæsim vel punctim inflicta, nec ad eandem illata mensuram, sed mille modis variantur. Hinc variæ ab Auctoribus recensentur differentiæ, quas vulgò in Essentiales & Accidentales dividere solent, illas desumunt à vulneris essentia, partis vulneratæ conditione & causa, has verò à fiendi modo, situ & tempore. Meliori verò jure dividi possunt vulnera in vulnera Sclopetorum, contusa, puncta & morsa. Item in Vulnera Capitis, Thoracis, Abdominis, Hepatis, Lienis aliorumque viscerum, & externorum Artuum, qualem nos in Chirurgia hac nostra ordinem observare voluimus.

Pars affecta

§. 2. *Pars affecta* Vulnerum non tantum sunt canaliculi vel partes fibrosæ aliique tubuli totius corporis, sed & ipsi succi in iis contenti, itaque si tubæ his in partibus producantur, & harmonia illa stupenda à legitima pororum dispositione & particularum ordine dependens, auferatur, eadem contingent infausta emergentia; ibi enim corrosivum senties acidum: hic varia habebis salia: illic tetricum restagnabit liquamen; alibi purulentam conspicies amurcam: hic intumescentiam, ibi inflammationem, alibi excrescentiam & dolores reperies atroces, quæ cuncta non tàm ex continui solutione, quàm ex fluidorum perverso ordine, statu & mixtione natales suos habent. Partes ergò æquè internæ ac externæ, quia ex iisdem constant tubulis, à causa violenta lædi possunt.

Diagnosis.

§. 3. Quoniam ipsa vulnera quoad externam præsertim faciem in sensus incurrunt, inanem luderem operam, si recensendis *Signis Diagnosticis* diutiùs immorari vellem: quod enim interiorem concernit constitutionem, situm & magnitudinem, ea nonnisi sagaci conjectura, & accurato Medici judicio sciri poterunt, siquidem haud semper facilè judicatu sit, quæ partes internæ vulneratæ sint, & quousque vulnera penetraverint, cum tale Scrutinium Scientia anatomica, & diligenti partium, actionum læsarum, nec non excretorum examine nitatur: verbi gratia, in Vulnere Thoracis sanguis cum tussi si reiicitur, & aer è Vulnere foras egreditur, certiores reddimur instrumentum in thoracis cavitatem penetrasse, ipsosque pulmones cum vasis sanguiferis perfodisse. Ex anatomia ergò sciendum est, quis partis cujusvis situs, quis usus, symptomata simul consideranda sunt, ex quibus apparet succorum corporis indoles & dispositio, hinc & eorum quæ per vulnera eiiciuntur, conditio notanda.

Propria cujusque Partis accidentia contemplari animus non est, cùm vulnerum particularium in propriis Capitibus mentionem jam injecimus, quo Lectorem remittimus, sed earum partium tùm internarum, tùm externarum, quarum nondum mentio facta est, considerabimus: Ex. gr.

Corde vulnerato vel percusso vel transfosso, sanguis multus effluit, ac præsertim si dexter ventriculus vulneretur, unde etiam niger exibit sanguis ac fervens: Si vasa lymphatica fuerint simul discissa, magna lymphæ copia in thoracis cavitate reperitur, nam ex sinistro cordis Ventriculo sæpè flavus emanat liquor, in his Vulneribus arteriæ languescunt & albescunt, vires collabuntur, sudores frigidi cum colore faciei pallidissimo erumpunt, tandem omnia externa frigent, quod frigus sæpè excipit mors atrox.

Septo transverso percusso & vulnerato præcordia sursum quasi attrahuntur, spina dolet, spiritus rarus existit, anxietates præcordiorum cum sanguine spumante ejecto sæpe observantur, magna adest spiratio cum gemitu & dolore per totam humeri partium compagem.

Medulla percussa quę in spina est si vulneretur, nervi resolvuntur vel distenduntur, sensus intercidit interposito tempore aliquo, inviti per inferiores partes vel semen, vel urinam, vel stercus excernere coguntur ægri.

Icta aspera arteria exiguum sanguinem fundit, ad dorsum plurimus dolor, fauces paulatim sanguine replentur, vox rauca & linguæ aciditas percipiuntur.

Ubi Vulnera venenata sint, seu à venenatis telis aliisque instrumentis inflicta fuerint, ea Vulnera reperiuntur statim sicca, & circumcirca pallida, sublivida & quasi cadaverosa apparent: simul adsunt deliquium animi & cordis palpitatio, caput obfuscatur, convulsiones artuum, aliaque symptomata observari solent, tandem accedit Gangræna ac Sphacelus, quem excipit utplurimùm Mors. Nota enim est historia de Balneatore, qui lancetta sua necavit scarabæos, aliaque plura insecta, unde Vulnera, quæ instrumento hoc instituit in V. S. aliisque operationibus, incurabilia exorta sunt.

Ætiologia secundùm Galenicos Vulnerum.

§. 4. Nunc ad *Causas Vulnerum* accedamus; & primò de iis *Veterum Galenicorum* judicium audiamus, qui *Causas Vulnerum* dicunt omnia illa, quæ extrinsecùs advenientia, continuum solvere valent: Vulnera enim partibus mollibus induci fatentur ab externis instrumentis tundentibus, scindentibus, contundentibus, & dilacerantibus, vel animo hostili, vel ex incuria & imprudentia adhibitis, item vel à lapsu, vel ictu bombardæ, aliusque rei externæ continuum violenter dissolventis. Symptomatum quoque in Vulneribus obvenientium rationem reddamus ex ipsorum sententia. Dolorem, tristem illam sensationem deducunt vel à puris quantitate nimia, vel qualitate, vel calida vel nimis frigida intemperie, doloris enim causa est continui solutio, vel intemperies, non sensim sed confertim facta, continui autem solutionem fieri ajunt vel ab humorum influxu, vel à corpore præter naturam infixo, vel à qualibet alia re distendente, comprimente & aggravante. *Inflammationem* Vulneri supervenientem à sanguinis & bilis influxu nimio deducunt. *Oedema* verò eidem accidens ex debilitate caloris nativi, alimentum non concoquentis, sed in pituitam tantùm vertentis fieri asserunt.

Pruritum Vulnera sæpè comitantem ab humore salso, mordace, & amaro contingere haud dubitant.

Livorem verò Vulnerum fieri ajunt vel ob caloris nativi exstinctionem, vel ob frigidam intemperiem, vel ob nigrum in parte contentum humorem, vel ob os subtus corruptum.

Juxta Paracelsum causa Vulnerum.

§. 5. *Paracelsus* inter plurima quæ Chirurgum nosse dicit, primùm ac præcipuum illud esse dicit, ut quocunque tandem oblato Vulnere, primo statim intuitu, qualenam illud sit, cognoscat, qui de curationis possibilitate, ac fine certi quid prædicere queat. Sanorum corpora tot casibus exposita esse inquit, ut à variis instrumentis externis inferantur varia & diversa Vulnera, imprimis à plagis cæsim vel punctis illatis, infici quoque dicit ab hostibus enses, gladios, hastas, tela: domesticis quoque usibus venenum contrahere ait instrumenta mechanica, ut falces, ex. gr. quæ usus tempore dum incalescunt, naturam eorum quæ secant, ut herbarum, rubetarum, aranearum, facilè recipiunt.

Febres in Vulneribus à cœlo fieri contendit, & tales quidem febres, quæ statis periodis rigore & calore paroxysmum perficiant, quæ quotidianarum ac tertianarum typos observent, quæque non priùs ægrum relinquant, quàm vulnus ipsum coaluerit: superveniunt adhæc Vulneribus affectiones, quarum radix non ipso Vulnere, sed in toto corpore continetur, ut sunt phrenitides, epilepsiæ, spasmus &c.

Fusorum verò ac aliorum instrumentorum, quæ frequenter manibus versant homines, (mulieres præcipuè,) virus admodum pestiferum Vulneribus existere arguit, quod ea ex frequenti usu venenum in se recondant vehementissimum.

Hæmorrhagiam in Vulneribus vel ex ira, vel ex Venere, vel ex motu, vel ex repletione, vel ex cœlesti constellatione fieri existimat.

Sinoniam seu fluxum glutinis albi duabus de causis in Vulneribus accidere ait, vel enim ægrorum libidine ac inobedientia, vel Chirurgi errore tùm in medicamentis, tùm in deligaturis commisso.

Phlegmonen per vim illatam Vulneribus obvenire ait.

Spas-

Spasmum verò oboriri asserit à nervis in Vulneribus læsis.

Luxuriantem verò carnem, vel ob medicamenti vim, ob plethoricam constitutionem fieri asserit.

Helmontii Opinio de causis Vulnerum.

§. 6. *Helmontius* in *Vulneribus* non solam continui fieri asserit solutionem, sed simul introduci exoticam qualitatem, unde labra Vulneris indignata, mox æstuant, apostemantur, imò totum abinde corpus febribus ac varia Symptomatum syndrome conflictantur.

Pus fieri Author in Vulnere ait, cùm fundum vel labra Vulneris acor, putredinis index contrahit. Item vermes in Vulneribus ob putredinem produci existimat uti in culinis, si carnes corrumpi incipiant illarum juscula acescere solent.

Ipsam continui separationem esse ait quidem immediatam, atque sufficientem causam occasionalem, quatenus nempe aperit, contundit &c. quæque etiam consolidatione eget.

Vulnerum dolorum sucitari ait ab aqua glareali, quoniam vulnus ex cruore celerem copiosamque parat Synouiam sive glarealem aquam.

Sedationem ergo Archei indignati & irritati necessariam pro Vulneribus forinsecus inflictis & duplatis, quæ proprio nomine ad mentem ipsius dicuntur Vulnera sua, scilicet qualitas & dispositio exotica vel maligna, Vulneribus alias simplicibus introducta & impressa per ideas malignas indignationis, iræ, vindictæ &c. concepta, adeoque sola censura læsionis & sensationis injuriæ & indignæ, quando homo læditur, nisi à se ipso, currente simul aeris inimico congressu, unde mox sanguis & Archeus in labris Vulnerum offensus æstuat, intumescit, apostematur & suppuratur: idque per extractionem dipositionis hujus peregrinę, qua labra ab omni accedente doloris & suppurationis pure servantur moxque per se sponte accrescunt, quia ipsa Natura est morborum Medicatrix.

Secundùm Vvillisium causa Vulnerum.

§. 7. *Vvillisius* nullas alias Vulnerum causas agnoscit præter res omnes scindentes & acutas, quæ parti cuidam violentiùs applicatę continuum ejus solvunt. Easdem etiam illorum causas cum aliis Authoribus statuit, tùm quod ad ipsorum vel partis affectæ constitutionem, tùm quod ad eorum prognosin attinet.

Iuxta Sylvium causa Vulnerum.

§. 8. *Sylvius* easdem Vulnerum causas statuit, agnoscit enim continui solutionem à quacunque etiam re externa violenter inductam.

Cartesianorum judicium de causis Vulnerum.

§. 9. *Cartesiani* Vulnera in continui solutione cum reliquis Authoribus consistere haud dubitant, & ea æquè in mollibus ac partibus durioribus contingere asserunt, læduntur enim juxta ipsos modò caro, ossa, modò tendines, vasa alia, ligamenta &c. Vulnera agnoscunt cum aliis externa, & quæ ad internas penetrant partes, ea enim fieri in Capite, Pectore, Ventre & Artubus toto observant die, sunt vel profunda vel superficialia, vel transversa, vel infliguntur punctura, vel à sclopeto, vel à morsu, vel a lapsu, vel ictu.

Causas ergo vulnerum esse dicunt vel *res scindentes*, ut sunt culter, forfices, gladii, enses, vitra, glacies, crystallus; vel *res pungentes*, ut sunt acus, acidulæ, spinæ, dentes, tela, &c vel *res perforantes*, ut sunt globuli grandiores & minores; vel res *contundentes*, ut lapsus, ictus, plaga, elevatio ponderis majoris &c. Quæ omnia partibus corporis vi quadam intruduntur, continuum solvunt, & vulnus excitant.

Nostra sententia de causis Vulnerum.

§. 10. Vulnerum *causæ*, nostro judicio, sunt res externæ varię violenter partibus nostris solidis intrusæ, sive sunt perforantes ut gladius, stylus, hasta, acus, frustum vitri, spina, ictus ac morsus bestiarum, imo hominũ iracundorum, globulus ex sclopeto ope pulveris pyrii accensi emissus, sagitta, & innumera alia, quibus discinduntur corporis nostri tubuli canaliculique, & succis conceditur effluxus, & hinc commixtio perversa oritur, à qua plura ac innumera deducuntur symptomata: sunt & res secantes, ut ensis, culter, &c. sive contundentes, ut pugnus, baculus, lapis &c. fortiter & impetuosè machinæ nostræ partibus mollibus carneis fibrosis, atq; duris membranosis, imo aliquando ipsis visceribus impulsa intrusaque, interdum & ipsis ossibus, tunc dicitur vulgò vulnus cum fractura ossis. Certum enim est canales & membranas in vulnere lædi. Apertio enim eorum vulnus facit, & vulnus sæpe est in membranis, quæ canales constituunt, quæ canalium ruptio fit vel 1. à ruptione, cum vi disrumpitur canalis ab humore quem continet impetum faciente, 2. ab erosione, cum ab acredine canalis perforatur, 3. à vi externa, contusione, punctura, incisione sive sectione.

Prognosis Vulnerum.

§. 11. Relicta causa transitum facimus ad *Prognosin* vulnerum, à qua plurium salus sæpius dependet, interest enim scire, vivente etiam adhuc vulnerato, an vulnus periculosum, vel an, uti illi loquuntur, per accidens aut per se lethale sit. Ubi statim sub considerationem venit distinctio vulnerũ in simpliciter & semper lethalia. Periculi certè plena res est judicium ferre de Vulneribus, atque an per se, an verò per accidens lethalia sint renunciare, etenim juxta hujusmodi renunciationes Medicas Iuris-Consulti sontes reos condemnare, insontes verò absolvere solent: quia ergo hìc de sanguine & corio humano agitur, qui sanguis semel effusus, nullam restitutionem in integrum à Prętore impetrare potest, ideò probè & absque omni prejudicio singula accuratè circa vulnus inflictum examinanda sunt, diuque deliberandum, quod de lethalitate semel statuendum est. Nobis displicet distinctio ab omnibus recepta, nempe inter vulnera *per se* & per *accidens* lethalia. Si vulneratus moritur symptomatibus dirioribus, quæ necessario vulnus sequuntur, cur dicetur tale vulnus per accidens lethale, cum enim vulnus tale non fuerit inflictum, æger non mortuus fuisset Carnifex vulnera infligit per se lethalia, uno ictu mortem inducens: meliori ergò jure, respectu graviorum symptomatum vulnera possunt dici valdè periculosa. Qua de causa enim vulnera cordis, cerebri, vesicæ &c. per se æstimantur lethalia? certè quod tendinosæ ac membranosæ, ac nervosæ, item vasa diversa fuerint læsa, liquorumque hinc effusiones, irritationes, stagnationes, convulsiones, deliria concitata & tandem mors oboritur. Contraria tamen testatur experientia & Autopsia edocens, quandoq; stupendas fieri curationes, & generosum Medicum nunquam difficillimis in casibus terreri debere. Sic visum est cordis vulnus non lethale in demortuo ubi in cordis substantia musculosa cicatrix observata fuit ab inflictu ensis ante plures annos facto. Nec in simplici & absoluta lethalitate temporis habenda est ratio, cùm vulnerati in corde aliisq; visceribus & partibus nobilibus, quãdoque ad diem undecimum, quandoque 15. & plures adhuc supervixerint, profecto non video, quomodo hęc vulnera & absolutè & simpliciter sive semper mortifera diceda sint: confer *Pechlinum, Bonettum, Vvilhelmum Rivam Chirurg. Rom.* Nos quoque Limburgi vulnus profundum cerebri observavimus sanatum. Sic quoque vulnus glande plumbea inflictum non fuit lethale, in *Ephem. German. Ann. 9. & 10. Observ. 85.* pari felicitate intestinum jejunum vulneratum sanavit ipse succus nutritius blandus in sauciati corpore existens, in *Zodiac. Gall. Ann. 1. Obs. 5.* adde *Decur. German. Ephem. Ann. 2. Obs. Tulpii*, in quibus stupendas plures vulnerum sanationes admiraberis. Plura enim olim lethalia Vulnera nominabãtur quàm hodie, ubi dies diem docuit, & vulnera quædam tot retro seculis pro lethiferis habita, nunc non nisi certis positis circumstantiis fiunt mortifera. Ex quibus omnibus patet Vulnera Cerebri non nisi profũdiora, nervorum principium & nervos alios attingentia, vel cum lethalibus symptomatibus sociata, lethalia fore. Vulnera etiam cordis profundiùs acta nervos, atque magna arteriosa ac venosa vasa lædentia, item vulnera spinalis medullæ non procul à cervice inflicta, nec non vulnera diaphragmatis in parte nervæa, ut & vulnera arteriæ magnæ, venæ cavę, vel etiam venæ arteriosę & arterię venosæ non procul à corde illata lethalia sæpe sunt: ut & ictus intestinorum tenuium, ubi multa vasa sanguifera concurrunt, in hoc casu sanguis aliique succi effunduntur, & æger mori cogitur. Vulnera vesicæ & ventriculi majora & in parte nervea inflicta, majorumque tendinum nervorumque cum dirioribus symptomatibus ex necessitate lethalium censeri possunt, & sunt periculosissima. Vulnera quoque hepatis, lienis, pancreatis diaphragmatis, in parte membrano-

branosa, item fibrarum plurium in abdomine contentarum, ut plurimum sunt periculosissima imò lethalia. Idcirco necesse est, ut inspectores Vulnerum in Anatomico Studio ritè sint versati, texturam, constitutionem, connexum, situm, & usum partium internarum probè sciant, Cadaver etiam cautè aperiendi & sollicitè inspiciendi modum calleant: præterea in Vulnerati ætatem; statum pristinæ sanitatis, vulneris modos & figuras, instrumentum, quin & posituram corporis in qua tum temporis Uulneratus læsus est, atque insuper in omnes illas circumstantias & accidentia, quæ in ipsa vulneratione & ab ipso Vulnerato, tum ratione curæ, & diætæ, ut & quoto die acciderint, anxiè inquirant: & quę ulterius scitu necessaria sunt ex actis à Judice loci collectis petant, singula attendant trutinentque. Unde manifestò patet, non cuivis Barbitonsori, aut Balneatori, aut Carnifici soli Vulnerum inspectionem aut Cadaveris apertionem tutò committi posse, sed artis probè peritos Medicos ac exercitatos Chirurgos consulendos esse, videantque illi Judices, quomodo conscientiæ suę consulant, qui contingere graviore vulneratione, aut etiam non necessaria, si quis vulneratus demortuus est, Cadaveris apertione & inspectione, imperitos & quemcunq; tandem proximè habitantem Empiricum ad inspectionem vulneris ac curationem Vulnerati, apertionemq; demortui requirunt. Etenim quomodo quęso accuratam, legitimam, ac juxta leges artis institutam inspectionem vulneris, aut apertionem Cadaveris, aut etiam ęquum super lethalitatem vulneris judicium exspectare poterit Judex ab eo, qui artem nunquam studuit. Hoc tamen non obstante, quantum hoc in passu toto die peccetur, optimè norunt Collegia Medica, utpote quæ hujusmodi à Barbitonsoribus & Balneatoribus & Carnificibus commissos errores, atque absurdas sæpe relationes vix satis detestari possunt. Materia hęc meretur ut intimiùs examinetur, nobis verò hac vice non libet, festinandum enim nobis est ad reliqua prognostica, in qua prognosi ritè formanda observandas sequentes regulas experientia & rationibus sancitas, nobis pręfigimus, ex quibus periculum hauriri potest. 1. Loco stet *pars læsa*: 2. *Vulnus ipsum*: 3. *Ipsius cura*: 4. *Vulnerati persona*. In parte læsa præprimis considerandum qualis illa sit, an nobilis, & qualibus partibus solidis & fluidis constet, & an ad vitam simpliciter necessaria sit nec ne? an majora vasa, nervos ac tendines habeat? In vulnere ipso videndum & sciendum est, quo instrumento id factum, an venenatum, an verò minùs, an cęsim, punctim, aut contundendo factum: explorandum quoque est, an vulnus sit magnum, transversum, profundum, an in ipso plures fibræ, arteriæ, venæ, tendines, ac nervi discissi ac lacerati fuerint, quæ necessariò & inevitabiliter graviora post se trahunt symptomata, ex. gr. hæmorrhagiam nimiam, dolores, vigilas, subitaneam inflammationem, Gangrænam, Sphacelum, deliria, convulsiones &c. In *Cura* observandum est, an remediorum adsit applicandi possibilitas nec ne? an Chirurgus peritus in promptu adfuerit, an iste cum Medico nihil auxilii & remedii omiserit, aut uterq; vel ambo inter operandum aliquid erroneum commiserit. In *persona* Vulnerati perpendendum est, an ante acceptum vulnus sanus fuerit nec ne, an nullum in Dięta commiserit errorem, an ex præscripto Medici vixerit.

In genere vulnera punctim inflicta plus alunt periculi quàm quę cæsim facta sunt. Vulnus cum intensa febri inflammatoria, dolore, convulsivis motibus, monstri quid alit, imprimis si ab initio Vulneratus se ritè habuerit & citra causam aliquam manifestam externam ruat in deterius. Vulnera Nervorum aliquando bona apparent, sed ex improviso invadit Vulneratos convulsio, hinc infida sunt, si materia serosa effluat instar seri, (*uuie Molcken*) vel si lactea instar albuminis ovorum vel aquea, dicunt Chirurgi id esse *das Gliedwasser*: cùm verò nostro judicio vel succus nutritius vel lympha ex vasis lymphaticis discissis emanans est. Si nervus, aut tendo, aut arteria aut vena, si in totum fuerint recisa, minus intendent periculum, quàm si tantum ex parte fuerint dissecta. Vulnera hæc nervorum, item tendinum aliarumque membranarum gravioribus stipata symptomatibus sunt periculosissima, & ut plurimùm lethalia. In Vulneribus pus laudabile & maturum, seu concoctum, uti vulgo dicunt, mox apparens, sicuti testimonium sanguinis succique nutritii ritè dispositi perhibet, ita brevi sanationē pollicetur. Tempore ęstivo, & quidem circa dies caniculares, nullum vulnus quamvis exiguum in subjecto cacochymico seu scorbutico superficialiter tractandum, cum eo tempore ex parvo vulnere magna oriri possit calamitas, prout id pluribus comprobare possim exemplis; Succi enim nostri non tam multis gaudent spiritibus, quia tum temporis calidissimi per apertam portam, puta cutis spiracula, evolant, & sic sanguinem nostrum reddunt debilē & imbecillem, hinc & ipsa pars suis caret spiritibus, & sic mixtura turbatur & inordinata fit mixtio, unde sępe Gangræna ac Sphacelus natales suos habent. Sic videmus cerevisiam quoque diebus canicularibus faciliùs acescere quàm hyeme. Nimium etiam frigus Vulneribus etiam obest adeò, ut Nobis persuadeamus, si aer à vulnere arceri possit, vulnus spōte iterum coiturum esse. Frigus enim obstructiones parit coagulando succos in vulnere existentes, impedit transpirationem incrassando omnes succos, hinc sæpius inflammatio, gangręna, livor &c. ortum suum habent.

Si in magnis Vulneribus & pravis tumor non appareat, id ingens portendit Veteribus malum, quod tamen nostra experientia falsum est, melius enim est nullum adesse tumorem, denotat enim partes fluidiores posse circulari, nec tot discissos esse canales. Vulnera quo diutiùs aeri exposita sunt, eò faciliùs sphacelantur. Vulnera à sclopeto inflicta plus damni inferunt quàm alia, non verò propter imaginariam illam ambustionem, quam à glande fieri plures persuasum habent, ast ob variarum fibrarum, aliorumque canaliculorum fortiorem contusionem, & subitaneam earum discissionem. Nisi enim iis qui bombardam explodit, admodum vicinus sit corpori læso, ita ut flamma pulveris pyrii attingere possit, nunquam ambustio animadvertitur: hinc montes aureos frustra pollicentur ii, qui arcana sua nescio quæ antipyretica contra ambustionem crepant jactantque. Vulnera venenata sæpius sub pelle vulpina ex insidiis suam exercēt atrociam, & si in aliis, certè in his momentum temporis, à quo magni exercitus clades hoc tempore sæpius dependet, reverenter habendum, cum præsentia tempora, uti olim, teste *Curtio* apud *Alexandrum*, & segnes Medicos & lenta remedia non expetant. Vulnera, quorum labia maximè disjuncta sunt, ut in rotundis vulneribus videre est, difficiliora sunt curatu, quàm eorum quorum labia facilè conjungi possunt; ratio in promptu est, quia tubuli sibi propiùs accedere & sic accrescere possunt. Malum signum habetur, si convulsiones *Vulnus* comitantur, denotat enim lacerationem & contusionem majorum nervorum, ita tamen factam, ut istæ fibrosæ partes non planè discissæ, sed tantum punctæ fuerint, unde circulatio succorum imminuitur, & per consequens inflammatio, gangręna &c. aliaque symptomata producuntur.

Vulnera Sclopetorum summam etiam spirituum & sanguinis perturbationem inferunt, semper enim aliquid de ipsa substantia aufertur, sic quoque est semper Vulnus compositum, vix enim transit globulus cutim, ut non nervos, tendines, fibras atque varios cum contusione maxima tubulos lædat. Vulnera sclopetorum sunt vel cum vel sine ossis fractura: illa sunt periculosiora & curatu difficiliora, hæc verò non tàm periculosa. Vulnera quæ cavitatem insignem penetrant, ut caput, pectus, ventrem sunt periculosiora, quàm si transirent partem carnosam.

Vulnus ab acu lethale observatum est, testantibus *Ephemerid. Germ. Ann. 3. Obs. 319.* Sic dum hæc scribimus, quidam duorum digitorum unguibus comprehendit mammæ alicujus fœminæ partem, & fortiter comprimit, à qua pressione tumor urgens exortus est, qui tandem exulceratus, & metus erat, ne cancer ipsam corripiat. Vulnera nervorum, ceu diximus, vix sanabilia sunt, instituimus sæpius in canibus experimentum, quibus nervos recurrentes ab utroque latere cultro dissecavimus ad omnem vocem vel sonum eis adimendum, altero tamen die vel tertio canes sic vulnerati utplurimuùm sine voce moriebantur.

Vulnus

Vulnus à fele rabida Vetulæ cuidam inflictum non tantum maximam inflammationem, sed & gangrænam accersit illi, quæ tamen congruis infrà dicendis remediis feliciter curata fuit. Vulnera aliàs à rabidis animalibus inflicta periculosissima sunt, accidit sequens exemplum hoc anno. Puer 17. annorum auceps avium Ortelans dictarum, ante 4. mensium spatium à cane rabido mordetur in manu, quo morsu facto assumpsit theriacam & benè sudavit, vulnerique congruis etiam prospexit remediis, ut ritè consolidata fuerint vulnera parvula. Quid fit? puer iste hisce diebus absque ulla data causa de cordis anxietatibus maximis conqueritur, & prorsus nihil deglutire potuit ob spasmum, & sic intra 24. horarum spatium absque ullo alio obveniente symptomate mortuus est. Sic sæpè fermenta ista venenata in tubulis diu latere possunt, data verò occasione facilè sanguinem nostrum coagulare, & mortem accersere possunt. Ictus etiam vesparum & apum aliorumque animalium infligunt etiam vulnera, quamvis minima, attamen, utplurimùm pungunt corpora compactiora, ut sunt partes fibrosæ, tendinosæ ac membranaceæ, hinc etiam oriuntur atrociora symptomata, ut sunt inflammatio, convulsio, gangræna ac nonnunquam ipse sphacelus. Nuper balneator quidam hujus civitatis venam secaturus loco venæ nervum tetigit, à qua punctura atrocissima symptomata, ut Inflammatio, gangræna, sphacelus ac tandem ipsa mors subsecuta est.

[Di]æta. [V]ulnerum.

§. 12. Atque hæc quidem de *Prognosi* in genere dicta sunto, cùm Vulnerum particularium prognosin suo loco jam dixerimus, restat ut *Diætam* paucis etiam attingamus. Ante omnia vitandus est aer, quicunque enim in vulnere arcendus est, qui solus ita poros vulneris destruere potest, ut Gangrænæ aperiantur fores. Si enim recens Vulnus in momento constringi possit, ut nec aer externus irrueret, nec amplius quid è vulnere efflueret, à solo liquore nutritio dulci fibris aliisque canaliculis ruptis apposito consolidaretur. Maximè enim aeris habendus est respectus, qui sæpe quid in sinu gerit quod Vulneribus infensum est, uti constat ex obsidione Insulæ Candiæ, ubi Christiani tum temporis levissimè vulnerati, quicquid etiam adhibuerunt Medici ac Chirurgi, obierunt. Contra Æthiopes ad Caput Bonæ spei habitantes gravissimis Vulneribus nil applicant aliud quàm sevum ovillum, quod callidum Vulneribus instillatum, ea feliciter curat, nimirùm aerem jam ingressum expellendo & recentem non admittendo. Imprimis verò vitetur aer frigidior ac calidior, & sit potiùs temperatus, pessimè enim consulunt sanitati ægrorum suorum illi Chirurgi, qui sæpius Vulnera detegunt & aeri exponunt.

Victus sit tenuis, boni lacteique succi, hinc enim generatur optimus chylus qui vulnerum est balsamus universalis, & quod Veteres *Naturæ* adscripsere, id Nos huic succo nutritio adscribimus. Angue pejus fugiatur omnia acida & salsa saccharataque, eò enim semper respiciendum, ut succus nutritius dulcis ac fluidior generetur. Conducunt ergò omnia hordeata, aliaque juscula cum succo Cherefolii, Veronicæ, Beccabungæ, Portulacæ aliisque cocta, item conveniunt varia aromatica. Malè ergò Veteres in Vulneribus commendarunt diætam frigidiorem, inde enim magis incrassantur succi & functiones reliquæ impediuntur. Vulneratis semper alimenta calida dentur, imprimis si febris adest, in hoc enim casu frigida maximè nocent.

Potus non sit liberalior, sed moderatus, cerevisia sit tenuis ac ritè defœcata & herbis vulnerariis maritata, vini generosi usus præsertim in assuetis non planè interdicatur, uti fecerunt Veteres, eligatur dulce vel Gallicum vel Hispanicum vel Hothadiense crudiori Tartaro non abundans, nec adeò acidum, ut sunt quædam vina Rhenana.

Sed Vinum optimum non sumatur mensuratim, ast cochleatim, sic enim vinum sanguinem & succos nostros corroborat, & hic multùm consuetudini dandum est, si enim succi nostri singulari gaudent mixtura particularum vinosarum, iisdem & sustentari volunt, ex. gr. si enim quis vino adusto assuetus sit, & una vice id intermittat, certè maximum vitæ periculum incurret, ceu pluribus exemplis demonstrare possumus. A solo lactis potu calido periculosè vulneratos bene habuisse hactenus observavimus, imprimis si potus Theæ fuerit commixtus: vel solus potus Theæ vel Caffeæ, vel Veronicæ aliusque herbæ Vulnerariæ conducet.

Somnus & Vigiliæ mediocriter se habeant, somnus tamen sit liberalior, magis enim convenit quàm Vigiliæ immodicæ; Æger non decumbat in latus læsum.

Excernenda assumptis respondeant quantitate, & justo excernantur tempore. Vitentur præprimis in Vulneribus Animi passiones, nocent enim ira, mœror, Venus, quæ existunt sanguinis, ac imprimis succi nervei coagulatores maximi, quæ eapropter ceu pestis fugienda sunt: sic & risus vitetur, cujus noxam vide apud *Hildanum Cent. 1. Obs. 15. pag. 26.* Maximè enim, ceu dictum, ab animi passionibus coagulantur sanguis ac succi corporis reliqui, qui coagulati quam tragœdiam producant, Medicis omnibus jam notum est, imprimis in Vulneribus, ubi omnes succi liquidiores ac fluidiores esse debent, ut eò citiùs per canaliculos minutissimos fluere & refluere possint hinc enim fit cōsolidatio Vulnerum, à stagnatione verò & coagulatione è contra fiunt inflammationes, tumores, ulcera & alia plura mala, alibi ad nauseam jam dicta.

Curatio secundum Galenicos Vulnerum.

§. 13. Perspecta *Diæta* nunc ordo nos jubet accedere ad *Curam Pharmaceuticam* ac *Chirurgicam*, priùs ergo *Veterum* de *Vulneribus* audiamus curandi rationem, quę juxta ipsos consistit in labiorum disjunctorum reunione, ut illa, quæ per divisionem plura sunt facta, unum fiant per unionem, quam dupliciter fieri asserunt, vel à Deastra Natura, vel à Medico. *Naturam* dicunt id facere tanquam agens præcipuum, & tanquam causam efficientem, alterantem, regenerantem, alentem, nisi fuerit impedita; Medicus verò secundùm eos saltem tanquam minister naturæ, impedimenta removet, atque ita secundariò curat: quod ut faciat, debet primò efficere, ne quid extraneum in Vulnus incidat, ut sunt pili, pulvis, oleum, quod conglutinationem impedit: secundò ut, si quid inciderit, tollatur, ut sunt sanguinis grumi, ossa, terra, &c. quæ si absque ægri interitu demi possint, demenda esse ajunt, idque bifariam vel instrumentis, vel medicamentis. In telorum extractione diligenter attendunt eorum figuram & partem cui affixa sunt, & quàm profundè hæreant: Instrumenta telis extrahendis apta dicunt *rostrum corvinum, forcipes, novacula, terebras, impellens cavum, seu perpulsorium fœminam, & perpulsorium marem* &c. Medicamenta, quibus externa tela scilicet spinas extrahunt, sunt emplastrum diadictamnum, sapo niger, rad. dictamni albi, aristoloch rotund. cum melle mixta, arundinis, radix thapsiæ, sagapenum, ammoniacum, lignum visci quercini, succinum, magnes præparatus &c. ex quibus parant emplastra, vel unguenta vel cataplasmata. Extractis & remotis iis, quæ curationem frustrabantur, partes disjunctas reuniendas esse consulunt, labia Vulneris æqualiter & comitanter conjungendo, quod Medici potiùs quàm Deastræ *Naturæ* beneficio perfici ajunt. Fieri autem reunionem contendunt, vel vinculo ex duobus initiis circumdato, vel ligatura sola, vel sutura, vel fibulis impositis, aut horū quibusdam emplastris glutinantibus, omnem, quantum fieri potest, dolorem præcavendo: suturam plerumq; fieri debere statuunt in partibus mollibus. Eò etiam respiciunt, ut partes debito situ, pulvinariis, fasciis, aere competenti conserventur. Veteres de conservanda partis temperie in Vulneribus maximè soliciti sunt, hac enim conservata vulnera faciliùs conglutinari & sanari dicunt, cū solius sit temperamenti & naturæ opus: Necesse esse proinde ajunt partis tonum & siccitatem in suo gradu continere, quod fieri dicunt optimo instituto victus ordine, pharmacia, phlebotomia & Topicis medicamentis, inter quæ siccantia, moderatè refrigerantia & adstringentia cōmendant, ut nempe superfluæ humiditates absorbeantur. Refrigerātia concentrare ajunt calorē & unire, Astringentia verò corroborare & repellere, laxitatem parti adimendo, quę ad humorū receptionē plurimū facere asserunt, Glutinatione enim & invíscatione opus esse monēt, quę plurīū corporū unionē per mixtionem partium procurat.

Vinum nigrum stypticum seu austerum astringendi & siccandi vi vel facultate pollere dicunt item sequentia, ut sunt succus millefolii, anagallidis, plantaginis, fol. salicum, vesicularum ulmi, cupressi, equiseti, pulv. sangu. draconis, boli Armen. cort. granat. balaustiorum gallarum immatur. rosar. rub. corall. rub. lap. hæmatit. terr. sigillat. santal. rub. mast. sarcocoll. aloe &c. ex his plura componunt medicamenta; magnificaunt empl. diapalm. de cerussa, ungu. aureum, citrinum, basilicum; ad partis robur conservandum ex iisdem parant varia defensiva, quæ superiori parti membri, ad impediendum humorum affluxum, applicant. Purgationem quoque Veteres in Vulneribus magnis suaserunt ob revulsionem; si nempe partes superiores fuerint læsæ, per inferiores partes corpus evacuant, & prout humores maximè peccare videntur, & patientis temperamentum indicat, ita & purgationem esse dicunt: Si nempe biliosi redundent humores, cholagoga, si melancholici peccent, melanagoga exhibent. Hipp. & alii in Vulneribus (non verò sine periculo) scammonium promiscuè adhibuerunt. Quod symptomatum Vulnerum curationem attinet, si dolor oriatur à calida intemperie, & post illam frigida, calidam intemperiem corrigunt decoctis, vel aqua vel succis refrigerantibus, ut decoctis, aqua, vel succo solani, lactucæ, endiviæ, rosar. violarum, nenufaris &c. sæpiùs applicatis, vel albuminibus ovorum benè conquassatis cum oleo rosaceo, iisque madefactis linteis sæpiùs adhibitis. Frigidam intemperiem contrariis curant: utpote coquunt salviam, rorem marinum, folia lauri, lavendulam, majoranam &c. in vino generoso & applicant, madefactis in eo linteolis, vel spongiola in oleo vulpino, chamæmelino, de spica, lumbricorum & similibus intincta superligant. Si veneni adsit suspicio, hisce semper alexipharmaca & venenum attrahentia commiscent, si verò corpus quoddam extraneum dolorem excitet, ut v. gr. grumi sanguinis partem distendentes, fluxionem revellendam esse ajunt per venæsectionem; si alia qualiacunque, hæc quamprimùm removenda: eodem modo si à vinculis, vel suturis excitetur dolor, illa laxanda esse dicunt, has verò tollendas.

Si quantitas puris dolorem faciat, huic exitum per dilatationem procurant. Anodyna interdum adhibent, ut oleum nenufarinum, de mandragora cum pauco opio & castoreo ad corrigendum frigus: vel contundatur solanum cum radice, & cum axungia suilla bulliat fiatque unguentum. Medullam panis cum lacte vel aqua ferventi coctam ad modū cataplasmatis apponunt.

Si inflammatio vulneri supervenerit, huic quantocyus occurrunt, recurruntque ad venæsectionem, deinde contundunt malum granatum dulce in mortario, & affundunt vinum stypticum dulce, parantque ex his cataplasma quod apponunt. Si Erysipelas vulneri accidat, purgant vel corpus, vel cataplasma ex succo solani & farina sem. lini, in ipsum autem vulnus digestivum sequens vel simile imponunt.

℞. *Terebinth. opt. aq. solani aliquoties lotæ* ℥ j.
Farinæ hordei vel lini ℥ j.
Vitell. ovi No. j.

Agitant benè simul, & efficiunt linimentum. Si convulsio contingit vulneribus, & quæ fit secundùm eos ab inanitione, Topica varia eligunt, & hydrelæum applicant calidè: item ol. amygd. dulc. rosac. violac. lil. alb. pingued. anserin. anatis, butyr. recens. In Vulneribus superficialibus sequentem commendant *pulverem agglutinativum*, albumine ovorum exceptum & appositum.

℞. *Boli Armen.*
Aloes hepat.
Olibani
Myrrhæ
Mastichis
Sarcocoll.
Tragacanth. aa. ʒ ß.
Farin. hordei
Fabar. aa. ʒ j.
M. F. pulvis.

Exsiccata lintea semper vino madefieri volunt, carnem verò generantia, vel debiliter exsiccantia & abstergentia sunt mastix, olibanum, colophonia, farina hordei, fœnum græcum, aloe, resina, vinum rubrum. Mediocria verò sunt farina lupinorum, orobi, fabarum, aristolochia utraque, iris, ungu. basilicum minus, de betonica, de cerussa, aureum, de matrisylva, Maximè autem talia dicunt limaces ust. plumbum ustum, myrrh. centaurium minus, unguentum Apostolorum de tutia. Primò egò Galenici vulnus abluunt vino calido, & concoquentia adhibent, qualia sunt ex vitellis ovorum & terebinth. digestiva dicta: secundò detergentia quæ parant ex melle, vel syr. rosaceo, farina hordei; fabar. hisce factis ad sarcotica deveniunt, dein cicatrizantia applicant, qualia sunt cinis corii usti, galla immatura, malicorium, balaustia, acacia, sumach, bolus Armena, cerussa alba, plumbum ustum, pulvis arnoglossæ, ungu. de cerussa, de minio, de lithargyrio, sangu. draconis, terr. sigillat. pulv. rosar. santal. rub. Si cicatrix eminens fuerit, scarificant, dein erodunt & alumen ustum adhibent, vel eminentiam novacula exscindunt, vel pondere laminæ plumbeæ reprimunt.

Supercrescentiam carneam tollunt corrosivis calidis in quarto gradu, acribus & abstersivis, talia sunt Chalcitis, misy, sory, chalcantum, ærugo, alumen ustum, rad. asphodeli, trochisci de calce idem faciunt, sed mitiùs, spongia & stuppa cannabina minutim incisa, linamenta antiqua muria imbuta & exsiccata.

Curationem *Vulnerum* à morsu vel ictu venenatorum animalium illatorum dicunt esse debere extemporaneam, antequam vires prosternantur, instituunt fortem ligaturam, ne venenum competat, cucurbitulas siccas, si earum pars sit habilis, applicant, vel cauterium actuale vel potentiale, vel Theriacam cum alliis, cæpis vel pulvere gentianæ apponunt; si magnus adsit dolor post cucurbitularum admotionem, gallinam per medium sectam, vel omentum hædi, porcelli, vel agni adhuc calens superligant. Interea vitalem indicationem minimè negligunt, sed Theriacæ ʒ ij. in vini generosi ℥ iii. dissolv. & exhibent.

Vel

℞. *Pulv. cancror. fluviatil.*
Magnet. pp. aa. ʒ ß.
Aq. scordii,
Pimpinell.
Vini albi aa. ℥ i ß.
Syrup. de succo citri ℥ ß.
M. F. potio.

Item Theriacam diatesseron in vino dissolutam propinant, etiam theriacam in oleo rosac. dissolvunt & in vulnus linamentis intrudunt, item æstimant scordium, centaureum minus, terram Lemniam, pulv. cancrorum fluviatilium, dictamn. &c.

In vulnere nervorum à punctura cæca, ut dicunt, instrumento sc. subtili facto, egere ajunt dilatatione & interdum omnimoda incisione: si verò punctura non fuerit cæca sed aperta, tunc adhibent dolorem mitigantia simul, & abstergentia, ut sunt oleum vetus calens, therebinth. hyperic. lil alb. vulpinum, de castoreo, ovorum, quæ bis de die applicant. Membrum quoque vulneratum foveri jubent hydrelæo calido, ita tamen, ut semper ante refrigerationem deponatur & renovetur fomentum, vel emplastro vulnus muniunt, seu cerato ex cera, terebinth. & pice facto, inuncta tamen priùs oleo tota parte: semper verò ab acribus cavendum esse ajunt.

Paracelsi cura in Vulneribus.

§. 14. *Paracelsus* Tyrones suos in *curatione Vulnerum* ita docet, ut priùs sciant quænam sit efficiens causa curationis Vulnerum, eam enim conveniens medicamentum indicare posse dicunt; statuit ergò, Deastram naturam corporis, carnis, ossium, nervosarumque partium radicalem ac congenitum balsamum in se continere, qui vulnera, puncturas, omnemque continui solutionem curandi facultate præditus sit, quod sic intelligendum vult: Balsamus naturalis in carne reconditus, carnosum vulnus sanat. Sicque secundùm Authorem omnis humani corporis pars curationis efficientem causam, i. e. naturalem Medicum in se continet, qui

ipsius

ipsius continuationem solutam denuo conjungat. Non Chirurgum sed Balsamum hunc ulcera curare ait, definit itaque Chirurgum custodem naturæ (balsami radicalis,) ab actionibus externorum elementorum. Pus in vulneribus detentum aliud à putredine esse vulneris dicit, aliud à nutrimento medicamentoso, quod excrementitium pus dicitur. Monet quoque Chirurgos, ut vulgatum suendorum ac albumine ovi oblinendorum vulnerum morem abjiciant, tanquam naturæ adversissimum: Curationis internam causam intuendam esse vult, exterius verò vulnus mundum servandum esse præcipit, & ab injuriis tuendum. Hanc namque veram esse curandorum Vulnerum methodum arguit.

Deligandorum Vulnerum rationem tùm in recentibus tùm inveteratis plagis commendat maximè, aptam namque ligaturam mirificè in inveteratis prodesse scribit, recentia vulnera à symptomatis præcavenda esse ait. Vulnus itaque vel mundum antea, vel jam demum mundatum, singulis diebus bis deligandum vult, præcisè semper duodecim horis interpositis; post duodecim enim horas cujusvis medicamenti actionem & nutritionem elanguescere statuit, ex quo vulnus ipsum postea paulatim in deterius prolabitur.

Suturas rejicit Author, dicitque, Naturam ipsammet vulnus suere ac conglutinare, medicamentis enim legitimè adhibitis nervos, ligamenta, tendines, cutem, carnem naturæ suenda ac glutinanda relinquit. Hinc suendi rationem non solum ut ab arte alienam, sed ut dolores & fluxiones concitantem improbat, & dolet tàm inartificiosam operationem inter artis secreta numerari. In quarum locum Author substituit pulveres glutinatorios ac aquas colleticas.

Deligaturus initio Vulnus, primùm omnium ipsum oleo vel balsamo vel unguento vulnerario tepidis, unà cum his, quæ in iis intabuerint, implet, dein Emplastro Stictico imposito accuratè deligat, circa vulneris autem regionem eadem ipsa adhibet, vel oxyrrhodino ipsum membrum irrigat, & istud continuandum præcipit in novem vel octo dies, prout vulnus ipsum magnum vel parvum exstiterit: immutat autem seu iterat singulis duodecim horis. Istis ritè perfectis, majore cura nil opus esse ait, nisi vulnus admodum amplum sit, vel in quo tendo vel ligamentum aliquod vulneratum majora symptomata minetur: ubi vulnus punctim factum est, Syphone oleum aliquod ex prædictis iniicere jubet, vulnusque curat.

In Vulneribus scarificationem vel venæsectionm naturæ oppressæ subvenire ait, sanguinis verò immodicam profusionem culpat, quæ sæpè dyspnœam, quandoque hydropem aliosque tumores effecisse notavit.

Author in Vulneribus ad purgandum sanguinem Aquam Cichoreæ & Chamedryos exhibet; hæ enim, secundùm ipsum, omnem sanguinis noxam tollere aptæ sunt.

Vulnerariarum potionum facultatem in eo consistere ait, ut auxiliante natura, intrinsecùs omne vulnus tam cæsim quàm punctim illatum percurare possint. Potiones enim has natura ceu alimentum recipit, cui quæ inest medicamentosa vis non respuitur à natura. Potiones hæ vulnerariæ, juxta ipsum, conservant naturale temperamentum, omnemque intemperiem corrigunt, adhæc naturam sic alunt, ut planè nil ipsa prætera desideret. Simplicia, ex quibus potiones vulnerarias Author parare solet, sunt sequentia: Sanicula alba, sylvestris, alchimilla, dracunculus, ophioglosson, sapo, senecta serpentis, trifolium, consolida media, telephium, pastinacæ sativæ alterius herba, limonia utraque, mumia, sperma ceti, noctua, terra sigillata vera, Rhabarbarum, Buxi folia, Cyclamen, Periclymenum, Tuber, Aristolochia, Agrimonia, Symphytum, Persicaria, Beta utraque, pavonis pennæ, polytrichum aureum sive Apuleii, lilium convallium, id est, Ephemeron non lethale. Inter hæc tria esse dicit, quorum succo epoto, omnia vulnera ac puncturæ curentur. Item duo notata esse, quorum utrumque priùs aquæ intinctum, si vulneri imponatur, ipsum vulnus priùs glutinari, quàm herbæ computrescant. Estque & unum ex his, quod ter potum vulnera, omniaque Vulnerum Symptomata glutinare ac tollere efficax est. Vinum cum nonnullis prædictis herbis in cantharum imponit, ac commissuris vasis probè circumlitis in duplici vase decoquit; sic enim de vini substantia ac viribus non solum nil perditur, sed & in illud omnis facultas herbarum decoctarum transit. Diligit vinum antiquum album, tenue: vitandum autem esse ait rubrum ac crassum. Possunt ad mentem Authoris vindemiarum tempore, sine coctura, potiones tales parari, si herbæ enumeratæ in musto deserbuerint, ac post tertium mensem aliæ recentes impositæ fuerint, ut vinum omnem earum qualitatem induat, quod deinde absque ulteriore præparatione, potionis vulnerariæ loco dari poterit: cinnamomum hisce decoctis adiicit, tùm gustus commendandi, tum restaurandarum virium gratia. Simili ratione alimenta vulneraria parat, sic carnes vel pullos ac gallinas &c. cum aqua quantum sufficit, adjectis herbis vulnerariis, in duplici vase decoquit, vel si aqua displicuerit, in vino bullire facit, ac dein gelatinam parat; hujusmodi enim alimenta mirum in modum Vulnerum glutinationem adjuvare scribit.

Formulas potionum vulnerariarum sequentes tradit.

℞. *Saniculæ*,
Vincæ pervincæ,
Centaureæ,
Betonicæ aa. M. j.
Consolidæ regalis M. ß.
Agrimoniæ M. ij.
Decoq.

Vel

℞. *Ophioglossi* M. iij.
Alchimillæ M. ij.
Vincæ pervincæ minoris M. j.
Periclimeni M. iß.
Rhabarbari ℥j.
Rhapontici ℥iij.
Coqu. ut dictum est.

Vel

℞. *Angelicæ* ℥ß.
Mumiæ ℥j.
Sperm. ceti ℥ij.
Glandium ℥ij.
Telephii M. ij.
Cyclaminis ℥ij.
Limonii utriusque aa. M. iij.
Vini quantum sufficit, fiat decoctio in duplici vase.

Alios quoque præparationum modus habet, si herbæ in aquis destillatis intabuerint, ac postea in duplici vase coquantur; ex. gr.

℞. *Aquæ Limonii sextarium unum*.
Herbarum Limonii M. j.
Diapensiæ M. ß.
Vincæ pervincæ M. ß.

Fiat decoctio eo quo dictum est modo in cantharo. Baccas Juniperi, in quibus latere dicit singularem ac secretiorem quandam facultatem vulnera respicientem, sequenti modo præscribit:

℞. *Baccar. Juniperi contus.* ℔ij.
Limonii utriusque,
Periclimeni radicis,
Diapensiæ albæ aa. M. ß.
Ophioglossi M. iß.
Symphyti,
Aristolochiæ aa. ℥v.
Persicariæ ℥iv.

Destillentur arte Chimica, aquæ destillatæ rursus immergantur herbæ dictæ, tùm Baccæ Juniperi cum cinnamomo, & fiat decoctio in diplomate vase benè occluso. Similiter ex floribus vulnerariis cum spica parare

parare novit pinguedinem quandam, quam parva dosi, tam in cibo, quàm in potu sumptam, vulneribus prodesse memorat; ex. g.

℞. *Fl. spicæ* M. j.
Hyperici M. ivß.
Verbasci M. iiß.
Bethonicæ,
Centaurii minoris,
Prunellæ aa. M. ß.

Parat id more solito.

Sequens universale dicit:

℞. *Rad. Symphyt.* ℥ij.
Aristolochiæ ℥iij.
Calami aronis ℥j.
Ireos ℥ß.
Herbæ Vincæ pervincæ M. iv.
Saniculæ albæ M. ß.
Pennarum extremitat. pavon. ℥ij.
Myrrh.
Masticis,
Thuris,
Mumiæ aa. ℥ß.

Coq. in vino vel aqua communi, prout necessitas postulaverit.

Idem Author inter Topica Vulnerum cum antiquis, Græcis, Arabibus, Mauritanis, Ægyptiis laudat unguenta quorum corpora sunt Mel scilicet & Butyrum, ea ratione, quòd Apes & Boves omne genus florum ac herbarum exsugere & depascere videat, existimans iis varias herbarum facultates communicari: seq. ergo communicat formulas:

℞. *Butyri majalis* ℔j.
Arnoglossæ,
Limonii utriusque,
Betæ cum radicibus aa. M. j.
Ophioglossi M. ij.

Contundantur & permisceantur cum butyro & insolentur per menses aliquot, post percolentur ac serventur ad usum.

Diligit ipse efficacissima, ut sunt rad. Symphyti, Aristolochiæ, Ophioglossum, limonium & intestina terræ. ℞. radices & herbas ex commemoratis quæ placuerint, eas adhuc virides contundit in formam pulticulæ, postea affundit vini tantum ut paululum supernatet, coquit in duplici vase Cantharo inclusa per horas decem, dein exempta rursus commiscet & percolat, ac adjectis mellificii apum recentis vel butyri quantum sufficit, mixtisque omnibus imponit in cantharum & coquit ut priùs, cocta iterum percolat, ac prelo exprimit, denique Alembico indita insolat usque ad justam consistentiam & reservat ad usum, quod unguentum magni æstimat.

Ex resina laricea & abiegna etiam parare solet unguenta; ut

℞. *Resinæ laricea* ℔j.
Album. ovor. No. 20.

Agitentur benè ac subigantur, fiat unguentum colore subflavum, cui permisce

Pulv. rad. Symphyti majoris ℥ß.
Aristolochiæ rotundæ ℥j.
Farinæ hordei ℥vj.

Subigantur omnia & fiat ungentum perfectum in omnia Vulnera.

Aliud parat ex abiegna:

℞. *Resinæ abiegnæ* ℔j.

Liquefiat paulatim & à sordibus perpurgetur; post adiice

Medullæ vituli parum,
Radicis symphyti vel
Intestinum terræ tantundem:

Contundantur omnia & permisceantur in mortario calido, & imponantur vulneri.

Olea seu Balsama Vulneraria magnificat Author, & quidem sequentia composita:

℞. *Corporis i. e. olei vel Terebinth.* ℔iß.
Chamomillæ,
Rosar. rubr.
Prunellæ aa. M. iß.
Hypericonis M. iij.
Fl. centaureæ,
Chelidoniæ aa. M. ß.

Mixta omnia ponantur ad Solem per duos menses. Hoc oleo seu balsamo mira se præstare dicit in vulneribus præter omnem dolorem, sequenti anno eosdem flores in eodem oleo denuò macerare jubet.

Vel

℞. *Herbar. Ophiogloss.*
Limonii minoris,
Agrimoniæ,
Saniculæ aa. M. iß.
Hyperici M. ij.
Rad. Symphyt. M. ß.
Vermium terrestr. mundatorum No. 100.
Olei vel terebinth. q. s.

pro maceratione omnium, sistantur ad Solem, ad tempus legitimum digestionis, & utere. Sequens verò Balsamum Vulnerarium præ aliis laudat:

℞. *Olei olivarum* ℔ß.
Terebinth. quartar. j.
Fl. hyperic. q. s. ad implendum,
Fl. verbasc. tertiam partem ad fl. hyperic.
Vini alb. generosiss. sextar. j. & ß.

Decoquantur ad consumptionem vini, postea ad tempus legitimum insolentur.

Fernicem cum vino, carabe, ac Mastiche percoquit, vel eum ex oleo & terebinthina destillatis conficit Balsamum: Medullas quoque cum dictis herbis permistas, ad Solem in oleosam quandam formam reducit, præfert tamen aliis humanam, post hanc cervinam, in harum defectu Vitulinam substituit, item caponis, gallinæ, & Thymali.

Paracelsistæ etiam curant per Medicamenta expurgantia, vulgò mundificativa dicta, inter, quæ referunt salivam, hinc dicunt canes linctu vulnera sua curare, in vino decoquunt aliquas herbas vulnerarias modico salis adjecto, eoque decocto lavant vulnera; nec non aluminatas aquas, succum plantaginis ac chelidoniæ, pauco sale adjecto, Vulneribus medicari dicunt; *Paracelsus* ipse Persicariam occulta vi vulnera expurgare experientia comprobavit.

In vulneribus & puncturis curandis Author magnifacit Emplastra, & præter plura sequens longo usu comprobavit efficacissimum esse:

℞. *Ceræ Virgineæ*,
Olei vulnerarii nostri aa. ℔iß.
Lithargyr. auri ℔j.
Plumbi loti ℔ß.
Fiat Cerotum, cui adiice
Fernicis cum herbis parati ℔ß.
Terebinthinæ quartar. j.
Gummi ac pulveris quicumque placuerit.

Macerentur cum Balsamo Vulnerario, ac fiat Emplastrum secundùm artem.

Vel

℞. *Olei olivarum* ℔j.
Ceræ ℔ß.
Lithargyr. ℔j.

Coq. in Cerotum, cui adde

Thuris, Masticis, Myrrh. aa. ℥iß.

Commisceantur, & adiice

Minii ℥ij.

Pinse manibus extrahendo cum

Camphoræ ℥ß. *in oleo anethino, vel ex verbasco.*

Vel

℞. *Olivarum olei* ℔j.
Masticis,
Thuris,
Myrrhæ,
Oppopanacis,
Serapini,
Storacis,
Bdellii aa. ℥j.

Coq. in formam, postmodum accipe

Ceræ

Ceræ ℔. j.
Calaminar. ppt. ℔ ß.
Coq. in Cerotum, & pinse cum
Camphora.

Pulveres etiam Traumaticos in Vulneribus ac Puncturis sanandis maximè laudat Author; exempl. gr.

℞. *Thuris*,
Myrrh.
Masticis aa. ℥ß.
Corall. rubr. ℥ij.
Aloes epat. ℥ij.
M. F. pulvis.
Vel
℞. *Acaciæ*, *Succ. gall. immaturar.*
Succi Saniculæ,
Clematidis,
Ophioglossi aa. ℥v.

Exsiccentur ad Solem, interim dum siccantur, adiice *Gummi Ammoniaci perpurgati* ℥ij.
Omnia exsiccata redigantur in pulverem.

Curationem quoque Vulnerum per Cœlestes operationes fieri posse approbat, nec non sublimata quædam ac destillata ad Vulnerum curationem commendat, quæ omnia hìc recensere nimis longum foret. Nunc ergò *Symptomatum potiorum Vulneribus* supervenientium Curam ex ipsius principiis addamus, & primò *Hæmorrhagiæ* curationem tradamus, quam ex ira vel Venere obortam vix curari posse asserit, nisi animus fuerit pacatus. Si in profundioribus punctionibus ac Vulneribus à sanguine pus colligatur, illud expurgandum vult lavamento ex vino, myrrha & sale coctis ac per syringam injectis. Emplastrum ergò sticticum imponendum vult, ante omnia verò membra calida servare & ambiens frigus devitare præcipit. Paracelsi sanguinem cohibentia remedia sunt sequentia: Crocus Martis subtilissimè reverberatus, Æs ustum instar Croci Martis paratum, Farina volatilis inspersa, ut cum sanguine mixta obstruat, pili leporini & præcipuè sub cauda, Muscus craniorum cadaverum, Carneolus suspensus vel in manu detentus, Cinis ranarum, Hæmatites lapis, dysenterica remedia, lana seu Xylon in putamine nucis alligatum Vulneri. Cœlestem verò operationem non contemnit Author, quæ, juxta ipsum, Characteribus perficitur.

Ad *Synoviam* seu *fluxum glutinis albi* sistendum Author utitur traumaticis oleis, unguentis ac Emplastris. Ad *phlegmonem* tanquam ad caput & calor & frigus referuntur, quibus dein durities ac decoloratio subsequuntur, omnibus istis unicam curationem competere ait, quæ sc. per Jusquiamum absolvitur, vel papaver, aut lolium: Hyoscyamo quoque Author noster plurimum tribuit, pro conditione scilicet & occasione ægri, ac remediorum. Sic quoque jubet, & tanquam pro Canone curationis habet, ut membro vulnerato quies, corpori somnus concilietur. Formula verò remedii talis est:

℞. *Rad. Hyoscyami* q. s. digeratur in aceto rosaceo ad Solem, fiat epithema, in eo madeant petiæ lineæ, imponantur loco dolenti tepidæ, donec dolor quieverit.

Spasmum verò vulneribus frequentissimè complicatum, per ea quæ nervos confortant Author pellere studet, inter quæ primum locum obtinere arguit oleum terebinthinæ, quod primò profluit, tum oleum olivarum, quibus locus affectus & partes adiacentes perungi sedulò mandat.

Luxuriantis seu supercrescentis carnis curationem non opus esse eam singularibus remediis vel corrodentibus, ut alumine usto, vitriolo, vel auripigmento vel Mercurio sublimato absumere, sed si vulnera ritè tractentur, facilè eam sponte absumi putat.

Frequens quoque & illud esse ait, vulneribus glutinatis ea denuò rumpi, eaque postea *Carcinomata*, *Syreon* ac *Fistulas* subsequi, quæ impediri posse scribit, si vulnus, priusquam primò deligetur, viridi oleo vitrioli abluatur.

Quin etiam juxta ipsum vulneribus curatis *defluxiones typicæ*, (i. e. quæ tempestatum ac motus Lunæ ratione periodicè infestant,) succedunt, ea facilè sanari posse promittit facta evacuatione per pilulas Artheticas, habito quoque personæ respectu, tum oleo laterino in vulnus infuso, si sc. dolores succrescant. Sed quis omnia ea recensebit, quæ Author habet de vulneribus, integrum enim complent librum, meliora ergò dedimus, qui plura cupit ipsum adeat Authorem.

Helmonti Curatio Vulnerum.

§. 15. *Helmontius* Naturas ipsas *Vulneris* Medicatrices esse contendit, Medicum illius tantum ministrum, nec pharmacum in vulnere carnem gignere, sed satagit si obstacula removerit, quæ aliàs unicum armorum unguentum arcere satis securè & opulenter promittit. Magnetismum hujus unguenti trahere ait peregrinam illam dispositionem ex vulnere, unde labra, nullo demum accidente prægravata sine dolore sunt, & mox accrescere festinant, nullatenus impedita.

Vulnera quoque Author odoribus per inuncta applicatis mitescere scribit. Juxta ipsum enim certum est, non ipsum unguentum, sed ejus saltem Odores introserpere & curare Vulnera. Pulverem cancrorum Vulneratis contusis ac ex alto præcipitatis proficere scribit. Sic quoque lapidem ossifragum in Vulneribus internis sanandis magni æstimat.

Si vulnus sit recens, ac balsamo à corruptione munitur, non advenire pus contendit.

In Vulneribus putridis ubi multum puris latet, vel vermes conspicui sunt, commendat Author omnem potionem vulnerariam, occultum Alkali, & quidem volatile, in se continentem, quod omnibus accidentibus ex corruptione natis resistit, quatenus Alkali quodvis omnem aciditatem, quam attingit, perimit. Sic nempe lapis cancrorum diureticus est & vulnerarius. Nam vino maceratus, post diem sapit lixivium. Docuit quoque Noster, quantumvis potus vulnerarii cohibeant in extremitate pedis, puris fabricam, accidentiumque formidinem, non tamen idcircò potus vulnerarios potiri, quam alioqui reliqua pharmaca, juxta ipsum enim non materialiter ad vulnus properant remotum, hinc vulneraria fabricari in stomacho arguit. Herbas quoque vulnerarias operari virtute cujusdam innati Alkali pluribus ostendit, docetque, nimirùm Mercurium tàm præcipitatum quàm sublimatum facilè revivificari, imbibito per bullitionem succo clarificato vulnerariorum. Unde consequens, herbas excellentiores in hoc gradu esse, quarum succus illè bullitus cum præcipitato & dein ablutus, faciliùs atque copiosiùs Mercurium revivificaverat. Quapropter & in medendo magis præcellere lapidem cancrorum ait, si cum vino, quàm si in aqua potetur, eo quod is lapis in vino facillimè vim atque saporem lixivii induat. Hinc juxta ipsum Medicus non abhorrere debet vini usum in vulnere, febre &c. Nam eo ipso ut sapit Alkali vini vires atque proprietatem amittit. Sic nempe propinat feliciter Alkali è tilia non secus atque pulverem cancrorum. Vulnera artuum imprimis sanari per potiones inquit. Colchotar quoque enecare omnem vulnerum corruptorem arguit. Cùm vulnera consolidatione egeant, per collam in vino solutam (est quippe è pellibus animantum parata) mox conglutinari promittit: præsertim si colla è corio hominis violenta morte, id est integris viribus interempti sit. Ast alterationes Archei à profuso cruore conceptaque vindictæ aut indignationis alterius idea, genitæ, quas proprio nomine sua vocat vulnera, & non aliena: sive quæ forinsecus infliguntur, non sola indigent discontinui conglutinatione, sed alterati Archei sedatione. Huc nempe spectant olea, balsama, Emplastra, quæ injuriati Archei insiti, & localis, pacem conciliant. Quorsum nata sunt balsama resinarum, florum, herbarum: Itemquæ quæ parantur è minio, cerussa vel colchotare. Huc facere ait Sal Tartari per spiritum vini rectificati, donec adstringentem gustum nanciscatur. Est namque balsamus Samech Paracelsi. Vulnus difficulter curari scribit, si lunæ radii illuxerint illud, citò enim putrent omnia.

Helmontius noster vidit frequenter venenatorum Vulnerum factas sanationes, alioqui penitus desperatas, succino dissoluto in spiritu vini applicato.

In omnibus vulneribus commendat remedia quæ sunt mansueta & sedativa, quæ pollent aguntque virtute balsamica, quæ Archei insiti & injuriati & localis pacem & quietem conciliant. Internam verò, ceu jam diximus, potionem vulnerariam magnipendit, cujus nempe qualitas spiritualis esse debet Alcali occulti, & quidem volatilis in ea contenti, talem autem esse statuit in lapidibus cancrorum & ossifrago, in spiritu aceti dissolutis, vel in vino bullitis: 2. in herbis vulnerariis dictis, vino & aqua decoctis, item in Alcali fixo etiam ligni Fraxini & Tiliæ in lixivio assumpto.

Externa Balsamica, eaque vel magnetica, ceu diximus magnipendit, imprimis Balsamum Samech Paracelsi sanans quævis vulnera statim sine suppuratione, aut dolore: estque Sal Tartari rectificatum & immutatum in Balsamum, adeò ut ejus sapor lixivialis & causticus in saporem abstringentem & Balsamicum convertatur per connubium, copulamque & impraegnationem salis volatilis spiritus vini.

Halecem crudam salsam, in morsu canis rabidi applicatam, eum sanare dicit, ante Hydrophobiam triduò renovatam.

Vvillisii cura Vulnerum.

§. 16. *Vvillisius* partibus separatis uniendis solummodo studens, idque tantùm liquoris nutritii beneficio perfici posse certò sciens, ipsi conservando, vel degeneri corrigendo omnem curam impendit, & ea universa quæ vulneris labiorum, quorum coalitum totis viribus promovet, unionem impediunt, removet. Vulneraria ergò & balsamica sudoriferis salinis blandè volatilibus, ut & viperinis ac antimonialibus associata propinat.

Corpus identidem lenibus purgantibus excrementitiis humoribus sublevat. Balsamo autem Peruviano, Tolutano, Sulphuris, aut oleo hyperici vel terebinth. Vulnus consolidat, adhibitis tamen moderatis Sarcoticis, in Vulneribus autem capitis, aut in iis quibuscum conjuncta est contusio, digestiva à principio adhibet, & deinde mundificantium & Sarcoticorum ope illa conglutinat.

Sylii modus curandi Vulnera.

§. 17. *Sylvius* in Vulneribus curandis approbat Decocta Vulneraria ex veronica, sanicula, vinc. pervinc. chærefol. plantag. prunell. rad. bistort. liquirit. & similibus parata, pulverem ex Antimonio diaphoretico & oculis cancrorum sæpiùs internè datum magni æstimat, & in forma mixturæ ægris suis propinat; ex. gr.

℞. *Aq. Chærefol.*
Plantang. aa. ℥ij.
Cinnamom. ℥j.
Antimonii diaphoret. ʒß.
Ocul. cancr. pp. ℈ij.
Syr. myrtin. ʒj.
M.D. cochleatim usque sudor subsequatur.

Salia quoque volatilia ex animalium partibus parata propinanda vult.

Si Hęmorrhagia comitatur vulnera, eam curat mixtura contra fluxum sanguinis notissima. Balsamum quoque Sulphuris anisatum terebinthinatum & succinatum internè ad guttas aliquot exhibitum magni æstimat.

Inter externa laudat myrrham, aloen, balsamum Capaivæ, cerussam, lapidem calaminarem, plumbum ustum, oleum Hyperici: item ex Sarcocolla, colophonia, resina pini, pice, mastiche, Gummi Elemi, varia parat Unguenta ac Emplastra, ut sunt unguentum aureum, Balsilicum, Emplast. Opodeldolch. Stictic. Diasulphuris &c. nec non fotus ex aromaticis & traumaticis paratos magnipendit.

Cartesianorum modus curandi Vulnera.

§. 18. *Cartesianis* in curatione *Vulnerum* secundum rationem cum salute ægrorum prudenter administranda, opera præcipua eò dirigitur, ut succi per dirupta vasa & tubulos in foramen partis dissociatæ confluentes, per remedia convenientia & aeris externi temperationem, aut à vulnere coercitionem ita præserventur, ne quid particularum acutarum corrumpentium admittant, quo fibræ partium solidarum exedantur, rumpantur ac discindantur, & redunioni fibrarum sejunctarum, mediante succo nutritivo glutinoso perficiendæ, obex ponatur. Ea propter quàm propediem fieri potest in vulneribus sequentem vel similem internam proninant mixturam.

℞. *Aq. veronicæ,*
Alchimillæ,
Saniculæ,
Card. bened. aa. ℥j.
Ocul. cancror. ppt. ℈ij.
Myrrh. el. ℈ß.
Lap. ceratit. ℈j.
Antimonii diaphor. gr. xv.
Syr. veronicæ ℥ß.
M. D. cocleatim.

Vel

℞. *Aq. caprifol.*
Alchimill.
Veronic. aa; ℥j.
Tinct. hyperic. ʒiij.
Myrrh. ʒj.
Spir. lumbric. essentif. ℈j.
Syr. de Scord. f. ℥j.
M.

Vel

℞. *Aq. alchimill.*
Aq. veronic. aa. ℥ij.
Antihect. Poterii ʒiß.
Ebor. s. igne ppt. ʒj.
Sal. Armon. depurat. ʒß.
Syr. Heder. terr. ℥j.
M.

Decocta ac potiones vulnerarias etiam magnipendunt, & eos parant ex traumaticis variis, inter quæ excellunt rad. aristolochiæ, Symphyti majoris, Iridis: herbæ saniculæ, verbenæ, betonicæ, vincæ per vincæ, veronicæ, virgæ aureæ, consolidæ saracenicæ, consolidæ majoris, Hyperici.

Antequam ad Topicam accedunt curam, omnia extranea vulneribus insita eximenda esse volunt, quæ vel removent aut instrumentis, aut digitis, aut emplastris ejus ejaculationem promoventibus, ex melle ocul. cancr. succino. Sed duriora & solidiora eximi debent instrumentis, aliàs vulnera haud coalescunt. Dum hæc scribimus, sequens nobis obvenit casus. Juvenis quidam 25. annorum ab alio Sclopeto in dextri cubiti articulo adeò lædebatur, ut globuli minores (*Schroot*) num. 12. in cute ejus loci percipi possint: Carnifex quidem vocatus; relictis istis globulis, pinguia ex adipe canina & humana pro more solito cataplasmata & linimenta parato vulneri applicuit: quid fit? tertio die brachium totum usque ad scapulam planè sphacelatum ac teterrimè fœtens, Juvenem quoque delirantem & agonizantem offendit vocatus *D. Valentinus Schadius* Medicus Hamburgensis, quamvis brachium ab ipso amputaretur, altero die tamen mortuus est Juvenis, quod non accidisset, si Carnifex apposuisset remedia convenientia, Gangrenæ potissimum resistentia volatilia remedia & spirituosa & balsamica. Ea propter *Cartesiani* suadent, vulneribus recentibus & contusis indenda esse varia Balsama, Capaivæ, Peruvianum, Elix. vitæ &c. Digestiva quoque in vulneribus ab initio imposita magnifaciunt, quæ parant ex vitell. ovor. terebinth. croco, butyro recenti, mell. rof. Spir. matrical. impregnat. farin. hord. fœnigræc. thure, resina pini, mastiche Gumm. Elem. &c. v. g.

℞. *Resin. pini* ℥j.
Butyr. maj al. ℥ij.
Thuris,
Aristoloch. long. aa. ʒiß.
Ol. hyperic.
Terebinth. aa. ʒß.
M. F. unguentum.

Inter carnem generantia varia comendant traumatica, ut sunt Aloe, Myrrha, Balsam. Peruvianum, Sulphuris, terra sigillata, cerussa, plumbum ustum, sarcocolla, mastix, gummi elemi, oleum myrræ, hyperici, trifolii odorati, ungu. desiccativum

vum rubrum, Aureum, Basilicum, Hispanicum, Anglicum, Empl. oppodeldoch, de Betonica, Divinum, vel seq. applicant:

♃. *Aq. vitæ rectif.* ℔iij.
Fol. Hyperic.
Chelidon. maj.
Solidag. Sarracen. aa. M. j.
Thuris,
Myrrh. aa. ℥iß.

Infund. destillentur & serventur usui: vel sequens:

♃. *Ol. trifol. odorat.*
Hyperic. aa. ℔iiß.
Resin. pini,
Gumm. Elemi,
Terebinth.
Ceræ aa. ℥j.
Hyperic.
Chelidon. maj. aa. M. ß.
Croc. ʒj.
Pingued. porc. rec. ℥iij.

Coq. & cola per linteum, quo remedio omnia curant vulnera.

Vel

Spir. vin. rectif. ℥iij.
Myrrh. pulv.
Camphor.
Mastich.
Styrac. liquid. aa. ʒij.
M. s. artem.

Sequens unguentum traumaticum Celeberrimus *BlanKardus*, Cartesianus, magnificat in quibusvis vulneribus.

♃. *Ceræ citrin.* ℥iv.
Ol. Hyperic.
Trifol. odor. aa. ℥v.
Vini Canar. ℥iij.

Coq. donec humiditas evaporata est, & cola & add.

Terebinth. Ven. ℥iij.
Balsam. Capaivæ,
Peruvian. aa. ℥ß.
Styrac. liquid. ʒvj.
Santal. rubr. ℥j.
Bol. rubr. ʒij.
M. F. s. a. unguentum.

Inter cicatrizantia vel epulotica sequentia commendant, cortices nimirum granatorum, glandium, flores balaust. rof. rubr. cineres & usta, ut sunt lana cremata, linteum ustum, gossypium ustum, spongia usta, testæ fornacum ustæ, pili leporis usti: Coralia, creta, terra sigillata, tutia, pompholyx, gypsum, scoria ferri, æs ustum, plumbum ustum, cadmia lota, sulphur, Antimonium ustum, & diaphoreticum, spodium, ebur ustum, mastix, aloes, sarcocolla, ungu. alb. camphorat. Diapompholyg. Emplast. Norimbergense, de Minio, barbarum, Divinum, griseum. Ex quibus varias concinnant formulas. In vulneribus etiam ad symptomata obvenientia apprimè respiciunt, inter quæ accidere solet utplurimùm Hæmorrhagia, quam sistunt pulveres inspersorii ex aloe, thure, mastiche, farina volatili &c. vel per se inditi, vel cum albumine ovi agitati illiti: vel imponunt vulneri linteum carptum, vel crepitum lupi, vel aranear. telam &c. Internè exhibent aquam Plantaginis cum Camphora.

In vulnerum inflammatione ab impedito succorum circuitu facta, internè exhibent varia sudorifera, imprimis sperma ceti & oculos canc. quæ omnia stagnantes particulas fluidiores & ad circulationem aptas reddunt, externè decoctum verbenæ, veronicæ, alchimillæ, bursæ pastor. cum vino Rhenano parant, applicantque.

Si dolor maximè urgeat, sequenti uti solent:

♃. *Olei papav.* ℥ij.
Ovi Num. 1.
Croci gr. xvi.
Boli ʒij.
Camphor. ʒß.
M.

Cataplasmata ex mica panis, croco, lacte, ovis &c. laudant. Convulsiones ac spasmi præcaventur antispasmodicis intus & extus adhibitis. Internè dantur Essentia Hyperici & Salviæ cum spiritu C. C. succinat.] cinnabarina, camphorata, castoreata, balsamica nervina &c. Vulneri vero instillant oleum terebinthinæ, Spiritu lumbricorum & camphoræ maritatum. Conducunt quoque olea succini, spicæ, lavendulæ, majoranæ, castorei, ceræ, petræ, anthos &c. ex. gr.

♃. *Ungu. nervin.* ʒj.
Olei petræ,
Rorismar.
Balsami Peruv. aa. ʒj.
M.

Si vulneribus à punctura nervorum, vel à negligentia Artificis Gangræna vel Sphacelus accidit, iis statim convenientibus remediis occurrendum est, & in ejusmodi vulneribus imponenda sunt vel oleum ceræ, terebinthinæ, castorei, trifolii odorati, rutæ lavendulæ, quæ omnia acidum Vulnerum intensum necant; ex. gr.

♃. *Ol. Terebinth.*
Hypericon. aa. ℥j.
Mastich. ʒij.
M.

Vel

♃. *Ceræ,*
Picis,
Resinæ aa. ℥iß.
Euphorb. ʒß.
Terebinth.
Ol. hyperic. aa. ʒij.
M.

Ad humiditates sedandas, quæ vel ex nerveis vel lymphaticis effluunt vasibus, sequentem extollunt pulverem:

♃. *Boli Armeni,*
Nuc. cupress.
Sang. dracon.
Sem. Hyperic. aa. p. æq.
M. F. pulvis.

In Vulneribus venenatis uti solent theriaca, vel Orvietano intus & extus, aliisque remediis sudoriferis, vel imponunt Vulneri Cataplasma ex theriaca, cæpis, stercore humano, carne viperina, Spiritu vini q. s. paratum, suadent quoque salia volatilia vulneribus applicanda. Vel locum affectum adurunt ope moxæ vel ferri candentis.

Item in morsu animalium venenatorum vel apum approbant theriacam, quam internè ad ʒj. cum aqua card. bened. exhibent, externè verò cum spiritu vini mixtam applicant. Commedant quoque oleum scorpionum, item vesicatoria, rutam, lac, caricas, muriam, halecem, folia lauri contusa, farinam hordei cum aceto, lac ficulneum, stercus bubulinum, thymum, melissam, vel etiam locum, inurunt moxa.

Vel parant emplastrum ex sem. lini, sale & aceto, imponuntque.

Nostra methodus medendi Vulnera.

§. 19. Ordinis vult ratio, ut & *nostrum* propinemus *Consilium* curandi *Vulnera*. Ne itaque temerario ausu eam auspicemur, & periculosam subeamus aleam remisque velisque destituti, necesse erit, ut indicationes eruamus, quæ intentioni nostræ velificentur: sufficient quatuor indicationes, quibus Vulnera medendi methodus innititur. Prima jubet, ut omne extraneum è vulnere priùs eximatur, siquidem commodè fieri possit. Secunda vult, ut adducantur labia & fiat counitio partis læsæ ac laceratæ, & simul partis vulneratæ temperies conservetur. Tertia graviorum

Sym-

Symptomatum medelam urget. Quarta denique consolidationem commendat. Totius enim curationis Vulneris cardo in temporis momento vertitur; si enim aeris ingressus arceatur, & fluiditas succorum per partem vulneratam circulantium, præsidiis, temperiem partis foventibus vulgò dictis, conservetur, jam expedita erit via ad curam auspicandam. Itaque omne illud, quod vulneri immissum est, sive sit glans, sive telum, sive ramenta, sive festucæ, sive ipsa caro Vulneris dilacerata & conquassata, sive ossium frustula separata, sive grumi sanguinis, sive pili, sive vitra, charta vel aliud quid peregrinum, statim eximi debent, quia accretionem tubulorum, & per consequens Vulnerum curationem impediunt, modò citra largiorem hæmorrhagiam maioremque partis vulneratæ injuriam id tentare liceat. Si enim æger ob instantem hæmorrhagiam in præsentissimo versetur vitæ discrimine, satius est ante omnia eam sedare, ipsumque Vulnus probè deligare, quo cohibito sanguinis effluxu, eo tutiùs scopum suum Chirurgus possit assequi: id quod non duntaxat de Vulneribus sclopeto inflictis, sed & de illis in quibus grumi sanguin is delitescunt, loquimur, nam & hi in primo accessu nequaquam vi extrahendi sunt, potissimum cum sæpè Vulneri grumi isti adhuc satis proficui sint, frigus externum arcendo & sanguinem sistendo: nuper enim observavimus quod Vulneratus à grumo sanguinis vulnus obturante ad aliquot dies in vita conservatus fuerit, quòd nunquam fuerit factum, si grumus sanguinis defuisset: si enim extrinseca vi eximantur, irritamus sæpius crabrones, Vulneratum enim in novum præcipitamus vitæ periculum.

Quod verò extrahendi modum rerum extranearum attinet, quilibet exercitatus Chirurgus facilè noverit, faciliùs enim modus ostendi quàm describi potest; hoc tantùm notandum, ut Chirurgus ab omni dilaceratione Vulneris caveat, & si sanguis vel lympha in cavitate quadam extravasata hæreat, Siphone vel vulneris dilatatione circumspecta is extrahatur, reliqua extranea vel forcipe vel alio instrumento è vulnere eximantur, nam aliàs impossibile est quòd vulnus sanari possit, quia hæ res counitionem canaliculorum impediunt, imò & pili circa Vulnus tonsura tollendi sunt, & omnis conspurcities, amoveatur, si arena, vel frustula vitri minutissima, vel festucæ & similia vulneri indita sunt, quæ aut vino rubro generoso detergenda, aut linteis mollioribus abstergenda, aut volsellis similibusque instrumentis aptis tollenda sunt. In telorum, globulorum, fragmentorum ossium, aliorumque instrumentorum lædentium remotione ante omnia considerandum est, an post eorum extractionem aliqua vitæ spes supersit; Si enim nulla superest, horum extractio potiùs non tentanda est, ne Chirurgus ægro mortem accelerasse videatur, cùm experientia testetur, quòd hi per unam vel alteram horam ac diem supervivere possint, qui inter extrahendum aliàs expirarent. Sin verò spes aliqua reconvalescentiæ subsit, mox & antequam inflammatione atque tumore corripitur membrum, extrahantur res extraneæ, nisi adeò firmiter inhærescant, ut instrumentis haud cedant, sed demum interveniente suppuratione protrudantur. Scopo hoc feliciter obtento, videndum quomodo Vulnus probè deligari & partes vulnerata commodè locari queat, quibus satisfaciendis apparatus requiritur, ex spleniis, ferulis, fasciis, emplastris, fibulis, acu, filo &c. quæ pro Vulnerum conditione nunc plura nunc pauciora numerantur.

Remedia generalia in Vulneribus fuere Antecessoribus V. S. & purgatio: sed quæso quod juvamen præstare hæc possunt, cùm duntaxat ægrum debilitent enerventque, succosque residuos incrassent acrioresque reddant; imprimis si simul parcum victum concedunt, annon hæc ægrum ad mortem potius disponunt, hoc modo certè fiunt Vulnera per accidens, lethalia, hinc sequens Proverbium Veteribus abscribitur: *Si Medicum accersas, lecto affigeris*. Meliori ergò jure, si Vulnus requirat interna remedia, ea quæ acidum absorbent & simul succos fluidiores reddunt, ut succorum circulantium itus & reditus per partem vulneratam sartus tectusque servetur, commendamus, inter quæ sunt diaphoretica, quæ simul sanguinem confortant, imò chylosin ut meliùs peragatur, promovent, cùm è contra V. S. non sanguinem emendet sed magis debilitet: observavimus enim hactenus in Praxi nostra, quod instituta V. S. vel purgatione, materia seu pus in Vulneribus in minore quantitate quàm aliàs, reperiatur, imò quod inde majores obstructiones & dolores in Vulneribus oboriantur. Certum enim est, quòd post institutam venesectionem reliqui succi adhuc deteriores reddantur si enim homo ægrotat, non ægrotat ob nimiam sanguinis copiam, sed quod habeat febrem vel sanguinem nimis spissum, quem certè V. S. celebrata non attenuabis, nec febres, hac instituta, curabis, crassus fit enim sanguis à defectu salium volatilium & spirituum à coagulatione ad acido facta, quam certè per V. S. non impedies, nec per purgantia. Cautè ergò hisce incedendum esse in Vulneribus author sum; Enema tamen in obstructione alvi concedi potest, sed non singulis diebus, prout Chirurgi faciunt, impossibile enim est, quòd Vulneratus lecto affixus tot sedes habere possit ac sanus qui laboribus incumbit, quare non dolores sumptusque frustra suis ægrotis faciendi sunt, propinetur potiùs pro re nata seq. in jusculo.

♃. *Ol. amygd. dulc. rec.* expr. ℥j.
Crem. Tartari ʒj.
M. D. cum jusculo.

Nos Diaphoretica præ aliis in Vulneribus quibuscumque magni æstimamus, quia chylum Vulnerum consolidatorem & sanguinem optimè purificant & dulcificant, ut sunt ocul. cancrorum Antimon. diaphoret. lap. Irland. terr. Japon. Anithect. Poter. Martialia, Saturnina aliaque innumera. In Juniorum Medicorum gratiam unam vel alteram addamus formulam:

♃. *Antimon. diaphoret.* ʒß.
Ocul. cancror. pp. ℈ij.
Sperm. ceti ℈j.
Terr. Japon. ℈ß.
Sal. Saturni gr. iv.
M. F. pulvis, divid. in part. 4. æqual. & detur in vehiculo conveniente calido & dulci.

Vel in forma Mixturæ:

♃. *Aq. menth.*
Aq. Chærefol. aa. ʒij.
Pulv. ocul. canc. ʒj.
Antimon. diaphor. ℈j.
Sal. absynth. ℈ß.
Theriac. Andr.
Sperm. ceti,
Elixir vitæ ʒj.
Syr. veronic. ℥j.
M. detur ad vitrum.

Quæ mixtura cochleatim assumi potest, donec sudor sequitur; sin magna inflammatio & calor cum siti enormi adfuerit, ea aliquo modo mutari potest & quidem sequenti modo:

♃. *Aq. menth.*
Plantag. aa. ℥ij.
El. diascord. Fr. ʒj.
Lap. prunell. ℈ß.
Sal. Saturni gr. xij.
Sperm. ceti ʒß.
Camphor. gr. iv.
M. & cochleatim assumatur, & simul interponi potest seq. vel simile decoctum vulnerarium:

♃. *Rad. Chin.* ℥j.
Contrayerv. ʒß.
Zedoar. ʒvj.
Herb. beder. terr. M. j.
Sem. anis. ʒß.
Sal. Tartari ʒiij.
Infus. coq. in aq. commun. colat. ad ℥xxx.

Qui potus calidè bibatur, & addantur aliquot guttæ salis volatilis oleosi. Certè in Germania nulla Vetula,

tula, nullus Barbitonsor, nullus Carnifex existit, qui non singularem potum Vulnerarium venditat. Hic verò, me judice, planè alia incedendum est via Veteribus insitata, decocta enim hæc non plenis buccis & mensuratim, sed tantum 6. cochlearia pro una vice vulneratis nostris propinare solemus, præsertim primis diebus, quo de sanguinis statu atque acoris gradu reddemur certiores, id quod desumpto quidem signo à juvantibus & nocentibus haud erit difficile: huic etiam jungenda sunt & alia interna consolidantia & traumatica, ut Essentia traumatica Hagendornii, vel Nostra sequens:

℞. *Rad. Aristoloch.*
Contrayerv.
Fl. hyperic.
Myrrh.
Aloes,
Mastich.
Succin.
Terr. Japon.
Ocul. cancror.
Terr. Mart. aa. ℥ß.
C. spir. chærefol. q. s. f. digestione & rectificatione l. a. Tinctura traumatica, omnem effectum quem ex decoctis vulnerariis aliis exspectabis, in sola hac invenies Tinctura. *Hagendornii* est hæc:

℞. *Mumiæ,*
Sangu. dracon. aa. ℥j.
Terr. Japon.
Myrrh.
Rad. tormentil. aa. ℥ß.
Fl. rof. rubr.
Hyperici aa. ℨij.
Santal. rubr. ℨiij.
Nucis. ℨj.
Concis. & contus. extrah. Spir. tartaris. opt.

Oculi cancror. sæpe soli sufficiunt potui ordinario inditi, vel sæpe in substantia assumpti. Traumatica etiam varianda sunt pro ratione affectuum & effectuum. Balf. Peruv. ejusque oleum cum cineribus clavellatis destillatum, cum Spiritu quodam volatili junctum, erit conveniens vulnerarium: item Balf. de Chili, Tolutanus, de Copaiva ad guttas aliquot exhibenda, quæ remedia egregia sunt in succis corrigendis acribus, & obtundendis particulis cuspidatis, in diuturnis vulneribus: nec diuretica negligenda veniunt, quæ sæpe omnem implent paginam, hinc & potus Theæ & Coffeæ & Veronicæ conducet, item decoctum lignorum, vel Antimon. Scarificationes, cucurbitulasque tanquam inutiles reiicimus. Ut verò ad *externam* vulnerum *curationem* redeamus, omni sedulitate vulnus ab omni immundo liberetur. Galli in hunc finem omne vulnus vino rubro eluunt, sed cum vinum Gallorum non tàm acidum quàm Germanorum sit, hinc non semper in Germania ablutio hæc concedenda est, quia puris proventum impedit acidum quodvis, cujus verò generatio omni opera ac diligentia potius promovenda est, quem in finem digestiva dicta medicamenta optimis glutinantibus temperata vulneribus imponenda sunt, & quidem calidè, qualia sunt terebinthina, gumm. elem. resina, cera, thus, mastix, myrrh. ol. ovorum, eorum vitellus, Balf. Tolutan. & Peruvianus, de Thilli. Succi herbarum vulnerariarum recenter expressi, & Balf. Mindereri sequens Chirurgum rarò deserent.

℞. *Terebint. Cypr.*
Ol. hyperic. aa. q. pl.
Liquefiant simul, interim gummi elemi liquescat seorsim, & addatur ad justam consistentiam ol. destillat. ceræ parum, f. Balsam. turundis vel plumaceolis, applicand. superimposito Empl. Oppodeldoch. à Zwelfero correcto.

Sequens etiam oleum in Vulneribus recentibus curandis maximas possidet vires:

℞. *Ol. Olivar.* q. s.
Flor. hypericon.
Trifol. odorat. aa. q. s.

Digerantur per æstatem, & si quid superest, sequenti æstate novis floribus imbuatur, egregium sic obtinebis oleum in vulneribus proficuum, quod nullo tempore corrumpetur, sed ætate evadet melius. Externè quoque mira in vulneribus præstat Tinctura Antimonii dulcis, seu oleum dulce sequens:

℞. *Antimon. crud. vel miner. pulv.* q. s.
Spir. Vitrioli philosoph. ex Mercurio vitæ rectificat. q. s.
Diger. per mensem, Tincturam rubram decanta, inspissa, donec guttæ flavescant, affunde spir. vini, digere, Tincturam iterum decanta & abstrahe spir. vini, in fundo manet Tinctura & oleum, & balsamus dulcis egregius.

Sic quoque oleum Tartari per deliquium vulneribus cum plumaceolis impositum sanat, quod etiam vidit Celeberrimus *Wedelius*, quod per se applicari vel misceri vult cum balsamo terebinth. vel balsam. de Peru, &c. Sequens Balsamus Vulnerarius externus nobis solennis est, conglutinat enim vulnera recentia sæpe spatio 24. horarum:

℞. *Sem. hyperic.* ℥j.
Rad. card. bened.
Valerian.
Contrayerv. aa. ℥ß.
Infund. per biduum in vino albo generoso, add.
Ol. vetust. olivar. ℥ij.
Frumenti integri ℥j.
Coq. ad consumptionem vini, tum fortiter exprime, & add. terebinth. Venet. ℥iv.
Pulv. oliban. ℥j.
M. F. l. a. Balsamus vulnerarius.

Nos vidimus plurima recentia vulnera curata solis plumaceolis impositis liquoribus volatilibus oleosis, ex. gr. aq. Regin. Hungar. spir. matrical. spir. vin. camphsal. volat. oleos. aqu. calc. maritat. Elix. vitæ De Turundis tamen hìc notandum est, & admonendi sunt Chirurgi, ne faciant eas longiores, cum alias carnis generationem impediant, sibi illas magis coarctant, fiunt meliùs ex linteo inveterato in filamenta redacto quàm aliis, quia nimis rigidas habent particulas. Nobis verò magis placent plumaceolæ variis jam dictis liquoribus imbuendæ; quibus etiam Chirurgi Batavi uti solent.

Vulnera debent quoque obtegi Emplastro, quod loco cutis inservit, & materiam & vulnus ab aere externo munit, qui alias maximam noxam inferre potest, hinc inquit Celeb. *Waldschmidius* in aureo suo libello Apollinea certe Bibliotheca digno, *Institut. Medicinæ Rational.* graviter peccant ii, qui vulnera sæpiùs de die detegunt, si enim coalescentiæ & unionis impedimenta tollantur, sponte coalescant partes divisæ, & citiùs, quàm si eruditè nimis & officiosè tractentur. Consistit autem ablatio impedimentorum in tubulorum obstructionibus, ut succorum circulantium itus & reditus per partem vulneratam sartus tectusque servetur. Hinc Emplastra dicuntur defensiva, quia vulnera ab aere defendunt. Defensivum sequens Chirurgis commendamus.

℞. *Ceræ albæ,*
Resin. pin.
Therebinth. Ven. aa. ℔ß.
Ol. lauri ℥j.
Mucaginis ex rad. consol. maj. ac sem. fænig. contus. cum aq. extract. ℥vj.
Sandarac. ℥ii.
Ceruss. ℔ß.
Croci ℥ß.
Opii crud. c. ceruss. & croco pulverisat. ℨii.
Camphor. ℥i.
Ol. sem. lini q. s. f. l. a. Empl.

Emplastro hoc contegantur Vulnera, quod dolores lenit, inflammationem aliaque arcet.

In magnis & periculosis Vulneribus & Emplastris superponenda sunt varia cataplasmata ad temperiem partis vulneratæ conservandam, & succorum restagna-

gnationem, Gangrænam tandem comminantem, præcavendam, quæ ex farina fabarum, sem. lini, fœnigræc. baccar. lauri, rad. althææ, flor. chamæmel. melilot. herb. absynth. scordii, sem. cumin. &c. parantur: ex. gr.

℞. *Summ. absinth.* M. ii.
Bac. lauri,
Juniper.
Sem. cumin. ℥iß.
Sal. Tartar. ℥ii.
Coq. vel in vin. vel in aq. addend. farin. fabarum q. s. pro consistentia cataplasmatis.

Vel

℞. *Mic. panis biscoct.* ℔ii.
Fol. scordii,
Rutæ,
Summ. absynth. aa. ℥iß.
F. pulv. add. vin. Gall. q. s.

Ducantur super linteum, & tepidum imponatur, tunc & optimum sit pus, cuius indolem paucis nunc examinabimus, quod Chirurgis veteribus & plurimis adhuc hodiernis est nescio quid novi & insoliti, à Natura Deastra illa, ope medicamentorum generati. Nos existimamus, ceu sæpius dictum est, pus esse lacteam sanguinis partem seu chylosam, in ipso Vulnere plus minus alteratam, cui quædam subinde portiunculæ dilaceratorum tubulorum unà cum cruore admiscentur. Pus ergò eò laudabilius erit, quò magis ad consistentiam chyli & succi nutritii accedet, sin verò acorem nimium contraxerit, inficiet sanguinem, obstructionem pariet, febres excitabit, corrodet atque exedet fluidorum canaliculos. Si aquosum & tenue nimis aut viscidum fœtidum fuerit, pejoris meritò censetur notæ, nec puris nomine dignum erit, cùm contumacis obstructionis, præcipitationis, & putredinis indubitatum perhibeat testimonium. Pus illud primis diebus in vulneribus non prodit, non quòd in digestivis primò produci debeat, sed quòd in primis diebus nec chylus nec sanguis secerni possit, quòd ex fibrarum contorsione & illaqueatione tanta facta sit obstructio, ut nec molliori sanguinis parti transitus concedatur, atque aliquot insumantur dies, quibus Chylus cum sanguine arterioso advectus fibras reflexas & in situ valde turbatas elongare, & in rectam viam protendere, sibique liberum transitum procurare possit. Sic quoque consolidatio vulneris seu carnis generatio, nec à Deastra natura, nec à medicamento sarcotico fit vel generatur, omnes euim partes solidæ sunt ex lacte, quo si sanguis abundet, idque per partem affectam liberè dispenset, Vulnus brevi sanabitur: sin verò intemperie acida aut salina, aut perversa mixtione fuerit contaminatus, lentum opus erit sanatio. Imò frustra exspectabitur consolidatio, nisi priùs vel infringatur acidum, aut sal acre temperetur, aut legitima sanguinis mixtura restituatur. Et hæc quidem sæpiùs ex voto succedunt: verùm si graviora vel primis statim vel ultimis diebus accedunt symptomata, ea non rarò Chirurgum usque adeo angunt, ut relicta ordinaria methodo, omnes suas curas ad *Symptomata* urgentiora dirigere cogatur, quæ si non maturè avertantur vel tollantur, ægrum sauciatum in præsentissimum coniiciunt vitæ periculum: quapropter & de his paucis discurrendum erit, quorum quinque vulgò recensentur, quæ præ aliis promptissimum desiderant juvamen, ut sunt *Hæmorrhagia*, *Inflammatio*, *Dolor*, *Spasmus*, & *Febris*. *Hæmorrhagia* certè periculosum, si quod aliud, symptoma, reliquis januam aperit, si enim hic vitæ balsamus *Sanguis* nimia copia a b initio effundatur, restans vix par est coercendis reliquis succis, ut metuendum sit, ne pars sauciata tandem emoriatur, & ex vulnere non lethali lethiferum fiat, ceu toto die id accidere observamus: sed quinam modus periculosum hoc sufflaminandi profluvium adhibendus sit, cùm quilibet ferè Chirurgus peculiare hìc jactet arcanum, Nos experientia edocti, in Hæmorrhagia vulnerum sequentia probata reperimus.

℞. *Bol. Armen.*
Amyl. alb.
Sang. dracon.
Colophon.
Aloes aa. p. æq.
M. f. pulvis, qui vel plumaceolis siccus vulneri imponatur, vel cum spir. vini, vel cum album. ovi applicetur.

℞. *Terr. Hassiac.*
Calc.
Sangu. dracon.
Thuris,
Aloes aa. q. v.
Redigantur in pulverem, & album. ovorum & telaranearum misceantur in unguentum. Vel sequens pulvis Stegnoticus erit egregius:

℞. *Farin. volat.* ℥ij.
Bol. Armen.
Gypsi,
Colophon. aa. ℥ß.
Sang. dracon.
Alum. ust.
Vitrioli alb. aa. ʒii.
Calcis viv. ʒi.
Pilor. leporin. ʒß.
M. F. pulvis.

Nonnulli solo pulvere Colophonii vulneri sanguinem stillanti imposito contenti sunt, alii chartam bibulam, alii crepitum lupi, alii calc. alii linteum, quod in caligis virorum ubi scrotum gestatur eximunt concremantque, & in Hæmorrhagia narium Vulnerumque pro arcano venditant. Nuper quidam in mala dextra fuit vulneratus, & nullis remediis ab Hæmorrhagia vulnus comitante liberari potuit, quàm sequenti apposito:

℞. *Vitrioli Cypr.* ℥ij.
Terr. Hassiac. ℥j.
Calc. viv.
Amyl. alb. aa. ℥ß.
Pulv. caphe seu
Fabarum tostarum ʒvj.
F. pulv. qui inspergatur, vel cum liquore pro libitu excipiatur, & instar cataplasmatis apponatur.

Certè Chirurgo sciendum est, læso quocunque graviùs vase sanguifero, nisi restringatur, omnem sanguinem effluere necesse esse. Plures Recentiorum confugiunt ad Vitriolum ceu salutis anchoram, neque dubitandum, quin ejus solutio ritè facta sit idem ille *liquor stypticus*, quem Gallus quidam Regi Daniæ vendidit, nunc autem publici juris factus est à Cl. *Webero Archiatro Cæsareo*, cujus descriptionem dedimus superiùs capite *de Hæmorrhagia Narium*. Linteamina quadruplicata liquore hoc styptico probè humectata, Vulneri, vel orificio arteriæ, vel trunco membri exstirpati superimpone, cum adæquata ligatura, & videbis sanguinem in momento coagulari: linteamina per aliquot dies superimposita relinque, ne crusta sanguinis, vel sanguis incrustatus simul detrahatur, & sanguini fenestra prosiliendi aperiatur, sic sæpè Vulnus nullo alio adhibito remedio perfectè sanatum invenies. Sed famosum hoc arcanum suos habet nævos, cùm nec exspectationi satisfaciat semper, quod propria testari possum experientia. Celebris quoque est liquor Magneticus *Dn. Waldschmidii*. Sic ad mentem Celeberrimi *Bohnii* spiritus vini hæmorrhagiam Vulneris cohibet. Alii omnem collocant spem in pulvere Sympathetico *Dn. Dygbi*: Inventor hujus remedii celebratur ab ipso prædicto *Dygbi*, Carmelita Monachus, qui hoc secretum ex Oriente adduxerit, à quo hoc arcanum didicit. Paratur nempe ex quovis Vitriolo extemplò adhibito, & pulverisato vel soluto pro re nata, nam idem præstitisse testatur Dygbæus: vel quod solennius est: ℞. Vitriol. Cyprium, vel nostras quoque calcinat. calcinatione nempe aerea, expositum Solis radiis mense Jul. vel Augusto, donec in pulverem album fatiscat, exuto virore vel cœruleo colore suo, addito pro lubitu, quod nonnullis placet, gummi tragacanthi

canthi pulvere ad partem subdecuplam, seu ad ℥ x. drachm. unam, imò quidam tantum pulveris solius applicatione id præstant, & sanguini effuso inspergunt; vide ipsum Dygbæum. Ab eo tempore quo in Germania inclaruit, creduli eum omnibus vulneribus, & instrumentis quibus vulnera facta fuere, adhibuerunt, de cujus verò affectu mecum dubitant plures, confer *Cl. Dn. de Muralto in Ephem. German. Ann. 1. Decur. 2.* Vitriolum calcinatum, & cum ovi alumine mixtum, in linimento implicitum, vulneribus applicatum, optimum sæpe habet effectum: spectat huc alius pulvis colore jucundus, & ex lacca Florentina & Orce paratus. Prælaudatus *Dn. de Muralto* pulverem equiseti tenuissimum contritum sanguini vulneris calenti admiscendum commendat. Alii alia adstringentia austera & liquida, ut atramentum, oxycratum, ipsum acetum, item Usneam turundis inspersam tenuissimè priùs pulverisatam laudant, quo & referunt terram Japonicam. *Celeber. Vvedelius* in hæmorrhagia vulnerum tanquam arcanum commendat pannum xylinum ustum & cum albumine ovorum exceptum, sicque vulneri sanguinem stillanti applicatum, posito desuper crepitu lupi, & cum spleniis facta deligatione. Sic etiam concerpta linamenta, pili leporis, turundæ compositæ ad mentem ipsius applicari possunt. Cataplasmata ex fungo pulverulento, pilis leporis, musco cranii humani, pulvere gallarum, bufonum & stercore suillo, sæpè plus præstant quàm alia: pulvis quoque stypticus noster ex bol. gall. immatur. vitriol. de Cypro & camphor. paratus rarò nos fefellit, vel sequens aqua styptica.

> ℞. *Limat. Martis,*
> *Ol. vitriol* aa. ℔ß.
> *M. & effervescant, postea add.*
> *Aluminis* ℥ij.
> *Lapid. hæmatit.* ℥j.
> *Æris usti* ℥ij.
> *Iterum effervescant, add.*
> *Aq. commun. pint. j.*
> *M. f. s. a. per colat. aq. styptica.*

Quæ internè guttatim propinari, & externè linteis madefactis applicari potest, quæ egregia & multa experientia approbata est. Terra Vitrioli Martis sæpè quoque sufficit. Crispant quoque & ferruminant cauteria mitiora potentialia dicta, in quem finem sunt qui laudant Colchotar Vitrioli; sed cùm hæc corrosiva sint, non semper præstant effectum desideratum. Vix itaque aliud superesse videbitur remedium, quàm *ferrum* candens, ea sanans, quæ medicamenta sanare nesciunt, juxta versiculos sequentes:

> *Si non morbosos sanant Medicamina, Ferrum*
> *Arripe, sin frustra Parmachon ignis erit.*
> *Hæc tria ni possint ægris adferre salutem,*
> *Amphitryoniadis robur inane cadet.*

Ignis enim si orificiis vasorum admoveatur, & sanguinem & carnem ita adurit, ut veluti aggere facto sanguinis effluxus cohibeatur. Cauteria enim actualia ignita crispant, corrugant & crustam inducunt quod certè remedium inter extrema, attamen probatissima remedia, plures numerant, modò cum prudentia & exercitato administretur Chirurgo. Hoc remedii genus etiam magni æstimavit *Fabr. ab Aquapendente*, ut posthabitis causticis potentialibus semper ferro ignito priùs usus fuerit, ex eo quòd legem illi modumque imponere potuerit, his nequaquam, præterea tribuit ferro vim roborandi partem, cùm causticum sæpè corrumpat, & putredinem inducat, *vid. lib. 2. de Vulnerib. p 88.* Quod tamen remedii genus timoris ac periculi plenum absque effectu adhibitum vidimus: sic nunquam tuta fides! quod remedium non ita pridem in Nobili de *Boynenbourg* frustrà adhibitum fuit. Alium novimus ligni fabrum Hanoviensem in tibia sauciatum, ex quo Vulnere sanguis fortiter exsiliebat, omnia hoc in casu à Chirurgis frustrà tentabantur & æger defunctus est. Alii tutiùs rem confici posse autumant, si situs vasis sanguinem fundentis priùs accuratè exploretur, post, digito labia arteriæ comprimātur, ut impetuosior sanguinis effluxus retardetur: & non inficior compressionem talem digitis factam plura sæpius præstitisse, quam alia styptica, iis præsertim in casibus, ubi vas sauciatum non adeò profundè delituit. Sic in Principe Auriaco optimè cessisse id remedii genus monumenta Medicorum testantur. Sic quoque exemplum recenset Cl. *Ronhuysen*, de famoso quodam adultero, qui ex lue Venerea gravissima sanguinis profusione correptus, è faucibus orci revocatus fuit per vasis exesi compressionem, frustrà adhibitis remediis stypticis, & cùm nullo alio sanguis cohiberi posset medio, conduxit Vulneratus suasu Chirurgi aliquot sartores, vitæ sedentariæ assuetos, qui alternatim in excubiis sedentes digito vasis sauciati labella comprimerent, & saluti hujus viri juxta lectum invigilarent. Quando verò plura vasa fuerint dilacerata, unius hominis digiti impares erunt foraminulis illis & rivulis obturandis atque occludendis, adeòque iterum efficaciora hîc requiruntur remedia, & quidem superiùs dicta.

Alterum symptoma ægro & Chirurgo multum in Vulneribus facessens negotii, est *Inflammatio*, quando nempe in parte affecta fit obstructio talis, ut particulæ sanguinis & reliquorum succorum soli materiæ cœlesti seu subtilissimæ innatent, & talem nanciscantur statum, qualem habent particulæ succi nutritii in fœno recens dissecto; hinc ob obstructionem factam Vulnus fit siccum, quia vasa sunt constricta; & sic denegatur parti influxus ac perfluxus succorum. Ad hanc Vulnerum inflammationem malè certè Veteres frigida ac repellentia applicarunt, quæ tantùm obstructionem tubullorum, & per consequens Inflammationem augent & humores inspissant. Dum hæc scribimus, Chirurgus quidam Senior Nobis objicit, quòd secundùm hanc methodum plures curaverit, & præ aliis Camphoram tanquam frigidum remedium allegavit, hinc est quòd Chirurgi quotidie utantur remediis, quorum vires nesciunt, cùm Camphora non frigida sed calidissima sit. In Vulnerum Inflammationibus proscribimus vulgaria ista externa pinguia & oleosa, quę specioso & splendido nomine *defensiva* appellantur, quibus tantùm poros cutis infarciunt, & sæpè Inflammationi Vulnerum januam laxant. Et Nos quidem non videmus, quo sub colore aliquod inde solamen exspectare possimus, quin persuasum habemus rationi & experientiæ non duntaxat magis consonum, sed ipsi parti affectæ etiam proficuum fore, si vel sacculo arena calida repleto vino generoso calido, aut spiritu vini camph. aut matrical. aut aq. Regin. Hungar. vel spir. sambuci, trifol. fibrin. crebriùs abluatur. Exulent ergò hîc omnia repellentia, astringentia ac refrigerantia, quę obstructiones augent, succosque machinæ crassiores detinent, qui subtilioribus evanescentibus acriores facti fibras discindunt, vel rumpunt, unde aucta obstructione major supervenit tumor, & ad gangrænam via redditur magis expedita. Quod periculum ergò ut maturè averruncetur, necesse erit, ut curas & cogitationes hoc in casu unicè in obstructionem intendas, in quem finem conducunt alcalia volatilia aromatica, balsamica, v. gr. spir. vini camph. cū aq. Regin. Hungar. spir. sal. Armoniaci, Balsm. nervin. n. d. aq. calc. viv. spir. fl. sambuc. sal volat. oleos. spir. matrical. aq. mea ad Gangrænam, constans ex aq. calcis viv. & spir. vin. cum multa Camphora, Diascord. & Theriaca, omnia enim quæ novas inducere valent fermentationes, proficua sunt. Inter omnia, quæ acidum stygium temperant, corrigunt edulcorantque, quę Capite *de Inflammatione* ad nauseā jam dicta sūt, hîc ea repetere non libet, ne Lectori cramben sępiùs coctā propinemus.

In Vulneris Symptomata & *Dolor* refertur, qui ægris ac Chirurgis multum facessit negotii, cui dolori sæpè tumor supervenit, non propter majorem humorum affluxum, prout omnes Veteres hactenus crediderunt, sed potiùs ob eorundem restagnationem, dum interea semper à tergo sequuntur succi & priorum copiam augent. Dolor ille, qui percipitur dum Vulnus infligitur, est ab agitatione, commotione, distensione, dilaceratione & concussione fibrillarum nervearum, quo enim fibrillæ vehementiùs discinduntur, eò majorem Mens de extremo aliquo insolito judicans, percipit dolorem. Verùm ille do-

lor, qui facta solutione vulneratos torquet, & plerumque aliquot elapsis horis intenditur, est à novo impetu succorum circulantium, quibus transitus, ab obstructione denegatur, hinc elabentius, qua data porta succi ruunt, flexilibus suis particulis emissis reliquæ acriores factæ rodendo dolorem augent. Sic in ipso Vulnere possunt quoque existere res extraneæ, vel festucæ, vel frustula vitrorum vel instrumentorum factorum, vel grumi sanguinis acres ac acidi, fibrillas aliaque vascula minima concutientia, quæ dolorem intensum producunt. Sic etiam dolor oritur à fluidis cum vulnere extravasatis & stagnantibus, unde sæpiùs accidit, quando aer frigidior Vulneri immitatur, tunc dolor in ipso observatur vehemens, quod etiam Veteres notarunt, cùm dicere solerent, quòd aer frigidus Vulneri admissus dolorem producat, rationem verò non addidere. Ratio autem hæc est, quod ab aere frigido particulæ in Vulnere volatiles & mobiles incrassentur & inspissentur, imò hæ particulæ volatiles ab aere alias peregrinas nanciscuntur particulas, quæ ordinem turbant, hinc etiam mixtura perturbatur, & aliam induunt indolem, & tum tendunt ad fermentationem, & dein instar lactis acescunt, quæ spicula acida tubulos, ac fibrillas concutiunt, & sic *dolorem* producunt. Ex hisce præmissis apparet, quàm malè Antecessores nostri fecerint, quòd dolorem frigidis ac repellentibus remediis coercere allaborarint, quare etiam hocce in casu ea medicamenta rejicienda sunt, & ad ea confugiendum est, quæ succos fluidos reddunt: omnia ergò hic conducunt *resolventia* vel blandè emollientia remedia, quæ copiam salis volatilis in se continent, imò omnia ea hic conveniunt quæ commendavimus *Capite de Gangræna*, spirituosa nempe, camphorata, imprimis spir. vin. camph. sal. volat. oleos. spir. matrical. cum fl. sambuc. chamomill. imprimis verò aliis præferimus varia Cataplasmata anodyna ex mica panis, flor. chamomill. theriac. croc. cum lacte & vitell. ov. parata jam sæpiùs dicta.

Ad Vulnerum Symptomata quoque refertur *Spasmus*, qui accidit Vulneri, ubi tantùm causa fortior & commotio ac distensio fibrillarum major existit, imprimis ubi tensidinosarum fibrarum læsio adfuerit, quam utplurimùm sequitur *Spasmus*, ceu nuper in quodam prope claviculas vulnerato observavimus: & notandum est, quod sæpissimè hisce in casibus, ubi tendines vel nervi magni læduntur, statim accedit *tumor flatulentus*, qui, me judice, nihil aliud est, quàm ipsi spiritus animales evasati & forma vaporis subsistentes. Hic itidem eadem conveniunt remedia, & cataplasmata, ex nervinis aromaticis parata, ut & oleosa balsamica, castorina, succinata, Armoniacalia, ol. caryophyll. spic. lavendul. cinabarina, bals. spasm. M.

Inter Vulnerum Symptomata *Febres* notissimę sunt, & accidunt à turbata sanguinis mixtione, cùm læsis tot vasculis necessario succi effluere debeant, qui stagnantes, & massæ sanguineæ iterum corrupti advecti mixturam ejus turbant. Febres in vulneribus varii generis deprehenduntur, vel ephemera, vel putrida continua, vel intermittens tertiana, vel duplicata, adeoque singulis diebus recurrens. Causa Ephemeræ sæpe in principio, & utplurimùm vel ex mœrore terrore, ve nimia spirituum agitatione. Febres etiam exasperantur à Medico, si intempestivè medicamenta adhibet purgantia fortiora, & sudorifera calidiora, vel acida &c. Item ab astantibus, dum ad iram concitant ægrum. Ab ipso ægro, si vinum acidum haurit, aliaque acida assumit, hinc abit in pejorem putridam vulgo dictam febrem, cujus causa est in ipso vulnere, quando scil. pus cum succis circulantibus ad massam sanguineam abripitur, eamque nimis turbat. Calor in Ephemera est mitior, intensior autem in putrida, & omnia symptomata sunt graviora quàm in Ephemera. Inflammatio febrem excitat, & pro diversitate & constitutione sanguinis, Febris vel continua vel intermittens oritur: si enim sanguis semel turbatus, diu manet sæpè talis, sed si pus per intervalla advehitur sanguini, tunc Febris habet suas intermissiones. Purgantia semper nocent vulneratis presertim febricitantibus. Curatio ergo Febris Vulnerum consistit 1. in blanda diaphoresi, 2. in succorum fermentescentium præcipitatione, ex. gr. sequenti modo:

℞. *Lapid. cancror. ppt.*
Bezoar. occ. aa. ʒß.
M. F. pulvis una vice assumendus.

℞. *Aq. fl. sambuc.*
Veronicæ aa. ℥j.
Essent. taumat. ʒß.
Syr. trifol. fibr. ʒiij.
M. pro vehiculo.

In omnibus vulneribus *Veronica* palmam aliis pręripit, hinc etiam omnibus formulis addenda est: pro altero scopo obtinendo inservit sequens:

℞. *C. C. s. igne ppt.*
Lapid. scissil. Irland.
Ocul. cancr. ppt. aa. gr. vj.
Arcan. duplic. gr. iij.
M. F. pulv.

Lapis enim scissilis magnam habet pręcipitandi vim, hinc nobis solennis est: quòd si cui mixtura arrideat, sequens proderit:

℞. *Aq. febrifug.*
Card. bened.
Papav. err. aa. ℥ij.
C. C. citr. ℥j.
Mixt. s. ʒß.
Syr. papav. err. ℥ß.
M. D. omni bihorio cochleare unum & alterum.

In forma Tincturæ vel Essentiæ dentur Tinctur. bezoard. volatilis, Essent. citr. tot. aq. cordial. Saxon. Theriacal. Camph. vel Theriac. cum aq. Scordii.

His in Febribus Vulnerum conducunt omnia præcipitantia, salina & absorbentia, v. g. lap. cancror. C. C. Myrrh. Camph. arcan. duplic. lap. prunell. chin. de chin. rad. gentian. fl. sal. Armoniaci, Nitr. perlat. vel nitrum cum carbonibus alcolisatum.

Chirurgis notum est, quòd vulnerati vel per nimiam hæmorrhagiam, ut ob terrorem, aut ob venenum à morsu sc. animalis, in *Syncopen* incidunt, ęgri enim pallescunt, pulsus cessat, sudore frigido corripiuntur: non mirum est, quòd à nimio sãguinis effluxu vulnerati deliquium animi patiuntur, quia si sanguis non ad cor lege circulationis redit, necessariò ad alias transit partes, sicque horologium pervertitur, per terrorem cor constrahitur ut sanguis ad partes ruere nequeant, & simul spiritus animales ad liberum suum fluxum impediuntur, hoc in casu conducunt omnia salia volatilia, spiritus volatiles & oleosa, quæ sanguinem ad circulationem incitant. In Juniorum Medicorum gratiam unam & alteram communicabimus formulam:

℞. *Aq. ment.* ℥ß.
Cinamomi bugloss. ℥ß.
Spir. menth. ʒij.
Rosar. ʒiß.
Ol. sassafras gutt. iv.
Syr. de cinamomo ʒvj.
M. Mixtura hęc cocleatim absumatur.
Vel

℞. *Elix. vitæ* ʒij.
Ol. cinamom. gt. ij.
Sal. volat. oleos. gt. xx.
Aq. Regin. Hungar. ʒj.

M. dentur aliquot guttulæ in vino vel alio liquidore convenienti. Ante nares detineatur spir. sal Armoniaci volat. vel aromat. cum spir. anthos, vel sal C. C. volat.

Reliqua quę in Vulneribus occurrunt symptomata, facilè Medicus ac Chirurgus ex jã dictis petere potest.

Vulnera sclopetoru[m]

Nunc nos conferamus ad Vulnera à diversis instrumentis inflicta. Cum ergò humana astutia in excogitandis variis machinis ad lædendum hominem de die in diem assurgit, sic quoque inventa sunt sclopeta

cum

um pulvere pyrio, ex quibus Vulnera fiunt periculosiora, quàm ab aliis instrumentis, quod lædendi genus vetustati ante 200. annos ignotum fuit, hinc quoque hactenus eorum ferè omnes Vulnera sclopetorum pro venenatis habent, atque in eo quidem prudentiæ edunt argumentum, quòd ignorantiam suam celare, atque successus parùm felices malignitati ac virulentiæ tribuere satagunt: tantum enim abest, omnia sclopetorum Vulnera venenata esse, ut potius ob rationes satis notas omnium illorum Symptomatum ferax sit. Præterquam enim quòd in his Vulneribus aliquid de ipsa partis læsæ substantia auferatur, etiam hoc majus adhuc infert periculum, quòd plures fibrillæ contundantur ac disrumpantur, in aliis autem Vulneribus paucæ duntaxat discindantur, inde enim est, quare Sclopeto sauciati Gangrænæ & Sphacelo aut putredini, nec non Spasmo ac febribus præ aliis sint obnoxii, major enim hic est obstructio, major tubulorum & pororum perversio, major in fluidis perturbatio quàm in Vulneribus cæsim vel punctim inflictis. Hic etiam simul indolem *pulveris pyrii* examinabimus, & quoque consideranda est velocitas globulorum ex sclopetis emissorum, à qua Vulnera producuntur periculosa, juxta enim velocitatis graduum & globulorum magnitudinem contusio partium varia est; quæ verò de combustione partis globo trajectæ aut Vulnerum horum empyreumate pro exaggerando periculo plures adducunt, ea cum Celeberrimo *Uvaldschmidio* nostro ceu anile commentum inter fabulas collocamus, quis enim, inquit, unquam vim ignitam in globulo observavit? Ecquis nescit ipsos tormenti globos acervum pulveris pyrii transire, sine ullo accensionis metu? nisi fortè impetum fecerint in corpus durum, ex quo ignis excussus ipsum pulverem pyrium accendat. Videmus ergò illos, qui remedia sua contra Empyreuma in his casibus venditant, quibus se & alios inani lactare spe imo fallere solent. Vulnera à Sclopeto inflicta apparent ab initio livida, nigra & sæpè flava ut alia Vulnera, & æger conqueritur de dolore gravativo, interdum sequitur tumor, nonnunquam aliquid sanguinis è Vulnere effluit, post ictum Vulnus quasi contrahitur, ut vix turunda intrudi possit, ad quod multum facit sanguis congrumatus ibi hærens obstipansque, succi enim nostri cum spiritibus animalibus vasis inclusi non sufficientes sunt ad reprimendam vim globuli explosi, hinc non tantùm vasa & canaliculi disrumpuntur, sed & succi cum incredibili velocitate à suo statu permutantur, unde reliqua symptomata faciliùs deduci possunt, quod jam alibi deduximus. Nunc verò ad Sclopetorum Vulnerum curationem transeamus, magnam enim ex antedictis fœneramur in curatione lucem. Si Vulnus non satis amplum fuerit, id cultello incisorio magis dilatandum est, partim ut materiæ effluxus concedatur, partim ut si adfuerint Ossis festucæ vel globuli minores, eximantur feliciùs: & hoc statim ab initio considerandum, si enim pars læsa fuerit nimis tumida seu tumore obsessa, tunc nimis tardum erit, & si in Vulnere res extraneæ adfuerint, ad eas eximendas debet Patiens in hoc situ locari, quo accepit Vulnus, aliàs fibræ distorqueri possunt, inde dolor oboritur maximus. Digiti sæpe melius instrumentum sunt ad has res eximendas, & si globus nimis profundè lateat, incisio facienda est, & forcipe eximendus est globulus, non enim approbamus istud instrumentum quod Chirurgi *Kugelziber* nominant, quia lædendo magis nocet quàm prodest. Dein accedendum est ad deligationem Vulneris & cùm utplurimùm caro & fibrillæ contusæ, & succi incrassati fuerint, hinc optima remedia sunt illa, quæ succos attenuant, ut ad circulationem idonei reddantur, & separatio quovis modo tentanda, proderit ergò sequens vel simile remedium in & supra Vulnus applicandum:

℞. *Ungu. Basil.* ℥j.
Aloes,
Myrrh. aa. ʒvj.
Aq. Regin. Hungar. ℥j.
Sal. Saturni ℥iij.
Spir. sal. Armoniaci caryophyllat. ℥ß.
M. & detur usui.

Hoc calidè cum plumaceolis in & circa vulnus applicetur, vel superponatur vulneri spir. matricalis cum spiritu samburi, Vin. camphor Spirit. sal. Armoniaci, Myrrh. Aloes &c. Hisce enim remediis insistendùm est usque Tumor evanuit. Nihil tamen excellentius quàm sequens *unguentum Basilicum*, quo solo Chirurgus Castrensis in vulneribus à sclopeto inflictis contentus esse potest, nunquam enim ipsum deseret.

℞. *Ceræ citrin.*
Resinæ aa. ℔ß.
Ol. olivarum ℔. ij.
Picis nigræ ℔ß.
M. F. unguentum.

Si primæ 3. species refrigeratæ fuerint, add. picis nigr. q. v.

Vulnera magna cum contusione vehementi, solo applicato Spiritu Matricali, *Spir.* sal. Armoniaci saturato, observavimus curata absque ullo subsecuto pure. Ubi contusio major est, ibi suppuratio promovenda, & additis aliis croco & vitello ovorum, & si suppuratio vix appareat, seq. cataplasma ca lidè applicetur.

℞. *Herb. absynth.*
Rorismar.
Cent. min. aa. M. iß.
Bacc. lauri,
Sem. cumin.
Fœnicul. aa. ℥ß.
Camphor.
Myrrh.
Aloes aa. ℥i.
Coq. in aq. & add. Farin. fabar. q. s.

Hisce impositis necessariò succi ex canaliculis diruptis effusi fermentari debent, quo facto pus subsequitur. Hoc in casu internè quoque conducunt omnia ea quæ constant particulis volatilibus spirituosis ac oleosis, ut & omnia quæ acidum temperant, & cum suis particulis volatilibus spicula acidorum amplexantur, prout videmus in butyro quod acetum amplectitur: & cùm spiritus nihil aliud sit, quàm subtile & attenuatum oleum, eundem præstat effectum, sic Spirit. Sal. Nitr. dulcificatur cum spiritu vini per cohobationem institutam. Commendamus ergò internè Salia volatilia oleosa, balsam. Nervin. Peruvian. de Chili, aquam Theriacal. camphor. lap. cancrorum, Tinct. Bezoart. Traumat. volat. Omnia ex Scordio & Veronica conducunt. Antimon. diaphor. Antihect. Poterii, aliaque absorbentia interponenda sunt; esto formula:

℞. *El. diascord.*
Aq. fœnicul. ℥iv.
Chærefol. ℥j.
Balsam. nervin. m. d.
Ocul. cancror. aa. ℈ij.
Camphor. ℈ß.
M. D. cocleatim.

Vulnus à morsu animalium.

Si globi vel tela fuerint venenata, vel si vulnus à morsu animalium excitetur, diaphoretica bezoardica ac Camphorata, Theriacalia per diuturnum tempus continuanda sunt, sæpius enim in tubulis latet venenum, quod data occasione erumpit, & coagulando penitus sanguinem, hominem è medio tollit, ceu hoc vidimus in puero Venatoris superiùs dicti: ea propter sunt qui radicem gentianæ internè ad ʒj. datam magni æstimant. Nos viperina, imprimis pulverem Anglicum & Bezoarticum nostrum, item Tincturam viperinam Vigani, ut & ejus Elix. propr. commendamus. Adversus morsum canis rabidi infallibile euporiston commendat *Hannemannus*, cujus mentionem facit *Bartholin. Act. Hafn. Volum.* 2. *Observ.* 110. beneficio enim ejus multos commorsos, & aliquot jam actu rabidos, felicissimè restituit, & est seq.

℞. *Herb. rutæ*,
Abrotan.
Betonic. angustifolii,
Salviæ fol. angust. aa. M. j.
M. incis. affund. Vin. opt. ℔ j.

Sique tempus permittit, per aliquot horas maneat in infuso, exprime, expresso add.

Theriac. Andr. ℥ ii.
M.

Adultus magnum de eo faciat haustum, junioribus verò & puerulis detur cochleatim, sin verò periculum metuatur, additur herb. card. fullon. M. j. vel hujus sem. contus. ℥ j. Vulnus commorsum per plures dies apertum servandum esse necessum est, & semper ad sudorem disponatur æger, in quem finem sequens vel similis propinetur haustus.

℞. *Aq. theriacal.* ℥ j.
Cinnam. ℥ ß.
Ol. sassafr. gt. vj.
Cinnamom. gt. iii.
Balf. nervin. m. d. ℥ ß.
Vin. q. s.
M. F. haustus.

Nec externa negligenda sunt, vulneri ergo imponatur sequens calidè cum plumaceolis:

℞. *Aq. Regin. Hungar.*
Spir. matrical. aa. ℥ j.
Myrrhæ,
Aloes,
Terebinth. aa. ℥ iß.
Ol. caryophyll.
Sassafras aa. ℨ j.
Camphor. ℨ iß.

M. & calidissime infundatur vulneri venenato, vel sæpius eluatur vulnus decocto scord. rad. contrayerv. rutę, abrotan. betonic. salv. in decocto ℔ j. dissolv.

El. diascord. ℥ j.
Spir. vin. camph. ℥ iß.
M.

Alii theriacam morsui applicant, alii bufonem vivum loco cataplasmatis imponunt. Boyle ferrum candens morsui applicari vult, sic etiam lapidem serpentum contra quęcunque commendat venena. Æstivo tempore vidimus canes à canibus rabidis morsos, ex quorum vulneribus observavimus prolem vermium prodire, quia, me judice, à muscis hisce vulneribus non deligatis impositis ovula imponebantur, quæ à carne semiputrida & quasi fermentante exclusa sunt.

Dum hæc scribimus, Vetula à rabida fele in manu mordebatur, tumor manus & totius brachii intensus subsecutus est, exhibitis verò internis sudoriferis ex El. diascord. Antimon. diaphor. Bezoar. aliisque, & impositis Cataplasmatibus aromaticis, illicò remiserunt symptomata & brevi convaluit: inter externa optimè tulit sequens:

℞. *Ol. Hyperic. n. d.* ℥ j.
Scorpion. ℥ ß.
M. calidè vulneri infus.

Vulnus cum incipiente Gangrana.

Dolores ac tumor inde statim cessarunt. Si ex colore livido vulnerum, sensus motusque ablatione, atque cadaveroso frigore mortis principium, Gangrenam nempe adesse animadvertant Chirurgi, profundiorem statim in confinio instituunt scarificationem, quo sanguis acidus & cruoris nomine magis dignus exprimatur. Nos vulnus gangrænosum absque Scarificatione eluimus spiritu nostro bezoardico, vel decocto superiùs dicto, vel aqua muriatica, quo obstructiones vel pori obstructi eò faciliùs aperiantur, mox liquorem ex calce viva cum aqua pluviatili, spiritu vini camph. & Mercurio vel melle applicamus, superimposito cataplasmate de 4. farinis dict. vel fotu ex Scordio, Absynth. Marrub. Theriac. spiritu vini aliisque parato. Neque enim hic ulla admittenda est mora, aut induciæ concedendæ sunt, cùm locum hic habeat illud quod *Tiberio* cunctanti dictum est: *Aut age aut desiste*: quoniam quo citius pars cadaverosa à sana separatur, eò certiùs æger in tuto collocatur, sin aut autem nimis serò advocatur, & extremæ calamitatis, & ægro periculosa subeunda erit alea, atque ad exstirpandam hanc hydram ferrum in subsidium vocandum.

Nam, quod non sanat medicamentum, hoc sanat ferrum: quod non sanat ferrum, sanat ignis.

Hypersarcosis in Vulneribus.

Hypersarcosis etiam in vulneribus obveniens Chirurgis sæpè impedimento est, quæ aliquando propter victum, & inde generatum chylum copiosum, crassiorem tamen ac facilè coagulabilem exoritur, eò ergò intendendum est ut caro ista spongiosa tollatur, & in quem finem pulveres inspergantur absorbentes, ut Calx viv. Sal Saturni, mandibul. luc. Corall. Camphor. vel Elixir. vitæ, Spiritus Matrical. spirit. vini camph. cum aqua calc. Elixir vitę cum sale Saturni & camphora, vel unguentum Ægyptiacum inspissatum, vel imponatur Emplastrum divinum Barbette, vel Sticticum, vel Oppodeldoch.

CAPUT VI.

De Ligamentorum Stupore & Laxatione, Nervorum Contusione, Juncturarum Incurvationibus & Luxationibus.

§. I. Ex innumeris calamitatum myriadibus, quibus machina nostra undique per omnes sui partes, proh dolor! est exposita, imo humani corporis pars aliqua, quo dignior ac præstantior quantoque majorem præbet usum totius œconomiæ, hæc pluribus, hæc atrocioribus morbis est obnoxia, in machina enim nostra plures reperiuntur partes quæ ligamentorum & tendinum texturam participare videntur, eò quod æquè dura non sint atque illa, & his minus mollia sunt, cartilagines indigitantur. Primaria ratio, propter quam nos conicimus, cartilagines nil aliud esse quàm fibrarum tendinosarum compagem, quæ induratæ fuere ex alcalicorum volatilium infarctu, hoc est, quòd nulla sit cartilago in quam non desinant multæ fibræ tendinosę: verisimilis ex eo redditur conjectura nostra, quòd cartilaginis substantia quæ oculis percipitur, nihil aliud sit, quàm fibrarum congeries, res enim extra dubium ponitur, eò quod in junioribus animalibus multę partes quæ tendinosæ erant, tractu temporis cartilagineæ deveniant & in vetustioribus animalibus quidem tendines in cartilagines mutati conspiciantur. Sic hęc ligamenta tendines, ut & nervi suos partiuntur manes, & à Medicis Chirurgicis exspectant auxilium, imprimis in *Ligamentorum Stupore* & eorum *Laxatione*, *Nervorum Contusione*, *Juncturarum Incurvationibus & Luxationibus*, Quos affectus omnes ordine & more solito examinaturi sumus. *Stupor* dicitur etiam Narce, Narcosis seu Torpor, est propriè sensus motusque abolitio.

Descriptio Stuporis Ligamentorũ.

Stupor Ligamentorum describi potest, quòd sit obstructio ligamentorum à succo nerveo coagulato, vel à compressione alicujus rei extraneę, exorta.

Laxationis.

Laxatio verò *Ligamentorum* describi potest, quòd sit eorum in longum extensio, à causa violenta vel succorum abundantia ipsa relaxante, producta.

Contusionis.

Contusio Nervorum sufficienter intelligitur, nec opus est *Descriptione* prolixiore, aut definitione *Logica*, Tyronibus magis inutili, eos duntaxat confundente.

Incurvationis.

Incurvatio Juncturarum itidem facilè percipitur, cum sc. juncturę à causa violenta quadam vel ligamentorum vel nervorum causa incurventur ac intorqueantur. Latinis hic Affectus etiam dicitur *Contractura* membrorum, Germanis, *er ist contract*, *er ist Krumm und lahm*, vel *eine Lahmung* Gręcis dicitur, ἀγκύλη à verbo ἀγκυλέσθαι, quod ipsis incurvatę dicitur. Gallis

Gallis *contract de nerfs*, Italis *Incortato* audit. Sed sæpè contingit, ut Spasmus, Convulsio, Paralysis, Stupor & Contractura inter se confundantur.

Luxationis. *Luxatio* est capitis articuli è propria sede, sive proprio sinu in alienam insolitam sedem prolapsus, cùm motus voluntarii læsione.

Pars affecta. *Partem affectam* esse Ligamenta, Tendinesque ut & Nervos, ex jam dictis abundè liquet, nec excludimus Spiritus animales ad hos Affectus excitandos symbolum suum addentes. Ad rem ergò eximiùs examinandam, ut eò faciliùs *Causam* horum Affectuum eruamus, in texturam & compositionem harum partium inquiramus.

Uti ergò tendines nihil aliud sunt, quàm compages fibrarum purissimarum, quæ ideò fibræ tendinosæ appellari merentur: sic etiam non magna differentia est inter tendinem & ligamentum; Fibræ enim arctè juxta se invicem oppositæ, constituunt *Tendinem*, adhuc magis verò coarctatæ *Ligamentum*, firmiùs tandem junctæ & proximè appositæ *Cartilaginem & Os* ipsum exhibent. Et hìc asterisco notandum, quod omnes hæ fibræ tendinosæ seu ligamentosæ cavitatem habeant, quæ illas percurrit Siphonis instar; cavitas equidem illa visu apprehendi nequit, sed prostat experientia, quæ validè satis evincit, cavitatem eam esse necessariam, ut ab iis, quibus recta ratio satisfacit, non rejiciatur. Hæc est experientia, nimirùm quotiescunque musculus quidam officio suo fungitur, fibræ ipsius maximè abbreviantur, & eodem modo crassiores evadunt. Interim mente nullo modo capere possemus, quo pacto fibræ flexiles crassiores & breviores eodem temporis puncto fierent, nisi id contingat ab aliquo liquore, qui adimpleat earum cavitatem, quæ longitudinem earum occupat. His positis admodum difficile non erit videre, qua ratione ea omnia operari debeant: Singulæ fibræ tendinosæ nervum recipiunt, & singuli nervorum ramuli spiritus animales fundunt in cavitatem singularum fibrarum tendinosarum: Spiritus animales sunt sanguinis partes subtilissimæ & agitatissimæ, cùm cavitates fibrarum tendinosarum subingressi sunt, illas tumefaciunt & abbreviant, eodem planè modo, quo aer in intestinum insufflatus ipsum in tumorem extollit, illudque eodem instanti brevius facit, prout etiam videmus in vesicis inflandis.

Sic etiam nervos in ipsorum contusione pro parte affecta agnoscimus, quorum constitutionem & texturam etiam paucis examinabimus. Superficies cerebri & cerebelli æquè ac media medullæ spinæ dorsi, observantur ex corpusculorum rotundorum congerie esse conflata. Percipiuntur arterias recipere, venas emittere, & ex iis fibrillæ albæ proficiscuntur.

Cùm attentiori animo corpora ista rotunda examinentur, nihil aliud in singulis conspicitur, præter arterias, venas, & fibrillam albam. Particulæ, quæ à sanguine sequestrantur, per arteriam non abeunt, cùm sanguis ad corpora rotunda ab arteriis advehatur. Vena quoque non excipiuntur; si hoc enim foret, nulla interesset differentia inter arteriæ & venæ sanguinem. Superest igitur ut fibrillam albam subeant & ita comperimus Cerebri superficiem ex minimis tantùm glandulis constare, quæ ab arteriis sanguinem accipiunt, per venas demandant, & canales habent excretorios, ex quibus manat liquor quem à sanguine separarunt. Vasa quæ Cerebri aut Cerebelli, (cujus substantia est glandulosa,) hujus vero substantia corticalis dicitur, corpus callosum componũt, ita in illis mutuo sunt complicata, ut rete quoddam referant. Nondum liquet, utrum mutua sit inter ipsa anastomosis, an rete simpliciter contexatur ex eo, quòd se decussatim invicem subeant. Tandem in parvos combinantur fasciculos, qui in membranaceis vaginis occluduntur. Prout in animalis corpus progrediuntur, in plures ramulos dividuntur, & hoc pacto in universas partes expanduntur, ita ut paucissimis Corporis animalis partibus aliqualis eorum portio denegetur. Fasciculi isti vasorum excretoriorum cerebri, cerebelli & spinæ, *Nervi* de quibus sermo est, appellantur. Denique spiritus animales examinandi veniunt. Quod ad liquorem istum attinet, ex tenuissimis & volatilissimis sanguinis particulis necessariò est compositus. Instar auræ subtilissimæ consideratur, quæ in fibras nervorum sese insinuat. Cùm siquidem oculorum nostrorum aciem fugiat, nec vel optima microscopia eam visui nostro repræsentare possint, merito jure autumare valemus, liquorum omnium, qui ex sanguine in glandulis corporis animalis segregantur, eum esse tenuissimum. Cognominatur liquor iste, *spiritus animales*, propter summam suam subtilitatem, & illi sunt ea anima, qua Bruta vivunt, quamvis liquor iste colligi nequeat, ut ejus inquiratur mixtura & constitutio, ab ipsius admistione cum acidis & alcalicis, nihilominus examinabimus, alcalicum volatile in illo prædominium obtinere, cum sulphure supra modum volatili, quod inde constat, quòd alcalia omnia volatilia interne usurpata Spirituum animalium penu augeant. Sulphura volatilia idem ferè operantur: & nihil tantoperè eorum abundantiam promovet, quàm alcalia volatilia sulphurata, qualia sunt alcalia omnia volatilia aromatisata. Effectus etiam alcalicorum in sulphura nos in hac opinione confirmat. Nam alcalica sulphura dissolvunt, eorum partes ab invicem semovendo, & hoc pacto impediunt quo minùs eorum rami inter se intricentur. Inde fit ut interstitia aut spatia ramorum à materia ætherea impleantur, æquè ac pori, qui inter sulphura & alcalia remanent, qui tùm ampliores sint, quàm forent, si liquor simpliciter alcalinus aut sulphureus fuerit, copiosiorem etiam in se materiam æthercam continent: & quoniam materia ista æther ea in rapidissima versatur agitatione, maximo nixu cunctas partes hujusce liquoris commovet, quòd parùm non confert ad ejus activitatem & tenuitatem. Sed ne diutiùs extra oleas vagemur, nunc ad ipsam partem affectam *Juncturarum*, quæ sunt illæ conjunctiones articulorum, qui mediantibus ligamentis & ossibus connectuntur, deveniamus.

Diagnosis Stuporis Ligamentorum. §. 3. Quod *Diagnosin* horum Affectuum concernit, *Stupor Ligamentorum* cognoscitur ex motus sensusque ablatione, sensus enim in parte est obscurior, instar formicarum percurrentium, pars quoque cui annexum est ligamentum, vix de uno loco in alium moveri potest; torpescit enim pars, & maxima totius artus debilitas percipitur, quia spiritus animales haud influere possunt, hinc necessariò pars quasi flaccescere debet: Sic & cognoscitur ex prægressa causa violenta per Compressionem seu Contusionem fortiorem producta. In Stupore seu Torpore non distinctè sed obscurè & velut in somno constitutus, percipit actionem objectorum satis fortiter Organum tactus moventium.

Luxationis Ligamentorum. *Laxationis Ligamentorum* signa petuntur ex prægressa causa violenta, laceratione artuum, vel a nimio onere, ut non ita pridem talem Laxationem vidi in viro, qui magnum pondus elevare frustra conatus est. In membro ubi laxatio facta est, nullum adest ampliùs robur, & sæpè excidit, ceu id observavimus in Virgine Nobili quadam, quæ ex essedo in terram adeò fortiter ruebat, ut Laxatio ligamenti in junctura cubiti facta fuerit, & simul exciderit cubitus, quamvis is bis vel ter à Chirurgis repositus fuerit, attamen semper rursus excidit, & plures sumptus ac dolores per aliquot annos sustinere coacta, tandem per thermas aliquod solamen percepit. Per vim lapsus caput ossis acetabulo suo est excessum, quod tamen nunquam fieri potest, quin ligamenta debeant laxari, quæ sponte sua quandoque iterum contrahuntur, & os sursum trahunt extra acetabulum suum. Magnus quoque adest dolor, quia ligamentosæ fibræ, quæ sunt in parte opposita, maximè tenduntur. Motus aboletur, quia Os non firmatur in acetabulo suo *Imperfecta Laxatio* dicitur, cùm laxantur tantùm tendines membrana, ita ut in acetabulo suo Os vix contineri possit.

Nervorum Contusionis. *Nervorum Contusio* faciliùs cognoscitur ex partis motu & sensu imminutis, & prægressa causa quadam ponderosa contundente, & plaga, ictu, lapsu &c. & inde exorto partis dolore intenso.

Juncturarum Incurvationis. *Juncturarum Incurvationes* & rigor membrorum ex relatione ægri & sensibus ipsis satis innotescunt, oculis enim

nim incurvationem ac rigorem membrorum percipimus. Incurvatio enim cognoſcitur ex membri contorſione & curvatura, ſignis propriis cauſæ externæ non indigent, utpote in ſenſus incurrentes, quamvis hoc in paſſu aliquid lucis concedat diſpoſitio parentum, quatenus claudicantes à claudicantibus ſæpe generari experientia docet, nam partium ſolidarum vitioſa conſtitutio per hæreditatem in prolem transfertur, prout videmus etiam à debilibus parentibus generari rachiticos. Conjunctus ſæpè eſt tumor & durities, ſuccedit his curvitas membri, quatenus ſc. ligamenta ac tendines ob fibras muſculi breviores redditas, adducuntur verſus principium, unaque cum iis oſſa quibus inſeruntur, retrahuntur. Nec tamen ullus percipitur dolor, adeſt aliquando partis atrophia, ſic vocatur artuum contractio ſenſim facta, unde flexio impeditur, & non niſi cum dolore & vi quadam peragitur, in vicinis partibus fit macies ſeu atrophia.

Luxationis.

Luxationis ſigna Diagnoſtica ſunt communia & propria, quæ ejus cauſas harumque differentias manifeſtant. Illa ſunt vel mutatio figuræ membri ordinarii, quatenus in parte ejus altera tumor, circa ſinum ſeu acetabulum fovea apparet; quod ſolis oculis diiudicare licet in tenerioribus ac mollibus ſubjectis ac membris; in carnoſis verò & craſſioribus contrectatio ſimul requiritur: vel longitudo membri vitiatur, quatenus hæc modò deficit in Luxatione perfecta & ad ſuperiora contingente, modò nimia eſt, ſc. in ſubluxatione & prolongatione. Dein motus membri læſi ceu hic aboletur in luxatione completa, ſeu imminuitur aut depravatur in Subluxatione. Poſtremò dolor circa juncturam, niſi tendines & ligamenta nimis laxata fuerint, v. gr. in Luxatione à cauſa interna, ab humorum ad ligamenta atque tendines effluxu, & ſtagnatione circa juncturas, luxationem eſſe colligitur, 1. Ex ſuccorum evaſatorum copia: 2. Si Luxatio ſenſim atque ſenſim fit, ita ut luxandum membrum per aliquod tempus huc atque illuc motibus inordinatis agitetur, vacillet, ac licet reponatur mox iterum procidat. Callum verò ſubeſſe judicatur, ſi membri ante luxati reſtauratio contigerit, præſertim in articulis non multa carne ſtipatis, ut in cubito, genu &c. Callus autem ſicuti modò durior modò mollior eſt, ita illius ſigna ſunt, quòd articulus gracillimus ac ſicciſſimus deprehendatur, nec ab ægro nec ab aſtantibus violentiori manu moveri queat, extenuatio & gracilitas membri ſi ſit diuturna.

Molliorem è contra adhuc ſignificant, ſi recens fuerit dislocatio, ſi membrum aliquantum adhuc moveri queat, ad tactum quoque tumor mollior obſervetur. Denique Tophum ſubeſſe, præter ſigna cauſarum internarum & calli durioris generaliora, ſuadet diſpoſitio ægri arthritica.

Ætiologia ſecundum Galenicos ſtuporis Ligamentorũ.

§. 4. *Galenici* cauſam *Stuporis Ligamentorum* dicunt eſſe ex cerebro & dorſi medulla, nervisque & inde exortis, vel in ipſis ligamentis ex nervoſis partibus conſtantibus, idque vel ex intemperie quapiam, vel ex aliquo impacto humore provenire ajunt, potiſſimùm tamen Torpores Ligamentorum & ſentiendi difficultates ob refrigerationem accidere volunt, Ligamentorumque ſenſilium obſtructos meatus.

Luxationis Ligamentorũ.

Laxationis ſeu Reſolutionis Ligamentorum cauſam effectricem deducunt ex craſſo, viſcoſo, frigido, interdum etiam terreſtri & Melancholico humore, volunt etiam vitium hoc ex qualitate calida aut ſicca proficiſci, ubi calida intemperies ſanguinem & humores nimium torrefecerit: ſimiliter etiam ob frigidam qualitatem ſolam vel ab evacuatione nimia Laxationem hanc provenire contendunt.

Nervorum Contuſionis

Nervorum Contuſionis cauſam dicunt continui ſolutionem à cauſa violenta, à re externa quacunque contundente, & dolorem inſignem inducente, imo ſæpe cutem ipſam ſolvente & exulcerante, obortam.

Juncturarum Incurvationis.

Juncturarum Incurvationes ſeu Articulorum contractiones ob humorem pituitoſum aliumque impactum, aut nervi affectum quempiam in artubus, oboriri dicunt. Imò has contracturas ex hellebori potione ſæpè contingere, ſcribunt.

Articulorũ Luxationis

Articulorum Luxationum cauſas dicunt Veteres vel *internas* vel *externas*. Internæ ipſis ſunt humores excrementitii, & flatus: nam humores ligamenta ita humectant & reſolvunt, ut articulos continere non poſſint, flatus autem diſtendunt, ut oſſa conjuncta divellant; uti ſæpe in paſſione arthritica, & iſchiatica apparere dicunt. Externæ cauſæ ſunt caſus, ictus &c. Hæreditariæ ſunt, quæ licet non neceſſariò fiant, ſæpe tamen contingere ajunt, ut gibboſi à gibboſis, luxati à luxatis generentur.

Paracelſi deductio cauſarum in Ligamentorum ſtupefactione.

§. 5. *Paracelſus Ligamentorum* ſtupefactionem dicit, quando ea læſa dormire videntur, ac ſi formicæ diſcurrerent in iis Laxationem verò ligamentorum ait à nullo alio eſſe quàm à defectu glutinis albi, ſeu ſinoniæ, ligamenta nervoſa non amplius irrigantis, ſed ab aliis humoribus effluxis ea relaxantibus.

In Nervorũ Contuſione.

Nervorum Contuſionis catarcticas habet vel ruptionem, vel caſum ab alto, vel plagam à re externa violenter nervos contudente, nam iſtis de cauſis non tantum ſanguinem extra vaſa effundi exiſtimat, in parte dolente colligi, in grumos abire, ac tandem putrefactum, vicinas partes erodere, ac vulnus facere; ſed & nervos ita lædi, ut Sinonia vel glutem album evaſetur.

In Articulorum Incurvatione ſeu Contractura.

Juncturarum ſeu *articulorum Incurvationis* ſeu Contracturæ cauſas plures dicit Author: Unam fieri ait ex læſione corporis, & quidem ab externis accidentibus, utpote verberationum, vel fodicationum ictibus, caſu, vel aliàs diverſimodè, jaculis, telis, bombardis, abſtruſionibus, fractionibus &c. quandoque etiam propter conſtipationem in carne, quæ nutrimentum impedit, contracturam contingere ſtatuit, vel propter venarum obſtructionem quæ nutrimento ſuum tranſitum impediunt, non ut ille amat loqui, per naturam, ſed accidentibus extrinſecis: item contracturas oboriri probat ex alteratione pororum & meatuum in arteriis, ſæpius etiam illas contingere arguit, ut propter abbreviationem alicujus membri, vel curæ defectum, (quæ fiat plerumque ex medicamentorum impertinentia) contractura naſcatur, quia, juxta ipſum, cauſa per quam lapſus jam factus fuit, carnes & venas obſtruit atque mortificat, ut nervi prorſus in ſe ipſis deficiant, membroque nullas vires adhibere valeant, unde etiam ipſum deficere cogitur. Aliam contracturam ex calculo vel tartaro procedere ſcribit: omnes ergò partes quæ à Tartaro vel calculo recipiunt impreſſiones, tartareasque proprietates, quas retinet, ſecumque velut ad regiones, ad quas à natura diſponitur, ibidem contracturas oboriri contendit. Quòd ſi pauca fuerit hujuſmodi ſubſtantia, manet in fundamento hærens, & Incurvationem dorſi facit. At ſi paulo plus fuerit ſubſtantiæ, progreditur ad femora: ſi plurimum, ad externas corporis partes, infimasque tranſiens, contrahit omnes, impotentesque reddit. Arenæ lithiaſisque materiam lapideam eſſe dicit acerrimæ concretionis & coagulationis: cùm igitur venis, juncturis, oſſibus, medullis, & carnibus admiſcetur, horum naturam immutat nutrimentum, ductus obſtruit, venas & medullam oſſium frigefacit, ut inſtar aceti coagulati fiant, per acetoſam & tartaream hujuſmodi frigiditatem prorſus immobilia membra fieri memorat; nec ſolùm propter frigiditatem, ſed etiam ob auctam acredinem ipſæ venæ corroduntur.

Contracturarum ex colica originem humorem acetoſum eſſe dicit, quare humoris vis cauſat ejuſmodi attractiones, poſtmodum inducit intorſiones in membra capitalia, concepta humorum pravorum receptione, ibidemque manentem irritationem huic ſimilem tamdiu, donec per eum humor pernitioſus vitæ penitus abſumatur.

Sic quoque contracturas ex cholera ortum ſuum habere ſingulari explicat capite. Fieri ergò poteſt juxta ipſum, ut ex invidia naſcantur Incurvationes, & ex iſtis contracturæ, prout ex cholera proveniunt.

Sic quoque contracturas ab exceſſivo potu vini tartarei provenire ſcribit explicatque.

In Luxatione ſeu Dislocatione.

Dolor qui *dislocatis Juncturis* ineſt, Author non aliũde provenire ſcribit, quàm ex liquore, qui extra ſuam Ana-

Anatomiam excessit, & ex acetositate hac membri dolores oriuntur. Nam liquores juncturarum ubi corrumpuntur, secundum eum in incendium transeunt. Pariter Anatomia corporis pati minimè potest absque dolore, membrorum dislocationes, aut læsiones fieri, quod in sua sanitate rectam dispositionem capiat: ejusque natura talis est, ut prout concatenata, nervis, arteriis, venis &c. juxta hunc ordinem fore manere que velit & debeat, à quo si perturbetur, dolorem concipit illi similem, qui fit ex vulnere, fodicatione, vel ruptura. Quare juncturarum dislocationes optimè considerandas esse monet, quod nonnullæ proveniant ex talibus, aliquæ ex dislocationibus Anatomiæ humore acido, veteri crescentia, reliquæ ex Synochia humorum corruptione. Ex quibus omnibus dolores membrorum oriri posse contendit, ariditates postmodum & contracturas.

Spasmi similiumque morborum occasionem esse dicit Fluxum mineralem ex arsenico, natura cujus & conditio est excitare humores & calores.

Helmontii sententia de causa Ligamentorum stuporis.

§. 6. *Helmontius* dicit cruorem esse spiritum, item traduci in sanguinem arterialem, & dare spiritum vitalem, cuius favore à mente informetur atque animatus fiat, & hinc demum transferri in sinus sive stomachos cerebri, ibidem variam suscipere characterum determinationem, ita ut motivus fiat in spinali medulla, visivus in opticis officinis. Qui si aliquo errore ad linguam ducantur, gustatui sunt planè inutiles. Quapropter fieri ut non rarò partes vel membra *stupescant*, ut in nostro affectu, in quo pars aliqua mobilis vel sensum, vel motum relicto sensu amittat, *causam* esse hujus *Stuporis*, eò quod alieno spiritu & devio partes irrorentur, sunt nempe juxta eum tactuum authores motui impares & vicissim. Stupefacto membro sensum redeuntem fieri quasi titillando scribit.

Ligamentorum Laxationis.

Ligamentorum verò *Laxationem* dicit esse à copia laticis ligamenta nimium relaxantis.

Nervorum Contusionis causam esse dicit injuriam quandam externam nervos contundentem: juxta ipsum nervus est organum delativum, imperii arbitralis, intus nervum dicit esse medullarem, extra verò tegi membranula sua, qui etiam motum ad musculum defert, quoties ergò illis accidit injuria, vel contunduntur vel etiam contrahuntur.

Incurvatio seu contractura.

Incurvationes seu *Contracturas* Juncturarum Author esse dicit à convulsivis motibus juncturas contrahentibus. In unoque dolore contracturam observasse scribit.

Luxationis:

Luxationis causam eadem agnoscit cum reliquis Authoribus jam dictis, & modò dicendis.

Juxta Uvillisium causa Ligamentorum Stuporis.

§. 7. Vvillisius statuit, Fibrarum musculi compagem constituentium motum ac sensum à spiritibus animalibus vel influentibus vel insitis pendere, ad idem opus peragendum magnopere concurrentibus & liquore nerveo & latice sanguineo. Dum enim liber est spirituum animalium per nervos in fibras tendinosas commeatus, liquor nerveus in debita crasi perseverat, & sanguis absque ullo impedimento in musculo circulatur, tendines ac ligamenta acutissimo sensu gaudent, & ad omnes motus promptissimè exercendos parata existunt. Si verò ex fibris tendinosis aliquales spirituum animalium irradiatione propter compressionem vel obstructionem, aut in ipsis aut in fibris nerveis contingentem orbentur, vel liquor nerveus degener existens spiritibus rapide convehendis amplius non sit idoneum vehiculum, aut sanguine tum ob crassitiem tum ob viscidítatem tardiùs circulante, vel à compressione aut obstructione vasorum sanguineorum præpedita ejus in musculo circulatione, leviùs tantummodo actuentur spiritus animales in fibris tendinosis; ligamentorum motus & sensus hebetiores fiunt, spiritibus nec motu nec copia sufficientibus tum fibris tendinosis distendendis & contrahendis, tum impressionibus in ligamento susceptis, undulationibus suis ad sensorium commune deferendis, unde Author *ligamentorum stuporem* deducit.

Laxationis Ligamentorum.

Laxationem verò Ligamentorum oriri vult à fibrarum nervearum in cujusdam musculi ligamentum tendentium obstructione, vel compressione, aut continui solutione. Fibræ itaque ligamenti spirituum afflatu amplius non extensæ, collabascunt & concidunt, & contractioni penitus inhabiles fiunt. Si verò dissectæ fuerint, spirituum penu ligamento communicare nequeunt. Sed præter jam enumeratas causas, particulares quasdam narcoticas spirituum exstinctorias eundem effectum producere posse affirmat, quæ si potentiores fuerint, sine magna viarum obstructione ligamentum laxare valent, in nerveis ductibus quosdam spirituum manipulos dejiciendo, vel à motu supprimendo.

Nervorum Contusionis.

Nervorum Contusionem Author adscribit gravi cuidam instrumento violenter parti alicui applicato, & vim suam ad nervum usque parti insertum exerenti, fibrasque ipsius propiùs ad se invicem admoventi, spirituumque animalium & humoris nervosi per canalem ejus liberum influxum prohibenti.

Juncturarum Incurvationis.

Juncturarum Incurvationis causam reputat Author non solùm pendere ab irritatione musculi antagonistæ, in cujusdam articulationis interiori parte positi, verùm etiam & præsertim à copula explosiva & nimis elastica spiritibus animalibus adjuncta, cum liquore nerveo à Cerebro descendente, & per nervos in musculos delata, & in eorum tendines transeunte. Fatetur tamen extraneas istas particulas, nullamque cum spiritibus animalibus proportionem servantes, in nervos sese insinuare posse per eorum fines, & musculi quem ipsi subingrediuntur, contractionem hoc pacto inferre posse, indesinenti autem contingente hujusce materiæ heterogeneæ & spirituum collisione, violentæ ac continuæ eduntur explosiones, spiritusque tanquam œstro perciti vehementer exiliunt, fibrasque ipsos continentes inflant atque extendunt. Fibræ enim hac ratione in latitudine sua auctæ, in longitudine sua imminuuntur, partemque musculo, quem componunt, appensam ad se retrahunt, ejusque *Incurvationem* inducunt. Talis verò persistit Juncturæ Incurvatio, donec materia illa explosiva a genere nervoso deturbata fuerit, succusque spirituum irriguus ab ipsa fuerit repurgatus.

Juncturarum Luxationis.

Juncturas luxari statuit Author vel ab externis vel internis causis, externæ sunt motus cujusdam partis violentiores, ejusdem contorsiones, casus, ictus, contusiones &c. ad internas verò causas refert succi nervei varia vitia; quando scilicet liquor iste partibus spermaticis nutriendis viscidior existens, terrestribusque particulis abundans, fibras cartilaginis cavitatem ossis caput excipientem obducentis, quas subingreditur, transcurrere nequit, in iisque remoratur, & congeritur. Fibræ verò illius aggestione inflatæ, ampliusque spatium occupantes, ossis caput à receptaculo suo tandem ejiciunt: humor quoque nerveus copiosioribus particulis aqueis dilutus, & in ligamentorum fibras delatus, earumque fibras adimplens, ipsas laxiores efficit, & ossi in proprio situ continendo illas inhabiles reddit.

Secundùm Sylvium causa Ligamentorum Stuporis.

§. 8. *Sylvius* Ligamentorum stuporem deducit à defectu spirituum animalium & eorum denegato totali influxu; malè affectos depravatosque censet spiritus animales, quando 1. nimiùm torpidi agitatione sunt, aut etiam perperam moti: quando 2 impuri sunt & à re quavis præter naturam ipsis admista inquinati. Animalium spiritum Torporem, vel agitationem nimiam, motumve inordinatum observari facillimè ait Author in animali motu tunc simul læso. Torpidos & ad motum ineptos esse Animales Spiritus censet ob *vim Narcoticam* ipsis admistam, vel in corpore paulatim productam, vel forinsecus introductam, nunc ex aere inspirato, & carbonum fumo inquinato, nunc ab alimentis medicamentosis, potu generoso præsertim, ac inebriante, ipsisque medicamentis, opio puta, omnibusque opiatis perperam, h. e. immodicè cujusvis respectu assumptis, vel Ligamentis applicatis, hinc ipsorum sæpius oboriri scribit *ligamentorum stuporem*.

In *Laxatione Ligamentorum* Author culpat humores pituitosos & aquosos circa ligamenta hærentes, ipsorum tunicas, membranasve hinc & Medullam humectantes, ac forsan eatenus laxantes, ut ipsa per subsistentiam collabens Tubulos suos transmittendis

Animalibus spiritibus ineptos reddat, evincere videtur Laxatio Ligamentorum à pluvia frigidiore, post vestes inde madentes partem hanc aut illam afficiente orta, ut nunc vel illa vel plures partes motum ac sensum plus minùs amittant.

Nervorum Contusionis. *Nervorum Contusionem* Author fieri ait à causa externa, ictu, lapsu &c. nervos contundente, unde spiritibus animalibus denegatur totalis influxus, hinc necessariò in parte affecta sensum ac motum imminui statuit aliquando cum aliquo partis Stupore ac Torpore.

Juncturarum Incurvationis. *Juncturarum Incurvationem* dicit oriri vel à Ligamentorum obstructione, à materia viscida tenacique, vel ab eorundem læsione violenta, spirituumque animalium influxu denegato.

Luxationis. Situm Ossium vel Juncturarum extraordinariò mutatum Author dicit esse *Luxationem* vel *Subluxationem*, prout vitium fuerit gravius vel levius. Juxta ipsum fit Luxatio, quando partes duæ pluresve solidæ, duræque, ossa puta, sibi mutuò adaptantur, ut alii functioni, motui nempe inserviant, uti fieri asserit in Ossium articulatione, dicuntur ab ipso ita sitæ, hicque ipsarum esse situs, quem quoties mutant, dicit Ossa luxari ac dislocari, patique morbum in situ, quoniam functionem, motum partis lædant.

Cartesianorum opinio de causa Ligamentorum stuporis. §. 9. Cartesiani causam *Stuporis Ligamentorum* deducunt ab ipsorum obstructione, non enim dubitant illa usum eundem ac nervos præstare, obstrui verò Ligamenta posse concedunt vel à causa externa premente vel contundente, vel à ligatura forti, vel à tumore vel ab onere incumbente, itidem à succis nimis crassis viscidis ac tenacibus, spiritibus animalibus transitum denegantibus, quibus partes destitutæ necessariò stupere debent. A defectu spirituum animalium à magnis morbis defunctis oborto, hunc affectum sæpè obvenisse notarunt prædicti.

Ligamentorum Laxationis. *Cartesiani* lymphæ copiosioris circa ligamenta stagnationem causam pronunciant eorum *Laxationis*, quatenus fibrosa substantia ab ea nimiùm distendatur, hæcque ita distensa & relaxata lapsum quendam mentiatur. Nec quoque vim violentam excludunt à qua sæpè ligamenta ita distenduntur & relaxantur, ut elabi debeant, nullumque ampliùs robur relinquatur Ligamentis.

Nervorum Contusionis. *Nervorum Contusionem* vel ictu, vel casu à re quadam externa dura & obtusa excitari statuunt, unde cute non soluta, non tantùm venulæ vel arteriolæ conquassatione dilaceratæ sanguinem, sed & ipsi nervi contusi aliquando succum nerveum profundunt, qui succi extravasati, nec in debitas vias regredientes cutem extollunt, & pro majori vel minori sui corruptione filamenta membranea, & nervulos plus minùs exagitantes, vel vehementiorem vel remissiorem causant dolorem.

Juncturarum Incurvationis. *Juncturarum Incurvationem* vel esse ab ortu, vel à causa interna vel externa statuunt, internam esse vel contractionem ligamentorum à succis acidis, vel accidit Incurvatio ob Luxationem, Fracturam, vel ob humoris serosi copiosam in junctura quadam collectionem & stagnationem, subsequentem tumorem durum ac sæpè dolorem. Sic quoque Juncturarum articuli sæpe quasi ligantur & immobiles redduntur, debili existente succo nerveo spirituoso, & imprimis à stagnatione & coagulatione humorum ab acido. Vel etiã fieri posse cõtendunt hanc Incurvationem à motibus convulsivis & paralysi, motui quarumcunque partium maximè contrariis.

Luxationem sæpiùs contingere norunt ab ingressu infeliciter peracto, aut re violenta obveniente, lapsu, concussione & interdum, quamvis rariùs, à musculorum debilitate, ob spirituum animalium parciorem influxum, quo fieri solet, ut musculorum fibræ non sufficienter tendantur, sed flaccescentes ad levem quamcunque causam articuli protuberantes pristino suo loco excidere possint. Sed ut plurimum Dislocationes seu Luxationes oboriri solent à casu, ictu, saltatione, cursu, extensione violenta Juncturarum. Vel ab internis causis, si sc. humores in Juncturis evasantur ibidemque diu stagnant, tandem Subluxationem efficiunt.

Nostra sententia de causis Ligamentorum Stuporis. §. 10. Restat ut & *nostra* nunc addatur *Crisis*. *Nos* verò medio tutissimi inter prædictas opiniones ibimus. Verissimum est, quod *Stuporis Ligamentorũ Causæ* plures esse possint; Est verò utplurimùm ab eo, quando scilicet nervi premuntur, ut liquor nerveus per suos tubulos liberè perfluere nequeat, sive viæ præcludantur à succis coagulatis ibidem latentibus, vel à tumore vel callo ipsos comprimentibus, vel à fortiori ligatura aliaque causa violentiori graviter premente. Hic enim notandum velim de Ligamentis, quòd non sunt tantùm partes simplices ut Veteres existimarunt, nec duntaxat Ossa colligant, sed, me judice, ligamenta præstant usum tendinum ac nervorum, & plus ad motum quàm musculi contribuunt, quia ceu dictum, ex fibrillis conflati sunt, qui pro succo spiritus animales vehunt. Et cùm in Stupore obstructio non adeo sit vehemens, ac impacta, ut omnes fibræ tendinosæ constipatæ fuerint, sed nonnulli spiritus adhuc transeant, si enim totalis obstructio fuerit, partis etiam totalis mortificatio seu paralysis oboriatur. Præter has causas adhuc aliæ cuduntur, nempe tumores, polypi, hydropes particulares, succi extravasati, unde canaliculi & fibrillæ tendinosæ comprimuntur, ut spiritus eas perfluere nequeant, item læsiones ex Vulneribus, casus ab alto, similiaque, quibus fibrosa Machina quoad partem quandam articuli læditur: quod etiam fieri potest à quocunque liquoris nervei defectu oborto: quemadmodum enim obstructio in cerebro Apoplexia dicitur, sic & in nervis facta obstructio, & quidem extra cranii mænia, Paralysis vocatur, qua impeditur, ne ad hanc vel illam partem spiritus vel succi moventes transeant, hinc vel in uno latere existit, vel ambo latera medullæ spinalis obstructa sunt, & tunc Paralysis universalis dicitur. Ita quoque particularis dici potest, cùm brachium, crus &c. moveri vel officio fungi non possit: sic quoque quando ligamentosæ fibræ obstructæ sunt, non in totum sed quoad partem hanc oritur stupor. Statuimus enim esse interceptas non in totum sed quoad partem vias, hæc autem viarum interceptio vel oritur à compressione, ceu dictum, vel obstructione, vel in spirituum depravato influxu & quasi narcosi. In *prima* à succis in vasis, aut extra eadem existentè tumore, vel luxatis membris fieri potest. In *altera* à succis crassis ac viscidis intra eadem vasa. In *hac* à fumis narcoticis variorum vel simplicium vel compositorum, vel à spirituum animalium consumptione nimia, à quacumque causa etiam facta fuerit. Compressionis itaque causæ quandoque erunt succi crassi, viscosi, in vasis vel extra eadem, in juncturis circa ligamenta, & in eorum poris collecti, neque per emunctoria expurgati, vel unico momento elapsi, sive crassi sanguinei sive phlegmatici fuerint, quorum singulorum moles porosam fibrosarum tendinosarum substantiam vel sensim comprimendo *Stuporem* hunc inferre apta nata sunt: Tumor quoque adjacens Stuporem hunc inducere potest, ceu bigam exemplorum novimus.

Sic etiam ab ictu, casu, percussione aut allisione ad corpus durum ligamenta hæc comprimi possunt, ut spiritibus animalibus transitus denegetur. Obstructionem etiam in nostro affectu producent vel sanguis, vel lympha, sanguis potissimum crudus, quando scilicet sub forma sanguinis in ligamentorum substantia porosa extra vasa effusus, poros ibidem occupando, tales obstructiones inferre valens: hujus autem sanguinis effusionis causæ internæ, (procatarcticas enim negligimus,) possunt esse vel tenuitas, vel illius motus & volatilitas, aut acredo. Effuso autem jam sanguine fluida & volatilia avolant, & diffluunt, unde à tergo grumosam terrestremque sui portionem relinquunt, hujus Affectus sæpè Fabrum.

Serum quoque subviscidum & lentum, quod eodem modo extra vasa ibidem locorum depositum, relicta sua viscidiore & lenta portione, tantas clades introducit, & hinc sæpius catarrhosis, imo iis qui ad Apoplexiam inclinant, hic Affectus solennis esse solet. Sæpe & vidimus hunc Affectum à punctura nervi, vel alicujus membranæ, ceu in V. S. malè à Chirurgo instituta, obortum. Idem præstare poterit spirituum animalium influxus

fluxus denegatus, atque inde emergens ligamentorum ac tendinum laxitas, prout observavimus sæpiùs in Paralyticis, & ob sanguinis & succorum effœtam indolem in Scorbuticis ac Cachecticis observatur Stupor.

Ligamentorum Laxationis.

Ligamentorum Laxatio fit, me judice, itidem à causa violenta externa, vel a lapsu, extensione nimia, per vim enim lapsus & duritiem lapidum substratorum caput ossis alicujus articuli acetabulo suo excidit, quo vix fieri potest, quin ligamenta laxentur, inde oritur aliquando luxatio & articulus, imprimis, si femur luxetur, fit brevior & interim ligamenta, que sunt in parte opposita, magis tenduntur, quàm solent ordinariò hinc intensus oritur dolor, atque perfecta vocatur luxatio. In imperfecta luxatione laxantur tantùm tendines, membranę, ita ut in acetabulo suo os articuli contineri vix possit. Laxatio Ligamentorum etiam fieri potest à laxitate pororum, à colluvie serosa producta, prout sæpe observavimus in catarrhis, vel à fibrillarum tendinosarum ac ligamentosarum diruptione & nimia extensione, ut luxationem artuum fibrę tendinosę vix abbreviari possunt, utut elongatæ, sic & oritur à minima in istis fibris existente spirituum animalium copia, quoniam horum virtus à robore elateris fibrarum augescit.

Contusionis Nervorum.

Diximus superiùs de parte affecta, quòd nervi nihil aliud sint quàm congeries innumerabilium filamentorum teretium, quorum multa, non tamen omnia, ortum suum habent à superficie concava ventriculorum cerebri. Spiritus animales continuò ex ventriculis cerebri immediatè per poros concavitatis ventriculorum sive tubulorum nervorum initium, in omnes nervos influunt & omnes tubulos implent, tum fibrillas omnes nervosas à se invicem separant, & singulas fibrillas in spiritibus innatare faciunt, & in hoc consistit nervorum tensio, flaccidi sunt cùm spiritus non influunt in nervorum tubulos, quare omnes subsident & supra se invicem collabuntur fibræ. Contusio ergò nervorum oritur utplurimùm à causa violēta externa, lapsu, ictu, plaga &c. hinc contusi nervi spiritus animales admittere nequeūt, sic partis interitus imminet. Et cùm nervi ex plurimis fibris constēt, hinc plures sæpè contunduntur, salvis relictis & aliis sufficientibus pro motu partis.

Juncturarũ Incurvationis.

Juncturarum Incurvationis causę possunt esse internæ & externæ; internæ sunt variæ, & quidem vel ab ortu tales prodeunt, vel à succis effusis, vel à contractionibus Ligamentorum ac tendinum ab internis causis exortis, prout videmus in Affectu isto Anglico puerorum, ab illis Rachitidis nomine insignito, certè nobis Germanis itidem satis familiari, cujus Affectus causas deduximus in *Encyclop. Medica de morbis Infantum, capite de Rachitide*. A causa violentiori quacunque, itidem influxu spirituum animalium denegato hic Affectus oboriri potest. Sic quoque causa externa cum interna concurrit, unde etiam est, quod tenellorum puerorum ossa frequentius & à causa externa leviore membrorum Contusiones patiantur, eò quòd eorum articuli imperfectiores & molliores adhuc sint. Confer *Volch. Coiter. de Ossibus Infantum l. 1.*

Dum autem succi abundant & evasantur, spatia & poros fibrarum distendendo contractionem hanc artuum inferunt, imprimis si sint vel succi vel spiritus animales crassitie & tartaro fœti, hi enim ad motum & circulationem minus sunt apti, unde in musculorum spatiis stagnant, accedente frigore vel calore nimio volatili indurantur, unde tophi Podagricorum sæpissimè producunt contracturam. Possumus enim huc referre vapores raritate conspicuos, viscidis & acidis inter se non ritè effervescentibus, qui distendendo effectum hunc sinistrum aliquando inducunt. Atro quoque notanda sunt carbone salia succis nostris immersa tartarea, austera, acida, tanquam summè nociva. Tanta enim ἀπάθεια inter acidum, partes solidas, & succos nostros, ut quamprimùm istud augmentum capiat, centena præsto sint mala, tùm omnium quidem partium, tum imprimis nervosarum fibrillarum. Acida enim ut & frigida figunt seu coagulant spiritus fluidissimos, nervos ac membranas stringunt, crispant, hinc non mirum est, *Juncturas* ob partes nervosas & membranosas ab iisdem tam sinistrum inferri effectum Motu tandem & quiete etiam peccant succi; isto quidem, quatenus copiosè ad has partes deportantur & emanant, sive in ipsa læsa parte colligantur, sive à massa sanguinea per vasa istuc ferantur, unde succedet quoque quies sive stagnatio, dum enim succi ob spissitudinem per poros expelli nequeunt, stagnat ibidem & partibus molesta fit. Multum hic facit dispositio hæreditaria, hæc enim sæpius in gnatis arthritidem scorbutumque, frequentes sc. contracturæ causas producere apta est. Inter remotiores causas referri possunt aer tàm calidus quàm frigidus, uterque tamen in excessu peccans. De quibus, ut & de cibis videatur *Diæta*. Sunt nonnulli, qui inter causas referunt fascinum, venena, ac philtra. Contracturam à Mercurio præposterè usurpato, non ita pridem in cive observavimus. A Luxatione & fracturis, ulceribus & vulneribus Juncturarum, si non ritè curentur, imprimis non rectè deligentur, non raro perfectam contracturam oriri quis negabit? in utrisque enim est distorsio, & in priori quidem si ad latus aliquod fiat retractio & abbreviatio musculorum, quæ in causa est, cur ad membra hoc modo affecta restituenda sit necessaria quam maximè extensio & deligatura partis.

Contractura alia est universalis, qualem vidimus in duobus Baronibus Thermis Embsensibus utentibus, qui rigidi & ita contracti erant, ut nisi à famulis portati non moverentur. Alia verò est particularis, quæ accidit in artuum horum vel illorum juncturis, pedibus, brachio &c. imò ipso quandoque dorso, quod contortum vidit *Thonerus* in mercatore quodam. Alia est connata, *Platerus* enim se vidisse ait quosdam rigido dorso vel inflexo aliisque partibus contractis natos. Hic Cassellis est puer 9. annorum è Gallia profugus, laborans spina ventosa, ubi manus, digiti & femur sunt tumida, imo ipsa spina dorsi planè contorta est, & sic cum ventre tumido contortus incedit, & munia quedam peragit. Ratione morborum affinium differt contractura à convulsione, quòd hæc non tamdiu duret, sed citò terminentur, ista sit constans ad multos annos, imò usque ad mortem perdurans, & quidem sine dolore, hæc verò summo cum dolore. Convenit contractura cum Paralysi in genere, quod in utraque sit impotentia motus, differt tamen quod Paralysis à resolutione, Contractura verò à contractione, unde & nomen habet; oriatur.

Luxationũ.

Luxationum causæ itidem vel internæ vel externæ sunt: Internæ præter conformationem ossium, ligamentorum & musculorum vitiosam, (quemadmodum latius ossis innominati acetabulum, & exilius ossis femoris caput Luxationi incurabili occasionem dedisse *KerKringius* Spicileg. Observat. 61. tradit:) sunt succi, imprimis lymphatici extravasati, & in juncturis decumbentes, qui vel ligamenta interiora atque exteriora laxantes, ut horum tono vitiato firmiter tales contineri nequeant, vel eosdem musculos & ligamenta externa contrahentes, ut hæc abbreviata, illa è sedibus quasi protrahant. Illius generis humores, hincque emergentes Luxationes observavimus in hydropicis, catarrhosis, &c. quæ verò ex musculorum & ligamentorum contractione violentiore accidunt, convulsivos præcipuè artuum motus pro causa agnoscunt. Imò iidem succi intra articulos congesti & stagnantes, mole & pondere suo ossa extra sedes deturbant, præprimis, si coagulentur, & in tophum abeant, exempl. grat. in artriticis, quò etiam referri debent calli in acetabulis dictis, post tardiorem ossium luxatorum repositionem producti: confer *Sculteti Armament. Chirurg. Part. 1. Tabul. 56.* Dein Luxationem inferre potest spirituum animalium influxus denegatus, atque inde emergens ligamentorum ac tendinum laxitas, quemadmodum in paralyticis quotidiana confirmat experientia. Externæ causæ sunt varia violenta, quæ machinæ ac imprimis ejus artubus accidere possunt, scil. extensio, lapsus, ictus &c. ita ut horum vis fœtui quoque intra uterum adhuc latitanti Luxationem inferat, prout nuper in puella recens enixa luxationem videmus, imo in proprio filio meo Johanne Daniele, qui cum luxato pede in lucem prodiit, tēpore enim ingravidationis uxor *mea Charissima* Susan-

Susanna, nata Suvert, Hanoviensis, in terram ruebat, remanente pede in scala, & sic eodem modo prodibat infans, qui tamen facilè curabatur.

Dislocatio juncturarum sex complectitur differentias, à loco in quem os prolabitur, petitas, nempe ad inferiora, superiora, dextrorsum, sinistrorsum, in anticam & posticam partem; quamvis paucissimæ articulationes has differentias cunctas substineant. Dum verb. gratia, maxilla inferior antrorsum saltem in adultis luxatur, os femoris ad interiora, exteriora atque anteriora, rariùs ad posteriora: Os humeri rarissimè sursum aut extrorsum, frequentiùs deorsum seu introrsum luxatur.

Prognosis. §. 11. Pulchrum & ex Medici dignitate est, mortem ipsam aut vehementes dolores prædicere. *Stupor* ergo *Ligamentorum* est malum non contemnendum, hinc ei propediem auxilium afferendum est, alias desinet in perfectam Paralysin, vel Gangrenam ac Sphacelum, imò nonnunquam excipit Stuporem hunc ligamentorum aridura seu macies, omnes enim affectus nervosarum ac tendinosarum partium, imprimis earum obstructiones sunt periculosissimæ. Prodromus quandoque est Apoplexiæ.

Laxatio Ligamentorum est Affectus curatu difficilis, & sæpe post se relinquit Pralysin ac debil itatem partis, facilè etiam malum hoc recrudescere solet, semel enim relaxatæ istæ fibræ, facillimè iterum relaxantur.

Nervorum Contusio est affectus periculosissimæ aleæ, quam facili marte excipit partis Necrosis, aut Paralysis aut Stupor, imò inde etiam possunt produci deliria, febres, tumores, inflammationes & convulsiones, quæ symptomata sæpe excipit mors truculenta, ceu id aliquoties observavimus; quare hujusmodi contusiones non parvi faciendę sunt, sed statim appropriatis remediis obviam eundum. Nervus enim est pars nobilissima.

Quod signa Prognostica *Juncturarum Incurvationis* attinet, omnes confitentur uno ore Practici esse morbum chronicum, hinc magis molestum, quàm periculosum, quia nullis partibus nobi[illegible]bus aut ad vitam necessariis accidit, quod tamen, me judice, experientiæ ac rationi contrariatur, nervi enim, tendines & ligamenta partes nobiliores, nobilissimum enim vehunt succum vitæ nostræ maximè necessarium. Non negamus tamen affectum hunc esse affectum chronicum. Imminens verò malum faciliùs curari posse, quàm inveteratum diuque affligens, quis negabit? præsertim in junioribus. Incurabile verò habetur jam confirmatum ac tophaceum. Incurvatio, quę cum ligamentorum contractione est, difficillimè sanatur. Nisi enim primis hujus morbi principiis obviam eatur, chronicus fit, & plerumque commoriens, eoque molestior & commiseratione, dignior, quo non apprehensorios modò, sed etiam progressorios artus occupare solet, atque sic ineptos ad agendum & ad eundum reddit. Podagram sæpissime contractura artuum sequitur, si imprimis ab intempestiva topicorum applicatione materia figatur & in tophos coaguletur. Post coxendicum dolorem contracturam observavimus, ut & sæpe post hemiplexiam, prout jam pueri 4. annorum crus dextrũ ipsius contractum est, cui medicinam facimus. Sic quoque tumor durus, scirrhosus, item vulnera juncturarum & ulcera ejusmodi contracturam inferre posse, Praxis quotidiana docet. Quam contracturam etiam non ita pridem à lue venerea obortam notavimus.

Quod *Prognosin Luxationum* attinet, sciendum, nullam harum per se esse lethalem, nisi capitis & vertebrarum spinæ, præprimis superiorum, luxationem excipias, utpote quam necessariò spinalis medullæ circa suum principium compressio, hinc ad partes inferiores spirituum animalium influxus denegatus excipit. Specialiorem verò Prognosin, & quæ curam faciliorem promittit, suppeditant forma, & conditio Luxationis. Difficiliùs curatur Luxatio perfecta, quàm imperfecta, ratione causæ quæ si fuerit externa, faciliorem pollicetur curam, quàm interna conditio subjecti, quatenus in corporibus puerorum & adolescentum, alliàs mollioribus, Ossa luxata faciliùs equidem restituuntur, non tamen adeò firmiter retinentur, cujus contrarium in adultis & solidioribus subjectis contingat. Sic quoque tempus observandum est, cujus ratione Luxatio recens cum minore, inveterata cum majore labore curatur. Dein ad Symptomata respiciendum est, quę quo plura & vehementiora, eo magis curationi obstrepunt, quò pauciora & mitiora, eò feliciorem promittunt restaurationem: hinc v. gr. Luxationes, in quibus Ossium supercilia franguntur, pessimæ sunt, cùm articulus restitutus non firmiter satis retineatur; pariter quibus Luxationibus dolor vehemens, Inflammatio, fractura aut vulnus combinatur, curatu sunt difficiles, eò quod sine Convulsionum periculo restitui nequeant. Tandem membrum luxatum considerandum, quatenus v. gr. Luxatio vertebrarum dorsi, potissimum ad interiora, difficiliùs curatur, difficiliùs quoque reponitur Os femoris, (Confer *Ephem. Germ. Ann.* 8. *Obs.* 24. & *Act. Haffn. Volum.* 2. *Obs.* 37.) quàm humeri. In Luxatione imperfecta curatio quoque solet esse difficilis, quoties per longum tempus jam confirmatam incipit habere longitudinem extraordinariam.

Diæta. §. 12. Investigata igitur & cognita morbi cognitione, curationi jam studendum est, & quidem primò *Diætæ*. Eligatur ergo aer temperatus, nocet enim frigidus, autumnalis ac austerinus, dum succorum transpirationem insensibilem in his affectibus valde necessariam impedit, facitque ut nullę excrementitiæ particulæ in corpore accumulatæ ac congestæ effluant, quæ relictæ magnum inferre possunt damnum. Omnia quoque acida, salsa, & frigida abroganda sunt, imprimis potus acidus nocet, quæ omnia stagnationem augere, ac ligamentis, nervis ac juncturis incommodum afferre queunt. Sint ergo alimenta boni succi, in specie verò observatum fuit, electionem alimentorum glutinosorum & siccorum in tempore consolidationem promovisse, humidorum impedivisse. Potus sit calidus imprimis Theæ & Coffeæ, vel chamædryos, salvię, rorismarini, sed ne quid nimis, nimia enim repletio semper nocet. Nimium motum seu exercitium vehementius detrimentum attulisse hactenus observavimus. Somnus & Vigiliæ sint ordinaria. Dein alvus aperta semper est asservanda, sic quoque cum excernendis faciendum, restagnantes etiam succi ex mora dum non ampliùs cum sanguine circulãtur, & spiritibus de novo sæpiùs imbuuntur, & sublimantur, acorem contrahunt, coagulationem subeunt, & sic magnam noxam inferre valent. Animi inter Pathemata, Ira Veneri & Baccho nupta, articulis laborantibus infesta esse solet, dum genus nervosum & articulos valdè debilitat, spiritusque absumit. Cæteri animi affectus, mœror ac solicitudines hisce affectibus ansam dare possunt, quare summoperè vitanda sunt, & potiùs gaudio aliisque exhilarationibus animus recreandus est.

Cura pharmaceutica Galenicorũ in Ligamentorum Stupore. §. 13. *Galenici* ad Curam horum Affectuum accedentes, attendere jubent causas à quibus producti fuere, hinc Stuporem seu Torporem Ligamentorum amoliri student, refrigerata excalefaciendo, humoresque extenuando, tum meatus deobturantibus ac rarefacientibus medicamentis laxando, hoc enim loco commodum imprimis ac attenuantem victum suadent. Prodest, inquit *Celsus*, torpentis membri summam cutem exasperasse, vel urticis cæsam, vel imposita sinapi, sic ut ubi rubere cœperit corpus, hęc removeantur. Scyllam quoque contritam bulbosque contritos Veteres imponunt. Resina quoque cutem tertio die diutiùs vellunt, pluribus etiam locis, aliquãdo sine ferro cucurbitulas admovent. Unctioni verò aptissimum dicunt esse vetus oleum vel nitrum aceto & oleo admixtum: quin etiam fovere jubet aqua calida marina, vel si ea non adest, salsa: Thermas & Balnea hoc in affectu magni pendunt.

In Ligamentorum Laxatione. In *Laxatione Ligamentorum* Astringentia ad Laxantia admiscent, & frictionem instituunt. Laxatis Ligamentis adhibent oleum cum momento nitri & fæcis vini ustæ tritæ. Perfundunt quoque membra luxata aqua calida & maximè marina, in qua coctę sunt Lauri baccæ aut viticis germina, aut sampsucus, &c. Rubificationes autem iis maximè convenire ajunt, proinde

cedunt

cædunt etiam partes ferulis, aut urticæ ramusculis, si verò permaneat resolutio, seu Luxatio, dropacem imponere mandant. Omnivaria etiam corroborantia applicari volunt, humorem quoque peccantem evacuant per appropriata, deinde dant Hieram addita Castorii proportione, initio facto à dimidia drachma cum pauco melle & aqua calida dissolutam, aut per se, aut piperis scrupulo dimidio addito: deinde quatuor diebus interpositis exhibent drachmam perfectam, & postea sesquidrachmam, deinde duas tresve. Ipsis autem Ligamentis luxatis imponunt medicamenta quædam astringentia, adjectis castoreo, aut pipere, aut pyrethro, aut rorismarini semine. Ad hæc commendant irrigationes ex oleo rutaceo, aut Sichonio, aut veteri. Cucurbitas quoque aliquando Ligamentis resolutis apponunt. Alvum quoque subducunt per aloen, aut polypodium, aut scammonium, aut per pultem ex colocynthide. Instituunt quoque pingues illinitiones ex oleo vetusto, in quo scylla inveteratur ad dies quadraginta ad Solem. Potiones ex castoreo, item ex Sagapeno pilulas formatas sæpiùs exhibent. Utuntur etiam acopis calefacientibus, & pituitam per Os detrahentibus. Balneum quoque suadent & post id dropacem: postmodum cataplasmata ex sinapi apponunt, si sc. sensus ac motus periit. Luxatos articulos contrahere ac firmare ajunt acacię succum aqua dilutum ac affusum, & spinæ Ægyptiæ fructum, rubi item ac myrti, & malicorii, ac foliorum quercus decoctum, & myrteum ac lentiscinum oleum assiduè illitum, & malicorium coctum, & cerato myrteo exceptum, aut per se vino coctum tritum ac impositum.

[...] Nervo-[...] Con-[...]one.

Nervorum Contusionem à causa violenta quacunque, vel à lapsu, vel plaga, vel ictu, factam curare satagunt, imprimis si cutis simul contusa fuerit & ulcerata, per farinam fabaceam cum aceto mulso, aut ervi farinam cum sapa, & modico aceto, applicata, ambas enim dicunt efficaces. Quòd si cum contusione dolor adsit, picem liquidam ad fabaceæ farinæ Cataplasma addunt, & simul cocta calida adhibent. Si verò majori resiccatione opus esse considerant, tunc parem mensuram farinæ ervi admiscent, itemque Iridem Illyricam, si adhuc fortiùs resiccare volunt. At si nervus fuerit contusus citra manifestam cutis Contusionem, oleo calido discussorio, anethino, aut rutaceo, locum assiduè perfundunt, & lana oleo imbuta adhibent; Porrò si totus nervus fuerit dissectus, nullum quidem periculum imminere dicunt, verùm partem mutilam fieri putant, præsertim si nervus dissectus magnus fuerit.

[...] Junctu-[...]m In-[...]vatione.

Juncturarum Incurvationes curari posse promittunt medicamentis laxante, mollienteque vi præditis; Ad has convulsorias contractiones, oleo imbuta linteola calida parti affectæ circumdant, & cerata liquida, quę & Castorei & Syconii quid habeant. Ante hęc quoque artus calida aqua perfundunt, item balnea commendant vel naturalia vel artificialia.

[...] Articu-[...]m Lu-[...]one.

In *Articulorum Luxationum* curatione quinque scopos Veteres observant: 1. tenendo: 2. trahendo, seu extendendo: 3. impellendo: 4. in debita figura & situ collocando: 5. Symptomata supervenientia corrigendo. Ad primum scopum quòd spectat, quem tenendo assequuntur, ille fit, juxta Veteres; vel in toto corpore, vel in parte; totum corpus valido ministri amplexu firmant, ubi humerus, aut vertebræ, aut femur laxatum est: si verò pars aliqua sit reponenda, utpote cubitus, manus, genu, pes aut crus, partem manu tenere solent. Firmandum ergò esse membrum luxatum fixissimè, ne trahentem aut extendentem sequatur. Secundum scopum perficiunt trahendo, seu extendendo variè, pro vario musculorum, ossium, aut ligamentorum robore, & in hanc aut illam partem luxatione. Quòd si ad hoc manus non sufficiat, in usum ducunt varia organa ac machinas à Galeno aliisque depictas. Nec magis extendendum esse membrum inculcant, nisi quantum os è directo sui loci naturalis retractum fuerit. Hoc ubi consecuti fuerint, tertium scopum observant, nempe ossis dislocati caput in suam foveam modestè impellendo. Signa autem ossis repositi sunt strepitus quidam, seu sonus qui percipitur, deinde conveniens figura, magnitudo, & doloris remissio. Hoc facto quartum adimplent scopum, ut os, postquam repositum est, in suo sinu contineatur, ne ampliùs resiliat: ad hoc instituunt ligaturas artificiosas cum stupis & spleniis, in oxyrrhodino maceratis, & convenientibus medicamentis oblitis. Quietem imperant & membrum quatriduo ligatum relinquunt, nisi dolor aliquis, aut graviora à forti deligatione aut aliunde supervenerint accidentia quæ secundùm quintum scopum sui correctionem requirunt. Si antiquæ fuerint Luxationes, adsitque callosa aliqua durities, vel humor aliquis in ossis cavitate, antequam eas pro repositione aggrediantur, fomentis priùs ex Decocto intestinorum vervecis, malvæ, altheæ, vel unguemollientibus, vel emplastris partem per aliquot dies humectant, & præparant, ut magis sit tractabilis, dein humorem qui ad partem influxit, attenuant, lubricant, dissolvunt, ut musculi, ligamenta, musculorumque fibræ laxentur.

Paracelsi Cura in Ligamentorum Stupore Laxatione. Nervorum contusione, Juncturarum incurvatione.

§. 14. *Paracelsus* in *Stupore ac Laxatione Ligamentorum, & Nervorum Contusione*, item in *Juncturarum* seu *Articulorum Incurvationibus* seu *Contracturis* omnia commendat medicamenta aperitiva pororum, humorum calefactiva, humectantiaque nervos & arterias. Hoc tamen animadvertit, ut in eodem gradu sint, in quo morbus ipse. Non omne calidum nec humidum quodvis, licet etiam aperitiva sint, facere ad Curam ait, sed ut inclinationem habent à forma specifica, necessarium esse adjungit, particulariterque particularibus etiam Contracturis apta sint. Spiritum vitę revocandum esse suadet, recuperandumque & renovandum, excellentissimis & confortantibus plurimùm remediis, quorum humore novo spiritus ille vi quadam introducatur in membra, de quibus pravi cum suis venenis & infectionibus humores expellantur, singulari Medicina practica naturaliter hoc ipsum operante. Duobus modis Curam *Contracturæ* fieri statuit: uno quidem, ut illa membra, quæ sunt à suo loco mota, restituantur, ut decet. Altero verò ut maximis Confortativis, prout sunt *Aurum potabile*, *Oleum Solis*, *Materia Perlarum*, *Essentia Antimonii Arcana quintæ essentiæ*, *Aqua vitæ*, *oleum Vitrioli*, *Aqua Tartari*, *quintum esse gemmarum*, *Coralliorum*, *& similium*, paulatim subleventur, confortentur, & in pristinas vires revocentur.

Sic quoque externnm Contracturæ aliorumque Ligamentorum affectuum curandi modum præscribit, per fumigationes ex balsamis & arcanis; per balsama terebinthi, lauri: per oleum ranarum, adipum, gummi, per arcana, compositum, solidum, & elementatum curat: varia quoque Vnguenta describit. Dixit autem Author, Contracturas alio modo curari minimè posse, quàm per Medicinas in supremis gradibus existentes, ut est earum Aurum Potabile, cujus dosis est ℈j. qualibet vice olei dosis aurei pondus granorum hordei decem non excedat; & quintæ Essentiæ auri, granorum est trium similium per vicem aquę vitæ bonæ, vel alterius aquæ subtilissimæ commixtorum, manèque, sub meridiem, & vesperi sumptorum, pro medicinæ quidem exigentia: qua sine corrosivorum, aut corrumpentium additione fieri non dubitat; sequentem Auri potabilis descriptionem tradit.

℞. *Auri foliati pulverati, nec non in succum soluti* ℥j.
& Aceti destillati q. s. est:

Addito, simulque destillando toties à se mutuo separato, quoad saporis ejus, quod adjunctum est, nihil prorsus maneat. Postmodum sume subsequentis aquæ vitæ ℥v. quas in pellicanum affusas, simul per mensem digerendo, perfectum esse Aurum Potabile scrbit.

Authoris Aquæ vitæ descritio est seq.

℞. *Vini ardentis* ℔x.
Rosarum, *Melissæ*,
Rorismarini,
Anthos,
Cheiri,

Folior.

Folior. utriusque hellebori,
Majoranæ, aa. ℳj.
Cinamomi;
Nuc. moschatæ,
Caryophyllorum,
Granorum Paradisi,
Piperum omnium,
Cubebarum aa. ℥ij.
Succ. Chælidoniæ,
Tapsi,
Melissæ aa. ℔ß.
Cinerum fabarum ℥v.

Mixta simul omnia per duodecim dies in pellicano digerantur, separa tandem & utere.

Olei Solis descriptio est sequens:

Postquam succus ab auro per acetum, ut supra, fuerit separatus, bulliat quindecim dies in digestione, quæ sequitur, deinceps balneo separatur, & in secundo manebit oleum spissum, quod aurum permixtionis est expers.

Formula conficiendi margaritarum succum:

℞. *Aceti destillati mundissimi,*
Aquæ vitæ circulatæ ℔ß.
Margaritarum mundatarum ℥iv.

Quæ postquam pulveratæ subtiliter & præparatę fuerint, unà cum aliis in circulatorio digerantur per mensem: subsidebit materia perlarum, ut pinguis liquor: qui cum apparebit, separentur, aquæ per affusionem, succo reservato, de quo dentur grana sex per vicem.

Arcana & essentiæ quintæ sulphuris & aquarum vitæ pro Contracturis:

℞. *Florum Sulphuris* ℔ß.
Alb. Antimonii ℥iß.
Succi auri ℥j.
Aq. vitæ circulatæ ℥x.

Digerantur ad mensem, & in massam duram congelentur. Hujus qualibet vice ℈j. administrat.

Aq. vitæ descriptio penetrantissima:

℞. *Aq. meliss.*
Rosar.
Cheiri, Salviæ,
Balsami aa. ℔j.
Piperum omnium,
Cubebarum,
Zingiberis,
Cinamomi,
Masticis,
Myrrhæ rubeæ,
Maceris,
Caryophyllorum aa. ℥ij.
Succi mellis,
Aquæ vitæ rectificat. ℔v.

Digerantur omnia simul per novem dies, & postea separentur, & in pellicano destillentur ad spiritum. Tandem ad liquorem hunc adde pomum tostum & fractum, & simul unà cum subsequentibus aromatibus, digerantur super cineres per 3. dies, de qua sumantur grana quinque singulis diebus.

℞. *Cinamomi,*
Caryophyllorum,
Macis aa. ℥ij.
Anthos,
Cheiri aa. ℥ß.
Ambræ ℈ij.
Musc. gr. v.
Zibet. ℈ß.
Zingib. Cubebarum,
N. M. aa. ℥iß.
Amomi ℈ij.
Zedoariæ ℥iiß.
Gran. paradis. ℥iß.

Post horum omnium digestionem separa servaque vasis vitreis obstructissimis.

De Medicamentis Vitrioli & Tartari pro contracturis vide ipsum Authorem latiùs differentem. Quoad externa; contractum sive pedem sive brachium includit in vas appropriatum satis amplum, ut in eo constrictum non sit, ac vas cooperiri valeat, ne fumus exhalare possit. Postmodum accedere jubet quod sequitur & in vas reconditum cooperit, tantisper ibi maneat, donec fumus ille cessaverit: hoc faciendum esse ait per medium diem. Si suffimen unum videatur non sufficere, plura fiant, vapores in vase densabuntur in liquorem, ut in alembico solent. Hujusmodi subtilem vaporem, qui propriè fumus non est, penetrare dicit, membrum calefacere, venas & humorem vitæ refocillare, ac ad naturalem vitam revocare.

℞. *Olei olivarum,*
Juniperi aa. ℥v.
Masticis ℔ß.
Terebinthinæ ℥iv.
Salis Petræ ℥iß.

Mixta simul in cacabo succendens, accensa peroptimè super fundum vasis inferiùs & intùs pones, ac membrum teneatur super vaporem, cooperiatur vas fundo superiore, ne vapor exeat. Cum perceperis extinctam esse materiam, exemptam rursus accendas, & imponas toties donec tempus supradictum impletum sit. Sequens quoque commendat suffimentum:

℞. *Taxi pinguedinis,*
Ol. olivarum,
Adipis ranæ minimæ viridis, calamites appellatæ aa. ℔j.
Myrrh.
Mastichis,
Terebinthinæ aa. ℔ß.

Ascende sicut dictum est.

Laudabilia quædam præscribit balsama, quibus *Ligamentorum Stupores, Luxationes, Nervorum Contusiones, & Contracturæ* curantur, calidis enim membra optimè perungenda esse suadet singulis diebus ter & absque intermissione.

℞. *Terebinthinæ destillatæ* ℔ij.
Galbani destillat.
Gummi elemi destillat. ℔ß.

Rursus destilla simul, & inde fac balsamum à suis fecibus & phlegmate separatum.

Vel

℞. *Terebinthinæ,*
Ol. laurini,
Olivarum,
Juniperi aa. ℔j.
Masticis,
Myrrhæ,
Thuris aa. ℔ß.

Destilla per se, quæ sunt ejusdem qualitatis, videlicet olea per se, reliqua tria etiam per se, quæ mixta simul iterum destilla semel, & utere.

Vel

℞. *Adipis Taxi,*
Sevi cervini,
Ranarum adipis,
Ceræ aa. ℔ij.
Masticis ℔ij.
Thuris ℔ß.
Euphorbii ℥iij.

Destilla sicut narratum est.

Vel

℞. *Storacis liquidæ* ℥iß.
Ranarum No. xx.
Adipis taxi ℔ß.
Aceti destillati,
Vini ardentis aa. ℥iß.

Postmodum mensem exprimens, usuique reservat.

℞. *Lignorum Juniperi,*
Fraxini,
Sabinæ,
Fagini aa. ℔j.

E qui-

E quibus arte communi destilletur oleum, quo quidem rectificato per pellicanum, utere.

Arcanorum quoque in contracturis quatuor species existere ait, videlicet, Arcana Compositum, Solidum, Elementatum, & Metallicum.

Formula arcani compositi sequens est:

℞. *Alcool. vini* ℔ vj.
Cantharidum ℥ x.
Canapi,
Fœl. tapsi,
Chamomill.
Hypericonis aa. M. vj.

Tere, misceque simul, & in Sole, vel fimo digerantur per mensem, destillentur postmodum, & huic ea quæ sequuntur, impones:

℞. *Canapi, Florum tapsi, Camomillæ, Hypericonis, Centaureæ, Prunellæ, Betonicæ* aa. ℔ ß.
Masticis, Muniæ, aa. ℥ iß.
Thuris ℥ v.
Lumbricor. terrestr. Ranar. aa. ℔ ß.

Destillentur in circulatorio per octo dies, hoc utere tanquam balsamo.

Arcanum solidum est sequens:

℞. *Succi flammulæ ex tota substantia, hoc est, ex florib. caule, foliis & radicibus,*
Succi florum tapsi aa. ℔. j.
Alcool. vini ℔. j.

Digerantur in ventre equino per decem dies.

Arcanum elementatum.

℞. Chelidoniç, Melissæ, Eruçe, Ivç arthetiçe, Florum tapsi, Papaveris, Centaureç, Bethoniçe, Parthenionis, Hypericonis aa. M ij. terantur omnia simul, & aceti parumper addito, putrificentur & exprimantur optimè, succusque per circulatorium vas, decem diebus ascendat absque intermissione, quo liquore utere.

Arcanum metallicum est sequens:

Resolutum accipe metallum, quod circuletur 8. diebus, dulcificetur postmodum & in usum assumatur. Metallorum tamen discrimen erit faciendum: Solis est aqua metallina, præ cęteris ad contracturas prestantissima.

Junctu[illegible]m Læsione seu [illegible]locatio-

In cura Dislocationis Juncturarum scire Chirurgos vult, ut in dislocatis hujusmodi Juncturis, istas non fore priùs medicandas, quàm suis restitutæ locis fuerint, eoque redierint, unde exiverant, & harum Juncturarum suo loco restitutiones manu & oculis addisci posse memorat, quòd in usu maximo & in promptitudine consistant. Contingit etiam sæpè, dislocationes ab imperitis Chirurgis depravatas, per se ipsas sanari, ut concrescant & à patientibus non existimentur amplius. Item ut liquores illi cessent, ac ita postmodum in suum locum redeant.

Item sæpiùs evenire solet, ut juncturis non dislocatis, vetus crescentia nervique similes dolores concipiant, ut è suo loco fore putentur, & ut Synonia quandoque discedat, & membrum contractum fiat, non aliàs ac si dislocatum esset. Notare vult ergò Chirurgos, ut hæc signa probè cognoscant, ne quando Juncturas præsumant restituere, quæ minimè dislocatæ sunt, & hac via dislocent eas, quod sæpe contingere ait, ut posteriora pejora fiant prioribus. Suo ergo primùm loco membrum dislocatum restituendum suadet, post chamomillæ succo vel agrimoniæ ligandum. Si tamen infrigidata Junctura sit, oleo ex floribus herbæ, flammæ cœli dictæ, mixtæ cum petroleo, cumque maturuerit, in locum restituendum amat. Animadvertere etiam jubet, ne facilè terrearis reponendum inter, aut extrahendum: nam sæpè contingere solet, ut dolores hujuscemodi non transeant absque punctionibus, quod Junctura contra sit; quæ verò subductæ sunt, curandum esse taxo laterino. Et si dislocatæ non fuerint, visco de consolida dolorem atque morbum sedandum esse præcipit.

[illegible]elmontii [illegible]entia [illegible] Curatio-

§. 15. *Helmontius* in *Ligamentorum Stupore* præ aliis interna Diaphoretica ac arcana commendat jam sæpiùs dicta, externa verò Topica, fomenta nempe, aliaque quæ Ligamenta confortant.

[illegible]ne Ligamentorum Stuporis.

Luxationem verò *Ligamentorum* per Tincturam succini vel Elixir suum propriet. & per externa nervina curandam esse præcipit.

Ligamentorum Laxationis.

In *Contusione Nervorum* internè lapides cancrorum & ossifragi commendat. Inter externa verò rad. bryoniç albæ rasam & superimpositam contusioni præ aliis eligit.

Nervorum Contusionis.

In *Incurvationibus* vel *Contracturis* æquè externa fomenta, quàm interna, quæ convulsivos motus placant, maximè necessaria esse inculcat.

Incurvationis vel Contracturæ.

In *Luxationis Curatione*, articuli restitutionem desiderat, & prætera aliorum curam tacitè approbat.

Vuillisii methodus in curando Ligamentorum Stupore.

§. 16. Vuillisius *Ligamentorum Stuporem* curat & internorum & externorum medicamentorum subsidio: Internè Diaphoretica porrigit, è quibus præcipue notæ esse asserit decoctum guajaci, sarsaparillç, &c. spiritus & oleum guajaci, inter quç & sunt Mixtur. simplex, spiritus & flores salis Armoniaci, aurum Diaphoreticum, viperarum sal, pulvis, & vinum: Bezoarticum minerale, solare, tinctura Antimonii &c. Administrationibus externis sudationem etiam promovet ut materię tendinum poros occupantes per poros patentiores faciliùs exhalentur; Ipsius ergo suasu craticula cum carbonibus aut spiritu vini accensis, Laconicum, & balnea varii generis & formę, ac thermę naturales adhiberi solent.

In Ligamentorum Laxatione.

Ligamentorum Laxationi medetur per internè sudorifera remedia, quale est decoctum lignorum infra, descriptum.

℞. *Rasur. lign. sanct.* ℥ vj.
Sarsaparill.
Sassafras aa. ℥ iv.
Santal. alb.
Citrin.
Ras. eboris.
C.C. aa. ℥ ß.

S. a. infund. & coq. in aq. font. ad medias, addend.

Antimon. crud. pulv. & in nodul. ligat. ℥ iv.
Rad. calam. arom.
Galang. min. aa. ℥ ß.
Irid. Flor. ℥ j.
Cardamom. ʒ vj.
Sem. coriandr. ℥ ß.
Dactylor. No. vj.

F. Dec. utatur etiam pro potu ordinario. Suadet etiam ut ęgri utantur per 15. aut 30. dies dosi tincturę sulph. terebinth. aut tinctur. antimon. vel Succini, quandoque item elixir proprietatis aut pœonię, capiantur in cochleari aquę destillatę superbibendo ejusdem ℥ iii. Externè commendat decocta ex salvia, roremarino, lavend. origano, pulegio &c. & tandem ęgris thermas prescribit.

In Nervorũ Contusione.

In Nervorum Contusione diaphoretica volatilia exhibet, nervumque contusum oleo flavo terebinthinę illinit, partem verò adjacentem oleo chamomillę aut catellorum illinit.

Juncturarũ Incurvatione.

Juncturarum incurvationem curat sequentia medicamina extemplò administrando:

℞. *Castor.*
Opopanac.
Sang. dracon.
Antimonii,
Sem. pœon. pulverif. aa. p. eq.
M. F. pulvis, dosis à ʒ ß. ad ʒ j.

Utatur manè cum vino aut decocto appropriato, aut cum aqua cerasorum nigror.

Vel

℞. *Cran. human.* ppt. ℥ j.
Visc. querc.
Cinnabar. factit.
Ungul. alcis aa. ℥ ß.
M. F. pulvis, dosis ℈ ß. ad ℈ j.

Articulum verò contractum hoc inungit linimento:

℞. *Ol.*

℞. *Ol. irin.*
Verm. terrestr. aa. ℥ ij.
Castor. pulv. ℈ iv.
M. continuo agitando.

Oleum etiam laurinum, lini saponis decoct. lumbricorum, pinguedinem humanam & animalium hoc in casu laudat.

In Luxatione. Vvillisius *Luxatam Juncturam* firmare satagens, facta repositione, partem fovet decocto ex flor. hyperic. & rос. rub. in vino rubro facto, vel petroleum illi calidè inungit, aut emplastrum ex tacamahaca cum balsamo Peruviano malaxato ipsi applicat. Si verò *Luxatio* à causa interna ortum duxerit, diaphoreticis insistit, lignorumque decoctum pro potu ordinario præscribit. & partem fovet decocto ex radicib. gentianæ, aristol. rot. flor. rosar. hyperic. ror. marin. fol. absynthii, salvia, origano, querc. &c. vel de Vigone illi imponit.

Sylvii modus curandi Ligamentorum Stuporem. §. 17. Sylvius in *Stupore Ligamentorum* eo respicit, ut torpidi & ad motum ineptiores spiritus animales excitentur, & à vi narcotica ipsis admista liberentur per salia volatilia, sed acriora medicamentaque omnia mordacitate aromatica prædita, piper, caryophylla, castoreum, allium, raphanum rusticanum, Sinapi, Cochleariam, Erysimum & similia sæpiùs minore quantitate usurpata: ex. gr.

℞. *Aq. cochlear.*
Erisimi aa. ℥ j.
Tinct. castor. ʒ j.
Ol caryohyllor. gt. ij.
Syr. cochlear. ʒ vj.
M.

Hujus mixturæ cochleare unum accipiat sæpenumero Æger, vel seq. decoct.

℞. *Rad. galang.* ʒ ii.
Raphani rustican. ℥ ij.
Fol. erysimi M ij.
Caryophyll. ʒ ß.

Fiat decoctio in vase clauso, ex aquæ & vini albi aa. q. s.

In colat. ℥ xx. *dissolv.*
Syr. cochlear. ℥ iij.
Tinct. cinamomi ℥ j.
M. F. Apozema.

Hujus Apozematis cochlearia quinque aut sex aliquoties in die usurpet Æger in lecto decumbens, ac mediocriter tectus, quo si possibile, sudor erumpat levis, ægrum levaturus. Horum enim medicamentorum ope non tantum Animales spiritus liberari ait à suo Torpore, verùm ipsam vim narcoticam vel in corpore tractu temporis genitam, vel forinsecus admissam quoque corrigi & tandem superari. Externè varia olea aromatica & volatilia illinenda commendat, item partis frictiones, asperis linteis aliisque pannis institui vult.

Ligamentorum Laxationem. Author in *Ligamentorum Laxatione* humores pituitosos & aquosos circa Ligamenta hærentes, ipsorumque membranas, medullamque nimis humectantes laxantesque corrigit ac tollit per interna sudorifera, imprimis aromatica, tum externa incidentia & discutientia, inter quæ iterum laudat salia volatilia; quòd si multùm in corpore redundent humores suprà dicti pituitosi, commendat, phlegmagoga & hydragoga per vices usurpata.

Nervorum Contusionem. *Nervorum Contusionem* Sylvius curari dicit per interna Diaphoretica, Salia volatilia, his enim Spiritibus animalibus liberior conceditur permeatus, quæ simul defectum Spirituum animalium restituunt. Externè itidem commendat varia nervina ac aromatica, oleum Terebinth. Philosoph. Ungu. Dialthææ compos. Martial. Ol. succini, Lavendul. &c. fotus quoque haud negligendos amat.

Juncturarum Incurvationem. *Juncturarum Incurvationem* itidem per interna volatilia sudorifera curandam esse suadet, item decocta lignorum, Mercurialia, aliaque ut viscidum solvatur, & obstructio Ligamentorum reseretur, spiritibus liberior concedatur transitus, magnifacit. Externè varia præscribit nervina, linimenta, unguenta emplastra, ex aromaticis institutos fotus, balnea &c.

Luxationem. *Juncturarum Luxationem*, quod attinet, in pristinum suum locum articulum elapsum restituendum vult. Dein varia Emplastra corroborantia, & modicè astringentia applicari amat, quorum descriptiones jam alibi dedimus.

Cartesianorum curandi ratio in Ligamentorum stupore. §. 18. *Cartesiani in Ligamentorum Stuporis* curatione commodè perficienda, ipsas advertunt causas, à quibus fuerit productus, has enim removere annituntur, si possibile est, ne quid remaneat obstaculi, quo minus spiritus animales per Ligamenta perfluere possint: quapropter si fuerit à Luxatione, Os luxatum restituunt; si à fractura, illam sanant reponendo Ossa fracta, & postmodum eadem glutinando. Musculorum verò vitia corrigunt, sive ulcera sint, sive vulnera, sive convulsiones, sive paralyses, quibus in casibus remedia appropriata seligunt, potissimum proficua esse dicunt succinata, castoreata, & nervina, imprimis ubi stupor est à defectu spirituum animalium, omnia conducunt salia volatilia, oleosa, inter quæ sequens magni pendunt.

℞. *Elixir. vitæ nostr. vel Hoffmanni* ʒ ij.
Spirit. sal. Armon. volat. ʒ j.
M. detur guttatim,

Vel in forma Mixturę propinant:

℞. *Aq. Lavendul.* ℥ iß.
Ungar. ℥ j.
Elix. vitæ Matthiol. ʒ vj.
Spir. sal. Armon. succinat. ʒ ii.
Essent. castor. ʒ j.
Syr. flor. Stœchad. ℥ j.
M.

Vel in forma Electuarii seq. exhibent:

℞. *Conserv. rorismar.* ʒ iii.
Menth. ℥ ß.
Salv. ʒ ii.
Cond. cort. aurant. ʒ iiß.
Spec. dianth. ʒ j.
Diagalang. ʒ ß.
Pulv. sem. eruc. ℈ ii.
Flor. sal. Armon. ℈ j.
Sal. C.C. volat. ℈ ß.
Ol. destill. caryophyll. gt. IV.
M. s. q. syr. flor. tunic. f. q. opiata.

Externè etiam fotus non negligunt, quos parare solent ex foliis rorismar. salv. majoran. lavendul origan. fl. paralys. anth. bacc. lauri, Iuniperi, lumbricis, formicis in vino coctis, quibus tepidè adhibitis, spiritus etiam limacum, lumbric. Sal. armoniaci, essent. castor. & succini sunt illinenda, ex. gr.

℞. *Spir. lumbric.* ℥ iß.
Aqu Anhald. ℥ j.
Spir. sal. Armon. ℥ ß.
M.

Balnea quoque & Thermas magni faciunt.

In *Ligamentorum Laxatione* sudorifera magno habent in pretio, & exhibent sal volatile C. C. ad ʒ j. in vino vel alio liquore appropriato, externè varios fotus paululum subadstringentes commendant, ut thermas aluminosas, Emplastra corroborantia & firmantia, qualia dicunt esse de pelle arietina, ad fracturas, & nervinum cum terra Iaponica mixtum.

In Nervorum Contusione. In *Contusione Nervorum* leviore ubi nervi tantùm superficialiter contusi sunt, sudorifera exhibent dissolventia, attenuantia, ut sic tubuli læsi iterum aperiantur per novum spirituum affluxum, qualia sunt oculi cancrorum Antimonium diaphoreticum, Sal. C.C. volat. lumbricorum, decoctum Bardanæ, & Sanæ mundæ, Tinct. Mumiæ, spir. sal. Armoniaci succinat. In gravissima verò contusione, in qua cutis & musculi non tantùm sunt conquassati, sed etiam ipsi nervi, sanguis quoque & reliqui immisti liquores imprimis nervei corrupti, partes subjacentes Gangrænam minantur, omni studio malignitati eorum resistunt, acrimoniam mitigant, & partes ulterius defendunt, interne Bezoardicis

zoardicis & ſanguinem depurantibus, Electuario verbi gratia Bezoardico *Ang. Salæ*, Tinctur. Bezoard. volatili Diaſcord. Theriac. &c.

Externè fovendo partem affectam ſpiritu vini theriacali & Camphorato, applicando cataplaſmata ex farina orobi, lupinorum, herb. ſcord. rut. abſinth. cum ſpiritu vini parata, vel inungendo aut imponendo linimentum ſequens:

℞. *Medull. cervin.* ℥j.
Axung. caſtor. ℥ij.
Ol. lumbricor. ʒvj.
Petræ alb. ʒß.
Gumm. animæ ℈j.
Salviæ ℈ß.
Lavendul. gt. vj.
Sal ſuccin. volat. ℈ij.

M. Redigantur omnia ſ. a. in formam linimenti.

Incurvationis quoque Juncturarum curationem inſtituunt juxta cauſarum varietatem: ſi fuerit à luxatione vel fractura, eas priùs curant, ſi verò fuerit ab obſtructione, à ſpirituum animalium influxu impedito, eos promovent per ſpirituoſa ac volatilia & ipſis propinant ſeq. vinum medicatum.

℞. *Rad. valerian.*
Imperator,
Pæon.
Angelic. aa. ʒiii.
Rhapontic. ℥ß.
Armorac. ʒij.
Fol. chamædr.
Chamæpyth.
Salv.
Roriſmar.
Majoran.
Menth. aa Mß.
Flor. paralyſ.
Stœchad. Arab.
Lavendul. P. I.
Raſ. ligni Junip. ʒv.
Guajaci ʒij.
Bacc. Juniperi ℥ß.
Cardamom. ʒij.
Cinamom. ʒij.
Cubeb. ʒj.
Sal. Tart. ʒiiß.
Armon. depur. ℥ß.

M. pro 4. vel 5. vini libris.

Externè varia commendant ſpirituoſa aromatica ac volatilia imponenda, ut ſunt ſpiritus lavend. lil. convall matrical. balſ. Iſchiat. Infuſ. arthrit. Emplaſtra varia nervina imponunt, inter quæ laudant Empl. de Labdano, cinnabarinum &c. Balnea, fotus ac thermas quoque magnifaciunt. Balnea, vel fotus parare ſolent ex ſalvia, majorana, betonica, roremarino, pulegio, chamedr. origano, bacc. Juniperi, cineribus Juniperi, Sal. Tartari vel commun. in vino & aqua decoctis.

Luxationem curant articulum elapſum ad partem oppoſitam manibus propellendo, & ita in locum priſtinum reſtituendo, & ne ſucci craſſioris interſtitiis illapſi ſint impedimento, tùm diaphoretica internè, tum ſpirituoſa externè adhibent, ita enim illi ſucci ſtagnantes expelluntur ad muſculos, & tandem apertis poris ſub ſpecie vaporis eliminantur, & penitùs diſcutiuntur, quod fotus præſtant ex herbis majoranæ, ſalv. origani, chamædr. fl. ſambuc. anth. Sulphuris in Spiritu vini maceratis, tepidè adhibiti, nec non ſpiritus vini camphorat. aliquoties illitus: reſtitutos articulos quiete & emplaſtro nervino jubent corroborare.

[Noſtra cura Stupore Ligamentorum.]

§. 19 Nos in *Curatione* Morborum horum ita procedimus; In *Stupore* Ligamentorum advertimus cauſas à quibus fuerit inductus, has enim priùs removere ſtudemus, ſi poſſibile eſt, ne quid remaneat obſtaculi, in eo enim totius curationis cardo vertitur, ut obſtructio in fibrillis tendinoſis ac nervoſis exiſtens tollatur, ſicque promoveatur influxus ſpirituum animalium liber ac priſtinus. Si enim Stupor obortus fuerit à defectu Spirituum animalium, vel obſtructione craſſorum ſuccorum, ante omnia incidendi ſunt & ſimul volatiliſandi, in quem finem internè & externè conducunt ſalia volatilia aliaque diaphoretica oleoſa, quæ maxime penetrare, & canaliculos ſubtiliſſimos fibrillarum tendinoſarum aperire valent. Potiſſimùm verò ſuccinata, caſtoreata, camphorata, aliaque nervina ſunt proficua. In Juniorum Medicorum gratiam unam vel alteram communicabimus formulam.

℞. *Spir. Matrical.*
Aq. Regin. Hungar.
Spir. camphor. ℥ß.
Cephal. oleoſ. ℈j.

M. D. guttatim.

Vel

℞. *Aqu. roriſmar.* ℥ij.
Mirabil.
Hirund. c. caſtor. aa. ℥ß.
Spir. C. C. ℈ß.
Syr. fl. paralyſ. ʒvj.

M. aliquoties cochleatim exhibenda. Spiritus Lumbricorum eſſentificatus, item ſpir. anthoſ. ſalv. ſpicæ, ſpir. ſal. armoniaci ſuccinat. Tinctura caſtorei ſunt generoſa remedia. Conducunt quoque Cinabarina, pro re nata Mercurialia ritè parata, præſertim commendamus pulverem noſtrum Mercurialem ſolarem, qui nos rarò deſerit. Item Antimon. diaphoret. Bezoard. Min. Mercuriale, Joviale &c. hoc in caſu æſtimamus, ex gr.

℞. *Antimonii diaphoret.* ℈ß.
Bezoard. Martial. gr. v.
Ocul. cancr. ppt. gr. vj.
Sal. abſinth. gr. v.
Sperm. ceti gr. iv.

M. f. pulvis pro una vice, detur cum aq. lil. conval. vel fl. tiliæ &c.

Proſunt quoque ſpir. urin. cran. human. ſpir. ſanguinis, mag. cran. human. ſpir fulig. C. C. eboris eſſentif. ſpir. Tartar. volat. ſal volat. oleoſ. fœt. Elix. vit. vel detur ſequens ſudoriferum:

℞. *Aq. card. bened.*
Roriſmar. aa. ℥j.
Antimonii diaphoret. gr. xv.
Tinct. croci ℈ß.
Sal. card. bened. gr. v.
Spir. ſal. armon. ſuccin. gt. vj.
Syr. card. bened. ℥ß.

M. D. ad vitrum.

Hoc in affectu Purgantia, V. S. Cucurbitulas, aliaque tormenta proſcribimus, aliquando veſicatoria concedi poſſunt. Si à nimia Lymphæ copia & acrimonia fuerit productus affectus, Diuretica commendamus, per quæ ſuperflua ac acris lympha è corpore eliminari poteſt, ſæpe cum maximo fructu.

Topica præſertim in Ligamentorum Stupore æſtimamus, quæ ſæpè totam implent paginam, inter quæ aliis palmam præripiunt ſpirituoſa volatilia, quæ obſtructas fibras tendinoſas hunc affectum excitantes ſummopere reſerant, hinc egregiè conducet ſpir. Matricalis, convulſivus, & topicus ſpir. lumbricor. eſſentif. formicarum, brucchorum, balſam. nervin. extern. & intern. ſpir. camphor. lign. guajac. Eſſent. caſtor. ſuccini. Cataplaſmata & fotus hic maximè conducunt ex fol. roriſmar. beton. ſalv. majoran. lavendul. origan. fl. Paralyſ. anth. baccis lauri, Juniperi, mace parat. Item ſuffumigia ex ſuccin. aſ. fœtid. galban. caſtor. maſtich. thure concinnata: qui amant mixturam, externè aplicandum ſequens erit proficuum:

℞. *Aq. Regin. Hungar.*
Spir. vin. campb. aa. ℥j.
Matrical. ʒvj.
Lumbricor. eſſ. ʒij.
Elix. vitæ ʒj.

M. D.

Empla-

Emplastra ex gummi aliisque volatilibus fabrefacta egregiam sæpè navant operam, imprimis Empl. Norimbergense, cinnabarinum nostrum, de Thea, Nervinum. Thermæ sulphureo-Martiales, vel nitro-sulphureæ utilem sæpe navant operam, in earum defectu artificiales parari possunt: confer ea quæ inferiùs de contractura dicemus.

In Ligamentorum Laxitate.

Laxitas Ligamentorum nisi protinus & brevi tollatur, verendum est ne affectus diu duret, quoniam à decubitu & stagnatione succorum ligamenta relaxantur, pori ligamentorum longa mora figuræ extraordinariæ assuefiunt, similemque eapropter materiam peccantem facilè transmittunt, qui succus si longas præterea moras circa ligamenta nectat, Laxitatem majorem producere poterit, laxando ac relaxando fibrillas tendinosas: & cùm malum hoc potissimum oriatur à catarrhis, vel nimio sero evasato, id ante omnia eliminandum est vel purgantibus (præmissis incidentibus Tartareis) pulv. sc. laxativ. Extr. diacar. diacitr. aliisque pilulis aloeticis, vel quod sæpe meliùs succedit, diaphoreticis ac sudoriferis eliminanda venit lympha abundans. Dein semper eò incumbendum est, ut ligamenta laxata firmentur corroborenturque. In quem finem conveniunt fortiora exsiccantia vulgo dicta, cum nervinis juncta, nec non spirituosa, ut spiritibus animalibus melior concedatur transitus, & per consequens pristina fibrarum fiat extensio, hinc commendamus seq.

℞. *Spir. matrical.* ℥iv.
Sal. armon. succin. ℥ß.
Calc. viv. ʒij.
Elix. vitæ ʒj.
M. & applicetur calidè.

Quando relaxantur ligamenta tendinesque artuum, unde Luxationes sæpe veniunt, Oleum terræ illitum experimentum est *Barbette*, firmat enim Ligamenta, resolvitque lympham coagulatam authorem hujus relaxationis.

In Nervorum contusione.

Nervorum Contusionis cura potissimùm in eo consistit, ut per contusionem evasati, congrumati & stagnantes succi resolvantur, in quem finem præter interna diaphoretica, & incidentia sæpius dicta & assumpta conducunt, ut sunt aqua chærefol. cum spir. C. C. ocul. canc. Antimon. diaphor. pulv. contra casum, sperm. ceti, spir. matrical. lap. scissil. Irland. pulv. Anglic. &c. Externa Topica sæpe aliis palmam præripiunt, sequens imponatur calidè cum quadruplicatis linteis, quod etiam quater vel quinquies de die repetatur.

℞. *Spir. matrical.* ℥v.
Balsam. nervin. n. d. ℥ß.
Camphor. ʒiß.
Spir. sal. Armon. caryophyll. ʒj.
M.D. usui.

Fotus, suffumigia ex nervinis discutientibus & emollientibus parata interponenda sunt. Si dolores vehementiores adsint, ol. ovorum addi, & camphora augeri potest, & si hisce non cedat Contusio, sequenti utere:

℞. *Spir. matrical.* ℥x.
Chærefol. ℥v.
Sem. cumin.
Carvi,
Anisi aa. ℥ß.
Sal. Tartar. ʒiij.

Stent in digestione, donec Tinctura rubescat.

℞. *Hujus prædictæ Tincturæ* ℥vj.
Camphor. ʒij.
Balsam. nervin. ℥j.
Ol. sassafras ʒj.
Spir. sal. Armon. anis. ʒij.
M. D. usui.

Applicetur linteis uti antea, sed hac cautione ut bene clausum vitrum detineatur in aqua calida, ut tepidè applicari possit. Suffitus gummi animæ optimum & tutum in Contusionibus remedium est. Et hisce medicamentis per aliquot dies continuandum, antequam ad alia accedas. Si Emplastrum magis arrideat, Empl. de Labdano, de Cumino, vel de Thea, vel seq. resolvens aut simile conducet:

℞. *Styrac. calam.* ʒij.
Empl. Labdan. ʒiß.
Benzoin. ʒiij.
Ol. sassafras ʒß.
Cumini ʒj.
Camphor. ʒiß.
Spir. matrical. q. s.
M. & f. l. a. ceratum.

Quamvis ab applicatis Emplastris plures vesiculæ in quibusdam excitentur, quæ non curandæ sed aperiendæ sunt.

In Juncturarum Incurvatione.

Nunc pargamus ad curam *Juncturarum Incurvationis* seu Contracturæ membrorum. Chirurgia hoc in affectu parum commodi afferens, cum pharmacia conjungenda est. Proscribimus è foro Chirurgico V. S. Cucurbitulas vesicatoria, fonticulos, quæ duo ultima præsidia admittimus quando malum ab abundante sero oritur. A Chirurgia in Incurvatione mutuamur *Extensionem* & *Deligaturam* partis contractæ seu incurvatæ, quæ tamen non violenta sed successiva sit, adhibitis eo fine præter fotus, spirituosis volatilibus linimentis & unguentis nervinis, paulò inferiùs tradendis, si præcipuè exsucca sit pars, ut iisdem inunctis emollita & laxata eò faciliùs cadere discat. Quæ operatio ut eo meliùs succedat, excogitarunt Chirurgi & fascias, quibus membrum detentum sensim attollitur: ejusmodi instrumenta descripta & delineata invenies in *Actis Eruditorum Lipsiens.* imprimis in Luxationibus artuum maximè inservientia. Huic enim malo ut medeamur, oportet artubus ægri adnectere fasciam linteam tres digitos latam. Imò in Incurvatione pedum hisce in locis utimur ocreis in hunc finem à sutore aulico apprimè factis, sic quoque in reliquis corporis artubus fasciæ vel instrumenta parti appropriata facilè excogitari possunt.

Et cùm *Incurvatio* hæc sit potissimùm ab obstructione, & inde facta contractione, eò semper respiciendum est, ut succi crassi ac quasi tophacei incidantur ac resolvantur, unde pharmacia consulenda est, qua nobis ea lenientia, & incidentia quæ mucum incidunt, depromit, quo nomine præcipuè veniunt Tartarea, crem. & crystall. & Tinct. Tartar. vitriolat. resolut. Tinct. tartar. liq. terr. fol. tartar. item nitrosa, Arcan. duplic. Nitr. Antimonial. sal. digestiv. spir. aperitiv. Moebii: huc quoque referri possunt Martialia, Essent. Antimonii, spir. matricalis, C. C. Eboris, Ceph. oleos. &c.

Tandem & ob amurcæ copiam ad Purgantia accedimus, quæ non ex primis solùm viis, sed altiùs etiam infixam materiam morbificam exstirpare possunt. Proderunt ergò radix laxativ. Massa Pilularum tartar. vel detur Extract. diacartham. diacitri &c. & alia apud Auctores prostantia, quæ proderunt variis in formulis adhibita.

Hisce præmissis ad Diaphoretica tanquam ad anchoram sacram confugiendum est. Hæc enim id quod in vasis & glandulis subcutaneis à purgantibus intactum relictum est, expellunt, in quem finem prosunt tàm volatilia quàm fixa & media, ex. gr. Rad. scorzoner. chin. salsaparill. herb. card. bened. scord. fl. galeg. calendul. lign. sassafras, sanct. spir. serpent. viperar. tartaris. & oleosus, C. C. eboris, Tinct. bezoard. volat. Tinct. Diaphor. Myns. & liq. ejus, spir. volat. oleosus cephal. Balsam. Nervin. spir. matricalis, Mixt. s. per se & volatilis, item omnia ex Antimonio parata: Orvietanum, Camphora, Bez. min. Martiale, cinnabarina, lap. Bez. C. C. spir. viper. quæ omnia & alia pro variis indicationibus à Medico prudenti eligi, combinari, variari, & adhiberi possunt.

Succedunt his *Diuretica*, quæ id, quod neque per Purgantia aut Diaphoretica expelli poterat, per ductus urinarios evacuant. Faciunt huc tàm Vegetabilia, quàm animalia & mineralia. Inter Vegetabilia recensemus rad. asparag. rusc. fœnicul. ononid. vincetox. saxi-

saxifrag. herb. heder. terrestr. bellid. &c. Ex animalibus ocul. cancror. testacea, ex Chymicis Arcan. dupl. Arcan. Tart. Malv. Junip. spir. Junip. ex bacc. spir. Nephrit. Succinata omnia & Terebinthinata, sal succin. volat. spir. & essent. ejusdem, Tinct. contra calculum, liq. C. C. succ. bals. Sulph. &c. Omne tandem ferunt punctum appropriata, nervina, antiscorbutica, antiparalytica, antihypochondriaca vulgo ita dicta, quia hæc omnia obstructiones reserant, proderunt in eum finem omnia Martialia, croc. mart. aperit. vitriolum mart. spir. ejusdem dulcis, vel pulv. Cachect. Cinnabarin. Si malum fuerit ex colica, conducent præ aliis Volatilia spirituosa, oleosa, Essent. & spir. cort. citri, Essent. Zedoar. extract. castor. ladan. &c.

Externa nunc paucis delibabimus *Topica*, quibus pars incurvata foveri, humectari, sicque ad extensionem aptari potest: Excellunt hoc nomine Nervina, spir. matrical. aq. Regin. Hungar. spir. Cephal. volat. & oleos. bals. nervin. Elix. vitæ spir. sal. armoniaci arom. C. C. volat. ebor. cum aq. Anhaltina, Lumbric. Spir. Camphoræ Spir. formicar. &c. Linimenta quoque parari possunt ex pingued. human. axung. viperar. castor. vulp. urs. lupi, ol. Chamomel. aneth. dest. lil. alb. rut. sapon. Ven. ol. scorpion. terebinth. &c. aliis mistum oleum paregoricum Wedelii, ol. hyperic. n. d. item conducit balsam. de Catulis, bals. Indic. de Tolu, Chyli, ol. elemi, ol. ex sangu. Cervin. & human. balsam. polychrest. Myns. Oleis expressis semper addantur olea destillata tum spirituosa, ut ol. succ. destill. macis, anisi, caryophyllorum, Cumini, Chamomill. Commendantur quoque pelles recentes mactatorum canum, leporum, vulpium, vitulorum, item immissiones membrorum in ventres canum apertos, vel vulpium, vel luporum, aliorumque animalium adhuc calentium. Ex Unguentis proderunt Unguentum Nervin. Martial. Dialthææ comp. &c. quæ roboranda sunt oleis, ex. gr.

℞. *Ungu. laurin.*
Martial. aa. ℥ j.
Ol. salviæ dest.
Majoran. dest.
Succini,
Angelicæ,
Spicæ aa. ℈ j.

Suffimenta pro usu exsiccatorio aliquando optimo cum successu adhibentur ex succino, mastich. gumm. animę, sandar. cinnab. Antimonii, ad suffumig. commendamus spir. vin. vel aq. Regin. Hungar. accensum, super cujus exhalationem membrum contractum tenendum est. Sunt qui argillam peculiari sale maritatam membris contractis applicant, qualem esse dicunt in fonte Socero (*Heilbrun*) nuper in Hassia prope Hirschfeldiam invento; cujus argillæ ope, qua fons abundat, plures à Contractura convaluere, ita ut ligneis instrumentis innixi cùm accederent, relictis iisdem tanquam testibus recuperatæ sanitatis abiissent. In defectu scaturientium fontium artificialia ex argilla aliisque mineralibus & nervinis paranda sunt, sequens commendamus:

℞. *Herb. beton.*
Salv.
Rorismar.
Majoran.
Hyperici aa. M iii.
Bacc. lauri,
Juniper aa. ℥ ß.
Sulph. viv. ℥ v.
Argillæ ℔ ii.
M.

Profuisse etiam vidimus fotus paratos è capite mortuo cerevisiæ, vel ex jam dictis herbis, eidem membrum contractum tepido immergendo & fovendo, cui fini etiam sacculi ex nervinis parari, & spiritibus volatilibus irrorari, vel sicci quoque applicari possunt, huc referri merentur insessus in siliquis uvarum, item formicarum grandiorum acervo, vasi cuidam indito, quibus aqua calida infusa fuerit: Emplastra ex gummi galban. commun. bdell. plurimum sal. volat. in se continentibus haud negligenda sunt. Item Empl. Diaph. Myns. de Thea, de Labdano &c.

In his affectibus præ aliis conducunt Thermæ, quarum mineris tutò se concredere possunt ægri, imprimis Embsensis fonticulus, delicatula martiali qualitate & vitriolata dulcedine (vitriolum enim pars essentialis ferri est,) pollens pro potu, & Thermæ illæ Sulphureo-Martiales pro balneo eligantur, plures enim contractos & à Colica pareticos factos hisce curatos vidimus; Equidem reparandæ valetudinis aquæ minerales, si mineræ benè constant, multum præstant, & sæpè plùs, quàm è longo medicamentorum usu in eos redundat emolumenti, qui potu vel lavacro illarum utuntur; hinc Sacræ priscis dictæ, magnificis & sumptuosis ædificiis honoratæ; ast non sine præmeditatione ex judicio Medicinæ operam dantium, & earum minerarum exploratione accurata, atque cautelæ abusu, licentiæ immoderatæ victus libidine, adminstrane contrahatur, quàm emolumenti; quin potius sollicita illarum mixturæ certæ portionis & quantitatis, & temperamentorum seu morborum diversitatis curioso delectu habenda est ratio, thermis & acidulis scaturientibus, si deficiant, facillimè artificiales substitui poterunt.

In Luxatione.

Nunc curam *Luxationis* videamus: si unquam, certè in Juncturarum seu ossium repositione ipsi Chirurgi quandoque suam produnt ignorantiam, cùm non luxatum pro luxato, non repositum pro reposito sæpiùs habent, quod inde fit, quoniam verum ligamentorum & tendinum situm ac texturam ignorant. Quippe os semel è suo acetabulo elapsum reponi nequit, nisi in ligamenta partis attendas. Tota certè ars Chirurgica consistit in accurata & mechanica cognitione œconomiæ animalis, quam nonnisi in Scholis Cartesianorum vel rationalium Medicorum ac Chirurgorum addiscent, hinc merito jure Chirurgia Rationalis appellatur. Non negamus in luxatione curanda opus esse convenienti manuali operatione, cujus tamen fundamentum est ipsa œconomia animalis vel si mavis Philosophia Mechanica. Chirurgia enim pertinet ad Medicos tanquam Dominos, Practica autem ad Chirurgos tanquam Medicorum ministros. Os ergò semel è suo acetabulo elapsum restitui nequit, nisi, ceu dictum, in Ligamenta partis oppositæ curas intendas tuas, hæc enim valde distenta & elongata magis, illa verò in parte, per quam os elapsum est, contracta vel breviora erunt: hinc summa utendum est cautela, ne extendendo membrum luxatum his vel illis ullam inferas injuriam, sed opera potius impendenda est, ut articulus accuratè per eam viam qua elapsus est, regredi possit, si enim hìc erraveris, ipsam repositionem impossibilem & malum incurabile reddes, unde postmodum tumor, inflammatio, ingens dolor & quandoque abscessus excitantur, prout id quotidie experientia æquè sapientum ac stultorum Magistra comprobat. Quod si infantibus repositio ad plures dies differatur, penitus illa impossibilis erit, quoniam succi imprimis lympha in acetabuli vacuum copiosissimè transudans, & in mucilaginem tophaceam vel cartilagineam excrescens, omnem elapso articulo præcludit ingressum, ceu id in puella 5. annorum hac in civitate observavimus.

Extensio etiam vix in omnibus Luxationibus necessaria est, nempe (1) ubi ligamentorum relaxatio nimia, nec (2) in subluxatione; sed tunc demum, ubi musculi ossi luxato implantati hoc versus suum principium retrahunt. Quod si verò conveniat, quàm maturè erit adornanda, antequam inflammatio superveniat, ejusque instrumenta varia sunt; quorum intuitu duplex reponendi modus ab Auctoribus constitutus, *Palestrinus* nempe, qui solis manibus fit, & *Medicus*: qui iterum duplex, vel *methodius*, qui habenis, scalis & foribus, aliisque utensilibus peragitur, vel *Organicus*; qui machinamentis diversis perficitur; de quibus videantur *Hipp. Paræus*, *Scultetus*, & alii, illius Galli machina in hunc finem excogitata antefertur machinæ Germanorum, quarum icon in *Actis Eruditorum Lipsiens. Ann.* 1683. *Mense Januario* videre est.

Quod si ergò sufficiens videatur extensio, quod judicatur si luxatum os acetabulo suo è diametro opponatur, & si membrum idem sano aliquando longius appareat, restauratio *Mochleosis* dicta, debet fieri, quæ facillimè accidit, si os luxatum manibus suis ita dirigat, articuloque adaptet Chirurgus, ut musculorum tractus observet, ac extensione sensim laxata, illud quasi sponte sua sedem ordinariam repetat. An autem benè restauratum sit membrum, dignoscitur ex iisdem signis, quæ ossa fracta probè coaptata testabuntur.

Deligatio, quia tàm topicorum applicationem, quàm fasciationem ac ferularum impositionem involvit, medicamenta in principio convenientia sunt, quę roborando dicuntur operari, uno verbo illa, quæ sub principium fracturæ etiam admovebantur: si ergo ossa luxata, reposita & succi crassiores interstitiis illapsi internis diaphoreticis discussi fuerint, externè institutis variis fotibus ex herbis majoran. salv. chamædr. flor. sambuc. anth. sulph. in spiritu vini maceratis tepidè adhibitis, nec non spiritus vini, C. aq. Regin. Hungar. Spirit. matrical. aliquoties illiti; sunt qui Emplastra magni æstimant, seq. ergo applicari potest:

℞. *Styrac. calam.* ℥ j.
Mastich.
Succin.
Benzoes aa. ℥ ß.
Bacc. lauri ʒ vi.
Caryophyll. ʒ iii.
N. M. ʒ ii.
Ceræ novæ ℥ v.
Resin. ℥ j.
Ol. myrtillor. ℥ i ß.
Ovorum ℥ ß.
Succi chelidon.
Cicutar. aa. ʒ ß.
M. f. l. a. Empl.

Ad impediendam inflammationem fortiter adstringentia intermittenda sunt, sed potius tunc resolventibus, atque nervinis est agendum, verb. gr. Spir. matric. vin. camph. ol. lumbricor. terræ, vulpin. Peruvian. aut instituatur fomentatio ex scord. absinth. herb. salv. rorismar. fl. rosf. balaust. bacc. Juniper. lauri, sem. cumini &c. qua sc. tendinosarum fibrillarum rigiditas deligatione introducta aliquomodo corrigitur, spirituumque animalium influxus restituitur.

Quod *Fasciationem* attinet, fieri potest hæc simili modo ac in fractura retentiva atque expulsiva simul, seu eadem per unam fasciam, si scil. articulus ad prolapsum non adeò proclivis, seu tribus, pari ratione ac in fractura artuum fieri soleat; ita tamen ut deligationis principium fiat in latere per quod os præcedit, itidem etiam fascia semper firmiùs constringatur; spleniorum verò quæ iis supponuntur, plura sint, non tantum melioris firmationis & retentionis gratia, sed ut juncturarum quoque cavitates & inæqualitates repleantur, pro fasciarum commodiore injectione, horum tamen crassius & maximum illi articulo apponatur, per quem os luxatum prodibat, ne hoc extra sedem suam adeò facilè elabatur: de cætero si membri ratio hoc patiatur, & inflammatio non impediat, ferulæ imponantur, observatis illis circumstantiis, quas alibi indigitabimus.

Restitutos articulos quiete & emplastro nervino jubemus corroborare, optimè ergo articuli luxati post repositionem collocentur, ut meliùs firmentur, ut non rursus elabantur, sic brachium repositum ad pectus teneatur in fascia, pedes verò in situ optimo serventur, & semper commoda ac tempestiva fiat religatio, hinc vulgò dicitur renovatio deligationis ac ejusdem duratio. Quoad renovationem fasciationis, nisi circumstantia aliqua contrarium urgeat, scil. dolor ac fasciarum nimia constrictio, sunt, qui ante 6. & septimum diem hæc non solvant: sed me judice periculosum est omnia sic tecta relinquere, melius enim esset, ut Chirurgus quotidie inspiciat, numne Gangræna aliudque malum acciderit. Nuper fœminam quandam ita in deligatione reliquerat Balneator, cum Empl. tolleret, integra tibia sphacelata fuit, & matrona ad plures abiit.

Durationis tempus vix specialiter determinari potest, nisi dicamus, tunc demum tollendas esse fascias, si articulus sufficienter firmatus observetur, quod in articulis minoribus, ut digito, die 14. in mediocribus, brachio ac tibia, circa 20. in majoribus verò, humero, scapula ac femore, vix intra 40. contingere solet. Quoniam autem pro diversitate subjectorum, regionum, ætatis, anni temporum, roboris, majore, ac minore, ligamentorum tensione, Luxatione recenti & veteri magis, articulorum quoque robur modò celeriùs modò tardiùs restituit, tutiùs illi agunt, qui supradictis diebus aliquot adhuc addunt, ac demum vinculis sublatis ægrum monent, ne membrum statim motibus vehementioribus exagitet. Dein ut rigiditatem fibrarum tendinosarum emendare laboret per sequens aut simile linimentum,

℞. *Ol. lumbric.*
Terebinth.
Hyperic. n. d. aa. ℥ j.
Balsam. Peruv. ʒ i ß.
Ol. mastich.
Vulpin. aa. ℥ iß.
Bals. nervin. ʒ iii.
M.

Vel cum aq. Regin. Hungar. spir. topic. vin. camph. matrical. artus illinantur.

Si membrum luxatum ritè restitutum fuerit, ex signis sequentibus patet, si nempe in figura magnitudine, longitudine cum parte sana correspondet, & nullus dolor ampliùs percipitur, ac membrum moveri potest.

Atque hæc de deligatione simplici, nunc de composita notandum, quæ scil. inflammationem, dolorem, spasmum, callum, vulnus, fracturam aut ligamentorum laxitatem comitem habet, cùm pro varietate horum affectuum atque symptomatum curam Luxationis aliquo modo variare conveniat, quippe si dolor, tumor atque Inflammatio urgeant, & quidem statim ante repositionem, his certè ante omnia succurendum est: nisi articuli luxati restitutio mox tentetur, ex partium nervosarum & tendinosarum fibrillarum violentiore distensione, & irritatione, convulsiones, spasmus, aliaque atrociora mala, imò ipsa mors producantur, quare Luxationes non parvi faciendæ sunt: Hinc posito membro in medio minusque doloroso situ, applicentur resolventia pro Inflammatione atque dolorem mitigantia, qualia sunt spir. matricalis, aqua Regin. Hungar. spir. vin. camph. Balsam. nervin. aq. calc. viv. addita semper camphora, item cataplasmata aut fotus, quibus simul admiscenda sunt anodyna, scil. herb. malv. parietar. rad. alth. flor. chamomill. verbasc. sambuc. sem. lini, farin. fabar. &c. Sin post repositionem demum symptomata prædicta oboriantur, ante omnia vincula statim laxentur, ac recensita applicentur remedia.

Si vulnus Luxationi combinetur, in maximo æger versatur periculo, inflammationem, spasmum, imò Gangrænam & mortem sæpe infert, præsertim in juncturis majoribus, sive membrum restituatur sive secus: Unde Chirurgi prudentiores suasu *Hippocratis* ab ejusmodi Luxatorum restitutione abstinent, imo dicente *Celso*, nec minorum articulorum repositiones absque prædictione periculi suscipiendæ sunt, ita quidem, ut si reposito articulo inflammatio major ac spasmus superveniat, meliùs à quibusdam annotetur, si sine magna violentia hoc fieri valeat, articulum ex sede sua iterum exturbare. Ante omnia itaque in Luxatione membri majoris ratio habeatur Inflammationis atque Convulsionum metuendarum, hinc in media pariter minusque dolorosa figura membrum collocetur aut suspendatur, eidem applicando topica appropriata cum anodynis. Minores verò articuli aliquando ante inflammationem interdum illa sopita demum restituuntur, & quidem extensione mediocri, quoniam validam non ferunt: & si

restaurati fuerint, inflammationem atque convulsiones prohibentia apponantur.

Fractura si Luxationi jungatur, affectus sanè periculosissimus evadit, quæritur ergò non immeritò, Utrum huic an luxationi prima manus sit applicanda, Quamvis in praxi hodierna & communi priùs membrum luxatum reponi, ac postmodum demum Fracturæ rationem haberi dicunt, quòd si tamen ante hujus curationem articulus sine periculo restitui nequeat, primò Fractura, & postquam tempus generationis calli accedit, Luxatio curetur.

Sin callus in Junctura ante vel post repositionem oriatur, & quidem tophaceus, ejus curatio frustranea erit; ceu in Virgine Limburgensi observavimus, cui ter vel quater iterum ex sede sua elapsa fuit ulna, ejus restitutio semper frustra tentabatur. In molliore verò successus desideratus aliquando contingit. Articulus ergo semper foveatur vel aq. Regin. Hungar. spir matrical. vel decoct. ex herb. malv. absynth. bismalv. majoran. rad. althææ, cucum. asinin bacc. Juniper. lauri aliisque nervinis, ex quibus cataplasma parari potest. Item Empl. de Gummi, de Thea, de cicuta, de ranis cum Mercurio, Cinnabarin. nostr. conducent: hic asterisco notandum est, quòd plures homines emplastra nullatenus ferre possunt, sed statim inde inflammationem ac pustulas in cutè nanciscuntur, quia statim ab iis tubuli obstruuntur: sunt etiam qui pinguia ferre nequeunt, alii verò cum successu tolerant oleum pingu. human. remedium aliàs egregium & singulare in contracturis partium & luxationibus articulorum, pro consolidationis promotione. Suffitus quoque instituantur ex Gummosis mastich. succin. thure aliisque resolventibus, &, cùm alibi formulas traderimus, eas repetere tædet.

Scultetus articuli ustionem commendat, eam omnibus aliis remediis anteponendo, hujusque administrandi rationem tradit *Armament. Chirurg. pag.* 142.

Quoniam ultimò non raro à deligatione membris luxatis pruritus molestissimus accidit, pro illo sopiendo, religatum membrum perfundatur aut fomentetur aqua tepida communi, vel Sale Armoniac. aut marino maritata. Et cùm ubivis particularium Luxationum mentionem fecerimus, ea hic repetere non libet: ne Lectori nauseam, cramben bis coctam offerendo, pariamus, & generalia hæc dicta facilè ad curam specialem applicari possunt.

CAPUT VII.

De Ossium Fractura, Carie, & Tophis.

§. I. AD Synthesin, operationem Chirurgicam, quæ adducit, conjungit, & conjunctas servat partes machinæ nostræ, à quacunque causa extraordinariè separatas, schola Chirurgica refert inter alia & *Fracturam Ossium*, de qua, ut & de ossium *Carie* & *Tophis* sermo nunc erit.

Descriptio Ossium Fractura.

Fracturæ ossium describi possunt, quòd sint ossium continui solutiones, à causa violenta utplurimum externa factæ.

Descriptio Ossium Cariei.

Caries verò ossium describitur, quòd sit corrosio ossium à succis acribus & corrosivis proveniens. Imò *Caries*, nostro judicio, nihil aliud est quàm ossium mortificatio seu Gangræna, fibris enim tendinosis corrosis & discissis, necessario ejusmodi mortificatio oboriri debet.

Descriptio Tophorum.

Tophi sunt tumores duri, & tactu renitentes, interdum dolentes, in ossium medio enati, à viscidis succis ex acore vitioso ibi imperium sibi rapiente coagulatis, exorti. Tophi etiam appellantur Nodi, seu Tuberositates seu gummata Gallica, vel aliæ partes lapidosam & ferro quasi renitentem duritiem inducentes. Ejusmodi Tophi hinc inde corporis nostri observantur partibus, imprimis circa ossa, sic legimus in *Ephem. Germ. Ann.* 9. & 10. quòd membranæ & arteriæ in ejusmodi Topho fuerint mutatæ. Sic quoque Celeberrimus *Dn. Drelincurtius* arteriam descendentem potissimùm Iliacam variis in locis totam in lapidem induruisse notavit. Nos in puero Dizensi vidimus unum digitum & quidem medium planè in duritiem versum: sic etiam Lugduni Batavorum vir quidam Curiosis manum lapideam monstravit. Confer *Celeberrimi Franci Lapidicinam*. Podagricis ac Lue venerea affectis Tophi solennes esse solent.

Pars affecta.

§. 2. *Pars affecta* horum affectuum sunt ossa: ut ergò ipsorum compositio & textura nobis constet, paucis in ipsorum constitutionem inquiramus. In animali corpore plures reperiuntur partes, quæ ossium indolem participare videntur, eò quòd æquè dura non sint, atq; illa, & his minùs mollia sint, per quæ Cartilagines indigitantur. Sicuti tendines temporis tractu in Cartilagines convertuntur, ita etiam cartilagines in ossa abeunt. Si ergò novimus Cartilagines nihil aliud esse quàm fibrarum tendinosarum compagem, ex eo quòd interdum tendines in cartilagines mutentur, inde necessariò judicare debemus, ossa tantùm composita esse ex fibris tendinosis, quæ postquam induratæ fuerint, in cartilagineam usque consistentiam, deniq; in substantiam osseam indurescunt. Observationes, quæ in fœtus ossibus instituuntur, veritatem istam meridiana luce clariorem exhibent. Re ipsa permultæ in illis animadvertuntur fibræ tendinosæ, & nominatim in cranio, in principio membranæ solum ex fibris tendinosis contextæ speciem refert, cartilagineum deinceps devenit, & demum in os penitus facessit. Quibus ita pensitatis nullum superesse potest dubium, quin ossa sint congeries fibrarum tendinosarum, quæ ita firmiùs junctæ ac oppositæ induruerunt, ut duritiem ossis adeptæ fuerint. Fibræ tendinosæ indurantur ex facto in se tẽporis tractu alcalicorum volatilium infarctu. Fibrę nerveæ illarum cavitatum spiritus animales infundunt, & sic subtilius per poros avolat, & crassius remanet; ita ut fibrę istę sint extemplo alcalicis volatilibus sulphuribusq; volatilibus refertę; dum adsunt sulphura, sub cartilaginis forma apparent, sed simul ac sulphura absumpta fuere, sive à fibrarum nutritione, sive per poros avolando, sive sese comminuendo, Ossium faciem exhibent. Inde fit, ut nullæ sint partes in corpore animalis, ex quibus tam copiosum sal volatile elici possit, quàm ex Ossibus.

Denique observantur Ossa à membrana contegi, quę Periostium cognominatur; Membrana ista adeò arctè Ossibus adhæret, ut quibusdam in locis ab ipsis nequaquam avelli possit, nisi eam scindendo sive dilacerando. Cùm illa membrana attentiùs consideretur, ex triplici partium genere constare visitur, ex multis sc. fibris tendinosis, plurimis ramis nerveis, & aliqualibus arteriolis & venulis, ita ut omnibus ritè perpensis comperiatur *Periostium* nihil aliud esse, quàm contextum fibrarum tendinosarum Ossis, quorundam nervorum, & aliquarum arteriarum venarumque.

Diagnosis. Fracturæ Ossium.

§. 3. Quoniam Medicus ac Chirurgus curam non aggreditur, antequam cognoverit, quæ curanda sint, de *signis* & hic agere necessum est.

Signa ergò *Fracturarum Ossium* sunt vel communia vel propria. Communia observantur, si sc. Fracturarum occasiones atque causæ præcesserint, & æger forsan aut adstantes simul strepitum quendam percepe-rint: Dein causam illam dolor atque inflammatio ingens mox excipiat, postmodum si membro inæqualitas notabilis hinc introducatur, & si Ossium extremitates promineant, aut digito vel specillo in hoc immissos, Ossis inæqualitas deprehendatur, ac ultimò, si membri læsi actio notabiliter vacillet, In specie verò transversalis seu obliqua dignoscitur Fractura, si ex contrectatione membri percipiatur strepitus, aut manu illi transversim supposita hoc incurvetur: dein quando illa cum extremitatum Ossium recessu accidit, aut hæc fragmenta separata deprehenduntur, aut membri notabilis observetur inæqualitas, i. e. in una hujus parte fovea, in altera tumor; postea membri motus tollitur, præsertim si à se invicem Ossa recesserint, aut quamvis extremitatibus eorum adhuc sibi contiguis aliquid motus ipsi supersit, imperfectus tamen admodum hic est, Imò ultimò membrum non raro brevius redditur, quatenus recedentium Ossium partem

inferiorem musculi sursum retrahunt. *Asseralis* difficillimè dignoscitur, nisi quòd post Fracturę causam aliquando tumor atque inæqualitas in parte affecta observetur cum summo dolore Comminutionem tandem monstrat eadem membri notabili dolore combinata inæqualitas ac tumor, imò aliquando particularum Ossis fracti ad digitorum contrectationem agitatio, membrique ad motum impotentia: quamvis & hæc difficulter quoque dignoscatur, præter signa enumerata ex actione læsa; ut & symptomata ex suis signis judicanda erunt.

Diagnosis Cariei Ossium.

Cariei Ossium quoad *Diagnosin*, sine ulcere sordido aut Fistula rarò observatur *Caries Ossium*, prout enim ulcus devorat carnosas ac fibrosas molles partes, sic *Caries* duriores ac Osseas. Pus quod effluit ex tali ulcere carioso, est oleosum, pingue, ac maximè fœtidum, aliquando flavum, subviride, utplurimùm verò tenue est & fluidum, & plus materię effluit, ex tali ulcere quàm ex alio, intensè quoque, ceu dictum, fœtet, & sæpè emplastra nigro tingit colore. Caro quoque solet esse spongiosa, mollis & fungosa, & in superficie apparet sublivida pallidaque, est sæpe instar lardi. Quamvis tale, ulcus curatum videatur sua sponte tamen iterum aperitur. Dein ex ipso detecto Osse carioso cognosci potest, si sanguis sit niger, coagulatus, & Os sit in ęquale & molle & quasi cavernulis multis præditum. Cognoscitur ergò Caries in Osse denudato 1. per autopsiam; 2. ex materia promanante, quæ est tenuis, oleaginosa, flava & graveolens: 3. si exulceratio vetustior, juxta *Hipp. Sect.6. Aph.45.* 4. si coalescentia ejus difficilior aut post coalitionem denuò rumpatur: 5. si caro circumstans spongiosa, flaccida, pallida & livida observetur: 6. si supra turundas aut Emplastra macula nigricans appareat, comprobante hoc per experientiam *Sculteto Armament. Tab.37.* quibus 7. addunt, si specillo immisso asperitas in Osse deprehendatur, imò hoc ab illo perforari videatur. Quorum tamen posterius ita se habet, ut quamvis non observetur, neutiquam tamen inferre liceat, nullam Cariem subesse; testatur siquidem *Paræus Lib. 18. Cap. 26.* quædam Ossa cariosa ab igne ita induruisse, ut nullo specillo penetrare, neque trepano perforare illa licuerit.

Diagnosis Tophorum.

Tophorum Diagnosin quod spectat, illi sunt humores duri ac tactui renitentes, aliquando dolentes in medio Ossium producti, & immmediatè incumbunt periostio, subinde ipsis dolorem nocturnum, ostocopum gravissimum inferunt, tandem partes molles & Ossa subjecta erodunt, ipsorum fibras tendinosas corrodunt, dilacerantque, ac sic *Cariem* sæpè inducunt, atque tument. Isti communiter qui Lue Venerea diu laborarunt, hoc malo infici solent. In Arthriticis observamus etiam ejusmodi nodos Tophaceos rarò curabiles.

Galenicorum judicium de causa Ossium Fractura.

§. 4. *Ætiologiam* horum morum quod attinet, *Veterum* sententia est, Ossium Fracturam oboriri à re violenta externa. Causæ enim sint omnia ea, quæ vim habent contundendi, distorquendi, rumpendi, dividendi &c. Fractura enim ipsis est continui in Osse solutio absque incisione, violenter extrinsecùs à re rumpente, vel contundente facta, ut sunt telum durum & ictus vehemens, tum ipsa habilitas Ossis, ratione cujus alterum altero faciliùs diffringi aut retrocedere potest, crassius enim majorem præbet renisum, quàm tenuius, durum, quàm molle. Ratione quoque ætatis & temperamenti Ossa variare dicunt, in infantibus junioribus & fœmellis tenuiora sunt quàm in viris & senibus, in humidioribus, quàm in siccis. Proinde tenuiora faciliore marte frangi posse contendunt, etiam à re non valdè dura, aut vehementi percussione, dura autem non nisi à re valida vehementiori impetu illata. Dicunt Fracturam vel simplicem vel compositam, vel complectam, vel incompletam esse: si vna tantùm pars frangitur, ab ipsis dicitur *incompleta*.

Cariei.

§. 5. Ossium verò Cariem deducunt Veteres ab acrimonia humorum Ossa singulariter impetente & nullis parcente.

Tophorum.

Tophos Galenici dicunt Gummata, quia gummosam in se continent materiam. Tumores hos duplices esse ajunt, sunt enim alii *Tophacei*, alii non: Tophacei, ad mentem ipsorum, sunt ex materia lapidosa, & quasi ossea, dein si materia est mollis, tunc referunt ad speciem atheromatis. Tumores Tophaceos utplurimùm oboriri contendunt circa pedes & crura, in ligamentis scilicet articulorum, Ossibus, periostiis, in quibus fiunt dolorosissimi tumores, aliquando in Ossis superficie. Materiam, à qua generatur hic tumor, dicunt esse tenacem, pituitosam, melancholicam, imprimis crassam, ex qua fieri Tophos haud dubitant.

Paracelsi opinio de causa Ossium Fractura.

§. 6. *Paracelsus* Fracturam Ossium non aliter contingere ait, quàm ubi quis accinctus gladio super hunc decidens, illæsa vagina frangatur ensis, hoc de Osse pariter intelligendum vult ad pellem & carnes comparando, prout vaginæ gladius cui solum adhibendum esse remedium jubet. Item sæpiùs ait frangi Os, medullis penitus illæsis. Chirurgo notandum esse præcipit, in qualibet Ossium Fractura, dolorem omnem casu provenientem in ruptura quærendum esse. Fracturis plura accidentia contingere memorat, ut sunt calores, frigora, tumores, cruditates, pustulæ, nigri glaucive colores, insensibilitas, putrefactiones, fistulæ, concavitates, incendia &c. quæ quidem & primo casu non procedere ait, sed ex accidentibus, incuria vel imperitia Chirurgi causatis in hujusmodi membro. Liquores illos membrum sustentantes esse ipsosmet Medicos scribit, curari enim ait Fracturas à Mumia Corporis in Carne, ligamentis, medullis &c. existente, cujus in medio situm Os & circumseptum est, à quibus omnibus etiam persanatur.

Cariei.

Cariem Ossium Author à sale fieri multis comprobat rationibus & experimentis, ab ulceribus enim diuturnis tanquam pessimum symptoma accidere solet, imprimis carne, venis ac nervis erosis, Ossa tunc quoque cariosa fieri notat.

Tophorum.

Tophos Author ex mellifluis fieri mineralibus provenire statuit, item ex arthritide sæpissime Tophos generari, item ex lue venerea ac veneno Gallico.

Helmontii sententia de causa Ossium Fractura.

§. 7. *Helmontius* Ossa acidissima dicens Fracturam ipsorum fieri à quacunque re externa violenta, & in eo cum aliis consentit. Ossa & enses faciliùs frangi sub frigoribus quàm æstate memorat. Cariem verò deducit, à latice corrosivo ad Ossa delato eaque corrodente.

Cariei. Tophorum.

Tophos exoriri Author existimat à mucilagine associata pulveri, mucilagines enim inspissatę & è corpore suo resolutæ facilè juxta eum in Tophos transeunt, quos ex mucilagine & pulvere fieri contendit.

Vuillisii opinio de causa Ossium Fractura.

§. 8. *Vuillisius* vult *Ossium Fracturam* utplurimùm à causa externa violentiori atque insigni eorum substantiam discontinuante prodire; nullo modo tamen inficias ire volens a nimiis violentioribusque artuum convulsionibus Ossa quædam frangi ac discontinuari posse.

Cariei.

Vuillisius accusat ut veram *Cariei* causam, acido-salsas & acres succi alibilis Ossium nutritioni destinati particulas; quæ ob molem & figuram evaporationi nequaquam idoneæ, & ad nutritionem, ob suam cum fibris disproportionem, ineptæ, Ossis substantiam corrumpunt, ejus fibras spiculis suis, quæ ipsarum poris defigunt, comminuentes ac discindentes, atque in minutulas particulas conterentes.

Tophorum.

Ossa ex Vuillisio *Tophis* affliguntur, quando scilicet succus nutritius particulis acidis scatens atque coagulationes patiens, coagulatus, quas in se continet particulas in angustioribus atque in Ossium superficie positis deponit, evaporatis autem tenuioribus materiei istius remorantis atque aggestæ particulis, residua crassior devenit, & a liquore nerveo in substantiam ferè osseam commutatur. Cùm verò in stagnante isto humore alibili contentæ essent salinæ particulæ ossea ista substantia Ossi supperaddita scabra fit, à salium spiculis foris prominentibus.

Sylvii mens de causa Ossium Fractura.

§. 9. *Sylvius* cum aliis Auctoribus in causa Ossium Fracturarum consentit, & à causa externa quacunque eam provenire posse non dubitat.

Cariem

Cariei.

Cariem verò *Ossium* produci statuit ab acido spiritu nimis puro in corpore existente, quod ex prævijs sæpe numero doloribus intolerabilibus, & à sola aciditate provenientibus liquet. Acrimonia siquidem à lixivio sale oborta, fixior, juxta ipsum, permanet in eodem loco, partemque affectam videtur urere, dum spiritus acidus partem à se correptam repetitis lancinationibus impetere aut lacerare aut perforare judicatur; hinc Cariem in Lue Venerea sepè contingentem ab acido venereo arctissimè Ossibus sese insinuante, illaque ad internecionem corrumpente, deducit; difficultatem curationis hujus inde pendere dicit, quòd venenum sese intimiùs insinuet Ossibus, quo penetrare nequeunt remedia illi corrigendo apta, nec facilè igne sive cauterio actuali superari possit idem malum. Ossa sana vivere ait Author, in Carie verò Venerea Ossa Carie correpta pro mortuis habenda esse contendit.

Tophorum.

Tophos seu *Tuberositates* Sylvius inter Luis Veneræ symptomata refert, quæ hinc inde Ossibus sub periostio accrescunt, & ubiq; deformitatem insignem ac inæqualitatem comitem habent. Arthriticis quoque solennes sunt. Causam horum Tophorum ipse dicit esse materiam pituitosam valdè tenacem viscidam ac coagulatam stagnantem, & talem tumorem durum ac lapideum quasi producentem. Has protuberantias, pituitam viscidam pro materia agnoscere, visum evincere dicit & curationem, quæ perficitur per medicamenta eandem pituitam incidentia sensimque dissolventia, Mercurium imprimis & olea stillatitia, ideoque sale volatili oleoso prægnantia confirmat. Ab acido pingui visciditatem hanc enormem produci statuit, hinc concurrere ait ad gummatum illorum, Tophorum ac Tuberositatum generationem Acidum, à quo ideò & Luem Veneream deducit.

Cartesianorum opinio de causa Ossium Fractura.

§. 9. *Cartesiani* in Ossium Fractura non minùs causam remotiorem ponunt rem quandam externam, duram, ictu vel casu Ossibus vehementiùs illatam, vel à lapsu, &c. Senioribus facilè Fracturam contingere ajunt, adeò ut ipsa Ossis dispositio causæ proximioris vicem hìc obeat, quæ ob filamenta, è quibus Ossa cum cæteris machinæ membris sunt composita, faciliùs modo uno findi volunt, quàm alio, aut oblique etiam frangi, cùm easdem adhuc fibras retineant, postquam induruerunt, quas habuerunt sub forma membranarum & cartilaginum.

Cariei.

Ossium Cariei causam constituunt particulas angulares acutas, vel cum succo nutriente ex arteriolis, vel cum lympha ex ductibus propriis, vel ex succo nerveo Ossium poros ingredientes; interstitia illorum tandem dissolventes, maximè si ulcus vel vulnus adsit, & diu aeri exponatur.

Tophorum.

Ossium verò *Tophos* inde produci credunt, quòd vel succi nutritii, vel aliorum succorum particulæ ob figuram & magnitudinum suam convenientiam cum Ossibus, intercedente sola quiete, iisdem fortiùs adhæreant, vel ob viscositatem & ramositatem à particulis quibusdam acutis lamellatis in ipsis ossibus jam contentis coagulentur & inspissentur, ut ita non modò in lapideam quandam abeant duritiem, sed Ossibus etiam ob particulas cuspidatas eorum poris unà inhærentes firmiùs annectantur.

Nostra sententia de causis Fracturarum Ossium.

§. 10. Ista aliorum, hæc nostra est sententia: *Causæ Fracturarum Ossium* sunt externæ ad infortunium pertinentes, ut sunt ictus, casus, lapsus & occursus, plaga, &c. & quæcunque continuum Ossis solvere possunt, licet observationes Practicorum testentur, internam dispositionem illius vim non rarò augere aut juvare posse, quatenus Ossa seniorum ob rigiditatem atque siccitatem intensiorem franguntur, quam puerorum molliora, & flexibilia. Pariter Arthritici, atque defluxionibus acrioribus ac erodentibus laborantes, Fracturis magis obnoxiis sunt quàm alii: item qui frequentiorem aut diuturniorem Mercurii inunctionem passi sunt quorum exempla *Marcellus Donatus Histor. Mirab. L. 5. c. 1. & Hildan. Cent. 2. Observat. 66. 67. 68.* recenset.

Differentia Fracturarũ Ossium.

Fracturarum differentias quod attinet, Practici petunt illas à tribus, sc. ab earum forma, parte affecta, & symptomatibus. Ratione formæ alia observatur καυληδὸν, quæ per transversum Ossis fit, & Fractura κατ' ἐξοχὴν vocatur: alia *Asseralis* dicitur, quæ secundùm longitudinem illius contingit: alia denique σύντρισμα seu comminutio, quando os in plura fragmenta secedit. Ratione Subjecti alia est cranii, alia est costarum, alia brachii, alia tibiæ, &c. ac tandem ratione symptomatum, alia cum tumore, alia cum Inflammatione, vulnere ac contusione est.

Causa Cariei ex nostra sententia.

Sed è diverticulo in viam, & videbimus *causam Cariei Ossium*, quæ verò nostro judicio sequenti modo contingere solet. In Tumoribus quando obstructa sunt vascula quædam, liquor obstruens acidus & acrior factus periostium corrodit, unde sæpe gravissimus dolor, corrodendo enim ipsas fibras tendinosas Ossium frangit, & sic ipsum Os invadit, idemque totum sæpè usque ad intima consumit, hinc Caries Ossium Lue Venerea laborantibus solennis est, quæ acidis ac corrosivis scatent succis. Dum hæc scribimus, in Nobili quodam diu Lue Venerea laborante observavimus à Carie non tantùm omnia faciei, sed & nasi Ossa cum maxilla superiore ac inferiore ita exesa fuisse, ut eximi potuerint, imo ipsius facies cum naso tota collapsa fuit, certè horrendo aspectu, & sic miserè vitam finivit. Facilè quoque Ossa corroduntur ac corrumpuntur, si vulnus exsangue diu exponatur aeri, ita etiam ulcus putridum & usque ad os profundum, ob acidum acre mordens & spicula corrosiva, fibrillas tendinosas discindere, & sic Cariem Ossis inducere potest. Sunt utplurimùm succi circa Ossa stagnantes & acriores facti, qui hasce fibras osseas seu tendinosas corrodunt, ac Cariem inferunt. Quòd succi fibras tendinosas perfluentes Cariem inducere possint, ex eo patet, quia Ossa faciliùs in corpore vivente corrumpuntur, quàm in defunctorum Ossibus. Ossa enim constant ex sale volatili, dein spiritu & postmodum oleo, & ultimò sale fixo & acido volatili, quæ particulæ volatiles non tantùm in tubulis reperiuntur, sed ipsa Ossa tales continent, quò Ossa enim duriora, eò plus dant salis volatilis, imò hæc Ossa recipiunt æquè tot succos ac aliæ partes: & quod Ossa faciliùs in viventibus, quàm defunctis corrumpantur, causa est, quod aer ambiens acidus succos coagulet & ipsos planè immutet; si enim particulæ extraneæ cum reliquis in succis contentis commisceantur, inæqualis oritur mixtio ac operatio, & hinc resolvuntur succi facilè Cariem inducentes. In Ossibus viventium succi continuò affluunt, & sic recreantur hoc Nectare Ossa: quod verò in defunctorum Ossibus fieri nequit, in quibus potiùs particulæ penitus incrassatæ ac arctius combinatæ ac coagulatæ existunt: cùm enim quis moritur, motus succorum, ut in aliis partibus, sic etiam in Ossibus cessat, unde penitùs incrassati ac inspissati ab aere ampliùs commoveri nequeunt. Fractura atque Fissura Ossium aliquando corruptioni Ossium seu Cariei ansam atque occasionem præbent, Ossa enim non ex tam solidis partibus constant, ut flecti possint, ea enim ex salsis rigidis ac mollibus partibus conflata sunt, non possunt ergò sic existentia, instar ceræ ac metallorum quorundam flecti, quamvis Ossa humana per machinam quandam noverit emollire, instar gelatinæ ut comedi possint, *Celeberrimus Dn. Papin, Professor Marburgensis, & Illustris Boyle*, qui in eum finem peculiares fornaces extrui curarunt, qui videri possunt in prædictorum Virorum Laboratoriis: hoc verò nostro judicio non aliter contigit, quàm ex rarefactione aeris inclusi exitum non habentis. In Osse ergò ipso interdum causa Cariei Ossium generari solet, & quidem à magnis ac diuturnis morbis, in quibus furens ac corrosivum acidum existit, uti observamus in Lue Venerea, in qua sanguis ac succi corporis sensim ac sensim viscidiores ac tenaciores redduntur, ita ut omnes ipsius particulæ in Ossibus separatæ in materiam gypseam ac Gummi similem abeant, materia hæc ibidem coacervata per annum & ultrà absque ullo manifestationis indicio stagnat, sed cùm simul acidæ particulæ has tenaces resolverint, fibrillas tendinosa tum corro-

dunt, perfriguntque, sicque Cariem inferunt, Si enim acidum cum corrosivo sale maritatum, in canaliculos se insinuet, & cum intùs contentis succis commisceatur, necessariò commotio & alteratio succorum oboriri debet, cùm ipsorum particulæ ex multo sale volatili, oleosis & spirituosis constantes, contrarientur reliquis peregrinis particulis, ut materia cœlestis non ut antea perfluere possit, unde canaliculi virumpuntur, & sic ordo & textura frangitur, & confusio fit succorum, unde corruptio oriri debet, hinc oritur Caries sive Gangræna Ossis, ut enim caro à Gangræna, sic Os à Carie devoratur, corroditur, corrumpiturque.

Causa ex nostra sententia Tophorum.

Quemadmodum ex cartilagine aut tendine Os fit, ita ex Osse tandem compactis arctiùs particulis, oleosaque humiditate emuncta, *Tophum* enasci existimamus, ibi flexibilibus magis hamosisque particulis, hic paulò rigidioribus, & per cuncta cohærescentibus. In his enim Tophis dum in porulis & vasis capillaribus, quæ comitantur periostium, succi quidam chylosi aliique crudi stagnant, unde partes hæ, circa quas hærent, sensim intumescunt, & instar spongiarum inflantur, qui viscidi tumore successivè indurati in specie ex acore vitioso eos utplurimum impraegnante & coagulante, imò ex acido Luis Venereæ partes nerveas, in specie Ossa infestante, tales tumores duros & tactui renitentes constituunt, qui in sanguineis partibus Scirrhi, in spermaticis & osseis Nodi & Tophi, in glandulis Strumæ seu Scrophulæ appellantur: si enim viscidus liquor acido junctus in partibus his firmiùs impingat, eorum chylum corrumpit coagulatque, hinc necessariò ejusmodi succi accedente acido forti, indurari debent, qui indurati & Tartaro maritati constituunt ejusmodi Tophos, qui tandem partes vicinas erodendo in ulcera abeunt. Podagricis Tophi isti solennes sunt, quia abundant acido & viscido Tartaro, & imprimis eorum succus nerveus eodem charactere imbutus ad juncturas ac membranosa ligamenta & periostium perveniens, ob tenacitatem ac visciditatem stagnare cogitur, & si simul topica astringentia frigida ac repellentia loco affecto applicentur, magis compacta redditur, quibus tandem in Tophos coagulatur.

Prognosis Ossium Fractura.

§. 11. Quoad *Fracturarum Ossium Prognosin*, nulla equidem Fracturarum à Chirurgis per se lethalis habetur, sed per accidens duntaxat talis interdum evadit, ex. gr. ratione contusionis ingentis, hincque emergentis Inflammationis ac Sphaceli, earum tamen alia faciliùs ac citiùs, alia difficiliùs ac tardiùs curatur. Nam (1.) faciliùs sanatur recens, cùm si ultra septimum diem Ossis repositio protrahitur, extremitates hujus facili marte callum contrahant, hinc ad coalitionem ineptæ reddantur, aut os corrumpatur: (2.) faciliùs curatur, quæ in Osse minore, v. gr. digiti, quàm in majore, videlicet femoris: (3.) quæ à causa externa sola, quàm quæ internam dispositionem conjunctam habet: (4.) quæ sine aliis morbis ac symptomatibus: (5.) quæ in Subjecto juvenili ac puerili: (6.) quæ in corpore puro & sano, quàm in cachectico: (7.) quæ membrum tale occupat, in quo restauratio ac deligatio commodè fieri valeat, ita ut v. g. Fractura humeri, brachii, tibiæ, &c. feliciùs sanentur, quàm femoris, vertebrarum dorsi, &c. Longitudinalis faciliori marte sanatur, quàm transversa seu comminutione facta: illa etiam faciliùs curatur, quæ à junctura & articulo remotior existit, ac quæ in membro, quod duplici Osse gaudet, horum autem unum saltem fractum.

Cariei Ossium.

Caries Ossium difficillimè curatur, imò si ulcera ipsam produxerint, tunc res est periculi plena, nam acres succi incarnationem impediunt, sicut autem cuncta cum Ossis Carie ulcera non adeò facilè consolidantur, hinc inter maligna numerantur; ita majores difficultates pariunt illa, ubi juncturæ atque capita Ossium, quàm ubi media eorum pars corruptione hac laborant, utpote quibus remedia Cariosum separantia non commodè applicare licet. Quæ Luem Veneream comitatur, difficillimè quoque curatur, sed ægros usque ad mortem insequitur, ceu plura novimus exempla. Plures Cariem absque igne nunquam curari posse asserunt.

Tophorum.

Tophorum Prognosin quod concernit, illi facilè in ulcera ac *Cariem* Ossium transeunt, hinc difficillimi sunt curatu; Arthriticos ac Venerea Lue laborantes usque ad mortem Tophi comitari solent, & vix curabiles existunt, hinc eos tangere non licet.

Spinas Ventosas hodie adeò raras amplius, ac olim, apud nos esse, cùm ne triennii spatio in Nosocomio Gallorum duo & aliàs decem exempla earum notaverim, potissimùm in articulationibus carpi, genuum, malleolorum & digitorum pedis, cum totali corporis universi emaciatione & funesto utplurimum exitu ni per sectionem articulus talis amputetur, aut cuncta fragmenta cariosa, quod tamen rarissimè fit, sponte secedant atque separentur. Triste exemplum in Nosocomio Gallorum non ita pridem vidi, ubi puer 10. annorum spina ventosa ita vehementer laboravit, ut nullum articulum nec vertebras dorsi ab ea immunes observaverim, & sic miserè cum deterrimo fœtore vitam commutavit.

Diæta.

§. 12. Perspecta jam *Prognosi*, restat ut *Diætam* his in affectibus Ossium attingamus, qua neglecta aliquando in iis curandis frustra laboramus, ceu id experientia quotidiana abundè testatur. Eligatur ergo aer temperatus, imprimis vitetur aer nitrosus, ac frigidus, qui quocunque modo à Fractura, Carie & Tophis arcendus est, hic enim solus ita Ossium poros destruere potest, ut Gangrænæ æquè carnosarum partium ac ossearum laxentur fores. Victus sit tenuis, dulcis ac boni lacteique succi, ut chylus ac sanguis laudabilis generetur, alimenta condiantur macere, N. M. croco, cinamomo, additis herbis aromaticis: vitentur acida, salina, & indurata, nimis muriata, fixa, viscida, ac glutinosa. Potus sit vel calidus Theæ vel Capheæ, vel salviæ, veronicæ, &c. vel cerevisia defæcata ac dulcis, inter quæ Anglica, Bregensis, & quæ tardiùs acescit, præ aliis palmam meretur Brunsvvicensis duplex, nam cùm nautæ lineam sive æquatorem nuperrimè transirent, omnia potulenta, quibus naves instructæ erant, acorem contraxerunt, sola Brunsvvicensi excepta, quæ & saporem & odorem servavit. Vinum generosum, Gallicum ac Hispanicum moderatè sumptum concedi potest, vel si lubet aliud vinum infusione ocul. cancr. vel sale volatili alteratum assumatur.

Motus sit moderatus, quies enim in Fractura Ossium summum existit remedium, qua sola ipsæ curantur Fracturæ. In somno & vigiliis aurea servetur mediocritas, alvus & vesica officii sui sint memores, ne excrementa in corpore cumulentur. Animi pathemata, ut terror, mœror, excandescentia ac tristitia, tanquam Patroni Acidorum & Coagulatores Succorum, procul abesse jubeantur, contrà animus servetur pacatus spe convalescentiæ erigendus.

Cura Pharmaceutico-Chirurgica secundùm Galenicos in Ossium Fractura.

§. 13. His prælibatis ad ipsam *curam Pharmaceuticam & Chirurgicam* transeamus, unde ægri plus levaminis percipiunt. *Galenici* in *Fractura Ossium* eò respiciunt, si Ossa sint tenella, ut extensio ab uno, utraque manu facta sufficiat: si verò fuerint dura, non tantùm à duobus viris, sed etiam fasciis, circa articulos trahi, & ut reparentur, extendi docent, quam tamen extensionem primis statim diebus fieri debere suadent, nam tertio, aut quarto, dum adest inflammatio, fieri eam minimè licet, sed novum exspectant: primoque inflammationem removere student revulsione instituta per venæsectionem, aut cucurbitulas. Signa Ossis repositi Ipsis sunt: quando dolor est sublatus, & contra percipitur ab ipso Patiente quædam quasi voluptas, quando membrum est alteri æquale, & nulla adest asperitas aut fovea, &c. Tali in statu membra continent & benè deligant, ut callus regenerari possit: Superponunt autem emplastrum aliquomodo refrigerans, & adstringens, quale est ad Fracturas rubeum, quod tamdiu relinquendum esse dicunt donec pruritum & dolorem excitet: quod si advertant, tertio die fieri dicunt solutionem: si minus, relinqui posse concedunt ad quintum, sextum

aut septimum diem, sed aut tribus Galeni fasciis cum stramineis spleniis, aut ferulis ligneis, aliquantulum cavis vinculis & lana benè munitis. Quoties autem solvitur membrum, toties calida aqua fovent usque ad rubiginem, dein iterum superposito emplastro ad Fracturas, vel Diachalciteos cum bolo & sanguine draconis mixto instituunt ligaturam satis strictam, citra ullum tamen dolorem, nam per nimiam adstrictionem fieri dolorem & partis atrophiam observarunt.

Dum callus incipit fieri, eum augent iis quę faciunt ad callum generandum, inter quæ recensent oryzam, hordeacea, gelatinas. Membrum sit quietum & satis elatum, ne copiosiùs humores illuc decumbant. Callum plerumque 40. die confectum esse scribunt, nisi obstiterit Inflammatio, dolor, fortis ligatura, squama aliqua ab Osse secreta, quam priùs incisa cute extrahendam esse ajunt.

De crurum Fracturis rectis, seu fissuris, quas Germani vocant *Klag-Brüche*, videatur *Felicis Vvurzii Tract. Chirurg.* Coxend. & Humeri Fracturæ docta Chirurgi manu adaptari & reponi debent.

In Ossium Carie. Cariei Ossium curationem quod attinet, partem Ossis corrupti tollunt, integrum verò conservant. Tollunt verò Os dupliciter, vel manu, vel medicamento, quo irritari ajunt Naturam ad putridi Ossis separationem, quamdiu enim illud, quod est corruptum, demptum non fuerit, tamdiu impossibile esse dicunt ulcus sanari & solidam carnem supercrescere. Auferunt autem Os vel scalpro excisorio, cum maleolo ut solent statuarii, vel perforant Os terebro fabrili in tribus aut quatuor partibus scalpro percurrendo cum malleolo à foramine ad foramen: agunt etiam aliquando scalpris rasoriis. Imprimis totum illud corruptum ablatum esse signum esse dicunt, quando cruor succedit: & tum ab opere cessandum esse monent, inspergunt potiùs aristolochiæ rot. radic. cum myrrha pulverisata. Sæpè etiam Os cariosum adurunt, ut quod corruptum est, omni alimento & humiditate privetur: ablata enim sustentatione, naturam ajunt faciliùs separare separanda: idem facere scribunt medicamenta siccissima & frigidissima; quale est quod fit ex foliis & semine hyoscyami, cum vitriolo usto contusis, item radix ireos, peucedani, aristolochiæ rotundæ, squama æris, ærugo, aqua aluminis magistralis, quâ sæpiùs Os madefacit, curare ajunt Cariem absque dolore: Euphorbium juxta eos tenet inter cætera principatum: sed ita adhibent, ne alias partes vicinas corrumpat, miscent cum pasta ex radice ireos, & ita soli Ossi corrupto applicant; ferro quoque candente Os adurunt, & repetunt ustionem usque dum perficiatur opus. Facta ustione Os ab inflammatione vendicant aqua rosarum cum oleo rosar. vel violar. & albumine ovi, stuppa exceptis & applicatis: deinde mitigato dolore procedunt ad Ossis separationem, deniq; sarcoticis ulcus curant.

In Tophis. In *Tophis* curandis *Veteres* applicant emplastrum Diachylon cum gummis, cui addunt galbanum & sagapenum cum ammoniaco, vel inungunt oleo amygd. dulc. cum oleo Scorpionum mixto, quando tophaceam materiam eximere jubent: consumpta materia, carne locus per sarcotica impleatur.

Paracelsi opinio de curatione Ossium Fractura. §. 14. *Paracelsus* statuit *Ossi fracto* nihil accidere periculi posse, ac curari sanarique necessariò debere à Mumia corporis in carne, ligamentis, medullis, &c. existente, cujus in medio situm Os & circumseptum est, à quibus omnibus persanatur. Quandoquidem apertum nil, per quod externis accidentibus pateret accessus. Quapropter aptè ligare, naturæque sua requies data, juxta Ipsum certissimum in istis medicamentum sunt, & indubia, cura.

Si tamen ad rupturas accedant Vulnera, per quæ fragmenta quæpiam apparerent Ossium à fistulis soluta vel disjuncta, per vulneralia medicamenta jam dicta extrahentia suadet ut extrahantur, & nullo modo per ferramenta vel alia quævis instrumenta fodiendo conatur extrahere: nam secundum ipsum vera Mumia potest quicquid est naturæ contrarium elicere, tum quæ semifissuræ sunt, natura per se curat. Membrum siquidem, ubi rectè probeque rursus conjunctum suis aptis ad hoc instrumentis fuerit, ac intemperatura & situ conveniente conservatum, per Mumiam propriam citiùs multo curari, quam herbis omnibus fieri queat, ipsius monumenta docent.

Principio ergo *Fracturas Ossium* ut curet, animadvertit, concavis ut instrumentis membra concludens erigat, utque ab anteriore posterioreque partibus, & quaquaversum liberè possit accedere tangereque. Postmodum vulneralibus ligat medicamentis, & si promptus in eorum usu fuerit hoc notat, quemlibet viscum nigræ consolidæ, serpentinæ & aristolochiæ rotundæ rupturas optimè curare, manè vesperique superligatum, non usque adeò strictè, singulis vicibus iterum apertis ligaculis recentem & calidum appositum: alia enim medicamenta, quæ per sparad rapp. rotularia ligacula, vel aliis pannis fiunt, tanquam merè futilia rejicit, & membri magis ad perditionem, quàm sublevationem facientia. Ligationes tertio quovis die tantùm factas, item suffultiones, compressiones nimias, & similes vanas operationes contemnit: quia inde accidentium producuntur centenaria. Verùm etsi vulnera forent, è quibus Ossa prominerent, erigit, ac ad modum Vulneris curat.

Ossium Cariei. *Cariosa Ossa* si *Paracelso* curanda occurunt, nec lima vel alio instrumento atterit vel frangit, juxta Carnificum tonsorum vulgatum modum, sed tantum ea mundat, & si usta vel inflammata fuerint, exstinguit: deinceps facilè carnem Ossi superinducit. Remedium ipsius quo Ossa erosa, inflammata &c. restituere solet, est sequens:

℞. *Olei de Camphora per albumen ovi præparati,*
Olei Caryophyllorum aa. unc. ß.
Mixtis invicem juxta reliqua remedia utitur felicissimè.

Tophorum. *Tophorum curationem* in eo consistere ait *Paracelsus*, ne ea quæ fixa sunt in transmutationem deducantur, siquidem omnia transmutata in membris, non autem in mineralibus subsistunt, quantum ad fixa attinet. Duo mineralia una esse arguit, aliud dulce, aliud austerum, sic & juxta eum duæ essentiæ se mutuò comitantur, quæ nisi *resolvantur*, omnem curationis spem præcludunt.

Helmontii sententia de cura Ossium Fractura. §. 15. *Helmontius* in *Fractura Ossium* eò respicit, ut Ossa iterum consolidentur, quæ fracto poro osseo quacunque ætate consolidari existimat. Lapidem quoque Ossifragum, spiritu aceti resolutum & internè assumptum dono appropriato ac specifico sanare Fracturas Ossium scribit. Arcanis enim suis in omnibus fidit, in quavis ergo Fractura Ossium radicem symphyti & lapidem osteocollum aliis præfert Chirurgis, cum juxta ipsum Archeus iisdem sedatus & ad officium vocatus, ipsemet sanationem istarum Fracturarum quovis artifice meliùs & accuratiùs peragat.

Cariei. *Cariem Ossium* oleo caryophyllorum, succini aliisque acidum absorbentibus curandam fore promittit.

Tophorum. Ad *Tophos* curandos Author commendat suum oleum Strumarum, item pinguedinem leporis maximè vetustam, & sanguinem hircinum exteriùs applicatum.

Uvillisii modus curandi Ossiũ Fracturam. §. 16. *Vvillisius* noster *Ossa fracta* statim reponit, repositaque firmat, naturæque auxiliatrices manus confert ad eorum conglutinationem perficiendam, genuinam succi alibilis crasin conservando, vel alteratam corrigendo, & si opus fuerit ejus penu augendo: si pars fracta inflammata fuerit, priùs inflammationem curat, & deinde totus est in curanda Fractura: reposito autem osse partem illinit spiritu vini, cui infusi fuerint flores hyperici, vel cum eodem cui admixta fuerit tertia pars spiritus lumbricorum terrestrium per putrefactionem. Si contusa fuerit pars, inungatur illi mel cui admixtus sit spiritus vini, illinatur etiam locus fractus ol. Hyper. & Lumbric. terr. pauco oleo destill. terebinth. & pauco ol. ror. marin.

acuatis. Applicetur deinceps parti affectæ emplastrum ex resina alba, terebinthina & cera, quibus addatur pulvis radicis barbæ hirci. Interim medicamenta interna præscribit tum ad callum promovendum, tum ad symptomata præcavenda, & inter alia eminere asserit rorem marinum, folia agrimoniæ, consolidam majorem, Geranium Robert. Sabinam, & lapidem Ossifragum.

Cariem. Si *Caries Ossium* juxta ipsum altiùs non penetraverit, essentia caryophyllorum, aut ol. Guajaci illam tollere conatur. Si verò profundiùs serpserit, ferro candente illam corrigit, illudque sæpiùs applicat, ipsiusque ministerio eo usque utitur donec nulla sanies, nullusque alius corruptus humor exeat. Ablata enim Carie, parti affectæ imponit pulverem ex radicibus aristolochiæ, Iride, myrrha, &c. compositam, remediisque vulnerariis calli generationem adjuvat.

Tophos. Vvillisius ad *Tophos Nodosque* curandos nullo peculiari utitur medicamento, in iisque tollendis alios Authores sequitur imitaturque.

Sylviana cura in Ossium Fractura. §. 17. *Sylvius* in *Fractura Ossium* à reliquorum methodo observanda, ne unguem latum secedere videtur, sed cum iis consentit.

In Carie. In *Cariei Ossium* curatione eò respicit, omnesque vires intendit, ut tota pars Carie affecta, utpote mortua, separetur à sana & viva, cum qua nec coalescere, nec diu subsistere potest pars Cariosa, quin eandem itidem inficiat, & ad corruptionem similem paulatim deducat. Difficilem autem esse notat ipse, aut igne ferroq; ignito, aut medicamentis convenientibus partem Carie infectam separare ab integra, postquam per cuniculos in sanam se insinuat Venenum, imprimis Venereum non quiescens, sed eundo vires acquirens. Sicut manifestum est in omni Carie Venerea, cujus causa non sistitur aut infringitur ab Osse ipso quod corrumpitur, sed indies augetur & acrior fit, unde tandem ubi ad summum pervenit, Caries Venerea fit incurabilis. Difficultatem autem summam in Carie curanda etiam inde pendere arguit, quòd remedia ipsi curandæ convenientissima sæpe numerò satis convenienter applicari, usurparique non possint. Partes namq; Ossibus vicinæ, Membranæ, Tendines, nervi, & similes ab actuali cauterio simul læduntur & intolerabiles dolores patiuntur. Augeri autem idem malum existimat, quando sæpiùs applicantur actualia illa cauteria, quæ una vice parùm præstare solent, at sæpiùs iteranda sunt, si laudabilem effectum producere debeant. Cætera remedia quæ Cariei consumendæ aut tollendæ adhibentur, pro invalidis habet, quia non satis penetrare possunt ad quævis loca, in quæ se insinuavit venenum Venereum in Aciditate acri consistens ac penetrantissimum. Acidi acrimoniam debellant vel salia lixivia tàm fixa, quàm volatilia, vel spiritus volatiles, vel olea, vel aqua. Salia verò lixiva fixa, quæ acidis sunt inimica, pura & sola si fuerint, in superficie hærebunt, nec aliquid laudabilis magnivè præstabunt; sin aqua diluantur, simul partem aliquam virium suarum amittent; si cum spiritu volatili conjuncta fuerint, penetrabunt quidem quaquaversum faciliùs, operabuntur autem simul debiliùs. Si cum oleo in saponem mutata fuerint, debiliora sunt facta, nec facilè ad interiora penetrant, quibus si aqua admisceatur ut diluantur & ulteriùs penetrare possint, reddentur simul magis inertia. Adeò ut inter omnia venenum acido acre Cariem producens corrigentia & emendantia remedia, post Cauterium Actuale, nullum præstantius noverit; secundum verò locum assignat salibus volatilibus, utut satis debilibus ad tantum & tam grave malum curandum. Veram etenim rationem curandi reputat, ut Os infectum, quoties tutò licet, totum tollatur, postquam vix unquam sisti potest in ipso Caries, aut pars Ossis corrupta separari à sana. Laudat maximè in quacunque Ossium Carie salis volatilis usum, quem laudabiliorem fore dicit, si quis salia volatilia plurium generum adornet, atque optima quævis per accuratam & attentam Experientiam seligat. Usurpanda esse quoque monet in Ossium Carie curanda Tutiam, Lithargyrium, Gerussam, imò Guajacum in pulverem trita & inspersa: quæ omnia juvant quatenus acidum in se concentrant, & ab Ossibus allectum avertunt, ne ulteriùs serpere, ac ipsa corrumpere pergat. Hæc igitur esse blandissima curandæ Cariei remedia asserit, proxima verò esse sive media salia tùm volatilia, tùm fixa, tanquam Cauteria potentialia, potissimum verò esse Cauterium Actuale audacter statuit, quorum ope nisi curari possit Caries, habet ipsam pro incurabili.

In Tophis. *Excrescentes* in variis partibus sub membrana Ossa investiente, Periostio, *Tuberositates* insignes curare solet per emplastra & unguenta Mercurialia, imprimis universalem curam ope salivationis institutam. Sin Ossa infecerint, & materia pituitosa viscidior illas constituat, vix curatas fore ait, nisi aperto Tumore, atque sublato sensim humore viscido, tum per gummata aromatica, tum caustica potentialia & actualia, perseverando tamdiu in eorundem usu, donec os mundatum & liberatum ab omni phlegmate observetur, atque tunc pergendo ad consolidationem per remedia Chirurgica vulgò nota.

Cartesianorum opinio de curatione Ossium Fracturæ. §. 18. *Cartesiani* Ossium Fracturas curari promittunt, sola Chirurgi manu, Ossa fracta in pristinum restituendo situm & figuram. Dein Emplastrum quoddam ad rupturas imponendo, aut cataplasma ex radice symphyti, quando sc. Fractura existit simplex absque ullo vulnere, contusione, & inflammatione, cum pessimis verò hisce conjuncta majorem reposcere apparatum fatentur, & non modò remedia interna sudorifera, & post hęc volatilia ex Tinctura hyperici, spiritu lumbricorum, Tinct. bezoard spir. C. C. volat. propinanda esse, sed per incisionem frustula Ossium separata eximenda, & partium carnearum & membranearum aut præcavendam esse corruptionem per spiritum vini camphoratum, crocatum & aquam calcis vivæ, aut si hæc præcaveri nequeat, per suppurationem eadem à parte sana & integra esse separanda; tum portiones Ossium fractæ uniri jubent, eam quæ extra protuberat, manu in situm debitum, ceu dictum, reponendo, à Chirurgo debitè locando, & impositis fasciis aut emplastro glutinatorio imposito penitùs curando.

Cariei. *Ossium Cariei* Curam quod concernit, quando illa non valde accrevit, ne illa ampliùs incrementum capiat, omni studio prospicere mandant, adhibitis absorbentibus & particulas acutas erodentes frangentibus, pulveribus, scilicet cancrorum, ex cineribus lumbricorum, & camphora compositis. In Carie verò profundiori ipsi euphorbium commendant Cariei inspersum, vel ferro candente ipsa Ossa Carie infecta exuri jubent.

Tophorum. *Tophorum* remotionem tentant variis medicamentis exsiccantibus, ut aloe, mastiche, sandaracha, alumine usto, sale Saturni, vel etiam aliquando ad fortiora accedunt, & commendant acida corrosiva, spiritum salis, sulphuris, nitri: vel ungu. Ægyptiac. vel cum melle spiritus matricalis misceatur & imponatur, cineres quoque fraxini, vel rorismarini magnipendunt impositos.

Nostra ratio curandi Ossium Fracturam. §. 19. *Nostram* nunc *Fracturam Ossium* curandi methodum referemus. Cura Fracturarum jure meritoque à Græcis συνθετισμὸς nuncupatur, scilicet *extensio, coaptatio, deligatio* ac *repositio*: ad quas operationes antequam se accingat Chirurgus expertus ac rationalis, pręparet instrumenta, tàm quæ si fortassis manus non sufficerent, ad extensionem, quàm quę ad deligationem ac repositionem necessaria: dein æger ante omnia super lectum, in quo permanere debet, situ conveniente collocetur, nec in alio loco facilè deligetur. Præsto habeat ministros dexteritate & robore pollentes. Postmodum attendat, an forte an duplex subsit Fractura, ne una neglecta membri figura & actio depravata maneat. Hoc asterisco notandum est, quòd in Fractura cum dislocatione, priùs Os suo loco reponendum quo excidit, tunc *Fractura* obliganda est. Extensio autem non semper necessaria, imò sæpè impertinens est, si sc. Ossium extremitates extra situm suum haud commotæ fuerint, tum verò saltem ea opus est, si hæc invicem

à se

à se recesserint. Circa extensionis operationem notandum, quòd manibus Chirurgi perfici soleat, utpote secundùm ejus circumstantias extensio fit hodie ferè semper à Chirurgi manu, à Veteribus facta fuit habenis vel machinis in hanc finem à Veteribus variis depictis: ex. gr. in Tibia fracta, alter ministrorum tibiam fractam supra Fracturam & circa genu comprehendat, ita ut utrumque pollicem ipsi Tibiæ imponat, alter verò, si dextrum crus affectum fuerit, ejus alteri extremitati prope malleolos manum sinistram supponat, dextram verò tibiæ applicet, contraria ratione procedendo, si pes sinister, laborat, adeoque in ipsa extensione pars ita tractetur, ut lineam rectam atque tractum musculorum observet. Operationem hanc sæpè ab unico vidimus Chirurgo institutam, qui duabus manibus restitutionem Ossis optimè molitus est. Extendatur etiam membrum sufficienter aliquantùm longiùs, ne Ossa quæ in reducendo se invicem tangunt, eorum prominentia frangantur ac repositionem impediant. Repositio fit, si Chirurgus manibus oleo quodam inunctis, an sufficiens sit extensio exploret, quod dignoscit, si inter extrema aliqualis fovea, aut Fracturæ loco nulla ampliùs inæqualitas appareat. Mox membrum hinc inde leniter impellat, semper partem ossis eminentiorem in contrarium agendo, quo prominentiæ Ossium sponte potiùs sua, extensione leviter interdum relaxata se mutuo excipiant, Chirurgus has saltem dirigat, usque dum omnes prominentiæ ad sinus suos repositæ fuerint, quo facto extensio sensim remittatur. Chirurgus pronunciat autem legitimam repositionem 1. ex figura, comparatione facta nimirum cum artu sano, & v.gr. si pollex pedis cum genu in recta stet linea: 2. Ex superficie ac æqualitate restituta, ac ex doloris majoris cessatione.

Dein ad deligationem se accingat Chirurgus, cujus usus est tam Ossa reposita, quàm medicamenta apposita retinere. Medicamenta sint in principio talia, quæ inflammationem arcent: huic Batavi imponunt suum Emplastrum de cumino, idque semper anteà illinunt spiritu vini Camphorato; proderunt ergò spiritus Matricalis Camphoratus, spir. vin. Camph. spir. flor. sambuc. &c. hinc convenit præ aliis Empl. ad rupturam nostrum mille experimentis comprobatum, quod dum imponatur, membrum priùs spirit. vini camph. illinend. vel cum linteis duplicat. imponend. imprimis si contusio adfuerit.

℞. *Ceræ citrin.*
Empl. Diapalm. aa. ℥viij.
Ungu. Martial. ℥iv.
Pulv. rad. althææ,
Farin. fabar. aa. ℥iß.
Sem. cumin. ℥iij.
Barb. capr.
Consol. maj.
Fœnigræc.
Lap. osteocoll. aa. ℥ß.
Camphor. ʒiij.
Terr. Japon. ℥j.
Spir. vin. q. s.
M. f. l. a. Emplastr. ad rupturam.

Sunt etiam qui Empl. de cicuta imponunt, aliaque ad rupturam laudant; alii oxycroc. cum Diachalcit. mixt. commendant, quæ tamdiu continuant, donec callum productum esse conjecturantur, quod apparet ex doloris omnimoda cessatione: (2.) si circa locum fractum color cutis nativus efflorescat, & si cum vulnere saniei copia imminuatur.

Sequens mihi placet methodus restituendi & curandi Fracturam Tibiæ vel brachii: primò Os reponatur manu Chirurgi in suum locum, quod cum strepitu fiat; dein Tibia imponatur capsulæ ex charta (*Pappen*) confectæ, & ligamentis largis ex linteo confectis, & fasciæ ita adaptentur, ut constringi ac relaxari, imò aperiri possint, relicta Tibia fracta in sua sede, ut sic quotidie Tibia à Chirurgo conspici queat, num Inflammatio vel Gangræna immineat, an forsan à commotione ægri intempestiva membrum è situ suo fuerit elapsum; cui dein congrua applicari possunt remedia: à pinguibus oleo popul. ung. cerass &c. abstinendum esse monemus. Quod ipsum deligandi modum attinet, ne sit constrictior nimis, aliàs Inflammatio aderit, splenia membri conditioni adaptata, & deligationis faciendæ longitudinem emetientia, postquam hæc in initio, uno vel altero superiùs recensitorum liquorum tepido fuerint imbuta. Hinc ad manus sint fasciæ 3. pariter liquoribus supra dictis imprægnandæ, quarum una eaque brevissima circa ipsam Fracturam pervolvatur, postmodum ad membri partem sanam 5. vel 6. circuitibus ascia libus adscendat; quo facto alteram quoque unius capitis & priore duplo longiorem eidem Fracturæ, vel in contrariam plagam pariter bis vel ter circumliget Chirurgus, eademque quater vel quinquies descendat, mox iterum per totam ligaturam & sursum ad finem usque prioris redeundo, quod tamen magis demonstrari quàm præscribi potest. His aliquando loco spleniorum imponatur linteum quadruplicatum, cui, si pars deliganda inæqualis fuerit, minora quoque splenia apponantur. Ligatio quoque nec nimis laxa sit, aliàs non retinet, nec arctior justo, præsertim ubi callus protuberat, ac corpus tenerius fuerit, aliàs dolorem atque inflammationem, imò atrophiam accerses, cum motus imbecillitate. Oportet ergò si metus adest Gangrænæ, ægrum sæpiùs invisere, pro deligationis conditione inquirenda.

Circa Fasciarum religationem notetur, quamvis pluribus Chirurgis religio sit, illas ante diem sextum vel septimum solvere, tertio tamen, vel secundo quoque rectissimè, & jubente divino *Hipp. de Fract. Text.* 5. solvantur, vel quia tunc laxari incipiunt, vel ob transpirationem impeditam sæpiùs inflammatio, pruritus, imò Gangræna metuenda veniunt, qualia exempla præter quotidianam Praxin apud *Hildan. Centur.* 2. *Obs.* 92. apparent. Nec etiam credas, quòd vel fasciæ vel emplastra ad rupturam tantis polleant viribus ad Fracturam consolidandum, ut Tibi imagineris, quod sola efficit quies, hinc semper ad symptomata respiciendum est. Fasciis superimponunt ferulas tot quot ambiendo toti membro sufficiunt, & aliquando eas emplastro nonnullo glutinoso incrustant, quo sponte quasi adhærescunt, usque dum omnes admotæ tribus vel quatuor subligaculis sufficienter constringunt. Post septimum diem callum generantia non saltem exteriùs plures applicant, sed & interiùs consolidantia propinant. Inspergunt quoque externè Aloen, Myrrham, Labdanum, Tragacanth. &c.

Emplastr. de Labdano impositum egregiè juvat, item ultimò ad corroborandum, & omnes obstructiones tollendas conducunt variæ lotiones & fomentationes. Imò sunt qui, si Callus tardiùs succedat, admovent dropaces. *Hildanus* & alii osteocollum tanquam specificum hoc in casu extollunt, alii succum primulæ veris, rad. & fol. agrimoniæ magnifaciunt. Si vesicæ cum nigredine partis oboriantur, istæ sunt aperiendæ, & cataplasmata ex scordio, ruta, absynthio, farin. lupin. add. spir. vin. camph. aq. calc. viv. &c. internè nec sudorifera negligenda, quæ egregiam navant operam. Chirurgi in Belgio sequenti modo curant Fracturam Ossium, ex. gr. brachii, tibiæ, &c. post Ossa restituta imponunt Empl. de cumino, dein plura lintea spiritu vini camphorato imbuta, dein circumvolvunt vigesies, ultimò colligant omnia cum fasciis ex charta (*Pappen*) confectis, sicque relinquunt ad octo dies, antequam iterum aperiunt. Lugduni Batavorum vir quidam ante plures annos Ossium Carie laboravit, decidit in terram & Os tibiæ fregit in totum, Ossa enim non aliter ac vitrum dissiliebant sine ullis extremitatibus & inæqualibus: Ossa istius viri restitui nequibant, quia combinari non poterant, sed obliquè locabantur à se invicem, & ex carne prodibant, ad hanc Fracturam curandam Chirurgi Batavi usi sunt tali fascia, qua uti solet *Celeberr. Muys*, in eo intenti erant, ut Gangrænam arceant, in quem finem decoctum herbarum cum spiritu vini Camph. & Theriaca adhibuerunt, cum plumaceolis & linteis duplicatis impositis, Ossa limabant, & sic feliciter restituebant virum.

Pergimus ad *Cariei Ossium* curationem, quæ diversa pro

Ossium Cariem.

pro causæ scilicet diversitate institui debet, à tumore & imprimis in eo contenta materia acida, acri ac corrosiva Os corrumpitur; sic quoque ab exulceratione produci potest, à cujus acri materia facili marte Os corroditur, quam exulcerationem comitatur utplurimùm excrescentia carnis seu hypersarcosis. A diu denudato Osse relicto & aeri imprudenter exposito Os corrumpi solet. Juxta harum causarum varietatem cura aliquomodo variari debet, sed vix per medicamenta Ossa à Carie hac liberari possunt, si ad ea pervenire non licuerit: ante omnia ergò eò incumbendum est, ut per incisionem ad partem affectam deveniamus, ad Ossa Carie infecta denudanda, sed hac cautione, ne majora vasa æquè sanguifera ac membranacea tendinosa discindamus, quod cuilibet in Anatomicis parùm versato facilè innotescet: hinc tantùm cultro incisorio simplici utendum est, ne cunctando pejus reddatur malum, imò ulceratio ipsa cum labiis suis aperienda & abscindenda est, dein vel Os Carie infectum urendum, vel medicamentis, imprimis balsamo divino utendum. Si patiens ferrum ac cultrum abhorreat, imponatur pulvis corrosivus Barbette ulcerationi & hypersarcosi, eschara facta eximatur usque Os denudatum conspicitur, vel plumaceolis imponatur Mercurius sublim. cum aqua plantagin. dein imponatur Cariei balsam. divin. noster.

In casu ergo ubi ab aere Os cranii vel alius partis corruptum fuerit, applicandum est calidè Elix. vitæ, & hoc ter vel quater repetendum erit, & quidem plumaceola eo imbuta imponantur. Ossium quoque corruptionem, præcipuè superficiem in vulneribus, ulceribus, maximè tuetur pulv. ireos florent. Si verò corruptio fuerit in palato ossis, eluantur partes cariosæ seq. vel simili mixtura:

♃. *Elix. vitæ* ℥iß.
Extract. absynth. ʒiiß.
Camph. ʒij.
Muriæ limonum ℥ij.
M. quæ mixtura spongia imbuta applicetur.

Omnem quoque Cariem Ossis non tantùm præservat, sed & curat oleum ligni Guajaci, vel per se, vel cum oleo cochleariæ maritatum, addito parum spir. sal. Armoniaci seq modo.

♃. *Elix. vitæ* ℥iß.
Spir. Sal. Armon. ʒij.
Ol. lign. Guajaci;
Cochlear. aa. ʒß.
Camphor. ʒj.
M.

Vel sequens:

♃. *Rad. aristoloch. utriusque*,
Gentian.
Irid. flor. aa. ℥j.
Calam. arom.
Cinamomi aa. ℥ß.
Caryophyll. ʒiij.
Infund. in aqua Regin. Hungar. per aliquot dies, colat. serva.

Tinctura hac lintea imbuta cariosis ossibus bis vel ter quovis die imponantur. Conducet quoque Tinctura euphorbii, additis granis aliquot Mercurii sublimati. Vel seq.

♃. *Spir. matrical.* ℥iij.
Ol. caryophyllor. ʒj.
Spir. Tartari ʒiij.
Camphor. ʒij.
M.

Celeberrimus Dominus Muralto feliciter curavit Cariem ossis frontis & claviculæ sequenti remedio:

♃. *Ol. myrrh.*
Caryophyll. aa. ℥j.
Guajaci ℥ß.
M. & plumaceola madefacta pars affecta tegatur, exfoliatio intra paucas hebdomadas facta, & æger curatus est, vide *Decur. Ephem. Ann. 3. Obs.* 131. Prelaudatus Vir hunc affectum ad Padarthrocacem sive Spinam ventosam refert, de quo affectu exstat *Josephi Pandolphini* libellus, cum Celeb. *Merclini* Annotationibus.

In *Carie Ossium* eò semper incumbendum, ut ossa corrupta separentur & exulceratio curetur, & quidem sequenti modo:

♃. *Pulv. myrrh.*
Aloes aa. ʒj.
Elix. vitæ ℥iß.
Mell. ros. ℥j.
Camph. ʒß.
M.

Interponenda sunt quoque Medicamenta interna ad acidum acre corrosivum, corrigendum, & cùm utplurimùm in Carie Ossium sanguinis massa à scorbuto infecta, & sanguine viscido ac acido referta est, in quem finem conducet decoctum chinæ aliorumq; lignorum, item sal volat. oleos. cum spir. cochlear. item Antimon. Diaphor. Antihect. Poter. sal volat. viperar. C. C. succini, fuligin. eboris, &c. Omnia enim hæc medicamenta juvant, quatenus constant ex volatilibus salibus, aromaticis oleosis & resinosis particulis, quæ acidum Os corrumpens, temperant, materiam viscidam attenuant, & sic obstructiones reserant, resolvuntque, sic enim succi corroborantur, volatilisantur, & sic reliquos succos restaurant & præservant, imò amica iterum harmonia confluunt, & sic facilè Os corruptum seu cadaverosum de se pellunt. Externa remedia omnia eundem effectum præstant. Sunt qui in *Carie* Ossium propediem ad ignem actualem accedunt, uruntque Ossa cariosa, & sic sæpe curantur: sed cùm ægri abhorreant metuantque ignem, & non persuaderi possint, quòd Ossa non sentiant, hinc potiùs præmittenda sunt remedia suprà dicta generosa, his verò nihil proficientibus, nullum est securius & utilius remedium quàm ustio, modò à Chirurgo experto sectio ritè instituatur, & dein os cauterio actuali aduratur: dein applicandus balſ. divin. vel possunt ferro ignito infundi varii liquores, ut oleum Terebinth. prope ulcus, ut vapor ad Os penetrare possit, quòd sæpè egregium præstat effectum. Si Lues Venerea vel Scorbutus Cariem comitatur, his curatis morbis, *Caries* facilè sanatur.

Tophos.

In curatione *Tophorum* ac *Nodorum*, imprimis à Lue Venerea obortorum Mercurialia tum internè, tum externè haud negligenda sunt, corpus enim ab impuritatibus viscidis liberari debet, in quoque finem ab initio instituatur sequens purgatio & repetatur singulis septimanis.

♃. *Cumm. Guajac.* ʒß.
Resin. Jalapp ℈j.
Mercur. dulc. gr. xv.
Sal. Guajac. gr. v.
M. f. pilulæ pondere gr. j.

Assumantur 13. & plures pro re nata, & interponatur sequens Essentia *Antivenerea* nobis dicta.

♃. *Essent. scabios.*
Lignor. aa. ʒiß.
Spir. matrical. ʒiij.
Tinct. Antimon. tartarif. ʒij.
M. dentur 30. usque ad 60. guttæ in vehiculo appropriato, vel decocto lignorum, vel in vino Hispanico.

Præter interna applicanda sunt varia gummata resolventia, antequam ulcera inferant, convenit empl. de Labdano, cui pro libitu aliquid Mercurii addatur, vel Empl. de Ranis cum quadruplo Mercurii, vel lamina Saturni cum Mercurio vivo illita: Elix. vitæ, spirit. matrical. cum ol. Guajac. & si urgeant dolores momento addito opii, quod dolores sistit simulque resolvens, vel illinantur Tinctura nostra resolvente ex cinamom. caryophyll. macere, cum spiritu vin. alcalisat. parat.

Tophi

Tophi præsertim podagrici tolluntur illinitione olei Sulphuris, spiritus lumbricorum & impositione Empl. de Labdano vel Diasulphuris: vel applicetur seq. vel simile cataplasma:

℞. *Rad. alth.*
Allior.
Ireos rec. aa. ℥j.
Sem. lini ℥iß.
Coq. cum vin. add.
Farin. fabar. q. s.
Camphor. ʒiij.
M.

Pro arcano habetur usneę querc. & avellan. cum sapone nigro & nitro mixtus calideque appositus. Sequens non erit contemnendum, mutanda enim sunt remedia.

℞. *Succ. nicotian.* ʒiij.
Resin. pini ℥iß.
Terebinth. ℥j
Gumm. ammoniac. ʒ ij.
Ol. chamomill. ℥j.
Elix. vitæ ʒß.
Ceræ ʒij.
M. F. ceratum.

Egregium est sequens in Nodis ac Tophis quibuscunque & à quacunque causa obortis:

℞. *Rad. Bryoniæ nigr. excavatam imple cum Mercurio sublimato, & colloca in humido cellario ad 10. dies, resolutum exime, & radicem in partes divide, & expressum succum collige, quo Nodi ac Tophi inungantur tepidè, deinde succo exarescente locum affectum illine sequenti:*

℞. *Ol. chamomill. still.* ʒij.
Ceræ ʒß.
add. struthiocamel. ʒij.
M.

Sequens Emplastrum ad Tophos & gummata multa comprobatum est experientia.

℞. *Empl. Oppodeldoch Penoti aut Crollii,*
Sal. alc. vulg. aut Antimonii aa. p. æq.

Malaxentur simul cum pauxillo gummi Guajaci, & ex aluta nodis admoveantur.

FINIS LIBRI SEXTI.

JOH.

JOH. DOLÆI ENCYCLOPÆDIÆ CHIRURGICÆ RATIONALIS,

LIBER SEPTIMUS.

De Morbis manuum & pedum in Specie.

CAPUT I.

DE

Morbis Manuum specialibus, nempe Fissura, Sironibus, & Callo.

§. I.

CORpus nostrum, Machina sensu externo deprehenditur longè artificiosissima, mechanicè constructis organis gaudens, in hoc tamen differt ab aliis automatis, quòd hæc gravitate ponderum vel elatere pinnularum per vectes, rotulas, aliaque moveantur: nostra autem Machina à fluidis præsertim spiritibus animalibus tanquam elatere, movetur, quibus ergò spiritibus & opus habent Artus nostri, Manus scilicet & Pedes, sunt enim ejusmodi artus, quibus sine maximo incommodo carere non valemus, cùm plures manibus se nutrire debent, hinc & ipsorum affectus nobis molesti sunt, eapropter eos hoc in Libro pertractaturi sumus, & quidem primò Manuum affectus considerabimus, qui sunt *Fissura*, & *Callus*.

Descriptio Manuum Fissurarum.

Fissuras Manuum referimus ad solutionem continui. Hæ sunt vel *nativæ*, vel *adventitiæ*. *Describi* possunt, quòd sint scissuræ seu fossulæ parvæ seu rimulæ in manibus à labore validiore, aliisque acribus scindentibus internis vel externis causis accedentibus exortæ, hinc effluente liquore acri exulcerationes quasi leves fiunt.

Siones vel *Sirenes* vel *Cirones*, aut *Chirones*, sunt vermiculi scilicet minutissimi, quasi pediculares in pustulis serosis prurientibus sub cuticula manuum imprimis & pedum subsistentes; Germanis dicuntur *Seurn*, item *Reitleisen*.

Descriptio Sironum.

Describi possunt Sirones, quòd sint pustulæ in volis manuum & plantis pedum vermiculos intùs habentes, à lympha seu ichore crassiore ovulis impregnato, minutissimis tubulis in cutem desinentibus impacto, & ibidem à calore fermentescente, genitæ.

Descriptio Calli.

Callus seu *Callositas* in genere dicitur de omni duritie cutanea carnea & ossea, qua ordinaria, qua extraordinaria, specialiter verò hic sit dictum de Callo in volis manuum oborto.

Callus verò manuum describi potest quòd sit durities cutanea volarum manuum, à tubulis compressis & coarctatis, vel à labore, vel calore externo, &c. producta.

Pars affecta.

§. 2. *Pars affecta* horum affectuum est manus, ceu organon utilissimum, unde & Philosopho Veteri Instrumentum Instrumentorum dicta est. Manus enim ex pluribus constat partibus, hinc & variis subjecta est affectibus: manus suos habet poros ceu certa spatia permeabilia, per quos illa sudat, aut perspirat, imprimis pori hi in manibus notabiles sunt respectu tam eorum positionis, quàm amplitudinis. Etenim si quis modo operam impendet contemplandi, ope microscopii, palmam suæ manus diligenter, & adhibito sapone ablutæ, advertere poterit, præter majores illas lineas à Chirementis certis nominibus insignitas, ut & eas, quæ mediæ sunt magnitudinis & rugæ cutis audientis, innumeras strias exiguas æqualis amplitudinis atque distantiæ, ac ubivis ad semet invicem parallelas. Speciatim verò striæ hæ deprehenduntur in summitatibus ac primis articulis digitorum ac pollicis, in summa parte volæ manus, & prope radicem pollicis parùm supra carpum. In quibus locis striæ istæ perquam regulariter contextæ sunt in triangula sphærica, & ellipses, ut in manu ipsa. Super his striis exstant pori, æquis omnes ordinibus ac talis magnitudinis, ut absque microscopio etiam oculo visus acumine pollenti pateant. Quòd si micoscopii cujusdam ope conspiciantur, quivis porus speciem exhibet fonticuli cujusdam, ac sudor inibi stagnans apparet æquè limpidus, ut aqua fontana, dein etiam resurgens quoties abstergitur. Manus quoque omnivarios habet tubulos glandulasque, nempe miliares, item lymphaticæ, vasa sanguifera, nervea, membranacea, item musculos, ossaque. Sed hic nobis duntaxat sermo erit de partibus manuum mollibus: striæ autem manuum maximè juvant usum & motionem manus, cutis quoque volæ densior est ac superior manus pars cutanea.

Diagn. Manuum Fissurarum.

§. 3. Ut igitur expeditionem medendi methodum indagemus Affectuum manuum, *Signa Diagnostica* facem nobis præferent. *Fissuræ* verò *manuum* oculos nostros incurrunt, neque opus habemus Microscopio ad istas visendas quærendasque, imprimis si præcesserint labores diuturni, vel lotio manuum aqua lixiviosa aliisque acribus.

Sironum

Longè à Crinonibus Sirones differunt, sunt pustulæ vesiculares, in quibus subsistunt vermiculi minutissimi acari dicti instar pediculorum. Pustulæ sunt serosæ ac prurientes, sub cuticulæ manuum quandoque & pedum latent. Vermiculi hi microscopiorum ope distinctè satis & accuratè conspici possunt, colore sunt albicante, pedibus exceptis, qui propiùs intuenti nigricare videntur, pedibus sex instructi sunt, binis utrinque mox juxta caput positis, quibus talparum ritu cuniculos sub cuticula agere, & oblongos non rarò quasi sulcos trahere, simulque molestissimum pruritum producere videntur; quod ipsorum dorsum sit squamosum seu squamis coopertum affirmat Celeberrimus Dominus *Robault*, *Tract. Phys. Part.* I. *cap.* 21. inquit enim, non ignotus est *acarus* grano arenæ minus animal, quia progressus ejus observabatur, at tantùm per excogitatum & inventum microscopium jucundo spectaculo deprehendimus acari dorsum squamis coopertum

pertum, tripedem esse utroque ex latere & duabus maculis nigris in capite notandum, quas oculos esse verisimile est, quia ad præsentiam cuspidis aciculæ viam intercipienti ad latus deflectit; quandoque acarus incedit, est præditus cruribus, necesse est ea crura juncturas habere, quo eæ iuncturæ motu fruantur, oportet adesse musculos, nervos & tendines, nervos illos fibris donari, quales deprehendimus in majoribus animalibus vel saltem iis æquipollentes: si verò ulteriùs structuram ejus perpendere velimus, ac de ejus corde, sanguine, cerebro, spiritibusque animalibus verba facere, id in altum mare nos conjiceret, terræque visum eriperet, & confiteri cogeret, imaginationem nostram imparem esse, comprehendendæ summæ exilitati ultimarum partium animalculum illud constituentium. Optarem tamen mentem eò dirigi, dataque opera hìc immoratus sum, vitaturus ingenii eorum tenuitatem, quibus quodcunque offertur ridiculum videtur, nisi congruat cum crassis illorum ideis, jocoque excipiunt, dum apud illos sermo de materia aliqua subtili habetur, cujus agitatio, & tenuitas viam ubique sibi aperit, locum ubique concedit. Mirum de cætero est, quantas molestias tam pusillum animal cuti infixum excitare queat; quas stupenda historia pluribus explicat *Monfetus in Theatro Insect. lib. 2. cap. 24.* Nostri verò vermiculi, animatorum semiatomi communiter in extremis manibus pedibusque, in cubito verò & Tibiis rarissimè deprehenduntur. Dignoscuntur ab aliis pustulis, à pruritu in supra dictis locis excitato, & præsertim punctis nigricantibus, in ipsis conspicuis, quæ nihil aliud sunt, quàm Sironum capita extrorsum protuberantia.

Calli. *Callus manuum* ipso aspectu & tactu innotescit, cutis enim dura est & quasi ossea, non est dolorifica, quamvis novacula vel cultro scindatur, & fere tactus sensus in hisce partibus abolitus est.

Ætiologia secundùm Galenicos manuum Fissurarum. §. 4. *Ætiologiam* prædictorum affectuum nunc institituri, aliorum sententiam pro more consueto nostræ præmittemus. Agmen autem ducent Galenici in *Fissura manuum* causam adscribentes laboribus duris, vel acrium humorum ad manus affluxui, vel siccitati vel frigiditati. Rimas seu fissuras has aliquando profundas esse scribunt, aliquando superficiales, aliquando callosas & duras, aliquando molles & humidas, aliquando latas, aliquando angustas.

Sironum. Sirones oboriri credunt à dulcis pituitæ copia, ad manus cutem delatæ, imprimis plurimo calore accedente, materiam putridam in manibus existentem animante in *Sironibus* putrescentes culpant humores.

Calli: *Callum manuum* dicunt esse tumorem durum indolentem, ab humore pituitoso & melancholico, mediante pressu, attritu, & intertritigine, labore, &c. productum.

Paracelsi judicium de causa manuum Fissurarum. §. 5. *Paracelsus manuum Scissuras* provenire putat ex sale alopeciæ, h. e. vitriolato, membrorumque locustas propter virtutem expulsivam occupante. Juxta ipsum cùm alopeciæ generatio deviat in alias quàm proprias locustas, in eis fit ejus etiam productio.

Sironum. Author vidit Sirones in cruribus apparuisse, & in causa cum aliis consentit.

Calli. *Callus* Paracelso est arsenicalis tumor, ex liquore carnis aut sanguinis proveniens, si post fricationes aliquod exurgat Apostema rubeum atque tumens, *Callum* esse dicit

Secundùm Helmontium causa manuum Fissurarum. §. 6. Helmontius *manuum Fissurarum* originem adscribit aut latici salsiori cutem volæ manuum discindenti, aut duro labori, frigorique, unde rugæ nimiùm distensæ rumpantur, quod faciliùs contingat, si ob defectum laticis benignioris cutis volæ Manus non satis fuerit irrigata.

Sironum. *Sirones* Author deducit à Latice putrido, ad manus volam delato, & in ejus glandulis miliaribus subsistente, & pustulam cum vermiculis producente.

Calli. *Callum manuum* deducit à laticis glandulas pellemque volæ Manus non irrigantis defectu, hinc omnia sicca & dura fieri contendit.

Vvillisii sententia de §. 7. Vvillisius existimat, *Fissuras Manuum* induci à particulis salino-acribus Lymphæ in glandulis miliaribus residuis, quæ aculeis suis cutis, cujus poros permeare nequeunt, texturam dissecant ac discindunt, fibrasque illius dividentes & erodentes, Fissuras ea parte in qua aggeruntur, excitant. *causa manuum Fissurarum.*

Sironum. *Sirones* deducit ab aliqualibus humorum particulis in manibus cespitantibus & putrescentibus, quarum principia evecta & unà coeuntia invicemque conjuncta tales progignunt vermiculos, manus infestantes.

Calli. *Callum* derivat ab humore nutritio viscidiore atque glutinosiore, qui ad manus advectus, illarumque fibris inhærens, post dissipatas subtiliores & aquosiores particulas, spissior devenit, & tandem in Callum, eo in loco ubi congestus fuit, convertitur; ipsius etiam originem attribuit instrumenti cujusdam durioris, & insoliti contrectationi, à quo partis fibræ vel disrumpuntur, vel sibi invicem superimpositæ & propiùs admotæ corpus durum constituunt, sub quo particulæ salinæ per insensilem transpirationem exhalari assuetæ coacervantur, per coarctatos poros facili exitu illis non suppetente, callique duritiem aggestione sua adaugent, evaporatis aquosis particulis, à quibus diluebantur.

Sylvii opinio de causa manuum Fissurarum & Sironum. §. 8. *Sylvius Fissurarum Manuum* causam esse dicit humores acido-acres lixiviosos, cutem manus corrodentes, atque Fissuras has producentes.

Sirones seu *Pustulas* cum *vermibus* deducit à liquore sive sero acri & putrido ibidem in vermiculos degenerante.

Calli. *Callum* verò *manuum* vel à succis crassis, vel à labore duro oboriri statuit.

Cartesianorum opinio de causa manuum Fissurarum. §. 9. *Cartesiani Manuum Fissuras* fieri censet à defectu humoris benigni, particulis suis teretibus fibras manuum irrorantis, sicque tunicam mollem reddentis, ut citra noxam distendi possit, quem defectum interdum causant particulæ rigidiores terrestres in aere existentes, flante borea exsiccante, vel à calore interno urente, omne humidum consumente, ut in Hectica, quare volæ manus fibræ humiditate privatæ, & ob siccitatem rigidæ, ad leviorem quamvis tensionem, vel ob laborem vehementiorem facilè dirumpuntur, nonnunquam etiam à particulis angularibus acutis fibrillæ volæ manus discinduntur aut variis in partibus transfodiuntur.

Sironum. *Sironum* causam dicunt esse particulas acutas & oblongas seu salsas, vel cum succo chylosiore ex sanguine per arteriolas, vel cum lympha ovulis impraegnata per ramulos lymphaticos ad manuum cutem delatas, ibidemque à calore illo fotui ovulorum & animalculorum ex iis exclusioni maximè accomodato, has pustulas verminosas Sironum nomine insignitas provenire contendunt.

Calli. A succo rum quoque defectu & canaliculorum induratione, & quasi quiete *Callum* oboriri contendunt, præsertim à labore duriore diutiùs instituto, unde comprimuntur fibræ & canaliculi, & cùm nullus ampliùs affluat succus nutritius vel lymphaticus, necessariò ductus hi unà cum rete mirabili, cute nempè, in duritiem insensibilem ac ferè osseam transeunt.

Nostra sententia de causa manuum Fissurarum. §. 10. Nunc & Nos accingimur ad *Causas* horum Affectuum explicandas, principiis Mechanicis, ut ubique, sic & in his insistemus, arduum profectò opus aggredimur, hoc præcipuè tempore, ubi magna vis inest manibus agilibus, ubi sermonis suavitas & verborum copia, quamvis rerum apud plures adsit inopia, ignorantia Practicorum apud vulgum plus valet, quàm recta ratio Medicorum conscientiosorum. Multi hodie plus æstimant irrationalem Medicinam vel Chirurgiam, quàm rationalem operandi methodum; sed nos invidorum calumnias non curamus, salus publica nobis murus est aheneus, rectè faciendo & veritatem docendo nil timemus; experientur Tyrones Medicinæ nostris insistentes principiis plus efficere se posse, quàm aliorum sæpe multa frustra pollicentium. Nos ergò in *Fissura manuum* causas plures agnoscimus, est enim aliquando quædam siccitas seu species contractionis in tubulis manuum,

à qua

à qua sæpe oriuntur ejusmodi rimulæ in manibus. Sic quoque particulæ rigidæ salinæ ad manus delatæ facilè cutis fibrillas minutissimè findere, ac tales sulcos efficere queunt, quales particulæ observantur tempore hyemali in aere, à quo tum temporis in manibus Fissuræ oboriri solent. Quod etiam observatur à lixivio, hinc lavatrices post lotionem linteaminum ab aqua saponaria sibi tot Fissuras manuum & sæpè exulceratas accersunt. Quò etiam pertinent succi acres salsi ad volam manus delati, in Hypochondriacis, Hecticis aliisque Scorbuticis Fissuras manuum scindendo producentes. Ad quas Fissuras excitandas strię suum Symbolum addunt, perquàm enim providè super his striis, ac non in sulcis interjectis pori locati sunt, quò sic eorum structura tanto firmior esset, nec ita facilè depravationi per compressionem obnoxia, per quam ipsam scilicet sulci tantummodo dilatantur aut coarctantur, striis constanter iisdem manentibus, porisque non adeò non alteratis, ac ob eandem rationem pori etiam hi largiores sunt, ut semper tanto meliùs conserventur cute, quantum maximè compressa ac condensata per usum ac laborem manùs: atque pori hi manuum sic constructi ac muniti admodum benè conveniunt, ac viam apperiunt evacuationi particularum sanguinis magis noxiarum, ut salinarum acrium copiosè nempe ad eos advectarum ope continui usus manuum: hinc videmus, quod plurimi homines Hypocondriaci, aut fœminæ hystericæ tantùm n on continuum ardorem persentiscant in manuum volis, non autem in eorum dorso, quæ partes scilicet non adeò calefieri aut fricari solitæ, minùs aptæ sunt ad recipiendas prædictas particulas noxias, nec proinde isto pororum genere instructæ fuerunt. In Manuum his Fissuris deficit quoque *Succus lubricans*.

Sironum. Quòd *Sironum causam* attinet, jam ejecta è Physicorum Scholis sententia est de rebus sponte ac sine semine nascentibus, illa è contra opinio invaluit, quod quicquid in hoc orbe sentire imò quicquid vivere videmus, ex ovo emersit, ipsa quoque insecta, quorum magna pars ad unum illud principium generationis univocæ vix referri posse videbuntur, ex *ovo* originem ducere, demonstratum est jam à *Francisco Rhedi*, *Malpighio*, aliisque. Contra quam opinionem non ita pridem Jesuita quidam Italus, *Philippus Bonanni*, in Libro Romæ edito insurrexit, & veterum Peripateticorum Sententiam resuscitare tentavit, & ex putredine insecta produci voluit, imprimis limaces ac vermes, sed solidissimis rationibus iterum à prædicto laudato Viro refutatus est. Ovorum ergò doctrina apud eruditos omnes nimis inclaruit, quàm ut operæ pretium judicemus isti stabiliendæ diutiùs immorari: quapropter superest nobis impræsentiarum demonstrare, quomodo ova quædam intemerata ad manuum volas, pedumque plantas deportentur, ibidemque excludantur. Sciendum ergò est ex quotidiana experientia, muscas aliaque insecta ovis suis epulas nostras æquè ac potus conspurcare, eaque brevissimo temporis spatio, per æstatem nominatim, in carnibus excludi, sed quum nobis etiam mensæ accumbentibus vel paulò ante, muscæ cibariis circumvolitent, vel ea in quæ ova sua eructant, qualis est panis vel potus, ipsius ita properè excludendis non obstetricentur, illa integra ore excipimus; & cùm ob molis suæ teneritudinem dentium attritionem declinent, ea intacta deglutimus; eadem tenuitas a fermenti ventriculi spiculis ipsa tuetur. Quare cum cibis in eo concretis in duodenum descendunt, in quo uti & in reliquo intestinorum canali quodam exclusa in varias lumbricorum species commutantur, minutiora verò aliqualia supersunt, quæ vel ob exiguitatem, vel immaturitatem cum chylo in venas lacteas abripiuntur, circulationisque lege sanguini permiscentur, & in universas corporis partes devehuntur. Habitus autem corporis passim est poris pervius, iis verò quibusdam in locis patentioribus, & in aliis arctioribus: unde fit ut ova illa vel etiam vermiculi exclusi, per priores unà cum sudore vel alitibus perpetim per eos exeuntibus extrudantur: at cùm pori in volis manuum plantisque pedum subsistentes posterioris sunt ordinis, seu à primis principiis, seu à continuo attritu, perpetuoque aeris ambientis attactu, ova retinent, quæ à vicini sanguinis calore fota, & ab halitibus indesinenter avolantibus irrorata, in illorum gremio excluduntur vermiculosque *Sirones* dictos efformant, qui aliquoties & in facie apparent, in iis partibus, in quibus, pori strictiores sunt. Multùm & hìc facit manuum applicatio rebus ejusmodi ovis conspurcatis, quæ dein se insinuant cutis porulis & interstitiolis in hunc finem adaptatis, sicque produci possunt. Sicuti Acari è lacticinio veterascente facilè oriuntur; sic Sirones etiam è corruptæ chylositatis ovis refertæ, alimentaris succi roridæve lymphæ particula generari possunt. Quæ dicta animalcula Sirones dicta producuntur sæpè maxima in copia, hinc vidit Celeb. D. *Daniel. Ludovici*, *Eph. Germ. Ann.* 9. & 10. *Observ.* 39. fœminam corpulentam per totum aqualiculum consectariaque ejus miserrimè obsessam, & ad summam impatientiam usque vexatam, quę fœmina præ pudore domestica saltem, nec incongrua adhibuerat remedia, sed frustrà: unde affinem aliam, in effodiendis istis animalculis exercitatam, dato Sostro dimidio frumenti carioris modio, adhibuit, quæ continuato per paucos, totos tamen æstivosque dies, labore, ultra quatuor millia se exemisse, & cùm glomeramen cannabis granum æquans collegissent, in cochleari ferreo cum stridore combussisse jurabat mulier à nugis aliena hodieque vivens. Ista verò sic sibi restituebatur, enchirisin fassa, veneficioque imputans.

Calli. Quod *Calli causam* concernit, sciendum est, quòd in Callo canaliculi sunt indurati, & motu non gaudent peristaltico, seu ad hæc canales sint, seu unà occlusi in fibras, i. e. filum degeneraverint. Calli ergò ab induratione fiunt, cùm canales membranæ, qui molles erant, eam duritiem adipiscuntur, qualis in tendinibus, cartilagine & quasi ossibus reperitur. Neque mirari licet, sic indurari tunicas vasorum, quia in cute imprimis manuum & pedum, non modò frequentes calli fiunt, maximè in iis, qui vehementes labores sustinuerunt, verùm Anatome defunctorum docuit, arteriam aortam, & arterias carotides, aliaque vasa nimium quantum ossis duritiem assumpsisse, ita in ipsa senectute cutis à succorum defectu dura fit, & in rugas hinc inde contracta, quod etsi nullum foret, indicio est, membranas omnes cum tempore aut his vel illis de causis indurari, uti cartilagines & ossa, quæ in primis annis adeò erant mollia, ut nondum motibus in stando & incedēdo suffecerint, paucis annis soliditatem acquirunt, quæ cùm facta est, non subsistit, sed ultrà pergit: ita quoque membranis contingere & ratio docet & Anatome. Nam ut membra omnia crescunt, atque in majorem, molem sensim extenduntur, longioraque & crassiora evadunt, ita etiam duriora redduntur, sensimque per ætatem à fluido & molli principio, unde cœperunt, deflectunt, atque quod senibus evenit ab annis, id hinc inde à morbis accidere solet, ut nimirum canales indurati cartilaginei, callosi aut ossei facti, idcircò sint minùs fluxiles, & quod antiquitus credebant, fibræ, i. e. fila sine meatu interno, sunt planè exsucca. In Callo enim *Succus lubricans*, qui membranas, tunicas, cartilagines & vasa omnia oblinit, levemque & glabram efficit superficiem, quali quoque exteriùs cuticulæ cutisque sulci adimpleatur, hic autem potest deficere, vel crassior ac viscosior reddi, unde facilè callus in manibus aliisque locis oboriri potest. Certum ergò est, Callum fieri vel ab induratione & commutatione, seu compressione ac condensatione cutis canaliculorum in duritiem cartilagineam, aut huic proximam vel ea majorem soliditatem, id quod à crassiore alimento efficitur: ita ut brevi ad senium suum perveniant membranæ, quę solent alioquin molles diu remanere, imprimis si succi omnes in istis tubulis quiescant.

§. 11. Quod

Prognosis manuum Fissurarum. §. 11. Quod *Prognosin* attinet, Affectus hi vi *Fissuræ manuum* nihil mali protendunt, sed tantùm manus dedecorant, & quibusdam artificibus impedimento sunt. Inveteratæ manuum Fissuræ difficulter curantur, sed sæpè homines ad mortem usque comitari solent, imprimis si fuerint nativæ.

Sironum. Nullum quoque à Sironibus imminet periculum, sed facili negotio exstingui possunt. Sed quum innata partium succorumque dispositio vel difficillimè vel nullo modo immutari queat, vix præcaveri potest nova eorum generatio. Cùm radices egerint altiores, diu sæpè durant cum maximo & tædioso pruritu, & non prius curantur, quàm usque omnes vermiculi exempti fuerint, ceu constat ex superiùs dicta historia.

Calli. Cùm & *Callus* sit affectus cutaneus, nullum ergò infert periculum, manibus verò defœdationem quandam affert. Calli inveterati sunt difficillimi curatu, & cùm affectus canaliculorum sit, qui rarò semel uniti & constricti iterum dissolvi ac dilatari possunt, hinc vix curabilis Callus inveteratus existit.

Cura Diætetica. Ut in minimis affectibus *Diæta* opus est, sic & hæc in his affectibus necessaria est, tutum enim bona *Diæta* remedium est, nec in externis affectibus negligendum, quod sæpè vel solum de malo præsente triumphat. In his ergò manuum affectibus aer sit temperatus, vitetur frigidus ac nimis calidus, temperatus enim optimus est ad succos nostros fluidiores conservandos, è contra frigidus ac asper succos coagulat inspissatque; hinc videmus, quòd cutis à frigore densa, crassa ac minùs pervia reddatur. Accommodatissimi quoque cibi benè nutrientes sint temperati ac humectantes, fugiantur cibi viscidi, acidi, salini ac frigidi, eligantur potiùs alimenta aromatica & sale volatili turgida, quæ virtute incidendi ac corrigendi succos viscidiores prædita sunt. In Sironibus præserventur imprimis alimenta, ne à muscis conspurcentur ovis. Potus sit largior, imprimis in *Callo* manuum, ubi maxima siccitas est & defectus succorum in tubulis, qui ergò sunt irrigandi, eapropter potus Theæ vel Caffeæ conveniet. In *Sironibus* potulenta optimè obtegantur, ne muscarum ovulis perturbentur. Quies corpori concedenda, à laboribus enim abstinendum, ne per hos cutis manuum magis densa ac aspera reddatur, imprimis manus haud laventur lixiviosis aliisque venenatis acrioribus.

Curatio Galenicorum in manuum Fissuris. §. 13. *Galenici* in *Fissura Manuum* ad causam à qua producitur attendendum esse inculcant, si à laboribus, nam accedente quavis violentia semper recrudescunt, si à lixiviosis saponariis aquis, ea omnia vitare debent, imprimis omnia acria, salsa, aut aspera, saponaria. Inter localia maximè laudant pinguia, & adipe anserino aut caprino curant, aut cum medulla bovilla aut cervina, ita ut cum sempervivo atque terebinthina unita, illinant, aut gallam omphacinam tritam, terebinthina unita, illinant, aut gallam omphacinam tritam, terebinthina aut œsypo liquida aut melle excipiunt & imponunt. Alii gallam & mastichen quàm tenuissimè trita œsypo, i. e. lanæ succidæ sordibus in formam cerati redacta excipiunt & utuntur. Nonnulli gallarum unciam unam, cadmiæ unam, cerussæ quadrantem conterunt cum rosaceo & illinunt. Item Musæ pastillum cum sapa aut vino dilutum satis crassum imponunt. Alii Adipem anserinam, vel sevum caprinum melle ac solani succo mixto adhibent, vel lacte illinunt. Alii decoctum malvæ vel althææ cum semine lini factum, vel cremor. hordei & mucilag. tragacanth. semin. malvæ aqu. ejusdem extract. tepidè lavant. Alii rimas digitorum ac pedum Pice liquida oblinunt, cancrum fluviatilem ad carbones urunt, testam abradunt, ex oleo terunt ad mellis spissitudinem, scissuris priùs abstersis instillant, & cornu C. cum sevo caprino mixtum laudant.

In Sironibus. In Sironibus *Veteres* commendant varia amara, imprimis sequens decoctum, quo manus lavandæ sunt sæpiùs.

℞. *Herb. absynth.*
Tanaceti,
Cent. min. aa. M. j.
Coq. in aqua communi vel vino.

Vel

℞. *Ol. absynth.*
Anagallid.
Cydon. aa. ℥iij.
In his dissolvunt
Myrrh. ʒß.
Pulv. C. C. ℈j.
M. f. Linimentum.

In Callo. In *Callo Manuum* Balneum ex herbis emollientibus parant & manus imponunt. Pinguibus quoque & oleosis manus callosas lavant.

Paracelsi modus curandi manuum Fissuras. §. 14. *Paracelsus* in *Scissuris Manuum* sequens magnificat.

℞. *Ex quatuor gumm. oppopanac.*
Serapini,
Galbani aa. ℥j.
Colophoniæ ℥ij.
Terebinthinæ lotæ ℥iv.
M. F. Unguentum.

Liquefac illud super carbones, & sic manibus calidum superponatur per duodecim horas, deinceps laventur aqua munda, rursusque superponatur eis calefactum, hoc toties repetendum est, donec liquorem ampliùs non emittant, quod plerumque fit in quindecim plus minusve diebus. Quatuor gummi peculiarem admirandamque virtutem abstersivam exsiccativamque habere memorat. Abstinendum verò esse inculcat ab aquis corrosivis, cantharidibus, à purgationibus, unctionibus, fumigiis, & ligno Guajacano.

Sirones. *Sirones* Paracelsus expellit per vermes in hominibus ortum & sustentationem exhibentes, siccatos, pulverisatos, nec non hominibus intrinsecùs administratos, cum quovis liquore, præsertim in caprino lacte. Externa omnia quæ in ulceribus verminosis prosunt, hìc quoque conducere ait.

Callum. *Callum Manuum* resina locustarum Abietis curari asserit. In Calli cura postquam in apostema transierit, hac utitur descriptione.

℞. *Olei rosar.* ℥vj.
Calcis vivæ exstinctæ ℥iij.
Caphuræ ℥v.
Fiat Mixtura, quæ superponatur unguenti loco.

Helmontiana cura in manuum Fissuris. §. 15. *Helmontius* in *Fissura Manuum* Medullosa inungenda suadet, unde pellis volæ manus rigidior emolliatur, & dissoluta reduniatur, eapropter præ aliis medullam cruris vituli in linimen redactam, appropriatum satis reputat esse remedium.

In Sironibus. *Sirones* Author dicit haud meliùs curari posse, quàm si animalcula hæc in pustulis interimantur, in quem finem commendat aquam communem cum Mercurio vulgi bullitam, qua sæpiùs laventur manus.

In Callo. *Callum* verò *Manuum* curare tentat per balnea & fotus, aliaque calida fotaque unguina pelli volæ manus applicata, item varia Emplastra, quæ odoribus suis resolvunt duram manus pellem.

Vuillisiana curatio manuum Fissurarum. §. 16. *Vuillisius Fissuras Manuum* curat illis inungendo vel balsamum Archæi, vel Peruvianum, vel linimentum ex sevo hircino, pauca cera & pauco ol. hyperici paratum.

Sironum. *Sirones* enecat partibus ipsis infestatis illinendo essentiam aurantiorum, vel pomatum, cui admixtus fuerit Mercurius sublimatus dulcis, vel illas lavando decocto ex herbis absynthii, scordii, centaur. cort. aurant. aut tandem illas inungit aqua sublimata.

Calli. *Callos Manuum* Decoctis emollientibus, & emplastro de Mucilagine applicato emollit, eumque dein scalpro aufert.

§. 17. *Sylvius* in *Fissuris Manuum* omnia ea commen-

Sylviana curatio manuum Fissurarum mendat, quæ acrimoniam humorum temperant ac corrigunt, in quem finem laudat oleosa plura, oleum ipsum, lac quodvis, & alia acidum absorbentia, ut cretam, saccharum Saturni, tutiam, mastichen, Fissuris manuum inuncta, aliaque cataplasmata sæpiùs dicta.

Sironum. *Sironum* cura, juxta ipsum, absolvitur æquè decoctis internis sudoriferis, quàm evacuationibus Mercurialibus, Decocto Guajaci, centaur. min. tanacet. foveri vult, quibus non proficientibus ad Mercurialia transit, nec non Mercurium præcipitatum unguento Diapompholygos admixtum, & pustulis verminosis manuum applicatum commendat.

Calli. *Callum* verò *Manuum* variis emollientibus impositis curare satagit, in quem finem oleosa, cataplasmata ex emollientibus parata, item emplastra blandiora laudat.

Cartesianorum curatio manuum Fissurarum. §. 18. *Cartesiani* ad curationem *Manuum Fissurarum* pro voto obtinendam, operæ pretium ducunt, ut fibræ rigidiores siccæ emolliantur & humectentur, atque quod salis acidi acuti in succis istis cumulatum est, hebetetur & corrigatur, quo consolidatio partium sejunctarum facilè subsequatur. Particulas igitur acutas acido-salsas reliquis intentionibus adversas domant remediis porosis & volatilibus, spiritu scilicet vini camphorato, aqua calc. viv. dulci, vel linimento ex oleo lini & terr. Vitrioli dulc. vel Fibras rigidiores tum emolliunt pinguioribus, axungiis animalium, oleo ovorum, lumbricor. momordica. Mitigatis particulis acutioribus, & fibris emollitis, consolidationem haud difficulter consecuturam esse confidunt, aut ulceribus profundioribus adhuc manus occupantibus oleum myrrhæ, vel balsamum de Capayva, vel alium appropriatum imponunt, & cavitatis fissurarum manus oppletionem, sicque ipsam consolidationem, vel unguento Diapompholygos, vel emplastro gryseo, styptico aut Diapalmæ penitùs perficiunt.

Sironum. Ad corrigendas particulas salsas & acutas in *Sironibus*, & necandis vermibus, medicamentis utuntur porosis & alcalibus amaris permixtis, à quibus non duntaxat particulæ salsæ & acutæ pustulas producentes absorbentur, sed etiam vermes necantur, commendant ergo præ aliis spiritum vini aloeticum & myrrhatum, quo pustulæ sunt illinendæ, vel linimentum quod parant ex colocynthide, aloe, hellebor. alb. Mercurialia quoque hìc magnificaiunt, & ex pinguedine & Mercur. dulc. unguentum paratum pustulis istis illinendum, magnificaiunt.

Calli. In *Manuum Callo* varia emollientia commendant balnea, ac fotus, item immersiones in oleum lini; ex spermate Ceti parant ceratum diuque Callo imponunt, vix tamen remedium hìc dari approbatissimum, existimant.

Nostra methodus curandi manuum Fissuras. §. 19. Ea quæ in curandis *Manuum Fissuris* Cartesianis tribuimus, etiam *nostra* facimus, eò enim operam impendimus, ut fibræ manuum rigidiores emolliantur, quod obtinere possumus per mucilaginosa, tum per porosa, particulas angulares absorbentia, hinc sequens linimentum solenne est, quod paratur ex Sevo Cervino, Tutia, Camphora, Sale Saturni, Oleo ovorum. Novimus aliud parare ex Talco & magisterio Marchasitæ, quod egregium est. Sevum hircinum familiarissimum remedium est contra Fissuras manuum, imprimis à frigore contractas. Nostræ Lavatrices in Fissuris manuum ab aqua saponaria productis, uti solent cerevisia calida, in qua vel butyrum, vel sevum hircinum fuerit solutum, qua lavare solent manus Fissuris desœdatas. Ex amygdalis, Benzoinis, Camphoratis, aliisque parare solemus massam instar saponis, qua manus laventur, item non contemnendum est unguentum de sevo hircino Mynſ. vel Empl. de carne bubula. M.

Sirones. Quod curationem *Sironum* attinet, qui nostro judicio curantur vermiculorum vel evulsione, vel enecatione, loci affecti ablutione ac inunctione, sæpè hoc in casu sufficit spiritus matricalis, cujus solius usu vermiculi facilè enecantur, & simul pustulæ pruriginosæ sanantur. Vel abluantur sequenti vel simili decocto:

℞. *Decoct. quercus* ℥vj.
Pulv. aloes ʒij.
Aluminis,
Myrrh. aa. ʒj.
Succ. absynth. expr. ℥ß.
M.

Aquâ Theriacalis, cum farina lupinorum, instar epithematis applicata convenit, omnia amara, ut fel animalium, succus flor. persic. acaciar. lapath. nuc. jugland. tanaceti, absynthiaca, aloetica, myrrhata: Item Mercurialia, laudamus imprimis cum Helmontio aquam communem cum Mercurio vulgi bullitam. Omnia ea usurpari possunt, quæ in Phthiriasi conducunt, eodem enim ferè modo hic affectus curari potest. Aliquando nec Amara nec Mercurialia vermes pellere & enecare solent, sed potiùs contra communem methodum piper & mel majorem enecandi vim habuisse, in Praxi nostra observavimus, pipere enim muscæ aliaque insecta enecantur, quidni etiam vermes. Sic ergò formula:

℞. *Aq. hyperic.* ℥vj.
Mell. commun. ℥ß.
Pulv. piperis ʒj.
M. d. pro eluendis Sironibus.

Vel

℞. *Summ. absynth.*
Tanaceti aa. M. ß.
Myrrhæ ʒj.
Croci opt. ʒß.
Coq. in s. q. vini Gallic. ut colatura fiat ad ℥x. cum spongia Sironibus applicanda. Si quis Mercurialia amet, sequens proderit:

℞. *Axung. porci* ℥j.
Argent. vivi ℈j.
Aq. fort. ʒß.
M. f. linimentum flavum.

Sequentia verò priùs usurpanda sunt, antequam ad Mercurialia accedamus:

℞. *Summ. absynth.* M. ß.
Myrrh.
Aloes aa. ʒj.
Tartar. alb. ℈ß.
Sulphur. viv. ℈ij.
M. & detur usui, coq. in s. q. vin. Gallic. ad ℥xij. quibus add.
Spir. sal. Armoniaci ʒj.
Camphor. ʒij.
M.

Vel

℞. *Spir. matrical.* ℥j.
Extr. absynth.
Gentian.
Angel. aa. ℥ß.
Ol. lign. sanct. ʒj.
Myrrh.
Aloes aa. ʒij.
Camph. ʒj.
Spir. sal. Armoniaci ʒiß.
M. ad eluendos Sirones.

Et cùm utplurimùm hisce in hominibus Sironibus vexatis adsint sanguis & succi tenaces ac viscidi acidi, inde ad ova excludenda apti, prout quotidie videmus in aceto aliisque vinis acescentibus & tenacibus factis ejusmodi vermiculos, quod etiam observatur circa carnem, caseum, &c. itidem facili marte ex lympha acida viscida quasi ad putredinem tendente, cum ovulis tamen imprægnata, ad cutem delata, pediculos generari posse haud dubitamus. Quare & interna remedia in Sironibus suademus ad viscidos acidosque succos corrigendos, & sanguinis massam emendandam, in quem finem proderit decoctum lignorum ex Sassafras, Guajac. rad. gentian. angel. bacc. lauri, herb. centaur. cochl. sale Tartari, infus. vel in vino Gallic.

vel

vel cerevis. vel in sero lactis coctum, ad ℥ xxx. addit. oxymel squillit. ℥ j. bibat æger pro libitu. Interponat etiam seq. essent. à ʒ ß. ad ʒ j. in vino Hispanico, vel aqua mulsa assumendam.

♃. *Elix. vitæ* ʒ ij.
Extr. absynth. ʒ j.
Tinct. corallorum ʒ j.
Ol. Sassafras gutt. vii.
Aurantior. gutt. v.
M. D. usui.

Ad Mercurialia quoque interdum accedendum, & vesperi pro re nata seq. assumendæ sunt pilulæ.

♃. *Resin. Guajac.* ∋ ß.
Gumm. ammon. gr. vj.
Mercur. dulc. gr. v.
Ol. Guajac. q. s.
F. Pilulæ.

Omnia hic conveniunt, quæ vulgò dicuntur putredini resistentia, ut sunt omnia myrrhata, Antimoniata, aloetica, volatilia quæcunque, spiritus matricalis internus, sal volatile oleosum, spir. volat. cum ol. Tanaceti, vel cort. aurant. vel myrrhatum quo egregium præstabis effectum. Essent. cent. min. absynth. cort. aurant. flor. persic Nec non aliquando cum Mercurio dulci, pulvere Jalappæ, sale absynthii instituatur purgatio, & ovula ista ex primis viis eliminanda.

Optimè cura succedit, si statim quando se exhibent Sirones, effodiantur, sic fœmina ista cuius mentionem fecimus superiùs, tali modo à quatuor mille Sironibus liberata fuit, immunisque ab iis semper vixit.

In *Callo* manuum eò respiciendum est, ut tubuli iterum amplientur, ac flexiles reddantur, ut succum nutritium ac liquorem lubricantem maiori copia recipere ac continere, queant, in quem finem præter interna absorbentia, volatilia succos attenuantia, & sic pressionem succorum adjuvantia, & per consequens canaliculos ampliantia, ut sunt spir. C.C. volat. sal volat. oleos. spir. cephal. &c. conducent, & externa varia Topica emollientia ac resolventia cataplasmata ex aromaticis, fl. chamomill. sem. fœnigræc. cum lacte coct. & sæpiùs applicat. vel callus cum spir. vini camphorat. crocat. vel spir. matricali fricetur, vel iis imbuta lintea imponantur, vel gumm. ammoniac. in spir. vin. solut. & iterum inspissat. applicetur Callo. Balnea ac fotus seu immersiones manuum non negligenda sunt ex emollientibus parata. Spermati ceti fuso & liquefacto linteum intrudatur, & applicetur callo manuum: sic quoque laudatur succus Sempervivi vel Tabaci Callis impositus, hinc emolliuntur Calli ut postmodum abscindi possint. Sed diutiùs his immorari non operę pretium duximus, quia rarissimè Medici vel Chirurgi in his consuluntur ab ægris.

CAPUT II.

De Digitorum Coalitu, Digito Sexto, & Paronychia.

§. I. **E**Xtremis etiam Articulis insidiæ in tantum struuntur, nobiliorum ut partium infelicitatem non superent, maximè tamen adæquent. Non dicam jam de cunctis Articulorum Adfectibus. Sunto nobis *Digitorum* tormina, quis enim non cum terrore aspiciat *Coalitum Digitorum*, vel non admiretur ac stupeat *Digitum sextum*, quis *Paronychiæ* truculenta ac periculosissima symptomata diu perferre potest? Ut ipsi hi Affectus, & in Scriptis Medicorum, & in foro Practico minùs obvii, ejus sub tyrranide vel mœsti, vel gemebundi, tremebundi, ac in *Paronychia* furibundi aliquando eheu! apparent.

Coalitus Digitorum dicitur & ipsorum Coalescentia, Græcis σύμφυσις, est enim nihil aliud quàm unio & compages duorum digitorum in utero matris facta.

Sextus Digitus etiam fit in claustris Matris, quando scilicet infans in lucem prodeat sex Digitis instructus, vel in una vel utraque manu. Meminit etiam Sacer Codex 2. Sam. 21. v. 20. Viri excelsi, qui *Sex* in manibus pedibusque Digitos habebat. Totidem instructam Neostadii ad Orlam Archi-Diaconi filiam vidit D. *Joh. Petrus PruKelius*, *testant. Ephem. Germ. Ann. 9. & 10. Observ. 8.* Sex sæpè, septem verò Digitos in utraque manu vidi semel Limburgi ad Lhanam.

Digitus Sextus.

Paronychia dicitur à Græco παρὰ & ὄνυξ, i. e. *prope unguem*, quia hic Affectus in summitate alicujus Digiti, lateribusque unguis reperitur, & est Abscessus seu fissura, cutis circa radicem unguium. Nonnullis imprimis Latinis *Reduvia* dicitur, alii reduvium, item redubiam appellant: alii verò Reduviam alium dicunt affectum, pterygium vocantes. Panaritium etiam vocatur ab aliis. *Paracelsus libr. de Apostem. cap. 17. p. 439.* affectum hunc etiam Passam nuncupat, hoc est, distentum, à pateo vel pando, quia extremitates digitorum distendit. *Os fractum* à quibusdam nominatur, quia si non rectè curatur, affectus os corrumpit & perdit. Unguis juncturam Hispani Panarizo, Itali Panaricio hunc affectum dicunt. Gallis verò dicitur Panaris, le ver en doit, Onglee, i. e. Unguinatio. Belgis *der Nydnagel*, seu unguis invidiosus; nobis Germanis audit *der VVurm* à dolore mortificativo vermis ad instar rodente. Aliis vocatur *das Mittel*, quasi mediale, meditullium enim digiti infestat. Pariter ob genuini nominis ignorantiam, partim ob vulgi creduli imaginationes simpliciter *das Ungenannte*, *das bose Ding* cognominatur, item tortura digitorum nuncupari potest.

Discerni tamen merentur, quod affectus ille sit levis, qui externam solummodò cutim affligit, ex. g. Reduviæ, inde *Plutarchus libr. de inutil. pudor.* risu prosequitur hepate laborantem, quod à Medico remedia ad Reduvium peteret; unde etiam Proverbium enatum, Reduviam curare, i. e. rem levem: de hoc tamen impræsentiarum animus non est agere. Propriè verò dicta *Paronychia* periculi dolorisque plena, interiores Digitorum partes corrodens *Panaritium Arabum* salutatur, & hunc affectum hoc loco enodandum sumpsimus.

Describi potest hic affectus, quòd sit tumor in extremitatibus Digitorum dolorificus, cum periculosissimis non rarò symptomatibus, à stagnatione succorum acrium, circa periostium, eorundemque è tubulis suis effluxu productus. Extuberantia equidem in initio tantùm levis est extremis in partibus Digitorum, neglecto autem morbo tota manus imò brachium ipsum intumescere consuevit. Sunt qui hunc affectum modò per abscessum, seu apostema, modò per inflammationem modò per ulcus definiunt, cùm nonnunquam, vel inflammatio, vel abscessus intercurrat; & ulcus sæpè producatur. Sed nostro judicio nihil interest per quod definias, modò causam & curationem benè noveris.

Descriptio Paronychiæ.

Differentias quod attinet; Paronychia alia est superficialis, alia profunda, illa cum exiguo dolore extremas tantummodo partes, hæc verò nervos, periostium, fibras tendinosas, & ipsa ossa immanissimis excruciat doloribus. Paronychia à pterygio differre dicitur, quod illa plerumque abscessus sit circa unguium radices coiens, hoc verò carnis salutatur incrementum, partem tantùm operiens, ex Paronychia proveniens. Ratione Subjecti alia aliaque causa cutem affligit, ut Reduviæ, alia verò interiores partes, ut duræ matris processum, periostium scilicet, & os ipsum clandestino modo afficit: alia insuper in manuum in pedum digitus reperitur juxta *Theophr. Paracelsum de Myster. Verm. c. IX.* alia anterioris, medii alia, in tertio alia reclinat digito, veram ac genuinam propè unguem, spuriam verò juxta reliquas partes invenire licebit, alia in latere unguis, alia in dorso digiti, alia in ventre ejusdem existit.

Differentia Paronychiæ.

§. 2. Concinnè *Cornelius Celsus l. 4. de re Medica* *Pars affecta c. 1.*

c. 1. p. 63. inquit, faciliùs omnes morbi curationesque in notitiam venient, si priùs eorum sedes ostendero: quibus Subjecti accuratæ notitiæ necessitatem clarè admodum posteritati reliquit. Sunt ergò Digiti, de quibus hic agimus, qui constant plurimis canaliculis nerveis tendinosis membranosis seu periostio, venosis, arteriosis, lymphaticis, osseis, &c. hinc iisdem externis morbis obnoxii sunt quàm aliæ partes externæ.

Subjectum verò Principale Paronychiæ dici potest Periostium, (aliquando & ipsum os:) Periostium cùm membrana sit tenuissima, & nervea, facilè patet quàm exquisitissimè sentiat. Minùs Principale seu adæquatum, ut cum Scholis loquar, sunt digiti manuum & pedum, eorumque maximè extrema cum annexis partibus, quæ in consensum trahuntur, ut sunt cuticula, cutis, carnosa progenies, venæ, arteriæ, glandulæ & tubuli ad vitam & nutritionem facti, imprimis nervi ad sensum destinati, imò ipsa ossa non sunt à læsione libera, quia non rarò corrosionem & cariem ob hanc ipsam causam patiuntur. Experientia constat pollicem præsertim huic malo subiici, seu quòd major sit, seu quòd præ reliquis injuriis externis & laboribus sit expositus præcipuè cum ipse singulorum reliquorum quasi minister & adjutor existat.

Diagnosis Digitorum Coalitus.

§. 3. Nunc paucis Digitorum Affectuum *Diagnosin* perpiciamus. *Coalitus Digitorum*, quando scilicet fœtus in lucem prodit, digitos alterutrius vel utriusque manus mutuò conjunctos & unitos habens, ita ut unicam partem constituere videantur, sufficienter dignoscitur, & oculis nostris percipitur. Sic infantis alicujus, cætera sanissimi, digitus dextræ manus annularis & minimus, itemque pollex & index ope ligamenti coaluerunt, hoc modo, ut pollex minor justo indicem annexum, sicut arcum funis incurvat, ad se traheret, accreta in medio eorum carnis parte, velut novi pollicis rudimento: in sinistra quoque manu pari ratione uniebantur digitus minimus & huic proximus interjecta ad superiorem articulationem etiam caruncula exigua: ceu testantur *Decur. Eph. Germ. Ann* 6. *Obs.* 58.

Digiti Sexti

Digitus Sextus, cùm fœtus in lucem prodiit, in sensus nostros incurrit, hinc non necessarium ducimus longiorem de hoc affectu proponere *Diagnosin*.

Paronychiæ.

Signa sequentia & imminentem & præsentem Paronychiam produnt. Imminentem enim indicat dolor circa radices Unguium exiguus, levis & adhuc tolerabilis: præsentem verò indicant dolor exsquisitissimus, seu cruciatus incredibiles, tumoris æquè ac ruboris præsentia, totius enim digitus maximè tumidus est, ut quater crassitiem ordinariam superet; pulsatio adest vehemens, quæ accidentia ob consensum nervorum per totum sæpe brachium extenduntur, accedunt vigiliæ, deliria, quæ dependent ab inflammatione periostii. Appetitus est prostratus, lipothymiæ, inquietudinis percipiuntur à Chirurgis, si dolor non cessat, & remedia inconcinna applicantur, sæpè Gangræna ac Sphacelus aliaque graviora accedunt symptomata.

Ætiologia secundùm Galenicos digiti coalitus.

§. 4. *Causam* horum affectuum, & quidem primò *Digiti Coalitus*, ipsi *Galenici* statuunt, digitos vel in Utero Matris protinus, vel propter communem exulcerationem cohærere, & inde deducunt causam à vi plastica. A qua causa quoque derivant.

Digiti sexti & Paronychia.

Sextum digitum in Utero ob errorem vis plasticæ productum: adnasci enim dicunt digitos, quandoque prope magnos digitos, quandoque juxta parvos, rarò autem circa alios digitos visos esse statuunt. Qui verò ita agnoscantur, partim per totum carnosi sunt, partim etiam ossa in se habent; quandoque etiam ungues qui ossa habent, partim ab articulo exortum habent in commissura ad articulum cum altero digito communicantes: partim ab internodio enati sunt: qui igitur ab internodio sive spatio inter articulos enati sunt, penitus immobiles sunt, reliqui quandoque moventur. Causam immediatam seu proximam Panaritii, dicunt esse ῥεῦμα seu affluxum humorum factum jam & consistentem, mediatæ proximioris causæ titulum sibi vindicat influxum faciens & irruens huruens humor calidus, biliosus & acris, seu sanguis non quidem floridus sed humoribus tenuibus venenatis ac malignis inquinatus, vel pituita concreta putrescens & corrosiva, vel tenuissimus biliosus sanguis. Alii ex ipsorum classe à sanguine adusto & atrabilario deducunt causam hujus affectus. Causam quoque ejus aliquando esse dicunt ab ossis ipsius fractura, qua ossis frustulum partibus nervosis & sensibilibus infigitur. Peccat etiam juxta ipsos sanguis quoad essendi modum, tum quantitate, si plus ad partem hanc affluit quàm à Deastra Natura ipsi fuit adsignatum, si extravasetur, quantillum etiam illud sit, & hinc ob prohibitam reassumptionem stagnet & corrumpatur. Hinc apertione facta, macula una vel altera rubicundior sæpè occurrit, ceu causa continens omnis mali. Consideranda volunt hoc in affectu, membrum mandans, recipiens, vias & modum, partem mittentem. Ipsi totam pro subjecto causæ agnoscunt massam sanguineam, concurrunt etiam viscera coctioni & sanguificationi, Hepar imprimis aliaque, dum certa quædam ob impedimenta munia naturalia ritè atque decenter obire non valentia: inde sanguis bile, acribusque imprægnatur humoribus, quæ infausto auspicio parti affectæ affliguntur. Recipiens pars sunt digiti manuum & pedum totius extrema, & adeò justo debiliores & remotiores, hinc eo locorum vitiosam sibique valdè inimicam materiam ablegare consuevit ridicula Natura. Viæ ipsis sunt venæ & arteriæ hic desinentes.

Paracelsi opinio de causa digiti coalitus.

§. 5. Theophrastus Paracelsus *Coalitum digitorum* contingere ait ab inæqualitate Spermatis; & quod Natura in liquore vitæ non sit planè perfecta, utplurimum autem, quòd sperma, ex quo exitus hic Uteri debet, aut defectu aut excessu peccet; unde in superfluum transeat additamentum, quod digitos in Utero matris cohærere faciat, in quo Naturæ totum hoc vitium putat attribuendum.

Digiti sexti.

Sextum verò digitum fieri itidem putat ab inæqualitate seminis, quod tamen solummodo excessu peccat, unde in superfluum transeat additamentum, quod *sextum* efformet *digitum*, & itidem hoc vitium aberranti adscribit Naturæ.

Panaritii.

Author noster de *Panaritio* disserens, in corporibus nostris duplicem putrefactionis ac corruptionis constituit speciem, unam in humoribus naturalibus, in mineralibus alteram, tandemque concludit, affectum hunc pro vera matre habere humores minerales, quia eo ipso addit rationem, quod in radicibus solum ad ungues locum habet, ibi enim est radix salis nitri, vel in eo loco, per quem transmigrat. Cùm in unguium radicibus dolor, ustio, tumor & inflammatio tanquam ignis sævirent & corrosio vermium instar, panaritium esse dixeris. Sic quoque Crollius, & quamplures alii cum Paracelso ridiculè admodum sacra vulgi simplicitate persuasi, vermem semper in medio pustulæ latentem nigello capite præditum adstruunt. Plures eorum hypothesibus innixi etiamnum idem propugnando microscopii fide innixi mira sibi imaginantur.

Helmontii sententia de causa digitorum coalitus.

§. 6. *Helmontius* causam *Coalitus digitorum*, ut & *sexti digiti* ex vitiosa conformatione esse credit, aut ex spermate in Uterum ad fœtum formandum nimio effuso.

Digiti Sexti & Panaritii.

Panaritium non esse affluxum cruoris Author existimat, vel defluxum è capite aut Jecinore, eo missum per ambages viarum intellectui impossibiles: Sed esse laticem acidum tyrannidem suam prope ungues in digito exercens. Inquit enim Helmontius: ac licet incautos sensus decipiat, videanturque sentire defluxum superne, sensuum tamen sunt fallacia indicia, prout dolente dente in totum capitis latus depluere videtur augmentum causæ dolenti. Non secus atque ad dolorem Panaritii, glans sub axilla apparet. Topico enim remedio odontalgia abit, vel eradicato cessat, & glans evanescit, ubi digitus dolore levatur.

Willisii Ætiologia Digitorum coalitus.

§. 7 *Willisius* arbitratur, *Digitos* in Utero materno *coalescere*, quando scilicet fœtus manuum altera ab aliqua parte ipsi super imposita comprimitur, digitique sibi invicem propiùs adjunguntur, & mutua ista, quam inter se patiuntur, confrictione, mollem cuticulæ ac cutis solvunt texturam: idem contingere quoque autumat, cùm talis accidit in dictis partibus continui solutio ab humore acri & corrodente in illis resi-

de:

de: papillæ enim carneæ tegumentis suis tunc exutæ, & à liquore nutritio perpetim adveniente distensæ, ac elongatæ, versus oppositum digitum tendunt, ejusque interstitiis implantatæ & adnascentes, atque à subcrescentibus cute & cuticula contectæ digitos mutua connexione colligant.

Digiti Sexti. *Sextum Digitum* formari censet à materia seminali, conceptionis tempore copiosiùs aggesta eo in loco in quo digiti statuminari debent, & à succo spirituosiore in semine contento, & plastica vi donato in digitum viciniori, cujus compositioni tota ista materia distincta erat, consimilem, efformata: minor tamen legitimo digito contingit superfluus iste, quia supervacanea tantum illa materiæ seminalis portiuncula illi efformando impenditur. Credit etiam istud evenire ob perceptum à prægnante muliere primis conceptionis temporibus *Sextum Digitum*, talis enim character spiritibus animalibus matris impressus, & in sensorium commune ipsius delatus, ab iisdem in fœtus sensorium commune devehitur, ejusque spiritibus animalibus communicatur, qui tali imagine imbuti similem digitum in fœtu excitant.

Paronychia. *Paronychia*, juxta Vvillisii placitum, oboritur ex humore seroso summè acri & corrodente, aquæ forti simili, nitrosis ac ardentibus particulis referto, in periostium vicinasque partes nerveas exstillante, & circumposita vasa sanguifera exedente atque aperiente. Sanguis enim è vasis suis delapsus & in parte in quam excidit stagnans, mora corrumpitur & putrescit, ac in pus convertitur, tumoremque *Paronychiæ* nomine producit.

Silvii opinio de causa digiti coalitus & Sexti. §. 8. Sylvius *Digitorum Coalitum* ac *Sextum Digitum* esse vitia à primo ortu & connata, vel à matris forti imaginatione, vel terrore, vel alio modo à superfluo semine producta, statuit.

Paronychia. Author noster succi Pancreatici defensor, illum succum salsum-acrem ceu inquinantem massam sanguineam, ac per consequens talem tumorem *Paronychiæ* nomine insignitum inducentem accusat.

Cartesianorum judicium de causa Digitorum coalitus. §. 9. *Cartesiani Digitorum Coalitum*, vel digitorum accretioni in Utero, vel extra eum Ulceribus malè curatis, succo nutritio glutinoso existenti contingenti accenset, unde Digiti unà concrescunt.

Digiti sexti. *Digitum Sextum* itidem in Utero matris contingere ajunt, vel à matris forti imaginatione, vel terrore, materiam seminalem non ritè mediantibus spiritibus animalibus dispensante.

Panaritii. *Panaritium*, secundùm Cartesianorum sententiam, producitur ex succorum quorumvis particulis acidis pungentibus, scindentibusque, in periostium vicinasque digitorum partes nerveas & membranaceas imò osseas effusis, ibidemque vasa omnia tendinosa ac nervea exedentibus atque corrodentibus, sicque Ulcus Paronychiæ vel Panaritii nomine insignitum producentibus.

Nostra causa Digitorum coalitus. §. 10. Adeò, nostro judicio, miseranda est hominis conditio, ut & ante exitum ab utero materno sexcentis calamitatibus obnoxius sit, innumerisque affligatur affectibus, priusquam communi potiatur aura; ii autem affectus vel illi communicantur à materno quo sustentatur sanguine, matre scilicet morbo quodam detenta, vel à præpostero quodam animi corporisq; parentum doloris potius quàm gaudii vitio à primo ortu creantium, vel ob mancas quasdam partes aut superfluas, vel ob easdem malè efformatas ac alienum situm obtinentes; & quum digiti quamplurimis usibus sint necessarii, rectaque eorum dispositio sit maximè requisita, valde dolenda est eorum sors qui in lucem eduntur cum iis vel malè efformatis aut pravè dispositis: tales sunt ii, quorum *Digiti una coalescunt* mutuisque vinculis sunt invicem conjuncti. Fœtus autem in Utero adhuc hospitantis genuinus situs vel ex matris casu, saltu, ictu, vel ejusdem vehementiori animi pathemate, imaginatione scilicet perversa invertitur, illiusque manuum alterutra, vel utraque hoc pacto graviori cuidam corporis parti supponitur, & ab illa premitur. Digiti ergo sibi invicem superimpositi, se invicem confricant, mollemque adhuc cutem tenerosque musculos hac ratione dilacerant. Fibræ itaque discissæ continuo nutrimenti appulsu excrescunt & exsurgunt, quædamque ex iis in oppositam partem, seu in adversum digitum deflectuntur, & in eundem inseruntur, ubi cum propriis digiti fibris intricatæ, iisque accretionis ope arctiùs colligatæ, validiorem efficiunt digitorum Coalitum, principii cujus nulla deinceps animadvertuntur vestigia, cute loco ferruginato superextensa. *Coalitum Digitorum* ex matris anserum vescendorum appetitu frustrato enatum (horum enim ferè pedes connexio hæc digitorum æmulabatur,) esse, *Ephemerides Decur Ann.* 6. testantur.

Digiti sexti. Quantum vis imaginationis valeat in prægnantibus, & sic sæpè fœtum à matre aliquando signari, exstat historia in *Ephem. Germ. Ann.* 6. & 7. *Observ.* 118. ubi viri cujusdam uxor prægnans quinto mense accepit dono cancros egregia magnitudine, illos admirantis & manu contrectantis digitum minimum unus chela comprimit, ita ut manui adhæreret: Illa perterita quidem cancrum tamen manu excussit, nil ampliùs de illo sollicita. Quid fit? justo tempore filium parit, qui in utraque manu digitum minimum habebat duplicem, unum debito loco positum, alterum ab illius articulo infimo dependentem, in sinistra quidem manu magis adhærentem, in dextra verò planè pendulum. In pede autem dextro digitus minimus uterque articulo suo inserti, sed carne & cute ad supremum apicem usque sibi adhærebant, ut ferè chelin cancrinam formarent. Sic etiam vis plastica in manu dextra geminum formavit pollicem in filiolo Limburgensi, uterque enim omnes partes & articulos, ipsum etiam unguiculum habuit, quod & testantur *Ephem. Decur. Ann.* 6. *Observ.* 88. ut ergò optimè intelligatur, quomodo hæc contingant, paulum dilucidiùs ea explicaturi sumus. Jam plures clarissimi Anatomici non solùm fœtum ex ovo formari probarunt, sed modum quo partes omnes in eo fabrefiunt, demonstrarunt. Superfluæ verò quandoque in fœtu progignuntur partes, quæ non solum inter inutiles referuntur, sed etiam in deformium & incommodarum censu reponuntur; spiritus seminales fibras, quarum contextus embryonem facit, & ex quibus universæ corporis partes constitui debent, subingressi, eas penetrant, transcurrunt & extendunt: Si enim iidem vel robustiores fuerint, vel copiosiores ad articulum digiti cujusdam, cujus textura laxior molliorque reperiatur, delati fuerint, virtute qua pollent fibras quasdam, ex iis quas occupant, & in quibus abundantiores inhabitant, sublevant, & ab aliarum fasciculo separant: quum verò fibræ primariam, qua donatæ sunt in prima formatione, dispositionem non exuant, earumque numerus compositus sit tum ex iis ex quibus constitui debent vasa sanguinea, & lymphatica, inde fit, ut ex ipsarum connexione alter exsurgat digitus illi similis, cujus est appendix: quo tamen minor esse videtur, quoniam potior fibrarum pars spirituum seminalium impetui obstitit, minimaque ab ipsis abrepta fuit. Istud etiam evenire potest, ceu dictum, si gravida mulier fortuitò ac cum terrore, vel commiseratione hominem sextum digitum habentem intueatur, tunc enim in retina Sexti digiti forma depicta, spiritus animales illius occasione certo modo moventur, ut ad Uterum delati, & ad ovum attingentes spiritus seminales, quibus cum conjunguntur, pari motu agant, eosq; in eam impellant partem, in qua efformari debet digitus illi similis, cujus ipsi imaginem susceperunt; quod eò faciliùs accidit, quò partes eximiæ adhuc sunt mollitiei, cunctis impressionibus excipiendis sunt dispositæ.

Paronychia. Immediata seu proxima causa *Paronychiæ*, me judice, est obstructio inflammatoria tubulorum digitorum à succis salso-acribus facta, qui succi acriores facti effluūt, sicque periostium distendunt, lacerant, talemque dolorē vehementissimum cum reliquis symptomatibus producunt, scatent enim succi totius corporis in ejusmodi ęgro particulis salinis acribus corrosivis, Ignis igitur acrimonia massa hęc maritata, ad digitum quendam delata, facili negotio ruptionem tubulorum, ac sic productionē ejusmodi tumoris efficere potēs est. Subsistens

hic extra sphæram suam materia magna activitate ac fermentatione ferociam suam exercet, & in acerrimam malignam seu quasi venenatam non raro degenerat. Remotè suum symbolum addere possunt corpora cacochymica, quæ facillimè Paronychia corripiuntur.

Aer frigidus & nimis calidus affectui huic fores aperire possunt & imprimis ab inæqualitate aeris subitanea; ut quando ex aere frigido membra rigida statim foco calido admoventur, vel viceversa, cum motu & labore calentia extrema aquæ frigidæ immerguntur, oriri malum sæpiùs observavimus. Cibus quoque qualitate peccans, acris, salsus, acidus ac viscidus hoc malum producere potest: par ratio est potus, si vina acida, etiam spiritus vini aliaque potulenta fortiora sanguini phlogosin inducentia, & partes sulphureas & acres inferentia, peregrina copiosiùs hauriantur: ut & aquæ frigidæ nimia ingurgitatio, qua succi nostri facilè coagulantur. Vigiliæ mediocritatis limites excedentes suppetias ferunt; excreta & retenta, sudor imprimis prohibitus &c. suum addunt Symbolum.

Ita etiam contusiones, distorsiones, violentæ tensiones, festucæ digito intrusæ, puncturæ &c. infelicem hunc fœtum non rarò excludunt. *Simon Paulli l. cit.* Observationem sequentem domesticam communicavit; Observare, *inquit*, mihi visus, vel rarenter vel nunquam Paronychiam ab internis causis obsidere digitos, nisi malorum morum morbi, ut sunt malignæ & petechiales febres diuturnæ tertiæ, non ut par erat, per crisin desinentes, itemque variolæ & morbilli præcesserint: maximè ubi error vel ab ægro vel adstantibus in iis committitur.

Jam dum hæc scribo puero 6. annorum Medicinam facio, cujus digitus spina ventosa laborat, panaritio non multùm absimili, nisi quòd caro magis spongiosa existat, Spina enim ventosa plerumque infantes afficit, præsertim circa articulos, cum tumore, livore, & ulcere aliquando partium mollium ac carnosarum, quæ non duntaxat ab acido fixo & lentescente lympha exeduntur, sed etiam ipsum os subjectum, quod focus hujus mali plerumque esse videtur, cariosum & nigrum reddit, hinc non malè *Beinfresser* dicitur; Apostema quoque ossis est, seu lentus ossis & adjacentium partium Sphacelus, ab acido fixo & maligno fermento intra osseam substantiam, aliquando ipsis in Uteri cunabulis matris primitùs congesto, productus. Sicuti enim fermentum variolosum intra tubulospartium carnosarum à lacte quo infans nutritur, & ex quo etiam formatur, in ipso Utero colligitur, & postmodum occasione novi & insoliti ætheris cum aere, ventis, vino aliisque advecti in actum erumpit; ita hoc fermentum in ossium uno vel altero tubulo ab eodem lacte corrupto generatur, & mora, alimentis, novisque allabentibus succis acrius & deterius redditur, donec focum suum perfodiat, os cæterasque partes exedat, lympham inficiat, & malignum hunc producat tumorem. In aere quoque latet aliquid, quòd fermentum latens in apricum deducat: sic anno decrepito 1688. *Paronychiam* observavimus *Epidemicam*, plures enim infestavit, & plus quàm centum hac in civitate notavimus Panaritio affectos.

Prognosis Digitorum Coalitus & Digiti sexti.

§. 11. De *Prognosi* nunc aliquid addamus, ante omnia asterisco hîc notandum est, in *Coalitu Digitorum*, ut & *Digito Sexto* curam esse dolorificam, & post sectionem sæpè Symptomata Vulneribus solennia obvenire solent, ut sunt hæmorrhagia, tumor, inflammatio, aliquando à Medicamentis incautè applicatis ipsa Gangræna ac Sphacelus accidere potest.

Si adnatus Digitus fuerit parvus, & sine ossibus quasi pediculo appendens, curatio facilior est, quàm si sua ossicula habeat.

Paronychia.

Prognosin *Paronychiæ* quod concernit, licèt ille affectus in principio levi cum dolore partem affectam occupet, adeò ut sæpè susque deque habeatur, nihil minùs tam altiùs paulò si irrepserit, tristissimum eventum sortitus est, quoniam nervosas invadit partes, Gangræna & Sphacelus sæpiùs præsto est, hinc facili marte accedente ęgrotantium supina negligentia, quosdam mortem sibi accelerasse Practicorum observationes testantur, & *Mercurialis* Auctor est, se vidisse interdum aliquos de vita periclitatos, imò sæpe ex dolore mortuus est ęger observante *Barbette* & Blankardo. Nuper vidimus Chirurgum Castrensem nostrum Paronychia periculosè laborantem, cum Gangræna, febri & deliquiis animi instantibus, qui tamen adhibitis congruis remediis optimè convaluit. Vulnera lethalia Digitorum & notavit Celeberrimus *Bartholinus Histor. Anat. c.* 4. *Observ.* 89. Dum vero malum adhuc quasi in cunis est, & erudita accedit manus, faciles in promittendo esse possumus. Quò materia stagnans ab osse & periostio remotior est, eò faciliorem spondet curam, & viceversa, quò magis conspicuus est tumor, eò melior, *teste Hipp.* 5. *aph.* 63. Extremam occupans partem periculosior est, quàm 2. vel 3. digitorum partem. Si succi sunt dulces ac mites in corpore ægrorum, affectus facilè terminatur, sin verò corrosivi ac acerrimi existunt, ossis articuli extremi, imò totius digiti corruptio, & pro re nata vitæ periculum metuendum. Quò enim fervidior & malignior seu acrior succus, eò etiam symptomata graviora sunt.

Modus eventus unicus esse solet, ad salutem terminatur, si succi corrigantur ac fluidiores reddantur, ut affluere ac refluere possint: *Discussione* quoque ad extra resoluta in halitus, & exspirantibus particulis acrioribus; vel ad intra si recipiatur iterùm in vasa aliisque modis diffletur, quæ terminatio optima est, & ex eo patescit, si membrum se ipso fiat levius, calor, dolor & pulsatio cessent: vel suppuratione, maturata materia ut dicunt, adeoque per incisionem purisque extractionem. Ad sinistrum verò eventum & mortem quandoque finitur corruptione partis & totali abscissione tubulorum periostii, &c. Unde non tantum actio partis perit, sed & accedentibus febre, deliriis ac convulsionibus ipsa mors sequitur. Malum denique est, si induretur, & caro fiat spongiosa vel nigra, sæpe ultra mensem cura durat.

Diæta.

§. 12. Cùm plerique, qui de *Digitorum Affectibus* imprimis de *Panaritii* curatione quicquam æternitati consecrarunt, diætandi rationem commendent, quos inter Chirurgorum non postremus *Jacobus Ryff*: vel hinc hæc in externis digitorum morbis, & *nostro judicio*, non contemnenda est. Nos ergò æquè in coalitu digitorum, imprimis verò in Paronychia violenta aerem quemcumvis, præsertim verò frigidum arcendum esse jubemus, cibus quoque sit euchymus & boni succi, vitentur, ceu dictum, alimenta acida, salsa, ac acria quævis. Potus esto moderatus, cerevisia benè cocta & fermentata, hinc laudem meretur Cerevisia Naumburgensis ac Brunsvicensis, hac in vicinia Grebensteinensis; acidorum etiam imprimis vini acidi usus immoderatus cane & angue pejus fugiendus est, concedi potest vini Gallici vel Hispanici moderatus usus, nunquam verò intermittendus est potus calidus Theæ vel Coffeæ, vel alius herbæ vulnerariæ.

Somnum largiorem in hisce Digitorum morbis concedimus, Vigilias verò nimias improbamus, his enim succus nerveus vel spiritus animales tantùm acriores redduntur, qui ita facti Paronychiæ magnum damnum inferre possunt. Motus & quies mediocritatis non transcendant limites, præstat tamen quiete blanda malo inducias procurare, quàm motu intempestivo id irritare, licet ipse dolor præsertim in Paronychia sat atrox hanc sæpissimè excutiat.

Alvi lubricitas semper proficua, hinc proderit vel enema, vel crem. Tartar. vel per se vel cum oleo amygdalar. mixt. vel passul. vel pruna laxativa &c. Venus medullisorba, variorumque affectuum mater feracissima, præsertim illicita & cum scortis instituta, maximopere vitanda.

Animi affectus temperandi sunt, & ubi vel levissima commotio percipitur, confestim ejusmodi ignis, ut cum *Quercetano* loquar, aqua continentiæ à ratione sublimata & alembicata, exstinguendus est. Vitentur ergò ira, mœror curæ, & plura alia vehementiora animi pathemata, animum è contrà sit placatus.

Curati. Pharma-

§. 13. Hisce præmissis ipsam *curationem Pharmaceutico Chirurgicam* aggredimur, quam *Galenici* in Coalitu

Digi-

...eutico Chirurgica secundùm Galenicos in Digitorum Coalitu.

Digitorum instituunt sequenti modo: primò digitos cohærentes scalpello diducunt, dein separatim utrumque non pingui emplastro circumdant, ita per se uterque sanescit. Si verò fit Ulcus in digito, posteaque male inducta cicatrix curvum eum reddit, primùm malagma tentant. Dein si id nihil prodest, vident, nervi ne id vitium, an cutis sit. Si nervi est, non attingunt, & tanquam incurabile relinquunt, si cutis, totam cicatricem excidunt, quæ verò callosa efficit, ut extendi digitum non patiatur tum rectum, sic ad novam cicatricem perducunt.

In Digito sexto.

Sextum verò digitum non aliter curandum esse ajunt quàm superfluum ferro abscindere, vel si nihil obest, relinquere. Carnosorum verò digitorum facilem esse amputationem, scalpello enim abscindunt: eorum verò, qui ab articulo exortum habent, difficiliorem esse aggressionem dicunt: at eorum qui ab internodio enati sunt, carnem primùm in circulum ad os usque resecant, ipsum verò os excisorio Scalpro dissecant, aut serra amputant, dein in curatione radunt ipsa, & cicatricem obducunt, quemadmodum in Vulneribus ossium.

In Paronychia.

Galenici etiam in *Paronychia* suam medendi methodum propinant, quæ juxta ipsos gaudet tribus indicationibus, curatoria, præservatoria & denique vitali. Hisce igitur indicationibus manus auxiliatrices suppeditant ex tribus usitatis fontibus, Chirurgico, Pharmaceutico, ac Diætetico. Ex fonte Chirurgico depromunt venæsectionem, addentes hanc rationem, quod V. S. balsamum vitæ à furibunda bilis effervescentia accensum refrigeret, insimulque febrilis caloris focum destruat. Astrologi veteres suadent, ut ea hora sanguis mittatur, qua Horoscopus signo gaudet idoneo, Dominusque adscendentis, & Luna in IV. & VIII. domo Saturn. conspiciuntur, neque ullum cum Domino viii. ceu mortis domus aspectum habent. Commendant aliquando ceu vicarias cucurbitulas: Frictiones quoque, Sinapismos & vesicatoria instituunt.

Ex Pharmaceutico fonte depromunt purgantia modò Electuaria, modò Apozemata, ex rad. acetos. cichor. fumar. fl. borrag. bugloss. tamarind. uv. pass. fol. Senn. Alex. Rhabarb. prun. Damascen. parat. & in sero lactis coct. add. Syr. de cichor. cum Rhabarb. ℥ j. Vomitoria quoque ad biliosorum humorum saburram ἄνω viam affectantem, feliciori successu ex corporibus eliminandam, viribus adhuc robustis, concedunt, in quem finem commendant Elect. Diasari F. Dein alterantia his subjungunt, quæ in genere humorum calorem & fervorem ceu causam morbificam corrigere, & visceribus fomitem subministrantibus succurrere apta nata sunt. Si hepar in segregatione officium suum non ritè faciat, aperientia: si Uterus in culpa simul sit in sexu femineo, hysterica, & sic porrò alia quoque opponunt.

Inter Topica externa *Galenici* respiciunt tum humorem influentem, qui divertendus est, tum eum, qui jam influxit, hinc pro temporis diversitate Topica variant, & commendant ab initio *Repellentia* tum acida, tum aquea, & terrea frigida, sive adstringant simul, sive refrigerent, hinc suadent submersionem digiti Paronychia affecti in aquam frigidam, vel acetum, vel applicant succum solani, portulacæ, & sæpè cum oleo rosarum miscent ex compositis laudant ungu. refrigerans *Galeni*, ungu. de lithargyrio, Empl. album Camph. & imprimis ex succis herbarum, refrigerantium, solan. hyoscyam. parat.

Defensiva etiam partibus vicinis, seu manui ipsi applicanda esse jubent, commendantque varia Emplastra Defensiva, præsertim sequens:

℞. *Acet. saturnisat.* ℥ ii.
Album. ov. N. ii.
Mucilag. sem. psyll. cum aq. solan. extr. ℥ ß.
Camphor. gr. vi.
M. f. l. a. Emplastrum.

Vel imponunt *Epithema de Marmor. cærul. SchenK.* unc. iii.
Ol. Campb. gr. vi.
M.

Post hæc ad Digerentia & Paregorica accedunt, quæ sunt tenuium partium, exsiccant & fovent calorem nativum partis, vel per se adhibita, vel cum leniter repellentibus prout usus postulat accuratè permixta. Imprimis omni seculorum memoria à Dioscoride, Galeno aliisque laudatissima ad hunc affectum fuit herba, ob hoc ipsum adepta nomen Paronychiæ, sed quasi invideretur tantum remedium, dissensus tot Auctorum, quæ & qualis ea sit, dubium reddidit. Ut enim alias plures taceamus Auctorum hypotheses, à *Matthiolo* Celeberrimo Botanico pro ea exhibetur Adianthum & Paronychia altera, à *Dodonæo* Paronychia alsine folia, & altera minor crenata rutaceo, à *Lonicero, Myss, Gesnero*, Lunaria Italica, ab hoc etiam Lunaria arthritica, cui contra *Matthiolum* utrique potiùs folia peplii attribuit. *Glandorpius* & *Simon Paulli* interim alsine foliam *Dodonæi* & *Lobbelii* ab experientia commendant. Quam verò litem dirimendam relinquimus Botanicis. Veteres ad Paronychias incipientes, priusquam suppurentur, sive in manuum sive pedum digitis fuerint, lanam ex aqua frigida imbutam imponunt, aut per linteolum ex aqua expressum assiduè refrigerant. Thus quoque & gallam cum melle trita simul aut seorsim imponentes, folia myrti trita inspertes, aut ceratum myrteum imponentes, aut sordes aurium assiduè illinentes, Paronychiam sanant. At si fuerint inflammatę, panem aqua madefactum cum rosaceo adhibent; vel olivæ folia tenera imponunt, Cadmiam tritam inspergunt carnem verò undiquaque ab ungue separant, linimentis convulsivis è linteo interpositis, & probè adhibita Medicamenra alligant. Spodium quoque simili modo applicant. Ad Paronychias exulceratas alio modo incedunt & opponunt seq.

℞. *Æruginis*,
Spumæ argent. aa. ℥ ß.
Sarcocollæ ℥ j.

Terunt & largè inspergunt, aut farinam ervi adhibent. Carnem quoque separantes, linteum ex vino expressum, itemque spongiam vino imbutam apponunt, at verò depascendo jam proserpentes sistunt auripigmento usto trito ubertim insperso, & linteo cum vino madefacto superimposito. Alii Sandaracham & auripigmentum, æquis portionibus simul trita adhibent, & si cicatricem inducturi sunt, Tereb. liquidam applicant. Quòd si suppuratæ fuerint Paronychiæ, primùm ipsas perforantes humorem exprimunt, & deinde lenticulam cum melle imponunt, aut rosas virides, aut siccas aqua madefactas trita adhibent. Sunt qui statim ab initio ad incisionem mali transeunt, qua facta, mundificantibus & detergentibus benignioribus utuntur, quòd si sordities major conjuncta sit, cum ungu. digestivo miscent Ægyptiac. Apostol. Alum. ust. &c. Prospiciunt etiam Cariei ossium.

Secundùm Paracelsum curatio Digitorum Coalitus & Digiti Sexti.

§. 14. *Paracelsus Combast ab Hobenheim* dictus in curando Coalitu Digitorum, aliam non novit curationem, quam instrumento eum separare, & dein curare ut Vulnus. Sic quoque *Digitum Sextum tollere* non valet quàm per Sectionem ferro seu Scalpello institutam.

Panaritii.

Panaritii verò triplicem esse curam scribit, per Characteres unam, quam tamen trisomnistis Superstitionalibus, ac aliis ejus farinæ Magistris relictam vult, cujus fortean ductu Exorcista quidam chartæ, cui sequens inscriptum: ✠ ut ✱ credis ✱ ita ✠ Tibi ✱ eveniat: ✱ trium dierum spatio firmiter digitum involvebat, infausto tamen successu vanitatis suæ pœnas dando. *Marcellus* de Med. l. c. 18. non dissimili instructus Philosophia sequentia fabulatur de *Paronychia*: *Parietem continges, & rursum digitum ducens dices ter: pu, pu, pu, nunquam ego te videam per parietem repere.* Secundam curam per naturalia fieri asserit, sicut sunt sperniolum & anodyna, cùm ex corio sacculus digito constructus aptusque sperniolo ter vel quater madefactus induitur. Etiam externis putrefactis curam peragi posse contendit, ut porcorum stercore cum aceto decocto superpositoque. Author noster lumbricos vivos imponere jubet.

Helmontiana cura in Digitorum coalitu, Digito Sexto & Panaritio.

§. 15. *Helmontius* in Curatione *Coalitus Digitorum*, & *Sexti Digiti*, cum Paracelso convenit & scalpello vel coalita separanda, vel scalpello superflua membra abscindenda esse vult. In *Panaritio* Talpæ cruorem pellemque recentem digito circumductam una nocte illud mortificari promittit. Idem præstare scribit sanguinem vespertilionis. Vel juxta ipsum lumbricus terrestris vivus imponatur, donec moriatur. Allium quoque cum fæce calculosa Matularum contusum & mistum applicat.

Vvillisii modus curandi Digitorum coalitum.

§. 16. *Willisius Digitos Coalescentes* maturè ferro separat, & deinceps vulnera illis illata balsamo Sulphuris aut Peruviano conglutinat, curatque.

Digitum Sextum.

Digitum Sextum vel filo sericeo, vel filamento radicis Thymelææ in radice ligat, & ejus casum exspectat.

Paronychiam.

Digito *Paronychia* afflicto opitulatur liquore lumbricorum in clibano facto, spiritu lumbricorum, balsamo Sulphuris, linimento ex sordibus aurium cum sacharo Saturni admixti & pauco oleo avellan. express. facto. Jubet etiam digitum sterquilinio intrudi, vel linteum sterquilinio humectatum calidè digito applicari.

Sylvii curatio Coalitus Digitorum, & Digiti sexti. Paronychia.

§. 17. Sylvius æquè in *Coalitu Digitorum* quàm in Sexto Digito ferrum commendat, & dein exinde facta vulnera ad ipsius mentem traumaticis curanda esse præcipit.

In *Paronychia* commendat salia volatilia quæcunque, internè sumpta æque ac externè applicata. Omnia enim quę acre acidum absorbent ac emendant egregia esse scribit.

Cartesianorum modus curandi Digitorum Coalitum.

§. 18. *Cartesiani Digitorum Coalitum* ut ritè curent, ad ipsas respiciunt causas, Digitorum accretionem separando cultello, & prohibendo ne denuò accrescant, qua in operatione eodem modo ac Nos, procedere solent.

Digitum Sextum.

Digitum Sextum anabrochismo vel ferro cum reliquis Authoribus tollunt, dein curant instar alius Vulneris.

Paronychiam.

In *Paronychia* præter sudorifera ex Antimonio diaphoretico, oculis cancror. myrrha, Tinctura Antimonii, bezoard. etiam salia volatilia oleosa exhibent: item digitum affectum usque ad os secundùm longitudinem cultro secant, & dein sequenti lavamento eluunt digitum apertum & vulneratum:

℞. *Spir. vin. Campb.* ℥ ii.
Theriac. veter. ℥ ii.
Mell. chelidon. ℥ j.
M.

Imponunt quoque Cataplasma emolliens cum Emplastro quodam defensivo.

Alii eorum illinunt digitum oleo Sulphuris, vel imponunt oleo calido, vel immittunt ad imitationem *Riverii* in aurem felis. Alii digito vermes vel lumbricos vivos applicant. Nonnulli Moxam inustam magnifaciunt. Item ex asa fœtida, allio & albumine ovorum unguentum parant illinuntque.

Inflammatione simul existente intensiore, non propediem vulnus consolidant, sed potiùs apertum servant, & quidem per globulum impositum, ut ex melle Chelidon. confectum. Apparentibus ossium festucis, eas ab ossibus separant eximuntque, corruptumque exscindunt. Ad consolidandum Ulcus sequens magni pendunt:

℞. *Vngu. Apostol.*
Basilic. aa ℥ vi.
Mell.
Terebinth. aa. ℥ j.
Myrrh.
Aloes
Thuris aa. ℈ j.
M.

Nostra cura in Digitorũ Coalitu.

§. 19. Nostro Consilio *Digitorum Coalitus cura* à ferro tantùm, eoque à prudenti Artifice administrato, sequenti modo exspectari potest. Cùm unionis hujus inconvenientis vinculum sit tenue, nec multis vasis sanguineis majoribus aut tendinibus intermixtum, aut sola cute contextum sit, facilè cura succedit. Hoc in casu uno ictu, acuta forfice incidi potest cutis carnosæ paries integerrimus, exscissis utrobique superfluis digitorum novorum quasi fundamentis; non opus hìc est ligno triangulari, ad imitationem *Plateri Mantiss. Observ.* 43. nec scalpello, quo uti solet *Hieronymus ab Aquapendente Part.* 2. *Chir. c.* 101. *Obser.* 43. Hic tamen asterisco notandum venit monitum Celeberr. *Ronhys. Obs.* 10. *p.* 41. quòd deligentur digiti in novam cohæsionem proni, quod optimè institutis ligaturis ac Medicamentis idoneis facilè præcaveri potest. Sic quoque cura Coalitus Digitorum feliciter cessit, testantibus *Ephem. nostr. Decur. Ann.* 6. *Obs.* 58.

In Digito Sexto.

Sexti Digiti Cura, me arbitro, in ejus ablatione consistit, & optimè perficitur abscissione cum ferro, novacula scilicet, ligatura prius instituta, & hoc potest fieri infantibus. Legimus enim in *Ephem. Germ. Ann.* 6. & 7. *Obs.* 118. Cùm infans tertiam septimanam tantùm complevisset, ligatura priùs instituta digitum firmiùs adhærentem novacula absciderunt Chirurgi, mox altera die absque ligatura alium adhuc digitum amputarunt, quod sine magno dolore & sanguinis profusione factum, & vulnera facilè sanata sunt, ita ut vix vestigium relictum fuerit: Confer. Cl. *Riedlini Obs. p. m.* 187. Sunt qui exemplo *Plateri test. Obs.* 42. *Mantiss.* à resectione abstinent usque infantes adultiores facti sunt, sed non videmus ob quam rationem id omitti debeat. Cùm digitus tantùm quasi petiolo pendeat, & exiguus sit, is instituto Anabrochismo facilè curari potest, h. e. ligatura cum filo sericeo instituta; hinc enim digitus superfluus marcescit & decidit, postmodum facili negotio Medicamentis congruis penitus sanari potest. In adultioribus verò Digitus Sextus commodè cum ferro, quod Germani *ein Meissel* dicunt, exstirpari potest.

In Paronychia.

Paronychiæ notitia in superioribus abundè detecta, reddit nunc Medicamentorum inventionem. Curatio ex Pharmaciæ fonte *Paronychiæ* conducens institui debet, ut sc. stagnantes acriores corrosivi in Digito affecto subsistentes succi corrigantur ac emendentur, inter quæ absorbentia & sudorifera aliis palmam præripiunt, ab initio verò morbi concedimus Lenientia Tartarea aliaque solutiva ad acres fæculentias in primis viis latentes eliminandas, ne lege circulationis ad partem affectam deveniant, purgantia verò omnia quæ ad sanguinem transeunt, & ibidem tyrannidem suam exercent, hìc ac ubique exulare jubemus, uti & vomitoria, & diuretica acriora, mitiora tamen aliquando usum inveniunt.

Sudorifera ergò & absorbentia hìc sola sufficiunt pro re nata anodynis maritata, quæ enim acrimoniam succorum corrigunt, subsistentes & coagulatos succos resolvunt, & per sua vasa iterum refluere faciunt, ut sunt omnia bezoartica viperina, Antimonialia imprimis Tinct. nostra Antimonii. Sunto in juniorum Medicorum gratiam formulæ nonnullæ.

℞. *Antimon. diaphor.* ℈ j.
Sal. C. C. volat. gr. v.
M. F. pulvis.

℞. *Aq. Scabios.*
Fl. sambuc.
Card. bened. aa. ℥ iß.
Tinct. Antimon. nostr. descript. ʒ j.
Essent. lignor. ʒ ii.
Syr. fumar. ℥ vi.
M. D. Cochleatim.

℞. *Malvat. Sambucin.*
Spir. Tartar. rectif. aa. ʒ j.
Vitrioli Martis gt. vj.
Essent. lignorum ʒ j.
M. dentur guttæ 50.

Decocta lignorum, item omnia salia volatilia C. C. viperar. herb. Paronychiæ, item omnia nervina, quæ aliàs in doloribus & irritatione nervosarum ac membranosarum fibrarum proficua usus monstravit, quibus omnibus palmam præripiunt Cinnabarina, verbi gratia Cinnab. nativ. Ungar. Solaris Antimoniata, Pa-

Panacea Hartmann. Pulv. spasmod. nostr. descr. specificum Cephal. *Michaelis* & alia sulphure Auri pollentia, Essent. lumbric. terr. succinata, imprimis spiritus noster matricalis internus, oleum balsam. Ind. nigr. Balsam. nervin. quæ quantum possint in solando hoc ardore & dolore, illis nosse datum est, quibus & selectior & accurata praxis obtigit.

Anodyna utpote Symptomati æquè ac acrimoniæ succorum urgenti debita, circa horam somni commodè interponi & propinari queunt, ut sunt papaveracea, imprimis Theriaca cœlestis nostra reformata Cassellana, singulari modo non ita pridem parata, Anodynum nostrum Solare, vel laudan. opiat. Theriaca Andr. item laudanum Langelotti, cydoniat. Hoffmanni vel simplex, Essent. anodyna Zvvelferi, Tinctura Nepenthes nostra, vel liquor opii, vel Sydenhamii Essent. sc. anodyn. cum vino Malvat. parata, quę opiata simul acrimoniam succorum corrigunt, hinc ea in omnibus Ulceribus tùm externis tùm internis magni ęstimantur, legitima verò dosi exhibita, sed quis omnes descriptiones recensebit? Sunto formulæ nonnullæ apprimè in dolore Paronychiæ maximè conducibiles.

℞. *Spir. lumbric. volat.*
Lignorum,
Matricalis aa. ℥j.
Tinct. anodyn. ʒß.
M. D. guttatim.

Vel

℞. *Pulv. spasmod.* ℈ß.
Anodyn. A. S. gr. ij.
Elæosacch. cinamomi gr. iij.
M. f. pulvis pro dosi vesperi exhibendus:

Vel

℞. *Essent. succin. tartarisat.*
Tinct. Corallor. cum cera parat.
vel menstruo cœlesti aa. ʒß.
Essent. opii liquid. gr. vj.
M.

Vel in forma boli:

℞. *Confect. de hyacinth.* ℈j.
Laudan. opiat. Solar. gr. ij.
Sacch. q. s.
M. f. bolus, pro una dosi assumendus.

Dictis jam internis generosis remediis Externa Topica semper sunt interponenda, quæ sæpè apud vulgum sola sufficiunt. Succi enim in digitis stagnantes ac jam evasati & viscidi, hinc ad refluendum in sua vasa inepti facti, resolvendi, attenuandique sunt. Hinc exulent omnia repellentia tum acida tum aquea & terrea frigida, sive adstringant simul, sive sine obstructione, ut dicunt, refrigerent, hinc angue pejus fugienda est, quam commendant nonnulli, submersio digiti in aquam frigidam vel acetum. Sed hic potiùs conveniunt calidissima remedia, quæ te nunquam effectu frustrabuntur, in Panaritio seq. methodo insistimus, præmissis internis absorbentibus volatilibus oleosis aliisque sudoriferis superiùs dictis, seq. cum carptis linteis imponere soleo:

℞. *Elix. vitæ. n. d.* ℨj.
Spir. sal. Armon. arom. ℈ß.
Ol. sabin. gt. v.
Camphor. gt. ij.
M.

Vel sequens simul epithema calidè applicare jubemus, & ita plures feliciter curatos vidimus.

℞. *Aq. fl. samb.* ℥ij.
Spir. vin. Campb. ℨj.
Fl. sambuc. ʒß.
M.

Vel sola lintea sequenti liquore madefacta, Inflammationi Paronychiali circumponere solemus:

℞. *Spir. lumbricor.* ʒß.
Sal. Armon. cum calc. viv. parat. ℨiß.

Vel

℞. *Elix. vitæ* ℨij.
Olei sabinæ ℈ß.
Camphor. gr. vj.
M.

Sufficit quoque sal volat. oleos. vel bals. Peruvian. externè applicand. Vel in forma Cataplasmatis seq. modo:

℞. *Herb. scord.*
Rutæ,
Paronychiæ,
Fl. chamomillæ,
Melilot.
Farin. lini,
Fœnigræc,
Bacc. lauri,

Coq. in vin. Gallic. vel lact. & calidè Digito affecto applicetur sæpiùs. Vel spiritus vini camphor. crocat. cum Tinct. castorei, vel balsamo arthritico externo, ac essent. rorismar. vel Aq. Hungar externè imponi potest. Communissimum remedium dicitur, ut digitus Panaritio laborans in panem similagineum calidum, quantum patiens perferre potest, ponatur, sic *Riverius Cent. 4. Obs. 19. & 63.* vidit mulierem quandam Paronychia laborantem, cùm immisisset Digitum in aurem felis, intra horæ quadrantem sanatam. Lumbrici vivi Paronychiæ impositi sæpè ad experientiam aliorum votis respondebant. Hinc *Julius Cæsar Baricellus*, Ego inquit, profectò certissimum experimentum comprobavi, lumbricos vivos super Panaritium alligatos pręsertim in principio mirabiliter apostema compescere & sanare, ut vix diei spatium affectus pertranseat: Consentit *Kesler. Process. Chym.* LXIV. *Croll. de sign.* In levi quidem Panaritio hoc semel contigisse credimus, in fortiori verò negamus, hìc enim generosioribus opus est remediis: Inter Emplastra vix melius datur quàm nostrum de Labdano, add. pulv. lumbric. terrestr. ℨj. Theriac. ℈j. Vel

℞. *Ol. mastich.*
Lumbricor. aa. ʒß.
Antimon. depurat. ℨj.
Tutiæ ppt. ℨiij.
Ceræ alb. Venet.
Gumm. Labdan. depur. aa. ℥ß.
M. f. l. a. Ceratum.

Sed sæpè egregia hæc remedia frustra adhiberi solent, quin ullum inde resultet commodum, unde sæpè ad ferrum transeundum est, imprimis si profundiùs malum radicatum est, & caries ossium observatur. Hinc *Hildanus*, *Bayer*, *Paræus*, aliique statim ad sectionem confugiunt, qua nihil quicquam ægrotantes magis sublevare dicunt. Materia verò altiùs si penetrat digitum, tunc per aliquot dierum spatium adhibitis suppurantibus incisionem quidem differendam censent, sectionem tamen instituere solent cum rasorio lateraliter ab ungue usque ad os, à summitate Digiti ad juncturam exclusivè, quamvis autem incisio hæc statim ab initio, non exspectata maturatione, aut notabili tumore, vel inflammatione, secundùm longitudinem à quamplurimis commendetur, eam tamen *Nos* instituendam nisi summa urgeat necessitas non permittimus, quid enim proderit tubulos integros ita discindere? Si verò adfuerit caro emortua, ut sæpè accidit, hæc ferro abscindi debet, caustica verò sine carne emortua existente potius fugere consultius est, plures enim malè statim ab initio uti solent Mercurio præcipitato vel sublimato, cavendum enim est ne tendinosis fibris vitium altiùs affricetur; ossis denique caries non negligenda est, quæ & aliorum & nostra observatione sæpiùs in ossibus Digitorum observata est. Eam autem adesse, doloris pungitivi perseverantia ac continuitas, hypersarcosis declarare possunt, plurima enim mihi reservo frustula ossiculorum cariosorum à digitis in Panaritio discessa: quomodo verò Caries curanda, peculiari jam indigitavimus Capite, quo lectorem remittimus.

Si verò adfuerit *Spina Venosa* in Digito, ut sæpè fieri solet, non cum ignavis Chirurgis ad oxycroceum aut stypticum, vel alia astringentia imprudentiùs confugien-

fugiendum est, sed hoc in passu conducet sectio quæ ad formam crucis instituenda, usque ad os ipsum Digiti affecti, quod dein vel scalpendum, aut urendum, aut exscindendum. Vulnus dein more solito consolidandum, & hìc egregium est notissimum *Emplastrum Norimbergense*, cujus vera descriptio est sequens;

℞. *Minii subtil. pulv.* ℥viij.
Ol. rosar. coct. ℥xij.
Camphoræ ol. rof. dissolut. ℥ß.
Fiat l. a. Emplastrum.

Internè hoc in casu non negligenda sunt superiùs jam commendata sudorifera, imprimis bezoarticum Mineral. Joviale ac Martiale, Tinct. Antimon. nostr. & tartarisata Omnia Viperina etiam hìc prosunt; ipsæ enim viperæ in brodio carnium decoctæ & brodia assumpta. Vel pulvis Anglicus, vel alia gelatina viperina, item vinum viperinum maximè prosunt: pilulæ quoque Mercuriales hoc in affectu magnipenduntur.

Externè spir. vini Camph. vel Elix. vit. vel Tinct. Auri cum spir. sal. parat. Euphorb. cum melle & spiritu vini Camph. proderit, Empl. Vigon. cum quadruplo Mercurii; quòd si malum contumax hæc omnia eludat præsidia generosa, præsentissimum erit remedium cauterium actuale, vel amputatio, de quibus omnibus Consule *Severinum* & *Jacobum van MeKeren*.

CAPUT III.

De Unguium Inæqualitate, Crassitie, Rugositate, Scabritie, Coloris mutatione, Curvatura, Fissura, Casu.

§. I. UNgues si gibbosi & rugosi sint, maximam inferunt deformitatem in manibus, sic quoque deformes sunt Unguium omnium solutæ continuitates, eoque magis si in manibus, cùm semper oculis pateant, hæc vitia existant, inter quæ frequentior est *Inæqualitas* & *Scabrities Unguium*, perseverans in quibusdam deformitas, eoque major, si simul illi crassescant, & sic *Crassi* dicuntur: vel color ipsorum mutetur, & vel *liveant*, vel etiam *nigricent*, vel *maculas plures albissimas* accipiant, vel *incurventur*. Huc & pertinent *Fissuræ* Unguium, si nimirum in longum fissi sunt, vel quod sæpissimè contingit, si per transversum divisi, & vel uti in duas laminas dissecti existunt. Ex quibus vitiis quædam aliorum morborum, ut Psoræ, Elephantiasis ac Luis Venereæ, comites sunt, cæterisque copulantur, aliis verò sunt tanquam dedecorantia vitia, quo & pertinet ipsorum *Callositas* duritie se prodens. Postremò & Ungues *situ* interdum *permutato* huc illucque inclinant, ac mobiles facti sæpè diu antequam *decidant*, sic hærent & deformitatem inferunt, quandoque etiam planè decidunt. *Reduviæ* quoque dici possunt istæ pelliculæ, quæ in digito circa radicem Unguis prostant. Qui Affectus omnes absque *Definitione* aut Descriptione sufficienter intelliguntur, hinc non necessarium duximus illam apponere, sed festinamus ad *Partem affectam*.

Unguium Inæqualitas & Crassities, Rugositas ac Scabrities. Coloris mutatio. Curvatura & Fissura.

Casus.

§. 2. *Partem affectam* quod concernit, sunt *Ungues*, qui dicuntur partes solidæ, mediæ ferè inter ossa & cartilagines, in digitorum extremitatibus, quibus numero & magnitudine respondent, occurrentes planæ, siccæ, læves, albæ seu corneæ, ad majorem digitorum fortitudinem & meliorem operationem facientes. Ungues, nostro judicio, substantiæ sunt cartilagineæ, membrana sensili intus tectæ, extrema digitorum loco superiore claudunt moderatè, molles, flexiles, densi, coloris ex albo rubicundi, vinculo circa radices, quas vasa accedunt, firmati, ad id ut velamentum sint atque apprehensionem faciant. Ordinariò Ungues albescunt, Æthiopibus verò nigrisque brutis magis nigricant. Externè Ungues sunt convexi, internè verò concavi. Sunt nihil aliud, quàm fibræ tendinosæ invicem concretæ, si enim ope microscopii conspiciuntur, ex plurimis filamentis & canaliculis eos esse conflatos diceres. *Cl. Dn. BlanKardus* ex pilis invicem concretis Ungues esse compositos existimat. Confer prælaudati *D. BlanKardi Anatomiam Reformat. capite de Unguibus*.

Pars affecta.

§. 3. *Diagnosin* Unguium affectuum quod spectat, ii per se sufficienter dignoscuntur, quum oculis percipiantur, & in sensus nostros incurrant, hinc amplam *Diagnosin* hìc formare non operæ pretium duximus, sed iis studiò neglectis, ad eorundem causas explicandas statim nos accingemus, ne inutiliter tempus teramus.

Diagnosis Unguium affectuum.

§. 4. Veteres & ex illis maximè *Galenici*, *Unguium Inæqualitatem* originem ducere ajunt ab humoribus vitiosis & excrementitiis non benè dispensatis, & inæqualem nutritionem præbentibus. Sic quoque *Crassitiem Rugositatemque* Unguium deducunt ab humorum crassiorum in Ungues se insinuantium copia, tum etiam à topicis refrigerantibus, aut actu frigidis sæpè applicatis, quæ Ungues crassiores reddunt vel rugosiores.

Ætiologia secundum Galenicos Inæqualitatis unguium.

Unguium Scabritiem derivant à succo melancholico seu atrabilario, coloris verò in album mutationem ab humoribus crassis & imprimis pituita spissiore, Unguibus per frustula impactis, deducunt.

Unguium Scabrities.

Curvaturam ac Fissuram, ut & casum Unguium, vel à materia quadam sicca ungues ita depravante, vel à causa violenta, vel ex aliqua offensa, contusione fortiori, Unguium *Casum* inducente, provenire ajunt.

Curvatura, Fissura & Casus.

§. 5. Ex *Paracelsi* Principiis Unguium *Inæqualitas* ac *Crassities* causam agnoscit ipsam materiam, sive sal cum Mercurio primo resolutum, & in Ungues majori copia influens; & si simul cum Sulphure inspissetur & coaguletur, *Rugositas* etiam & *Scabrities* producitur.

Paracelsi opinio de causis unguium Inæqualitatis, Crassitiei, Rugositatis, ac Scabritiei.

Unguium *Coloris mutatio* in albissimas maculas, juxta ipsum, oritur à separatione spiritus salis, cum Mercurio à sulphure, sal enim subtile fluidius sese ex consortio sulphuris eripiens, & cum Mercurio resolutum subter Unguem se diffundit, & rubedinem sulphuris exstinguit, eapropter Unguis peregrinum vel inducit colorem, vel maculas albas ipsis imprimit Unguibus.

Unguium Coloris mutationis.

Curvaturam & Fissuras Unguium ex sale Unguis vel sanguinis fieri contendit, ex quo sale *Scissuræ* istæ *siccæ* unguium oboriuntur.

Unguium Curvatura, & Fissurarum.

Casum Unguium itidem esse statuit ex sale caustico ab ulcere, vel contusione productum.

Casus.

§. 6. *Helmontii* juxta Fundamenta in hoc differt digestio unguis à digestione aliarum partium, quod hæc fiat in culinis sibi internis, illa verò in culina radici illorum contigua. *Inæqualitas* ergò & *Crassities* unguium, juxta ipsum, oritur à succis mucilaginosis cum latice ad ungues delatis, atque ibidem inspissatis, qui cum arctè adhæreant, nec se tam facilè ab unguibus patiantur divelli, ejus vel inæqualitatem faciunt, vel ejus substantiam augent & crassiorem reddunt.

Helmontii sententia de causis unguium Inæqualitatis & Crassitiei.

Rugositatem verò ac *Scabritiem Unguium* itidem deducit à latice sale multo referto, & sic ad ungues delato.

Rugositatis ac Scabritiei.

Coloris Unguium mutationem derivat Author ex proximo Venarum nutrimento, ad ungues delato, & diversas maculas imprimis verò à latice effuso, albas producente.

Coloris mutationis.

Curvaturam ac Unguium *Fissuras* excitari ait à latice sal quoddam asperum sibi copulante, quo ungues dirumpit, quoque illis sæpius ab externo aere communicatur.

Curvatura ac Fissurarum.

Casum verò *Unguium* vel oriri credit à latice corrosivo radices unguium non tantùm corrodente, sed planè exedente, hinc eos necessariò excidi debere haud dubitat.

Casus.

Porrum provenire ex acri liquore, qui nutrimentum radicum esset debet unguium, scribit, notat etiam, ubi porrus, non longè distant ungues: itaque radices earum in excrescentiam abeunt, quæ porros efficit. Cùm in digitis pedum aut manuum porri nascuntur, quibus tactus dolorem infert, ac in dies magis excrescunt, in avellanæ nucis medietatem porros fore dixerit.

Porri.

Ultimè

Ultimò simul cum carne crescunt in unguium duritiem, & cùm per corrosivas aquas vel incisionem aperti fuerint, in Elephantiæ principium incidunt incisioneq; majores efficiuntur.

Juxta Vvillisium causa Inæqualitatis unguium.

§. 7. *Unguium Inæqualitas* ex *Vvillisii* mente, fit ex crassioribus terrestrioribusque succi nutritii particulis, quę ob molem in certis tubulorum, ex quibus constant unges, angustioribus locis retentę atque aggestę, coacervatione sua quasdam producunt in unguibus extuberationes, quæ ipsos *inæquales* efficiunt.

Crassitiei ac Rugositatis.

Crassitiem Unguium emergere statuit, quando particulæ istæ paulò minùs crassæ, sed viscidis involutæ, universos unguium tubulos, totumque illorum canalem opplent, ipsisque inhærentes eos extendunt, & elevant, unguemque crassum reddunt. Si verò quidam tantumodo tubuli à crassiore viscidioreque humore infarciantur, reliqui verò liberi subsistant, *rugosos* fieri *ungues* statuit, tubulis obstructis liberos superantibus.

Scabritiei.

Scabros devenire *Ungues* asserit à salibus liquori alibi viscidiori permixtis, quę cùm liberè per unguium tubulos iter facere nequeant aculeos suos eorum poris infigunt, qui in superficie prominentes ejus *Scabritiem* edunt.

Coloris mutationis.

Color Unguium, juxta ejus sententiam, mutatur à sanguine in aliqua eorum parte remorante, & stagnante, vel ob vasa supposita carnis a quodam instrumento gravi & contundente compressa & angustata, vel ob ipsum sanguinem à particulis quibusdam acidis congelatum, & in iisdem vasis retentum.

Fissurarum.

Unguium Fissuras deducit Author à salibus acrioribus in succo nutritio luxuriantibus; qua validis, quibus gaudent, spiculis unguium tubulos dividunt ac dissecant, pluresque eorum disperdentes Fissuras in ungue excavant.

Casus.

Ungues excidere contendit, quando scilicet genio suo defraudantur, requisitoque succi alibilis, subsidio privantur, quod accidit vel ab obstructis vasis, liquorem ipsis nutriendis dicatum deferentibus, vel ab iisdem cum fibris nerveis, per quas in ungues accedunt spiritus animales, à quodam humore corrosivo instar aquæ fortis exesis, vel tandem ab iisdem surculis nerveis obturatis, spirituumque influxum unguibus denegantibus; qua de causa succus nutritioni partis destinatus nequaquam actuatus, in ejus alimoniam nullatenus cedit. Non reparato ergo detrimento à continua evaporatione dilatantur pori, qui papillas ex suppositis partibus protuberantes excipiunt, & ungues hisce sustentaculis orbati, à vicinis partibus separantur, ac tandem decidunt: hoc etiam contingere contendit ab exesis papillis, quæ unguium poris inosculantur, vel à pure, vel ab alio humore acri & erodēte.

Sylvii sententia de causa Inæqualitatis Crassitiei unguium.

§. 8. Sylvius *Unguium Inæqualitatis & Crassitiei* causam deducit à pituita viscida, cum sanguine per arteriolas unguium humori nutritio affusa, quæ dum unguium tubulis arctiùs adhæret, & cum tempore induratur, ungues *crassiores & inæquales* reddit.

Rugositatis ac Scabritiei.

Rugositatem ac *Scabritiem* deducit à salibus lixiviosis sanguini & succo, nutritio commixtis, unà cùm viscidiore pituita, & in unguibus subsistentibus, eosque rugosos ac scabros reddentibus.

Coloris unguium mutationis.

Sic quoque *Coloris mutationem* à sanguine circa ungues stagnante, vel pituita commorante provenire contendit.

Curvaturæ ac Fissurarum.

Curvaturam ac *Fissuras* Unguium à salibus acrioribus in sanguine luxuriantibus & ad ungues delatis, quę dividendo ac dissecando Fissuras producunt, incurvando & distendendo Curvaturam excitant.

Casus.

Casum verò *Unguim* fieri contendit, quando radices ipsorum corroduntur, vel ab acidis vel acribus humoribus, sive in massa sanguinea præexistentibus, sive ab ulcere, vulnere ac contusione, productis.

Cartesianorum opinio de causis unguiū Inæqualitatis.

§. 9. *Cartesiani* causam *Unguium Inæqualitatis & Crassitiei* imputant variis particulis terrestribus succi nutritii glutinosis commixtis, sese fibris illis ungues constituentibus inferentibus & quiescentibus, quo pactis fibris illis arctiùs adhærentes, illorum immutant texturam ac compagem, ut inæquales & crassiores reddantur ungues.

Rugositatis.

Unguium Rugositatis ac *Scabritiei* causam dicunt esse particulas acutas & salsas, vel cum succo chylosiore, ex sanguine per arteriolas, vel cum lympha per canaliculos lymphaticos unguibus illatas, quarum figuræ minimè respondeant poris & interstitiis fibrillarum eorum, proinde pori à particulis istis pervertuntur, & unguibus Scabritiem & Rugositatem inferunt, imprimis si deficiat liquor lubricans adeò necessarius.

Coloris mutationis.

Unguium Coloris mutationis causam dicunt esse particulas succi nutritii vel crassiores unguibus illatas, quę radios solares vel impediunt in eorum progressu, vel eos deflectunt, vel quandoque facilè permittunt, hinc enim ungues vel livent, vel nigrescunt, vel albescunt.

Curvatura vel Fissura.

Unguium verò *Curvatura* vel *Fissuræ* à particulis austeris, & multis angulis aut hamulis præditis ad ungues delatis ibidemque hærentibus, ad mentem Cartesianorum, inducuntur, unde ungues indurati ac rigidi curvaturam faciunt, & si simul particulæ hæ rigidę discindant unguium tubulos, *Fissuræ* eorum oboriuntur.

Casus.

Unguium autem *Casum* deducunt à succorum ungues irrorantium particulis acrioribus scindentibus ac erodentibus, radices unguium devorantibus, & ita eos planè tollentibus.

Nostrū judicium de causa unguium Inæqualitatis.

§. 10. Jam demum & *nostram* de causis Unguium morborum proferamus sententiam: Ungues, ceu diximus, variis affliguntur affectibus, tum a propria structura, tum à peculiari succorum dispositione, tum à causarum externarum inclementia enatis; quum enim tubuli ex quibus contexti sunt ungues, arctè invicem sint connexi, strictioribusque polleant canaliculis, tenuiores tantùm admittunt succi nutritii particulas. Si verò in sanguine contineantur crassæ, terreę, viscidęque particulæ, quædamque ex iis cum sanguine ad ungues deportatæ sese in eorum tubulos insinuant, tubuli ii, qui tales exceperunt particulas, ab illis inferciuntur, & à novis continuò advenientibus attolluntur ac extumescunt. Sed quum crassiores sint istæ particulæ, quàm ut omnes fibras subire valeant, & ad finem usque earum quas sunt subingressę pervenire possint, contingit ut *Ungues* in certis locis promineant, in aliis verò *æquales* remaneant.

Crassitiei.

Cùm verò sanguis superiùs dictis particulis, nimisque crassis, paucioresq; visciditate involutis scateat, eæque abundantes ad ungues appellant, universos, vel saltem plerosque eorum tubulos complent & extendunt, & in ipsis novo affluxu coacervatę Unguem *crassiorem* reddunt, *molemque* illius *adaugent*.

Rugositatis.

Ungues quando *rugosi* apparent, quod tum fit, quum scilicet propositæ jam particulæ fibras eorum aliquales ab origine ad finem usq; compleant, dum verò alię pristina fruuntur libertate: quum verò hæ constituant interstitia, à quibus illæ ab invicem separantur, efformantur hac ratione sulci seu rugę, à quibus ungues *rugosi* dicuntur.

Scabritiei.

Copiosæ interdum adsunt in sanguine salinæ particulę pluribus præditę angulis, à quadam terrestreitate admixta parumper obtusis, quæ per circulationem ad ungues delatæ illorum tubulos subintrant, in iisque ob improportionatam figuram remorari coguntur; sed quum perpetuo agitentur motu, penitiùs in tubulos sese insinuant, spiculaque sua fibrarum parietibus infigunt, quæ continuata actione sua tandem ad externam superficiem perveniunt, quam denso suo ordine scabram faciunt; illa verò non findunt obtusis, ut jam dictum earum acuminibus ab adjuncta terra.

Coloris mutationis.

Fibræ unguium contextum componentes sunt ex nervearum genere, coloreque albo ideò donatæ, sed a sanguine ipsas perpetuo affluxu irrorante rubro induuntur colore, facta autem levi quadam in vasis sanguiferis unguem perreptantibus obstructione, statim apparet innatus unguium color eo in loco, quem sanguis non inundat; diu tamen non perdurant similes obstructiones, brevique evanescit color iste albus; sanguis siquidem continuato suo motu, spirituumque animalium subsidio adiutus, oppositos sibi obices tollit, pristinoque tramite pergit iter suum, quod antea

per

per anastomoses inter vasa congenera communes fecerat.

Curvatura unguium.

Crassæ succi nutritii particulæ, quæ unguium fibras subeunt, aliquando tantæ sunt molis, ut in limine ferè hæreant, earumque principia impleant: & cùm salinas easque acuminatas quasdam possideant, fibras in origine vellicant; hæ verò sic irritatæ versus principia contrahuntur, & finem vi elastica adhuc gaudentem versus eundem terminum retrahunt, unguemque sic *invertunt incurvantque*.

Unguium Fissura.

Particulæ salinę copiosè in sanguine ac succis nostris existentes, si duris rigidisque polleant spiculis, quæ nullo phlegmate, nullave terra hebetentur, fibras in quas protruduntur discindunt ac dilacerant, atque ab invicem *dividunt*, *fissurasque* in unguibus progignunt.

Unguium Casus.

Ungues interdum *decidere* conspicimus, quod à plurimis causis tum internis tum externis evenire potest; quę sc. unguium fibras necessaria orbant alimonia, vel earum commercium tum cum fibris nerveis, tum cum partibus vicinis, quibus sunt alligatæ, interrumpunt: internæ sunt, v.gr. obstructiones pertinaces, quæ fiunt in unguium tubulis à quibus præpeditur influxus spirituum animalium, succiq; alimentarii, unde sensim emarcescunt fibre interstitiisque quibus inosculantur musculorum fibræ, quarum ope fiebat cum musculis commercium dilatatis, hæ juris sui fiunt unguesque dimittunt, qui nullis adminiculis sustentati excidunt: nonnunquam verò acres atq; lixiviosæ quædam particulę tenuiores in aliis tamen supradictis casibus in fibris cespitantes, eas sensim ac sine sensu erodunt ac dissecant atque ab aliis quibuscum conjunctæ erant dividunt, ac separant, obstructionesque mora sua producentes, commodum sanguinis Spirituumque commeatum præpediunt, & sic *Unguium Casum* inferunt. Earundem sunt virium Ulcera & Abscessus in partibus unguibus subjectis facta. Causæ externæ, quales sunt contusio, vulnus, &c. simili modo ac prędictæ unguium casum inducunt.

Reduvia.

Causæ Unguium Reduviæ sunt particulæ acriores ad carnem & radices unguium delatæ, itidem cuticulam & cutem discidentes, ac ejusmodi Reduvias excitantes.

Prognosis.

§. 11. *Prognosin* quod attinet: Omnes hi affectus unguium vix periculum, sed potiùs defœdationem manibus inferunt, sunt etiam aliquando difficillimi curatu hi affectus. Sic unguium crassities nimia, si non duntaxat in illis qui jam sunt, ast etiam in sucrescentibus similiter se offerat, corrigi nequit, cùm, etsi quid ab illis deradatur, rursum in aliis, qui recrescunt, vitium hoc redeat. Sed hi affectus unguium non planè negligendi sunt, quia constant ex fibrillis & filamentis nerveis, & facilè ex eorum irritatione spasmus, convulsio ac mors oriri potest, ceu patet ex *Ephem. Germ.* ubi ex improvida sectione unguium mors secuta est.

Puncta & maculæ albæ in unguibus apparentes non pro vitiosis, sed potius pro vitæ longævæ indicibus habentur, in juvenibus laudantur, in senibus spem vitæ longioris faciunt, ceu vulgus loquitur.

Cura Diætetica unguium affectuum.

§. 12. *Diæta* nec in minimis ac vilissimis morbis contemnenda est, sic & ea nec negligenda venit in affectibus unguium externis, quia à succo nutritio ex cibis & potu parato hi affectus oboriri solent, & cùm utplurimùm hi affectus, ceu in causa diximus, à stagnatione coagulationeque succorum, imprimis succi nutritii, producuntur, necessariò eò respiciendum est, ut stagnatio ac coagulatio æquè observata congrua Diæta, quàm applicatis remediis impediatur. Aer ergò eligatur purus, temperatus, fugiatur frigus angue pejus, cibi eligantur boni succi lactescentis, ut inde optimus emergat succus nutritius, ab omni terrestreitate ac visciditate alienus, vitentur cibi acidi, salsi, sacchatati, muria conditi, gaudeant potius copia salis volatilis. Potus sit cerevisia benè fermentata, ac herbis vel radicibus aromaticis, sale volatili abundantibus maritata, & vinum Galicum interponatur, vel sit potus calidus Theæ vel Caffeæ; fugiantur vina acida, aliaque refrigerantia, succos, imprimis nutritium tantùm coagulantia. In hisce casibus imprimis munditiei studendum est, ne manus cum digitis ac eorum unguibus rebus sordidis multùm applicentur, vel diutiùs aquæ frigidæ immergantur. Reliqua sunt pro re nata observanda.

Curatio secundùm Galenicos unguium inæqualitatis & crassitiei.

§. 13. Ordine nunc devolvimur ad *curationem Pharmaceuticam & Chirurgicam*, quam Veteres Galenici in Unguium *Inæqualitate* & *Crassitie* instituunt evacuando priùs humorem superfluum, pituitosum scilicet; dein ad *Topica* transeunt inter quæ humorem crassum attenuātia maximè laudant, adipem ovillum emoliitum, & super linteum extensum adhibent, ac tertio die solvunt, & si mollem unguem repererunt, deradunt & eundem rursus imponunt, & tertia die solutum similiter deradunt, atque hoc tamdiu faciunt donec ungues glabri & æquales ac tenues fiant. Alii thus tritum cum adipe ovillo excipiunt, ac eodem modo utuntur. Alii alumen scissum anserino adipe mixtum usurpant pari modo. Nonnulli, ex cujus usu successum sentiunt, Mastichem Chiam in aquam ferventem conjectam ac emollitam ungui imponunt ac obligant, & tertia die solvunt & deraso ungue iterum imponunt, atque hoc faciunt usque ad perfectam restitutionem.

Rugositatis ac Scabritiei.

In *Rugositate* & *Scabritie* Unguium Hordei farinam cum Pice ad emplastri formam coquunt ac imponunt, si hæc non juvant ad fortiora accedunt, quæ efficiunt ut ungues ita deturpati decidant, & novi meliores recrescant, in quem finem sequentia laudant Auripigmentum colore aureo, & sandaracham æquis portionibus probè terunt, terebinthinam ad emplastri formam excipiunt & imponunt, ubi priùs per unum atque alterum diem farinam hordeaceam cum aceto & silvestris cucumeris radice tritam adhibuerint. Item calcem vivam cum oleo, aut mastichen cum opobalsamo imponunt.

Coloris mutationis.

In *Coloris mutatione* Unguium rasionem commendant Veteres, dein varia excoriatoria ex cantharidibus, sulphure vivo, chalcitide, nasturtio, sinapi, nigella; atramentario sutorio, &c. parata applicant.

Curvaturæ.

In *Curvatura* & *Fissuris* unguium plurimùm hic conferre ajunt pulmentum avenaceum, cum pulvere radicis althææ in aq. in cataplasmatis formam coctum. Ungues incurvatos vitro priùs terendos esse ajunt, dein adipe ovi sæpiùs emolliendos. In *Fissuris* vel *Scissuris* commendant aquam folior. cynogloss. quam linguam cani vocant, sæpiùs applicatam.

Casus unguium.

Ad motos ungues ex aliqua offensa, caricas cum melle tritas mitigare dicunt. Quòd si dimidium unguis exciderit, nitrum aut salem cum pari fellis vitulini mensura mixtum, adhibent, sanantque.

Ad *contusos Ungues* Myrti & mali Punicæ folia tenera imponunt, aut felle tauri evacuato, in ipsam fellis vesicam unguem indunt, ac sinunt, donec perfectè sanetur. Vel sal fossile cum aqua & oleo tritum illinunt.

Ad *subcruentos Ungues*, picem siccam liquefactam, & cum farina mixtam apponunt. Aliquando subcruentatum unguem in medio perforant, ac cruorem effusum exprimunt.

Ad *reparandos* Ungues commendant sequens:

♃. *Myr. b.* ℥j.
Alum. sciss. ℥ß.
Panis hordeacei sicc. ʒj.
Excip. melle & imponunt.

Laudant quoque ad ungues ægrè orientes, Betæ agrestis semen cum aceto tritum ac impositum, vel polium cum adipe vitulino & terebinthina tritum adhibent.

Paracelsi cura in unguium Inæqualitate & Crassitie.

§. 14. *Paracelsus* in Unguium *Inæqualitate* & *Crassitie* uti solet resolventibus, ut nimirum coagulatum illud ex sale & Mercurio cum Sulphure ritè dissolvatur, in quem finem commendat lapidem calaminarem, gummi Arabicum, aliaque commendat.

In Rugositate & Scabritie.

In *Rugositate* & Unguium *Scabritie* laudat vapores, qui adscendunt instar fotus ex radic. urticæ minoris; vel sequens laudat.

♃. *Farinæ hordei,*
Siliginis aa. ℥j.

Pyro-

Pirolæ,
Agrimoniæ,
Centaureæ,
Prunellæ aa. ℥ß.
Aquæ puræ quantum sufficit pro decoctione. Aut illinit sequens:

℞. *Ol. ex Juniperis* ℥j.
De spica ℥ij.
Laterini ℥vij.
Fiat Mixtura.

Ungantur Ungues hoc unguento.

In Coloris mutatione. In *Coloris Unguium mutatione* commendat Tincturam lapidis scissi, vel sequens:

℞. *Camphoræ* ℥ß.
Sigilli Salomonis ℥ij.
Destillat, postmodum linteo hac madefacto parum inungit lavatque Ungues.

In Curvatura. *Curvaturæ ac Unguium Scissurarum cura*, juxta ipsum, fieri debet seq. modo:

℞. *Rad. urticæ minoris* ℥vj.
Reponticæ ℥iij.
Consolidæ regalis ℥iß.
Aquæ puræ q. s. est pro Decoctione.

In Decoctione superpone Ungues, & olla sit optimè cooperta, ut vapor ungues meliùs tangat, hoc fac singulis diebus quater aut quinquies, postea purgabis sanguinem, uti sequitur:

℞. *Gamandreæ,*
Cichoreæ aa. q. v.
Bulliant in optimo vino. Hanc potionem dicit rectificare sanguinem. Vel in forma unguenti sequens applicetur:

℞. *Petrolei,*
Axung. cati sylv.
Cervi,
Taxi aa. ℥ß.
M. f. Unguentum super carbones manè & sero illine.

In Casu. In *Casu Unguium* omnia ea approbat, quæ extrinseca accidentalia avertunt, laudibus axtollit oleum quercinum circa radices unguium illitum, vel axungiam catti, vel oleum de costæ, de granatis, & quæcunque alia, quæ modicè astringunt, applicat quoque hoc in casu realgar & talcum.

In Porro. In *Porro* ab incisionibus & corrosivis aquis abstinet, & seq. commendat:

℞. *Oleum ex baccis Juniperi,*
Besonnæ, Agarici aa. ℥j.
Fellis bovis q. s. pro unguento:
Unde dies & noctes linteolo, quo magis triveris eo melius efficiuntur nigri siccanturque: post oppodeltoch ad 4. vel 5 septimanas utere.

Vel

℞. *Realgaris* ℈j.
Olei vitell. ovor. ℥ß.
Calcis exstict. q. s. pro unguento.

Helmontii curatio unguium Inæqualitatis Crassitiei, Rugositatis ac Scabritiei Unguium Coloris mutationis. Curvaturæ Fissurarum ac Casus.

§. 15. *Helmontius* ad *Inæqualitatem & Crassitiem*, ut & *Rugositatem & Scabritiem* Unguium corrigendam eo intendit, ut spissior ista accretio resolvatur, & alliciatur latex purior ad ungues, in quem finem commendat tanquam arcanum axungiam muris, sæpiùs unguibus illinendam.

In *Unguium Coloris mutatione* omnia ea commendat, quæ laticem purificant, & interiùs mucaginem abluunt, & sic ungues nitidos reddunt; in quem finem commendat interna sudorifera, externè verò fel leporis. Si verò à sugillatione fuerit, laudat ea quæ in hoc affectu jam deteximus.

Curvaturam, Fissuras & Casum iisdem curat remediis ac prædicti Authores fecerunt.

Vvillis. curatio in unguiũ Inæqualitate, crassitie, Rugositate ac Scabritie

§. 16. *Vvillisius* in omnibus suprà descriptis affectibus exhibet medicamenta, quæ succo nutritio fluidiori, volatiliori, & dulciori reddendo conveniunt. Quoad externa verò ea ipsorum singulis juxta variam liquoris Diathesin affectusque naturam administrat.

Inæqualitatem, Crassitiem, Scabritiam & Rugositatem sanat Empl. de cera, pice aut resina, vel etiam mastiche imposito; ut prioribus decrescentibus novi æqualiores succedant. Si fortioribus sint detrahendi, folia ranunculi applicata approbat, uti & arsenicum ceræ admixtum.

In Coloris mutatione. Quum *Coloris mutatio* in hoc casu à sugillatione fiat, Author medicamenta sanguini dissolvendo appropriata præscribit, qualia sunt catapl. ex farina fabarum, fœnigræci, pulv. cymin. croc. vel catapl. ex melle, nucl. nuc. & sale, item oleum coctum radicis bryoniæ, & unguentum de Alabastro.

In Curvatura. *Curvaturam Unguium* corrigit Emplastris emollientibus, qualia sunt Emplastr. Diachyl. de mucilag. &c.

In Fissuris. *Fissuris Unguium* medetur Emplastro ex colophonia, terebinthina & thure.

In Casu. Ars Medica in *Casu Unguium* nullum auxilium afferre novit, radix enim Unguis absumpta nullis remediis reparari potest, novusque est exspectandus, qui ex radice in carne contecta repullulet.

Sylvii cura in unguium Inæqualitate ac Crassitie. §. 17. *Sylvius* ad curandam *Inæqualitatem* ac *Crassitiem Unguium* in eo occupatus est, ut *humor* peccans ac viscidus corrigatur medicamentis incidentibus & attenuantibus, seu sale volatili præditis tum internis, tum externis. Et si simul copia peccent hi humores, evacuentur per phlegmagoga, tum communia, tum maximè Chymica, Mercurium potissimum dulcem. Externè verò commendat spiritum vini cum oleo aromatico, vel balsamo sulphuris maritatum, sæpiùs *Unguibus* applicatum.

In Rugositate, Scabritie ac Coloris mutatione. *Rugositatem Unguium* ac *Scabritiem*, item *Coloris commutationem* quod spectat, in curatione cum aliis consentit.

In Curvatura ac Fissuris. *Curvaturam & Fissuras Unguium* curat ungues à siccitate rigidos emollientibus, ut unguento Dialthææ, axungia caponis, & id genus aliis remediis.

In Casu. In *Casus Unguium* cura Author cum Vvillisio consentit.

Cartesianorum ratio curandi Unguium Inæqualitatẽ & Crassitiem. §. 18. *Cartesiani* ad *Inæqualitatem & Crassitiem Unguium* varia destruentia, resolventiaque, adeoque ab ipsa quiete ad motum excitantia adhibent, ut sunt spiritus vini, calcis viv. sal. Armoniaci, sed cùm hæc vix sufficiant, ad cultrum accedunt, ut Ungues tamdiu rodantur, donec æquales & tenues reddantur.

In *Rugositate* ac *Scabritie* commendant medicamenta aliquantum pinguia, quibus anguli hebetentur, & rigiditas unguium cornuum flectatur, ut sunt butyrum recens, lardumque, ungu. Dialth. &c.

Curvaturã & Fissuram *Curvaturam* ac *Fissuras Unguium* corrigunt medicamentis particulas habentibus teretes, lubricas, vim angulorum eludentes, quæ fibris unguium irrepentes, & Fissuras replentes, efficiunt, ut vis illa angulorum scindentium valdè minuatur, & benigniores particulæ succi nutritii admittantur, fibras denuò glutinantes; quod præstant omnia Medicamenta mucilaginosa & blandiora ramosa, particulas acutas inviscantia & hebetantia, imprimis linimentum ex butyro recenti insulso, cum creta & camphora, vel unguentum aureum.

Casum. In *Unguium Casu* commendant eadem & alia in ulceribus ipsis solennia, ex Saturno, Tutia, &c. parata, spir. vin. camphor. aliaque remedia acidum absorbentia, mitigantia & hebetantia, alibi jam dicta, & inferiùs adhuc dicenda, adhibent.

Cura Inæqualitatis Unguium secundum Nostram methodum. §. 19. Quoad *Nostram* sententiam, cura in *Unguium Inæqualitate* consistit in eo, ut emolliantur & dein abradantur, ad emollitionem varii fotus, cataplasmata, unguenta, olea, succi, &c. applicari possunt: Emplastrum ex cera, resina, mastiche, & succo heder. arboreæ egregium erit, nec Empl. nostrum de Thea & spermat. ceti, vel de Labdan. contemnenda sunt. Si hisce medicamentis & rasioni non cedant, ad fortiora accedendum est, & quidem corrosiva, ut sic prioribus decrescentibus novi æqualiores succedant ungues, in quem finem conducet aqua nostra corrosiva Mercurialis, qua sola imposita statim decidit unguis. Sed semper durante cura unguis ab aere munia-

muniatur, facilius enim tunc recrescunt. Rarum est quod nuper in filio 12. annorum Illustris alicujus Baronis observavi, cui ungues non crescunt, sed succus nutritius unguibus destinatus ad partem carneam transit, & ibidem tumorem instar clavi producit.

Crassities Unguium. Vix *Crassities Unguium* aliis remediis curari potest, quàm abrasione sæpiùs cultello instituta, vel illinantur elix. vitæ nost. d. vel spir matrical. vel aq. Regin. Hungar. tunc facilè recrescere solent ungues, & vix impediri potest, ne iterum incrassescant ungues, alluente sc. novo succo nutritio.

Ad *Crassitiem* hanc *Unguium* impediendam commendamus etiam varia Emplastra, imprimis istud quod solemus parare ex cera, pice, thure, mastiche, succo anagallidis, quod continuò super unguem gestandum est, vel Empl. Cinnabarinum nostrum.

Unguium Scabritiei. & Fissura. *Ungues Scabri* vel *Fissi* vix redintegrari aut æquales fieri possunt, sed procrescentes tandem cadunt, quod ut meliùs fiat, neque alii similes succedant, sequentibus uti solemus, vel si adhuc subsistunt, ut auferantur, applicare solemus Empl. de Labdano, vel applicetur cera cum mastiche liquefacta, vel spirit. matricalis, vel fiat cerat. ex colophon. terebinth. addito sulphure, camphora, & sale Armoniaci: Empl. Vigon. cum quadruplo Mercurii. Inter fortiora Ungues scabros detrahentia commendantur varia medicamenta caustica imposita, quibus tamen cautè incedendum esse author ero, ne tubulos illos fibrosos nimis irrites & discindas: sic quidam Empiricus oleo Antimonii ungues tollere conatus est, inde vero puero 12 annorum pessima symptomata acciderunt, caput dolebat & lachrymæ continuò involuntariè ex oculis effluebant.

Unguium Coloris mutationis. Si ungues *liveant* ob pallorem corporis, vel si maculam nigram contineant ob sugillationem sub ipsis factam, cùm hi colores non in ipsis, sed in substrata carne existant, & per ipsos pellucidos tantum transpareant, non alia cura, quam in pallore ac sugillatione revelata fuit, his quoque assignanda est; quòd si ungues *nigri* existant, prout apud *Bartholinum in Act. Hafn. T. 1. p. 64.* exemplum exstat, nulla superest cura æthiopibus. Quod puncta vel maculas unguium albas attinet, cùm longævitatem hominibus portendant, & jam præjudiciis his occupati homines sint, potiùs intactæ relinquendæ, quàm attingendæ sunt, cùm Medicus in vili tali morbo artem suam sæpiùs prostituere cogatur. De quibus, ut & de Dentium sera regeneratione vide *Helmontium*, qui nugas has inanes optimis instructus rationibus & experimentis rejecit, non decet enim rationalem Medicum hisce aliisque præconceptis opinionibus fidem adhibere.

Curvatura, Unguium. Quòd si experimentum Celeberr. *Boyle* & *Papini* Profess. Marburgensis, ad ossa mollia reddenda instituti possit in vivis hominibus, in Medicina egregium præstaret usum, imprimis etiam ad ungues emolliendos & planandos, sed cùm hoc non possit fieri, ad Medicamenta accedere cogimur, commendamus etiam hic varios fotus, linimenta ac Emplastra, nec contemnimus spirituosa unguibus sæpiùs apposita, huc facit præ aliis spiritus Matricalis, Terebinthinæ, vel Empl. Diachyl. de mucilaginibus de Thea, de Labdano, de Cinnabari, vel etiam Norimbergense, unguis etiam diu in lacte in quo flores chamomillę & meliloti cocti erant detineatur, qui fotus diu continuandus est, vel decocto malvæ fovendus, vel pro re nata aliquomodo radendus est; si malum fuerit ab Elephantiasi, nullam admittit curam.

Casus. *Casus* Unguium cura in eò consistit, ut Medicus benè advertat, à qua causa casus fuerit productus: si est ab ulcere, illud priùs ritè curandum est balsamicis ac spirituosis, in quem finem præ aliis balsamum nostrum divinum commendamus; si verò casus oboriatur á particulis acribus corrosivis, succo nutritio permixtis, sanguis ac succus nutritius priùs ab ipsis liberandus est, per decocta & Essentias lignorum, Antimonii, aliaque sudorifera balsamica, Elix. antiscorbut. nostr. spir. matrical. Si à Lue Venerea malum, ad Mercurialia sæpè transeundum est, ut corrigatur istud acidum-acre, in Lue hac ubicunque abundans: itidem conducent sal vel spiritus Guaiaci, Sassafras, Sarsaparill. decocta lignorum, essent. Antimonii, & sexcenta alia alibi dicta. Decidentiam ungium, si necesse est, acceleramus scalpello, eum molliter separando, atque emplastr. de ammon. bdellio aut galbano imponendo. Ungue sublato, quo novus citiùs succrescat, digitale ex cera virginea, sæpe renovandum imponatur.

Reduviæ Cura. *Reduviæ* primò diligenter amputentur, dein detineantur digiti in vino adstringenti, in quo bullierit cupressus & parum aluminis, nam hujusmodi abluitio ita constringit, ut postea non facile renascantur pelliculæ istæ, Reduviæ quoque nomine insignitæ.

CAPUT IV.

De Morbis Tibiarum, Roseolis nempe saltantibus, Zostere, & Thymo.

Roseola saltantes. §. I. Affectus Manuum Pedumque persequentes, reperimus affectum, qui percrebuit, & cui *Roseolæ saltantis* nomen imposuerunt Majores nostri, quæ est pustula subrubra, fæculenta, & recondit tuberculum, quod tactu fabæ vel lupini magnitudinem ac formam repræsentat, dolore se declarans, sæpè & ulceratam pustulam comitem habet. Roseolæ dicuntur, quòd rosarum formam & colorem præ se ferunt, vel quod roscidas quasdam inspersiones repræsentant. Dicuntur autem Saltantes, seu Salturiciæ, quòd Tibias privatim occupare consuetæ, per dolorem faciant ut stantes & iis vexati homines salturiant, i. e. tibiis alternè sublatis aut terra pressis crebrò agitentur. Saltantes hæ pustulæ indefinitis ac incertis sedibus inhærescunt, vagisque excipiuntur locis.

Zostere. Alter Tibiarum affectus *Zostere* dictus, aliis vocatur *Zona*, & habetur pro Herpetis specie, quæ occupat Tibiam, & illam quidem regionem, ubi homines Zona se cingere solent, unde & aliis *Circinus* appellatur, vocatur & Ζωςὴρ, *Helmontio* aliisque *Zinzilla* dicitur. Flandri & Batavi vocant *den roden Umloop* Germanis dici potest, *der feurige Umblauff*.

Rarissimus est hic affectus, ex Veteribus enim præter *Scribonium*, *Apulejum*, *Marcellum* & *Plinium* nemo ejus meminit. *Job. Langius Epist. Med. l. 1. Epist. 32.* sub alterius cujusdam erysipelatis, & quidem perniciosi specie, quæ à Cingulo Ζωςὴρ appellatur, eundem quoque depingit & binis exemplis demonstrat. Affectus ergò hic meritò vel ad Herpetem vel Erysipelas referri potest, quia unus idemque est affectus utriusque eadem essentia, unaque causa, unaque curandi ratio, discrimen in eo tantùm consistere videtur, quòd Erysipelas in uno loco plerumque persistat, in volatica autem seu Zona rubor priorem locum sæpè deserit, ulterius tamen progreditur, locaque vicina invadit. Liquor quoque Zonæ est acrior ac subtilior, tubulosque subtilissimos occupat, quàm fieri solet in Herpete & Erysipelate.

Thymus. *Thymus*, aliis est verrucæ species, Veteribus verò tumor parvus, asper, subruber & oblongus, qui si abscindatur major effunditur sanguinis copia, quàm pro magnitudine tuberculi, & non solùm in ano extuberat sed & inter coxas. Nomen autem habuit à summitate vel cacumine Thymi herbæ. Porrò cùm multùm increscit Thymus, in συκώσεις abit, ficosas eminentias Veteres appellant, quarum duas esse dicunt, malignas & malignitatis expertes; *Thymum* verò hic tractamus, qui Tibiam occupat.

Differentia Roseolarum saltantium. Sunt qui Roseolas saltantes cum Pernionibus confundunt, non ergò sunt Chymethla Græcorū aut Perniones Latinorum. Nec sunt Terminthi *Galeni*, Roseolæ enim sunt pustulæ latæ potius quàm phyma ac tubercu-

tuberculum. Terminthi verò phymata sunt ac tubercula elata supra cutem, & rotunda non lata & fusa, suntque supernè pustulata. Roseolæ noctu imprimis molestissimæ sunt, quod de Terminthis non observatur. Hinc sunt qui existimant, *Hipp. lib. 6. epid. comm. 2. Sect. 30.* per hæc indicasse Roseolas Saltantes; *Latæ pustulæ non admodùm pruriginosæ, quales Simon hyeme habebat, qui cùm ad ignem inungeretur, aut calida lavaretur, juvabatur, vomitus non juvabant, puto si quis calida fomenta adhibuisset, utilitatem percepturum.* Roseolæ sunt vel lenes, bræviores & curatu faciliores, quæ per se ipsas discedunt appropinquante vere, quæ hyemè fuerunt ortæ; aliæ verò sunt superiores dictæ, quæ manuum articulos & internodia afficere consuetæ sunt, pruriginosæ, ac de uno in alios digitos, deque sinistra in dextram manum vagæ, in metacondylis verò natæ ad extremum discessum ungues ab radicibus plerumq; divellunt, proprietates nempe, quæ in alteris non percipiuntur. Affectus Roseolæ dictæ cum plerisque vitiis extimi corporis conveniunt, similis enim est Terminthis, latis Exanthematis, Esseris, Benat noctis, sic & Syphilia tubercula sunt Inflammatoria, noctuque perdolentia, quæ manus pedesque & eminentes omnes corporis partes occupare solent, ad quæ accedunt maximè Roseolæ, accedit & Podagricis quædam sors, quæ jam dictas Roseolas, per exuscitatos manibus pedibusque nodulos rubeolas & affli&tantes æmulantur, sed Roseolæ non articulos tantùm, sed & mediam Tibiam occupant, quæ etiam utplurimùm pueris & maximè puellis contingunt, nec non fœminis, junioribus, præsertim iis quibus menses non ritè fluunt. Si grandioribus id eveniat, apparente quidem imagine Roseolarum, non tamen erunt veræ Roseolæ, plurimum enim Syphilidos & hoc germen, verrucosam simul & impetiginosam vitii formam referens, quam ex deleteria sua causa sedulus indagator facilè deprehendet.

Pars affecta.

§. 2. *Pars* horum morborum affecta utplurimum est Tibia, & varii sunt liquores per hanc circulantes, Græcis dicitur Tibia κνήμη, est tota cruris inter talum & genu in interiori parte sita, cujus Tibiæ pars anterior tenuis & carnis fere expers *Ocrea* vocatur, posterior verò carnosa pars *Sura* appellatur. Roseolæ crura Tibiasque potissimùm affligunt, Zoster verò Tibias non tantùm, sed imprimis Zonam, seu eum locum ubi Cingulum in Tibia gestare solemus, unde & nomen habet, occupat: sic etiam aliquando femora ad genua usque, brachium & manus aliaque corporis loca, sub alio tamen titulo afficere solet. Thymus hìc etiam Tibiam tantùm occupat, cùm aliàs etiam alia possideat loca.

Diagnosis Roseolarum Saltantium.

§. 3. Nunc pergimus ad horum affectuum *Diagnosin*, & quidem primò *Roseolarum*, quarùm non una est apud omnes Practicos facies, sunt qui putant esse macularum modo cutem Tibiarum supremam lambentes & efflorescentes, iterumque evanescentes. Ad Suppurationem, me judice, aliquando perveniunt Roseolæ. Signum Pathognomonicum habetur, quòd noctu invadant & exasperentur. Insolens quoque & singularis apparet forma tumoris, qui Roseolarum Saltantium promeritus est nomen, est tumor intra sua limina, non verò ut alii extra, circa septa sua latiusculum, sed uniforme latet tuberculum, quin potiùs tubercula plurima simul coacervata, singula suis latebris involuta, ob id autem quòd unitate contenta non sint, ob id ipsum à Veteribus Roseolæ numero plurium sunt nominatæ, singula pressulam referunt rotunditatem, adeò ut apprimè fabis *Cornelius*, & alii Lupinis æquipararint, visentur in inspectione radii quidam ex albo rubescentes, quas sanguineas fibras dixeris, per cutem translucentes, & maximè alterantur, luculenterque turgescunt, ubi per noctem dolor simul incurrat. Roseolæ hæ utplurimùm ad hyberna tempora facilè erumpunt, & iis Scorbutici ac Cacochymici sæpiùs afficiuntur.

Zostere.

Zostere cognoscitur ex eo, si cutis fuerit exasperata instar Herpetis, in ea regione media Tibiæ, ad quam homines Zona se cingere solent.

Thymi.

Thymus autem cognoscitur ex extuberantia in Tibia oborta, Thymi florem referente & figura morum.

Galenicorum opinio de causa Roseolarum Saltantium.

§. 4. *Galenici Roseolarum Saltantium causas* varias enumerant, & quidem ante omnia è quatuor humoribus cunctis, quorum vitio morbus emergat, maximè verò à sanguine vitioso abundante deducunt causam, quòd hi affectus plurimùm in calidis atque humidis ætatibus, habitibus, &c. visantur, quæ maximè ad sanguineam exuperantiam accedunt Post sanguinem, esse quoque aliquando pituitam in causa, statuunt, quæ non difficilè congeritur in fœminis & albidis corporibus. At neque reiiciunt bilem, quæ vellicatum aliquem & acrimoniam præ se ferat, quia ob pruriginem & dolorem saltare faciant homines Roseolæ. Multò verò maximè derivant à melancholica portione, præsertim aliqua parte retorrida, cujus & malignus mos, & fuscus color, & pertinacia sæpe observantur. Itaque nullum excludunt vitiosum humorem, sed omnes aut plures confluere ajunt, sæpè & sanguini nonnihil viscidæ pituitæ vel ichoris admistum esse contendunt. Evidentiores ipsis causæ sunt hujus morbi, aeres, aquæ & loci, maximè cùm ad frigidam ac humidam exuperantiam exorbitent. Hunc ergò affectum populis dicunt esse Endemium, potissimùm verò Neapoli frequentem, propter loci situm & victum inordinatum, & quia Lues Venerea seu Neapolitana solennis esse solet, & quasi initia sua ibidem petiit. Inter causas remotiores etiam referunt suppressionem superfluorum, unde fœminis morbum hunc esse solennem, contendunt.

Modum generationis Roseolarum quod attinet, earum pustularum in aperto corporis generationem, aperiit *Galenus ipse ad libr. 6. Epidem. text. 30.* dicens: Egerminant pustulæ natura corporis altiores sedes repurgante, ut nonnunquam per excretionem, ita & per depositionem ad cutaneas partes, subtiliores siquidem, dilutioresque succos extenuans natura discutit; crassioribus autem cuti, sed potius pelliculæ, quæ epidermis vocatur, utpote densiori in hærescentibus *pustulæ* exoriuntur, idque magis incidit his, qui densiore ac duriore cute sunt, difficilis est enim per ipsam pinguiorum tenaciorumque succorum transitus.

Zona seu Zosteres.

Zonam seu *Zosterem Galenici* communiter bilem flavam in partem illam Tibiæ, ubi Zona se cingere solent homines, effusam accusant, remotiores verò omnia ea dicunt causas, quæ bilem augere possunt.

Thymi.

Thymum verò dicunt esse à pituita viscida, aliquando cum melancholico humore commixta, & ad Tibiam delato, ibidemque ejusmodi tumorem producente.

Paracelsi sententia de causa Roseolarum Saltantium.

§. 5. *Paracelsus* Roseolas Saltantes ex sale minerali deducit, & quidem in loco Tibiæ cumulato, ubi ejus centrum figitur, ibidemque pruritum & dolorem excitat, & sæpè materiam peccantem esse sal aluminatum ab aeris elementis extra suum chaos expulsum ad cutem secundùm aereorum expulsivorum operationem.

Zosteres.

Zosteren verò esse consumptum sal vitriolatum, hoc primum in rubedinem & corrosionem, aliquando in ulcerationem transit, locus ejus esse dicitur inter genua & calces circumcirca crus, ibidem enim juxta ipsum est Morbus Mercurialis. Notat etiam quamvis vitriolatum sal Morbum efficiat, est tamen ipsa minera Mercurialis tantùm à quâ proprium recessit balsamum, & liquor salis, ejusque species pro quantitate recessus demonstrantur.

Thymi.

Thymum à sale styptico in Tibia succum nutritium coagulante esse contendit.

Helmontii opinio de causa Roseolarum Saltantium.

§. 6. *Helmontius* causam *Roseolarum Saltantium* in acido consistere, ait, cum latice ad Tibiam delato, ibidemque tyrannidem suam exercente.

Zona.

Zonam verò seu *Zosteren* ex ira Archei esse contendit, & simul esse Apostema igneum, circa Tibiam, ubi homines cingulo se muniunt, contendit.

Thymi.

Thymum verò esse pustulam pruriginosam ex latice incrassato, & circa Tibiam stagnante.

Uvillisii ratio de causis Roseolarum.

§. 7. *Uvillisius Roseolas Saltãtes* deducit à liquore acido salso, & à sanguine permixtis: sanguis enim in parte re-

te remorans à succo nerveo in carnem protuberantem commutantur; serum verò superiora petens, & ob viscititatem evaporationi inhabile existens, in cutis poris aggeritur, ibique stagnans corrumpitur, ac putrescit.

Zona. *Zosteren* derivat à sale abundantiori atque fixiori, qui per arterias ad glandulas miliares cum sanguine appellens, & per eas ab ipso separatus, in angustioribus cutis poris illa in regione Tibiæ, in qua cingimur, colligitur, atque coacervatur, & aggerie sua pustulas in superficie excitat.

Thymi. *Thymum* procreari censet à copiosiori succo alibili sanguinem admixtum habente, & in quadam Tibiæ parte ad eum excipiendum disposita aggesto, ibidemque à succo nerveo in carnem istam superfluam efformato.

Sylvii opinio de causis Roseolarum Saltantium. §. 8. *Sylvius* in *Roseolis Saltantium* accusat acidum acre pustulam in Tibia excitans; in *Zona* verò accusat solam bilem sine sanguine in partem illam in qua cingulo se cingunt homines effusam & eruptam, illamque acrimonia sua vexantem & malè afficientem, unde ex conflictu dolor excitatur.

Thymi. In *Thymo* accusat acidam pituitam in Tibia tuberculum excitantem.

Cartesianorum judicium de causa Roseolarum Saltantium. §. 9. *Cartesiani Roseolarum Saltantium* causam deducunt à particulis acutis & oblongis seu salsis, vel cum succo chylosiore ex sanguine per arteriolas, vel cum lympha per ramulos lymphaticos Tibiæ tubulis illatis, quarum figuræ minimè respondeant poris & interstitiis fibrillarum ejus: proinde pori à particulis istis pervertantur, & fibrillæ nimis distendantur, unde pustulæ in Tibia emergant, & dolorem maximum inferant, spiculis suis acutis membranas vellicando.

Zosteres. *Zosteren* seu *Zonam* derivant à succo quodam multis particulis angularibus imbuto, sive acido glandulas cutaneas, circa eam Tibiæ partem, qua Zonam gestare solemus, obstruente, easdemque in tubercula quædam distendente, *Zonam* oriri volunt.

Thymi. *Thymum* verò *Cartesiani* produci volunt, quando particulæ istæ acutæ à crassioribus obtusangulis, quibus succus nutritius simul scatet, adhuc in Tibiæ parte detinentur & opprimuntur, quæ tamen temporis tractu ab acutioribus arrodi, attenuari, sicque vinci & pari modo acui possunt.

Nostrum judicium de Roseolis Saltantibus. §. 10. Perceptis ita sufficienter aliorum judiciis, jam demum & *nostrum* de affectuum horum causis liberum dabimus judicium. *Roseolarum* igitur *Saltantium* causam dicimus esse acidum succos per tubulos Tibiæ circulantes coagulans, relicto tuberculo magnitudine fabæ vel lupini, maximum dolorem inferens, succorum enim particulæ salinæ pessimè figuratæ, per tubulos Tibiæ transire nequeunt, quia hæ per motum ex massa sanguinea vel lymphatica segregatæ, duntaxat densiùs agglomerantur, ut circa tubulos Tibiæ stagnent, & hasce *Roseolas Saltantes* inferant.

De Zona. *Zosteres* verò aut *Zonæ* causam itidem deducimus ab obstructione tubulorum, si enim Tibiæ tubulorum obstructioni interdum glandulæ miliares minutissimæ, quibus cutis maxima ex parte contexitur, obstruantur, & succus circa eam partem Tibiæ, qua cingulo cingimur, stagnans & evasatus, mediante acido & alcali incalescat, nonnihil elevantur, tubercula minima, seu pustulas cum rubore partis efficiant, quæ etiam ob jam dictam effervescentiam inter alcali & acidum multùm pruriunt, inde instar Herpetis species Zostere seu Zona oboritur.

De Thymo. *Thymum* quoque esse ab acido viscido ac coagulante, & sæpè à sanguine in Tibiæ tubulis coagulato, vel succo nutritio non ritè assimilato, & speciem floris Thymi exhibente.

Prognosis Roseolarum Saltantium. §. 11. Et hæc de causis sufficiant: haurienda jam *Præsagia*. Roseola neminem ad interitus pericula perducit, si Hipp. fides adhibenda, 1. Epid. Sect. 3. ajenti, nocturna non admodum lethalis, verùm longa. Sed tamen in Arthritina & membrorum languores sæpè finivisse, observarunt Veteres, qui itidem notarunt, in ulcus etiam sæpè transmigrasse latam hanc pustulam, fomentis acribus & salsis incautè fotam: sunt autem morbi moræ cum obsesso corpore semper longæ. Sed cùm hic affectus rarissimè hisce in locis occurrat, eapropter non operæ pretium duximus ampliorem prognosin proponere.

Zona. *Zona* seu *Zostere* est affectus non negligendus, sæpè enim in exulcerationem transit curatu difficilem, & omnis prognosis Herpetis & Erysipelatis huc applicari potest.

Thymi. *Thymus* facilè ob acidum, quòd haud rarò nimis corrosivum ob stagnationem reddi solet, in Cancrum transit.

Diæta. §. 12. *Diætam* quod spectat, in his *Tibiæ* affectibus ante omnia eò respiciendum est, ut aer eligatur calido-temperatus, in iis enim locis ubi minimus est solis lucisque collustratus, & in ea regione in qua etiam pluviosa nimium est anni pars, & sæpè austrina constitutio, hinc Affectus; Roseolæ Saltantes dicuntur esse Neapolitanis solennes, prout testatur *M. A. Severinus*, in qua urbe propter celsitudinem ædificiorum, quæ se proximè, id est, pauca loci intercapedine spectant, nulla Solis adest collustratio. Quibus causis accedit & victus crassus, ex carne bubula & suilla, ex omni brassicæ genere, & ex salsis cibis acidisque, ac piscibus quibus abutuntur incolæ. Eligatur ergò victus euchymus & eupeptus, lacteus & dulcis, qui optimum in se continet succum nutritium, vitentur carnes & pisces minùs bonæ notæ, omnia nimis salsa, acria, saccharata, acida: Omnes fructus horarii, legumina quæque, fugienda. Item brassica capitata more Germanorum sale condita, quæ maximè est noxia, quamvis plures ex ignorantia ea delectantur, & ob purgationem quam excitat, amant, sed falluntur & sæpe inde magnas corporis sui luunt pœnas. Cerevisia non defæcata, item omnis potus glacie refrigeratus perquam noxius existit, è contra potus calidus Theæ vel Caffeæ egregius & perquam utilis est, si simul reliqua potulenta non assumantur nimis frigida, si enim à potu Theæ solamen exspectare quis velit, omni potui frigido renunciare debet, aliàs plus noxæ, quàm emolumenti experietur. Somnus & vigiliæ sint moderata. Motus sit corporis conveniens, nocet verò quies & otium, inde enim fiunt cruditates, obstructiones, cacochymiæ, cacochyliæ, & fovetur cacoethia. Alvus & menses in fœminis consueto ordini respondeant.

Animi affectus immoderati omnes abigendi, maximè enim nocent Venus, Ira, Bacchus, mœror, solicitudines.

Galenicorum cura in Roseolis Saltantibus. §. 13. Veteres *Galenici* præsertim *Roseolarum Saltantium* Curationem sequenti aggrediuntur apparatu. Primò Diætam præscribunt congruam, dein corpus evacuant *purgatione*, per quam delinquentem humorum qualitatem expugnant, *Venæsectione* cujus ope plenitudinem exhauriunt, quam tamen plures non admittunt, qui causam Roseolarum magis in pituita & humore melancholico ponunt. Si mas sit, è brachio vel manu sanguinem detrahendum esse volunt, si verò fœmina è pede. Inter Cathartica eligunt phlemagoga & melanagoga, ex his autem præcipuè laudant mel rosarum solutivum, & Serapium de polypodio, confectionem Catholicam *Arnoldi* & Regis Hamech, quæ pro virium, habitus, ætatis & regionis modo plus minùs commiscent & offerunt Sarapiis præparantibus ad hæc ordinatis è cortice citri, & è succo fumariæ cum aqua melissæ vel buglossæ. Post hæc, viscera corroborant, in quem finem exhibent tanquam specificum genistæ flores saccharo conditos, sunt autem & qui decoctum lenticulæ cum melle dicant satis benè fecisse. Plurima verò pars polypodium prædicant, optimè juvare, quod humores crassos lentosque terget, digerit, siccat, bilem atram, & pituitam vel crassam, vel lentam purgat etiam à juncturis; hinc & Sennam exoticam minoris non faciunt. In attemperandi facultate primum asserunt centaurium majus à divino *Chirone* primo quidem Chirurgiæ, at non secundo Pharmaciæ Magistro inventum.

tum. Magni quoque ab ipsis in Roseolis existimatur Smilax, rubus nempe Indorum viticulosus. Ex quibus Medicamentis compositum unum & alterum parant, ex. gr.

℞. *Centaur.* ℥ iij.
Polypod. ℥ i ß.
Senn. ℥ j.

Coq. in ℔ vj. aquæ commun.

Colat. detur, quale potus genus per tres vel quatuor hebdomadas hauriendum esse dicunt. Vel sequentem exhibent Serapium, ex anguibus cervinis paratum:

℞. Anguem cervinum ætate media ac bene habito corpore in arcula ligneola, quæ furfures ac salem receperit, aliquandiu conclusum, capite & cauda podice tenus exsectis, excoriatum & exenteratum in multas partes concide, & coq. in aqua fontana, quanta suffecerit cum his simplicibus medicamentis.

℞. *Radicis Centaurii majoris vulgò Rhapontici succosi in taleolas præsecti* ℥ iij.
Smilacis asperæ contusarum ℥ iii.
Polypodis quercini ℥ i ß.
Buglossi,
Endiviæ,
Cichorei,
Graminis,
Asparagorum,
Adianthi,
Asplen. aa. M j.
Rad. glacyrrhizæ ℥ iii.
Eupatorii,
Chamedryos,
Scabiosæ,
Rad. pimpinellæ,
Coronopi,
Phyllitidos,
Hepaticæ,
Betonicæ,
Melissæ aa. M j.
Plantaginis M ii.
Hordei P ii.
Uvarum exacinatarum ℥ ß.
Fol. senn. or. ℥ j.

Ferveant omnia simul ordine competenti, & succi colatura cum saccharo albo condiatur modo & consistentia Syrupi, qui conclarescat ovi albumine despumato S. A. Dosis ab unciis ℥ iiii. ad ℥ vj.

Post hæc ad *Topica* transeunt & ad pustulas has exsiccandas varia commendant exsiccantia sine mortificatione tamen, ut sunt Silphii succus aqua solutus, aut cicuta trita & inspersa. Vel apium cum polenta tritum & illitum laudant, item brassicæ folia trita & imposita, vel alterci folia ex melle trita & applicata. Solanum per se, & cum cicuta viridi, aut olivæ foliis cum aqua coctis usurpant alii, & uvas passas ademptis acinis tritas admiscent, easque splenio illitas imponunt, adianthum quoque ex melle tritum adiiciunt. Alii addunt argenti spumam & sulphur ignem non expertum, pari portione cum aceto applicitum; alii myrtum in lævorem redactam sordium illinitione cum oleo & vino æstimant. Alii herbam quoque sanguinalem, vel viride coriandrum præ aliis commendat, sic & juxta eosdem ulcera ex pustulis facta tollit spuma argenti cum semine fœnigræci mista, sic ut his invicem rosa, atque intybi succus adiiciatur, donec mellis crassitudo fiat. Ex Junioribus Veterum sunt, qui commendant cataplasma ex hyoscyami foliis contusis, cum melle mistis, atque ex brassica, apio & hordei farina concorporatis, vel ex coriandro viridi cum cymis oleæ coctis Alii ad Roseolas fel porcinum aut bovinum adhibent, hordei farina, vel crassiore item aliqua materia, quæ consentiat, exceptum, interim ad novem dies oblato plantaginis succo. Sed omnia medicamenta hæc superare ajunt Chirurgum experimentum, quod est *Scarificatio*, tùm ad ipsas Roseolas, tùm ad tibiarum anteriorem faciem, semel aut ampliùs phlebotomo facta, non alia ferme ratione, quàm quæ à *Prospero Alpino* de Medicina Ægyptiorum de Scarificatione vulgata est, à Barbaris plerisque nationibus & Asiaticis exercita, qua Scarificatione, experientia comprobata, in Roseolis his Saltantibus nullum excellentius ac præstantius esse scribit *M. A. Severinus*.

In Zona. Ad *Zonam* seu *Zosteren* Veteres *Galenici* instituunt purgationes, & V. S. dein ad Hepar confortantia accedunt, omniaque ea, quæ in Herpete, cùm hujus speciem esse dicunt, conveniunt, hic quoque conducere ajunt. Inter externa Topica referunt cicutam viridem benè tritam & impositam, item sequens Medicamentum:

℞. *Cerussæ* ʒ x.
Aluminis scissi ʒ i ß.
Croci ℈ j.
Thuris ʒ ß.
Acaciæ ʒ j.
Diphrygis ℥ ß.
Opii ℈ j.

Ex aqua teritur, & quùm opus est ex eadem dilutum perungitur.

Vel

℞. *Gallæ,*
Aluminis rotund.
Chalcitidis,
Cretæ sutoriæ aa. ʒ ii.
Mysi,
Cortic. malorum,
Acaciæ aa. ʒ iii.
Calcis vivæ ʒ xvj.

Mali cortex in aceti sextario uno decoquitur, donec madida fiat, deinde teritur acacia aceto eodem macerata nocte & die admiscetur, & unà teritur; postea cætera adiiciuntur, & fiunt pastilli, quùm opus est diluuntur aqua. Ad utrumque autem genus vitii, mirificè medicamentum Andronicum facere dicunt.

In Thymo. *Thymi* curationem in ejus ablatione consistere ajunt, in quem finem commendant Pharmaca consumentia ac resiccantia Thymos, quæ sunt ea quæ communiter curant etiam reliquas verrucas; ex. gr.

℞. *Aluminis scissi,*
Atramenti sutorii usti,
Glutinis aa. ℥ j.
Squamæ æris ʒ vj.

Trita glutine excipiunt, & cum aceto prædissoluto illinunt:

Vel

℞. *Squamæ æris* ʒ j.
Sandarachæ ℈ ij.
Auripigmenti ʒ j.
Aluminis scissi ʒ ij.

Terunt omnia & cum rosaceo & ad strigmentitiam crassitudinem redacta large illinunt, & rasuram linteoli imponunt, atque bis singulis diebus curant & aceto diluta illinunt. Pastillum Arete dictum magni æstimant, item elaterium: Ubi medicamenta frustra adhibentur, accedunt ad ferrum, & volsella radicitus exscindunt Thymos, & post sectionem, quum magni fuerint multi ustionem adhibent ad sanguinem sistendum & regenerationem imposterum prohibendam. Adhibita igitur ustione, curationem decernunt ad perusta primùm videlicet ea, quæ crustas amovere possunt, applicant, deinde accedunt ad repurgatoria, postea resiccatoria. Crustas autem in talibus removere posse dicunt lac & mel per linamenta adhibita. Quòd si scalpello solùm excisi fuerint Thymi, post excisionem siccum sanguinem sistens adhibent & reliquum curationis ductum resiccantem.

Paracelsi cura in Roseolis Saltantibus.

§. 14. *Paracelsus in Roseolis Saltantibus* mundativum aeris sequens commendat;

℞. *Succi cichoreæ*,
Gamandræ aa. ℔ j.
Succi capillorum Veneris ℔ ß.
Mannæ ℥ ij.
Liquoris vitrioli ℥ j.

Fiat Mixtura & destillatio per alembicum, usque ad oleitatem. Dosis à ℥ j. usque ad tres.

Sequens quoque mucilaginosum remedium applicari vult;

℞. *Liquoris de mumia*,
de mastice,
de caphura aa. ℥ ß.
Mucilag de Fœnugræco,
de psyllio,
de citoniis aa. q. s.

F. l. a, instar Cerati.

Vel

℞. *Realgaris crystallin.* ℥ j.
Olei ardentis ℥ ii.
Cerussæ ℥ ii.

M. f. Unguentum: circumponatur Sironibus Saltantibus:

Vel

℞. *Olei lini* ℔ ß.
Æris viridis,
Ceræ ad quartam.
F. Ceratum,
cui superaddantur
Bdelli colati ℥ j.
Liga secundùm artem.

In Zona.

In Zona vel Zostere commendat præ aliis Sperniolum,

℞. *Spermatis ceti*,
Ranarum,
Cherefolii,
Juniperi aa. ℥ j.

Fiat destillatio in Sole.

Vel

℞. *Glutinis aquatici* ℥ ij.

Destillentur in aquam, cui fimus mineralium imponatur, & bulliant simul per horam, aut donec in formam pultium reducantur, adde

Caphuræ ℥ j.

Fiat Unguentum, quo cum ligetur crus terno quoque die semel per tres septimanas continuando. Postea sæpius abluendo mundetur aqua foliorum quercus, vel aqua salsa.

In Thymo.

Thymum verò curari asserit per corrosivum dulce;

℞. *Olei laterini* ℥ j.
De Juniper. ℥ ß.
Ex myrrha ℥ ij.

Misceantur.

Vel

℞. *Olei laterini*, ℥ j.
Aquæ aluminosæ ℥ ß.
Viriditatis salis ad pondus omnium.

Fiat Mixtura.

Helmontiana cura in Roseolis Saltantibus.

§. 15. *Helmontius* in Roseolis Saltantibus acidum peccans per saponaria & lixivialia corrigit, sicque affectum hunc curat, omniaque, quæ laudat in strumis, hìc convenire dicit.

In Zona.

Zonam verò seu *Zosteren* sanari ait aqua vitæ, vel sanguine leporis, odore enim lintei leporino cruore tincti & siccum applicati curari contendit, sic quoque stercus humanum calidè applicari vult, quod una nocte sæpè omne acidum extrahit & necat, ut vix ampliùs deinceps redeat.

In Thymo. Vuillisii cura in Roseolis Saltantibus.

In *Thymo*, *Talpæ* cruorem, item sanguinem vespertilionis illinendum esse existimat.

§. 16. *Willisius* ad Roseolarum Saltantium curam se accingens corpus statim expurgat, medicamentaque sanguinem purificantia propinat. Deinde verò parti illinit unguentum ex floribus Sulphuris, butyr. zinzib. pulv. paratum, cum pauco præcipitat. rubr. vel unguent. Ægyptiac. admixto.

In Zostere.

In *Zostere* mitia quædam Diaphoretica administrat, partique inungit linimentum ex unguento ros. flor. Sulphur. & succ. citri compositum, cui si libuerit addi potest Mercurius sublimatus dulcis ad grana aliquot.

In Thymo.

Thymum curare tentat Author ea propinando medicamina, quæ liquori nutritio fluiditatem conciliant, illumque discutit applicatione gumm. ammoniaci, galbani, aut Emplastr. de meliloto.

Sylvi cura in Roseolis Saltantibus.

§. 17. *Sylvius* in *Roseolis Saltantibus* commendat ad sanguinem & acidum acre corrigendum decocta lignorum, item salia volatilia ex animalium partibus parata. Externè laudat sal volatile cupri tinctura imbutum, quo quascunque pustulas fœdas & planè malignas feliciter curare solet, vel abluit decocto Guajaci & cæterorum Aromaticorum potentium.

In Zona.

In *Zona* verò magnifacit lactis cremorem cum creta mixtum, vel aquam calcis vivæ, cum Mercurio dulci decoctam, appositam, item aquam sambuci externè applicatam. Internè sudorifera blanda propinat.

In Thymo.

In *Thymi* curatione externè laudat Author gummi Bdellium, Galbanum, Ammoniacum, nec non thus, myrrham, &c. emplastri forma applicata.

Cartesianorum cura in Roseolis Saltantibus.

§. 18. *Cartesiani* ad corrigendas particulas salsas & acutas in *Roseolis Saltantibus*, medicamentis uti solent porosis & alcalicis, à quibus priores facili marte possint absorberi, & fibrillæ cutis in Tibia distentæ in statum pristinum reponi, ut sunt oculi cancrorum, mat. perlar. C. C. s. ign. pp. sal Saturni. Abstergentibus quoque amaris abluunt, & iterum consolidant.

In Zona.

In *Zostere* sive *Zona* lympham in glandulis contentam corruptam corrigunt, particulas angulares pungentes & rodentes abigendo internis itidem sudoriferis, ex Antimonio potissimùm & lignis paratis, quibus succus iste circa Tibiæ cingulum attenuatur, & obstructio glandularum cutanearum Tibiæ solvitur. Locum affectum ubi Zona cingimur, abluunt vel aqua Mercuriali, vel decoctis lignorum, aut lixivio ex cineribus quercus, vel sequens illinunt unguentum:

℞. *Ung. ros* ℥ j.
Sacch. Saturni ʒ ß.
Ol. sambuc. ʒ ij.
Cinnab. nat. ℈ j.
Antimon. Diaph. ʒ j.
M. f. unguentum.

In Thymo.

Dum *Thymus* existit; resolutionem & discussionem duri crassique illius succi instituunt, adhibitis topicis gummosis, ex ammoniaco videlicet paratis & galbano cocto, vel etiam pro re nata ad sectionem accedunt.

Nostra methodus curandi Roseolas Saltantes.

§. 19. Nos in Curatione *Roseolarum Saltantium*, tali ordine progredimur; Internè sudorifera laudamus subtilia, poros cutaneos citò deobstruentia, lympham spissiorem resolventia & attenuantia, nec non particulas angulares acutas, sive sales acidos acres mitigantia, inter quæ palmam aliis præripiunt spirit. matrical. camph. spiritus volat. oleos. electuarium Diascord. rob sambuci, Cinnabar. Antimonii, sal volat. C. C. viperar. Pustulas aliquando aperire jubemus, & aqua theriacali cum Diascordio permixta abluimus, tum unguento aureo, vel linimento oleo hyperic. nostro, calce viva & Camphora sanamus.

Zonam.

In *Zona* vel *Zostere* curanda commendamus blandiora & lenia Diaphoretica ex decoctis rad. Chinæ, santal. citr. Sarsæparill. rob sambuc. Essent. Antimonii, spirit. matrical. &c. Externè verò commendamus varia mundificantia lavamenta, exempl. grat.

℞. *Decoct. calc. viv.* ℥ vj.
Extr. absynth. ʒ iij.
Myrrh. ʒ v.

Cam-

Camph. ℥ij.
M.
Vel
♃. *Ungu. rosar.* ℥j.
Sal. Saturni ℥j.
Ocul. cancr. ℈ij.
Flor. Sulph. ℥ß.
Sal. Armoniaci ℈ß.
M.

Vel pulveres aspergendi sunt ex cerussa, lap. calaminar. ocul. cancr. sal. saturn. cret. Cinnab &c. Omniaque illa quæ describi solent in Affectu Herpete dicto, cùm tantùm loco differant hi affectus.

Thymum. *Thymi* Curationem quod attineat, eum exsiccandum esse vel medicamentis fortioribus, ut spiritu matricali cum sale Saturni, lap. calaminar. Cinnabar. vel aqua Mercuriali, vel balsamo nostro divino, quod hoc in casu generosum est remedium: vel conducet unguent. ex chalcit. pulv. sandarach. alum. ust. terr. Hassiac. succ. granat. cum melle appositus. Medicamentis nihil proficientibus, ad ferrum accedendum est, si anabrochismus institui nequit, vel unguentum Ægyptiacum imponendum, donec decidat Thymus; vel ferro candente leviter & successivè eum tangere ac comburere solemus.

CAPUT V.

De Pedis Distorsione, Pernionibus, Clavo, Ungue Hallucis sub carne se defodiente, Fœtore pedum, ac Dolore in Palma ac Calce pedum.

§. I. NUnc, DEO T. O. M. duce, pervenimus ad ultimum *Nostræ Encyclopædiæ Chirurgicæ Rationalis* Caput, & quidem ad *pedes* eorumque *Calcem*; quorum affectus etiam more solito tractabimus, ut nihil amplius nobis restet enodandum.

[P]edis Distorsio. *Pedis ergò Distorsio* nobis est, quando ipse pes ex articulo suo elapsus, vel vi protrusus fuerit à causa utplurimùm violenta vel interna, vel externa, vel in utero matris producta.

[D]escriptio [P]ernionum. *Pernio*, aliis Chimelton, Germanis dicitur *die Frostbeulen, der Frost*, à Veteribus, imprimis *Galeno* describitur, quòd sit mortificatio partium imprimis pedum à nive facta. Alii definiunt Pernionem, quòd nempe sit soluta continuitas aut Fissura, vel in detrimentum manuum & pedum hyberno tempore à summis algoribus producta.

Nos verò Perniones describere solemus, quòd sint tumores inflammatorii, nunc cum nunc sine exulceratione, à summo frigore in manuum & pedum utplurimùm extremitatibus aliisque oborti.

[C]lavi. *Clavus* Germanis dicitur *Aelster. Aug. oder Huner. Aug*, & quidem à forma oculus gallinaceus. Clavus etiam appellatur, quia instar clavi cuti infixus est, qui est verrucæ species, & non tàm tuberculum, quàm callosa est substantia, ad periostia usque penetrans, præsertim ad digitos, & in plantis pedum ex calcei pressu & intertrigine accita: interdum dolore sponte feriens, semper verò ingredienti molesta, à succo crassiore stagnante coagulato ac inspissato utplurimùm nerveo, & periostium pungente exortus.

[U]nguis [h]allucis [s]ub carne [s]e defodiens. *Unguis Hallucis sub carne se defodiens* est nihil aliud, quàm quando Unguis se carni hallucis inserit, & continuum solvit, ob carnis nimiam excrescentiam, & succi alibilis copiam proveniens.

[F]œtor [pe]dum. *Fœtor pedum* est ex ipsorum poris expirans odor teter & hircum olens, à miasmatis putridis obortus.

[D]olor [ca]lcis pedũ. Præ reliquis partibus *Pedes* sæpiùs dolore affici, arthritici haud interrogati testantur, adeò enim illis familiaris est hic dolor, ut & aliis nomen præripuisse videatur, nec enim facilè quis dolorem Pedum ad Arthritidem non pertinentem, sub nomine Podagrę delineatum reperiet, de quo dolore Podagrico nunc nobis sermo non est, sed eo, qui vel in palma, vel in calce Pedum contingit, qualem sæpissimè in praxi nostra plurium annorum inter mille ægros observavimus: talem dolorem calcis vehementissimum in ipsa Pedum calce, applicatione Cauterii potentialis sanatum notavit *Gulhelmus Fabritius Hildanus, Cent. 3. Obs. Chirug. 98. p. 282.* Sic quoque *Jacobus Hollerius* recenset *in Comment. ad aph. 93. s. 4.* cuidam plantam Pedis ita incaluisse, ut eidem comburi pars videretur. Quem dolorem & calorem in plantis Pedum Hectici plerumque sentiunt experiunturque.

Pars affecta. §. 2. *Subjectum* seu *Pars affecta* Distorsionis Pedis est Pes cum suo articulo. Pernionum verò sunt partes extremæ & à corde remotiores, quæ plerumque aeris injuriis magis expositæ minusque calidæ sunt, ut *Pedes* manus, imprimis eorum digiti, aliquando etiam aures, apex nasi, labia Penis, cujus exemplum novimus &c. Ast non tantùm harum partium cuticula, & quod substratum est reticulare corpus, inter cujus foraminula crebriora, microscopii ope conspicua sunt sudoris hæc vascula, patitur, sed & tota substantia fibrosa, præsertim quæ propriè Cutis nomen meretur, ex arteriarum, venarum nervosarum, ac tendinosarum fibrarum extremitatibus contexta, cum pyramidalibus papillulis, ipsis nervis continuis & cum sudoris vasculis ad Cuticulam exsurgentibus afficitur, quam Cutem Celeberrimus Anatomicus *Dn. Bohn* sub fasciculo fibroso ingeniosè satis depingit.

Diagnosis. §. 3. *Signis*, pro dignoscendis his affectibus Pedum, adeò multis opus non est, sunt enim per se satis noti hi affectus, suaque deformitate cuivis se intuenti de facili manifestant, imprimis *Distorsio Pedis*, quare paucula tantùm hic addidisse sufficiet.

Pedis Distorsionis. Distorsio pedis incurrit in sensus, cùm pes vel extra vel intra distortus est, & malum sæpè est à nativitate, vel ab alia causa violenta externa, tunc dolor est circa juncturam intensus, & gressum impedit.

Pernionum. *Pernionum Signa Diagnostica* sunt partis affectæ tumor inflammatorius, cum rubore & dolore, aliquando pruriginoso, aliquando dolorifico, non intenso tamen, aliquando Perniones exulcerantur, & sanies ichorosa effluit. Durante gelu & existente Cœlo clariore, non adeò facilè inflammantur, quàm cùm gelu mitescere, ad cœlum pluviosum vel nive repletum redditur.

Clavi. *Clavi* facili marte cognoscuntur ex tuberculis duris profundiùs in digitis vel ad latus Pedis latentes, & patent ex relatione ægri, imprimis si præcesserit fortis calcei nimis angusti pressio. Patet etiam clavus inde, quòd centrum quoddam vel ut foramen habeat, forma si rotunda, & instar clavi fixus.

Unguis hallucis sub carne se defodientis. Unguis hallucis sub carne se defodiens cuilibet aspicienti in conspectum se tradit, cùm nempe hallucis Unguis cum dolore maximo, & sæpè inflammatione intensa, se carni protuberanti insinuet, tubulosque ac fibrillas dilaceret.

Fœtori pedum. *Fœtor pedum* facilè naribus percipitur, qui sæpè adeò est pertinax, ut etiam adstantes eum tolerare nequeant: testantibus enim *Act. Haffn. Volum. 3 Obs. 19.* Fœmina quædam adeò abominabilem spirat pedum fœtorem, ut nemo eam ferre possit, nisi eum benè odoratis sopiret. Affectus hic sæpissimè occurrit in iis, qui pedes suos negligenter muniunt linamentis ac soccis.

Plantæ ac calcis pedis doloris. *Plantæ & Calcis pedis dolor* innotescit ex relatione ægri. Hectici utplurimùm de dolore urente plantarum Pedum conqueruntur: sic non ita pridem duobus Paralyticis Medicinam feci, qui maximè de dolore plantarum pedum conquesti sunt, ac præ dolore stare non poterant. Nunc quoque dum hæc scribimus, sub cura nostra versatur fœmina quædam sexagenaria, quæ talem vehementem dolorem in plantis pedum habuit, ut ab initio per totos pedes discurrere coacta fuerit, dein dolor adeò urens factus fuit, ut vix pedes amplius præ dolore plantarum movere valuerit.

Juxta Galenicos causa pedis Distorsionis. §. 4. *Ætiologiam* pedum affectuum nunc instituturi, aliorum opinionem, more solito, nostræ præmittemus. Agmen autem ducent *Galenici*; pedis Distor-

rum poris infixas esse, & acutis suis extremitatibus scindendo continuitatem earum dissolvere, quæ inde chordarum instar in cincinnos resilientes acres has particulas arctissimè complectuntur, in quorum interstitiis tamdiu jacent consopitæ, donec à certâ materia subtili commoveantur.

Hinc jam liquet ratio, cur hyeme potiùs pruritus, dolor, & rubedo sentiatur quam æstate. Materia enim subtilissima non semper una eademque versus hæc inferiora spargitur, sed pro diversitate locorum annique temporum nunc parciùs nunc copiosiùs dispensatur, & nunc alia atque alia ad nos accedit, prout sc. tellus vel propiùs vel longiùs a Sole aliisque sideribus distat.

Clavi.

Clavi sunt affectus faciles curatu, modò non altas egerint radices, tunc enim sæpè Chirurgum spe sua frustrant, hinc etiam, præsertim si incautè exscindantur, periculum maximum oboriri potest ceu in Nobili novimus exēplum, qui inde in spasmum, convulsiones ac deliria incidit, quæ symptomata excepit mors atrox.

Hallucis sub carne se defodientis.

Affectus hic non vilipendendus est, sed sæpè atrociora infert symptomata, sic Chirurgus quidam Norimbergensis Unguem hallucis sub carne se defodientem forcipe violenter nimis extraxit, à quo Patiens singulis diebus aliquid convulsivi passus, quod duravit usque ad ipsius mortem, quæ inter unius anni spatium subsecuta est. Sicque Præses Cameræ *Zedlitius* præcidit sibi Ungues pedum, facitque incisionem nimis profundam, accedit Gangræna & moritur. Digitum læsum molliter haud tractavit, sed potiùs irascens contra terram tutudit. Vide de his *Eph. Germ. Ann. 3. Obs. 322.* ob fibras enim nervosas ac tendinosas facilè quis, damnum exinde accipere potest.

Calcis doloris.

Dolores calcis & palmæ Pedum inferunt sæpe Hecticam, & sunt aliquando intolerabiles, & sæpè diu durant, adhibitis tamen congruis remediis facilè curari possunt, ceu nos aliquot exempla novimus.

Cura Dietetica Pedum affectuum.

§. 12. His in affectibus Pedum etiam ad ea quæ vel ore assumantur, vel externè ipsis accidant, respiciendum est, ut sanguis ac succi vividiores, hoc est, fluidiores serventur, ut sic meliùs ad dissita hæc loca fluere, & calorem ipsis participare queant, ne affectus accersantur, vel jam præsentes magis adaugeantur. Ante omnia ergo frigus, quantum possibile, arcendum est, obfrigus enim aeris afficitur sanguis cum reliquis succis in vasis valde exiguis, ac succi in tubulis suis subsistere coguntur, ac progressu temporis acorē quendam contrahunt, unde tumor inflammatorius, rubor ac dolor. Cibi etiam sint fluidiores ac laudabiles, succo sc. lacteo volatili gaudentes, vitentur verò crassi terrestres, acidi, salini & saccharati. Potus sit potus Theæ vel Caffeæ, singulis vel alternis diebus assumptus, vel vinum dulce Gallicum, vel Hispanicum. Acida verò vina angue pejus fugiantur. Motus, vigiliæ, animi pathemata sint juxta leges mediocritatis.

Galenicorum cura pharmaceutico-Chirurgica in pedis Distorsione.

§. 13. Post *Diætam* ad ipsam properamus *Pharmaciam & Chirurgiam*, & ut eò meliùs hoc fieri possit, aliorum quoque Medicinę Antistitum consilia de curatione Pedum Affectuum feliciter instituenda principiemus. Omnium verò primò *Galenicorum* scopus in *pedis Distorsionis* curatione eò collimat, ut primo statim tempore id quod exciderat, reposuerint, & quo facilius hoc obtinerent, partē affectam priùs relaxant fotibus, ex decoct. malv. pariet. alth. sem. fœnigr. & illinitionibus, hinc extendunt pedem, quo spatium sit liberum, ubi articulus queat moveri, & in sedem pristinam compelli. Ad impediendam inflammationem V. S. imperant, & ingressum defendunt, dein pannum cerato liquido aut oleo rosaceo madidum imponunt. Tandem pede satis confirmato vinculum resolvunt, articulū pedis foventes, & Medicamento quodam emolliente illinentes.

In Pernionibus.

Perniones Veteres curant pediluvio facto ex decocto raparum, alii pedum in gelidam immersione curantur, non secus ac ova congelata à congelatione aqua frigida liberantur. Alii ex iis accipiunt mel & sal aut sulphur, iisque commixtis manè & vesperi fricant. Nonnulli illorum accipiunt sevum suillum, & cum succo limonum ad unguenti consistentiam agitant, membrumque ad hyemis initium eo illinunt: vel etiam liquefacto sevo cervino in aqua vitæ illinunt manus pedesque: quòd si magna adsit inflammatio, hyoscyami succum appositum, vel decoctum cyclaminis applicat. laudant: Vel marina tepida, vel betæ aut lenticulæ, aut ervi, aut radicis asphodeli decocto perfundunt Perniones. Post perfusionem lenticulam vino incoctam tritam illinunt, aut ficus ex oleo levigatas imponunt, aut alumen & farinam paribus portionibus in vino coctum adhibent. Myrrhæ quoque trientem, aluminis liquidi sextantem, aceti q. s. præparant, & Pernionibus non ulceratis, ac pruriginosis fervidis eruptionibus imponunt. Vel sequens:

♃. *Succi uvæ acerbæ* ℔j.
Thuris ℥ij.
Ceræ ℥ij.

Coq. simul ad succi fermè consumptionem, deinde in mortario subigunt, & utuntur. Sequens valde dicunt insigne esse ad reliquas quoque inflammationes commodum:

♃. *Cerussæ*,
Spumæ argenti,
Aluminis liquidi aa. ℔j.
Myrrh.
Thuris aa. ℥ij.
Ovorum assatorum vitell. n. xvj.
Adipis suilli veteris ℔j.

Acida cum aceto terunt, in quo malicorium decoctum est, & ubi strigmentitiam compagem habuerint, adipem adjiciunt, ac simul probè subigunt & in plumbeo vase servant: usu verò postulante, rosaceo aut myrteo oleo diluunt, ac illinunt. Ex allio cum oleo & cera emplastrum parant imponuntque, vel amurcam illinunt. Sequens Perniones imminentes arcere dicunt:

♃. *Atramenti sutorii*,
Flor. mali Punici sativi aa. ℥ß.
Aluminis scissi ℥iij.
Myrrhæ,
Thuris aa. ℥ij.
Ceræ ℥ß.
Adipis suilli ℥j.
Olei Myrtei q. s. Vel

♃. *Aluminis rotundi* ℥ß.
Calcis vivæ ℥ij.
Ceræ ℥j.
Rosacei aut myrtei olei ℥iij.
M.

Ad Perniones ulceratos recipiunt olei omphacini, taurini adipis, succi hyoscyami aa. ℔j. spumæ argenti sescuncem, Colophoniæ trientem, mellis sescuncem, vel foveantur decocto corticum granatorum, cum aqua & vino facto, cui quoque addunt aliquid aluminis, vel excavant rapam, & implent unguento rosaceo, coquunt sub cineribus, & contusum, addito pulvere Cancrorum fluviatilium, applicant. Ad idem imponunt cutem halecis infumatæ, vel talpæ pellem: sequens Unguentum dicunt esse probatissimum:

♃. *Cimular. tritici sub nive virescentis q. s.*
Contunde in mortario, dein add.
Ungu. rosacei vel
Pingued. suillæ q. s.

Bulliant ad ignem, fiat Unguentum. Cerebrum cornicis Emplastri modo applicatum Perniones infallibiliter curare asserunt.

In Clavo.

Clavum vix absque cura recedere ajunt, hinc duplicem instituunt curam, vel Instrumentis vel Medicamentis. Balneum pedum ex herbis emollientibus paratum per aliquot dies usurpandum commendant, dein laminatim cultello, quoad fieri potest, citra hęmorrhagiam excindunt, & per octiduum folia sempervivi, viridi pellicula exuta, bis de die applicant, renovantque. Vel apponunt picem Burgundicam. Vel sequens:

♃. *Resin. pini*,
Colophon. aa. ℥ß.

M. benè ad ignem, & dum omnia fuerint liquefacta, pertrahe linteola, & fac sparadrappum viridem.

Alii herbam nigellę cum aceto tritam applicant, vel lupinos exustos cum mellæ mixtos superponunt. Incisionem non volunt fieri prope nervos, in ustione per caustica etiam cavendam esse inflammationem per rotundum & perforatum defensivum. Ad clavos quoque

præ-

præmundatos unam aliquam ex corrodentibus compositionibus imponunt, aut æruginem rasam, aut sandaracham, aut Fistulis dicatum pulvillum siccum, aut fistulare collyrium, gummi vice ammoniaco exceptum, lupinorum crudorum ustorum cinere cum melle, mysi pice liquida; exceptum melanthium cum pueri impuberis urina, fabæ lomentum cum aceto coctum applicant. Sequens pro experto exclamant:

℞. *Cantharidum*,
Atramenti sutorii,
Castorei aa. ʒij.

Excipiatur therebinthina ad emplastri formam, & clavo præmundato imponunt. Vel

℞. *Fæcis vini ustæ*,
Calcis vivæ,
Visci aa. ℥j.

Cum lixivio aut urina pueri impuberis, misc. atque applicant.

In Hallucis Ungue. Ad *Unguem in carnem se insinuantem* vel cultello Unguem a carne separant, & dein excrescentem carnem imposito alumine usto vel galla cum melle subsidere faciunt, & varia anodyna & emollientia imponunt, vel in forma Cataplasmatis, vel linimenti, vel olei chamomill. lini, sesami, amygd. &c.

In Calcis dolore. *Dolorem verò in Calce & Palma Pedum urentem*, tollunt internis anodynis, & externis tùm linimentis tùm Balneis, tum fotibus, in quem casum sequens commendant linimentum.

℞. *Ungu. popul.*
Refrig. Galen. aa. ℥j. *M.*

Quod Unguento illinunt Calcem & Plantas pedum, quod & somnum promovet. Vel Balneum quod sequitur laudant:

℞. *Fol. salicis* M. ij.
Malv.
Bismalv.
Fl. chamomill.
Nymphææ aa. M. j.
Rad. alth. ℥j.
Sem. lini ʒ jß.
Fænigræc. ℥ß.
Bacc. Juniper. ʒiij.

Dentur incis. pro Balneo, in quo pedes mane & vesperi immergantur.

Paracelsi cura in pedis Distorsione. §. 14. *Paracelsus Pedis Distorsionem* per restitutionem pedis articuli luxati curari posse asserit, & quo faciliùs curatio impetretur, partes emollit balsamo ex axungiis parato, ne verò pes restitutus denuò elabatur, ligamenta obfirmat emplastro suo oppodeltoch, quod etiam apponit, si ligamenta vel articulus pedis ab alia causa fuerit luxatus.

In Pernionibus. Cura *membrorum congelatorum* ipsius est, ut unius Mumiæ per additionem conservetur altera, nempe debilitata hunc in modum qui sequitur.

℞. *Olei costi* ℔ ß.
Sevi hircin. ℥iij.
Ceræ ℥ ivß.

M. fiat Unguentum, quod singulis quaternis horis applicandum est, aut sæpiùs, quo locus melius humiditatem suam retinere valeat.

℞. *Olei ex laganis avium vnc.* v.
Adipis cervi vnc. iiß.
Ceræ,
Liquorum ex ovis aa. vnc. iiij.
Misc. simul & utere.

Hujusmodi Medicamentum ab initio curæ sufficiens esse dicit in finem usque, nec opus alio, quod in eo mumia constituta sit, qua quidem frigoris congelationem curari asserit. Membrorum congelationem duplicia damna secum adferre scribit, ut *Paroxysmos* & tumefactiones. Paroxysmi, juxta ipsum, successu temporis nascuntur magis aucti; verùm tumores in putrefactionem incidunt. Sequens Medicamentum certo certius expertum esse notat; *Oleum* nempe *urinæ*, quod in proprio sale conservatur, congelationibus in aqua natis & similibus omnem Paroxysmum aufert. Quod inflationes concernit, sequens experimentum pro certissimo venditat. Urina perungantur aut laventur optimè membra congelata, postmodum fodicationum emplastris ligentur, aut conservari poterunt, præsertim ubi mox ab initio remedium hoc fiat. Si tamen caro mortificata sit, post illa, fodicationum emplastris, aut similibus aliis vulneralibus Medicamentis mundificat. Animadvertendum quoque vult, ubi gelu tenderet ad interiora cor versus, ut Patientibus theriacam & aquam ardentem in potum, ambas commistas Medicus administret, ut calor in membro congelato restauretur. Quicquid oleo prædicto fuerit unctum, ante mortificationē, juxta ipsum, absque damno restitui potest in integrum.

In Clave & Porro. Curationem Clavi sive porri quod attinet: ab incisionibus & corrosivis aquis abstinet, sequens verò maximè commendat.

℞. *Ol. ex bacc. Juniperi*,
Besonnæ,
Agaric. aa. ℥j.
Fellis bovis q. s. pro unguento:

Unge dies & noctes, quo magis triveris, eo meliùs efficiuntur nigri siccanturque. Post hæc commendat suum Empl. oppodeldoch ad quatuor vel quinq; septimanas.

Vel

℞. *Realgaris* ℈j.
Ol. vitell. ovor. ʒß.
Calcis exstinctæ q. s.
Pro linimento.

Hoc porros reddit nigros ac putridos.

Unguem sub carne se defodientem curare satagit emollientibus.

Ad *Fœtorem pedum* abigendum verò adhibet varia Arcana sudorifera, & chelidonium suadet calceis imponendum.

In Plantæ ac Calcis pedum dolore. *Plantæ ac Calcis pedum dolorem* placat dolorem placantibus soporiferis Medicamentis.

Helmontii curandi methodus in pedis Distorsione. §. 15. *Helmontius Distortum* ac *semidislocatum pedem* restituendum vult in locum pristinum, prout in se ipso comprobavit.

In Pernionibus. In Pernionum Cura cum aliis Authoribus consentit, & nihil peculiare propinat, conglaciatos non vult statim à frigore ad hypocausta deferri.

In Clavis. *Clavorum* curationem fieri ait per sui mortificationē exstinctionemque totalem attactu & impressione Medici agentis & mortificantis sympathetici & magnetici, ut lumen lunare frigidum in cono collectum unitumque per vitrum eos superradians, donec à frigore penetrentur suaviter, adeoque sic in radice mortificentur, ut deinceps sua sponte evanescant: idque Luna decrescente, quia tùm defectus Lunæ crescenti auscultant. Eundem effectum præstare dicit cadaveris humani manum impressione forti applicatam. Vel sudor agonalis immorientium imponatur, vel pomi transcissi pulpa interna affricentur *Claui* donec putrescant.

In Ungue hallucis sub carne se defodiente. *Unguis hallucis sub carne se defodientis*, item *fœtoris pedum* ac *doloris* curationem eandem instituendam vult ac reliqui Authores faciunt.

Vuillisiana cura pedis Distorsionis. §. 16. *Vuillisius Distorti pedis* ligamenta corroborat decocto ex herb. betonicæ, chamom. ror. marin. summitat. hyperici, rad. symph. aristoloch. rot. & sem. 4. calid. maj. in aqua & vino rubro coctis, parato, & deinceps Unguentum Comitissæ ipsi illinendo, idoneisque fasciis illum constringendo. Si verò à convulsione ortum duxerit affectus, antispasmodica propinat, & externa nervina & antispasmodica applicat.

Pernionum. In *Pernionibus* petroleum illitum commendat, tum ad curam, tum ad præcautionem, quem effectum etiam edere ait oleum pini: decoctum quoque ex rapis exsiccatis mirè laudat, ut & unguentum de rapis Mynsichti. Applicat etiam cum linteis multiplicatis partibus Pernionibus afflictis mucilag. sem. cydon. cum aq. solan. extract. cui parum tutiæ admiscet.

Clavi. *Clavū* tollit applicatione emplastri de galbano Mynsichti, vel emplastri Vigonis de ranis cum Mercurio.

Unguis sub carne se defodientis. *Ungui sub carne se fodienti* medetur parum lintei concerpti, cui mometum aluminis usti inspersum fuerit, in illud spatium, quod unguis excavavit, immittendo, ad carnem excrescentem exedendam, ut Unguis profundius delapsus forficibus tutò secari possit, & ad pristinū statum recrescentibus deinceps carnibus reduci valeat.

Calcis doloris. *Dolorem Calcis* Author curat per interna Diaphoretica anodynis admixta. Partem verò dolorificam illinit

sapone

ſapone Veneto ſpiritu vini diſſoluto, cum ſpiritu ceraſorum nigrorum & liliorum convall. miſto Galbaneti Paracelſi ſpiritu vini diſſoluti uſum quoque laudat.

Sylviana cura Pedis Diſtorſionis.

§. 17. *Sylvius Diſtorſiones Pedis* curat, articulum elapſum reponendo in locum & ſitum priſtinum, quod manibus potiſſimùm perficitur, deinde retinendo & corroborando illud ipſum, ne denuò excidat, quiete videlicet, abſtinentia ab ingreſſu, pulvinis & faſciis, nec non emplaſtris ſubaſtringentibus ex maſtiche, olibano, colophonia, reſina & oleo myrtin. vel emplaſtro communi ad fracturas etiam hoc in caſu appropriato.

Pernionum.

In *Pernionibus Sylvius*, ut præſerventur partes illæ extremæ aliàs facilè obnoxiæ illi injuriæ, vult, ut priùs benè muniantur antequam frigido committantur, manus Chirothecis ex animalium pellibus conflatis defendantur, pedes verò, ſi tibialia & ſocci linei ſpiritu vini humectentur: vel juxta ipſum poſſunt foveri decocto ex herbis aromaticis alcali volatili abundantibus. Spiritus vini tum temporis liberaliori quoque manu intra corpus aſſumatur, ut ita ſpiritus aucti liberiùs per totum corpus ferantur, humoribuſque majorem concilient motum, quo minùs coagulentur, externum hoſtem aut planè non admittant, aut accedentem promptiùs eiiciant, aut ſaltem magis reſiſtant, ne prorſus internecioni dentur.

Quando verò jam partes malo illo obſeſſæ ſunt, operam dat ut non ſtatim ad calida & ignem accedant ęgri, ſed priùs nive vel aqua frigida fricent: his peractis fovere jubet pedes cineribus calidis quibuſvis, quo omni extracto frigore, quod cognoſcitur ex dolore pungente ſedato, fovet partes decocto aliquo, in quo plantæ aromaticæ ſunt coctæ, aut lacte dulci tepido incocto iiſdem plantis. Alcalibus quoque admiſcet lenientia pinguia, quę poros non nimiùm occludunt, ſed ſimul diſcutiunt, ut mel &c. ne inflammationem ſuppreſſis effluviis augeat. Medicamenta quoque interna diſcutientia aromatica & ſudorifera non negligenda vult, ut illa, quæ in toto corporis habitu ſunt collecta ex frigido expellantur: commendat ergo varias mixturas hinc inde pręſcriptas, item decocta lignorum & ſalia volatilia ex animalium partibus parata hinc inde jam recenſita. Si affectus degeneraverit in Ulcus, curat Author inter alia impoſito Unguento diapompholygos, in quo præter alia alcalia eſt plumbum, quod inſignem habet vim infringendi acidum, eoque nomine eſt proficuus ejus uſus in Cancro, ut olim percepimus ex ore Authoris.

Clavi.

In *Clavo* tollendo commendat varia gummata, imprimis de galbano, ammoniac. de Labdano, quæ impoſita utplurimùm eum tollere perhibet.

Unguis ſub carne ſe defodientis.

Ubi *Unguis ſe ſub carne defodiat*, operam dat ut cultro vel inſtrumento ſeparetur à carne, & dein lenientia imponantur ac mitigantia.

Dolorem verò calcis fugat, internè ſudorifera, (ſalia volatilia anodynis mixta porrigendo, partem verò illinit ſapone Veneto, vel in forma linimenti vel emplaſtri, vel fotum inſtituit, vel balneum ex emollientibus paratũ.

Carteſianorum cura in Pedis Diſtorſione.

§. 18. *Carteſiani*, quod attinet *Pedis Diſtorſionem*, ſi ſit à leviori cauſa, facilè illam reſtitui poſſe contendunt, & quidem manu experti Chirurgi.

In Pernionibus.

In *Pernionum* Cura eò reſpiciunt, ut ab initio peragatur frigidis, ſatius enim eſſe putant, quàm ſi partes admoveantur calidis, rationem, qua peragitur illa curatio à frigidis vide apud *Carteſ.* Quod curatio, quę per calida inſtituitur, in pejus ruat, putant inde fieri, quòd acidi figuræ ab igne immutentur, & curventur, ſicque arctiùs implicentur ſibi invicem, quo minus eaſdem vias relegere queant, per quas intrarunt: adde quòd ignis particulæ illis acidis junctæ abeant in novum acerrimum, quod conſpirat in partium interitum, uti apparet ex pomis congelatis, quæ ſi immittuntur rei calidæ, fiunt intus nigra, & ſapor perit, aliàs illæſa quoad illa phænomena, ſi ſolvantur frigidis. Conglaciatum vinum liqueſcere dicunt ſine jactura virium, ſi vas in aqua frigida ſuſpendatur, ſin verò calore ignis ſolvatur, vires amittit. Medici Carteſiani venæſectionem ac ſcarificationes hoc in morbo contemnunt. Si Perniones non fuerint exulcerati applicant crepitum lupi, qui partes calefacit & omne arcet frigus externum. Optimum remedium dicunt eſſe, pedes calidos conſervare. Item ſuadent, ut pedes Pernionibus afflicti proximè igni admoveantur, donec frigus expulſum fuerit, item Perniones oleo Terebinthinæ priùs illinunt, vel impoſito ſucco raparum tepefacto. Vel decoctum flor. Chamomillæ, abſynthii, addita portione ſalis communis parare ſolent, eoque fovent pedes. Vel:

> ♃. *Terebinth.* unc. ij.
> *Boli Armen.* unc ß.
> *Camphor.* ʒij.
> Coq. conſiſtent. emplaſtri.

Reſinam quoque pini laudant, item Balſamum de *Voorden*. Magnifaciunt quoque rapas & cæpas aſſatas Pernionibus impoſitas. Exulceratos tractant inſtar aliorum Ulcerum.

In Clavo.

In *Clavis* eadem prodeſſe dicunt quę capite de verrucis commendarunt, imponunt quotidie folia hederæ arboreæ. Vel ſuccum hæderæ terr. chelidon. vel gum. Ammoniacum, vel reſinam pini, vel Emplaſtrum Gratiæ Dei, vel galbanum, vel Emplaſtrum viride, ſuccum tithymali, diachylon cum gumm. de Ranis cum quadruplo Mercurii imponunt, item pedes Clavis affectos muriæ ſæpiùs immergunt, & tanquam balneo utuntur. Vel ſaponem communem Pernionibus alligant. Alii ex ipſis linteum ſanguine menſtruo tinctum clavo impoſitum magni æſtimant.

In Ungue ſub carne ſe defodiente.

Unguis ex Carteſianorum ſententia ſe defodit ſub carne, à liquore nutritio in Unguium tubulos copioſiùs affluente, eoſque ſupra modum inflante, ſed quum tubuli ad Unguium latera conſtituti libe riùs extendi poſſint, abundantiorem ſuccum nutritium excipiunt, à quo ultra requiſitos fines excreſcentes, ſubjectam carnem ſubeunt, & in ea ſe defodiunt.

In dolore calcis pedis.

Calcem & Plantam Pedum dolore affici aſſerũt à ſucci nervei aliorumque particulis rigidis acutis, ſcindentibus ac pungentibus, quibus ſcatet ſanguis hecticorum, ſcorbuticorumque, quæ particulæ vel in ſanguine, vel ſero, vel ſucco nerveo, vel nutritio hoſpitantes, & ad calcem & plantam Pedum delatæ partes fibroſas, partes has ſubcingentes pungunt ac irritant, doloremque hunc ardentem inferunt.

Noſtra cura in Pedis Diſtorſione.

§. 19. Viſis ſic Aliorum Curationibus Pedum Affectuũ, *ipſam* tandem *noſtræ ſententiæ* innixã aggredimur. In *Pedis Diſtorſione* curam maturandam eſſe monemus, ne cavitas repleatur viſcidis humoribus, tũ enim difficiliùs reſtituitur. Reſtitutũ verò malleolum idoneis faſciis, ĩpoſito cerato de cumino & ſpiritu vini cãphorato madefacto, & adhuc linteo eodẽ ſpiritu imbuto ſuperĩpoſito curare ſolemus. Ultimò ſpiritu lumbricorũ, balſ. Iſchiat. vel topico noſtro ſæpiùs ad partẽ corroborandos ſpiritus animales & tubulos obſtructos aperiendos illini curamus. Si malum à convulſione originẽ duxerit, antiſpaſmodicis & nervinis tùm internis tũ externis uti ſolemus. Si verò ſit à nativitate, difficiliùs tũ curatur, idoneis verò faſciis ac calceis in hunc finem adaptatis ſæpiùs pedem ab ortu diſtortum feliciter curatũ vidimus.

In Pernionibus.

Pernionum Curam quod concernit, ſtatim notandum eſt, an malum *recens* ſit, an altas jam egerit radices. Quippe in recentibus Pernionibus ipſis frigidis *curam* rectiùs auſpicamur, quia frigoris lues frigore pellenda eſt, calor enim ſubitaneus plus damni infert, dum ſubitò obſtructionem ſolvit, & partes conſtrictas exagitat, quæ plus ſpatii occupantes, ipſam texturam deſtruunt, quod quotidie experimur circa rapas & poma congelata, quæ igni ſtatim admota redduntur mollia inſtar pultis, & poſtea corrumpuntur ac putreſcunt, quod & pulchrè oſtendit *Cl. Dn. Rohault in Phyſica ſua*, in floribus congelatis. Imò ſi digiti fuerint à frigore quaſi rigidi facti, & ſi tum igni propiùs admoveantur, ſenſum percipies, ac ſi mille aciculis pungereris, quod incommodum non ſenties, ſi priùs cum aqua frigida vel ipſa nive fricentur membra congelata. Methodus hæc pluribus Paradoxum eſſe videbitur, cùm in ſuccorum ſtagnationibus frigida maximè noceant; ſed ſi ritè hæc examinentur, & quidem rationis trutina penſitentur, facilè te extricabis. Cura enim Pernionum frigidis his quidem inchoatur, ſed non perficitur, & quod frigida primò applicentur, ratio hæc eſt, quòd congelatæ partes ſenſim reſolvi, & poſtea ad priorem mixturam redigi debeant, quod præſtat lenis frictio cum nive, vel aquæ frigidæ, im-

immersio, in qua adhuc amica fluit subtilissima materia, & quæ sine aliqua magna vi congelatis liquoribus aut succis fluiditatem suam ordinariam reddere potest, sine ulla lęsione alicujus fibrę ad pristinum redeunt statum. Idem enim corpus nostrum experitur fatum, quod pomis congelatis accidere solet, quæ aquæ calidæ injecta statim corrumpũtur, igne majori cum impetu in ea irruente, ut in putrilaginem, ceu jam diximus, abeant. Vulgus quidem causam hujus rei quærit, nescio in qua frigoris extractione, qualem verò nos haud admittimus sed rectiùs fit id ob materiã subtilem succis nostris magis amicam, vel quòd poma congelata in majori constituta quiete, quàm aqua frigida, hinc quędam suę quietis gradum communicent. Ex his abundè constat, quòd æger Pernionibus vexatus è longinquo igni tãtùm apponendus sit, aut leni primùm frictione cum nive frigus demulceatur, & sensim levique agitatione articuli vellicentur, ut instituta frictione sanguis queat revocari, & sopitæ partes citiùs reviviscant. Sic etiam nix, teste experientia, nostris in manibus soluta amicabilem succis nostris communicat calorem; item per frictionem & agitationem fibrillæ & particulæ sopitæ resuscitantur, & hinc motus succorum promovetur. Sed hæc curam in Pernionibus, ceu diximus, non absolvunt, nec ęgrũ à malo penitùs liberant, sed ad potentiora deobstruentia transeundum est, qualia sunt spir. vin. camph. Elix. vitæ, spir. matrical. oleũ Thereb. Juniperi, Philosoph. terebinth. spir. lumbricorum, fuliginis eboris, formicarum; spir. sal. Armon. cum bals. Ischiadico mixtus elegans remedium est, Balsamus quoque nervinus extern. ac intern. noster, Tinct. Castor. Tinct. Balsamica Dekeri, ass. fœtid. ol. Lullian. Cl. D. *Vveidensensii* quod mihi per literas maximè commendavit, ol. Guajac. ol. balsamm. Peruvian. camphor. spir. sinapi, convuls. noster liq. C.C. succ. sal. tart. & sexcenta salia volatilia ex herbis, radicibus, & baccis aromaticis parata. Fotum etiam externè magnifacimus: esto in Juniorum gratiam una atque altera formula.

♃. *Summ. rorismar.*	*Sem. cumin.* aa. ℥j.
Herb. salv.	*Erucæ*,
Scordii,	*Urtic.* aa. ℥ij.
Absynth.	*Piper.* ℥ß.
Fol. Nicotian. aa. Mіß.	*Sal. Armon.*
Rad. bryon.	*Tartar.* aa. ℥iß.
Galang.	Coq. in vino Gallico,
Trifol. fibr. aa. ℥ß.	adde
Sem. anis.	*Spir. vini* ℥ß.

Pro pauperibus verò in sola Vrina coqui possunt, & huic balneo immergantur vel manus vel pedes Pernionibus affecti.

Ol. Terebinthinę tempore pruritus ad ignem sępè illitum egregium in Pernionibus est remedium. Crocus cum Spiritu vini membris frigore læsis applicatus à pluribus magni penditur. Sic quoque alii cum Veteribus extollunt decoctum raparum vel aridarum, vel frigore congelatarum, alii rapas coctas calidè Pernionibus applicant. Plures sevum cervinum, hircinum, caprinum & vaccinum laudant, quæ in cadum glaciei liquida infundunt & dein applicant; vel nostra experientia sapo Batavorum niger dict. vitell. ov. aa. P. æq. conquass. invicem, corio illinatur & Pernionibus applicetur, ab initio vesiculæ excitantur, quæ aperiendæ sunt. Nonnulli ex recentioribus salivam propriam Pernionibus illinunt, & dein pedes igni admovent: vel

♃. *Farin. frument. silic. gross. modo parat.* (geschrodene) subigatur *aqua frigidiss.* & *applicetur* tepidè ter vel quater de die, & dein inungant ut Perniones sequenti linimento:

♃. *Picis Martial. vel. aq. Martial. f. cum ceræ alb.* q. s. linimentum.

Pinguedo anseris, quia subtilis est, præservare creditur contra frigus externum, si membra frigori exposita ea inungantur. Oleum Camphorę verum ex India allatũ nostra experiẽtia egregii usus est. Mutatio quoque aeris multum ad curationem facit, ex. gr. si quis in Italia vel Germania Perniones acceperit, & dein ad Indos proficiscitur, vix aliquid incõmodi sentiet, ceu prostant exempla nonnulla. Optimum verò remedium ast ad recidivam arcendam *procul à Frigore*. Plures stercus ovillum cum butyro recenti frixum & colatum magni pendũt. Cataplasma alii ex pomis putridis confectum applicant. Alii suffitus laudant ex cinnabarinis, & balsamicis resinosis, præstat vapor ex accẽso spiritu vini progrediens; quòd si dolor valdè urgeat; conveniunt *Paregorica* cum anodynis alth. malv. fl. chamom. sambuc. sem. lini &c. sequens experientiæ & ratione approbatur.

♃. *Spir. vini* ℥ij. vel *Aq. Hungar.* ℥ij.
Tinct. croci ʒij.
Ol. terebinth. crass. ʒiij.
M. illinantur Perniones,

Sic quoque Cineres Juniperi acidum aeris frigidi valde mortificant, si pedes iis calidis fuerint impositi. Sic quoque oleum succini pluribus solamẽ pręstitit, aliis adeps ex pedibus vitulin. vel hędin. in aq. decoct. & refrigerat. qua Perniones inungunt. Sunt qui pro præservatione Pernionum soleis vel soccis ex pelle pedum cervi paratis uti solent, quia in hac pelle pori constrictissimi sunt, aerem frigidum ac crassum vix permittentes. Terra foliata Tartari more Tacheniano parata in Pernionibus à pluribus magni ęstimatur, ejus preparationem vide in *Apolog. contra Tachen. Zvvelfer. p.m.72.* Terra hæc liquida externè illinatur Pernionibus Petroleum, axungia cati sylv. oleum Pini, Unguent. contra Perniones *Schrœderi*, *Barbett. ex rapis Minsicht. Timæi à Guldenklee*, & hujus Cataplasma ex farina avenacea à pluribus magni penduntur. Sequenti in Serenissimo quodam Principe cum commodo usus sum:

♃. *Spir. vini camphorat.*
Matrical. crocat. aa. ℥j.
Lumbricor. ʒiij.
Sal. Armon. cum calc viu. parat. ʒj.
M. pro illinitione. Vel

♃. *Calc. viv. cum aq. salv. fiat. liniment. add.*
Ol. hypericon. n. ʒj. *Spicæ*,
Juniperi aa. ℈ß. *M.*

Ubi nodi & tumores inflãmatori adsunt, Merc. dulcis cum axungia Taxi misceatur, quo calidè nodi inflammatorii perungantur, & desuper Empl. de Ranis cum Mercurio Vigonis, vel cũ quadruplo Mercurii imponatur, vel empl. de Labdano, vel nostrum de Thea tãtæ in abigendis tumoribus efficacię. Pro divitibus nihil excellentius est quàm lixivum cum Thea paratũ, in quo infundãtur pedes Pernionibus obsessi ac inflãmati. Qui linimenta potiùs amãt, seq. non erit contemnendi usus:

♃. *Medull. crur. boum. rec. extr.* ℥ß.
Axung. Taxi ʒj.
Viperar. ʒij.
Bals. Saturni ʒj.
Ol. Camphor. ʒß.
M. quo calidè Perniones illinantur sępius.

Si quis verò majorem effectum ex emplastro exspectat, sequens proderit:

♃. *Picis*,	*Ceræ* ℥v.
Resinæ aa. ℔ß.	*Sub finem add.*
Olibani ℥iß.	*Cinnab. nat.* ℥ß.
Axung. bovis.	*Camphor.* ʒiij.
Ovin. aa. ℥iij.	*Minii* ℥j.
Ol. lini,	*M.* f. Ceratum.
Oolivar aa. ℔ß.	

Vel Empl. saponis ad ℥ij. malaxetur cum oleo Tartari fœtid. succin. aa. ʒß. *M.*

Sequens fuit Celeberrimi Faustii, Professoris Heidelbergensis remedium.

♃. *Ol. resinæ*,
Pini aa. ℥j. *M.*

Fæces quoque Cerevisiæ, vel muria Harangum imposita à pluribus laudantur.

Vel ♃. *Pingued. vulpis*,	Vel ♃. *Ol. laurin.* ℥ij.
Lupi aa. ℥ß.	*Mell.* ℥ß.
M.	*Terebinth.* ʒij. *M.*

Singulare experimentum dicitur cerebellum, ex capite cervi vel lupi desumptum & Pernionibus appositum, alii extollunt sequens:

♃. *Ceræ flav.*	*Seu. vervecin.* aa. ℥ij.
Pic. alb.	*Thuris alb.*
Ol. olivar.	*Minii*,
Lini aa. ℥iv.	*Saturni offic.* aa. ℥iß.
Sev. cervin.	*M.*

Omn.

Omnia ea Medicamenta, quæ multum salis volatilis oleosi in se continent, hic proficua sunt, quæ acidum in sanguine ac succis stagnantibus corrigunt, sic etiam sperma ceti supra ignem fusum, & calidè inunctum Pernionibus egregium, & à Celeberrimo *D. Muys* approbatum remedum.

Exulceratis Pernionibus imponatur Balsamus noster Divinus, quo nullum datur generosius, vel Terebinth. vel Empl. decreta, vel diachyl. l. Ungu. Cancrinum; curantur enim instar aliorum Ulcerum, ex quorum capite reliqua possunt peti remedia, cineres quoque stercoris ovilli inspergantur Pernionibus exulceris. Cæterum toto curationis tempore frigus externum quantum possibile arcendum erit, in quo totius curationis cardo vertitur, hinc pellis leporina vel cervina, vel charta emporetica cum spiritu vini madefecta, vel vesica bubula cum Terebinthina illita, vel charta quadruplicata pedibus Pernionibus vexatis applicata magni penduntur, quia frigus arcent. Nos ad præcavendum malum cucurbitulas atque sanguisugas partibus affectis applicatas tanquam noxias rejicimus, quoniam hoc modo obstructiones vasculorum non tolluntur, sed potiùs augentur, & vascula distorta ad pristinum suum statum haud revertuntur, sed magis distorquentur.

In *Pernionibus* nec interna cura negligenda venit, hinc Celeberr. *Lovverus*, Medicus Anglus, solis internis Martialibus exhibitis Perniones curare promittit. Nostra etiam ex sententia interponenda sunt varia volatilia, imprimis oleosa, quæ succos stagnantes fluidiores reddunt, spiritus ad impellendum & fores obseratas aperiendas incitant, omnemque stagnationem impediunt, hinc sudorifera omnia conveniunt, & commendamus seq.

℞. *Sal. volat. oleos.* n.
Elix. vitæ aa. ʒj.
Vin. calid. ℥ij.
M. pro una vice & sudor exspectetur, & inde magnum resultabit commodum. Vel sal volat. C.C. ad ʒj. in mensa more solito assumatur.

Cur verò ægri hoc affectu infecti semper hyberno tempore, & quidem vel in principio, vel in fine hyemis iterum recidivam patiantur, ratio hæc est, quoniam vasa à frigore semel constricta ac angustiora facta tempore æstivo succis quidem transitum cōcedunt, hyberno verò tempore accedente succi nostri aliquantum crassiores redduntur, tunc ipsis canales sunt nimis cōstricti & permeare nequeunt, sed succi stagnare coguntur, eundem sic affectum producere debent. Tempore enim hyberno non influit tanta copia materiæ, subtilis, ut in æstate, in qua spirituosæ, oleosæ, & aqueæ particulæ in succis nostris per continuum trāsfluxum materię subtilis expandun ur, & sic obstructionem vasorum ab externo aere minitantem impedit. Hinc remedia sępiùs etiam optima effectum non præstant, quamvis Celeberr. *Bartholin* Act. Haffn. *Vol.* 3. *Obs.* 10. infallibile dicat remedium adversus manuum Perniones, cruorem adhuc calentem ex bove recens mactato effusum, si eidem manus vel pedes imponantur, quod remedii genus sæpius tentavi, ast frustraneo effectu. Hinc videmus remedia etiam generosa nobis visa sæpiùs fallere Medicos & ægros, quod quilibet in praxi sua experietur.

In Clavis. *Curam Clavorum nostram* quod concernit, felicissimè eos curavimus solo illitu oleo lini tepidè facti, priùs tamen clavo profundiùs inciso, quod arcanum nobis hactenus fuit, vel imponi potest linteum oleo lini imbutum, quod te rarò fallet. Podex recens galli junioris, inciso priùs clavo, impositus plurimis magnum attulit commodum: vel

℞. *Gumm. Galban.* ʒij.
Sal. Armon. ℈ij.
Resin. ʒiij.
Picis ʒij.
M. f. l. a. Empl.

In Clavis sequens aqua calcis nostra egregia, ut in omnibus fungosis aliis excresentiis.

℞. *Calc. non extinct.* ℔iij.
Acet. vin. ℔iß.
Aq. commun. ℔ij.
M. f. calx exstincta, colat. add.
Mercur. dulc. ʒij. *M.*

Emplastrum de ranis cum quadruplo Murcurii valde Clavos emollit discutitque. Sunt qui Empl. diachyl. simpl. cum sale fimi columbini magnificiunt. Empl. de Thea, de Labdano etiam hic præstant commodum. Solum sępè gummi galbani impositum juvat. Alii ad corrosiva accedunt, ad lapidem sc. infernalem, vel oleū Antimonii, ol. vitrioli, butyrum Antimonii, quibus tamen cautè mercandum esse existimamus, ne fibrillæ nerveæ non tantùm ab his irritentur, sed & planè discindantur, hinc omnia hæc cum arsenicalibus improbamus; sunt qui cū affectu sulph. citrin. in forma pulveris Clavis incisis imponunt, munito priùs loco gummi ammoniaco vel instrumento plumbeo, & desuper bis vel ter accendunt, & dein Clavum cum radice eximunt.

In Ungui sub carne se defodiente. *Ungui sub carne se defodienti* medemur sequenti modo: si caro prope unguem nimis propullulat, imponimus parum aluminis usti vel Empl ex Labdan. vel spir. matrical. dein cultello ad hunc finem excogitato, unguem parùm abscindimus, & dein impositis variis balsamicis curam absolvimus. Sæpè inflammatio accedit, quæ abigenda est phlegmate Vitrioli egregio remedio internè & externè usurpato in Inflammatione.

In Pedum Calcis dolore. *Dolor Calcis ac Palmæ Pedum ardens* si fuerit ab Hectica, ea curata facilè cessat, aliàs & interna æque ac externa postulat remedia hic dolor: imprimis commendamus Diaphoretica cum anodynis mixta, & egregia Tinct. nostra opii volatilis, quæ paratur ex spir. C.C. volat. & opio, quæ ad guttas, 20. & 30. usque exhiberi potest, imprimis circa vesperam: notandum enim est junioribus Practicis, quòd semper eò reflectant, ut opiata semper vespertinis horis suis ægris in quocunque exhibeant morbo. Inter externa hic magnificimus saponem, vel Emplastrum saponis, vel oleum saponis calci ac plantæ pedum illitum. Sequens nostrum Emplastrum Anodynum, ut in omnibus externis doloribus, sic etiam in hoc magnum affert commodum:

℞. *Minii,*
Cerussæ,
Sapon. Ven. aa. ʒvj.
Ol. olivar. ℥iß.
Axung. porcin. ʒiß.
Coq. ad consistent. Emplastri add.
Opii ℈iv. *spir. vini solut.*
Emplast. diapalm. ℥j.
M. Vel

℞. *Empl. diapalm.* ℥ij.
Sperm. ceti ʒß.
Camphor. ʒij.
Croci ʒj.
M. f. Empl.
Vel

℞. *Aq vel decoct. calc. viv.*
Spir. fl. sambuc. ʒiß.
M. calidè imponatur linteis.

Quę imposita ęgrum non deserent: item balnena, fotus, linimenta varia in hunc finem institui possunt.

In Pedum fœtore. In *Fœtore Pedum* ab Indis maximè laudantur folia *Pinan* cum *Seribean*, aut *Arre* foliis cum calce paratis, calceis imposita, fœtorem arcent, uti in ore masticata omnem graveolentem arcent anhelitum: nihil verò hoc in casu magis juvat quàm mundities, quomodo scilicet pedes semper novis muniantur soccis.

Nunc ad Finem hujus Operis tandem pervenimus. Faxit Deus Ter-Optimus-Maximus, ut quemadmodum hæc omnia suscepimus & absolvimus, (certè inter maxima ęquè Aulæ ac Praxeos negotia,) animo candido, in veritatem proclivi, & in publicum mortalium Bonum fervente; ita succedant eadem in Divini Nominis gloriam, juniorum Medicorum informationem, consummatorum verò Praxeos confirmationem, ac Ægrorum quovis tempore obvenientium solatium & restitutionem.

F I N I S.

INDEX

Rerum in Encyclopedia hac Chirurgica Rationali contentarum, & notatu dignissimarum, omnium locupletissimus.

In quo

Numerus paginam, litera *a* sectionem ejus priorem, *b* verò posteriorem designat.

A

B

C

D

E

F

G

I

L

Labia

INDEX.

Lienis

Lues

Matris

N

O

Vvilli-

P

Q

R

S

T

quam

V

Venæ

FINIS.

IOHANNIS
DOLÆI
MEDIC. DOCT.

Potentissimi Hassiæ Principis Consiliarii & Archiatri Primarii, Collegii Medici Decani perpetui, Accademiæ Leopoldinæ Naturæ Curiosorum Collegæ, & Regiæ Angliæ Societatis Sodalis,

TRACTATUS VARII:

ID EST

De Theriaca Cœlesti,
Observationes rariores & curiosæ,
Commercium Epistolare cum Celeberrimo D. D. Johanne Jacobo Vvaldschmidio Philosophico-Medicum varii argumenti, insertis Epistolis & Observationibus quibusdam aliorum quorundam eruditorum Virorum ad Authorem transmissis.

Accessit Authoris Vita.

A CHRISTIANO FRANCISCO PAULLINI

Descripta.

Quod Deus bene vertat.

JOH. DOLÆI,
THEATRUM
THERIACÆ CŒLESTIS HOFFSTADIANÆ:

HOC EST,

Delineatio originis, ingredientium ex tribus regnis, Vegetabili, Animali & Minerali, denique virium & modi usus Theriacæ cœlestis,

Nuper cum notabili augmento confectæ

A DN. JOHANNE DIEDERICO HOFFSTADIO,
Pharmacopœo-Chymico Hanovico.

CAPUT PRIMUM.

Medicinæ artis nobilissimæ, in genere, & in specie Theriacæ Cœlestis originem delineat.

PAlladium illud generis humani Medicina, quæ suis divinis, ut ita dicam, remediis haud dubiè mortalibus inter tot morborum undique erumpentium genera versantibus, magno ubique præsidio præstoque est, Diis primùm inventores suos, nec mehercule injuria assignavit & cœlo dicavit, ipsaque ab Oraculis Deorum multifariam petita est. Quantum enim historiarum monumenta tradidere, Medicina apud Ægyptios & Græcos excoli primùm cœpit; & hanc quidem teste magno Diodoro asserunt Mercurium apud Ægyptios primum invenisse: Alii eam Apidem Regem reperisse putant: Multi testante Plinio, Arabo Apollinis & Babylonis filio inventionem adscribunt: Græci elegantiores artium excultores Apollinem Deum, Medelarum inventorem volunt: *Clemens* Ægyptiis in genere assignat, ejus verò amplificationem Æsculapio primo Apollinis filio. Atque in hac nobilissima arte promovenda, meritò laudatur tertius Æsculapius Arsippi & Arsinoæ filius. Sic de die in diem hæc, sola tantum experientia stultorum illa magistra apud Ethnicos excrevit, experiendi enim occasionem dedit necessitas, nam quum homines læderentur à bestiis mordacibus, artem hanc excudere cœpere, quæ eò magis necessaria fuit, quò sæpius homo homini lupus fiebat & bestia quavis pejor, nam juxta illud *Juvenalis*, Satyr. 15. vers. 164.

Serpentum major concordia: parcit
Cognatis maculis similis fera. Quando leoni,
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam
Expiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam. sævis inter se convenit ursis.
Ast homini ferrum lethale incude nefanda,
Produxisse parum est, cùm rastra & sarcula tantùm
Assueti coquere & marris ac vomere lassi,
Nescierint primi gladios excudere fabri.

Præstantissima porrò Medicina nostra ab experimentis nata, quæ rationibus fulta & sic exculta fuit à divino Hippocrate decimo nono ab Æsculapio oriundo, qui ut Istomachus refert primo octogesimę Olympiadis anno natus, Artaxerxis temporibus in Græcia floruit. Næ Medicinę præstantia qua apud veteres fuit ex hisce monumẽtis & fragmẽtis historicis Ethnico licèt errore infectis æstimanda, de qua jam suo tẽpore Orpheus ita resonat; ὑγιᾶς θυμίαμα μάννων, vertente subtili Scaligero:

O fœcunda Salus & amabilis omnibus regnans,
Huc adsis Medicina opulentifera omni-parensque,
Pestilitas ex te omnis abit mortalibus ægris.

Romæ quoque Medicina magni habebatur; Romani enim, teste *Valerio Maximo* lib. 2 c. 1. (aliis cap. v.) febrem ad minus nocendum templis colebant, quorum adhuc unum in Palatio, alterum in area Marianorum monimentorum, tertium in summa parte Vici longi exstat; In ea remedia, quæ corporibus ægrorum adnexa fuerant, deferebantur. *Cassius Hemina* quoque testatum reliquit, primum à Medicis venisse Romam Peloponeso Archagatum L. Æmilio & M. Livio Coss. anno urbis conditæ quinto & trigesimo supra quingentesimum, eique jus Quiritium datum & tabernam in compito Acilio ob id publicè emptam; ast ob crudeliorem Chirurgiam, quam exercuit novus civis asperiùs & immitiùs, Senatus Populusque Romanus communibus

nibus votis hanc scilicet crudelem Medicinam damnavit & improbavit. Falsum ergo est sexcentis annis Roma Medicinam exulasse; cum Senatus Romanus relicto Erasistrato, Herophilo, Antistio, Asclepiade (& multos præterimus Medicos celebres, Cassios, Calpitanos, Arunctios, Antonium Musam: qui omnes in hisce seculis Romæ in maximo honore floruere,) unicum duntaxat damnaverat Archagatum, non ut Medicum sed tanquam carnificem, quem damnatum Romanis pomœris excedere jussit, ut adeò me quidem judice Hipponacteum sit de nobis præconium à Noctis & Erebi filia in nos excogitatum jactatumque, Medicos Roma tanto tempore exulasse,

Verùm enim verò ars hęc ut Nobilissima, sic artium est difficillima, (difficilia enim omnia quæ pulchra, ut communi effato tritum proverbium loquitur,) tùm ob difficilem causarum morborùmque cognitionem, tùm ob Prognosin lubricā, tùm longitudinem vitę verò brevitatem O' βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρή. Vita enim Brevis, Ars Longa; Verba sunt summi Medicorū Principis Hippocratis, quibus nō Apollinis oracula aut Sybillę folia veriora: ut ut ea stupendū sapientię Ethnicæ compendium *Seneca* subtiliùs quàm veriùs ad censurā vocet, in lib. de brevitate vitæ cap. 1. ita philosophans.

Major pars, inquiens, mortalium de naturæ mali„gnitate conqueritur quod in exiguum ævi gignimur, „quod hæc tam velociter, tàm rapidè dati nobis tempo„ris spatia decurrant, adeò ut exceptis admodum pau„cis cæteros in ipso vitæ apparatu vita destituat. Nec „hinc publico ut opinantur malo turba tantum & im„prudēs vulgus ingemuit. Clarorum quoque virorum „hic affectus querelas evocavit, inde illa maximi Medi„corū exclamatio est, *vitam brevem esse, longam artem*. Ut ut verò nobilissima hæc ars à tot hominibus per tot secula sit exornata & exculta, multa tamen posterorum aut inventioni aut limę sunt relicta. Ascendunt ad summa ut vitia sic artes, & nihil decrescit quam pietas, atque dum proficimus in studiis, deficimus in moribus. Si benè hanc artem consideremus, certè in ea multa abstrusa è puteo veritatis ut jam exhausta, sic plura exhaurienda esse, experientia, mille testes, album nobis calculum adjicit.

Quis enim est Medicorum tàm veterum quàm recentiorum, qui non ingenuè fatebitur, multa in præclarissima artium, Medicina nostra, aut planè abdita adhuc, aut nequaquam satis enucleata à veteribusque nondùm in totum exhausta esse, sed & recentioribus multa adhuc invenienda restare: Exempla vel Scepticum convincent. Illustris enim Anglus *Digby* primò detexit pulverem sympateticum stupendū. Celeberrimus F. *Deleboe Sylvius* Prof. Publicus Lugd. Batavorum Pręceptor meus semper & post fata venerandus, sibi vindicat inventionem salis volatilis oleosi. Parisiensis Chymicus peculiarem invenit liquorem cujus ope calculi vesicæ minutissimè comminuuntur conteruntúrque. Tincturam Stypticam vulnerariamque à Callo pro magna pecuniæ summa non ita pridem emit Anglorum Rex. Religio mihi esset hic loci non meminisse admirādi illius Phosphori Hermetici natales debentis excellentissimo D. *Christiano Adolpho Balduino* Collegę Nat. Curiosorum celeberrimo. Inventum enim illud hoc singulare habet, quod interdiu ex luce solis splendorem attrahat, ad parvulam quoque candelæ flammam luceat, inque tenebris splendeat; Huic naturæ & artis miraculo addas licet Domini *Menzelii* Archiatri Brādenburgici Celeberrimi, etiamque curiosorum Collegæ excellentissimi lapidem Bononiensem singulari arte & industria præparatum, qui simili modo de die soli expositus noctu lucet & sic collectos radios solares, & quasi mutuo acceptos noctu reddit. Inter omnia tamen inventa medicamina velut inter ignes luna minores micat Theriaca Cœlestis, & tantum omnia superat, quantum lenta solent inter viburna Cupressi: Cui ante *Iosephū Quercetanum* nota fuit compositio divini hujus medicaminis? nulli unquam arbitror. Id enim Galliæ decus primum divinam hanc excogitavit Panacęam auro & Cedro dignam scripsitve divulgavit, eandem compositionem elgantem pręclarus ille Vvurtenbergensium Chymicus *Geiffius* Tubingę non tantùm correxit, sed & primum præparavit: tandem virtutes ob cœlestes per totum inclaruit Romanum Imperium imò Europam, ut eandem summa cum laude Hanoviæ præparavit Dn. *Isacus Heræus* beatæ memoriæ, Vir in Chymicus suo tempore exercitatissimus, quem mecum luget tota nostra Hanovia, & in cujus morte ipsa ars Chymica periculum adiisse videtur; Hunc secutus Dn. Jacobus *von Dobren* Pharmacopœo Chymicus apud Cassellanos artis laude nemini secundus. Verum enim verò cum fœtum hunc haud omnibus numeris absolutum antecessores (absit dicto invidia) edidissent, ansam præbit industrio & præclaro Chymiæ scrutatori D. *Johanni Dieterico Hoffstadio* Pharmacopolę hujus civitatis diligentissimo, ut hanc divinam non tantum præparaverit Mecinam, sed & consensu, authoritate & auspiciis nonnullorum magnorum exterorum Medicorum, maximè totius nostri Collegii Medici Hanoviensis nobilissimi, nonnulla pretiosissima addiderit, modumque præparandi multùm emendaverit ultimamque admoverit manum, ut adeò vel nostro hoc Hoffstadio teste, veritas pateat illius à *Seneca* quasi ex tripode prolati.

„ Mobilis & inquieta mens homini data est, nunquam „se tenet, spargitur, & cogitationes suas in omnia nota „atque ignota dimittit, vaga & quietis impatiens, & „novitate rerum lætissima; quod non miraberis, si pri„mam ejus originem adspexeris, non ex terrena & gra„vi concreta corpore ex illo cœlesti spiritu descendit, „cœlestium autem natura semper in motu est. Laudandus ergò hic publicè noster Hoffstadius Chymicus insignis, qui inter alia Theriacam cœlestem, Medicinam sacram, in novam redegit massam, ultimamque in componendo, extrahendo, addendo detrahendoque superaddidit limam: *Salustio* enim teste, talis est laudandus vir, & is demum vivere & frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus præclari facinoris aut artis bonæ famam quærit: Et per hoc excitatus diligentissimus Pharmacopœo-Chymicus Hoffstadius non pressa secutus (ut grus gruem sequitur) antecessorum vestigia, amorem hunc morem simiæ esse duxit, nihil faciens sumptuum impendendorum magnitudinem, acerbas tot noctium vigilias, deniq; tot improbos labores exantlandos. Et aliis hoc egregium artis specimen suffecisset, sed non sufficiebat Hoffstadio; præter enim hanc cœlestem Theriacam pro usu Officinę suæ, simul confectiones opiatas ad normam Dispensatorii Augustani sat concinnè pręparavit commiscuitque; I. ut sunt *Theriaca Andromachi* dicta ἀπὸ τῶν θηρίων, hoc est, à venenatis feris, ut serpentibus, viperis &c. quia hęc compositio carnem recipit viperinam serpentinamque, meliùs verò, meo judicio, ita cognominata, quod hęc Medicina venenatarum bestiarum venenis adversetur. Vitis etiam quoddam genus in Thasso nascens Theriace appellatur, quòd venenatis cunctis resistat, ut *Plinio* Authore cognoscere licet *lib.* 21. *cap.* 24.

2. *Mitridatium* à Mitridate Rege Ponti & Bithynię inventum, nec non in semet approbatum, suum enim corpus hoc medicamine ita tutum à veneni noxa reddidit, ut non poterit efficacissimo veneno, quo filiæ interierant, bis sumpto supremum obire, quod tamen malebat quàm vivus devenire in potestatem Romanorum: hinc ut *Florus* ait *l.* 3. *c.* 5. Malè tentatum veneno spiritum ferro expluit

3. *Antidotum Matthioli & Diascordion. Fracastorii* etiam Alexiteria certis in morbis non spernenda.

4. *Confectio AlKermes* cùm *completa* tùm *incompleta*, haud Monspeliensibus in viribus cedens, quod optimum inter alia existit confortans.

Hæc cuncta nobilissima medicamina unà cum Cœlesti Panacæa imprimis Celsissimo nostro *Friderico Casimiro Comiti Hanoviæ* Dn. nostro Clementissimo, Patrique Patriæ Charissimo, aliisque *Spectatoribus, Serenissimis & Illustrissimis*, tùm etiam tot *Generosis, Prænobilissimis, Excellentissimis, plurimum Reverendis, Experientissimis ac Spectantissimis Ministris Status, Consiliariis, Medicis, Pastoribus, Consulibus, Senatoribus utriusque Civitatis*, aliisque quos novitas & splendor rei attraxerat, censorio supercilio

cilio examinanda exhibebantur: Actiones enim illæ inculpatæ habentur, quæ multorum meliorumque arbitrio censentur & judicantur, hinc nata apud Romanos censoria potestas, qua probitas & continentia fuit examinata, cui æmula Medicorum authoritas in examinandis renovandisque Medicamentis. Mortalium enim nemo rectè faciendo judicia aliorum vel censuras timet, malè autem agentes lucem ut noctua fugiunt. Bonæ enim conscientiæ fiducia est in publico non erubescere. Et quidem omnes Medici omnia ita invenimus, ut adulterina nulla apparuerint, quæ aliàs suis indiciis, quasi sorices se'e peritis produnt. Hac Censura peracta brevi intervallo eadem fidelitate præsentibus Dominis *Commissariis Illustris Cancellariæ*, *ut* & *Civitatum* & *toto Collegio Medicorum Nobilissimo* noster per ignem Philosophus Hoffstadius omnia exactè miscuit ad idoneamque redegit consistentiam, & sic tale nobis medicamentum dedit, quod multis parasangis omnibus aliis antidotis palmam præripit. Antiquiores prædicant Philonia, Persicum Romanum, auream Alexandrinam, antidotum Esdræ, Athanasiam, requiem Nicolai, Trypheram magnam aliaque. Nos tamen præ omnibus (quod præfiscinè dixerimus) eligimus, approbamusque *nostram Cœlestem Panaceam* virtutes ob Cœlestes nomen & omen habentem. Nec moramur diversa judicia aliorum, quæ in contraria omnia abivere & tantùm non Ostracismo divinum hoc medicamen mulctatum voluere: Famigeratissimum Poly„ chreston in ipsis incunabulis expertum est, commune „ omnibus novis & recenter inventis fatum. Habuit „ admiratores suos, habuit, & etiamnum habet suos „ persecutores, osores, rosores, multis salivam movit, „ plurimis bilem: Et quod dolendum, quosdam ex „ præstantissimis Medicis ita obcœcavit invidia, ut „ quicquid etiam de illius stupendo audiant effectu, ad„ duci tamen non possint ut vel in desperatis morbis il„ la utantur, vel ipsius usum ægris saltem aliorum sua„ su concedant, ita enim natura comparati sumus, ut „ ex proprio tantum labore gloriolam aucupari veli„ mus, ex alieno verò concipiamus invidiam & nau„ seam: Quæ verba Excellentissimi ac Celeberrimi Dn. D. *Vualdschmidii* P. P. in inclyta Marburgensium Academia famosissimi, fautoris nostri quousque spiritus hos regit artus colendi, in disputatione de Theriaca Cęlesti appositè nostra facimus:

CAPUT II.

Ingredientia ex tribus Regnis, Vegetabili, Animali, & Minerali desumpta enucleat.

HActenus primum hujus discursus hæmisphærium vidimus, nunc ad alterum scilicet ingredientia lustranda progredimur, ubi farrago sese nobis offeret specierum nobilissimarum, pretiosissimarum, exoticarum, ut brevis sim talium, ex quibus vel Momus & Hypsea quavis cæcior medicaminis hujus præstantiam summam & efficaciam penetrantissimam facili Marte colliget, quas summo digito & quasi per indicem tangimus tantùm.

PRIMA CLASSIS.

♃. *Pulp. Squill. vel Trochisc. Alii,*
Viperarum,
Serpentum nostr. philosoph. præpar.
Opii secundùm methodum Excellentissimi Dn. Langelloti correcti & depur. aa. q. s.
Myrrhæ singulari solut. mẽstruo, non aceto,
Croci cum menstruo volatili, & quidem Thomsonis Med. Angli Celeb. extr. aa. q. s.

SECUNDA CLASSIS.

Castorei cum Alcali sive spiritu Alcalisato ad mentem Dn. D. Wedelii Prof. Jenensis celeber. & notissimi, digesti ac extr. q. s.
Piperis longi,
Cinamomi acuti,
Acori seu calami aromatici,
Cassiæ ligneæ veræ,
Costi veri,
Piperis albi electi,
Piperis nigri,
Schœnanthi,
Spicæ Indicæ,
Stœchadis Arabicæ,
Zinziberis albi aa. q. s.
Cardamomi,
Carpobalsami,
Cubebarum,
Folii,
Galangæ,
Caryophyllorum,
Maceris,
Spicæ Celticæ aa. q. s.
Flor. rosar. rubrar. q. s.
Hyperici,
Centaurii minoris,
Calendularum aa. q. s.
Baccarum Juniperi,
Lauri,
Paridis aa. q. s.
Myrobal. Chebul.
Emblicorum,
Herb. Cardui Benedicti,
Dictamini Cretici,
Galegæ,
Rutæ,
Scordii Cretici,
Nostratis aa. p. s.
Herb. Abrotani.
Chamædryos.
Chamæpythios.
Calaminthę montanę,
Marrubii,
Origani,
Polii Cretici,
Rorismarini,
Salviæ minoris,
Scabiosæ,
Majoranæ,
Mari veri aa. q. s.
Ligni Aloes gummosi,
Asphalti,
Santali Citrini,

Minore pondere ac ab aliis factum est, hæc addebantur, quo mage Alcalisatæ partes prævalere possent.

Radic. Angelicæ
Zedoariæ,
Aristolochiæ rotundæ veræ,
Cardopatiæ,
Dictamni albi,
Gentianæ,
Imperatoriæ,
Rad. Petasitidis,
Pimpinellæ,
Scorzoneræ,
Serpentariæ,
Succisæ seu morsus diaboli aa. p. æq.
Tormentillæ,
Valerianæ,
Vincetoxici aa. p. s.
Aristolochiæ longæ,
Asari,
Cyperi rotundi.
Contrajervæ aa. p. æq.
Cruciatæ,
Enulæ Campanæ,
Iridis Florentinæ,
Meu,
Pentaphylli,

Phu Pontici,
Rhabarbari flavi & optimi aa. p. æq.
Seminis Buniadis seu napi sylvestris,
Cardui Benedicti,
Citri excorticat. aa. p. s.
Aquilegiæ,
Ammeos,
Semin. Amomi racemosi,
Anisi torrefacti,
Dauci Cretici,
Hyperici,
Petroselini Macedonici nostr.
Rutæ,
Seseleos seu sileris montani,
Thlaspi seu Nasturtii albi aa. p. æq.

TERTIA CLASSIS.

Comprehendit solubilia diversis in menstruis & qudem appropriatis.

Succi Glycyrrhizæ,
Olibani in granis electis,
Succi Acaciæ,
Hypocistidis,
Sagapeni,
Sandaracæ aa. p. æq.
Gummi Aspalthi,
Galbani,
Masticis,
Opopanacis,

Hæc gummi itidem minore quantitate ac ante factum adhibita, nec non singulari menstruo soluta fuere.
Camphoræ oleo destillato associatæ q. s.

QUARTA CLASSIS

continet pulveres.

Terræ Sigillatæ Silesiacæ,
Cornu Cervi philosophicè præparati,
Gummi Arabici aa. p. æq.

QUINTA CLASSIS

comprehendit expressa.

Olei nucis moschatæ,
Resinæ styracis s. q.

SEXTA CLASSIS

continet.

Olei Caryophyllorum destillati,
Nucis moschatæ dest.
Succini aa. q. s.
Spiritus Terebinth.
Vitrioli aa. q. s.

SEPTIMA CLASSIS

constat

Ex Balsami Peruviani ℥ iii. *in menstruo quodam volatili & oleoso soluti.*

Hęc omnia à Hoffstadio Chymico nostro expertissimo exactissimè extracta, pulverisata, expressa, destillataque fuere: Ita quidem ut cohobatio in hac præparatione non toties, uti ab aliis factum, repetita fuerit; hoc enim modo particulæ volatiles meliùs in quiete retinebantur, & sal volatile non ita liberè avolare poterat. Nam in quibusdam simplicibus particularum agitatio admodum exigua est, & non nisi modica portio avolat, & in aerem defertur, in aliis verò motus particularum est citissimus. In hac ergo præparatione omnia diligentissimè miscebantur, magno heterogeneorum secessu, donec illa *Theriaca Benedicta* ad mellis consistentiam redacta fuerat, & sic hæc per Metamorphosin mutabatur in Cœlestem & quidem per additionem sequentium.

Serpentum præparatorum q. s.
Corallorum rubrorum,
Matris Perlarum,
Oculorum Cancri fluviatil. aa. q. s.
Perlarum Orientalium chymicè & singulari modo præp.
Lapidum Chrysoliti,
Granati,
Hyacinthi,
Rubini,
Smaragdi aa. q. s.
Salis Corallorum,
Matris Perlarum,
Margaritarum Orientalium,
Oculorum Cancri,
Bezoartici Animalis,
Mineralis,
Galredi Cornu Cervi aa. p. æq.
Specifici Cephalicì Doctoris Michaelis,
Lapidis Bezoartici Orientalis,
Occidentalis.
Magisterii solubilis seu quintæ essentiæ corallorum,
Magister Matris Perlarum,
Oculorum Cancri,
Perlarum Orientalium,
Chrysolithi,
Rubini,
Granatorum,
Hyacinthi,
Smaragdi a. p. æq.
Salis volatilis Cornu Cervi,
Tartari,
Succini,
Cochleariæ.

Hæc salia ad methodum mentemque *Dn. Wedelii Celeberrimi*, eliciebantur, ceu alia non pauca à Celeberrimo Authore sagaci mentis acie providissimoque calamo fuerint de hisce exarata. Dari enim in plantis omnibus sal volatile facilè quis credat? sed ut demonstretur & in apricum sistatur sal volatile hoc & fugitivum, hic Rhodus, hic salta: Ignis tantùm attendas gradus, nam hisce variatis variatur effectus; de his videas *Cartesii Illustris* Principia Phil. §. 122. & 123 Porrò
Cornu Alcis philosophicè præparati,
Ossium de corde Cervi,
Terræ sigillatæ Silesiacæ,
Turcicæ aa. q. s.
Unicornu fossilis,
Veri animalis,
Ambræ Gryseæ,
Liquidæ aa. p. æq.

Mixta hæc sunt secundum artem & methodum singularem solis arte peritis notam, & solicitè observatam, à nostro Hoffstadio, inde meritò *Theriaca* hæc sive *Panacæa Cœlestis Reformata Hoffstadiana* dici potest. Næ! si consideremus nostræ Benedictæ dein Cœlestis factæ Theriacæ ingredientia, admiramur Dei rerum omnium Creatoris, Omnipotentis, summè Intelligentis & Immensi infinitam misericordiam & benignam naturæ liberalitatem, *Venenum enim Veneno pellitur*.

Regnum Vegetabile nobis in hac compositione eleganti exhibet plantas varias, exoticasque, radices nobilissimas, arborum fruticumque exoticarum succos, lacrimasque pretiosas. Ex terris quoque ad meridiem vergentibus nobis prostant cinamomum, Myrrha, Thus, Cassia lignea, Piper, aliaque aromatica, quæ etiam magis odora sunt, quando ex calidioribus proveniunt regionibus. Plantarum enim succus ibi optimè depuratur, & sic faciliùs in halitum perducitur odoriferum fragrantemque.

Adest & hìc Opium, quod multis Venenum, nobis autem in nostra Theriaca existit antidotum nobilius: Plantæ cujusdam meminit *Columella*, quæ ex *Persia* in *Ægyptum* transportata, deposito veneno mitescit, & assu-

assumentibus salutifera redditur, idem hoc de pluribus ingredientibus nostræ *Cœlestis Theriacæ* dicere possumus.

Regno Vegetabili & adscribuntur plantarum semina, quæ sunt insensibiles illæ particulæ, quæ per materiæ subtilis agitationem, eum situm ac motum acquirunt, quæ necessaria fuere ad primum & integrum stirpis rudimentum efformandum.

Offerunt sese & salia volatilia, sine quibus, (prout ex dicentis ore sæpissimè hausi,) *Celeberrimus Franciscus Deleboe Sylvius Prof. Publicus Lugd. Batavorum notissimus Præceptor noster, dum viveret, fidelissimus*, Medicinam facere recusavit, quæ hanc maximè nobilitant *Theriacam Cœlestem*. Vis enim sudorifera per hęc intensior sit & multis intentionibus convenientior, quę etiam *Nobilissimus atque Excellentissimus Dn. D. Geilfusius plurium Principum Archiater, fautor meus colendus*, nec non *Excellentissimus Dn. D. Vvaldschmidius P. P. in literis, ad me & Hoffstadium datis*, hæc in hac Theriaca multùm commendarunt, nec injuria, ut cuique qui cerebrum in calcaneo non gerit, sponte patet.

Nunc deducti ad *Animale Regnum* pariter in fœcunditate sua, tot nobiliora corpora nobis suppeditans, convertamur. Selectui nostro quæ plurimùm convenire visa fuere, facta inter se collatione, è vastitate illa segregavimus pauca, sed pręstantiora: Sit autem primus, viperis tanquam diaphoretico & antidoto eximio locus: Secundus sit serpentibus terrificis ferisque animalibus lacertisque, quę omnia in Theriaca nostra Cœlesti, suam deponunt feritatem, & fiunt mitissimum medicamen: Tertius Cervo sit locus, ex quo animali nobilissimo multa pręstantiora desumuntur plerũque diaphoretica.

E Regno Minerali elegimus quoque meliora nobilioraque, ut sunt lapides pretiosi, qui non ut vulgares ex multarum arenularum congerie, sed ex materia quadam fluida in terræ recessibus ad artis Chymię imitationem generantur, & sunt plerùmque transparentes ac pellucidi, ut sunt *Hyacinthus*, *Smaragdus*, *Rubinus*, *Sapphirus*, *Chrysolithus*, *Granatus*, &c.

Agmen claudunt terræ exoticæ, ut sunt sigillatæ *Silesiacæ*, *Turcicæ*: Unicorum animale, & illud fossile in quo efformando natura in terræ recessibus & angustiis mirè ludit.

Nostra ergò Theriaca Cœlestis componitur proportionaliter è selectioribus alexipharmacis sive diaphoreticis & alcalibus nimirum Vegetabilibus, Animalibus, atque Mineralibus. Constat & è Cordialibus quibusdam aromaticisque, atque demum ex Opii sanè ob insignem figendi, & hinc attemperandi vim non negligendi particula confecta Panacæa. Compositio igitur hæc est Theriaca Romana prælonga, aliisque antidotis profectò concinnior & accuratior.

Nunc ergò non ampliùs in fata mortalium pro libitu *Libitina atrox*, sęvire potest, in illius odium hęc nostra Cœlestis Medicina cœlitùs demissa, comparata est. Habet nunc *Officina Hoffstadiana*, quod Orco opponat, rixis inter morbos & repugnantis Naturę rigorem cõponendis. Minas Lachesis spernit Mascula hęc Medicina, divina tamen adjuta benedictione. Verùm ne Rhodum hìc, hìc & saltum clamitet Bardocucullus, vola & vestigio probabimus, nodosque multos in breviorem mittamus gyrum, ut è fimbria de textu quilibet, nisi in Medicis litteris peregrinus hospes, facilè judicare possit.

CAPUT III.

Vires & utendi modum exhibet.

MEns vulgi præjudiciis erroribusque plerumq; ab ineunte ætate haustis adeo præoccupata est, ut à Veteribus quid non dictum, non dicendum, hisce incognitum non cognoscendum putet, eapropter etiam plures Veterum huic *Nobilissimæ Medicinæ*, *Theriacæ* nempè *Cœlesti*, non tantas adscribunt vires, quantas *Medici recentiores* de ægrorum suorum sanitate restituenda magis soliciti experiuntur.

Testamur, *Divinam & Cęlestem hanc Medicinam* palmam præripere Antiquioribus cunctis ex oletis antidotis. *Inter Hypnotica enim Anodyna Medicamina sit jure primum, nobilissimum ac tutissimum Medicamen.*

In *Malignarum* complurium *principiis*, *vomitibus*, ac *diarrhęis* complicatis, colliquativisque, singultu aliisq; infra seorsim recensendis affectibus *Theriaca Cęlestis* à granis tribus ad quatuor usque vel in minima dosi sæpiùs repetita plus valet ad morbos opugnandos, quàm integra remediorum aliorum phalanx.

In *Ebullitionibus* quibusvis febrilibus, inquietudinibusque infantum, *in tussi clangosa*, *Epilepticisque insultibus*, optimum est attemperans, alteransvè.

Contra quoscumvis *dolores* tùm *externos*, tùm *internos*, contra *tormina mulierum post & ante partum* hoc Panchrestum Medicamen existit ægris sæpissimè præsentaneum remedium.

In *Variolis*, *Morbillis* aliisque *Exanthematibus* hoc nullum tutius ex tota *Officina Pharmaceutices* habebis inveniesque.

Sic quidem in rei veritate, hujus *Cęlestis Medicinæ Dosis* sola vel aliis convenientibus permixta, plerumq; aliquoties repetita, longè compendiosiùs, nec raro certiùs & citiùs *ac alia Medicamina* operatur in plurimis affectibus *pestilentialibus aliisque malignis*: Aliorum enim Medicamentorum dosis & operatio potissimùm ob mellis & sacchari nimiam quantitatem adjectam haud infrequenter inconstans reperitur.

Quę nunc nostrę erunt cõsiderationis, bona fide perpendemus, non per conjecturas, verùm certa circa quęvis experientia ratione suffulta: ut igitur propositum nobis lustrum à generalioribus ad specialiora ritè pergentes persequamur ordine; Examinabimus enim omnes affectus sigillatim in quibus cõmunis Theriaca Cœdiana, utpote tanto incremento aucta, esse poterit: Agedum videamus: *Quid valeant humeri, quid ferre recusent: Si quædam non arrideant*, æqui bonique consulitote.

Prima ergò acie stet *Epilepsia*, cujus causa immediata consistit in particulis acidis & austeris volatilibus tamen acribusque, sive acutis, vel lymphæ aut alii humoris associatis, indeque cerebro infensis. Nec insontes Spiritus existunt animales, qui, ut loquar cum *Helmontio*, Archeum nostrum reddunt furibundum, à spirituum enim animalium, cerebri incolarum, subita rarefactione & explosione sæpissimè hìc tristis excitatur affectus, quod apparet ex curatione hujus morbi, si nimirum cura dirigatur ad spirituum animalium explosionem impediendam, inter quę remedia pręcipuum tenet locum nostra *Theriaca Cęlestis*, sæpissimè adultis à granis quatuor ad sex usque, præcipuè ingruente Paroxysmo, in aqua conveniente, exempli gratia *Pęoniæ florum Tiliæ, liliorum convall. Cerasorum nigrorum, Epileptica Langii, &c.* exhibenda: Vel si mage placeat, in forma pulveris exhiberi potest cum pulvere Epileptico *Doctoris Michaelis*, cujus basis est Cinabaris Nativa, vel in pulvere Marchionis; felici enim cum successu pluribus tradi curavi, ut non jam pridem hunc exoptatum effectum vidi in puero temperamenti Cholerici, annum sextum nondum egresso, cui ingruente paroxysmo, duo grana hujus *Cęlestis Panchrestique Medicaminis* in aqua stercoris pavonis exhibui, & mirum dictu, quàm propediem malum hoc cessaverit, ipsumque non amplius infestaverit, qui etiam hoc die in solatium parentum optimè vivit.

Deinde in *motibus convulsivis spasmodicisque*, ubi spiritus animales justo impetuosiùs exiliunt, & tanquam equi effrænes stimulis agitati habenas suas rumpunt, cum partes continentes veluti currum appensum perverso efferoque motu convellunt atque lancinant; ut hæc omnia sat ingeniosè & verè nos docuit *Excellentissimus Dn. Thomas Vvillis, Vir in Anatomicis peritissimus, in Chymicis versatissimus, eheu jam demortuus! Præceptor, dum viveret, noster fidelissimus*: Hisce deductis facilè apparet, quòd in hoc horrendo malo hac Theriaca Cœlesti plus efficiamus, quàm per alias accumulationes; nonnulla enim medicamenta quandoque planè sunt frustranea, vel superflua, saltem instar

adiaphororum semet habent, non nocent omissa, non juvant adhibita, ut nobiscum annotavit *Clarissimus atque Excellentissimus Dn. Ludovici, Vir multis parasangis dignitate & auctoritate pluribus* prævalens. Hæc enim Medicina infantibus, qui plurimum hoc infestantur affectu, à grano uno ad duo vel tria aliis appropriatis associata Medicamentis exhibita, totam implet paginam. Hoc certè non opinio tenus sed experientia confirmat i scripsimus.

Nunc sequitur *Apoplexia*, cujus causa potissimum consistit in acido subitò sanguinem & Spiritus animales coagulante, impedita enim spirituum animalium generatione, aut eorum influxu prohibitio, necessariò sequitur *Resolutio*. Ad hoc acidum corrigendum, atque subsequentem coagulationem sanguinis impediendam, resolvendamque, præmissis universalibus, Venæ sectione & Clysteribus, nullum *Theriaca nostra Cœlesti præsentius Medicamen* ab initio exhibēdū invenies; ope enim saliū volatilium aliorumque Cephalicorum, hujus nostri *Cœlestis Medicaminis* partem facientium, sudor excitatur, & sanguinis circulatio promovetur: prębium ordinarii est à granis tribus ad quatuor, in aqua Apoplectica, etsi fortasse electuarii vel boli formula cuidam seorsim complacuerit, conservæ Rosarum, tunicarum, vel rob domestico tantillo haud difficulter dùm subigitur, imò tūc tutiùs compendiosiùsque habetur, atque ęstimatur.

In *Vertigine*, *Pervigilio*, *Mania*, *Memoriæ debilitate*, *doloribus Capitis contumacissimis*, præmissa Venæ sectione & *sanguinis* quandoque pro re nata *transfusione*, (qua posteriore plures Maniacos *Parisiis* curatos vidi, quam & ipsemet in homine Vesano *Diziis* felicissimo cum successu primùm tentavi,) *Cœleste hoc Panchrestum Medicamen* citissimum affert solatium auxiliumque, ad grana sex adultis exhibendum.

In *Peste* idem verum, quæ plerumque à corpusculis sulphureis arsenicalibus, nempè volatilibus è terræ sinu ignis subterranei vi productis, & per aerem hinc inde sparsis exoritur; Nulli enim alii rei, quàm sulphuri arsenicali causam affectus hujus adscribendam censemus; tempore enim pestis visuntur telæ sulphureæ, seu globi quidam ardentes, hinc inde per aerem volitantes, quorum exitialis odor multis vitæ periculum accersit, *quod nos in funesta peste grassante Anno 1666. in Palatinatu inferiore aliisque locis, eheu! observavimus*, quod & confirmant relationes *Viennenses*, de furibunda ista Peste in tot mille homines debacchante; causa ergò immediata hujus crudelis affectus consistit potissimùm in particulis salinis, corrosivis, summè rigidis, atque acutis, sanguinem secantibus, idcircò optimè per nostram Theriacam Cœlestem particulæ illæ acutæ in obtusas convertuntur, & sic necessariò perit omnis corrosivorum acrimonia, & eorum acies quodammodo obtunditur nec non refringitur, uti facilè videre est in cultro, gladio, acu, vel acicula, usu enim ilia atteruntur, obtunduntur que, ut tandem nec secare nec pungere queant. Quapropter in Peste concinnè hæc Cœlestis Medicina exhibetur in jusculo vel alio liquore conveniente, sive meliùs in speciebus de gemmis aliisq; cordialibus pulveribus, confestim enim hoc Medicamine salis corrosivi corpori nostro ejusque humoribus inexistentis acrimonia, aciesque obtunditur ac hebetatur, quod multi Medici æternitate digni Mœcenates Solidissimi, elegantiorum Studiorum Antistites, omnique genere demerendi & ad aras suspiciendi nobiscum testantur.

In omnibus quoque *aliis malignis Epidemicis*, *febribus Ungaricis*, vel *mage pestilentialibus* aut *Petechialibus* à prædicta causa plerumque oriundis, in *vomitibus & anxietatibus cordis* à veneno quocumvis assumpto exortis, Theriaca, uti vocatur communi & *Orvietano* etiam selectiori, reliquisque celebrioribus hactenus notis antidotis hoc Polychreston Medicamentum palmam præripit dosi ordinaria, præmisso verò ut plurimum vomitorio, exhibitum.

Febrium malignarum ac Petechialium, *aliis putridarum censui adscribimus & proximo in loco referimus Variolas & morbillos*, qui oriuntur ex Miasmatis venenatis, particulis sc. multùm disproportionatis, à labe quadam seu impuritate sanguinis inter prima fœtus rudimenta in utero concepta & dein ab aere in motum citata, Plura hos affectus comitantur symptomata, ob perturbatum enim sanguinis motum adest anxietas cordis, particulas ob acutas, Stibii sive Antimonii particulis haud absimiles, ventriculi tunicis adhærentes, vomitus excitatur immanes, adsunt & in hoc affectu vigilię molestę, in hisce omnibus nihil exoptatiùs assumi potest nostra Theriaca Cęlesti ad grana tria unà cum decocto ordinario ficuum, florum calendulę & rasurę cornu cervi &c.

In *Lepra*, *Elephantiasi*, *Scabie nec non lue Venerea*, (quam posteriorem sub nomine Leprę sumpsere Veteres Hebræi, Græci & Romani, ut litterarum testantur monumenta) maximè conducit *Theriaca Cœlestis Hoffstadiana* ad grana quædam sæpiùs exhibenda.

Si *Pleuritis* ferocior & quasi maligna sit, hæc *Theriaca Cœlestis* ad grana 3. in *aqua papaveris erratici* exhibita, sine Venæsectione est ruptorium seu resolvens optimum, & quando in forma pulveris libet, misceri potest cum invertentibus Cancrinis, atque Corallinis, quibus sæpissimè cura concluditur.

In *Singultu*, qui sæpissimè ortum suum habet à materia quadam acri, id est, à particulis aculeatis & asperis diaphragma vellicantibus, nullum præsentiorem effectum ex quocunque alio remedio, quàm ex nostro, tibi promittas; particulæ enim aculeatæ hoc medicamine balsamico lævigantur; atque hunc exoptatum effectum à prædicto Medicamine, observavimus in *Nobilissimo Dn. Geilfusio* juniore *Medicinæ Doctore dignissimo* Amico *nostro dilecto*, *Suvalbachii* ægrotante, qui, cum febre quadam putrida laboraret supervenientе plerisq; lethali singultu, præmisso vomitorio, rad. Asari nimirum, sola *Theriaca Cœlesti* singulis vespertinis horis, ad grana tria sumpta, felicissimè restituebatur, testis est nobilissimus ipsius *Parens* toti orbi Medico notissimus. Eundem effectum in eodem morbo non ita pridem hic *Hanoviæ* in cive expertus sum, quem terribilis adoriebatur singultus, quo (verum dico) pectus ita elevabatur, ut costæ frangi viderentur, ab applicato Clystere & granis tribus Theriacę Cœlestis assumptis, illicò lethalis istius symptomatis vis fracta, isque faucibus lethi ereptus, pristinam, adstantium omnium summa cum admiratione, recuperavit sanitatem.

In *Anxietatibus Hypochondriacorum*, in *Nauseis* demum, *Vigiliis*, *Inquietudinibusque nimiis*, hujus Theriacæ Cœlestis quovis modo obnuptæ vel aliis medicamentis associatæ particula, plerumque tamen post statum morbi exhibita est proficua & tutissima Medicina.

Sic quoque in *Tussi*, cujus causa primaria est nervorum aut fibrillarum ad pulmones pertinentium ab aculeatis particulis eò delatis irritatio, maximè ubi tussis est clangosa, sæpè enim istæ particulæ acutæ intra ἐγκέφαλον aggestæ, indeque in capitello nervorum pectoralium decumbentes, tussim molestissimam & quandoque affectus asthmaticos inducunt chronicos, in quibus à nullo alio medicamine certiorem & tutiorem effectum, quàm à nostra Theriaca Cœlesti, etiam infantibus in *aqua liliorum alborum* vel *byssopi*, sive *Loochsani*, ad granum unum vel alterum sæpiùs præbenda, quandoque spermati ceti pulveris forma permiscenda, senties.

Easdem ostendit vires in *Phthisi* & *Febre Hectica*, qui affectus in *districtu nostro Hanoviensi* ob incognitatē aeris malum quasi Endemiū nobis existit. Particulę enim rigidę inflexibiles & acutę instar aciculará pungentes per aerem nostrum dispersę, sic facilè sanguinē nostrum intrantes alterantesve, vesiculas pulmonum erodunt, atque scindendo secandoque ulcus producunt putridum: Ad istas particulas obtundendas, atque sanguineæ massę balsamicam suam vim restituendam, Theriaca nostra Cœlesti singulis diebus assūpta in aqua Looch sani alioque liquore conveniente, nullum tutius nec melius medicamen datur. Tandē tamē debemur tabidę Morti, quę ęquo pulsat pede pauperum tabernas, regumque turres.

In *Febribus* quoque *Catarrhalibus* vim sacram nostræ Cœlestis Medicinæ deprehendes.

Sic & in *Colica*, cujus causa plerumque in Mesenterii amplexibus recessibusque & rarò in intestino colo hæret, improportionatę enim particulæ implicantur partibus Mesenterii nervosis, unde immanis ille dolor

lor exoritur, qui tutò & citò curatur, nostra Theriaca Cœlesti ad grana quædam tradenda, uti in adultis ęquè ac in infantibus probatam sæpiùs reperimus.

Non minùs quoque in *Dysenteria*, cujus causam proximiorem Angli adscribunt succo nervorum nutritio à blanda & delenifica sua dulcedine desciscenti, nos verò attribuimus particulis hamatis, cuspidatis, sagittatis, & ex meris cubis aptè & convenienter dispositis, & connexis, constantem intestinorum membranam divellentibus perforantibusque: Causæ cuivis peccanti ac symptomatibus in hocce affectu urgentibus immanibus, & consequentibus vigiliis, ex voto satisfaciet Divinum nostrum Medicamen, quod aliis maritari amat, ut & solum exhiberi.

Commendamus quoque experientia persuasi, Theriacam Cœlestem in *Anorexia, Dolore & Ardore Ventriculi*, in *Concoctionis & Chyloseos Læsione*, in *Ructu acido, Fluxu Alvi sanguineo*, vulgò *Hepatico*, aliisque; Hæc enim intentionibus conveniens, elegansque est Medicina, sæpiùs deglutienda.

Hæc & conducit in fluxu sanguinis & sero quocunque, ut fluxionibus articulorum, Angina, nec non in *Inflammatione Pleuræ*, quæ sæpè sine Venesectione hoc jugulatur Divino Medicamento.

Hæc nostra Theriaca Cœlestis in *Ascitide* excellens est Medicina, torpidum enim seri motum ope salium volatilium, hanc nostram Medicinam componentium, promovet, ut superfluum discutiatur serum, sicque sanguinea vigoretur massa.

Ad *Hæmoptisin sive cruentam sputationem* curandam (hujus affectus causam omnem, Chymici rejiciendam censent in salia acria benigniorum lenientium mixtura destituta, *Nobilissimus Cartesius*, cujus suaviludia subtilis mentis paucis in apricum proferamus, longasque ejus ambages in compendium, si pote sit, mittamus, nobiscum in particulas aculeatas, pulmonum vasa quæcunque perforantes rejicit) conducet Cœleste nostrum Medicamen in *Mixtura Sylviana*, plerisque nota, quæ ad sanguinis cujusvis fluxiones instar omnium aliorum vehiculorum esse potest, exhibendum; ita enim fixationi humorum eorundemque resolutioni, ut & particulis istis acutis obtundendis, optimè succurremus.

In *Palpitatione*, aliisque *Affectibus & Debilitatibus Cordis*; quæ alii in auro quærunt, quod marsupiis hodie fortasse consultiùs quam destillatoriis includendum vel ventriculo immitendum, hæc meliùs ac tutiùs à Theriaca Cœlesti exspectabis, quàm ex auro potabili quod revera est potabile: Hic verum habes *Leonem Africanum Elixir vitæ, &c.*

Et quid Sacrum nostrum Medicamentum non præstat in *Arthritide*, scilicet *Podagra, Chiragra, & Dolore Ischiadico*? Qui affectus potissimùm ex mala victus ratione acquiruntur, qui crapulæ enim & compotationibus nocturnis dediti, plurimùm citraque ordinem comedendo & compotando, genio indulgent Bacchoque litant, immania vini pocula largiter hauriendo, facilè sibi accersunt, dolorem hunc exsecrandum: Sic, nec *Venerem* hic excludas, ut non malè *Poetæ Græci Podagram Bacchi & Veneris filiam* esse finxerint. Sic dulcis amarities amor est, Voluptas peritura tristi semper dolore mista, libidinis comes mæror, & morbi harum Voluptatum usuræ sunt. Ovidius hic quoque canit:

Solvere nodosam nescit Medicina Podagram.

Quod tamen falsum est, vidimus nodosam Podagram in ętate consistente cura lactis & optima observata diæta curatam, ut in observatione nostra Curiosis Medicis communicata, in Ephemeridibus sc. Medico-Physicis Anni sexti & septimi videre est. Concludendum verò est, cum nostro divino *Hippocrate*: *Qui aut senes sunt, aut circa articulos callos habent, aut ærumnosè vivunt alvo adstricta, hi omnes sanari non possunt*. Incurabili verò illa Podagra dici non potest quam citò & jucundè dolores tollantur, & morbus mitigetur à nostra Theriaca, Bezoartica enim illius volatilia magis penetrant, discutiunt, morbique seminaria disjungunt: Si cui *Moxam ardentem Indicam* vel *Germanicam à nobis inventam & hactenus soli inventori notam simul bacillis aromaticis* applicare lubeat, non laterem lavabit.

Arthritis Vaga & Scorbutica, quæ ex diversis salium angularibus figuris ac atomis exoritur, certo certiùs curatur hac nostra Theriaca Cœlesti.

In *Atrophia* quoque infantum ad granum unum vel alterum *in aqua Caponis nostra* data, reliqua ferè omnia antiectica Medicamina antecellit.

In *Odontalgia* Medicationi nostræ notissima, nostra Theriaca Cœlestis oppido intus extus satisfacit: Expertus scribo.

Laudem & meretur maximam nostra jam sæpiùs memorata Medicina in *Cholera simplici & maligna*; Quæ *Sylviana ex hypothesi* oritur à vitiosa in intestinis effervescentia, ratione bilis acerrimę & salinæ. *Helmontius* accusat fermenti aciditatem & acrimoniam pervicacem. *Chymici* ex suis principiis accusant sal resolutum quod sua acrimonia intestina quibus affigitur stimulat ipsaque irritat *Angli* accusant succum nutritium degenerem, quem nuper pro aris & focis defendebat *Charleton*. Nos & hic cum *Cartesio Illustri* accusamus particulas acutas rigidas volatilesque gladiolorum instar secantes, inde illa acrimonia, ad quam corrigendā nihil tutius nostro Cœlesti Medicamine: Quod observavimus *in Conjuge nostra charissima*, decrepita ętate cholera hac maligna laborante, quæ à nullo alio medicamine majus solamen sensit, quàm ab illo Cœlesti.

In *Suffocatione Hypochondriaca*, vulgò *Vterina*, (unum & eundem affectum esse cum *Sylvio & Swalbio*, viris Elogiorum Iliade celebrandis, statuimus: ex rationibus in *Disputatione nostra inaugurali* amplè deductis) grana tria ad quinque nostri Cœlestis Panchrestique Medicaminis in liquore conveniente, *aqua melissæ, hysterica, Cinamomi, &c.* porrecta, neminem effectu optabili frustrabunt: plures allegare observationes possumus, sed veremur ne hisce tædium pariamus lectori. Crambe enim toties cocta & recocta nauseam parit & quandoque mors est. Et ne extra oleas vagari videamur in orbitam:

In *Calculo Renum & Vesicæ*, in *Incontinentia Vrinæ, Ischuria* Theriaca Cœlestis hic nobis est pro *universali* illo *solvente*, ipsoque *liquore Alcahest*, in omnibus enim lymphę per vasa vel renes abundant iis est optimum diuretium, & sic præsentaneum remedium.

Nostra Theriaca Cœlestis *Terebinthinæ Venetæ* ad grana quædam permixta & sæpiùs assumpta curat *Pollutionem Nocturnam, Gonorrhœam simplicem & virulentam*, quæ posterior à contagio impuri coitus cum virore aliisque membri vitiis contingit. Multi nobiscum hisce in affectibus accusant *sal solutum*, si rupto mistionis fædere in partibus genitalibus sibi rapiat imperium, & tenellas vesiculas erodat seminarias.

In *Sterilitate* divinam afflat auram & pro Luperco est divinitus demissa nostra Medicina, ope enim salium volatilium ductus ille Fallopianus deobstruitur, undè facilè ova illa muliebria in testiculis mulierum recondita eliciuntur. Si simul addas *singulare inventum utero infundendum*, de quo plura *Tractatu nostro de generatione hominis ex ovo*, inveniens, voto fruere; plure hic annectere observationes practicas nec hujus loci, nec occasionis, exempla enim odiosa sunt.

Inter omnia animalia mulier maximè in *Partu* vexatur, teste *Aristotele*. Bruta licet doloribus non minùs crucientur, attamen difficiliori longè nixu laborant mulieres, adeò, ut si parturientes non cohibeant anhelitum, oscitent, nec non assumant pro re nata Medicamina, vita periclitentur: Unde *Medea* apud *Euripidem* ter maluit sub armis vitam periculo exponere quàm semel parere.

Certè ego, si nunquam peperissem, tutior essem,
Infelix fructus in mea damna fero.

Hinc apud *Stobæum* jocatur *Sophocles* in mollem & delicatum sexum; quod cum partus cruciatu distinetur, abjurare soleat omnem maris concubitum, postea periculis defuncta puerpera ejusdem voluptatis & Oestri retibus denuò implicetur: qui plura cupit adeat *Tractatum nostrum de generatione hominis ex ovo*. Ad *Partum* ergò hunc promovendum nullum tutius, nullum certius experieris Medicamen nostra *Theriaca Cœlesti Hoffstadiana* in aqua Pulegii, Cinamomi, Melissæ, &c. ad grana sex exhibenda, cujus effectus novissimum habemus experimentum in fœmina quadam ju-

niore ab assumpto hoc Medicamine felicissimè facillimèque parturiente.

Mensium Defectui, Decolorationi & Fluori Muliebri Albo medetur hæc *Theriaca Hoffstadiana* in aquis destillatis aliisque vehiculis convenientibus, quandoque tribus diebus ante novilunium in forma pilulari singulis matutinis horis ad grana tria, quatuor, atque quinque exhibenda.

Sic & in *Furore Uterino* prodest maximè. Apposite Poeta ille:

Hic rogo non furor est, non est hæc mentula demens!

Ad *Icteri* causam exstirpandam utere nostra Theriaca, & addas *Sylvii* remedia Empirica, decoctum nimirum seminis Cannabis in lacte & solutionem drachmæ Saponis Veneti, ut & *Grulingi* & *Plateri* Medicinam Sympatheticam, mage verò remedia sale volatili animali prædita, quorum magna pars nostram constituit Medicinam Cœlestem Hoffstadianam, nec intentione fraudaberis.

In Febre Quartana simplici & duplici quando scilicet paroxysmus die quarto bis ægrum infestat, uti in cive hujus civitatis decrepito mense observavimus aliquoties: Item in Tertiana simplici ac duplici, *nostrum universale Hoffstadianum* alcalibus multis constans, optimum est (sed sæpiùs repetitum) antifebrile tertianarium, item sistens quartanarium: Longè consultiùs vel unica hæc cœlestis Medicina, quæ intentioni nostræ hìc satisfacit, seligi videtur.

In hisce prædictis omnibus morbis aliisque nondum commemoratis hæc Medicina non nisi ut Nectar Deorum poculis infunditur, plura etiam hac vice potuissem movere & addere, ne tamen Tractatulus hic digressionibus tumefiat, parcam aliis, *ne te fortè meæ gravis urat sarcina chartæ.*

Et hæc sunt quæ de *universali atque Cœlesti Medicamine* compendii ratio scribere permisit, de effectu nihil temerè vel opiniotenùs asseruimus, si invicem minùs contexta & rusticante stylo elaborata videantur, attendere talia, ut spero, desinet quis, quippe pauxillum temporis & horarum succesivarum à negotiis Collegiorum liberarum nobis concedebatur ad hæc elaboranda. Perfunctoriè igitur has exaratas pagellas benevolè intelligat Lector benevolus & de hac materia brevi plura, majora melioraque à *Celeberrimo & Excellentissimo Dn. Johanne Jacobo Vvaldschmidio Professore publico & ordinario in Celeberrima Academia Marpurgensi Famigeratissimo, Fautore atque Amico nostro colendo,* exspectet, qui ex professo & quidem ad mentem methodumque *Curiosorum Sacri Romani Imperii Medicorum*, hanc Theriacam Cœlestem delineaturus est.

Utinam Nobilissimi Medici hodierno tempore operam suam non collocarent pro farragine Medicamentorum augenda, quorum certè tanta ubique in Practicorum tùm veterum tùm recentiorum libris prostat copia, ut benè impossibile sit Medico novitio delectum certum verumque instituere, quin potiùs soliciti essent de examinandis & renovandis probatioribus medicaminibus à suspectis, fallacibus & non raro nocivis, qui labor cederet ægrorum in commodum & emolumentum maximum. Ne ergò in majorem excrescat molem tractatulus, hic pedem figamus, plura quidem habemus in pasceolo, residuaque alia in penu, verum hodiè: *Qui benè latuit, benè vixit.* Pharisaicum tamen Palliatorum supercilium non pluris facimus, quàm muscarum murmur Elephas. Nihil curamus dupondiorum obstupidorum calumniantiumque fæcem, quos fricti ciceris & nucis & scutorum emptoribus comparare solemus. Oggganniat & per urbem clamitet Momus *aliquid ex Africa monstri*, verùm nec lumen cœco, nec sermonem surdo, nec sapientiam bruto, nec veritatem mendaci propinare constituimus. Nullas timemus minas. Nos ut alii non omnes dulces *Permesidos* undas hausimus, nec è fonte Medico labra proluimus tantùm, adeòque Επίκρισιν instituere vel serram contentionis reciprocare in animum haud induximus, cùm laureolam in isto non quæramus mustaceo. Plerique mortalium ad judicandum justo pollent judicio, verùm ad dilanianda aliorum scripta omnibus ardet animus; dum enim æmulari ipsis haud liceat aut datum est, invident.

De hisce satis actum judicamus, ne crabrones irritemus, & verborum æstu cucurbitas peponesque natare prolixè probemus; Lectorem igitur benevolum adhuc semel obnixè rogamus, ut nostrum paucorum dierum partum à nostro *Pharmacopœo-Chymico* precibus elicitum & tantùm non extortum, veritatis indagandæ stimulo, simplici stylo propositum dextrè interpretetur; veritas enim (ut spero) verborum adminicula non desiderat. *Alti Dominatori Poli & Enti Infinito nos finiti vota solvamus, quod ea divinitùs demissæ* Theriacæ Cœlestis *vis affulserit, ut illius usu pauci de salute sua desperare debeant.*

Sequuntur Epistolæ quædam.

Præstantissimo atque Integerrimo

VIRO

DN. JOHANNI DIEDERICO

HOFFSTATT,

Pharmacopœo-Hannoviensium dexterrimo.

S. P. D.

Τὰ τῶν Θεῶν χεῖρας φάρμακα quicunque dixerit, verè mihi dixisse videtur; potissimum si respiciamus ad gigantem illud remedium, quod *Theriacæ Cœlestis* nomine venit, & auctorem agnoscit Joseph. Quercetanum Archiatrum Gallicum Medicum sollertem & expertum Chemicum, indeque ob hoc olim *Rulano* malè audientem.

Invento & facilè & prudenter utilia addidit alia φιλοπονίας laude Clarus Pharmacopęus Greiffius. Extremam denique manum & quasi coronidem, imponis; Vir Præstantissimę Artis Pharmaceuticę peritissime, veluti & alibi, & hodiè Hanoviæ Clarissimæ inclarescis.

Tu nec sumptibus satis magnis, nec improbo comparsisti labori, uti saluti hominum prodesses nobilissimis Medicaminibus, *Mithridatio, Diascordio Fracastorii, Antidoto Matthioli, Theriaca Andromachi, Confectione alKermes, atque Theriaca Cœlesti;* quæ omnia recens insigni copia compoluisti.

Illa inter chorum ducit & resplendet,

——— *velut inter ignes*
Luna minores,

Theriaca meritissimo suo Cœlestis cognominata.

Ὀυρανόθεν *enim salus illa, velut*
——— *lapsa ancilia cœlo;*

aut sanctum aliquod Palladium, Illi φυλακτήρων; aut plura quædam aurea in mortales defluit ac depluit;

——— *& quod tegit omnia cœlum:*

sui originem agnoscit. Hoc enim antiqui sapientiæ primi condi non corruptricis naturæ, veluti terrena corpora, sed ἀφθαρσίας καὶ ἀϋεννησίας particeps celebrarunt. Pariter & Nobilissima hæc atque Cœlestis Theriaca putredinem planè vult nescire nostrorum corporum, eademque veluti Augiæ quoddam stabulum expurgat. Seu etenim spectes Regnum Animale, adsunt viperæ & serpentes (adeò παθήματα fiunt μαθήματα & velut ex vino generosissimo accerrimum acetum, ita ex formidolosissimis animalculis medicina generosissima) Castoreum, Cornu & os de corde Cervi, mater perlarum, lapides cancrorum, uniones selectissimi, lapides bezoartici, alces Cornu, Unicornu verum, & quæ non laudabilissima? Seu *Minerale* Gazophylacium, admiraberis terras Turcicam atque Silesiacam sigillo notas, Succinum, Unicornu fossile,

Vitrio-

Vitriolum, Crysolithum, Granatum, Hyacinthum, Smaragdum, Rubinum, &c.

Quæ quidem gemmæ Platero, Bacone de Verulamio in histor. Vitæ & mort. ac Barth. Mosero ad h. l. pretium potiùs à pulchritudine & raritate, quàm à viribus sibi exquirunt *Medicis*.

Si tamen, veluti heic fit, ritè præparantur in Magisterium solubile, ceu artifices appellant, non ingloria abeunt.

Ex vastissimo *Vegetabilium* campo veneramur plantas, earumque partes nobilissimas ac plerasque alexipharmacas, aromata nectar & ambrosiam spirantia; imò superantia, aliasq; ab aliquot annorum Chyliadibus usu rationeque approbatas; de quibus singulis ferè *Cl. Galenus* libr. de Antidotis. Nec est, quod quis obiiciat, quod farrago tanta sit.

——— Chaos, rudis indigestaque moles

ubi

——— pugnant humentia siccis.

Hoc enim est ἀποχδιόνυσον! Cùm exacta omnium, eaquæ prævia, preparatione, mistione, digestione, atque deinceps, quæ potissima est & omne fert punctum, fermentationem (juxta *acutum C. Hoffmann.* de Med. officin. it. πολυμαθέστατον *J. H. Meibomium ac Illustr. Th. Bartholinum in Dissert. de Theriaca*) omnia tàm apta, elegantique concinnitudine disponantur, ut veluti varii toni, suavèsque claves Musicis vocatos, in magno aliquo κατ' ἐξοχήν dicto Organo Musico (Germ. ajunt *wann man etliche Register zusammen ziehet*) fexanimam Harmoniam efficiunt, melodiamque auribus insufflant.

Pari ratione varia illa, atque simplicia medicamina amicè conspirant in unum atque insigne hoc & Cœleste componere adsolent.

Hæc Theriaca Cœlestis est salutaris illa saggitta è naturæ pharetra deprompta & arcui (è lorido cerebri protracto) sanæ rationis, atque experientiæ firmæ imposita, qua

——— ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

velut alter Alcides raptores sanitatis, morbos tanquam Nessum violentum transfigit.

Hæc Theriaca Cœlestis est aries ille ex Naturæ Artisque armamentario fortissimus, quo molestiarum corporis portas arietamus. Eadem est caput Gorgonis, quia ferocientes spiritus vi sua & anodyna & blandè narcotica quasi saxeos efficit, ut inquietissimi cætera,

Quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes.

Hæc Cœlestis Theriaca est ille Hercules, quæ aprum perimit Erymanthium omnia devastantem: h. e. venena, febres malignas, dysenterias, petechias, variolas, morbillos, alias malorum Iliadas; ut una hac medicina divina accidat, quod Plautus in Casina ait: In uno saltu duos apros capit; imò longè plures. Illa ipsa est, quæ averruncat radicitùs mala imis defixa medullis, velut gentilium Jupiter Ἀποτρυπαως.

Hæc Micrcosmi cuniculos vasorum perreptat, intestinorum Mæandros atque angiportus perlabitur, Nervorum labyrinthos cautè, velut alter Theseus filo Ariadneo instructus, perquirit, donec morborum Minotaurum, vitæ hostem infensissimum det internecioni, triumphumque agat justissimum.

Ita tamen, ut nec reliqua quæ attendi oportet, negligantur: Illa, si tempestivè adveniat, veluti αἶξ εἰς τὴν ἑορτήν, uti Græcum habet Proverbium. Siquidem non improbamus illud quod apud Svidam refertur:

ἀρχὴν ἰᾶσθαι, πολὺ λώιον ἢ τελευτήν: i. e. Principio medicari magis præstat quam fini.

Hæc Cœlestis Theriaca rem longè feliciùs expedit, ac multorum Universalia, Panaceæ, Tincturæ, Lapides, Arcana,

Z

A Ω Non ne huic vel iste.

ת

——— *Vano promissor hiatu*

——— *jungat vulpes, & mulgeat hircos.*

Tu verò, Præstantissime Dn. Hoffstadi macte hac virtute & ardore salutem hominum καθ δύναμιν juvandi, publicoque prodesse; ita Deus ex alto Tibi benedicet, ut laborum Tuorum strenuorum fructus degustes dulcissimos, h. e. Vitam, Sanitatem, & alia quam plurima: corporis ac animæ bona atque dona voveo Suvalbaci ad Acidulas, quas recuperandæ sanitatis ergò (faxit Deus!) bibo, VI. Eid. sextileis, anni τῆς παρθενοτοκίας cIɔ Iɔc Lxxix. ὡς τάχιστα.

Georgius Francus, Med. & Phil. D. in Electoral. Univers. Heidelberg. P. P. Ord. Facult. Med. Senior, C. P. Cæsar. Acad. S. R. Imp. Naturæ Curios. Collega, cognom. Argus.

Otto Philippus Zaunschlifferus.

I. V. L. & p. t. Advocatus Hanov.

JOHANNI DIEDERICO *HOFFSTADIO*, Pharmacopœo-Chymico Exper. Amico Integerrimo.

S. P. D.

QUantæ felicitatis fuerit incorruptus primorum mortalium status, in amœnissimo, & omnibus delitiis affluentissimo Paradisi horto, si nulla alia ex re, certè ex nostra, lapsum horrendum secuta, omnibus lachrymis majore conditione infelicissima, miserrima, ærumnosissima, luce clarius meridiana apparet. Sufficiebat omni eorum necessitati Deus T. O. M & pauca, quæ in natali solo tanquam abundantissimo copiæ cornu affatim invenire licebat, cum postea, sibi ipsis non sufficientibus, nihil sufficiebat. Inde infesta aut latrociniis, aut tot periculis maria, ubi quatuor digitis à morte remoti sumus, ad extremum mundi limitem, & ultra Sauromatas ac glacialem Oceanum, spe lucelli, solliciti percurrimus; terræ viscera scrutamur, omnem denique lapidem movemus, ut necessaria acquiramus. Imò, quod plus quàm stultum, non-necessariis avarè corradendis omnes nervos intendimus. Magnæ divitiæ (si nunquam satis laudando *Senecæ* epist. 4. in fin credimus) sunt, lege naturæ composita paupertas: Non esurire, non sitire, non algere: hos nobis terminos lex illa statuit: Ut famem sitimque depellas non est necesse superbis assidere liminibus, nec supercilium grave & contumeliosam etiam humanitatem pati: Non est necesse maria tentare, nec sequi castra. Parabile est quod natura desiderat & expositum. Ad supervacua sudatur. Illa sunt, quæ togam conterunt, quę nos senescere sub tentorio cogunt, quæ in aliena litora impingunt. Et me hercule terra, quę quicquid utile futurum nobis erat, protulit, utriusque materiæ laminas, ad quas cupiditas nostra caligat, defodit, mersitque, &, ut noxiis rebus ac malo gentium in medium prodituris, toto pondere incubuit. Alas sibi (si fabula vera est) aptare Dædalum necessitas jussit. Eadem plurimarum rerum, post lapsum inventarum, sors est. Vestes, teste sacro oraculo, ipse Deus T. O. M. conficere Protoplastos edocuit: alia ipsi invenere, à quo tempore, tam multa sunt ingeniis humanis excogitata, ut nec volumen sufficiat rei narrandæ. Et videbatur *Polydorus Vergilius*, in aureolo & Palatini Apolinis bibliotheca dignissimo libello, *de rerum inventoribus*, in eo argumento omnium luminibus obstruxis: sed tam multa post ejus fata sunt nata, ut iis commemorandis novo Polydoro opus sit. Quemadmodum autem aliud alio

alio magis aut utile aut necessarium fuit, sic abs hominibus majori cura est, aut noviter indagatum, aut novis incrementis auctum. Imprimis, cùm in rebus humanis summum bonum sit sanitas, toti in hoc fuere homines, ut morborum omni generi, agmine facto (ceu Juvenalis ait) se circumsilienti, & vitæ nostræ Trojam, non decennium sed semper oppugnanti, tandemque expugnanti, quantum ejus rei fieri posset, efficacibus remediis occurrerent. Quibus natales debeat Ars Medica, & quomodo ea sit inventa, quem dixi Author libro 1. cap. 20. & 21. explicare satagit. Ab incunabulis autem varia Medicinæ sors fuit, & ferè imò verè Herculeum fatum. Apud Israelitas, Medicis nullum patuisse locum, Romano-Germanici Imperii juratus hostis, formidabilior penna quam bipenni, *Johannes Bodinus* lib. 3 cap. ult. persuadere omni cerebro conatur: in cujus castra, dum acriùs de prerogativa Jurisconsultorũ, contra Medicinæ asseclas certat, ira velatus faciem ruit celeb. publici Juris Commentator *Limæus* lib. 8. cap. 4. num. 10. contra tot expressa, & quasi radiis solaribus scripta non solùm novi sed & veteris Testamenti loca, quorum omnium Eccles. cap. 38. vers. 1. instar esse potest: conf. *Schonborn*. Polit. lib. 3. cap. 42. ubi & Salomonem Regem stupendum illud sapientiæ humanæ compendium, Medicum fuisse ex Josepho confirmat. Babylonios omnibus Medicis aqua & igni, quasi ostracismo interdixisse, *Herodotus* lib. 1. author est. Quod si de iis intelligas Medicis, qui juxta proverbium tritissimum, in vasis jactura figulinam exercere soliti sunt, & (ut cum *Plinio* mox citando loquar (experimenta artis per mortes aliorum faciunt, omninò laudis acerra iis litandum fuit, cum immanes hi homicidæ ultra Garamantes & Indos sint deportandi. Et quid enim indignius, quàm eum, qui aliquot aureis Medici titulum emit, habere jus publicum occidendi, ut justo stomacho conqueritur summus Politicus *Adamus Conzen*. lib. 4. Polit. cap. 25. Tales quippe Medici imò Medicastri, & Impostores, ut rectè Medicorum vertex *Galenus* lib. 1. prænot. ait, hoc uno à latronibus differunt, quòd cives intra mænia, & non in montibus deprendentur & jugulent. Romanos ampliùs 600. annis absque Medicis fuisse *Plinius* lib. XXIX. cap. 1. ait. Sed cum nulli essent apud Babylonios & Romanos Medici omnes erant Medici: Ægroti quippe in forum deportabantur & prætereuntium de iis sanandis vota rogabantur. *Polyd* d. l. *Uvende*. in Polit. lib. 2. cap. 18. th. 8. Atque Medicinæ & Medicorum necessitatem tandem agnovere Romani, illosque ambabus quasi manibus recepere: ita tamen, ut ars (aliàs liberalis & laudabilis arg. l. 1. §. Medicorum ff. de extraord. cognit. utut non usque quaque calculum nobis adjiciat *Anton. Matth.* ad pr. Inst. de oblig. quæ quasi ex delict.) servorum magis quàm liberorum fuerit: prout præter Historicorum à *Schonborn*. d. l. relatorum assensum sole meridiano clarius apparet ex jure nostro Romano l. 16. §. 1. ff. de alim. & cib. legat l. 41. §. 6. ff. de fideic. libert. ex quibus & similibus LL. tamen malè subtilis *Bacchovius* cum assectarum turba, artis contemptum invita veritate concludit, rectè hoc nomine ad censuram vocatus à Cl. *Struvio*. Synt. civ. Ex. XXI. 11. th. 3. ad partes etiam, elegantem ex *Pauli Zacchiæ*, Jurisconsulto-Medici questionibus Medicolegalibus locum accersente. Quanti verò alii populi Regesque Medicinæ studium fecerint, quos dixi Authores messe tam fæcunda persequuntur, ut specilegio meo non sit opus. Illud extra omnem dubitationis aleam est positum, hodiè in tantum crevisse dignitatem Medicinæ Doctorum, ut contra *Anton. Fabri* cod. Sab. lib. IX. tit. 28. def. 9. & *Hort. Cavalc*. de Testib. 1. part. 1. num. 46. doctrinam, communioribus votis eò itum sit, & illos, ut Juris Doctores, inter Nobiles esse referendos *Limnæus* d. l. num. 22. Et multis eos privilegiis frui ex latifundiis Juridicis satis abundè constat; quæ cæteris paribus (ut capiti Aaronis affusus Balsamus in ejus vestes fluebat) in inferiora Medicinæ membra, v. g. Pharmacopolas & Chirurgos descendunt arg. l. 1. §. 1. &c. ff. de extra. cogn. l. 7. §. 8. l. 9. ff. ad leg. Aquil. Sed hæc nunc mitto, & ad Tuum, Amice integerrime, propositũ Artem Medicam novo ornamento excolendi & *Theriacam Cœlestem imò cœlestiorem* de-Medicorum Celeberrimorum & nostratium & extraneorum consilio conficiendi, propiùs me verto. Non est meum nunc in alieno choro saltare, aut audacem falcem in alterius Professionis messem mittere, sacras divini medicaminis vires loquaciore stylo prosequendo, cùm ut audio *Vir Excell. Dn. Johannes Dolæus* hoc argumentum non strictioris pomærii limitibus contraxerit, sed laxatis quasi mænibus expanderit. Et præstat laudes in ore famæ & bonorum omnium relinquere, quàm in verbosa & loquaci prædicatione ponere. Te potius jure optimo maximo extollo, qui postquam Chymiæ interiora magis quàm à limine, ut tesseræ tuæ homines aliàs solent, salutavi, nunc omnes artis pyxides percurris, ut bono publico litare possis, & sic viam invenire *qua Te quoque possis tollere humo, victorque virum volitare per ora*. Et jam propitio famæ calculo sublatus es! Tot nobilium specierum additione, & accuratiore præparandi modo *Theriacam cœlestem, specificatione*, ut cum Jurisconsultis loquar, adeò Tuam fecisti, ut in posterum haud dubiè fama eam *Hoffstadianam dixerit*. Hæc Te æternæ laudis Phyllida manet quam * *nec imber edax aut aquilo impotens possit diruere aut innumerabilis Annorum series & fuga temporum*. Nec est quòd invidiam, Virtutis pedissequam, Zoileum flagellum & improbos sauciantis linguæ susurros extimescas, eorum qui domi suæ Lamiarum more cœci, foris supra milvinam & centoculi Argi aciem sunt oculati. Quotus quisque enim est quem non rideat crasso Calphurnius ore: Commune fatum, & sic, *ut cum Tacito loquar*, ceu sterilitas imber aliaque naturæ mala tolerandum est, cur omnes qui aliquo laudis, genere florere incipiunt, undique venenatis calumniarum telis incessantur, & quasi turbine quodam malevolentiæ quatiantur, improbo furentium Momorum agmine, ob exuberantem nigræ loliginis succum, acerbitatis virus serpentis instar effundente. Ut minori finiam gyro, myrmecia bonorum ad propositum Tuum, Charissime Hoffstadi, ex intimis cordis penetralibus Tibi opto & votum, quod in stridenti stipula à me disperdito carmine, altaribus Tuis fumante feci, nova synceritate repeto, cujus si me Divum clemẽtia damnabit, Æsculapio, illi Deo Tuo, auream barbam me restituturum spondeo, quam ei teste *Valer. Max.* lib. 1. cap. 2. Dionysius Tyrannus ademit, sub nefario prætextu, non convenire patrem Apollineum imberbem, Æsculapium verò filium, barbatum in fano conspici. Vale Dabam Hanoviæ, e Museo Gal. Nov. M. DC. LXXIX.

* *Horat. lib. 3. Carm. od. 30.*

JOH:

JOH: DOLÆI CENTURIA OBSERVATIONUM MEDICO-CURIOSARUM.

OBSERVATIO I.

De Podagra feliciter curata.

NOtum est cunctis Artis nostræ Apollineæ filiis, quòd Arthritidis ratio formalis sit Obstructio partium Membranosarum, nervosarumque circa articulos, propter tensionem, & acrimoniam particularum acrium, fuliginosarumque obstruentium, eas vellicantium, dolorem execrandum motumque impeditum &c. conjunctos habens, hinc Therapeja hujus affectus consistit precipuè in obstructionum reseratione, & intemperiei Sanguinis, correctione, quod obtineri potest per dulcificantia & particulas istas acres fuliginosas alterantia, in casu ergo acri convenit ut plurimum γαλακτοποσία ad acredinem involuendam: à qua Cura lactis Multum Reverendus Dn. Episcopus de Vualendorf jamdiù atrocissimis doloribus podagricis excruciatus est, quasi paralyticus factus, tandem cura Lactis, & optima observata diæta convaluit. Pharmacopœus quoque Cassellanus D. Zielfelder itidem per potum lactis cum Thea assumptum jam per biennium à podagra immunis vivit, alias ter per annum miserè hoc morbo excruciatus.

OBSERVATIO II.

De Remediorum usu in Partu difficili.

SI certè in quodam morbo requiritur remedium aliquod, id optatur imprimis in partu difficili, cui primiparæ objiciuntur, dum vagis partus doloribus deceptæ, ad conatus pariendi præmaturo sæpè ausu satis masculè se accingunt, contrà licet strepente viarum angustia nondum ad enitendum fœtum satis matura. Multæ Nationes gravidas suas balneis aquæ dulcis, antequam partus instat, immergunt, ut membra priùs mollescant, & faciliùs relaxata diducantur, inunctis insuper Ole. Cheir. lil. alb. Chamomill. pleræque verò fœminæ ob insignem ventris molem cucuphas ingredi commodè nequeunt, quibus humiliori in sedili locatis sacculus herbis emollientibus, aut floribus fœni repletus, & per calidam tractus aquam subjicitur bis in die, subsequente partium illarum illitione. His aliisque compluribus ad facilitandum fœtus exitum in vanum sæpè admissis, in sexus hujus debilioris gratiam Medici revelarunt unum vel aliud remedium: Celeberrimus Volkamerus Noster patefecit fructum balsaminæ rotundifoliæ repentis sive maris, *Bauhini* primò, *Momordicæ* Vulgi, jam maturum coccineo preditum colore, & spinis quasi asperum, oleo proinde olivarum carnem fructus illius Momordici indi, solique exponi jubet, quod clysteribus inditum magnum parturientibus commodum præstat. Fructus momordicę pulpam cum butyro benè mistam obstetrices loco aliarum pinguedinum applicare possunt. Principissa Nassovio-Hadamarensis Domina mea tum temporis Clementissima, nunc verò beata, pro arcano in partu difficili sibi servat frustulum cutis Tigris, femori sinistro alligandum, quod quandoque & nobis in effectu applicando aliis fœminis satisfecit, sed cùm nulla ratio hujus effectus reddi possit, maximè mihi persuadeo in his casibus effectum absque applicatione ejusmodi remediorum potuisse contingere, & sic non multum fidei hisce Amuletis remediisque ad scribere debemus, nisi ad imaginationem quandam Spiritus animales nostros certo modo determinantem confugere velimus.

OBSERVATIO III.

De Arteriotomia.

SAnè phlebotomia communissimum inter Medicinæ subsidia remedium est, quò plebeii & se, & jumenta sua à morbis præservare satagunt, in quem finem nunc semel, nunc bis eam quotannis celebrant: imò consuetudo in tantum inolevit, ut quoties valetudo periclitari videatur, illicò ad hanc ceu salutis anchoram, & omnis curationis principium confugiant. Imò sunt, qui nimis audacter ad Arteriotomiam accedunt, quamvis ex ea aliquando exoptatum effectum vidi, sed tamen mihi non persuadere possum, illam plus præstare posse, quàm Venæ sect. Omnis enim intentio eò collimat, ut sanguis tantum imminuatur, sive id nunc fiat per Venæ sectionem, sive per Arteriæ incisionem, unum & idem esse, haud dubito. Omnis enim æquè Venæ ac Arteriæ sectio est evacuatoria, & consequenter ventilatoria, atque causam morbi non tollit, sed ipsum saltem symptoma respicit, nempè dolorem qui per Venæ vel Arteriæ sectionem vel imminuitur, vel in momento sistitur, quòd videlicet ob imminutam sanguinis quantitatem minor fibrarum nervearum, & tendinosarum fiat à sanguine arterioso pressio; cùm ergò vena citiùs & tutiùs consolidatur, quàm Arteria, hinc Nos V. S. præ Arteriotomia eligimus, quam tamen Arteriotomiam temporalem in Lanione Dizensi maniaco oprimo cum successu vidimus institutam.

OBSERVATIO IV.

De lapidis Hæmatitis viribus.

FOemina Limburgi ad Lhanam nimio Lochionum fluxu laborans, multa nec non optima remedia frustra adhibuit, tandem ex consilio Vetulæ cujusdam lapidem hæmatitis manu tenebat, quid fit? Illicò fluxus sistitur, num remedio huic, an imaginationi ægræ, an tempori adscribendus sit effectus, judicent Medici rationales.

OBSERVATIO V.

De Vulnerum à Sagis illatorum mira curatione.

DEcus illud Medicinæ Dominus *Geilfusius* mihi, dum in Aula Serenissimę Principissæ Nassovio-Dizen-

Dizensis *Albertinæ* Dominæ meæ Clementissimæ commoratus fui, narravit, se nosse quendam, diu jam fistula in femore laborantem, ex qua omnifariæ res, linteamina, frustula chartæ, pili &c. prodibant, multis frustra adhibitis remediis tandem accessisse quendam, qui pro Mago è vulgo habebatur, statim sanitatem promittentem: Ipse Magus pulverem cineritio colore tinctum vulneri inspersit, & paucos intra dies ægrum hoc pulvere sanavit: Pulvis erat, uti retulit prædictus Clarissimus Dominus *Geilfusius*, Cinis sagæ igne combustæ.

OBSERVATIO VI.

De Sudore cœruleo, luteo, aliorumque colorum.

MUlti Medici sudorem pinguem atrum, alii sanguineum, alii oleosum & verminosum, quidam instar vini rubri, nonnulli arenosum, celeberrimus *Mentzelius* in Medicinæ Candidato ab assumpta drachma Rhabarbari sudorem luteum observavit. Cęruleum verò à nemine hactenus annotatum credo, quem tamen Francothalii in Palatinatu inferiori in fabro lignario Melancholico præter propter triginta annorum (unà cum Expertissimo Dn. D Mogio piæ memoriæ) observavi, qui æger, quoties morbo epileptico simillimo corripiebatur, vertigine cum anxietate cordis toties in terram corruit, sudorque cœruleus amyli cœrulei colorem mentiens, solùm in dextro hypochondrio, ubi hepatis sedes est, erupit, quem sudorem linteis sæpius detersum uxor non mihi solùm, sed & aliis spectandum exhibuit, color ex linteis haud facilè elui potuit. Paroxysmus bis vel ter per annum invasit ægrum, sudore profuso melius habere cœpit, & exinde conclusit, paroxysmum remissurum. Veteres bili ęruginosæ adscribendum esse existimant. Celeberrimus Dominus *Reiselius* in operario artis Vitrarię Nassovico vidit sudorem in indusio ita copiosè crystallisatum, & coagulatum, sive velis sublimatum, ut cultro possit abradi: Colorem etiam cœruleum ipse nuper observavit in fœmina, quę sępè vomebat, & tussiebat cum magna extenuatione, sputo spumoso quidem, sed & viscido, ita, ut quasi succo cyani seu indigo esset tinctus. In alio autem observavit vomitum copiosissimum lasurei ipsius lapidis infectum, Cujus causam, an ab æruginosa bile, an à succo Pancreatico, an alius cujusvis humoris peculiari corruptione & constitutione proficiscatur, meretur meditationem. Non ita pridem Medicus quidam Allendorfii ad Salinas vidit in fœmina febre maligna laborante sudorem salinum per totam cutem crystallisatum, & consistentiæ instar salis alicujus fixi, id verò ex M. S. vel lympha posse ad cutem more quasi chymico præcipitari, & crystallizari, quis dubitabit?

OBSERVATIO VII.

De Cephalalgia feliciter curata.

CEphalalgias periodicas pertinacesque hirudinum usu & applicatione ventosæ cum profunda scarificatione, & impositione vesicatorii in Nucha, & exhibitis Tincturæ Succini guttis aliquoties in die feliciter curavimus sæpius.

OBSERVATIO VIII.

De Linguæ motu tremulo naturali.

HAc in urbe degit Lanio Schmid dictus 50. annorum, Vir robustus ac optimè sanus in sermocinando animadvertitur à quolibet, qui illum tantum aspicit, velocissimus, adeoque frequentissimus linguæ motus, ut viperam linguam velociter vibrantem eum imitari dixisses: talem tremorem linguæ post tertianam febrem in puerulo quodam rustico annum cum dimidio agente observavit Celeberr. D. *Hagendornius*, quem puerulum & ipse feliciter curavit exhibitis Nervinis, imprimis pulvere ex C. C. antiepileptico cum Specifico Cephalico maritato, manè & vesperi quantum cuspide cultri capi potest exhibito linguæ musculisque faciei frequenter illini curavit aqua Apopletica cum spiritu Salis Armoniaci succinato justa proportione remista,

OBSERVATIO IX.

De mira omnium Artuum, imprimis Capitis cum Brachiis circumactione.

HIc degit filia 10. annorum, civis cujusdam, quæ diu conflictata achoribus & favis cum summa cephalalgia, improviso aliquando Caput ab achoribus liberatum vidit Pater, qui gaudio suffusus mihi id denunciabat, Ego verò prædixi, anguem jam latere in herba, dictum factum! Altero die à Patre vocatus inveni puellam super mensam mirè capite, & brachiis, pedibusque gesticulantem, tanta enim vehementia omnes Articuli successivè ter dextrorsum, totiesque iterum sinistrorsum circumgyrabantur, imminentis paroxysmi prænuncius erat Cephalalgia intensa, bis vel ter paroxysmum per Mensem passa est, remediis] verò antispasmodicis à me curata, per biennium nunc ab eo immunis optimè sana vivit,

OBSERVATIO X.

De Hæmorrhagia Vulneris lethali in Nobili.

HAc in Civitate Nobilis quidam de Boyneburg ab alio in duello Vulnus gladii in sinistro Carpo manus, ubi pulsus exploratur, accepit, copiosus supervenit ex vulnere arteriæ sanguinis fluxus, à quo vulneratus perterritus ad se vocat Chirurgum Castrensem Schultz dictum, qui omnivaria applicat Medicamenta styptica ad sanguinem sistendum, sed frustra, hinc alias plures advocat Chirurgos in consilium, qui etiam varia tentarunt, ligationes, ustiones, liquorem stypticum, sed etiam omnia frustraneo cum effectu. Cum de amputatione brachii vel manus, tanquam remedio extremo deliberarint Chirurgi præsentes, accedit Carnifex hujus Civitatis, sanitatem & conservationem manus promittens, cui reliqui Chirurgi rem committunt, intra triduum sub hujus viri cura manus cum brachio sphacelatur, & altero die ipse æger ad plures abiit: Ego jussu & mandato Serenissimi Nostri Princidis Clementissimi manum cum brachio examinavi, & omnia usque ad claviculas in totum sphacelata inveni, salvis existentibus interioribus reliquis visceribus,

OBSERVATIO XI.

De variis rebus à Dæmone corpori humano intrusis.

IN Fœmina Hanoviensi ascitica à D. *Vvedlingio* me præsente exenterata invenimus in uteri parte carnosiore fasciculum pilorum, & aliquot ossicula, dentes caninos referentia: In puella 9. Mensium ex abscessu in pectore vidimus spicam frumenti exemptam; Fœmina ista Bernensis quot nam non ejicit calculos, & quidem maximos, de qua fœmina meretur legi Tractatus celeberrimi Domini *Konig* nuper mihi transmissus: Sic quoque nuper puerulus convellebatur, nunc brachiis, nunc pedibus, nunc utrisque, salvo tamen capite, aut certè parum læso: Multa contra convulsiones, & motus spasmodicos adhibita, & contra vermes præscripsi Trochiscos Hermeticos Domini *Scretæ* nunc Beati: Ecce magna circa orificium stomachi percipitur angustia, lipothymia, nausea, sudor frigidus: Tandem per os egreditur frustum ligni, longitudi-

tudine spithamæ, & latitudine digiti: Hinc sedatur anxietas, incepit purgatio, & sic convaluit: Eodem modo vidit straminis culmum integrum longiorem quarta ulnæ parte ejectum D. G. Ch. *Vvinclerus*.

Meras tamen has fuisse illusiones, & præstigia Dæmonis nullus dubito, res enim has reyera corpori inesse planè impossibile est. Si enim præstigiatores manuum agilitate hominum oculos fallere possunt, quidni mille fraudum Artifex? Itaque post apertionem demum à Diabolo istas res intrusas esse planè mihi persuadeo.

OBSERVATIO XII.

De Atheromate in pectore.

PUero rustico 13. annorum à juventute Atheroma Thoracis parti anteriori, ubi sedes cordis est, insedens magnitudine capitis infantis, à Chirurgo hujus Civitatis Domino *Costnitz*, meo jussu, aperiebatur, ex vulnere stillabant materiæ pultis speciem præ se ferentis incirca unciæ sex, altero die post incisionem ligato puero folliculum glandulis quasi undique conspersum dextrè separavit Chirurgus, quem folliculum inter rariora mea adhuc mihi reservo: Vulnus, immisso unguento digestivo Elixire vitæ meæ descriptionis, & super imposito saltem emplastro defensivo feliciter consolidavit & puer optimè sanus vivit.

OBSERVATIO XIII.

De Phrenitide Aphrodisia curata.

JUvenis quidam amore Virginis cujusdam, & quidem formosæ ardens, cum spe exciderat, in pertinacissimum morbum incidebat, febrem nimirum cum vehementi delirio, quo nunc se Regem Galliæ, modò se Cæsarem Turcarum esse, somniabat, aciem instruebat, nunc fugam meditabatur, nunc vincebatur, nunc resistebat; Tandem ad se rediens, adhuc cicatrices monstrabat, quas accepisse a latronibus se dicebat, pluraque alia ridicula proponebat, Balneum exposcens, quo concesso in dies ad saniorem mentem rediit, somnum enim hactenus valdè expetitum recepit, & sic convaluit.

OBSERVATIO XIV.

De Polypo per urinam excreto.

HOnesta quædam fœmina Nephritica monstravit mihi sanguinolentum quiddam dimidiæ ulnæ longitudinis, vermem nominans, quem per urinam ejecisse affirmabat: Ego primo aspectu vidi falsum esse vermem, sed potius Polypum, seu sanguinem muco tenacissimo remixtum. Polypum vivum è vesica urinaria cum urina excretum vidit Clar. Dn. *Simon Schulzius*.

OBSERVATIO XV.

De præcoci Mensium fluxu.

HAc in vicinia degit matrona admodum plethorica, quæ jam patitur fluxum hæmorrhoidum unà cum menstruo, quamvis gravida duorum mensium. Eadem annum nondum egressa quintum, passa est menstruum fluxum & est mater fœcunda trium filiorum.

OBSERVATIO XVI.

De Matre fœcunda nunquam Menses passa.

HAc in Regione vivit Rustica temperamenti melancholici vulgò ita dicti, quę mihi sanctè affirmabat, se nunquam menses passam esse, singulis tamen annis gravidam fieri, & nunc est mater quinque liberorum.

OBSERVATIO XVII.

De Puella Ascitica curata.

PUella Dizensis secundum nunc annum ingressa ascite laborare videbatur. Parentes de salute filiolæ soliciti opem implorabant meam; Ego vermes subesse suspicabar, in quem finem propinavi syrup. de Cichoreo cum Rhabarbaro, Tartaro vitriolato mixtum, additis aliquot guttulis Spiritus vitrioli Martis & interpositis Trochiscis Hermeticis; A quibus medicamentis puellula animalculum vivum Serpenti simillimum capite nigro præditum dejecit, cum parentum adstantium maxima admiratione, sicque infans pristinæ sanitati restituta est.

OBSERVATIO XVIII.

De Lapidibus varias, tum Arborum, tum Fruticum, tum Animalium figuras exprimentibus.

SErenissimus Princeps *Adolphus* nunc beatus, dum viveret Schaumburgi ad Lhanam, quod est sedes ipsius, puteum fodi curavit, in quo magna lapidum scissilium copia, varias, tum hominis, tum animalium, tum fruticum figuras exprimentium inveniebatur, minimusque eorum vel hominem, vel animal, vel arborem, vel plantam exhibebat, reservo mihi plures varios Naturæ lusus exprimentes: Misi quoque Celeberrimo Dn. *Reisselio* Consiliario, & Archiatro Stutgardiensi lapidis frustulum frutices nigellos in area lutea præsentantis, scissile, fragilius, & mollius Italicis illis, nec minus pulchrum, distinctum tamen laminis illis figuris, aliaque opaciore intermedia materia, cùm Florentinæ aliæque per totam suam substantiam sint figuratæ.

OBSERVATIO XIX.

De Ascitici exenteratione.

JUvenis annorum octodecim rem murariam exercens, in arce Schaumburgensi jamdiu siti prægrandi, imbecillitateque ventriculi laborans, ascitide corripiebatur, alvi fluxu superveniente ad plures abiit. In cadavere à me exenterato magnam aquæ limpidæ, nec non croceo tinctæ colore quantitatem reperi, sic & intestinum corrosum, glandulas mesenterii valdè turgidas, & lapideam consistentiam præ se ferentes, jecur flavo tinctum colore, bilem in folliculo suo nigerrimam spissamque amurcæ similem, Ventriculum quoque pituita tenacissima repletum, pancreasque induratum offendi. Reliqua exactè perscrutari, nec fœtor cadaveris, nec tempus permittebat.

OBSERVATIO XX.

De Epilepsia periodica, à pedis pollicis læsione orta.

PUer 9. annorum sanus alias corporis, & optimi temperamenti sensit in dextri pedis pollice dolorem intensissimum ex reflexi unguis compressione indeque prognato in circumjacente carne tumore obortum; Hinc Chirurgum accersunt Parentes, qui, postquam varia remedia & quidem contraria adhibuit, tandem ad amputationem devenit, qua facta animo statim linquitur puer, & paulò post convulsivis motibus torquetur, sentit enim misellus ab affecto pollice auram quasi quandam, veluti futuri paroxysmi præconem per totum pedem in abdomem perrepere, indeque porrò per

rò per spinalem medullam in caput ascendere, facta in ea multa rotatione frontem occupare, ad quod ipse primum antrorsum, præceps ingenti saltu ruit, & deinde ipsa hac miserabili Epilepsia corripitur, continuò interim lympha quadam acri ex affecto pollice emanante. Aliam novi Matronam, quæ ab incisione unguis inflammationem, & sphacelum sibi accersivit. Pharmacopœus quidam nuper festucam pollicis pedis infigit, neglecto malo, totus pes sphacelatur & altero die æger moritur.

OBSERVATIO XXI.

De Pluvia Sulphurea.

AEstivo hoc tempore 1690. mense Junio hìc Cassellis nobis imber fuit cum tempestate maximus, qui delapsus reliquit post se materiam flavam, plateis & canalibus innatantem: Vulgus pro genuino sulphure cum vaporibus à Sole attracto habet, neque desunt, qui nescio quod malum inde ominentur. Iussu ergò Serenissimi mei Principis collectam materiæ illius portionem examini subjeci, posteaquam ergò colando depurassem, & in charta exsiccassem, particulam cultro impositam candelæ admovi, advertendo fumum quidem inde ascendere, flammam neutiquam, sulphuris etiam fœtorem minimè præ se ferre. Deinde tantillum hujus materiæ calamo scriptitio exceptum per candelæ flammam exsufflavi, tentaturus hac quoque via inflammabilitatem, & comperi, accendi ipsum non aliter, quàm solet putris flavus muci terrestris clavati, quam etiam celeberrimus *Elsholzius* observavit muscum hunc maturum à solaribus radiis in altum ferri, cum vaporibus & cum pluviis relabi; sed difficile est, de his judicare.

OBSERVATIO XXII.

De Remedio Antivarioloso Polychresto.

VAriolæ sunt pustulæ cutis, & non rarò partium internarum, saniosæ, à circulantibus humoribus singulariter dispositis, mediante peregrino æthere peculiariter disproportionato, & coagulante, à sua debita textura, & mixtura inversis: hinc febrem ardentem, malignam cum suis variis phænomenis inducentibus, inductum verò hostem, disproportionatas coagulantes acidas particulas videlicet propellendo, & ad peripheriam corporis eliminando cutem erodentibus, ob materiæ verò crassitiem non ita subitò rursus cedentibus, sed per tempus ad maturationem requisitum, eam non rarò saltem defœdantibus, aut in genere sub hoc onere succumbendo ad interitum deducentibus exortæ, ut loquitur Cl. *JunKen*. Causam ergò variolarum immediatam esse ut plurimum Massam sanguinis nimis dissolutam credimus, acidis particulis massæ sanguineę consistentiam dantibus ad cutem delatis, & pręcipitatis, hinc in cura eo annitendum est, ut dissoluta hęc massa sanguinis iterum condensetur, in quem subacida conducent, quę effectum hunc pręstabunt, ex quorum Classe est *Liquor meus Antivariolosus*, qui ex minerali, vegetabili & animali regno paratur, medicamentum certè mille experimentis comprobatum, ut dicere audeam, neminem Deum T.O.M. imposterum variolis mori velle, modò liquor hic in potu tenui per totum morbi decursum instilletur ad 30. guttas: pro teste in veritatem totam nostram Civitatem compello, sanctè enim dicere possum, quòd omnes, qui tantùm hunc liquorem assumpsere, convaluerint, qui verò hunc neglexerunt, post variolas modò in Maniam lethalem, modò in Hęmoptysin, modò in mictum cruentum, sphacelum gingivarum & maxillę, modò in Epilepsiam, modò in παιδαρθροκακὴν & in gravissima alia horrendaque symptomata ciciderunt miselli, unde & animam suo reddiderunt Creatori.

OBSERVATIO XXIII.

De curatione Ilei.

GRavis illa intestinorum convulsio, *Ilei* pręcipuè & *cęci*, cum dolore intensissimo alvique constipatione pertinacissima, fęcum verò per os rejectione infestavit uxorem Pastoris de Hohenkirchen, quam a singulari succi nervei intestinalisque lymphæ acrimonia excitatam existimavi, dedi pulverem absorbentem armoniacalem, dein potiunculam ex Sapone Veneto, cremore Tartari, & oleo amygdalarum paratam, inde sybala ejecit indurata dein Enemata aliaque felici cum successu dedi: sic Ileon etiam curatum legimus succo è pomis Bosdorfiensibus expresso ad lib. VI. hausto.

OBSERVATIO XXIV.

De Mutatione martis in Venerem.

ILlustris Comes Ioannelli Commissarius Generalis Cæsareus, cùm Limburgi ad Lhanam ægrotaret, aquam mihi monstravit, ex Hungaria secum allatam, deditque mihi ejus portionem quandam, cui injeci frustulum ferri, quod intra 24. horarum spatium liquefit, sed & paulo post fit purum cuprum; hujus aquæ etiam injicit mentionem Celeberrimus D. *Vvedelius* Amicus meus colendus in *Ephem. Germ.* Eandem vidit aquam a Comite Stephano TeKely Serenissimo Duci Saxoniæ D. *Ernesto* transmissam, existimat ipse ferrum ab aqua erodi, liquefieri quasi, & naturam suam perdere, aquas verò adjectas vitriolatas id præstare, & unà communicare atomos Venereas hinc prædominantes, ut ferrum mediantibus spiritibus vitriolescit, ita enim non impossibile esse dicit, id ipsum in cuprum symbolicum metallum posse abire, accessione scilicet aliorum, quæ ejusdem particulas immutant. Hinc ubicunque fit destructio prioris formæ & productio novæ, ibi transmutatio est, licèt non æquè atque penitus essentialis. Pertinet huc quoque quod *Olaus Vvormius* Musei c. 10 Spiritum Vitrioli scribit mutare ferrum in cuprum.

OBSERVATIO XXV.

De mutatione Mercurii in Lunam seu Argenti vivi in Argentum & in Solem seu Aurum.

AFfinia his sunt, quæ de mutatione Mercurii in Lunam tum nativà, tum artificiali inter Chymicos agitantur. Ego curiosis possum præsentare liquorem quendam limpidum, in momento Mercurium vivum, vel in Lunam, vel in Aurum mutantem, sed liquor hic adeo pretiosus est, ut non multum lucri inde resultet. Sic celeberrimus Dominus *Krugius* Consiliarius, & Archiater Brandeburgensis, Amicus meus intimus, ex Cinnabari nativa in momento, mediante liquore quodam præcipitate, Aurum cum maximo lucro vidit paratum, liquoris istius adhuc sibi servat portionem prout in literis id mihi significavit.

OBSERVATIO XXVI.

De foliis Quercus in Æs mutatis.

CLarissimus Dominus Vvaldman Physicus SchmalKaldensis, amicus meus amandus, non ita pridem misit folia quercus foliis os humerosque similia, partim complicata, partim expansa, fibrulis nervisque tam affatu expressa, ut naturæ artificium vix satis mirari possis: quæ folia, ut ille refert, nata-

natales debent Hungariç, & in eo rivulo percelebri ad oppidum Schmolnizium in provincia Zepusiensi, non procul à monte Carpatho sito, qui quod ferrum corrodat, ejusque loco cuprum substituat, satis ubique notus est; Iuxta hanc aquam sitæ sunt quædam quercus, quarum foliis au umni tempore forte fortuna in rivum hunc elapsis particulæ Venereæ, quibus totus scatet, sese mox agglomerant, instarque limi adhærent, hæ parvo temporis spatio tenuem foliorum substantiam rodendo consumunt, ipsa verò massa ex nimia atomorum aggregatione densata, si aeri sicco vel soli exponatur, decrescit permanente forma delapsi folii, & sic metamorphosis hæc accidit. Color æris instar dilutior est subrubellus, pondus metallo conforme, sonus leviter percussorum tinniens: Folia plura in museo meo mihi à Viro Cl. transmissa reservo, qualia etiam misit *Celeberrimo Vvedelio*, eandemque de his communicavit.

OBSERVATIO XXVII.

De Ovario Mulierbri.

CL. D. *KerKringium* aliosque præclaros viros Ovarium muliebre descripsisse, atque demonstrasse, hominem ex ovo esse, luculenter constat, ex eorum hodiernorumque neotericorum scriptis. Hæc ipsa ova, quæ tamen mallem vesiculas cum expertissimo Fallopio nuncupare, jamdiu Lugduni Batavorum vidi, nec non olim ad ova hæc demonstranda præsente experto Chirurgo Limburgensi uterum vaccæ aperui, intesticulis vesiculas plures inveni, quæ tamen cuspide cultri leviter solummodo tactæ humorem intus contentum in faciem explosere, (quem humorem pro semine veterum reputo.) Ova hæc, quòd à motu, seu ejaculatione forti seminis virilis non aliquando aperiantur & rumpantur, nullus dubito, per contagium verò seminis eadem ova fœcundari, & sic integra in uterum delabi, instar germinis crescere, experimentis in eum finem factis, extra omnem dubitationis aleam ponimus.

OBSERVATIO XXVIII.

De Abscessu in Epigastrio.

CVm noster Physicus hujus Civitatis ordinarius Dn. *Dexbacchius* per tempus malè habuisset, & de tumore abdominis paulò sub ventriculo ad sinistrum latus pergente, cum continuo dolore abdominis conquestus esset, se dolore colico scorbutico, sive colica spasmodica laborare, persuaderi passus est, inque isto errore permansit, & plura medicamenta assumpsit, donec in dies malo increscente Tumor se monstrabat maximus circa Epigastrium, Chirurgi diu eum inungebat oleis discutientibus, anodynis, emollientibus, & imponebant emplastra discutientia, emollientia, item cataplasmata calidè applicarunt, æger valdè debilis erat, & intensos passus est dolores. Ego in consilium vocatus, incisionem suasi, ut abscessus jam maturus aperiatur, alii in contrariam abivere sententiam, tandem verò plurima vota conclusere, & ad apertionem se contulerunt, aperto abscessu emanavit libra una puris sanguine permixti, imposuerunt digestivum cum elixire vitæ maritatum, imposito Emplastro defensivo, quotidiè ex vulnere emanavit copia puris, tandem vulnus consolidatum est: Ego postea iterum advocatus eum offendi debilem, in abdomine autem circa regionem vesicæ duritiem aliquam cum dolore animadverti, urina nonnihil erat tincta, pulsus frequentior, parvus & debilis, abdomen purulenta sanie & flatibus plenum, quam dolor urens imprimis circa Renes prodidit, quæ omnia atrophia comitabatur. Ego præscriptis variis discutientibus oleis sacculisque, tandem durities ventris circa vesicam disparebat, remanente tamen dolore in dorso, & atrophia totius corporis sceleton repræsentantis, & sic in Cymba Charontis existentis.

OBSERVATIO XXIX.

De Pane quotidiano?

NOtissima apud Christianos & solennis inter alios precandi est formula. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: & *Panis cor hominis confirmet*: Psalm. 104. Hisce Christus utilitatem & necessitatem inculcare voluit, habet enim panis in se dulcedinem nutribilem, habet sulphur alibile plurimum, unde non inconcinnè Celsus noster excelsus plus alimenti esse in pane ait, quàm in ullo alio. Nullum itaque convenientius poterat dici, cùm si panẽ dixeris, omnia dixeris, & reliqua ejusdẽ saltẽ sint accessoria & condimenta. Hinc celeberrimus *Vvedelius in suis Exercitationibus Medico-philologicis sacris & prophanis &, quidem Decade quarta* inquit: Panis est antidotus famis gemina, pabulum vitæ, virium, sanguinis, Spirituum, roboris, panis elementum chyli optimum, è seminibus frumentaceis chylosis confici solitus, panis stomacho gratissimus, ut neminem sacietas ejus capiat, siquidem sanus fuerit: Sine pane nulla esca certe mihi placet: Multi à caseo, vino, lacte, ovis, piscibus, cancris, aliisque rebus abhorrent, à pane, quo sciamus, nemo hominum, dummodo secunda utatur valetudine, abhorret. *Ioh. Bruynerus de re cibaria*, de pane notavit, quòd noverit quendam eximiç literaturæ virum, cui hoc peculiare fuit, multis carnibus, paucissimo autem pane vesci, unde illi in pœnam contigit fœtidissimus oris halitus. Sunt nonnulli Medici, qui putant, panem præbere chylum putridum; His ego subiungam historiam: Civis Limburgensis ex mala consuetudine panem solum rarò comedit, cum butyro rarissimè, cum carnibus vel obsoniis nunquam, est tamen vir sanus, eusarcos, nondum trigesimum annum egressus: Consuetudinem hanc à prima statim ætate contraxit, & adhuc dum observat, imò se aliter facere non posse, sanctæ affirmat, ita, ut jam consuetudo ista prava in naturam vulgo ita dictam abierit: confer. *Observ. Ephem. Ann.* 2. *Obs.* 144.

OBSERVATIO XXX.

De vrinæ Phosphoro.

ITalus quidam jussu Serenissimi Nostri præparavit Phosphorum in forma sicca & fluida, magna inquantitate, in quem finem collegit totos & magnos ahenos plenos urinæ, quam inspissavit & destillavit: reservo mihi in vitro rotundo elegantem exinde paratum phosphorum; in urina enim latere lumen jamdiu observavit Celeberrimus Dn. *Reiselius archiater Stugardiensis*, qui tempore hyemali hora sexta vespertina domum rediens, ante portam ædium suarum minxit in tenebris ad basin columnæ saxeæ, ubi sæpe prætereuntes homines aut canes suam alliserunt urinam, ibi in angulo inter mingendum fluorem igneum instar ligni putridi aut sulphureæ flammæ lucentem, & more lumbrici reflexum & undulantem, mox stantem mox mobilem observavit, nec vero vel ipsi eadem nocte sequentiumque aliquot noctium eadem, aliave hora mictionem repetenti, vel domesticis statim similia facientibus tale quid obtigit: Nuper in viro hujus Civitatis *Scherer* dicto, febre maligna laborante mecum plures adstantes sudorem hinc inde lucentem, & scintillantem per totius corporis peripheriam jucundo quidem spectaculo, sed cum terrore animi videre non ita pridem contigit, undecimo die morbi cum maximis deliriis ad patres abiit æger flammeus. Scintillas ex oculis emissas quotidie in nobismet ipsis observare licet.

OBSERVATIO XXXI.

De Calculis innumeris in scroto repertis.

CAlculos ubivis in Machina nostra generari posse, extra omnem dubitationis aleam positum est; de calculo in scroto latente, & Ischuriam lethalem minante,

nante, legitur Observatio D. Raygeri in Ephem. Germ. Sic notum est exemplum pueri Francofurtensis undecimum nondum egressi annum, qui tot lapides in scroto habuit, ut strepitum quilibet ex collisu lapidum facilè percipere potuerit, cujus scrotum à Chirurgo aperiebatur, ex quo sexaginta lapilli diversæ figuræ, & magnitudinis colorisque eximebantur.

OBSERVATIO XXXII.

De vulneribus Oculorum.

PVerulo 3. annorum Pedelli nostri Dukstein ab alio telum in oculum vibratur, unde humor tanta effluit copia ut volam manus tantum non adimpleret, subsidente illicò globosa oculi figura, cum dolore intolerabili, inflammationeque. Accersitus Chirurgus collyrium immittit, aliaque externa Epithemata, ex tutia, bolo Armen. Camphor. cum aqua fœniculi parata applicat frustra. Oculus enim perditus est. Sic quoque Infans Sutoris cum vitro in manu habens in terram corruit, & frustulo vitri in oculum immisso casu hoc improviso rupturam experitur oculi, variis à Chirurgo instillatis & applicatis, omnia in deterius ruunt, tandem advocatus Celebrr. Brunnerus optima suadet, sed omnia in cassum, oculus enim planè exulceratur. Hodiè, dum hæc scribo, vocor ad infantem cultro scriptorio se in oculo vulnerantem, humor inde aqueus effluit maxima quantitate, Ego præscripsi sequentem mixturam oculo instillandam. ♃. Aquæ fœnicul. chelidon. rosar. Euphras. aa. ℥ß. terr. Iaponic. ʒß. myrr. gr. v. Sacch. Cand. ℈ß. M. quod sæpiùs ob metum recidivæ alicuius reiterare jussi. Sic oculus pristinam sanato vulnere recuperavit figuram. Post variolas etiam filia Prætoris Duderstadiensis oculum ferè exulceratum reportavit, quæ tamen instillata aqua ophthalmica, sanguine columbino, instituto in fonticulo liberabatur, remanente tamen oculo angustiore.

OBSERVATIO XXXIII.

De Moxa antipodagrica Germanica.

MOxa Sinensis antipodagrica ob eximias appropiatasque virtutes, quas Indi Orientales in podagræ affectu alias incurabili (quem tamen in juventute curari posse divinus ait *Senex.* 2. Poor) experti sunt, jam etiam nobis Germanis innotuit, & venalis prostat Francofurti ad Mœnum apud Dn. *Michaelem Iordis*, unà cum bacillis aromaticis, libroque non minus docto ac curioso *Hermanni Buschofii* Concionatoris in Batavia nova Indiæ Orientalis, qui caussam podagræ, vaporem, flatumque statuit acidum, membranulas & periostia vellicantem, ὁμόψηφος hac in re Excell. D D. *Otto Tachen.* tractatu de Morborum Principe: quod autem aliàs usu venire solet, ut nova, ac peregrina quævis admiremur, nostra verò, ac ubivis obvia negligamus, id eum Moxa quoque Sinensi nobis accidit, cùm ea sit artemisia nostra in lanuginem decerpta, seu mollugo artemisiæ, modum præparandi vid. in *Decur. Ephem. Germ. Ann. Obs. 6.* Civis pauper Dizensis in Comitatu Nassovico podagra laborabat, is dum atrocissimos patiatur dolores; folia tria vel quatuor aut plura herbæ cujusdam manibus contrita (quam herbam nominare nesciebat, Ranunculum autem vulgarem fuisse, tandem cognoveram) articulo dolenti imposuit, à qua herba caustica post horas incirca quinque vel sex vesica excitata fuit, magnaque aquæ limpidæ acerrimæque quantitas manare cœpit, quo facto dolores evanuere patiensque ambulare potuit. Intermissa aliàs hac cura plures per dies lecto affixus decumbere coactus fuit. Ego *Ranunculum* illum *Pratensem* exsiccari, inurique cum bacillo aromatico jussi, modumque uti in Moxa Sinensi applicanda, observavi, quid fit? Dolor ille, qui maximus, intolerabilisque erat, prorsus evanescit, nec non paroxysmus, qui singulis mensibus redire solebat, ægrum nostrum intra unius anni spatium & ultra non amplius infestat. Postea, si ignem illum sive dolorem sensit, facta *Moxæ Germanicæ* inustione statim dolor cessabat. Num vis illa in appropriata alcalica acidum peccans domante sita est, vel num dolor evanescit ob animi passionem, quam æger sentit in applicando igne, judicent Medici. Narratur inter alia, quendam doloris impatientia maximum pedis digitum sibi securi amputasse, & dehinc à morbo totum immunem vixisse, addit rationem Experientiss. D. *Tachenius* dicens, radicem non fuisse in digito pedis, sed in aura Microcosmi, perturbationem autem animi in ipso amputationis actu extinxisse fermentum, quod utique animatum ostendit prænominatus Cl. *Tachenius*, plures historias eorum, qui ab animi passione à podagra liberati fuerunt, annotavit. Sicque vel sola animi passione, vel terrore, vel timore, vel mœrore, &c. hic morbus superatur: Ipse quoque dolor, quem excitat inustio, dolores podagricos fortasse auferre potest secundùm *Hipp. Sect.* 2. Aph. 46. dictum: *Duobus doloribus simul obortis vehementior alterum obscurat.* Sic Illustrissimus Comes Hanoviensis nunc piè defunctus maximos cùm pateretur dolores podagricos, pedes virgis cædendo ad sanguinis stillicidium usque, ut mihi sæpiùs retulit, podagram curavit. Claret ex dictis nullam esse vim magis appropriatam specificamque in Moxa Sinensi, ac in Nostra Germanica: Incredulos enim ad Experientiam stultorum æquè ac doctorum Magistram remitto.

OBSERVATIO XXXIV.

De strepitu Ossium.

STridorem dentium hactenus observarunt Medici, stridorem verò strepitumque ossium, sive Articulorum pauci annotarunt. Ego stridorem omnium ossium observavi in quodam Doctore Iuris Heidelbergense 30. præter propter annorum, temperamenti, ut videbatur, ad melancholiam vergentis, qui sanitatis ergò decrepita æstate, *Acidulis* Svualbacensibus utebatur, in auxilium vocato Medico famigeratissimo Domino *Geilfusio*, diversorum Principum Archiatro nunc verò beato. Aliquando Ego *Neohanoviæ* Sutoris visitabam uxorem hypochondriacam per dies vitæ sterilem 30. annorum, temperamenti summè melancholici, quæ inter alia de magno cranii crepitu, nec non dolore capitis sæpius obveniente maximè conquerebatur, quem strepitum quoque paulisper adstans auribus meis percepi: crepat enim non aliter, ac si parvam inflatam rumpas vesicam, magno cum conatu: Sæpius hunc strepitum noctu ipsi accumbens maritus audivit, prout mihi juravit. Num ossa cranii ubi sunt suturæ, unctuoso balsamo ex mente Vuillisii destituta, à vaporibus flatibusque intra cranium collectis (valdè enim est vertiginosa) commoveantur, sicque crepitum excitent: sive num intra cranium aliquid rumpatur? meretur medicationem.

OBSERVATIO XXXV.

De Vermibus in saliva.

VErminola brutorum hepata vidit Cl. D. D. *Christianus Fromannus*, vermes in aceto demonstravit D. *Paterson Hain*, vermes vomitu rejectos innumeros Celeberr. D. *Paulini amicus meus optimus*. Ego præterita æstate grassante Dysenteria Epidemica plures observavi per vomitum rejectos vermes, æquè in senibus, ac juvenibus, quorum ægrorum, quibus hoc contigit, nullus in vita servari potuit, sed omnes animam exhalarunt, absque dubio ob maximam putredinem, & malignitatem, quam Vermes indicarunt. In sale culinari vidit Vermes Excell. ac Celeberrimus Dn. D. *Salomon Ruiselius* Vir de Medicina multùm meritus. Vermes serpenti-formes in aceto observavit *Borellus*. Vermes in sanguine vidit Nobilis. *Thomas Bartholinus*, in hominis folliculo fellis *Vviens*. Ego nuper in urina vermes innumeros aspexi. Si quis plura Exem-

Exempla desiderat, adeat *Ann. 2. Ephem. Germ. Obs.* 50. Nemo tamen Medicorum, ni fallor, verminantem vidit Salivam, quam Svualbachii, Hamburgensis Scorbuticus me præsente exspuebat valdè fœtentem, & vermiculis scatentem, sine dubio à sero putrido corrupto, & ovulis turgido. Nuper in puerò 10. annorum hujus Civitatis præsente Chirurgo vidi lachrymas ex oculo emanantes vermiculis minutissimis refertas, qui in charta excepti perspicuè conspici potuerunt; totam lympham nostram posse vermibus scatere, quis ignorat?

OBSERVATIO XXXVI.

De Vulneris sive Fistulæ Ventriculi felici curatione.

VVulnera inter alia lethalia *Hippocrates* recenset quoque ea, quæ Ventriculo accidunt, quod verò (absit dicto invidia) contrariatur quotidianę Experientiæ. Nota sunt nunc plura vulnera ventriculi feliciter curata Francothalii in Palatinatu inferiori civis quidam pannitonsor quandoq; in turri agebat excubias, horasque nocturno tempore tuba ænea annunciabat, ut in urbibus solenne est: Is tempore quodam dolorem in Epigastrio sentiebat maximum, nihil exteriùs animadvertens præter pustulam diu ibidem existentem, cujus tamen nullam gesserat curam: quid fit? Noctu, cùm horas tuba ænea magno cum conatu ebuccinaret, rumpitur, sive aperitur pustula, & lactucam, quam prægressa cœna comederat, (verum dico (per vulnus reddebat, altero manè non parum de sanitate solicitus, referebat omnia, nec non monstrabat locum affectum parenti meo Dn. *Iohanni Dolæo* Practico ibidem Expertissimo, nec non tum temporis Consuli civitatis eheu! jam à Gallis combustæ, gravissimo, opem ab eo petens sedulò, lactucam enim non tantum ejecit, sed & postea valdè abdomen comprimens, alios crudos è vulnere reddebat cibos, aliquando cremori non absimiles: Parens dedit pulverem absorbentem ex oculis Cancri, antim. diaphoret. terra catechu &c. nec non decoctum traumaticum ex herbis vulnerariis & lignis, interposita essentia traumatica Hagendornii, hisce brevi æger pristinam recuperavit sanitatem: Testes sunt ipse Patiens, adhuc superstes, Pater meus optimus, aliique fide digni Viri; quis hic de vulnere ventriculi fistuloso dubitabit?

OBSERVATIO XXXVII.

De vulnere per totum abdomen non lethali.

ILlustris Dominus de *Iortz* in obsidione Moguntinensi à Gallo vulnus in sinistro accepit hypochondrio, & glans in dextro iterum prodiit, accersitus Chirurgus omnia ritè observat, vulnus deligat, nulla pejora symptomata accidunt, & Illustris Dominus paucis hinc diebus planè convaluit, absque ullo valetudinis incommodo. Causam hujus felicis eventus adscribit Illustris jejunio, quòd intra 36. horas nihil comederit, hinc intestina maximè vacua & haud distenta erant.

OBSERVATIO XXXVIII.

De Lacertis volatilibus.

NAturæ scrutatores agnoscunt duas tantùm species Lacertarum, terrestres & aquatiles, ad quas *Alatas* referendas esse censeo, quas Hanoviç mihi monstrarunt Clarissimi Domini Priores Francofurtenses ex India Orientali reduces, qui has lacertas volare instar avium retulerunt.

OBSERVATIO XXXIX.

De salis Cornu Cervi uolatilis ad tactum frigiditate.

SCripsit mihi olim Excell. D. D. *Iacobus Vualdschmidius* P. Publ. *Marburgensis amicus meus*, dum viveret, *intimus*, nunc beatus: Cæterum iudicium tuum de Natura frigoris expeto, utrum defendi possit, illud in quiete consistere. Occasionem dubitandi mihi præbuit casus quidam fortuitus, cùm enim nuperrimè Sal volatile C. C. recens sine fœtore præparatum manibus tractarem, & alteram manum profundiùs ingererem (erat enim ingens copia) intensissimum percepi frigus, quale alias in nive contrectata sentimus, in qua tamen nullum reperitur Sal volatile, & quis dicat, Sal volatile esse in quiete? Hæc ille: num particulæ volatiliores inferioris salis à succumbente sale in hoc casu detineantur, án verò ab aere mutationem acceperit, curiosis doctioribus enodandum relinquo.

OBSERVATIO XL.

De nova Dentis Canini eruptione in viro octogenario.

VUlgò dici solet, illos Infantes, qui nimirùm præcoci anticipatione dentiunt, vix maturam attingere ætatem, prout testantur observationes apud *SchenKium*, *Plinium*, &c. & quibus nimis serò erumpunt dentes, longævos fore, vulgus addit, quod sequens confirmat exemplum Labitur jam annus decimus tertius, quo Viro octogenario Dn. Burggrafio Schaumburgensi in comitatu Nassovico eruperat dens Caninus, in eruptione hujus novi dentis Senex adeò vehementes patiebatur dolores, ut opem meam imploraret, Idem vir singulis mensibus fluxum habet hæmorrhoidalem, magno cum sanitatis suæ emolumento, & ad huc usque diem sat benè, & lautè ętatem agit senilem.

OBSERVATIO XLI.

De Puella bilingui.

BIlinguis fit Elinguis. Puella civis cujusdam Galli Hannoviæ degentis quintum ferè egressa annum, à nativitate duplici gaudet lingua, & est elinguis, propter magnitudinem enim, gravitatem, ac crassitiem linguarum sibi invicem incumbentium rimaque circumcirca tantum separatarum, vix linguam movere, multo minùs loqui valet.

OBSERVATIO XLII.

De Anu puerpera.

ANus cum Milite maritata nuper Hanoviæ una vice tres vivas peperit filias, quæ tamen intra spatium octidui superstite matre animam exhalarunt omnes: Sic dum hæc scribo, Nostri Pharmacopœi Aulici Dn. Reinboldi nunc Bremæ commorantis Vxor, quam nuper viduam in matrimonium duxit, tres filias vivas feliciter enixa est.

OBSERVATIO XLIII.

De Hepate magno & Lapide cystis felleæ.

PRinceps Nassovico-Hadamarensis *Mauritius* ante annos aliquot catarrho suffocativo defunctus est

est, in cujus cadavere præter alia reperta sunt sequentia: Hepar erat immensæ molis octodecim librarum, in folliculo fellis repertus fuit cum aliis calculus nunc. 1. ponderis, quem Principissa adhuc sibi reservat inter rara, tanquam μνημόσυνον.

OBSERVATIO XLIV.

De Auri Fulminantis improvisa detonatione.

OPtimè monet Clar. D. *Schrœderus in pharmacopœa chym. lib. 3. cap.* 11. in quo de metallis tractat, his verbis dicens: Aurum fulminans cautè tractes, ne flammam scilicet concipiens detrimentum inferat, concipit enim promptissimè, ac deorsum vergens, quicquid substratum, non sine adstantium periculo, in frustilla disjicit: lævigaturus itaque memento singulis vicibus parum sumas, non ferro, sed ligno agitando: quod verò non ritè observavit Pharmacopœus Limburgensis ad Lhanam, inde idem evenit, unicam integram hujus auri sclopetantis jam præparati in mortario pistillo ferreo lævigaturo, quod enim inter lævigandum vel terendum flammam concepit, ac detonavit non aliter, ac si bombardam explodas: Pharmacopolam ad terram prostratum & in facie combustum accurrentes vicini offenderunt.

OBSERVATIO XLV.

De Contagio periculoso.

DElicata sunt contagiosa hæc miasmata ex hominibus malignis morbis laborantibus exspirantia, & suaviter sine sensu, per sensum gustus salivæ se jungentia, inscio, communicata ventriculo, eundem prius inficiunt, & ibi sedem figunt, tandemque sanguineæ commixta massæ tantorum sunt causa malorum: Sic nuper Chirurgus Noster Pohlr dictus visitat quendam febre petechiali laborantem, & cùm catarrho ad fauces delabente laboraret, omnem deglutit salivam, triduo adhinc eodem corripitur morbo, & decimo septimo morbi die moritur: si universali præservativo Domini *DobrzensKij* conterranei sui observasset, fortasse non tam facilè morbum hunc lucratus esset: *Si quis ergo conversatur cum ægris, qualicunque demum morbo affectis, nunquam, quamdiu intra sphæram vicinitatis talium moratur, salivam deglutiat, sed semper eandem exspuat.*

OBSERVATIO XLVI.

De Viro quodam hora quavis duodecima brachium suum paralyticum commovente.

NOta est historia Celeberrimi Dn. *Reiselii* de Muto hora quavis prima meridiana loquente, quam ob raritatem, hìc addere libet Georgius Algaier, Georgii Algaieri Cauponis Insignæ propè Kirchemium in Ducatu Wurtemburgico filius temperamenti cholerici, annorum 25. jam ante annos 15. Festo S. Stephani statim post cœnam adeò malè toto in corpore habuit, ut nullibi etiam se continere potuerit. Anxietas cordis erat tanta, ut nisi per vomitum ingentem levatus fuisset, suffocari sæpè sibi videretur; Hora post vomitum præterlapsa, agebat melius, at per totum trium mensium decursum valdè tristis, & melancholicus, interdum etiam terrore quasi percussus evadebat. Elapso hoc tempore primò saltem per unum ferè momentum vocem, & loquelam, quam prius accuratè callebat, amisit, ita ut ne verbum quidem neque ullam vocem de se emittere posset; quotiescunque verò loquela amittebatur, toties tum (quod tamen ultra dimidium annum non duravit) è ventriculo aliquid sursum fauces versus repere sentiebat: Atque uti primùm vocis & loquelę suppressio saltem momentanea, sic eadem post in dies, in diesque crescere incipiebat, ita ut à momento ad semihorium, totam horam, duas, tres, & ultimò ad 23. horas inordinatè tamen duraverit: Tandem typum adeò constantem habebat locutionis restauratio, ut jam per 14. annos non nisi singulis diebus ab hora duodecima meridiana, per horę integræ spatium, ad primæ scilicet pomeridianæ punctum usque, loqui possit: Nec falli potest hominis horologicus sensus horarum transpositione, cum vel nullis campanis sonantibus terminum horę duodecimę usque ad primam semper, & quàm accuratissimè observet: Notandum etiam, quòd dum loqui potest patiens, aliquantillum balbutiat, quin & tum extra, tum intra locutionis tempus linguam ipsam non satis volubiliter queat movere. Præter amissionem loquelæ, atque vocis nulla de functione queritur, sensus tum interni tum externi sunt integri: Accuratissimè semper audit, unde etiam vel gestibus vel literis (scribere enim satis benè scit, quod ipsum, imitatione expressum nomen, propria manu descriptum, & à me hic subjunctum innuit) ad interrogata cujus, quantum possibile est, respondet; Vixit aliàs hactenus sanus, nec ullum morbum, excepta febri, qua ante tres menses vexabatur, quotidiana, cujus tamen paroxysmum inordinatè, jam manè vesperi, jam etiam noctu sustinuit, passus est, neque typus amissionis loquelæ ex febri unquam mutabatur. Vivit jam post febrem omninò sanus & incolumis. Hæc annotavit, dum examinaret hominem pluries jussu Serenissimi Ducis Wurtembergici Medicus Aulicus D.D. Ioh. Ieorg. *Gmelin.* mense Novembris Anni *1679.* in pago Valtenbach, variaque in præsentia dicti, aliorumque Ducum ab ipso rogaret & scrutaretur. Hic ipse homo die 22. Martii *1680.* imperio Serenissimi venit Stutgardiam ad preces Excell. D.D. *Wepferi Sthafhusani* Physici Celeberrimi tum præsentis, qui est à Consiliis Medicis Serenissimæ Domui, ut videretur, & examinetur denuò: Invenimus uterque hominem mediocri quidem, sed quadrato habitu, capillis nigris, robustis viribus, nihil circa tollum, laryngem, linguam, fauces quærentem, vel præter naturale quid ostendentem, omnia intelligentem, edentem benè & bibentem, sed mutum, omnia verò servitia patri suo hospiti vinario debita optimè præstantem. Ipso meridiei puncto, ubi ad Solis umbram facta computatio, cœpit loqui sine ullo prævio signo, aut prognostico futuræ vocis, respondit ad omnia interogata prudenter, intelligenter, sine balbutie notabili, linguam exservit, & movit satis volubiliter, vociferatus est, fistulavit ore, comedit, potavit, sensit accuratè saporem quemvis in lingua, eaque continuavit usque ad punctum horæ primæ, horologio exactissimo notatum, ubi subitò obmutuit, quod momentum mutationis sibi quidem præsagit ex diuturna consuetudine, nec tamen scit, nisi accedente paroxysmo: Hunc sequenti die solus ego præsentibus multis Nobilibus perquisivi, eademque vidi, & audivi, quæ heri, atque ut tantò certius cognoscerem, jussi, ut cùm jam instaret punctum duodecimæ, loqueretur sponte: Locutus est, & quidem per totam horam, intermixtis sermoni vario etiam precibus. Brevi ante primæ momentum legere imperavi continuè; legit, sed improvisò obmutuit iterum inter legendum, neque vocem sonoram edere potuit, potuit tamen fistulare. Hæc D. *Reiselius*.

Huic historiæ os humerosque persimilem casum addam: Cùm anno decrepito *1679.* Deciæ essem, adduxerunt mihi Rusticum in pago proximo habitantem, dextrum brachium planè paralyticum, & pendulum portantem; mihi interoganti, quamdiu laborasset hoc malo, & unde acceperit, respondet à triennio se brachium singulis diebus circa horam duodecimam usque ad secundum movere posse, sed tunc non amplius: ego ex-

spectavi

spectavi horam, qui altero die movebat brachium instar sani, & ad os potuit elevare, extra id tempus, nullum digitum movere potuit, Ego vicinos aliosque interrogavi, num ne dolus subsit, qui omnes sanctè affirmarunt, se id per triennium observasse.

OBSERVATIO XLVII.

De exenteratione ancillæ Hæmoptysi extinctæ.

HÆmoptoicam passionem, uti videre est in *Eph. Annal. observat.* 45. cum sanguine spumoso & florido sine dolore, tussique excreto curavit Excell. *D. Vvedelius P. P. Celeberrimus*. Ejusmodi hæmoptysin in ancilla Hanoviensi observavi, quæ tempore matutino surgens, patre familias adhuc dormiente, valvulas fenestrarum aperit, hoc peracto illa ad hypocaustum alta voce ejulans accurrit, à quo clamore ejulatuque herus domus expergefactus ancillam in terram prostratam sanguineque ferè obruptam stupens aspexit; Ego vocatus puellam in sanguine quasi natantem, exanimatamque offendi. Cadaver ad secandum ab Hospite pretii, hospes annuit, aperto Cadavere sequentia notatu digna, multis viris spectatissimis præsentibus, reperi. Abdomen dissectum exhibebat cuncta viscera, optimè constituta, ovarium multis ovis tenuissimis membranulis præditis refertum, Hepar justæ erat magnitudinis, sine vitio, folliculus fellis totus bile vacuus reperiebatur, nullam enim (verum dico) guttulam bilis exprimere poteram: Thorax pulmones exhibebat ad nigredinem vergentes, inflammatosque, in iisdem venam cavam disruptam sanguineque multo spumoso repletam: Cor fons sanguinis albescebat, ventriculi cordis, arteriaque magna grumescentem continebant sanguinem, & vix uncia sanguinis in toto restitabat cadavere.

OBSERVATIO XLVIII.

De puella à variolis aphona facta, & post septennium inopinatò restituta.

PRæteriit Annus octavus, quo in districtu Hanoviensi in Pago Baccho sacrato Hochstatt dicto puella ætatis suæ 10. annorum, (quæ in ætate infantili, anni scilicet tertii variolis malignis, & confluentibus laborabat, & ab his, materia nimirum peccante per metastasin ad nervos linguæ delata, reconvalescens, aphona tamen & muta reddebatur, & talis ad annum ætatis usque decimum permanebat,) ex improviso tempestate maximè æstuante (fortè materia nervos obstruente à calore resoluta) cum parentum & consanguineorum maxima admiratione loqui incipit, & nunc cum quolibet, ac si semper locuta esset, sermones habet.

Sic celeberrimus *Argovanta* nunc beatus, Anno 77. Mense Martio observavit, quòd puella quædam variolis afflicta, & negligenter habita in statu morbi diarrhœa corriperetur, qua suppressa, succedebat Epilepsia, aphonia, mors. Alia plebeja, sed adulta morbillos negligens, in respirandi difficultatem incidit cum Tussi, & raucedine diuturna, exorto autem in regione pectoris ulcere purulento, clarè loquitur, sed eo consolidato iterum in pristinum raucedinis affectum abripitur, ut enim variolæ sensuum organa potissimum afficiunt, ita morbilli respirandi facultatem quoque sic interdum infestant, ut lenta tandem labe pereant.

OBSERVATIO XLIX.

De injectis per Fascinationem.

FAteor, varia & mira naturaliter in corpore nostro latitare posse, quod & testantur Ephemerides nostræ: Dentem suillum per biennium in corpore latuisse observavit Nobiliss. *Thomas Bartholinus*, quem fortè faber ferrarius deglutiverat. Bufones, Serpentes aliaque animalcula, in ventriculo, intestinis, aliisque partibus corporis naturaliter inventa fuisse, nemo est, qui dubitat. Ipse experientia cognovi, rusticum quendam ex aqua spermate ranarum infecta bibisse, indeque vomitu magnum ranarum numerum reddidisse. Cæterum casus erat fascino proximus, qualem recenset Illustris *Præses noster in ephemerid.* de Tumore monstroso, ex quo glomus pilorum sordidorum, & horridum ac pilosum animal prodibat. Huic casui os humerosque similem curiosis communicare mecum constitui. Excurrit octavus annus, quo fœmina militis nostratis hydropica facta, conqueritur de maximo dorsi dolore, quem à tactu vicinæ, quæ pro Venefica habebatur, (nulla enim saga est, quæ non summæ invidiæ & infidelitatis plena sit, ut inquit *Paracelsus c.*7. de Sagis,) à septennio se sensisse, sanctè affirmavit, quæ & tandem remediis omnibus frustra adhibitis vitam cum morte commutavit, aperto cadavere seu abdomine, offendebatur abscessus circa carneam uteri substantiam, propè vesicam, in quo duo ossicula cum fasciculo pilorum reperiebantur. Prorsus similem casum mihi communicavit D. *Sebastianus Schefferus* nunc beatus, quem Francofurti 1676. unà cum *Nobilissimo Horstio & Vvitzelio* in ancilla quadam observavit, quæ à quodam Satrapa lethaliter glande percussa fuit, & animam exhalavit, in qua post mortem circa eundem locum maximus fasciculus pilorum cute circundatus inventus fuerit, cujus ancillæ mater etiam pro venefica habebatur.

OBSERVATIO L.

De herbæ Nicotianæ usu externo vomitum ciente.

FIliæ Dn. Bridens Consiliarii Hassiaci mater applicat ob dolorem capitis plantis pedum herbam Nicotianam, inde filia 3. annorum in vomitum incidebat, Ego vocatus statim impositum Tabacum removeri jubeo, illicò sistitur vomitus, absque ullo exhibito remedio: Ego suspicatus sum, fortasse Tabacum vomitum procurasse, curiositatis ergo altero die iterum applicari mando, intra unius horæ spatium ab applicata Nicotiana recurrit vomitus, qui etiam remota iterum cessavit.

OBSERVATIO LI.

De Epilepsia saltatoria.

HAc in Civitate degit Filia septimum nondum egressa annum, quæ continuò movebatur, ac si saltaret, vel choream duceret S. Viti. Medici à vermibus hoc malum productum suspicati sunt, & plura anthelminthica frustra exhibuerunt, Ego tandem in consilium vocatus internè liquorem C. C. succinatum præscripsi, externè verò nuchæ Astrum meum Cephalicum, quod ex camphora, & oleo succini componitur, applicui, qua biga medicamentorum intra unius mensis spatium, Deo T. O. M. benedicente, filia convaluit, & nunc optimè vivit.

OBSERVATIO LII.

De Lapide vesicæ figuram infantis mentiente.

HOrtulani nostri Aulici filius 12. annorum, diu stranguria laborans, quam excipiebat Ischuria cum doloribus gravissimis, & subsequentibus motibus convulsivis, vitam cum morte commutavit, aperto ejus cadavere in vesica inventus est lapis ℥ij. ponderans, & figuram infantis clarè exprimens. Calculi ut plurimum loci, in quo concrescunt, figuram induunt, fortuitò etiam, vel aliquarum particularum concursu in alienam quandoque efformantur, variasque res præsentant: sic calculum renis cordiformem *Nob. Reiselius* depinxit, alium vesicæ calculum cordis formam penitus repræsentantem vidit *Scarabicius*, atque *Bened. Sylvaticus* renalem canis figuram exprimentem fuisse repertum, testatur in libell. de lapide concret. in hom. c. 3. Vesicæ lapidem à vidua extractum partium in Viro genitalium formam exhibentem docent *Eph.* alium phaseolo in omnibus similem, nec non pulli anserini figura sistunt, ubi & corallii, trunci, ac surculi æmulus, muris, felini capitis, cochleæ, crucis, fragariæ, & pyri figura alii memorantur. Per urinarios meatus expulsos lapides, qui absolutè figura, substantiæ colore, carbones referebant, recenset D. *Panarolus*. Amygdalini nuclei forma & magnitudine post mortem è Mercatore extractum cum D. Parente vidit *Celeberrimus D. L. SchrœKius*.

OBSERVATIO LIII.

De via lactis extrrordinaria.

SEquentem ex Belgio Casum mihi communicavit Cl. D. D. *Hoogmade* Practicus apud Lugdunenses Celeberrimus, & felicissimus. Uxor Prætoris, in Vico Austhoven lactans puerum, gravida iterum fit, hunc puerum ablactavit: Ex aliorum Medicorum persuasione neglexit Exsuctricem, (quæ alias ordinariè hic locorum ad exsugendum lac adhibetur,) rata, lac sua sponte evanescere; Verùm dextra mamma insigniter intumuit, & paulò post nocte quadam sensit copiosè lac cum dolore in os prosilire, mamma vero statim prorsus detumuit. Hinc quarto graviditatis mense à me consilium petiit, sed suasi illi, ut hanc lactis scaturiginem Naturæ committeret, (lac omne deglutiebat, & sic in proprium iterum nutrimentum cedebat) nullus enim dubito, quin instante partus tempore, hic lactis fonticulus obturetur, atque lac pristina relegat vestigia. Causam conjecit in vas quoddam chyliferum, quod cùm se in mammam exonerare nequiret, impetu in os sive per se, sive per glandulam, viam fecit. A salivalibus laxatis deducere commodè nequivi, eo quòd fonte hoc saliente mamma è vestigio detumuit, hinc inde itaque copiam derivasse, proximum est, conjicere, hactenus ille: quæ de hac re mea sententia est, videri potest in *Epistola mea secunda ad Cl. D. Vualdschmidium* scripta.

OBSERVATIO LIV.

De effluxu Sanguinis è mammis in Gravida.

FOemina Rustica in pago prope Zigensainam gravida 7. mensium noctu sentit circa mammas madorem quendam, existimans, sudorem emanasse, mane verò totum indusium, quo amictum erat, sanguine tinctum maximo cum terrore vidit, omnia benè perpendens, animadvertit continuò sanguinem è mammis destillare, qui sanguinis è mammis effluxus duravit usque ad partus tempus, quo etiam feliciter puellam enixa est, paulò post tamen puellula mortua est; Lac quidem post partum præbebat mater, sed semper sanguine commixtum.

OBSERVATIO LV.

De Clysteribus opiatis.

HAnoviæ dysenterico dedit Empiricus quidam Enema, in quo ʒj. opii Thebaici dissoluta fuerat, huic statim apoplexia, & mors subsecuta est. Sic Chirurgus sub cura habens dysentericum, clysterem cum libra una succi hyoscyami inici jussit, statim à sumpto Enemate ægrotus tanquam temulentus fiebat, omnium sensuum usu orbatus, torvoque erat aspectu. Atque si sedens in lecto collocaretur, in eo situ instar statuæ remanebat, tum temporis enim advocatus Medicus cognita istorum symptomatum causa, aptis Medicamentis propinquam mortem fugavit: Sed per sex septimanas ad minimum quasi temulentus fuit æger.

OBSERVATIO LVI.

De Cœcitate certa anni tempestate invadente.

VIrgo quędam plebeja octodecim circiter annorum, singulis annis versus Mensem Majum perfecta cœcitate occupabatur sub vesperam, paulo post Solis occasum, illaque durabat ad posteriorem usque lucem, donec Sol denuò ortus foret, tunc enim nullum apparebat ejus oculis pristinæ cœcitatis vestigium, in tali statu permanebat per tres quatuorve menses, & integro ante invasionem mense videbantur ipsi nubeculæ oculis observari.

OBSERVATIO LVII.

De Tumoris Mammæ curatione.

HAc in Civitate puerpera se exposuit aeri frigidiori, hinc nacta est tumorem dolentem atque ad contactum durum. Varia Chirurgus vocatus imposuit, cùm tamen omnia minùs exspectationi satisfacerent, tandem meo jussu Emplastrum *Vualdschmidianum* in hoc casu abs illo commendatum, & ex cinnabari, cera, & oleo lini paratum, imponebatur, hoc per biduum imposito tumor in totum evanuit.

OBSERVATIO LVIII.

De Opii dosi legitima.

IN catarrhis acribus sæpè opiata omne ferunt punctum, in quem scopum dedi non ita pridem Serenissimæ Principi dosin opii aliquo modo minorem ordinario, illa planè inquieta fuit, & manè malè se habuit, hinc in *Vualdschmidii* partes transeo, dicentis, qui opium exhibent, illud in ea dare debent dosi, ne vis somnifera a Spirituum motu penitus superetur, vidi enim, quòd ægrotantes tunc graviùs affligantur, ipsique spiritus ab inquietudine magis depauperentur, vigiliæ & delirium augeantur, & sitis intendatur; Observandum id præcipuè erit in Tincturis Opii, dantur enim, quæ intra amplissimum ambitum dotem suam continent, dantur admodum concentratæ, & quæ sub paucis guttulis illud promittũt, quod alię drachmis pollicentur. Sic tinctura opii sive essentia anodyna *Zuvelferi* datur à ʒj. ad ʒiij. cùm *Sydenhammiana* à gutt. vij. ad xv.

ad xv. vel xx. si non meliori, pari tamen detur successu.

OBSERVATIO LIX.

De aqua submersis.

NUper Gallus ex profugis nataturus aquis submergitur, in cujus cadaveris ventriculo & thorace ne gutta aquæ reperiebatur, hinc falsum est; aquis submersos multum aquæ deglutire, eamque per tracheam quoque admittere, atque tales ex repletione mori, unde rectè inquit *Uvaldschmidius*: Verùm si attendere velimus, quid in Campana urinatoria in aquam immersa contingat, vix ultra marginem aquam admittente, facilè erit, determinare, aquis submersos, non ex aquarum mole, sed ob aeris defectum exstingui, nam cessante respiratione, cessat sanguinis in circulum itus, ipsa autem respiratio vel in momento sufflaminatur, cùm nec aer egredi nec aqua ingredi possit, hinc etiam in submersis ne guttulam quidem aquæ in ventriculo aut in thorace reperire unquàm licuit.

OBSERVATIO LX.

De Paracentesi.

SEx Paracenteses per Dominum *Pœtterum* M. D. & Chirurgum Aulicum in Morea nunc defunctum instituimus quidem feliciter, & omnia accuratè observanda observavimus, sed omnes ægri, in quibus instituimus, mortui sunt, & in iis semper gangrænam internam offendimus. Huc ergò quadrat observatio Celeberrimi *Uvaldschmidii*, viri certè seriore libitina digni: quamvis inquit, decantata illa Paracentesis, quam in Asciticis commendant Practici, variis pro voto succeddat, aut messem semente illa dignam ferat, cogimur tamen subinde eam in gratiam ægrotantis, & ne quid omisisse videamur, eam nolentes volentes instituere. Fœmina, quinquaginta, & quod excurrit annorum, tertiana duplici confecta, tandem incidit in Ascitem, varia variorum ex consiliis adhibita eludentem remedia. Ultimum in tempestate, & Microcosmi inundatione refugium quærebatur in Paracentesi, qua in cubili ventis exposito ad hoc quidem negotium inidoneo peracta, novam reconvalescentiæ recuperavit spem, cùm jam melius habere videretur. Verùm spes hæc vix inchoata, exspiravit ocyus, superveniente inopinato rigore, cum ardore, inflammatione, & intensissimo imi ventris præsertim circa pubem dolore, quibus cùm per sex vel septem dies conflictaretur, tandem fatis cessit. Quæri hic solet, quæ gangrænæ hujus sit causa? Sunt, qui ad pororum antea distentorum ob seri effluxum collapsum recurrunt. Verùm cùm jam antè pori ad unum ferè omnes tum in intestinis, tùm in abdominis musculis sint obstructi, quid illa abdominis subsidentia nocere possit, vix capio, quapropter omnem ego culpam rejicio in aerem, qui, dum serum effluit, eodem tempore, qua datur via, ingreditur, (vacuum enim non dari, nec dari posse, ex Physica generali constat,) & funesta hæc ludit dramata: quippè cùm paucioris minorisque agitationis capaces in concava ventris parte tunc observent vapores, particulæ aeris vi sua elastica partes membranosas, fibras & tubulos ita occupant, ut nec humoribus, nec vaporibus ullus amplius concedatur transitus, solo æthere, vel si mavis, minimis aeris particulis admissis, quæ fulminis instar, rigida illa salia, poris tunicarum hærentia convellunt, concutiunt, atque exagitant, hisque armatæ inflammationem, dolorem, atque gangrænosam putrilaginem producunt, id quod pluribus experimentis ope Anthliæ pneumaticæ ad probandam vim aeris elasticam à me sæpius institutis illustrare possem, si locus & tempus id ferrent; unde suspicari licet, ægrotanti admodum proficuum fore, si tùm ante, tum post peractam operationem fortiora diaphoretica, fumosa, & vi agitatoria prædita exhibeantur remedia, qualia sunt Salia volatilia, Oleosa, Camphora, Theriaca, Vinum generosum &c. ut in locum seri effluentis, halitus è ventriculo, & intestinis, vicinisque partibus suppeditentur, ipseque Aer vel non admittatur, vel admissus ob renitentiam quandam fluidorum vim suam elasticam exercere nequeat.

OBSERVATIO LXI.

De Aquæ compressione.

SErenissimus Noster Princeps Dn. *Carolus* Landgravius Hassiæ, in Experimentis efficiendis maximè curiosus, & in Mathesi nemini secundus, me præsente, nuper ope anthliæ ita aquam compressit, ut ad dimidiam compressa fuerit altitudinem, quam antè habuit.

OBSERVATIO LXII.

De Puerulo quatuor annorum calculum in pene habente.

JOhannes N. Mercator filiolum 4. annos natum Ischuria laborantem habens, Medicos advocavit, qui causam morbi in vesica recumbere augurati sunt, ex eo, quòd puerulus nullum in lumborum regione dolorem persentisceret, perpetuum adesset urinam exercendi desiderium, tumorque circa vesicam appareret; Sed quum neuter ex pueruli Parentibus, nullusque ex ipsius Avis calculo unquam afflictatus fuisset, dubitatum est, utrum urethra à calculo occluderetur, an à materia crassa, & viscida? quare omnes in ea fuerunt sententia, catheterem in vesicam esse immittendam, ut certò pateret causa urinæ ductus obstructionem inducens, & ad crastinum diem dilata fuit operatio, sed per illud temporis spatium causam seipsam manifestavit, calculusque ad mediam usque urethram protrusus fuit: Rursus accersiti Medici occupatam à lapillo videntes urethram, nec eam ullo pacto ipso liberari posse, sive lapillum per balanum educendo, sive eum in vesicam repellendo, quum neutrum penes ipsos esset, nec sine Ægri periculo tentari valeret, urinæ ductum aperiri jusserunt sub calculo, quod felicissimè cessit, eductusque fuit lapillus nuclei pinei crassitie, vulnusque deinceps curatum, & perfectè consolidatum fuit. Ejusmodi Exempla extant plura in *Ephemerid. Curios.*

OBSERVATIO LXIII.

De Absorbentibus, alvum quandoque laxantibus.

ABsorbentia purgantium vim quandoque induunt, quod quinquies in ægrotis nostris per præsentis hyemis decursum videre contigit: Ægri enim, quibus diaphoreticas & absorbentes mixturas propinabam, crastina ab usurpato medicamento die apud me conquerebantur præterlapsa nocte se quater quinquiesque solutos fuisse, cujus phœnomeni causam statim non perpendens, unde orta fuerit talis diarrhœa mirabar, quæ eadem nocte ortum & finem nacta fuerit, præsertim cùm certò scirem, ægrotos nullis uti alimentis, quæ illam excitare potuissent; Sed re attentiori anima pensitata, mirari desii, postquàm consideraveram in febribus acida dominari: Tunc siquidem succi omnes à sanguine separati acidis abundant, Alcaliaque in iis sunt depressa. Sulphura in iis succis con-

contenta ab acidis coagulantur, angustioresque tubulos obstruunt. Bilis itaque, succus pancreaticus, & succus glandulosus, in intestina excerni solita, in ductibus suis moram faciunt, parciusque emittuntur, unde raro in febribus laxatur alvus, sed si propinentur absorbentia, quæ acida sulphura coagulantia & alcalica impregnantia poris suis excipiant, sulphura ab alcalicis sui juris factis dissolvuntur, pristinoque motu cum aliis succorum elementis remiscentur, iisque à tubulorum parietibus, quibus antea adhærescebant, separatis, liber patet per ductum exitus, succo remoranti, & congesto, cujus fluxus eousque durat, donec is universus, qui stagnabat, evacuatus fuerit.

OBSERVATIO LXIV.

De Ischuria lethali.

RArum est, quod Romæ observavit *Celeberrimus noster Ettmullerus amicus post busta etiam colendus*, in Principis Tusciani Ischiuria lethali laborantis cadavere, in quo solæ glandulæ prostatæ ad radicem penis tumefactæ inventę fuerunt, in quo tumore lethalis urinæ suppressio oborta fuit. Cui observationi hanc addere lubet: Vir sexagenario major Pastor noster Gallicus, ex Iallia propter religionem profugus, *L'Enfant* dictus, iter suscepit Rinthelium in via post assumptum Bryhanium incidit in Colicam, quam comitabatur urinæ suppressio, urinam neque catheter flexilis, neque candela cerea, neque optima alia remedia, tùm interna, tum externa balnea aliaque, prolicere poterunt, tandem accedentibus vomitu; singultu momentaneo, & convulsionibus, decimo morbi die placidè moritur. Post mortem, dissecto cadavere, nihil mali in renibus, nisi in sinistro duas pustulas sero limpido repletas reperimus, vesica verò erat instar capitis in immensum extensa, & sanguine feroso referta, glandulosæ prostatæ erant instar pugni tumefactæ inventæ cum maxima duritie, à quo tumore ingenti collum vesicæ, & intestinum rectum ita comprimebantur, ut urinæ & fecibus transitus denegaretur, hinc lethalis hæc urinæ suppressio, nostro judicio, orta fuit. Ex hisce videre est, quod plurium morborum causæ lateant in hisce glandulosis partibus, hactenus à pluribus Medicis malè neglectis. Alium Pastorem eodem modo extinctum aperui, in cujus vesica crassæ, ac quasi purulentæ materiæ inveni libras quatuor, à qua vesica in immensum distendebatur.

OBSERVATIO LXV.

De Atrophia unius lateris corporis.

PUella 7. annorum Mercatoris hujus civitatis Vveizre dicti filia, nunc ab anno atrophia laborare cœpit, & quidem unius lateris scil. sinistri, quod latus ab axillis usque ad calcem ita emaciatum est, ut nihil præter ossa & cutem appareat, altero latere benè & naturaliter se habente, adhibitis spinæ variis topicis & antispasmodicis & internis absorbentibus & sudoriferis, nunc planè convaluit & filia obesa est.

OBSERVATIO LXVI.

De motu Fœtus in utero Matris jam extincti.

IN oppido Lichtenau dicto fœmina gravida in febrem incidit malignam, qua etiam octavo ingravidationis mense exstinguitur, altero die post mortem adstantes cum admiratione observant motum infantis in utero per 12. horas durantem, destituti verò Medico & Chirurgos naturæ sic dictæ omnia reliquerunt adstantes.

OBSERVATIO LXVII.

Ex assumptione xii. granorum Theriacæ Cœlestis mors secuta.

TErtius excurrit mensis, quo miles à Pharmacentices artis studioso dono accepit grana xij. Theriacæ cœlestis, qui colica laborans, ista xij. grana unica vice assumpsit, hinc in contumacissimam incidit alvi obstructionem, & somnum diuturnum, ad alvum reserandam assumpsit altero die purgans ex Jalappa nimis forte, à quo etiam passus est hypercatharsin lethalem.

OBSERVATIO LXVIII.

De Filia urinam per inconsuetam viam reddente.

EX profugis è Gallia filia 12 annorum hìc Cassellis est, quæ clausa habet genitalia, in qua Natura vulgò ita dicta, sibi fabricavit foramen propè claviculas, per quod foramen parvum continuò stillat humor acris, urinæ perquam similis, quam filia semper spongia excipit, alias vegeta est.

OBSERVATIO LXIX.

De Umbilici Gangræna in recens nata filiola.

INfans recens nata vicini mei ob nimis fortem ligationem incidit in gangrænam umbilici, qui jam putrescere, & abdomen inficere incepit. Ego vocatus calidè applicari jubeo spiritum vini camphoratum, cum aqua calcis vivæ maritatum, & linteis quadruplicatis sæpius applicatum, quo remedio Infans ab orci faucibus erepta fuit.

OBSERVATIO LXX.

Vvulnus cor pertransiens non illicò lethale.

DIe 4. Januarii 1684. Ego jussu Serenissimi Hassorum Principis *Caroli*, Domini mei Clementissimi, aperui cadaver Juvenis 25. annorum, sub maxilla dextra intra costam 4. & quintam ab alio, gladio perfossi: Aperto cadavere vidi pectus totum sero & sanguine refertum, pericardium & cor per binos ventriculos perfossum, & tamen Juvenis per 4. aut 5. horas superstes in vita mansit. Alia extant Exempla de vulneribus cordis, per aliquot dies vitam concedentibus.

OBSERVATIO LXXI.

De affectuum Oculorum mira curatione.

EMpiricus quidam omnes ophtalmicos, aliosque oculorum affectus promiscuè curavit feliciter illinitione unguenti sequentis ad tempora, supercilia, imò & verticem applicati; unguentum sequens mihi pro arcano communicatum est: ♃. Butyr. rec. ℥ß. precipitat. rubr. ʒij album. ov. saliv. q. s. Mercurialia egregia sunt remedia in glandularum & lymphaticis affectibus, præprimis in lymphæ stagnationibus, cautè tamen hæc tractanda sunt.

OB-

OBSERVATIO LXXII.

De Exanthematibus Scorbuticis nigerrimis totum corpus defœdantibus.

AD felicem morborum curationem instituendam causarum notitiam perquam necessariam esse, nemo cordatorum Medicorum ibit inficias: quàm verò abstrusum sit hoc causarum scrutinium, Practici mecum sæpiùs toto pectore ingemiscentes experiuntur, ceu hìc quoque casum referam. Puer nonum nondum egressus annum, aliàs sanus, absque ullo præcedente frigore, calore, nullo capitis dolore, aut corporis lassitudine manè surgens totum per corpus lividis, ac nigerrimis maculis & pustulis conspurcabatur, quæ in ipsa lingua, labiis & tota facie apparebant, maxima in copia. Parentes ad me deferunt filium, quem nudum aspexi, mirum dictu dorsum non aliam præ se ferebat faciem, ac si fustibus fuerit dedolatum, interspersis maculis truttæ maculis non absimilibus, unde hæc subitanea pustularum eruptio orta sit, meretur meditationem, puer tamen intra paucos dies antiscorbuticis Medicamentis pristinæ restitutus fuerit valetudini.

Celeberrimus L. SchræcKius l. f. existimat, quòd uti massæ sanguineæ per naturam insunt variæ particulæ, quibus aliæ sæpiùs se jungunt heterogeneæ, quæ tamen arcto connubio sociatæ, & a benignis reliquis quantitate superantibus quasi subjugatæ, placidè per corpus circulantur, ita quamprimùm quacunque de causa excitatæ & exaltatæ secessum ab iis moliuntur, variorum symptomatum causæ fieri possunt: unde in hoc Puero scorbutica labe infecto impuras ejusmodi partes sanguini fuisse permistas, hariolari liceat, quæ sive mole sua nimis adauctæ, spontè a reliquis tandem secedere aptæ, sive à cibo aliquo ingesto, aliave causa externa non ita obvia, aut animadversa commotæ fuerint, dum per corpus cum reliquo sanguine circulum obeunt, ad cutem quoque delatæ fuerunt, in cujus emunctoriolis subsistentes, & coagulatæ maculas istas & pustulas hac sua stagnatione præsentarunt; etenim dum laxiùs sanguini probo cohærent, aeris cutem undique ambientis occursu, aut alia aliqua etiam occasione ab unione cum sanguine divelli, à spiculis suis acidis, quibus turgent, utpote sui juris jam factis, condensari, atque ob hanc crassitiem suam, porulorumque ineptitudinem, quia neque venularum in oscula recipi, neque per insensibilem transpirationem difflari aptæ sunt, sistere ibidem possunt. Inesse autem Sanguini scorbuticorum ut plurimum tale acidum, quod sanguinem coagulandi vi pollet, Medicorum modernorum unanimis ferè est sententia; sic grumosum sanguinem in duobus scorbuticis observavit *SchenKius hist. de sero Sang. cap.* 5. & in Scorbuticis vasa omnia sanguifera chylo coagulato repleta videri *D. Richard. Loverus c.* 2. *de Cord.* testatur. Cùm verò hæc particularum vitiosarum à sanguine separatio, & acidi salis eliquatio vix absque aliqua sanguinis effervescencia accidere queat, mirum, quòd nullus caloris, frigoris &c. sensus antea in puero fuerit observatus, unde si motum hunc sanguinis, nocturno utpote tempore institutum, in somno contigisse, & ita minus fuisse perceptibilem, dicere non liceat, saltem, eam nonnunquum laxiorem cum sanguine unionem fuisse particulis istis heterogeneis dicemus, quæ absque notabili motu dissolvi potuerit, qua ratione etiam variolas & morbillos, quandoque sine alio sanitatis notabili observato detrimento, non advertentibus ægris, erumpere notum est, & hoc ipso tempore apud nos uni alterive sic erupisse scio: quàm levi autem de causa morbosæ ejusmodi in sanguine delitescentes efflorescentiæ sæpè excitentur, experientia crebriùs liquitur. Exempli loco esse poterit Consul. Servestanus, cujus *Phil. Salmuth. cent.* 3. *observ. med.* 28. mentionem facit, in quo pustulas Scorbuticas nigerrimas post nimium vini meracioris potum primum erupisse vidit, & solam per hortum matutinis horis, ineunte vere deambulationem easdem copiosissimas in pedibus Matronæ Nobilissimæ, sine graviori incommodo aliquoties elicuisse memini.

OBSERVATIO LXXIII.

De Tumore Volatili manus.

PUella quinque annorum post variolas in manus tumorem incidit, præscripsi linimentum discutiens ex oleo chamomill. & aneth. dest. quo perungebatur manus. Sed quid fit? peracta inunctione tumor evanuit, & cubitum petit, cubito inuncto, iterum manum jucundo spectaculo infestavit, quod aliquoties repeti curavi, tandem puellæ hydragogum exhibui, quo facto penitus tumor sublatus fuit. Talem Tumorem volantem observavit *Dn. Philippi* in infante 5. annorum filio Dn. Cotrelli, hospitis olim mei, partem capitis sinistram occupabat, magnitudine Castaneam superabat, applicato Empl. de Betonica cum oleo chamomel. altero die disparuisse videbatur, quoad locum quidem, sed in parte opposita, eadem ferè magnitudine, observabatur, sed tandem Empl. iterum imposito evanuit.

OBSERVATIO LXXIV.

De Inunctione Mercuriali infausta.

BArbitonsor quidam inter gregarios *Stolz* dictus militem quendam arthritide vaga laborantem unguento Mercuriali inunxit, & quidem totam spinam, & omnes articulos, a qua inunctione miser miles adeò largam sustinuit salivationem, ut omnes dentes eximere potuerit; dein aliquot post dies accessit Sphacelus terribilis, à quo lingua, gingivæ, fauces, maxillæ, imò tota facies cum maximo fœtore absumebatur, & sic æger tristi certè spectaculo vitam miserè amisit.

Quamvis inquit *Celeberr. D. SchrœKius*, arthriticorum aliquos salivationis Mercurialis beneficio fuisse restitutos, imprimis Dn. Lycei Salani luminabeat. *Guern. Rolfinc. ord & method. Med. spec. comment. lib.* 6. *sect.* 3. *cap.* 1. & *D. Georg. Vuolfg. Vuedelius lib.* 2. *de Medic. facultat. sect* 2. *cap* 12. testentur. Non semper tamen curam hanc conducere posse, atque in arthritide imprimis vaga turgescentibus humoribus, nec corpore satis priùs disposito, plenam esse periculi, nemo Medicorum diffitebitur: unde conferri merebitur casus, quem recenset in *Cent.* 5. *Observ. Medic.* 76. *Nicol. Binningerus*, quibus add. judicium *Francisci De le Boe Sylvii Prax. Med. lib.* 4. *tract.* 8. *§.* 171. & *seqq.*

OBSERVATIO LXXV.

De Partu difficili.

FOemina Civis nostratis Bierman dicti viginti sex annorum, laboravit partu difficili cum alvo adstricta, primò ordinavi suppositorium ex melle, sale comm. & sper. hier. picr. parat. Obstetrix continuò pudendum inunxit pingudine serpent. recent. ol. momordic. remixt. Interim exhibui pulverem sequentem.

℞. *Iecor. & bilis anguillæ exsiccat.* ℥iß.
Cinamomi camphorat. ʒß.
Borrac. Venet. ℈j.
Ol. still. succini,
Cinnamomi aa. gtt. ii.
M. F. pulvis in aq. pulegii & cinamomi una vice exhibendus, & sic feliciter enixa est filium.

OBSERVATIO LXXVI.

De curatione vomitus diuturni.

VIr 76. annorum laboravit vomitu diuturno cum ingenti dolore circa regionem Ventriculi: sequentibus ipsum curavi. ℞. Essent. Terr. Iapon. succini aa. ℨj. Tinct. Anodyn. ℈ij. Misc. detur a gutt. 15. ad 20. in aqua melissæ aut cinnamomi, & singulis manè pulv. absorbent *Vvedelii*. Externè stomachum inungi curavi ol. succin. absynth. mastic. & sic pristinam recuperavit sanitatem.

OBSERVATIO LXXVII.

De Vesicatorii usu in Malignis.

RAro me fefellit vesicatoriorum usus in morbis malignis. Nuper grassante febrè petechiali in Pago HohenKirchen, applicari jusseram duo vesicatoria carpis manuum fœminæ 36. annorum graviter & periculosè decumbentis, paulò post intumuere manus cum inflammatione & livore, sed evidenti cum levamine & symptomatum febris malignę remissione, intra paucos dies spontè cessarunt tumor, livor, inflammatio, ægraque pristinam recuperavit sanitatem. Eundem effectum à vesicatoriis applicatis vidi Deciis in conjuge Domini Bentheim Consiliarii Dicensis morbillis malignis graviter decumbente, anxietates cordis maximas cum metu suffocationis patiente, quæ solis his vesicatoriis ex faucibus mortis erepta est.

OBSERVATIO LXXVIII.

De Memoriæ læsione feliciter curata.

PAstor quidam maximè de memoriæ læsione conquerebatur & auxilium à me petiit, sequentia præscripsi cum summo effectu.

℞. *Spir. sal. Armoniaci lavendulat.*
Salviæ,
Succin.
Aq. Regin. Hung. aa. ℥ß.
M. detur à gutt. 15. ad 20. manè & vesperi in vino Hispanico.

Externè usurpavit Balsamum sequentem.

℞. *Ol. nuc. moschat. expres.* ℨij.
Lavendul.
Caryophyll.
Cinnamom. aa. gutt. xx.
M. F. Balsamus vesperi tantum usurpandus.

OBSERVATIO LXXIX.

De Hydrope Thermis curata.

ANno 1687. cùm Serenissimis meis in Thermis Embsensibus fui, quas Serenissimi sanitatis recuperandæ gratia assumpserunt, inter alios offendi hydropicum, qui acidulas has ad 2. mensuras hausit manè stomacho jejuno & sensit sensim ac sine sensu ventrem detumescere, sanusque redit. Sic legimus in *Ephemer. nostris Germ. Ann. 2. Obser. 218.* Ascitem Thermis Vvisbadensibus curatam in Monacho Bruxellensi 75. annorum, hydropico eundem præstiterunt effectum *Spadanæ aquæ*. In Tympanitide suaùissima mea Conjux Embsensibus Thermis cum levamine usa est.

OBSERVATIO LXXX.

De Scabie retropulsa.

FIlia 7. annorum hujus Civitatis laboravit scabie humida, quæ semel noctu retropellitur & filia incidit in diarrhœam, quam excipit dysenteria nullis remediis cedens, puella moritur. Sic celeberrimus D. *Vvaldschmidius*, qui eodem malo extinctus est, vidit aliquando Virum quendam quadragenarium, diu domi detentum ulcere pedis dextri, qui mali pertæsus illud consolidare curavit, quo facto statim incidit in Dysenteriam lethalem, tanto cum egestorum fœtore, ut vix illum invisere potuerit. Paulò ante obitum prædictus vir excernebat sanguinem putridum coagulatum, parenchyma disruptum repræsentantem. Vidit etiam in Septuagenario ex ulceribus pedibus intempestivè sanatis Epilepsiam, ex scabie sicca retropulsa asthma, & hydropem in Iudæo, ex scabie humida pruriginosa malas deformante, & à Matre ung. exsiccativo curata subitaneam dyspnœam & paulò pòst suffocationem in infante 15. annorum.

OBSERVATIO LXXXI.

De noxa Acidularum.

DUm Schvualbachii ad acidulas, quas recuperandæ sanitatis ergò bibi, commorarer, plures quàm quinquaginta vidi Dysenteria correptos, quorum plures mortui sunt, in promptu causa est. E contra Celeberrimus *Vvaldschmidius* fæminam dysenteria periculosa decumbentem acidulis Schuvalbacensibus curatam vidit, quod inter rarò contingentia numerandum est. Miror certè homines aquam hanc mineralem manè corpore existente calido ita frigidè haurire, ut inde horrorem accipiant, cùm notum sit; quale damnum succis frigus externum inferre potis sit; Nunc non attingam ipsas mineras, quæ sæpè veneni induunt corrosivi indolem: plura hìc exempla adferre possim, nisi scirem doctiores facilè fidem adhibituros esse, potum enim acidularum noxium esse, experientia & ratione instructus facilè docere possum, præsertim ceu dictum ratione, actualis frigiditatis summo manè tanta quantitate infusæ regularem sanguinis, lymphæ & spirituum animalium motum retardantis, cui si adjungamus aciditatem tam Acidularum, quàm ventriculi potantis modum excedentis, uti Melancholicorum, Scorbuticorum, virginum Chlorosi laborantium, quibus tamen præ aliis, à nonnullis Medicis ad obstructiones tollendas, commendatur: Ast redeunt sæpè cavitatibus acidulis adhuc plenis, majori inappetèntia, ructibus ventriculi, Inflationibus colicis, tumoribus pedum œdematosis, imò aliquando nec redeunt sed vitam pro salario acidulis solvunt, quod ferè præterita æstate Consult. Senatori Hanoviensi Carolo Pelsio, ni Deus prospexerit, contigisset, qui Suvalbacum cum aliis acidulas potandi causa petiit ast vix inceperat curam, quin doloribus arthriticis vagis diu perseverantibus, non sine vitæ periculo fuerit obrutus. Causam nobis proponit *Celeberr. Vvaldschmidius* in simili ferè observatione. Saniùs & multò consultiùs, ut mihi videtur, faciunt ii, qui ordinariè pro temperando calore excessivo, ad obstructiones qualescunque aperiendas materiamque Salinam ac Tartaream Arthriticorum, & Nephriticorum resolvendam & eliminandam bibunt per duo vel tria vitra priùs tepidè facta, vel cum vino optimo, sed pauco in mensa, vel à meridie hora quarta mixtam assumunt.

OBSERVATIO LXXXII.

De extraordinariis Vrinæ viis.

VRina sæpissimè haud per naturalem viam, scilicet canalem penis, sed per alia, & quidem extraordinaria nonnunquam loca emittitur. Urinæ per scroptum evacuatę historiam recenset *Thom. Barth. Hist. cap.* 4. Puer per foramen accidentiarum non procul a perinæo à calculo factum minxit teste *Salmuth. Cent.* 1. *Observ. Med. Observ.* 60. Monachus quidam ex suppressione vrinæ non multis diebus post illam per inguina, femora, nates vicinaque loca emisit: *Eustach. Rud lib.* 2. *cap.* 53. Vrinæ excretio per foramen propè testiculos: *Amat. Lusit. cent.* 2. *Cur.* 21 Quidam subtus circa glandis radicem urinam, & semen emisit: *Plater. in Obs. c.* 792. Puella quædam paulò supra Uulvam urinam reddidit. Vrinæ per alvum ejectionem propter vesicæ sphincteris Scirrhum recenset *Horst. S.* 19. *Epist. Med. pag.* 514 Cuidam ex umbilico urina effluxit sine collectione aquæ in abdomine. Vrina per Perinæum, *Dodonæus*: per Femur, *Fallop.* Vrina per vulnus circa sedem, *Galen.* Vrina in puella quadam ex aure dextra, *Plater l.* 3 *Obs.* 735. Vrina ex inguine profluens, *Thom. Barthol.* Sic urinam, ceu supra dixi, observ. ex loco, ubi clavicula dextra, emanantem vidi. Sic urinæ fluxum ad radicem penis in puero Nobili & in ædibus meis in lucem non ita pridem edito observavi, cui est foramen non majus quàm quod saltem aciculam admittit.

OBSERVATIO LXXXIII.

De Tumoribus Glandularum Colli.

PVer pistoris hujus Civitatis diu laboravit tumore glandularum colli, unus ex illis ovi gallinæ magnitudinem æquabat, aliàs sanus erat. Ego præscripsi sequentes pilulas à quibus per temporis spatium assumptis convaluit: ℞. Turbith. mineral. Mynsicht. ℈ß. Theriac. Andromach. ℈j. salis viperarum gr. v. f. l. a. pilulæ pondere gr. 1. assumantur 2. pro una vice.

OBSERVATIO LXXXIV.

De Tussi convulsiva, & suffocativa Epidemica.

HOc anno dum hæc scribo Tusses convulsivæ & suffocativæ nulli ferè medelæ auscultantes adeò divexant, præsertim pueros, ut penè nobis nullum in pharetra supersit remedium. Præteritæ hyemis asperitati, & veris insolitæ inæquabilitati, poros partim stringenti, & διαφόρησιν præpedienti, partim stagnantem ob id lympham acore exaltatam, mitescente aeris intemperie fermentati hactenus adscripserim; hinc diaphoreticorum pectoralibus sociatorum, inter quæ elucent pilulæ catarrhales dictæ, vires per reliquis proficuas fuisse didici.

OBSERVATIO LXXXV.

De Remedio egregio in Lue Venerea.

DOminus Kursnerus Medicus Ordinarius Exercitus nostri, nunc verò beatus, sequens mihi communicavit remedium palmarium in lue Venerea, cujus remedii ʒj. miraculi instar sæpius curavit hunc morbum. Remedium est sequens: ℞. Præcipitat. rubr. ℥ vj. agita in mortario, & lava aliquoties cum aqua rosarum alb & spir. vin. aa. ℔ß. ita ut supernatans pulvis abluatur optimè, remanet tunc pulvis optimus, qui vix dimidiam superabit partem, dein parum exsiccatum pulverem humecta cum spiritus salis gutt. vj. spiritus Sulphuris gutt. iiij. & spiritus Vitrioli gutt. 10. agita, & cum igne exsicca: quod tamen hactenus non probare licuit.

OBSERVATIO LXXXVI.

De Acidorum Medicamentorum operationibus.

ACida juvare puta attenuando, nam duplicis sunt generis *Acida austera*, quæ adstringunt, & acida propriè sic dicta, quæ attenuant & resolvunt mucum; Sic tinctura Vitrioli Mynsichti egregiè excitat appetitum, quia mucum viscidum abundantem dissolvit, qui impedimentum erat. Visciditas est gluten sive basis in qua reliquæ sanguinis pates cohærent, hæc enim visciditas combinat partes sanguinis, ut sit sanguis, reliquas partes sanguis ita connectit, alligat, atque disponit, ut talis mixtura inde exsurgat, quæ vocatur sanguis: Vulgo jam statuitur, omnes morbos oriri ex viscido, quia itaque acida resolvunt, & attenuant, egregii illi effectus Mixt. S. Tinct. Bezoard. in Febribus inde petendi erunt, & acida illa juvare resolvendo vel in febribus patet, in quibus aliquando sitis deprehenditur, non ex defectu seri, sed obstructione ductuum salivalium culpa viscidi alicujus, quæ sitis omnium optimè a liquando levatur aceto aqua diluto, quia acida attenuant, & resolvunt, hinc spiritus salis, nitri, sunt egregia diuretica; Acetum diaphoreticum, compagem, i. e. vinculum sæpiùs laxat, & grumosum incidit, hinc Acetum in grumis sanguinis à casu vel contusione obortis in usum trahitur. Sunt, qui ita excipiunt: Acida, qua acida non devenire ad massam sanguineam sed vel cùm aliis Medicamentis mixta, vel cum humoribus ventriculi & intestinorum maritata sub alia larva ingredi sanguinem, sicque effectus illos non acido, sed novo illi concreto novæ illius texturæ adscribendos esse. Sed levis hæc est exceptio & saltem refugium: Ita enim omnia Medicamenta operari deberent, quod tamen falsum, ut amica, & convenienti textura veniant ad sanguinem. Vinum, panis &c. constant maxima parte acidis, si iis carere debeamus, mox ægri redderemur.

OBSERVATIO LXXXVII.

Motus totius corporis in Puella 12. circiter annorum ex morbillis reconvalescenti vehemens, lumbricis expulsis cessans.

FEbrem intensam & inordinatam, delirium, dolorem colicum, caninam appetentiam, atrophiam, epilepsiam, aphoniam, imò syncopen & cardialgiam à vermibus excitata, aliaque exempla non solum apud *Rhodium*, sed & passim alios fide dignos Authores leguntur, nuspiam verò inveni, vermes tantam tragœdiam exercuisse, qualem in puella 12. circiter annorum in pago Roehshausen ante septimanas aliquot vidi, hæc enim cum morbillis epidemicè hisce locis grassantibus laborasset, & sanitati restituta videretur, de tremore totius conqueritur interpolato, quem sequenti die tàm vehemens universi corporis excepit motus, qui corpus sursum ac deorsum jactabat, quasi omnes partes in medio & infimo ventre contentas disrumpere & divellere vellet, & sanè alvus sine commiseratione vix intueri poterat, motum tunc advenire Puella ex frigore abdominis persensit, afflixit singulis diebus ter, vel quater singulis periodis per duas horas durantibus, sed absque dolore, rationeque salva manente; durante hoc motu decumbit, cessante surgit, benè appetit, comedit, bibit &c. vrina est livida & tenuis. Parentes de hoc insolito symptomate perterriti, & pro veneficio habentes, anxiè remedium cùm à me postulabant, examinatis omnibus antecedentibus circumstantiis & si non levem de vermibus suspi-

suspicionem ex signis cruditatis urina apparentibus atque appetitu vegeto concipiebam, tamen credere, vermes tanti motus causam existere, sed potius pro spasmodico affectu scorbutico, Germanicè *die Scharbockhische Kriebel Kranckheit*, à *Dravitio* in Tractatu suo Germanico *Vom Schmertzmahenden Scharbock* desumpto habebam. Præmissis itaque universalibus mitioribus antiscorbutica nervinis mixta, præsertim verò electuarium contra hûc morbum à Marburgensibus Professoribus anno 1616. approbatum præscripsi. Hisce verò nihil efficientibus, nec notis manifestis scorbuti apparentibus, opinionem meam de Vermibus paroxysmus, puellam jejuno magis & duriùs quàm cibo repleto ventriculo affligens, adauxit, sola ergò Theriaca Andromachi aliquot diebus præmissa infusum sequens purgans manè jejeuno ventriculo assumere jussi, utpotè Rad. Allij, gentian. aa. ℥j. gram. Rhabarb. ver. ℥iß. Fol. Sen. elect. ℥iiß. Zedoar. Zinzib. aa. ʒß. sal. absynthij ℥ij. Scordii, Tanaceti aa. gr. vj. stent per noctem infus. manè coq. lento igne, & col. ℥iiiß. adde specier. diaturb. cum Rhabarb. ʒß. syr. flor. persici ℥vj. Spir. Tartari, Vitrioli aa. gutt. iij. misc. Hoc cum regimine diætæ epoto, lumbricos magna copia, tam vivos, quàm mortuos rejecit, & statim iste motus cessavit. Deo sit gloria.

An verò hic motus à vellicatione membranarum intestinorum per consensum totum nervosum genus & hoc modo musculosas partes trahente, an ex vermibus putrefactis sub specie vaporis ascendentibus, spiritusque animales in confusionem adigentibus: Tuum aliorumque Doctorum judicium expecto; mihi, si licet, posteriorem rationem amplector.

OBSERVATIO LXXXVIII.

Steatoma 12. librarum in fœmina feliciter excisum.

ANno 1681. Mense April. Ioh. Georg. Vogel, Oculista, & qui Herniis per sectionem medetur, vxori Opilionis annum xxvj. agenti, ex pago Castorf steatoma in dorsi juxta spinam latere dextro pendulū, & vas, mensuram vini capiens, adequans, me & Pharmacopœo Hornburgensi Schonemanno præsentibus, feliciter non modò execuit, sed & quatuordecim dierum spatio consolidavit vulnus, ita, ut hæc uxor hactenus ab hoc onere liberata omnibus suis muneribus præesse possit: Referente uxore steatoma hoc triennio spatio in tantam magnitudinem excrevit, antea enim vix infantis minimi caput æquavit, quare etiam tunc tempori excisionem ex metu doloris renuit, tandem verò ipsa oneroso pondere pertæsa ascissionem petiit. Quoad temperamentum erat sanguineo-phlegmatica, obesa, & non macilenta, uti miles iste apud *Scultetum*, de quo ille exemplum habet in *Observ. Chirurgicis*, hincque concludit, quòd excrescentia omne alimentum, quod totum corpus nutrire debuisset, attraxerit: Cui assentire videtur *Platerus*, aliique Viri gravissimi, statuentes, Steatomata ex sanguinis parte pinguiori generari argumento ex macie corporis desumpto; Cùm verò hęc uxor ex hoc steatomate non macilenta facta, sed æquè obesa manserit, alia quàm pinguior sanguinis pars, aut non sola, sed simul vitiosi humores, & quidem serum viscidum & crassum, (quod obstructionem exiguis in spatiis, præsertim ubi arteriolarum extremis finibus excidit, parere aptum est,) pro causa statuenda erunt. Quod verò juxta *Platerum* & ejusdem sectatores, etiam portio laudabilis, & pinguioris alimenti & sanguinis portio simul propellatur, exinde concludo, quòd hoc steatoma duodecim libras circiter pendens multa pinguedine stipatum fuerit. Imò Oculista, ut mihi retulit, ultra libram axungiæ excoquerit. Veterum itaque & recentiorum sententiæ facilè conciliari possunt.

OBSERVATIO LXXXIX.

Vxor ex mensium obstructione in Melancholiam incidens, & ex Lochiorum fluxu puerperio ab hac liberata.

VXor lanionis temperaturæ sanguineo melancholicæ, ætatis vigesimum octavum annum agens, aliàs pietatis & pudicitiæ fama celebris, variis diætæ erroribus indulgens, præsertim adsueta victu crasso, & carnibus, & piscibus infumatis & exsiccatis, caseo veteri, & lacticiniis, quatuor mensibus lunare tributum non persolvens, & universos corpore scabie humida laborans, quidem ex pudore me audire noluit, tandem verò an. 1682. die septimo mens. Martii à me consilium petiit; consului itaque præ omnibus, ut victum mutaret, præsertim verò carnibus salsis & fumo induratis, omnisque generis leguminibus preter hordeum excorticatum abstineret, è contra cibos facilis digestionis eligeret, simulque ordinavi decoctum ex uterinis & aperientibus, cui præmisi purgans, cum digestivo; Sed vxoris maritus magis avarus, quàm indigens, medicamenta à me ordinata præter propter Thalerum Imperialem constantia, tanquam nimis pretiosa uxori emere noluit. Quid fit? uxor mariti avaritiam & animum erga illam animo resolvens & secum reputans, pro ignominia sibi habet, inciditq; in mœrorem & tristitiam, quam quidem primis diebus dissimulat, sed paucis fit tota delira, imaginatur illam esse pauperrimam ideoque nec edere, nec bibere licere, Cacodæmonem apud illam in cubiculo versari, imò in corde residere, jubere liberos suos necare, erga adstantes inquiens: Nonne videtis Dæmonem? Hic est! jam venit, vestimenta dilacerat, & nisi observatur, nuda inter homines excurrit. Maritus conscientia tactus, seu sibi malè conscius, majus malum metuens, nunc culpam agnoscit, meumque auxilium implorat, ægra verò nec cibum, nec medicamenta assumpsit sed omnia respuit, metuens, omnia bona sua devorari; Cùm tamen præsentiam meam tolerare possit, suasi ut cibum aliorum sumptu præparatum amicorum, vel consanguineorum, assumeret, qua persuasione eam eò duxi, ut parum cibi caperet, venæsectionem, (quia medicamentis omninò abhorrebat,) admitteret, cui assensit, venam igitur primò medianam in brachio dextro turgidam, paulò post verò saphenam in pede aperiri jussi, quo facto delirium parum remisit, cùm verò nihilominus menses restricti manerent, nec spes erat delirio medendi, eoque magis cùm planè medicamentis uti nolebat, objiciens, Maritus me, liberos meos sustentare non potest, multò minùs medicata persolvere, nec credere volebat, medicamenta ab aliis, à parente, aut amicis resolverentur seu emerentur, quapropter marito consuli coitum tempore opportuno, quando nimirum delirium parum remisisset, (habebat enim paroxysmus sua intervalla, & interdum fortior erat), cum uxore exerceret, & eam in gravidaret, quod bene cessit, ut etiam gravida facta sit. Tempore gestationis quidem sæpè dixit, Diabolum in ventre se gestare, sed exitus felicior fuit, speique respondit, facilè enim legitimo partus tempore non modò robustum filium peperit, sed lochiis ritè fluentibus ab omnibus prædictis, & enumeratis phantasmatis & delirio, Dei beneficio, liberata.

OBSERVATIO XC.

De Minorativis in Phthisi noxiis.

VXor Domini Pastoris Prescheri ob obitum Mariti in summum incidens animi mœrorem, tussi cum excreatione purulenta, cordis anxietatibus, deliquiis, obstructione alvi, & totius corporis atrophia affligebatur, ad obstructionem alvi 5. dierum

dierum tollendam assumpsit foliorum sennæ ℥ij. & crem. Tartari ℈j. in brodio prunorum coct. exinde quater dejecit, sed purum putum sanguinem, quem & sæpe de die, & quidem altero manè per urinam excrevit copiosissimum, cum cordis anxietatibus & deliquiis: ego advocatus præscripsi Emulsionem ex 4. seminibus frigid. papav. adject. ocul. cancror. corall. &c. exhibita simul Tinct. terr. Japon. & sic cessavit hic sanguinis fluxus. Hìc asterisco notandum est, quod Phthisicis nullum purgans & non quidem minorativum concedendum sit, imò Enemata sunt iis periculosa, prout sæpiùs in praxi nostra animadvertimus.

OBSERVATIO XCI.

De casu quodam Apoplectico.

Illustris, & splendidissimus Legatus Hasso-Cassellanus Dominus d'Orville, olim seroso-sanguineus, nunc verò declinante paulatim ætate ad phlegmatis ἐπικράτησιν proclivis, ob sanguinis ac lymphæ lentescentis stagnationes vice plus simplici hæmoptoen & apoplecticos insultus præteritis annis passus, hodiè quidem satis bellè valeret, nisi ἰχνοφωνία aliqua superstes molesta foret publica inter officii negotia, præcipuè quando Auster obtinet nervis infensus eorundemque fibrillas nimium rigans. Animadvertit quoque luxuri re in & extra vasa phlegmata & ceu infelix succrescere lolium, quibus evertendis nec potus Theæ, nec sputa copiosa, nec humidiores nares, nec denique Pharmacopolin omninò sufficere videantur. Ad Thermas igitur pro potu & balneo confugere animus est, sed anceps hæret assistens Medicus quas inter plurimas eligat. Carolinas quidam mineras satis habet perspectas, novitque cerebro & pectori valdè fore infensas, sanguinem crudum magis stringere, & rigidis suis spiculis lanceolatis cerebro rursum ac pectori esse nocivas, non ignorat salso nitrosas vascula pulmonum ad ἀναστόμωσιν irritare vitriolas & aluminosas cum prioribus lymphę in cerebro stagnanti, aut verò in pectore moranti, incremento esse credit, præsertim quæ talibus spiritibus divites, facilè superiora petunt. Ob easdem etiam causas acidulas his mineris excellentes suspectas habet. Hinc etsi non nesciat, quibus encomiis in libris dictæ lymphæ gaudeant, utpotè magnis virtutibus præditæ, & quantum inter reliquas celeberrimæ per Germaniam acidulæ Svvalbacenses, Thermæve Uvisbadanæ, atque Embsenses emineant effectibus: at quum constitutio supra recensita Illustris, & Excellentissimi Domini Legati longiori ævo dignissimi mereatur maturam deliberationem, utrumque scilicet dictarum lympharum mineris tutò concredi possit, rogat obnixè assistens eidem Medicus secumque candidè suas communicent sententias gratosque nos expectent.

Quæ de Serenissimo Domus Hassiacæ Cassellanæ Legati Illustris & Excellentissimi Domini d'Orville corporis constitutione Vir Magnificus D. D. *Metzgerus divers.* S. I. R. Principum & inclytæ Reipubl. Ratisbonensis Archiater dignissimus scripsit, perlegimus. Equidem tuendæ & reparandæ valetudini aquę minerales multùm pręstant, (quod plurimi pro deliciis, & recreatione illarum usum quærant, negligimus,) & sæpe plus quàm è longo medicamentorum usu in eos redundat emolumenti, qui potu vel lavacro illarum utantur: Hinc Sacræ priscis dictæ, magnificis & sumptuosis ędificiis honoratæ; Ast non sine præmeditatione ex judicio Medicinæ operam dantium, atque cautela, earum usus est instituendus, ne plus offensę & incommodi, abusu, licentia, immoderata victus libidine, administratione contrahatur, quàm emolumenti; quin potius sollicita illarum naturæ, & qualitatis, certæ portionis, & quantitatis, & temperamentorum diversitatis curioso delectu habenda est ratio. Ad Exemplum *Galeni lib. 6. de tuenda valetudine*, τὰ θειώδα καὶ ἀσφαλτώδα ὕδατα, sulphureas & bituminosas aquas, capitibus calidis adversari, στυπτηριώδα aluminosas, angustos reddere corporis motus & stringēdo nocere, alias quę χαλκάνθω pollent, vitriolatas cerebro, pectori nervisque inimicas esse, spectabilis D. D. *Metzgerus* arguit, cùmque nostram explorare sententiam non dedignetur, quasnam inter tot eminentes in vicinia, Uvisbadenses, Suvalbacenses, & Lano-Embsenses putemus convenientes naturæ & affectui Illustris Domini Legati, quarum minoris tutò concredi possit, Embsensem fonticulum delicatula martiali qualitate, (non vitriolata) pollentem pro potu, sicuti in Hæmoptoico Principe bis salutarem experti sumus, & thermas illas sulpureo-martiales pro balneo eligeremus. Maturandum autem erit iter, ultima hac æstatis parte, antequam Austrina aeris constitutio subingrediatur. Deus secundet proposita.

OBSERVATIO XCII.

De Spiritus vini coagulatione.

Nuper cuidam præscripsi ad dolores podagricos sedandos spiritus vini ℥v. & butyr. Antimonii ℨß. altero die ego accedens ægrotum, vidi liquorem hinc planè instar butyri coagulatum.

OBSERVATIO XCIII.

De Iliaca passione.

Nuper fæmina quædam ex Iliaca passione cum diris ventris cruciatibus, cordis anxietatibus, alvi constrictione pertinacissima fœdisque tandem vomitibus subsequentibus defuncta est, patefacto & aperto cadaveris abdomine, & intestinis lustratis, tenuia præprimis sex in locis sphacelo perrupta reperi, ut contenta excrementitia non indurata, sed fluida apparebant, in ipsam abdominis cavitatem promanaverint, ventriculus quoque multis quasi stigmatibus notatus, ac inflammatus erat.

OBSERVATIO XCIV.

De Indorum semine Dotter dicto.

Dominus *Brayn* Materialista Amstelodamensis misit mihi semen aliquod, cui nomen Dotter vel Dattura est, quod innasci solet suffrutici hujus nominis, foliis pyri similibus, fructuque instar solani, semen verò extus cuticula phœnicei coloris obductum est, nucleo intus latente albo, figura instar phaseoli. De hujus seminis effectu idem addit, quod Cl. D. *Geyer. in Eph. G.* addit, quòd nimirum Indorum mulieres adeò lascivæ sint, ut dum aliorum libidini indulgent, ac inserviunt, interea mariti rideant, variè gesticulentur, corrivalibusque omnem morem gerant; Immergere verò solent semen hoc vitro vini, aut alii potui, quem post cœnam propinant, tanquam poculum amicitiæ, & hilaritatis, ubi mirum est, hos non tumultuari, aut grassari, sed pro insigni honore æstimare quicquid proci agant, usque dum nebula ante oculos illis oritur, ac ita obdormiant; semen hoc speciem Sulani esse credit prædictus D. *Geyerus*.

OBSERVATIO XCV.

De Polypo insigni in corde phthisici cujusdam reperto.

Gallus quidam hac in Urbe die 22. Mensis Martii Anno 1688. phthisi defunctus est, cujus cadaveris examini præesse rogatus fui. Sublato sterno pulmones è naturali statu maximè degeneres apparuere, & in pectoris cavitate sex aut circiter plura seri cochlearia fuere reperta. Dexter pulmonis lobus vertebris & costis in ipsarum vertebras insertione adeò validè adnatus erat, ut discissus tantùm ab iis fuerit separatus novacula in istum lobum, qui tuberculis conspersis videbatur adacta, undiquaque pus ab eo effluxit,

fluxit, & ulcusculis scirrhulisque plenus conspectus fuit. Lobus sinister à vertebris solutus existebat, pauci oresque scirrhi, rarioraque ulcera in eo fuere detecta, & in plerisque ulceribus inventi fuere lapilli, aut tophi albi molliusculi. His peractis aperiri jussi dextrum cordis ventriculum, suspicatus polypum quendam in illo contineri, nec fallax fuit suspicio, facta enim apertura, statim in conspectum venit minor quidam polypus radicibus suis in fossulis internam cordis superficiem occupantibus intricatus, deinde crassius quoddam tuberculum carneum sub isthmo in venæ cavæ ascendentis orificio, ubi in cor desinit, sese manifestavit, & finem ejus attingere expetens, cava intra hepatis usque substantiam aperta fuit, tunc constituit, tuberculum istud nihil aliud esse quàm appendicem immanis cujusdam polypi, qui crassitie totam ferè venæ amplitudinem occupabat, & qui jecur subingrediendo in duos ramos dividebatur, quorum crassior in venam portæ sese insinuabat, alter verò tenuior & in plures ramulos fissus, venæ cavæ ramificationes subintrabat. Ad cor reversus, & reserata vena cava descendente, in quam polypus eadem crassitie, qua in ascendente pollebat, tendere videbatur, ad subclaviam usque eum persecutus fui, sed cùm claviculas disrumpere non placuerit, istum molliter educi curavi, & ex illius radicum longitudine coniicere fas fuit, eum per jugulares, & vertebrales venas ad cranium usque exporrigi: in ventriculo cordis sinistro repertus fuit polypus minori ventriculi dextri consimilis, & in venæ pulmonaris in cor insertione duo polypi satis crassi conspecti fuere.

OBSERVATIO XCVI.

Imaginatio in Gravidis ut agat.

Quanta vi agat matris imaginatio in fœtum, innumeris constat exemplis, & quotidiaina confirmat experientia, objectorum externorum à matre perceptorum imaginem tenellis embrionum corporibus imprimi, unumquodque siquidem objecti externi punctum lucis radiis à se reflexis in oppositum oculi punctum agit, iique ad retinam usque penetrantes singulas ipsius fibrillas, quibus applicantur, concutiunt, spiritusque animales in iis contentos in motum concitant. Quum autem ex universis objecti punctis proficiscantur radii lucis, omnes retinæ fibrillæ motum, quem spiritibus communicant, ab ipsis mutuantur, & veram hac ratione objecti imaginem, quæ in retina depingi dicitur; suscipiunt, motus verò spirituum animalium ad cerebrum usque pertransiens, iis, qui ipsum incolunt, communicatur. Quoniam enim objectum vel terrorem incutit mulieri, vel validum ipsum possidendi desiderium in ea creat, inde fit, ut spiritus faciliùs in motum, eumque rapidiorem cieantur; Illi enim qui per nervos ad uterum tendentes in partem istam accurrunt, copiosioresque in eam affluunt, penetrata ipsius substantia fœtum, quorum intimum illi adest commercium, attingunt, & molliusculam ejus texturam subingressi fibras, quas subeunt, agitant, & juxta peculiarem illum motum, quem in cerebro adoptarunt, eas disponunt, similemque iis conciliant ordinem illi, quem obtinebant partes corporis, quod talem determinatum motum in retinæ fibrillis produxit; quòd verò videamus partis hujusce, quam mater cum terrore, aut commiseratione conspexerit, signum in simili fœtus parte imprimi, vel rei à matre flagrante desiderio frustrà expetitæ effigiem pari in fœtus parte, quam mater in proprio corpore contigerit, repræsentari, id evenire videtur ex eo, quod spiritus animales ita determinentur à speciali isto motu, ipsis in cerebro impresso, ut fibrarum partium illarum, quarum similium occasione motum hunc concepere, poris tantummodò adaptari queant in iisque vim suam exercere valeant. Ast, ut ex recenti exemplo nobis patet, nullatenus semper sequitur ut imaginatio, vehementiùs ab objecto quodam commovetur, ad talis objecti signum embryoni imprimendum: Uxor enim N. Scriniarii hic Cassellis commorantis, quum die quadam Dominica autumni decrepiti sacram concionem in Aula frequentans, unum ex liberis ulnis gerens, alterum manu ducens, ad angulum interioris aulæ areæ accessit, liberorum desiderio quasdam aves ibi videndi satisfacere volens, circa illud tempus utero concepit, & post sex septimanarum vel circiter spatium abortum passa fuit, & fœtum avis capite exclusit, quod cùm mihi ab obstetrice eadem die renunciatum fuisset, ad scriniarii ædes me contuli, fœtumque ante 6. septimanas nequaquam conceptum, caput Aquilinum habentem reperii, eumque Serenissimo meo Principi monstravi, qui adhuc in liquore meo conservativo asservatur. Statim à Matre quæsivi, utrum Aquilas in aulæ area attenta contemplata fuisset, an ab illis fuisset perterrita? Sed utrumque negavit, asseruitque se ne ipsas quidem considerasse, nec de illis quicquam liberis dixisse, cui asserto fidem penitus adhibui, cùm mulier ista tardiori crassiorique sit quidem ingenio, quàm sint alii rustici reique tantùm domesticæ sit addicta.

OBSERVATIO XCVII.

De Aquæ frigidæ potus noxa.

Rusticus adhuc juvenis, ac robustus, cùm sub ferventissimo sole, & magni æstus tempestate pluribus diebus messi insudasset, vehemens eum urgebat sitis, ad quam extinguendam frigidissima aqua ex fonte ipso avidissimè epota, intra paucas horas mortuus est.

OBSERVATIO XCVIII.

De infelici Venæ sectione.

Vidimus hac in Urbe Virum, cui cùm ex brachio ab imperito tonsore sanguis mitteretur, & nervum scalpello attigisset, statim secuta nervorum distensio, inflammatio, sphacelus, quæ symptomata ita hominem crudeliter affligebant, ut paucis etiam diebus ægroto vitam eripuerint.

OBSERVATIO XCIX.

De Transfusione sanguinis in Cane.

Quum olim cum Amicis animum subiisset desiderium certa quadam experientia pernoscendi, quid ex transfusione sanguinis exspectari posset, duos canes ad hoc opus instituendum attulimus, eorum unus autem jam vetustior erat, scabie ferè exarescebat, & jam neci proximus videbatur, alter verò junior, hilaris & benè saginatus existebat: ex hoc, qui mox periit, in priorem sanguinem transfudimus, venisque isti religatis in loco tuto ipsum reliquimus, ac post unum & alterum diem, pastu interim ordinario sustentatum, scabie sua penitus liberum, pinguem, corpulentum ac nitidum reperimus. Ex jam dicto exemplo concludi posse nequaquam reputo, transfusionem in hominibus pari cum eventu similique cum fructu celebrari posse: Multa enim ab hoc proposito nos deterrere debent, quum de cute humana tum temporis agatur, non solum enim animalia varia, imò & individua ejusdem speciei sanguinem dissimilem possident, unde indolis, temperamentique varietas maximè pendet; sanguis itaque ex uno animali in aliud transiens, partium poros particulis suis convenientes non reperiens, ea, qua requiritur, facilitate in hujus corpore non circulatur? Sanguis quoque, utut fiat, in transfusionem de motu suo quid deperdit, quibusdam ex tenuioribus ejus particulis indesinenter in transgressu avolantibus.

Maxima contingit quoque in animali sanguinem excipiente spirituum dissipatio, dum proprius effunditur cruor, musculorum, tendinum, nervorum ac membranarum fibræ à Spiritibus, qui tanta, quanta antea, copia,

copia, ob pauciorem sanguinem ad cerebrum delatum non generatur, ut priùs nequaquam distentæ, collabascunt, & subsidunt, quod etiam venis atque arteriis accidit, sanguine multò minori abundantia, tardiorique gressu in iis circulante, istæ autem partes ambientium pressioni resistere non valentes coarctantur, ac constringuntur, nec à novo sanguine adveniente graviori motu ob deperditas, ac nondum recuperatas subtiliores particulas fluente, in pristina dispositione restitui possunt; pauciores gignuntur in cerebro spiritus, ea qua deberet promptitudine, ac copia, sanguine ad cerebrum non delato, quàm ut sufficiant omnibus corporis muniis obeundis. Ea etiam desideratur proportio inter cerebri poros, & recens adventantis liquoris illius particulas, quę ad promptam sufficientemque spirituum filtrationem expetitur: jecoris, renum, aliorumque viscerum, cæterarumque partium glandulæ cum iisdem particulis nullam, aut levem convenientiam habentes, excrementitios, aut etiam pluribus officiis idoneos humores à sanguine vix separare valent, tardiùs etiam ac præposterè peragitur nutritio, tùm ob motum in humoribus nimis lentum, volatilesque in iis deficientes particulas, tùm ob liquorum cum partium poris disproportionem.

OBSERVATIO C.

De Theriacæ Andromachi viribus contra Venenum.

N*Ero* ultimus descendentium ab Æneæ & Augusti genere, sextus *Romanorum Cæsar* factus, Anno ab urbe condita 805. Christi 54. ob helluationem *Mero* dictus, tuendæ sanitati præfecit *Medicum Andromachum Seniorem*, qui inter alia præsidia contra venena, à quibus Reges rarò tuti, Theriacam in omnibus antidotis potiorem excogitavit, & *Sabinæ Poppææ* secundæ Uxori, quam gravidam iratus calcis ictu interemit, quæ pro nitore corporis, ut cutis fieret candidior, & mollior, totum corpus maceravit in lacte asinarum, quarum quæ recenter peperissent, quingentas alebat, unguenta pretiosissima, nulli sumptui parcens concinnavit, Poppæana postea dicta; qualium unguentorum Scrinium auro gemmisque & margaritis pretiosum, inter spolia *Darii* Regis Persarum captum, *Alexander Magnus*, varios ejus usus amicis demonstrantibus, Librorum Homeri custodiæ dicavit, ut pretiosissimum humani animi opus quàm maximè diviti opere servaretur. Vetusti hujus à tot seculis Theriacæ usus adhuc hodiè viget: nuper cuidam clàm porrigebantur grana aliquot arsenici, ab assumpta illicò Theriaca Andromachi absque ullo symptomate æger convaluit.

JOH: JACOBI VVALDSCHMIDT,

Medicinæ Doct. Archiatri Hassiaci, & in Accademia Marpurgensi Medicinæ Professoris Primarii, Physices autem Ordinarii,

ET

JOHANNIS DOLÆI,

Medic. Doct. Consiliarii ac Archiatri Hassiaci,

ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ ΑΜΟΙΒΑΙΑΙ,

SIVE

DISSERTATIONES EPISTOLICÆ

DE

REBUS MEDICIS ET PHILOSOPHICIS,

QVÆ

MEDICINAM RATIONALEM
& Philosophiam Intellectualem,

Nec non Inventa nova, & Experimenta

PHYSICA, ANATOMICA, CHYMICA,

Ut & Libros ab Eruditis hinc inde in Europa nuper editos, aliaque abstrusioris & selectioris argumenti concernunt.

JOH: JACOBI WALDSCHMIDT,

Archiatri Hassiaci, Med. Doct. ejusdemque & Physices Professoris,

EPISTOLA I.

Ad Celeberrimum atque Experientissimum Virum

DN. JOHANNEM DOLÆUM,

Consiliarium & Archiatrum Hassiacum.

Varii argumenti.

Nobilissime atque Experientissime

DOMINE DOCTOR,

Fautor honoratissime.

DE illis, quæ refers, Vir Clarissime, nihil prorsus inaudivi. Neque tamen diffiteri possum, me legisse quæ de Dubitatione pro & contra scripta veterum exponuntur, utinam omnia æquo referrentur animo. Sunt quæ in scriptis Recentiorum omnia placent; sunt quæ displicent, de quibus forte aliàs. Ego pro injuria habeo, si quis me Cartesianum vocat, tum quòd illud plerumque in odium facere soleant, tum quod in verba Cartesii non juraverim, qui nulla ducor authoritate, sic enim aut cœcus forem aut meticulosus. Veritas est quam quærimus, & quæ in apricum producta propria luce, non aliena radiat. Cum reliquis istis quæstiunculis meta physicis nihil quidem est negotii. Nos vivimus sub Magni Principis umbone in hac Accademia tuti & tranquilli, quibus pro lege est *honestè vivere; alterum non lædere; suum cuique tribuere*. Omnibus suprema lex est *Salis Publica*; hanc si promoverit vel *Aristotelicus*, vel *Cartesianus*, vel *Gassendista &c.* perinde erit: cùm uterque suos quandoque patiatur manes. Ego, quod citra tamen jactantiam dixerim, in omnibus meis lectionibus ampla Studiosorum Corona stipatus sum, quas tamen ita tempero, ut libera penes Auditores judicandi maneat facultas. Audio in Accademia vicina Musas sibi gratulari, quòd Professorem *Dn. D. Valentini*, communem nostrum amicum & virum doctum, nunc sint nactæ, sic quò magis premitur Recentiorum Philosophia, eò altiùs assurgit. Et quid quæso ineptius aut sterilius Physica Scholastica? De cætero, vidi illa & legi, Vir celeberrime, quæ de meo Sermone in promotione 4. Medicinæ Candidatorum hoc anno habito te audivisse scribis; ne autem aliud quid forte subesse putes, non me pudebit, ea, quæ tunc memoriter recitavi, publici juris facere, hoc unicum saltem monens, ne extemperantia illa, quæ tunc dixi, pro præmeditata quadam oratione, rhetorum flosculis conspersa, habere velis. Scias quippe, in eodem illo actu & Theologię & Juris Candidatos fuisse promotos, post quos cum ego cathedram conscenderem, vel ex oculis auditorum legere potui, animam esse in patina. Hinc nolui auribus non amplius vacuis majorem exhibere molestiam, sed mutato consilio, rem ipsam statim aggressus sum, his exorsus verbis.

S*Alus, bonor, & argentum, atque bonum appetitum.* Facit indignatio ex justo dolore suborta, ut ludicris his & fere barbaris verbis solennem hunc exordiar actum. Quippe malè me habet, quòd videam, gradum doctoralem, summum istud virtutum præmium, hodie contemptui haberi, & usque adeò viluisse, ut scenici histriones & Sycophantæ non vereantur eum in theatris publicis conviciis proscindere. Si, *Magnifice Domine Rector, Viri Magnifici, Plurimum Reverendi, Amplissimi, Prænobiles, Experientissimi, Nobilissimi, Clarissimi, & quotquot adestis hospites honoratissimi, Tuque lectissima & generosa Studiosorum Corona*, si causam doctoralis majestatis mihi hodie agere liceret, forte dies citiùs deficeret, quàm materia, cum quocunque me convertam, tanta dicendi seges supersit, ut vix explicare possim, quid primum, quid posterius, quid denique disserendum foret. Verùm cùm temporis habenda sit ratio, sequar hodie disciplinam & authoritatem *Areopagitarum*, apud quos olim lege sancitum erat, ne quid fes esset dicere, quod ad rem & propositum non attineret. Hinc statim ea dicam, quæ ad rem attinent, nempe sisti hìc vobis quatuor Medicinæ Licentiatos, Viros, quod bona conscientia contestari possum, doctissimos, in arte Medica satis expertos, peregrinationibus & rerum usu conspicuos, qui cum in Castris Musarum totius fere Europæ militaverint, tandem apertis hodie Palladis portis, non ad Persarum Gazas, aut atria divitis Crassi, sed quod utroque potentius est, neque purpura venale nec auro, ad Majestatem Doctoralem, sive ad summos illos honores, qui in Accademiis in Virtutum, laborum & industriæ præmium dispensari solent, adspirant. Itaque cum solennis mos & consuetudo ferat, ut de ipsorum Candidatorum natalibus, vitæ genere, & studiorum progressu quædam præmittantur, obnixè rogo, ut ea, quæ brevissime dicturus sum, benevolis excipiatis auribus.

Personalia legebantur.

AUdivistis Auditores, quos & quales viros saluberrimæ Medicinæ Candidatos doctorandos hodie vobis in solenni hac sistam cathedra; ne tamen quid omisisse videar, quod ad laudem, decus & splendorem meorum Candidatorum vergere possit, age Tu permagnæ spei Puer, & meo Candidato hìc præsenti publicè propone quæstionem, quo occasionem habeat, suam in dicendo & suavitatem & gravitatem palam ostendendi.

Thematis resolutio.

IGnoscas mihi, Domine Candidate, quòd te interpellem, anima enim jam est in patina, itaque benefacis, quod pedem figas, atque remoram injicias diffusissimis tuis meditationibus: ex ungue leonem cognoscimus, & vino vendibili non opus est suspensa hedera. Ego ad rem ipsam me nunc accingo, atque vos, Mei Candidati, moneo, ut ad Viri Magnifici, hodie munere Pro-Cancellarii fungentis, genua supplices

plices incumbentes *Cæsareæ Majestatis & Serenissimi Nostri Principis*, *Principis ac Domini Nostri Clementissimi*, Concessionem publicè & devotè imploretis.

Hi sunt *Vir Magnifice*, *Patrone Maxume*, qui ad pedes tuos devoluti, per me ea qua par est observantia rogant, velis in Præmium tot exantlatorum laborum ex *Cæsarea & Principali Authoritate*, qua instructus es, potestatem largiri, mihique hodie facultatem, concedere, quatuor hos Medicinę Licentiatos Doctores more solenni & antiquo promovendi. Prçstabis Vir Magnifice, quod Facultas Medica, quod ego, quod mei Cādidati obsequio, cultu omnisque generis officiis demereri studebunt.

Salva res est, mei Candidati, lætamini & vobismet de felicitate vestra congratulamini, atque benevolis his manibus laudum thura accedite. Nunc ordinis jubet ratio, ut juxta Statuta Academica publica ad Sancta hæc juretis sceptra. Itaque Tu Minister Academiæ publice, Virum Te præsta, & consuetam jurandi formulam his meis Candidatis alta & distincta voce prælege, eosque sceptra tangere jube.

Tu alter Vulcanum age, accede focum, fac ut splendeant omnia, jube pueros cum accensis facibus cereis intrare, quod si forte ad ignem hunc incalueris, habebis hodie, quo sitim restinguere possis.

Quod itaque DEO O. M. *gloriosum*, *universæ Reipublicæ Christianæ felix faustumque*, *Academiæ nostræ decorum*, *ægrotantibus salutare*, & *meis Candidatis utile pariter ac honorificum sit*, *Ego Johann. Jacob. Vvaldschmidt*, *Medic. Doct. Serenissimæ Hassiæ Principis personæ Medicus*, *Professor Medicinę in hac alma primarius & Physices ordinarius*, *Promotor ritè designatus*, *ex Cæsarea & Principali potestate à Magnifico Dn. Pro-Cancellario mihi publicè concessa*, *Vos Nobiles*, *Excellentes & Doctissimos Dominos Medicinæ Licentiatos*, & *Te imprimis*

JOHANNEM RUDOLPHUM NEUHUSIUM, Practicum Erlacensem, absentem tanquam præsentem.

Te VVILHELMUM OTTONEM EGGERS, Practicum Vvidenbruccensem, absentem tanquam præsentem,

Te MARTINUM HARMES, Bremensem, nunc Lutetiæ Gallorum viventem, absentem tanquam præsentem,

Te CAROLUM PHILIPPUM LOMBARDIUM Marburgensem,

Saluberrimæ Medicinæ Doctores creo, *facio*, *promoveo*, *creatos*, *factos*, *promotosque in Amplissimo hoc consessu publicè renuncio*, *declaro*, *proclamo*, *ipsisque omnes immunitates & privilegia*, *quibus Medicinæ Doctores per totum terrarum orbem gaudent*, *utuntur*, *fruuntur*, *concedo & tribuo*, *in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*. *Huic individuæ Trinitati sit laus*, *honor*, & *gloria in sempiternum*. *Amen*.

Surgite nunc Clarissimi Neo-Doctores, & superiorem hanc conscendite cathredam, congrua vobis capessite insignia, atque ritus veteribus consuetos sale conditos, lætis oculis usurpate, & in perpetuam rei memoriam benevolis excipite auribus.

Salvete Clarissimi Neo-Doctores, hoc enim nomine ego primus vos saluto. Salvete novi Sanitatis Consulti, chara animæ meæ pignora. *Salve Dn. Doctor* NEUHUSI, *Salve Dn. Doctor* EGGERS, *Salve Dn. Doctor* HARMES, *Salve Dn. Doctor* LOMBARDI. Vocavi vos ad eminentiorem hunc locum, solis Professoribus aliàs dicatum, ut sciatis, vos, qui hactenus ad pedes Præceptorum sedistis, nunc Professorum lateribus jungi, & sublimi hoc stare loco, atque dignos censeri, & ægrotantibus ad lectum mederi, & mysteria Machaonicæ artis viva explicare voce. Alchymistæ sudant & algent pro lapide Philosophico, & bona sua dilapidant omnia pro lapide. Ego hodie magnum vobis ex hac cathedra revelabo arcanum, & ostendam, universalem hanc Medicinam facillimè obtineri posse, si ignem saltem philosophicū possideatis. Verùm hic nullo alio (arrigite quęso aures) ligno accendi ac sustentari, potest, quàm fragmentis & ruderibus Cathedræ, è qua nunquam mendacium fuerit dictum: sed reperire illud, hoc opus hic labor est.

Cingo vos gladio. Non ut persuasum habeatis, dimicandum vobis fore cum hoste, cujus jugulum petere possitis gladio. Dimicandum vobis est apud ægrotantes, quos deplumare potestis, non jugulare: nam plumæ recrescunt, non vita. Neque facienda sunt per mortes experimenta. Oppugnare potestis morbos, non mortem, quæ cum *Behemot* hoc commune habet ex *Jobo*: Cum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit, neque hasta thorax. Reputabit enim quasi paleas neque ferrum, & quasi lignum putridum æs. Ferro tamen opus habebitis, quod enim non sanat medicamentum, hoc sanat ferrum, quod non sanat ferrum, hoc sanat ignis.

Gladio vos cinxi, quia quandoque vita hominis posita est in cuspide ferri; nempe, ubi de venæ Sectione anxiè deliberatur, & ubi in casu præcipiti quo te vertas, aut unde pedem referas, vix cognoscis, & quod in hujusmodi casu accidit, ubi periti ignaris parent, & satiùs æstimatur, anceps experi ri remedium quàm nullum. *Gladio cincti estis*, sed non evaginato, ne crudeles sitis in ægros: beati mansueti & misericordes. Juris-Consulti habent pro Emblemate hominem velatis oculis, in dextra ensem evaginatum, in sinistra bilancem tenentem. Fortene videant, quid imponatur à clientibus: deinde ut ob metum gladii primitiæ largiter persolvantur. Medici sorte sua debent esse contenti, non enim qui parùm habet, sed qui plus cupit, pauper est. Medicus avarus est Medicus Monstrosus. Mentibus vestris obversetur illud Servatoris. Beati pauperes.

Librum hunc videtis apertum. A Jove Principium; deinde consulite Prçceptores mortuos. Plus vident oculi quàm oculus. Latissimum hìc videtis campum, duabus viis distinctum. Dextram calcant Medici rationales & dogmatici, nihil admittentes, quod non clarè & distinctè perceperint. In altera via monstra videbitis horrenda, impostores, agyrtas, idiotas, sacerdotes, Judæos versipelles, crumenimulgos, sectores Zonarios, temerarios carnifices, vetulas, carbonarios, Spazzo-Camino, caculas, lixas, calones, asinos, vultures rapaces, vulpes, lepores. Hi omnes fraudulento utuntur emergendi studio, atque mille artibus excæcant etiam prudentes, ut videntes non videant, audientes non audiant. O quis non exclamabit cum Marcello?

O miseræ leges, *quæ talia crimina fertis*,
O Cæci Reges, *rem qui non cernitis istam*;
Vos quibus imperium est, *qui mundi fræna tenetis*,
Ne tantum tolerate nefas, *hanc tollite pestem*.

Videmini mihi admirari, quod dixerim, dari etiam asinos in Pascuis Medicorum. Ita revera est, & hi quandoque placent, & honorantur à populo, qui stultus honores sæpè dat indignis, imò ægrotis commendantur. Conveniebant olim animantia bruta, ut novum Regem eligerent, communi omnium suffragio sceptra deferebantur Leoni, sola vulpes erat quæ contradicebat, & asinum Regem volebat, eumque miris mactabat laudibus. Lepus adstans, eloquentiæ satis, dicebat, sapientiæ parum: & miror, pergebat, quòd auritum hoc animal tanto extollas encomio, cujus stupor, pigrities, sordities aliaq; vitia omnibus nota sunt. Vulpes subridens respondebat. Inepte; Asinus non meretur, sed opus habet. Vos Clarissimi Neo-Doctores, si videatis asinum commendari, cogitate, Dominus Doctor asinus opus habet: dignus & indignus simpliciter ablativos adsciscunt. Æqua profecto erat judicis illius sententia, qui alii, mulum Medicum de impostura, & ignorantia accusanti, dicebat, si tu non fuisses asinus, nunquam consuluisses asinum.

Nunc *claudo librum*. Ne præjudicium vos fascinet, aut veterum terreat authoritas. Ægri curantur quidem in libris, sed moriuntur in lectis. Datur aliquid in Medicina, quod nec dici nec scribi potest. Applicatio est ad individuum, quæ à crisi dependet: hæc nisi pro fundamento habuerit Physicam recentiorum, experimenta anatomica juxta ac chymica ignis erit fatuus, minus cautos in obvias proiiciens errorum syrtes, è præcipitio actos, ut nusquam detur ampliùs eluctandi occasio. Et in tanti freti jactationibus Cymba intellectus præjudiciis obvelati facilè undis submergitur. Neque enim lyra & vetus cantilena satisfacit: Clysterium donare, postea segnare En suita purgare. *Clausum vobis ostendo librum* quia

quia lectio multorum Auctorum & variis generis voluminum habet aliquid vagum & instabile. Certis ingeniis immorari & innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui ubique est.

Pileos capitibus vestris impono, ne fortè putent, vos esse acephalos. Pileos fertis non cornua, indecorum est Medico ferre cornua: Turpius facere cornua. *Pileos gestatis* in capitibus vestris, quia Domini nunc estis. Sed cum Dominis hoc habebitis commune, bene regnare & malè audire. Tecti estis pileis, quia honore digni estis. Honora Medicum propter necessitatem. Dicunt rempublicam caruisse aliquando Medicis. Sit ita, nonne India hodie & retrò multos ante anns floruit sine Jurisperitis, & Corpus Juris rarior avis est in India auro gemmaque divite, & omnium rerum abundantia felici, quàm Phoenix in Arabia. Vos itaque estis Domini, sed titulo tenus: reipsa enim servi estis, nam inserviendum est tempori; inserviendum est ægrotis; & aliis inserviendo consumimur.

Post pileos, porrigo vobis *Annulum*; Accipite annulum hunc aureum, non rugosam anum, nam post factum pœnitet actum. Apud Romanos Legatis dabantur annuli. Vos ablegati estis ad ægrotos, visuri an pacem, an inducias, cum ipsorum morbis pacisci possitis. Annulus hic inserendus est digito, quo pulsum exploretis. Medici *Sinensis* pulsum tangunt in pectore. Vos Germani estis, consueto itaque more pulsantem tangite venam. Annulum vobis dedi, omnes lineæ à centro circuli ad peripheriam ductæ, sunt inter se æquales. Centrum Stationis Vestræ esto pietas, quæ fons est omnium reliquarum virtutum. Medici ad unum fere omnes pietati student. Leguntur alibi tractatus de fastu & superbia, de conscientia veteri & nova Theologorum: De nequitia Advocatorum: de stultitia Philosophorum: de Medicis nihil, nisi quod de ipsorum religione passim dicatur, Pii enim sunt, quos Deus honorare jubet. Ipsa Theologia manca esset & mutila, nisi medica admota fuisset manus. Cujus quæris? Non *Hermetis*, nec *Hippocratis*, nec *Galeni*, multò minùs *Paracelsi*, aut *Helmontii*: *Lucas* Evangelista est, qui nobis hæc otia fecit, qui toto vitæ tempore & corpori & animæ prodesse studuit.

Nunc Clarissimi *Neo-Doctores osculo* vos excipio: non *Judæ* osculo, qui fur erat & habebat bursam, sed amoris, constantiæ & fidei osculo. Hoc ipso moneo vos, ut sitis concordes, nam vis unita fortior, & concordia Medicorum magni morbi dilabuntur, discordia parvi crescunt. Fide, sed cui, vide. De Medicorum invidia & odio multa dicuntur, sed alios quoque nunc hoc tenet Contagium. Pius *Philippus Melanchthon* tantopere horruit odium Theologicum, ut illud ipsi optandæ mortis causa fuerit. Estote ergò Concordes, nam habebitis inimicitiam, quia Christiani estis, militia hominis super terram. Habebitis inimicitiam, quia Cartesiani estis, nam veritas odium parit. Habebitis inimicitiam, quia Medici estis. Sic mos est horum, *UndancK* in fine laborum: Habebitis inimicitiam, nam figulus figulum & Medicus Medicum. Cætera textus habet.

Sed quid sibi tandem hæ cereæ volunt? dignitatem, splendorem & charitatem vestram innuunt. Vobis enim nunc in Medicorum comitiis tanquam media in luce comparere licebit. Ignis facillimè in vicina transfertur corpora & eundo crescit. Vos Clarissimi *Neo-Doctores* operam dabitis, ut per vos Medicinæ pomœria extendantur, eaque novis undique inventis augmententur. Ignis Solem repræsentat. Medicorum Sol est aurum, hic Sol ut vobis semper oriatur, nunquam occidat precor ex animo, atque longe lateque suos spargat radios. Ad hunc igitur ignem incalescite. Nam dat Galenus opes, dat Justinianus honores: Pauper Aristoteles cogitur ire pedes. Ignis pro pontentissimo habetur Elemento. Vobis pontentissimis quandoque utendum erit remediis, ne videlicet pars sincera trahatur. Verùm ut circa ignis regimen solertia requiritur & vigilantia: ita & vos in curandis morbis estote prudentes sicut serpentes, nec tumidi nec timidi. Neque enim hìc agitur de *Lege XII tabularum*, de *Lege fusia caninia tollenda*, de *Lege falcidia*, de *Lege*, si quadrupes pauperiem fecisse dicatur: Nec agitur de spatiis imaginariis, de entibus rationis, de daraptii felapton, de igne sub concavo lunæ, sed de Corio humano luditur, de igne vitali agitur, qui semel extinctus nunquam recolligi potest: neque enim hìc bis peccare licet. Multa equidem adhuc habeo dicenda, sed ea nunc non potestis ferre, quia venter caret auribus; Et ipsum tempus mihi vellicat aures, mihique imponit silentium. Ignoscite quæso, Auditores honoratissimi, quòd benevolentia vestra & patientia abusus sim. Ego nunc iisdem concludo verbis, quibus initium feci, sed mag is grammaticè positis. Atque Vobis Clarissimi Neo-Doctores ex animi mei sententia apprecor salutem, Honorem, & argentum, atque hodie vestris conviviis bonum appetitum.

D I X I.

HÆ sunt, Vir Celeberrime, Festæ illæ dapes, quas apposui. Utinam ad plurium fuissent palatum. Sed ne penitus excidat, quod primò dicendum fuisset, nolo Te, Vir Celeberrime, latere, quod tuta satis atque fida Experientia edoctus sim, corpus nostrum unico etiam remedio contra quoscunque morbos immune servari posse, neglectis purgationibus, Venæsectionibus scarificationibus, fonticulis, setaceis aliisque vel in ruinam, vel in carnificinam generis humani excogitatis. Et quod majus est, idem illud remedium in curandis Morbis chronicis omnibus palmam præripit; id quod in defluxionibus arthriticis, in Colica desperata aliisque gravioribus morbis (modò morigerum nactus fuerim subjectum,) sæpiùs nunc expertus sum: Hinc si optio daretur, vellem, ut *Serenissimus Noster* submissis nostris precibus gratiosas largiretur aures atque tali præservandi genere semel saltem in habdomada, vel toties quoties se alleviatum sentire vellet, uteretur. Id quod Tecum eo magis exopto, quòd uterque sciamus, à *Serenitatis Suæ* vita vitam & salutem nostram omnemque felicitatem terrenam dependere, qui sine *Principe* jamdudum periissemus. Ne verò arbitreris me obscura loqui, perpende quæso aurea *Magni Nostri Vuedelii*, communis nostri Fautoris, verba. *Si*, inquit, *vulgò tam cordi haberent homines diaphoretica ac purgantia, plurimi servarentur, qui febribus abrepti debitum naturæ ante tempus solvunt. Purgantia enim magis expellunt primarum viarum sentinam. Diaphoretica altiùs penetrant & expellunt heterogeneum sanguinis confusum.* Verùm de simplici hac & rationi non minus conformi quàm naturæ congrua curandi methodo succinctiorem brevi mittam explanationem, unà cum *Chirurgo Cartesiano*, aliquot in Chirurgia detegente errores, hactenus ex ignorantia Philosophiæ commissos. Quem benevolè exceptum iri confido, quòd tot hactenus de Chirurgorum ignorantia & barbarie audiverimus querelas. Meæ Institutiones Medicinæ rationalis lucem videbunt futura hyeme, sed auctæ & elegantiùs digestæ. Erunt fortè post cineres, qui agnoscent, quid pro ægrotantium salute præstiterint Cartesiani, & rationalis Medicinæ Antistites, inter quos Tu, Vir Experientissime, haud postremum promeritus es locum. Ego meis Adversariis nunquam responsurus sum, ne in horas meas fiam injurius, qui eas meliùs locare possum. Plures enim non absimiles sunt *Hemotimi* præceptoribus apud *Lucianum*, qui adversariis eà tribuebant, quæ destruere non foret arduum. Fingunt nimirum ea, quæ facilè everti posse putent, ut sic, si veræ victoriæ compotes fieri nequeant, ejus tamen speciem nanscicantur, & sub vulgari illo, Mundus regitur opinionibus, imperitis imponant. Pueros imitatur, qui sibi ædiculas infirmas construunt, & protinus subvertunt. Interim honori mihi ducam, si super quædam ab amicis benevole monitus, nactus fuero occasionem mea clariùs explicandi, vel scrupulos ipsis subortos amicè & placidè eximendi, id quod jam in dissertatione de morbis aulicis tentavi, & in posterum sæpius facturus sum. Vale, Vir Experientissime, & festinanti calamo ignosce: hæc enim scribo occupatissimus. DEUS Te servet; Dabam Marpurgi die xxv. Junii, Anno 1687.

JOHAN-

JOHANNIS DOLÆI,

Medic. Doct. Consiliarii ac Archiatri Hassiaci,

EPISTOLA I.

Ad Celeberrimum Virum

DN. JOH. JACOBUM VVALDSCHMIDT,

Archiatrum Hassiacum, Med. Doct. ejusdemque & Physices Professorem.

Varii argumenti.

VIR EXCELLENTISSIME.

FIeri ita suevit inter homines honori & commodo proprio nimium studentes, nec omni culpa vacuos, ut invidiæ plusculum cedentes, singulari mentis caligine obruti, summè etiam candidos & criminis expertes falsæ suspicionis mole quandoque admonerent, quam sæse magno adhibito molimine à se devolvere opus habent, & tamen irritum plerumque in fine experiuntur conatum, quum citius noxam quamcunque è pectore proprio, quàm malè licèt fundatam istiusmodi conjecturam ex alieno eiicere norint. Animo proinde generoso temnendum, quicquid lingua minus favens, aut rectoris prudentioris indiga ejaculatur contumeliarum, non nisi in dignis sedem invenientium, in puris verò bulla celeriùs disparentium, & tempus admodum pretiosum utilioribus locandum studiis, quibus Divina laus & publica hominum salus magis promovebitur, quàm amolitione ejusmodi sannarum insulsarum, ad quas præ aliis confugiendi mos est illis, qui veritatis tramitem transcurrendo, in omni fermè rerum futilium & verborum ne cassa quidem nuce compensandorum hæsitant luto. Equidem veritas ipsa hæc cuncta facilè abiget, quæ quo majori mendaciorum & invidiæ prematur onere, semper tamen virtute sua liberata emergit & de hostibus triumphans altiùs adsurgit.

Contumelia temnenda unt.

Nihil penè Sapientum oculis hodie est perspicacius, quàm uti certa adeò cuncta jamdudum reddita sint ex ipsa Dubitatione, quæ antè maximè erant dubia & obscura; sed splendor ille claritatis quorundam oculos potiùs lædit, hinc eundem ferre nescientes, quovis modo eum tentant obscurare, dum in totum exstinguere desperant; verùm impares valde suas etiam hoc in opere advertentes vires, se idem subtrahere coguntur, ne nuditas & fœditas eorum detegatur, quamvis pudore perculsi ægre admodùm ad priorem tenebrarum revertantur foveam, metuentes inscitiam suam fuga ista vulgò sic innotescere, cujus favorem nimio habent in pretio, & quo si destituantur, de gloria & æstimatione sui penitus actum esse. Interea gaudent possidentes, & quorum corda veritas semel illuminavit, nullis minis, nulla vi & contumelia ab eadem divelli possunt.

Dubitatio ad veritatis investigationem utilis.

Non enim ulterius in limine hærent, sed mediante methodo accuratissima à Philosopho nostro per gratiam & adsistentiam divinam porta veritatis semel aperta, plus ultra excurrunt, indies novos fructus ex amœno illo horto carpentes. Stabilita jam sunt Principia solidissima, quod antequam factum, Dubitatione & Inquisitione opus erat, qua veræ Philosophiæ dediti hodie non priùs utuntur, quàm quando ad propositum quoddam nondum satis cognitum & exploratum, ritè examinandum, & ad eruendam veritatem iis se indigere prospiciunt, malunt enim inscitiam suam apertè & candidè profiteri, simul indicato studio impetrandæ cognitionis, quàm superba quadam opinione & intempestivo ignorantiæ pudore proliferos multiplicare errores.

on semper principiis rendum.

Hisce ita depositis ad magis utilia jam revertor, & seriò fateor, mihi monita Tua doctissima de Sudoriferis apprimè placere. Vita enim nostra & sanitas, meo judicio, dependet à regulari circuitu humorum, Sanguinis nempe, lymphæ & spirituum animalium, mors verò ab omnium humorum in omnibus partibus quiete. Valetudo ergo sinistra à circuitu tardiore, vel in quibusdam partibus planè cessante, vel uno & altero humore, vel omnibus simul tardiùs commotis, vel à circuitu humorum nimium celeriore: hinc duò sufficiunt remediorum genera ad omnes morbos vincendos, motum videlicet humorum tardiorem promoventia, & ipsum celeriorem aliquando cohibentia. Primo scopo satisfacere possunt Diaphoretica, motum succorum promoventia omniaque obstacula removentia, quæ sola plurimis sufficiunt morbis, modo studiosè electa ritè applicentur, & ut Tu, Vir Experientissime, optimè animadvertis, peracto sudore pori non tam citò collabantur. Alteri intentioni satisfaciunt acida temperata, quæ motum nimium in quibusdam morbis aliquando compescent. Sic in variolis ac morbillis, in quibus sanguis ab initio impetuosè movetur, novimus nos acidum aliquod temperatum blandum, quod egregias vires obtinet, prout in mille variolosis non tantùm ex fida nostra experientia, sed & ratione comprobavimus.

Vita & sanitas in quo consistant.

Medicus ergò tantùm in affectibus optimam notitiam habeat partium, in quibus circuitus humorum retardatur, & eò incumbat, ut remedium acquirat, quod in partibus mutum humorum tardiorem acceleret; & omnem stagnationem destruat, habebit remedium satis accommodatum, & ad omnium ferè morborum causam immediatam directum. Attendas verò simul ad motum in liquoribus istis nimium, qui acidis temperatis faciliùs ad circuitum regularem rediguntur. Juxta Principia hæc Encyclopædiam meam Chirurgicam curiosis potissimum elaboro, qua post tempus forsitan non adeò longum publicè fruentur.

Medici requisita.

Vero equidem Medico summa est voluptas, omnem impendere operam, qua ægrorum promoveatur commodum, & quantum fieri potest, sanitas illis procuretur, à quovis morborum genere libera; etiamsi id à pluribus nonnunquam sit præstandum Medicis, quos si non semper re & auxilio, verbo tamen & consilio vel orali vel scripto juvabit, utut noverit se non modo à vulgo, sed ipsis etiam illis, quos majori sapientia præditos existimasset, parum gratiæ reportaturum. Vivimus enim & nos iis in temporibus, in quibus non doctis & apertis, sed fucum facientibus agyrtis & ignaris empiricis plurimus honor & maxima præmia parantur. Sed ob nullam hoc videtur causam contingere aliam, quàm quòd paucissi-

Veri Medici voluptas, & cur Empiricis vulgò postponatur.

mi dentur arbitri rem medicam probè callentes, quin ad unum ferè omnes, summi, medii & infimi fucum sibi fieri facilè patiuntur, adeò nemo penè existit, qui se ipsum satis cognoscat, & simplicem veritatem unicè amet. Hinc videmus chiromantas, physiognomos, uromantas, enthusiastas, fanaticos, crystallorum inspectores aliosque hujusmodi augures & prophetas falsos magna haberi in æstimatione, atque Magnatibus etiam, raris & in cœlum quasi pellentibus encomiis, indies commendari, Quo verò magis istos mirantur seductores, eo citiùs; quamvis contrariâ planè voluntate, inscitiam in rebus judicandis profitentur. Quid enim quæso! vir prudens & sapiens, ex lineis in manu, casu in utero fœtui impressis, prædiceret de morbis, sæpe in horas, imò horarum momenta mutabilibus, quorumque causæ interdum in tubulis quibusdam à lineamentis istis manuum quàm maximè remotis latere solent, & figuris præditæ valde diversis prænunciaret? quid de tempore præfixo, quo sanitas amissa recuperabitur? quid de corporis & ingenii robore cum inconstanti fortuna? quid de vitæ exitu & genere mortis soli Deo præcognitis? Adhæc quàm pauca ex urina sint capessenda auguria, solidioribus Artis nostræ præceptis imbutis, & in Praxi diuturniore probè exercitatis satis perspectum est, proinde coram ipso lecto ægroti eandem malunt examinare, quàm eodem longiùs absente. Norunt quippe lotium istud minimo temporis spatio extra vesicam, singularem à variis in aere volitantibus corpusculis subire alterationem, & statum sæpe nancisci longe alienum ab eo, quem in corpore, ubi à diverso quodam æthere massa ista fuit commota, præ se ferebat. Nonne ergo risum movebunt prudentioribus impostores, mixturam illam in corpore ægroti præextitisse asseverantes, quam intuentur in vitro, aut matula, ex qua nil certiùs hauriunt, quàm futurum sibi aurum & argentum, quo miseros mendaciis illis emungunt, unde & meritò auri- & argenti-fugi dicuntur. Ethnicorum hæc quondam damnanda fuit affectatio divinitatis, qua cum Menecrate infatuati, stuporem sibi & venerationem apud ineruditum vulgus, & cum morbis colluctantes miseros conciliare volebant malè licet fundatis istis præsagiis. Utinam cum superstitiosis istis maxima eorum pars ad primum mendacii parentem decessisset, citiùs sanè veritatis splendor illuxisset. Mirantur, qui rem non satis cognoscunt, ea enim probè intellecta & cognita admiratio omnis facilè cessat. Hinc videmus, famam admirabilium illlorum Prophetarum fumo citiùs dissipari, omnesque nimiùm antè illis fidentes prudentioribus non modò, sed infimæ etiam plebi & stolido alioquin vulgo fieri derisui. Optandum foret, ut quilibet suo fungatur munere, & desinat manum in alienam mittere messem, sic in republica cuncta peragerentur rectiùs & tranquilliùs Medicum quidem pium, nec in divino codice hospitem, magis decet in morbis diuturnis aut gravioribus ægrotos suos divino erigere solatio, ad pias disponere cogitationes, & ad constantiam in fide erga Deum hortari, quàm Theologum eidem porrigere medicamenta, & ab anima ad corporis curam descendere siquidem vix percipi potest, Theologum sufficienti pollere notitia omnium in praxi Medica observandorum & cognitu necessariorum. Singulare quidpiam requiritur in Medico praxin feliciter exercituro, & corpora à morbis immunia reddituro, nec minor prudentia, quam in Duce exercitus, mœnia fortissima superaturo & hostes ex Provincia sua ejecturo; quod si Magnatibus esset perspectum, utique Medicum prudentem & vera agendorum notitia præditum majori haberent in pretio, & omni eum auro æstimarent cariorem.

Sapientia Medici unde noscenda?

Sapientia verò Medici non ex magnitudine schedæ, nec ingenti medicamentorum ex Collegio Doct. Michaelis, aut alio in Academiis olim dictato compilatorum farragine, nec ex pretio in gratiam pharmacopœi aucto, censenda aut colligenda est, sed, si verum mihi coram Collega & Amico Medico singulari fateri liceat, quo plura quis medicamenta in una formula corradi fuerit intuitus, eò certius colligat indicium de præscribentis ignorantia; multa enim congessit, ut in tanta copia unum sit vel alterum, quod ei, quod in corpore morbosum existere ignorat, vincendo fortè fortuna sperat accommodatum; quod si clariùs & distinctiùs cognoverit, & simul remediorum vim & efficaciam probè caluerit, vel unicum ex multis selegerit morbo intimè cognito debellando sufficiens. Adeò ut profundior Medici scientia colligenda potiùs sit ex simplicitate medicamentorum, quàm ex eorum copia & magnitudine. Nonne itaque inepti Medici judicandi, qui singulis penè horis varia compilant remedia, ex compositis jam alia præscribunt denuò miscenda & componenda, & fermè omnium specierum formulas in unam maximam comportant. Errant sanè, nec intelligunt morbos, neque vim medicamentorum, aliàs parvulo quodam magnum præstare scirent effectum. Quum verò hi corrasores sua digni sint castigatione, quid de illis censendum? qui, ut majorem & speciosiorem exornent formulam, ægros suos in aliud ablegant tempus, donec ex collectaneis suis evolverint ejusmodi formulam, instar corniculæ Æsopicæ aliorum plumis exornatam, & ad nauseam prudentiorum refertam; interea ne inscitia eorum vulgò innotesceret, nescio quam morbi prætendunt immaturitatem, non priùs superabilem, quàm eo tempore, quo sperant per evolutionem librorum & arcanorum suorum, aut locorum communium pervestigationem ejusmodi receptum, seu formulam inventum aut comportatum iri, qua pharmacopœi favorem, & vulgi ignoti admirationem acquirerent. Sic mundus amat decipi, ad meliorem viam reduci impatiens. Si scirent homines quantum unumquodque corpus differat ab alio, tam ratione texturæ partium solidarum, quam mixturæ fluidarum, eamque notitiam accuratam non nisi à præsenti Medico & singulari mentis acumine prædito, non uno die, sed longiore tempore addisci posse, non adeò facilè se committerent peregrinorum, sæpius eos nunquam intuentium inconsideratæ tractationi. Optanda tandem singulis sanior mens, ut cognoscant, quid sibi usui & commodo sit futurum, atque ab omni se vertant conscientiam onerante temeritate.

Dispur. de Purgantiū è foro Medico proscriptione laudatur.

Legi cum singulari lætitia Disputationem seu Diatribam transmissam inauguralem, in Academia vestra de Purgantium è foro medico proscriptione, nuper cum laude Authoris habitam, quæ apprimè placuit & meritò gratulandum est Academiæ vestræ celeberrimæ, de tot in ea jam detectis veritatibus; toti humano generi summè proficuis, quamvis tota medicastrorum cohors furore agitata torvo vultu veritatem sit inspectura; siquidem idem sibi damnum exinde futurum prævidet, quod Romano quondam contigit Clero; ex deleto per Lutherum Purgatorio. Sanè crumenam habebunt nimis purgatam, & aliorum excrementis minùs impletam, quod minimè illis placebit.

Acidulæ.

Unicum mihi videtur adhuc intimiùs examinandum thema de Acidularum videlicet noxa & abusu; quod si quis effectui daret, magnam utique deportaret gratiam ab iis, quibus sanitas & rerum veritas cordi est. Nimis enim ad hoc etiamnum tempus liberales sunt Medici, in præscribendo & commendando earum usu, qui tamen paucis reperitur proficuus, nec largis de iis factis promissis satisfacit. Ego affirmare cogor, ex pudore propriæ denudandæ paupertatis, & ignorantia certioris & convenientioris præsidii, toties earum usum commendari à Medicis, quibus frequentiores de malis querelæ tandem redduntur ingratæ, proinde ut molestia illa se ad tempus aliquod liberent, ægrotos ad acidulas ablegant, ut quondam Galenus Phthisicos suos incurabiles ad Tabias, ne remediorum congruorum defectus nimis ita pateret. Nequit certè mistura acidularum in venis ita temperari, ut singulis respondeant corporibus, & quàm sæpè mineræ ex inconvenienti mistura, resolutione, sublimatione aut præcipitatione venenosum quid induere possunt, quod quavis fortè hora possibile non semper à Medico, satis aliàs sollicito & prudente, debitè examinari & cognosci potest.

potest, Hinc experimur, quantum viscera eorum, qui ex præscripto Medicorum ad mensuras etiam acidulas potarunt, debilitentur, adeò ut fibræ eorum nullis postmodum remediis ad pristinum & meliorem statum reduci possint, & quàm frequenter pro pauco commodo, quod præstiterunt, gravius longè inferant damnum, pectori imprimis & pulmonibus, quibus omnes ferè acidulæ maximè sunt nocuæ. Accidit id virgini cuidam cætera sanæ, & ob sedentariam solùm vitam tumore pedum laboranti, cui dum Medicus præ aliis ad acidularum commendationem pronus, earum usum injunxisset, tumore quidem per copiosam subsequutam diuresin aliquantum fuit liberata, sed tussim penè perpetuam, feram & phthiseos ferè prodromum contraxit, vix ullis, etiam probatissimis aliàs hoc in casu, remediis corrigibilem. Præstarent ergò, si necessariò desiderentur, acidulæ artificiales, quæ pro diversitate corporum moderari, atque vis earum melius pro causæ, morbi & symptomatum varietate augeri, minui, corrigi & emendari possit, quàm ex tellure sæpius à furiis ignis subterranei agitatæ & motæ prosilientes.

Thermæ.

Minùs noxiæ quidem videntur thermæ, maximè quòd usus earum frequentior sit externus, attamen & hæ ex tempore possent ad quamcunque morborum speciem ex vegetabilibus, mineralibus, aliisque convenientibus parari, quæ minori pretio non modò adhiberentur, sed virtus earum magis esset cognita, nec lateret, quo particularum genere mira earum vis constet Balsamica. Non inconveniens etiam esset thermis hisce artificialibus partem quandam, si absque virium defraudatione ob loci vicinitatem facilè haberi posset, immiscere earum, quæ ab igne centrali è terra propelluntur, sic una pars non modò temperaretur, sed etiam promoveretur ab alia. Cùm enim per vim balsamicam nihil æquè intellectu percipi possit, quàm particulæ blandæ ramosiores oblongis teretibus & flexilibus intermixtæ, quæ angulare quodcunque pungens, scindens, tendens & dilacerans obtundere, inviscare & hebetare queunt, Medico Philosopho facilè est perspectu, ex quibus non modò simplicium generibus istiusmodi thermæ sint componendæ, sed quibus in morbis etiam utiliter adhibendæ. Hoc verò nostrum consilium iis cuditur, quibus non æquè licet adire terras exteras, sed minoribus sumptibus deperditam recuperare gestiunt sanitatem, & rei domesticæ propiùs adesse, cui absque singulari incommodo aut damno sed diutiùs nequeunt subtrahere, interim illis, qui non tam remedium corporeum, quàm mentis aliquam quærunt relaxationem & varietatem locorum, conversationem cum aliis, & quietem à consuetis laboribus, majorique ditati sunt pecuniarum copia, iis liceat quod libet, modò non transgrediantur auream in omnibus observandam mediocritatem.

De Panaceis.

Hęc remediorum cuicunque fermè à Medicis liberalioribus permissorum recensio me deducit ad ipsas Panacæas, quas hodiedum multi jactitant, seque aliis Medicis dogmaticis propter eas præferri cupiunt, singulari sua astutia remediorum suorum arcanorum virtutes examplificantes & simul earum pręparationem & compositionem alto custodientes silentio, ne fraudulenta ipsorum circumventio mũdo erudito ista innotesceret. Firmiter siquidem credendum est, ipsas istas panacæas nihil sæpè æstimatione dignum in se continere, &, si quid præstant commodi, illud vel diuresi, vel diaphoresi perfici, qua virtute præditus Medicus eruditus & expertus, facilè ex communi remediorum sylva aliquod eligere valebit ægri statui præsenti magis proficuum, quàm jactata illa panacæa, minimè sæpè in morbo impotentiam suam contestans, & quàm specioso isto titulo habenda sit indigna, turpiter manifestans. Accesserat ante tempus quoddam, Montis Pessuli Hispanus quidam nobilis & jactator ad Professorum & Medicorum ibi degentium indignationem singulare quoddam venditurus arcanum, quo non modò omnes morbos profligari, sed ipsam senectutem abigi, & decrepitos cum capularibus rejuvenescere thrasonicè nimis promiserat. Senex quidam locupletissimus ostentoriis istis promissis allectus, alium quendam ex ordinariis accessit Medicum, eundemque rogat, Hispanum illum accederet, & variis occasionibus ex eo sciscitaretur, quale genus arcanum suum esset remediorum, qua dosi exhibendum, qua ratione operaretur, quo temporis spatio laudatum præstaret effectum, & similia. Hispanus ille singulari quadam, pro gentis suæ indole, gravitate & superbia ad quævis Medici interrogata respondit: Est arcanum! nec pro qualibet promissa pecuniæ summa vel minimam dosin ejus Medico concedere voluit, semper exclamans: Est nulli communicandum arcanum. Ita sanè remansit arcanum, quod si fuisset reseratum, unico forsitan momento omnibus exutum fuisset gloriis cum pretio, quibus ptæter eventum superbivit. Nihil nisi ignoranti quidpiam est arcanum, idem enim denotat, quod incognitum, sed sæpè detinetur ejus descriptio, aut verum nomen penes jactatorem, ne fraus patescat, quippe si prudentioribus aperiretur, citò viderent, se eodem facilè posse carere, nec promissum præstiturum esse effectum, cùm ab ejusdem possessoribus aurei sæpius promittantur montes, reapse tamen vix præstari possint ferrei.

Præsidio Chirurgica non omnia rejici possunt.

De Chirurgo Tuo Cartesiano brevi publici juris faciendo promissio magna nos erigit spe, multos id eo demonstrandos esse abusus, quibus vulgus Chirurgorum, aut potiùs Barbitonsorum hactenus fuit deditum, simulque planiorem manifestandam viam, juxta quam tutiùs & perspicacius plures absolvi possint encheireses. Non enim putandum, absque ullo discrimine quævis præsidia atq; propugnacula organica in eo[illegible] abjectum, sed concinniora & tutiora aperienda. Morbos siquidem omnes absque instrumentorum & manuum opera, solis medicamentis in quovis subjecto abigere velle, nonnunquam voto nostro minùs respondere, non quidem propter medicamentorum defectum aut impotentiam, sed ipsorum ægrotorum inobedientiam, qui sæpè fortioribus sunt coercendi, & materiæ peccanti ferro vel igne exitus est parandus.

De Setaceis.

Degit in vicinia nostra Chirurgus quidam juvenis prudens & diligens, qui adhibito Setaceo insuperabilem aliàs non ita pridem abegit ophthalmiam. Etenim puer quidam tempus longissimum insigni ex catarrho laboraverat faciei tumore, dextram potissimum partem occupante, cui abigendo à variis Medicis & Chirurgis diversa adhibita fuerant remedia, non omissis etia vesicatoriis majoribus nuchæ & post aures applicatis, at semper irrito conatu, supervenit tandem oculi tumor inflammatorius tam vehemens, ut totus rubore flammeus magnitudinem longè superaverit ovi columbini, cum metu à Medico præsenti habito diruptionis, ægerque nullum penitùs lumen perferre potuit. In ipsa penuria medicamentorum, & desperatione Medicorum de obtinenda curatione, ante dictus Chirurgus, non adeò diu ibi locorum commorans, generoso usu nucham trajecit setaceo, quo mediante materia catarrhosa ab oculo ad foramina tam copiosè fuit derivata, ut intra septem septimanarum spatium, contra omnium spem, æger integrè fuerit restitutus; sed neque omissa fuerunt convenientia topica & interna diaphoretica, verùm æger stragulorum impatiens, eorum operationem perferre nequivit, quare hujusmodi remedio lymphę stagnantis acrioris effluxus erat promovendus. Hęc etiamnum tempore alterum virum sub cura habet, per tempus aliquod claudum, & tibiarum ulceribus cum tumore laborantem, qui cùm à variis antè Chirurgis diversimodè, absque ullo tamen indicio meliorationis, fuerit tractatus, tandem antedicti Chirurgi fama excitatus, ejus curationem expetiit, seque in locum, ubi Chirurgus habitat, deferri curavit, iste verò percipiens ægrum hunc à diaphoresi quavis abhorrere, & quodcunque aliud remedium, etiam dolorificum, manu perficiendum admissurum, statim per femur lateris affecti musculum glutæum majorem Setaceum profundiùs trajecit, funiculo crassitię digiti minimi in summitate æquante subducto, quo facto post dilapsum quatriduum fluxus materiæ peccantis ad foramina ista allectus fuit, & æger statim persensit juvamen, ita ut post pau-

paucum tempus meliùs incidere, pes detumescere sit conspectus, imminuto etiam dolore pedis, quo viso æger proprios lares repetiit, & Chirurgi operam hoc tempore per vices & ferè hebdomadatim solùm experitur. Adeò nonnunquam ægri in morbis rebellibus & contumacibus fortiora efflagitant auxilia, nec Medicorum consiliis æquè sunt morigeri, eaque de causa iidem aliquando coguntur communia admittere remedia, ne materia morbosa accrescat, præsertim quum maxima hominum pars sensuum testimonio nimis sint addicti, ipsoque Thoma Apostolo magis increduli, qui si non semper effectum remediorum oculis videant, & manibus palpent, tam Medico, quàm Medicinæ nullam largiuntur fidem. Sapienti tamen satis est patulum, potuisse prænominatos ægrotos, absque crudelibus istis tractationibus, benignioribus remediis poros aperientibus, lympham acriorem & viscidam corrigentibus, & sensim ad exhalationem disponendo consumentibus curari; sed quum ad meliorem mentem reduci nequiverint, nec suaviori se dignos æstimaverint, fortiori fuerunt pungendi. Fibris enim muscularibus & cutaneis non modò ab instrumento, sed materia etiam æthérea aliena per foramina copiosiùs ingrediente fortiùs ita agitatis, quemvis succum ejiciunt, & vicinos tubulos ad eundem effundendum sollicitant, unde non modò liquor peccans, sed melior quoque liquorum pars effunditur, cui tamen malo præveniri potest, si rivuli isti recto tempore claudantur, & noxia materia restitans aliis convenientioribus remediis per poros apertos eliminetur. In hujusmodi ergo casibus generosiora præsidia chirurgica non omnimodo sunt damnanda aut rejicienda, quare in Encyclopædia mea Chirurgica sedulò observo, ut & istis, necessitate sic postulante, in quibusdam casibus concedatur locus, atque omni prævideatur arte, ne morbi vehementes capiant incrementum.

Incommoda potus Theæ.

Nunc re & occasione quadam ita postulante ad ipsum potum Theæ paucis examinandum hisce devolvor. Invaluit equidem & hic ipsius usus, sed à multis fama sua jam minor deprehenditur. Mihi etiam potus ille adeò frequens suspectus est, propter nimiam quantitatem aquæ, alcali enim, quod herba hæc in se continet, in tam exigua quantitate aquam corrigere vel exaltare nequit. Ab hac ergo aqua non tantum primæ viæ nimiùm abluuntur, glandulæ stomachi & intestinales obstruuntur, vasa lymphatica nimis replentur & distenduntur, hinc prona redduntur ad rumpendum, imò circulatio humorum singulorum impeditur ob gravitatem & lentorem suum, & ob nimiam distensionem vasorum eos vehentium, quin ipsa textura vasorum læditur. Si ratio non placet, en experientiam nostram; nonnullos enim novimus singulis horis matutinis & vespertinis eo potu abusos, mortuos esse hydrope, alios febre maligna, alios, qui lienteria, ictero, affectu hypochondriaco, catarrhis; imò apoplexia & stagnatione aliorum circulantium humorum vexati fuere. Iis autem prodesset hic potus, qui justo largiore mero ventriculum replent, & altero die loco Julapii ipsum assumunt, & sic restinguit acres acidasque sordes à vino illatas; melius tamen substituntur herbæ Veronica, betonica, &c. Est enim vis illa poros aperiens & ad sudorem quendam disponens aliaque, quam Theæ tribuunt, aquæ calidæ potissimùm accepta referenda, sed hæc non omnibus æquè convenire a prudentioribus rectiùs existimatur.

Vocabuli Naturæ penes Medicos inutilis est frequentia.

Tandem cùm experiamur, nihil penè frequentiùs in ore tum Philosophorum tum Medicorum versari ipso vocabulo Naturæ, eique tanquam Deastræ cuidam plurima & difficillima tribui effecta, insimul inter omnes lis adhuc fovetur, quid per decantatum, attamen obscurum illud nomen sit intelligendum, quæritur, an non Medicis imposterum aut planè sit abstinendum, aut saltem rariùs utendum? Experimur enim sæpiùs naturæ illi eadem in acceptis ferri bona, quæ rectiùs ipsi Deo retribuerentur, unà cum debita ipsius laude & divini potiùs, quàm fictæ illius almæ Matris Naturæ nominis celebratione. Ubi enim hæret internum illud agendi, patiendi, cessandique principium? qua ratione fungitur officio suo morborum illa ab *Hippocrate* quondam venditata medicatrix? qua repugnante irrita dicuntur omnia & Medicina nihil proficere; quæ sibi, *Helmontio* ita volente, eligit aptaque conveniantissima; quam furca licet expellas, tamen usque recurrit; quæ non edocta & nullo Magistro usa ea, quibus opus est; facit, agendorum omnium monstratrix optima, sæpè meliora monens & dives opis suæ; quæ quò robustior existat, eò celerior à vulgo expectatur morborum abactio & sanitatis amissæ recuperatio. Nonne vocabulum hoc commune potiùs habēdū operculum, quo plurimi aliis fucum faciunt & suam obtegunt ignorantiam? Dicunt, experientiam demonstrare, non esse naturam in omnibus parem, sed in uno homine fortiorem, in altero debiliorem. In quo ergo consistit fortitudo & debilitas ista? Videmus equidem hominem unum à primo suo ex ovo, aut vermiculo exortu, altero interdum existere robustiorem, sanitate etiam frui diuturniore & à morbis invadentibus citiùs liberari; sed hoc evenire solet ex firmitate fibrarum, quibus partes solidæ in utero sunt contextæ, & corporum fluidorum motu fortiori & constantiori, quo omne noxium & è consortio suo heterogeneum longè à se repellunt, ut proinde ex causis multò solidioribus & clarioribus omnes istæ operationes explicari possint, quàm obscuro illo Naturæ vocabulo, quo adhuc magis redduntur abstrusæ & incognitæ. Interea tamen, quum vocabulum hoc Natura ab ipso verbo *Nascor* derivetur, putamus interdum in communi usu loquendi retineri posse, dum nihil aliud eo intelligamus, quàm specialem quandam dispositionem, quam corpora nonnulla in prima sui generatione nacta sunt ab aliis diversam, respectu fibrarum magnitudinis, soliditatis, earundem ab invicem distantiæ, extremitatum majori vel minori crispitudine & hinc pororum figuræ, amplitudinis aut angustiæ, succorum & spirituum ad motum pronitatis vel pigritiæ, &c. qua ratione *Seneca* inquit: Naturam mutare difficile est, nec licet semel mixta nascentium Elementa convertere. Dummodo parciores simus in ejusdem vocabuli Naturæ allegatione, quàm hucusque factum, possumus enim idem ipsum facilè commutare vel cum nomine Indolis, vel dispositionis, vel constitutionis, vel Microcosmetoris, vel Cardimelechis, Gasteranacis, vel alterius cujusdam, quibus vocabulis in scriptis meis nihil aliud innuo, quàm spiritus præ aliis subtilissimos & exaltatos, diutiùs in tubulis circa fibrulas viscerum quorundam commorantes, sæpè ab aliis Authoribus spiritus insiti nomine indigitatos. Ratio enim nostra facilè admittit, dari discrimen & gradus quosdam inter spiritus sive liquorem nervosum, ita ut per repetitas circulationes rectificatus multò purior, subtilior & ad quemcumque motum subeundum aut actionem in œconomia animali præstandam longè promptior sit æstimandus eo, qui ex massa communi jam primùm egrediatur. A prioris itaque indole participare statuo nominatos nostros Reges, Cartesianorum materiæ æthereæ & mentis imperio promptiùs obedituros, quàm reliquos spiritus nondum ita depuratos.

Crisis in praxi hodierna rarò est avis.

Ad hujusmodi proindè normulam etiam doctrina de rebus Medicis vulgo naturalibus, non-naturalibus, & præter-naturalibus dictis emendanda foret, una cum Crisi, rara nonnunquam in hisce regionibus ave, & in praxi hodierna ad regulas vetustæ traditionis vix observabili. Non enim numerus ille dierum criticorum adeò accuratè est attendendus prout à prioribus factum, aliàs præsagiis nostris nobismet ipsis aut coram ægroto aut coram adstantibus certo certiùs incuteremus pudorem, dum materia morbosa aut citiùs, aut tardiùs moveretur, & vel morbus ipse breviùs decederet, vel diutiùs cunctaretur. Quin *Helmontius* hac in parte sapienter satis enunciat, dum notasse se asseverat, quod nusquam fiat crisis, ubi Medicus artis suæ gnarus morbum ante crisis expectationem sustulerit.

Motus doctrina prioribus utilior.

Adeoque utiliorem credo locandam fore operam in explicando motu, ejusque causa & proprietatibus, & quid illud potissimùm sit, quod è corpore majori decedere quasi visum motum ulteriorem

sistit,

sistit, & in minus occurrens quasi ingrediendo; aut irruendo idem illud ulteriùs propellit; licèt enim multi de motu, primo motore, motu restitutionis, aliisque ad motum pertinentibus multa jam tradiderint, non videntur tamen ista omnia curiosorum mentes exsatiare, quin plura adhucdum desiderantur, quæ si clariùs enuclearentur, res sanè scire desiderantibus præstaretur longè acceptissima atque utilissima. Sed de hisce omnibus veriori Medicinæ deditos clariorem informationem ex *Institutionibus tuis* fidelissimis, secunda vice auctiùs & elaboratiùs edendis facilè impetraturos esse, nullatenus dubitamus, quarum accelerata communicatione orbem eruditum ne diutiùs destituas, quin brevi facias participem, sedulò optamus, seriisque precibus Divinam rogamus benignitatem, ut Tibi numerosissimos adhuc largiatur annos, quo rem Medicam ulterius amplifices & sacratissimam nostram Artem ab omni crimine & errore puram reddas, ad multorum medicis studiis incumbentium emolumentum, & ægrotorum saluti ferum solatium. Faxit hoc Æterna illa Potestas, cui Te, cum integra familia amplissima, seriò commendo. Vale, Vir Celeberrime, & mihi porrò fave. Dabam Cassellis è Museo meo, 14. Calendis Augusti, M.DC.LXXXVII.

JOH: JACOBI VVALDSCHMIDT,

Archiatri Hassiaci, Med. Doct. ejusdemque & Physices Professoris,

EPISTOLA II.

QUÆ IN ORDINE EST TERTIA.

Ad Celeberrimum Virum.

DN. JOHANNEM DOLÆUM,

MEDICINÆ DOCT.

Consiliarium & Archiatrum Hassiacum.

Varii argumenti.

Nonus annus ad conscribendos libros conceditur, at Epistolæ, ut sine mora placeant, festinatione urgentur.

VIR AMPLISSIME.

De Empiricis.

Quod olim *Tacitus* de suis astrologis, id ego hodie rectiùs dixero de Nostris Empiricis: *Tale videlicet genus hominũ semper proscribetur, & semper retinebitur.* Quippe tota die experimur, hos etiam fumivendulos, quãvis unica veritate mille vẽdant incautis mendacia, suos tamen habere patronos & Angelos custodes, qui cum imperitis malint usque clausos tenere oculos, & in ipsa etiamnum luce cœcutire, quam cum prudentioribus omnia ad veritatis amussim examinare, huicque soli litare. Quod quidem malum eò faciliùs patienter ferri potest, quo magis notum est, quòd prioris ævi homines & prædecessores nostri jam ante nos de eo conquesti sint, & quod seri nepotes idem aliquando querentur. Stabit in omne ævum decantatum illud *Mundus regitur opinionibus.* Et homines illi possunt, quia posse videntur; eo enim deventum est, ut qui plus garriat, & qui, ut magnum quid & ἐξωτικώτερον præ aliis novisse dicatur, plura sine fronte effundat, is demum pro viro docto habeatur.

De Purgantibus.

Devenio ad illimitatam purgantium proscriptionem, & statim in limine fateor, me non in omnibus cum laudato disputationis istius, de purgantium è foro Medico proscriptione, quam Tibi, Vir celeberrime, placuisse in tuis ad me datis scribis, Authore idem sentire posse; si quidem ipsi mens fuit ea penitus proscribere, de quo meritò dubito. Sicuti enim ex parte Humoristarum excessus & abusus in exhibendis purgantibus committitur; ita ab altera parte in defectu peccatur, quod omnes ferè claves ad hanc Naturæ portam abscondant. Quapropter tutius esse reor, media hìc incedere via, & neque cum illis omne à purgantibus expectare solamen, nec cum his ad alterum delabi extremum, atque portam illam, quam patulam esse volunt Galenici, penitus occludere, aut ingestis egressum, ope Catharticorum facilitandum, intercludere velle. Vidi librum Doctoris Gehemæ, typis nondum excusum, in quo in omnes Medicos, qui purgantibus, V. S. Clysteribus, &c. utuntur, acerrimè invehitur, contigit mihi etiam felicitas, ut ipso cum Authore haud ita pridem miscuerim de hac re sermones. Enimverò induci nunquam possum, ut ad ipsorum transeam scamnum, qui purgantia promiscuè è foro Medico proscribunt, quamvis plus millies observaverim, ea quandoque plus noxæ quàm auxilii attulisse: Cum persæpe quam maximè necessum sit, ut primæ viæ à sentina liberentur, ne peregrini fermenti indolem nacta plurium graviorum morborum existat causa; ut vel propterea non videam, qua ratione purgantia ex provinciis nostris in totum proscribi possint. Atque extra omnem positum est dubitationis aleam, quòd omnes ferè morbi, si non semper, saltem ut plurimum, oriantur ex repletione: si itaque recrementa primis in viis non satis digesta diutiùs intra publicos hos carceres detineantur, acorem malignum contrahunt, & tùm convellendo, tum distendendo & inflando, intra primæ hujus regionis pomœria varia ludunt dramata. Sin eadem hæc recrementa ad sanguinem abripiantur, unàque cum hoc ad circumjectos deferantur Campos, quæ non tum in sanguine, tum in spiri-

spiritibus animalibus & lympha in circulum eunte excitantur turbæ? Ingestorum quippe ad Sanguinem, & mediante hoc ad omnes partes solidas delatorum copia producit in infantibus epilepsiam, in senibus verò apoplexiam, & in mediæ ætatis hominibus varii generis febres. Malum ovum, malus corvus. Quòd si causa nunc in primis adhuc hæreat viis, quis inficiabitur non licere tunc, imò è re esse, abstergens aliquod atque leniter evacuans propinare? Sin corrupta illa assumpta hanc metam fuerint transgressa, atque ex me scire velis, quid facto tunc opus sit: non habeo quod respondeam, nisi quòd sudorifera commendem, utpote quorum virtutes non in solo ambitu corporis figuntur, sed quæ se ad ipsa intestinorum confinia quoque extendunt, prout in dysenteria plus vice simplici observavimus, in qua vel ex his etiam oris peregrina fermenta ope diaphoretici foràs eliminari possunt. Deinde dandum aliquid erit tempori, necessitati & consuetudini, quæ tantum valent; nisi hypochondriacos faciamus cacare, aut etiam aulicos ob ingestorum in primis viis coacervationem ad frequentiores excretiones invitemus, atque catharticis cogamus eò ire, quò saturi solent, gravissimis quotidie eos exponi morbis videamus: argumento prorsus novo quòd non possimus carere purgantibus. Præterquam enim quod liquamina illa in intestinis coacervata per cœcos meatus humoribus circulantibus commisceantur, aliæ etiam supersunt viæ, nempe ipsa vasa lactea, per quę eadem recrementa breviori manu ad cor deferuntur, & totius sanguinis temperamentum quandoque pervertunt. Quòd si aliud adhuc pro sustinenda purgantium fama expetas argumentum persuasorium, velim ut martialium remediorum habeas rationem; eorum enim usus expirabit eo ipso, quo purgantia de ponte deficientur, cum absque his nunquam in usum tutò vocari possint. Nec ipsa etiam sudorifera, quæ alias omne in Medicina ferunt punctum, firmo satis, proscriptis promiscuè omnibus purgantibus, stabunt talo, nec illorum usus indemnis planè esse poterit, nisi sordes crassiores è primis viis priùs eluttrientur, his enim neglectis sanguis novis impuritatibus, ex intestinali regione quotidie transmissis, contaminabitur, id quod vel infantes testantur, quos alvo solito magis sicca existente, ad unum omnes scabie corripi sæpius expertus sum. Tandem purgantium necessitatem suadent & urgent contumacissimi dolores colici, qui non rarò ob nimium primarum viarum infarctum, & contentorum putrilaginem exoriuntur, & vel ab uno etiam pharmaco, potenter satis & ex voto operante, tolluntur. Neque juvat hìc distinguere velle inter causas morbificas, & inter productum morbosum: vel excipere, contenta illa præternaturalia non semper esse causam, sed utplurimum cruditatis ventriculi effectum, quæ si specificis saporibus aliisque appropriatis & absorbentibus corrigantur, & ipsa morbosa semina destruantur, nullum amplius futuri novi morbi subesse periculum. Hæc enim faciliùs dicuntur quàm præstantur. Et quis negabit, quòd ipsum productum morbosum causæ efficientis tandem induat naturam, quam nisi pharmaco tempestivè exhibito maturè averruncaveris, haud magnam de firmiori valetudine spem concipere licebit. E quibus abundè satis elucescit, injuriam fieri tum Naturæ tum ipsis purgantibus, si ea promiscuè proscribere velimus. Ne autem contradicere videar illis, quæ alibi de purgantium abusu scripsi, omnem puto facilè dirimi posse litem, si ea quidem admittamus pharmaca, quorum virtutes primarum viarum terminos non prevaricantur, & quæ intra hos terminos agitata pensum absolvunt: Cane autem & anguæ pejus devitemus illa, quæ hos limites superant, atque substantialiter massæ sanguineæ confunduntur. Quippe purgatio debet esse excretio quodammodo saltem violenta & coacta, qualem natura sedata cunctanter & ex intervallis instituit. Quòd si omnes rationum syllogas contexam, atque ratiocinationis scrinia excutiam, eò tamen omnia collimare video, duos videlicet purgatoriæ efficaciæ gradus admitti, tertium verò proscribi debere. Equidem præclarè *Uvilisius* tres purgationis medicamentosæ species constituit, quarum prima est, quando propter intestinorum fibras nerveas leniter proritatas; carneæ supra morem solitum paulo crebriùs & strictiùs contractæ, contenta quæque laxiora celeriùs è parte in partem promovent, & demum blanda ἐκκοπρώσει foras ejiciunt: In secunda autem humores quidam alii è poro bilario, ductu pancreatis, & vasorum osculis, à Pharmaco vellicatis expressi unà cum alvi fecibus deturbantur: In tertia denique tum ductus hi vehementiùs proritati, humoris cujusque generis copiam majorem in cavitates intestinorum profundunt; tum insuper è sanguine propter admissas Pharmaci particulas fuso & præcipitato, & per consequens; etiam è succo nerveo, & partibus aliis materies recrementitia ad intestina per arterias delata expurgatur. Prioris generis Pharmacis si destituamur, levis armaturæ milites, imo inopes erimus in fugandis morbis: posterioris autem generis, hoc est, quæ fortiora, calidiora sunt, & agitatoria vi, imò septica prædita, exulare jubemur, & nunquam iis utimur: quo respexisse videtur ipse *Asclepiades*, quando *Auctore Celso lib. 5. in præfatione*, medicamentorum purgantium usum magna ex parte sustulit, & cum omnia ferè medicamenta stomachum lædant, malique succi sint, ad ipsius victus rationem curas suas transtulit. Mallem enim ego quidem alimentis curari, quàm vehementioribus his Pharmacis emaciari, neque enim ut venæ incisæ fluxum, quem superimposito digito mox sistes, si profluvium alvi virulentis Pharmacis excitatum sistere licebit. Quas cautelas eo confidentiùs auditoribus meis inculco, quo magis in propatulo est, Medicum in quovis actu purgatorio fama & existimatione periclitari. His itaque ut consulat, paucioribus contentus sit purgantibus, iisque benignioribus, & quorum vires crebriori experientia sibi perspectas reddidit. Sic *Castellus* Electuario suo diatartari, quo promiscuè usus est, sibi ferè soli inter Medicos Messanenses famam vectigalem fecit.

Remedium antivariolosum.

Sed videor tua, Vir Celeberrime, patientia abuti, quare transitum facio ad Encomium remedii antivariolosi; cujus stupendos effectus si examini subjiciam, vix ac ne vix quidem mihi satisfacere possum: nam locum hìc habere videtur tritum istud, quod experientia quandoque superet rationes, & quod unum experimentum plus valeat, quàm centum rationes. Reperies in opposita hac schedula difficultates contra methodum Sydenhamianam & nostram motas, quas non ita pridem doctissimus Medicus & Philosophus ex Gallia redux, & Bræmam, quæ ipsi patria est, tendens, suppeditavit. Tu Vir Experientissime, in medium consule, atque quid sentias, benevolè mecum communica, ut eò faciliùs nodum hunc Gordium solvere possim.

Aurem mihi vellicat herba Theè; quæ nunc caput suum inter vegetabilia extulit.

Quantum lenta solent inter viburna Cupressi.

Herba Theè.

Referam quæ propriis his meis vidi oculis. Celeberrimus quidam Juris-Consultus febri lymphaticæ & ferinis catarrhis sæpius erat obnoxius; accidebat subinde sputum cruentum cum respiratione difficili & sudoribus nocturnis. Meo ex consilio tandem usus est potu Theè, successu usque adeò felici, ut debellatis hostibus nunc meliori utatur valetudine. Huic exemplo addo aliud. Virgo formosa & pia, diu cum arthritide nodosa, tussi anhælosa, & semiparalysi conflictata, tandem post Thermarum Embsensium usum confugit, me suadente, ad hanc salutis ancoram: nec fefellit augurium nostrum, cùm ab eo tempore mediocriter valeat, & magna demum affulgeat spes, eam ex voto curatum iri. Quibus pensiculatis vix à me impetravero, ut credam, saluberrimum hunc potum fore noxium, sequentibus munitus rationibus. Aqua calida nec qualitate nocet, nec quantitate, nisi fortè jam inveteratæ & contumacissimæ in ventriculi & intestinorum poris præexistant obstructiones. Prius facilè probatur, quia non datur intemperies sanguinis humida, quæ morbi author esse possit. Posterius pari probatur facilitate, quia partes lubricæ & flexiles in majori jam positæ motu, qua data via se diffundunt, & vel per alvum, vel per vias urinarias, vel per glandulas cutis

cutis miliares egrediuntur. Unde infortunatos hos successus, quorum mentionem facis, non tam aquæ calidæ Theisatæ, quam atoniæ viscerum & contumacibus obstructionibus in acceptis ferendos esse existimo.

Scetacea. Grata quoque mente recolo illa, quæ de felicibus Chirurgi cujusdam ausibus recenses. Sic enim quandoque juvat fortuna audaces, timidosque repellit. Optandum utique foret, ut nostrates Chirurgi paulo alacriores essent in setaceis excitandis, quibus ego majorem vim revulsoriam, ut loquuntur, tribuo, quàm cæteris Chirurgicis externis omnibus: tum quod setacea spiritus potentiùs afficiant, & humorum affluxum concitent, tum quod acriori lymphæ perennem & largum concedant affluxum. De Medicina hac efficaci egregiè scripsit D. Franci in Tractatu idiomate Germanico exarato, *vom Schmirzieben*, in quo doctè & nervosè utilitatem hujus remedii commendat.

Natura. Tandem ad Naturam devenio, quam licet furca expellas, tamen usque recurret. Ego per naturam intelligo vel ætherem, à quo omnis, ut ex Physica generali constat, dependet motus: vel accidentium essentialium complexum, quæ sub nomine formæ recentioribus veniunt, motum, puta figuram, magnitudinem, situm, quietem, & à quibus omnes omninò operationes corporeæ dependent. Hæc est illa Natura, quę quandoque criticas instituit despumationes & excretiones. Hæc sola est, quæ assumpta peregrina & heterogenea in sanguine vel subigit, vel foras ejicit, ut rivuli inde diffusi circumjectos rigent campos liquidi, & suas duntaxat trahant undas.

Æther. Natura ducor ad peregrinum ætherem, ad cujus etiam nomen sensuales Philosophi aures arrigunt, contendentes, quando phænomena per peregrinum explicamus ætherem, nos vel qualitatibus occultis parentari, vel eas pristinæ reddere authoritati & existimationi, cum æquè nihil dicamus, atque cum priscis in eodem hæreamus luto. Enim verò maximum, puto, subesse discrimen inter ætherem alius motus, inter ætherem ex alius figuræ & magnitudinis particulis compositum, & inter qualitates occultas, quibus planè nihil dicitur; cum è contra cuivis planum sit & perspicuum, quid sit motus, quid figura & magnitudo; & quilibet facilè intelligat, quòd his variatis ipsæ res varientur. Sed instant, ille peregrinus ęther cujus quæso est motus? cujus figuræ? Resp. alius motus, alius figuræ, propterea fluidum, quod hic peregrinus æther permeat, est alius consistentiæ, alius coloris, alius saporis, alius mixturæ: hoc verò nosse, pro phænomenis his explicandis apprimè sufficit. Possum hæc simili quodam vulgari illustrare. Solvit aliquis centum thaleros; cupio scire an omnes sint imperiales? Est qui respondet, se nescire: & ille hoc dicit, quod illi, qui rem per qualitatem occultam explicant: alter dicit esse thaleros alius monetæ, esse nummos alius figuræ, alius magnitudinis, & ille aliquid dicit, & quod mihi interroganti, sufficit. Notari porro velim, quòd eadem materia quandoque ob solam aliam determinationem dicatur peregrina, & quòd sub diversæ determinationis schematismo diversos planè in liquidorum familiis edat effectus. Si enim supponamus, eam hodie sanguinem nostrum permeasse secundùm lineam rectam cras autem novam accedere, cum determinatione ad motum spiralem, vel secundùm contrarias dimensiones, absolvendum, nemo erit opinor, qui non insignem quandam in sanguine turbationem præsagiat. Et quæ quæso causa est stupendorum istorum effectuum fulminis? nulla profectò alia, nisi alia determinatio motus ætheris, consueto planè contrarii.

Intestina perforata. Sed pecco fortè, Vir Experientissime, fiducia arctissimæ necessitudinis, quam mihi tecum esse vis, quod Soli lucem affundere audeam. Verùm confides amico, quòd hæc non scribam, quasi sublimibus tuis cogitationibus facem præferre velim, sed potiùs ut jussui tuo fiat satis, & lectorum animi varietate argumenti & rationum delectentur. De meis enim nihil ferè habeo, quod oculis tuis dignum esse censeam: non possum tamen, quin tecum communicem, quæ Celeberrimo Domino *Brunnero*, *Professori Heidelbergensi Clarissimo*, & *amico meo singulari*, mecum dividere placuit. Ita ille: Ne autem inanes hæ ad Te perveniant, quem rerum anatomicarum amantissimum scio, en Tibi sequent. observationem: Miles quidam ex Sereniss. milite, 34. annorum, artis suæ cœmentarius, dolere cœpit ex hypochondrio sinistro; mox idem elatius & umbilicus elevari cœpit, qui tandem ruptus fudit vim materiæ fæculentæ, cui intermixtę erant ciborum indigestorum reliquiæ, arilli, atque pomorum, quæ famelicus devoraverat, pelliculæ, quondam vivus exiit lumbricus. Tandem is fatis cessit. Culter sequentia detexit. In hypochondrio sinistro ingens cavitas horida atque putida, materia varia putrulenta, referta, existebat, inde cuniculus ducebat ad hypochondrium dextrum, ubi perforato intestino suo choledochi insertione materia alimentaria effluxit, & in dictam confluxit. Aliquot præterea in locis intestina tenuia perforata colluviem augebant. Sed quod imprimis notari velim, glandulę duodenales ingenti specie superbiebant, majusculæ, quàm aliàs existere solent; infra insertionem ductus choledochi, quemadmodum in aliis, visum subterfugerunt. Hucusque *Brunnerus* Noster. Ego si extra hæc mentis lustrem acie, inflammationem quandam præcessisse auguror, lymphamque acriorem factam hinc inde perfodisse intestina, conjecto, è quibus assumpta paulatim in cavitatem hypochondrii sinistri delapsa tumorem produxerunt. Glandulæ cum nihil aliud sint, quàm congeries vasculorum, ab humorum restagnatione, & quod fortè à contentis, motam in digestoria hac officina non trahentibus, non amplius fuerint pressæ, intumuerunt solito magis. Et dum hæc scribo occurrit memoriæ Casus in juvencula à me notatus. Cœpit hæc febricitare cum summa spirandi difficultate, tandem suborto circa umbilici confinia dolore atrocissimo, vix amplius erecto corpore jacere potuit: hinc incurvata plures per septimanas vitam miserrimè traxit, donec rupto umbilico magna puris fœculenti & stercorei copia plures per dies effluxerit: quo facto dolor cessavit, ipsum verò ulcus imposito Emplastro consolidante tandem coaluit, & ęgra in hunc usque diem benè valet.

Tinctura buri. Occupatus jam sum in præparanda Tinctura Solis. Calcar addidit Celeberrimus *Crugius*, qui hujus aliquot drachmas à Chymico Helmontiano acceperat, eamque coram mihi ostendit cum largo virium encomio. Suspicabar salinum quid subesse, id quod & Celeberrimus D. *Crugius* jam ante me notaverat. Faciam itaque periculum, & præparatam tecum dividam, ut & eam cum Doct. *Crugio*, communi amico, si apud vos adhuc commorabitur, ad experientiæ obrussam exigas. Quòd si res pro voto non successerit, aliqua tamen fortasse laudis pars erit ejusmodi ausis excidisse.

Imaginatio in gravidis. Eo ipso autem, quo sub prælo sudat Epistola, ecce! Tuas accipio literas, in quibus quęris, quomodo in gravidis objecti alicujus horridi imago in fœtum transire possit? Et quare gravida, si hominem parte aliqua mutilatum cum quadam alteratione & pavore intueatur, postmodum in lucem edat infantem eadem parte mutilum? Cui quæstioni ut ex parte satisfiat, fulcimenta quædam priùs ponenda erunt, cùm arduum hoc opus saltem adumbrari, & sublimioribus meditationibus facilius attingi, quàm verbis explicari possit. Itaque observandum erit, (1) quòd fluida imagines rerum facilè suscipiant, sicuti id in machinis hydraulicis, & in aere luminoso, paulo ante speculum existente, videre licet. (2) Quòd stupendum illud flumen animale in nostro corpore ęquè certam aliquam radiationem & cursus formam, hoc est, imaginem, ab objecti & mentis determinationibus suscipiat. (3) Quòd in Visione vera objecti imago in fundo oculi depingatur, & quòd occasione hujus spiritus animales certam cursus formam nanciscantur, ipsi imagini, in oculo depictæ, similem. (4) Quòd inter motus & alterationes matris, & inter infantem in utero contentum adeò arcta sit connexio, ut hic omnibus vehementioribus animi passionibus matris non fine sui periculo sit expositus. E quibus apparet, quòd mens ex

aspectu

aspectu horridi alicujus objecti conquassata, & vehementer afflicta, spiritibus animalibus similem jungat imaginem, sive quòd tunc mirabile illud cerebri & nervorum flumen à mente ad similem cursus formam determinetur, atque totum corpus matris cum appendice, hoc est, fœtu, fulminis instar transeat, huicque ob mollitiem & flexibilitatem partium similem imprimat imaginem. Eenim verò aliquam adhuc superesse difficultatem eminus etiam video, de qua fortè alibi pluribus: jam enim reddit memoria discursum, quem cum quibusdam Aulicis de Errhinorum efficacia habui, quos omnes pyxide nasali pulvere repleta instructos videbis, ut vel inter confabulandum istam naribus admovere possint, quod pro egregio habent capiti-purgio, & mediante quo vel ex ipso cerebro in utile phlegma evocari posse contendunt. Verùm quamvis plenis plerumque velis sese in laudes hujus medicaminis effundant, nondum tamen video, quomodo illud aliquas saltem ipsi cerebro afflare possit vires, vel scorias inde evocare: Cùm primò nares ipso cum cerebro, cranio ceu mœniis cincto, non ita cohæreant, ut ipso ex cerebro aliquid ad nares transportari possit, idque solidis jam dudum evicit rationibus & demonstrationibus doctissimus *Schneiderus*. (2) Agunt errhina tantum glandulosam narium membranam, & ex hac, quicquid humoris ibidem à sanguine depositum est, attrahunt. (3) Illud, quod è glandulis excutitur, non est merum excrementum, sed lympha pro irrorando olfactus organo à sanguine arterioso segregata. Neque enim Natura adeo sordida fuit, ut cloacam juxta alimentorum & vocum portam conderet. Quòd si inde mucus quandoque excernatur, id vitio sanguinis, vel alterationi lymphæ à causa externa factæ dandum. Persæ sanè non malè sputatorem pro vorace & ventrem curante habuere; quo respexisse etiam videtur magnus *Hippocrates in aph. 3. Sect. 7.* dicens: *quibus nares humidiores natura, ii minus perfecta valetudine fruuntur*. Habent tamen Nicotianę Patroni, quibus ostendant, se emunctæ naris esse homines, quippe argumentatur à copia phlegmatis beneficio errhini è capite attracti. Sed falluntur, cùm illud quod rejiciatur, vel corrhini productum quoddam sit, quia glandulæ à spiculis errosivis nicotianæ vellicatæ continuo lachrymantur, atque vel invitę lympham reddunt, quemadmodum oculi lachrymas effundunt, quando festuca illabitur, & humorum affluxus, concitatur à spina infixa: vel est humor aliquis degener jam in glādulis restagnas, è cujus per nares evacuatione parum vel nihil juvaminis cerebro vel sanguini accrescit. Interim dandum aliquid genio, affectui, & consuetudini.

Errhina.

Ex Belgio habeo, quod Dominus Nuck factus ut Professor Anatomię In Leidensi Academia, quo parem in detegendis & monstrandis minutissimis vasculis lymphaticis nulla vidit ætas. Typographus noster & tuam & meam epistolam typis recudet. Dabo itaque operam, ut sphalmata, quæ me absente irrepserunt, in secunda editione emendentur. Audio esse obtrectatores quosdam, qui cùm in realibus non habeant, quod in prima mea Epistola ad Te data suggillent, puerilia quædam obiiciant, & nulla quæ Grammaticam spectant censoria castigent ferula. Nempe à firmiori clavo his pendet Dasypodius, & sub Prisciani larva crassam in realibus occultant ignorantiam. Verùm! mihi quidem non fit iniuria, qui nomina propria in IVS nolui in Vocativo pronunciare in I sed IE, quòd Antiquitatem pro me haberem, & cùm amicus post celebratum actum me de ea re moneret, festivè respondi, me nolle id mutare: imo indecorum mihi fore, si cui concessa esset potestas creandi Doctores, non liceret vocativum majoris Euphoniæ gratia pronunciare in E. *Der nicht Macht haben solte, ausz einem schlimmen* Vocativo *einen guten zumachen*. Nam non sum Vasallus Grammaticorum. Neque etiam in verbis ita curiosus sum, meque legibus astringi patior, ut iis quicquam placere morarer, qui si vel tenuissimam quamvis particulam legerint, quam in ipso Cicerone aut non omnino reperiunt, aut sitam alio periodi loco, quàm quo ipse posuit, Getas denuo & Vandalos, ipsamque Laplandiam in Italiam irrupisse vociferantur. Interim nolo ego illis invidere, si ex his puerilibus quæstum quærere possint, qui abundè satis novi, quòd hi obtrectatores & degeneres Vocativi vix tria verba memoriter latinè proferre possint, Sibi tamen docti videntur, quia nisi quod ipsi sentiunt, nihil rectum putant. Recordor historiæ Boccalini ex Parnasso. Ingens aliquando oriebatur in castris Grammaticorum tumultus, confluxerunt omnes, visuri quid rei ageretur. Ecce Manutius disceptabat cum alio de verbo consumptum, an cum P, an sine P rectiùs scriberetur? Adversarius pervicaciter, contradicebat, & authoritatem rejiciebat. Irritatus his Manutius saxo antiqui alicujus monumenti Romani fragmento, quod inscriptum tenebat consumptum cum P, involavit in ejus faciem, ut miser ille Grammaticus ferè exanimis concideret. Ignosce, Vir Experientissime, quod Te hoc loco detinuerim. Vale! & me Totum Tuum amare perge. Dabam Marpurgi, d. VI. Octobr. An. M. DC. LXXXVII.

Curiositas Grammatica.

JOHAN-

JOHANNIS DOLÆI,
Medic. Doct. Consiliarii ac Archiatri Hassiaci,
EPISTOLA II.
QUÆ IN ORDINE EST QUARTA.

Ad Celeberrimum Virum.

DN: JOH: JACOB. VVALDSCHMIDT,
Archiatrum Hassiacum, Med. D. ejusdemque & Physices Professorem,

Varii argumenti.

VIR EXCELLENTISSIME.

EST in Praxi Medica prudentia & sollicita omnium agendorum exploratio summoperè necessaria, quo certi existamus, nihil à nobis ullibi committi omittendum, aut negligi observandum, sicque nec temerè nec timidè incedendo, ob gesta nostra tranquilla & pacata ubivis fruamur conscientia. Maximè verò tali studio indiget, consilium de instituenda purgatione, qua sinistrè instituta tot sæpe in œconomia animali excitantur turbę & machinæ humanę destructiones, ut magno molimine damna inde contracta postmodum vix resarciantur, sæpe ad ipsum corpora protrudantur interitum. Quamprimùm enim catharticum in corpus assumptum est, remedium dicam an venenum? non est ulteriùs in potestate Medici, illud coercere, aut ità dirigere, ut istud solummodò operetur, quod sibi præsumpsit, sed prout succi in intestinis reliquisque vasis sunt dispositi, & æther noxius pharmaco inhæsit, majores vel minores excitat æstuationes, spirituum profligationes, glandularum erosiones, fibrillarum vellicationes & rupturas, ut periculum inde emersurum longè excedat utilitatem quæsitam. Et quis tanta mentis claritate & acumine penetrantissimo pollet Medicus, ut cujusvis hominis contenta omni tempore, uno eodemque rapidissimo intuitu sufficienter queat rimari, satisque exactè dignoscere, quantis ea gaudeant poris, quales aliarum particularum eosdem occupent anguli, quot ramulis obvolvantur iidem, quantum deficiat phlegmatis, & collectum sit materiæ terrestris? Atque hinc in momento eligat remedium quodvis excedens temperans, corruptum & alteratum corrigens, amissum restituens, abundans imminuens, vitiosum eliminans, hæcque omnia effecta tam brevi det tempore, quo catharticum in corpore trahere conspicitur moram. Sanè quàm inconvenienter vulgò exhibeantur, dum indiscriminatim porriguntur purgatoria hæc impura, commonstrant supervenię̃tia symptomata horrenda, tormina nempe intestinorum immania, nauseæ, horrores hypercatharses, convulsiones, dolores artuum tremuli ustilationes & rubedines faciei, succorum interiorum destructionis, & inde pronatæ acrimoniæ & incendii indices. Quin in quibusdam subjectis etiam fortiora exhibita, nec cujusquam humoris promovent effluxum, sed tormina solùm & flatus procreant molestos à quibus antea homines existebant immunes. Rectiùs proinde agere dicendi sunt Medici illi, qui in exhibendis purgantibus sunt tenacissimi, & difficiliùs eadem ex manibus dimittunt, quàm clavam suam quondam sibi eripi passus fuit Hercules; raro enim iisdem indigemus, cùm quodvis superfluum & fibris intestinorum molestum, correctis & in debitum statum reductis succis vitiosis, à spiritibus corroboratis per vias convenientes ejiciatur. Et quamvis interdum hoc tardiùs procedere videatur, si tamen remediis idoneis materiæ peccanti obviam itur, succi austeri corriguntur, viscidi inciduntur, attenuantur, & intestina rigidiora redduntur lubrica, citra tumultum catharticum alvus adstrictior facilè solvetur. In iis quidem, qui plus ferè quotidie ingerunt, quàm digerunt, saburræ molestæ imminutio habetur necessaria, sed & hic cautè expulsio illa est instituenda, ne fortiori exhibito purgante copia illa fermentata vehementiùs commoveatur, unde non modò impetuosus excitabitur effluxus sed fermenta spirituosa ventriculi & intestinorum antea suppressa, omnimodò jam destruentur & exstinguentur. Fateor, hominum nonnullorum perversitatem nullas Diętæ regulas admittentium, cùm abstinentia & viscerum corroboratione noxam hanc emendare queant, Medicis quandoque extorquere ventrem solventia remedia, quibus à sarcina liberentur, iisque in præcipiti malo annuendum esse, ne retenti humores vitiosi per venas lacteas, reliquasque vias consuetas ipsi cordi & toti massæ liquorum circulantium communicentur: at exempla hæc specialia nullam nobis obtrudant regulam, & nos adeò reddant securos, ut vehementiora propinemus exturbantia, cùm minimè hic adstipuler ipsi *Bonte Koe*, acerrimo aliàs purgantium hosti, in morbis verò à sero abundantiori oriundis eadẽ in longiori dosi dimetienti, siquidem in festinatione ista vix observabitur, quem malignitatis gradum attigerint succi vitiosi, quę peccent figuræ, & quomodo fibræ cum spiritibus sint dispositæ, ob quam obscuritatem diversi hæc remedia sequuntur effectus, & quàm inconsideratè sæpè sint adhibita, exitus tragicè manifestat. Tutior esset via, ut helluonibus hujusmodi serò prohibeatur ingluvies, & ex certis signis, Practicis exercitatis apprimè cognitis, investigetur primariò in visceribus peccans, quo correcto & à scoriis separato, hæ facilè segregentur, & à motu intestinorum peristaltico corroboratis spiritibus ritè procedente commodè excernantur, quod longè aliis, quàm cacatoriis istis remediis vulgaribus feliciter obtinebitur. His tamen sedulò observatis, si nihilominus excernendis mora quędam videatur, ex prudentissima Tua ad monitione liceat mitiora in subsidium vocare alvum ad officiũ redigentia medicamina, a quibus ne minima quidem timenda est noxa, in quorum pro subjectorum diversitate electione tantus sæpè Medicis suboritur labor. Sed quis fidelissimis sanitatis custodibus vetabit, si præfractarios & immorigeros nonnullos omnem à se longè repellentes legem, & luxurie sua putridos in utrem suum cumulando succos, eundem ad disruptionem fermè adinflant, quos nulla mitior juvabit medela, in purgatorium quandoque rejiciant? donec superfluum fuerit absumptum, & residuum expeditiùs in statum convenientem & sanum restituatur; quandoquidem & liberalissimus rerum omnium Creator requisitis ad opus hoc purificationis iisdem largissimè

De Purgatione & purgantibus.

prospexit.

prospexit. Sed quis negabit, quorundam inconstantiam & insatiabilem ardorem habendi, ad eorum classem etiam eadem rapuisse, quæ, si intimiùs examinentur, longè alium in Arte nostra haberent usum, quàm noxias in corpore excitandi turbas? de quibus post hæc pluribus agendi & disserendi forsan dabitur locus. Ad hæc in abundanti sero Diaphoretica potiùs & Diuretica in usum ducenda sunt, quàm alia, citiùs enim innundationes ejusmodi illis absumentur.

De Glysteribus.

Crassioribus verò intestinis ex induratis scybalis si facta si stagnatio, & exitus antè consuetus præclusus, obstructio hæc aut jusculo pingui, cum aliqua cremoris Tartari & salis alcalici portione acuato, aut clystere est solvenda, quamvis posteriores *Helmontio* pudendum vocentur medentum subsidium.

De Venæsectione, ejusque infelicis institutione in gravida.

Venæsectionis omnimoda præscriptio, minùs mihi videtur commoda & è re fore ægrorum, quàm purgationis, toties enim salutarem ejusdem ipsis hisce nostris oculis conspeximus usum, maximè in sanguinis stagnatione pleuritide, mania, apoplexia, corporis consumptione ex nimia succorum acrimonia & æstu, tum etiã si aliter fieri nequit, ut massæ sanguineę constitutio nobis fiat conspicua. Attamen, quamvis non semper tanti æstimemus quorundam hæmophobiam inanem, pretiosus hic vitæ thesaurus in quovis ægrorum non est inconsideratè effundendus & canales ejus pertundendi, sed remediis idoneis minori cum virium defraudatione causa noxia in succis & sanguine occurrit averruncanda. Nonnunquam in casu præcipiti nequicquam alterius remedii insinuari potest, & ad solam venæsectionem, tanquam salutare aliquod fugiendum asylum. Sic ante tempus quoddam non adeò longum in Principe Serenissimo Darmstadino magno cum sanitatis emolumento ea hìc locorum celebrantur, isque ex orci quasi faucibus felicissimè eripiebatur. E contra nuper suasu Chirurgi gravida & quidem plethorica, vulgò sic dicta, medio gestationis tempore venæsectionem instituit, quæ fœmina sexto mense abortivit, & infans erat emaciatus & sphacelatus. In hac sanè venæsectione sanguis & reliqui liquores nimium fuere commoti, & fœtui debitum subtractum nutrimentum, unde gravidis ista sanguinis eductio medio tempore non semper est commendanda.

Sphacelus incipiens in tibia ex lapsu graviore consusa.

Sequens hac currente septimana hic contigit casus. Uxor civis hujus urbis de scala in terram ruit, & infra genu musculos omnes cum nervis laceravit usque ad os; ex vulnere forsan ob terrorem nulla prodiit sanguinis guttula, Chirurgus deligat vulnus more solito, quarto verò è vulnere die, ægra nullum in tibia percipit sensum, pes quoque flavescere incipit: Ego accersitus ob instantem sphacelum locum scarificari, curavi, hinc adhibitum fuit decoctum calcis vivæ cum spiritu vini Camphorato, sed absque levamine, tandem cataplasma ex scordio, carduo benedicto, semine lupinorum & camphora paratum calidè applicatur, à quo cataplasmate illicò sensus & vita partis redibat, & sic ęgra simul exhibitis internis sudoriferis, ad statum longè meliorem disponebatur. Absque dubio hoc in casu, ob nervos laceratos succi subtilissimi partes reliquas influere nequiverunt, & hinc motus & sensus fuit privatio. Sphacelus enim nihil aliud est, quàm mortificatio carnis, uti cancer est mortificatio glandularum, & caries ossium: vasis enim magis discissis necessariò talis mortificatio oborietur. Equidem omnes totius machinę nostrę partes continuo sanguinis & succorum effluxu & refluxu gaudent, à quibus si destituatur, pereunt.

Lactis excretio per os.

Enumerandum nunc casum, quem mihi communicavit Medicus Celeberrimus, Dn. D. J. V. *Googmade*, Practicus Lugduni Batavorum felicissimus, Tibi pro communicata observatione Anatomica reddere placet, ut tuum, Vir Experientissime, de eo aperias judicium, cùm inter casus rariores, me arbitro, meritò numerari posset. Prætoris alicujus uxor, in vico N.N. cùm gravida facta esset, puero suo adhuc lactante, necesse habuit ablactationi operam dare. Accidit illo tempore, ut mamma dextera ad vesperam cum dolore plurimum tumeret exsuctricis negligentia, nihilominus tamen in lectum sese contulit; quid sequitur? manè mamma prorsus detumuerat, lactè in os copia prosiliente. Quarto gravidationis mense cùm malum perduraret, à Celeberrimo Dn. D. J. V. Hoogmade Consilium petit, aliorum Dn. Dn. Medicorum auxiliis incassum adhibitis. Ille verò judicabat, quoniam patiens fatebatur, se sine incommodo scaturientem illum lactis laticem facilè deglutire, curam posse differri, idque sine noxa cùm lac in nutrimentum abiret, & haud facilè posse hunc rivulum absque novi lactis productione, tutò derivari, exsiccarive, quod tamen vero similiter, uberibus lac de novo fundentibus, sponte sua secuturum. Præterquam quod incrassantia, acida, austera, terrestria, quæ imprimis è re forent, prægnantibus sine metu exhiberi nequeant. Verò minus absimile videtur, tubulis & sacculo lacteo materia consueta ità repletis, ut nullum ulteriùs à glandulis secretum liquorem suscipere valuerint, unà cum sero è communi massa per arteriolas ad glandulas, pro faciliori per eas præstanda filtratione, delato copiosiorem, chylum, lactis, materiam proximam, à vasis lymphaticis fuisse receptum, & per ramulos quosdam salivales in os ipsum delatum, idque eò promptius, quòd serum intermistum per consuetos suos ductus chylo patulam reddiderit viam, hicque per accommodatum illum transitum copiosiùs adfluxit, & sputatione largiori fuit excretus. Mammæ verò eo facto citò detumuerunt quod lac in tubulis diutiùs antè retentum mora ista aliquantum fuerit commutatum, assumpta quadam acrimonia, seu sublimatis particulis acutioribus, & regressum è sacculo lacteo circa papillas existente per tubulos glandulas repetierit, ex iis verò in vasa antedicta fuerit ablegatum, cùm verò liquor hic crassior fuerit, quàm lympha secretior & purior, ejusdem emissio sine aliquali fibrarum ductus ipsius & membranarum adjacentium distentione peragi nequivit, unde dolor iste in excretione lactei ipsius liquoris per os, à fœmina illa perceptus, suos acquisivit natales. Imminuta ità aliquantùm copia, residuum per venas ablatum, & tandem, ad uterum ipsumque fœtum pro ipsius nutrimento fuit reductum. Sic nobiscum sentit Celeberrimus Dn. D. J. V. *Googmade*, cujus ideo literas, quas haud ità pridem de hoc casu ad me dedit, apponere placet.

JOHANNI DOLÆO

Ἀρχιατρῷ,

J. V. HOOGMADE, M. D.

S. P. D.

Quamprimum per ornatissimum, & ob morum elegantiam mihi jucundissimum Virum Iuvenem Dominum KURSNERUM *intellexi, expositionem communicati casus, nimirum excretionis lactis per os, desiderari, nolui ullum officium in me claudier. Quamquam probè sciam, nihil à me posse proferri, quod tibi Viro omni scientiarum genere excultissimo, notissimum non sit. Documento est nupera tua* ἐγκυκλοπαιδεία, *ad quam cum reflecto,* τί πρῶτον, τί δ᾽ ἔπειτα, τί ὕστατιον καταλέξω; *sive enim advertam mentem ad tuam mira elegantia, tam antiquorum hodiernorumque, collectam theoriam & praxin, quàm propriam utriusque adjectam doctrinam, necesse est me omnia ista tua suspicere. Desinam ergo ne videar laudes tuas deterrere. Ad casum quod attinet, primùm notari velim, lac, quod naturæ lege in mammis lactantium ope glandularum secernitur, in non lactantibus per vasa lymphatica reduci, aut in sanguinem, aut in ductum chyliferum, aut in cavitatem aliquam corporis nostri ad illam humectandam. Minus enim est quod illo tempore secernitur & qualitate tenuius. Ratio est, quòd vasa & glandulę mammariæ ob notas causas minùs turgeant. Hisce positis, suspicior in hoc casu, cùm lactis copia mamma turgeret, lac per ductum lymphaticum sibi viam fecisse, & in ore sese exonerasse. Hæc mea est opinio, si tibi Medicorum Principi placebit, summè gratulabor, sin minus, in spongiam incumbat, aut minitatulis tuis*

ceris no etur etiam atque etiam rogo. Vale Vir Celeberrime καὶ τὸν φιλοῦντα ἀντιφίλει.

Dabam Lugduni Batav. XII. Novembr.
M. DC. LXXX VII.

Hedera arborea facultas in absumendo lacte & mammarum tumore imminuendo, ubi simul agitur de reliquorum medicamentorum lac absumentium operatione.

Ob materiæ similitudinem hinc ad lactis istam absumptionem in puerperis quibusdam lactare nolentibus, externis topicis comparandam, observationem quandam mihi suggerente Clariss. D. *Vogelsangio*, amico singulari, permissu Tuo paucis nunc divagabor. Suasit is aliquando Francofurti fœminæ juvenculæ, à morte filioli remedium aliquod lac, quo valde abundabat, absumens domesticum & facilè parabile desideranti, ut cataplasma ex foliis apii contusis utrique imponeret mammæ è regione papillarum; hæc verò aut malè perceptis, aut ob aliàs intereà occurrentes cogitationes oblivioni traditis hisce verbis seducta vocabulo Germanico *Eppig.*, loco apii imponit folia hederæ sive *Epfeu*, singulis diebus recentia, ut in fonticulis fieri assolet, prioribus substituens. Paucorum inde dierum intervallo voti sui hæc ità reddita fuit compos, ut non modò lactis ille fluor fuerit sedatus, sed mammillę omni tumore liberatæ in concinnam, compactam, Virginibusque satis decoram repositæ fuerint figuratam magnitudinem, ut remedium hoc non parvi sanè habuerit pretii, paucisque suis familiaribus saltem æstimaverit communicandum. Facta verò à tempore isto tertia vice puerpera, loco prioris abundantiæ summa semper laboravit lactis penuria, unde parvuli sufficiens quærentes nutrimetum, nec invenientes, suctione fortiore papillas excoriarunt, materque nutricem iisdem parare fuit coacta. Sed & hujus molestiæ pertæsa, tempore puerperii per literas ad prælaudatum D. *Vogelsangium* instantibus solicitavit precibus, ut & aliud manifestaret tandem subsidium, quo fons ille lacteus suppressus denuò referetur, qui decoctum florum sambuci & seminis fœniculi, cum lacte vaccino paratum calidiusculè aliquoties in die bibendum præcepit, interjectis aliquando guttulis aliquot spiritus salis ammoniaci fœniculati, subjunctis externis quibusdam topicis, quibus tamen minimè indiguit, sed solo decocto & spiritu antedicto tantam sibi paravit copiam lactis in mammis propriis, ut vicinæ ubere grandiore in nutrienda sua puellula facilè caruerit. Inquisitionem ulteriorem merentur medicaminum istorum operationes, sed occupationes graviores acceptam de iis memorati jam amici depromere cogunt sentetiam. Existimat ille, constare medicamenta talia particulis quibusdam volatilibus subacidis, quæ à calore commotæ dilatatos mammarum poros subingredientes per fibrarum interstitia ad glandulas usque percurrant ibidemque succi chylosi ex arteriolis accepti & lympha pręgnantis celeriorem & vehementiorem agant præcipitationem, atque totum ferè fundant in lympham, hancque per ductus consuetos facilem reperire effluxum, & ad salivares destribui, maximè quòd animadverterit, in fœmina ista postmodum & fluorem album & salivationem in affectu febrili, ob mœrorem quendam contracto, larga copia, & diuturniore mora esse commota. Tubulorum verò lacteorum aliorumque vasorum fibras à particulis quibusdam angularibus rigidioribus comprimi ait, sicque eorundem meatus & oscula angustari, ne tantum eo tempore adsumant, quàm antea, donec successivè eidem ingressuro nullatenus obediant. A particulis verò porosioribus, quibus medicamenta simul prædita sunt, subtilioremque continentibus materiam, separatarum à lympha percolata reliquiarum spissiorem prohiberi coagulationem, earundemque particulas à materia subtili, simul ingressa, tamdiu agitari, donec figuras adipiscantur satis accomodatas foraminulis glandularum, per quas cum lympha temporis successu absque difficultate graviori elabantur. Promovetur equidem medicamentorum lac minuentium virtus, qualia sunt apium antedictum, folia & semen viticis, petroselinum, chærefolium, mentha, semen cumini, coriandri, &c. maceratione in aceto, aqua & vino, unde conspicuum fit, angulares aceti spiculas salibus simplicium istorum volatilibus medicatas & corroboratas, tum præcipitationem succi, tum compressionem fibrarum peragere, quo utroque lactis ad tubulos prohibetur accessus: Vice verò versa dilatantur canales, & lactis promovetur proventus remediis valdè porosis, quodvis angulare absorbentibus, copiosam materiam subtilem ingerentibus, & spirituum transcursum facilitantibus, qualia sunt alcalia spirituosa & salia quædam volatilia oleosa maximè temperata. Hederæ arboreæ folia diversis valdè particulis, sibi invicem intercedente succo crassiore terraqueo combinatis, constare, probat eorum perennitas; etenim & solis æstum, & hybernum frigus perpetiuntur, nec succo & colore privantur. Nullum nobis est dubium, eadem, si accuratiori examini chymico subjicerentur, & copiosum alcali, & acidum spiritum, cum particulis hamatis, angularibus, ramosis, terrestribus & phlegmate esse exhibitura, & hinc non modò diversa præstare poterunt effecta, verùm cuivis etiam aliarum particularum occursui resistere.

De Setaceo & Fonticulis.

Setaceum nobis hucusque magis arridet, quàm fontanella, quæ nihil aliud est, quàm ulcus artificiale, cujus puris effluxus non ab omni parte corporis, uti plures existimant, sed in ipso hoc ulcere producitur, à succo nimirum chyloso, seu nutritio, ex vasculis in ulcere ruptis emanante, & ob acoris contractionem coagulato. Poterunt itaque auxilio cuidam esse partibus quibusdam vicinis à particulis heterogeneis acrioribus aut crassioribus, succo nutritio immistis, damnum aut molestiam quandam perpetientibus, quę tali ratione egeruntur. Suasi nuperrimè matronæ cuidam nobili, post febrem malignam ante semestre superatam, ad quam abigendam ipsemet Tuas meis consociabas manus auxiliares, dolorem in palpebra satis dirum cum motus difficultate sufferenti, & quam nulla ad hoc usque tempus juvarunt remedia, setaceum nuchæ trajiciendum, cui non parum adscripsissem juvaminis, at delicata nimis, dolorosam hanc rejecit medelam, solum expetens fonticulum in brachio perfodiendum, cui petitioni omnimodo nolui abnuere, quale verò cōmodum iste in hac sit allaturus, dies posthæc edocebit. Gallis Medicis in ejusmodi oculorum affectibus solennis est auris apicem perforare, foramini radicis Thymeleæ frustulum infigere, ac quotidie bis, manè sc. & vesperi radicem mutare & recentem indere, & maximo cum emolumento copiosum inde serum effluere ajunt.

Experimenta de Herba Thea, ejusque & Coffea, potu.

Exempla felicis Tuæ curationis potu Theæ præstitæ, quæ allegasti non minus aurem mihi vellicarunt, ut unà cùm Pharmacopœo nostro aulico, *D. Casparo Rheinbolbo*, Chymico versatissimo, herbam intimius examinaverim, atque pluribus ex institutis experimentis cognovimus, herbam hanc continere multum salis alcalici nitrosi, & sulphuris subtilissimi. Experimenta verò, ista hactenus fuerunt sequentia.

1. Herba Theæ in aqua fortiter decocta spumam projicit instar aquæ in qua sapo concoquitur aut dissolvitur.

2. Extractum Theæ ab immixto acido dulcedinem acquisivit insignem.

3. Infusum ejus ab admixto cremore Tartari cum sonitu & susurro ebullivit.

4. In lacte, cui herba hæc incocta fuerat, ab instillato spiritu acido difficilior excitata fuit præcipitatio.

5. Inter diversarum herbarum infusa nullum tanta superbivit rubedine sanguinea, quàm ipsius herbæ Theæ.

6. Herbæ hujus pondus juxta mensuratam proportionem longè excedit alias herbas.

7. Præ aliis herbis ex hac citiùs cum aqua simplici extractio instituitur.

Hinc potum Theæ non omninò improbandum esse censeo, sed in morbis pluribus, modò excessus vitetur, magnifaciendum, imprimis in calculo, quia ob nitrosas particulas alcalicis commixtas vim diureticam obtinet, in asthmate quoque, paralysi, apoplexia, lethargo, febribus intermittentibus, mictu cruento, stranguria, aliisque morbis, ubi sanguis & succi circulantes existunt crassi & viscidi, quia eosdem maximè diluit, & ob calorem aquæ per omnes ductus

transit,

transit, eosque ad circulationem incitat. Sed ex nostro regno vegetabili, meliora, aut pares effectus prestantia substitui posse, quis est, qui dubitat? Potum verò Coffeę, ob vim absorbentem & alcalicam qua prædistus esse percipitur, potui Theæ plures præferunt & majori cum commodo utuntur. Nonnulli cum emolumento in potu Theæ assumunt essent. absinth. compos. cum essent. ambræ, vel sal volatile oleosum, ut magis penetret vis illa alcalica Theę. Omnes autem potu hoc abutentes liberrimè fatentur, corpora sua frigori minùs resistere, quàm anteà, sed magnum inde percipere incommodum.

Tinctura Auri.

Tincturam Auri promissam ex specto avidè, quamvis ejusdem descriptiones variæ hinc inde existent, sed quoniam hæc in externis ulceribus egregiam navat operam, prout ex ore Celeberrimi Doct. *Crugii* accepi, si in praxi spei de se conceptæ satisfecerit, in Encyclopædia mea Chirurgica non postremum merebitur locum. Audio in Helvetia artificem quendam existere Tincturam hujusmodi parantem, quæ omnis odoris & saporis expers nil nisi purum putum prę se ferat aurum fluidum, ita ut charta ea depicta post exsiccationem nitidissimum exhibeat aurum, in corpus verò exhibita singulares procreet effectus, ejus verò præparandæ modum adeò habere in secretis, ut nullis precibus hucusque vel intimis alioquin amicis eandem manifestari permiserit.

Liquor mercurium mutans in Lunam.

Chymici omnes mirantur liquorem meum, Mercurium in momento in Argentum commutantem, & ità fixantem, ut omnes sustineat probas.

Spiritus Cephalico-volatilis efficacia.

Ex spiritu Tuo Cephalico volatili oleoso egregias experior vires in omnibus morbis cephalicis, eoque plures morbi contumaces sunt curati, hinc multi ejusdem desiderant descriptionem, quam tamen ob Empiricorum astutam fraudulentiam haud facilè communicandam esse moneo, quia hoc tempore Empirici Medici à Magnatibus vulgoque nobis dogmaticis seu rationalibus longè præferri solent.

Varia insecta vomitu, secessu & urina ejecta.

Retulit Clariss. D. *Kelnerus*, Northusæ jam praxin exercens, amicus meus sincerus, de muliere quadam fatua pro incantata habita, assiduò garriente, ridente, noctesque diesque laborante, quæ per vomitum & secessum lacertas, vermes, muscas, araneas, per urinam verò pediculos excrevit. Quid dicendum ergò de insectis hisce, num in corpore ex ovulis progenerata sunt, an à sagis Diaboli adiumento corpori hujus mulieris fuerunt insinuata? Ex ovulis progenerata ea statuere velle, in hac ægra minus procederet, & vix ullum meretur assensum. Cùm enim ova lacertarum majora sint, quàm ut integra cum cibis deglutiri possint; adhæc, animacula hæc, ut cætera insecta, cibos aut potum genitura suâ minus adspergant, quoniam in dumetis potiùs & desertis, quàm in urbibus & hominum domiciliis degere solent: de eorum productione ex ovulis in ventriculo vel intestinis, res si non impossibilis & assertum falsum, difficilis tamen ea, & hoc dubium apparebit. Ex altera autem parte, summa quidem mille-artificis est astutia & potestas DEO permittente, mirum tamen videtur, quomodo ægris non sentientibus animalcula hæc viva in corpus ingerantur,& tandem illæsa denuò per vomitum, alvum aut urinam expellantur. Forsitam diversis modis miseris ista ab infernali hoste intercedentibus ministris suis per os immittuntur, majora dormientibus & proinde minùs advertentibus, minora aut jam exclusa, aut per ovula excludenda cibis aut potibus interspersa. Sed summa difficultas est de rebus inanimatis certo cuidam membro exteriori ingestis, ut hic Cassellis quondam fuit puer, qui post tumorem & dolorem in genu vehementissimū continuò affligentem, claudicationem inferentem, adhibitis cataplasmatibus & emplastris emollientibus ac pus moventibus diu continuatis, rupto tandem abscessu ejecit frustula pannorum diversorum colorum, aciculas, fila varia linea & sericea, muscas majores subcœruleas, viridiusculas, rubras & cantharides. Potuerunt ne pori cuticulæ, cutis, & interstitia fibrarum musculosarum ità dilatari artificio diaboli, & res nominatæ in tantum attenuari, ut parti commodè fuerint immissæ, & reclusis poris ibidem retentæ? Sed non faciamus tanti infernalem illum hostem, ut operum ejus inquisitioni ulterius inhæreamus, potiùs summa in DEVM fiducia & precibus assiduis est contemnendus, ità enim facilè opera ejus divino adjumento destruemus.

Basis Chirurgiæ, & partium corporis nostri distributio.

In Batavia solidiora nunc constituuntur ex Anatomicis Chirurgię fundamenta. Ex relatione enim Doct. *Kursneri*, Lugduni, ut nosti, jam commorantis, etiam Chirurgis ibidem omnes affectus, perspexi in morbos dividi partium fluidarum & solidarum. Morbi partium fluidarum illis sunt sanguinis cacochymię & turbationes. Solidarum verò obstructiones & pororum laxitantes aut constrictiones, vel fibrarum diruptiones & abruptarum extremitatum crispaturæ seu cincinni. Ideoque basin & subiectum inhæsionis præbent ipsis morbis tum partes fluidæ, sanguis nempe, succi reliqui & spiritus, qui variis heterogeneis interdum conspurcantur aut turbantur; tum partes solidæ, quibus nil nisi canaliculi intelliguntur, adeò, ut totus homo unus quidam continuus existat tubulus, instar arboris ex uno quodam trunco inferiori in summitate ramos multos & varios projicientis. Stirps omnium vasorum statuitur Cor, arteria enim ubi terminatur in cerebro, abit in glandulam, ex glandula fit filamentum, ex filamentis nervi, hi verò per musculos reliquasque corporis nostri partes distribuuntur. In renem transiens arteria itidem primò mutatur in glandulam, ex glandulis prodeunt filamenta seu canaliculi, ex hisce fiunt carunculæ, ex carunculis ampliatis pelvis, ex pelvi coarctata ureteres, ex hisce dilatatis vesica & sic deinceps. Musculi oriuntur ex arteriarum extremitatibus in fibras abeuntibus & laxè combinatis. Fibræ hæ arctè juxta se invicem appositæ constituunt tendinem, adhuc magis coarctatæ ligamentum, firmiùs tandem junctæ & proximè appositæ cartilaginem & os ipsum exhibent. Ubi desinit arteria, ibi vel glandula est cum vase suo excretorio, vel vena sanguinem reducens. Hoc modo omnia in corpore nostro cōstant ex tubulis, adeò ut membranæ, ossa, dentes, periostium, nihil aliud sint, quàm canaliculi minutissimi, juxta se invicem diversimode appositi. Dolor proinde ostocoposnon ossibus, sed periostio, membranæ tenuissimę ex filamentis juxta longitudinem extensis est adscribendus. Omnes autem tubuli ex uno tubo ceu stirpe oriuntur, neque differunt, nisi ratione porositatis liquorumque, quos vehunt. Circulatio quoque liquorum variis probatur experimentis. Ità si musculus juxta longitudinem fibrarum dissecatur, nihil, vel parum sanguinis effluit, si verò transversim dissecatur, sanguis copiosè exstillat, quia tunc omnes fibræ discissæ sunt. Instituta in fibras musculi injectione, videre licet, quomodo liquor in ipsas venas transeat, & sic per omnes corporis nostri partes humores circulantur. Certum itaque erit, nullum vulnus, ulcus &c. esse, quin adsit dilaceratio tubulorum, hincque stagnatio humorum. Ex morsu pulicis oritur inflammatio, quoniam pulex discindit tubulos sive fibrillas quasdam, quæ tunc in cincinnos abeuntes, humores effundunt, qui stagnantes levem talem producunt inflammationem. Ictu vespæ solæ læduntur fibrillæ ramosæ, non verò penitus discinduntur, unde pessima illa emergunt symptomata.

Iacobi Sylvii Ratiocinia nova de Febribus.

Obvenerunt mihi in Republica Literarum inventa & ratiocinia nova D *Iacobi Sylvii* de Febribus, quæ cū Beati *BonteKoe* opinione ferè conveniunt, & cùm hæc, me judice, digna sint lectione & ulteriore examine, in lingua verò Latina hisce in oris nondum sint divulgata, eadem hic inferenda duxi. Statuit autem ille, rectum vitæ naturalis statum consistere in unione & mixtione apta & concinna partium insensilium sanguinis & chyli, & talem mixtionē præsupponere proportionem aqualitatis inter recipocras partium modificationes, cujus beneficio corpuscula sanguinis spirituosiora occurunt chyli quibusdam particulis, quæ illa remorantur; ea, quæ sunt tardiora, in alias impingunt, abs quibus excitantur; acida cum oleosis intrincantur, & hoc pacto aculeos suos conservant, qui aliàs nimis attererentur ab affrictione cum particulis salinis lixiviis, &c. Verùm hoc nequaquam prohibebit, quo

minùs

minùs particulæ aqueæ ac spirituosæ avolent; E contra expedit, ut exhalentur, ut aer & materia subtilis, à quibus eorum locus impleri debet, requisitam in sanguine agitationem perpetuent. Circa spiritus animales singularem fovet opinionem, asseritque febrem nihil aliud esse, quàm motum inordinatum partium insensilium sanguinis, vel certam agitationem, quæ particularum istarum ordinem turbat, & evertit proportionem, quam servare debent particulæ uniuscujusque generis respectu aliarum omnium, sive quoad figuram, sive quoad locum. Sic causa universalis febrium omnium nihil aliud est, quàm improportionata mixtura particularum sanguinis, & inordinata translatio, abs qua copiosiores particulæ oleosæ, vel salinæ, vel terrestres coacervantur, ità ut spirituosæ pristino suo officio ampliùs defungi nequeant. Si quis nosse cupiat, quomodo illa mixtio inordinatam agitationem in sanguine concitet, Author hìc respondebit fieri hoc ex eo, quòd materia subtilis, quæ ordinato motu & linea recta ferebatur in particularum interstitia, dum æquis proportionibus illæ essent commixtæ, à sexcentis obicibus impediatur, simul ac proportiones illę erunt confusæ. Inde contingit, ut materia subtilis huc & illuc sese convertens, ut viam sibi sternat, quacunque licitum fuerit, sanguinis particulæ undiquaque compellantur, & in agitationem maximè inordinatam cogantur, à qua funestissimus tantùm effectus exsurgere potest: cùm enim lac acescat, ubi primùm partes ejus spirituosæ æquè, ac cremor, ab aliis partibus defecerunt, oportet ut sanguis corrumpatur, cùm particulæ ejus acidæ, oleosæ, aqueæ, salinæ, volatiles, &c. sunt ab iis disjunctæ, quæ ipsas in naturali statu continere valent ministerio proportionis mechanicæ, inter illarum modificationes vicissim vigentis.

Si quæritur, unde inæqualis ista sanguinis particularum mixtura oriatur? Author triplicem illius caussam affert. Dicit enim, si partes materię æqualiter premantur, fore ut una alteram in proprio loco retinere nequeat, nec ipsius discessui obsistere, & sic recta pororum dispositio immutabitur, & materia subtilis ampliùs non movebitur eo, quo agebatur, motu: hac ratione fermentationem, quæ in hordei acervo producitur, explanat. Duæ reliquæ causæ sunt, absentia, & si fas sit ita loqui, suffocatio partium spirituosarum, quæ corpuscula viscida dissolvebant & agitabant. Sanguinem coagulatum nobis proponit ad exēplum suffocationis istius, sive status illius, in quo partes spirituosę libero motu orbantur; & ea omnia, quæ impedire valent, ne sanguis naturali sua effervescentia donetur, vel sufficientes gignat spiritus status istius suffocationis causam esse asserit. Privatim observat, comixtionem acidi cum sanguine in corde maximas inferre mutationes, quum ab experientia compertum sit, acidum purum in canis venam jugularem injectum illum enecare, vel convulsionibus ipsum affligere. Phænomenon istud nobis explicatur supponendo acidum naturale eum possidere, & sic mixturam duorum illorum acidorum æqualem sanguinis particularum ordinem turbare, & ut mens nostra hæc faciliùs concipiat, subsequenti utitur computatione.

Supponitur ℥j. sanguinis comprehendere 1600. particulas salinas, lixiviosas fixas & volatiles, 800. acidas, 500. spirituosas, 600. aqueas, 900. fixas, & sic de cæteris, tali semper servata proportione, ut perduret æquilibrium. Deinde supponuntur 200. particulę acidæ in acido puro existere, & figuras suas obtinere diversas ab iis, quæ sunt acidæ in sanguine: hoc necessariò evenire debet, cùm absint in sanguine tot alię particulæ heterogeneę quibus caret purum acidum. Nunc liquet, si scrupulus unus hujuscemodi commisceatur in corde, sufficientes tantùm aderunt acidorum particulæ particulis salinis lixiviis, &c. in æquo temperamento continendis: & post injectionem extranei istius acidi, multò auctior copia in eo reperitur; oportet ergò ut proportio, cujus ope singulæ particulæ sibi contiguas sustinebant, sit mutata, & ita omnium dispositio evertatur, ac in eam ruant cofusionem, quæ mixti illius motum & effervescentiam naturalem imminuat, quia particulæ subtiles & spirituosæ, quas continet, partes non sunt ampliùs viscidis ac crassis dissolvendis. Quapropter, hæ, cùm unà colligari, & coacervari valeant, faciliori negotio, partium aquearum evaporationem præpediunt, & eadem via abundantioris materiæ subtilis introitum prohibent; quare cùm atmosphæræ pressio tum temporis faciliùs superet particularum sanguinis obnixum, subsequitur, agitationem fluidi illius imminui debere, & sic ex necessaria causarum connexione, confusa sanguinis mixtura sanguinis circulationem remorabitur. Ea est autem febrium omnium origo, si *Dn. Doct. Sylvio* adhibeatur fides: ita ut ex illo falsissimum sit, sanguinem velociùs in febris æstu moveri. Videamus, quo pacto præclarum istud Paradoxon tueatur.

Primo observat, eos omnes, qui Medicinam faciunt, judicare, quendam febre detineri, vel eadem liberum esse, prout pulsus illius vibrationes fortiores & velociores, vel in convenienti ordine reperiunt; unde concludit, quibusdam observatis exceptionibus solum & unicum signum pathognomonicum esse pulsus celeritatem. Secundò probare suscipit, sanguinis effervescentiā in febribus minui, & imminutionem istam arteriarum pulsationes multiplicare, vel saltem majorem sanguinis rarefactionem illas non promovere. Deinceps ad opinionem suam confirmandam ea omnia in medium profert, quæ observavit consequi inæqualem mixturam particularum sanguinis, quæ universa tendunt ad imminuendam liquoris istius agitationem. Prout autem agitatio illius relaxatur, ab atmosphæra potentiùs premitur, si validiùs prematur, minùs rarefieri potest, & cordis parietes minùs dilatare, unde sequitur, illum è corde minori cum impetu erumpere, debiliùsque istum, qui in aorta continetur, compellere, unde accidit, ut arteriæ minùs extendantur, & hac ratione sanguis minùs celeriter in illis fluat. Ex eo autem, quòd cor minùs dilatetur, mechanicè subsequitur, contractiones illius frequentiores esse debere, veluti respirandi actus sæpiùs iteratur, quando pulmones non inflantur secundùm totam capacitatem suam. Nobis penitus cognitum est, majus intercedere temporis spatium inter primam & secundam respirationem, quando pulmonibus contingit, ut juxta ordinarias naturæ leges inflentur, quare idem de corde non affirmabitur? Num illius vibrationes à sanguine pendent? Sed quampluries cor à pectore avulsum & super tabula collocatum, palpitationes suas conservat absque sanguinis subsidio? Numne etiam innotuit, quum Cor sit musculus, motus suos exercere debere aliorum musculorum ritu, id est, à principio differente à liquore in venis contento. Si hoc certum fuerit, statuere oportet, cor habere contractiones, extensiones, motus convulsivos, & vibrationes suas à spiritibus animalibus, & eam omnem modificationem, quæ à sanguine eò conferri potest, consistere in eo, quòd si magnoperè in cordis ventriculis rarefiat, cordis extensio in majus spatium fiat, quod efficit juxta prædictam observationem, ut contractio diutiùs duret, & ita reditus vibrationis non sit adeò promptus. Hoc quærens *Dn. Doct. Sylvius*, asserit, pulsus celeriùs moveri, quando sanguis debiliùs agitatur. Affirmat quoque, arterias sanguinem impellere fibrarum suarum contractione, & quum sanguis crassus est & visciditatibus refertus, eum non obtemperare, ut par est; arteriarum pressioni; qua de causa, quum arteriæ dilatationem suam & contractionem non peragant in tantum spatium, quantum occuparent, si sanguis velociùs circularetur, frequentius illas iterant, quàm quum singuli reditus à longiori spatio exerceri debent; Sic pulsus frequentiores vibrationes arguūt tardiorem sanguinis circulationem. Author annotat, si pulsus celeritas velociorem sanguinis motum indicaret, eum necessariò maximè rarefactum supponendum, fore, æquè rapidissimum impenseq; excalefactum in febris horroribus: ab eo enim tempore febre correptorum pulsus magnopore est commotus; atqui sanguis nondum æstuat, ergò pulsus frequentia esse non potest argumentum, sanguinis agitationem non fuisse imminutam. Fuit hæc D. *Sylvii* hypothesis, ad quam stabiliendam demon-

demonstrat convenientiam, quæ interest inter hypothesin suam & præcipua febrium symptomata, & exordium facit à frigore & calore, quæ paroxysmum componunt. Asserit inæqualem mixtionem removere causas, quæ sanguinem excalefaciebant: frigescit igitur, & cùm insuper majorem trahat moram omnibus in locis, per quæ iter facit, partes mirum quantum frigefacere debet. Experimur enim glaciei frustum in manu nostra quiescens majus in illa frigus creare, quàm si moveretur. Author hisce addit ob ervationes quasdam circa operationem & secretionem partium spirituosarum sanguinis. Quod ad calorem paroxysmorum febrilium spectat, plurima profert exempla, quæ manifestant, calorem majorem non impertiri corporibus motum progressivum. Reipsa aqua ferè fervens apparet æquè tranquilla in lebete, atque aqua frigida. Addit inæqualitatem mixtionis particularum sanguinis efficere, ut plura corpuscula, quæ impingunt in fibrillas nerveas, nullam obtineant proportionem cum poris ad quos deferuntur, unde molesta nascitur concussio: ex altera parte, si magna supponatur in sanguine tarditas, videmus facillimè, si nihilominus aliquo gaudent calore, ipsum debere maximè excalefacere. Omne siquidem corpus calidum validiùs agit parti cuidam impositum diutiùs remanens. At verò carbo ab una manu in alteram vicissim præcipitanter projectus, ipsas non cremat. Quoad sitim in febre affligentem, Author illam explicat, ex altera parte supponendo, glandulas salivares è vestigio obturari à corpusculis naturali structura non gaudentibus,& ex altera parte salinas sanguinis particulas ab aqueis separari durante tumultu, qui mixti istius proportiones evertit. Obstructio glandularum salivarium ipsarum siccitatem inducit, & separatio corpusculorum salinorum ab aqueis facit, ut illas fibras vellicent, nec modo minùs cum principiis suis conveniente explanat capitis dolores, nauseas diarrhœas, deliria, quibus sunt obnoxii febre afflicti; & sicuti febrium intermissio, illarumque recursus statutas habentes periodos, semper difficillimum eorum phænomenon habitum est, paulo prolixus est in illis evolvendis. Dicit, ordinis particularum sanguinis eversionem, sexcentas inferre obstructiones glandulis, multasque alterationes fermento naturali, quod continent. Quum obstructiones istæ fermentum illud diutiùs in eodem loco retineant, quàm aliàs remansisset, eadem ratione aciditatem ejus augent: & hanc viam sibi facere potest per obstructiones,& exire à glandulis ventriculi, intestinorum, & forsan etiam à Pancreatis glandulis, bilique commisceri, quæ in intestina defertur, quibus peractis commixtio, unioque illa in sanguine concitare id, quod paroxysmus febrilis dicitur. Sed sicuti circulatio sanguinis æquè inordinati, atque est prædictus, obstructiones rursus in glandulis producit, vel potius sicuti obstructiones conglutinantur, quamprimùm fermentum, quod illas permeavit, præteriit, evenire debet, ut quando particulæ sanguinis in apto situ repositæ fuerunt, aliquæ aliæ partes fermenti incarcerati novam sibi viam moliantur, quò ab iis sese liberent, cùm bili denuò consocientur, & iterum sanguinis massæ symmetriam turbent. Si materia, quæ has facit obstructiones, tenacissima sit, & valdè viscida, & fermentum magna non polleat aciditate, longius elabetur temporis spatium, antequam aperiantur, & sic accessus ità promptè non recrudescent. Itaque intermissionum varietas pendebit à majori vel minori visciditate corpusculorum,quę obstructiones procreant, & ab aciditate majori aut minori fermenti incarcerati. Arteria magna, quæ paulatim constringitur, aliam præbet *Doct. Sylvio* supponendi rationem, fieri obstructiones humorumque coacervationes, qui in omnibus corporis partibus solidis commorantur. Febres continuas nihil aliud esse asserit, quàm coagmentationes plurimorum paroxysmorum, quorum alter incipit, antequam prior cessaverit. Exposita ita nova sua de Febribus theoria, ad earum curationem pergens, juxta principia hæc refrigerantia ablegat, & posthabitis irrisorum & obtrectatorum nugis, calefacientia medicamenta commendat. Usum etiam venæsectionis condemnat, etiamsi fateatur, eam in genere nec maximè nocuam, nec valde utilem esse, ut claret, inquiens, ex eo, quòd in Gallia & Hispania, ubi in omnibus febre correptis celebratur, nec plures, nec pauciores moriantur ægroti, servata proportione, quàm in Italia aliisque regionibus, ubi nunquam vena tunditur. Quidam Medicorum ipsiusque Medicinæ malevoli affirmant, idem animadverti posse facta ad regiones comparatione, ubi aliis non utuntur remediis, cum iis, in quibus eadem adhibentur. D. *Sylvius* summis extollit laudibus camphoræ virtutes & nonnullorum aliorum,quorum efficaciam tam ex praxi, quàm mechanica operandi ratione sibi reddidit cognitam. Num hæc fusiùs recensita opinio differat à nostra turbata mixtura,quam in scriptis nostris hactenus docuimus, Tu, Vir celeberrime, facilè judicare poteris.

Ejusdem sententia de insensili transpiratione.

De insensili quoque transpiratione utilia & lectu quædam digna exhibet, prioribus adjungenda. Ipsam definit, expulsionem particularum, quæ nullius sunt usus, vel quæ nocere possunt. Primam ipsius causam esse statuit actionem,qua insensiles alimentorum particulæ, uti & fermentorum, ab iis, quibuscum conveniunt, desciscunt. Ut hoc magis illustretur, alimenta extraordinariam partium diversitatem continere, & per consequens, eas ità dispositas esse,ut figura & rectitudo parvulorum intervallorum,quę ipsas separant,respondeant modificationibus, quæ illas à se invicem distinguunt. Supponit etiam cum omnibus *Cartesii* filiis, materiam subtilissimam omnia ista exigua intervalla rapidissimè percurrere, & ab ista particulas huc & illuc agitari. Quum autem particulæ istæ poros sibi convenientes non semper reperiant, in alias necessariò impingunt partes, oportetque, ut infinita agitationum varietas in illis exerceatur. Hæc vocari potest naturalis effervescentia, quæ nominatim locum habet, quando chylus in intestinis cum multis aliis succis permisceatur, & quum in cor delabitur: Facili patet negotio, continuum istum motum determinare particulas aqueas & spirituosas ad avolandum cum materia subtili. Sedulò etiam ob oculos ponit transpirationis istius necessitatem: nisi enim à sanguine exirent varia corpuscula, quæ aerem comprimendo, materiam subtilem eò determinarent, ut locum ab ipsis derelictum occuparet, foret, ut sanguis sufficienti nullatenus donaretur agitatione, ut aeris gravitati resisteret. Quum enim omnis effervescentia, vel omnis rarefactio subtiliores partes evaporet, nullaque corporis nostri pars succo nutritio non imprægnetur, nullusque succus nutritius non fermentetur, Author noster colligit, insensilem traspirationem in singulis corporis nostri partibus perfici, &, si ea, quæ exalantur, oculis percipi possent, fore, ut corpora nostra nube semper circumdata apparerent: affirmat cum Celebrrimo *Sanctorio*, Medicinæ Staticæ Auctore, copiosiorem materiam à corpore nostro excerni per insensilem transpirationem, quàm per urinas & secessus, & ex octo alimentorum libris, quas quotidie quis usurpabit, quinque per poros avolaturas.

Varia Experimenta Anatomica D. Nuckij

Celeberrimus *Doct. NucK*, Anatomicus versatissimus, habita oratione inaugurali, Collegium Anatomicum incepit, & per experimenta circulationem sanguinis, item venarum, ductus Thoracici, & cordis valvulas accuratè demonstravit. In præparatione partium corporis nostri audio eum adeò diligentem atque accuratum esse, ut vix ulla detur, quam non inflatam, exsiccatam, aut balsamatam extemplò possit exhibere. In cane pectus perfodit, ut pulmo exierit, qui simul perfossus fuit conspectus, foramen postea consuit, & altera die canis fuit sanatus. Quo probare tentat, non omnia vulnera pulmonum esse lethalia. Ejusdem canis pectus gladio transfegit, instrumento hoc per musculos dorsales ingrediente, & ex sterno prodeunte, canis verò restitutus fuit. Observatur autem, ne transfossio fiat sub expiratione, aliàs pulmones inflati læderentur, nec nisi intra costas superiores, ubi vasa sunt admodum parvula, in majoribus enim hæmorrhagia subsequeretur lethalis.

thalis. Insertionem quoque arteriæ in os publicè commonstravit. Extant etiam alii quidam Anatomici adeò prompti & exercitati, ut promittant, se invisibiles aliàs vasorum lacteorum & lymphaticorum ramulos ostensuros, & hinc ramulos quosdam ex ductu Thoracico circa claviculas versus sternum ad mammas tendentes. Ex his cognoscimus, quid indefessa sedulitas in explorandis etiam minimis meatibus perficiat, ut nobis ad profundissima jam concedatur accessus, ad quæ prioribus janua quàm maximè fuit præclusa.

Dn. Doct. Brœkhuysen, qui hoc anno Rationes Philosophico-Medicas, Theoretico-Practicas edidit, juxta propria ipsius Principia, quæ Cartesii principiis proximè accedunt, deductas, Cassellis Hanoveram profectus est, tenditque Dalmatiam ad inserviendum Principi Luneburgensi ibidem ægrotanti. Instrumenta aliquot Anatomica & Chirurgica tùm ex Belgio, tùm aliis regionibus mihi brevi afferentur, facta iisdem experimenta Tibi justo tempore communicabo. Tu verò, Vir Celeberrime, vale, & veterem mihi continua favorem. Dabam è Musæo meo Cassellis, VI. Id. Novembris, Anno M. DC. LXXXVII.

JOH. JACOBI WALDSCHMIDT,

Archiatri Hassiaci, Med. Doct. ejusdemque & Physices Professoris.

EPISTOLA III,

QUÆ IN ORDINE EST QUINTA.

Ad Celeberrimum Virum

DN. JOHANNEM DOLÆUM,

MEDICINÆ DOCT.

Consiliarium & Archiatrum Hassiacum.

Varii argumenti.

VIR CELEBERRIME.

Miraberis, Vir Experientissime, unde à tot mensibus hæserit commercium literarium, olim crebriùs frequentatũ, atq; in silētii mei inquires causam, cujus fidus pro me interpres præsens erit libellus, quem è typographia adhuc madentem tandem offero, obnixè rogitans, ut eum benevolis manibus accipere velis. Institutiones sunt, quas vides, Medicinæ Rationalis, publici nunc factas juris, id quod ægre quidem à me impetrare potui, cùm animo meo semper hæreat illud Erasmi. *Adeò nunc in omnes & in omnia per universum orbem grassatur comitata furiis ἡ διαβολὴ, ut tutum non sit ullum emittere librum, nisi satellitio munitum. Quanquam quid satis esse tutum possit adversus sycophantæ morsum, qui velut aspis ad vocem incantantis, ita ad omnem purgationem, quamvis justissimam, obturat aures.* Quippè mihi clàm non est, esse adhuc veteranos quosdam Medicos, quos malè fortè habebit, si viderint, me nec in verba jurasse Magistri, Galeni volo, Hippocratis, vel ipsius quoque Sennerti, nec tritam hactenus Præceptorum in omnibus sequutum esse viam. Enim verò erunt tamen quæ causam meam agent, atque veniam apud Patres hos solicitabunt. Quis enim nescit, me nihil hactenus eo scripsisse animo, ut irritarem, sed ut conciliarem? non ut hostes in me concitarem, sed ut veritatem indagarem, atque pro mea tenuitate ipsis inservirem tum Studiosis, tum ægrotantibus, qui primarius omnium Medicorum est scopus. Deinde quod ipsas attinet Institutiones, non opus erit, ut longus sim in prętextu aliquo prætendendo, aut operis tenuitate ostendenda, cum vel ex primis legi possit pagellis, me hęc ex tempore in cathedra disseruisse, quæ Studiosus, me inscio, quod testari possum, calamo volubili excepit, & ex cujus tandem schedis Institutiones illas concinnavi, ne me dictorum meorum puduisse accusari possem. Interim solatio mihi erit, esse benè multos quibus meæ non displicent ineptiæ, & si vatem agere vellem, dicerem, intra biennium Artem Medicam prorsus immutatum iri, foreque Rationalem, principiis naturæ conformem, & saniori innitentem Philosophiæ. Neque est ut fortè Veteranos illos metuas, qui difficulter statione cedent, nec ad Novatorum transibunt subsellia; quippe de illis mihi abundè satis innotuit, haud paucos esse, qui *illinc quidem militant, isthinc favent*.

Institutiones Medicinæ Rationalis.

Audio primam meam ad Te datam Epistolam alibi recusam esse, quod malè me habet, cùm eam non scripserim, ut in tot hominum exiret manus, sed ut amici scirent, quid rei apud nos ageretur, eo enim tempore ne cogitavi quidem de commercio quodam literario ineundo, hinc factum est, ut liberè, & non sine sale, (qui meus est genius,) ad Te amicorum optime scripserim. Postquam autem nunc ex omnibus ferè mundi angulis certior factus sum, omnibus institutum hoc gratum fore, imo esse, qui ex nostris epistolis rei medicæ incrementum aliquod accedere posse, arbitrentur, nosque calcar admovisse aliis doctioribus, ut non detrectent eodem nobiscum fungi munere, inter quos est Vir doctissimus Dominus Doctor *Salman*, aliique plures, non solum commercium literarium nunc Tibi offero, sed fidem etiam do, mihi nihil priùs, nihil antiquius forè, quàm singulis mensibus eà conferre, quæ vel praxis vel professio suggerent. Hinc pace tua alios etiam Viros doctos atque honestos hisce rogo & invito, ut, si quædam imposterum nobiscum communicare, monere, sub examen vocare, aut pro & contra amicè disquirere velint, illa liberè scribant, atque Francofurtum ad Bibliopolam Dn. *Knochiam* transmittere haud graventur, cujus impensis omnia illorum scripta pro nutu & desiderio Autorum typis excudentur.

Epistola I. ad Dolaum.

De purgantibus mea adhuc stat sententia, quòd in morbis primarum viarum haud exiguum conferant levamen, *liquando & attenuando mucum*, eumque blandè evacuando, ut fortè non malè scripserim, purgantia in cacochylia subinde juvare, semper verò nocere, vel saltem minùs tuta esse in cacochymia, sive morbis sanguinis

De purgantibus.

nis. Quod si tale purgantibus frenum injicere possemus ut sua activitate intra primarum viarum limites subsisterent, nec unquam ad sanguinis excurrerent confinia, credo nos vix certiora habituros præsidia in morbis chronicis juxta ac acutis curandis vel præservandis, qui ferè omnes è sordibus primarum viarum pullulant, & ex bile, succo pancreatico, lymphaque intestinali, peregrinis salium in intestinis hospitantium saporibus inquinatis, sua capessunt incrementa. Sed coercere peregrinum ætherem, quem omnia purgantia inferunt, hoc opus, hic labor est.

Sputum lacteum. Casus, quem Celeberrimus D. **Hoogmade** Tibi communicavit, arridet palato. Ego, si anseri inter olores stridere liceret, dicerem, omnia vasa lymphatica esse vasa lactea, sive exiguum inter lac & lympham esse discrimen. Qui cura lactis utuntur, lac spuunt, & saliva fere semper est lactea. Commendavi olim Studioso hectica & scrophulis exulceratis laboranti lac, quo cùm plures per septimanas uteretur, tandem lac ex ulceribus quotidie manavit, ut quot haberet ulcera, tot lactis viderem scaturigines. Si lacti in mammis contento effluxus denegetur, redundabit ad commune sanguinis receptaculum, qui lacte turgescens in tantum lacteo humore salivales inebriabit glandulas, (sicuti antea mammarias,) ut ductus unus vel alter nimium distenti rumpantur, & lac in oris effundatur cavitatem.

Medicamenta lac absumentia. Lacti absumendo conveniunt dropaces, sparadrapa, cera: quoniam aerem arcendo lactis restagnationem & coagulationem impediunt; symbolum confert strictura, quæ impedit; quò minùs glandulæ impleri possint. Mihi in frequentiori usu est cinnabaris nativa, quàm cum aqua florum sambuci mixtam calidè applicare jubeo: vel interveniente cera redigatur in emplastrum, quod si non superet, æquabit tamen emplastrum de spermate ceti Mynsichti, quod aliàs duplici operatur modo, & aerem arcendo, & sale suo volatili lactis consistentiam & mixtionem conservando, hoc est, acidum supprimendo. Nulla autem dantur remedia specifica lac absumentia. Verùm illa quæ chylificationem lædunt, quæ fermentationes imminuunt, quæ frigidos & viscidos sanguini inferunt humores, lac absumunt, hoc est impediunt, quò minùs pro futuro lacte chylus satis tenuis & fluxibilis generetur.

Symptomata ab acido. Aliam Tecum divido historiam, argumenti haud dissimilis. Nobilis fœmina cùm tertiam ederet prolem, propriis eam, me dissuadente, lactavit uberibus? Vix opus aggressa, lactis in horas observabat abundantiam & mammarum incrementum. Infans usus lacti absumendo vix par erat, quod eo etiam amoto pingue & ferè totum in butyrosum concrescens cremorem, si in vase servaretur, reddebant ubera. Cùm in sinu suo de illa gauderet felicitate, cœpit de totius corporis frigoris molesto sensu conqueri, livescebant labia, pallescebat facies, cutis erat inæqualis, qualis ab aere gelido fieri solet, augebatur horror iste, ut in musæo calefacto stragulis etiam duplicatis vix ac ne vix quidem incalescere posset. Vocatus causam esse dixi chyli in sanguine penuriam, qui jam ferè omnis ad mammas confluxerat. Accessit immanis lumborum dolor subsequente calore febrili, cum subitanea labiorum & palpebrarum intumescentia; pustulæ & exanthemata quædam lata vesiculis limpidis similia erumpebant in cute, ut venenum epotum fuisse dixisses: agmen tandem claudebat vehemens uteri hæmorrhagia, stante tamen stupenda illa lactis in mammis abundantia. Suasi seriò, ut nutricem conduceret, atque mammis ceratum cinnabarinum applicaret, ne sanguis butyrosa illa amplius fraudaretur lympha. Dedit tandem locum consilio, & brevi pristinam recuperavit valetudinem. Liceat mihi phænomena illa per causas rationales explicare. Frigus est ab acido, lympha tali ob pinguiorum, & oleosarum particularum translationem aliò factam existente, hæc cùm fibrillas incongruè vellicaret, mens judicans secundùm consuetudinem sensum frigoris concepit. Idem illud acidum in confiniis extremitatum arteriarum, quibus in labiis aliisque locis innumeris appositæ sunt glandulæ, in angustias illas introactum discidit quædam filamenta, quę in cincinnos resilientia non solùm à tergo venientibus, sed & per vicinos tubulos transeuntibus humoribus obicem posuerunt, hinc tanta harum partium intumescentia. Vascula quædam lymphatica ex eadem causa subter cutem diffracta occasionem præbuerunt vesiculis hinc inde erumpentibus, quales in ambustione excitantur. Portio lymphæ hujus acidè acquisivit naturam fermenti, & poris suis à sanguinis poris abludentibus introduxit peregrinum ætherem, sanguinis mixtionem turbantem, & febrem producentem. Ob acidi in sanguine prædominium restagnavit hic in vasis hypogastricis, atque ruptis per anastomosin orificiis vel extremitatibus arteriarum, qua data per uterum porta effluxit.

Monstruosi labri tumor. Posse autem glandulosas partes, sive in quibus contextus talis vasculosus reperitur, stupendum in modum extendi, suadent tumores in collo, mammis, sub axillis & circa inguina oriri soliti. Nuper convenit me alter Æsopus, si reliqui corporis staturam videres; is labrum sive superiorem oris marginem mihi ostendit, usque adeo inflatum, & tumidum, ut nunquam similem viderim. Senserat manè dolorem quemdam, atque ad eum demulcendum frigidam affatim & frequentiùs asperserat, verùm cum inde malum augeri animadverteret, adiit Chirurgum, atque unguentum expetiit; sed cùm nec hoc exspectationi satisfaceret, ipseque tumor in horas cresceret, tandem linteo & pallio munitus ad meas properavit ædes, jussi epithema ex Theriaca aliisque calidè imponere sæpius, ut virulenta illa succis restagnantibus introducta fermentatio sedaretur, id quod præsentaneo cum levamine factum esse, ipse mihi heri retulit.

Tumor aquosus in linguæ margine. Quantum etiam vasa lymphatica distendi possint, mecum vidisti in filiolo Consiliarii apud vos degentis, sub cujus lingua deprehendimus tumorem oblongum, sed pellucidum & albicantem, judicavimus esse vas quoddam lymphaticum in partu attritum, vel alia ex causa injuriam passum: & postquam Chirurgus vester expertissimus Dn. *Rudolff* cordatè sed dextrè & prudenter incidisset, vidimus undam in larga prosiluisse copia, cum momentanea tumoris evanescentia.

Venæ sectionis usus. In gravidis venæ sectionem usque adeo necessariam esse existimo, ut nunquam medio gestationis tempore omitti debeat, quod pace tua, Vir celeberrime, dixerim, cùm in casu abs te allegato fœtum ante venæ sectionem exspirasse suspicer. Primis quoque mensibus in succi plenis, & ultimis ob varices circa uterum, & ad evitandam pressionem à sanguine restagnante metuendam, ipsique fœtui funestam, licebit tundere venam: Venæ sectio enim unicum illud est remedium, quo partus salvari potest, modò prudenter & tempestivè instituatur, de qua prolixiùs egi in Institutionibus Medicinę Rationalis. Aliàs sanguinem illibenter profundo, atque venæ sectionem inter empirica refero remedia, quæ aut juvant aut nocent. Rariùs quoque vel nunquam indicatur venæ sectio à morbo frequentissimè autem à symptomate urgentiori, dolore videlicet sive molesta pressione. Ut propterea rectè dicamus, unicum esse venæ sectionis usum, nempe sanguinem imminuere, reliqui enim omnes ab hoc emanant.

De fonticulis. Quamvis etiam pus in fonticulis novum quoddam sit productum, non autem præexistens in sanguine excrementum, quod vulgus persuasum habet, puto tamen eos inter evacuatoria referri debere remedia, quatenus videlicet sanguinis copiam imminuunt, hinc plures si excitentur, faciem reddunt pallidam, ut in gutta rosacea, contumacissimo affectu, & præter fonticulos & setacea nulla sciam præsidia, in quibus firma spes collocari possit. *Setaceis.*

Scarificatione. Eundem nonnunquam edit effectum scarificatio aurium bis in mense instituta, quod remedium commendat etiam *Hartmannus*, sed cùm dolorosum & molestum sit, à multis negligitur.

Potus Theæ. Fama potus Theæ crescit indies. Theologus eximius in flore ætatis constitutus contabuit ab aliquot annis citra causam manifestam, nisi quòd levi subinde tussicula, sed continua vexaretur raucedine, Huic, cum destillatum antihecticum votum non expleret, potum Theæ commendavi, atque fonticulum in bra-

in brachio excitari jussi, quibus remediis in tantum restitutus est, ut nunc majori alacritate & cum virium constantia è suggestu dicat. Studiosus Theologiæ pius & doctus rediens ex Gallia incidit in atrophiam, tandem lentè quidem sed sensibiliter satis febricitavit; cùm sic conflictaretur plures per septimanas, jussi ipsum aerem mutare, & ad patrios redire lares; verùm virium obstabat imbecillitas & corporis consumptio, hinc cum frustra hactenus varia adhibuissem remedia, suasi, ut potu Theæ cum lacte uteretur. Quo remedio nunc utitur per unum vel alterum mensem, atque per DEI gratiam tanto cum effectu, ut nuperrimè me inviserit, mihique coram pro præstito officio egerit gratias. Alius pistoris filius, ex febri maligna incidit in phthisin cum capillorum defluvio, sputo albicante, respiratione difficili, dolore pectoris gravativo; is etiamnum utitur herba Theæ, & quantum hactenus augurare licet, non sine successu. In Virgine epileptica semel saltem menstruata, potus Theæ in tantum egit ad præscriptum, ut intra sex septimanas ab invasione hujus mali, quod antea sæpiùs de die recurrerat, manserit libera, quàm pridie (in plenilunio,) aliquot iterum paroxysmos perpessam esse, nunc dum hæc scribo, mihi nunciatur. Fæmina Nobilis Soda correpta, decantata remedia adhibuit, sed frustra, ex eo autem quo bibere cœpit potum Theæ, melius se habuit. Sed quis omnes ennarrabit herbæ hujus virtutes, cum angustis nimis hactenus circumscriptę sint limitibus, ut pote quæ longiùs multò se extendunt, & inter externa quoque remedia celebrari merentur. Non dico de virtute qua pollet traumatica. Saltem hoc testari possum, quod omnes impuritates cutis abstergat, pustulas sanet, maculas hepaticas brevi deleat, si decocto tali horis vespertinis abluantur frequentiùs impositis per noctem foliis Theæ à decoctione residuis, ut meritò inter cosmetica omnium tutissimum & multæ spei plenum audiat remedium. De Cosmeticis in transitu noto, quòd nunquam horis matutinis vel diurnis adhiberi debeant, cùm à lumine agitata semper plus noceant, & cutem deteriorem reddant.

De Cosmeticis.

Spiritus cephalicus cum essentia balsami Indici.

Spiritus cephalicus famam adhuc sustinet, & cùm essentia balsami Indici, quam pro *Serenitatis suæ* officina communis noster amicus *D. Rheinbold* præparavit, exaltatus, in cruditate acida, lymphæ viscriditate, colica, iliaca, phthisi, & ubi suspicio latentis ulceris in parte aliqua solida, quale quid semper in hectica contingit, opem confert haud contemnendam. Nosti, quòd spiritus ille nihil aliud sit, quàm spiritus aromaticus, cui sal armoniacum, & pro varia intentione oleum quoddam destillatum additur; sic ex una parte olei menthę & tribus partibus spiritus cephalici fit mixtura haud inelegans. Præfero tamen priorem cum essentia balsami Indici factam, si modò apud nos vilioris posset esse pretii.

Tinctura Solis.

Tinctura Auri plus participat de sale, quàm de Sole, atque mihi quidem nihil aliud videtur esse, quàm spiritus salis alcalisatus, qui & interne infantum affectibus, ex cruditate acida oriundis, & externè in ulceribus depascentibus, scrophulisque exulceratis promptam præstat opem.

De morbis ex incantatione.

Quid de morbis ex incantatione sentiam, dicam liberè. Consistunt illi reverà in quadam fascinatione, & diabolus fucum facit suis præstigiis, atque inter Vomitus, vel puris effluxum, sæpiùs quędam immiscet, quibus se mancipiis suis potentem, aliis formidabilem reddere vult. Accedit hominum credulitas & garrulitas, nam illa, ad quæ obstupescimus, plerumque cum circumstantiarum augmento aliis narramus, aut in majus efferimus, ut & alios repleant terrore.

De Motu Sanguinis.

Arridet illa, quæ ex Jacobi Sylvii tractatu de febribus, quem nondum vidi, mecum communicas. Multa hanc in rem spectantia dicta sunt in Institutionibus. Equidem, jam dudum in ea fui sententia, in omnibus febribus sanguinem tardiùs circulari, aucto scilicet motu sanguinis versus latera, progressivo autem imminuto. Confirmat hoc febres curandi methodus, quæ in eo potissimum consistit, ut sanguinis visciditas & humorum restagnationes impediantur, quo nomine ipsa diaphoretica tantopere laudantur; frigida è contra & figentia damnantur, quia videlicet hæc obstruunt, sanguinis motum progressivum imminuunt, & intestinum augent. Omnes enim humores fermentescibiles incarcerati magis turgere incipiunt, hinc videmus quòd in febri maligna facies sæpius admodum inflata sit, genæ rubeant, vasa sanguifera in oculis turgeant, ægri de aurium tinnitu conquerantur, tremulus nervorum accedat motus, quæ omnia à sufflaminato sanguinis motu progressivo in vasis cerebri pervenire existimo, dum è contra ob talem obstructionem motus intestinus mirum quantum augetur, & incurabilem inflammationem meningum inducit.

De Obstructione vasorum.

Causam istius restagnationis esse obstructionem uno ore dicunt omnes, sed in quibus canaliculis ejusmodi fiant obstructiones, non ponunt in aprico; Arterias non facilè obstrui, evincit emboli sive cordis vis urgens & premens: deinde obstat vis illa dilatandi, qua pollent, unde etiam fibras longè fortiores nactæ sunt. Sed quis de venis dicet, quòd illæ obstructionis sint subjectum? cùm structura ipsarum repugnet, quia omnes ex angusto tendunt ad augustum, adeoque vel nunquam vel rariùs obstrui possunt. Verisimile itaque est, in glandulis obstructiones delitescere, non exclusis interstitiis vel tubulis istis, ad quos & arteriarum & venarum extremitates terminantur, & per quos sanguis ex arteriis in venas sub forma sanguinis transfunditur. Faciunt huc quæ Celeberrimus *Zellerus*, in elegantissima Disputatione de Vasorum lymphaticorum administratione nobis suppeditat: *Concludi posse imò debere*, dicit, *venarum capillarium diametrios minores esse arteriarum capillarium diametro, cùm in illis omnia, quæ alias ad dilatãdum canalem faciant, deficiant, adeoque sanguinem naturaliter aliquantulum in interstitiis, seu porulis, ad quos utraque vasa capillaria terminantur, morari, donec, tùm a proprii motus impetu, tùm aeris interni impulsu in venas insinuetur, quæ tamdiu patulæ manent, quamdiu spiritus & calor in fibris istarum capillarium erunt, dissipatis autem illis mox clauduntur, nulli amplius patentes, quod tamen in vivis expectandum non est. Ut autem naturaliter sanguis, dum ex arteriis extillavit, ob rationes dictas morari aliquantulum cogitur: dum omnis ea celeritate in venas promoveri non potest, qua expulsus, multò majorem habebit difficultatem, si & diameter harum in majoribus ramis minor fiat ob compressionem, vel ab incumbente vel interveniente quodam corpore factam, ubi illæ intumescere debent eo usque, quousque poterunt.* Ego profectò crediderim obstructiones illas in vasculis, quæ ab augusto in angustum tendunt, faciliùs & frequentiùs oriri, (qualia sunt illa quæ glandulas componunt,) quàm in aliis, quæ in progressu semper ampliora fiunt, qualia sunt venæ. Sed horum veritas fortè nondum ad liquidum explorata est.

Obstructio lymphatica sive pituitosa.

Enim verò ubicunque tandem fiat obstructio, maximum tamen erit discrimen inter humores obstruentes. Si enim humor iste, qui obstructionem parit ex viscidis componatur particulis, obstructio quidem contumax erit, quæ chronicos producet morbos, & in visceribus sanguinis depurationi haud exiguam injiciet remoram, nulla tamen inde metuenda erit inflammatio, aut sanguinis mixtionis turbatio. Verùm si temporis, quod est edax rerum, successu textura mutatur (quod variis ex causis fieri potest,) & acidum antea suppressum sui fiat juris, ipsique pori ita immutentur, ut materia subtilis non amplius secundùm lineam rectam transfluere possit, motus excitabitur intestinus, & humor ille naturam & indolem fermenti acquiret, atque præterlabenti lymphæ commixtus, & ad sanguinem delatus, febrem pro circumstantiarum diversitate nunc continuam nunc intermittentem excitabit.

Obstructio inflammatoria sive biliosa.

Sin verò, humor, qui obstrustionis auctor est, sit biliosus sive salsus, pori in tantum obstruentur à salibus, ut non nisi primo elemento transitus concedatur, hinc pars illa ignis acquiret formam, & inflammabitur sanguis per partis hujus vasa circulans turbabitur à materia illa subtilissima perniciosissimèquaqua-

versus fluente, qui reliquo sanguini in corde confusus, totius mixtionis turbationem inferet.

Febres inflammatoriæ.

Hæ febres rectiùs vocantur inflammatoriæ, cùm ab ardentibus & malignis aliis in eo differant, quòd si tempus & mixtionis turbationis gradum spectare velis, malignæ quoque sint & ardentes; verùm si partium solidarum habeatur ratio, plures erunt ardentes & malignæ, quæ nequeunt appellari inflammatoriæ. Quamvis hoc inficiari nequeam, omnes malignas utplurimùm, & ubi ad interitum vergunt, tandem etiam fieri inflammatorias. Unde inflammatio in parte aliqua solida nunc febris malignæ causa est, nunc productum, ut non malè febres illæ inflammatoriæ in primarias sive essentiales & in symptomaticas sive secundarias dividantur. Sic fieri potest, ut ab aeris injuria salia per transpirationem aliàs avolare solita figantur intra poros fibrarum, juxta longitudinem extensarum, (sicuti membranas in Tuis ad me ultimò datis vocas,) ut soli primo elemento, quod in succo graminis dissecti & in cumulos collecti quoque fieri solet, transitus concedatur, unde statim inflammatio quæ vulgò Erysipelas vocatur, oritur. Sin verò salia illa ob prægressam mixtionis sanguinis turbationem in has præcipitentur partes, febris præcedet inflammationem, sicuti in priori casu eam sequitur. Primarius itaque in his febribus curationis scopus est tollere obstructionem inflammatoriam, quam nisi maturè exsolveris, laterem lavabis, & inanem ludes curando operam. Exinde palam fit, quàm malè suis consulant ęgris Medici, qui frigidorum usum vel suadent vel permittunt, qui calida fugientes frigidis igni oleum affundunt. Ex praxi novimus, febri Ungarica correptos maximum percepisse levamen, & præsentaneum quasi auxilium, ex spiritu vini fronti & capiti admoto. Novimus peste correptos ex vini Hispanici largiori haustu subsequentibus largissimis sudoribus fuisse liberatos. Utinam! utinam in omnibus etiam febribus potum calidum commendaremus. Biennium est, cum generosum quendam tractarem virum juvenem, toga sagoque clarum, & post perpessas varias itineris ex Græcia & Hungaria molestias febri Ungarica sive Castrensi correptum. Teneræ cum esset constitutionis, primis etiam diebus omnibus destituebatur viribus. Somnum ex eo quo ægrotare cœperat, nondum viderat, ut meningum metuerem inflammationem sive phrenitidem. Jussi ut pro siti fallenda, quæ urgebat, nil nisi tenuem cerevisiam sed calidam biberet, & tincturā bezoardicam, quantum ferre posset, instillaret. Ille morem gerens noctu diuque cerevisiam calidam affatim hausit tanto cum levamine, ut & sitim ex voto falleret, & fluentibus sponte sudoribus, die undecimo de febri triumpharet. Eundem in finem commendo mixturam ex spiritu theriacali camphorato duplicata dosi camphoræ, & spiritu cornu cervi paratam, quo & obstructio inflammatoria tollatur, succisque conveniens mixtio & motus progressivus reddatur. Nuper in febri illa maligna, quam Galli extorres primis ad nos transportaverant, frequentiùs usus sum cinnabari nativa, nisi diarrhœa obstaret, quo remedio Studiosus febri hac detentus & stupendis correptus convulsionibus pristinam per Dei gratiam recuperavit valetudinem. Vidi alios obiisse, quòd sudorifera & vesicatoria primis diebus negligerent, unde superveniente inflammatorio cerebri sive meningum tumore, cum faciei intumescentia & rubore, circa diem undecimum, vel etiam tardiùs, & demùm post decimum quintum satis cesserunt. In harum febrium principio omnes de alternante quodam, sive reciproco caloris & frigoris sensu conquerebantur. Quod phenomenon semper index existit malignitatis sive turbatæ sanguinis mixtionis, quam variæ sanguinis reliquorumque humorum secretiones, coagulationes, præcipitationes & concretiones comitantur.

Tussis convulsiva.

Ex eadem forte causa tussis illa convulsiva in filio Illustris cujusdam, quem nosti, Domini, suos habebat natales: quatenus caput tracheæ ob lympham acriorem & viscidiorem glandulas ejus loci ofidentem & ob turbatam sanguinis mixtionem ibidem restagnantem continuo spasmodicè convellebatur, ut ferè nullis etiam remediis inducias impetrare possemus, quorum omnium Tu, Vir Experientissime, unà cum Celeberrimo Medico Francofurtensi Domino *Caspari*, communi nostro amico, & mecum spectator fuisti.

Febres puerperarum.

Sed aurem mihi iterum vellicant febres inflammatoriæ, quæ puerperis fere semper exitiosæ sunt, ut non malè pestilentiales vocentur, cum inflammatio in corpore ad putrilaginem jam prædisposito brevi temporis spatio degeneret in gangrænam. Ecquis inficiabitur corpora puerperarum esse valde fermentescibilia, cum illud & ante mortem & post mortem ex variis probari possit apparentiis? Unde fortè mos adolevit, ut puerperarum tumbæ sepimento muniantur, & ut extra templum sepeliantur, ne putrilaginosum illud fermentum facilè ad plures abire possit. Vivit nobiscum senex Chirurgus haud inexpertus, qui septuaginta infantes ope hami vel unci ex utero materno extraxit, inter quos duo pueri adhuc in vivis sunt, quos pro mortuis habitos in lucem protraxit. Adstiti ego, & operationem illam plus vice simplici vidi, omnesque illas mulierculas superstites mansisse, observavi, quę vel in ipsa operatione frigus non admiserunt, vel post peractam extractionem à potu frigido abstinuerunt, quid enim frigidis magis noxium esse potest? Unde puerperas eodem cum vulneratis tractandas esse regimine persuasum habeo, cùm eadem in utrisque sit ratio. Sanè si ullibi, profecto hic in morbis puerperarum prudentia & circumspectione opus est, quomodocunque enim se gesserit Medicus, semper vel stultitiam suam prodet aut prudentiam. Et ex quo ego Medicinam docui, sedulò inculcavi meis auditoribus, ut præter doctrinam de febribus, etiam hanc de regimine puerperarum, harumque morbis sibi redderent perspectam, atque illos Authores, quorum pauci certè sunt, qui de hoc argumento ex voto & pro ejus dignitate & necessitate scripserunt, in succum & sanguinem verterent. Utque ipsorum memoriæ consulerem, totam praxin Medicam sub monitis quibusdam comprehendi, quorum illa, quæ puerperas tangunt, sub finem epistolæ, & quantum paginarum admittet angustia, adiiciam, visurus utrum albo calculo digna sint; quem si mereri posse existimes, dabo operam, ut reliqua in subsequentibus meis Epistolis per fragmenta publici fiant juris. Sin verò hæc ab aliis jam tradita & exhausta sint, tyronibus tamen non erunt inutilia: nunquam nimis dicitur, quod nunquam satis discitur; nec typographo ingrata, qui habebit quibus chartam vacuam implere possit.

Mictio involuntaria post partum.

Hæc de morbis puerperarum refricant mihi memoriam casus nuperrimè in praxi observati. Mulier ex pago Brigel, 45. annorum, post partum laboriosum mictionem involuntariam contraxerat, adhibuerat varia ex consiliis Medicorum, atque ab his in Empiricorum pervenerat castra. Tandem meam coram implorabat opem, opportunè profectò, cùm eo tempore Celeberrimi *Hoffmanni* disputationem de Suffumigiis perlegerem, itaque consului, ut bis de die suffitum admitteret ex musco pruni sylvestris, foliis quercus, & absynthii carbonibus injectis. Remedio hoc usa est ad præscriptum per aliquot septimanas, eoque restituta ab omni molestia vivit immunis. Sic ubi pretiosa nos fallunt & deserunt, subinde juvant domestica. Incidunt mihi quæ olim apud Barclaium me legisse memini. *Interim Poliarchus, inquit, delibuto aceto vulnera lavit, ne tumore arderent; oleoque deinde, quod Ascyri floribus tinctum erat, permulsit; securior notis in emptisque remediis, quàm in Medicorum fide, iniquissimam mercedem ex supervacua curationis mora interdum captantium.*

Remedium arthriticum.

Dicunt hic Te chiragra laborasse, de quo doleo, cùm Medicorum manus semper debeant esse paratæ & ad dandum & ad accipiendum. Nuperrimè commendavi arthritico rasuram radicis bryoniæ, quæ me hactenùs in inflammatione arthritica nunquam fefellit, à cujus applicatione tumor in carpo disparuit, dolor expiravit, & tendinis rigiditas in totum sublata est. Ego sali volatili acri, quo pollet bryonia, in acceptis refero quæ refero: Quippe hoc corrigit visciditatem, humores reddit fluxibiles, peregrino æthere, quem infert, succis restagnantibus, novam inducit fermentationem,

&co,

& eò ipso obstructiones reserat, recludit repagula & tubulos pertundit, ut succi in parvo illo orbe in orbem redire possint.

Historia morbi Dn. Bourdur.

Cæterùm sunt qui nosse desiderant, ex quo morbo vester Dn. *Bourdun* obierit. En historiam. Vocabar ego, cùm jam omnia spectarent ad interitum, reperi ipsum de Colica conquerentem cum abdominis distensione & respiratione anhelosa: externa algebant, interna urebantur; & jam oculus sinister dextro minor & extenuatus apparebat. Non vacabat mihi ordinarii Domini Medici adventum præstolari, vidi tamen remediorũ apparatum juxta fenestram, eapropter consignavi in schedula spiritum Nitri dulcificatum ad septem guttulas cum largiori vehiculo ex vitro subinde delibandum, atque rogavi, ut ordinario Dn. Medico priùs communicarentur, quò vel addere vel demere posset, sicque tacito cum prognostico ipsum brevi moriturum abii. Post meum discessum symptomata paulatim increverunt, supervenerunt sub mediã noctem vomitus nigri, similem quoque amurcam cum screatu, rejecit, sub auroram colliquativi apparuerunt sudores; circa septimã matutinam solvit naturę debitum. Ego ipsum passione Iliaca sive inflammatione intestinorum extinctum esse statui, & jam in aliis corruptam & nigram amurcam cum tussi vel vomitu rejectam fuisse vidi sæpius: serpit brevi gangręna per totum illum intestinorum tractum, & eò faciliùs sanguinem lethaliter turbat in mixtione, quò hic in pulmonibus diutiùs restagnavit, & jam ante putrilaginosam contraxit labem, id quod in Nostro factum esse ex dispnœa, qua plures per annos conflictatus est, facilè evinci potest: neque dissentiunt à nobis illi, re ipsa enim idem dicunt nobiscum, & verbis saltem discrepant. Miror tamen fuisse, qui nescio quæ accusare medicamina haud erubuerint, more apud vos (ut audio) jam à longo tempore introducto, cùm omnes Medicorum culpa apud vos moriantur, quod jam in vulgi fabulam abiit: sic habetis à fronte præcipitium, à tergo lupos. Nullus tamen dubito, quin ordinarius Dn. Medicus has calumnias diluerit, si quidem strepitus tales responso digni sint: Nam horum hominum judicia ægrotant, hinc patienter ferendi sunt. Misera profectò Medicorũ conditio, qui quotidie vident, sponte sua inimicos luxuriare, sicut in hortis urticæ propullulant, quamvis non advocentur. Serpit hoc malum velocitate, & paucis tantùm horis opus est ad evertendam viri honesti famam. Italorum proverbium est veriberbium: *Un inimico è troppo, ma cento amici non basiano.*

Obitus Dn. Cranen. Consiliarii & Archiatri Elect. Brandenburgici: ollim Professoris Leidensis longè celeberrimi.

Beati Cranenii obitum mecum dolent omnes boni, fuit is Historicus, Philosophus, Mathematicus & Medicus consummatissimus, quarum disciplinarum professiones cum laude sustinuit, earumdemq; spatia emetitus est. Hujus virtus vicit ac supergressa est vitium parvis magnisq; civitatibus commune, *ignorantiam recti & invidiam*. Procul ab æmulatione adversus Collegas, procul à contentione adversus dissentientes erat, & vincere inglorium & atteri sordidum arbitrabatur. Soli interim litabat veritati. Ego quoties tanti amici jacturam mente recolo, ejus quidem manibus benè precor, sed finis vitæ tanti viri mihi luctuosus, tristis & nunquam sine cura est. Ipsa cœlo nostro eripiuntur lumina, è quibus tantam lucem splendoremque fœnerebatur ars Medica, Bontekoe volo & Cranenium, quorum ille in destruendo ruinoso Medicinæ ædificio, hic in jaciendis solidioribus fundamentis & superstruendis novis columnis & fulcris desudavit. Ille acerbus & paulò rigidior in antagonistas, hic profundioris eruditionis, sedati animi, & pacis fuit amans, cui Natura ad intima thesaurorum penetralia concesserat claves. Elias sublatus est à nobis, & ad beatas levatus sedes, sed ubi inveniemus Eliseum, in quo duplex ejus fiat Spiritus? Nempe rem difficilem postulamus, hinc paucos in posterum habebit pares, superiorem neminem. Dicunt fore, qui manuscripta æternitati typorum dicare velint, inter quæ lucem præ aliis merebitur collegium quoddam in librum Cartesii de passionibus animi habitum, quo melius nulla vidit ætas. Vidi illud olim apud magnum nostrum Amicum Dominum *von Lent*, Theologum & Philologum Celeberrimum, qui hoc clarissimi ingenii monumentum possidet, utinam exorare eum possemus, ut illud publici faceret juris, cum dubitem an ullus alius istius scripti copiam habeat.

Brunneri Disp. de glandula pituitaria.

Dominus *Brunnerus*, Professor Heidelbergensis celeberrimus, Fautor, & amicus meus honorandus, elegantissimam de glandula pituitaria habuit disputationem, cujus nuperrimè mihi fecit copiam, atque pro Te, V. E. exemplar quoque addidit, quod hisce transmitto. Rogavit in literis, ut quid de glandularum usu sentirem, liberè cum ipso dividerem, qui ipsis non tam secretionis quàm præparationis attribuit munus; ego quæ sentiam proximè declarabo, fac ut & tuam ardua hac de re rescire possim sententiam. Quamdiù enim glandularum officium ambulatorium est, tandiu ipsa nutritio incertis vagatur sedibus. Bibliopola Jenensis, qui disputationes in Germaniæ Academiis habitas venum exponit, per aliquot nobiscum vixit dies. Ego præter Disputationes Medicas Clariss. *Wedelii*, mihi etiam comparavi *Zelleri* elegantem disputationem de vasorum lymphaticorum administratione: nec non *Albini* de hydrophobia, quæ multum habet in recessu: de fonticulis ejusdem, ut & poris corporis humani, quæ omnes profundam viri hujus produnt eruditionem. Est ille Albinus Professor Medicinæ Francofurti ad Oderam, Anatomicus, Chymicus & Medicus celeberrimus, quem Noster Crugius digno nuper mactavit in literis elogio. Disputationi Dn. *Brunneri* addidi pro comite Consilium diæteticon Rationale pro hæmoptoico, quod publico nuperrimè loco disputationis subjecimus examini. Non putem inutile fore, si ipsa etiam præcepta diætetica per causas rationales explicare auderemus, quæ maximam partem irrationalia esse, jam abunde notum est. Causam hæmoptyseos nec plethoram semper esse, nec cacochymiam existimo, cùm fere semper ex obstructione arteriarum capillarium sanguis restagnet, vel insolito motu versus ambitum pulmonum propulsus tardiùs ingreditur venam pulmonalem, sibique tali sub mora parat exitum. Non rarò præcedit mixtionis sanguinis turbatio, hinc in febri maligna hæmoptysis quandoque est pro symptomate.

Encomia virorum Clarissimorum.

Magnificus Dominus *VolcKamer*, Præses noster venerandus, dono mihi dedit Decur. 2. annum sextum Ephemer. German. huic ut obsequiosas meo nomine agere velis gratias est quod rogito. Audio Celeberrimum hunc Virum inter alias felicitates hac etiam, quæ non est postrema, frui, quod in Senectute videat filium paternarum virtutum æmulum, cujus in Philosophicis juxta ac Medicis eruditionem, & in secando peritiam mihi largiter deprædicavit Dominus Doctor *von Schagen*, Delphtensis Belga, qui Musas nostras nuper salutabat, vir sanè doctus & candidus: discessit à nobis Dominum *Muraldum* invisurus, & fortè nunc patrios repetiit lares.

De Motu.

Cùm diebus hisce de motu agerem in physicis, accepi literas ab amico, esse qui alium motum Solis & Planetarum brevi ostendere, novumque systema mundi delineare velit. Sed vereor ne idem illi contingat, quod Tychoni de Brahe accidit, qui cùm terræ motum non auderet statuere, aliud quæsivit systema, in quo deinde terræ plus motus attribuit, quàm ipse Copernicus, id quod statim ponam in liquido, modò quædam de motu patienter audire non grave duxeris. Veteres spectarunt motum ceu actionem quandam à movente proficiscentem, ipsique mobili impressam, non attendentes ad illam mutationem, quæ est in mobili, quando motum dicitur, vel in motu constitutum est. Ego enim nec actionem nec passionem in illo reperio, sed saltem alium statum, nempe vicinitatis cum corporibus proximè ambientibus, quæ ceu quiescentia specto, mutationem, sive quod idem est translationem. Sicuti enim quando corpori rotundo imprimo figuram quadratam, nullam huic corpori vim superaddo, sed alium saltem tunc in illo reperio modum, priori extincto & destructo, ut illud quod antea erat figuræ rotundæ, nunc quadrata gaudeat: Ita quoque corpus quod quiescit, quando jam est in motu,

motu, aliter profectò constitutum est, quàm cum erat in quiete. Neque tamen ipsi aliud quid contigit, quàm quòd transferatur & vicinitatem mutaverit. Sed cùm translatio sit reciproca, æquè de hoc dicitur corpore quod transfertur, tantum enim in uno reperio quàm in alio: Nempe in utroque est translatio, sive situs, vel vicinitatis mutatio respectu corporis proximè ambientis vel contigui. Tolle hunc de mensa librum dic illum moveri vel motum esse, quia respectu illius partis mensæ, quam immediatè attingit, situm mutavit; Verùm nonne hæc omnia pari jure dices de illa parte mensæ, cui incumbebat liber? nam & hæc vicinitatem mutavit cum libro quem anteà proximè attingebat: erit ergo motus reciprocus, & æquè de uno quàm de altero dici potest, Sicuti perinde est, sive dicas, mercatorem decimam ulnam abscindere à novem ulnis: sive dicas, ipsum novem abscindere à decima, quia abscissio illa est reciproca. Et si jubeam mercatorem unam ulnam abscindere, reliquas specto tanquam quiescentes & immobiles: sin novem ulnas abscindi cupiam, decimam specto tanquam quiescentem. Motus itaque semper est reciprocus, nec quies amplius absolutè datur in rerum natura, cùm mera sit situs negatio adeoque non-Ens. Ex hisce apparet in quem errorem delapsus sit Tycho, dum errorem vitare voluit. Dicebat, terram esse centrum firmamenti non solum, sed etiam istius viæ, quam sol circa ipsam anni percurrit intervallo: circa Solem duos cum sui cœli volvi planetas Mercurium & Venerem, Martem autem, Jovem & Saturnum, unà cum Sole, cum vastissimo illo fluido, terram immobilem in centro complectente, moveri circa terram. Jam si translatio est reciproca, sicuti revera est, & jam ex superiùs dictis patet, dicendum est, terram æquè imò plus moveri, quàm fluidum ipsam proximè ambiens; nisi enim terra sese liberaret à fluidi superficie, qua eam immediatè attingit, atque in contrarium moveretur, vel conatum haberet eundi in partem oppositam, abriperetur indubitatò ab illa mole ab oriente in occasum. Ergò ipse Tycho plus motus tribuit terræ, quàm Copernicus; qui eam circa solem moveri contendit. Res declarari potest exemplo admodùm evidenti & perspicuo. Duo Amici in diversis rhedis proficiscuntur Marpurgo Cassellas, sed per eandem viam. Quæro ex primo, quomodo Cassellas venerit, respondet se per ordinariam viam in rheda equis tractà appulisse. Alter rogatus dicit se per eandem viam venisse rhedæ quoque insidentem, sed viam subter rhedam profugisse vel subterlapsam esse, eumque sic Casselas attigisse. Ne verò subtercurrens via rhedã suam abriperet, equos semper elevasse pedes, & rotas circa axes fuisse motas, se intereà in rheda nullum percepisse motum. Jam quæso quis hic plus motus est expertus. Ego dicerem, rhedam in ultimo hoc casu plus habuisse motus quàm in priori. Hęc applica sententiæ Tychonis, & facilè tuum in omnibus mihi præbebis assensum. Sed ne modum epistolæ excedam, quæ restant in aliam servo occasionem, atque te salvere & valere jubeo. Dabam Marpurgi Calendis Septembris, Anno M. DC. LXXXVIII.

P. S.

MONITA MEDICA DE MORBIS PUERPERARUM.

1.
Puerperæ tractari debent, quemadmodum graviter vulnerati tractantur.

2.
Immediatè post partum detur restaurans in forma liquida, sed actu calidum, quo vix præstantius dabitur quàm haustus Theæ cum uno vel altero cochleari vini temperatus.

3.
Quies est puerperarum ancora salutis.

4.
Somno tamen non statim indulgendum, ne progressivus sanguinis motus sufflaminetur.

5.
Diæta debet esse excarnis, & primis quidem diebus tenuissima.

6.
Frigus est pestis puerperarum: Et terror mille malorum author.

7.
Morbi puerperarum ad unum ferè omnes vel ex mala victus ratione, vel ex frigore admisso, vel ex animi passionibus oriuntur.

8.
Egregium est prophylacticum, si puerpera sub spe & metu per undecim dies in lecto detineatur, & corpus semper ad madorem disponatur.

9.
Meliùs est, alvum primis diebus esse sicciorem, si interim lochia fluant ex voto, quàm si diarrhœa superveniat, hæc enim semper monstri quid alit.

10.
Purgantia ceu ipsa venena sunt fugienda.

11.
Potus semper debet esse tepidus.

12.
Etiam plus metuendum periculi à remediis refrigerantibus, ubi intensus adest calor, quàm à calidis.

13.
Si lochia ritè non fluant, dentur mitiora quædam blandiori suo sale vel spiritu sanguinis grumos dissolventia. q. s. sperma ceti, succinum, myrrha, tinctura myrrhæ, tinctura antimonii, tinctura salutis Langii, elixirium proprietatis sine acido, species pro puerperis Schroderi.

14.
Si puerpera febri corripiatur, illicò respiciendum est ad lochia, atque talia danda sunt remedia, quæ horum fluxum promoveant, si necesse sit; vel saltem non supprimant aut imminuant. q. s. C.C. sine ign. lapid. cancr. Antimon. diaphor. Cinnab. nat. myrrha rubra, sal volat. C. C. arcan. duplicatum.

15.
Fluunt tamen subinde lochia etiam in febri, quatenus continui solutionem in utero sequitur inflammatio, tuncque ægra in maximo versatur discrimine.

16.
Puerperę febri continua correptę facilè fiunt epilepticę, hinc in curatione semper ad graviora mala prospiciendum.

17.
Febris lactea, quę quarto vel sexto circiter die accedit, est ephemera aliquot dierum, & sponte cessat, si frigus non admittatur, aut error in diæta committatur.

18.
Dolores post partum sunt vel à spasmo ante partum inchoato, vel à sanguinis grumescentia.

TANTUM.

JOH.

JOHANNIS JACOBI VVALDSCHMIDT, EPISTOLA IV.

Ad Celeberrimum Virum

DN. JOHANNEM DOLÆUM,

Consiliarum & Archiatrum Hassiacum,

Quæ in ordine Dissertationum Epistolicarum Sexta est.

VIR CELEBERRIME.

PRæsagit mihi animus. Amice magne, fore ut in reprehensionem incurram, & impatientiæ, quòd tuo non exspectato responso partibus tuis anteverterim; & impudentiæ, quòd graviores tuas occupationes interpellare, atque nugas has in lucem edere non dubitarim. Equidem fateor me non latere, quot horas sibi quotidiè aula determinet, & quot aliorum ægrorum curæ reposcant, ut vix videam, quomodo laboribus tuis exantlandis dies sufficere possit, nedum quomodo unam vel alteram horam Encyclopædiæ tuæ Chirurgicæ, quam omnes Eruditi avidè expectant, impendere possis; hinc non opus est, ut per amicum interpretem mihi silentii tui dicas causam, vel excuses, quòd literarium sermonem hactenus non frequentaveris: Ego potius utrumque peccatum, si quod pecco, deprecor, æquitati tuæ confidens, qua omnia quæ tecum ago probare soles. Cùm enim Musæ nostræ mihi tantillum hisce diebus fecerint otii, ego etiam nihil usurpem libentiùs etiam ipsis in negotiis, quàm officium hoc literarium, veniam mihi dabis Te denuò dissertatione hac Epistolica compellandi. Vehementer autem cupio, ut certiorem me reddas, an hoc scribendi genus tibi arrideat, ubi videlicet velitationem instituentes, longiùs subinde excurrimus, eaque quæ linea subduci merentur, ipsis Philiatris & tyronibus etiam inculcare studemus; si enim Institutum hoc per me staret, methodum illam utroque approbarem pollice, cùm non tàm nobis quàm aliis scribamus, & nostræ Dissertationes etiam aliorum faciliùs merebuntur calculum, si Studiosi ex earum lectione voluptatem cum magno fructu conjunctam haurire poterunt. De cætero cùm in præcedentibus meis hinc inde quædam prætermissa videantur, placet denuò ea in scenam introducere. Initium autem facturus sum de euporisto *Variolarum* remedio, cujus & in Enchyclopædia tua Medica, & in Epistola tua, ni fallor, secunda fecisti mentionem. Promiseram eo tempore difficultates quasdam tecum dividendas, mihi à doctissimo Bremensium Doctore Medico *Dn. Harmes* motas, sed cùm eo tempore literas has aliis cum schedis per incuriam seposuissem, non licebat mihi stare promissis, quorum fidem nunc, reperta iterum scheda, impleo, obnixe rogitans, ut ea accerrimo tuo dignari velis judicio. *Incredibili scribit, flagro desiderio sciendi tuam, qua uteris in curandis variolis, methodum. Næ ego sæpius, & adhuc hisce diebus magna voluptate aureum D. Sydenhami de variolis perlegi tractatum. Multa fateor egregia & rara, sed non omnia ad palatum. Rotundo damnat ore quæcunque expellentia, sed nonne hisce sæpius opus est, cùm cana constet experientia, immanem edidisse puerorum stragem variolas erumpere nescias. Quòd si his supersedere possimus, methodumque hanc sequi oporteat, spectatorem hujus tragœdiæ otiosum, nullum verò actorem ageret Medicus. Quid quod nemo inficias iverit, fermentum in hoc malo esse acidum, hoc ne totum assimilet sanguinem, iuvigilare Medicum jubet Sydenham. Optimè; sed nonne absorbentibus oculis cancrorum, Antimonio diaphor. myrrha, rasura C. C. hunc effectum certiùs sortieris, quàm spiritu vitrioli, cujus vis corrosiva nunquam non est suspecta, ne dicam acidi fermenti tumultuantis furorem potiùs exasperare, oleumque affundere igni. Adde quòd methodus Sydenhamiana sit pura puta Galenica, dum blando quodam poppysmate sævientia duntaxat demulcere molitur symptomata, de causâ radicitùs tollenda minime gentium sollicitus. Excutiamus sodes illius pharmaca, 1. quidem aquam lacte coctam, tum spiritum Vitrioli in cerevisia tenui, tandem paregoricum ex Syrupo de meconio & laud. liquido exhibet. Hæc profectò non nisi motum sanguinis inhibent, causam mali ne quidem tangunt, adeò ut planè persuasus sim, prosperos successus bonitati potius naturæ, quàm hujuscemodi deberi remediis. Nonne jubemur omnes Medici crisin antevertere, præcipitationem juvare, motum materiæ primi Elementi cum peregrino æthere colluctantis promovere; hic verò fermentationem studiò refrænat. Equidem non is ego sum, qui tantum Virum redarguere ausim, sed & hunc scrupulum mihi eximi mallem; quòd si motus ille nimius, ex illius hypothesi, est sufflaminandus, hoc videatur fieri debere istiusmodi medicamentis, quæ causam motus tollere apta nata sunt. Dein putredini evitandæ prodesse docet vitriolum, nescio an myrrha ipsi cedat, cùm & hæc acido magis sit appropriata. Undecimo die novam febrem exanthemata minantur, cui præcavendæ vitriolum dicat. Sed præsupponit fortè massam sanguineam planè acido fermento defæcatam esse, nihilque in eo latitare scoriarum acidarum, id quod non leviter asserere, sed solidè probare opportuerat. Nonne videmus omni die ex fermento tali relicto tusses, diarrhœas abactis jam variolis, imò tum ubi in vado res videtur, sera morte tenellos mactare infantes. Videtur blandum diaphoreticum hìc obicem ponere potuisse? Plura mihi restant dubia, imprimis, num turbatio mixtionis sanguinis per Vitriolum restitui possit? sed ne patientia tua, &c.* Hucusque prælaudatus Medicus. Intereà dum hæc scribo pervenit ad manus meas Tractatus *Anchora salutis pro Variolosis* inscriptus, varia paucis sub pagellis complectens ad rem medicam spectantia, ex quo etiam, meo quidem judicio, superiùs motæ difficultates dilui possunt, unde eum pro comite huic Dissertationi

De Variolarum curatione.

tioni adjunxi, quòd ipsius Author Tibi forte non sit ignotus.

De Acidularum noxa.

De *Acidulis* optimè sentis, quòd sint ignorantiæ asylum & molestiarum levamen & remedium. Ego censeo, quòd fluidis corporis humani actuali suo frigore sint infensissimæ, hocque plus noxæ inferant, quàm particulis metallicis vel mineralibus, quibus gravidæ sunt. Quòd enim sitim sæpiùs excitent, quòd vomitiones causentur, & abdominis inflationes & phlogoses producant, hoc à frigore potius oriri putem quàm ab acido, quamvis non inficier, & hoc suum quoque conferre symbolum; hinc vulgares Peripateticorum qualitates hoc quidem in loco non malè primas & activas dixeris. Vidi ego guttam rosaceam ab acidularum usu vehementem in modum incrementa sumpsisse, pustulasque majores & saniosas confertim egressas faciem plus quàm anteà defœdasse. Refert *Listerus* in Tractatu suo de Acidulis, aquas frigidas salsas si potentur, vehementem sitim, vomitus & æstuationes stomachi excitare, diarrhœam movere, pustulasque in toto corpore expellere, quæ effecta obstructionibus & lymphæ visciditati à frigore introductis in acceptis ferenda. Observavi sæpius, & adhuc nuper, dolores inveteratos artuum, quamvis longo tempore siluerint, inter potandum rediisse, quod vulgus quidem pro bono habet omine, quasi acidulæ partes solidas perreptantes vitiosos humores aggrediantur, iisque bellum indicant; verùm præterquam quòd patientes plerumque contrarium experiantur, ego causam longè aliam novi, nempe succi nutritii vel etiam nervei, perinde enim mihi est quo nomine illum donare velis, cum & hic & ille sint lac, visciditatem sive lentorem & acrimoniam, cùm tubuli paulum in situ ob lapsum aliquem graviorem, vel defluxionem, ut loquuntur, perversi, præ cæteris faciliùs obstruantur, & dolorosam acquirant intemperiem ob succi illos transfluentis acrimoniam & lentorem, quam intemperiem non à virtute medica acidularum, sed ab earum frigore actuali proficisci persuasum habeo. Quædam fœmina potavit præterita æstate Acidulas Schvvalbacenses, ex eo laborare cœpit sepius cephalalgia atrocissima, sæpius ex cardialgico affectu vehementer ægrotat, atque constanter de sputo acido-austero conqueritur, omnemque culpam reiicit in Acidulas, quas per 14. dies horis matutinis non sine horripilatione quadam ob auram frigidiorem frigidas liberaliter hausit. Potus frigidus nusquam non nocet. Vir præclaræ conditionis pro temperando calore æstivo postquam frigidam cerevisiam affatim hauserat, denudato pectore per Musæum, cujus fenestræ omnes patebant, obambulavit, eaque nocte denudatus in lecto cubavit: corripiebatur circa auroram dolore colico cum cardialgia dolorifica, quam febris statim comitabatur, à qua non nisi longo post tempore convaluit.

Colica à frigore.

Utrum Acidis carere possimus?

Quòd si quis quæreret, utrum *Acidis* carere possemus? responderem ex tempore, & cum *BonteKoe* affirmatiavm tuerer. Acida præsertim fixa succis nostris sunt infensissima, & in statu naturali nullum acidum fixum reperitur in Oeconomia animali, quia acida sanguinis motum in circulum præpediunt, & mille modis nocent, volatilia autem salia motum progressivum & secundùm lineam rectam constanter promovent, adeoque tuta semper sunt, quamvis non omnibus jucunda.

Potus Thee innocuus.

Crimen quod *Thee* ferè promiscuè committit, & quod ab omnibus obiici solet, est, quod ventriculi imbecillitatem post se relinquat, vel saltem ob ventriculum debilem ferri non possit. Enim verò sicuti ridiculum foret, dicere velle, abstinendum fore ab usu sudoriferorum, quòd nonnulli ea statim per vomitum rejecerint, cùm tales potiùs audaciùs uti debeant sudoriferis, ut causa illa ob quam ea ferre nequeunt, sive ob quam languet ventriculus, quia scilicet ejus tubuli vel glandulæ sunt obstructæ, tollatur; ita illi qui ventriculum imbecilliorem nacti sunt, uti debent potu Thee, qui si quid aliud blennam resolvet & obstructiones reseret, hoc est, ventriculum ad invidiam usque confortabit. Sed cur innocentissimam Thee in jus vocant? nonne vel sola aqua calida tantum juvaminis afferre potest in podagra & calculo? de quibus prolixiùs egit Celeberrimus *Pechlinus in Dissertatione de potu Thee*. Fateor itaque, me non capere ea, quæ nonnemo de Thee pronunciat, ejus frequentiori compotatione calorem nativum instar flammæ lampadis oleo consumpto extingui; faterique necesse esse, immoderatum Thee, sicuti vini potum, humidum nativum citò nimis absumere posse, caloremque ac vitam extinguere. Quemadmodum enim illa, quæ de calido innato vulgò dicuntur, ficta sunt, ita reliqua nequaquam ceu effecta cadunt in potum Theæ, aut eum suspectum reddunt.

Vulnera vasorum lymphaticorum.

Occasione *incisi vasis lymphatici*, de quo in præcedenti mea Dissertatione Epistolica egi, memoriæ meæ occurrunt, quæ apud *Stalpartum van der Uviel* legi; is enim *Obs. 46. p. m. 452.* vasis lymphatici & præsertim salivalis vulnerati curationem perquam molestam & difficilem esse expertus docet, & pro confirmanda veritate aliquot alia ex *Solingio* & *Roonhuysio* allegat exempla, eumque in finem ol. terebinth. calidum, ol. sabin. pulv. centaur. min. commendat. Ego persuasum habeo, in incisione venæ alicujus non rarò simul vas lymphaticum pertundi, quæ vasa sanguifera instar hederæ hinc inde amplectuntur, unde postmodum liquor quidam lymphaticus non solum extillat, sed tandem vas convolvitur, vel ipsa lympha, concrescens in tophum, tumorem scirrhosum producit. Opportunè hanc in rem applicare possum casum, quem nudius tertius Socer meus transcripsit. Præfectus quidam contraxit ex venæsectione in brachio sinistro instituta tuberculum nucis juglandis magnitudinem si non superantem; tamen æquantem, quod Medicorum & Chirurgorum conamina hactenus reddidit irrita. Ego illud ex lympha ob vas lanceola pertusum restagnante ortum duxisse statuo, quis enim nescit in quantam succus lacteus concrescere possit duritiem, unde cataplasma ex sale tartar. armoniac. aliisque salibus volatilibus gaudentibus commendo, superimposito *Roorhuysii* emplastro ex resina pini & ol. mastichin. quod si nec hæc exspectationi satisfaciant, nec compressio lamina chalybea instituta juvet, confugiendum erit ad incisionem, & subsequens suppuratio facilè suggeret remedia ulterius adhibenda. *Solingius* postquam frustra usus fuisset in ejusmodi vulneribus vitriolo Cypri & cauterio, vas lymphaticum interceptum latiore ligavit vitta, imposito vasis ostiolo, priùs probè contracto, remedio adstringente. Ubi monendi nostri sunt Chirurgi, quibus nova hæc vasa portenta sunt invisa & monstra, ut horum vasorum ad lympham intercipiendam pressionem infra uvlnus, non verò sicuti in arteriis, supra vulnus instituant.

Natura vulgari modo accepta est non Ens.

De *Natura* vulgari modo accepta, non-Ente, & quod nec extitit in rerum natura nec existet, legi Tractatum *Dn. Boyle*, quem eo tempore mihi coram commendaveras. Ita quippe est, ut nihil aliud per *Naturam* intelligere possimus, quàm congeriem & complexum variorum accidentium: vel ipsas rerum essentias aut cogitationem aut extensionem: vel materiam primi & secundi Elem. Ipse terminus *Natura* usque adeò ignotus est, ut non nisi semel in tota S. Scriptura legatur, & quidem in Novo Testamento, quem locum etiam, si benè memini, ipse *Boyle* citavit. Necesse ita erit, ut suam nunc corrigant Philosophiam *Peripatetici*, cùm Aristotelis *Natura* fictitium quid, omniaque Scholasticorum Philosophorum circa *naturam* effata falsa sint. E contra recentiores Philosophi saniores orbi erudito proponent hypotheses, opinionesque minùs intricatas, quia nunc did icerunt *naturam*; ad quam hactenus docti æquè atque indocti confugerunt, *vacuam esse vocem*, licet hucusque una & postrema, quantumvis re ipsa nulla, difficultatum omnium solutio *Aristotelicis* præsertim fuerit. Merentur sanè attentionem verba illustris *Dn. Boyle*, quando in *libera in receptam Naturæ notionem disquisitione* ita scribit: Ostendi veræ Philosophiæ progressum impediri posse, ipsa hominum consuetudine assignandi rebus imaginaria aut arbitraria nomina tanquam veras effectuum Physicorum causas; Hæc autem inter arbitraria Vocabula nullum videtur malignius, ut ita loquar, fuisse *Naturæ*, plusque Physiologiæ nocuisse,

se, quàm vox hæc *Natura*, cum nulla alia toties & tam diversos in scopos usurpata fuerit. Quare quamvis omnem omnino vocis *Natura* usum affiniumque ipsi locutionum tolli nolim in vulgari sermone, atque etiam in Philosophicis quibusdam Dissertationibus, in quibus aut summus rigor non requiritur, aut ambiguitas ipso contextu præoccupatur, aut, ut verbo absolvam, quoties adhiberi potest tanquam sermonis compendium absque varietatis veræque Philosophiæ præjudicio, quibus in casibus ipsemet hanc vocem usurpo, futurum tamen spero ut libera nostra disquisitio nonnihil saltem conducat ad peritiorem investigationem, feliciоremque physicarum veritatum inventionem, si hac induci homines possint, ut minus sæpè, magisque circumspectè, tàm ambigua maleque sæpe adhibita voce hac *Natura* utantur, sibique deinceps non amplius fingant veri se Philosophi partes implevisse, donec methodo clara particulatim à Principiis, quę intelligi possint, Phænomena deduxerint. Quod aut quis præstare meminerit, aut se non præstitisse animadvertet, si neglectis generalibus ambiguisque vocibus conetur res explicare iis locutionibus, quæ ab attentis quibuscunque lectoribus communique intelligendi facultate præditis intelligi queant, perspicuamque hanc philosophandi methodum ingeniosi quique amplecti debent, hoc præsertim nomine, quòd ii, qui eam secuti sunt, varia rerum difficilium investigatione explicationeque, curioso hoc Sæculo non solum plurima feliciter detexerint circa varia Phænomena vulgò ad fugam Vacui relata, sed multa etiam in Hydrostaticis, Opticis, Anatomia, Botanica, aliisque variis, quibus immorari jam nequeo, realis disciplinæ partibus. *Hactenus illustris Boyle*.

Philosophia vetus & nova.

Tantum autem abest, ut hæc aliaque eo quo dicuntur animo à Novitatum Osoribus suscipiantur, ut potius in perversas detorqueantur interpretationes; usque adeò periculosum est, vel tantillum à veterum placitis recedere, aut falsitates eorum detegere, quod omnes, qui opus hoc periculosa plenum alea aggredi conati sunt, suo cum damno experti fuere; ut difficile sanè sit hoc nostro seculo medium tenere, hoc est, nec cum antiquis ampliùs errare, nec se cum Recentioribus odio exponere: interim quicquid etiam antagonistæ de novitate, hypothesibus figmentis, impietate & crimine nescio quo hodiernæ Philosophiæ dicant, firmo tamen & in omne ævum stabit talo æquum & ab omni partium studio remotissimum judicium, quod *Dn. Collectores Actorum eruditorum ann. LXXX. p.* 500. tulerunt. Illud, *dicunt*, tantum admonemus, sæpe quidem peccare recentiores Philosophos nimiùm hypothesibus indulgendo, & parum ad practicas scientias ab illis conferri, qui sola principia corporum remota (sive illa sint formæ, sive corpuscula,) ad Phænomena specialia explicanda adhibent; ac proin feliciùs sæpe ad usum vitæ eos philosophari, qui ultima analysi in remotas illas causas minimè tentata, interim resolutiones quærunt in illa, quæ manu tenere, & sensibus vel omnino, vel sic satis assequi, & in praxin traducere possumus. Hos ipsos tamen remotas illas causas non explodere, sed agnoscere potius debere, tanquam indubitatas, & ad generalia naturæ cognoscenda, rectumque de summa rerum judicium ferendum necessarias; cum nihil perfectè intelligatur, nisi ad principia velut Mathematica, licet, in partibus à sensu remotioribus consistentia, sit reductum. Hypothesin etiam esse magnifaciendam ad usum, ex qua quamplurima Phænomena particularia velut prædici possint, licet à priori aliam demonstrationem non habeat. Gravitatem autem aeris aliaque multa id genus accuratè stabilita, ac pro demonstratis habenda doctis plerisque videri. Denique si suppositiones suppositionibus comparandæ sunt, illa quæ sunt intelligibilia (qualia sunt, particulæ striatæ invisibiles, & his similia) censenda esse meliora, quàm Entia quædam semimaterialia in distans radiantia, quæ non tantum sensu sed & intellectu percipi nequeunt, & de quibus ob incognitam eorum naturam nulla definitione satis explicatam, quidvis etiam fortasse repugnans affirmari solet, ex prioribus enim si distinctè concipiatur, saltem aliquid discimus quod sit possibile, ex his omninò nihil.

Errores medicorum.

Hæc ad artem Medicam applicari possunt, si enim vulgarem medendi, & phænomena morborum per suas causas explicandi methodum accuratiùs & attentiùs inspiciamus, quæ non insaniæ, deliramenta, fabulæ errores, pericula? Quia tamen mundus opinionibus regitur, & homines authoritatibus & superstitionibus ducuntur, vulgares etiam Practici facilè in animis hominum fiduciam obtinent, magnamque acquirunt famam, quòd in praxi cauti admodum & circumspecti sint, & quòd non nisi *temperatis* & omnium tutissimis utatur remediis. Dicam autem apertè & ingenuè, quid sint illa *temperata* remedia, sunt nempe ejusmodi remedia, quæ non alterant, hoc est, quæ non juvant nec juvare possunt, ac proin ægri, sive curentur sive moriantur, curantur temporis beneficio, & moriuntur per ejusdem injuriam. Talis enim Medicus ne causam, quidem morbi suis attingit *temperatis*, & nihil agendo amplas subinde acquirit facultates, in eo cæteris prudentior, quod omnia se scire simulet, ut *Plautus* loquitur, neque quicquam sciat quodque recenti favore magnum acquirat nomen. Crescit enim Empiricorum fama eundo, & quamvs in principio vagus primum & incertus rumor de vulgarium Practicorum eruditione & scientia Medica oberret, mox tamen, ut in magnis mendaciis (sunt verba Taciti,) interfuisse se quidam & vidisse miracula affirmant; credula fama, inter gaudentes & incuriosos.

Excerpta Medica ex Vieussens.

Edidit hoc anno tractatus duos Physico-Medicos Celebris *Monspeliesium* Anatomicus *Reimundus Vieussens*, quorum primus de *remotis & proximis mixti principiis in ordine ad corpus humanum* spectatis: secundus de *fermentatione* agit. Placet in presentiarū quędam ex primo Tractatu in nostrum convertere usum, quo videant Philiatri, quantum lucis ars Medica è saniori Philosophia fœnerari queat. Considerat autem doctissimus hic Author, quem jam fama ob *Neurographiam* scriptam literato orbi commendavit, *cor* velut *trutinam lancibus quatuor* instructam quę, continuò momentis imparibus, seu viribus, sese alternatim superantibus libratæ indesinenter vicissim descendunt, & ascendunt. In hac trutina pericardium unà cum arteria & vena pulmonari *ansam*, tendo autem cui ventriculi & auriculæ cordis appenduntur, *jugum*, septum medium *lingulam* exhibet. Ventriculi cum auriculis *quatuor* ejus *lances* constituunt, quæ inæqualium virium suarum alternatim sibi cedentium ope perpetuò motibus oppositis agitantur, quemadmodum verę trutinę lances motibus etiam oppositis indesinenter agitarentur, seu descenderent & ascenderent, si momenta imparia, & vi quadam extrinseca sese vicissim superantia ipsis imponerentur: *pulmo* unà cum *mediastino* libri pendis vicem supplet, ne DEUM ipsum Spirituum ponderatorem hocce munere fungi dicamus, uti non abs re dicere possemus; cùm ab eo hujusce corporis nostri trutinæ motus omnes reverà pendeant: is enim est, qui eos pro libito modò per breve tempus, & modò ad plures annos sustinet atque conservat. Ut autem Dn. *Vieussens* accuratiùs demonstret, comparationem hanc cum cordis functionibus ex asse convenire, jubet cordis statum in ipso Adamo, postquam DEUS ipsi spiraculum vitæ inspiraverat, attentiùs contemplari. In quo primò notat statum æquilibrii, quem servare nitebatur juxta Philosophorum regulam, *Omne corpus tam diu manet in suo statu in quo est, donec deturbetur ab alio*; Adeoque vi hujus regulæ sanguis in ventriculis & auriculis cordis non magis motu suo expansivo cor dilatavit, quàm fibræ spirales substantia fluida motu vorticoso agitata imbutæ illud contrahere nitebantur. Verùm cùm Sapientissimo Mundi Conditori placuerit, ut cor statim à primo productionis suæ momento influxui vel potius affluxui spirituum animalium, sive liquoris nervei vel animalis, expositum esse, æquilibrium illud statim fuit sublatum, postquam fluida nervorum substantia altera motu vorticoso intra cordis tubulos agitata subtilior

lior fibrarum motricium nisum auxit, quippe fluida cordis substantia intra parenchyma vel contextum fluctuans, spiritus animalis appulsu jam vegetior facta, sanguinis sive fluidæ substantiæ intra cordis ventriculos contentæ nisum expansivum facilè superavit, spiralium fibrarum poros occupavit, eosque dilatavit, ut illæ inde breviores factæ cor contraxerint. Primus itaque cordis motus in Adamo fui *Systole*, sive contractio dependens à fluido intra cordis contextum motu vorticoso agitato, & ipsi superaddita vi spiritus animalis. Quo ipso sanguis patentes arterias, arteriam pulmonarem & aortam expeditè migravit, isque, qui in ipso erat parenchymate, vel uti expressus venam coronariam ingressus est.

Si regeras, quare sanguis ille non in venam cavam vel pulmonarem regurgitaverit, & quare sanguis non statim his ex venis illapsus fuerit? respondemus cum Authore, quòd cum fibræ illæ spirales jam breviores in contractione efformarent circulos, cor brevius factum, ipsasque valvulas tricuspides sursum sublatas januarum instar his ostiis oppositas fuisse, & sanguinem harum venarum exclusum nec aditum habentem versus auriculas cordis deflexisse.

Verùm unicum adhuc superest notatu dignissimum, nempe attendere est, materiam primi & secundi elementi poros fibrarum spiralium tunc in parte concava angustiores, quàm in convexa difficillimè transiisse, fibrisque vim elasticam, ipsis dilatandis idoneam conciliasse, spiritum autem animalem è cerebro manantem totum tunc versus cordis auriculas profluxisse.

Tali in statu permansisset *Cor* Adami, nisi alia causa extrinseca potentior accessisset, quam in elatere sive vi elastica, quam spirales cordis fibræ in statu contractionis habebant, & in impulsu illo sanguinis cordis ventriculos & magnos illius poros sive tubulos ingredi nitentis, quærimus, hac enim ex causa, quod jam prior vis contractrix ob sanguinis recens expulsi recessum derepentè exspiraret, fibræ anteà contractæ relaxatæ fuerunt, illarumque circuli longiores evaserunt, hinc sanguis arteriæ coronariæ universum cordis textum irrigabat, & is, quem cava & pulmonaris vena ad auriculas devexerant, ejus ventriculos subibat, eosque prima vice dilatavit, qui alter cordis motus *Diastole* vocatur, è vi elastica, quam fibræ in contractione sibi comparaverant, & ex impulsu sanguinis, qui ventriculos & magnos ejus poros subiit, compositus. In hac dilatatione fibrarum relaxatarum pori angustiores facti sunt, quia ipsorum parietes sibi invicem magis appropinquarunt, unde novam priori oppositam vim elasticam acquisiverunt, ipsis nempe contrahendis aptam natam, hac tamen non obstante cor semper in statu dilatationis permansisset, si nempe vis elastica, & impulsus sanguinis Ventriculos, & magnos illius poros occupantis, à quibus pendebat, spiralibus ipsius fibris semper æqualiter obstitissent. Enim verò illud prorsus impossibile erat; quoniam cor statim atque dilatatum fuit, mutatis fibrarum poris in figura & magnitudine, eam vim elasticam de repentè amisit, quæ huic dilatando conduxerat, & in locum illius opposita altera, illi scilicet contrahendo apta, substituta fuit. Ita ut solus impulsus sanguinis superesset ad cordis dilatationem sustinendam, verùm illa huic sustinendæ impar erat; quoniam spiralibus cordis fibris jam vires magnas communicaverat, atque adeò ipsis arma commodaverat, quibus expugnandum erat: aliunde verò spirales cordis fibræ præter novas à sanguine communicatas vires, alias adventitias habebant, quas à nova vi elastica, quam sibi modò comparaverant, & à spiritu animali mediocres earum poros recenter subeunte mutuabantur. Hinc factum est, ut illæ variis nunc commemoratis viribus simul unitis, quasi unica vi agentes, sanguinis, ipsas continuò laxare conantis, nisum facilè superarint, eoque superato, eadem, qua prima vice ratione sese contrahentes, *Cor* rursus ad contractionis statum restituerint; quem citissimè ob rationes superius allatas dilatationis status excepit.

Ex jam dictis palàm fit; vim illam, cujus ope *Cor* secunda vice sese contraxit, è vi fluidæ illius substantiæ, & binis aliis viribus ipsis superadditis, nova scilicet vi elastica, quam sese dilatans acquisiverat, & impulsu spiritus animalis mediocres illius poros recens ingressi, compositam esse. Quæ si auricularum statibus diversis applicare velimus, edocebimur, eas eadem via vim contractricem & dilatatricem acquisivisse, & ipsum Cor pariter & auriculas in muniis suis obeundis à se invicem ita dependere, ut illud sine his, & hæ sine illo diu motus suos obire nequeat, quippe commercium illud cordis cum auriculis, & auricularum cum corde circulationis sanguinis author & conservator est haud infimus. Ita ut cor & auriculæ spiritum animalem, imò & innati spiritus sui aliquid ad se invicem amandent, quoties dilatantur; ita sanè spiritus animalis, & innatus à corde sese dilatante ad auriculas amandati eas ad se se contrahendum determinant; quemadmodum sanguis, quem ipsummet cor sese contrahens in cavitem illarum compellit, iis dilatandis inservit; spiritus animalis pariter, & innatus, quos auriculæ sese dilatantes ad cor amandant, illud ad sese contrahendum determinant; sicut sanguis, quem in ventriculos illius dejiciunt, ubi contrahuntur, huic dilatando conducunt. *Binæ* itaque *auriculæ* & *Cor* contrariis duobus motibus sese vicissim proximè consequenti bus, motu nempe contractionis & dilatationis, perpetuò cientur, quandiu vivit & sanus est homo. Hoc tamen auricularum & cordis motibus discriminis interest, ut illæ contrahantur, cum istud dilatatur; & dilatentur cum cor contrahitur: sed motus usque adeò velociter fiunt, ut licet successivè fiant, uno tamen eodemque ferè momento fieri videantur; nisi cum properante morte animal languere incipit; tunc enim distinctiùs ejusmodi motus percipiuntur, & insuper observantur, quòd reliquis cordis particulis emortuis, dextra superstes adhuc viva t auricula, quæ prima vitalem motum inchoaverat.

Neque tamen putandum est, cor in sanguinis circulatione producenda omne ferè punctum, cum & arteriæ suum conferant Symbolum, quippe & hæ ejusmodi donatæ sunt fibris, quæ & in prima dilatatione & contractione arteriarum vim elasticam nactæ sunt; & cùm venæ non instructæ sint fibris elateris capacibus, omnis quoque pulsationis expertes reperiuntur, si illas saltem exceperis fibras, quæ in ostio cavæ & pulmonaris venæ observantur. Puto etiam clarè sic intelligi, primam arteriarum contractionem è motu vorticoso fluidæ substantiæ illarum tubulos occupante, & impulsu spiritus animalis, & è vi elastica, quam acquisiverunt, dum dilatarentur, compositam fuisse: dilatationem autem motui sanguinis expansivo, impulsui à corde communicato, & elasticæ vi in acceptis ferri debere.

Pro dictorum veritate confirmanda & illustranda repetenda quoque essent illa, quæ Author de structura & fabrica cordis cum suis vasis præmisit, elegantibusque figuris ad vivum quasi expressit, sed cum hæc vix ac ne vix quidem exscribi possint, saltem revertar ad ea, quæ viam ad vim illam elasticam clariùs intelligendam planam magis reddunt. Observari autem velim, Veteres nihil ferè de vi elastica ejusque causa scivisse, donec recentiores Philosophi discussis crassioribus ignorantiæ nebulis novum hunc corporum quorundam statum explicare cœperint, inter quos primas tenet *Cartesius*, quem *Robault*, *Perrault*, *Mariotte*, *Hamel*, *Le Grand*, *Sturmius*, aliique plures sequuntur. Hi enim rejectis formis substantialibus, & Principio Hylarchico excusso, causas magis rationales & intelligibiles in apricum producunt, atque vel motum hunc sive rectiùs conatum ad motum materiæ primi & secundi elementi, vel pressioni aeris subtilioris, in acceptis fuerunt. Est autem alter vis quædam occulta & extrinseca, cujus ope corpora quibus imprimitur, naturalis tensionis statum recuperare nituntur, cùm primum ipsum amiserunt. Nolim tamen, ut fortè

putes,

putes, Authorem nostrum per vim occultam qualitatem quandam inexplicabilem intelligere, cum statim ex illis, quæ definitioni subiicit, contrarium cuivis appareat, dicit enim, vim illam nihil aliud esse, quàm motum à primo & secundo, vel à primo tantum elemento corporibus quibusdam communicatum, dicique occultam, cum per suos effectus solummodò dignoscatur, & à causis pendeat, quæ insensibiles, & corporibus quibus inditur extrinsecæ sunt.

Causa itaque primaria est primum & secundum elementum, frequentiùs tamen primum, quippe pori subinde ita parvi evadunt, ut secundum elementum ipsos penetrare nequeat, sicuti in poris aeris condensati contingit. In ipso autem corpore certa pororum requiritur coarctatio, ut materia subtilis pari alacritate, qua ingreditur, ab altera parte egredi nequeat, hinc non quodlibet corpus elateris capax est, qualia sunt dura fragilia, dura flexibilia; mollia, liquida, plumbum, cera, aqua, &c. sed illa solùm, quæ extensa vel contracta poros adeo angustos accipiunt, ut materiæ subtili non pateat liber commeatus, hinc fit, ut illa corpora impressam vim recipiant, vel ad dilatandum vel ad convolvendum. Sic omnia corpora dura, flexibilia longa vim elasticam acquirunt, quoties in arcum rediguntur, imò & dum intorquentur, aut in semetipsa convolvuntur, quoniam tunc illorum pori è regione curvaturæ adeo angusti fiunt, ut materiæ subtilis liberum transfluxum denegent. Corpora arcuata elateris fiunt capacia, 1. quando ipsorum extremitates ad se invicem multùm appropinquant, quia tunc pori è regione curvaturæ admodum angustantur, 2. Quando cornua sive extremitates nimium dimoventur & elongantur, tunc enim pori è regione curvaturæ opposita admodum exigui fiunt. Eodem quoque modo corpora in spiras conformata vim elasticam acquirunt, quatenus 1. quando minores fiunt, quàm sunt in statu naturali, pori internæ superficiei angustissimi redduntur, quod in lamina chalybea horologii, elateris nomine donata, videre est. 2. Quando ampliores evadunt, quàm sint in statu naturali, quia tunc exterioris superficiei pori admodum angustantur.

Quo quidem nihil jucundius, nihil utilius ex physicis in forum Medicum transferri poterat. Hoc enim pacto doctrina de motu musculorum omnibus plana reddetur atque perspecta, cùm & hi vim habeant elasticam, & in statu naturali semper in tensionis quodam statu sint constituti, atque sese semper contrahere nitantur: omnesque corporis partes, quæ musculorum antagonistarum ope moventur, semper in quodam æquilibrii sint statu. Videmus enim, quòd si musculus quidam ex transverso secetur, aut paralysi afficiatur, antagonistam illius, quod nulla amplius præstò sit causa, quæ actionem ejus impedire queat, totum in se ipsum vi propria etiam reluctante anima contrahi. Præterea videmus, quòd musculus, si principium ejus transversim scindatur, innatæ vis suæ ope totus caudam versus feratur: quemadmodum ad caput retrahitur, si finis illius secetur; & utramque versus extremitatem conglobatur, dum circa mediam sui partem rescinditur. Quam vim innatam musculorum non aliter, quàm per calorem sive fluidæ alicujus substantiæ mediocres illorum poros occupantis motum vorticosum explicari velim; hæc enim poros semper dilatare nititur, qui dilatari nequeunt, nisi musculorum longitudini aliquid decedat, ipsique musculi perpetuum ad contractionem habeant conatum. Qua vi etiam musculi sphincteres dicti partes, quas occupant, continuò stringunt.

Lucem quoque haud exiguam inde fœnerabitur abstrusissimum illud respirationis negotium, quod motibus oppositis perfici indies experimur, Ubi novum quoddam mihi opportunè incidit experimentum hisce diebus à me institutum, & iconismo imposterum delineandum. Sumpseram pulmones recens è thorace exemptos, eosque recipienti immittebam pendulos, extraxi antliæ beneficio aerem ambientem; quo abeunte illa aeris interni intra vesiculas pulmonales fluctuantis portio vim suam exserebat elasticam, atque pulmonum lobos in magnam distendebat molem; Hoc Experimentum si pulmonibus fœtus in utero materno mortui instituatur, non succedet, argumento, pulmones omni adhuc aere esse vacuos. Quo ipso solidissimè probari posset, utrum infans recens in lucem editus ipso in partu adhuc vitalis fuisset, nec ne, de quo aliàs Juris Consulti agere solent, volunt enim, ut parturiens suspecta infanticidii mediante tortura obtineat rei veritatem, cui supersedere possent, si pulmones prædicto experimento subiicerentur, hoc enim certius de infantis vita vel morte paulò ante partum perhibebit testimonium, quàm si pulmones aquæ injiciantur, atque ex eorundem gravitate vel levitate litem hanc dirimere velimus.

Novum Experimentum circa respirationem & vitam fœtus.

Sed aures mihi denuò vellicat Phænomenon quoddam hactenus explicatu difficillimum, quare videlicet in apoplecticis, & in animalibus, in quibus nervi octavi paris, & bini intercostales circa ingressum in cavitatem corporis scinduntur, cor ad plures adhuc horas regulares contractionis & dilatationis motus obeat. Novi quidem, quòd *Cartesiani* dicant, pulsum & respirationem aliquandiu manere in apoplecticis, quòd viæ illæ, per quas spiritus animales ad diaphragma & cor manant è cerebro, magis tritæ sint, poriquæ illorum nervorum magis patuli: verùm quamvis huic quidem Phænomeno sic satisfieri posse videatur, alterum tamen, quando scilicet nervi dissecantur, nondum solutum erit.

Phænomenon circa pulsum & respirationem.

Cui nodo solvendo *Dn. Vieussens* Alexandri gladium nobis suggerit, dicendo, cor moveri sanè debere, etiam nullo manante à cerebro spiritu animali; quia, dum semel contractum fuit, illud citra ullum spiritus animalis subsidium, elasticæ suæ vis ope, & sanguinis impulsu dilatatur: ubi verò dilatatur, aliam vim elasticam priori oppositam sibi comparat.

Non solùm itaque cor movebitur, sed & æqualiter movebitur, quoties scilicet nullum aliud ipsi occurrit impedimentum: quoniam tunc temporis sanguis; à quo potissimum motus illius dependent, ventriculos & auriculas ejus eodem servato ordine, aut velut passibus æqualibus, saltem ad aliquod temporis spatium, permeat, atque adeò ipsum ad motus æquales obeundos sollicitat. Nihilominus tamen his in casibus motus cordis diu perstare nequit, quoniam spiritus animalis affluxu ad cor impedito, hic ad pulmonem uno eodemque tempore impeditur, cum iidem nervi parti utrique prospiciant. Hinc autem fit, ut sensim cordis vires necessariò destitutæ subsidio labascant, & pulmonis constitutio naturalis labefactetur, seu ejus tonus laxetur. Ubi verò cordis vires labascunt, & pulmonis textum laxatur, illud languidè sanguinem è ventriculis suis dejicit, & iste huic commeatum denegat. Inde fit, ut tunc pulsus mutetur, & sanguis in substantia pulmonis sistatur, cujus vesiculas & bronchia tandem ita comprimit, ut respirationem prorsus impediat, & apoplectici, & quibus nervi octavi paris & bini intercostales circa ingressum in cavitatem pectoris secantur, intra breve tempus præfocati moriantur, & in ipsis pulmo semper inflammatione quadam affectus reperiatur.

Discant nunc tyrones, non dari in rerum natura simile compositum quale est homo, una enim sui parte ad naturam DEI & Angelorum accedit, altera ad res extensas pertinet, duoque in se continet principia essentialia, quorum quodlibet certarum operationum author est, quæque non nisi per solam DEI voluntatem conjungi poterant, ut mutuum actionum & passionum inter se exercerent commercium. Principium illud immateriale vocatur *Mens*, cujus vita semper actuosa in cogitatione ponitur. Alterum materiale sive *Corpus* vivit per motum & convenientem omnium partium dispositionem, varios admittentem gradus; si enim penitus destruatur, non amplius digna censetur hæc machina, cui juncta maneat mens, hinc mori di-

Homo stupendum compositum

citur.

citur. Sæpius tamen illa dispositio in tantum labefactatur, ut vel nulli ad tempus, vel pauci iique valde imbecilles cieantur motus, qui non raro, si tempestivè suppetias feramus, in integrum restituuntur, id quod in Lipothymiis, passione hysterica, apoplexia, aliisque cum motus & sensûs ablatione infestantibus morbis videre est.

Hinc Medici omnem suam in eo locant operam, ut fluidorum itum & reditum per cor cum appensis canaliculis & vasculis conservent, hocque animæ domicilium ab injuriis quibus expositum est vindicent, eumque in finem salia sua volatilia oleosa, potum Theæ, aliaque humorum fluiditatem conservantia commendent.

Motus Cordis restitutio

Jucundum pariter ac utile est intueri experimentum in corde animalis recens mactati institutum, hoc enim quamvis jam omni destitutum videantur motu, eundem tamen recuperare videtur, si charta spiritu vini dephlegmato imbuta tegatur, vel spongia spiritu cornu cervi composito turgida foveatur, id quod eò meliùs succedet, si intereà ipsi pulmones ab alio adstante inflentur, concessis semper ad exspirationem induciis, hoc quippe reciproco motu tantum efficies, ut fluida illa intra musculos cardiacos (cor enim ex duobus compositum est musculis,) adhuc commorans substantia motum suum vorticosum denuò exerceat, atque vim elasticam fibris circularibus restituat, etsi nulli ampliùs spiritus animales è cerebro affluant.

Epithemata cardiaca.

Exin patet, quam ineptè externis cardiacis subinde misceant Practici lignosa, testacea, viscosa, frigida, acida, aliaque, cum præter camphoram, crocum, salia volatilia, aquas spirituosas, & aromatica, cætera omnia pretium saltem adaugeant, viribus autem nihil superaddant.

Vita mentis

Sed cum superius vitæ mentis fecerim mentionem, miror perfectò, quod *Spinozistæ*, pessimum hominum genus, eam pro modo extensi habeant: Quippe vix dignos hos censeo, cum quibus in arenam ampliùs viri boni descendant, præsertim cum in hac palæstra jam triumphum egerit *Poiret* in suis Metaphysicis, quem tamen in scyllæ scopulos illisum fuisse, ut voraginem charybdis evitaret, alii judicant.

Summa rei hæc est. Quilibet propriam suam hic excutere debet conscientiam, & fatebitur vel invitus etiam, quòd concipiens rem cogitantem non possit alium conceptum rei, alium cogitationis formare, & quod propterea cogitatio, quoniam in suo conceptu nullam aliam rem involvit, sit substantia, non modus utpote qui in conceptu aliam adhuc rem involvunt. Deinde provoco denuò ad cujuslibet conscientiam, testem omni exceptione majorem, annon quivis in se ipso experiatur, quòd clarè & distinctè possit intelligere se tanquam rem cogitantem & non extensam, ita ut clarè & distinctè percipiat non solùm rem cogitantem, sed ut etiam simul percipiat, se jam non cogitare de re extensa; hoc autem cùm fit, indubitatò liquet, quòd rei cogitantis essentia non involvat in se essentiam rei extensæ, & quod propterea essentialiter differant, ita ut inter rem cogitantem & extensam nulla affinitas, nulla cognatio, multò minùs identitas reperiatur, sicuti inter rem extensam & corpus identitas, inter corpus & figuram inseparabilis dependentia & affinitas, inter figuram & magnitudinem vel motum, quasi collateralis quædam cognatio & quasi radicatio in uno subjecto reperitur.

Debet autem illa clara & distincta cogitatio unius rei absque altera, non solùm per abstractionem fieri, sicuti fortè concipio figuram habentem tres angulos, non cogitando eos angulos esse æquales duobus rectis, quæ tamen proprietas inseparabilis est ab ipso triangulo, & ab ejus essentia non differt realiter: aut sicuti fortè intelligo latitudinem sine superficie, sed illa debet fieri per omnimodam exclusionem & negationem alterius rei, & sic quilibet in propria conscientia convintur, quòd habeat ideam rei cogitantis, exclusa etiam & negata omni re extensa

Sed hæc quasi in digressione appono, nactus hodiè occasionem ex lite, quam Authori Tractatus *Medicinæ mentis & corporis* aliqui intentant, eum insimulantes Spinozismi, aut nescio cujus hæreseos postulantes, quam tamen suspicionem justitiæ & æquitati causæ confidens omnimodo declinare vel abstergere contendit, de quo legi potest Mensis Junius, libri, qui hoc anno prodiit sub titulo: *Schertz und ernsthaffte, vernünfftige und einfaltige GedancKen uber allerhand lustige und nutzliche Bucher und Fragen*: h. e *Cogitationes rationales & joco-seriæ super varios libros & quæstiones jucundas & utiles*, in Octav. Hallæ 1688.

Excerpta ex cogitationibus rationa libus.

Author hic quisquis etiam sit, profundam suam eruditionem, & ingenii acumen ostendit in Historicis Politicis, Philosophicis, Jure publico & privato, imò in omni Scibili, Sunt tamen quibus displicet, quòd cordatè nimis & audacter scribat, & quòd acriùs subinde invehatur in Philosophiam Aristotelicam, eamque falsis dicteriis ubivis ferè prostituat, quodque non pertimescat Tritum illud, Veritas odium parit. Verbo, eum sibi nimis indulgere existimant. Neque diffiteor, ipsos quoque Medicos subinde pungi; ea propter si grave Tibi non fuerit, *Vir Experientissime*, pauca inde excerpam eaque his subjungam, præsertim cùm dubitem, librum hunc ad tuas adhuc pervenisse manus, vel tibi saltem tantum fuisse otii, ut illum perlegere potuisses.

In Præfatione viam sternit ad menstruas suas relationes, par hominum introducens de præcedentia litigantium, ubi vanam hanc gloriam tot malorum authorem acute satis perstringit. Pro Mense *Ianuario* disserit de electione librorum. Equidem certò certius est, quod ipsi tituli sæpissime fallant, unde mala emptio postmodum semper ingrata est, eo maximè, quòd exprobrare stultitiam Domino videtur. Hinc noster recenset Conciones Patris *Augustini* Ordinis *Abrahami à Sancta Clara*, easque Collocutorum censuræ submittit.

Ab his transitum facit ad varia Historica, Politica & Phliosophica, & in hanc rem rariores quosdam introducit libros, v. g. Pradii origines Rerum Capitanorum: Vindicias Romani Imperii contra Pradium: Ludolphi de bello Turcico feliciter conficiendo: Mercure Historique & Politique: Le conquestes du Marquis de Grana dans les pays Bas: Le Comte de Soissons. In *Februario* prolixè disserit de Licentis & Accisis. Deinde verba facit de Majestate Potentissimi Electoris Saxoniæ, vel è facie legenda, ejusque Magnanimitatem & Clementiam ea qua par est devotione & animi submissione descri bit, cujus Fortitudinem jam dudum inter alias res gestas Expeditio pro Vienna ab obsidione liberanda facta deprædicavit. Allegat Noster eum in finem Orationem Panegyricam *Antonii de Amadoris* Romæ habitam, ex qua sequentia excerpsit verba: *Non detrectavere pugnam Barbari, quorum ardorem & primum belli impetum fortissimi Saxones excepere, qui, tanquam pro modo virtutis fortunæ gradus deberetur, prima in acie constituti, illatis ultrò acceptisque vulneribus in vestigio quisque suo famæque superstites cecidere, haud indigni illius in imperio Principis, à quo gloriosissimè ducebantur.* Eodem in mense agit primo de Scriptis Satyricis, deinde de actis Eruditorum aliisque. In *Martio* varias disciplinas virgulæ censoriæ submittit, imprimis veterum Metaphysicam & Physicam definit qualitatem occultam, quod sit vocabulum eleganter sonans, cujus vi Physicus ignorantiam suam obvelare, & incautam Juventutem occultè emungere potest. Varillas Historiam errorum & mendaciorum redarguit. Peripateticorum ineptias ridet, Cartesium excusat, præsertim quoad dubitationem pag. 327. de Scriptis *Poiret*, *Malbranche*, *Velthuysen*, *Tschernhausen* animi sui sententiam cordatè & candidè explicat. Pro *Aprili* iterum introducit *Aristotelem*, eumque Satyrico defricat sale. Examen Alexandri Magni ab ipso Aristotele institutum describit, in qua sequentium thesium defensionem sustinuerit Alexander, quo illos pungit, qui Principes scholasticè nimis & in inutilibus informant. An Logica sit ars, an habitus? *Ob die Logic ein ars odtrein Habicht sey?* An rectiùs scribatur Autor an Auctor? Sæculum

Theses ab Alexandro Magno pro & contra disputata.

an

an Seculum? cottidie an quotidiè? Philosophia an Filosophia? Triumphus an Triumfus? An Hæcceitas sit principium individuationis? An narratio sit de essentia Rhetoris? Quænam sit differentia ratione partium essentialium inter orthodoxam orationem & justam concionem? An furor Poeticus sit habitus innatus, an acquisitus? An Imperium Romanum sit futura quarta Monarchia? An unitas sit numerus? An quadratura circuli sit ante finem mundi speranda? An Algebra sit primum fundamentum inquirendæ veritatis? An Luna sit major disco? An Sol moveatur? An Societas paterna pertineat ad essentiam familiæ? An pauper possit esse liberalis? An detur Principium Hæcceitatis? An stultitas an verò stultitia sit abstractum stultorum? An detur conceptus medius inter Ens & non-Ens? An rectius dicatur caseum habere formam an figuram? quia caseus quidem est inanimatus, sed generantur tamen in eo vermiculi animati æquè ut in homine? Quæ quamvis ficta sint, & à nonnullis pro ludicris habeantur, vim tamen dictorum assequuntur facile illi quos æquus amavit Jupiter.

Ego librum hunc dignum censeo, qui Theologis, Politicis, Philosophis & Medicis commendetur, sed qui capit quo capiat.

De his aliisque imposterum plura, nunc enim Te diutius detinere nolo, sed bene valere jubeo. Dab. Marpurg. XV. An. 1688.

JOHANNIS JACOBI VVALDSCHMIDT EPISTOLA V.

Ad Celeberrimum Hassiæ Medicum

DN. JOHANNEM DOLÆUM,

Consiliarium & Archiatrum Cassellanum.

Quæ in ordine est Septima.

NOBILISSIME DOMINE
Fautor & Amice colende!

VT cœptam pertexam telam, denuò Te, Vir Præclarissime, tuosque labores interpello, ea, quæ in præcedentibus meis literis adhuc dicenda erant, impræsentiarum allaturus. Dictum autem fuit de præcipuo illo machinæ humanæ automato corde, mediante quo sanguis ita urgetur, ut non solùm ad omnes totius corporis partes abeat, sed etiam inde eleganti ordine ad cor redeat, quod propterea unà cum arteriis vi duplici elastica gaudere persuasum habeo, eamque in rem quædam ex allegato Tractatu *Dn. Vieussens* in scenam produxi. Enim verò sunt quibus hæc, quæ de vi cordis elastica dicuntur, difficiliora cognitu videntur, quàm illa quæ vulgò per facultatem expultricem explicari solent. Nescio autem utrum doctissimi hi viri legerint unquam illa, quæ in Physicis de attemperato chalybe ejusque vi elastica, non de particulis aeris flexibilibus, quidem & plicabilibus, sed vi elastica præditis, eum in finem afferuntur, cùm certum sit, quòd qualitas sive vis illa à duritie & mollitie filamentorum, pororumque constanti figura & angustia dependeat, sicuti id manifestum fit in arcu, qui perpetuum talem ad resiliendum habet conatum, quamdiu ipse ether poros ab una parte pleno agmine ingreditur, ab altera autem pari facilitate egredi nescit, ipsaque filamenta in debito rigiditatis manent statu. Quod si fortè vis illa elastica exspiraverit, facilè regenerabitur, si lamina illa chalybea denuò incudi committatur, & malleo contundatur, ut partes iterum propiùs ad se invicem accedant, ipsique pori priorem dum flectitur induant figuram, tunc enim nova vis elastica comparebit. Ut vel inde constet, qualitatem illam à fluido & solido dependere, quod jam in præcedentibus meis literis abundè satis probavi. Sin plura expetant, legant quæso illa quæ *Roahult* habet, & quæ hunc in finem disseruit *Perault*, aliique plures; nullus enim dubito, quin calculum nobis adjecturi sint, præsertim si ex confessis in parte Physices generali argumentari velimus, quòd videlicet vacuum dari nequeat, & quòd consequenter fluidum ipso aere subtilius poros angustissimos transeat, & quòd plurima phænomena circa aeris qualitates aliorumque corporum facillimè per materiam subtilem explicari possint, dum è contra facultates illæ nil nisi vacuæ voces sint, quæ prout à Veteribus concipiuntur, nullibi in rerum natura existunt.

De vi elastica cordis.

Quomodo restituatur in chalybe.

Nunc porrò mirari subit, qui fiat, quòd 1 venæ non pulsent? 2. Quod non plus sanguinis propellatur per arterias quam per venas, cum tamen sanguis celeriùs multo fluat in arteriis, quàm in venis? & 3. Quomodo mechanica illa & levis pressio facta à corde toti moli sanguineæ propellendæ possit esse sufficiens? Ad quorum primum respondeo ex prælaudato in ultimis meis Authore *Reimundo Vieussens*, quòd venæ careant fibris elateris capacibus, exceptis iis quæ in ostio cavæ & pulmonaris venæ observantur; quarum quælibet ibi, ubi in auricula cordis aperiuntur, fibris elateris capacibus intertexitur: Et *vena cava* quidem membranosum habet processum, cujus fibræ carneæ ad dextram cordis auriculam protenduntur, & cùm motricibus illius fibris uniuntur, hinc est, quòd auricula dextra contrahi & dilatari nequeat quin hujusmodi processus contrahatur & dilatetur ita ut contractionis suæ ope totum sanguinem, qui in ipso venæ ostio continetur in dextrum cordis ventriculum protrudat, dum auricula dextra suum in ipsum dejicit, & uno eodemque tempore valvulæ clausæ vicem gerens sanguinis è partibus cordi superioribus descendentis pondus sustineat; atque adeò impediat, ne tum pondere tum impulsu suo cor obruat, & sanguinis à partibus cordi inferioribus ascendentis motui obnitatur, eumque inferiora versus refluere cogat. Ubi verò membranosus ille processus dilatatur, valvulæ apertæ vicem supplet, adeò ut sanguini è superioribus cordi partibus per venam cavam superiorem refluo viam ape-

Quare venæ non pulsent.

aperiat, ut in ostium ipsiusmet venę cavę & in auriculam dextram ingrediatur; quin propterea sanguinis vena cava inferiore delati motui obsistat. *Vena pulmonaris* autem circa radicem vel insitionem suam plures fibras carneas ad sinistram usque protendit cordis auriculam, quæ cum motricibus illius fibris uniuntur, ita ut prædicta auricula contrahi & dilatari nequeant quin radici ejus adjacens vena pulmonaris contrahatur & dilatetur. Quamvis itaque duæ hæ venæ in radice pulsatorio motu cieantur, nullibi tamen pulsus extra hæc confinia ob vis elasticæ defectum cieri potest. Addo aliam quoque causam, quoniam videlicet vis sanguinis expansiva, ejus motum vel egressum è corde adjuvans, multum ipsis in arteriis imminuitur, ut in venis non amplius tanto cum impetu in parietes arietet, presertim cum in his ex loco angustiori semper in augustiorem promoveatur.

Quare non plus sanguinis effluat è corde per arterias, quàm per venas refluit?

Ad alteram quæstionem respondeo, venas esse ipsis arteriis duplo majores, celeritatem motus sanguinis arteriosi compensari in venis amplitudine vasorum, eapropter semper servabitur ęquilibrium sanguinis arteriosi cum venoso, & nunquam plus sanguinis effluet per arterias quàm per venas regreditur. Quę variis experimentis Mechanicam Staticam, & Hydrostaticam concernentibus confirmari possunt. Ut enim duo corpora mole inœqualia habeant quantitates motus æquales, necesse est, ut lineæ quas decurrunt, reciprocè sumantur quoad molem. Ex. gr. Si corpus altero duplo majus est, oportet ut linea, quam decurrit sit pars secunda alterius lineæ, quam percurrit corpus duplo minus, hoc enim pacto habebunt æqualem motus quantitatem, quamvis quoad molem inter se sint inæqualia. Eandem ob causam corpora pondere disparia vecti imposita, in æquilibrio erunt, quamdiu scilicet inter ipsorum pondera & motuum velocitas reciproca intercedit proportio. Velocitatem autem motus designat recta linea à puncto fixo sive fulcro vectis vel bilancis ad molem appensam ducta; quippe corpus mole minus pari temporis spatio latius intervallũ dimetitur quàm corpus mole majus & propterea pro reciproca ratione suæ molis celeriùs movetur. Nam quantum unum corpus alterum in bilance gravitate superat, tanto quoad velocitatem fit debilius; & quo corpus minus ab immobili puncto vectis longius recedit, eò ampliorem in motu describet circuli partem, ejusque motus velocitas sic in infinitum augeri potest, quæ virtus apud Mechanicos momenti nomine venit. Hæc quoque est ratio, quòd aqua in siphone inverso vel vase amplo cum crure angustiori semper in utroque vase ęquè altam retineat superficiem, non obstante, quòd aqua illa in vase ampliori multò præponderet aquę altero in brachio contentę. Cujus Phænomeni causa *Cl. Moro* usque adeò abstrusa visa fuit, ut absurdum reputaverit, si quis v. g. quare quantitas aquæ tricies major à quantitate partis tricesimæ propter æqualem aut paulò majorem altitudinem vel exæquetur vel superetur? ad mechanica principia confugere vellet. Eapropter aliud immateriale & hylarchicum excogitavit principium, ut mechanismum evitaret, cujus tamen sententiæ falsitatem detexit *Cl. Sturmius* in Epistola ad ipsum exarata. Is enim post quam fusius deduxerat, quòd gravium descensus proveniat ab impulsu materiæ cujusdam in gyrum perpetuò actæ, cujus partes subtiliores quidem sint elementaribus, at unà etiam solidiores &c. causam dat evidentissimam, cur e. g. columna aquæ in vasis brachio ampliori decuplo spissior columna aquæ brachii angusti, pondusque adeò absolutum habens decuplum, momenti tamen plus non habeat quàm hæc, nec elevare hanc vel illum possit. Nimirum id est indubium ac in confesso, superficiem columnę spissioris non posse vel tantillum deprimi hoc, est, totam columnam spissiorem non posse descendere, quin gracilior aquæ columna attollatur, eodem tempore ad altitudinem decuplam, adeoque (cum in utraque columna ęqualis possit debeatque concipi numerus orbiculorum aqueorum æquè altorum,) dum singuli orbiculi columnæ spissioris descendere conantur ad profunditatem talem simplam, singulos orbiculos columnæ gracilioris debere elevari per altitudinem decuplam: & hoc unum est, quod fundamenti loco præmisit. Secundo loco (*dicit*) cùm experientia testetur, ex alto delapsa gravida tantoque majore impetu ruere in subjecta sibi corpora, quanto ex altiori loco lapsus ille contigerit, ejus rei ratio similiter ex illa de gravitate partiũ elementarium hypothesi clarissimè sequitur: siquidem primus impulsus ætheris in corpus grave M. (Vide Iconismum *Cl. Sturmii*) factus, quo momento primo ab M. ad E. depellitur, etiamnum durat cùm in via, & in E novus accedit, cujus augmentum descensum corporis necessariò accelerat, ut secundo momento ab E. ad F. majore impetu feratur, tertio momento adhuc celeriùs ab F. ad G. ob eandem rationem, h.e. ob novos ætheris impulsus prioribus subinde superadditos &c. ita ut agmentis hisce celeritatis & impetus & secundùm numeros impares quà proximè procedentibus intra 4. temporis momenta 16. talia spatia emetiatur, quale primo momento unum decurrerat, quadruplicato sic impetu, parique ratione intra 10. momẽta decuplicato &c. Hinc verò in proclivi est indicare, dum ex opposito corpus aliquod grave sursum protruditur, contra nisum illum ætherearum partium, hujus resistentiam atque adeò difficultatem ascendendi in corpore gravi etiam eadem proportione crescere, creverat ante ejusdem impetus descensorius: id quod iterum abundè comprobat experientia, dum projecta sursum ab initio celerrimè, deinceps autem tardiùs difficiliùsque in sublime niti videmus. Nunc ergò, quando cylindrus aquæ AB. decuplus, atque adeò simul ejus singuli orbiculi antea concepti, non possunt descendere per spatium simplum altitudinis Aa. quin alter clyndrus CB. prioris pars decima solum, ejusque singuli orbiculi per spatium decuplum altitudinis CD. sublevientur eodem momento temporis, vi fundamenti primi; per decuplum autem spatium ætheris obnitentis & ascensus difficultas decuplicetur, juxta fundamentum secundum; fit inde necessariò, ut quantum impetus ętherei quantitatẽ aquę decuplam detrudit per spatium simplum, tantundem ejusdem impetus ætherei resistat aquæ parti decimæ per spatium decuplum eodem temporis momento allevandæ. Id quod clarius adhuc percipietur, si ponamus utrumque cylindrum in decem orbiculos æquè altos esse divisum, illorum autem orbiculorum unum in cylindo graciliore BC. complecti guttulas 10. quales orbiculus unus in cylindro spissiore complectitur 100. ita ut totus cylindrus BC constet guttulis 100. totus autem cylindrus AB. earundẽ mille cõprehendat. Sic enim, si guttulis singulis totidem ætheris impulsus assignemus, mille guttulæ cylindri AB. per spatium simplum, quale est Aa. detrudendæ, singulę mille quoq; ętheris impulsus depressorios recipiunt; Et, si eodem tempore 100. guttulę cylindri BC. singulæ pariter per simplum solùm spatium attollerentur, non paterentur hæ in illo ascensu plures ejusdem ætheris pulsus repressorios quàm 100. eoque pacto necessum esset graciliorem cylindrum spissiori multùm cedere. Nunc autem, quando 100. guttulæ cylindri BC. eòdem tempore, quo illæ per spatium deprimerentur, ascenderent necessariò per spatium decuplum, decuplos etiam intereà impulsus repressorios subirent, & ad summam mille similiter reciperent. Par itaque utrobique cùm sit impulsuum numerus, quid mirum amabo, quòd mille partes mille impulsibus depressæ non valeant superare partes centum centies denis repulsibus oneratas. Quæ meo quidem judicio usque adeo clara sunt & manifesta, ut & fluidorum indoli applicari possint, cum Metaphysici illi conceptus principii gylarchici vel universalis spiritus naturæ duo rerum genera evertant, nec rerum naturis conveniant. Neque video cur mechanismum tantopere fastidiamus, aut principia illa Divina Potentia indigna statuamus, cum Majestas & Potentia Dei plus elucescat ex principiis vulgò mechanicis dictis, & ex legibus motus materiæ inditi, quàm ex principiis illis vel propterea pro fictis habendis, quòd nec possibilitatem præ se ferant; & nescio quibus, inanibus speculationibus, Physico planè indignis. Nunquam enim animum meũ inducam, ut credat. Deum causas Phænomenorum extra

extra vel supra intellectus humani sphaeram posuisse vel ponere voluisse. Hinc non vereor ea de formis substantialibus dicere, quae superius laudatus *Sturmius* alibi scribit de principio hylarchico & intelligentiis. Sicuti enim vile futurum esset & contemptui omnibus horologium, quod horas ac tempora indicare non alia ratione posset, quàm praesente semper artifice aut alio, qui ad illius praescriptum ac leges rotas circumduceret, aut compendiosiùs indicem ipsum ad clepsydram moveret: Et e contra magni aestimemus ingenium & artem eorum quorum fabricae istos similesque effectus edunt, istis non tantùm non praesentibus, sed ne superstitibus quidem amplius. Ita indignum judico ineffabili Divini Numinis & sapientia & potentia, v. g. corporum celestium ordinariis motibus totidem Angelos motores seu Intelligentias praeficere, aut effectum quendam naturalem per intervalla suboriri solitum, ipsius Dei immediatae operationi tribuere, aut phaenomena per formas ignotas & non intelligibiles explicare. Tantùm nempe abest, ut unquam animo meo persuadere possim, opus esse in quibuscunque effectibus sublunaribus tali principio Hylarchico incorporeo, aut forma substantiali inexplicabili, aut metu vel terrore panico vacui, quod v.g. lapidem se invito in sublime projectum suo loco restituat, & quidem (prae indignatione forsàn) cum impetu tanto majore, quanto fuerit repetendus longiùs; aut è filo vel funiculo suspensum restituere saltem conetur, jam non valens infirmum hujus nexum rumpere, cùm aliàs immensam aquae molem leviculo ligno incumbentem valeat sufflaminare, ne pődere suo obstet illi ex imo etiam Oceani fundo ad summa tacito gressu enataturo.

Quomodo pressio sanguinis à corde facta moli sanguineae propellendae par & sufficiens esse possit.

Ad tertiam quaestionem, quam mihi proposui, tandem respondeo, quòd arterias & venas debeamus considerare ceu totidem tubulos reclinatos, qui sanguine repleti sunt. Etenim his positis, aortae inferioris sanguinem à sanguine, quem cor in cavitatem illius recens immittit, pelli non posse facilè concipitur, quin ille tantùm versus venam cavam inferiorem progrediatur, quantum à corde recedit; ex quo fit, ut descendendo venae cavae inferioris sanguinem ascendere cogat; sicut una librae in aequilibrio constitutae lanx, dum ob impositum sibi momentum aliquod, utut leve sit, demittitur; demitti nequit, quin lancem alteram sursum ferri cogat. Quod ad sanguinem aortae superioris attinet, is ut potè in sinistro cordis ventriculo recens fermentatus, à centro motus communis recedere, atque adeò sursum ascendere valde nititur; praetereà via recta est, quam initurus est, ut à corde ad caput feratur: hinc fit, ut impulsus quem à corde & ab aorta recipit, huic, praesertim in animalibus caput pronum gerentibus, ad partes amandando sufficiat, per quas praedicta aorta disseminatur: ubi verò aortae superioris sanguis caput versus fertur, sanguinem in venis illius contentum nullo fermè negotio in venam cavam superiorem demittit; cum ille velut proprio pondere descendat, quod vis illius expansiva jam multum remissa sit, ac proinde potius deorsum, quàm sursum sponte sua tendat. Quae omnia prolixiùs fortè quàm par erat enarravi; itaque missis his transitum nunc faciam ad practicas observationes.

Cura phthisici.

Miratus sum saepiùs, qui fiat, quòd Practici proscriptis in Phthisi acidis salina alcalica & vulneraria aperitiva rariùs adhibeant, cum tamen morbi hujus curatio non in glutinando & adstringendo, sed in lymphę stomachalis corectione consistat. Quidni ergò licebit phthisico dare spiritum cephalicum, essentiam absinthii, sal absinthii, sal armoniacum infusum Theae veronicae, bellidis pratensis, nummulariae? Ego profectò plus pono fiduciae in Infusum Thae, succos traumaticos, & salina temperata, quàm in dulcia & lambitiva, quae fauces, quidem titillant, sed lymphae sunt infensissima. His pondus adjiciunt opiata horis vespertinis prudenter exhibita, quae cum salinis alcalicis omne in hoc morbo ferunt punctum.

Venaesectionis usus in dysenteria.

Venaesectionis usus vulgò quinque recensentur. Nos statuimus, omnem venaesectionem esse imminuitoriam sive evacuatoriam, unde eam in dysenteria, si dolores valde urgeant, admittimus, ut videlicet imminuta sanguinis copia, tensio & pressio in parte inflammata imminuatur. Quod remedium infanti dysenterico auxilio fuisse novimus. E contra pessimè sibi consulunt, qui in affectu spasmodico & à cruditate acida oriundo venaesectionem ob suffocationis vel strangulationis periculum admittunt, cùm periculum hoc non ex vitio sanguinis, sed ab externis assumptis oriatur, atque tutiùs avertatur absorbentibus, & mixturis carminativis, ex aqua arantiorum composita, aqua mirabili, elixirio proprietatis dulci & tinctura opii.

Ejus noxa in suffocatione hypochondriaca.

Dysuria ab ulcere.

Saepius remanet dysuria post partum difficiliorem, quae ab exulceratione circa vesicae orificium ab imprudenti obstetrice vel succis acrioribus excitata oritur: atque saepiùs adeò contumax est, ut etiam exquisita eludat remedia. Tali in casu commendavi nuperrime Decoctum fl. rosar. rubr cum herba Theae, & trochiscis de carabe per syringam ter de die injiciendum, idque ex voto honestae foeminae inde brevi reconvaluit.

Tinctura Antimonii in affectibus glandularũ.

In inflammatoria obstructione, vel etiam abscessu mammarum cum febri, nihil hactenus inter interna deprehendi efficacius quàm Tincturam Antimonii. Cum enim glandulae nihil aliud sint, quàm continuatae arteriae a via recta in gyrum flexae & admodum angustatae, facilè apparet, quòd pro angustissimis his tubulis referendis ea propinari debeant, quae facilè in minutissimas resolvi possunt atomos, atque ad profundiora loca ire apta nata sunt qualia sunt Mercurialia & Antimonialia, quae in affectibus glandularum caeteris omnibus palmam praeripiunt. Nullam autem inter glandulas agnosco differentiam, nisi eam quę à magnitudine, figura & situ canaliculorum desumitur, quae sola in causa est, quòd diversos vehere soleant succos: unde meo quidem judicio privatum illud exspirat glandularum praeparatorium officium, cum lympha nullibi in glandulis praeparetur, sed saltem segregetur, id quod respondi hisce diebus *Celeberrimo Domino Brunnero*, communi nostro Fautori & amico. Tincturae Antimonii praeparationem nactus sum à Beato *Geilfusio*, Medico immortali famâ digno, & toto orbe celebratissimo, meo dum viveret Fautore & amico magno, Est autem haec:

♃. *Antimonii*,
Sal. Tartar. an. p. ae. Misc. f. l. a. Regulus.

Hujus scoriis adhuc calidis & in mortario ęneo pulverisatis ad ℥ IV. affunde spir. vini non rectificat. ℥ viij. extrahe Tincturam. Sunt qui eam pro Tartari sobole agnoscunt. Vide *Hoffman.* in *Schroderum*.

Alcalica volatilia & fixa.

Nunc alia mihi occurrit difficultas circa veras causas morborum, quos omnes ex visciditate & acrimonia humorum curculantium oriri persuasum habeo. Quòd si haec sententia firmo stare debet talo, videtur perinde esse, qualecunque exhibeas alcalicum, sive illud fixum fuerit sive volatile, cum tamen ipsa nobis reclamet praxis, quae in hoc morbo salia fixa, in alio volatilia commendat Et quis nescit, multos aegrotantes planè non posse ferre salia volatilia. Pro qua difficultate diluenda observari velim, quòd salia volatilia plus aetheris sanguini inferant, quàm fixa Diaphoretica, quae aetherem per suos poros vehunt covenientem magis cum illo qui regit massam nostram sanguineam, (cum natura nostra:) hinc sanguinem feliciùs in pristinum ordinem, situm, suarumque partium pristinam mixturam reducere valent: cùm e contra Diaphoretica volatilia subinde nimium aetheris inferant, qui quaquaversum ruens aetheri consueto minùs convenire videtur. Hinc ad visciditatem corrigendam mihi quidem magis placent volatilia, ad acrimoniam temperandam autem metallica & alcalica fixa. In morbis chronicis plus defero alcalicis volatilibus, quibus in acutis praefero alcalica fixa.

Spiritus contra Quartanã.

Quartanarii benè ferunt volatilia, quia ipsorum succi admodum sunt viscidi. Curavi nuper duos quartanarios spiritu cornu cervi composito, cujus praeparationem mutuatus sum ex Observat. Medicis *Nicolai Grumbergh*, & pro meo scopo quaedam addidi.

♃. Spirit.

℞. Spirit. corn. cerv.
Nasturt.
Febrifug. aa. ℥iiß.
Oliban.
Mastich.
Myrr. aa. ʒ ij.
Camphor. ʒß.
Destill. l. a.

Cujus usum salutarem etiam deprehendi in Hemicrania & defluxionibus arthriticis tum internè tum externè adhibiti.

Noxa acidorum.

De Acidis quædam in ultimis meis dicta fuere. Puto Acida plus nocere ventriculo jejuno & vacuo, quòd sic faciliùs ad sanguinem deferantur, cui omnia acida infensa sunt; unde vinum jejuno ventriculo haustum variorum morborum author esse potest, quod inter comedendum assumptum fortè esset innoxium. Ipsis gravidis Acida admodum inimica sunt, quòd ipsorum succi valdè jam proclives sint ad acescentiam & viscíditatem. Nostri, Vir Celeberrime, quantum molestiæ exhibuerit suppressio urinæ in nobili fœmina, quæ ultimis gestationis mensibus & hanc & aliàs patiebatur molestias. Nostri etiam quæ remedia communicato consilio commendaverimus, idque ex voto omnium. Illam urinæ suppressionem ex compressione vasorum emulgentium, vel potius ureterum & vesicæ urinariæ fieri statuimus; tumorem pedum autem à lymphæ restagnatione oriri existimo, quia dum rami iliaci à pondere comprimuntur, simul quoque vim patiuntur vasa lymphatica illos hederæ instar amplectentia, unde denegato ascensu lympha in omnibus vasis partium inferiorum restagnare vel extravasari cogitur.

Vrina suppressio et tumor pedum in gravidis.

Sed dum hisce finem imponere satago, offeruntur mihi literæ *Dn. D. Valentini, Professoris Academiæ Giesenæ Celeberrimi*, unà cum Dissertatione Epistolica *ad Generosum Dominum Robertum Boyle de Natura Naturæ*: quam cum hodie fugitivo perlegerem oculo, vidi quòd naturam plantarum egregiè explicet per *propriam & speciei suæ convenientem texturam, qua singulas herbas & præsertim semina sive tenerrima plantarum seminalium stamina gaudere dicit, inde fieri, vt stamina illa non in omnem, sed in eam tantum in quam fibrarum mechanismo tendunt & inclinant, partem sint flexibilia, illamque inclinationem esse ipsissima Naturam, cui actio hæc vulgò attribuitur.* Contra quæ fortè excipi possent, quod plantarum productio dependeat à motu, fatentibus omnibus; motum autem esse à materia subtili, quæ cùm agens universale sit, specialiorem meritò desiderari arduo hoc in negotio causam. Sed facilè solvitur nodus, quia motus ab ipsius materiæ actuandæ dispositione & textura modificatur & determinatur, quam dispositionem seminalem alii fermentum, alii Naturam, alii vim plasticam vocare solent. Quæ prolixiùs & pulchriùs explicantur à *Senguerdio Lib. de viventibus*.

Anima vegetativa.

Progreditur *Dn. Valentini* ad actiones Brutorum, quæ ab instinctu naturæ proficisci vulgò dicuntur; nervosè addit, quòd si anima brutorum materialis sit, eam non nisi *ratione materiali* agere posse. Illum naturæ instinctum autem radicatum esse scribit in *peculiari motus determinatione, dum pro varia spirituum animalium plica & textura, ipsorum undulatio determinetur, ut in hunc potiùs quam alium inclinent motum*. Multi equidem sunt, qui ob radicata præjudicia, & quòd omnes actiones brutorum cum suis comparent, capere vix possunt, quomodo illæ actiones sine principio cognitionis capaci explicari queant. Vellem ut tales accuratiùs attenderent ad τὸ cogitare. Nam cogitare est talem habere operationem, quæ seipsam immediatè manifestam facit, eo ipso momento, quo quis eam habet. Vi hujus vocis & significationis palàm fit, quod omnes perceptiones, omnes cognitiones, omnes cogitationes conveniant in intima illa conscientia eò tempore præsente, quando quis percipit cognoscit, cogitat. Absurdum profectò esset, dicere velle, rem aliquam percipere, & nescire quòd percipiat: esse aliquid quòd velit, sed quòd nesciat se velle: Te sentire, & nescire quòd sentias: imaginari, & nescire quod imagineris. Quippe sine illa conscientia perceptio non est perceptio: sensatio non est sensatio: cognitio non est cognitio: imaginatio non est imaginatio: voluntas non est voluntas. Quid? tribuemusne rei materiali sive extensæ cognitionem Sic enim fiet & spiritus & corpus, quod contradictionem involvit: quia cogitatio totam essentiam spiritus constituit; & extensio constituit totam naturam materiæ. Non poterit esse extensus. Si enim dicamus, dari in rerum natura corpus quod cogitet, dicimus, quod cogitationes sint divisibiles, figurabiles, & sic dabitur dimidia vel quarta pars cognitionis: vigesima pars voluntatis: desiderium rotundum: tristitia quadrata: perceptio triangularis. Ratio, quia *extensio exhaurit totam essentiam corporis*. Sed magnum de tabula. Vale Vir Celeberrime, & salve. Dab. Marpurgi Cattorum die 13. Martii 1689.

Anima brutorum.

Illu-

Illustri Viro, Medico Celeberrimo,

D. JOHANNI JACOBO VVALDSCHMIDIO,

Archiatro & Professori famigeratissimo,

JOHANNES DOLÆUS,

Med. Doctor, Potentissimi Hassiæ Principis Consiliarius & Archiater, S. D.

EPISTOLA III.

Quæ in ordine est Octava.

EX arduo sanè labore Encyclopædiæ meæ Chirurgicæ Rationalis & experientia stabilitæ per totam hyemem impendendo nunc eluctatus, resumpsi, quem ad Amicos feriari coactus fueram, calamum, omnium primò suavissimis ac eruditissimis tuis jam menses ante aliquot ad me datis debitum exsoluturus responsum. Et certè ab omnibus gratiis alienus forem, nisi de Tuo, Vir Celeberrimè, in me affectu tam niveo tamque syncero mihi prolixè gratulatus omni ope contenderem, qui cœptum nuper felicibus auspiciis inter nos amicabile commercium literarium nullo ampliùs intermoriatur silentio. At uti nemo tam est timidus offensarum, quin in illas, dum vitare satagit, incidat, itá etiam mihi contigit. Jam aliquot menses ad Te, Patrone, scripturio, sed interpellantium cursitationum, & laborum Encyclopædiæ Chirurgicæ impendendorum invidia semper avocatus, quod mihi respondendi incumbebat officium, differre coactus fui. Ignosce igitur tardè venienti, & cave sis, rogo, sequius quid, quam de constanti veneratione Celeberrimi Tui nominis suspiceris, utpote quam non nisi cùm vita deponam.

De Virtute liquoris in curatione Variolarum probatissimi.

Pro nostro ergò modulo pergamus inquirere in rerum quarumcumque causas, & priùs in ea, quæ attulisti de variolis feliciter curandis, intimiùs inquiramus, experientia enim possum testari, me plus millehominum liquore nostro felicissimè curatos observasse, & neminem ex iis, qui eo usi sunt, vita defunctum esse; iuterim liquoris hujus indoles est de classe subacidorum, quoniam affuso alcali effervescit; cùm autem constet ex hodierna theoria, acida succis & fibris corporis nostri esse infensissima, imprimis ubi variolæ cum epilepsia erumpere solent, ubi acidum jam adest peccans, quare hic alia ratio danda est, quomodo liquor hic subacidus felicem suum effectum edat. Num motum igitur intestinum spiritu suo salino liquor hic promovet, ut materia viscida dissolvatur, quo facto, & dissoluto coagulo, etiam progressivus humorum in corpore motus promovetur, & acidum peccans simul destruitur, variolæque faciliùs erumpunt? Notum enim est ex operationibus Chymicis, salia salibus mixta se invicem sæpe destruere, quod & hic contingere potest, dum liquor hicce noster subacidus blandus spirituosus tantum imminuit acidi austero-acris in succis variolosorum existentis violentiam, quantum hoc liquori illi domando, & subtilitati ejus refrænandæ virium suarum impendit, quod cùm absque motu reliquorum in vasis existentium succorū fieri nequeat, suppressæ particulę alcalicę simul suscitantur ad eliminandum acidum illud sibi hucusque infestū, quapropter vitiosa illa succorum mi scela penitus invertitur, & acidum peccans salutariter enervatur.

Gendero Tractatus de Fermentis, & de ortu Animalium. Defensio Regum meorum contra Authorem istum.

Geuderi Tractatus *de Fermentis* mihi, dum hæc scribo, ex Batavia allatus est, cui in fine adjectus est alius *de ortu Animalium*, in quo prædictus Author meam, quam de Regibus opinionem foveo, vellicat, existimatque, me Regibus hisce affingere aliquid immateriale, cùm tamen non tantùm in ipsa præfatione, quam ipse allegat, expressè ostendam, me per Reges in visceribus principalioribus constitutos non plures animas sensitivas designare, sed solùm intelligere portionem quandam materiæ subtilissimæ accedentem ad naturam Microcosmetoris, id est, spirituum animalium subtilissimorum, & congerim quasi spirituum animalium in nobiliori tali viscere residentium. Hisce positis quilibet facilè perspicere potest, me hisce vocabulis Microcosmetoris, vel Cardimelechis, vel Gasteranacis, vel Bithnimalcæ, &c. nihil aliud innuere, quàm spiritus præ aliis subtilissimos & cohobatos, in tubulis istorum viscerum circa fibrulas viscerum quorundam commorantes. Hinc etiam in Epistola prima mea ante biennium publico data horum Regum mentionem injeci, & hanc meam de iis conceptam opinionem confirmavi, & quidem hisce verbis: Ratio enim nostra facilè admittit, dari discrimen & gradus quosdam inter spiritus sive liquorem nervosum, itá ut per repetitas circulationes rectificatus multo purior & subtilior ad quemcumque motum subeundum, aut actionem in œconomia animali præstandam, longè promptior sit æstimandus eo, qui ex massâ communi jam primùm egrediatur. A prioris itaque indole participare statuo nominatos nostros Reges, Cartesianorum materiæ æthereæ & mentis imperio promptiùs obedituros, quàm reliquos spiritus nondum itá depuratos. Annon ex his cuilibet patet mens mea de Regibus? Cur ergò non liceat mihi in his vel illis tubulis subsistentibus spiritibus animalibus singulare imponere nomen, cum non itá pridem B. D. BonteKoe Spiritus animales succi nervei nomine audire voluerint, quot etiam venæ, quot arteriæ ab Anatomicis constituuntur? cùm tamen sint una vel eadem, attamen peculiaria ratione partis, quam percurrunt, sortiuntur nomina. Cur itaque non æquè liquoribus canales hos perfluentibus nomen aliquod singulare indere liceat, cùm Veteres non aliter ac novis injectis nominibus & vocabulis auxerint hactenus Medicinam nostram, nemine ferè Medicorum contradicente. Quòd verò Author hic existimat, me castra sequi peripateticorum, & Animam brutalem defensurum esse; in hoc valdè errat, cùm inter multa Veterum præjudicia non è minimis censendam esse illam existimavi, quam de brutorum operationibus foverunt, opinionem. Perspicientes

cientes enim bruta talia facere, quæ ne homo quidem maxima industria efficere posset, meritò se concludere putarunt, eadem aliqua cogitatione prædita esse: quam brutalem sententiam nūquam admittere potui; quapropter ut quilibet videat, quid de Anima sentiam, nostram opinionem adjicere constitui. Non dubito, quin omnes nobilsmet ipsis conscii simus, duarum duntaxat rerum ideam nos excitare posse, *Cogitantis* scilicet, & *Extensæ*, ex quarum compositione & arctissima conjunctione oritur unum quid, quod vocatur *Homo*. Mentem enim nihil aliud esse existimo, quàm substantiam, quæ sibi conscia est omnium rerum, quæ in nobis fiunt, quatenus earum in nobis conscientia est. Indoles enim Animæ est non tantùm cogitandi potestas, etsi fortasse eam in actum deducere haud posset, ob deffectum materiæ, aut spirituum animalium, aut propter animi deliquium, aut propter somnum, &c. sed esse *cogitationem*, & abstracta cogitatione, in mente nihil omninò posse concipi reputo. Ex quibus sequitur, Animam prorsus immaterialem esse debere, quum cogitare nihil aliud sit quàm intelligere, velle, amare, odisse, &c. quæ toto cœlo à proprietatibus corporis discrepant. Corpus verò quod attinent, facilè illud ostenditur, si modò exactè distinguamus attributa, quæ à corpore abesse possunt, ab attributis inseparabilibus. In præfatione pro Aristotelicis locutus sum, & generalia argumenta, quæ afferre solent pro sensibus & cogitatione in brutis animantibus examinavi, potissima enim Peripateticorum argumenta, quibus homines brutis cogitationem tribuere moventur, duo sunt quorum unum ab ipsis brutorum operibus desumitur, & inter multas bestias, quæ pro ipsis argumentantur, apes primum ordinem occupant; imaginari enim sibi nequeunt, quomodo nulla cogitatione prædita inter se eligant Regem, satellites, observatores, milites, &c. cellulas suas sexangulares tam geometricè ædificent, eas certis temporibus melle impleant, tandem & alia tàm politica, quàm militaria exercerant: sed hæc omnia, me judice, si absque præjudicio pensitentur, nihil minùs, quàm eorum animam probare existimo. Illa enim vocabula, Rex, miles, &c. mera sunt hominum figmenta, quia contemplantes, eodem ferè modò illa insecta commoveri, quo inter homines Rex, miles, &c. moventur, ex illa analogia talia hisce bestiis nomina imposuere, ea enim non magis apibus, quàm ligneis, quibus luditur, latrunculis revera conveniunt. Omnia ergò horum quàm stupenda opera tantùm hoc probant, quòd habeant motus aliquos nostris os humerosque similes, nemo enim Philosophorum sequentem admittet conclusionem: Apes moventur ut nos, ergò ut nos sentiunt, cogitant, &c. Alterum argumentum adhibent Peripatetici: Si bruta non sentitant, non opus habeant sensuum organis nostris tam similibus. Sed responderi potest, quia in illorum machina similia munera obeunt. Sic, ex. gr. bestiarum oculi æquè ac nostri immagines recipiunt, particulæ volatiles pari modo nares intrant, earum fibrillas vellicant, aliasque organicas actiones, ut in nostro corpore, perficiunt. Quòd si sensum vocare velint, per me licet, modò abiit cogitatio. Nihil enim hic præter corpus organicum & motum admittimus. Malui ergò mihi persuadere; bestias nulla anima, nulla cogitatione præditas, omnes illarum actiones automaticas esse audacter statuimus, mentem enim humanam nimis diligo, & beatitudinem hanc bestiis tribuere impium & contra Sacrum Codicem esset, animæ enim brutorum vitæ munera mechanicè explicari posse, quis Philosophorum nunc dubitat? Plurima quidem restant, quæ ex eorum structura explicari nequeunt, sed nec obstat, quo minùs illis anima negetur, quemadmodum aliquis observans, etsi nesciat causam, quòd horologium portatile tam accuratè horas indicet, attamen ex ejus parvitate ritè concludere novit, hominem huic horologio non inesse, causamque ejus motus existere. Sic etiam quamvis ignorem, cur bestiæ tales operationes efficiant, possum tamen negare, illorum effectuum causam animam esse. Ponere enim, bruta cogitare, & tamen á nobis realiter distingui, æquè contradictorium, quàm horologio hominem inesse, existeret, Sed ne diutiùs hisce Tibi jam sufficienter cognitis Te detineam, ad alia pergo, nec possum quin Tibi scrupulos quosdam ex lectione Epistolæ tuæ quartæ obortos communicem, super quibus celebris quidam Professor Rinthelensis, Tibi notissimus, optavit erudiri. Scrupuli verò sunt sequentes.

Σὺν τῷ Θεῷ.

Scrupuli quidam ex lectione Epistolæ 4. D. Vvaldschmidii Professori cuidam oborti.

FUisse Nobilissimum Renatum des Cartes admirandi ingenii, acerrimique judicii virum, uti nemo, cui sinciput non ægrotat, non fatebitur liberè & apertè; ità tamen simul etiam de hoc tanto viro, quod de cæteris quoque, accidit, ut ipsius doctrina non omnibus equidem viris doctis æquè sit grata; indeque á prima sententiarum Cartesianarum publicatione *Alius* identidem *Aliud* desiderare cœperit. Etsi enim utplurimùm hæc sors contingat novitatibus, ut mox alios in sui primùm admirationem, dehinc & amplexum trahant; id tamen probè simul curandum censetur prudentioribus, ut nil serviliter & sine delectu credentes temerè, libertatem sui ipsius judicii prostituant. Quem in finem apprimè de Naturæ Mirabil. scribit Cl. Erasmus Bartholinus: *Cùm difficile sit factu, me id sentire, quod alius voluit. Communis Naturæ ratio est, non ex gratia Authorum, sed ex vero, dubitationum disceptare momenta: siquidem requiritur à doctioribus, ut, quid quaque in re sentiant, non in authoritate vel Platonis, vel Epicuri, vel Aristotelis, vel Cartesii esse putent, sed in ipsa natura & veritate.* Et ipsusmet desCartes apertis verbis super hoc ipso protestatur dissert. de meth. inquiens: *Ne quis putet, me hic traditurum aliquam methodum, quam unusquisque sequi debeat ad rectè regendam rationem, cùm hic nihil aliud promittam, quàm Historiæ, vel, si malitis, Fabulæ narrationem.* Et post pauca dicit *Nunquam ulterius cogitatio mea provecta est, quàm ut proprias opiniones emendare conarer, atque in fundo, qui totus meus est, ædificarem. Et quamvis, quin meum opus mihi ipsi satis placet, ejus exemplar hic vobis proponam, non ideò cuiquam author esse velim, ut simile quid aggrediatur.* Imò, Princip. Philos. part. 4. §. CCVII. apertè dicit: *Hæc omnia prudentiorum judiciis submitto, nihilque ab ullo credi velim; nisi quod ipsi evidens & invicta ratio persuadebit.* Ex qua etiam, hujus tanti viri, modestia provectum est hoc, ut vel ipse Diss. de Meth. pollicea-tur: *Pergratum sibi fore, si principia sua examinentur.* Cujus equidem pollicitationis fiducia, magni viri, quæ sibi in hac philosophandi ratione displicerent, in forma Epistolarum orbi detexerunt, eoque insimul eadē sub forma, ut mentem suam latiùs explicaret des Cartes, obtinuerunt. Atque hæc eadem ratio, placidè ac sine bile conferendi inter se diversarum sententiarum de variis rebus momenta, cùm novissimè per viros quosdam celleberimos, & Hassiæ nostræ facta fuerit familiaris, meque simul allexerit, ut scrupulos quosdam super lectione unius ex istis Epistolis enatos, in chartam conjecerim obiter; haud vulgari mihi hoc cessit gaudio, quòd adeò non fuisse ingratos hos meos conatus, senserim, ut potiùs facta mihi novæ alicujus in lucem emissæ Epist. amica communicatione, quid de quavis in illa ventilata materia sentiā, liberè ut pronūciarem, amicè sim rogatus; unde & hos placidè movere scrupulos placuit, super quibus erudiri cupio.

1. Super Acidulis.

1. Pag. 56. De Acidulis in universum minùs honorificè sentire videmini: Id quod contrariatur quotidianæ Experientiæ, cui, quantum ex recentioribus tribuat Harveus ille ab ipso vestro Cartesio Tract. de Methodo adeò commendatus, videre est Exerc. de Gener. animal. quando nimirum p 92. dicit: *Ratio omnis conticescat oportet, ubi Experientia refragatur.* Cui laudatæ experientiæ superaddo estimonium immortalis Rolfinckii, *Acidulas ancoram sacram representare, & ferè solum desperatis rebus in usum trahi* pronunciantis. Neque illa in Epistola adducta Exempla probare videntur, enarratos illos affectus

ctus à frigore acidularum profectos, quin potiùs, causam morbificam expellendo, acidulas ipsum morbum sustulisse; licet acrimonia pravorum istorum succorum in transitu molestias quasdam simul crearit partibus, brevi remissuras, humore expulso; unde huc applico sensum eorum, quae dicuntur paulo pòst, pag nempe 138. *de potus Theæ innocentia*.

2. Super Qualitatibus.

2. Quæ de frigore actuali, vulgaribusque Peripateticorum Qualitatibus hoc etiam capite concluduntur, velim conciliari cum sententia vestri Antesignani Cartesii, quando dissert. de Meth. dicit: *Qualitates illas, de quibus in Scholis disputatur non esse in materia*. Unde desumptum videtur Cl. *Heerbotii* Philos. Nat. c. 5. sub sententia Cartesii inductu Conclusum hoc: *Formas Elementorum agnoscunt nullas, uti nec Qualitates, nec motrices, nec alteratrices, nec primas, nec secundas*.

3. Super potu frigido.

3. P. 56. Potus frigidus, si nusquam non nocet, cur ergò in febribus ardentibus, experientia teste, tantopere prodest? Et quid non, secundùm Maronem, fessis messoribus gelida fert opis? Exemplum assertioni huic quod supperadditur, aerem potiùs frigidum, poros cutis constringentem, & insensibilem transpirationem intercipientum nocuisse, quàm cerevisiam frigidam inferre videtur. Taceo nunc, quòd, omne nimium licet vertatur in vitium, nunquam tamen rerum abusus tollere debeat salutarem usum. Quin insuper dici potest: Si potus calefiat, in tantum ejus mutari particularum figuras, ut ad occupandos poros linguæ atque salivæ, pro levanda siti non ampliùs sit aptus; cùm vulgariter calida exsiccent, frigida verò humectent.

4. Super Acidis.

4. P. 56 Cùm vita nostra in continua & continuata persistat fermentatione, sine Acido autem nulla fiat fermentatio; quomodo Acidis carere queamus, non capio: Nisi iterum indigitetur abusus.

5. Super Calido innato.

5. P. 56. Ficta si sunt illa, quæ de *calido innato* vulgò dicuntur: optarim solidè refutari argumenta, quæ pro spiritu insito adfert Cl. *Ettmuller*. Physiol. cap. 3. §. 14. 15. 16. & 17. Intereà demiror, quòd ipsa hac in Epistola p. 149. *Spiritus innati* fiat mentio: Quem à calido innato diversum quid esse, vix asseret quispiam.

6. Super exagitatione vocabuli Naturæ.

6. P. 56. Mirari subit summopere, adeò miserrimè exagitari vocabulum *Naturæ*: cùm vel nemini vocabulum hoc sit frequentius, quàm ipsi *Cartesio*, qui, (ut alia nunc taceam loca,) vel centies in suo illo tractatu de Methodo, suisque Meditationibus, illud vocabulum diversos in scopos (ut Boyle verbis utar,) usurpat. Quòdsi verò vocabuli hujus ignobilitas ex eo derivanda venerit, quòd non nisi semel in Sacra Scriptura legatur: Bone Deus, quid tunc fiet de *Cartesii globulis, particulis striatis, elementis invisibilibus, multiplicibus vorticibus*, aliisq; entibus rationis, à quibus ille Philosophiam suam auspicatur: quæ nec ab ipso demonstrata sunt, nec demonstrari à quoquam possunt, etiamsi vim intellectui inferamus! Quorum ne semel quidem fit mentio in S. Scriptura. Imò ipse eorum Author hoc sibi gloriæ ducit, quòd à nemine ante se hæc talia fuerint usurpata.

7. Super spiritibus animalibus liquoris nervei nomine indigitatis.

7. P. 57. in fine. Spiritus animales & liquor nerveus sumuntur pro uno. Si ergò (quod dictum est supra p. 56) succus seu liquor nerveus est *lac*, sequetur, & *animales spiritus esse lac*: Quæ loquendi formula an placuerit, dubito.

8. Super variis à Cartesio effictis nec dum demonstratis vocabulis.

8. P. 57. & seq. ad 59. Quæ adferuntur, & tandem ad forum Medicum transferuntur, fateor fore egregia, si iis Natura respondeat: Ast vereor, ut quod suprà dictum p. 56. Aristotelem in sua Philosophia vacuas attulisse voces, illud idem dicatur de Materia primi Elementi, similibusque a Cartesio pro lubitu aut necessitate effictis, aut nullibi probatis aut demonstratis; nisi supponere sit demonstrare. Unde haud sine mente in simili causa jam ante scripsit perspicacissimus *Bartholinus* hodie cœles: *Non placent hæc somnia Cartesii petito*. Et paulo pòst: *Excusari possent ingeniosa commenta; si de ipsis certa nobis Experientia constaret*. Quidni ergò & huc referamus, quod p. 60. in fine hujus Epistolæ dicitur. *Materiam primi & secundi Elementi, similiaque, esse vocabula eleganter sonantia, quorum vi Physicus ignorantiam suam obvelare, & incautam Juventutem occultè emungere potest*. Si enim est integrum Cartesianis, sine ulteriori argumento, quàm quod sumunt ex suis ideis, Peripateticos irridere; idem juris statui posse in ipsos, summæ videtur esse æquitatis.

9. Super attributis quibusdam mentis.

9. P. 60. Cogitatio dicitur substantia: de qua assertionis ineptitudine, cùm aliorum varia typis expressa prostent argumenta; mihi saltem jam scrupulum movet hoc, quòd apud Cartesium invenio Meditat 2. quando dicit: *Res cogitans. Quid est hoc? Nempe dubitans, intelligens, affirmans, negans, volens, nolens, imaginans quoque & sentiens*. Lubet ergò nunc argumentari: Entia Imaginantia & Sentientia sunt Entia cogitantia, h. e. Mente prædita: Elephas, simia, canis, vulpes & alia bruta sunt entia Imaginantia & Sentientia: Ergò sunt Entia cogitantia & per consequens mente prædita. Consequens est absurdum: Ergo & antecedens. Major est Cartesii. Minor est Digbyæi, aliorumque à vobis ipsis commendatorum Authorum, imò ipsius Experientiæ.

Sed jam manum de Tabula!

Cornua in Manuum & pedum apicibus oborta.

Missis hisce ad practica accedam, & sequentem Tibi communicabo casum, perquàm rarum. Illustrissimi cujusdam Ministri, communis nostri Patroni, filius & filia, eheu! jam demortua, undecimum annum nondum egressi, constitutionis & texturæ tenerrimæ, jam, à triennio & ultra, in singulis manuum ac pedum digitorum apicibus tubercula nacti sunt instar Clavorum, vel Verrucarum, vel Cornuum, quæ spatio 14. dierum exsiccata decidunt, post aliquot verò septimanas iterum repullulant, in superficie videntur constare quasi foliis, ramulis aut squamulis, radicibus & petiolis longioribus pluribus & crassioribus usque ad os pertingentibus. Excrescentiæ hæ verrucosæ magnitudinem avellanæ haud excedentes primum digiti articulum tantùm occupant, attactæque instar glaciei frigidissimæ sunt, in pedibus gressum impediunt, &, quod asterisco notandum est, ungues, existentibus hisce excrescentiis, nunquam crescunt. Tubercula hæc ortum sumere existimo, (salvo tamen aliorum Medicorum judicio,) à papillarum cutanearum sub cute & contextu reticulari easdem obvelante longiore diductione, à succo chyloso, vel nerveo, crassiore & salsiore, eos per obstructionem factam expandente inducta; lympha enim & succus nutritius à liquore acido facilè coagulari possunt, qui inspissati à novis succis versùs papillas illas digitorum propelluntur, hæ fortiter erectæ & invicem copulatæ, contextum etiam reticularem elevant, & ad novum suscipiendum succum expansæ prominent, qui cùm assiduò subsequatur, & à particuls angularibus inter papillas commorantibus in motu impediatur, & ad subitaneam redigatur quietem, magna cum tempore ibidem colligi puto copia, & duram proferre eminentiam, Et cùm papillæ cutaneæ versus unguium principia ita sint dispositæ, ut succum ungues nutrientem majori excipiant abundantia, necessariò sequi debet, ungues nunquam recrescere posse.

Ad has eminentias verrucosas, vel si mavis, cornutas tollendas, plura & generosa adhibita fuere remedia, purgantia scil. additis quibusdam simplicibus sanguinis purificationi aliàs destinatis. His subjunximus absorbentia ac sudorifera, ut in papillis digitorum hærens succus in alimoniam cornuum cessurus attenuetur, ac resolutus per apertos poros evaporetur, & tubercula hæc duriora nutrimento suo privata post arefactas radices decidant & non ampliùs repullulent, quo nomine decoctis lignorum & essentiis antiscorbuticis, Tinctura Antimonii, &c. per temporis spatium frustrà usi sunt. Externè thermas sulphureas & aluminosas (quo nomine celebres sunt Embsenses,) frustraneo cum effectu admisere, quibus aliàs non modò duriores eminentiæ circa radices emolliuntur, sed pori etiam cum papillis cutaneis constringuntur, & succi superflui absumuntur, ut excrescentiæ alimonia de-

fraudatæ decidant. Emplastra ex gummi, Vigonis cum quadruplo Mercurii, spiritus aromatici, aliaque absque ullo effectu imposita fuere. Imò Empiricus quidam temerario ausu ad corrosiva, scil. oleum Antimonii accessit, ad fundum usque tubercula hæc eradicavit, irrito cum effectu, statim enim post repullularunt.

Ulcuscula faucium lethifera ab unguento Mercuriali inducta.

Mercurialibus non semper esse fidendum, sequens comprobat historia. Sub finem anni nuper elapsi à Chirurgo ad misellum quendam sartorem, quem sub cura habebat, adductus fuit D. la Serre, Medicus ac Practicus hisce in locis ordinarius. Æger statim de faucium maxillarumque dolore cum salivatione conquestus est, causam horum malorum dentem avulsum accusans, sed rem seriùs apud se considerans Medicus, ptyalismum jam ab aliquot diebus durantem à dente avulso prodire nequaquam credidit, quare à patiente illicò sciscitatus est, num aliquo unguento Mercuriali usus fuisset, quod pertinaciter negavit, sed crebriùs repetita eadem quæstione tandem confessus est, se pauco unguento Neapolitano sese inunxisse jam ante quinque septimanas; ex quo statim conjecit prædictus Medicus, ptyalismum à Mercurio excitatum fuisse, & in ea sententia confirmatus fuit, detectis ulcusculis in orificio ductuum salivalium sub buccis prodeuntium: volatilia & absorbentia acidumque infringentia ipsi præscripsit, ut obtunderentur, attererentur aculei salium corrosivorum à Mercurii particulis cum sanguinis acidis combinatis progeniti, & ab iisdem per poros deinceps expellerentur. Ulcuscula Lanfranci collyrio tangi jussit, & os decocto adstringente & detergente collui imperavit; sed quum Medicus ob negotia nec Chirurgum, nec ægrotum per integram septimanam viderit, ipsius saluti consulere nequaquam valuit, illum tamen demum revisit, eumque in agone reperit, miserrimeque excruciatum, ex oris ipsius sinistro latere manabat puris rivulus, genæ mirum quantum erant tumefactæ & duræ, gingivæ erant erosæ, & albo colore tinctæ, ante biduum vix jusculi aquæ guttulam deglutiebat, occupatis nimirum faucibus copiosis ulcusculis & inflammatione, quod idem buccis contigerat. Hæc autem contemplari Medico non licuit, quum tum temporis dentes ejus adeò arctè essent stricti, ut nulla vi os aperiri posset. Utriusque oculi palpebræ inter se conglutinatæ erant, tumidæ, molles, & inflammatæ, ac ex majori utriusque oculi cantho pus desluebat: attamen demirandum est, quòd Mercurius ea, qua dixerat æger, quantitate tantas in corpore strages inferre valuisset. Sed interrogato super hac re quodam ejus contubernalium, ab eo audivit, ægrotantem per plures noctes cubitum eundo, pectus ad collum usque, brachia, crura & tibias unguento hoc Neapolitano illivisse.

Vermis pedatus & chylus per umbilicum excretus, ægra tamen curata.

Dum hæc scribo, sequens obtigit mihi casus. Filia lanionis hujus civitatis nonum nondum annum egressa, ante aliquot annos vermem octo præditum pedibus per umbilicum excrevit, quo facto filia sat pancraticè vixit, præter quod decrepita bruma de tumore abdominis conqueri cœperit, tandem ex parvulo umbilici foramine manabat puris rivulus, imò ipse chylus, non aliter, ac si emingeret filia, quam materiam effusam in urna collegerunt parentes, quæ implebat quatuor mensuras, qua effusa maximè contabuit filia, externè verò applicato spiritu matricali, vino camphorato, cum emplastro consolidante, internè usurpato lacte, aliisque medicamentis traumaticis à me præscriptis optimè convaluit.

Chorea S. Viti

Et ut alia mea, quæ in praxi hactenus observaverim, Tecum dividam: Filia 8. annorum, D. Haumanni, civis & hospitis hujus civitatis, laborabat Chorea S. Viti, continuò enim saltabat, brachia ac pedes indesinenter elevando. Plura adhibui tum interna, tum externa remedia antiepileptica. Sequenti verò vino medicato optimè habuit & inde convaluit. ♃. Herb. salv. chamædr. beton fol. rorismar. visc. qu. flor. til. cheir. hyperic. add. pulv. gross. C. C. phil. pp. Cran. human. eodem modo parati, castor. succin. &c. de quo vino manè, meridie & vesperi vitrum hausit, externè antispasmodica spirituosa adhibui.


Diabetes in viro 68. annorum, qua lotii ℔. 18. quotidie fuerunt emissa.

Inter rarissimas sequentem accipe observationem. In ephippiario aulico sene 68. ni fallor, annorum, Diabetem observavi, in qua urinæ fluxus valde copiosus erat, cum siti intolerabili & summo virium lapsu, imò non urina tantùm, sed potus, & is parùm, vel nihil immutatus excernebatur tanta copia ut quovis die 18 ℔. lotii emitteret, cùm ipse duntaxat cum potu & cibo non plus $3\frac{1}{2}$. libras assumpserit, quæ mictio copiosa per 30. dies perseverabat, & sic hoc tempus mei sit ultra cibi ac potus quantitatem 370. ℔. quod pondus longè excedebat pondus viri illius macri, etsi in urinam fuisset conversus, quia senex non plus 160. libris ponderabat, omnia enim assumpta exacta trutina examinata fuere, unà cum urina emissa, tandem post mensem convaluit. An ex aere in corpus humor translatus, & rursus excretus fuerit, Tu judices, Vir ingeniosissime. Post morbum tantùm 6 libræ à pondere prædicto viro defuere. Quòd verò Diabetes rarus sit affectus, exinde patet, quòd *Galenus* in tam ampla & larga praxi duos tantùm casus se notasse referat, & *Rabbi Moyses* in toto Oriente nec Diabetem observavit, nec ab omnibus Medicis visam fuisse narrat. *Hollerius* vidit quendam quotidie sex pintas Lutetianas minxisse, & *Dodonæus* alium conspexit, uno die ultra 40. ℔. mingentem; præter alia exempla, quæ omnia hic allegare non libet. Clarum tamen est, hunc morbum planè singularem esse & ex rarissimè contingentibus, quos verò affligit, emaciantur, debilitantur, & præ siti ardoreque viscerum vix se continent, & urinam cohibentes mox sentiunt lumbos, coxas & testes cum ardore & gravitate intumescere.

Ex sectione aliquot Calculorum, quorum figura repræsentantur.

Nos hic egregium Lithotomum, nomine David Cordier, habemus, qui 28. Octob. anni decrepiti puerum ex profugis Gallis 12. annorum cultro suo subjecit, & quidem optimo cum successu, exemit enim lapidem 2. uncias pendentem, cujus iconem hic transmittere volui, unà cum aliorum calculis Francofurti ab alio lithotomo Bavaro, me suasore, excissis.

Hac



De Calculi generatione sententia mea.

Hac data occasione, sententiam meam, quam de Calculi generatione foveam, forsan tibi haud displicituram, explicaturus sum. Calculus, me judice, ex tartaro lapidescente generatur, quod inde certum est, quia lapides seu calculi, quos repererunt in corpore seu vivo, seu mortuo, cùm in retorta ad ignem uruntur, in oleum fœtidum & salem, ut Tartarus cum vino, convertuntur, sed hoc differunt à communi Tartaro calculi in corpore nostro geniti, quòd hi lapidei ex magna parte fuerint, illud verò potiùs sal acido-pingue, ità, ut declaremus calculi in corpore generationem tanto labore ab omni ævo quæsitam, sed frustrà, & hactenus non modò repertam, sed quam putant reperiri non posse, statuere oportet. prima initia generationis calculi Tartarum esse, qui alicubi in crystallos concrescit & hæret, dum ex liquoribus, qui pertranseunt, nec eum propellere aut dissolvere valent, aliquæ particulæ adhærent, donec ita auctus calculus & etiam solidior factus, etsi valde fuerit parvus & fere invisibilis, quasi granulum arenæ, tandem incipiat lapidescere, id quod ab arena fit, quæ in aqua ex cæteris liquoribus, quos assumimus, imò & in cibis existit, quæque huc illuc cum succis nostris liberè pertransit, sed nunc calculo illi ex Tartaro concreto agglutinatur, eique soliditatem & duritiem ratione particularum terrestrium conciliat. Ut ergò initium calculi à Tartari concreti & subsistentis particula vel minima est, tum ejus perfectio ab arenulis parvis cum aqua mixtis & jam illi particulæ se apponentibus proficiscitur; ita pari modo formatus jam calculus vel minimus deinde concrescit, quia Tartarus & arena identidem ad superficiem ex succis pertranseuntibus agglutinantur: quare calculi ex laminis constare comperiuntur, uti sæpe ex pelliculis aliis aliis impositis; hinc inter externas causas vina consistunt acida & multum habentia Tartari, sed cerevisiæ & alii liquores, cibi quoque non pauci Tartari, imò & aquæ arenulis refertæ in corpore generationem juvant, & in cerevisia potibusque mira sæpe virtus offenditur, ut vel calculum generent, vel impediant, id quod à duplici causa eveniet, vel quòd Tartarum, vel quòd arenam in vasa nostra comportent: atque ita procul dubio calculus generatur, & in vanum est, tot ac tanta fabulari, ut rem simplicissimam, intellectu claram ænigmatis involvamus. Jam an in vesica calculus gignatur, an in renibus conceptus deinde ad vesicam delapsus, velut fœcundum ovum ab ovario in uterum descendit, hic nutriatur, non facilè dicemus, plures tamen suspiciones pro renibus urgent, siquidem in angustiis initia Tartari jaci solent; at verò Tartaro & arenis calculi generationem deberi, id etiam alia inter evicerit observatio, qua constat, podagricos utplurimùm calculo laborare & modò podagram, modò calculum pati, dum in articulis, aut in renibus Tartarus magis coacervatur, hinc etiam qui calculo laborant, urinam habent plerumque Tartaro plenam, & arena seu pulvere quasi à lapidibus coctis abraso, & podagrici non modò tophis articulorum, in quibus Tartarus colligitur, sed iis quoque torquentur nonnunquam, unde calculi planè similes renum aut vesicæ prodeunt, hærentes aliquando medio in tartaro, ut vel oculo discerent Magistri, leve discrimen Tartarum inter & calculum intercedere. Itaque à Tartaro principium, ab arenulis lapidea durities est, ut nunc non difficile sit intelligere, cur ubivis, & cur præcipuè in renibus & in vesica calculi proveniant, nam ubique Tartarus colligi potest, sed renes & vesica loca sunt, ad quæ velut ex destinato confluit, ut cum lotio amandetur. Verùm quia a Tartaro calculus fit, ut hujus causam planè intelligamus, illius quoque pervideamus. Itaque Tartarus in succis nostris canalibusq;, quorum hi velut dolium seu vas, isti vinum referunt, gignitur planè ad eum modum, quo vulgò in vino, cerevisia, aliisq; liquoribus, aut ubi crystalli salium cum humiditate non solvuntur nam salia quævis sicca sunt & consistentia nisi aqua vel

vel igne ad fluorem cogantur; quo vel minimum destillata mox in crystallos abeunt, implicantur ac inter se cohærent. Quòd si igitur multo sale imbuuntur succi, facilè fiet, ut non modò acres fiant, & quasi muria, verùm hinc inde ob defectum aquæ concrescunt crystalli seu granula, maximè iis in locis, ubi secretiones fiunt, humore sc. ultrò per colum penetrante, dum sal seu Tartarus in angustiis hæret, & colligitur adeò, ut ibidem tractu temporis minera salis fiat, quæ à succis aliquando solvitur tolliturque, deindè mox acescit, aut aliò transfertur, modò major, modò minor est. Proinde à multo sale, eoque tam copioso, ut succi id dissolvere & deferre secum nequeant, Tartarus generatur, at verò nisi hoc sal fuerit acidum, Tartarus non generabitur, qua de causa vinum generosum, uti Hispanicum, aliaque, vix Tartari quidpiam habent, sed qui nimis acidi liquores sunt, acres quidem erunt, sed non tartarei: adeò ut certum sit, ex acido multo, ex sale itidem volatili, ex oleo & arena ipsum Tartarum componi & compingi, ceu analysis chemica probaverit. Sed de his satis, ne post Homerum Iliada scribere videar.

De Tinctura Lunæ fragmenta quædam ex Epistola Viri cuiusdam eruditi & artem Hermeticam colentis.

In Historia operum Eruditorum reperitur Epistola viri cujusdam artem Hermeticam colentis, ad amicum de Tinctura Lunæ conscribentis, cujus fragmenta quædam Tibi, Vir Celeberrime, communicaturus sum, cùm noverim, Te ejusmodi tincturas Solis ac Lunæ haud multùm æstimare. In limine Author statim inficias it, non solùm eam esse medicamentum specificum & indubitatum ad Epilepsiam, verùm etiam illam fictitiam esse asserit, nec unquam fore, ut Chymici veram tum lunæ, tum aliorum metallorum tincturam eliciant. Juxtà illum autem omnes metallicæ tincturæ meræ sunt metallorum dissolutiones in menstruis salinis, è quibus facili marte metalla denuò erui possunt. Statuit enim, aquam quandam cœruleam ad amicum missam nihil aliud esse, quàm argentum in spiritu vini & urinæ solutum ex quibus per iteratas evaporationes & crystallisationes ipsissimum educi potest, injectis omnibus crystallis cum sale quodam reductivo in crucibulum igni fusorio impositum, in cujus fundo reperitur argentum fusum. Negat autem, ullum Epilepticum à tali medicamine à sexcentis Authoribus deprædicato, & jamdudum in usu recepto, fuisse curatum. Illud verò ortum suum debere ait Paracelsistarum imaginationi, qui juxta ridiculum falsissimumque suum systema ipsum fabricarunt. Ii sc. supponunt, corpora sublunaria à superioribus regi, septem metalla à septem Planetis in terræ penetralibus produci, & dominium in septem præcipua Microcosmi (hoc enim nomine hominem designant,) viscera ipsis tributum esse, miram quandam analogiam, mirumque consensum inter tria ista subsistere, & unumquodque metallum Planetæ sui in viscus sibi designatum determinare valere. Inde affirmant, Cor ab Auro, Cerebrum ab Argento, Cystidem felleam Ferro, &c. corroborari, & consequenter Epilepsiam inter gravissimos cerebri affectus locum habentem sanari. Vera hæc sunt somnia atque figmenta, ad ipsorum hypotesin stabiliendam ineptissima & refutatione planè indigna. Nullum itaque ex hisce metallis adstipulante Experientia (quæ & nostro judicio aliquando Rationi præferenda est,) hanc potiùs, quam illam ex iis partibus curat. Aurum v. gr. cordi potiùs, quàm cerebro non est adjudicandum, quum major adsit similitudo inter Solem & Cerebrum, à quo manant spiritus, quàm inter Cor, quod verus est musculus, veraque antlia impulsiva, illud omne, quo pollet robore, a nervis & cerebro mutuans, uti passim hisce temporibus demonstratur. Inter Paracelsi asseclas vix convenit de Stanni ac Plumbi fato, quæ juxta ipsorum supppositia Jecori & Spleni inservire deberent, ad quorum tamen usus nunquam usurpata fuere. Ferrum verò, quod Vesicæ felleæ adjudicatur, hepatis, lienis, mesenterii, aliarumque omnium partium nutritioni dicatarum obstructiones pariter solvit. Mercurii sors ipsos immane quantum angit, & cùm nullum aliud viscus illi committendum supersit, pulmonem illi concedunt, qui neutiquam ad ipsum referri potest; illique potiùs, quàm Cupro, partes genitales impertiri debebant, quum ipse Luem Veneream deleat, nullaque inter partes istas & cuprum intersit relatio & similitudo, præter eam, quæ a Veneris nomine, quo ab Astrologis insignitum fuit sidus cum ipso comparatum, derivatur. Tandem verò omnia ista supposita simplices sunt comparationes & mera mentis figmenta potiùs, quàm veræ atque constantes sympathiæ. Deinceps Author Epistolæ asserit, etiamsi futurum fuisset, ut genuina argenti tinctura extracta fuisset, illam tamen non futuram fuisse ad Epilepsiam Specificum; posteà tamen affirmat, nulla hucusque separari potuisse ex metallis principia interna, nec ex minùs solidis quidem, ac minùs perfectis, & ea omnia, quæ ad hoc usque tempus extracta fuerunt, fucum tantummodo fuisse atque commixtionem particularum principiorum divisarum & sustentatarum à salibus in liquore menstruorum, vel ab iisdem salibus in formam solidam redactis retentarum, nec à plumbo quidem juxta Chymicos, omnium metallorum minimè cocto atque compacto quicquam extractum fuit, & copiosum illud sal, quod destillatum à minio vel cerussa elicere videtur, nihil aliud est, quàm sal aceti particulis plumbi, quod ad pristinam formam facili negotio reduci valet, imprægnatum. Spicula illa salina particulis plumbeis infixa linguam ampliùs, ut anteà, non pungunt, at eam è contra titillant, & saporem saccharatum pro acido in illa procreant, ac mirè confirmant, æquè ac aliæ omnes operationes chymicæ, mechanicam & principia Cartesii. Nequaquam tamen inficiatur, metallicas istas Tincturas, utut falsas atque fucatas, magni esse usus in Medicina, saliaque volatilia vini & urinæ ex se ipsis jam aperitiva atque penetrantia particulis argenti insuper stipata, in humores obstructiones facientes impingere, illosque excutere posse, quod à Tinctura Martis potentius multò, quàm à Marte solo aperiente peragitur.

Tinctura Lunæ Helvetii.

Non dubito, quin jam, Tibi, Vir Excellentissime, nota sit Tinctura Lunæ Helvetii, Medici Amstelodamensis Celeberrimi, quæ magni penditur in Epilepsia, aliisque capitis affectibus pertinacibus, quæ sequens dicitur. Sal Armoniacum & Vitriolum detonentur in crucibulo, & dein affundatur spiritus vini, & tum fit viridis, sin ei affuderis aliquot guttulas olei Tartari per deliq. erit cœrulea. Sed nolo nunc pluribus Te à negotiis gravioribus detinere. Vale, Vir Excellentissime, & mihi favere perge. Dabantur Cassellis prid. Calend. Maii, Anno MDCLXXXIX.

JOH.

JOH. DOLÆI EPISTOLA IV.

QUÆ IN ORDINE NONA EST.

Viro Excellentissimo, Nobilissimo & Experientissimo Domino

JOHANNI JACOBO VVALDSCHMIDIO,

Serenissimi Cattorum Principis Medico Cubiculario, Medicinæ & Physices in Vniversitate Marburgensi Professori longè celeberrimo,

JOHANNES DOLÆUS,

Ejusdem Principis Serenissimi Consiliarius & Archiater, S. P. P.

Vir Celeberrime.

CUm in rebus pluribus iisque difficillimis artem nostram concernentibus, omnes, etiam indignos, indiscriminatim hactenus erudiveris tot tamque elaboratis ingenii Tui Divini certè monumentis, inter quæ excellunt Epistolæ Tuæ hactenus ad me exaratæ, imprimis verò Institutiones Tuæ, publico jam de novo comunicatæ, quæ ab eruditis adeò desideratæ fuere, ut in Belgio iterum de novo recusæ fuerint; non possum non diligentiam tuam & accuratum judicium (non blandior) maximopere deprædicare, & facta illa bona utroque laudare pollice, paucisque simul hortari, ne tanti æstimes, Vir Celeberrime, si unus vel alter ma le feriatus, aut obscuriore mente dotatus, de rebus istis, quas pernoscere ei non licet, Midæ sententiæ similem proferre videatur. Uti verò omnibus placere difficile est, ità generosæ menti minùs convenit, si exinde in tramite cœpto dilassari, & in rebus arduis eruendis, aut veritate firmanda incipiat esse segnior; Tu contra audentior ito, & ad invidiam malevolorum benè locatum urge propositum, tandem contra gratiam propriam veritati victas dare manus cogentur. Hæc Te æternæ laudis Phyllida manet, quam nec imber edax, aut aquilo impotens possit diruere, aut innumerabilis annorum series & fuga temporum. Nec est, quòd invidiam, virtutis pedissequam, Zoileum flagellum, & improbos saucianti linguæ susurros extimescas eorum, qui domi suæ, Lamiarum more, cœci, foris supra milvinam & centoculi Argi aciem sunt oculati. Quotusquisque enim est, quem non videat crasso Calphurnius ore? Commune fatum, & sic, ut cum Tacito loquar, ceu sterilitas, imber aliaque naturæ mala tolerandum est, ut omnes, qui aliquo laudis genere florere incipiunt, undique venenatis calumniarum telis incessantur, & quasi turbine quodam malevolentiæ quatiantur, improbo furentium Momorum agmine, ob exuberantem nigræ loliginis succum accerbitatis virus serpentis instar effundente. Sed ne in his ultra limites movear & crabrones irritem ad, alia me conferam.

De motu cordis.

Maximè mihi ea, quæ refers de motu cordis ex *Vieussen*, arrident, quoniam juxta principia mechanica sunt deducta. Et sanè causa motus cordis sanguis, spiritus & aer omninò sunt statuendi. Nam horum uno deficiente, motum cordis peragi non posse videmus. Cuilibet notum est, sine sanguine nullam spiritum fieri separationem. Et cùm omnes motus in machina nostra à spiritibus fieri constet, certum est, sanguinem ad motum cordis omninò requiri. Ab influxu autem spirituum motum cordis promoveri illis constat, qui spirituum ad cor influxum impediverunt ligando vel discindendo nervum cordis, eo ipso enim motum cordis imminui & cessare deprehenderunt. Symbolum suum ad cordis motum addere aerem, nemo erit, qui neget; quippe si aspera arteria ità obturetur, ut aeri omnis ingressus prorsus denegetur, statim motum cordis sisti cuilibet experiri licet. Quinimò aerem ad pulsum cordis tum promovendum tum conservandum multùm facere, sequens experimentum confirmabit. Alacri manu solvatur & removeatur ità sternum, ut thoracis interiora planè in conspectum veniant, sic cor adhuc arietare conspicietur: quòd si non facit, instigetur acu, & statim recuperabit motum. Ut autem hic motus per dimidium diem & diutiùs conservetur & continuetur, interceptis vicibus per asperam arteriam pulmones inflari debent. Nam dum vesiculæ pulmonum ab aere expanduntur, sanguis exprimitur & versùs cor propellitur: quibus iterum laxatis, sanguis ex corde in vasa pulmonum refluit, & ità circulatio sanguinis in his partibus, licèt in aliis à corde remotis sufflaminata, sit, servatur. Atque ità sæpius jucundo satis spectaculo animalis vitam ad longum tempus protraximus. Quod autem illam difficultatem, quare cor corpore extractum adhuc pulset, attinet; censeo, causam omnino quærendam esse in spiritibus nervis istis insidentibus, qui cùm ob valvulas regredi nesciant, motum suum tamdiu continuant, donec ab alia causa impediantur. Animadvertimus enim istos motus, qui in tali corde exempto observantur, non adeò vehementes, nec ità constrictorios, sed leves saltem contracturas esse, quale quoque in musculis bovum recens mactatorum cernimus quotidie.

Proverbium Chirurgorum est, hominibus non ma-

Digitus amputatus augmentum recuperans.

manus ac digitos crescere, prout cancris; attamen contrarium ex sequenti patet casu à Viro celeberrimo Domino *Vvaldmanno*, Medico Schmalcaldiensi, communi nostro amico, viro fide digno, communicato. Puer adhuc Schmalcaldii superstes 6. vel 7. annorum, asciam male tractans tertium indicis articulum ità sibi totum amputarat, ut de ungue vix quicquam apparuerit. Pater infortunio hoc perterritus statim Chirurgum accersere jubet, & de amputata parte rursus agglutinanda, ne digitus vel manus mutilus fiat, consilium petit; Chirurgus verò accersitus de sanguine sistendo, & non de parte agglutinanda jam cogitandum esse respondet, impossibile enim fore, ut digitus præcisus justam suam rursus acquirat longitudinem. Sed quid fit? Vulnere ex arte consolidato pueroque indies incrementum sumente, & index cum nutrimento suum quoque pedetentim acquirit augmentum, ità quidem, ut jam digitus hic à reliquis nec longitudine, nec alia forma distet, externè novus unguis, internè novum renatum est os, imò vix vestigia cicatricis in superficie apparent. Ossa esse renata *Scultetus*, *Marchettes*, aliique Chirurgi celeberrimi notarunt, imò prælaudatus Celeberrimus *Vvaldmannus* cujusdam cranium ex vulnere læsum possidet, cui novum ad claudendum foramen subnatum est cranium, sed novum digiti articulum cum ungue unquam fuisse renatum nullibi vel legisse, vel audivisse memini, nisi *Lycosth. de prodig. & ostent.* historiam huc trahere vellem de homine, cujus sinistra manus ferro amputata post annum penè ad integrum ei dormienti restituta, sed cùm portentum magis, si fides Authori adhibenda, (quàm Chirurgicam sapiat observationem) ejus diutiùs meminisse nolo. Dum verò hæc Chirurgo nostro Castrensi, Domino Joh. Julio Branchardio narrassem, ipse testatur, se in filia 18. annorum ulnam bracchii ob cariem, per incisionem exemptam, intra biennium renatam observasse. Tubuli enim & fibræ ossium possunt in longum extendi, & succi mediante circulatione ibidem allati in deperditæ substantiæ reparationem coagulando transformari.

Glandularum nova inventio Variorum.

Celeberrimus *NucKius* Lugdunensis pergit industriè in detegendis novis ductibus, & demonstrandis novis glandulis, circa enim articulos, v. gr. cubiti, genuum, &c. plures observavit glandulas. Itidem ex Celeberrimi Domini D. *Bohnii*, Professoris Lipsiensis, Anatomici ac Philosophi egregii, communis nostri amici, habeo, quòd bini ipsius amici Gedanenses in tribus luporum ventriculis iter tunicam carneam & nerveam viderint glandulas satis ingentes & soliditate ferè cartilagineas, in quibus hæserint lumbriculi exiliores, quos stimulatores totidem voracitatis hujus generis animalis summæ augurantur; imo & ipse prælaudatus *Bohnius* in canibus aliquoties simile paradoxum se observasse scribit, ità tamen, ut ostiolis exilioribus pervia viderentur hæc animalculorum receptacula, crediderit que, hoc semper aliquid extraordinarium esse, cùm non in omnibus comparuerit.

Sinus Cerebri quid sint.

Prælaudatus Dn. *NucKius* demonstravit Lugduni Batavorum sinus Cerebri à Celeberrimo *Vieussens*, Professore Monspeliensi, inventos, qui nihil aliud sunt quam sinus laterales, exitum suum habentes in sinus quatuor ordinarios Tbi, Vir Celeberrimè, jam notos. Ipsorum usus adhuc est ignotus, quem tamen plures cum reliquis communem esse dicunt. Demonstratum etiam est, glandulam pituitariam nihil ad nares amandare posse, unde prædictus Celeberrimus Anatomicus, Dn. *NucKius*, humores oculorum à glandula pituitaria ortum suum habere arguit. Hactenus observavi, omnes glandulas lympham suam vel derivare ad vasa lactea, vel ductum thoracicum, vel ad ipsas venas, cùm verò nullus ex primis duobus vasis in cerebro reperiatur, verisimile est, glandulam pituitariam lympham suam in novos excernere sinus, qui nihil aliud sunt, quàm venę jugulares. Certissimum est, quod asseris, nullam inter glandulas esse aliam differentiam, nisi eam, quæ à magnitudine, figura & situ canaliculorum desumitur, quæ etiam sola in causa est, quòd diversos vehere soleant succos: nec nos admittimus privatum glandulis præparatorium officium, cùm nulla opus sit præparatione, sed saltem segregatione.

Phosphori descriptio.

Totus jam sum occupatus in Phosphoro parando, quem mihi ex Anglia attulit Cl. Dn. *Kursnerus*, communis noster amicus, & potentissimi Principis nostri Exercitus Medicus ordinarius, asserens Illustrem Dn. *Boylæum*, & Celeb. D. *Slare* (qui posterior pro authore Phosphori habetur) ex urina ipsum laborare. Accipe descriptionem.

℞. Urinæ, incoq. in olla, massam crassiorem inde Retortæ, & destill. spiritum & oleum rubrum, exime caput mortuum, & superfund. aquam pluviatil. & detrahe salem, residuum exsicca, & in pulv. reductum inde Retortæ, ut tantùm dimidiam impleat Retortæ partem, & Recipientem applica etiam semiplenum, l. a. luta & per gradus destill. ad 10. horas, donec omnis fuerit destillatus, Recipiens aqua potest refrigerari. Helmontius junior in Anglia vivens sequentem communicavit. ℞. Urinæ, coqu. ad consistent. mellis, add aren. part. 3. destill. per retortam, Recipiens sit magnum & aqua repletum, da ignem. Sed Celeberrimus *Vveidenfelsius* mihi aliam promisit descriptionem, quam Tecum, Vir Celeberrime, tum dividere non recusabo.

Chalybs propinatus in calculos in hepate conversus.

Medicus quidam, qui ægro cuidam colica cum ictero laboranti Medicinam fecerat, cursum chalybeatum cum medicamentis antictericis amaris scilicet interpositis per biennium præscripsit, nullo tamen cum levamine, tandem mortuus est æger in vesicula fellis 5. calculi reperti sunt, qui in aqua injecti fundum petiere, contra naturam aliorum ejusmodi lapillorum in vesicula fellis repertorum, hos ulteriori examini subjicientes invenerunt eos omnino ex ferro conflatos esse, nam rubiginem repræsentabant, & magnetis atractionem vulgò ità dictam obsequebantur. Existimamus ergò, particulas ferri accedente acido in machina nostra facilè posse counire & instar calculi concrescere.

Abortus.

Aliam accipe observationem. Mulier quædam 32. circiter annorum sex abhinc annis semel gravida fuit, ab illo autem tempore sæpe se gravidam esse judicavit, menstrua enim 2. vel 3. menses emanserunt, abdomen intumuit, appetitus depravatus, sæpius manè vomitu correpta fuit, alia ingravidationis signa sensit & habuit, sine ulla tamen fœtus vel alicujus excretione, ter ità decepta tandem gravida facta fuit, & ad septimum mensem durarunt hæc symptomata, quo tempore hæmorrhagia correpta est remanente tamen motu fœtus, quamvis debili. Varia contra hæmorrhagiam usurpata sunt, suadente ità & jubente ægra, quæ putabat se esse gravidam. Octavo autem mense (hoc affectu adhuc durante) in partum incidit & fœtum mortuum sine ullo dolore, antequam obstetricem accersere potuit, sponte enixa est, nullis aut paucis admodum fluentibus lochiis, tandem usu chalybeatorum & antiscorbuticorum ad pristinam salutem intra quatuor menses restituta est. In hoc casu medio gestationis tempore V. S. proficua fuisset bis vel ter instituta, vasa enim uteri fuerunt à sanguine nimis distenta, hinc Tecum in hoc casu perquàm utilem V. S. institutam reperi.

Venæsectionis utilitas probata.

De Venæsectionis utilitate ex historia eruditorum Gallicè conscripta sequentem Tibi legendam tradam observationem. Dominus *Bayle*, Med. D. & Artium liberalium in Universitate Tolosana Professor, Venæsectionis utilitate multis argumentis stabilita, eam penitus confirmare conatur, experientia è machina Papiniana ossa emolliente deducta. Ex machinæ istius, (quam mihi Celeberrimus Dominus *Papin* hodie, dum hæc scribo, monstravit) descriptione à Dn. *Bayle* nobis exhibita patet, carnium coctionem ossiumque dissolutionem tardiùs promptiusve in ea perfici juxta minorem vel majorem aquæ in ipsa pressionem. Nullus phænomenon istud mirabitur, si animadverterit dissipationem partium insensilium corporum calidorum, eorun-

eorundem agitationem dilucidè probare, ipsaque agi motu vorticoso vel vibrationis, quo se mutuò extrudere, & à vicinis secedere conantur, manifestè statuere. Tali motu insensilium particularum corpora calida vicina præsertim corpora concutiunt, suamque agitationem illis communicant. Inde subsequitur, corpus condensatum citiùs excalefacere corpore rarefacto, etiam si utrumque ab eodem igne calefactum fuerit, quoniam corpus condensatum copiosioribus iisque ad unitis particulis munitum operatur. Eadem de causa ferrum candens carbone vehementiùs calefacit. Sic etiam aqua in machina Papiniana compressa corpori, quod attingit, motum impertitur validiorem eo, quem illi conciliaret, si minùs compressa foret, utut eodem caloris gradu donata: id est, aquam condensatam particulas numerosiores, quàm aquam rarefactam sub certo spatio continentem, in vicina corpora pluribus particulis confertim agere debere: hæc insuper affertur causa majoris activitatis corporum calidorum liquidorum, quum sc. compressionis vi ad angustius spatium redacta fuere: quia tum temporis corpora liquida corporis solidi particulas vehementiùs confricant. Apud omnes constat, liquores esse compositos ex particulis insensilibus motu perpetuo eoque omnivario præditis, vasorumque latera illas continentium indesinenter decurrentibus. Facillimè autem elucet, compressionem efficere debere validiorem mutuam particularum illarum collisionem, illiusque ope ipsas in corpus solidum violentiùs ferri, unde contingere potest, ut corpus liquidum calore destitutum nihilominus excalefaciat, solius compressionis ministerio, corpus durum, in quo compressionem partietur; ita quoque fit, ut aer in catapulta pneumatica apprimè compressus illius tubum excalefaciat & ex tali calore liquet, sufficientem aerem in illa contineri, & aeris staterem eam assecutum esse tensionem, quæ exoptato effectui ab ipso producendo necessaria est. Ex iis observationibus V. S. necessitas percipi potest, nam, inquit D. D. *Bayle*, nisi aperiatur vena ægri, cujus sanguis à febre ardente excandescit, cruor iste majorem patitur in venis compressionem, quàm si à V. S. rarefieret, sanguis nimirum compressus sanguifera vasa fibrasque partium, quas alluit, excalefaciet, inflammationemque in illis pariet: præterquam quòd sola vasorum repletio independenter ab extraordinaria febris effervescentia multa detrimenta inferre valet. Author argumenta sua observationibus suffulcit, asserit enim, se in corpore humano pectoris inflammatione laborante nulla celebrata V. S. defuncto animadvertisse, cor tantopere à sanguinis excandescentia concussum fuisse, illiusque fibras validè adeò fuisse divulsas, ut ipsæ à se invicem penitus essent sejunctæ. Ex his omnibus colligit, sicuti in machina Papiniana caloris effectus aqua effluxa imminuitur, ita etiam sanguinis impetum remitti, ipsiusque motum sisti, cujusdam portionis illius eductione. Hinc Tu quoque, Vir Celeberrime, in Institutionibus Tuis Medicis doctissimis rectè inquis: Lac subinde ità augeri potest in sanguine, ut magna inde totius massæ sanguineæ turgescentia ac rarefactio exoriatur: hinc cùm moles illa pari alacritate ab ipsis spiritibus animalibus ad reditum versùs cor urgeri nequeat, plethorici magis præ aliis rubent, vasa sanguifera distenduntur, corpus obesum fit & carnosum, præsertim si otium & quies accesserint. Hinc V. S. optimam esse imminutoriam seu evacuatoriam asseris, unde eam in dysenteria approbas eum in finem, ut videlicet imminuta sanguinis copia tensio & pressio in parte inflammata imminuatur.

Hic Marburgi, ut scis, hæreo, & Serenissimæ Principi nostræ in puerperio Medicinam facio, quæ Deo O. M. sit laus, Principem sat formosum enixa est, & optimè se habet: Tu interim in castris prope Moguntium vivis; quæ in arte nostra observas, mihi ut communices, obnixè rogo, propediem & mihi eundum est in castra. Dum hæc scribo, literas accipio Ferraria ex Italia à Celeberrimo Domino *Lanzono*, quarum copiam Tibi transmittere lubuit.

Al Molto Illust. & Eccellentissimo Signor & Patrone colendissimo, Il Signor Dottore Gioanni Dolæo, Medico del Serenissimo Landgravio d'Hassia.

Litera à D. Lanzono Ferraria ad me scripta in quibus meminis, se Ephemerides literatorum Ferraria meditari.

Præstantissime Vir, ac Domine Excellentissime.

Sæpe in ambiguitate meus animus est versatus, an scilicet meæ ad Te literæ gratæ futuræ essent; verùm cùm animadverterim, sapientes viros animo candido ornari, statim calamum ad chartam hanc tingendam tradidi. Unde Tuam pluries literariam contemplatus beatitudinem, ac eximiam admiratus eruditionem, coactus fui Tibi inter Medicos Maximo, meam licèt inter Medicos minimo servitutem patefacere. A Tuis enim optimis operibus agnovi, quantum Tibi debeant omnes Medicinæ Cultores, inter quos ego minimus. Scripsi & ego, discendi, non docendi ergò, Animadversiones Medicas & Scholia ad Observationes D. H. à Monichen, nec non Zoologiam, quæ opuscula nuper typis tradita Tibi libenter transmitterem, dummodo scirem, gratam Tibi meam servitutem fore futuram. Te interim precor, ut me doceas, quomodo Tibi tutò tradere possim chartaceos meos fasciculos, ut à Te aliquid in Re Medica novum discam, quod summoperè exopto. Nunc ego construo Ephemerides Literatorum Ferrariæ, unde de aliqua Tua rara observatione in eis inserenda ad publicam utilitatem Te rogo; si aliquos pariter habes libros Medicos hac in urbe recenti editos, vel tuos vel aliorum, eos ad me ut celeriter tradas, vel saltem eorum nomina, vehementer rogo, & ego nostros hic impressos ac imprimendos Tibi transmittam, ut ex hoc semper crescat meum erga Te obsequium, & Tuum erga me dominium. Vale, & me ama.

Dominationis Tuæ Excellentiss.

Adictiss. & obsequentiss. Servus

Ferrariæ die 2. Maji 1689. Josephus Lanzonus, Med. D. ac in patria Universitate Professor Botanices.

Hasce literas Tibi, Vir Amplissime, eum in finem communicare volui, ut si unam vel alteram curiosam observationem Ephemeridibus istis inserendam habeas, mihi transmittere velis, proximè enim Celeberrimo huic Viro responsurus sum.

Potus Theæ quare non semper conveniat, sed sæpe noceat?

Vidi, Vir Amplissime, Tractatum Tuum elegantem Anchoræ salutis nomine insignitum, de Potu Theæ lingua vernacula conscriptum, eumque singulari perlegi attentione, qui potus laudatur ab his, culpatur ab illis. Stat adhuc mea sententia, potum hunc in nimia quantitate assumtum mihi suspectum esse, quoniam herba hæc ad leges & resolutiones Chymicas ritè examinata in se continet sal alcali nimis acre, hinc facilè tubuli & vasa sanguifera lædi possunt, imò in pluribus excitatur raucedo, ceu plura mihi constant exempla, ex quibus unum tantùm recensebo asterisco notandum. Vir ille multùm Reverendus Dn. Pforrius, Inspector SmalKaldiensis, qui nescio cujus suasu potu Theæ abutebatur, & singulis diebus ultra mensuram sorbillabat, idque per annum & ultrà continuabat, unde ipsius succus pancreaticus acris acidusque redditus fuit, è contra bilis destituta particulis benignis volatilibus oleosis, hinc quoque chylus in ipsis intestinis tenuibus infectus, & particulæ acres non modò abrasere mucum intestinorum necessarium, sed glandulas etiam ipsas erosere, fibrillasque pungendo distenderunt, unde cum dolore ad ejectionem viscidi succi intestina lubricantis, & eadem adversùs pancreatici liquoris aliorumque succorum peccantium acorem munientia stimulabant, & quod per poros intestinorū & vasa lactea mesaraica in chyli recepaculum transmittitur, pessimo infectum est fomite, & chylus ad nutrimentum partium existebat ineptus, imò ab acri erosæ arteriolæ intestinales, sive fuerint duodeni, sive ilei, sive recti, cruentam continuò ferè emittebant materiam. Quando hanc, propter rationem ad particulas acres muco intestinali involutas exturbandas per exhibitum pharmacum lenitivum, seu mediocriter purgans nidus cum hoste ejiciebatur, remisit per tempus aliquod dolor, at cùm hic pharmacandi modus nulla constitit peccantis humoris

moris correctione, novus assumptus potus Theæ spiculis suis fibras denuò vellicavit, & inde concitata intestina ejecere chylum cum muco, sive misturam quandam variorum liquorum non bene inter se mistorum, quorum partes scindentes arteriolarum extremitates intestini recti adstrictivis facili marte vulnerare queunt, ut stillis quibusdam cruentis mucus ille pingatur. Quamvis à me opponerentur acido acri alcalica mucilaginosa spiculas non modò absorbentia, sed inviscantia quoque & frangentia, semper tamen irrito cum effectu ista adhiberi experiebar. Si adstrictio & alvus durior laxans reposcere videbatur, exhibui ol. amygd. dulc. ℥j. cum ocul. cancrorum pp. ʒß. sal. volatil. Corn Cerv gr. vj. ol. destil. anis. gutt. iij. Tempore intermedio propinabantur vel pulveres, vel mixturæ liquidæ acidum dissolventes ex aq. menth. Chamomill. fl. namph. fœnicul. Tinctur. anodyn. spir. sal. armoniaci anisat. spir. nitri valde dulcificat. marg. pp. magister. Saturni, Corn. Cerv. Phil. pp. sal. volat. ejusd. lap. ceratit. cum granis aliquot laudani opiat. & gum. tragachanth. pulv. ex ocul. cancrorum, sperm. ceti, sale volat. Corn. Cerv. & opio correcto, syr. de alth. menth gelatinæ Corn. Cerv. cum guttulis tincturæ terræ Japoniæ, balsamus Peruv. rectificat. ad 2. guttas in jusculo carnis animalium juniorum, spec. diarrhod. & diatr. santal. vel rosatill. novell. cum sale volatil. mandibul. lucii, tal. leporis, & simil. Thermas artificiales aliquantùm sulphureas, additis herbis aromaticis externè tentavimus ad mitigandas fibras abdominis & intestinorum, in quantum volatile aliquid per poros apertos venulas cutaneas ingredietur capillares, è directo enim viam per cuticulam, cutem vascularem, musculos abdominis, peritonæum, ad intestina per triplicem tunicam non reperiunt, nisi quòd succi in extremis tubulis mitigati cursu suo circulari successivè quidem, sed satis sæpè citò ad stomachum cum liquore dissolvente, & in intestina cum succis consuetis revertantur. Thermæ spontaneæ æstu ignis centralis tellure ejectæ sæpe sunt violentæ, misturæ enim earum variæ sunt, benignas tamen utroque approbamus pollice. Omnia hæc frustrà tentabantur in prædicto viro, & animam Creatori suo reddidit lubens. Nullus dubito ergò, potum Theæ huic viro noxium fuisse, & cùm sal illud acre in herba Theæ in minore mole existens haud consideretur, asterisco tamen notandum, modum esse servandum in potibus diluentibus aquosis, ne per diuresin vel transpirationem sanguis depauperetur potiori sua parte, oleo scil. & sale volatili, unde, Vir Experientissime, ne in carybdim hanc incidamus, optimè mones, ut potui interponatur essentia nostra de Thea, quæ constat ex sale volatili oleoso, ad damnum hoc resarciendum. Potum ergò Coffeæ, quod tamen Tua pace dictum volo, potui Theæ eapropter præfero, quoniam fabæ hæ gaudent sale quodam blando volatili oleoso, exinde enim sanguinis & humorum guttæ æqualem ad invicem retinent particularum ipsas constituentium convenientiam, succi redduntur fluidiores, coagulati vi hujus salis volatilis oleosi magis resolvuntur, hinc Coffeæ vires in calculo pellendo majores sunt, quàm Theæ. Ne existimes, Vir Celeberrime, me potum Theæ ad Indos relaturum & planè rejecturum, sed eum, certis & pluribus tamen in casibus, magnifacio, & in Encyclopædia Chirurgica sæpius commendavi, non enim usum, sed abusum culpo.

Jam ab anno ultimo elapso hocce in districtu nostro Cassellano grassatur inter exules nostros morbus quidam epidemicus singularibus symptomatis stipatus. Ægroti derepente & quasi fulmine tacti cumbere coguntur, vires ipsorum penitus exsolvuntur, pulsus debilis, tenuis ac oppressus percipitur, universa membra doloribus pungentibus vexantur, & in plerisque dolor pleuriticus alterutrum vel utrumque pectoris latus occupat, sed in omnibus tussis utplurimùm sicca, aliquando sanguinolentis sputis comitata, pulmones à prima invasione affligit. Capitis anterior pars dolore pulsante excruciatur, totum corpus acri calore exardescit & febris ab horrore initium habens, nunc cum nunc absque purpureis maculis, & cum inordinatis exarcebationis initiis accenditur. Subsequitur statim Diarrhœa biliosa, sitis intensa, linguæ ariditas & scabrities, delirium & gravis auditus, in omnibus pulmones inflammatione corripiuntur, quæ tandem in abscessum cedit, cujus materia si consistentiæ colorisque laudabilis fuerit, facilè & cum ægri salute per sputum excernitur, si verò spissior, tenacior, cinereique fuerit coloris, vel si justam non assequatur coctionem vulgò ità dictam, (quod nonnunquam evenit ob fermenti venenati ferociam,) indubitatam ægri necem præsagit. In quibusdam clam & in latebris efformatur abscessu, nulla tussi, alioque signo præter aliqualem respirationis difficultatem, sui suspicionem perhibens, tandem verò puris ejectione conjecturæ veritatem confirmans. Raucedo aliquoties suppurationi succedit, & in nonnullis adeò gravis reperitur, ut vix verbulum quoddam pronunciare valeant, adstantesque eorum ori incumbentes mentem eorum percipere queant; tale vero Symptoma, uti & gravis auditus, vel cum morbo, vel brevi post illius ablationem evanescit: utplurimùm aut nono die morbi, isti judicantur per puris excretionem, quidam etiam decimo tertio die fato funguntur, sed nullum vidimus post vigesimum primum periisse, optimum ferè semper & quod rarissimè nos fefellit, nobis fuit omen, si ægroti in morbi principio sanguinem exspuerint. Sed etiam certum utplurimùm fuit proximis finis indicium, si brachiorum tendines interpolatis iisque moderatis motibus convulsivis post 7. diem afflicti fuerint. Morbos illos contagiosos observavi; eosque communicatos vidi à viro uxori, à parentibus liberis, à liberis parentibus, & in quibusdam ædibus ab uno ægroto septem aliis. Causam talis affectus in aere subsistere videtur, cùm ipse absque ulla causa evidenti atque occasionali passi impetat. Nec solùm enim miseri, artifices, durisque laboribus addicti homines in hunc morbum incidunt, verùm etiam divites, lautè viventes, otiosam ac tranquillam agentes vitam, vestibusque contra frigoris acerbitatem corpus munientes, ab illo corripiuntur. Pauca eaque selecta medicamenta ad hunc morbum debellandum sunt adhibenda, pectoralibus enim temperatis insistendum est, iisque admiscenda veniunt cardiaca, alexipharmaca & diaphoretica omni volatilitate exuta: cùm ab experientia constiterit, spirituosa & volatilia hisce in occasionibus esse maximè nocua, illaque intensas phlogoses excitare. Omnia acida utut dulcificata; æquè ac universa medicamina frigida dicta hic sunt proscribenda. Venæsectiones etiam & clysteres hinc exulare debent. Sed supra laudatis remediis associari debent absorbentia, quæ mirum juvamen hic conferunt, & cura post efformatum abscessum & inceptam sputationem lactis usu cum Theæ potu est perficienda.

Plures hoc tempore æstivo me suasore acidulas calidè hauserunt meliori cum effectu, nam actuale frigus maximè in Acidulis nocet, ceu mille experimentis comprobare potero. Hinc aquæ calidæ potus pluribus convenit, quem etiam in mensa jam diu assumpsit Serenissimus ac Potentissimus Princeps ac Dominus Rudolphus Augustus, Dux Brunsvicensis & Luneburgensis, 64. annum agens optimè sanus. Calidæ aquæ usum satis frequentem fuisse apud nonnullos populos, tum quòd gratam illam, tum quòd ventriculo non inutilem esse deprehenderent, innuere etiam hoc ipsum videtur *Horatius* Od. 19. l. 3. quærens:

Quis aquam temperet ignibus?

Et cum illo *Juvenalis* Sat. 5.

Quando vocatus adest calidæ gelidæque minister,

Actualis enim calor in potu juvare potest, & hic illum præstare effectum, quem ubique edit, ut scilicet attenuet, rarefaciat, viscididitates succorum corri-

corrigat, eosque in fluiditate conservet & à coagulatione & concretione præservet, uti contra actuale frigus succos nostros & sanguinem imprimis incrassando, coagulando & condensando motum eorum impedit & tandem planè tollit. De aquæ hujus calidæ potu meretur legi Disputatio Medica nuper Helinstadii à Dn. *Brandan Dieterico Behrens*, Celeb. Dn. *Behrens*, *Consiliarii & Archiatri Guelferbitani filio*, *paternis virtutibus ornato*, cum laude habita.

De causa Arthritidis ejusque cura.

Dum hæc scribo, ad Illustrem quendam Senem arthritide fixa laborantem vocor, cujus atrocis mali Symptomata pensitans in causam ipsius intimiùs inquisivi, & non ampliùs dubito quin arthritidis ratio formalis consistat in obstructione partium membranosarum, nervosarumque circa articulos propter tensionem & acrimoniam particularum obstruentium eas vellicantium, dolorem motumque impeditum &c. conjunctos habens. Adesse in Arthritide acre quoddam & viscosum obstructionem hanc pariens nullus dubito, quomodo verò acres & viscosæ hæ particulæ in articulos deponantur haud cuilibet constat. Nos non alium fontem præter sanguinem his tribuimus intemperie acri & viscosa acrimoniam corrosivam conjunctam habente inquinatum, à quo vehementiùs (data quacunque causa) incitato hæ particulæ per arterias in articuli vicinas partes propulsæ, earum tubulos porosque (firmæ texturæ) quos aliàs non ita liberè ingrediuntur, superveniente subitaneo frigore, fluidarum diluentium incrassatione defectu &c. non difficulter obstruunt, quippe acres ut rigidæ ad variis figuris se accomodandum ineptę per corpus non sine certo vehiculo moveri, hinc faciliùs ab aliis præcipitari situ inconvenienti, poris transfretandis occurrere, & firmiùs inhærere posse concipiuntur. Acrium porro quasdam pro multiplici & vix determinabili earum ratione molis, figuræ & rigiditatis differentia potiùs, quàm illarum haud inficias imus. Dubium non est quin internarum structura externarum varietati & lineamentis parùm admodum cedat, ac proin alii nanciscantur tubulos ampliores porosque patulos, alii strictiores & angustos quibus in angustiis viscosum & tenax faciliùs hæret, quibusdam laxiores, flexiliores, magisque obsequiosi, nonnullis rigidiores, constantes, minusque ductiles existunt, in quibus scabræ irregulares, & acres rigidæ faciliùs commorantur, difficiliùs elutriantur. Hæc autem constitutio siquidem nativa in primordiis generationis particularum seminis efficacia motui sanguinis, succorumque parentum consimlli, si non adæquata, & non exercitiis, immoderato aromatum, vini, Venerisque usu &c. inducta, atque ejusmodi in parentibus Arthritidem passis dispositio fuerit, rationem existimandi nonnullis dedit, morbuum iis esse, vel imminere hæreditarium; præsertim si eadem sanguinis succorumque temperies per semen & alimentum pridem propagata communicataque eodem vivendi genere continuata fuerit. Omnia enim quæ sanguinem acriorem & viscidiorem reddunt, particularum debita ad invicem proportione sublata, ad Arthritidem disponunt, quia robur fermentationis labefactant, ut adeò legitima in eo non fiat attenuatio, ut sunt omnia alimenta duriora, crassa, salsa, acida & austera, fumigata, piperata, aliaque aromatibus acrioribus condita, liquores spirituosi (ut aquæ vitæ, potiùs mortis) nimis copiosè & iteratè assumpti, aqua nostra Cassellana calce referta, ut & vina nonnulla acida &c. Horum enim usu plures me judice evadunt Arthritici ac Nephritici, cumque in his urinosa putrilago obstructis renibus vix sufficienter à sanguine repurgetur, ut ad alias partes, sic versus artus delata obstructionum author sæpè fieri potest. Sic quoque Veneris præmaturus & immoderatus usus balsamicas, salino-volatiles & spirituosas auferendo sanguinem relinquit effœtum & non raro acerrimum, imò sæpè conjunctus Bacchus in tubulos à Venere dilatatos deponit acria & viscosa. Nimiæ vigiliæ suum quoque addunt symbolum corpusque reddunt exsuccum, sic quoque ex vita sedentaria sanguis remanet torpidus. Ex vehementioribus animi passionibus, ira, terrore, mœrore, &c. aliquando producuntur obstructiones vehementiores, quibus calcar addunt vitia in excretis & retentis. Diuturnioribus aeris & aquæ frigidiorum injuriis expositæ corporis extremitates; itidem à corde remotiores, quæque vividum adeò sanguinis succorumque influxum accipere nequeunt, has sæpe luunt pœnas, unde quoque inferiores partes præ superioribus invadi toto conspicimus die. Quem verò semel invasit hic hostis, sæpiùs ipsum infestare solet, tum quia tubulorum à priori paroxysmo certa manet dispositio, porique detorti ordinariæ magnitudini & figuræ vix omninò restitui possunt, ut adeò pro tempore cessans obstructio facilè posteà redeat, tum quia difficulter hæc totaliter solvitur, ac proin particulæ hærentes ac quiescentes vel viscidis irretitæ non omni tempore impetum in fibrillas faciant, sed per intervalla in motum suscitatæ exercitiis, certis cibis, vino &c. à quibus copia particularum inconvenientium modò imminuta, iterum in sanguine adaugetur, omnia enim mutabilia sunt in corpore nostro. Cùm therapeja hujus mali, certè Medicorum opprobrii, consistat præcipuè in obstructionum reseratione, & intemperiei sanguinis correctione, duplici procedimus via, alia in, alia extra paroxysmum: in casu acri præstans reperimus decoctum ex rad. Chin. sarsaparill. bardan. sassafr. item continuus usus C. C. cujus rasura potui additur ordinario, potum theæ cum lacte præ aliis reperi proficuum per longum tempus continuatum, quæ acredinem involvunt. Demum doloris vehementia remittente spe felicis eventus Diaphoreticis non nimiùm acribus obstructionum reseratio tentanda venit, & quidem talibus, quæ fermentationi sanguinis robur constanter addunt in forma conditi, boli, mixturæ &c. coactis: est verò, me Authore, abstinendum à valdè volatilibus præsertim diu, & intempestivè adhibitis sine sufficiente humidi vehiculo. Ubi verò intemperies obtinet magis crassa viscosa, decocti aliqualis fiat mutatio, substitutis paulo magis attenuantibus, ut lign. guajac. etiam similia sudorifera ratione intemperiei nonnihil sunt mutanda, prout sal vel acidum, viscosum vel terrestre &c. prædominium obtinuerint in sanguine, cujus emissio hoc in casu potiùs negligenda est, ægri, frequentiùs senioris, viribus satis debilitatis, doloribus, vigiliis &c. Purgatio itidem validior præsertim omittatur, quia præter alia incommoda humores hic illic stagnantes in majore sanguinis agitatione variè & diversimodè moventur, qui sanguini redditi facilè ejus mixturam turbant, unde symptomata exacerbantur, obstructiones multiplicantur: alvus verò si adstricta sit, emolliente subducatur.

Extra Paroxysmum corrigendæ sanguinis intemperies, & fermentationibus ejus restituendis occasionem largiuntur: eidem scopo Antivenereorum decoctorum usus prodest, non exulante Diaphoreticorum & Diureticorum exhibitione, quorum ingredientium aliqualis fiat variatio cùm repetenda veniunt, ne sanguini eorum æther consuetus fiat, sicque nihil ferè efficiant, quippe eximium quid possunt, pollentque ordo, prosecutio, series & vicissitudo artificiosa. Ut obstructionum reliquiæ auferantur, etiam externè afflicta pars tegatur, & ab externis injuriis præservetur, hanc ejus roborationem nonnulli pellibus animantium intendunt. Nos addimus inunctiones cum spiritu vin. Camph. matrical. Elix. vitæ n. d. cum aqua flor. sambuc. vel vin. rubell. pro re nata temperato, aliisque fomentis, balneis, vel etiam & frictionibus modicis partem præservare satagimus immunem novis ab insultibus, quorum sæpè cùm maneant nodi tophique, eos adhuc recentes impositis unguento ebuli, Emplast. de ranis cum Mercurio, nec non amalgamate Mercurii & Saturni, gumm. ammon. & Emplastro de Thea incorporato resolvere. Sed ne, Vir Celeberrime, Noctuas Athenas, plura de his addere erubesco.

Ex his dictis notandum est, quòd non in omnibus morbis purgantia conveniant, quibus non semper fidendum, ceu sæpiùs monui, nec iis in totum carere possumus; in praxi ergo mea hactenus notavi, ea in primis viis, ubi saburra viscida hæret, elutriandis maximè necessaria esse, & sine iis in pluribus morbis vix sani-

sanitatem felicem reparare valemus, modò non vehementia sint, & ad sanguinem delata necrosin producant.

Usus nimius salis volatilis C.C. culpatur.

Non possum mihi temperare, quin & reprehendam usum vel magis abusum salis volatilis C. C. in mensa cum vino majore quantitate quàm par est assumpti, qui mos etiam in Magnatum aula invaluit, sed multorum cum sanitatis detrimento; plures enim novimus, qui omnem amiserunt appetitum, & inciderunt in febres Dysenteriasque malignas, vomitus, cardialgias &c. ratio hæc est, quia volatilia ut & spirituosa nimiùm assumpta, balsamicas salino-volatiles particulas auferendo, sanguinem reddunt effœtum, volatiles in succis existentes secum abripiunt per poros in auram relicto viscido, & sic evacuando particulas volatiles corpus reddunt ferè ex succum, robur fermentationis labefactant, aliaque plura incommoda struunt. Cautè ergò hisce volatilibus incedendum esse, & medicè h. e. modicè exhibenda esse author sum.

Sipho Vvurtenbergicus.

Celeberrimus Dominus *Reiselius*, *Consiliarius & Archiater Wurtenbergicus*, *Amicus noster communis*, præter alia curiosa Siphonem suum Vvurtenbergicum per majora experimenta non tantùm confirmat, sed ut in vertice effluat, meditatur, si hoc fieri possit, maximum certè inde resultabit commodum.

Liquor Aurum à Luna separans.

Preter liquorem meum Mercurium in Lunam mutantem & fixantem, alium jam novi in momento Aurum à Luna separantem & præcipitantem, ex dimidio enim floreno Luneburgico decem grana Auri vidi præcipitata.

Nobilis nostra Ars per plura nova principia à Reformatoribus nonnullis hactenus adeò intricata est, ut vix Tyro Medicinæ, quò se vertat, sciat, nonnulli eorum fuere qui etiam omnia acida è foro Medico proscribenda esse contendunt, ast cum quotidie in praxi observemus acida in morbis multum præstare commodum, non video quomodo illis carere possimus, de quibus, ut & de viribus Tunarum Dutlac, item de specifico antiepileptico ex Vitriolo de Cypro parato, de antiquartanario ex sulphure elicito, nec non de antidysenterico Martiali, aliisque, proxima occasione addam, quoniam jam Epistolæ limites transgressus sum.

Ego interea Æternam & Omnipotentem Trinitatem devotissimis inclamabo precibus, ut Te ad annos longinquos & innumerabilem dierum seriem in omnigena felicitate, pace & rerum affluente copia servet, morbos quoscunque à Te & Aula nostra arceat, & tum animi tum corporis robur largiatur; & cùm in castris, loco certè pluribus periculis exposito commoreris, Deum veneror, ut Tibi sit comes & præsidium ac Medici Medicus, ut propediem victoriosus ac sanus redeas, Tuisque mihique ac Reipublicæ imprimis Literariæ bono quàm diutissimè maneas superstes. Vale, Vir Excellentissime, ac porro me, ut facis, ama. Dabam in Arce Marburgensi Calendis Julii, M. DC. LXXXIX.

VIRO

VIRO
Per totum Orbem Literarium Celebratissimo
JOHANNI DOLÆO,
Magni CAROLI Landgravii Hassiaci Serenissimi atque Potentissimi Consiliario & Archiatro,
JOH: CONRADUS BRUNNERUS
Medic. Doctor & Professor
S. D.

LUstrum agitur, Virorum Celeberrimè, ex quo *Serenissimæ Electrici Palatinæ, Landgraviæ Hassiacæ*, juxtà cum aliis Clarissimis Viris vocatus Heideberge medicinam faciens in beati *Vvaldschmidii* familiaritatem auspicatò perveni. Gratulabar impensiùs mihi de tanti Viri consuetudine, cujus in experiundo curiositatem in scrutandis naturæ arcanis sagacitatem, in inveniendis felicitatem, in communicandis ingenuitatem, præter divini planè ingenii gravitatem, sæpius miratus fui. Nulla dies tunc sine linea: aut enim experimentum quoddam physicum monstraverat ille, aut anatomicum à me monstrari, quantum nempe per adversam valetudinem *Serenissimæ* licuit volebat. Varii tunc nobis de rebus Medicis sermones, tam utilibus excolendis, quàm futilibus abrogandis, in quibus omnibus quantum se, & qualem præstiterit, serò post nepotibus præclari Viri scripta loquentur; quæ à nonnullis etsi impetita & Theonino dente arrosa, numquam tamen eversa fuerunt; perstat enim usque perstabit ævum veritas, quæ celari nescit, quin invitis tandem ejus osoribus eluctatur, & prodit in lucem victrix, optima sui suorumque tutela. At eò abiit insignissimus Vir longiori vita, laude autem immortali dignissimus, vnde negant redire quenquam: Abstulit hunc atra dies, & funere mersit acerbo! Eodem tempore, quo mihi intercessit familiaritas cum eo; cujus memoriam nonnisi cum cineribus deponam, tuum quoque *Vir Excellentissime*, ut ambirem per literas favorem morbus *Serenissimæ* jussit, quin ipsa imperavit necessitas. Nec frustra fui; tale enim tuli responsum, ut scriniis meis medicis illud dicarim, & in perpetuam rei memoriã asservarim hactenus. Uti enim ex vngue leonem, ita ex illo & imprimis Encylopædia tua Medica, quæ tunc prodiit, cedro digna, ingenii tui dexteritatem & eruditionis latifundium spectare licuit, quæ per ora Virum te volitare facit, facitque quæ illi accessit stupenda diligentia exarata Encyclopedia Chirurgiaca rationalis, quæ *Dolæi* nomen astris adscribunt. Quod enim Authorum vix ulli, id Tibi, & meritissimo tuo contigit, dum adhuc nuper flagitareris vel ab inimicis Gallis, & insigni pretio instigareris ad novam ipsis permittendum Operum tuorum editionem: recusa autem modò fuisse ter in Batavia, Anglia, & inscio Te in Italia quoq; literæ Typographi, magna gentis nostræ gloria, quarum copiam mihi facere voluisti, significarunt. Nescio, quo meo merito, si quod est, contigit, ut arctiori Tibi modò jungar necessitudine. Fuit proculdubio & beati *Vvaldschmidii* mentio olim apud *Serenissimum Principem*, & honorifica tua interpellatio, ut qui vocarer olim, missis literis per quàm gratiosis, nunc autem defuncto succederem dignus reputatus fuerim. Ea autem fuit temporum & publica calamitas, ut mei vel ad mentionem mutationis instituendæ tantùm non contremiscerent, pulsi modò antè Palatinatu, terrore belli, qui penitiùs eorum animis insedit, & insidet etiamnum altiùs. Tandem adversa valetudo *Serenissimi* ut ad vos properarem, spretis mille difficultatibus atque periculis, mihi plane imperavit; adversa ita hactenus me ad vos pertraxerunt fata. Lætiora autem affulserunt, dum propitio Jove, communi nostro consilio & opera valetudinẽ recuperavit *Clementissimus Princeps*, tot suspiriis & ardentissimis precibus omnibus expetitam. Volupe imprimis mihi fuit in tuos ruere amplexus, & quem absens veneratus fui, coram spectare virum, familiariter eo uti, miscere sermones, audire consilia & accurata ratiocinia tua. Hæc nempe demum vita est, esse eum quibus vivamus suaviter. Et quantum non amoris & candoris ingenui spirabat invitatio ad commercium literarium? Nec quidem me tanto dignarer honore; injurius autem fortè in me ipsam forem, nisi ambabus amplecterer tam benevolè oblatum. Quid enim utilius & Medico magis dignum esse potest, quàm in agendorum causas accuratè inquirire, nec pecorum more ire qua itur, cæco antecessorum ductu? Quo nomine duplicem apud cordatos inivistis gratiam olim; tum quòd res præclarè gestas aut saltem notatu dignissimas publico exponere, tum in genuinas earum causas (quod Medicos decet atque Philosophos) inquirere sategistis. Liceat & mihi Casus aliquot, qui agenti Tecum occurrerunt, enumerare medicos; quos si gratos fore rescivero, plures deinceps in praxi occurrentes tecum dividere, & in eorum causas, discendi potiùs, quàm docendi causa inquirere, statutum cum animo atque deliberatum habeo.

Febris symptomata.

Ardua resest & difficultatis plena disserere de Febribus; tam frequens autem in praxi, ut difficile sit Medico, cui ægrotantium suorum salus curæ est cordique, in earum causas non inquirere. Nosti *Vir Excellentissime*, quæ prima fuerit quæque potissima nostrarum dissertationum materia. Alternis enim diebus videbamus mirè angi circa præcordia, respirationem suffflaminari, lipothymiam pati, frigere modò, modò æstuare, & toto corpore compunctiones instar fulguris sentire eum, cujus valetudinem tunc curabamus postridie meliùs equidem agere, uri tamen occulto usque igniculo, dolosis cineribus supposito, lentam febrim mentiente, non sine gravissima utriusque cura & sollicitudine Ita autem benedixit Divinum Numen medicamentis, communi consilio subministratis, ut destructo quasi foco, insultus non solùm febriles, alternis qui accidere solebant diebus, compescerentur, sed & ipse, qui usque gliscebat, occultus igniculus extingueretur, pristinasque sensim recolligeret vires æger. Qæritur meritò focus ubi fuerit, & causa ubi delituerit hujus igniculi? Nolo huc varias variorum opiniones circa causas febrium pertrahere: illa autem hic potissimum commemorabo, quæ vel ipse morbus loqui & oculis omnium ingerere videbatur.

In causas febris inquiritur.

Multa sunt, quæ persuadent circa ventriculum & primas

Num in ventriculo & primis viis.

primas vias causam hujus febris latitasse. Miri enim tumultus circa ventriculum & tempestates in sinistro hypochondrio oriebantur tempore paroxysmi, flatus murmurabant, ventriculum distendebant, & coarctati in sinistro hypochondrio ingentes concitabant anxietates, deliquia, cordis palpitationes, & spiritus interceptiones; interdum supernè prorumpebant, modò ilia decurrebant, cum murmure, quos subinde clystere provocasse juvit: adeò ut ibi lernam malorum latitare, focum febrilem esse, & totam tragœdiam peragi, & ipse æger, & adstantes opinarentur. Nec carebat suo fundamento suspicio. Et enim diu antè conflictabatur in sinistro hypochondrio, quàm in nervum erupit febris, quin hac jam occidente, motus adhuc in eo sensit æger alternis diebus. Unico præterea emetico, ceu clava Herculis prosterni interdum videmus febrim; quæ persuadere possent in primis viis eandem nidulari. At verò pensiculatis ritè omnibus, difficile erit conceptu, qua ratione certis tantùm intervallis paroxysmus excitetur, posita in primis viis ejus causa, quoque in massam sanguinis propagari queat extemplò, vbi febrim peragi luce meridiana clariùs apparet. Cùm enim quotidie alimenta per tubum intestinalem devolvi videamus, imo interdum horum egestionem diarrhæa accelerari, succos quoque quos perpetim eructant glandularum pori excretorii à tergo sequi, & qui parietibus fortè adhærescere dici possent, hac ratione propelli humorem; fieri vix posset, quin etiam decantatissima illa saburra humorum, vnà cum contentis aliis mixta egereretur: ut taceam animum sciendi cupidum & veritatis auidum, nondum clarè concipere, qua ratione certis tantùm intervallis fermentescerer, siquidem stagnandi ibi locus ejusmodi saburræ concederetur. Posset equidem obstructio in aliqua glandularum fieri, & humor percolandus aliquandiu stagnare; prorumpens autem cum aliis glandularum intestinalium liquoribus congredi, conflictum seu fermentationem inire. At verò talis quamvis lucta contingat in primis viis, eadem tamen non statim erit in massa sanguinea, in qua tamen principium & finis febrium existit, quod attento cuivis facilè apparebit. Tumultus igitur & tempestates tempore paroxysmi circa primas vias obortas, producta potiùs, quàm causam febris esse existimo. Etenim diu ante, quàm febris gliscebat, tempore ἀναδόσεος & distributionis ciborum, præsertim noctu, ejusmodi sensit æger anxietates & afflictiones hypochondriacas, à comesis durioribus, aut concoctu difficilioribus, id quod nuper vel ad oculum patuit. Ab ingestis enim incautè baccis Berberorum conditis, noctu tantas persensit anxietates, ut tantùm non animo linqueretur, quod diu antè febrim accidit. Scilicet tenuiori muco oblini & incrustari videntur interiora ventriculi & intestinorum; unde accidit ut, si durum aliquid & concoctu difficile ingeritur, per pylorum extrahendum, tanta illum, tenuiori muco abductum afficiat in transitu molestia, ut raptis in consensum plexuum vicinorum incolis spiritibus, miras concitare queat turbas in œconomia naturali, & anxietates, cum deliquiis & horrendis aliis symptomatibus hypochondriacis. Præterea acriores humores circa primas vias cumulare videtur æger, ex massa sanguinea acriori, cujus plura extant indicia, promanantes, fermentum stomachi putà, bilem, succum pancreaticum, & quem in affectibus hypochondriacis imprimis notari velim, liquorem glandularum duodeni, unde facilè tales pugnæ & fermentationum tempestates oriri queunt in hypochondriis, cùm aliàs, tum verò imprimis tempore paroxysmi febrilis, quo omnes humores commoventur & spicula eorum vibrantur. Sed & ipsi spiritus lacessiti atque perturbati ferociunt interdum, & in partes quasdam impetuosiùs feruntur, & arietant quasi, mirasque in iisdem ludunt tragœdias.

Causa anxietatis & passionum hypochondriacarum.

Valentini epistola.

Cum attentione nuper & insigni mentis voluptate perlegi elegantissimam Celeberrimi *Valentini* Professoris Giessensis (quem hic honoris causa nomino) Epistolam, ad T. Excell. exaratam, de Natura medica. In ea præter alia curiosa causam periodorum febrium statuit spiritus animales, & ipsos hoc drama ludere ingeniosè arbitratur. Laudo Viri acumen, & in intimiora naturæ penetrandi industriam; multum quoque cum Ipso spiritibus animalibus tribuo, & hos plerorumque motuum auctores & actores in œconomia animali statuo. Ita autem comparati videntur spiritus, ut cùm iis intelligentia insit nulla, naturali quidem tendentia per suos tubulos influant & conspirent ad conservationem vitæ novos autem motus aut anomalos, ac turbulentos nullos cieant, nisi lacessiti aut alias ab anima admoniti, aut occasione Ideæ cerebro impressæ. Quibus rite perpensis attenta mens eorum motus, etsi abstrusissimos, interdum satis clarè percipere & varia phænomena admiranda explicare potest. Necesse igitur erit in paroxysmo febrili causam supponamus, quæ spiritus atque humores in tantas agat turbas, quia sponte sua neque spiritus, neque humores tumultuantur. Et si probè attenderimus ad febris indolem, comperiemus facilè in massa sanguinea eam peragi. Etenim ab initio paroxysmi pulsus tardus est, & urina minùs tincta, quin sanorum similis esse solet; adhinc sensim intenditur, & febris exardescit, tandem erumpit in flammam quasi, nec finitur incendium donec deflagrarit materia febrilis, modò citiùs, parcior si fuerit atque tenuior; modò tardiùs, copiosior si fuerit atque tenacior. Quæ dum peraguntur in massa sanginea non possunt non & ipsi spiritus animales commoveri, quin lacessiti varia interdum in variis partibus excitant symptomata, in capite cephalalgias, in stomacho vomitus, inflationes & eructationes; in hypochondriis anxietates, in pectore tusses, in vesica strangurias &c. quorum phænomenων plura, si vellem & è re foret, enumerare possem exempla.

Causa paroxysmorum.

Nec possum non cum aliis obstructionem alicubi, & humoris stagnationem suspicari, qui certis periodis tum sponte, tum molimine spirituum prorumpens, tantos inferat motus seu paroxysmos febriles Humor enim restagnans vitium capit prorumpens autem, & ad massam sanguineam delatus sive per venas, sive per vasa lymphatica, novum fluidi corporis conciliat motum, ab initio languidum; supprimitur enim quasi biolychnium & suffocatur agitatio naturalis particularum; unde pulsus languidus, & ob minorem particularum motum sensus frigoris excitatur; mox cutem acceleratur motus particularum & febris intenditur; materia enim ætherea cum sanguinis spirituosa impingens in corpuscula peregrina, eadem exagitat atque in motum abripit, tantisper dum aut subacta fuerint aut excussa, unde ad priorem statum redit massa sanguinis atque temperiem.

Obstructio talis ubivis locorum contingere potest, quia ubique tubuli & canaliculi reperiuntur, ad vehendos & revehendos succos comparati: frequentiùs tamen in glandulis, in mesenterio, ubi glandulæ, & frequentes rivuli existunt; in liene quoque, unde tumores atque scirrhi ejus, febres diuturnas, præsertim quartanas, plerumque comitari aut subsequi solent. Protruditur autem humor restagnans tum sponte sua aggestus, tum proculdubio molimine spirituum, qui statis temporibus onere humoris admoniti suos redintegrant motus, quod Doctissimus *Valentini* citato loco demonstravit egregiè: pro diversitate autem humorum diversimodè affici, obstructiones quoque leviores & solutu faciliores, aut pertinaciores & solutu difficiliores esse queunt. Contingit interdum, ut obstructio in parte (perperam si tractetur, aut culpa Medici, aut ægri) degeneret in abscessum, unde perpetim effluvia quædam transeunti immiscentur & sanguini, & ita febris continua aut lenta excitari solet, quia perpetuò lignum additur foco.

Curatio febris.

Hæc omnia ceu oculis usurpavimus apud ægrum nostrum, & ex dictis facilè erit explicare omnia symptomata. Sed & ipsa methodus medendi aptè huic quadrat Theoriæ, quod eventus docuit salutaris. Expugnata enim obstructione pertinaci, & reparato humorum fluxu, citra vllius purgantis spiritus atque humores potiùs turbantis, adminiculum scopo exoptato potiti sumus. Iuvant interdum emetica, tum quia producta febrilia everrunt, & ita stomachum magna

mole-

molestia liberant, tum etiam, quia tanta commotione humores propulsantur fortiter, unde reparato eorum motu & solutis repagulis febris cessat; rariùs tamen tum felici esse mihi contigit, nisi antæfebrilia succentariavi & aperientia. Non possum mihi temperare, quin invehar hic in eos, qui Chinæ Chinæ usum promiscuè damnant, eumque Magnatibus, interdum periculosè, in febribus exosum reddunt. Scilicet imperitiam suam produnt instar soricis, dum errorem, quem committunt, in medicamentum, cujus usum nesciunt, cadere & retorquere satagunt; quantum autem hæc possit in curandis febribus, non est ut pluribus hic explicem, ac lumen Soli mutuari velle videar.

China Chinæ utilitas.

Cæterùm quemadmodum febrium causæ tantum non omnes in eo conspirant, ut sanguinem incrassent & obstructiones pariant, ita medicamenta antifebrilia in eo conveniunt, ut sanguinem atenuent, & obstructiones resolvant; ita enim fit ut omnes undique humores suos canales perfluant, massæ humorosæ peregrini nihil accidat & optima homo utatur temperie & valetudine: horum antifebrilium usu sese corroborari sentiunt ægri; proculdubio, quia tum obstructiones solvunt, tum alium fortè ætherem & vegetiorem introducunt, qui pro sua penetrandi virtute & efficacia obstructiones resolvendi, & humores corrigendi aptus videtur. Valent igitur China Chinæ & resolventia quævis, non tantùm in febribus intermittentibus, sed continuis quoque & inflammatoriis, ubi major obstructio, sanguinis stagnatio, aut denique abscessus subesse solet; in quibus frustra dimicatur frigidis, obstructiones firmantibus, nisi penetrent volatilia, & resolventia alia causam febrium diluerint. Sed ne nauseam hisce moveam, aliud nunc tibi ferculum appono.

Antifebrilium operandi modus.

Aviculam nuper, Rubicillam, seu Pyrrhulam Gesneri suavi vocis modulamine ingeniosam, subito, magno cordiolo extinctam coram *Serenissimo* dissecui. Sæpiùs epileptica concidere & de superiori caveæ parte satis sublimi in fundum delabi consueverat, ut epileptica omnibus audiret. Quondam flagrante nimirum Syrio, dum radii solares fortiter radiabant, & tantùm non exurebant inclusam caveæ, subito concidit & exspiravit. In causam repentinæ mortis inquirens scalpello, cor sanguine distentum, imprimis dextrum ejus ventriculum, cum auricula & vena cava turgidissimum deprehendi. Scilicet æstu Solis sanguinis moles in corpusculo pusillo, benè habito, intumuit eousque, ut ventriculi ampliùs coarctari & sanguis propelli non potuerit; stagnavit igitur circa præcordia & negato versus cerebrum fluxu convulsa expiravit avicula. Eandem nempe sortem subiit, quam animalia, quibus adaptato venæ alicui tubulo insufflatur aer, unde venæ turgescunt, cor distenditur, nec ampliùs contrahi potest, animal autem habitò convulsum moritur. Quorum spectaculo eò magis delectabatur *Serenissimus*, quòd pridie in antlia pneumatica aliquot animalia, subtracto aere neci dederat, in hisce & ingeniosis alii quando graviora permittunt negotia, curiosissimus.

Anatomo Rubicillæ epilepticæ.

Anatomen quoque aliam Tecum, *Vir Experientissime* divido, quam *Serenissimi* nostri jussu institui. Vir erat, quem noveras, quadraginta quinque circiter annorum, torosus & obesus; ex decubitu in loco frigido atque humido (fortè in herbis) tantam sibi accerserat defluxionem, seu stagnationem lympæ circa partem faciei sinistram, ut intumuerit inde, cum sæva odontalgia; qua per triduum conflictatus æger, dum somnum nullum capere nec quiescere posset, Chirurgum accersi dentemque evelli curavit. Frustra autem fuit Chirurgus, dens enim tam firmiter fixus, ut tertia vice instrumentum eluserit. Inde autem dolores ingravescebant, & inflammatio tanta oborta est, ut septimo abhinc die cum febre, perpetuis deliriis atque furiis obierit æger. Incisa decussatim mala sinistra, quæ mirum quantum tumuit, ingentem invenimus putrilaginem; serpserat autem ad musculum temporalem usque, & partem inferiorem maxillæ: pus undique ceu ex favis manavit fœtidissimum; circumcirca caro lurida, instar morticinii, juxta dentes maxillæ superioris nigra & sphacelata conspecta fuit. Cranium abhinc sustulimus, & observavimus piam matrem cruore undique suffusam rubere, vasa autem sanguifera turgere insigniter: in ventriculis cerebri serum sub cruentum fluitavit; circa basin multum seri extravasati cruenti invenimus. Ut autem *Serenissimi* curiositatem satiaremus, ventriculum cum duodemo & appendicibus exemi, ulteriùs examinandum. Pergratum mihi imprimis fuit Te, omni exceptione testem majorem, glandularum duodeni spectatorem habuisse. Frustra litem movent alii, aut dubium in rebus anatomicis, quæ autopsiam, non rationum figmenta atque ludibria deposcunt. De his autem testaberis Tute, etiam me tacente: odi enim lites & contentiones detestor. Ut autem rem omnem, & quæ præterea observavi (hic enim radix vitæ est, & principium plurium morborum) uno quasi obtutu spectare possis, hic ruminasse observata juvabit. Tunicas ventriculi & intestini duodeni exteriores, fibrosam nempe duplicem cum nervea ad glandulosam usque, & ita cuncta velamina removi, quod dum perfeci, pinguedine suffusam esse tunicam nerveam hinc inde observavi; unde mihi constabat, cur irritamina alii faciliùs, alii autem ferant difficiliùs: vidisti, *Vir Excellentissimè*, quantum fuerit discrimen inter ventriculi tunicam & intestini duodeni internam; illa enim albicabat, hæc autem obscurè flavebat; nulla in illa glandularum seu corpusculorum vestigia; hæc autem nonnisi congeries glandularum fuit, nerveæ tunicæ adeò obstrictarum, ut difficilè fuerit, hanc ab illis separare, nisi perito. Locabantur autem primariæ & insigniores sub limbo statim pylori, pisi minoris dimidiati magnitudine, (coarctantur nempe, ad genium glandularum, coctione, citra hanc autem diffusæ, nec adeo distinctæ apparent) ex pluribus minoribus lobulis coagmentatæ; inde minores & numerosissimæ semini cannabini magnitudine, rariores autem, & singulares circa choledochi cum ductu pancreatico implantationem; sub hac rarissimæ & statim nullæ abhinc conspiciebantur, non propter exilitatem, sed revera ibi cessabant, quod satis acuratè observavimus. Nòn dico ventriculi interiorem tunicam organis secretoriis carere; unde enim mucus qui ex parietibus ejus perpetuò exsudat? sed tota quanta secretioni illius inservit; corpuscula autem glandulosa separata, qualia sunt illa duodeni, nullo vel lynceo oculo perspicere licuit, quin ab horum structura toto cælo differre vidisti.

Anatomo Viri.

Glandulæ Duodeni.

Sed quid denique de usu istarum glandularum, sublimi in machina corporis nostri loco positarum dicamus? Varias olim Tractatu de Experimentis nov. circa pancreas, & lymph. commonstravi partes hydraulicas, à Summo rerum Conditore per vias alimentarias sapientissimè dispositas, & in quem finem, suum quævis fundat humorem, massæ alimentariæ commiscendum, clarè, ni fallor, & ad digitum naturæ exposui. Peculiarem autem succum quamvis glandularum fundere, ipsa earundem structura peculiaris & diversa innuit. Nimirum crassior in ore succus alimentarius, requirebat humorem glandularum salivarium; comminutus in ventriculo, succum seu mucum ex tunica ventriculi glandulosa exsudantem (quem fermentum vocare solent); dissolutus in intestino duodeno irrigatur liquore glandularum ejus incolarum; mox in subsidium venit bilis cum succo pancreatico; tandem in reliquo intestinorum tenuium tubulo hinc inde occurrunt areolæ glandosis cellulis consitæ, adinstar favorum, præsertim sub extremitatem ilei, insignis ejus tractus hisce stipatus apparet. In crassis denique intestinis iterum alius speciei visuntur glandulæ; in omnibus autem diversam observo faciem & structuram, & ita pro diversitate massæ alimentariæ in diversis locis variarum glandularum varii liquores affunduntur, eum procul dubio in finem, ut particulæ alimentariæ, ceu à totidem menstruis penitissime resolvantur, & in chylum convertantur. ulterius in itinere suo perficiendum à novo menstruo, eoque purissimo, quod glandulæ glo-

Usus glandularum Duodeni.

globosæ parant, & per vasa lymphatica ad chyli receptaculum ceu microscomi oceanum ab omnibus cardinibus advehunt. Quemadmodum nempe Chymicorum filii diversos adhibent modos atque menstrua, ad solvenda metal la radicaliter, & quintas, quas vocant Essentias eliciendas: primò enim pistillo in mortario comminvunt, aut lima in portiunculas crassiores redigunt metalla, id quod cum cibis dentibus in ore perficitur; mox aqua fort i dissolvunt, quod hic in ventriculo peragitur; abhinc spiritum subtiliorem affundunt, modò alia atque alia menstrua in suis matraciis, organis circulatoriis, quod hic in gyris intestinorum fieri observamus: ita nempe ars naturam imitatur, & hæc per illam explicatur, quin demonstratur rem omnem mechanicè hic peragi, citra facultatum chimæras, sed à Summo rerum Conditore ita singula esse fabrefacta, ut quamdiu integra sunt organa, non possint non præstare, ad quæ destinata sunt officia. At verò si labes quædam, aut humorum intemperies contingit, quæ non seges morborum expectanda? Tunc enim pugnæ ac fermentationum tempestates in hypochondriis oriuntur, non minus Medicis, quàm ipsis ægrotantibus molestiarum facessentes; de quibus alibi fortè copiosiùs.

De glandularum officio.

Dum in contemplationem glandularum conglomeratarum hic devenimus, opportunè quoque de globosis dicendi nascitur occasio. Scripsi olim ad virum acutissimi ingenii *Vvaldschmidium* nostrum νῦν ἐν ἁγίοις & exercitationem loco Disputationis Heidebergæ exhibitam de glandula pituitaria misi, quæ non displicuit veritatis amanti, prout ex Epistolis ejus videre est rogavi ipsum judicium, quod in aliis accuratum noveram, super glandularum officio, & juvat subinde in rebus arduis rogasse. Hactenus nempe apud plerosque Anatomicorum obtinuit, nullam nisi per glandulas fieri secretionem, & vera illas esse & adæquata secretionis organa. Cui quidem sententiæ & ipse Tecum calculum suum adjicere videtur. Neminem equidem in meam partem cogo, nisi quis rectæ rationi & partium fabricæ consentanea hæc deprehendens, lubens mecum sentire velit. Dubitandi autem ansam mihi præbuit accuratius glandularum conglobatarum scrutinium. Etenim immissio per tubulum vitreum argento vivo in vas aliquod lymphaticum, in capite bovis detectum, observavi illud prona via & celeri cursu pergere ad glandulam conglobatam: propter illam, vas in duos dirimi ramos, qui postquam glandulæ partem convexam attigerunt, in plures alios surculos abierunt, & per istos argentumvivum partem glandulæ supernam, innumeras moleculas divisum, argenteo infecit splendore, eleganti utique spectaculo. Didici ita lympham in glandula minimè secerni, sed huic per vasa lymphatica in partium substantia oriunda secretam asportari, penitissima ejus penetralia subire, percolari, tandemque vasis lymphaticis aliis in parte glandulæ sima oriundis tradi & instillari, ad commune lymphæ receptaculum revehendam. Si quis attenta mentis acie hæc consideret, facilè perspiciet, nullam hic fieri secretionem: lympha enim in partibus à reliqua massa jam secreta, per vasa lymphatica, glandulæ parte convexa instillatur; neque simplicem percolationem ejus fieri animadvertet: ad quid enim tanta partium structura, si qui instillatus fuit humor per vasa lymphatica primi generis, rediret idem per secundi generis, parte sima egrediuntia? Nec est quòd quis attendat, hisce machinis lymphæ motum juvari, & ne regurgitet versus exteriora impediri. Huic enim muneri sufficiunt valvulæ, quæ numerosiores in vasis lymphaticis, quàm sanguivehis, in quibus tamen major moles humorum sustineri debet; ut taceam in capite irritum ferè esse refluxus motum. Connubium autem in glandulis fieri spirituum animalium cum lympha, insignes, qui ad istas feruntur, plexus nervosi loquuntur: Hisce enim motus est nullus, nec sensus, nisi obscurus. Incernitur igitur (sit venia verbo) lymphæ spiritus animalis, nec quicquam, accuratè loquendo, secernitur aut segregatur; delibuta autem liquore nerveo & animata refluit ad lymphæ receptaculum, ibique menstrui loco venit. Præparationis igitur malui, quàm secretionis organa dicere glandulas globosas; bene ne, an malè Tu te judicaveris. Conglomeratas secretioni magis inservire noto: sed nec ipsa omnem exhaurire earum actionem. Secernunt equidem, & pororum ac canaliculorum configuratione segregant peculiarem à massa reliqua humorem: sed & secreto spiritu animales insuper (si credere fas est Anatomicorum sagacissimis, quodque nervi, qui ad has glandulas feruntur, indigitant) impertiunt. Quævis igitur, cùm peculiarem plerumque per vas excretorium fundat succum in ipsa glandula, tanquam matrice seu officina confectum, itidem glandulas conglomeratas præparationis potiùs, quàm secretionis (quæ non omnem exhaurit actionem) dicere nullus dubitavi. Et hoc est, quod volebam olim Clarissimum *Vvaldschmidium* nostrum; quibus si & tuum, *Vir acutissime*, judicium adhibueris, mecumque communicaveris, habebo, de quo mihi gratuler: mutabo autem lubenter sententiam, doctus meliora. Sed de glandibus satis dum suppetunt fruges.

De alcali & acido in explicandis morborum causis.

Miratus sum sæpius eorum dogma, qui in explicandis morborum causis ad *alcali & acidum*, seu *acidum & viscidum*, ceu sacram anchoram confugiunt, & hoc gladio nodum quemvis Gordium solvere conantur. Equidem qui pensitat materiæ divisibilitatem & aptitudinem varias induendi figuras, pro quarum diversitate varias quoque edere operationes nemo amplius dubitat Philosophus, facilè is deprehendet, constans nullum morborum principium statui posse. Sive enim alcalicæ sint, sive acidæ particulæ, dummodo in variis partibus poros subeant & fibrillas nerveas pungant, fodicent & lancinent suis acuminibus, aut texturam corrodant, sanguini mixtionem turbent, omnis generis morbos & symptomata in corpore vivente excitare poterunt: hinc miasma aliud est quod variolas excitat, aliud quod pestem infert & febres malignas, aliud quod dysenteriam communicat, aliud quod luem Veneream multiplicat: Sic aliæ sunt particulæ, quæ cancrum partibus glandulosis affricant, aliæ quę scabiem aut lepram faciunt in cute, aliæ quæ arthritidem inferunt articulis, aliæ quæ pædarthrocacen gignunt, & sexcenta aliæ; quæ partes quasdam inoffensè pervadunt, in alias autem impingunt, obhærescunt commodam ubi nactæ fuerint sedem, & suæ virulentiæ atque perniciei specimina edunt satis tragica. Acidum plerumque nominare solent, ne sint ἀσύμβολοι sed si verum fateri velint, nihil distincti significant. Etenim alcali corrosivum gigni posse in nobis, credere quid vetat, dum causticum illud potentiale ex cineribus clavellatis cum calce viva æquè cutem corrodat, quàm butyrum Antimonii, vel lapis infernalis: quin persuasum potiùs habeo dari acida, quæ hostili in massa sanguinem humori, quem acidum dicere amant, occursantia, ob diversam particularum figuram motum & magnitudinem, illum subigere, præcipitare, destruere aut alio modo alterare queant. Sic Mercurius dulcis, præcipitatus, Turpethum minerale, lignum sanctum numerantur inter acida, & tamen humorem corrosivum in lue Venerea, quem acidum dicere haud dubitant, enervant. Sic acetum grumos sanguinis dissolvit, quem aliàs coagulare dicitur, infarctum pulmonum incidit & attenuat; nec rationi repugnat: cultellis enim suis, quibus viget, discindere, penetrare & attenuare humores, quibus permiscetur, rationi consentaneum videtur. Et quid aliena huc pertrahere necesse est, quandoquidem vestro vos liquore variolico eludere venenum variolicum jamdum percrebuit; acidi genium autem tenere Ipse, & beatus Vvaldschmidius olim per literas significavit. Quemadmodum igitur sexcenta, teste Hippocrate, corpori nostro, seu fluido inesse posse persuasum habuerunt omnes, rationali Medicinę addicti, in statu sano; ita quoque in morboso vix pauciora existere probabile erit. Nec possumus proin, quę nostra est querela, certas constituere regulas nec uno calopodio omnes calceare; aliàs panacęa daretur

facile,

facilè, quam tamen in Medicina exspectamus, & optandam potiùs, quàm sperandam esse augurantur experti. Nec eorum mentem satis me assequi fateor, qui dum causantur viscidum in morbis, humores nunquam satis attenuari atque resolvi posse arbitrantur. Crebra autem inspectione & experiundo didici, sanguineæ molis particulas, lymphæ (quæ nunquam non viscida esse solet & glutinosa) involucro contineri, ita quidem ut spirituosæ cum terrestribus, salinæ cum sulphureis, volatilescunt fixis in unum coeant, & humorem æquabilem opumque divitem constituant. Hæc autem ubi nimis crassa & viscida, spissiorem sanguini, & noxiam seu morbosam consistentiam conciliat, unde varii pullulant morbi; ita è contra tenuem nimis aut resolutam, minorem sanguini largiri consistentiam, unde particulæ dissolutæ mira ludunt itidem dramata, adeoque in excessu & defectu peccare posse, ratio ipsa dictitat, quæ causa fuit, ut ego quidem hactenus in praxi mea, & felici cum successu respexerim ad fluidum corporis nostri, aut nimis spissum, aut resolutum. Quæ autem & quantæ enormitates tum à resolutis, tum ab inspissatis nimiùm humoribus sint exspectandæ, jam olim in exercitatione de lympha pluribus explanavimus.

Extirpatio atheromatis.

Volupe mihi fuit vidisse nuper follicu lum atheromatis separatum, tuo jussu, dextrè à Chirurgo, quod thoracis parti anteriori insedisse ajebas. Consimilem, minorem tamen Antico exscidi, in genæ dextræ parte media, qua vas salivale Stenonianum hiat; sed non tam levi negotio. Etenim ab exiguo dum ortum duxisset principio, tanta incrementa cœpit, ut jam ovi columbini magnitudinem æquaret: applicitis autem variis resolventibus atque diaphoreticis contigit equidem, ut minueretur tumor, fixum tamen usque, suo inclusus folliculo tenuit locum, & adeo obstrictus fuit circumfusæ pinguedini, ut qui aliàs facilè separatur folliculus, non nisi sectione auferri potuerit. Ad reliquias, si quæ forent, extirpandas (repullulare enim, follicula non penitus ablata Ipse doces Encyclopædia tua Chirurgica rationali) cathæreticis egi tantisper, dum probè mundatum vulnus, lætè ad consolidationem pervenit. Vidi aliàs atheroma hac parte ad tantam excrevisse magnitudinem, ut qui ab initio suasam sectionem reformidavit æger, tandem molis pertæsus & gravioris periculi metu, sponte sese huic, & operosiori, & periculosiori exposuerit, quam ausus est, dehortantibus etsi aliis, eorum quidam, qui nihil non audere solent agyrtæ. Genam autem unà cum tumore incidit & maximam partem abstulit. Foramen, quod magnum fuit, ligulis & fibulis equidem constringere atque firmare allaboravit, usque tamen disciderunt nexus vulneris oras, quos subinde repetendo insolitam invenit patientis constantiam: nunquam tamen reduci potuerunt, nedum uniri vulneris labia: quin amputato hoc tumore, dum sanationis spem modò conceperant amplissimam, alius in tempore ejusdem faciei partis, instar hydræ lerneæ repullulavit; spes ita decollavit, & æger cum asthmate, non citra lentæ febris suspicionem fatis cessit. Ejus autem sunt indolis tumores cum folliculo, ut ab exiguo plerumque ortum ducant principio, abhinc autem excrescunt ad insignem interdum magnitudinem. Nempe si semel stagnaverit, aut evasata fuerit humoris guttula, quod varias propter causas accidere potest, (v. g. in nostro Antico propter fortiorem expressionem vasis,) indies & in momenta stagnanti, in suo nido à massa sanguinea accedunt novæ particulæ, quæ nisi suppuraverint, pelliculam induant; exteriores nempe spissescunt & compinguntur instar corticis, & ita seminis naturam habet, quod mox germinat & succos circumfusos imbibit, ampliatur, tandem grandescit, & ad insignem excrescit magnitudinem, nec nisi ablatum unà cum folliculo curationem admittit. Sed plura addere hac vice, qui fortè Epistolæ limites jam supergressus sum, negotia & studia tua, dum novam modò Operum tuorum undique desideratissimorum editionem meditans, vetant; ne in me & totam rem medicam fiam injurius; dici enim vix potest quantum splendoris arti medicæ accesserit, ex quo Encyclopædiæ tuæ lucem aspexerunt, qui in reformando & emendando paucos pares, superiorem autem habes neminem, quod animadvertentes Typographi, dum editiones undique distrahuntur, dilabuntur, potiùs, facto quasi agmine undique accurrunt literis, & novam à Te Editionem sollicitant. Faxit Deus, ut suppetant vita atque vires, hæc & plura in publicum bonum proferendi, & nominis Tui gloriam ab una ad alteram usque Phœbi domum extendendi! Ita vale atque fave!

Dabam Cassellis, in arce Principis, ipsis Calendis Julii M. DC. XC.

MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI

D. Medici, Prof. Gisseni Ordin. Acad. Cæsareo-Leopoldinæ N.C. Adjuncti & Recuperat. in Italia Collegæ

EPISTOLA DE NATURA MEDICA,

Pro Explicatione

Textus Hippocr. Lib. 6. Epid. Sect. 5. §. 1.

Νέσων φύσιες ἰατροί.

Ad Inclutum Hassiæ Machaonem

DN. JOHANNEM DOLÆUM,

Med. D. Consiliarium & Archiatrum Hasso-Cassellanum

Quam

SUB PRÆSIDIO AUTHORIS

Publicè respondendo ventilabit

RUDOLPHUS ERNESTUS MULLERUS

Med. Cand. Gissensis.

VIR CELEBRATISSIME!

Sequiennium jam agitur, quùm datis ad Illustrem *Boyleum* literis meam de essentia Naturæ sententiam in publicum producerem, eamque re ultrò citroque pensitata nihil aliud, quàm inclinationem ad motum vel quietem in corporum naturalium textura radicatam esse sustinerem. Quæ utut nova satisque paradoxa videatur opinio, illis scilicet qui Onocentaurorum instar de modalibus gustare sive nolunt sive nequeunt; fuerunt tamen haud infimæ sortis Eruditi, qui subductis probè rationibus haud omni eadem pondere destitutas esse faterentur. Non dicam hac vice de generoso *Boylei* judicio, per Amicum ex Anglia nuper reducem in Responsoriis remisso, cùm hac de re mentem suam dudum explicaverit in pretiosissima *de ipsa Natura disquisitione*. Nec honorificam, quam vel *Dialogi menstruales* (vulgò *die Monatliche Unterredungen*) *Mens. Decemb. A. 89. pag.* 1214. vel Beatus *Uvaldschmidius* in *Decade Epistolarum* aliquoties tulerunt epicrisin, hic fusè enarrabo, ne in aliorum encomiis laureolam aucupari videar; non possum tamen non æquas atque sanę rationi haud difformes Doctorum censuras venerari admodum, è quibus Tuum, Vir Inclyte, judicium nunquam non maximoperè suspexi, quum & ingenium rationibus subactum & longo rerum usu comprobatam sapiat experientiam. Testantur hoc *Encyclopædiæ Tuæ* cedro dignæ. Testantur *Observationes* in Miscellaneis Acad. Cæsareo-Leopoldinæ singulis annis prodeuntes. Testantur *Epistolæ* & publicè & privatim hactenus cum Exteris æque ac Indigenis reciprocatæ, qui agmine facto undique advolantes summam è commercio Tuo literario delectationem persentiscunt. Quibus si & meas hac vicennænias immiscuero, levesque de Natura Medica positiones Benevolæ Tuæ dijudicationi subjecero, in meliorem, ut confido, partem interpretaberis.

Equidem *in Natura sunt quædam tanquam mysteriosa, per conjecturas pueriles* (juxta *Helmontium*) *tentata quidem ab Ethnicis at non adepta*; quæ si majori quàm usque factum, diligentia fuissent extricata, non rerum modò naturalium, sed & Artis Nostræ Medicæ studium ad summum perfectionis apicem pervenissent dudum. *Juris universalis* (quod *Naturæ* vocant) doctrinam inter desiderata quondam numerabat Illustrissimus *Verulamius Tr. de augmentis Scientiarum*, cujus paulò post Sciagraphiam tradiderunt *Hugo Grotius* ejusque Frater *Guilielmus*, ut & Commentatores eorum *Boeclerus*, *Ziglerus*, *Osiander*, *Veldhusius*, *Kulpisius* alii que Juris Naturalis Scriptores, *Seldenus*, *Puffendorfius*, *Mauritius* &c. quorum Scripta auro contra pretiosiora quasi fontes exhibent, unde reliquis juris specialis rivuli larga scaturigine promanant. Pari si fervore in ipsam Naturam hujusve proprietates & effectus inquisitum fuerit ab Jatro-Philosophis, majorem fortè spem concipere quis posset de *Medicina Universali*, quæ meritò hactenus in dubium vocatur. Laudet Azoth & Palajam *Paracelsus*: Panaceam *Glauberus*: Drif suum *Helmontius*; omnia tamen nihilo magis sunt catholica, quàm ptisana, quamdiu latuerit Natura. Νέσων γὰρ φύσιες ἰητροί, Naturæ Morborum Medicatrices, attestante *Coo*; non tantum affectus p. n. coercendo, sed & statum hominis naturalem conservando, ut expressa *Galeni* explicatio habet in *Commentar. ad Epidem. Hippocratis*. Operæ pretium merebimur, si rationem ineamus, qua sanitatem corporis humani sive conservando sive restituendo id utrobique perficiat Natura, quod ægrè tamen fiet,

ni primò expeditum fuerit, quid per Naturam sibi velit *Hippocrates*? Enim verò si Commentatorum antiquissimorum, *Galeni* sc. *Alexandrini*, *Sanini*, *Ionebii*que explicationi credendum, facultates animæ rationalis pro Natura Hippocratica habendæ forent, ut sententiam illorum in compendio recenset *Simphorianus Champerius in Epitom. Comment. Galen. Fol. LXXX* dum *Naturas dicit virtutes agentes, quæ sunt in uno quoque corpore, scilicet nutritivam, sanguinis generativam, digestivam & alias*. Verùm enim verò quo loco nostris temporibus habeatur sublesta isthæc *facultatum doctrina*, illi norunt, qui non brocardici Scholarum somniis, sed rationibus militant & experimentis. Quid enim animæ rationali cum illis actionibus, quarum ne in statu quidem naturali recordatur unquam. Itane corporis universi œconomiam in numerato habet, ut pro lubitu eandem & administrare & affectus præternaturales diversis facultatibus abigere possit? quid verò de brutis mente cassis? annon in illis æquè sui conservatrices morborumque Medicatrices sunt Naturæ. Propiùs igitur ad genium *Hippocratis* accedunt illi, qui cum *Sennerto* & aliis *Temperamentum* corporis humani pro Natura venditare amant, vel (idque potiori jure) vim elasticam & ad motum inclinationem ex eodem resultantem, quæ cum nostra de Natura sententia facilè componi posset. Quemadmodum verò ipsa temperamentorum doctrina ab antiquata Humoristarum hypothesi omni studio repurganda & in gratiam Antecessorum nostrorum nonnisi cum grano salis asserenda est; ita hoc in loco non tantùm partium solidarum vel quasi talium textura, quam pro elementali, ut vocant temperamento habent, sed & Vitalis insimul sanguinis & spirituum irradiatio & influxus intelligenda sunt. Scilicet & hic admirandam illam observare licet *analogiam*, quam *mundum inter* aspectabilem *ipsumque microcosmum* intercedere vetus Antiquorum est traditio. Quemadmodum enim in priori bina ab Illustri *Boyleo* Natura, quam Mechanismum vocat, est reperta, universalis scilicet & particularis; ita in humano corpore duplici quoque via incedit Natura, una quasi regia atque generali, τὰ ἐνορμῶντα Hippocratica singulis partibus impertiente: altera vero speciali ad propriam viscerum partiumque structuram manu nos ducente. Utramque tamen suum ἐπιαάλλον μέρος mascu lè conferre in morborum curatione, nemo (nisi omnem sive rationem sive naturam exuerit) inficias ibit. Quod enim specialem partium structuram & naturam attinet, pręter organicam illarum conformationem quoad figuram, cavitates & superficiem, unanimi Medicorum consensu pariter legitima fibrarum staminumque illis intertextorum tensio, quam passivè *tonum* vocant, requiritur, quo benè se habente non potest non exacta & legitima succorum transcolatio, recrementorum verò partibus adhærentium vegeta contingere excussio, ad quam utrobique tonus ille fibrarumque tensio respicere videtur. Hujus enim intuitu partes activo quodam elatere, h.e. Natura gaudentes, ea, quæ ad sui conservationem tendunt, admittunt, inimica verò porisque suis minùs convenientia repellunt, & hac demum ratione Naturæ sui conservatrices & Morborum Medicatrices audiunt: Quę ita tamen assumenda sunt, ut hæc omnia mechanicè, neutiquam ex appetitu quodam vel Naturæ intentione & ut *Hippocrates* alicubi loquitur, οὐκ ἐκ διανοίης fieri dicantur, cùm *nihil æquè rectam philosophandi ratio nempe turbet, quàm cùm ea, quæ menti conveniunt, in res naturales & merè extensas transferimus*, ut *Auth. Phil. Vet. & Novæ* quodam in loco habet. Certè si ex προαιρέσει aut intentione quadam ageret Natura, ipsi forte magis in proclivi esset pręternaturalem partium constitutionem percurare, à quo tantum abest, ut in perfecta viscerum atonia plerumque succumbat. *Iacens* enim *Natura*, siquidem *Helmontio* credendum, *ex se nunquam resurgere valet*. Testantur illud *morbi chronici* cachexiæ utriusque sexus, hydrops, icterus &c. de quibus, si omnimodam viscerum atoniam fibrarumque debilitatem arguant, ferè conclamatum est, cùm unanimi Clinicorum consensu raro manum admittant Medicam, aut si admittant, levissima de causa recidivam inferant ipso morbo deteriorem. Non certius hujus rei est indicium, quàm diarrhœa superveniēs, nullis sæpe adstringentibus aut confortantibus refrænanda, quum fribialis & insensilis fibrillarum constitutio omnem illorum efficaciam eludat, sicut iterata me autopsia docuit, & experientia. Cùm enim ante decennium in funesta & fatali multis Philippopoli Medici Presidiarii vices sustinerem, accidit, ut jussu Illustrissimi Comitis *Nigrelli* Gręgarii quidam diarrhœa hydropem comitante defuncti, cultro Anatomico subjicerentur, in quibus hepar (quod præ aliis visceribus imprimis hìc afficitur) non tam parenchyma referebat, quàm fibrosam putrilaginem vel minimo attactu diffluentem cujus rei Testem hìc apello Medicum Consummatissimum Dn. D. *Vuidtium* Camerę nuper Imperialis, nunc verò Eminentissimi Elect. Moguntini Archiatrum felicissimum. His ergò in casibus spes in angusto locata est si vulgaribus & proletariis adstringentibus insistere velimus, insuper habita Natura. Nisi enim huic tulerimus suppetitas, tantum ab est, quicquam hic conducere, ut probatissima de cætero remedia plus sæpe detrimenti adferant, quàm medelæ. Exemplo sunt *acidulæ* divinum alias & ultimum languentium asylum, unde plures sæpe debiliores, quàm accesserant, redire, quotidiana loquitur experientia, non alia de causa, nisi quòd aquis affatim haustis elumbia & jamdum fatiscentia intus viscera prorsus enerventur, quorum tonum & naturam prius accuratè exploranda esse dudum publicè ostendi in *Admonitionibus de vero Acidularum Hassiacarum usu* in Vernacula olim editis. Si enim in robustis & inculpata sanitate præditis tanta, quam passiva consuetudine ingurgitant, aquarum copia & stomacho & sanitati gravis est ut saluberrime in *Epist. III. ad B. Vvaldschmidium* monuisti, quid non in exhaustis tenerisque languentium corpusculis inde pertimescendum? ut taceam frigus actuale similiter nerveis membranarum fibris tremorem semi paraliticum imprimere, de quo *Meibomius* elegantissime in *Disp. de potu aquæ calidæ*. Multa heic de ipsa *Paralysi* dicenda forent, quæ, si dicendum quo res est, negligentiùs, quàm par erat, hactenus exculta fuit, non sine querulis invalidorum, languentium angustiis. Non suppetit occasio, ut ea, qua vellem & forte valerem ratione illis æque ac Artis Medicæ incrementis heic velificare, quum hac quidem vice non tam Artem, quàm Naturam Morborum Medicatricem explicare susceperim. Quoniam tamen Ars Naturam imitatur, hinc tribus saltem verbis (si pace Tua licet) in *causam paralyseos* inquiram, quæ unanimi Practicorum consensu resolutio partium sensui & motui servientium esse dicitur, quæ hactenus quidem bene se habent. Unde verò illa resolutio? *Vvillisio partes nervosæ resolvi* dicuntur, *qua spiritus animales eas non satis inflant & vigore actuant*, cujus *defectus causa est uiarum obstructio qua illorum transitus impeditur*. Ast quid de illo *paralyseo* genere, quod arthritidi vagæ *scorbuticæ* conjungitur? quid de *paresi post Colicam*? in quibus utrobique spirituum impetus & influxus non tam imminutus, quàm p. n. auctus partium fibrosarum resolutionem infert. Plane itaque existimo idem hic in nervis observari, quod in fidibus chordisque Musicorum nimiùm distensis, quæ nisi penitus dissiliant, rupto tamen staminum contextu relaxantur, & qua primitus gaudebant, vi elastica prorsus exuuntur, quod in horologiis portatilibus chorda instructis sæpe pariter contingit. Haud absimili ratione tendinum ligamentorumque fibræ sub p. n. dolorum cruciatu tanquam fidiculis distensæ flaccescunt & ni intempestive Naturæ eorum & texturæ succurramus; tandem omninò relaxantur omnemque ad motum inclinationem deperdunt. Hi enim bini Paralyseos sunt gradus, quorum posteremus curatu est difficilis; alter verò ab ipsa Natura Morborum Medicatrice sæpe percuratur, dummodo Archeus à dolorum carnificina in furorem actus in integrum restituatur. Quo quidem in casu cautela opus, ne, quæ passive commendantur, *Vrticationibus* hìc adhibiti oleum igni adfundamus, cùm illis tantum inca-

sibus expediant; si vel spiritus animales torpore quodam correpti fuerint, vel recrementa quædam morbosa plus minus acria partibus nervosis adhæserint, quę spiritus impetum facientes fortiter excutiunt, si intercedẽtibus urticarum vellicationibus irritata fuerit Natura; ἀνεθεῖσα δὲ δηλοῖ τὰ τῆς τέχνης εἰδόσινα ποιητία juxta *Coum Tract. de Arte* §. 22. Qua ratione Natura ab Indis vel artificiali *Moxæ* cauterio vel repetitis *acupuncturis* lacessita affectus à nobis pro desperatis habitos sæpe curat, teste Dn. *Ten Rhyne* in *Tr. de Arthritide & Mantissa Schematica de Acupunctura* Londini nuper impressis. Quid verò de *Natura Spirituum* hìc dicerem quæ in Temperamento Vitali primas tenet? Hi enim sunt totidem Archiatri Naturę Morborũ Medicatrici servientes manumque commodantes. Benè *Thomsonius* Anglus *Rectam Chimicè curandi methodum* ab Eruditissimo Dn. D. HennicKe nuper Latio donatam ita exorditur: *In his chartis consulo Tibi, ut primùm omnium spiritus (principalem efficientem causam sanitatis & morborum) observes, id quod ipsorum texturæ maximè respondet, multiplicando, jucundis objectis eorundem furorem ac ferociam pacando &c.* Optandum esse, quò hæc *Spirituum Medicina* diligentiùs excoleretur, cujus specimen haud contemnendum nobis dedit Dn. *Vvirdigius* antecessor Rostochiensis. In illorũ enim Natura h. e. undulatione & ad motum pressione plura, quam aliquis crederet, sunt recondita. Hic enim radicati sunt omnes *morbi periodici* statis intervallis paroxysmatim redeuntes Medicisque non minùs quàm ægris negotii creantes. Fidem hìc faciunt omnes, quotquot hactenus *de febribus* scripserunt, quos inter præcipui sunt *Sennertus*, *Sylvius*, *Helmontius Vvillisius Sydenham*, &c. qui licet ad arduæ hujus doctrinæ dilucidationem multum, imò plurimum contulerint, an tamen in explicandis febrium periodis sibi aliisque satisfecerint, Tuum, *Vir Excellens*, esto judicare. Dudum enim exolevit humorum Galenicorum motus periodicus, quo pituita singuli in quotidiana diebus, cholera alternis in tertiana, melancholia in quartana quarto quovis die circuitum suum absolvere putabantur. Exolevit Alcalistarum hypothesis & effervescentia, quum partim inanis sit retrograda bilis in cavam regurgitatio à *Sylvio* asserta, partim in dubium vocetur effervescentia in sanguine præsupposita: Varius succi nutritii motus à *Vvillisio* assertus primum aliquid in recessu habere videbatur; ast quantis ille difficultatibus sit obnoxius solidè & egregiè demonstrat Excell. Dn. D. *Henrici de febr. intermitt.* Nec tubulorum obstructorum varietas ab aliis eleganter quidem asserta omnem hìc paginam absolvit, quum vel sola spirituum commotio in affectibus vehementioribus febrim periodicam ciere possit. Et quid de illis spirituum periodis, quæ in statu s. n. sæpè observantur? sic qui uno vel altero die somno se meridiano dedit, subsequenti tempore sępè nolens volens eo solet obrui. E contrà sub aurora matutina semel excitati, eodem tempore sæpius evigilant, etiam non vocati. Venter carens auribus certis parandi cœnæque horis assuefactus ne per somnium de cibo cogitantibus salivam movet. Morio apud *Vuillisium* horologii & campanarum sonitus voce crebrò imitans, post citra ullius sonitus perceptionem temporum intervalla metiebatur & quod ridiculum, bombis s. v. κάτω editis pulsus horologii exprimebat, hoc licet silente. Quænam hìc obstructio, quænam fermentatio & quis humorum motus? Quibus de causis Celeberrimus *Riuinus* Lipsiensis haud inconcinnè quaslibet febrium periodos in spirituum natura atque motu quærit, ob *connatam illis facultatem non modò percipiendi, sed & retinendi ideas seu species rerum objectarum, quas non ad horas aliquot aut dies, annos complures interdum servamus, imprimis si fortiùs impressæ fuerint*, ut in Quartana & Epilepsia periodica videre est. *Ideas* autem illas, juxta quas determinatur motus spirituum periodicus, non tam in scintillis quibusdam aut imaguncůlis, ut ex *Marci Marci* sententia quidam adstruunt, quàm in eorundem textura, undulatione & inde resultante propensione ad motum radicatas esse jamdudum alibi docuimus. Huc igitur animum intendite Philiatri, ipsique Naturę per eccentricum spirituum motum succũbenti suppetias ferte, & facilè morborum etiam contumacissimorum victrix abibit. Motu scilicet spirituum impetum facientium agit Natura, quem omni studio in intregrũ restituamus. Si enim Natura sive solstitiorum sive æquinoctiorum temporum spontè surgens fastidiosum Medicorum ludibrium, quartanam puto, fugat; Si vegeto pubertatis tempore Caducum edomat & Epilepsiam juxta *Hippocratem*: Quidni arte novis illam viribus instruere poterimus, ut generoso impetu resurgens se vegetam morborum Medicatricem exhibeat? Poterimus autem illud, si primùm spirituum undulationem eorumque pressionem seu ad motum inclinationem, h. e. Naturam operosè perscrutemur & abhinc ejusdem, velut Equi generosioris cursum vel blanditiis vel capistro quodam moderemur. Non enim semper expedit Naturæ nimis abblandiri ejusque motum otiosè expectare, sed illi quandoque stimulus est addendus per medicamina generosa drastica. Multa ægrorum millia nimia & intempestiva Medicorum pusillanimitate trucidantur, eaque de causa plures quàm decet, affectus *incurabilibus* adnumerantur, de quibus ex professo *Seidelius*. Novi Empiricum Epilepsias habituales unico eoque drastico remedio funditus exstirpantem, ab omnibus alioquin pro incurabilibus reputatas. Alium novi eumque Eruditissimum Auliatrum, qui si non eodem, parili tamen pharmaco Maniam curat, vix paucis interpositis specificis. Vis autem & activitas remedii in eo latet, quòd spirituum Naturam in morbis illis succumbentem elevet; qui capit capiat. Ah ò utinam Naturam scrutarentur illi, qui se toties Naturæ ministros crepant! Utinam Naturæ morborum Medicatrici manus commodent & sicubi in devia labatur, in regiam deflectant! Mirabar olim Parisiis & Venetiis singularia *pro Incurabilibus xenodochia* spectari, quum tot utrobique Medici alantur, quot sunt in anno dies. Quid in causa quæso? negligunt ah! negligunt Naturam morborum, etiam vulgo incurabilium Medicatricem? φύσις γὰρ ἐξαρκέει πάντα πᾶσι, Natura omnibus subvenit, attestante *Hippocrate Tract. de Aliment.* §. 4. *pag.* 594. Naturæ ergò percontare methodum hujusque viam sequere, & sponsionem fecero nullum ex internis reperiri morbum prorsus incurabilem. Ad experientiam provoco, Fontesque Soterios (*die Heil-und Gesundibrunnen*) in exemplum trado, qui morbos sæpè curant ab omnibus pro incurabilibus relictos, idque sola Natura in sale mundi centrali radicata. Plerique enim ita comparati sunt, ut paucas vel omninò nullas particulas minerales secum vehant, quod de *Griescheimensi* haud procul à Darmstadio testatur μακάριος *Joh. TacKius* in Eucrene Theosophica. Idem in vicino nobis *Germesheimensi*, qui paucis abhinc septimanis haud procul ab Imperiali Vvezflaria exortus est, observare licet, in quem sollicitè nuper adhibitis variis destillationibus, præcipitationibus, digestionibus inquirendo, nequicquam reperire licuit, exceptis particulis nonnullis nitro-sulphureis, à quibus tantum abest, ut virtutes à vulgo undique terrarum confluente illi adscriptæ dependeant, ut potis ab altiori principio, Natura sc. in minimis se maxime exerente promanent. Quidni autem & ipsa Medicina talia pręstare posset, si Naturã imitatur? Si enim vera sunt, quæ Salisburgi *Paracelsi* cavet Epitaphium, sustulit ille morbos incurabiles, vulgò ita dictos, Caducum scilicet, Calculum, Quartanam, Podagram, Maniam &c. idque sine dubio, quòd Archei & Naturæ reconditam obtinuit notitiam. Simili ratione plures in Archeo morbos fabricari noverat *Helmontius* Discipulus, ad cujus furorem demulcendum fere omnia ejus collimant polychresta revera singularia, utut secretissima, quum Filius intempestivo Enthusiasmo irretitus illorum copiam aliis invideat, Interpretes verò *Grembsius*, *Strackius*, *Thomsonus* & alii veram ad illa clavem nondum sint adepti, quam Natura in gremio suo fovet. Hujus ergò re-

gò reseremus viscera, hujus addiscamus methodum, & sat habemus arcanorum. Non aliunde suam in medendo felicitatem habent Practici ævi nostri Celeberrimi, quàm ab accurata Naturæ cognitione, cum, ut vulgò dicitur, Medicus incipiat, ubi Physicus jam desiit. Testaretur id, si unquam reviviscerer, Medicorum Brandenburgo-Electoralium Biga Celeberrima *Cranius* & *BonteKoe*, Medicinæ Chirurgo-Rationalis ex ipso Naturæ lumine Restauratores ingenui. Testantur idem Manes Beatissimi *Vvaldschmidii*, cujus mortem præmaturam luget, ipsa quam indies excolebat, Natura. Vivet interim & æternùm vivet in Scriptis ex parte posthumis, dignoque tanto Viro Successore *D. D. Brunero*, Magni *Vvepferi* genere, de quo Hassiæ æquè ac Illustri Marpurgensium Academiæ gratulor ex animo. Nullus dubito, quin in eo recuperaturi simus, quem in Priamo Nostro perdidimus Amicum, cùm insolitam Viri Humanitatem mihi sæpe prædicaverit Illustris Dn. *Francus* Archiater & Prof. Electoralis Saxonicus. *Tu* verò. *Inclute Dolæe*, anti quum simul obtine & immaturas has de Natura Medica cogitationes edecumato Tuo judicio dignare, quod impatienti desideriò expecto

Magnificæ tuæ Excellentiæ

Scrib. Gissæ Hassorum
Pride Calendas Junii
An. 1690.

Cultor Addictissimus
Valentinus.

P. S.

Eodem, quo hæc scribo, tempore pro sueta sibi benevolentia portentosum mihi casum subministrat Polyglottus & in omni scibili versatissimus Dn. *Ludolfi*, Consiliarius Cæsareo-Saxonicus, quem iisdem in vernacula verbis hìc addendum censui:

Actum Gotha d. 20. Iunii An. 1689.

Hans RucKmesser Todtengraber allhier berichtet uff bescheenes Erinnern auff sein gut Gevvissen, das er jungsthin hinder der gotteschaKer Kirchen ein Grab uor den ver storbenen Seiler Nevenhan gemachat, und als er bald tieff genug hinein gearbeitet, vvare er auff einen alten eingefallenen verfaulten Sarg, darinne nichts mehr als das Geripp und Beine gelegen, Kommen, vvelchen er abgeraumet, und seitvvarts in diesem Grabe ein tieffes loch eingearbeitet, und dabindas Gebeinich mit beylegen vvollen; Er hatte aber hierbey vvargenommen, das hinderihm sich ein zischen angefangen, solaut, vnd auff die Art, vvie die Gansenpfl gten, und darbey gesechen, das an einem Bein, und Zvvar am Ende, vvo das GelencK gevvesen, soseinem Gutachten nach umb die Knieschcibe sey, ein Schaum uber Faust groß sich heraus begeben, vnd einem solchen GestancK gehabt, das er Maul, und Nasen darbey Zuhalten mussen, vvoruber er Zimlich erschrocKen, unde in die EeKe des Grabs getretten; und als er so eine Kleine vveile zugesechen, hatte es einen solchen Schuss gethan, als vvann ein Puffert lossginnge, und vvare darbey ein blaver Rauch in einem Reingel in die Hohe gefahrer, so noch einem grossern GestancK uon sich gegeben, als zu vor uon dem Schaume Kommen, so das er vermeinet, er vvurde des Todtes darbey seyn mussen, hatte auuh nicht langer im Grabe bleiben Konnem, sondern nach Hause gangen, und etvvas gebraucht und eingenommen; eine Stunde hernach, als er vviedere hinauß nach dem Grabe gangen, solches Zu verfertigen, hatte er nicht das geringeste vveiter germercKet, und vvare das Bein daran der Schaum gehencKet, und ein Gezisch von sich gegeben, unverletzt gevvesen, hatte nicht dasgeringeste daran gesehen, und gleich andern voll Erden gehencKt; Dieses Konte er auffsagen, es mochte auch hinKommen vvo es vvolle, er Konte aber nicht vvissen vver Zuuor dahin gelegt vvorden, vveillen es uor etlichen 20. Jahret geschehen vvare, und er damahls nicht hier gevvesen.

Quæ latinè reddita sonant ut sequitur.

Gothæ, die 20. Iunij 1689.

I*Oannes Ruc Kmesser Vespillo mirum quid sub bona fide & religione refert, sibi accidisse laboranti retro cœmeterium Ecclesiæ effodiendo foveam, in quam inferret inhumandum Seilerii Nevenhanii cadaver: huic enim operi insistens feretrum eruit, alterumque in ipso cadaver, costis tamen & ossibus tantummodò cõpactum, quod in alium seposuit locum & parvæ profundæ tamen fovea inclusit. Tunc ad inceptum pristinum opus rediens, illico quendam inchoari percepit sonum veram anseris vocem reapse imitatum, retroque respiciens, ex extremo cuiusdam ossis, (hoc est, pro ut illi visum est, ex patelle genu) cadauer illud talem sonum edere agnovit, idemque os quadam intumescere veluti spuma manus instar in pugnum contractæ, ex eadem verò spuma grauem adeò odorem emitti, vt os, naresque cõprimere & obturare fuerit coactus. Quapropter magno percussus timore, aliquãtisper in angulo remotiori recessit, ubi cùm ad finem intendens perterritus moraretur, prodire percepit vehemẽtiorem sonum, velut cùm minora tormenta (vulgò sclopeta) exploduntur, ascedentemque vidit circulum fumi cœrulei, grauiorem primo fœtidioremque odorem diffundentis, ita ut animam illius hominis, cujus ossa aspiciebat, illic adesse fuerit arbitratus. Diutiùs igitur ibi morari non ausus, domum se recepit, refecit que semodico cibo potuque. Vna interiecta hora cœmeterium iterum petiit foueam inceptam completurus, at nullum amplius odorem ac sonum deprehendit, & os illud, cui spuma adhæserat & quod anseris vocem edebat, intuitus, in corruptum omnino, spuma carentem, reliquisque ossibus simillimũ reperit. Hæc quæ ipse refert, à quocumque peti possunt: quis autem repositus ibi fuerit, eum latuit, viginti enim jam inde ab annis inhumatum illud cadaver fuerat, quo tempore longè is aberat ab eo loco.*

Epicrisis.

NOn dubito plura hac de re judicia suborta fuisse, cùm rudis & superstitionibus inescata plebecula ea, quę in locis hujusmodi feralibus contingunt, aut ipsi DEO T. O. M. aut spectris ferè tribuat, imprimis si raró vel nunquam ante visa fuerint. Attamen hæc omnia à causis merè naturalibus dependere, nil impedit, quò minus asserere sustineam. Massa enim spumiformis, quæ ossi primitùs adhæserat, nihil aliud videtur, quàm particularum Nitro-Sulphurearum (quibus loca illa imprægnata sunt) collectio in motum acta, unde non tantummodò *sibilus* primùm exauditus, sed & color atque fœtor sunt exorta. Nitrum enim incensum flammulam exhibere cœruleam vel in vulgus notum, eamque non tam fulminantem, quàm levem aliquem sibilum edentem, nisi particulæ illi sulphureæ combinentur, velut in pulvere pyrio contingit; quibus extraversis & incensis non tantummodo *fragor* atque tonitru in fine exauditum, sed & *fœtor* in Casu Nostro adscribenda sunt. Quæ omnia facilè assensum merebuntur penes eos, qui in ardua qualitatum sensibilium doctri-

doctrina non omnino hospites sunt. De eo saltem quæreret mens veritatis avida, qua nempe ratione particulæ illæ circa ossis extremitatem collectæ sint incensæ & in flammam actæ? Id quod vel scintillæ, per ligonem in silicem vel ossa fortiùs impingentem elicitæ, vel subitaneæ aeris irruptioni attribuerem. Sicut enim flamma aere aperto privata fatiscit & exstinguitur, ut experimentis in antlia pneumatica à *GueriKio*, *Boyleo*, *Stairio*, *Sturmio* & aliis jamdudum est evictum: ita similiter, in obscuris terræ visceribus particulæ illæ quasi mortuæ quiescunt, donec ab aere extus irruente in motum abeant & flammam constituant. Unde *novum* illud *meteori genus*, quod Novellæ Imperiales Berolino datæ eodem, quo historia hæcce contigit, mense retulerunt, parili ratione expediri poterit, *flammula* scilicet *cœrulea* in cacumine Turris CopeniKli conspecta. Verba ita se habebant:

Berlin uom 1. Julii A. 89.

ZV Copenick hat man verschiedenmahlen Abends, und Morgends auff dem Schlossthurn ein blau brennende Feurflamm auffgehen gesehen, vvelche einen starchen schvvefelichten Geruch, und Dampff gleich einem Nebel nach sih gelassen.

Hoc est.

Berlini, die prima Julii Anno 1689.

CopernicKii sæpe & sæpius sub Solis ortum & occasum volitare circum Turrim visa est quædam ignita cœrulea flamma, quæ gravem sulphureum exhalabat odorem, fugientemque ipsam quædam velati nebula insequebatur.

Eodem prorsus modo repetibili, de quo Jesuita *Balbinus Lib. I. Cap. LI. pag. 118. Histor. Bohemiæ* sequentia: *Ad Becchinam locum Bohemiæ reperitur lapidum genus, in quo Natura arcani quid recondidit. Lapis rotundus ferò munitur saxeo cortice fusci coloris: Sub eo cortice lapis alius & in hoc veluti medulla candidissimus clauditur lapis; in ignem autem injectus instar manualis fistulæ vel granatæ se exonerat cum sonitu ingenti.* Tandem idem pariter occurrit in *Faculis Feralibus* (vulgò *Todtenlichtlein*) quæ non tam demortuorum animæ vel spectra sunt, quæ vulgi superstitiosi est sententia, quàm potius aphronitrum è pavimentis domuum antiquarum erumpens & exsudans, quod cum particulis sulphureis è cadaveribus exhalantibus maritatum & per motum aeris incensum flammulam & faculam constituit, ab *igne fatuo* mole saltem differentem; de quibus alibi ex condicto, cum nemo, quantum sciam, hujus uspiam meteori mentionem fecerit. Hac enim vice vela contrahenda sunt, ne Tua, Vir Inclute, patientia turpiter abutar. Vale terque quaterque.

GLO-

GLORIA DOLÆANA,

Titubante Crena delineata

FERRARIÆ THURINGORUM,

A

CRISTIANO FRANCISCO PAULLINI.

Anno M. DC. XCIII.

THemistocles, theatrum aliquando petens, cùm interrogaretur, cujus vox auditu illi futura esset gratissima? *ejus*, dixit, *à quo artes meæ canentur optimè*. (a) Dulcedinem gloriæ pene adjecit gloriosam. Habent omninò hoc Illustres animæ, ut brevioris suæ vitæ compendium à Viris laude dignis extendi & conservari cupiant. Et nulla humilitas tanta erit, quæ non honesta gloriæ cupidine tangatur. *Qui tantos labores diurnos nocturnosque domi militiæque susciperet, si iisdem finibus gloriam suam, quibus vitam, esset terminaturus? optimi cujusque animus maximè ad immortalitatem gloriæ nititur*. (b) Hanc ut Dania *Frotboni* largiretur, sceptrum cum diademate spopondit illi, qui defuncti laudes ad posteros volueret. Et ecce! rudis quidam *Hiardus* pro lineolis istis regia potitus est Sella. Frotonem *Dani quem longum vivere vellent, per sua defunctum rura tulere diu. Principis hoc summi tumulatur cespite corpus, æthere sub liquido nuda recondit humus* (c) Quantillum pro tanto; Gemuit Macedo ad Achillis tumulum, eo quòd hic rerum suarum præconem Homerum repererat. (d) Quot vixere fortes ante Agomemnona, sed omnes *illachrymabiles* urgentur, *ignotique longa nocte*, cùm sacro vate careant? (e) Adeò antiquitus usitatum, Clarorum Virorum facta moresque posteris tradere. (f) *Omnes quippe trahimur laudis studio & optimus quisque maximè gloria ducitur*. (g) Laudemus igitur Viros gloriosos, per quos multa preclara fecit Dominus. (h) Nam si chartæ sileant quod prœmium tuleris rei benè gestæ? cùm honor sit τῆς ἀρετῆς ἆθλον (i) Exultabit ergo animus Inclyti Dolæi vitam alacriùs percurrens. Ast, *heu mihi, non magnas quòd habent mea carmina vires, nostraque sunt meritis ora minora suis. Quantumcunque tamen præconia nostra valebunt; carminibus vivet tempus in omne meis*. (k)

Primùm ejus vagitum audivit *Geismaria*, nobile inferioris Hassiæ oppidum, (quod multos eximios Viros, crena ferroque claros, Orbi peperit,) anno labentis seculi post quinquagesimum primo, ipso *Reginæ* die, quem fasti nostri septimo Septembris adscribunt. Pater erat Vir Integerrimus, suæque Artis peritissimus, *Johannes Dolæus*, & nobilis Mater *Juliana Elisabetha de Meil*, Vvormatiensis, fæmina ad exemplum usque religiosa & prudens, quæ ipsis Kalendis Januar. anno 1679. morbo attonito extincta est. Quantum verò intersit, cum ipso lacte materno nutrimenta virtutum imbibere, (fons enim & radix virtutis atq; honestatis vitæ est proba institutio, (l) (elegans *noster* documentum dabit, ut nisi in hanc curam seriò incubuisset parens, vix adeò venustus Mercurius ex hoc ligno sculptus fuisset. Eo ipse anno, quo natus pusio hic, Pater lares suos in Palatinatum volvens, sedem fixit *Francothalii*, ibique rem suam egit feliciter, donec à Gallo nuper pulsus in Hassiam regrederetur, Consul olim & Practicus Medicinæ ibidem fortunatus. Tædiosa res exilium, cùm tamen quælibet tellus nutriat Artem, adhuc tolerabilis. *Ite curæ*, dicebet *Crato*, abjectis nummis; & *Bias*, direpta patria, omnia secum tulit. Sed *pectore* gestabat illa, non *humeris*, non *oculis* visenda, sed *animo* æstimanda. Quæ enim domicilio mentis inclusa, nec mortalium, nec Deorum manibus labefactari queunt; & ut manentibus præstò sunt, ita fugientes non deserunt. (m) *Zeno*, bonis naufragio perditis, *nunc*, inquit, *fortuna expeditiùs me jubet philosophari*. Faustissimum sanè naufragium, si bona & pretiosiora quæque nobiscum enatent! Anno ętatis idoneo, id est septimo, deductus *noster* in celebre Gymnasium Francothalense, ibique sub felici Clarissimorum Virorum moderamine, ὅς καὶ τοῖς βίοις ἀδιάβλητοι καὶ τοῖς τρόποις ἀνεπίληπτοι, καὶ ταῖς ἐμπειρίαις ἄριστοι (n) [reading of the Greek uncertain] Scholis enim nemo nisi *bonus*, nemo nisi *doctus* pręficiatur, (o) *Rodingeri* cū primis, Eruditissimi Helvet. & *Cellarii*, pietatis, linguarum, Artiumque tyrocinium gloriosè deposuit. Abs hoc laudabili ingenii & industriæ testimonio dimissus, (ex studiis enim suis cognoscitur puer, & qualis Vir futurus sit, prima rudimenta ostendunt, (p)) anno sexagesimo nono antiquissimo ad Nicrum Athenæo in *monte myrtillorum* nomen dedit, & ab Illustri *Danckelmanno*, Juris & ęqui tunc Interprete Publico, ceu Rectore Universitatis, nunc Potentissimi Electoralis Brandenburgici *Friderici III.* (qui cuique *suum*) ad Comitia Ratisbonensia Legato Eminentissimo, libro discentium inscriptus, sapientiæ studium cum Arte saluberrima, quæ vitam & sanitatem tuetur, prudenter copulavit. Vani enim & fatui, qui sine hac ansa sublimiora captant. Bonus Philosophus semper fuit optimus Medicus. Turba nostra veluti athletarū est. *Hi quidem esse cupiunt victores in Olympiis, verùm ut id assequantur, nihil exercent curantve: ita pleriq; homuncionum nostratium laudant aliquando Hippocratem, omnibusque præferunt Medicis, ut autem similes illi fian:, quidvis studio habent potiùs, quàm hoc; qui ne legunt quidem illius Commentarios, nec, si id faciant intelligunt, quæ dicuntur: aut si quis id etiam assequatur, non perducit speculativam Artis rationem ad experientiam, ut confirmet, quod didicit* (q) Ergo (quàm salutaris clausula hęc!) *Philosophiæ strenuam navemus operam, si modò veri sumus æmulatores Hippocratis. Quod quidem si fecerimus, nihil vetat, quò minùs evadamus, non dicam illi similes, sed superiores certè illo, percipientes quidem, quæ rectè ab eo sunt tradita, quæ verò restant, nostra ipsorum industria invenientes*. (r) Næ, quot & quantos errores in Arte nostra Philosophiæ ignorātia pepererit, acutissimus *Uvaldschmidius*, Collega & Amicus, dum viveret, candidissimus, prolixiùs probavit in *Medico* suo *Cartesiano*. (s) Igitur ut augustum aliquando sibi strueret gloriæ theatrum, sub ductu Celeberrimorum Virorum D. à *Leinensechloss*, & D. à *Carrè*, veteris ac recentioris, id est Peripateticæ & Cartesianæ, Philosophiæ solida fundamina posuit. Sunt, qui nihil rectum verumve judicant, nisi à Silicernio prolatum fuerit, seu à famoso isto scholarum idolo, quod Stagira produxit, quodque multi trutinam fecere veritatis, in cujus laudes lymphaticus *Averrhoes* (t) magnis passibus grassatur, impudenter blaterans: *Aristoteles est regula & exemplar, quod Natura invenit ad demonstrandam ultimam perfectionem humanam*. Et alibi: *Aristotelis doctrina est summa veritas; quoniam ejus intellectus fuit finis humani intellectus. Quare benè dicitur, quod fuerit creatus & datus nobis divina providentia, ut sciremus, quicquid potest sciri*. Heu mihi, quanta res est sapere Modestior

(a) *Valer. Max. lib.* 8. *c.* 14. *ext. n.* 1

(b) *Cic. in Catone Majori.*

(c) *Saxo Grammat. lib* 5. *Hist. Danic. p* 98.

(d) *Curt. in supplement.*

Cicer. pro Arckia.

(e) *Horat. lib.* 4. *carm. ode* 9.

(f) *Tacit. Agricol. c.* 1.

(g) *Cicer pro Archia.*

(h) *Syracid.* XLIV. 1.

(i) *Arist.* 4. *ethic.* 7.

(k) *Ovid.* 1. *Trist.* 5.

(l) *Plutarc.* περὶ παίδων ἀγωγῆς *p. m.* 16.

(m) *Valer. Max. lib.* 7. *c.* 2. *ext. n.* 3.

(n) *Plutarc. loc. citat.*

(o) *Vid. Fusius D. Scheurlii dissert. politic.* 4. *p. m.* 185. *seqq.*

(p) *Prov.* XX. 11.

(q) *Galen. in libro, quòd optimus Medicus idem sit Philosophus.*

(r) *loc. dicto.*

(s) *Edit. Marburgi an.* 1687 & *in Institut. Medicin. rational.*

(t) *In* 3. *de anim.*

destior profectò indoles, & cautius ingenium *Selneccero* erat, (u) ut nesciam planè, cur Doctissimus *Balthasar Meisnerus* (vv) publicè dixerit: *Aristotelem Principem Philosophorum esse, cui bonæ artes hodie spiritum debent & animam, qui judicii acrimonia & ratiocinandi peritia omnibus ante ipsum Sapientibus & hujus seculi palmam si ne controversia præripuisset.* Si Vir optimus vel *Petri Gassendi*, (x) vel *Olai Borrichii*, (y) seu *Sebastiani Bassonis* (z) scripta legisset, fortè parciùs fatus esset, minusque credidisset colori. Quis in religione & moribus fuerit Dux gregis ille sui, nuper diximus. (a) De doctrina ejusdem naturalis scientiæ sic Cl. *Basso*: (b) *Adverte animum, Lector, & vide; quo jure* Aristoteles *in Philosophia obtinuerit Principatum, quo jure eundem conservet, ut securus regnet. Quemadmodum enim cœlo soloque sicco plantæ atque arbusculæ, ubi non est copia succi melioris, quemvis humorem obvium sugunt, quem in suam naturam convertant: ita post quam amplissima volumina, quæ de rerum naturalium causis proprietatibusque veteres conscripserant, perierunt, homines hujus scientiæ avidi, quòd non esset, quo famem explerent, objecta hæc fercula devorarunt, non discernere valentes initio, quæ noxia bonis immixta celabantur. Neque enim semper, quæ meliora sunt, aut veriora, citiùs eliguntur; sed plerumque verisimilia, & quæ falsa veri speciem habent, incautos suo splendore decipiunt. Huic verò rei plurimùm contulisse putas nomen Alexandri Magni, cujus Aristoteles fuerat institutor? quantam Magistro tantus discipulus opinionem conciliavit?* Scopticus, scio, videtur tibi *Helmontius*, (c) dicens: *In Natura ubique lapsus est* Aristoteles, *quia totius Naturæ ignarus miser rixatur.* At jam olim graviùs dixerat *Cardanus*, &, censente Sperlingio, (d) *rectissimè: Aristoteles ad eorum, quæ in Natura sunt arcanorum doctrinam, naturalemque disciplinam minimus, & omninò quasi nullus habendus est. Cui æstimationi qui non credit,* (ait Dictator iste) *prorsus stultus est.* Etenim omnia ferè (addit *Andreas Laurentius* cui tamen *genius Naturæ & altera Natura* erat, (e)) quæ de natura animaliũ scripsit, ab uno didicit *Hippocrate*, cùm tamen *ingratissimus Vir ejus nunquam meminerit.*

Alii contra novitatis adeò cupidi sunt, ut omnia antiqua pro deliramentis reputent. Medio tutissimus is! Seu Davus, seu Oedipus mihi quid dixerit, modò verum & salutare sit, gratum est. Medicina nostra nec *Hippocratica*, aut *Galenica*, nec *Paracelsica*, seu *Helmontiana* est, sed quæcunque à singulis rectè dicta & docta sunt: ita etiam Philosophia neque *Stoica*, vel *Platonica*, seu *Epicurea*, vel *Aristotelica*, aut *Cartesiana* est, sed, quod quisque benè docuit, hoc sciendum & imitandum est. Interim fugiamus compedes ingenii, nec ullius in verba Magistri juremus unquàm: æstimantes potius libertatem philosophicam omni auro cariorem. *Non statim abhorreatis ea*, (monet D. *Michael*, Prof. olim Lipsiensis, λόγῳ καὶ πείρᾳ excellens, (f) *quæ vetustatis sapiunt rancorem, nec omne id hauriatis, quod novitatis præ se fert dulcedinem. Sæpius namque & gemma reperitur in putatitiis sic quisquiliis, & venenum non rarò latet mortiferum, ubi quærimus medicinam. Ideò nec eæ solùm opiniones, quæ aliquot seculorum numerant ætatem, vobis placeant, sicut neque nauseam movere debet heri aut nudiustertiùs à fœcundo ingenio exclusa sententia: quoniam & ea, quæ jam omnia nova sunt, aliquando futura sunt obsoleta, & vetusta te jam attrita sanè olim fuere recens nata.* Concinne *Ovvenus*: (g) stulta *hæc invidia est*, cui cuncta recentia *sordent*, invidia stultitia *est*, cui nova sola *placent*. Fundamentis itaque naturalis Philosophiæ feliciter jactis, firmam Nobilissimæ Artis superstruxit ædem, sub Doctoribus Heidelbergæ celeberrimis, *Faustio & Jacobo Israele*, quorum memoria in benedictione est. Nactus quippe erat omnia subsidia, (quæ Cous in *Lege* poscit,) naturam scilicet, doctrinam, locum studiis aptum, institutionem à puero, industriam, & tempus. Retur plebs nostra, ibi incipere Medicum, ubi desinit Physicus. At, dictu mihi, sodes, quis Medicus erit, nisi φυσικός? nunquam, nunquam, insto, desinet Physica in cordato Medico. Potuisset quidem calumnia hominum, (qui de arte servandi eos temerè perversèque judicant,) Juvenem nostrum, ad sublimiora vadentem, à tramite recti dimovere; sed perstitit ille firmus, invidia cœca tonitrua calcans. Nec pœnitebit eum cum *Galeno* (h) *ab ipsa usque adolescentia mirificè sic inspiratum vulgi famam contemnere, & veritatis scientiæque studio flagrare ratus nullam esse hominibus neque honestiorem, neque diviniorem possessionem.* Venerabilis creatura Altissimi Medicus, (i) *custos salutis*, (k) ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, quem ideò Reges & Principes honorant honoribus ei debitis. Cujus rei illustrissimum ac recentissimum exemplum dedit Augustissimus *Leopoldus* (quem Deus servet, ut *consilio & industria* ejus Res Germanorum servetur publica!) in honorando *BecKero* suo; cui non tantũ inter Medicos & Consiliarios vitæ suæ principem dedit locum, sed etiam *Liberum Baronem de & in Uvalhorn* fecit, S.R.I. & Regni Hungariæ Equitem, jò & Præsidiũ & dulce decus nostrum! Qui vicissim *literis & armis* pro *Cæsare & Rege Catholico vel vincere aut mori optat*. (l) Aliud dedit Augustissimus Daniæ & Norvvagiæ Rex *Christianus V.* in honorando *Olao Borrichio*, Doctore olim nostro fidelissimo, quem non solùm inter Medicos suos, & Professores Hafnienses, suæ Facultatis, primarium esse jusserat, sed quoque Consiliarium Cancellariæ, Assessoremque in Supremo Tribunali Justitiæ, & Collegio Consistoriali clementissimè constituerat. Qui Vir, omni elogio major, omnes, quas labore & industria sua benedicente Deo; collegerat opes & facultates, easdem in honorem Ipsius, non ut inde sibi famam, aut nominis immortalitatem aucuparetur, larga manu iterum erogavit. Instituit namque, ut & sufficeret Juventuti academicæ, necessariis destitutæ adminiculis, præsidium aliquod in uberiora studiorum incrementa, & afflictis famelicisque solamen obtingeret: illis quippe domum planè lateritiam magnificentissimæ structuræ reliquit, ubi omnia cernuntur splendidè apparata, cubicula octo cum suis conclaviis, sexdecim destinata studiosis, modestia, virtute ac doctrina conspicuis, amplum auditorium variè exornatum, ut in hac palæstra commodiùs lacertos moveant juniores sacris Appollineis devoti, supellex libraria exquisitæ elegantiæ, diversorum studiorum generi inserviens, cui adhærent manuscripta rariora; cernitur ibi quoque laboratorium chemicum, Medicinam excolentibus pro futurum; cernitur hortus floribus arboribusq; consitus oculis recreandis, animo pascendo dicatus. Hoc tam sumptuosæ structuræ domicilium maluit vocari *Collegium Mediceum*, quàm ut à suo nomine appellationem traheret. Nihil enim arrogantiæ, nihil fastuosi ostentabat toto vitæ cursu, sed fortuna ac felicitate summa usus est modestia. Utrisque tum hujus Collegii incolis, tum aliis egestate, ærumnis, & imbecilli valetudine oppressis, nec non alumnis Scholæ Ripensis, (in qua Diæcesi An. 1626. 26. April. natus erat) ingentem pecuniæ summam atribuit, quæ, resignatis post obitum testamenti tabulis, in Collegio Consistoriali annuo spatio reservatis, explevit numerum vigintisex mille & trecentorum Joachimicorum. (m) Solenne hoc est Sacratissimis Daniæ Regibus, ut illustriores Medicinæ Doctores ad sublimiora dignitatum fastigia clementissimè evehant. Ita *Fridericus III* gloriosissimæ memoriæ Monarcha, Præceptores optimè de me meritos, *Thom. Bartholinum*, Seniorem, (cujus laudis & orbis idem erit finis, (& *Christian. Ostenfeld*, Utr. Juris Medicin. ac Philos. D.) cui, ob res præclarè exque voto gestas *Patavium* geminam imaginem, alteram è marmore in Palatio Academico, & alteram æri incisam posuit, (n)) Supremi Tribunalis Assessores fecerat, modernus verò *Christianus V.* Doctorem *Uvilhelmum Uvormium*, *Olai* Fil. etiam Præceptorem meum, Consiliarium Cancellariæ nuper renunciavit. Hoc sanè est debitis honoribus Medicos honorasse. Arduum opus, (ecquis diffitebitur?) librum Naturæ, ejusque regnum tri partitum, adeoque Macro- & Microcosmum curiosiùs scrutari, & utriusque mysteria, omni hymno majora, ad unguem quasi recitasse, quid tamen non expugnat pertinax industria? cujus φιλοπονίας præs. mihi erit venustus de *Morbis* discursus, primus fertilioris ingenii *Dolæani* fœtus, & vivacioris diligentiæ antea mbulo, basiis Eruditorum dignus. Nolo hic cum Artis nostræ Sociis altercari, an *Medicum omninò oporteat peregrinari?* si Galenum rogaveris,

(u) In præloquio physica.
(vv) Part. I. Philos. sob. sect. 3. c. 3. p. m. 768.
(x) Lib. 1. advers. Aristot. exercit. 3. p. m. 55. seqq.
(y) De Hermet. Ægypt. & Chemicor. sapient. c. 10
(z) In præfat. ad Lector. Philosoph. sua natural.
(a) Tract. de Talpa sect. 3. c. 1. §. 6. p. 37. seqq.
(b) Loc. cit.
(c) In tract. cujus rubrum: Tartari insonia §. 30.
(d) Institut Phys proem. qu. 3 p. 14.
(e) Lib. 8. Anat. q. 30.
(f) In epist. ad D. Frid. Hofmann. Meth. medendi Uvalaana abs eo edit. præfix.
(g) Lib. 3. epigr. 76.
(h) Lib. 7. Meth. med. c. 1.
(i) Syrac. XXXVIII. 1. seq.
(k) Curt. lib. 3. c. 6.
(l) Vid. Illustriss. Dn. Lib. Baron. à Blumenberg. orat. panegyr. Il. lustriss. ac Generosiss. Beckero script. & Noriberg. literis Endrerianis nuper excus.
(n) Hæc ex programmate funebr. Rect. Acad. Hafniens. D. Oliger Iacobæi, an 1690. d. 30. Octobr. scripto excerpsi.
(o) Vide Lagograph. mea curiosa sect. 3. c. 15. p. 326.

veris, (o) utique Apodemicæ necessitatem seriò commendabit, inquiens. *Jam verò cùm oporteat Medicum varias regiones orbis lustrasse, diversasque civitatum & locorum temperaturas, situs & constitutiones accurratè novisse, ut de illis possit judicium ferre, manifestum utique est, qui tali. sit evasurus, eum debere non modò contemptorem pecuniæ esse, sed suprà modum etiam industrium atque impigrum. At fieri non po est, ut is sit industrius, & impiger, qui inebriatur, qui sese ingurgitat, quique(ut summatim dicam) pudendis tantùm & ventri obsecundat.* Dolæum sanè, laudabili ductum genio, puduit μαμμύπρεθτον esse, juvabat potiùs regiones alio Sole calentes adire, ut variorum populorum mores & instituta expenderet, cum Viris eruditis commercium & familiaritatem arctiùs contraheret & quorum *gloriam* miraretur, eorum *res gestas* imitaretur. (p) Igitur Deo Duce, comite labore, Heidelberga *Sedanum* in Galliam se contulit, ibique talem, quam orsus erat, philosophico-medicam feliciter pertexuit simulque linguã Gallicam, qua sine vix æstimatur Eruditus hodie, addidicit. Inde facta traxere Eum *Lutetiam Parisiorum*, ubi non tantùm stupuit vastam venustamque orbis synopsin, sed potius circumfusam Principum Doctorum in uno circulo coronam. Multi quidẽ innocentes eò properant, sed vix è millibus unus erit, qui melior, imò integer saltem, ad suos regrediatur. Tam facilè cespitant labunturq; Juniores nostri in famoso isto *Lutetiæ* luto, ut inter rariora seculi ornamẽta ponas, si quos reduces & non collutulatos videris. *Kunigunda*, Henrici Sancti uxor, per XII. cãdẽtes vomeres incessit, ut pudicitiã suam probaret publicè. (q) Mitte filios tuos, si probare velis, an ex Deo sint, *Lutetiam*. Quos si eodem pudore & candore recipias, idem prodigium erit, ac si per vomeres cãdẽtes ingenua pectora ivissent. Ego epinicium cantabo & pæana *Dolæo*, quòd ambularit in prunis, nec pedes ejus exusti sint. (r) Fas foret, in ipso limine Galliæ tabulam junioribus suspendere, & Pythagoricum istud :ἀπέχε κυάμων, aureis literis inscribere. Quid autem κύαμοι, nisi *Sororiantium mammarum papillæ?* (ſ) has qui non fugiet, in eum cudatur *faba* ista *Terentiana*, (t) quam optimè explicuit *Taubmannus*. (u) Cadunt mihi lachrymæ, quoties de sanctiori Germania lego, (vv) neminem tunc *vitia risisse*, nec *corrumpere & corrumpi seculum* fuisse vocatum. Agebãt enim mulieres septa pudicitia, nullis spectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptæ. Hinc etiam paucissima in tàm numerosa gente adulteria. *Bodinus* hanc Majorum nostrorum continentiam & innocentiam *hebetudinem* vocat, & quasi *impotentiam peccandi*, ob quam non magnopere laudandos contendit. (x) Sed bibat ille helleborum. Dixeris cum Comico: (y) Utinam *veteres mores, veteres parsimoniæ* potius majori honori hic essent, quàm *mores mali*. At nunc *mores* nihil faciunt, quod *licet*, nisi quod *lubet*. Ambitio jam *more sancta* est, libera est à legibus: scuta jacere fugereque hostes, *more* habent licentiam. Petere honorem pro flagitio, *more* fit. Strenuos præterire, *more* fit. *Mores* leges perduxerunt jam in potestatem suam. Eæ miseræ ad parietem sunt fixæ clavis ferreis, ubi *malos mores* affigi nimio fuerat æquius. Sed quò me æstus dolorque abripit? *Dolæus* bonam animam à Domino sortitus erat, cujus rei specimen etiam dedit *Lutetiæ* in spargendis nucibus. Longiùs recedebat ille à rabientiũ juvenum turba, qui *student calicibus epotandis*, (z) & tanti apud exteros pœnitere emunt, cum perpetua nominis sui infamia & summo parentum cordolio. O fatui, quousque ruitis in æternùm punienda? Lemma ipsius: patiar, ut potiar. Quod jam est durum pati, dulce olim erit meminisse. *Fili*, clamat Ecclesiasticus, (a) *conserva tempus*, πολυτελέστατον ἀνάλωμα. Æstas non semper fuerit, veniet hymes, qua partis utendum erit. Dum messis est, lege spicas & manipulos. Dum vindemia est, uvas & racemos collige, & vel minima temporis punctula in usum tuũ rape. Abi ad *formicam*, ignave, optimam moralium Magistram. (b) Ecce! *silices* itinere ejus *attritos*, & in opere *semitam* factã. (c)

Ore trahit, quodcunque potest, atque addit acervo quem struit, haud ignota, ac non incauta futuri. quæ simul inversum contristat Aquarius annum, non usquam prorepit, & illis utitur antè quæsitis sapiens. (d) Vicit vinxitque *noster* juratos juventæ suæ hostes, otium & libidinem, honestiq; propositi sui tenax semper, regiam sibi stravit viam ad eruditorum consuetudinẽ & manuductionem, præsertim *Patini & Jonquetii*, vah! quanta nomina! quos etiam, & optimos quosque modestia, humanitate, & diligẽtia totos sibi obnoxios reddidit. Singulis septimanis Collegio Eruditorũ intererat, captans & capiens ibi scitu, auditu, notatuq; dignissima & jucundissima. Venerat enim *Lutetiam* veluti ad nundinas, omnes Doctorũ tabernas perlustrarat, opes Machaonias ordine decente expositas ibidem intuitus, iisque postquam ex voto erat potitus, curiosus omnium spectator & emptor, terga obvertit urbi, cæteras in eodem regno cum fœnore visurus. Præclarè factum! Spectata demum magna Galliæ parte in Britanniam transfretavit anno septuagesimo primo. Meminerat enim ipsius Isocratici: (e) *ne te pigeat longam viam ad eos ire, qui se aliquid utile docturos profitentur. Turpe enim est, cùm mercatores, rei familiaris augendæ gratia, tot ac tanta maria transeant, adolescentes, excolendi ingenii causa, detrectare saltem terra iter facere.* Ruebat in amplexus Optimi Hospitis Amplissimum *Londinum*. Hic cum *Sydenhammio*, pluribusq; super æthera notis, Illustribus ac Excellentibus Viris, maximè *Regiæ Societatis* Assessoribus, (quorum catalogo ipse etiam nuper, annuente Augustissimo *Gulielmo* fidei, patriæque libertatis, necnon tranquilllitatis Europeæ Vindice acerrimo, cui victoriam & triumphos vovemus innumeros!) inscriptus est, stabilem fecit amicitiam, omnium Bonorum favorem ultrò promeritus. Haud luxerit clarum in hoc cœlo literario sidus, quod non arserit eum. E multis nominabo *Thomam Vvilisium*, acutissimum Naturæ Artisque interpretem, decus Oxoniæ perpetuum, cujus molliter ossa cubent! Hic omnes synceri amoris radios in *Nostrum* transfudit, adque se raptum, ceu unicum filium, dilexit, dilectumque suum fideliter instruxit. At cùm novus illucesceret Sol Belgio, qui omnes collustrabat terras, *Franciscus de le Boe*, dictus *Sylvius*, Medicinæ Practicæ in Academia Lugdunensi Professor eminentissimus, secundũ Parentis præceptum, etiam hunc vidisse *Phœbum* tam gloriosum, quàm salutare erat. Et sanè, quantum lùcis abs hoc acceperit, publicè deprædicabit non sine gratissima *Magni Viri* commemoratione; citiùs pascentur in æthere cervi, & freta destituent nudos in littore pisces, quàm grato *Illius* labatur pectore vultus. (f)

Ficta & picta loquantur γλωϐϐογάςορες, qui *linguam habent propter ventrem*, (g) ego, quæ scio, narrabo. Timor Domini, & solidæ eruditionis cupido, quæ solum istud bonum est ἀθάνατον καὶ θεῖον, (h) adeò paria in eo fecerant, ut cum inter æterna nihil Deo sanctius ipsi esset, nec inter caduca reverentius quid elegantiori doctrina habuerit unquam. Semper aures ejus circũsonuit istud Græcorum: χρόνε φειδε', *parce tempori*, cujus unius rei honesta avaritia est, ejusque parsimonia ingens vectigal. Testes sunto Viri fidei pleni, à quorum ore pependit φιλομαθὴς καὶ πολυμαθὴς, *Sylvius*,

——*faces submittite cuncti*
nomen ad auditum,

Drelincurtius, Anatomicorũ Aquila, *Scachtius*, Theoria & praxi nulli secundus, *Cranius*, subtilissimus ille Cartesianus, ac *Schylius*, Botanicus insignis. Tantos Lugduni habuit Duces! Quot trophœa sedulitatis ibi reliquit? quis enim in publicis exercitationibus, vel disputando vel opponendo, acrior? quis in cæteris exercitiis academicis, Medicis maximè, diligentior? erga omnes æquus, in seipsum verò duriusculus, & parum mitis. Videns hanc igneam animi vim *Sylvius*, non semel galerum Doctoralem meritissimo obtulit. At non erat in fatis. Febris siquidem maligna eopse tempore affligebat *Nostrum*, quæ in tertianam intermittentem conversa, in quartanam tandem desiit, qua cum ultra semestre, spem inter metumque colluctatus, *ut ossa & pellis totus foret quin exta inspicere in Sole etiã vivo licebat: ita is pellucebat quasi laterna punica*, (i) æquam tamen servabat mentem rebus in arduis, non secus ac in bonis. Talis scilicet sapientis est animus, *qualis mundi status supra Lunam: semper illic serenum est*(k) Levius

(o) *In libello, quòd optimus Medicus idem sit Philosophus.*
(p) *Isocrat. orat. ad Nicod.* §. 52.
(q) *Compilatio chronolog. à Ioh. Pistor. edit. Conf. Bangert. not. ad chronic. Slavor. lib.* 1. *c.* 83.
(r) *Prov.* 6. 28.
(ſ) *Vid. cynograph. mea curios. sect.* 4. *c.* 9. §. 1.
(t) *Eunuch. act.* 2. *sect.* 3. *u.* 89.
(u) *Cõment. in Plaut. Cap. act.* 2. *sc.* 1. *p. m.* 252.
(vv) *Tacit. de German. c.* 19.
(x) *Lib.* 5. *de Rep. c.* 1. & *in method. Hist. c.* 4.
(y) *Trin. act.* 4. *Scen.* 3. *v* 22. *seqq.*
(z) *Prov.* 23. 30.
(a) *c.* 4. 23.
(b) *Prov.* 6. 16.
(c) *Plin. lib.* 11. *c.* 30.
(d) *Horat.* 1. *Satyr.* 1.
(e) *Orat. ad Demonic.* §. 21.
(f) *Virgil. ecl.* 1.
(g) *Pollux. lib.* 2. *de rerum variet.*
(h) *Plutarc. de pueror. institut.*
(i) *Plaut. Aulular. act* 3. *Sc.* 6. *v.* 8. *seqq.*
(k) *Senec. epist.* 59.

etiam

etiam patientia fit, quicquid corrigere nefas est. (l) Tentarat felicissimus *Sylvius* omnia, cuncta sine successu, cùm pertinacissimus morbus etiam probatissima Artis præsidia eluderet. Hinc accedes aliquando discipulum Optimos Didascalus: *Mi Dolæe*, ajebat, *adhucne doles? certè nomen & omnem à dolendo habes, quod equidem doleo.* Omni sepe ergò restitutionis apud Batavos præcisa, communi Medentiū suffragio, aeris mutandi gratia, in patriā mittebatur misellus, &, vix mense ibi transacto, pulsa nubes est, candidioresque ivere dies. O qui cōplexus & gaudia quanta fuerunt! Omnis enim in hoc *Ascanio* cari parentis cura stabat. Tot ergò laboribus impigrè exantlatis, tot periculis terra marique faustè superatis, tot regionibus & Regnis animosè & gloriosè visis, tot annis in florētissimis Universitatibus, vivos inter mortuosq; consuptis, æquum omninò erat & justum, doctarum frontium præmio, ingenio & labore dudū promerito, tandem potiri. Etenim aut Virtus *nomen inane est*, aut *decus ut pretium recti*, petit *experiens* Vir (m) Hujus Venusini Poetæ prudentiæ ille obsequens, præmisso examine, & dissertatione (ut vocant) inaugurali de intricato *affectu hypocondriaco*, superaddita lectione curiosā de *ovario muliebri*, (quam in justū commentariū redactā publico stitit orbi,) nobilē ac splendidum Doctoris gradum titulumq; (quid excandescis calumnia?) cum amplissimis privilegiis, in Electorali Heydelbergensi d. 6. Nov. 1673. solennissimè obtinuit, conferente eum Viro Illustri & Magnifico, Domino *Georgio Franco*, Phil. & Med. Doct. hujusque PP. ordinario, atque Facult. Med tunc Decano, Augustæ & Imperialis Acad. *Leopoldinæ* Adjuncto & *Argo*. Com. Pal. Cæs. nec non Diversorum Electorum & Principum Archiatro, nunc in florentissima ad Albim *Leucora* Prof. celeberrimo & Potentissimi Saxoniæ Electoris Medico ordinario &c. Fautore nostro plurimùm honorando. Mirari quis posset, cur Boni & eruditi Viri gradus hodie ambiant, cùm tamen (turpe quidem dictu, sed liceat mihi vera fateri,) alga viliores sint, rariosque dignioribus dentur. Verissimè enim *Ludovicus Vives*: (n) *Nullus locus, nullus honor, nulla dignitas denegatur ei, qui numerat.* O aureum seculum, & *aurearum ovium* ferax! (o) Viævicus, seu villula supererit, in quo non stabuletur aliquis, cui à *licentia* nomen sit. Adeò Doctorum omnia plena! Sed quæ (rogat Excell. *Francus* (p) hujus pestilitatis causæ? *Doctores & Professores in Accademiis, qui sumunt pecuniam, & mittunt asinos in patriam* Hi, inquam. *Promotores φιλοκερδείᾳ occæcati, & fallunt misellum Doctorellum, & reliquos homines, iste enim studia sua tanti æstimata reputat esse sufficientia. Hi autem non promotum crederent à tantis Viris, nisi condignum.* Næ magna Ecclesiæ & Reip. pestis imminet, si prudentiæ aut Sapientiæ testimonio falso decorati incedant illi, qui adeò rudes sunt, ut doceri etiam nequeant. Olim (atquò abiit istud *olim*?) Reges principes, Comites, Barones, Nobiles ambire hasce dignitates solebant, nunc probro sibi ducunt iis ornari. Vin causam? quia tàm doctis, quàm indoctis dantur. Id verò *non est testimonium eruditionis, sed inutilis hominum otiosorum & ambitiosorum ceremonia*. Nequeverò exiguum vulnus Reip. literariæ existimandum est, nobilissimam juventutis amisisse partem. Ideò nullus Magister aut Doctor ejus scientiæ creetur, *quam alios non possit docere*; aliàs longè ineptior & stolidior erit cerdone, sutore, & ejusmodi illiberalium Artium Magistris. (q) Verā gloriam *solus sapiens* possidet, stultorum exaltatio ignominiosa. (r) Gloria stulto est veluti *nix in æstate, & sicut pluvia in misse*. (ſ) Indigno conferre honores, nil aliud est, quàm in *acervum Mercurii* lapidem mittere (t) Nervosè Lutherus. *Wer einem narren ehere anlegt, das ist als wann einer einen edlenstain auf den rabenstein Wurfe.* Nobile Doctoris Medici nomen, *nobile* ejus officium, (qui enim propiùs ad Deos veneris, quàm salutem hominibus dando?) omnisque ejus dignitas *nobilis*, quam contra *Fabrum* vindicat Cl. *Itterus*, Amicus noster. (u) Malè igitur fecit Universitas Patavina, quòd anno hujus seculi post quadragesimum nono *Isaacum Helenum*, Iudæum Francofurtensem, Phil. ac Medic. Doct. crearit, & quidem tantis elogiis laudumque præconiis, quæ nec ipse Philosophus, vel Medicorum Princeps Hippocrates sua agnosceret. (vv) Culpandus etiam *Ioachimus Allramerus*, qui, Cæsareo privilegio sibi dato abutens, alium Iudæum a *Wallech*, tanquam indignum, antea ab Academia Ienensi & Helmstadiensi rejectum, etiam Paduæ Doctorē Medicinę renunciavit. (x) Maximè impedimento est, *Wissenbachi*, si quis Iudæus, & tamē Jurisconsultus, seu Medicus sit, idq; cōtrà Te vicit solidè *Jo. Georg. Febr.* I. V. L. (z) & *Ludov. ab Horing K.* (a) Dispeream, si non rabientis seculi amentiam nitidissimè depinxerit *Marcellus Palingenius*. (b) Vix obtento Doctoratu, gloria honorē κατὰ πόδα sequebatur, *Nostroque* Physicatus *Limburgensis* ad Lahanam, in territorio Trevirensi, demandabantur publicè, quo etiam per biennium, magna cum ægrotantium salute, dexterrimè functus est. Ingens, fateor, & nominis & officii hujus abusus. Genuinus siquidem & excellens Medicus φυσικὸς est, seu κατὰ φύσιν, *secundùm ipsius rei veritatem*, interprete Galeno. Λογιάτρους enim, (c) seu τῷ ὀνόματι ἰατρούς, (d) & κατὰ νόμον qui malunt *videri* talas, *quàm esse*, ceu profanū vulgus, odimus & arcemus. Inde forsan fluxit laudabilis consuetudo, à plerisque benè constitutis Germaniæ civitatibus adhuc studiosè observata, dum Medicos suos ordinarios, & publico stipendio, ob quinq; potissimū causas, quas *Cortnummius*, Doctor meus fidelissimus, recēset (e) ritè vocatos *Physicos* appellant. Præficiendi autem huic spartæ forent οἱ τῶν ἰατρῶν χαρίεντες, (f) id est *nobilissimi Medicorum*, explicāte *Casaubono*, (g) qui sciūt esse se Naturę ministros, eamq; ideò in omnibus sibi imitandum esse, qui omnia faciunt κατὰ λόγον, *secundùm rationem*, id est qui ex certa rerū notitia deprōptę indicationi innixi, talem remedii materiā administrāt, quæ satisfacere indicationi potest, & satisfecit, suos modò partes Natura peragat. (h) Creverat hactenus adorea *Dolæana*, ut etiam Serenissima *Albertina*, Princeps Arausionensis, & Nassoviæ, Comitissa Catimelibocci, Viantæ, Diæziæ & Spiegelbergæ, Domina Beylsteinii &c. &c. laut stipendio (quis enim parvo magnos labores suscipere, cùm parvo labore magnum stipendium posset mereri?) Eum ad se vocans, munus Archiatri conferret. Mansit in aula Ejus, simulq; reliquis Celsissimis Principibus Nassovię, *Adolfo Schāburgēsi*, & *Henrico Mauritio* Hadamarensi b. m. à consiliis & auxiliis medicis fuit. Nihil commemorabo de Illustrissimis aliis in isto districtu Comitibus, Nobilibus, & plebeis, qui undique confluxere ad Eum tanquam ad tripodem, aut delubrum salutis. Ambiit opem Ejus Serenissimus Princeps *Raymud.* à *Montecucoli*, S. Cæs. Maj. Campi Mareschallus, Protector olim Collegii *Naturæ Curiosorum* Gratiosissimus, & Illustrissimus Comes *Joanelli*, ejusdem Imperialis Majest. Generalis Commissarius bellicus, qui in hybernis suis decumbentes, at redempti, servatori suo non gallum, sed aureos magni ponderis nummos, ceu tesseram rei benè gestæ, gratiosè largiti sunt. Et quorsum singula? Iter meditabatur *Albertina* Leovvardium in Frisia, custodemque salutis suæ comitem optabat. Verùm ille sacro nexu *Swertiano* vinctus, sequi haud potuit. Cùm enim vitæ solitariæ pertæsus, *fidele* (i) adjutorium quæreret, Deo & sibi acceptum, invenit id *nobile Dei donum* (k) Hanovię, *Susannam* Amplissimi Dn. *Swertii*, Consulis Primarii, filiam *Susannam* eligit seu *rosam*, φέριστον ἄνθος, καὶ θεοῖσι τερπνόν, uti *Anacreon* vocat. Hæc est *terræ ornamentum, plantarum splendor, occulos florum, prati purpura, pulchritudo coruscans* Hæc *amorem spirat, amorem conciliat, speciosis foliis luxuriat, tremulisque delectat, ejus frondes Zephyri difflatu rident*, ut Leucippe, lepidissima puella, apud Achillem Tatium cecit. *Rosam* voluisti, *Dolæe*, eja! quàm amplum hieroglyphicum pietatis, castitatis, humilitatis, taciturnitatis, patientiæ, & æternitatis cum *Susanna* tua accepisti? (l) Memineris ad aspectum *rosæ* tuæ istius in Cantico. (m) Ex hac sua carne quinq; suscepit filios & quatuor filias, quę omnes excepta natu minima Anna Catherina adhuc, Dei gratia, supersunt. Ex illis verò natu maximus *Joh. Daniel.* & minimus *Joh. Fredericus*, cæteri dormiunt in pace. Relicta ergò aula Nassovica, *Hanoviam* venit anno 1676. vocante Eum

Illu-

(l) *Horat.* 1. *Carm. ode* 24.

(m) *Horat. l.* 1. *epist.* 17.

(n) *Lib.* 1. *de caus. corrupt. Art.*

(o) *Vid. Diogen. Laert. lib.* 6. *de vit. Philosoph. p. m.* 349.

(p) *In epistol. Ierem. Cotte disp. inaugural. habit. Heydelberg. anno* 1677. *præfix.*

(q) *Vid. Cl. Scheorlii differ. Pol* 4. *thes.* 38. *seq.*

(r) *Prov.* 3. 35.

[ſ] *Prov.* 26. 1.

(t) *Prov. cap. cit. v.* 8.

(u) *De gradib. academic. c.* 13. §. 27. *p.* 371.

(vv) *Idem Itterus lib. cit. c.* 7. §. 4. *p.* 154.

(x) *Bechmanun. de privil. Studiosor. c.* 8. *num.* 30.

(y) *Vid. Comment. ejus in cad. tit. de Judæis & cœlicol.* §. 4.

(z) *Vid. D. Hornigks Stell. Notarior. part.* 2. *p. m* 38. *seqq*

(a) *In tract. cujus rubrum: Medicaster Apella.*

(b) *In Leone p. m.* 126. *seqq.*

(c) *Galen. lib. de purg. facul. c.* 5.

(d) *Hippocr. lib. de Arte.*

(e) *Lib. de morbo attonito c.* 67. §. 26. *p.* 319.

(f) *Aristot.* 1. *Ethic.* 10.

(g) *In epist. ad Ducęū.*

(h) *Dn. van der Linden in Select. mediu. exercit.* 7. §. 31.

(i) *Syrac.* 36. 26.

(k) *Idem cap.* 26. 3.

(l) *Vide Ioh. Henrici Dagolganbans Prof. Coburg. Rosam loquentem, excus. Coburg.* 1652.

(m) *cap.* 11. 1. *seq.*

Illustrissimo ac Celsissimo domino *Friderico Casimiro*, Comite Hanoviæ Rhineccii & Bipontii, Cynasta Muntzenbergæ, Liechtenbergæ & Ochsensteinii &c. bajulans ibi Medici ordinarii munus, cum novo nominis sui magmento. Edidit enim anno 1680. *Theatrum Theriacæ cœlestis*, à dexterrimo Chymico & Pharmacopœo, (nunc Doctore Medico) *Johanne Dieterico Hoffstadio*, auctiùs confectæ. Pusillus equidem codicillus est, sed rarioribus observationibus studiosè refertus, qui curiositati Lectoris omninò satisfaciet, imprimis si ei laudati *Hoffstadii* disputationem inauguralem (n) de eadem theriaca junxerit. Cæterùm si quid otii amplissimæ & fæcundæ praxi suffurari poterat, id omne potissimum erudiendis studiosis, suos intra parietes, impendebat Vir industrius & salutis publicę amantissimus. At ecce! nil minùs cogitantem Serenissimus Hassiæ Princeps *Carolus I.* anno 1682. Hanovia Cassellas clementissimè evocavit, interque Consiliarios & Archiatros suos posuit, quorum Primas nunc ille. Sic gloria denuò peperit honores, eosque eminentiores, non quæsitos. Sic *quasi palma* exaltatus est in ripa, & quasi *plantatio rosæ in Jerico*. (o) Idem genius idemque ingenium Sapientissimo ac Fortissimo Cattorum Principi, (cui ὑγιαίνειν, εὖ ζῆν, καὶ εὖ πράττειν ὁλοψύχως vovemus,) quale olim erat Regi Regnum Magno *Artaxerxi*, cùm Hystani, Præfecto Hellesponti ita scriberet: (p) *Si quis in Europa fuerit Vir clarus, hunc amicum domui nostræ redde, minimè parcens pecuniæ. Neque enim Viros, qui consilio valeant, invenire est facilè*. Quàm regale opus est sapere, & judicare! (q) quod etiam *majus iudicium bonæ mentis* ostendere potest Princeps, quàm, si *optimos ac prudentissimos* sibi deligat Consiliarios? *caput id est regiæ prudentiæ*, (r) & magnum amoris diuini specimen. (s) Genuinus boni Principis character, si bonos alat Viros, qui velint & queant bono servire publico. Malus contra, dicente *Alexandro Seuero*, qui ex visceribus Provincialium homines non necessarios, nec Reip. utiles nutrit. Quid enim censura *Antonini Pii*, (referente *Iulio Capitolino*) fœdius, imò crudelius, quàm si Remp. arrodant, qui nihil suo labore in eam conferunt. Certè *beatos populos* autumat Senex noster, (t) si *Viros bonos sua esse propugnacula intelligant, non turres, non mœnia sed prudentium Virorum consilia. Parva enim foris arma* sunt, nisi est *consilium domi*. (u) Tutior & fortior erat Sparta, cùm *Viris*, non *lateribus* cingeretur, (vv) id est *armis* non *muris*, defenderetur. (x) Apud quos enim maxima proponuntur Virtutis præmia, in eorum Rep. viri erunt præstantissimi. (y) Sed ad Corculum meum. Licèt inter concatenata servitia aulica, inter frequentiores Amicorum confabulationes, lachrymas inter & suspiria languentium, inter quotidiana rei domesticæ tædia, nihil temporis supersit, quod cum studiis gravioribus partiatur, ἐν νυκτὶ βουλὴ τοῖς σοφοῖς γίγνεται, (*in nocte tamen consilium sapientibus nascitur*;) hoc πρᾶγμα χρυσοῦν (ut *Amphydis* apud Stobæum solitudinem vocat,) arduis consiliis & seriis speculationibus consecrat. *Insidet quædam* (ore Tulliano fabimur, (z)) *in optimo quoque virtus, quæ noctes & dies animum gloriæ stimulis concitat, atque admonet, non cum vitę tempore esse dimittendam commemorationē nominis sui, sed cum omni posteritate adæquandam*. Hujus rei obses erit *Encyclopedia*, quam stupemus, *Medico Chirurgica dogmatica*, opus verè aureum & consummatum. Vix prodierat illa, & nullibi amplius reperiebatur. Tam facilè proba merx emptores habet suos. Plausum & æternitatem merentur hę Pandectæ, omni genti acceptæ. Germani enim *bis*, Belgæ *quater*, Veneti *semel* typis eas exscripsere. Angli, interprete Amplissimo D *Vvilhelmo Salomone*, Medic. Prof. Londini Inclyto, in vernaculam suam transtulere. Ambiunt eas adhuc Lugdunenses Galli magno præmio. Sicque intra Sexennium nondum planè elapsum septies illa sub prœlo sudavit, quod certè rarius & augustius rei optimè gestæ testimonium est. *Ignorantia recti & inuidia* plerumque magnorum ęvi sui Virorum famam obfuscant. (a) Sed magna & nobilis *Dolæi* virtus etiam hos imbelles adversarios vicit & supergressa est. *Dogmaticam* vocat, seu *rationalem*, ne nescias, omnia in ea comprensa rationi & experientiæ, firmissimis Artis nostrę fulcris, esse subnixa. Terrebit tyrunculos Senex noster, in ipso limine aphorismorum clamans: ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ ἡ δὲ κρίσις χαλεπή. At cōfidite, filii, prolixiorē vitam, artemq; contractiorem spōdebit *Doleus*. Excutite *Encyclopediam* Ejus, occasio ubique erit tuta, judicium firmum, experientia sine discrimine, en dextram fidemque! In pretio habitus est ille artifex, qui *Mæonidem* nuci incluserat, nec non alius, (b) qui in exiguo annulo *Phaetonta*, quatuor vectum equis, incredibili artificio & spectaculo sculpserat. Vos autem mirabimini industriam & ingenium Viri, qui in una area omnes ātiquos & juniores Artis Proceres, sine fumo, sine fuco, cujus nescius ille, Vobis stitit. Quàm bonum & jucundum spectaculum, *Hippocratem, Galenum, Paracelsum, Helmontium, Vvillisum, Sylvium, Cartesiumque* junctim hic vidisse & audisse, sub texta, ubivis Celeberrimi Authoris epicrisi & methodo, quæ statutæ instar Mercurialis famulabitur, regiam vobis monstrando viam ad sublimè Æsculapii fanum. Hoc monimentum omni ære perrennius erit regalique situ pyramidum altius, quod non imber edax, aut aquila impotens diruet, aut inumerabilis annorum series, & fuga temporum. (c) Sic immortalitatem *sapientia* obtinuit, relinquens *memoriam* posteris *sempiternam*. (d) *Hermodis* responsum, que Pausaniam, de famæ acquirendæ modo consultantem, dimisit, erat hoc: *si Virum aliquem illustrem occidisset*. *Noster* pro fundamento gloriæ suæ posuit hoc: si Viros illustres servasset. Virtus enim *una ista res* est, quæ nos *immortalitate* donare potest, & *Diis partes facere*. Hinc non ita pridem sumptibus Serenissimi cujusdā effigens ipsius in perpetuam ipsius memoriam æri insculpta est, adjecta hac inscriptione, *Virtuti debita merces*. (e) Si Dominus voluerit, viresque supersint, pandet etiam Curiosioribus *Encyclopædiam Pharmaceutico-Chymicam*, ut hoc trinum omninò perfectum sit, & funiculus, qui non rumpitur. (f) Sunt quidem multæ studiorum noxę & lues, quas latiùs dixit facundissimus *Francus*; (g) at virtus *tantum bonum est*, ut istas *accessiones minutas* non *sentiat, brevitatem ævi, & dolorem, & corporum varias offensiones*. (h) Qui Reip. profuturus est, *sui commodi* oblivisci*tur*. (i) Non potest enim quisquam *beatè* degere, qui se *tantùm* intuetur, qui omnia ad *suas utilitates* convertit, *alteri viuas oportet, si tibi vis viuere*. (K) Prudenter *Pelopidas*, cùm vxor in lachrymas effusa pugnam initurum moneret, vt *se servaret*; *id*, mulier, ait, *privato suggere*, Imperatori verò, ut *servet alios*. (l) Et Medicus *Imperator est*, cùm, veluti Dux militibus, & Rex subditis, imperet ægris. (m) Oportet igitur stantem & pugnantem mori, si servare velit alios; εἰκὼν γὰρ θανάτου βίος ἄμμορος ἂν διδαχῶν. (n) Verùm *unus γνησίως*, eruditi dies plus patet, quàm *imperiti longissima Ætas*, dicente Posidonio. (o) Vita quidem brevis nobis data est, at memoria benè redditę sempiterna: quę si non esset longior, quàm hæc vita, quis esset tam amens, qui maximis laboribus & periculis ad summam laudem gloriamque contenderet? (p) Si quæ etiam vita Argum Ianumque poscat, utique vita erit aulica. *Emunctæ sit naris homo qui degit in aula, Regum ignara solent urere labra dapes*. (q)

Vver sich gen Hofe giebt mus Kalte, und haises Keunen,
an fursten tafel. Kan sich einer leicht Verbrennen.

Ideò *graues Principum amicitias* dixit Horat. (r) & Naso *longiùs fugere jussit magna nomina*. (s) Fortuna enim (Conradi I. Imperat. voce) cùm ridet, fallit. Si omnium salus in Rege, aut Principe, (t) facilè judicabis, quantum onus, periculi & molestiarum plenum, oportet somiater, & quanta illa debeatur hecatombe pro salute Principis. S. P. Q. Abderitarum Hippocratem vocans, ut Democrito mentem sereniorem redderet, inter alia sic: (u) *Adsis, Vir optime, Virum eximium curaturus. Veniens nō tanquam Medicus, sed uelut totius Ioniæ fundator, nos sacratiore muro circundabis*.

(n) *Habit. Vvitteberg. A. 1691. 12. Januar. sub umbone D. Franci*.
(o) *Syrac. 24 18*.
[p] *Vid. epistol. Hippoc*.
(q) *Cicero 1. de divinat*.
(r) *Lips. lib. 3. Polit. c. 3*.
(s) *Syn. 105*.
(t) *In epist. ad S. P. Q. Abderitar*.
(u) *Cicer. li. 1. Officior*.
[vv] *Plutar. th. in Lyc*.
(x) *Iustin. lib. 14. c. 5*.
[y] *Thucyd. lib. 2. p. 81*.
[z] *Orat. pro Archia*.
(a) *Vid. Cl. Berneger*.
quasi miscell. ex Tacit. nu. 168.
(b) *Galen. lib 17. περὶ χρείας c. 1*.
(c) *Horat. lib. 3. carm. od. 30*.
(d) *Sap. 8. 13*.
(e) *Senec. li. de mort. immat*.
(f) *Eccles. 4. 12*.
(g) *In singul. dissert. habit. Heydelbeg. 6. Nov. 1673*.
(h) *Senec. epist. 92*.
(i) *Cicer. 1. offic*.
(K) *Senec. epist. 48*.
(l) *Plut. in Polopid*.
[m] *Gal. l. 1. M M c. 1*.
(n) *Cat. l. 3. dict. moral. 1*.
(o) *Senec. epist. 78*.
(p) *Cic. orat. Philipp. 14*.
(q) *Vid. centur. Prouerb. Alis Muslimici Imp. à Tscherning. edit*.
[r] *Lib. 2. ed. 1*.
(s) *Lib. 3. Tr. 4*.
[t] *Curt. 96*.
(u) *Vid. ep. Hippocrat*.

bis. *Urbem, non Virum, curabis*: Macedones victoriam in positam esse arbitrabantur, si tantum ante signa stare potuisset æger Alexander. Et quàmprimùm ille in conspectum militum venit cum Medico, ferè avidiùs intuiti sunt *Philippum*, quàm Regem, pro se quisque dextram ejus amplexi, gratias, egere veluti *præsenti Deo* (vv) Noverint etiam Eruditi epistolas *Dolæi*, de curiositatibus diversi argumenti, Amicissimo *Vvaldschmidio* inscriptas, quæ unà cum responsis *Priami*, eheu! quondam nostri, adhuc publicè prostant. Hisce præclaris erectioris animi dotibus, & profundiori doctrina, cùm magis magisque inclaruisset, Illustris *Febrius*, Curiosorum Princeps & *Argonauta*, unà cum aliis admirans eas, Augusto *Leopoldino* Collegio *nunquam otiosorum* maximo suo merito adscripsit. Neque in *hunc doctissimum cætum* (Cæsaris vox est) *alii recipi debent, nisi qui meritis, eruditione & virtute præstantes sunt*. Functus etiam officio suo *Andromachus*, ut ex Ephemeridibus nostris passim videbis. Praxis ejus æquè in oris Cassellanis ac in exteri plurimis fœcundissima erat. Cupiunt Viri undiquaque Doctissimi certatim amorem & candorem Ejus Hinc tantùm non omni die è cunctis Germaniæ angulis, nec non ex Italia, Gallia, Anglia, (cujus *Societatis Regiæ* omnium Sociorum unanimi voto declaratus & declamatus est Socius, & testimonio honorifico à Collegio Regio instructus,) Septentrione, utroque Belgio aliisque locis, literas accipit ὁ δαιμόνιος ἀνήρ. Pulchrè *Cicero*: (x) *Jucunda laus hæc, quæ ab iis proficiscitur, qui ipsi vixerunt in laude*. Nec hæc vita dicenda est, *quæ corpore & spiritu continetur, sed illa, illa, inquam, vita est, quæ viget memoria seculorum omnium, quam posteritas alit, quam ipsa æternitas semper intuetur*. (y) Ast, ut verba conferam ad compendium, unus quondam futuræ ætatis hymnus erit de *Nostro*.

Nihil in vita, nisi laudandum, aut fecisse, aut dixisse, aut sensisse Dolæum. (z)

(vv) *Curt. liq.* 3. 6.

(x) *Lib.* 15. *epist.* 6.

(y) *Cic. orat. pro M. Marcello.*

(z) *Vellei Patercul. lib.* II. *p.* 22.

FINIS.